
37
14 G
2

ORIGENIS ADAMANTII

OPERVM PARS SECVNDA, COMPLECTENS EA MAXIME, QVÆ IPSE IN NOVVM TESTAMENTVM EST COMMENTATVS, EX QVIBVS

antehac à nobis non æditi, apparent iam Commentarij in Euangelium Ioannis, tum Dialogi aliquot aduersus Marcionistas. Præter quos denuo Libri aduersus Celsum. Diuersi denique tractatus è Regia Bibliotheca deprompti quibus quantum cum veteri translatione conueniat prudens lector iudicabit.



PARISIIS,
Ex officina Petri L'Huillier via Iacobæa
sub Oliua.

M. D. LXXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

COMMENTARII ORIGENIS ADAMANTII IN EVANGELIVM MATTHÆI, CVM ACCESSIONE DVORVM AC dimidiati tomi, Des. Eras. Roterod. interprete.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.



B TVNC dimissis turbis venit in domum suam, & accesserunt ad eum discipuli ipsius dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.] Quando cum turbis est Iesus, non est in domo sua: Nam extra domum sunt turbæ, facitq; hoc illius erga homines charitas ac beneuolentia, vt domum relinquat, & abeat ad eos, qui ad ipsum peruenire non possunt. Posteaquam autem satis disseruisset turbis per parabolas, dimittit illas, ac venit in domum suam. Vbi accesserunt ad eum discipuli ipsius, qui non remanserant cum his quos ille dimiserat. Et quicunque sanè syncerius audiunt Iesum, primum sequuntur illum, mox percontati vbi domum habeat, inuitantur, vt videant illum. Venie̅tes vident, & mane̅t apud illum, omnes quidem diem illum, quidam autem illorum fortasse diutius. *[margin: γνησιώτερον.]* Atque huiusmodi quiddam arbitror significatum in Euangelio Ioannis, his verbis: Postero die rursus stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo. *[margin: Cap. 1.]* Insuper ad demonstra̅dum quod ex his quibus fuerat concessum, vt irent cum Iesu, viderentq; domum illius, is qui præstantior erat, fieret etiam apostolus, his quæ dicta subnectuntur hæc: [Erat Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus qui audiera̅t à Ioanne, & secuti fuerant Iesum.] Proinde nos quoque, si volumus C audire Iesum non more turbarum, sed eorum more, quibus permittit & in domum venire, eximium quiddam vltra turbas suscipientes, familiares ac domestici reddamur Iesu, vt velut illius discipuli, ad eum iam domum ingressum accedamus, & accede̅tes doceri postulemus enarrationem parabolæ, siue zizaniorum agri, siue cuiusuis alterius. Vt autem plenius intelligatur quid nobis commodet domus Iesu, colligat aliquis ex euangeliis quæcunque de Iesu domo dicta sunt, tum quæcunque in illa vel dixerit, vel fecerit. Hæc enim in vnum coaceruata, persuadebunt huic attento lectori, quæ sunt in euangeliis, non simpliciter tantum, vt quidam existimant, esse scripta, sed simplicibus ob dispensationem veluti simplicia prodita sunt. Cæterum qui acutius volunt & possunt aures inte̅dere, his illic reconditæ sunt res magnæ sapientiæ, deique verbo dignæ. Post hæc respondens dixit, ab eo loco: Qui seminat bonum semen, est filius hominis, de quibus tametsi pro viribus in superioribus nobis dissertum est, nihilominus dicentur & hic, quæ possunt illis adaptari, Quanquam & secundum alteram enarrationem absurda non sunt. *[margin: Sed desunt illi tomi.]* Ac mentem adhibe si possis & aliter præter ea quæ disserta sunt prius, bonum semen pro filiis regni accipere. Quoniam quæcunque nascuntur in hominis animo bona, hæc à verbo quod in principio erat apud Deum, co̅dita sunt, quum sint germina regni Dei, vt sani de re quaque sermones sint, filij regni. Dormientibus autem his, qui non agunt iuxta Christi præceptum dice̅tis, Vigilate & orate ne intretis in tentationem, diabolus obseruans superseminat quæ vocantur zizania, praua dogmata: *[margin: Mat. 13.]* E superseminat autem naturalibus, vt quidam appellant, cogitationibus, bonisque seminibus, quæ profecta sunt à verbo. *[margin: ἐννοίαις.]* Porrò iuxta hanc interpretationem, ager accipi possit totus mundus, non tantum ecclesia Dei. Siquidem in toto mundo filius hominis seminauit bonum semen, malus autem ille zizania quæ sunt sermones praui, qui sunt ex malitia nati, mali filij. *[margin: Ager totus mundus.]* Oportebit autem in fine rerum fieri messem, quam appellat consummationem seculi, vt angeli Dei, quibus hoc datum est negocium, colligant quæ prius animæ fuerant agnata peruersa dogmata, & tradant ea in co̅sumptionem agni qui dicitur exurere, nimiru̅ subuertentes ea. *[margin: Zizania praui sermones.]* Et hoc pacto colligent angeli verbi & iidem ministri, ex vniuerso Christi regno omnia quæ inerant animabus offendicula, cogitationesq; quæ pariunt iniquitatem. *[margin: Messis consummatio seculi.]* Quas collectas conticient in caminu̅ ignis ardentem. Vbi simul & qui ad se reuersi senserint, eo quod dormitum est, in ipsis illius mali semina locum occupasse flebunt, ac sibi quoddammodo indignabuntur. Nam hic & stridor dentium, vnde & in psalmo dictum est: stridebant in me dentibus suis. *[margin: Psal. 36.]* Tunc maxime iusti fulgebunt, non iam varie, quemadmodu̅ initio, sed omnes velut vnus sol in regno patris sui. Itaque veluti mysterium aperiens seruator, fortasse qu̅u propter omnia quæ dicta sunt in explicanda parabola, tu̅ verò potissimum propter hoc quod dictu̅ est, Tunc iusti fulgebunt vt sol in regno patris sui, subiungit: [Qui habet aures ad audiendum audiat:] docens eos qui putabant ipsum in enarranda parabola dilucidissime rem explicuisse, vt vel à quibuslibet posset intelligi, & ipsam parabolæ enarratione̅ opus F habere explicatione. Verum quoniam superius diximus in hæc verba, tunc iusti fulgebunt vt sol, quod non vt prius varie fulgebunt iusti, sed erunt omnes velut vnus sol, necessario exponem* de hoc loco, quid nobis videatur. Videtur Daniel scire lumen mundi dixisse, intelligentes, vulgusq; iustoru̅ gloria præcellentes, quum ait: Et intelligentes refulgebunt vt splendor firmamenti. Ac de vulgo iustorum, vt stellæ in æternitates. Insuper & Apostolus, quum ait, Alia gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum, Stella enim à stella differt in gloria, Sic & resurrectio mortuorum: eadem dicit quæ Daniel, sensum hunc ab huius prophetia mutuatus. *[margin: Dan. 12. 1 Cor. 15.]* quæret igitur aliquis quomodo hi de differe̅tia luminis quod est in iustis loquuntur, quum contra seruator ita dicat, vt vnus sol fulgebunt. Opinor equidem, quod in exordiis beatitudinum quæ sunt in his quæ salui fiunt, quoniam nondum purificati sunt, qui tales non sunt, differentia sit luminis eorum qui salui fiunt. Cæterum vbi, quemadmodum diximus, collecta fuerint à toto Christi regno, omnia scandala, & cogitationes quæ gignunt iniquitatem coniectæ fuerint in caminum ignis, consumptáque fuerint deteriora: & dum hæc geruntur, ad se redierint qui receperant sermones, mali illius filius, tunc iusti vnicum solare lumen facti, fulgebunt in regno patris sui. Sed cur fulgebunt, nisi his quibus deest,

G qui fruentur illorum lumine, non aliter quam nunc sol lucet super terrã? Non enim profecto lucebunt sibi ipsis. Vide num forte & illud quod dicitur, Luceat lux vestra coram hominibus, describi possit super latitudinem cordis, iuxta id quod dictum est à Solomone, trifariam: vt & nunc luceat lux discipulorum Iesu coram cæteris hominibus, & post obitum ante resurrectionem pariter ac post resurrectionem, donec occurrant omnes in virum perfectum, ac fiant omnes vnus sol, tunc fulgebunt vt sol in regno patris sui.

Matt. 5. *1. Thess. 4.*

De parabola thesauri in agro absconsi.



RVRSVM simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem repertum homo abscondit.] Reliquas quidem parabolas dixerat turbis, hanc verò cum duabus hanc sequentibus non parabolas, sed similitudines ad regnum cœlorum pertinentes, videtur iam ingressus domum dixisse discipulis: cuius lectioni attentus, examinet & reliquas duas sequentes num forte non sint parabolæ, quandoquidem in illis scriptura non grauata est parabolę cuique titulum pręponere, in his verò non fecit idem, Idque fecit congruenter. Nam si turbis loquebatur in parabolis, & hæc omnia loquutus est in parabolis, & sine parabolis non loquebatur eis: cæterum vbi venerat in domum non loquitur turbis, sed accedentibus ad ipsum in ea discipulis, perspicuum est, non esse H parabolas quæ in domo loquutus est. His enim qui foris sunt loquitur per parabolas, & quibus non est datum scire mysterium regni cœlorum. Dixerit igitur aliquis: Si non sunt hæ parabolæ, quid igitur sunt? An igitur scripturæ vocem sequuti, dicemus esse similitudines, differre autem similitudinem à parabola? Scriptum est enim in Marco, Cui assimilabimus regnum Dei, aut cui illud conferemus? Ex hoc siquidem demonstratum est discrimen esse inter similitudinem & parabolam, id est, collationem. Videtur igitur similitudo esse generalis, parabola verò specialis. Fortassis & similitudo quum vox sit maxime generalis ad parabolam, vt complectitur in se speciem parabolam, sic & similitudinem speciem cognominem voci generali. Quod quidem & in aliis accidit, quemadmodum obseruatum est ab iis, qui callent multorum nominum vsurpationem. * Qui dicunt etiam maxime generalem esse ὁρμὴν, id est, motum, multas complectentem species, velut ἀφορμὴν, id est, occasionem, quæ aliunde oblata mouet, & ὁρμὴν, id est impetum animi vltro natum, dicentes ὁρμὴν, id est, impetum, in specie communi cum generali nomine vsurpari, ad distinctionem παρὰ φορμῆς, id est occasionis. Atqui hic seorsum quærendum est quis sit ager, seorsum quis sit thesaurus in eo absconsus, & quomodo homo qui inuenit hunc absconditum thesaurum, præ gaudio abit, venditque omnia quæ habet, vt emat agrum illum. Quin & illud quærendum, quæ sint illa quæ vendit. Mihi quidem iuxta hæc, videtur ager esse scriptura, consita manifestis historiæ verbis, & legis & prophetarum, ac cæterarum sententiarum. Copiosa siquidem variáque plantatio est, & eorum quæ tota scriptura dicuntur. Porrò thesaurus in agro absconsus, sunt reconditi & sub manifestis verbis latentes sapientiæ, in mysterio reconditæ, sensus: hoc est, in Christo, in quo sunt thesauri sapientiæ & intelligentiæ occulti. Alius autem dicet, agrum esse illum vere plenum cui benedixit dominus, videlicet Christum Dei. Thesaurum autem in eo absconsum, esse ea quæ dicuntur apud Paulum esse recondita in Christo, sic de Christo loquentem, In quo sunt thesauri sapientię & scientię occulti. Res itaque cœlestes, ac regnum cœlorum velut in imagine depicta sunt in scripturis, quæ sunt regnum cœlorum: aut ipse Christus rex seculorum est regnum cœlorum, assimilatum thesauro in agro absconso. Quum autem veneris in locum, quæres an regnum cœlorum soli thesauro sit assimilatum, qui absconsus est in agro, vt regnum cœlorum per similitudinem complectatur & agrum & absconsum in agro thesaurum. Veniens autem homo quidam in agrum, siue scripturas, siue Christum qui ex manifestis & occultis constat, inuenit absconditum sapientiæ thesaurum, siue in Christo, siue in scripturis. Obambulans enim agrum, scrutánsque scripturas, & quærens intelligere Christum, inuenit in eo thesaurum & inuentum abscondit: non existimans esse tutum occultos scripturarum sensus, aut qui sunt in Christo sapientiæ & scientiæ thesauros prodere quibuslibet. Et postquàm abscondit, abit, secum agitans quomodo emet agrũ aut scripturas, vt eas faciat sibi propriam possessionem. Postquam ex Dei scripturis acceperit oracula Dei, quæ primum Iudæis concredita sunt, & posteaquam à Christo doctus emerit agrũ, aufertur ab illis regnum Dei, quę est vitis iuxta aliam parabolam, datúrque genti facienti fructus eius: quæ per fidem mercata est agrũ, ex eo quod vendidit omnia quæ habebat, neque quicquam eorum quæ prius habebat apud se retinuerit: nihil autem illi suppetebat, præter malitiam. Hoc ipsum verò accommodabis, etiamsi ager habens thesaurum absconsum Christus intelligatur. Nam qui relictis omnibus sequebantur eum, veluti secundũ aliam considerationem vendiderunt quæ habebant, vt ob diuendita illa traditáque, & acceptam auxilio Dei in illorum locum bonam voluntatem, à Deo insignem ingentique precio dignum mercarentur agrum, habentem in se thesaurum.

Marginal notes (left column): * Hoc dicit, nonnunquã species desse peculiare vocabulũ, ac tum eã generis nomine designari. Velut apij multa sunt species, & tamẽquum apium dicimus vnam apij speciẽ ab aliis diuersam significamus. — *Ager scriptura.* — *Thesaurus in agro mysticus sensus.* — *Col. 2.*

I (marginal letter)

K

Mysterium celandum.

Rursum simile est regnum cœlorum homini negociatori, quærenti pulchras margaritas.] Quoniam regnum cęlorum simile est nulli quidem cæterorum negociatorum, quum multi sint multa commercantes, sed ei tantum qui quęrit pulchras margaritas, quique posteaquam inuenit, vnum multis aliis æquiparandum preciosum margaritum pro omnibus emit, locus postulat, vt de natura margariti disquiramus. Obserua verò diligenter, quod non dixit, vendidit omnes quas habebat. Non enim L solas eas, quas is qui quærebat pulchras margaritas emerat, vendidit, verumetiam vniuersas facultates suas distraxit, vt emeret margaritum illud. Inuenimus igitur apud eos qui de gemmis tractarũt, de margaritæ natura hæc. Margaritarum alias esse terrestres, alias maritimas: ac terrestres quidem apud solos Indos nasci, quę congruunt sigillis, anulis, ac monilibus: Maritimas autem si quę sunt insignes, apud eosdem Indos inueniri, quæ etiam optimæ in mari rubro nascũtur. Proximum autem in margaritis locum habent, quæ ex oceano Britannico capiuntur. Tertij autem ordinis inferiores sunt, non solum primis illis, verumetiam secundis, quę in Bosphoro iuxta Scythiam inueniuntur. Insuper & hæc dicuntur de Indico margarito, quod conchis innascitur, quæ similem habent naturam cum pręgrandibus cochleis, quę narrantur veluti turmatim in mari pasci, velut armenti duce quopiam exploratore, qui referat, qualis aut quanta sit regio: atque hanc aiunt præminere cæteris sub ipsa degentibus, vt res similitudinem habeat cum examine quod dicitur apum. Narrant autem & de ratione capiendi pręstantiores, hoc est, eas quæ in India reperiuntur, quod incolæ posteaquam magnum littoris ambitum retibus cinxerunt adnatant vrinantes, studentes ducem agminis, vnum ex omnibus apprehendere: Siquidem hoc capto, M ferunt nullo negocio capi huic subditum agmen, quippe nulla iam subsistente ex toto grege, sed vnaquaque ceu loro vincta sequente gregis ducem. Dicitur autem & generatio margaritarum Indicarum temporum spaciis confici, animali multas versiones ac mutationes capiẽte, donec perficiatur. Quin & illud narrant, concham animantis ferentem margaritum diduci, in morem oscitantis, ac diductam, cœlestem in se rorem recipere: quo si puro limpidóque fuerit expletum, lucidum fit margaritum, concipitque concha grandem & concinnam gemmam. Quòd si quando turbidum, inæqualem & hybernum rorem acceperit, nubilum concipit margaritum, & variis obnoxium maculis. Quin & illud comperimus, si concha procedens, vt impleatur gemma qua solet esse grauida, interim corripiatur à fulmine, contrahitur, ac veluti metu constringitur, fœtum eiiciens in ea quę dicuntur φυσήματα, hoc est, inflationes: nonnunquam velut abortiuæ generantur breues ac nebulæ nonnihil habentes, tametsi concinnæ. Iam & illud habet Indicum margaritum præter alia, colore candidum est, argento pellucenti adsimile, sic vt splendor subuiridis paulum sublucear, cæterum vndique figuram habens rotundam, siue turbinatam. Est autem colore blando, & omnino tenerius quàm pro lapidis natura. Insuper est adeò iucundum aspectu, vt quemadmodum tradit is qui scripsit de natura gemmarum, admotum illustrioribus laudem auferat.

Marginal notes (right column): *Margarita duplicis generis.* — *Cochlea habẽt in mari regem sicut apes in terra.* — *Margaritũ ex rore.*

Præterea

G Præterea est & optimi margariti signum, ambitum habere sculptum, præterea colorem habere candidissimum, maximéque pellucidum: postremo granditate maximum esse. Hactenus igitur de margarito Indico. Cæterum quod apud Britanniam aiunt inueniri, summo quidem colore accedit ad auri speciem, cæterum nebulosum ac turbidum, lucéque obtusiore. Iam quod inuenitur in portu iuxta Bosphorum, obscurius est ac liuidum, & omnino luce carens, tenerúmque, & ingenti magnitudine. Nascitur autem in sinu iuxta Bosphorum, non in conchis, quod est testæ genus ferens margaritas, sed in his qui vocantur mures: de his loquor, qui iuxta Bosphorum in palustribus pascuntur. Fertur autem & quartum esse margaritarum genus circa Acarnaniam, in ostreorum conchis. Verum hæ non admodum probantur, sed & incompositæ sunt, tum figura, tum colore: denique turbidæ vndique ac sordidæ. Sunt autem & aliæ iuxta eandem Acarnaniam, omnibus nominibus reiiciendæ. His itaque collectis ex eorum libris qui de gemmis tractarunt, dico seruatorem scientem differentiam margaritarum, quarum in genere sunt & bonæ, & rursus aliæ viles, hæc dixisse. [Simile est regnum cælorum homini negociatori quærenti bonas margaritas.] Nisi enim essent in margaritarum generibus etiam malæ, nequaquam dictum esset, quærenti bonas margaritas. In omnigenis autem sermonibus, qui veritatem profitentur, & gemmas ferunt, quærit margaritas. Ac sint, vt

Margaritæ in maribus palustrib⁹.

Malæ margaritæ.

H ita vocem, quæ ex rore cœlesti concipiunt conchæ, verbóque veritatis grauidæ fiunt cœlitus, prophetæ, qui iidem sunt illæ pulchræ margaritæ, quas iuxta id quod proposuimus dicere, quærit homo negociator. Quod verò ducit agmen margaritarum, quo inuento, simul & reliquæ inueniuntur, videlicet illud preciosum margaritum est Christus Dei verbum, quod superat preciosas literas sensúsque legis ac prophetarum, quo inuento simul & omnia cætera facile capiuntur. Loquitur autem seruator discipulis omnibus vt hominibus negociatoribus, qui non solum quærunt pulchras margaritas, verumetiam & inueniunt eas & possident, dum ita dicit: [Ne proiicite margaritas vestras ante porcos.] Quod autem hæc discipulis dicta sunt, liquet ex eo, quod hos sermones præcedit illud, Videns autem turbas, ascendit in montem, & quum consedisset, accesserunt ad eum discipuli ipsius. Conuenit enim hic sermo cum eo, Nolite dare sanctum canibus, neque proiiciatis margaritas ante porcos. Proinde vide ne qui non habet margaritas, aut qui non habet preciosum illud margaritum, nec discipulus sit seruatoris. At margaritas inquam bonas, non nubilas, non sordidas ac turbidas, quales sunt sermones ab ecclesiæ decretis dissentientium, quæ nascuntur non ad Orientem, sed ad Occasum ac Boream, si tamen & has oportet adiungere, ob

I eam quam inuenimus differentiam margaritarum diuersis in locis nascentium. Fortassis autem turbidi sermones & in operibus carnis volutatæ hæreses, nubilæ sunt & in limo palustri nascentes margaritæ non bonæ. Adaptabis autem quærenti bonas margaritas & illud, Quærite & inuenietis. Item illud: Omnis qui quærit inuenit. Quid enim quæritis, aut quid omnis qui quærit, inuenit? Dicam audacter, Margaritas, & illud margaritum, quod diuenditis omnibus, ac omnium iactura facta, possidet. Ob hanc dicit Paulus: Omnium iacturam feci, vt Christum lucrifacerem. Quum omnia dicit, sentit bonas margaritas: quúmque dicit, vt Christum lucrifaciam, sentit vnicum illud preciosum margaritum. Itaque preciosa res est lucerna iis qui sunt in tenebris, & opus habent lucerna, donec oriatur sol. Preciosa verò & gloria, quæ fuit in facie Moysi. Ego verò puto & prophetarum preciosam esse gloriam, ac pulchrum esse conspectum, per quem inducimur ad hoc vt possimus videre gloriam Christi, cui testificatus pater dicit: Hic est filius meus dilectus, in quem mihi complacui. Verum ne glorificatum quidem fuit quod glorificatum erat in hac parte, propter eminentem gloriam. Et prius opus est nobis ea gloria, quæ recipit abolitionem pro eminente gloria, quemadmodum opus est cognitione, quæ est ex parte, quæ aboletur, quum venerit quod perfectum est. Omnis igitur anima quæ venit ad adolescentiam, pergens ad perfectionem, opus habet donec ac-

Luc. 11.

Matt. 7.

Philip. 3.

Matt. 17.

Orig. tom. 1.

cesserit ipsi plenitudo temporis, pædagogo dispensatoribus & actoribus, vt post hæc omnia, qui prius nihil differebat à seruo, quum esset Dominus omnium, liber factus, recipiat à pædagogo, œconomis & actoribus bona paterna, quæ respondent precioso margarito, & ei quod perfectum est venturo, per quod aboletur id quod ex parte est, quum eminentiam cognitionis Christi capere quis potuerit, prius exercitatus in cognitionibus, succumbentibus, vt ita loquar, cognitioni Christi. Sed plerique non intelligentes pulchritudinem plurium margaritarum legalium & quæ adhuc ex parte est scientiam omnem prophetarum, credunt se sine illis haustis ac comprehensis omnino inuenturos vnicum illud preciosum margaritum, contemplarique eminentiam scientiæ Christi Iesu, cuius comparatione cuncta quæ ante talem ac tantam scientiam fuerunt, quum non sint sua pte natura stercora, tamen appareant esse stercora, quæ quidem fortasse sunt illa quæ à cultore vineæ ficui admouentur rudera, efficientia vt ea fructum adferat. Omnia igitur tempus habent, & opportunitas est omni rei quæ est sub cœlo. Est aliquod tempus colligendi pulchras gemmas, & tempus est post harum collationem, inueniendi vnum preciosum margaritum, quo reperto conueniet abire quempiam, ac vendere cuncta quæ possidet, vt emat margaritum illud. Quemadmodum enim eum qui futurus sit sapiens in sermonibus veritatis, prius oportet elementis institutum esse, & hinc ad maiorem pergere institutionem, magnique facere elementariam institutionem, non tamen in hac oportebit permanere, veluti qui iam eam in precio habuerit initio, sed progressum ad perfectionem habere gratiam hactenus vtiliter factæ institutioni: Sic ad plenum intellecta quæ sunt legis ac prophetarum, institutio quædam elementaris est ad intelligendum euangelium, atque omnem sensum de Christi Iesu factis ac dictis. Rursus simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare.] Quemadmodum in imaginibus ac statuis similitudines non omni ex parte respondent iis ad quæ conferuntur, sed in plano quidem ligno, vt exempli causa loquamur, cera depicta imago, superficie tantum cum colore similitudinem habet, verum non seruat depressiones atque eminentias, sed harum rerum significationem tantum. In fingendis verò statuis, similitudinem quæ est secundum eminentiam ac depressionem seruare conatur ars, in colore verò nequaquam. Quòd si cerea fiat effigies, conatur quidem vtranque seruare similitudinem, nimirum & iuxta colorem, & iuxta depressiones ac prominentias, cæterum in profunditate non est imago. Similiter mihi cogita & de similitudinibus quæ sunt in euangelio: regnum cœlorum dum simile dicitur rei cuipiam, simile dici non secundum omnia quæ adsunt illi, ad quod confertur similitudo, sed ad quædam duntaxat, quæ conducunt ad assumptam rationem. Et hic igitur regnum cœlorum simile est sagenæ missæ in mare, non quemadmodum quidam opinantur, qui docent verbo naturas subiectas esse diuersas, malorum scilicet ac iustorum qui sub rete venerunt, vt ex eo quod scriptum est, ex omni genere congreganti, credamus iustorum diuersas ac varias esse naturas, similiter autem & malorum. Nam huic intellectui repugnant omnes scripturæ, declarantes esse liberum arbitrium, dum & accusant eos qui delinquunt, & probant eos qui recte faciunt, haudquaquam merito in eos competente vel reprehensione, qui ex mali generis natura tales sunt, vel laude in eos, qui tales sunt ex genere meliore. Siquidem vt pisces boni sint ac mali, causa non est in animabus piscium, sed secundum illud, quod verbum omnia sciens, dixit producant aquæ reptilia animarum viuentium. Quo tempore & fecit Deus cete grandia, omnémque animam animalium reptilium, quæ produxerunt aquæ iuxta genus suum. Illic igitur aquæ produxerunt omnem animam animantium reptilium, iuxta suum quanque genus, quum causa non esset penes illam. Hic vero nos sumus in causa, vt simus bona genera, dignáque vasis quæ vocantur, aut mala dignáque quæ proiiciantur. Non enim in nobis natura causa est maliciæ, sed voluntas quum sit libera, propensa est ad malefaciendum. Sic nec iustitiæ causa est natura, tanquam quæ non recipiat iniusticiam, sed verbum quod accepimus

K

L

M

Liberum arbitrium.

Natura in nobis nō est causa maliciæ contra Manichæos

G est quod reddit nos iustos. Nam inter genera degentium in aquis, non videbis quæ transmutentur à malis, vt in piscium generibus, in bona, aut à melioribus ad deteriora: in hominibus contra bonos ac malos semper videre licet, qui vel ex malicia peruenerint ad virtutem, vel à profectu virtutis ad maliciæ dissolutionem reciderint. In hoc autem quod scriptum est: Si iustus auersus fuerit à iustitia sua feceritque iniustitiam, ac cætera quæ sequuntur, vsque ad illud, & in peccatis suis quæ peccauit in his morietur, aut dicant nobis qui ex sagenæ parabola naturas inducunt. Iniustus qui post auertit se ab iniquitatibus suis quas fecit, ac seruat præcepta Domini, facitque iusticiam ac misericordiam, cuius erat naturæ quum esset iniustus? non sanè laudandæ, ergo vituperandæ. Et cuius naturæ merito dicetur, quum auertit se ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit? Nam si propterea quæ prius fecit erat malæ naturæ, quomodo bonæ naturæ quum esset, erat iniquus? In simili re præterea dubitabis & de iusto qui se auertit à iustitia sua, fecitque iniustitiam & omnea iniquitates. Priusquam enim se auerteret à iustitia, in iustis operibus versans, non erat malæ naturæ. Mala siquidem natura nequaquam possit esse in iustitia, quoniam non potest mala arbor videlicet malicia fructus bonos facere, qui à virtute proficiscuntur.

Ezech. 18.

H Rursus è diuerso, qui bonæ naturæ sit & immutabilis, nequaquam auertere se possit à bono, posteaquam semel habitus est iustus, à iustitia sua ad faciendam iniustitiam, iuxta omnes iniquitates suas quas fecit. His autem dictis, existimandum est, regnum cœlorum esse simile sagenæ missæ in mare, & ex omni genere congreganti, ad probandam varietatum voluntatem in hominibus, quamplurimum inter se discrimen habentium, vt quod dicit, congreganti ex omni genere, significet laudabiles ac vituperabiles, in applicationibus animorum ad virtutum aut vitiorum species. Sagena verò vario contextu similis est regno cœlorum, ob veterem ac nouam scripturam ex omnigenis variisque sensibus plexam, dum ex his qui veluti pisces incidunt in rete, alij quidem in his sagenæ partibus reperiuntur, alij rursus in aliis, & vnusquisque qua parte captus est, sic inuenias etiam ex his qui scripturarum sagenam venerunt, quosdam esse captos sub inuolucro prophetico, vt exempli causa loquar, Esaiæ, iuxta hanc expositionem, aut Hieremiæ, aut Danielis: alios rursum sub textu legali, insuper alios iuxta partem Euangelicam, nonnullos iuxta apostolicam. Primum enim qui capitur à verbo, aut capi videtur, ex aliqua totius sagenæ parte apprehenditur. Nihil autem absurdi, si nonnulli pisces ex his qui saltunt, vndique continentur toto sagenæ contex-

Sagena scriptura.

I tu, qui est in scripturis, & vndiquaque constringuntur tenenturque, sic vt aufugere non possint, sed velut omni ex parte seruitute cohercit, facultatem non habeant elabendi. Missa est autem hæc sagena in mare, videlicet in vitam hominum, vbique per orbem terrarum in fluctibus irrequietem, & in amaris vitæ negotiis natantem. Hæc autem sagena ante Christi Iesu seruatoris nostri aduentum nondum tota erat impleta, deerat legali propheticóque texto, is, qui dixit: Nolite putare quod veni ad soluendam legem aut prophetas, non veni ad dissoluendum, sed ad implendum. Et impleta est sagenæ textura per Euangelia, pérque ea quæ Christus per apostolos loquutus est. Ob id igitur simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere congreganti. Potest autem præter hæc quæ disserta sunt, illud quod dicit ex omni genere congreganti, significare vocationem gentium ex omni natione. Qui verò subministrabant sagenæ missæ in mare, Iesus Christus est, sagenæ dominus, & angeli qui accesserunt & ministrauerunt ei: qui non educunt è mari sagenam neque deferunt in littus extra mare, hoc est, extra vitæ negocia, nisi fuerit impleta sagena, hoc est, nisi plenitudo gentium in eam intrauerit. Tunc educent eam à rebus huius seculi, & ab humilibus negociis, perducéntque in littus, sic tropo vocatum. Ibi partes erunt eorum, qui hanc eduxerunt, & sedere iuxta littus atque illic sese collocare, vt quotquot boni sunt in sagena, in suum ordinem digerãt, iuxta sua quę hic nominantur vasa, rursus his diuersos qui hic vocantur mali, foras eiiciant. Quod autem vocat foras, caminus est ignis, quemadmodũ ipse seruator interpretatus est, dicẽs:

Mare vita hominum.

Matt. 5.

Vocatio gẽtium ex natione.

[Sic enim erit in consummatione seculi, exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent illos in caminum ignis.] Veruntamen hic obseruandum est, quod iam per zizaniorum parabolam, pérq; propositam similitudinem docemur, angelis hoc negocij dandum esse, vt discernant separéntque malos à iustis. Superius enim dicitur, Mittet filius hominis angelos suos, & colligent ex regno eius omnia scandala, quique faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Hic autem dicit: [Exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.] Cæterum his illud non congruit, vt opinantur quidam, quod homines qui in Christo salui fiunt, sint etiam sanctis angelis superiores. Quo namque modo possunt, qui à sanctis angelis in vasa mittuntur, cum his qui mittunt in vasa, conferri quum sint illorum potestati subditi? Hæc autem dicimus non ignorantes, quibusdam angelis quibus hæc dispensatio non est tradita, imò ne his quidem omnibus homines qui per Christum salui fiunt, esse præstantiores. Nam legimus & illud, in quem desiderant angeli prospicere, quo loco non dictum est, omnes angeli. Nouimus & illud: Angelos iudicabimus, vbi non dictum est, omnes angelos. Hæc autem cum scripta sint de sagena, déque his qui in sagena

K *Matt. 24.*

Sancti angeli sint angelis superiores.

1. Pet. 1. *1. Cor. 6.*

L continentur, qui vult ante consummationem seculi, & ante egressos angelos separare malos de medio iustorum, vt sagena non contineat etiam malos ex omni genere, videtur neque scripturam intellexisse, & concupiscere, quod fieri non potest. Quapropter ne miremur, si priusquam separati fuerint mali de medio iustorum ab angelis ad hoc mittendis, videmus nostras congregationes etiam malis esse refertas. Sed vtinam hi qui coniiciendi sunt in caminum ignis, non plures essent quàm iusti. Cæterum quoniam dicebamus initio parabolas ac similitudines non per omnia oportere accommodari iis ad quæ confertur parabola aut similitudo, sed in quibusdam duntaxat. Hoc amplius probandum est ex his quæ dicentur. In piscibus quod ad vitam illorum attinet, mali quiddam accidit, quum intra sagenam deprehenduntur. Priuantur enim naturali sua vita, & neque qui in vasa mittuntur, neque qui foras proiiciuntur, quicquam patiuntur amplius, nisi quod amittunt vitam quæ quidem est in piscibus. In his autem quorum gratia sumitur parabola, malum est esse in mari, nec venire in sagenam, vt in vasa cum bonis mittantur. Sic autem mali quidem pisces foras mittuntur & abiiciuntur, Porrò qui mali sunt, iuxta propositam similitudinem mittuntur in caminum ignis, vt quæ in Ezechiele de camino scripta sunt, ad hos quoque pertineant. Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis, ecce facti sunt mihi domus Israel, mixti omnes ære & ferro, & quæ sequuntur, vsque ad illa, & agnosceris, eo quod ego Dominus effudi iram meam in vos. [Intellexistis hæc omnia? Dicunt, Etiam.] Qui nouit quæ sunt in cordibus hominum Christus Iesus, sicuti de hoc docuit in Euangelio Ioannis, non ignarus interrogat, sed quoniam semel assumpserat hominem, vtitur omnibus quæ sunt hominis. Quorum vnum illud est interrogare. Nec mirandum si id facit seruator, quum ipse etiam omnium Deus moribus hominum sese accommodans, perinde ac si quis homo morem gerat filio suo, percontetur, velut in hoc, Adam vbi es? & vbi est Abel frater tuus? Cæterum qui violentior fuerit, hic dicet, illud intellexistis, haud dictum esse percontatorie, sed pronunciatiue, dicétque & discipulos assentientes eius affirmationi respondisse. [Etiam.] Verum siue interrogat, siue pronunciat, necessario dicitur, non solum. [Hæc,] quod est demonstrationis, neque solum. [Omnia.] sed [Hæc omnia.] Videtur autem nunc indicare, discipulos ante cœlorum regnum fuisse scribas, sed his repugnat, quod in Actis apostolorum refertur in hunc modum: Quum vidissent autem Petri ac Ioannis fiduciam, comperissentque quod homines essent illiterati & idiotæ, admirabantur: Agnouerunt autem illos quod cum Iesu fuissent. Aduersus hæc igitur aliquis mouebit quæstionem, Si scribæ fuerant, quomodo illiterati dicuntur in Actis & idiotæ? Sin erant illiterati & idiotæ, quomodo manifestissime scribæ vocantur

Parabolæ & similitudines nõ in omnibus respondent.

M *Ezec. 22.*

Ioan. 2.

Quorsum interroget Christus.

Gen. 3. 4.

Act. 4.

A vocantur à seruatore? Verũ ad ea quæ quæruntur, responsum esto, aut non omnes, sed Petrum & Ioannem in Actis illiteratos esse dictos, plures verò fuisse discipulos de quibus omnia scientibus dictum sit, [Omnis scriba,] & quæ sequuntur: aut omnem discipulum, qui iuxta literam legis doctrina fuerit institutus, scribam dici: videlicet vt qui quanquam sint illiterati & idiotæ, ducuntur tamen sub legis litera, scribæ dicantur, iuxta significationem aliquatu. At sanè maxime competit in idiotas, qui non norunt tropologias & anagogas scripturarum, sed simplici credunt literæ, eamque defendunt, appellari scribas. Ad hunc verò modum quispiam enarrabit & illud. Væ vobis scribæ & pharisæi & hypocritæ, vt quod cuiuis dictum est, qui præter literã nihil sciat. Hic percontaberis, an quemadmodum est scriba legis, ita sit & Euangelicus, & an quẽadmodum est qui legem audit, legit, ac loquitur, quæ per allegoriã dicuntur, sic sit & qui Euangelium, vt intelligamus seruata iuxta rerum gestum fidẽ historia, anagogen esse certam ducem ad spiritualia, vt spiritualis doctrina non sit malitiæ, sed aduersentur potius spiritualibus malitiæ, spiritualia bonitatis. Instituitur autẽ regno cœlorum scriba, secundum id quod simplicius est, quoties aliquis à Iudaismo recipit Iesu Christi doctrinã ecclesiasticam. Verum idem iuxta quod profundius est eruditur, vbi quis à litera scripturarum adeptus institutionem, ascendit ad spiritualia, quæ vocantur regnum cœlorum.

Discipulorum Christi aliqui scribæ.

Allusit ad illud Ephesi. 6.

Contra spiritualia nequitia in cælestibus.

B Ac iuxta singulos sensus qui occurrunt, & eum qui per subductionem ad altiora intelligitur, & qui per exempli collationem, & qui per demonstrationem, licet accipere regnum cœlorum, vt qui abundat scientia, qui caret mendacio, fiat in regno vnus ex multitudine cœlorum, ad eum modum acceptorum. Sic autem per tropologiam exponet & illud: Appropinquat enim regnum cœlorum, vt scribæ qui in simplici litera acquiescunt, resipiscẽtes ab eiusmodi intellectu, erudiãtur spirituali doctrina, quæ est per Iesum Christum, viuum verbum, quæ vocatur regnum cœlorum. Eóque quatenus Christus Iesus, qui erat in principio apud deum deus verbum non inhabitat animam, in ea non est regnum cœlorum. Vbi verò quis prope accesserit ad capiendum verbum huic appropinquauit regnum cœlorum, Quod si in re nullum est discrimen, atque etiam sensu, quum dicitur regnum cœlorum & regnum Dei, nimirum ad quos dicitur, regnum Dei intra vos est, ad eosdem dici poterit, regnũ cœlorum intra vos est, maximéque propter resipiscentiam à litera ad spiritum. Quum enim aliquis conuersus fuerit ad dominum, aufertur ab eo velamen quod est in litera, Dominus autem spiritus est. At qui verè paterfamiliâs est, & liber est, & diues, abundans, eo quod ex tractatione literæ eruditus sit regno Dei, in omni sermone veteris testamenti, & in omni scientia nouæ Iesu Christi doctrinæ, & has diuitias reconditas habens in suo thesauro, quem reponit tanquam eruditus

Matt. 4.

2. Cor. 3.

Matt. 6.

C regno cœlorum, in cœlo, vbi neque tinea corrumpit, neque fures perfodiunt. Licet sanè etiam verè pronũciare de hoc, vt exposuimus, Qui in cœlis recondit thesaurum, quod nulla tinea cupiditatũ spirituales ac cœlestes eius possessiones potest attingere. Tineã autem cupiditatum dixi, occasione sumpta ex prouerbiis, in quibus scriptum est: Quemadmodum in ligno vermis. sic dolor viri lædit cor, Vermis enim ac tinea dolor est lædens cor, quod thesaurus non habet in cœlis, nec in spiritualibus reconditus, in quibus si quis thesaurum reponat, quoniam vbi thesaurus ibi & cor, & in cœlis habet cor, & propterea dicit, Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Similiter neque fures, de quibus dixit seruator: Omnes quotquot venerunt ante me, fures sunt & latrones, perfodere valent thesauros in cœlo reconditos, & cor quod illis adest, ita loquẽs, Simul resuscitaui, ac simul sedere nos fecit in supercœlestibus in Christo. Et nostra cõuersatio in cœlis est. Quoniam autem omnis scriba doctus regno dei similis est patrifamiliâs, qui profert de suo thesauro noua & vetera, haud dubium, quin & iuxta prioris dicti inuersionẽ, quisquis non profert de thesauro suo noua & vetera, non sit scriba doctus in regno cœlorum. Omnibus igitur modis conandum est, vt congregemus in corde nostro, attendentes lectioni, exhortationi & doctrinæ, & in lege Dei meditando die ac nocte, non solum noua Euangeliorum oracula & apostolorum, & horum explanationes, verum etiã vetera legit, vmbram habentis futurorum bonorum, ac prophetarum qui his consentanea prædixerunt.

Prouer. 26.

Psal. 17.

Ioan. 10.

Ephes. 2.

Col. 3.

D Hæc autem colligentur, quum & legerimus & intellexerimus, & memores horum, spiritualia spiritualibus tempestiue comparauerimus, non incompatabilia inter se comparantes, sed comparabilia quandam sermonis similitudinem idem declarantis habentia, tum in sensibus, tum in dogmatibus, vt in ore duorum triúmve aut plurium testium è scriptura citatorum, fundemus & confirmemus omne verbum Dei. Ac per hoc silentium imponendum est his, qui quod in ipsis est, deitatem diuidunt, & à veteribus noua dissecant, quippe qui procul absint à similitudine patrisfamiliâs proferentis de thesauris suis noua ac vetera. Quoniam autem qui similis dicitur alicui, alius est ab eo cui dicitur similis, erit quidem is qui doctus est in regno cœlorum, scriba qui dicitur similis, sed alius ab hoc paterfamiliâs, qui profert de thesauro suo noua ac vetera. Cæterum qui huic similis dicitur, tanquam illum imitans, quod ad illius exemplum accedat facere studet. Vide igitur, num forte homo paterfamiliâs sit ipse Iesus, proferens de thesauro suo iuxta doctrinæ opportunitatem noua quędã spiritualia, quæ semper ab ipso renouantur in interno iustorum homine, qui & ipsi semper indies renouantur. Vetera verò quæ per literas insculpta sunt lapidibus & lapideis cordibus veteris hominis, vt comparatione literæ, & collatione spiritus, diuitem

Collatio scripturarum.

Cõtra marcionem, qui duos faciebat deos.

E reddet scribam, qui doctus est in regno cœlorum, faciátque ipsi similem, donec discipulus fuerit vt magister: Primum imitans imitatorem illum Iesu Christi. Post hunc autem & ipsum Christum, iuxta id quod à Paulo dictũ est: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Potest autem & simplicius Iesus paterfamiliâs proferre de thesauro suo, noua quidem, videlicet Euangelicam doctrinam, vetera verò, comparationem dictorum quæ à lege ac prophetis assumuntur, quorum exempla licet in euangeliis inuenire. Porrò de his veteribus ac nouis audire oportet & spiritualẽ legem in Leuitico, dicentem: Et comederis vetera & vetera veterum, & vetera ea facie nouorum educentur: & ponam tabernaculũm meum in vobis. Comedimus enim in benedictione vetera, nimirum propheticos sermones, & horum veterum vetera, videlicet legis verba, mox vbi noua venerint & Euangelica, viuentes secundum Euangelium, vetera literæ ex facie nouorum educimus, & ponit tabernaculum suum in nobis, implens quam dixit repromissionem, inhabitabo & inambulabo in illis. [Et factum est quum consummasset Iesus parabolas has transiit illinc, & quum venisset in patriam suã, &c.] Quoniam superius expendimus, an quæ turbis dicta sunt parabolæ fuerint, quæ verò discipulis similitudines, & in hanc materiam incidentes obseruationes exposuimus, quas opinor non esse contemnendas, sciendum est quod illis omnibus obsistere videbitur, quod adiungitur non solum parabolis, verumetiam vt docuimus, similitudinibus.

1. Cor. 4.

Leuit. 25.

F [Et factum est, quum consummasset Iesus parabolas has transiit illinc.] Quærimus igitur, vtrum illa omnia reiicienda sint, an dicendum duo parabolarum esse genera, alterum earum quæ turbis dicuntur, alterum earum quæ discipulis promittuntur: an etiam parabolæ nomen æquiuocum esse putandum, an quod dicitur, factum est cum consummasset Iesus parabolas has, referendum sit ad superiores parabolas solas quæ præcesserunt similitudines. Ob id enim quod dicitur, vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, cæteris autem in parabolis, non possumus dicere, discipulis, vt qui non erant de numero exterorum, per parabolas illas seruatorem fuisse loquutum. Huic autem cõsequens est, vt aut quod dictum est, factum est quum consummasset Iesus parabolas has, transiit illinc, referatur ad illas primo loco dictas parabolas, aut parabolæ nomen sit æquiuocum, aut vt duo sint genera parabolarum, aut vt omnino nõ sint parabolæ, quas appellauimus similitudines. Animaduerte verò, quod extra patriam suam dicit parabolas, quas vbi consummasset, transiit illinc, & vbi venisset in patriam suam docebat illos in synagoga ipsorum. Marcus autem ait, Et venit in patriam suam & sequuntur eum discipuli ipsius. Quærendum igitur & de hoc sermone, vtrum, Nazareth dicat patriam ipsius, an Beth-

Duo parabolarum genera.

Mar. 6.

G leem. Nazareth quidem est, ob quam Nazaræus vocabitur, Bethleem aut quòd in ea natus sit. Insuper insta oũ forte quũ euangelistæ dicere potuerint, vbi venisset in Bethleẽ aut Nazareth, hoc quidem nõ fecerint, sed patriam nominarint ob aliquid, quod mysticè per locum patriæ ipsius significetur, videlicet totius Iudææ, in qua contemptui habitus est, iuxta illud, *Luc. 3.* Non est propheta contemptus, nisi in patria sua. Et si quis sanè cogitarit, Iesum Christum Iudæis quidem scandalum, apud quos in hodiernum vsque diem persequutionem patitur, in gentibus contra prædicatum & creditum: In omnem enim terram cucurrit sermo illius, videbit quod Iesus in sua patria caruerit honore, apud peregrinos verò & à testamentis alienas gẽtes honoratur. Quid porrò docens dixerit in synagoga eorum, nequaquam scripto tradiderunt Euangelistæ, sed illud scripserunt, tanta taliáque fuisse, vt omnes obstupescerent. Et probabiliter coniectandum est, suprà scripturam fuisse quæ dicta sunt, nisi quod in synagoga illorum docuit, non se resecans à scriptura, neque abrogans il- *Matth. 12.* lius autoritatem. Quod autem dicitur, [Vnde huic sapientia,] palàm declarat magnam & eximiam fuisse sapientiã verborum Iesu, dignã illo testimonio: Et ecce plus quàm Solomon hic, Et, Virtutes maiores fecit quàm fuerãt in Helia aut Helizęo, addatur & hoc quàm in Moyse aut Iesu Naue. Dicebant autẽ qui mirabantur, ignari eum esse filium virginis, ne H crediruri quidem, si dictus fuisset filius virginis, sed arbitrantes illum esse filium Ioseph fabri, [nónne hic est ille fabri filius?] Et omnem sanè quæ videbatur illum proxime attingere cognationem despicientes, [Nónne, inquiebant, mater illius dicitur Maria, & fratres illius Iacobus, & Ioseph, & Simõ, & Iudas? Et sorores illius nónne omnes apud nos sunt?] Existimabãt igitur illum esse Ioseph & Mariæ filium. Fratres *Euangeliũ iuxta Petrum liber Iacobi.* autem Iesu putabãt nonnulli esse, ex traditione Hebræorum sumpta occasione, ex Euãgelio quod titulum habet, iuxta Petrum, aut ex libro Iacobi, filios Ioseph, ex priore vxore, quæ conuixerat ipsi, antequã duceret Mariã. Qui verò talia dicũt, dignitatem Mariæ in virginitate ad finẽ vsque seruare volũt, ne corpus illud quod designatum erat, vt subseruiret sermoni *Luc. 1.* dicenti: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obũbrabit tibi, cognosceret viri thorum, posteaquã in eã superuenerat spiritus sanctus, ac posteaquã virtus ex alto obũ- *Iesus & Maria primitiæ virginitatis.* brasset illi. Arbitrórque rationi cõsentaneum esse, virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Iesum, muliebris verò Mariam. Non enim plausibile est, alij præter hanc virginitatis primitias ascribere. Iacobus autem hic est de quo *Gal. 1.* loquitur Paulus, quod eum viderit, in epistola ad Galatas ita scribens: Alium verò ex Apostolis non vidi quenquam, præter quàm Iacobum fratrem domini. Intantum autem in *Ios. lib. 20. Antiq. ca. 8.* populo refulsit hic Iacobus ob iustitiam, vt Iosephus qui viginti libris descripsit antiquitatem Iudaicam, dum vult causam adducere, quare Iudæorum populus tam acerba passus I sit, vt etiam templum subuerteretur, dixerit, per Dei vindictam hæc illis euenisse, ob ea quæ in Iacobum fratrem Iesu, qui dicebatur Christus, ausi fuerant. Quódque mirum est, quum non probarit hanc sententiam, Iesum nostrum fuisse Christum, nihilo secius Iacobo tam magnificum iustitię testimonium præbet. Dicit autem & populum in hac fuisse opinione, propter Iacobum eam calamitatem accidisse. Et Iudas scripsit Epistolam, paucorum quidẽ versuum, sed plenam efficacibus verbis gratiæ cœlestis. Qui in principio dicit: Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi. Porrò de Ioseph ac Simone nos nihil cõperimus. Cęterum illud, [Et sorores eius nónne omnes apud nos sunt?] mihi videtor tale quiddam significare, nostra sapiunt, nõ quæ Iesu Christi, neque quicquã habent peregrinũ eximię cognitionis, quẽadmodũ habebat Iesus. Fortassis ex his existet addubitatio, an ne homo quidẽ, sed diuinius quiddam sit Iesus, quum filius quidem esset, vt existimabant Ioseph & Mariæ, frater autem quatuor simúlque & aliarum fœminarum, neque quicquã habens cuiquam cognatorum simile, quíque non ex institutione & eruditione ad tantam sapientiam virtutémq; perueneraт. Siquidem & *Ioan. 7* dicunt, Quomodo hic nouit literas, quũ non didicerit? Quibus affinia sunt quæ hic dicuntur. Veruntamen qui hæc dicebant, adeo mirantes ac stupentes, nõ credebant, sed offendebantur in eo, propterea quod oculi mentis illorũ tenebantur K à potestatibus, quas tempore passionis triumphaturus erat in ligno. [Iesus autem dixit illis, Non est propheta inhonorus, nisi in patria sua.] Quærendum vtrum quod dicitur æquè ad vniuersos prophetas referatur, vt accipiamus vnũquenq; prophetam in sola patria sua contemptum esse, an quoniam singulariter dictum est, de vno hæc dicta sint. Itaque si de vno dicuntur, sufficiunt ex quæ dicta sunt, nobis referẽtibus quod scriptum est ad seruatorem. Quod si generaliter est dictum, secundum historiam quidem non est verum: Nec enim Helias in Thesbon Galaad contemptus fuit, neque Helizæus in Ebalmaula, Neque Samuel in Armatham, neque Hieremias in Anatboth, verum iuxta tropologiam omnino verum est. Oportet autẽ illorum patriam existimare Iudæam, cognatósque Israelem illum, domum autem fuιsse corpus. Contempti sunt omnes in Iudæa, ab Israele iuxta carnem, dum adhuc erant in corpore, quẽadmodum in Apostolorum Actis scri- *Act. 7.* ptum est, quod dicitur aduersus populum arguendi gratia. Quem enim prophetarum non persequuti sunt patres vestri, ex his qui prius annunciabant de aduentu iusti illius? In priore verò Pauli ad Thessalonicenses epistola similia dicta sunt. *1. Thess. 2.* Vos autem imitatores facti estis fratres ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu, quoniam & vos eadem passi estis à proprijs contribulibus, quemadmodum & illi à Iudæis, qui & dominum Iesum occiderunt, & prophetas, & nos persequuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus ad- L uersantur. Non est igitur propheta contemptus inter gentes, aut enim omnino non nouerunt illum, aut cognitum & receptum prophetã honorant. Tales autem sunt, qui pertinent ad ecclesiam. Dehonestãtur autem prophetæ, primũ quidem *Duob⁹ modis dehonestãtur propheta.* iuxta historiam persequente illos populo: deinde dum illorũ prophetiæ non habetur fides à populo: Nam si credidissent Moysi & prophetis, crederent vtique & Christo: qui docuit cohærere, vt qui credunt Mosi ac prophetis, credant & Christo: & qui non credunt Christo, non credant Mosi. Ad hæc autem quemadmodum per transgressionem legis peccator Deum ignominia afficere dicitur: ita dum non creditur prophetiæ, ignominia afficitur propheta ab eo qui non credit prophetiis. Operæ precium autem fuerit recensere iuxta historiam, quæ passus est Hieremias in populo, da quibus dixit, Et dixi, Non loquar, neque nominabo nomen domini. Et *Cap. 20.* rursus alibi, Iugiter subsannabar. Quæcunque vero passus est à rege Israhelitico, in eiusdem prophetia scripta sunt. Quin & de Mose, quod frequẽter ex populo venerunt ad lapidandum eum, & hoc scriptum est: & erat illi patria, non alicuius loci lapides, sed qui sequutus fuerat illum populus, apud quos & ipse ignominia affectus est. Quin & illud historia narrat, Esaiam à populo dissectũ fuisse. Quod si quis non recipit hãc historiam, eo quod inter apocrypha Esaiæ fertur, cre- M dat iis, quæ in epistola ad Hebræos hunc in modum scripta *Heb. 11.* sunt, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt. Nam & illud, secti sunt, ad Esaiam refertur, quẽadmodum illud, Occisione gladij mortui sunt, ad Zachariam occisum inter tẽplum & altare, quemadmodum seruator docuit, astipulans, vt opinor, suo testimonio, scripturæ: quæ quanquã non fertur in communibus ac publicatis libris, probabile tamen est, eam extare in a- *Apocryphi libri qui.* pocryphis, hoc est, in his qui secreto legũtur. Sunt autem affecti ignominia in patria apud Iudæos, Et circumeuntes in pellibus ouillis & caprinis, destituti, afflicti, & cętera quæ sequũtur. Omnes enim qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persequutionem patientur. Est autem probabiliter coniectandum quod Paulus sciẽs prophetam expertem honoris esse in propria patria, quum vbique sermonem Euangelicum prædica- *Paulus nõ prædicauit Tarsi.* uerit, nõ prædicauerit Tarsi: & hanc ob causam Apostoli reliquerunt Israhelem, facientes, quod præceptum erat à seruatore, Docete omnes gentes. Et illud. Eritis mihi testes Hiero- *Mar. vlt.* solymis, & in tota Iudæa, Samariáque, & vsque ad extremum *Act. 1.* terrę. Fecerunt igitur quod erant iussi in Iudæa & Hierosolymis. Sed quoniam propheta in sua patria caret honore, quum non recepissent Iudæi verbum, abierunt ad gentes. Adhibe vero mentem, num possis propter hoc quod dictum est, Ef- *Ioël. 2.* fundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt, dicere post seruatoris aduentum hoc impletum esse

A in ex gentibus collectis ecclesiis: quoniam qui prius fuerant de mundo, quia crediderunt, factum est, vt non amplius sint de mundo, in propria patriâ, videlicet mundo, accepto spiritu sancto, ac prophetantes honorem non habent, sed ignominia afficiuntur. Quapropter beati dicũtur, qui omnia passi sunt quæ prophetæ, iuxta id quod à seruatore dicitur, Iuxta hæc enim faciebant prophetis patres illorum. His qui diligenter adhibuerit mentem, si quoniam admodum seuere viuit, ac redarguit delinquentes, haberetur odio, & insidiis peteretur, vt persequutionem patiens, & probris affectus propter iustitiam, non solum non dolebit, verum etiam gaudebit & exultabit, certus se ob hæc mercedem habiturum copiosam in cœlis, ab eo qui ipsum prophetis æquauit, eo quod eadem passus est. Proinde oportet affici ignominia in hoc mundo & apud peccatores, quibus grauis est vita iusti, eum qui æmulatur vitam propheticam, & qui spiritum qui fuit in illis accepit. Deinceps illud considerate licet quod dicitur. [Non fecit illic virtutes multas propter incredulitatem illorum.] Per hæc enim docemur, quod virtutes in his factæ fuerint qui credebãt, Quoniam omni habenti dabitur, & abundabit. In incredulis autem non solum non operabãtur virtutes, verum, vt Marcus scribit, ne poterant quidem operari. Attende enim illud quod dicitur, [Nõ potuit illic vllam virtutem facere.] Non enim dixit, Noluit, sed nõ potuit, quasi au-

Matt. 23.

B xilium quidem veniret ad virtutem operãtem, à fide illius in quem operatur virtus, sed vetaretur operari ab incredulitate. Vide igitur quod discipulis interrogantibus, quare non potuimus eiicere dæmonium? respõdit propter exiguitatem vestræ fidei. Et Petro incipienti mergi dictum est, exiguam habens fidem, quare dubitasti? Quin & sanguinis profluuio obnoxia, quum non postulasset sanari, sed tantum in animo reputans, si fimbriam vestimẽti illius contigisset, fore sanã, confestim sanata est, & assentitur modo sanationis seruator dicens, Quis me tetigit? Nam ego noui virtutem exisse ex me. Ac fortassis quemadmodum in corporibus naturalis quidã attractus quibusdam ad quædam inest, velut magneti lapidi ad ferrum, & bitumini, quod dicitur naphtha ad ignem, sic huiusmodi fidei ad diuinam virtutem. Iuxta quod & illud dictum est, Si habueritis fidem vt granum sinapis, dicetis monti huic: Transfer te hinc illuc, & transferet sese. Accurate vero Matthæus & Marcus declarare volentes diuinæ virtutis eminentiam, quæ & in incredulitate valet, sed amplius potest quicquid potest per fidem illorum, qui beneficiis afficiuntur, mihi dixisse videntur, non eum non fecisse virtutes propter incredulitatem illorum, sed ibi non fecisse virtutes multas. Ac Marcus non dixit, non potuit illic vllam etiam virtutem facere, ibique substitit, sed adiecit, nisi quod paucos male habentes impositis manibus sanauit, sic quoque virtute quæ erat in illo superante incredulitatem. Mihi vero videtur, quod

C quemadmodum in rebus corporalibus, nec agricolatio per se sufficit ad cõuehendos fructus, nisi cœlum quod terræ circumfunditur, opituletur, imò potius, nisi opituletur is qui cœlum gubernat, faciens illud qualecunque vult, neque cœlum vel potius ille penes quem est rerum prouidentia fecerit, vt exoriantur è terra, ea quæ solẽt è terra exoriri, sine agricultura. Semel enim hoc fecit in hoc quod dixit, Producat terra herbam graminis, seminans semen iuxta genus ac similitudinem: sic neque virtutum operationes absque fide illorũ qui sanantur, perfectum opus præstant ad sanitatem cõferendam, neque fides qualiscunque fuerit, absque diuina virtute. Atque id quod scriptum est de sapientia, accommodabilis & ad fidem, & ad virtutes singulas, vt eam hũc in modum alloqui possis. Etenim si quis fuerit perfectus in fide inter filios hominũ, si tua virtus absit, pro nihilo æstimabitur: aut si quis perfectus pudicitia inter filios hominum, si quæ abs te proficiscitur abfuerit pudicitia, pro nihilo æstimabitur: aut si quis perfectus in iusticia, reliquisque virtutibus, si absit quæ abs te proficiscitur iustitia, reliquæq; virtutes, quæ abs te proficiscũtur, pro nihilo æstimabitur. Vnde ne glorietur sapiens in sapiẽtia sua, neque robustus in robore suo. Quod enim gloriatione dignum est, id nostrum non est, sed donum est Dei, ab eo proficiscitur sapientia, ab ipso proficiscitur robur, atque item cætera.

Gen. 1.
Liberũ arbitrium.
Fides non sine diuina virtute.

CAPVT XIIII. D



IN illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu, ac dixit pueris suis, Hic est Ioannes Baptista.] Apud Marcum ita loquitur, itidem & apud Lucam. Iudæi varias habebãt hisce de rebus opiniones, nõnulli quidẽ falsas sententias habebãt, videlicet Sadducæi de resurrectione mortuorum, quasi non resurgerent: Item de angelis, quasi non essent, sed quasi quæ de illis erant scripta tantummodo per tropologiam essent accipienda, neque quicquam haberent veri secundum historiam. Alias rursum habebant veras, veluti de resurrectione mortuorum, quod resurgent docebant pharisæi. Quod igitur hoc loco quæritur illud est, an talis quæpiã fuerit de anima opinio, quam falso habebat Herodes, & ex plebe nonnulli, quod Ioannes qui paulo ante ab ipso fuerat interfectus, resurrexisset à mortuis post amputatum caput, quódque esset idem alio vtens nomine nunc dictus Iesus, capax illius virtutum quæ prius operabantur in Ioanne. Quam igitur habet probabilitatem, quòd eum qui tantopere notus erat omni populo, & in omni celebratus Iudæa, quem dicebant esse fabri Mariæq; filium, & fratres ac sorores habere tales, existimarint non alium ab Ioanne fuisse, cui pater fuerit Zacharias, mater Elizabet nec ipsi obscuri in populo. Verisimile est autẽ, quod populus existimans Ioannẽ esse verum prophetã, cuius tanta fuit multitudo, vt pharisæi metnerint, & quoniã videbatur id placere populo, flagitarunt à Ioanne responsum, baptismus ipsius, vtrum è cœlo esset an ex hominibus, nõ ignorauerit eum esse filium Zachariæ. Fortassis & ad quosdã illorum peruenerat visionis historia, quæ visa fuit in templo, quum apparet Zachariæ Gabriel. Proinde probabile est vel Herodem, vel quempiam è plebe sic errasse, vt arbitraretur non duos fuisse Ioannem & Iesum, sed vnum & eundem Ioannem posteaquam surrexerat ex mortuis post decollationem, vocatum fuisse Iesum. Dixerit autẽ quispiam, mutandorum corporum falsam opinionem fuisse in Herode, ac in nonnullis ex plebe, qua putabant eum qui natus fuerat Ioannes, ex mortuis redisse in vitam, tanquam Iesum. Sed quo minus probabile sit hãc falsam opinionem illos habuisse, obstat tempus, quod intercessit inter natiuitatem Ioannis & natiuitatem Iesu, quod non erat longius quàm sex mensiũ. Fortasse talis potius quædam suspicio fuit in Herode, quod virtutes quæ operabantur in Ioanne, translatæ fuerint in Iesum, ob quas Ioannes Baptista Messias esse creditus fuerat in populo: & vti poterit quispiam tali argumento: quemadmodum propter spiritum ac virtutem Heliæ, & nõ propter animam eius de Ioanne dicitur, Ipse est Helias, qui venturus est, nimirum spiritu qui fuerat in Helia, ac virtute quæ in illo fuerat, translatis in Ioannẽ: sic existimabat Herodes virtutes quæ fuerant in Ioanne, in Ioanne quidem operatas fuisse baptismum ac doctrinam, Ioãnes enim nullum ædidit miraculum, in Iesu vero prodigiosas virtutes. Simile quiddam dicet aliquis & illos opinatos, qui dixerunt Heliam apparuisse in Iesu, aut vnum è veteribus prophetis resurrexisse. Nihil autem ad hanc quæstionẽ pertinet eorum opinio, qui dicebant, Iesum prophetam fuisse, velut vnum è numero prophetarum. Mendax igitur est sermo, siue is qui scriptus est esse Herodis de Iesu, siue ab alio quopiam dictus. Verũtamen mihi videtur probabilius per similitudinẽ esse dictum, vt sicut in spiritu & virtute Heliæ Ioãnes præcesserat, sic isti nunc suspicẽtur de Ioãne & Iesu. Quoniã autem primũ didicimus, quod post tentationẽ seruator, quum audisset Ioannẽ esse traditũ, secessisset in Galilæã: Deinde didicimus, quod quum Ioannes esset in carcere, quum audisset quæ ferebantur de Iesu, missis duobus discipulis suis, dixerit illi: Tu es qui venturus es an alium expectamus? Tertio planè simpliciter didicimus Herodem dixisse de Iesu, ipse Ioannes est Baptista, ipse suscitatus est à mortuis: nec alicunde tamen prius cognouimus, quomodo sublatus est Baptista. Quapropter & hoc nunc describit Matthæus, ac item Marcus similiter. Cæterum Lucas pleraque quæ ad hanc pertinent historiã, silentio præterit. Itaque Matthæi narratio ad hunc habet modum: Herodes enim captum Ioannem vinxit in carcere.] De his igitur mihi videtur, quod quemadmodum lex & prophetæ

Tropologia Saducæorum.
E
Luc. 1.
F

G duraruut vsque ad Ioaoné, post quem cessauit in Iudæis prophetica gratia: sic eorum potestas qui regnarant in populo, quæ hactenus valebat, vt eos qui digni morte videréŧur, possent interficere, vsque ad Ioannem fuit. & interfecto iniquo ab Herode prophetarum nouissimo, priuatus est Iudæorum rex occidendi potestate. Nisi enim hac potestate fuisset spoliatus Herodes, nequaquam Pilatus pronuociasset in Iesum mortis sententiam, sed ad id satis fuisset Herodes, pontificum ac seniorum populi coosilio in hoc adhibito. Ac túc opinor impletum est illud quod à Iacob ad Iudam hunc in modum dictum est, Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux ex Israhel, donec veneret cui repositum est, & ipse expectatio gétium. Fortassis etiam hac potestate priuati sunt Iudæi, diuina prouidentia Christi doctrinæ locum præparante in populo, vt etiam si hæc prohiberetur à Iudæis, non tamen procederet vsque ad interemptionem credentium, quæ videretur iuxta legem fieri. Herodes autem captum Ioannem vinxit in carcere ac reposuit, signum quoddam hoc facto præbens, quod quantum erat in ipso situm, & in malicia populi, concluderet & alligaret sermonem propheticum, vetarétque ne posthac maneret in libertate veritatis præco, quéadmodú prius.

Ioannes baptista prophetarum nouissimus

Gene. 49.

H Hoc autem faciebat Herodes propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Hic autem Philippus erat tetrarcha Itureæ & Thraconitidis regionis. Itaque nonnulli arbitrabantur, quod mortuo Philippo relicta filia, Herodiadem vxorem fratris Herodes duxerit, quum lex concedat hoc matrimonium, si absint liberi. Nos vero quoniam nusquam reperimus mortuú fuisse Philippum, arbitramur maiorem etiam iniquitatem fuisse in Herode, qui viuenti etiamnum fratri coniugem abduxerit, eóque prophetica libertate præditus Ioannes, neque veritus regiam Herodis dignitatem, neque ob mortis metum silentio dissimulans tantam iniquitatem, dicebat Herodi, diuino repletus spiritu, Non licet tibi habere eam. Non enim licet tibi habere vxorem fratris tui. Herodes quidem cepit Ioannem ac vinctum reposuit in custodia, non audens omnino occidere, hoc est propheticum sermonem tollere à populo. Regis autem Thraconitidis vxor, quæ est peruersa quæpiam opinio, maláque doctrina, filiam peperit eiúsdem nominis, cuius motus quoniam videbantur decori, placuissentque Herodi geoethliacas res amanti, in causa fuerút quo minus deinceps esset in populo caput prophetarum. Quin & in hodiernú vsque diem, motus populi Iudaici, qui videntur secundú legé esse, nihil aliud esse puto, quàm Herodiadis filiæ saltationes. Sed Herodiadis saltatio contraria erat sanctæ saltationi, quam qui non saltauerint, his exprobrabitur audiéntque. Tibiis cecinimus vobis, & non saltastis: sed in nataliciis iniqui sermonis qui regnabat in illis, saltant, sic vt placerent

Duplex Herodis iniquitas in ducta Herodiade.

I illi sermoni motus illorum. Obseruauit quidem quidam eorum qui vixerunt ante nos, Pharaonis natalem in Genesi descriptum, exposuitque quod malus ille gaudens negociis generationis, festum celebrat natalicium. Nos vero ab illo hanc nacti occasionem, in nulla scriptura comperimus à iusto celebratum diem natalem. Nam Herodes illo Pharaone fuit iniquior: Siquidem ab illo in nataliciis pistorum princeps occiditur, ab hoc autem Ioannes, quo maior inter natos mulierum non surrexit. De quo seruator dicit: Sed quid existis ad videndum prophetam? etiam dico vobis, & plus quàm prophetam. Verum oportet gratias agere deo, quod prophetiæ quoque gratia populo adempta est, quæ tota illa maior effusa est in gentes, per seruatorem nostrum Iesum, qui fuit inter mortuos liber. Quanquam enim crucifixus est ex infirmitate, viuit tamen ex virtute dei. Insuper autem vide rationem, iuxta quam purorum & impurorum ciborum discrimen expéditur. Despicitur autem prophetia, quum in disco obsonij loco infertur: caput vero prophetiæ Iudæi non habent, Christum Iesum totius prophetiæ caput negantes: & amputatur caput prophetiæ propter iusiurandum, quod peierandum erat potius quàm seruandum. Non enim tantum erat crimen præcipitasse iusiurandum, quantum erat crimen ob præcipitatum iusiurandum occidere prophetam. Ac non ob id tantum decollatur, verumetiam ob eos qui simul accumbebant, malentes prophetam occidi quàm viuere. Simul autem accúbebant, simúlque conuiuabantur cum sermone malo Iudæorum rege, qui de illius natiuitate gaudebant. Hoc autem dicto noununquam eleganter vteris, aduersus eos qui præcipites sunt ad iurandum, nolúntque ratum esse iusiurandum, quod in rem impiam susceperunt, dicens non quoduis iusiurandum oportere seruari, veluti nec Herodis. Ad hæc auté & illud animaduerte, quod non palàm, sed clam & in carcere Ioannem occidit Herodes, neque enim palàm nunc abnegat Iudæorum sermo prophetias. Atqui re ipsa, & clanculum eas negat ac deprehenditur illis non credere. Quemadmodú enim si credidissent Mosi, credidissent & Iesu: ita si credidissent prophetis, recepissent vtique qui fuerat à prophetis nunciatus. Quoniam autem huic non credunt, nec illis credunt, ac truncant in carcere conclusum sermonem propheticum, habéntque illum mortuum ac diuulsum minimeque integrum, quia non intelligunt eum: sed nos integrum habemus Iesum, expleta quę de illo fuerat prophetia dicens, os non cóminuetis. Discipuli vero Ioannis sepeliunt illius reliquias, & abeuntes renunciauerunt Iesu. At ille secessit in locum desertum, nimirum ad gentes: ac post prophetarum interemptionem, turbæ sequebantur illum ex omnibus vndique ciuitatibus: quas cum vidisset esse numerosas, misertus est illos, ac sanauit ægrotos illorum, ac post hęc, alit benedictis ac multiplicatis paucis panibus eos qui sequuti fuerant ipsum.

Math. 11.

K

Exod. 12.

Quum audisset autem Iesus, secessit illinc nauigio in locum desertú seorsum.] Hic quidem sermo docet nos, quantum valeat, à persequentibus & ab expectatione eorum qui per sermones insidiatur, secedere. Hoc enim bona ratione fieri potest. Cæterum eum qui possit ab imminentibus abesse, omni ex parte eos recipere temeritatis est & confidentiæ. Quis autem posthac dubitet, an à talibus liceat declinare, quum non solum post ea quæ Ioanoi acciderant Iesus secesserit, verumetiam hoc docuerit dicens: Si persequuti vos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam. Quoties igitur inciderit tentatio, quam vitare non licet, necesse est fortiter magnóque animo sustinere. Quod si liceat effugere, audaciæ fuerit hoc non facere. Quoniam autem post id quod dictum est, etiam iuxta anagogen oportet locum examinare, dicendum est quod postea quàm apud Iudæos insidiis petita est prophetia, occisáq; propterea quod apud illos in pretio essent natalitia festa vanique motus qui fiebant in conuiuio, iudicio veritatis incompositi & inconditi, cæterum opinione principis malorum, & eorum qui cum ipso conuiuium agitant, compositi & concinni, ipsísque grati, secedit Iesus à loco, in quo prophetia structis insidiis condemnata est: secedit autem in locum à deo desertú, qui est apud gentes, vbi dei verbum, sublato regno ab illis, datóque genti facienti fructus ipsius, nascatur inter gentes, pérque hoc verbum nascantur filij desertæ, quæ neque legem, neque prophetas didicerat, multo plures quàm eius quæ habet virum, videlicet legem. Quum igitur olim apud Iudæos esset verbum, non sic erat apud illos quemadmodum apud gentes. Ideo dictus est in naui, hoc est in corpore, in locum desertum seorsum venisse, quum audisset de sublatione prophetiæ. Quum autem venisset in eremum, seorsum erat in ea, quod verbum illius ac doctrina esset singularis, vltra consuetudines & opiniones apud gentes receptas. Turbæ vero quæ erant in gentibus, quum audissent verbum adesse in deserto suo, idque seorsum esse, vt ante exposuimus, sequutæ sunt illud relictis propriis ciuitatibus, dum illorum quisque relinquit patriæ superstitionis consuetudines, & Christi legi accedit. Sed pedestri itinere, non nauigio illum sequuti sunt, vt puta non corpore, sed nuda anima, ac voluntate per verbum persuasa sequuti imaginem dei. Et ad hos sanè Iesus exit, quú non possent ad illum accedere, vt veniens ad eos qui foris erant, introduceret eos qui erant foris. Multa autem turba foris erat, ad quam egreditur dei verbum, & effuso lumine suæ visitationis in illam, vidit eam. Et quum vidisset illos ob hoc esse magis dignos miseratione, quod in talibus malis essent, velut hominum amator, qui alienus erat ab affectibus, in hoc affectus sensit, quod commotis visceribus miseratus est. Nec miseratus solum, verum etiam ægrotos illorum sanauit, habétes varios & omniiuges ex malitia morbos. Quod si videre vis, quales sint animi morbi, cogita mihi, auaros, gloriæ cupidos,

L

M

A dos,& puerorum amatores,& si quis est mulieribus deditus. Nam & hos in turbis visos,cuiusque miseratus sanauit. Non tamen putandum est,quoduis peccatum esse morbum, sed id quod in tota computruit anima. Tales enim videre est pecuniarum amatores,totos incumbentes argento, & in huius tum custodiam,tum coaceruationem, auidos laudum, gloriolis inhiantes. Inhiant enim captandis à vulgo vilibúsque hominibus laudibus. Ac iuxta consimilem rationem cogitabis de reliquis morbis quos nominauimus,& si quis alius est horum consimilis. Quoniam igitur inter enarrandum, quod dictum est, Sanauit ægrotos eorum diximus non quoduis peccatum esse morbum,operę precium est & è scripturis de horum differétia differere. Ait sanè apostolus Corinthiis,qui variis peccatis laborabant,scribens, Propterea inter vos infirmi multi, & valetudinarij, & dormiunt multi. Audi siquidem apostolum in his etiam vinculum nectentem,contextúmque faciétem ex diuersis peccatis,iuxta quod,alij quidem sunt infirmi, alij vero ægroti,videlicet plus quàm infirmi:rursus alij venísque peius habentes,qui dormiunt. Nam qui propter imbecilles animi vires,proclines sunt ad labédum in quoduis peccatum,etiamsi non toto animo fuerint obnoxij alicui peccato peculiari,quemadmodum sunt ægroti,tantú infirmi sunt.

1.Cor.11.

B Porrò qui pro deo quem diligere debebant,tota anima, toto corde,& tota mente,diligút pecuniam aut gloriam, aut mulieres,aut pueros,hi peius affecti sunt quàm infirmi, súntque ægroti. Dormiunt autem,qui quum debeant attendere& aduigilare animę suæ,non faciunt id,sed nimia negligétia dormitant volútare,& somniculosi sunt cogitationibus,qui quidem somniantes,carnem quidem polluunt,autoritatem vero spernunt,gloriis autem maledicunt. Isti sanè quia dormiunt, in visis inanibus versantur,& insomniorú simillimis, ea quæ superne veniunt,quæque vera sunt non recipientes,sed infirmi per inania simulacra falluntur. De quibus & in Esaia dicitur illud,Quemadmodum somniat sitiens quasi bibat, & experrectus adhuc sitit,anima vero illorum inaniter sperauit: Sic erunt diuitiæ omnium gentium, quæcunque militarunt in Hierusalem. Itaque quanquam videmur digressionem fecisse,dum exposuimus differentiam infirmorum,ęgrotorum, & dormientium,propterea quod apostolus in ad Corinthios epistola dixit quæ enarrauimus fecimus digressionem,studétes ostendere,quid intelligendum significetur his verbis, & sanauit ægrotos illorum. Post hæc habet sermo Euangelicus: Quum autem esset facta vespera,accesserunt ad eum discipuli ipsius dicentes,Desertus locus est,& hora iam preterijt,dimitte itaque turbas,vt abeuntes in vicos emant sibi cibaria.] Ac primum obserua,quod quum daturus esset benedictionis panes discipulis,vt apponerent turbis,sanauit ægrotos, vt sani participes fierent panum benedictionis. Non enim possunt qui adhuc ægrotant, capere panes benedictionis Iesu: verum etiam si quum aliquis audire debuerit illud,probet au-

Esa.29.

Panes benedictionis

C tem vnusquisq; seipsum,& sic comedat ex illo pane, reliquáque quæ sequuntur,hæc non audierit, sed temere sumpserit panem domini & poculum eius,infirmus fit aut ægrotus,aut etiam vt ita loquar,ex grauedine quæ nascitur ex huius panis vi,dormiens. Vespere autem facto adierunt eum discipuli ipsius,hoc est in consummatione seculi,de quo tempestiue dixeris illud,quod positum est in epistola Ioannis, Nouissima hora est. Qui quum nondum intelligerent, quid facturus esset dei filius,dicunt illi. [Desertus est locus] videntes dei, & legis,& verbi solitudinem in plerisque. Dicunt autem illi,[& hora præteriit:] quasi præterijsset opportunú tempus legis & prophetarum. Fortassis autem hoc dicebant, huc spectantes, quod decollatus esset Ioannes,& legem & prophetias, quæ erant vsque ad Ioannem,cessasse. Præterijt igitur,inquiunt, hora Nec adest cibus, eo quod tempus illius iam nó amplius sit præsens,vt qui in deserto sequuti sunt te, legi ac prophetis seruiant. Insuper dicunt discipuli:[Dimitte illos] vt si minus queant à ciuitatibus,certe à vicis,locis vilioribus, emát cibaria. Hæc quidem dicebant discipuli,desperantes turbas inuéturas,eo quod dimissa est litera legis ac prophetiæ cessassent, insignes ac nouos cibos. Sed vide quid Iesus responderit discipulis,tantum non clamans ac manifeste dicens: Vos quidem opinamini turbas si à me discesserint egentes cibariis,

D ea in vicis inuenturas potius quàm apud me,& in conuentibus hominum,non ciuium,sed vicanorum potius quàm si apud me permáserint. Cæterum ego patefaciam vobis, quod eo quo creditis illos egere non egent,neque enim opus habent vt discedant. Eo vero quod creditis eos non habere opus,hoc est me,quasi nó possim eos alere, hoc iuxta vestram expectationem opus habent. Quoniam igitur vos docui,reddidique sufficientes ad dandum egentibus animi cibum, vos date turbis quæ me sequutæ sunt quod edant. Habetis potestatem à me traditam,vt detis turbis cibum,cui si fuissetis intenti, nimirum intelligeretis,me multo magis illos alere posse:nec diceretis, dimitte turbas,vt abeát,emántque sibi cibaria. Iesus igitur per potestatem quam dederat discipulis alios etiam alendi,dixit, Date eis vos,quod edant. Illi vero nó negantes se posse dare panes,sed arbitrati pauciores esse, nec sufficere pascendis qui sequuti fuerant Iesum,neque considerantes, quod Iesus acceptum vnumquenque panem, id est, verbum,in quantum vult dilatat,efficiens vt omnibus sufficiat,quoscunque velit pascere: Aiunt,[Non habemus hic nisi quinque panes ac duos pisces:] per quinque panes fortassis innuentes sensibilia scripturarum verba, & ob hoc numero respondentia quinque sensibus:per duos vero pisces,vel propheticum & in affectibus situm sermonem,quasi obsonia rerum sensibilium,quæ in scripturis reposita sunt: aut fortassis sermonem qui iam ad illos peruenerat de patre & filio. Quá ob causam & ipse comedebat de pisce posteaquam resurrexisset,parté sumpta à discipulis,vbi iam recepisset ab illis,quá

E ex parte poterát ipsi de parte profiteri theologiam. Nos quidem sermones de quinque panibus ac duobus piscibus hunc in modum explicare valuimus. Probabile est autem, quod qui magis quàm nos colligere possút quinque panes ac duos pisces apud sese,copiosiorem ac meliorem de his reddere valeant intelligentiam. Illud tamen obiter annotandum, quod quinque panes ac duos pisces habere se discipuli profitentur apud Matthæum, Marcum & Lucam, nullam dantes significationem, an triticei sint, an hordeacei; Solus Ioannes hordeaceos fuisse dicit, vnde fortassis nec discipuli in Euangelio Ioannis eos panes apud se esse fatentur,sed apud hunc ita loquuntur, Est puer hic, qui habet quinque panes hordeaceos, ac duos pisces. Et donec hi quinque panes cum duobus piscibus non adferebantur à discipulis Iesu,non creuerunt,neque multiplicati sunt, neque poterant multos alere. Quum autem illos accepisset seruator, primum suspexit in cœlum, nimirum oculorum suorum radiis veluti deducens illinc potentiam robur addituram quinque panibus ac duobus piscibus,ad nutriendum quinque hominum milia. Post hæc benedixit quinque panibus & duobus piscibus verbo & benedictione augens illos ac multiplicans, Mox diuidens ac frangens dedit discipulis,vt illi turbis apponerent. Tunc susci-

F piebant illi panes ac pisces ad hoc,vt ederent ac saturarentur omnes,adeo vt quosdam ex benedictis panibus non potuerint comedere, Tam multa turbis supererant, quæ apud turbas quidem non erant,sed apud discipulos, volentes tollere quod supererat fragmentorum, reponeréque in cophinos, plenos fragmentorum totidem numero, quot erant tribus Israel. De Ioseph quidem scriptum est in Psal. Manus eius in cophino seruierunt. De Iesu vero discipulis,quod quum essent nimirum duodecim,sustulerint ex eo quod superfuerat, duodecim cophinos non dimidiatos,sed plenos. Et sunt,nisi fallor,ad hunc vsque diem & erunt vsque ad consummationem seculi,duodecim cophini pleni fragmentorum panis viui,apud Iesu discipulos turbis præstantiores, quæ turbæ non possunt comedere. Erant autem qui comederant de quinque panibus,qui erant antequam superfuissent duodecim cophini,cognati numero pentadis. Vsque ad quinque sensibilia peruenerant ij qui comederant. Quandoquidem & hi ab eo qui suspexerat in cœlum,quique benedixerat ac fregerat illos aliti sunt,iique non pueri,neque fœminæ,sed viri. Sút enim, ni fallor,& in sensibilibus edulijs discrimina,vt quædam sint eorum,qui euacuauerunt ea quæ sunt paruuli: quædam rursus eorum qui paruuli sunt adhuc & carnales in Christo. Ac nobis hæc dicta sint propter hæc verba. Qui comederant erant viri quinquies mille præter pueros ac mulieres.] Quod

Pentas Quinquernio.

G quidem ambigue dictum est, verum qui comederant fuerint viri quinquies mille, nec inter hos edentes vllus fuerit puer aut fœmina: an viri tantum fuerint numero quinquies mille, non annumeratis neque pueris neque mulieribus. Nonnulli quidem vt ante diximus, ad hunc modum explicuerũt, quod neque pueri, neque mulieres adfuerint iis quæ ex quinq; panibus ac duobus piscibus aucta multiplicataque sunt. Dixerit autem aliquis, quod quum multi comederint, iuxtáq; dignitatem ac vires participes facti fuerint panum benedictionis, alij quidem numero digni erant, iuxta similitudinem eorum, qui in libro Numerorum nominati sunt, annos viginti nati, Israelitæ viri erant. Alij vero qui digni non erant tali ratione numeróque pueri erant ac mulieres. Iam mihi tropologiam de pueris tracta, iuxta illud, Non potui vobis loqui vt spiritualibus, sed vt carnalibus, vt paruulis in Christo. De mulieribus autem, iuxta illud, Volo autem vos omnes virginem castam exhibere Christo. De viris vero iuxta illud, Posteaquã factus sum vir, euacuaui ea quæ erãt paruuli. Ne prætereamus inenarratum & illud, quum iussisset turbas discumbere super gramen, acceptis quinque panibus & duobus piscibus, sublatis in cœlum oculis, benedixit, cúmque fregisset dedit discipulis panes discipuli vero turbis, & comederũt omnes. Quid enim significat illud, quod iussit omnes turbas discumbere
H super gramen, & quid intelligere possumus dignum iussione Iesu, de loco? Opinor autem, quod turbas iusserit discumbere

Esa. 40.

in fœno, propter id quod dicitur in Esaia, Omnis caro fœnũ, hoc est subiicere carnem, ac subditum reddere carnis affectũ, vt sic aliquis possit esse particeps panũ quibus benedixit Iesus. Deinde quoniam varij sunt ordines eorum qui egent alimonia Iesu, nec iisdem sermonibus alũtur omnes, propterea, ni fallor, Marcus dixit dominum hoc fecisse: & præcepit eis omnibus, vt discumberent, per conuiuia super viride fœnum: & accubuerunt per singula viridaria centeni & quinquageni. Lucas autem sic: Dixit autem ad discipulos suos, Facite vt discumbant, per singulos ordines fermè quinquageni. Oportebat enim eos qui requieturi erant in Iesu cibatiis, aut esse in ordine cẽtum, qui numerus sacer est, ac deo propter vnionem consecratus: aut in ordine quinquaginta, qui numerus continet remissionem, iuxta mysterium iubilei, qui solitus quinquagesimo quoque anno innouari, iuxta mysterium festi Pentecostes, quod est die quinquagesimo.

Centenarius sacer. Quinquagenarius symbolum remissionis

Arbitror autem duodecim cophinos fuisse apud discipulos quibus dictum est, Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel, & quemadmodum dicere posset aliquis mysterium esse in throno iudicantis tribum Ruben, & in throno iudicantis tribum Simeon, & in alio throno iudicantis tribum Iuda, atque item de cæteris: ita fuerit & cophinus cibariorum Ruben, & alius Simeon, alius Leui. Sed non est præ-
I sentis tractationis nunc tantum à proposito digredi, vt coaceruemus quæ dici possent de duodecim tribubus, ac peculiariter de harum singulis, & quæ sit quæq; tribus Israel explicare. Et protinus compulit discipulos ingredi nauim, & præcedere ipsum in vlteriorem ripam, donec dimitteret turbas.] Obseruandum est obiter, quoties iisdem locis repetuntur hoc modo, turbæ, Item aliud nomen, discipuli, vt ex hac obseruatione, & ex huius nominis coaceruatione, perspicuum fiat, Euangelistis fuisse propositum, per euãgelicam narrationem ostendere voluisse differentias accedentium ad Iesum, quorum alij sunt turbæ, nec vocantur discipuli: alij vero discipuli qui sunt turbis præstantiores.

Differẽtia accedentiũ ad christũ.

Sed satis est in præsentia nos pauca verba adducere, quo videlicet ex his incitatus aliquis idem faciat in omnibus Euangeliis. Scriptum est itaque, quum turbæ essent loco humiliore, de discipulis ad Iesum qui montem conscenderat volentibus accedere, quò turba peruenire non poterat, hunc in modum. Quum vidisset turbas conscendit in montem, cúmque consedisset, accesserunt ad eum discipuli ipsius, & quum aperuisset os suum, docebat eos, dicens, Beati pauperes spiritu: & cætera quæ sequuntur.

Matt. 5.

Et rursus alio in loco, turbis desiderantibus sanationem dictum est, Sequutæ sunt eum turbæ multæ, & sanauit eos. Non reperimus de discipulis scriptum, quod eos sanauerit: propterea quod si quis iã est discipulus Iesu, ille sanus est, & quum bene habeat, opus habet Iesu, non quatenus est medicus, sed secundum alias illius vires. Rursus alibi, quum Iesus K loqueretur turbis, mater ipsius ac fratres stabant foris, quærẽtes ei loqui, quod quidem illi significatum est, Renuncianti respondit extensa manu non ad turbas, sed ad discipulos, dicitque, Ecce mater mea & fratres mei: ac testimonium ferens *Matt. 13.* discipulis quod facerent voluntatem patris qui in cœlis est, ipse inquit, meus & frater & soror & mater est. Rursus alio loco scriptum est, quod omnis turba steterit iuxta litus, & loquutus sit eis per parabolas multa. Deinde post parabolam sententiis, accedentes non iam turbæ, sed discipuli dicebãt ei, non, quare loqueris nobis per parabolas, sed quare per parabolas loqueris illis. Quo tempore respondit non turbis, sed discipulis, Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorũ, cæteris autem per parabolas. Proinde inter hos qui accedunt ad nomen Iesu, ij qui nouerũt mysteria regni cœlorum, discipuli vocari possunt, ij vero quibus hoc datũ non est, turbæ, quæ discipulis inferiores dicentur. Attende vero diligenter, eum discipulis dixisse, Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: de turbis vero dictum est, illis vero non datum est. Itẽ alibi dimittit turbas & ingreditur in domum, non autem dimittit discipulos. Et in domum eius accedunt ad eum, non turbæ, sed discipuli eius dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Quin & alio in loco, quum audisset de Ioanne, Iesus secessit nauigio in desertum locũ seorsum, turbæ L sequutæ sunt eum: quum egressus vidit multam turbam, & misericordia motus super illos, sanauit ægrotos illorum, videlicet turbarum, non discipulorum. Vespere autem facto, accesserunt ad eum non turbæ, sed discipuli dicentes velut alij à turbis: Dimitte turbas, vt digressi in vicos, emant sibi cibaria. Insuper quum acceptis quinque panibus & duobus piscibus, & sublatis in cœlum oculis benedixit, ac frangẽs dedit discipulis, vt discipuli darent turbis, quę non poterant ab eo capere, sed vix per discipulos accipiunt panes benedictionis Iesu, ac ne hos quidem omnes comedunt: nam saturatæ turbæ reliquerunt quod superfuit in cophinis duodecim plenis. Cæterum cuius gratia has annotationes obiter adiunxerimus, est illud quod in manibus est, videlicet quod Iesus separãs à turbis discipulos, compulit eos ingredi in nauim ac præcedere ipsum in vlteriorem ripam, donec ipse dimitteret turbas. Nõ enim possunt turbæ in vlteriorem ripam transire, velut Hebræi mystice, quæ vox sonat nobis, transmissorij: verum hoc *Hebræi q. transmissorij.* erat opus discipulorum Iesu, videlicet in vlteriorem abire ripam, ac transcendere ea quæ videntur, quæque corporalia sunt ac temporaria: peruenire autem ad ea quæ non videntur, æternáque sunt. Satis igitur beneficentiæ collatum erat in turbas à Iesu, quæ non poterant, eo quod essent turbæ, abire in vlteriorem ripam, si dimitterentur à Iesu. Qua dimissione nullus habet autoritatem dimittendi, nisi Christus solus, neque fieri potest, vt dimittatur aliquis, nisi prius comederit de panibus, quibus benedicit Iesus. Non potest autem edere de panibus benedictionis Iesu, nisi feceris quemadmodum præcepit Iesus, ac discubueris in gramine, quemadmodũ disseruimus. At ne id quidem possunt facere turbæ, nisi, reli- M ctis suis ciuitatibus, sequutæ fuerint Iesum, secedentem in desertum locum seorsum. Ac prius quidem rogatus à discipulis, vt dimitteret turbas, non dimisit, donec aluisset eas panibus benedictionis. Nũc vero dimittit discipulis prius compulsis ingredi nauim, & relinquit eos in loco quopiam humiliore, Nam desertum inferius est: Ipse autem ascendit in mõtem, vt oraret. Quin & illud obseruandũ, quod illico posteaquam pauerat quinque milia hominum Iesus, compulit discipulos ingredi nauim, & præcedere ipsum vltra lacum. Verum non possunt discipuli præcedere Iesum trans lacum, sed vbi peruenissent vsque ad medium maris, ac nauis iactaretur fluctibus, eo quod ventus esset aduersus, timuerunt, circiter quartam noctis custodiam, quum venisset ad illos Iesus. Et nisi ascendisset in nauim Iesus, neque, nauigantibus discipulis ventus desisset esse contrarius, neque traiicientes venissent in alterum litus qui nauigabant. Ac fortasse volens illos experimento ducere, quod non possent absq; ipso abire trãs lacum, cõpulit illos ingredi nauim, ac præcedere trans lacũ. Cæterum illis non valentibus vltra mediũ maris pertingere, apparens ac faciens quæ scripta sunt, declarauit, quod qui ad

vlteriorem

A vlteriorem ripam tendit, Iesu simul cum ipso nauigante perueniet illuc. Quid autem est nauigium, in quod Iesus compulit ingredi discipulos, nisi fortassis tentationum ac periculorum imminentium certamen, in quod compulsus aliquis à verbo, velutique nolens, venit, sed ita saluatore volente exercere discipulos in hac naui fluctibus iactata, ob ventum aduersum. quoniam autem confestim compulit discipulos suos ingredi nauim, & præcedere ipsum trans lacum, Marcus paulum immutatis verbis sic posuit, Et confestim compulit discipulos suos ingredi εἰς τὸ πλοῖον, id est in nauim, ac præcedere ipsum trans lacum in Bethsaidam: operæ precium est intendere huic verbo, compulit, si prius considerauerimus exiguam Marci variationem, certam nauim significantis per additum articulum. Non enim idem significatur ab eo loco, confestim compulit discipulos, sed amplius habet illud, discipulos suos, quod apud Marcum scriptum est, præ illo quod simpliciter dictum est, discipulos, fortassis vt etiam dictionis modo immoraremur. Discipuli quum sic essent affecti, vt ægre distraherentur à Iesu, non quauis de causa possunt ab eo separari, cupientes illi adesse. At ille quum decreuisset, vt illi facerent experimentum fluctuum ac venti reflantis, quod nequaquam accidisset, si fuissent cum Iesu, necessitatem illis iniecit, vt ab ipso sciuncti nauim ingrederentur. Compellit quidem igitur discipulos seruator,
B ingredi nauim tentationum, ac præcedere ipsum trans lacum, vtque vltra malorum insultus vincendo peruenirent.

Nauis tentationum.

At illi quum essent in medio maris, inque tentationum fluctibus, ventis aduersis vetantibus, quo minus peruenirent in vlteriorem ripam, luctantes non potuerunt absque Iesu fluctus vincere ventúmque reflantem, ac pertingere ad ripam vlteriorem. Quapropter miseretur illorum dei filius, omnia quæ quidem in ipsis erant facientibus, vt in vlteriorem ripam peruenirent, venit ad illos ambulans super mare, quod illi non habebat vndas neq; ventū, qui posset aduersari, etiam si voluisset. Non enim dictum est, venit ad eos ambulans super vndas, sed super aquas. Quin Petrus primum dicente ipsi Iesu, veni, descendens è naui, ambulabat non super fluctus, sed super aquas, vt veniret ad Iesum. Simulatque vero dubitauit, vidit validum ventum, haudquaquam validum ei, qui deposuerat exiguam fidem & hæsitationem. Et quum ascendisset Petrus post Iesum in nauim, cessauit ventus, nihil amplius potens in nauim agere, posteaquam Iesus eam ingressus erat. Ac tum discipuli transmisso lacu peruenerunt in terram Genesareth, cuius interpretationem si cognosceremus, & hinc nonnihil iuuaremur ad huius enarrationem loci. Obserua vero, quoniam fidelis deus, qui non finit tentari turbas supra quàm possunt, quomodo filius dei discipulos quidem compulit ingredi nauim, vt valentiores, quique possent ad medium vsque maris peruenire, ac sustinere fluctuum iactationem, donec diuino digni reddantur auxilio, donec videant Iesum, audiántque illum ingressum, traiiciant
C ac perueniant in terram Genesareth. Cæterum dimissis turbis, quæ non ceperant experimentum nauis, fluctuum, & reflantis venti, velut imbecilliores, ascendit in montem seorsum ad orandum. Pro quo vero orandum, nisi forte pro turbis quidem, vt dimissæ post gustatos benedictionis panes, nihil committerent, quod repugnaret dimissioni à Iesu factæ. Pro discipulis autem, vt ab ipso compulsi nauim ingredi, & ipsum præire trans lacum, nihil paterentur in mari, nec à vento contrario. Nec verear dicere, ob preces Iesu ad patrem pro discipulis fusas, nihil accidisse mali, quum & mare, & fluctus, & ventus aduersus illos oppugnarent. Ergo qui simplicior est, contentus sit historia: nos autem si quando in tentationum necessitatem inciderimus, meminerimus quod Iesus nos compulit ingredi nauim illam, volens nos præcedere trans lacum. Fieri nanque non potest, qui tentationes fluctuum aduersantésque ventos non sustinuerunt, eos in vlteriorem peruenire ripam. Deinde vbi cōspexerimus multis nos circumuallati negociis ac periculis, ac mediocriter laborantes ea aliquo vsque tranauerimus, cogitemus nauim nostram in medio maris esse quæ tunc iactatur fluctibus, hoc agentibus, vt naufragium faciamus circa fidem, aut circa virtutem aliquam. Cæterum vbi viderimus spiritum il-

lius mali obsistere nostris actionibus, cogitemus tum nobis esse ventum contrarium. D Ergo quum hæc patientes tres noctis vigilias, hoc est, tenebrarum quæ sunt in fluctibus peregerimus, pro viribus bene certantes, cauentésque nobis, ne naufragium faciamus circa fidem, aut circa virtutem aliquam, Primam vigiliam aduersus patrem tenebrarum ac maliciæ: secundam aduersus filium eius, qui aduersatur & extollitur supra omnem qui dicitur deus aut religio: tertiam aduersus spiritum, sancto spiritu contrarium: tunc credimus quod instante quarta vigilia nox præcessit, dies autem appropinquauit. Veniet ad nos filius dei vt nobis componat mare, ambulans super illud. Quúmque viderimus nobis apparere verbum, turbabimur quidem, priusquam certo cognouerimus seruatorem adesse nobis, existimantes nos adhuc phantasmata videre, territíque protinus clamabimus. At ille statim nobis loquetur dicens: Confidite, ego sum, nolite timere. Et si quis vehementius commotus eo verbo, confidite, repertus fuerit in nobis Petrus tendens quidem ad perfectionem, non dum tamen eam assequutus, descendens è naui. quasi iam positus extra tentationem illius nauis in qua iactabatur, initio quidem ambulabit, cupiens venire ad Iesum super aquas. Cæterum vt pusillam adhuc habens fiduciam, vt adhuc dubitans, videbit validum ventum, ac timebit: & incipiet quidem mergi, non tamen hoc eueniet, E eo quod Iesum magna voce inclamabit, dicens ei, Domine serua me. Post hæc protinus adhuc loquente Petro talia, ac dicente, Domine serua me, extendet Iesus manum porrigens eiusmodi homini auxilium, & apprehendet eum iam incipientem mergi, exprobrabitque illi, quod parum habuerit fiduciæ, quódque dubitauerit. Verum obserua, quod non dixit, diffidens, sed pusillæ fiduciæ, quódque dictum est, quare dubitasti? quod haberet quidem nonnihil fiduciæ, sed inflectens etiam in partem diuersam, hoc est, ad diffidentiam. Et post hæc sanè tum Iesus tum Petrus ascendet in nauim, & cessabit ventus. Atque ij qui in naui sunt, cogitantes à qualibus periculis sint seruati, adorabūt dicētes, non tantum filius dei es, quēadmodū dicebā & illi duo qui dæmoniis fuerūt obnoxij: sed verè filius dei es, quod dicūt in naui discipuli. Neq; enim alios à discipulis arbitror hoc dixisse. Vbi vero versati fuerimus in his omnibus, transmisso lacu, veniemus in terram quò iusserat nos præire Iesus. Fortassis autem significatur aliquod arcanum ac reconditum mysterium de his qui seruati sunt à Iesu, ex eo quod scriptum est, [Et agnoscentes eum viri loci illius,] nimirum in vlteriore ripa, emiserunt in totam finitimam regionem illam, videlicet finitimam vlteriori ripæ, non in ipsa ripa, sed in locis circumiacentibus. [Et obtulerunt illi omnes male habentes.] Hic autem obserua, quod obtulerunt illi non solum multos male habētes, verū etiam omnes qui erant in eius regionis vicinia. Hi vero adducti ad Iesum, qui male habebāt, rogabant illum, vt vel fimbriā vestis eius contingerent, hoc ab illo beneficium postulantes. Quoniam non erant tales qualis illa mulier F quæ laborarat profluuio sanguinis annos duodecim, & accessit à tergo, tetigitque fimbriam vestimenti illius, quum apud se dixisset, si tantum tetigero vestimentum illius, ero salua. Obserua etiam de fimbriis vestimenti eius, vnde confestim sistebatur profluuium sanguinis eius. Cæterum ij qui venerant ex finitima regione Genesareth, in quam transmisso lacu venerat Iesus cum discipulis suis, non ex sese adeunt Iesum, sed adducti sunt ab iis qui emiserant, vt qui per se non possent ad Iesum accedere, eo quod vehementer male haberent: neque ipsi furtim tetigerunt fimbriam. sicut illa profluuio sanguinis laborans, sed orantibus illis. Quamquam, & ex his quicunque tetigerunt, salui facti sunt. Porrò num qua differentia sit huius verbi, [salui facti sunt,] quod de his dictum est, quantum ad salutem datam: Nam profluuio sanguinis laboranti fœminæ dictum est, Fides tua te saluam fecit, ipse etiam per te dispicies.

Cap. XV.

G VNC accedunt ad eum è Hierosolymis pharisæi & scribæ dicētes, Quare discipuli tui trāsgrediuntur traditiones seniorum, non enim lauant manus, quum panem comedunt.] Si obseruaueris quo tēpore adierint Iesum ab Hierosolymis pharisęi & scribę dicētes, Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? & quæ sequuntur: scietur necessario Matthæum non simpliciter scripsisse, quòd pharisæi & scribæ ab Hierosolymis accesserint ad seruatorem, percontantes eum quę dicta sunt, sed ita loquutus est: [Tunc venerūt ad eum ab Hierosolymis.] Quando igitur illud tunc intelligendum est? Quum transmisso lacu venissent in terram Genesareth nauigio, Iesus & discipuli eius, iam sedato vento, ex quo nauim conscenderat Iesus. Et quum agnouissent eum viri loci illius, emiserunt in totam illam finitimam regionem & adduxerunt ad eum omnes male habentes, & obsecrabant eum, vt vel tantū fimbriam contingerent vestis illius, & quotquot tetigerunt, salui facti sunt. Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis pharisæi & scribæ, non admirati potētiam quæ erat in Iesu sanans etiam illos, qui tantum fimbriam vestis ipsius attigerant, sed accusandi studio criminantes discipulos apud præceptorem, non de transgressione præcepti Dei, sed vnius ex traditionibus seniorum Iudaicis. Et probabile est,
H quod hoc ipsum crimen quod intendunt calumniandi auidi, commendat pietatem discipulorum Iesu, qui nullam reprehensionis ansam dederint in alijs veluti de transgressione præceptorum Dei, Pharisæis ac scribis: qui nequaquam adduxissent hanc criminationē aduersus discipulos de transgressione, quod violassent præceptum seniorum, si potuissent deprehendere quos incusabant, & ostendere eos transgredi præceptum Dei. Ne putes autem his probari, Mosis legem seruandam esse iuxta literam, quod discipuli ad id vsque temporis eam seruabant. Non enim priusquam pateretur, redemit nos à maledictione legis, qui patiendo pro nobis factus est maledictio. Sed quemadmodum Paulus congruenter Iudæis Iudæus factus est, vt Iudæos lucrifaceret: quid absurdi est, si apostoli quum inter Iudæos versarentur quamuis intelligerent spiritalia, legis vulgata vtebantur consuetudine? Sicut & Paulus, qui Timotheum circumcidit, & sacrificium iuxta votum quoddam Iudaicum obtulit, quemadmodum in apostolorum Actis scriptum est. Veruntamen rursus apparēt auidi criminandi, qui de præcepto Dei nihil criminis intendere poterant in discipulos Iesu, sed tantum de vna seniorum traditione. Atque hinc potissimum dilucet criminandi studium, quod apud eos ipsos, qui à morbis sanati fuerant, crimen intendunt, specie quidem aduersus discipulos, reuera tamen ipsum præceptorem infamare volentes, quasi quod etiam à senioribus erat institutum de lauandis manibus, necessarium foret ad pietatem. Existimabant enim immundas &
I impuras esse manus eorum qui non lauissent, antequam sumerent cibum. Contra puras ac sanctas esse factas eorum, qui eas abluissent aqua, quum id non respondeat Mosaicæ iuxta literam legi. Nos vero non secundum seniorum Iudaicorum traditionem, sed iuxta rectam rationem, purgare conuenit nostras actiones, & hoc pacto lauare manus animarum nostrarum, quoties comesturi sumus tres panes, quos à Iesu petimus, qui nobis amicus esse cupit. Si quidem immundis, illotis & impuris manibus, non oportet horum panum esse participes. Iesus autem non incusat eos de traditione seniorum Iudæorum, sed de duobus dei præceptis maxime necessarijs, quorum alterum quintum est in decalogo, sic habens: Honora patrem tuum & matrem tuam & bene sit tibi, & fias longæuus super terram, quam dominus deus tuus daturus est tibi. Alterum verò in Leuitico hunc in modum scriptum est: Si homo maledixerit patri suo aut matri suæ, morte moriatur, Patri suo aut matri suæ maledixit, reus erit. Cæterum quoniam ipsa verba volumus intueri, quę prodidit Matthęus, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur: attende num forte sumptum sit è loco vbi scriptum est, Qui verberat patrem suum, aut matrem suam, morte moriatur. Et qui maledixerit patri suo aut matri suę morte moriatur. Sic igitur habent verba legis de duobus illis præceptis, sed Matthęus illa non tota, sed concise retulit, nec iisdem verbis. Quur autem incu- K
set pharisęos & scribas, qui venerant Hierusolymis seruator, dicens eos transgredi pręceptum dei propter ipsorum traditionem, considerandum est. Et deus quidem dixit. Honora patrem tuum & matrem tuam, docens filium honorem debitum persoluere suis parentibus. Huius erga parentes honoris pars erat, illis impartiri de rebus externis, quæ ad victus & tegumentorum vsum pertinent: & si qua alia in re gratificari posset parentibus. Pharisęi vero & scribæ traditionem huiusmodi legi contrariam prodiderant, quam obscurius refert Euangelium, quam ne nos quidem quicquam eramus explicaturi, nisi quidam Hebręus exposuisset nobis, quę ad hunc locum pertinent, ea sic habent: Interdum, inquiebat, fit vt creditores incidant in debitores difficiles, qui quum possint, nolint quod debetur reddere, eòque creditores referebant debitum in rationem pauperum, quibus pecunia conijciebatur in gazophilacium, ab vno quoque pro cuiusque viribus eis communicare volentium. Interdum itaque dicebant debitoribus iuxta suę linguę proprietatem, corban est, quod mihi debes, hoc est, donum: consecraui enim illud in rationem pietatis erga deum, pauperibus. Deinde debitor, vt qui iam non hominibus sed deo deberet, & in hunc religione, quodammodo constringebatur, vt vel volens redderet debitum, non iam quidem creditori, sed deo in rationem pauperum, creditoris nomine. L
Quod igitur creditor faciebat debitori, hoc interdum quidam filij faciebant parentibus, ac dicebant illis. Donum quodcunque ex me est, en tu iuuaberis pater aut mater: hoc scitote ex corban accipere, nimirum ex ratione pauperum de his quæ deo consecrata sunt. Itaque quum audirent parentes quod ipsis dandum erat, esse corban, hoc est deo consecratum, iam nolebant accipere à filijs, etiam si valde necessariorum inopia premebantur. Seniores igitur talem traditionem apud plebeios proferebant, quod quisquis patri aut matri dixisset, quod datur ex iis cuipiam, corban esse ac donum, hic non amplius obligatus esset patri aut matri, ad suppeditanda vitę necessaria. Hanc igitur traditionem reprehendit seruator, quippe non probam, sed aduersantem præcepto dei. Etenim si deus dicit, honora patrem & matrem, ex aduerso traditio dicebat eum non debere honorare patrem & matrem dono, qui quod daturus erat parentibus consecrauit deo quippe corban: palàm est dei pręceptum de honore parentibus exhibendo per traditionem pharisæorum & scribarum abrogari, quę dicit non amplius oportere honorare patrem ac matrem eum, qui semel deo cōsecrauit, quod accipere solent parentes. Ac pharisęi quum essent auari, quo sub pretextu pauperum acciperent & illa quæ danda forent alicuius parentibus, docebant huiusmodi. Testatur autem illorum auariciam & euangelium ita dicens: Audiebant autem hęc omnia pharisæi, qui erant auari, & deridebāt eum. Si quis igitur & ex his qui apud nos presbyteri, vocan- M
tur, aut ex eorum numero qui quocunque modo principatum gerunt in populo malunt sub pretextu reipublicæ dare pauperibus, quam domesticis eorum qui dederunt, si forte necessariorum penuria grauentur, nec possint ij qui dederant vtrunque facere, vt & domesticis & publicis subueniāt pauperibus: hic iure merito frater dicetur eorum qui irritum fecerunt legem dei propter suam traditionem, videlicet pharisęorum & hypocritarum, quos seruator redarguit. Et sanè vehementer abominandum est, quempiam ex ratione pauperum libenter accipere, similque pro quæstu ducere pietatem aliorum: sed non hęc tantum, verumetiam illa quę de Iuda proditore scripta sunt: qui in speciem quidem causam agebat pauperum, atque indignans dicebat: Poterat hoc vnguentum venundari denarijs triginta, & dari pauperibus: cæterum reuera fur erat, & loculos habebat, quæque mittebantur portabat. Itaque si quis nunc quoque loculos ecclesiæ gestans, loquitur quidem, vt Iudas loquebatur, pro pauperibus, cęterum quę mittuntur portat, partem sibi ipsi ponat cum Iuda, qui talia fecit: ob quę veluti gangrenam habenti in anima diabolus immisit in cor eius, vt seruatorem proderet, & quum hoc telum ignitum accepisset ab ipso, rursus idē diabol⁹ ingressus in animā illius impleuit illū. Ac forsitan quum

aie

Quousque lex Mosis fuit seruanda.

Exod.20.

Leuit.20.

Cum quodam Hebræo de hoc loco Euangelij cōtulit Origenes.

Luc.16.

A ait apostolus: radix omnium malorum est auaritia, propter

1 Tim 6.

Iudæ dicit auaritiam, quæ radix omnium malorum in Iesum commissorum fuit. Sed nunc redeamus ad ea quæ sunt in manibus, in quibus seruator duo ex lege præcepta concise proposuit, alterum quidem ex decalogo Exodi, alterum è Leuitico, aut alterum ex aliquo locorum qui sunt in Pentateucho. Deinde quoniam exposuimus quomodo irritum fecerint verbum dei, dicens, honora patrem tuum & matrem tuam, hi qui dicebant, non honorabit patrem & matrem suam, quicunque dixerit patri aut matri suæ, donum quodcunque ex me est, tibi proderit: quærere poterit aliquis, quomodo cohæreat quod additur, qui maledixerit patri aut matri morte moriatur. Esto si quidem, non honorat patrem ac matrem, qui quæ daturus erat in subsidium patris ac matris consecrat ei quod vocatur corban: quomodo pharisæorum traditio irritam facit legem etiam illam, quæ dicit qui maledixerit patri aut matri morte moriatur. Sed vide num fortè quisquis dixerit patri aut matri, donum quodcunque ex me fuerit tibi proderit, quodammodo conuicium ingerat patri ac matri, perinde quasi parentes appellet sacrilegos, qui capiant ea quæ sunt consecrata corban ab eo qui illa consecrauit. Iudæi igitur filios quasi patri matríque maledicentes, qui dicunt donum quodcunque ex me fuerit tibi

B prodesse, puniunt iuxta legem. Vos autem vnica vestra traditione, duo dei præcepta facitis irrita. Et post hæc non pudet vos criminari meos discipulos, qui nullum omnino dei præceptum transgrediuntur. Ambulant enim in omnibus eius præceptis ac iustitiis, sine reprehensione, transgrediuntur autem traditionem seniorum religionis gratia, ne transgrediantur præceptum dei. Quod idem si vobis propositum esset, vtique præceptum de honorando patre ac matre seruassetis, cum eo quod dicit, Qui maledixerit patri aut matri morte moriatur, Traditionem autem seniorũ his præceptis aduersam non seruaretis: Post has omnes Iudaicas seniorum traditiones, volens eos accusare ex Prophetarum dictis, citauit illud quod est apud Esaiam, quod quidem ad verbum sic habet: Et dixit Dominus, Appropinquat mihi populus iste ore suo: & cætera quæ sequuntur. Ac prædiximus Matthæum non iisdem verbis retulisse Prophetæ testimonium. Quòd si vobis pro viribus exponendum est, eo quòd Euangelium illud vsurpauit, assumemus quod superiùs dictum est, vtiliter ni fallor, nobis seruatum ad enarrationem prophetici sermonis ab Euangelio vsurpari. Habet autem sic ab initio quod dictum est in Esaia, Dissoluamini, & obstupescatis, & attoniti reddamini, non à sicera neque à vino, quoniam potauit vos Dominus spiritu compunctionis, & laborare faciet oculos eorum contra Prophetas suos

Esa. 42.

De hypocrisi & cæcitate Iudæorum.

Esa. 19.

C ac principes ipsorum, qui vident occulta. Et erunt vobis verba hæc omnia, vt sermones libri obsignati, quem quisquis dederit homini scienti literas dicens, Lege hæc: & dicet, Non possum legere, obsignatus est enim. Et dabitur liber hic in manus hominis nescientis literas, & dicet illi, Lege hunc: & dicet, Nescio literas. & dixit Dominus: Appropinquat mihi populus: & cætera quæ sequuntur, vsque ad eum locum, Væ qui in occulto facitis consilium, & erunt in tenebris opera eorum. Assumpto igitur hoc dicto, quod in Euangelio propositum est, posui quædam quæ præcedunt illud, & quædam quæ sequuntur, vt ostenderem quomodo Dei verbum minetur se effecturum, vt deficiant oculi populi, stupefacti & attoniti, ac potati spiritu compunctionis. Minatur autem effecturum se, vt & Prophetæ illorum deficiant, & qui profitentur se videre occulta, videlicet principes eorum: quæ quidem opinor esse facta post Seruatoris aduentum in populo illo. Facta sunt enim eis omnia verba, quum omnium scripturarum, tum ipsius Esaiæ, quasi sermones libri obsignati. Dictum est autem, Obsignati, quasi dicas, Propter obscuritatem clausi, nec aperti perspicuitate: qui pariter obscurus est tum his, qui quod omnino literas nesciant, ne legere quidem possunt: tum his qui se profitentur scire literas, quum nesciant, quis sensus in eo scriptus sit. His igitur quæ dicta sunt, videlicet posteaquam populus peccatis dissolutus, & in furorem versus insanierit aduersus ipsum, quibus factis etiam debacchabitur ad-

Iudæorum ignorantia quanta sit.

uersus ipsum spiritu compunctionis, quo potabitur à Domino, qui deficere faciet eorum oculos, vt indignos qui videãt, & oculos Prophetarum eorum, ac principes eorum, qui profitentur se videre secreta mysteriorum, quæ sunt in sacris literis. Et quum defecerint oculi eorum, tunc erunt illis prophetica verba obsignata & abscondita: id quod accidit populo non credentium in Iesum veluti Christũ. Posteaquam autem verba prophetica facta fuerint illis, vt sermones libri obsignati, non solùm nescientibus, sed iis etiam qui se profitentur scire literas: his inquam pulchrè subnectit illud, Tunc dixit Dominus, solo ore populum Iudæorum appropinquare Deo, séque labiis ab illo honorari, propterea quòd cor illorum ob incredulitatem erga Iesum procul esset à Domino. Et nunc maximè abest, posteaquam abnegarunt Seruatorem nostrum, dici potest à Deo de illis, Frustra colunt me, non enim amplius docent præcepta Dei, sed hominum, ac doctrinas, quæ iam non sunt in sapientia spiritus, sed ab humana. Vnde quoniam hæc illis acciderant, transtulit Deus populum Iudæorum, & perdidit sapientiam eorum qui apud ipsos erant sapientes. Non enim est ampliùs apud illos sapientia, neque prophetia. Quin etiam prudentiam populi defodit Deus & occultauit, nec est ampliùs splendida & illustris, eòque etiam si videantur aliquod profundum consi-

D

Ore Deo appropinquare & labiis eu seruire.

E lium facere, quoniam non faciunt hoc propter Dominum, fiunt miseri: & si qua recondita profiteantur diuini consilij, mentiuntur, eo quòd ipsorum opera non lucis sunt, sed tenebrarum ac noctis. Visum est nobis paucis exponere prophetiam, & aliqua ex parte illius enarrationem proferre: quoniam illius meminit Matthæus, meminit & Marcus. Ex quo vtiliter accommodabimus de transgressione seniorum, qui decretum fecerant, lauandas esse manus, quoties Iudæi comederent panem, eáque eo loco sic habent. Nam Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus non comedunt, seruantes traditionem seniorum, & à foro redeuntes, nisi lauerint, non sumunt cibum. Et alia nonnulla sunt, quæ seruanda sunt acceperant, lotiones poculorum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.

Quæ res impurum hominem reddant vel nõ reddant.

Rom. 2.

Et cùm aduocasset turbas, dixit illis: Audite & intelligite: reliquáque quæ sequuntur.] Palàm per hæc à Seruatore docemur, cùm legimus in Leuitico & in Deuteronomio, quæ de mundis & immundis dicuntur, de quibus nos vt transgressores accusant corporales Iudęi, & minimum ab his differentes Ebionæi, ne putemus scripturæ scopum esse, sensum hisce de rebus obuium. Nam si non quod ingreditur in os, coinquinat hominem, sed quod egreditur ex ore, maximéque posteaquam hęc Seruator apud Marcum locutus est, purificans omne ciborum genus: perspicuum est nos non inquinari vescentes iis, quę Iudęi literæ Legis seruire volentes, aiunt esse immunda. Tunc

Tit. 1.

F autem inquinamur, quoties cùm oporteat labia ratione vincta esse, cúmque oporteat nos iis quę loquimur iugum ac stateram adhibere, loquimur quidem quę nihil ad rem faciunt, cogitamus autem quę non oportet, quibus ex rebus nobis fons oritur peccatorum. Ac decet sanè Dei legem vt vetet ea quæ pertinent ad malitiam, eáque pręcipiat, quę faciunt ad virtutem: cęterum quę suapte natura sunt indifferenter, hęc suo loco relinquere, cùm possint ex animi nostri proposito, rationéque, si per delictum agantur, mala fieri, si cum officio gerantur, rectè fieri. Hęc autem quisquis attentè considerauerit, videbit etiam illa quę videntur esse bona, posse si quis ea malè & ex prauo animi affectu susceperit, cum peccato fieri: & quę dicuntur impura si his iustas ob causas fuerimus vsi, posse pro puris haberi. Quemadmodum enim Iudęi peccantis circumcisio pro pręputio habebitur, contra Gentilis rectè agentis pręputium pro circumcisione: sic & quę pura creduntur pro impuris imputabuntur ei, qui non vt oportet, neque quando oportet, neque quantum oportet, neque vnde oportet illis vtitur: sed quę dicuntur immunda, omnia sunt munda mundis. Nam inquinatis & incredulis nihil mundum, quoniam inquinata est illorum & mens & conscientia, & hæc inquinata reddunt impura omnia quęcunque tetigerint. Quemadmodum è diuerso pura mens & pura conscien-

G tia, omnia pura reddit, etiam si videantur esse impura. Non enim ob lasciuiam, nec ob voluptatis amorem, neque cum hæsitatione in vtramque partem trahente, iusti vtuntur cibis aut potu, memores dicti Paulini, Siue editis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, in gloriam Dei facite. Quòd si designanda sunt, quæ sint iuxta Euangelium impura cibaria, dicemus hæc esse, quæ per auaritiam ac fraudem comparata sunt, turpísque lucri studio accumulata. Item quæ voluptatis gratia sumuntur, ac ventris causa, quem honorando Deum facimus, quoties ipse venter & huius appetitus, potiùs quàm ratio dominatur animæ nostræ. Quinetiam si sciamus aliquem dæmonum vsum commercio, aut si nesciamus quidem, suspicemur tamen, déque hoc hæsitamus, si talibus fuerimus vsi, non in gloriam fuerimus vsi, neque in nomine Christi, nimirum non modò opinione, qua creduntur esse simulachris immolata, condemnante vescentem, verumetiam hæsitatione super hac re. Etenim quisquis hæsitat, iuxta Apostolum, si comederit, condemnatur est, quoniam non vescitur ex fide. Quicquid autem ex fide non est, peccatum est. Ex fide igitur vescitur, qui quod editur credit non fuisse immolatum in sacrificiis idolorum, neque suffocatum esse, aut sanguinem. Cæterum non ex fide vescitur, qui de horum aliquo dubitat, & tamen

Cibaria impura. — *Rom. 14.*

H fit particeps dæmoniorum, qui quum sciat hæc dæmoniis immolata, nihilo secius vtitur, idque cum polluta imaginatione, de dæmoniis eius sacrificij consortibus. Quanquam Apostolus quum sciret non ciborum naturam esse in causa, vt lædatur vtens, aut iuuetur abstinens, sed opiniones, quæque in his subest ratio, dixit, Cibus autem nos non commendat deo. Neque enim si comederimus abundauimus, neque si non comederimus, aliquid deerit nobis. Et quoniam nouerat eos, qui sublimiùs intelligebant, secundum Legem quædam esse pura, quædam impura, neglexisse discrimen in vtendis cibis, vt mundis aut immundis contempta superstitione in rebus, vt opinor, indifferentibus, ne discrimen facerent in vsu cibariorum, & hanc ob causam à Iudæis, veluti legis transgressores iudicatos, ideo dixit alicubi, Ne quis igitur iudicet nos in cibo & potu: & quæ sequuntur: docens nos ea quę iuxta scriptum legis sunt vmbram esse: cæterum veros legis sensus in his reconditos, futura esse bona, in quibus reperire licet quæ sint escæ mundæ animæ, videlicet spirituales: & rursus quæ immundæ in verbis mendacibus & veritati contrariis, lędentes eum qui his alitur. Vmbram enim habebat Lex futurorum bonorum. Quemadmodum autem in multis animaduertendum est, id quod admirabantur Iudæi, quum in Seruatoris dictis dicerent inesse potestatem, sic & in his quæ tractantur hoc loco. Turbam itaque quum ad se vocasset, dixit illis.

Coloss. 3.

I A V D I T E & intelligite: & reliqua quæ sequuntur.] Et hoc dicebat quum Pharisæi hoc sermone offenderentur, quippe qui ob prauas opiniones, humilémque Legis intellectum, non essent plantatio, quam plantauerat pater ipsius cęlestis, & ob id eradicabantur. Eradicati sunt enim, eo quòd non receperunt à patre agricola satam veram vitem, Iesum Christum. Quînam poterant esse plantatio patris, qui Iesu verbis offendebantur, dehortantibus quidem ab illis, Ne tetigeris, neque gustaueris, neque contrectaris: quæ erant omnia in corruptionem ipso abusu, iuxta præcepta ac doctrinas hominum, sed allicientibus intelligentem sui auditorem ad quærendum super his ea quæ sursum sunt, non quæ super terram, quemadmodum faciebant Iudæi. Et quoniam ob peruersas opiniones Pharisæi non erant plantatio patris, qui in cœlis est, ideo relictis illis velut insanabilibus, loquitur discipulis, Sinite illos, Sinite, propterea quod quum sint cæci, debeántque sentire cæcitatem suam, ac vitæ duces quærere, carentes sensu cæcitatis, profitentur etiam se duces esse cæcorum, non reputantes futurum vt in foueam inciderent: de qua scriptum est in Psalmis: Lacum cauauit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Alibi quidem igitur scriptum est, quòd cùm vidisset turbas, ascendit in montem, & quum consedisset, accesserunt ad eum discipuli ipsius. Hîc autem extendit manus ad turbam aduocans illam ad se, & abducens ab intellectu præscripto quæstionum Legis, vbi primùm quidem dicebat illis: Audite & intelligite, cùm nondum intellexissent quæ audierant: pòst autem in parabolis loquebatur illis: Non quod ingreditur in os, inquinat K hominem, sed quod egreditur. Post hæc operæ precium est videre, quæ dicuntur ab istis qui calumniantur, non esse eundem Deum Legis & Euangelij Iesu Christi. Nam hi dicunt non esse Iesu patrem cœlestem, plantatorem eorum, qui iuxta Mosis legem videntur Deum piè colere: ipse Iesus dixit, Pharisæos qui colebant Deum, qui condidit mundum ac Legem, non esse plantationem, quam plantasset pater ipsius cœlestis, atque ob eam causam eradicari. Dixerit autem aliquis & hæc, etiamsi esset pater Iesu, is qui induxit ac plantauit ab Ægypto egressum populum, in montem hæreditatis suæ, in paratum habitaculum ipsius, tamen dicere poterat Iesus de Pharisæis: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Ad hæc autem respondebimus: Quicunque ob peruersum legalium scriptorum intellectum non fuerunt plantatio patris cœlestis, hi mente erant excæcati, quippe non credentes veritati, sed consentientes iniustitiæ, excæcati, inquam, ab eo quem ipsi Deum fecerant, filiorum huius seculi. Eóque cùm dicitur apud Paulum Deus seculi huius, ne putes Paulum illum verè Deum dicere. Quemadmodum enim venter quum non sit Deus, tamen voluptatibus deditorum, qui pluris faciunt voluptatem quàm amorem Dei, à Paulo dicitur Deus: sic & qui non est Deus princeps huius seculi, de quo dicit Seruator: Princeps mundi huius iudicatus est: Deus esse dicitur eorum, qui recusant accipere Spiritum adoptionis filiorum Dei, vt fierent filij seculi illius ac resurrectionis ex mortuis, & propter hoc perseuerarunt in conditione filiorum huius seculi. Hæc tametsi per digressionem dicta sunt, tamen mihi videntur vtiliter assumpta propter hæc verba, Cæci sunt duces cæcorum. Qui tandem? Nimirum Pharisæi, quorum Deus huius seculi sensus excæcauit, eo quòd sunt increduli, quia noluerunt credere in Iesum Christum: & excæcauit illos, ne illis splendesceret lux Euangelij gloriæ Dei in facie Christi. Non solùm autem cauendum est, ne ab illis ducamur cæcis, qui sentiunt sibi opus esse ducibus, eo quòd nondum acceperint vim per se videndi, verumetiam ab omnibus, qui profitentur se duces in sana doctrina, diligenter oportet auscultare, sanúmque loquentibus iudicium adhibere, ne fortè si secundum ignorantiam cæcorum, nec perspicientium ea quæ sunt sanæ doctrinæ ducamur, reddamur & ipsi cæci, non cernentes scripturarum intellectum, vt ambo, tum qui ducit, tum qui ducitur, incidant in foueam, de qua diximus. Post hæc scriptum est, quomodo Petrus respondeat Seruatori, tanquam non intelligens illud, Non quod ingreditur in os inquinat hominem, sed quod egreditur ex ore, dicens:

Cōtra Marcionem & Basilidem & Valentinū. — *Philip. 3.* — L

M E X P O N E nobis parabolam. Ad quod Seruatur ita respondit: Adhuc & vos intelligentia caretis?] Quasi diceret, Quum tantum temporis mecum vixeritis, nondum intelligitis quid sibi velint ea quæ dicuntur, & nondum intelligitis, ideo non polluere hominem quod ingreditur in os eius, quoniam in ventrem abit, & hinc pergens in secessum proiicitur. Non iuxta Legem cui credere videbantur, non erant plantatio patris Iesu, Pharisæi, sed iuxta peruersam de Lege déque in ea scriptis intelligentiam. Quum enim duo intelligantur in Lege: ministratio mortis impressa literis, neque quicquam habens affinitatis cum spiritu: & ministratio vitæ, quæ intelligitur in spirituali lege: qui poterant affectu veraci dicere illud Pauli, Nouimus enim quod lex spiritualis est, & ideo lex sancta, & præceptum sanctum ac iustum bonúmque: hi erant plantatio, quam plantauerat cœlestis pater. Contra qui tales non erant, sed occidentem tantum literam amplectebantur, non erant plantatio Dei, sed eius qui excæcauerat illorum cor, qui velamen imposuerat illi, quod valuit in illis, donec non conuerterentur ad Dominum. Nam si quis conuersus fuerit ad Dominum ab hoc tollitur velamen. Dominus autem spiritus est. Dixerit autem quispiam in hunc incidens locum, quod sicut quod ingreditur in os, non polluit hominem, etiam si putetur à Iudæis pollutum: ita quod ingreditur in os, non sanctificat hominem, etiam si à simplicioribus credatur sanctificare, nimirum is, qui vocatur panis Domini. Et est, ni fallor, oratio non contemnenda, eóque

Rom. 7. — *1. Cor. 11.*

que

A que desiderans dilucidam expositionem, quæ mihi quidem talis esse videtur. Quemadmodum non cibus, sed conscientia cum hæsitatione vescentis polluit edentem, eo quod qui hæsitat, si vescatur, iudicatus est, quia non ex fide. Et quemadmodum nihil est impurum per se, polluto & incredulo, sed propter ipsius immundiciem & incredulitatem: ita quod sanctificatur per verbum Dei, & per obsecrationem, non suapre natura sanctificat vtentem. Nam id si esset, sanctificaret etiam illum, qui comedit indigne Domino, neque quisquam ob hunc esum infirmus aut ægrotus fuisset, aut obdormisset. Nam tale quiddam Paulus demonstrat, quum ait: Propter hoc inter vos infirmi, & male habentes, & dormiunt multi. Proinde etiam in pane Domini tum vtilitas est vescenti, quum impolluta mente puráque conscientia, particeps est panis illius. Sic quod ad esum per se attinet, nec ex hoc quia non edimus de pane verbo Dei & per obsecrationem sanctificato, fraudamur aliquo bono, nec ex edendo abundamus aliquo bono. Siquidem causa defectus, est malitia peccatáque, & abundantiæ causa est iustitia ac recte facta: vt tale sit quod dicitur apud Paulum, his verbis. Neque si comederimus abundabimus, neque si non comederimus, minus habebimus. Quòd si quicquid ingreditur in os, in ventrem abit, & in secessum eiicitur, & ille cibus qui sanctificatur per verbum Dei, pérque obsecrationem, iuxta id B quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum eiicitur: cæterum iuxta precationem quæ illi accessit pro portione fidei fit vtilis, efficiens vt perspicax fiat animus, spectans ad id quod vtile est. Nec materia panis, sed super illum dictus sermo est, qui prodest non indigne Domino comedenti illum. Et hæc quidem de typico symbolicóque corpore. Multa porrò & de ipso verbo dici possent, quod factum est caro, verúsque cibus, quem qui comederit, omnino viuet in æternum, quem nullus malus potest edere. Etenim si fieri possit, vt qui malus adhuc perseueret, edat verbum factum carnem, quum sit verbum & panis viuus, nequaquam scriptum fuisset: Quisquis ederit panem hunc, viuet in æternum. Deinceps illud videamus, quomodo quæ egrediuntur & polluunt hominem, non ob id quod ex ore progrediantur, polluunt hominem, sed causam polluendi habent in corde, quum egrediantur ex corde, ante illa quæ egrediuntur per os, cogitationes malæ, quarum species sunt, cædes, adulteria, scortationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Nam hæc sunt, quæ polluunt hominem, quum egrediuntur ex corde, & hinc egressa proficiscuntur per os: vt si non prodissent foras à corde, sed inibi circa cor fuissent cohibita, nec permissum esset illis per os loqui, celerrime fuissent abolita, nec amplius pollueretur homo. Fons i- C gitur & origo omnis peccati sunt prauæ cogitationes. Nam hæc si non vicerint, nec homicidia, nec adulteria, nec aliud quicquam talium malorum erit. Quapropter omni custodia seruandum cuique suum cor. Etenim in die iudicij, Dominus vbi venerit, illuminabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: interim omnibus cogitationibus homines accusantibus aut excusantibus, quum illos circumsteterint consilia ipsorum. Tales autem sunt malæ cogitationes, vt interdum quæ videntur bona, & iuxta vulgi iudicium probanda, reddant improbanda. Itaque si facimus eleemosynam coram hominibus, aliud in cogitationibus nostris spectantes, vt hominibus videamur humani, & humanitatis nomine gloriam aucupemur, recepimus ab hominibus mercedem. Atque in vniuersum, quicquid ita fit, vt facientis conscientia expectet gloriam ab hominibus, non habet fructum ab eo qui videt in occulto, redditque mercedem in iis, qui in occulto puri sunt. Sic igitur & quæ videtur esse puritas, si cogitationes habeat spectantes inanem gloriam, aut lucri studium: quin & doctrina quæ putatur ecclesiastica, si in verbo per illiberalem adulationem, aut causa lucri fiat, aut quærat aliquam ab hominibus doctrinæ nomine gloriam, non est probata ab his quos Deus posuit in ecclesia: primum quidem apostolos, deinde prophetas, tertio doctores. Similia vero dices de eo, qui desiderat Episcopi munus ob parandam apud homines gloriam, aut ab hominibus adulationem, aut ob quæstum capiendum ex his

Caue. Nam panis domini suapte natura sanctificat, per accidens. i. vitio indigne sumentium, non vtentem.

Ioan. 6.

qui accedunt verbo, dántque causa pietatis. Talis igitur episcopus non desiderat bonum opus, neque potest esse sine crimine, neque vigilans, neque sobrius, quum sit ebrius gloria, qua se intempestanter ingurgitauit. Idem vero & de presbyteris & de diaconis dices. Hæc autem tametsi videmur per digressionem dixisse, vide tamen, an necessario dicta sint, propterea quod omnium peccatorum fons sunt prauæ cogitationes, quæ polluere possunt & ea, quæ iustificatura fuerant facientem, si sine his fierent. Quæ sint igitur quæ polluunt, pro viribus nobis exposita sunt. Cæterum illotis manibus edere, non inquinat hominem, sed si libere dicendum est, inquinat illoto corde, quouis cibo, quouis tempore vesci, quem solet edere nostra ratio. D

De Chananæa.

ET egressus inde Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis, & ecce mulier Chananæa.] Vnde inde? nisi quòd à Genesareth, de qua prædictum est: Et trāsmisso lacu, venerunt in terram Genesareth. Secessit autem fortassis, quòd offenderentur Pharisæi posteaquam audierant, non quod ingreditur, sed quod egreditur inquinat hominem. Quòd autem ob eos qui clàm cogitabant insidias, dixerit, Secessit: liquet ex his verbis. Quum audisset, quòd traditus esset Ioannes, secessit in Galilæam. Fortasse propter hoc & Marcus referens hunc locum, ait: Surgens, venit in fines Tyri, & ingressus in domum, neminem volebat scire: probabili coniectura, quòd Pharisæos doctrina ipsius offensos declinauit, expectans magis idoneum pulchréque præfinitum patiendi tempus. Dixerit autem quispiam, Tyrum & Sidonem pro gentibus esse dictas. Secedens igitur ab Israele, ad gentium partes accedit. Tyrus quidem apud Hebræos sonat, idem quod nobis Venantes. Inter gentes autem venantes etiam sunt improbæ potestates, & apud easdem vehemens est constrictio, à malitia & cupiditatibus proficiscens. Quum igitur venisset Iesus in Genesareth, secessit quidem ab Israele, venit autem non in Tyrum ac Sidonem, sed in partes Tyri ac Sidonis, eo quòd nunc ex parte credunt gentes. Quòd si in totam Tyrum ac Sidonem peruenisset, nullus in ea relictus fuisset incredulus. Iuxta Marcum verò: Surgens Iesus venit in fines Tyri & Sidonis, quod est confinium gentium, vt & ex illis finibus seruari possent credentes, posteaquam fuissent eos egressi. Obserua enim illud: E

ECCE mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamabat dicens: Miserere mei, fili Dauid, filia mea grauiter torquetur à dæmonio.] Et arbitror, quòd si non fuisset egressa à finibus illis, non potuisset clamare ad Iesum, videlicet ex ingenti fide, F quod ipsius Iesu testimonio probatur. Et sanè iuxta portionem fidei, egreditur quis à finibus gentium, quos cùm diuideret gentes Altissimus, statuit iuxta numerum filiorum Israël, vetans ne longiùs proferrentur. Hîc igitur fines quidam dicti sunt Tyri & Sidonis. In Exodo verò fines Pharaonis, in quibus, vt aiunt, fiunt aduersus Ægyptios flagella plagæque. Et quidem existimandum est, quemque nostrum vbi peccat, in finibus esse Tyri ac Sidonis, siue Pharaonis, siue Ægypti, aut alterius cuiuspiam, qui sit extra Dei distributionem. Rursus vbi mutatur à malitia ad virtutem, egreditur è viciorum finibus, venit autem in fines partis Dei. Quanquam & in his est differentia, quæ perspicua est iis qui quæ de partitione ac distributione sortium Israël scripta sunt, possunt per similitudinem ad legem spiritualem accommodare. Animaduerte vero, quomodo Iesus velut occurrit mulieri Chananææ. Nam ille quidem egreditur in fines Tyri & Sidonis, illa vero egressa à finibus illis clamabat dicens, Miserere mei fili Dauid. Chananæa porrò erat mulier, quod translatum sonat, paratam dimissioni. Iusti quidem parati sunt regno cœlorum, & exaltationi, quæ est in regno cœlorum. Contrà peccatores parati sunt deiectioni malitiæ, quæ in illis est, & factis quæ ex malitia proficiscuntur præparantibus eos illi, se peccato, quod regnat in illorum mortali corpore. Veruntamen Chananæa egressa à finibus illis, exierat ab eo quod parata fuerat deiectioni, clamans ac dicens, Miserere mei

Imo verò Tyrus sonat petrā. rupē, Sidon autē venantem, aut potius piscantem.

Deut. 32.

G Domine fili Dauid. Collige vero ex euangeliis, quidam appellant eum filium Dauid, velnti cæci, qui erant io Hiericho: quidam vero filium Dei, idque bifariam, vel non addito aduerbio, vere, ſicut qui à ſpiritibus agitabantur, Quid nobis recum eſt rei fili Dei? vel addita hac dictione, verè, velut in naui adorantes illum dicebant ei, Vere Dei filius es. Etenim vtilis, ni fallor, tibi fuerit horum collectio, ad perſpiciendum differentiam eorum, qui accedunt ad Ieſum. Quidam accedunt velut ad eum qui natus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem: quidam rurſus velut ad declaratum filium Dei in virtute iuxta ſpiritum ſanctificationis: & horum alij accedunt cum hac adiectione, verè: alij contrà ſine hac adiectione. Deinde attende & illud, quod Chananæa non pro filio, quem ne genuiſſe quidem adhuc videtur, ſed pro filia interpellabat, grauiter dæmonio laborante. Altera vero mater filium, qui efferebatur mortuus recepit viuum. Et rurſus archiſynagogus pro filia ferè duodecim annorum nata, rogat veluti iam mortua. Regulus autem pro filio, velut adhuc ægrotante, & mox morituro. Itaque filia dæmonio obnoxia, & filius mortuus, duarum erant matrum: & filia mortua, & filius ad mortem vſque laborans, duorum erant patrum, quorum alter erat archiſynagogus, hoc eſt, ſynagogæ princeps, alter erat regulus. Habent autem hæc, vt arbitror, materiam loquendi de variis animarum generi-

Rom. 1. *Ariani.*

H bus quas Ieſus viuificans ſanat, imò omnia mala quæ ſanat in populo, præcipue quæ ab Euangeliſtis ſcripta ſunt, tum quidem facta ſunt, vt qui alioqui non credunt, niſi viderint ſigna & prodigia, crederent. Si quidem ſymbola quædam erant, quæ tunc gerebantur, eorum quæ ſemper Ieſu virtute perficiuntur. Nunquam enim vnumquodque eorum quæ ſcripta ſunt de potentia Ieſu, non fit iuxta cuiuſque dignitatem. Itaque quod ad genus quidem attinet, Chananæa non erat digna, quæ vel reſponſum impetraret à Ieſu, profitente ſe non ad aliud eſſe miſſum à patre, niſi ad oues perditas domus Iſrael, genus animarum perſpicacium, perditum. Verum ob animi propenſionem, & adorando Ieſum filium Dei, reſponſum impetrauit, dum ipſa prodit ſui generis ignobilitatem, dúmque ſuam ipſius indignitatem profitetur, quod micis vt catella, non panibus eſſet digna. Vbi vero intendiſſet inſtanter animi voluntatem, & approbato Ieſu ſermone, ſeipſam ſuo iudicio huc deiicit, vt veluti catella ſaltem micis potiatur, fatetúrque dominos eſſe qui generoſiores erant: tunc impetrat reſponſum alterum, quod teſtimonio ſuo comprobat ingentem eſſe ipſius fidem, pollicetúrque futurum illi quod vult. Arbitror autem per ſimilitudinem relatum ad ſupernam Hieroſolymam liberam, matrem Pauli, Paulóque ſimilium, intelligendum Chananæam eſſe matrem puellæ grauiter à dæmonio vexatæ, quæ

Iſrael interpretatur vir videns Deum, quia Hebræi docebant ſonare, vir prænales Deo.

I ſymbolum eſt matris talis animæ. Simul inſpice, an eum ratione congruat, eſſe plures patres ac plures matres, vt reſpondeant patribus Abrahæ, ad quos abiit patriarcha, & Hieroſolymæ matri, vt Paulus loquitur de ſeipſo, déque ſui ſimilibus. Conſentaneum eſt autem egreſſam hanc, cuius ſymbolum eſt Chananæa, à finibus Tyri & Sidonis, quorum figuræ erant illius terræ loca, veniſſe ad ſeruatorem, rogaſſéque eum, & nunc etiam rogare dicentem, Miſerere mei Domine fili Dauid, filia mea grauiter à dæmonio vexatur. Poſt hæc is qui & illis qui foris ſunt, ac diſcipulis, quum opus eſt reſpondet, dicebat: Non ſum miſſus, docens eſſe quaſdam animas præcipuas & intelligentes ac perſpicaces, ſed perditas, quæ per tropum dicuntur oues domus Iſraël: quæ ni fallor, ſimpliciores exiſtimantes de Iſraël carnali eſſe dicta, neceſſario & illud adiungent, quòd ſeruator noſter miſſus fuerit à patre non ad alios quàm ad illos Iudæos qui perierant. Nos autem qui gloriamur nos vere dicere, Et ſi Chriſtum aliquando iuxta carnem cognouimus, nunc tamen non amplius cognoſcimus, ſcimus verbi præcipuum opus eſſe, ſeruare eos qui ſunt intelligentiores. Hi ſiquidem ſunt illi magis familiares quàm cæcutientes. Sed quoniam oues perditæ domus Iſraël, præter reliquias, quæ erant ſecundum electionem gratiæ, non crediderunt verbo, propterea elegit ſtulta mundi, videlicet eum qui non erat Iſraël, neque perſpicax, vt confundat ſapientes Iſraël: & vo-

Gal. 4.

1. Cor. 5.

cauit ea quæ non ſunt tradens illis gentem intelligentem, K quæ potuit capere ſtultitiam prædicationis: & placuit illi ſeruare credentes huic, vt confutaret ea quæ ſunt, ex ore infantium & lactentium perficiens ſibi laudem, poſteaquam illa facta eſt inimica veritati. Veniens autem Chananæa adorauit Ieſum vt Deum dicens, [Domine ſuccurre mihi. At ille reſpondens ait: Non licet ſumere panem filiorum, & proiicere canibus.] Quæret autem aliquis, quid & hic ſibi velit ſermo. Quoniam quum adeſſet ea menſura panum, vt non poſſent ſimul & filij comedere panes, & catelli familiæ, aut alij præterea panem bene confectum, fieri non poterat iuxta congruentem rationem, vt canibus in cibum darent panem filiorum bene confectum. Nihil autem tale videtur in Ieſu potentia, à qua poterant & filij participes eſſe, & qui dicuntur catelli. Vide igitur num forte ad hoc quod ſcriptum eſt, Non licet ſumere panem filiorum, illud referendum ſit, quod qui exinaniuit ſemetipſum, ſerui formam accipiendo, menſuram poteſtatis, iuxta quam capiebat ea quæ ſunt in mundo, portarit, à qua virtute etiam ſenſerat aliquantam portionem à ſe exiſſe, quod dilucet ex eo quòd ait, Tangit me aliquis. Nam ego noui virtutem exiſſe à me. Ex hac igitur menſura virtutis diſpenſabat, iis quidem qui præminebant, vocabantúrque filij, plus addens: rurſus iis qui tales non erant, minus nimirum canibus. Quanquam autem hæc ſic habebant, nihilominus quum eſſet magna fi- L des, dedit panem filiorum, vt filio, ei quæ propter generis ignobilitatem in Chananæa fuerat canis. Fortaſſis autem ſunt etiam panes aliqui verborum Ieſu, quos ſolis ratione præcellentibus, vt filiis dare fas eſt. Item alij ſermones ſunt, veluti miculæ, de magno conuiuio, déque menſa nobilium ac dominorum, quibus animæ nonnullæ vtuntur vt canes: etiam iuxta Moſi legem de quibuſdam ſcriptum eſt, vt ea canibus proiicerentur. Et cura fuit ſpiritui ſancto, præcipere de nonnullis eſcis, vt canibus relinquerentur. Alij quidem igitur peregrini ab eccleſiaſtico ſermone alieni, opinantur animas à corporibus hominum migrare in corpora canum, iuxta differentiam vitiorum. Nos vero nequaquam hoc comperientes in ſcriptura diuina, dicimus quod affectus rationalis mutatur in brutum, tale quiddam patiens ex multa ſocordia negligentiáque. Similiter autem & bruta voluntas ob neglectam rationem, nonnunquam conuertitur in hoc vt fiat rationalis: vt qui prius erat canis, amans comedere de micis cadentibus de menſa dominorum ſuorum, veniat in ſtatum filij: vehementer enim conducit virtus quidem ad hoc, vt fias filius Dei, malitia contra, multáque graueolentia in verbis contumelioſis, & impudentia valet ad efficiendum vt quis iuxta ſcripturæ ſermonem vocetur canis. Porrò ſimilia cogitabis de cæteris item nominibus reliquo- M rum brutorum animantium. Verum enimuero, qui reprehenſus vt canis non indigne fert, quod dicitur indignus pane filiorum, omníque cum tolerantia loquitur verbis Chananææ illius, ac dicit, Etiam Domine, Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum: impetrabit manſuetum reſponſum, Ieſu ipſi dicente, Magna eſt fides tua: poſteaquam approbata tali fide, dixerit, fiat tibi ſicut vis: vt & ipſe ſanetur, & ſi quem fructum genuerit, cui opus ſit ſanatione, hic quoque ſanetur.

Exod. 22. in fine.

μετεμψύχωσις aliena à fide. hunc locum citat Pamphilus Martyr in Apologia pro Origene, vltima criminatione.

De turbis ſanatis.



Et quum tranſiſſet Ieſus illinc, haud dubiū quin ex his locis quæ dicta ſunt, nimirum à partibus Tyri & Sidonis, venit iuxta mare Galileę, quod vulgato nomine dicitur ſtagnum Geneſareth. Vbi cùm aſcendiſſet montem, conſedit. Poſſit igitur dici, quòd in montem eum, vbi ſedet Ieſus, non ſolùm aſcendūt, qui ſani ſunt, verumetiam cum ſanis hi qui diuerſis laborāt malis. Et fortaſſis hic eſt mons, quæ vulgatiore vocabulo dicitur Eccleſia, erecta per verbum Dei, vltra reliquā terram, ſupráque eos qui in terra degunt. Quòd aſcēdunt non diſcipuli, relictis turbis, quemadmodum factum eſt, cùm doceret beatitudines: ſed multæ turbæ, quæ ipſæ quidem non accuſantur, quòd ſurdæ ſint, aut aliquo affectæ malo, ſed ha-

Allegoria de eccleſia, quæ inſtar montis eſt exaltata, et

bent

A bent secum tales. Etenim videre est cum turbis accedentibus ad hunc montem, vbi sedet filius Dei, quosdam surdos ad ea quæ repromittuntur, alios animo cæcos, non cernentes veram lucem: rursus alios claudos, nec valentes iuxta rationem ingredi: item alios mutilos & mancos, non valentes iusta rationem operari. Isti igitur quorũ animus talibus malis tenetur, quique cum turbis in montem conscenderant, vbi erat Iesus, quàm diu non erant ad pedes Iesu, non sanabantur ab illo. Cæterum vbi qui talibus morbis erãt obnoxij, proiecti fuerint à turbis ad pedes eius, & ad extrema corporis Christi, ne hoc quidẽ honore digni, quod quidem ad ipsos attinet, tunc demũ ab eo sanãtur. Et quum videris in frequentia, quæ verbo vsitatiore dicitur Ecclesia, proiectos post extremos Ecclesiæ, velut ad pedes Ecclesiæ, quę est corpus Iesu, catechumenos, qui aduenerant cũ sua surditate, cæcitate, claudicatione ac debilitate progressu tẽporis sanari per verbum: non aberraris, si dixeris tales ascendisse cum turbis ecclesię in montem vbi erat Iesus: proiectósq; ad pedes illius & sanatos ab illo, ita vt Ecclesię turba miretur, conspiciens illos à tantis malis ad meliora mutatos, vt dicere possit, Qui prius erant muti, postea loquuntur verbum dei, qui claudi, ambulant. Interim completur & Esaiæ prophetia, non tantùm in corporalibus, verumetiam in spiritualibus, ita dicentis: Tunc saliet vt

multos in firmos Christo sanãdos obuert.

Catechumeni.

Esa. 35.

B ceruus qui claudus erat. Fatebimur haud frustra, ceruo animãti puro, ac serpentium hosti, quódq; nihil ab illorum veneno lędi potest, cõparatos esse qui prius fuerant claudi, & propter Iesum saliunt vt ceruus. In hoc autẽ quòd loqui videntur, qui prius fuerant muti, completur prophetia quæ dicit: Et expedita erit lingua balborum: aut illa potius quæ dicit: Surdi audite. Cæci verò recipiunt visum, iuxta prophetiam, quæ mox sequitur: Surdi audite, & cæci recipite visum, vt cernatis. Vident autẽ cæci, quum cernentes hunc mundũ immensa pulchritudine rerum conditarum, collatione facta conspicantur & ipsum mundi opificem: quúmque inuisibilia ipsius dei ex creatione mũdi, quæ ea operibus intelliguntur, contẽplantur hoc est diligenter & euidẽter cernunt & intelligunt. Hæc autem videntes turbæ, glorificabãt Deũ Israel, & hodie glorificant persuasi, quòd ipse est pater eius qui sanauit eos, de quibus antè dictum est, & Deus Israel. Non enim Iudæorũ tantùm Deus est, sed & gentium. Subuehamus igitur vobiscũ in montem vbi cõstituit Ecclesiam suã Iesus, eos qui nobiscum volunt ascendere, nimirum mutos, cæcos, claudos, mancos, aliósq; multos proiiciamus illos ad pedes Iesu, vt sanet eos, vt super horum sanatione mirentur turbę. Non enim scriptũ est discipulos talia mirari, quãquam etiam tunc præsentes, quod claret ex eo quod scriptum est: Iesus autẽ ad se vocatis discipulis suis, dixit: Misereor super turbã: & cætera quæ sequun-

Rom. 1.

C tur. Fortassis autem si diligenter attenderis huic dicto: Accesserunt ad eum turbæ multę: cõperies quòd discipuli tum non accesserint ad eum, sed vt olim cœperant illum sequi, ita & in montem sequuti sunt eum. Sed accesserunt ad eum qui erant discipulis inferiores, quiq; tum primùm ad illũ venerant, non iisdem obnoxij malis, quibus tenebantur ij qui cũ ipsis ascenderant. Obserua verò & illud in Euãgelio, de quibusdam esse scriptum, quòd sequuti fuerint Iesum, de quibusdam rursus quòd accesserint ad eum, de quibusdam autem quòd adducti fuerint, postremò de quibusdam, quòd diuisi sint in præcedentes, & sequentes. Ad hæc ex his qui accesserunt ad eũ, quidam accesserunt in domo, quidam accesserũt ad eum alibi versantem. Multa namque comperies ex obseruatione, spiritualia spiritualibus comparans, digna exacta sapientia quæ latet in Euangeliis.

De septem panibus.



IESVS autem vocatis ad se discipulis suis, dixit.] Superiùs quidem in simili de panibus historia, ante nominatos panes, egressus Iesus, vidit turbam multã & affectu misericordiæ cõmotus est erga illam, & sanauit ægrotos illorũ. Vespere autẽ facto, accesserunt ad eum discipuli ipsius dicentes: Desertus locus, & hora iam præterijt, dimitte eos: & cętera quæ sequuntur. Nunc verò post sanationem mutorũ, ac re-

Cõfert narrationes.

liquorum, affectu misericordiæ mouetur erga turbã, quæ tri- D duo iam adhęserat ipsi, nec habebat quod ederet. Et illic quidem discipuli, pro quinq; millibus interpellabãt dominũ, hîc autem vltrò de quatuor millibus loquitur. Et illic quidẽ vespere pascuntur, diẽ apud illum cõmorati: hîc verò de quibus testatum est, quòd triduum apud ipsum manserint, participes fiunt panum, ne deficiant in via. Et illic quidẽ discipuli non percontanti, fatentur se tantum habere quinq; panes & duos pisces, hîc verò percontãti respõdent, de septẽ panibus & septem pisciculis. Atq; illic quidem iubet turbas accumbere, siue considere in gramine: nam Lucas scripsit, Facite illos discumbere: Marcus item, Præcepit, inquit, illis, vt facerent discumbere: hîc verò non præcipit discipulis, sed turbæ dicit, vt discumbant. Rursus illic iisdem verbis tres Euangelistæ dicunt, quòd acceptis quinque panibus & duobus piscibus sublatis in cœlũ oculis, benedixit: hîc sicuti scribunt Matthæus & Marcus, cùm gratias egisset Iesus, fregit. Et illic quidem in gramine discumbunt, hîc verò discumbunt in terra. Sed quæres quod apud Ioannem de locis variarum est qui in factis illius narratione scripsit, dixisse Iesum; Facite homines discumbere, quódque cùm benedixisset dederit discumbentibus de panibus huius autem facti omnino non meminit. Considerans itaque differentiam secundum loca, eorum quæ scripta sunt de panibus, hos puto excellentioris ordinis esse, quàm il- E los: eo quòd hi quidem in mõte aluntur, illi verò in loco deserto. Et hi quidem posteaquam triduum permanserant apud Iesum, illi verò vnicum commorati diem, in cuius vespera pasti sunt. Insuper autem si non idem est, & si quid interest, verbum ex sese faciat Iesus, an faciat à discipulis admonitus, vide num antecellant, qui ab ipso Iesu beneficium accipiunt, qui protinus benefaciẽdo pauit eos. Sin iuxta Ioannem hordeacei erãt panes, vnde superfuerunt duodecim cophini, quanquam nihil de his dicitur, an non hi prioribus illis sunt potiores? & illorum quidem ægrotos sanauit: hîc verò eos qui cum turba venerant sanat, non ægrotos, sed cæcos & claudos, mutos ac debiles. Eòque & super his admirantur quatuor millia, quum de ægrotis illis tale nihil dictũ sit. Præstantiores autem sunt ni fallor, qui comederunt de septem panibus, pro quibus sunt actæ gratiæ, iis qui comederunt de quinque super quos facta est benedictio: & qui comederunt de paucis pisciculis potiores sunt illis, qui comederũt ex duobus. Fortassis & hi qui discubuerunt super terram. Et illi quidem de paucioribus panibus duodecim cophinos relinquũt, hi verò de pluribus septem sportulas, eò quòd plurium essent capaces. Ac fortassis hi superiores sunt omnibus terrenis, & discumbunt super illa. Illi verò super gramen, hoc est super solaio carnem ipsorum, omnis enim caro fœnum. Vltra hæc animaduerte & illud, quòd hos Iesus non vult dimitte- F re ieiunos, ne deficiãt, quippe vacui panum Iesu, noxámq; capiant, quum adhuc essent in via quæ tendit ad res domesticas. Cæterũ illud annota, sicubi Iesus scribitur dimisisse, quo perspicias discrimen, eorum qui post pastum ab illo dimissi fuerũt, & eorum quos aliter dimisit. Exemplum autem aliter dimissi fuerit illud, Mulier dimissa es ab infirmitate tua. Ad hęc autẽ discipuli perpetuò cũ illo viuentes nõ dimittuntur ab eo, sed turbę cibo sumpto dimittũtur. Sicuti rursus discipuli nihil magni sentientes de Chananæa dicũt, Dimitte illam, quia clamat post nos. At Seruator videtur nequaquã illam dimittere. Quũ enim dixisset illi, O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis: sanata quidem est illius filia ex illa hora, non tamen scriptum est, quòd dimiserit illam. Hæc sunt quæ in præsentia circa locum hunc peruestigare perspicerèque valuimus,

Ioan. 6.

Esa. 40.

Dimissi à Christo.

Luc. 13.

COMMENTARIORVM IN Matthæum Origenis tomus XI.

CAPVT XVI.

G ET accedentes Sadducæi ac Pharisæi tentátes postulabant ab eo vt signú de cœlo ostéderet ipsis.] Qui inter sese de dogmatibus maximi momenti dissentiebant: Sadducæi erant & Pharisæi. Definiût enim Pharisæi, mortuorum resurrectionem, sperátes aliquod futurum seculú: Sadducæi contra cẽsent, post hanc vitam nihil homini repositum præmij, siue ad virtuté profecerit, siue nunquam vel studuerit à vitiorum terminis excedere. Hi vt tentent Iesum, cócordes sunt. Simile quiddã vsu venit, vt scribit Lucas, inter Herodem & Pilatum, qui inter se facti sunt amici, vt Iesum occiderét. Fortassis mutua inter ipsos simultas effecisset, vt Herodes in gratiã populi dicentis, crucifige, crucifige, postularet vt occideretur. Pilatus autem propensus nũnihil ad hoc, ne condẽnaret illum, si inimicitia aduersus Herodem accessisset ad propẽsionem dimittendi illú, quæ prius illi aderat, fortasse non condemnasset Iesum. Cæterum amicitia, quæ videbatur inter illos orta valẽtiorem reddidit Herodem ad interpellãdum aduersus Iesum apud Pilatum, fortasse cupientem etiã propter recẽtem amicitiam gratum aliquid, tum Herodi, tum toti Iudæorum populo facere. Frequenter autem & nunc videre licet in vita, eos qui maxime discrepant opinionibus siue in Græcorú philosophia, siue in alijs disciplinis, apparere cócordes, vt irrideãt oppugnétq́; Iesum Christú, qui est in suis discipulis. Ab his autem opinor

H digredi licet ad considerandum, an aduersarijs operationibus discordiam inuicé habentibus, veluti Pharaone aduersus Nabuchodonosor, & Tiracha rege Æthiopũ aduersus Senacherim regem Assyriorum, aliquando fiat cócordia aduersus Iesum & populum eius. Sic fortassis etiã astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum, prius minime concordes, vt intentatis insidijs, aduersus dominú & aduersus Christum eius, dominum gloriç interficerent. Ad hunc auté sermonem deuenimus propter simul accedentes ad Iesum Pharisæos & Sadducæos, quum essent de resurrectione dissentientes, velut in hoc inita concordia, vt tentarent seruatorem nostrú, & postularent ab eo vt signum ostenderet ipsis de cœlo. Nó enim contenti iis, quæ sanandis morbis omnibus, omnibúsq́; languoribus in populis ædiderat, prodigijs, alijsq́; miraculis, quç spectantibus plerisq́; fecerat seruator noster, volebant vt etiã signum ostenderet ipsis è cœlo: coniectutáq́; ducor, illos opinatos signa quæ fiebant super terrã posse ex deo non esse. Itaque non veriti sunt dicere, Iesum in Beelzebub principe dæmoniorum eiicere dæmonia. Existimabant autem signum de cœlo non posse à Beelzebub, aut ab aliqua praua virtute fieri. Sed errabant in vtrisque signis, tú in his quæ fiebãt in terra, tú in his quæ veniebant è cœlu, haud quaquã probati trapezitæ, neq́; gnari discernere spiritus operátes, qui sint à deo, quí desertores illius. Atqui conueniebat illos scire, multa quæ per Moysen aduersus Ægyptios prodigia facta sunt, quú non venirent è cœlo, tamen certo dei fuisse. Et ignis è cœlo delapsus

I super oues Iob, non erat à deo. Siquidem eiusdé erat ignis ille, cuius erant & illi qui in captiuitatem duxerunt, quiq́; fecerunt tres turmas equitum & iumentorum Iob. Arbitror auté & in Esaia demonstrari posse signa, partim è cœlo partim è terra, quç vera fuerint ex deo. Cæterum inter omnem virtuté, signa ac prodigia quæ veniút ab illo malo, dictum est Achaz,

Es.7. Postula tibi signum à domino deo tuo, in profundum & in excelsum. Nã si non essent signa nó venientia à domino, quçdã in profundú, quædã in excelsum, nequaquam dixisset, Postula tibi signum à domino deo tuo in profundum, aut in excelsum. Nec me fugit, fore vt alicui coarctior videatur hic intellectus horum verborum, postulato tibi signum à domino

2.Thess.2. Deo tuo. Sed attende quod dictum est apud apostolum de homine peccati, filio perditionis, quod in omni virtute, & signis & prodigijs mẽdacij, cum omni fallacia iniustitiæ iis qui pereunt adparebit, imitás omnia prodigia, quæ sunt veritatis, quemadmodum incantatores Ægyptij, ac malefici, tanquam inferiores illo homine peccati & filio perditionis, virtutes quasdam imitati sunt, signáq́; & prodigia veritatis, facientes signa mendacij, ne veris haberetur fides: sic arbitror hominé illum peccati signa æmulaturum ac virtutes. Fortassis hęc suspicátes ob prophetias hac de re proditas, Pharisæi, quæro autem an & Sadducæi, tentantes postulant, vt signum de cœlo

ostenderet ipsis. Quod si non dicemus hoc illos fuisse suspicatos, quo tandem affectu dicemus illos fuisse erga miracula, quæ fiebant à Iesu, quum manerent inflexibiles, nec reuererentur incredibilia quæ fiebant. Quod si quis existimat nos defendendi sui dedisse occasionem Pharisæis & Sadducæis, vel illic vbi dicunt præsidio Beelsebub à Iesu profligati dæmonia, vel illi vbi tentantes postulãt à Iesu signum cœleste: sciat quod dicimus illos à probabilitate quadã inniti ad nó credendum Iesu miraculis, non tamen vt etiam veniã mererentur, qui non inspicerent verba prophetarum impleta in factis Iesu, quæ praua vis nequaquã facere potuisset. Siquidem animam egressam reuocare, vt iam fœtens & quatriduanus è monumẽtis prodiret, nullius erat, nisi illius qui audierat à patre, Faciamus hominem secundum imaginé & similitudinem nostram. Quin & imperare ventis, & impetum maris sedare, nullius alterius est nisi illius, per quem omnia, & ipsum mare & venti facti sunt. Est autem etiam doctrina ad amorem códitoris prouocans, legi ac prophetis concinens, atque animi motus cohibens, moresque ad pietatem formans. Quid aliud declarabat iis, qui videre poterãt, quàm quod vere deus esset, qui talia operaretur. De quibus & Ioannis discipulis dicebat, Euntes renunciate Ioanni quæcúque vidistis & audistis, cæci visum recipiunt, & cætera quæ sequuntur. Post hæc consideremus, quomodo vt vnum signum è cœlo ostenderet postulantibus Pharisæis & Sadducæis respóderit, dicens, [Generatio praua & adultera, signum insuper quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ,] quo tempore & illis relictis abiit. Signum autem profecto Ionæ, secundum illorú postulationem, non solum erat signum, verum etiã signum è cœlo, vt tentantibus etiã, signúmq́; de cœlo quærentibus, nihilominus pro sua immẽsa bonitate signum dederit. Quemadmodum enim Ionas egit in ventre ceti tres dies ac tres noctes, ita filius hominis in corde terræ, & post hoc ex ea surrexit. Vnde anté dicemus resurrectionis Iesu signum fuisse, nisi è cœlo? & maxime sané, quando in ipso passionis tempore signú fuit latroni, Christi beneficio subuecto in paradisum dei. Vltra hoc etiã, quum descenderet ad inferos ad mortuos tanquam inter mortuos liber. Ac mihi quidem videtur seruator signum quod ex sese promittit, applicare ad signi rationem quod est Ionæ, dicens se non tantú illi simile dedisse signum ex sese, verum etiã illud idem. An nota siquidem illud, [Et signum non dabitur illi, nisi signum Ionæ prophetæ.] Igitur illud signum hoc erat signum, en quod illud huius erat significatiuum: vt illius signi explicatio, quod ex se ipso obscuritaté habebat, sit quod seruator passus est, quod in corde tres dies ac tres noctes egerit. Simul autem & generala quiddã discimus, quod si signum significat aliquid, vnumquodq́; signorú quæ scripta sunt, vel in historia rerú gestarú, vel in præcepto, alicuius rerum significatiuú est post implendæ: veluti signum

M Ionç post tres dies egressi de ventre ceti, significabat seruatoris nostri resurrectioné, post tres dies ac tres noctes resuscitati à mortuis. Item circuncisio quæ apud Paulum declaratur esse signú in hoc quod scribit, Nos enim sumus circúcisio. Quin tu etiã quære signum omne quod est in antiquis literis, cuius signum sit in nouo testamento. Rursus quod in nouo dictum est signú, quid significet vel in futuro seculo, vel in sequutis ætatibus. Porrò posteaquã fecerat signum, etiã illos appellat prauam generationem, ob maliciç qualitatem illis innatam. Est autem malitia, vbi quis volens male facit. Adulteram autem vocat ob id, quoniã eum qui iuxta tropum vir dicitur, videlicet veritatis sermonem aut legem deserentes Pharisæi & Sadducçi, adulterio corrupti sunt à mendacio & lege peccati. Nam si duæ sunt leges, altera quæ est in membris militãs aduersus legem mentis: altera mentis, id est lex spiritualis: dicendum est legem mentis esse virum illum, cui desponsa est à deo vt sit vxor anima, videlicet viro legi, iuxta quod scriptum est, A deo vero iúgitur viro vxor. Altera vero lex, adulter est, ipsi subiectæ animæ, & propter hunc adulteræ nomen habẽtis. Cæterum quòd lex est animæ vir, palàm docet Paulus in epistola ad Romanos, dicens. Lex dominatur homini quàm diu viuit. Nam mulier subdita viro, alligata est illi, nimirum viro legi, donec viuit, & reliqua quæ sequuntur. Aduerte autem in his, quod lex dominatur homini, quàm diu viuit lex,

&

Marginal notes (right column): K; *Gen 1.*; *Mat.11.*; L; M; *Quod in nouo testamẽto dictú est, signum est rerú in seculo altero futurarum*; *Duæ leges.*; *Marc.10.*; *Rom.7.*

A & vir vxori. Nam viro subdita mulier, est anima subdita legi, ea viuenti viro alligata est, puta legi. Quod si mortuus fuerit vir, hoc est lex, liberata est à lege, quæ est vir. Moritur autem lex ei qui ascendit ad beatitudinem, nec amplius versatur sub lege, sed, facit quod fecit Christus: qui quanquam factus est sub lege, propter eos qui erant sub lege, vt eos qui legi erant obnoxij redimeret, neque ipse tamen mansit sub lege, neque passus est eos manere sub lege, quos redemerat. Subuexit enim illos vnà secum ad diuinam vitæ rationem, supra legem quæ veluti data infirmioribus & adhuc peccantibus, contineebat sacrificia pro remissione peccatorum. Itaque qui iam expers est peccati, nec amplius habet opus legalibus sacrificiis, is perfectus transcendit fortassis & spiritualem legem, ac cœpit esse in verbo, quod est supra legem: quod iis qui in carne viuebant caro factum est: iis vero qui nequaquam iam secundum carnem militant, quod erat in principio apud Deum Deus, verbum conspicitur, & patefacit patrem. Tria proinde circa hunc locum sentienda sunt. Mulier subdita viro sub viro lege: & mulier adultera, quæ viuente viro, puta lege, iuncta fuerit alteri viro, nimirum anima iuncta legi carnis: & mulier quæ fratri mortui viri nubit, videlicet viuenti, ac nō mortuo verbo, quod excitatum à mortuis, non amplius moritur. Mors enim ei non amplius dominatur. Et hæc quidem diximus propter illud, Si mortuus fuerit vir, liberata est à lege

B viri. Item propter illud: Ergo viuente viro, adultera vocabitur, si fuerit cum altero viro. Rursus propter illud, Quod si mortuus fuerit vir, libera est à lege viri, vt non sit adultera, si iuncta fuerit alteri viro. Hoc ipsum autem, ergo viuente viro adultera vocabitur, assumpseramus, studentes clarius explicare, quare Iesus tentantibus Pharisæis ac Sadducæis, requirentibus signum è cœlo sibi ostendi, dixerit, non solum generatio praua, verum etiam adultera. Generaliter itaque, lex quæ est in membris militans aduersus legem mentis, veluti vir adulter, adulter est animæ. Iam autem omnis etiam potestas aduersaria, quum deuicerit humanam animam, eique fuerit admixta, adulter illius est, quæ sponsum habet ipsi à Deo datum, nimirum verbum. Post hæc scriptum est, [Relictis illis abiit.] Nam qui fieri potuit, vt verbum qui sponsus est, nō relinqueret adulteram generationem, & diuerteret ab ea? Poteris autem dicere, quod Iudæorum synagogam vt adulteram relinquens Dei verbum, discesserit ab ea, ceperitque vxorem scortationis, videlicet eos qui sunt ex gentibus. Quoniam illi quidem qui erant ciuitas fidelis Sion, facti sunt scorta: hi vero veluti Rhaab meretrix, quę exceperat exploratores Iesu, cum tota familia seruata est, postea non amplius meretricem agens, sed veniens ad Iesu pedes, eósque rigans pœnitentiæ lachrymis, vngénsque sanctæ vitæ fragrantibus odoribus: cuius gratia Simoni leproso, nempe priori populo Iesus exprobrans dixit omnia illa quæ scripta sunt.

C *De fermento Pharisæorum.*

ET quum venissent discipuli illius in ripam vlteriorem, obliti fuerant accipere panes, quandoquidem inutiles erant quos habebāt antequam transmitterent, discipulis iam in vlteriorem ripam transuectis. Aliis enim opus erat ante traiectionem, aliis post traiectionem: eóque quoniam neglexerant adferre panes, quum abirent ad traiiciendum obliti fuerant illos secum recipere: vltra lacum autem peruenerant discipuli Iesu, qui transierant à corporalibus ad spiritualia, & à sensibilibus ad intelligibilia. Ac fortassis vt deterreret eos, qui nondum peruenerant vltra lacum, spiritum acceperant, ne recurrerent ad carnalia, dixit iis qui transierant, Iesus, [Videte & attendite.] Erat enim conspersio quædam doctrinæ fermentique vere veteris, quæ est secundum simplicem literam, eóque non libera ab his quæ sunt malitiæ, quam præbebant Pharisæi & Sadducæi, vnde Iesus non vult amplius edere suos discipulos, quos fecerat nouam & spiritualem conspersionem, seipsum præbens iis qui discesserant à fermento Pharisæorum ac Sadducæorum, & ad ipsum accesserant, panem viuum qui de cœlo descendit, quique vitam dat mundo. Quoniam autem hæc via est ei qui non amplius vsurus sit, fermento, conspersione, ac doctrina Pharisæorum ac Sadducæorum, primum quidem videre, deinde attendere, ne quando quis eo quod non videat, D neque attendat, particeps fiat veteris illorum fermenti: ideo primum dicit discipulis, videte: deinde, attendite. Perspicacium igitur est & attentorum, separare fermētum Sadducæorum ac Pharisæorum: breuiter omnem cibum, qui non caret fermento, nec est synceritatis ac veritatis, à viuo pane, qui de cœlo descendit, sic vt Pharisæorum ac Sadducæorum panes non admittat, sed vt viuum ac verum panem comedens aliquis, corroboretur animo. Cæterum hoc dictum etiam tempestiue accommodabimus iis, qui simul cum Christianismo volunt corporaliter Iudaizare. Si quidem hi non vident, nec attendunt à fermento Pharisæorum ac Sadducæorum, sed præter voluntatem Iesu, qui vetuit eo vesci, Pharisæorum panem comedunt. Quin & omnes opinor, quicunque nolunt sapere, quod lex spiritualis est, & vmbram habet futurorum bonorum, & vmbra est futurorum, neque inquirunt cuius boni futuri sit vmbra vnaquæque lex, non vident neq; attendunt à fermento Pharisæorum. Quin illi quoque qui reiiciunt mortuorum resurrectionem, non cauent à fermento Sadducæorum: & complures profecto inter istos qui diuersum sentiunt ab ecclesia, propterea quod non credunt resurrectionem mortuorum, sunt qui inficiuntur Sadducæorū fermento. Hæc sanè quum diceret Iesus, cogitabant apud sese, non quidem fatentes quod acciderat discipuli, sed in cordibus suis, [Panes non accepimus:] ac talia quodammodo erāt E quæ dicebant, Si panes haberemus, nequaquam de fermento Pharisæorum ac Sadducæorum accepissemus. Quoniam autem ob inopiam panum periclitamur, ne de illorum fermento capiamus, nec vult nos seruator recurrere ad illorum doctrinam, ideo nobis dixit, [Videte & attendite à fermento Pharisæorum ac Sadducæorum.] Et hæc quidem illi cogitabant. Iesus autem videns quæ erant in cordibus, & audiens sermones qui ibi fiebant, vt pote verus cordium inspector obiurgat illos veluti non intelligentes, neque memores panum quos ab ipso acceperant, per quos quum se crederent egere panibus, non opus habebant Pharisæorum ac Sadducæorum fermento: mox explicans & clarius exhibens ambigentibus, propter variam acceptionem panis ac fermenti, quod non de pane sensibili loquutus esset, sed de doctrinæ fermento, subiungit, Qui fit, vt non intelligatis, quod non de panibus loquutus sum vobis, sed attendite à fermento Pharisæorum ac Sadducæorum. Quanquam autem non aperuisset dominus explanationem, sed adhuc perseuerasset in figurato sermone, tamen intellexisse debebant discipuli, seruatorem de doctrina loqui, quæ figurate dicta est fermentum, quam docebant Pharisæi & Sadducæi. Proinde quoad habemus nobiscum Iesum, qui præstat quod pollicitus est dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi, non possumus ieiunare, nec egere ci- F bo, vt inopia coacti, quæramus vel à Pharisæis ac Sadducæis vetitum fermentum accipere ederéque, & incidat nobis aliquando tempus, illo nobis præsente, vt alimonia careamus, quemadmodum in superioribus dictum est his verbis, Iam triduum manent apud me, nec habent quod edant. Imo etiam si id acciderit, ille nolens nos ieiunos dimittere, ne forte deficiamus in via, benedicit panibus qui sunt apud discipulos, ac facit è septem panibus, vt iam exposuimus, septem sportas. Insuper autem & illud obseruādum, ob eos qui putant ex Euangelio Matthæi, nullo pacto doceri seruatoris diuinitatem quod discipulis apud sese cogitantibus dicentibúsque panes non habemus, Iesus cognouit cogitationem illorum, ac dixit, Quid cogitatis apud vos exigua præditi fide, quod panes non acceperitis, haud erat humanum. Vnus enim omnium ac solus cognoscit corda hominum domini, sicut ait Salomon in tertio Regnorum libro. Vbi vero Iesus dixisset, attendite à fermento, intellexerunt discipuli, quod non iuberet cauere à panibus, sed à doctrina Pharisæorum ac Sadducæorum, Vestigabis sicubi fermentum figurate nominatur pro doctrina, siue in ipsa lege siue in scriptis legem sequutis. Similiter autem, an forte fermentum nō offeratur in sacrificium: non enim oportet preces habere doctrinæ modū, sed nihil aliud esse, quàm postulationes bonorū à deo. Quæsierit autē aliquis ob hæc quæ dicta sunt de

Iudaizantes.

Doctrina figuratè fermentū.

Quidā putarunt ex Euangelio Matthæi nullo modo doceri diuinitatē Christi.

3. Reg. 8.

G discipulis, qui traiecerant, num possit aliquis vbi transmiserit, obiurgari quod sit modicæ fidei quódq; nódú intelligat, neq; meminerit eorú quæ facta fuerant à Iesu. Non arbitror auté difficilem esse ad hoc responsionem, videlicet quod ad id quod perfectú est, quod vbi venerit, cessabit id quod ex parte est, omnis fides quæ hic habetur, exigua fides est: & quod ad illud attinet, nondum intelligimus, ex parte cognoscétes, neque meminimus. Non enim possumus capere memoriam sufficientem ac parem multitudini naturæ rerum speculandarum. Licet autem & illud hinc discere, quod interdum de solis cogitationibus, quas intra nos versamus, reprehédimur, ac velut exiguam habétes fidem, obiurgamur. Ego vero sum in hac opinione, quod sicut qui adulterium committit in solo corde, nondum omnino progressus ad opus: ita si quis fecerit in corde cætera quæ prohibita sunt, Verbi causa, si quis corde tantum sit furatus, aut corde tátum falsum testimoniú dixerit, non vt ille qui facto furatus est aut furtim testimoniú re perpetrarit, sed tantú vt qui corde solo talia fecerit punietur, idque si per ipsum stetit, quo minus peruenerit ad prauú facinus. Quod si prieterquam quod voluit aggressus quidem est, sed non successit, punietur, vt qui non solum corde, verú etiam opere peccauerit. Super hæc quæret aliquis, an adulte-
H rium committat aliquis solo corde, etiamsi factum adulterij non peregerit, sed in solo corde fuerit impudicus. Simili vero modo facies de cæteris laudabilibus. Habet autem hic locus, quo probabiliter falli possumus, quod hac opinor ratione tollendum est. Adulterium quidem in corde peractum, minus est peccatum, quam si quis adiungat etiam factum.

Praua voluntas minus peccatum quàm factum.

Non potest autem fieri, vt pudicitia sit in corde, quæ obstet impudico facto, nisi quis hic quoq; in exemplum sumat virginem, iuxta quod lex dicit, in solitudine violatam. Fingamus enim cor alicuius esse purissimum, cæterum violentam peregisse corruptionem corporis pudicæ, in eo quod lasciuum est. Hæc sanè mihi videtur prorsus esse casta in occulto quidem, corpore vero non esse pura, quemadmodum erat ante vim illatam. At non quia non pura, statim & impudica. Hæc ob id quod scriptum est, [Cogitabant secum dicentes, panes non accepimus.] Cui subiicitur illud, [Vt autem cognouit Iesus dixit, O modicæ fidei, quare cogitatis intra vos? & cætera quæ sequuntur.] Oportebat enim vituperationem eorum quæ in occulto sunt expedire, & ex aduerso laudem eorum quæ in occulto. Miror auté, si discipuli putabant priusquam Iesus illis explanaret sermonem quod dominus ac præceptor præciperet ipsis, vt cauerent à sensibili fermento Pharisæorú ac Sadducæorum, tanquam impuro, & ob id vetito, vt quoniam panes non acceperant ne tum quidem illorum fermento vterentur. Similiter porrò & in aliis inquireremus, sed exempli gratia satis est quod legimus de Samaritana, cui dicit dominus, Quisquis biberit ex aqua hac, sitiet iterum. Quisquis
Ioan. 4.
I autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Si quidem illud quod ad verba quidem attinet, Samaritana putare videtur, seruatorem aquam sensibilem promittere, quum ait: Quisquis autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Et illa igitur ad tropologiam vocanda sunt simúlque expendenda aqua fontis Iacob, vnde hauriebat Samaritana, conferendo cum aqua Iesu. Atque hic idem est faciendum. Fortassis ne panes erant cocti, sed fermentum modo quoddam doctrina Pharisæorum ac Sadducæorum.

De eo quod dominus in Cæsarea percontatus est, quem ipsum dicerent esse homines. Tractatus 1.

Matth. 16.

V V M autem venisset Iesus in partes Cæsareæ Philippi, interrogauit discipulos suos.] Sciscitatur à discipulis suis Iesus quem ipsum dicerent homines esse, quo nos disceremus ex apostolorum responso, id temporis apud Iudæos varias fuisse de Christo opiniones. Fortassis & ideo percontatur, vt discipuli Iesu doceantur, semper esse curiosi sermonum qui dicuntur ab hominibus de illo. Quod facientibus conducit ad hoc, si quid mali dicitur, vt huius occasiones modis omnibus auferant: siu boni quippiam, huius causas adaugeant. Attamen vide quoniam apud Iudæos varij erát affectus de Christo, quomodo ex qui- K
busdam non sanis de illo opinionibus loquuti sint. Quidam *Marci. 6.*
dicebant eum esse Ioannem Baptistam, quemadmodum & Herodes tetrarcha dicens pueris suis: Hic est Ioannes. Alij rursus dicebant: Helias est, qui nunc dicitur Iesus, siue quod denuo natus esset Helias, siue quod iam olim in carne viués, eo tempore apparuisset. Porrò qui dicebant Iesum esse Hieremiam ipsum, non autem Hieremiam Iesu typum, fortasse commoti sunt iis verbis, quæ sunt in principiis Hieremiæ de Christo, quæ tum quidem in propheta non fuerant impleta, sed impleri cœperant in Iesu, Quem constituit deus in gentes & regna, vt eradicet, subuertat, ac perdat, ac rursus ædificet, plantétque, videlicet constituens eum prophetam venturum ad gentes, quibus prædicauit verbum. *Hiere. 1.*

Quin & hi qui dicebant eum vnum quempiam esse de numero prophetarum, talia de illo opinabantur, ob ea quæ in prophetis ad ipsos quidem dicta fuerant, in ipsis tamen nondum fuerant impleta. Sed Iudæi quidem, vt digni velamine, quod habent cordi impositum, falsas opiniones habebant de Iesu. Cæterum Petrus tanquam non carnis aut sanguinis discipulus, sed qui patris etiam cœlestis reuelationem acceperat, confessus est eum esse Christum. Erat quidem igitur haud ita magnum, quod à Petro seruatori dicebatur: Tu es Christus, quum id incognitum esset Iudæis: verum illud maius erat, quod credidit eum nó solum esse Chri- L
stum, verum etiam filium dei, qui & per prophetas locutus est: Viuo ego, & me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Erat *Hiere. 2.*
autem & is vita à fonte vitæ patre, qui dixit: Ego sum vita. Et *Ioan. 14.*
attende diligenter, an quemadmodum sicut idem non sunt, fons fluuij, & fluuius ipse, ita fons vitæ, & vita. Et hæc quidé adiecimus, eo quod pertinerent ad id quod scriptum est, Tu es Christus filius dei viui. Oportuit enim eximium quiddam proponere, in eo quod dicit de deo & patre vniuersorú, tanquam viuo, & inter eum qui est ipsa vita, & inter ea quæ vitá participant. Quoniam autem diximus eos qui pronunciabát Iesum esse Ioannem Baptistam, aut quempiam ex iis qui subiiciuntur, nequaquam ex sanis opinionibus hæc dixisse: conabimur & hoc probare dicentes, quod si interfuissent baptismo, cum Iesus venisset ad Ioannem, ac Ioannes baptizaret Iesum, nequaquam dixissent Iesum esse Ioannem: imò si intellexissent sententiam, quam dixerat Iesus: Si vultis recipere, ipse est Helias, qui venturus erat. Et si velut aures habétes audissent id quod dictum est, haudquaquá dixissent quidam illorum Iesum esse Heliam. Et qui dixerunt illum esse Hieremiam, si perspexissent quod plerique prophetarú symbola quædam Iesu in se susceperunt, nequaquam dixissent illum esse Hieremiam. Similiter nec alij dixissent vnumquempiam esse de numero prophetarum. Fortassis autem quod Simon Petrus respondens dixit: Tu es Christus filius dei viui, M
si dixerimus ita quemadmodum dixit Petrus, non à carne & sanguine nobis reuelatú, sed à luce quæ illuxit cordi nostro, à patre qui est in cœlis, sumus & ipsi quod fuit Petrus: similitérque vt ille, prædicamur beati, propterea quod quæ illi causæ extiterunt beatificationis, eadem ad nos quoque peruenerunt, eo quod caro & sanguis nobis non reuelauit, Iesum esse Christum filium dei viui: sed ab ipsis cœlis pater qui est in cœlis, vt in cœlis conuersationem habeamus, reuelauit nobis reuelationem subducentem in cœlos, eos qui non solum velamen omne tollunt à corde, verum etiam acceperunt spiritum sapientiæ dei ac reuelationis. Quod si nos quoque locuti quod dixit Petrus: Tu es Christus filius dei viui, tanquam non accepta huius reuelatione à carne & sanguine, sed luce cordi nostro illucescente, à patre qui in cœlis est, efficimur Petrus: & nobis dicetur, quod hunc sermonem sequitur: Tu es Petrus, & cætera quæ sequuntur. Petra est enim, quisquis Christi discipulus est, ex quo biberunt de spirituali consequéte petra. Et super talem petram construitur omnis ecclesiastica doctrina, & secundum hanc vitæ institutio. In vno quoque enim perfecto habente congregationem eorum qui cóplent beatitudinem verborum, factorum, & sensuum, est quę à deo ædificatur ecclesia. Quod si super vnum illum Petrum tantum existimas ædificari totam ecclesiam, quid dicturus es de Ioanne filio tonitrui, & Apostolorum vnoquoque? Quin *1. Cor. 10.*
alio-

A aliioqui num audebimus dicere, quod aduersus Petrum vnū non præualituræ sint portæ inferorum, aduersus cæteros autem Apostolos ac perfectos præualituræ sint, ac non potius in omnibus ac singulis eorum, de quibus dictum est, fit illud quod dictum est, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam? Item illud, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. An vero soli Petro dantur à Christo claues regni cœlorum, nec alius beatorum quisquam eas accepturus est? Quod si illud dictum huc, tibi dabo claues regni cœlorum, cæteris quoque commune est, cur non simul omnia, & quæ prius dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta, sunt omnium communia? Nam hic & illud velut ad Petrum videtur dictum, Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in
[Ioan. 20.] cœlis, & quæ sequuntur. Cæterum in Euangelio Ioannis, seruator dans spiritum sanctum discipulis, per insufflationem, ait: Accipite spiritum sanctum, & cætera. Proinde multi dicunt seruatori: Tu es Christus filius dei viui: sed non omnes qui dicunt hoc, dicent illud, nequaquam à carne & sanguine accepta reuelatione docti, sed ab ipso patre qui in cœlis est, tollente velamen, quod impositum erat cordi eorum, vt postea retecta facie gloriam domini speculantes, in spiritu dei
[1. Cor. 12.] loquantur, dicentes de eo illud: Dominus Iesus: & ad eum il-
B lud, Tu es Christus filius dei viui. Et si quis hoc ad illum dixerit, non ex carnis aut sanguinis reuelatione, sed patris qui in cœlis est, consequetur ea quæ dicta sunt, vt Euangelij quidem scriptum habet ad illum Petrum, vt vero docet illius spiritus ad quemuis, qui talis factus fuerit, qualis erat ille Petrus. Siquidem nomen ducunt à petra, quicunque sunt imitatores Christi, qui est petra spiritualis, comitans eos qui salui fiunt, vt ex ea bibant potum spiritualem. Hi vero non solum nomē ducunt à petra, quemadmodum Christus, verum etiam Christi membra quum sint, ab eo nomen habent, dicti Christiani: à petra vero Petri. Porrò ex his occasione sumpta dices iustos nomen habere deductum à Christo, qui est iustitia, & sapientes à Christo, qui est sapientia: & similiter facies de reliquis eius nominibus, nomina deriuans ad sanctos: & ad omnes qui tales sunt dicetur illud seruatoris, Tu es Petrus, & cætera, vsque ad illud, Non præualebunt aduersus eam. Quā autem eam? Vtrum aduersus petram, super quam Christus ædificat ecclesiam? An aduersus ipsam ecclesiam? (Nam sermo anceps est) an ad vnum & idem, quod ipsum sit petra & ecclesia? Hoc autem arbitror esse verum. Neque enim aduersus petram, super quam Christus ędificat ecclesiam, neque aduersus ecclesiam portæ inferi præualebunt. Quemadmodū nec via serpentis in petra potest inueniri, iuxta quod scriptum est in Prouerbiis. Quod si quis fuerit, aduersus quem præualituræ sint portæ inferorum, talis neque petra fuerit super quam Christus ædificat ecclesiam, neque quæ à Christo super petrā ædificatur ecclesia. Nam & petra serpenti est inaccessa, validiorque portis inferorum ipsi reluctantibus vt ob robur ip-
C sius inferorum portæ nihil valeant aduersus illam: & ecclesia tanquam Christi structura, qui ædificauit suam domum prudenter super petram, non recipit portas inferorum, præualētes quidem aduersus omnem hominem, qui est extra petram & ecclesiam, sed nihil valentes aduersus ipsam. Vbi vero considerauerimus quod vnūquodque peccatorum, ob quæ Christus iturus erat ad inferos, portæ sunt inferorum, comprehēdemus quod anima quæ maculam habet, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, ac propter malitiam nec sancta est, nec irreprehensibilis, ea neque petra est, super quam Christus ædificat, neque ecclesia, neque ecclesiæ pars, quam super petram Christus ædificat. Quod si quis nos ob ista pudefactos silere vult, propter multitudinem ecclesiasticorum, qui credere pu-
[Matth. 22.] tantur, dicendum est illi non solum illud, Multi vocati, sed
[Luc. 13.] pauci electi: verum etiam hoc quod à seruatore dicitur ad eos qui accesserant ipsum, sicuti in Euangelio Lucæ dictum est, hunc in modum: Contendite intrare per angustam portam: quoniam dico vobis, multi quærent ingredi per illam angustam portam, & non valebunt. Insuper & illud quod in Matthæo scriptum est hunc in modum dicendum est, Angusta est porta, & stricta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui in-
[Matt. 7.] ueniunt eam. Porrò si attenderis illi quod dictum est, Multi, dico vobis, quærent ingredi, & non valebunt, intelliges hoc

ad illos referri qui se gloriantur esse de ecclesia, sed infirmiter D
ac secus quàm verbum præscripsit, viuunt. Hi proinde non valentes ingredi, quum sint de numero eorum qui quærunt ingredi, eo quod inferorum portæ pręualent aduersus eos, haudquaquam valebunt ingredi: aduersus quos autem inferorum portæ non præualent, hi quærentes ingredi poterunt, omnia valentes in eo, qui corroborat ipsos, Christus Iesus. Atque ita quisque qui pater est prauæ sententiæ, architectus factus est alicuius inferorum portæ. Cęterum cooperarij huius architecti, sunt homines huiusmodi doctrinę ministri ac dispensatores, seruientes prauo impietatis fabricatori verbo. Porrò quum multę sint, neque recenseri numero possint inferorum portæ, nulla porta inferorum valet aduersus petram, aut ecclesiam quam Christus super illam ędificat. Quanquam habent nōnullam vim hę portę, qua nonnullos superant, nimirum eos qui non resistūt nec decertant aduersus illas: sed eędem ab aliis superantur, videlicet ab his, qui quoniam non recesserunt ab eo qui dicit, Ego [Porta inferorum multa.] sum ostium, omnes inferorum portas demoliti sunt ab anima sua. Verum enimuero & illud scire oportet, quod sicuti ciuitatum portę proprium quęque nomen habent, eodē modo portę inferorum nominari possunt, iuxta species peccatorum: vt vna quidem inferorum porta vocetur scortatio, per quam ambulant scortatores: altera verò negatio, per quā qui deum abnegant, descendunt ad inferos. Iam autem & vnusquisque diuersa sentientium, quique genuerunt aliquam falsi nominis scientiam, portam ędificant inferorum: aliam E
quidem Marcion, Basilides aliam, aliam Valentinus. Atque [Psal. 107.] hic quidem portę inferorum dictę sunt. Cęterum in Psalmis Propheta gratias agit, dicens: Qui exaltauit me à portis mortis, vt enarrem omnes laudes tuas, in portis filię Sion. Ex hoc illud quoque discimus, fieri non posse vt quisquam enarret omnes dei laudes, qui non exaltatus fit à portis mortis, & peruenerit ad portas Sion. Sion autem portę, intelliguntur contrarię portis mortis, vt mortis quidem porta sit intemperan- [Psal. 118.] tia, porta vero Sion temperantia: atque itidem mortis porta sit iniustitia, Sion vero porta iustitia, quam ostendens Propheta ait: Hęc porta domini, iusti intrabunt per eam. Ac rursus mortis porta sit ignauia, fortitudo contrà porta Sion: & [Ephe. 6.] imprudentia porta mortis, prudentia vero huic cōtraria porta Sion. Omnibus autem portis falso dictę scientię, vna porta opponitur, quę est verę scientię. Inspice vero, num ex eo quod dictum est, non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, & cętera, possis vnamquamque potestatem, ac mundi tenentem huius caliginis ac spiritualia malitię in cœlestibus dicere portam inferorum & portam mortis. Itaque portę inferorum dicentur etiam principatus ac potestates, aduersus quas nobis est colluctatio: contrà portæ iustitię, ministratorij spiritus. Quemadmodum autem de pręstantioribus multę prius dicuntur portę, & post portas, vna porta no- F
minatur, quum dicitur: Aperite mihi portas iustitię, ingressus per eas confitebor domino: Et, Hęc porta domini, iusti intrabunt per eam. Itidem & in contrariis, portę quidem multę sunt inferorum ac mortis, singulę potestates, super omnes autem has, ille malus intentus in vnumquodque peccatum: & attenti profectò simus in vnoquoque peccato, velut in aliquam inferorum portam descendentes, si peccemus. Quin potius exaltati de portis mortis, enarremus omnes laudes domini, in portis filię Sion: exempli gratia, in vna porta filiæ Sion, quæ vocatur temperantia, enarrabimus ex temperantia laudes dei: & in alia quæ vocatur iustitia, enarrabimus ex iustitia laudes dei. In summa, in omnibus laudabilibus in quibus versamur, in his sumus in aliqua porta filię Sion, iuxta illam narrantes aliquam laudem dei. Excutiendum autem & illud, quomodo in vno duodecim prophetarum dictum est: Oderunt in portis arguentem, & sermonem iustum abominati sunt. Vide igitur ne forte in portis arguens sit ex his qui consistunt in portis filię Sion, redarguēs eos qui sunt in portis huic portæ contrariis, nimirum in portis inferorū ac mortis. Sin ad hunc modum non intelligis illud Prophetę dictū, oderunt in portis arguentem, aut per adiectionem erit dicta hæc particula, in portis, aut quęre quomodo tandem quod dictum est dignum esse possit prophetico spiritu. Post hęc

G videamus quomodo dictum est Petro, & quicunque petra est, dabo tibi claues regni cœlorum. Ac primũ quidẽ arbitror hoc dictum, portæ inferi non præualebunt aduersus eam, respõdere illi: Dabo tibi claues regni cœlorum. Dignus est qui ab ipso filio dei accipiat claues regni cœlorũ, qui munimentũ opposuit aduersus inferorũ portas, ne præualerent aduersus ipsum, veluti præmij loco accipiens, eo quod nihil valuerunt aduersus ipsum inferorũ portę, claues regni cœlorum, vt sibiipsi aperiat portas, clausas iis qui vincuntur à portis inferorum: & ingreditur, veluti temperans, per quandam temperantiæ portam, quæ aperitur claue, quę aperit temperantiam. Item per aliã vt iustus, portam iustitiæ, quæ aperitur claue iustitiæ. Et simili modo de cæteris virtutibus. Arbitror enim quod pro vnaquaque virtute cognitionis, aliqua sapientiæ mysteria respondentia generi virtutis aperiuntur ei qui secũdum virtutem vixerit, seruatore dante iis qui superati nõ sunt à portis inferorum, totidẽ claues quot sunt virtutes: quæ claues aperiunt totidem numero portas, iuxta mysteriorum reserationem, respondentes vnicuique virtuti. Et fortassis vnaquæque virtus est regnum cœlorum, vt iuxta hunc sensum iã in regno cœlorum sit, qui secundum virtutes viuit: vtque hoc quod dictum est, pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnũ cœlorum: non ad tempus referatur, sed ad actiones affectúsque.

Claues multa.

H Christus siquidem qui est omnis virtus inhabitat ac loquitur, & propter hoc intra discipulos illius est regnum dei, non autem hic & hic. Vide vero quantam habeat vim petra, supra quam à Christo constituitur ecclesia, & omnis qui dicit: Tu es Christus filius dei viui: vt huius iudicia firma maneant, tanquã deo in illo iudicante: vt in hoc ipso quod iudicat, non præualeãt aduersus eũ inferorũ portæ. Aduersus illũ igitur qui iniuste iudicat, neq; iuxta verbũ dei ligat super terrã, neq; secundũ voluntatẽ illius soluit super terrã, portæ inferi præualent. Is vero aduersus quẽ portæ inferorũ non præualent, iuste iudicat, eo quod claues habet regni cœlorum, aperiens iis qui soluũtur super terram, sic vt & in cœlis sint soluti ac liberi: claudẽsq; iis qui iusto ipsius iudicio ligati sunt in terris, vt & in cœlis sint ligati condemnatique. Quoniam autem ij qui episcoporum locum sibi vindicant, vtuntur eo dicto sicut Petrus, & claues regni cœlorum à seruatore acceperunt, docéntque ea quæ ab illis ligata fuerint, hoc est condemnata, eadem & in cœlis ligata: rursus ea quæ soluta fuerint ab ipsis, eadem & in cœlis esse soluta: dicendum est illos recte loqui, si pariter & facta habuerint, ob quæ dictũ est illi qui erat Petrus, Tu es Petrus: sique tales fuerint, vt à Christo super eos ædificetur ecclesia, & ad eos illud iure referri possit. Portæ autem inferorum non debent præualere aduersus eum, qui ligare vult ac soluere. Quod si funibus suorum peccatorum constringitur, frustra vel ligat vel soluit. Fortassis & illud poteris dicere, in cœlis, id est, in virtutibus, quæ sunt in sapiente, ligatus est malus. Ac rursum solutus est in illis

Episcopi qui claues regni cœlorũ sibi vẽdicãt quales esse debeant.

I homo probus, qui percepit obliuionem & abolitionẽ eorum quæ ante virtutem peccauerat. Quemadmodum autem qui non habet funiculos peccatorum, neque peccata quæ cõparãtur funi longo, aut loro iumẽti, quod est in iugo, ne deus quidem ligare possit, neque quisquis fuerit Petrus. Portò si quis cum non sit Petrus, nec habeat quæ hic dicta sunt, sicut habuit Petrus, credit se ligaturum in terra, vt quæ ligauerit ligata sint & in cœlis, ac se soluturum super terram, vt quæ soluerit, soluta sint & in cœlis, hic inflatus est nõ intelligẽs quid sibi velint scripturæ, & tumefactus incidit in diaboli ruinam.

Hactenus Des. Erasmus vertit.

Tunc præcepit Iesus discipulis suis, vt nemini dicerent, quoniam ipse esset Christus. Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quoniam oportet eum ire in Hierusalẽ, & multa pati à senioribus, & principibus, & scribis, & occidi, & tertia die resurgere.) Superius quidem scriptum est, quoniã hos duodecim misit Iesus dicens eis: In viã gentiũ ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorũ ne introeatis, sed ite potius ad oues perditas domus Israhel, & cætera quæ dixit ad eos mittens eos ad prædicandũ. Videamus ergo si apostolatus iam opera facientes eos volebat etiam prædicare quoniã ipse erat Christus: & si volebat, dignũ est quærere quid est quod nũc præcipit discipulis suis, vt nemini dicant quoniam ipse est Christus. Si autem nolebat, quomodo soluentur quæ de testimonio mandata sunt eis, quale est illud: Tradent enim vos, in cõsilio & synagogis suis flagellabunt vos, & ante præsides, & reges stabitis propter me in testimonium illis, & gentibus: vel illud: Cum tradiderint vos, nolite soliciti esse quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid dicatis, & cætera quæ sequuntur vsque, Non consummabitis ciuitates Israhel donec veniat filius hominis. Nescio quomodo hęc intelligi possint, nisi confiterentur Iesum esse Christum. Necnon etiam illud quod dicit: Omnis qui confessus fuerit me coram hominibus, qualem significet confessionem in Christo: nisi aliquis audeat dicere quia nolebat tunc prædicari, quoniam Iesus ipse est Christus. Sed hæc dixit vt interpretationem loci huius non ad futurum tempus trahat, secundum quod postea discipuli Iesu nominati sunt Christiani, incipiẽte ab Antiochia nomine isto. Illud etiam in hoc loco quærẽdum est, vtrum cum mitterentur, iam cognoscebãt quoniam ipse erat Christus. Et si cognoscebant iam, sine dubio cognoscebat Petrus. Quomodo ergo post tanta interrogat eos: Vos autem quem me esse dicitis? quando & respondenti & dicẽti Petro: Tu es Christus filius dei viui, dixit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis? Per hęc enim sermo demonstrat, quoniam tunc primum confessus fuerat cum Petrus Christum filiũ dei viui. Et vide si potes huiusmodi facere quęstionis solutionem dicens, quoniam credere Iesum esse Christum minus est quã cognoscere. Quoniam autem minus est manifestatur ex eo quod refert Ioannes ita: Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderant ei Iudęos, Si vos manseritis in verbo meo, cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos: vt dicamus, quando mittebantur ad prędicandum, credebant quidẽ Iesum esse Christum, non tamen adhuc cognoscebant. Postea autem proficientes per doctrinam & plura miracula, etiam cognouerũt, quando & interrogati confessi sunt, Tu es Christus filius dei viui. Aut si existimentur iam tunc apostoli cognouisse Iesum esse Christum, ita est respondendum, quia inter cognoscere & agnoscere differentia est. Vtputa quis sapiens non intelligit quoniam Timotheus cognoscens Iesum esse Christum, non tantum in agnitione eius erat illuminatus quantum Paulus? Quis autem etiam hoc ignorat, quia etsi multi vera dicũt dicentes de deo, quoniam ipse mihi dedit eorum quæ sunt sciẽtiam veram: non tamen omnes similiter manifeste aut perfecte cognoscunt ea quæ sciunt: vt dicamus quoniam tũc quidẽ apostoli initia cognitionis Christi habebant, & exigua cognoscebant de illo: postea autem profecerunt in agnitione ipsius: vt possent capere scientiam Christi reuelatam sibi à patre quemadmodum Petrus, cui & dixit: Beatus es Simon, quia non caro & sanguis reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Et beatificatur non solum in eo quod dixit, Tu es Christus, sed in eo magis quod addidit, Tu es Christus filius dei viui. Marcus enim & Lucas scripserunt Petrum respondentem dixisse, Tu es Christus, non adiicientes quod in Matthæo positum est, filius dei viui: propterea nec scripserũt ad confessionem Petri relatam beatitudinem, neque benedictionem dicentem, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & cætera. Aut ita tractandum est, non quia tunc docebant Iesum esse Christum, & modo præcepit eis vt nemini dicant: sed tunc quidem leuiter de eo annunciabãt, quasi de magno & admirabili viro Christũ autem esse eũ nõdũ annunciabant sed quasi ad inductionẽ Iudęorũ quædam modica præmittebant de eo, vt præparatis ex parte modica ad fidẽ eius, tempore opportuno etiã hoc adderetur quod ipse esset Christus. Aut certe ita quæstio est soluenda, vt dicamus quod plura quæ tunc Christus ad apostolos dixit, non tantum ad apostolos pertinebant, quantum ad omnes credentes in Christum. Nec enim solis conueniebat apostolis quod est dictum, Ante præsides & reges stabitis propter me in testimonium illis & gentibus. Item quod ait, Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & in mortem adigent eos. Sed & illud, Omnis qui confessus fuerit me coram hominibus,

Matt. 10. *Ibid.* *Act. 11.* K L *Ioan. 8.* *Agnoscere & cognoscere differũt.* *Matt. 10.* M

A bus,& cætera non solis apostolis, sed omnibus credentibus
dicta sunt. Secundum hoc ergo dicendum est quod præmis-
sa fuit illa doctrina quæ facta est ad apostulos, postea autem
implenda: vt videantur ea quidē quæ superius de annuncian-
do Christo sunt dicta à Christo, non ad tēpus pertinere quod
fuit ante Christi resurrectionem, sed ad tempora post futura:
hæc autem quæ mandat vt nemini dicant, tunc apostolis cō-
uenire. Adhuc autē qui vult & Christum esse prędicatū prius
ab apostolis, dicet quoniam leuiter pręmittere voluit eos mē-
tionem nominis sui, vt interim facto silentio prædicationis
huiusmodi hoc ipsum quod leuiter de Christo auditum fue-
rat, digeratur in sensibus auditorū, sic & opportunius insinue-
tur eis Iesus Christus crucifix⁹, & ex mortuis suscitatus. Quod
in primis nec ipsi apostoli cognoscebant, sicut pręsens sermo
testatur dicēs: [Exinde cœpit ostendere discipulis suis, quo-
niam oportet ire eum in Hierusalem, & multa pati à seniori-
bus, & principibus, & scribis, & occidi, & tertia die resurge-
re.] Si autē tunc apostoli hæc discebāt de Iesu quæ erat passu-
rus, quid existimare debemus scisse prius de Christo eos qui
ab apostolis docebātur? Nam etsi annūciabatur eis Christus,
quasi in inductione, & non manifeste aonūciabatus. Ideo &
saluator mittens apostolos volebat vt nemini dicerēt manife-
B ste quoniā ipse erat Christus, videlicet vt perfectiorem de eo
doctrinā in posterum opportonius reseruaret eos, quando po-
tersnt annoociare eis qui eum viderant crucifixū de resurre-
ctione eius ex mortuis. Si enim apostoli qui semper iuxta cū
fuerunt, & viderunt miracula vniuersa quæ fecit, & testimo-
nium perhibuerūt verbis eius, quoniā verba vitę æternæ erāt,
Ioan. 6. scandalizati sunt in ea nocte qua tradebatur: quid arbitramur
eos passuros fuisse qui primū audiebant, si audissent quia ipse
Matt. 26. erat Christus? Sicut fecit Paulus Atheniensibus adhuc rudi-
bus constitutis, annunciās eis non Christū filium Dei, sed vi-
rum quendam hoc modo. Tempora igitur ignorantiæ despi-
Act. 17. ciens Deus, nunc denūciat omnibus hominibus vbiq; pœni-
tentiā agere, eo quod statuit diem iudicare orbē in æquitate,
in virum quē statuit præstare fidem omnibus, resuscitās eum
à mortuis. Qui ergo vult, hęc quę sūt ad apostolos dicta sunt,
pertinere ad tempora post futura, & necdum apostolos tunc
prædicasse quia ipse esset Christus, huiusmodi dat rationem:
quoniam interim quidem nomen Iesu voluit prędicari: Chri-
stum autē crucifixum tēpore opportuno post passionem, &
resurrectionem, quando & rebus ipsis quod dicebatur pote-
1. Cor. 2. rat approbari. Quod sciēs dicebat Apostolus ad Corinthios:
Nec enim iudicaui me scire quid in vobis, nisi Iesum Chri-
stum, & hunc crucifixum. Ergo primum quidem Iesum præ-
dicauerunt talia & talia facientem, & hæc & hæc prędican-
tem. Nunc autem postquam Petrus confessus est eum Chri-
stum filium Dei viui, quasi nolens eos hoc interim prędicare,
præcepit dicens, vt nemini dicant quia ipse est Christus. Pro-
pter quam autē causam nolebat se interim prædicari Christū,
dat rationem, quoniam oportet eum abire in Hierusalem, &
multa pati. Si quis ergo confunditur in cruce Christi, confun-
C ditur in dispensatione per quam triōphati sunt in ligno prin-
cipatus & potestates, qui genus hominum debellabant, cum
Triumphus crucis. deberet potius gloriari quasi fidelis & sciens hæc dispensata
esse in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem crucifixo
mundo traducti sunt, & triumphati sunt principatus eis solis
qui credunt. In quibus principatus arbitror fuisse etiam prin-
cipem huius mundi. Propterea iuxta passionem factus dice-
bat: Nunc princeps huius mundi iudicatus est: Nunc prin-
Ioan. 12. ceps huius mundi expellitur foras. Quo expulso, Si fuero, in-
quit, exaltatus à terra, omnes traham ad meipsum: videlicet
iam non tantum quantum poterat prius potēte principe, qui
vetabat venire ad Christum eos qui trahebantur ab ipso. Ne-
cessaria ergo res est prædicari Christū Iesum crucifixum: inu-
tile autem est ipsum quidem prædicare, crucem autē eius ta-
cere. Et non sic inutilis mihi videtur qui Iesum quidem Chri-
Crucis prædicatio necessaria. stum dicit, tacet autem natiuitatem eius ex virgine, aut stel-
lam ostendentem natiuitatem ipsius, aut angelos in natiuita-
te eius gloriantes, atque dicentes: Gloria in excelsis Deo, &
pax super terram hominibus bonæ voluntatis: aut alia mira-
Matt. 1. 2. Luc. 2. cula vel signa quę fecit: quomodo qui Christum quidem eum
dicit, crucifixum autē eum abscondit. Propterea volens post-

modum perfectius prędicari, præcepit vt nemini interim di- D
cant quia ipse est Christus: & præparabat eos vt postmodum
dicant quoniā ipse est Christus qui crucifixus est, & surrexit à
mortuis. Et vide diligēter quia nō dixit. [Exinde cœpit dice-
re, vel docere quia oportet eum abire in Hierusalem:] sed ita,
[Exinde cœpit ostendere discipulis suis,] quoniā sicut corpo-
ralia ostendi dicūtur, sic ostendi dicūtur à Christo ea quæ lo-
quebatur: & non sic puto eis qui corporaliter eum multa pa-
tientē viderunt, ostensa fuisse ea quæ videbantur, quomodo
discipulis ostensus est sermo rationabilis de mysterio passio-
nis & resurrectionis ipsius. Et tunc quidem cœpit ostendere,
cōsequēter autē postea capacioribus factis, plenius demōstra-
uit: nō iam quasi rudibus incipiēs ostēdebat, sed proficiens in
ipsa ostēsione demōstrabat. Et sic rationis est intelligere, quia
omnino quod cœpit Iesus, hoc & perfecit. Aliquādo demon-
strabat quod cœperat ostēdere discipulis, quoniā oportet eū
abire in Hierusalē, & pati. Quādo enim de mysteriis istis per-
fectam scientiā ex verbo quis fuerit consecutus, tunc dicen-
dum est ea rationabili ostēsione sensu videore quę ostendun-
tur, consummatā esse ostēsionem, quoniā non capit prophe-
tam perire extra Hierusalem ea perditione, de qua etiam alibi
dicitur: Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet Matt. 10.
eam. Quare oportebat eū abire in Hierusalē, vt multa passus
in Hierosolymis, & interfectus in eis, primitias resurrectionis E
ex mortuis facias in Hierosolymis illis quæ sunt sursum, dere-
linquēs & destruens & dissoluens Hierusalē quę fuerat super
terrā cum omni cultura eius. Quandiu enim non resurrexerat
Christus, nec discipuli eius consurrexerant ei, deorsum quæ-
rebatur ciuitas Dei, & templū quod erat in ea, & altare, & sa-
cerdotes eius, & Leuitæ, & dona, & sacrificia pro peccato, & Heb. 9. 10.
mundationes. Postquā autē resurrexit Christus primitiæ dor-
mientiū, & consurrexerūt ei qui facti sunt conformes morti 1. Cor. 15.
eius, & resurrectioni eius, iam tunc non deorsum ab eis qui
consurrexerūt ei quæritur Hierusalē, vel domus orationis in
ea, vel altare, vel cultura, vel cultores, sed sursum: & quasi qui
cōsurrexerunt & consederūt in cœlestibus in Christo, viden-
tes ea quidē quæ fuerant super terram destructa: quæ autem
erant in cœlis, splendentia. Quæ vt instituerentur, oportebat
eum abire in Hierusalē quæ erat deorsum, & multa pati illic
à senioribus eius, & principibus sacerdotū, & scribis, vt glori-
ficetur ab eis qui cupiūt beneficia eius cœlestibus senioribus,
& diuinioribus principibus sacerdotum, & scribis populi qui
vacant circa literas nō atramento scriptas, sed spiritu Dei viui
manifestatas: vt occidatur quidem in Hierosolymis, quæ est
deorsum: regnet autem resurgens in Sion monte, & ciuitate
Dei viui Hierusalem, cœlesti Sion, de qua dictum est in Psal-
mo secundo: Ego autē constitutus sum rex ab eo super Sion
montem sanctum eius, prædicans pręceptum domini. Ter-
tia autem die resurrexit à mortuis, vt eripiens à maligno, & à
filio eius in quo mendacium erat, & iniustitia, & prælium, &
omnia contraria eis in quibus Christus habetur, adhuc autem
& à spiritu immundo qui transfiguratur in spiritum san- F
ctum, acquirat eis qui fuerint liberati hoc donum, vt ba-
ptizentur spiritu, & animo, & corpore, in nomine patris, Baptismus
& filij, & spiritus sancti, qui sunt tres dies simul instantes in nomine
perpetue eis qui per eos facti fuerint filij lucis. Et accipiens S. Trinitatis.
Iesum Petrus, cœpit eum increpare: Propitius esto tibi do-
mioe, & hoc tibi non erit. Cui dixit: Vade post me Satana,
scandalum mihi es: quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ
hominis.] Quoniam cœperat Iesus ostendere discipulis suis
quia oportet eum abire in Hierosolymam, & multa pati,
adhuc initia eorum quæ ostendebantur discens Petrus, in-
digna hæc filio Dei viui arbitrabatur, & indigna Deo patre
qui reuelauerat ei. Nec enim reuelatum fuerat ei adhuc o-
portere pati filium Dei, & occidi talem & tantum Christum.
Ideo accipiens eum, & quasi oblitus dignitatem Christi, quo-
niam filius Dei viui nihil dignum increpatione dicit aut agit,
cœpit eum increpare, & quasi necessariam habenti propitia-
tionem dicere: [Propitius tibi esto domine.] Nec enim scie-
bat adhuc, quoniam hunc posuit Deus propitiationem per
fidem in sanguine ipsius. Cuius affectū quidem suscipiens Ie- Rom. 3.
sus, ignorantiā autē exprobrās, dixit ei: [Vade post me] quasi
desisteuti per ignorantiam, & per ea quæ non recte dicebat,

G ire post Iesum Christum. Satana autẽ dixit ei, qoasi per igno-
santiam aliquid habenri contrarium Deo: quod Hebræi in-
terpretari sunt contrarius. Si autem uon per ignorantiam di-
Satanas q. contrarius. xisser, neque increpasser filium Dei viui, dicens: Propitius
tibi esto domiue, & hoc tibi uou erit: uuoquam dixisser ei:
Vade post me: quasi desioenti ire post eum, & sequi eum.
Et si noo dixisset contraria eis quæ dicta fuerant ab eo, uon
ei dixisses Satana. Nunc autem præualuerat in eo Satanas,
vt desineret ire post eum, & sequi eum: & fecit eum per
ea quæ in ignorantia dixit, dignum vt audiat, Satana: &,
Scandalum filij Dei: &, Non sapis quæ Dei sunt, sed qoæ
hominis. Quoniam autem fuerat post filium Dei. Petrus an-
tequam peccaret, manifestum est ex eo quod in principio
Matt.4. vocatiouis eorum ita est dictum ad eos: Venite post me, &
faciam vos piscatores hominum: & relictis omnibus secu-
ti sunt eum. Simul autem considera differentiam verbi: quo-
niam ad Petrum quidem dixit, Vade post me Satana: ad
diabolum autem diceotem sibi: Hæc omoia tibi dabo, si
procidens adoraueris me: dixit, Vade Satana, sine addita-
mento post me. Nam ire post Iesum, bonum est. Propter-
Mar.1. ea secũdum Marcum sic dicit: Vidit Simonem & Andream
fratrem eius, & dixit eis: Venite post me, & faciam vos pis-
catores hominum. Tale est etiam illud quod dicit: Si quis nõ
H tollit crucem suam, & sequitur me, ooo est me dignus. Et
Post me. vt breuiter dicam, considera vbicuoque dicitur verbum Post
me, in bono dicitur. Bonum est enim quando quis post do-
minum vadit: contrarium autem, quando aliquis reiicit ser-
Eccl.18. mones domini post se: vel qui transgreditur illud manda-
3.Reg. 19. tum: Post concupiscentias tuas ne vadas. Item Helias in ter-
tio Regnorum libro ad populum dicit: Vsquequo claudica-
tis vos vtrisque pedibus vestris? Si domious est Deus, ire post
Deum. Si autem Baal dominus est, ite post illum. Hæc au-
tem diceos, propter quod diuertebantur ad diabolum, quia
ipse est Satanas. Et nou vade ante me Satana, ad Petrum ait:
sed vade post me Satana. & boc dicit Petro Iesus conuersus
ad eum: nam & hoc prodificans ei fecit. Et beatus ad quem
conuertitur Christus, etiam si corripiendi causa conuertitur,
sicut conuersus est ad Petrũ. Et tu quidem poteris plura con-
gregare huiusmodi exempla, in quibus positum est, Coouer-
sus: & inueoies plerumque ad vtilitatem eorum positum esse,
Lam.5. ad quos conuertitur Iesus. Mihi autẽ proferre sufficit in præ-
Matt.26. senti illud propheticum dicens: Conuertere domine aliquan-
tulum. Item: Conuersus respexit Petrum. Vbi & conuersione
Ioan.1. eius illuminatus Petrus cognouit peccatum suum, & amaris-
sime fleuit. Item secundum Ioannem: Et audierunt duo disci-
puli eius, & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, vidit
illos sequentes se, & dixit eis: Quid quæritis? At illi dixerunt
ei: Magister vbi manes? Adbuc autem requiro quare dixit ad
Petrum, Scandalum mihi es: maxime cum in centesimo de-
I cimooctauo Psalmo Propheta pronunciet dicens: Pax multa
diligentibus legem tuam, & nou est eis scandalũ. Dicet enim
aliquis: Quoniam proprium est eorum qui perfectam habent
1. Cor. 13. benedictionem erga Deum, vt non scandalizentur aliquan-
do. Charitas enim omnia sustinet, omnia credit, omnia spe-
rat: charitas nunquam excidit. Quomodo ergo ipse dominus
qui confirmat omnes qui confirmantur, & erigit omnes eli-
sos, dicit ad Petrum: Scandalum mihi es? Sed ita est respon-
Perfecti nõ scandalizantur. dendum, quoniam non solum Iesus non scandalizatur, sed
nec omnis homo qui in dilectione Dei perfectus est: sed quã-
tum ad se qui tale aliquid vel agit, vel loquitur, scandalum est
alteri, licet ille scandalizabilis sit. Aut certe omnem discipu-
lum peccantem scandalum sibi appellat: sicut & Paulus de
2.Cor.11. huiusmodi discipulis: Quis infirmatur, & ego uon infirmor?
Quis scandalizatur, & ego nou vror? Si ergo Petrus propter
boc solum quia dixit: Propitius tibi esto, & hoc tibi nou erit:
scandalum à Christo est dictus, quasi qui non saperet quæ
Dei erant, sed quæ homiois: quid est dicendum de homioi-
1.Cor.3. bus illis qui profitentur se discipulos Christi, non autem sa-
piunt quæ sunt Dei, nec aspiciont ea quæ non videntur æter-
na, sed quæ hominum sunt aspiciunt, quæ videntur, & tem-
poralia sunt? Sine dubio multo magis huiusmodi homines
Matt.25. scandala Christi sunt appellandi. Sed & qui fratrem suum in
scandalum mittit, scandalum Christi est, secundum quod ip-
se dicit: Esuriui, & dedistis mihi manducare, & cætera. Sicut K
ergo qui fratrem suum cibat, Christum cibat: sic & qui fratri
suo scandalum fuerit factus, Christo factus est scandalũ. Non
est ergo leue peccatum sapere quæ hominum sunt, cum de-
beat quis in omnibus sapere quod est Dei. Hoc autem quod
dicit, Scãdalum mihi es, quia non sapis quæ Dei sunt, sed quę
hominum: non solum dicendum est peccantibus in conuer-
satione, sed & omnibus qui à dogmatibus Dei ceciderint, &
ab omnibus ecclesiasticis verbis, & ab omni sapientia verita-
tis, & dogmata sapuerint (verbi gratia) Basilidis, vel Valenti-
ni, vel Marcionis, aut cuiuscunque eorum qui humana do-
cent quasi diuina.

Tractatus. 11. Cap. xvi.


IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Si
quis vult post me venire, abneget semetipsum,
& tollat crucem suam, & sequatur me.] Quo-
niam superius diximus magni boni esse ire *Christum sequi.*
post Christum, ideo conferamus omnium E-
uangelistarum de hoc loco conuenientia verba. Et Marcus *Mar.8.*
quidem dicit hoc modo: Et conuocans populum cum di- L
scipulis suis, dixit eis: Si quis vult post me venire, abneget
semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Lucas *Luc. 9.*
autem ita: Dicebat ad omnes: Si quis vult post me venire, ab-
neget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.
Ergo per hos omnes manifeste cognoscimus, quoniam non
est qualiscunque virtutis ire post Christum, & sequi eum. *Abnegare seipsum.*
Et nemo potest ire post Christum, nisi denegauerit se. Dene-
gat autem seipsum, qui priorem vitam suam malam bona
conuersione relinquit: vtputa aliquando luxuriosus denegat
se luxuriosum, conuersus ad castitatem: & qui erat iniustus,
denegat se iniustum cum cœperit seruare iustitiam. Sic & qui
insipiens fuerat aliquando denegat se insipiẽtem, sapientiam
dei suscipiens. Et timidus aliquando confirmatus in virtute
dei, timidum denegat se. Sic & in omni malitia est dicẽdum:
qui se ab ea conuerterit secundum quod præcepit Iesus,
denegat quod fuerat. Consequenter autem est requirendum *Confiteri seipsum.*
ne forte quis sicut denegat seipsum, sic & confiteatur seip-
sum, denegans se quidem iustum, confitens autem se iustum.
Sed si iustitia Christus est, qui iustitiam suscepit, non se con-
fitetur, sed Christum. Sic & qui sapientiam inuenit, post hoc
ipsum quod sapiẽter agit confitetur Christum. Nam & is qui *Rom. 10.*
corde credit ad iustitiam, ore autem confitetur ad salutem, &
operibus Christo testimonium præbet, & verbis, quasi qui
per omnia hæc confessus est Christum coram hominibus, vt
confiteatur illum coram patre omnium Christus. Sic & ecõ-
tra qui non denegat semetipsum, se quidem confitetur, de-
negat autem Christum: & quasi qui denegauerit Christum,
denegabitur & ipse à Christo. Propterea omnis cogitatio no- M
stra & intellectus, & omnis sermo, & omnis actus nostram
quidem denegationem spiret, Christi autem testimonium at-
que cõfessionem. Credo enim hominis perfecti omnes actus
testimonium Christi esse: & abstinentiam omnium peccato-
rum denegationem hominis esse ducentem eum post Chri-
stum. Iste enim talis Christo crucifixus est, & tollens crucem
suam sequitur eum, qui propter nos crucem suam portauit:
secundum quod scriptum est in Ioanne. Receperunt ergo Ie- *Ioan. 19.*
sum, & adduxerunt, & imposuerunt super eum crucẽ, & por-
tans crucem suam egressus est in locum qui dicitur Caluarię.
Adhuc autem in eo quod dicit: Abneget semetipsum: vide- *Gal.2.*
tur mihi vtile esse exemplum Pauli denegantis seipsum, &
dicentis: Viuo autem iam non ego: viuit autem in me Chri-
stus. Quod enim dicit: Viuo iam non ego: vox est denegantis *1. Cor. 1.*
seipsum: & quasi qui deposuit suam vitam: suscepit autẽ Chri-
stum in se, vt ipse viuat in eo quasi iustitia, quasi sapiẽtia, quasi
sanctificatio, quasi pax nostra, quasi virtus Dei, in eo operans
omnia hęc. Adhuc autem vide & hoc, quod cum multi essent
modi mortis, in ligno suspensus crucifixus est filius Dei: vt *Gal.6.*
omnes qui moriuntur peccato, non alio modo moriantur ei
nisi secundũ crucẽ, vt dicere possint, Christo crucifixus sum.
Item: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri
Iesu Christi, per quẽ mihi mũdus crucifixus est, & ego mũdo.
Quamuis

A Quamuis ergo videatur se abstinere aliquis à peccato, & sit mortuus quantum ad peccatum, tamen nisi in crucem Christi crediderit, & in fide eius qui crucifixus est abstinuerit se à peccato, non potest dicere: Ego autẽ Christo crucifixus sum. Forsitan autem & vnusquisque eorum qui cum Christo crucifiguntur, exuit se principatus & potestates, & traducit eas, & triumphat eas in ligno: magis autẽ Christus in eo hæc omnia facit. [Qui enim voluerit saluam facere animam suã, perdet illam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid autem proficit homo, si totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum faciat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?] Dupliciter possumus intelligere hoc verbum. Primũ hoc modo. Si quis amator vitæ præsentis, & putans hanc vitam præsentem esse optimam parcit animæ suæ timens mori, & putans animam suam per hanc mortem perire, iste volens hoc modo saluare animã suam, perdet illam, alienam faciens eam à vita æterna. Si quis autem contemnens vitam præsentem propter Christi verbũ, & confidens de vita æterna, vsque ad mortẽ pro veritate certauerit, perdet quidem animam suam quantum ad vitam præsentem, tradens eam pro pietate in mortem, quæ abusiue dicitur mors: sed quoniam propter Christum perdidit animam suam, magis eam facier saluã in vita æterna. Alio autem modo sic intelligimus textum. Si quis intelligit quæ est vera salos, & acquirere vult eam salutem animę suę: iste abrenũcians hanc vitam, & denegans seipsum, & tollens crucem suam, & sequens Christum, perdit quantum ad voluntates carnales animam suam propter Christũ, & propter omnem doctrinam eius: & perdens animam suam hoc modo, saluat eam per opera pietatis. Denique quasi ad superiora reddens rationes, sic adiecit: [Qui enim voluerit saluam facere animam suam, perdet illam.] Dicendo, Qui enim voluerit, præcedentem & sequentem vnum sensum esse ostendit. Si ergo quod superius dixit: Abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: de morte sola dixit: & hoc quod dicit, Qui voluerit saluam facere animam suam, perdet illam: consequenter de sola morte dictum intelligere debemus. Si autem abnegare, & tollere crucem, non solum est mori pro Christo, sed carnalem conuersationem reiicere: sine dubio & perdere animam, non solum mori est, sed etiam deponere voluntates carnales. Simul autem considera, quoniam in principio quidem non dicit, qui saluauerit animam suam, perdet illam: sed qui voluerit animam suam saluare, perdet eam. In sequentibus autem nõ dicit, qui autem voluerit animam suam perdere propter me, hic saluam faciet eam: sed ita: Qui perdiderit animam suam propter me, hic saluam faciet eam. Volentes ergo saluare animam nostram, perdamus eam huic mundo, quasi C crucifixi cum Christo, & habentes gloriationem in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem nobis crucifixus est mundus, & nos mundo, vt consequamur salutem animarũ nostrarum in conuersatione vitæ melioris. Itaque secundum ea quę diximus videtur mihi simile esse hoc ei quod dixit: Abneget semetipsum, & tollat crucem suam. Qui enim denegat se, & tollit crucem suam, ipse est qui perdit animam suam propter Christum: & perdens, melius eam saluat. Et qui perdit animam suam quantum ad voluntates carnales, ipse est qui denegat se, & tollens crucem sequitur Christum. [Quid autem proficit homo, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat?] Puto quod mundum lucretur, qui non abnegat semetipsum, nec tollit crucẽ suam, & sequitur Christum, secundum ea quæ diximus: nec perdit animam suam quantum ad voluntates carnales, vt saluet eam in conuersationibus spiritalibus, cui mundus non crucifigitur in cruce domini nostri Iesu Christi. Cui autem non crucifigitur mundus, ipse facit animæ suæ detrimentum. Ideo duobus nobis propositis, vt si voluerimus lucrari, perdamus animas nostras: aut si animas nostras voluerimus lucrari, perdamus hunc mundum, magis est eligendum vt mundum perdamus, & lucremur animas nostras, ex eo quod propter Christum perdimus eas. [Aut quam dabit commutationem homo pro anima sua? In prima quidem facie commutatio animæ est substantia, vt det substantiam suam homo pauperibus, & saluet animam suam. Puto autem quod non habet aliquis

Mors abusiuè quæ?

Gal. 6.

Mundũ lucrari aut perdere.

homo quod dans quasi commutationem animæ suæ quæ D tenetur à morte, liberat eam de manu eius. Ergo homo quidem non potest dare aliquam cõmutationem pro anima sua. Deus autem pro animabus omnium dedit commutationem preciosum sanguinem filij sui: nec enim empti sumus corruptibili argento, vel auro, sed precioso sanguine agni immaculati. Nam filius hominis venturus est in maiestate patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius. Nunc quidem filius hominis venit, sed non in gloria sua. Vidimus enim eum, & non habebat speciem neque decorem, sed species eius inhonorata, & contemptibilis præ filiis hominum, homo cum esset in plaga & dedecore, & sciens ferre infirmitatem, quoniam auersa est facies eius, & pro nihilo æstimata. Et vere oportebat eum talem venire vt peccata nostra portaret, & pro nobis doleret. Nec enim decebat eum in gloria constitutum peccata nostra portare, neque dolere pro nobis. Sed & veniet in gloria sua cum antè præparauerit discipulos suos per aduentum suum, non habentem speciem neque decorem, factus sicut illi, vt illos faceret sicut seipsum conformes imagini glorię suæ. Quoniam prius factus est ipse conformis corpori humilitatis nostræ, quando semetipsum exinaniuit formam serui suscipiens, vt restituat eam in forma Dei, quando ista prouenient, quando Apostolicum illud im- E plebitur quod dicit: Omnes enim nos oportet stare ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Si autem vnicuique secũdum actum est redditurus, nec pro solis bonis actibus reddet sine malis, nec pro solis malis sine bonis, sed secundum omnem actum bonum, & secundum omnem actum malum recipiet vnusquisque. Arbitror autem in istis quidem credens Apostolo, Ezechieli autem in illis, quoniam eius delentur peccata qui perfecte conuertitur, & qui plenius ceciderint, eis pręcedens iustitia non imputatur. Nobis autem qui inter perfectos, & inter apostatas medij sumus, reddetur ante tribunal Christi secundum quod gessimus siue bonum siue malum: quia nec sic plenius conuersi sumus ad Deum, vt nobis omnino mali actus non imputentur: nec sic auersi sumus, vt obliuiscatur Deus si quæ fecimus opera bona. Si autem moraliter potueris intelligere differentias verbi, quod & in stultitia prædicationis annunciatur credentibus, & in sapientia inter perfectos: videbis quomodo verbum Dei eis quidem qui nouiter indocuntur ad fidem, formam habet serui, vt dicant: Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem: perfectis autem venit in gloria patris sui, vt dicant: Et vidimus gloriam eius, gloriam tanquam vnici à patre, plenum gratiæ & veritatis. Perfectis enim apparet gloria verbi, & quia vnicum est à patre, & quia plenum est gratia simul & veritate: F quod non potest capere qui indigens est stultitiæ prędicatione. Nam filius hominis venturus est in maiestate patris sui non solus, sed cum angelis suis. Et si intelligere potes omnes cooperatios verbi, quod in sapientia demõstratur, quod est Christus, conuenientes ei, videbis quomodo venit filius hominis in maiestate patris sui cũ angelis suis. Angeli enim illius sunt prophetarum sermones: & vide si potes dicere quorum prophetarum sermones qui prius sunt passi ante istius verbi aduentum, contemptibiles erant non habentes speciem neque decorem, secundum similitudinem huius verbi non habentis speciem neque decorem. Sicut autem venit filius hominis in gloria patris sui, sic prophetarum sermones angeli facti veniunt cum eo in maiestate secundum similitudinem verbi venientis in maiestate: quia nec possibile est ante spiritaliter secundum veritatem intelligere prophetarum sermones, nisi cum spiritaliter intellectum fuerit verbum Christi, vt videantur simul apparere in maiestate. Quando autẽ huiusmodi verbum venerit cum angelis suis ad sensum credentis, dabit vnicuique de gloria sua & de claritate angelorum suorum secũdum actum vniuscuiusque: quoniam quanto melior fuerit in actibus suis, tanto spiritalius intelligit Christum vel prophetas ipsius. Amen dico vobis, quoniam sunt quidam hic stantes qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo.

Preciũ pro nostris animis.

Es. 53.

2 Cor. 5.

Ezech. 18.

Medij inter perfectos & Apostatas iudicantur secundum opera sua.

Esa. 53.

Ioan. 1.

Angeli prophetici sermones moraliter.

G IN illo tempore, assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum & Ioannem fratrem eius in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos] Quidam sic intelligunt, quoniam non gustauerunt mortem hi tres Apostoli priusquam viderent filium hominis venientem in regno suo, & in gloria sua. Videntes enim ante se Iesum transfiguratum, ita vt fulgeret facies eius tanquam sol, & vestimēta candescerent sicut lumen, viderunt regnum Dei veniens in virtute. Nam quemadmodum si consistant circa imperatorem quidam armati, sic Moyses & Helias visi sunt circa Christum eis qui ascenderant super montem excelsum apparentes in maiestate, & loquentes cum Iesu, dicebant exitum eius quem impleturus erat in Hierusalem. Hæc autem expositio quam diximus *1. Pet. 2.* conuenit eis qui tales sunt quales nominat Petrus, facti sicut *1. Cor. 3.* modo generati infantes, desiderantes rationabile & sine dolo lac. Ad quos etiam Paulus loquebatur dicens: Lac vobis *Lac scripturarum simplex text⁹.* potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec vsque adhuc potestis. Et omnem expositionem quæ secundum textum exponitur, & potest ædificare eos qui expositionem non capiunt fortiorem, arbitror recte lac appellari, quod fluit *Gen. 21.* de sancta scripturarum terra. Qui autē ablactatus est, quem- *Fortior cibus.* admodum Isaac, dignus lætitia & susceptione quam fecit in H ablactatione filij Abraham, sine dubio quæret & in istis, & in omni scriptura fortiorem cibum, qui alter est ab eo cibo qui cibus quidem est, sed non fortis cibus, qui appellatur holera: qui ablactato quidem, non autem forti, sed infirmo est cibus, *Rom. 14.* secundum quod ait Apostolus, Qui autem infirmatur holera *1. Reg. 1.* N manducet. Sic & Samuel ablactatus, & transmutatus à matre ad Deum, & appositus Deo à matre, quæ vocabatur Anna, interpretata hebraice gratia, & si quis fuerit gratiæ filius vt quærat quasi in templo Dei nutritus carnes, sanctam escam perfectorum simul & sacerdotum. Quæ autem videntur mihi in loco præsenti, sunt ista. Erant quidem stantes vbi stabat Iesus, & fundatas habentes apud Christum animæ bases. Hi ergo stabant ibidem apud Iesum, id est verbum Dei, sed non omnes æqualiter stabant. Est enim & inter eos qui stabant apud Iesum, ad alienitum differentia standi. Propterea non omnes qui stabant apud Iesum, sed quidam ex eis quasi qui melius stabant, dicuntur non gustare mortem donec videant verbum Dei quod venit ad homines. Ideo autem verbum illud quasi filius hominis venire in regno suo refertur, quia nō semper quando venit verbum in regno suo venit. Eis enim qui in primis inducuntur ad fidem tale est, vt dicant videntes eum non gloriosum, neque magnum, sed inferius multis ho- *Esa. 53.* minum verbis: Vidimus eum & non habebat speciem, neque decorem, sed species eius sine honore, & abiecta præ filiis I hominum. Hæc dicent qui vident gloriam eius de præteritis temporibus suis, quando in primis non videbatur eis verbum habere speciem gloriosam secundum quod in primordio suo intelligebant. Ergo extra istum vulgarem & manifestissimum intellectum, quem in primordio suo intelligunt accedentes *Regalis intellectus scriptura.* ad fidem, est aliquis dignior, & quasi regalis intellectus in verbo, quem non omnes stantes apud Iesum vident: sed qui possunt eum sequi præcedentem & ascendentem super excelsum suę manifestationis montem: qui sunt sicut Petrus, quem supra descripsimus, vel sicut filij tonitrui qui nascuntur ex *Mar. 3.* magniloquio Dei tonantis, & magnifica cœlitus clamantis ad eos qui habent aures & sapiunt. Isti ergo qui sunt sicut Petrus, vel sicut filij tonitrui Iacobus & Ioannes, non gustabunt mortem, donec viderint filium hominis venientem in regno suo, & in gloria sua, & regnum Dei veniens in virtute. Vt autem manifestius exponamus quid sit videre verbum veniens in regno suo, & in gloria sua, & quid significet videre regnum Dei veniens in virtute, siue dum ex se splendet in cordibus nostris, siue dum quærentibus inuenitur, siue dum ingreditur in cogitationes nostras, vnusquisque iudicet quod exponimus, prout vult. Tamen qui videt & comprehendit eminentiam verbi Dei, quod soluet, & conuincet omnes persuasiones mendaciorum profitentium veritatem, videt filium hominis, id est, verbum, venientem in regno suo. Et qui verbum Dei filium videt, non solum soluentem & conuincentem aduersariorum persuasiones, sed etiam suas euadentias declarantem, videt non solum regnum, K sed & gloriam verbi Dei. Et iste talis in seipso videt regnum Dei veniens in virtute, non in infirmitate. Qui autem non est ita confidens in regno Dei vt omnia pati contentus sit propter illud, sed est dubius, & timidus de spe regni, ille non videt in se regnum Dei veniens in virtute. Et hoc ille videt in quo non regnat peccatum, nec tenetur sub dominatione peccati quod regnat in corpore mortali peccantium, sed est sub rege omnium Deo. Dicit enim Apostolus: Et ego fratres *1. Cor. 3.* non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quasi paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec vsque adhuc potestis. Nam cum sint inter vos æmulationes, & contentiones, nonne carnales estis & secundum hominem ambulatis? Item alibi: Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Si ergo qui adhuc carnales & paruuli sunt in Christo, & non sunt perfecti, non possunt intelligere sapientiam verbi, nec capiunt spiritalem eius intellectum, quomodo videant mente sua eminentiam verbi, id est regnum verbi, & gloriam verbi, qui diuersis sunt inuoluti peccatis. Quid est autem mortem gustare, videamus. Duæ res sunt sibi contrariæ, mors *Mortem gustare.* & vita. Et vita quidem est ille qui dixit: Ego sum vita. De *Ioan. 14.* qua scriptum est: Quod autem factum est in eo, vita est, id *Ioan. 1.* est in verbo. Inimica autem vitæ huius, mors est: quæ & L nouissima inimicorum omnium destruetur, qua peccans a- *1. Cor. 15.* nima moritur, quando dicitur in lege: Dedi ante faciem *Deut. 30.* tuam vitam & mortem, elige vitam. Ex quibus alterum v- *Ioan. 6.* nusquisque nostrum per ea quæ agit, eligit semper. Sicut ergo vita est & viuus panis qui de cœlo descendit, & vitam dedit huic mundo: sic & inimica eius mors, panis est mortuus. Omnis autem rationabilis anima, aut viuo pane nutritur, aut mortuo, per ea quæ suscipit opera vel dogmata bona vel mala. Et quemadmodum est in communi pane, vt quis aliquando quidem gustet eum tantum, aliquando autem & amplius eum manducet: sic & in istis panibus, quidam quidem modicum manducant, tantum gustantes: quidam autem & abundantius ex eis manducant: boni quidem de viuo pane qui de cœlo descendit: mali autem ex mortuo pane, qui est mors. Et forsitan qui & raro, & modicum peccant, tantummodo gustant mortem: qui autem perfectius susceperint spiritalem virtutem, neque gustant eam, sed viuo pane semper vescuntur. Consequens ergo erat Petrum, cui portæ inferorum non præualebant, vt neque gustaret mortem: quoniam *Petro non præualent inferorum portæ.* tunc quis gustat vel manducat mortem, quando portæ mortis præualent contra eum, vel parum vel multum. Sed & filiis tonitrui natis ex magniloquio, id est ex tonitru, impossibile erat mortem gustare. Hoc ergo perfectus sermo prophe- *Mar. 3.* tat, vt ex eo quod stantes sunt apud verbum, tantum profi- M ciant, vt neque gustent mortem donec videant aduentum, & gloriam, & regnum, & eminentiam verbi Dei secundum quam eminet super omne verbum quod adhuc interim diuellit & trahit homines suspitione veritatis, eos qui non possunt dirumpere vincula diuulsionis, & ascendere ad eminentiam verbi veritatis. Sed forsitan videtur quibusdam, quasi promissio hæc Saluatoris tempore aliquo terminetur, vt non quidem gustent mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo, postea vero gustent. Ideo oportet vt proferamus exempla, secundum quam scripturæ consuetudinem positum sit quod dicit, Donec videant:] non omnino definiens tempus, vt postquam transierit illud donec, fiat quod ante non fuerat factum: sed rem quæ necessaria est exponit. Dicit enim Dominus ad vndecim discipulos suos cùm surrexit à mortuis: Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Ergo vsque ad consummationem seculi cum illis erat futurus: post consumma- *Matt. 28.* tionem autem seculi huius instante futuro seculo iam non se promittebat fore cum eis, vt melius esset discipulis hoc tempus quod est ante consummationem seculi quàm illud futurum. Nam etsi audeat aliquis dicere, quoniam post consummationem seculi iam non erit cum discipulis suis Iesus, quoniam sermo tamdiu cum illis eum futurum esse demonstrat manifestum est tamen quoniam quod quærebatur hoc erat, si ante futurum seculum, & ante promissiones illas speratas

tas

A ras dei, cum discipulis suis erat futurus filius Dei. Conuenienter autem requiro, cum sit manifestum quia vsque ad consummationem seculi cum discipulis suis sit, verum semper cum discipulis suis sit, aut aliquando quidem est, aliquando autem non est. Hoc autem quæro propter illud quod dixit: Et ecce ero vobiscum omnibus diebus: ne forte per dies quidem sit cum discipulis suis, per noctes autem non sit. Si autem propter hoc quod dixit in diebus cum discipulis se futurum, non est in noctibus, absurdum putamus dicere quoniam in noctibus, denegauit se cum discipulis suis futurum, sine dubio non cogimur illum suscipere intellectum vt dicamus, gustare eos mortem qui viderunt filium hominis venientem in regno suo, postquam digni habiti sunt talem illum videre. Sed quemadmodum in ea scriptura quam diximus, necessarium erat cognoscere quoniam vsque ad consummationem seculi non fuerat nos relicturus, sed nobiscum futurus omnibus diebus: post consummationem autem seculi reliquit quasi manifestum, quia multo magis nobiscum erat futurus: sic & in hoc loco arbitror manifestissimum esse omnibus qui intelligere possunt consequentiam rerum, quoniam qui semel vidit filium hominis venientem in regno suo, & vidit eum in gloria sua, & regnum veniens in virtute, post tantorum bo- B norum spectaculum iam nequaquam gustabit mortem. Sine verbo autem promissionis Iesu, non sine ratione forsitan existimabimus gustare mortem quamdio digni habiti non fuerint homines videre filium hominis venientem in regno suo, & in gloria sua, & regnum Dei in virtute. Quoniam hic quidem scriptum est apud tres Euangelistas, non gustabunt mortem, in aliis autem scripturis varia de morte sunt dicta: non est superuacuum vt etiam illa conferentes cum istis discutiamus largius quid sit mortem gustare. In Psalmis dictum est. *Psal.89.* Quis est homo qui viuet & non videbit mortem? Item alibi: Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes. Item apud aliquem Prophetarum: Absorbuit mors præualens. Item in reuelatione, mors & infernus quosdam sequuntur. *Mortem gustare & videre differunt.* Videtur ergo mihi in istis, quia aliud est mortem gustare, aliud autem mortem videre, aliud venire super aliquos mortem, aliud absorbere mortem, aliud autem mortem sequi. Quæro autem in istis, ne forte grauius sit gustare mortem quàm videre: item peius est quem sequitur mors, quàm qui gustat: & non solum vt sequatur, sed etiam vt veniat super aliquem mors, & comprehendat quem sequebatur. Absorberi autem à morte, omnibus videtur mihi grauius esse. Si autem consideraueris peccantium differentias, puto quod non dubitabis suscipere hæc quæ de mortis differentia sunt C tractata à nobis, & dicta in scripturis per spiritum sanctum. [Post dies autem sex secundum Matthæum & Marcum, assumens Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, duxit eos super montem excelsum, seorsum, & transfiguratus est ante eos.] Videntur mihi qui ducuntur à Iesu super montem excelsum, & digni habentur videre transfigurationem eius secrete, quia non in vanum post sex dies dicuntur. Quoniam enim in sex diebus perfecti numeri totus factus est visibilis mundus, ideo arbitror eum qui transcendit omnes mundi res, considerans iam non quę videntur, temporalia enim sunt, sed quæ non videntur, quoniam sunt æterna, ille potest ascendere super montem excelsum Christo se præcedente, ille potest & gloriam aspicere verbi Dei. Si ergo quis nostrum cupit Christo se assumente ascendere super montem excelsum, & videre secrete transfigurationem ipsius, transcendat opera sex dierum, non aspiciens quæ videntur, neque diligens mundum, nec ea quæ sunt in mundo, nec concupiscat aliquam concupiscentiam mundialem, quæ est concupiscentia corporum, & corporalium diuitiarum, & gloriæ corporalis: nec omnia quæcunque solent auellere & trahere à melioribus, & diuinis, & ad inferiora deponere. *Nouum Sabbatum.* Cum autem transcenderit sex (secundum quod diximus) dies, nouum Sabbatum sabbatizat exultans in monte excelso, in eo quod videt transfiguratum Iesum ante oculos cordis sui. Diuersas autem habet verbum Dei formas apparens vnicuique secundum quod videnti expedire cognouerit, & nemini supra quod capit semetipsum ostendit. Quæres autem quando transfi- D guratus est coram eis quos duxerat super montem excelsum, si apparuerit eis in forma Dei in qua fuerat prius: vt his quidem qui erant deorsum haberet formam serui, sequentibus autem se post sex dies super montem excelsum, iam non haberet formam serui, sed Dei? Sed audi si potes quasi spiritalis, quia non dixit simpliciter transfiguratus est, sed cum quodam necessario adiuuamento quod scripserunt Matthæus & Marcus. Secundum ambos enim sic est dictum, [Transfiguratus est coram eis.] Secundum ergo hoc dices possibile esse Christum coram quibusdam quidem transfigurari ista transfiguratione: coram aliis autem in ipso tempore non transfigurari, sed esse in forma serui. Si autem vis transfigurationem Christi videre factam coram eis, qui ascenderunt super montem excelsum secrete cum eo: considera mihi in Euangeliis Iesum, quomodo simpliciter intelligitur ab eis qui non ascendunt per ascendentia opera, & per exercitationem verborum spiritalium super excelsum sapientiæ montem: eis autem qui ascendunt iam non secundum carnem cognoscitur, sed Deus verbum intelligitur, & creditur, & colitur secundum Dei formam. Coram his ergo transfiguratur Iesus, & non coram illis qui sunt deorsum, in conuersatione terrena viuentes. Siquando autem fuerit transfiguratus, & facies eius fulgebit sicut Sol, vt clarus inueniatur *Rom.13.* filius lucis qui spoliauerunt se opera tenebrarum, & induerunt se arma lucis, & iam non sunt filij tenebrarum & no- E ctis, sed facti sunt filij Dei, & sicut in die honeste ambulant: & manifestus fulget eis non simpliciter sicut Sol, sed ostenditur eis Sol esse iustitiæ. Et non solum transfiguratur coram talibus discipulis suis, sed etiam vestimenta ipsius fiunt candida sicut lumen, quæ sunt sermones & literæ Euangeliorum quibus Iesus est indutus. Puto autem etiam illa, quæ ab Apostolis dicuntur de eo, vestimenta esse Iesu, quæ fiunt ascendentibus super montem excelsum cum Iesu candida. Sed quoniam candidorum differentiæ sunt, non fiunt qualitercunque candida, sed candida, sicut lumen. Siquando ergo videris aliquem non solum erga diuinitatem Christi cautum, atque perfectum, sed & dicta Euangeliorum omnia manifestantem, non dubites dicere, quod ei tali vestimenta Christi facta sunt candida sicut lumen. Quòd si ita intelligatur, & conspiciatur transfiguratus filius Dei, vt facies eius sit sicut Sol & vestimenta eius candida sicut lumen, statim apparebat coram huiusmodi hominibus videntibus Iesum talem, etiam Moyses, id est lex, & Helias, id est prophetæ colloquentes cum Iesu. Tale est enim aliquid quod significat sermo dicens, [colloquentes cum eo.] Secundum Lucam autem Moyses & Helias visi in gloria dicebant exitum eius, quem impleturus erat in Hierusalem. si quis autem intelligit F spiritalem legem conuenientem sermonibus Iesu, & in prophetis absconditam in mysterio sapientiam, ille vidit Moysen & Heliam in gloria, quando viderit eos vnum cum Iesu. Itaque & illud quod secundum Marcum dicitur, oporter exponere, quod est tale, [Et dum orat transfiguratus est:] *Mar.9.* ne forte tunc maxime videamus verbum coram nobis transfigurari, si ea quæ prædicta sunt fecerimus, si ascenderimus super montem, & viderimus Iesum colloquentem cum patre, id est, conuenientia patri loquentem, & orantem, id est subdentem se patri soli vero Deo. Cum autem sic visus fuerit loquens cum patre, & orans eum, tunc secundum Marcum vestimenta eius splendida & candida fiunt sicut nix, *Mar.9.* qualia fullo super terram non potest facere candida, coram eis qui vident eum loquentem cum patre, & orantem patrem. Et forsitan fullones super terram possumus moraliter existimare sapientes seculi huius, qui præsunt, & diligentiam *Fullones sapientes.* adhibent quibusdam hominibus per sermonem doctrinæ suæ, quem ipsi existimant clarum & mundum, ita vt putentur ornare etiam turpes intellectus, & dogmata falsa fullonicare ingeniis suis. Qui autem splendentia vestimenta sua ascendentibus super montem ostendit, & splendidiora quàm illorum ars fullonia facere potest, sermo est qui ostendit spiritalium intellectuum splendorem in dictis scripturarum imperitis, quæ à plurimis contemnuntur. Post hæc videamus quid intelligens Petrus Domino dixit: [Domine bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria taber- *Matt.17.*

G naculą: vnum tibi, vnum Moysi, vnum Heliæ.] Propterea autem maxime hoc existimo requirendum, quoniam Marcus quidem quasi ex sua persona adiecit dicens. [Nec enim sciebat quid responderet.] Lucas autem dicit, Hoc inquit Petrus nesciens quid loquebatur. Si enim nesciens quid loquebatur hæc locutus est, considerandum est ne forte per excessum mentis hæc loquebatur motus quodam spiritu alieno. Spiritum autem sanctum existimare non possumus. Nec enim venerat super aliquem credentium in Iesum spiritus sanctus sicut testatur Ioannes, quia Iesus nondum fuerat honorificatus, sed alieno spiritu motus loquebatur qui nesciebat quod loquebatur. Necdum enim principatus & potestates traducti & triumphati erant in ligno. Et iste forsitan spiritus erat quem supra scandalum sibi pronunciauerat Christus & satanan, dicens: Vade post me Satana, scandalum mihi es. Scio autem quod hæc quæ dico multis legentibus & non sapienter iudicantibus contraria & aspera videbuntur, quasi in blasphemiam Petri dicta, qui paulo ante beatus à Christo est dictus, cui non caro & sanguis, sed Deus pater reuelauit notitiam filij sui. Sed qui putant Petrum vel cæteros Apostolos ante passionem Christi fuisse perfectos, & liberos ab omni spiritu alieno, dicant quomodo eos eripuit à maligno, vel vnde eos redemit precioso sanguine suo. Aut dicant in tempore transfiguratio-

Excessus mentis.
Ioan.7.
Matt.16.

H nis Christi vnde erant grauati somno, sicut exponit Lucas. Aut certe vt ad præsentem expositionem præterita reuocemus, putas est vt aliquis scandalizetur in Christo, sine operatione diaboli scandalizantis? Et potest aliquis denegare Christum, & hoc in conspectu ancillulæ & ostiariæ, & in conspectu omnium abiectorum, nisi fuerit inimicus, & denegator spiritus cum spiritu & sapientia quæ datur eis qui adiuuantur à Deo secundum aliquam animæ dignitatem ad confitendum? Si ergo ita est, ne forte ille spiritus qui voluit quantum ad se Christum scandalizare vt recederet à passione omnibus hominibus salutari, ipse etiam operatus hic seductoriè vult auellere Christum sub colore boni, vt non condescendat hominibus, nec veniat ad eos, nec suscipiat mortem pro eis, sed remaneat in monte excelso cum Moyse, & Helia. Promittit autem & facere tria tabernacula, vnum priuatim Iesu, alterum Moysi, aliud Heliæ: quasi non eos capiente tabernaculo vno, in quo omnes simul consistere deberent. Forsitan & in hoc malitiose operabatur per eum qui nesciebat quid loquebatur, nolens esse simul Iesum, & Moysem, & Heliam, sed separare eos ab inuicem trium tabernaculorum obtentu: quod fieri non poterat. Nam si in vnum sint Christus, & lex, & prophetæ, tunc & Christus Dei filius comprobatur, & lex & prophetæ

Vnũ tabernaculum trium.
Christus à lege & prophetis non seiungendus.

I vera prophetasse inueniuntur: quoniam lex & prophetæ testimonium dederunt de Christo, prædicentes ea quæ futura erant de Christo: & Christus testimonium dedit legi & Prophetis, quoniam vera prophetarunt, prophetiam eorum ipsis rebus adimplens. Si autem separentur ab inuicem, nec Christus ostenditur, nec Prophetæ vera dixisse inueniuntur. Quod fieri cupiebat mala suggestio Petri dicentis: [Faciamus tria tabernacula, vnum tibi, vnum Moysi, vnum Heliæ,] propter quod Euangelistæ dixerunt de Petro, [Nesciens quid loquebatur.] Falsum autem erat & illud quod dicebat, [Bonum est hic nos esse.] Si enim bonum fuisset illic eos esse, mansissent vtique ibi, non recusassent quod erat bonum. Si autem falsum fuit quod dixit, Bonum est nos hic esse, intellige quis suggessit loqui falsum, nisi ille qui mendax est & pater eius? Et sicut non est veritas sine opere eius qui dixit, Ego sum veritas, sic non est loqui mendacium sine diabolo autore mendacij. Contraria ergo sibi adhuc erant in Petro, veritas & mendacium. Et de veritate quidem dicebat, Tu es Christus filius Dei viui: in quo & beatificatus est, & per promissionem meruit fieri ecclesiæ fundamentum. Ex mendacio autem, quod dixit: Propitius tibi esto, & hoc tibi non erit. Falsum enim inuentum est quod dixit, & hoc tibi non erit. Postquam enim abiit in Hierosolymam, multa passus est à quibus passus est. Et quod dixit: Bonum est nos hic esse, dixit suggerente sibi mendacio. Qui autem non vult ex aliqua operatione mali spiritus Petrum ista dixisse, sed ex arbitrio suo puto, quomodo K defendat illud quod Euangelistæ dixerunt de eo. [Hæc autem dixit Petrus nesciens quid loquebatur?] Vere autem quoniam & illic quasi execrabile existimabat atque indignum occidi filium Dei viui, quem iam reuelauerat ei pater, dixit: Propitius tibi esto, & hoc tibi non erit.] Et hic vt vidit duas formas Iesu Christi, multum autem distantem eam quæ ex transfiguratione in eo fuerat demonstrata, delectatus in ea dixit: Bonum est nos hic esse, vt ipse & qui erant cum eo delectarentur videntes transfigurationem ipsius & splendentem faciem eius quemadmodum solem, & vestimenta eius candida sicut lumen, nec non etiam Moysen & Heliam quos semel in gloria viderunt semper viderent, & delectarentur audientes eos ad inuicem colloquentes, Moysen & Heliam ad Christum, Christum autem ad eos. Quia necdum moralem aliquem huius loci contigimus sensum, sed simplicem verborum intelligentiam exequentes, hæc sumus locuti, videamus nunc ne forte ascendentes ad altitudinem dogmatum veritatis, & transfigurationem Christi videntes, & gloriam Moysi, & Heliæ, forsitan cupiebant in seipsis tabernacula verbo Deo habitanti in eis, & legi ipsius quæ visa fuerat in eis in gloria, & prophetiæ quæ Christi exitum loquebatur: & concupiscens illam spectabilem vitam Petrus, & delectationem ipsius, præponens suam vtilitatem vtilitatibus plurimorum, quæ poterant euenire homi- L nibus ex descensu Christi ad eos, dicebat: Bonum est nobis hic esse, faciamus si vis tria tabernacula. Sed quoniam charitas non quærit quæ sua sunt, hoc quod videbatur bonum Petro non fecit Iesus, sed descendit de monte ad eos qui non poterant ascendere super eum, & videre transfigurationem filij Dei, vt vel qualem capere eum poterant talem viderent. Iusti est ergo, & charitatem habentis, & non quærentis quæ sua sunt, vt cum ab omnibus quidem sit liber, omnium tamen se faciat seruum, eorum maxime quorum vita deorsum est, vt plures lucrifaciat. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos & vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo complacui, ipsum audite.] Tale aliquid sentio in hoc loco. Deus prohibens Petrum facere tabernacula tria, in quibus habitarent secundum voluntatem illius, ostendit vnum, & melius, & multo præclarius tabernaculum quàm ille facere cupiebat. Tabernaculi enim hoc est proprium opus obumbrare aliquos sub se. Lucida autem nubes obumbrans eos, diuiniorem & splendidiorem repensationem exemplo suo demonstrabat eis futuram, quæ protegeret eos simul & illuminaret. Quæ sit autem nubes lucida obumbrans sanctos, nisi forte virtus paterna ex qua venit vox patris dans testimonium filio quasi dilecto, & exhortans eos qui obumbrabantur ab eo, ipsi non a- M lij obedire? Forte & spiritus sanctus est lucida illa nubes obumbrans sanctos & prophetans Deo in se operante atque dicente: [Hic est filius meus dilectus, in quo complacui.] Audens autem dicam etiam Saluatorem nostrum esse lucidam nubem. Nubes enim lucida obumbrat semper dilectos Christi discipulos, & Euangelium, & legem, & Prophetas, sicut intelligunt qui possunt aspicere lumen ipsius in Euangelio, vel in lege, vel in Prophetis. Vox autem de nube aut ad Moysen & Heliam dicit: Hic est filius meus dilectus in quo complacui, ipsum audite, qui desiderabant videre filium Dei & audire eum: aut discipulos docebat, quoniam qui proprie erat filius Dei, & dilectissimus apud Deum, in quo complacuit, quem præcipue oportet audire, ipse erat qui tunc & visus, & transfiguratus splenduit sicut Sol, & vestimenta eius facta sunt sicut lumen. Post hoc scriptum est, quoniam audientes lucidam nubem testimonium dantem filio Dei Apostoli tres non sustinentes gloriam vocis, neque virtutem procedentem ex ea, supplicati sunt Deum, cadentes in faciem suam. Valde enim timuerũt spectaculi nouitatem, & testimonium vocis. Intelligentes enim discipuli ipsum esse filium dei viui, qui visus est Moysi, & dixit, Non videbit homo faciem meam & viuet, postquam viderunt faciem filij Dei factam sicut lumen, & audierunt testimonium Dei de ipso, non sustinentes, humiliati sunt sub valida manu Dei. Hoc enim ostenderunt præ timore cadentes in faciẽ suam. [Eleuantes autem

Ioan.14.
Matt.16.
Petrus Ecclesiæ fundamẽtum.
1.Cor.13.
Nubes tabernaculi cœlestis symbolum.
Ad quos vox facta.
Exod.33.

A tem oculos Iesum solum viderunt. Simplex quidem voluntas verbi est ista, quod Moyses & Helias visi in gloria & locuti cum Iesu, abierunt vnde & venerant, forsitan traditun sermonem quem loquutus eis fuerat Iesus, eis qui nondum fuerant prodificati ab eo, qui in tempore passionis quando multa corpora sanctorum dormientium apertis monumentis itura fuerant in sanctã ciuitatem Hierusalem, illam super quã non plorauerat Iesus, vt illic appareãt multis. Spiritus autem secundum mysterium intellectus est iste, quod surgentes neminem alium viderunt nisi Iesum solum. Facti enim fuerant vnum Moyses, id est lex, & Helias, id est prophetæ, conuersi ambo in Euangelium Christi, & non sicut prius fuerant tres, sic & mãserunt, sed tres vnum sunt facti. Post mysterium ergo ostensum in monte descendentibus de monte discipulis præcepit Iesus dicens: vt nemini dicerent visum, donec filius hominis resurgat à mortuis. Hoc simile illi, quod superius est iam tractatum, quando præcepit discipulis vt nemini dicerẽt quòd ipse erat Christus. Propter hoc ea quæ illic dicta sunt, possunt nobis & in hoc loco esse vtilia, quoniam & hic vult Iesus vt nemini manifestetur gloria eius ante gloriam passionis & resurrectionis ipsius. Et interrogauerunt eum discipuli eius dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt quòd Heliam oportet venire primum?] Sermo interrogationis discipulorum dicentium: Quid ergo dicunt Scribæ, ad aliquid eorum

B quæ superius scripta sunt respicit: propter quod in quantum valemus, tentemus hoc facere manifestum. Discipuli qui cum Christo ascenderant super montem, recordabantur traditionum Scribarum de Helia propheta, quoniam ante aduentũ Christi erat venturus, vt præparet animas quæ suscipiant eum. Visio autem quæ facta erat in monte, in qua etiam Helias est visus, videbatur eis non conuenire cum traditione Scribarum de Helia: quia non ante Christum eis videbatur Helias venisse sed cum Christo. Ideo falsum existimantes traditionem Scribarum propter huiusmodi visionem de Helia, dixerunt: [Quid ergo dicunt Scribæ quoniam oportet Heliam venire primum?] Tu enim nobis manifestatus es ante Heliam, & priusquam ille ad hanc vitam humanam venisti. Ad hoc respondit Iesus non reprobãs quidem quæ à Scribis tradita fuerant de Helia, sed alium Heliç aduentũ ante se indicans factum, quem ignorauerant Scribæ. Ignorãtes autem eum quodammodo participes facti interfectionis eius, fecerunt ei quanta voluerunt, similiter factum Christo. Ideo respondens Iesus dixit: Helias quidem venturus est primum, & restituet omnia. Dico autem vobis, quoniã Helias iam venit, & non cognouerunt eum.] Quod dicit propter Ioannẽ, Helias iam venit, non anima Heliæ est intelligenda, vt ne incidamus in dogma transcorporationis, quod alienum est ab ecclesiastica veritate. Nam & contrarium est his quæ dicit Apostolus: quæ videntur, temporalia esse: & mundum istum

Contra pythagoricã transcorporationem.

2. Cor. 3.

Matt. 24.

Psal. 102.

C finem habere, & ei quod ipse dominus ait: Cœlum & terra transibunt: & prophetico ei quod ait: In initio terram tu fundasti domine, & opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt. Si enim secundum opinionem eorum eadem anima bis potest fieri in corpore secundum statum eundem, ab initio seculi vsque in finem, interrogo quare fit bis? Si propter peccatum, quare non & ter, & frequentius fit in corpore anima, vt propter vitam hanc & peccata quæ cõmittuntur in ea, patiatur pœnam transcorporationis, quæ sola secundum opinionem animabus peccatricibus infertur causa vindictæ? Quæ si consequenter inferatur, non erit cito vt anima desinat iterum atque iterum suscipere corpus. Semper enim propter delicta præcedentia reuertetur, & sic locum nõ habebit consummatio mundi. Si enim secundum hoc argumentum, est animæ datur non redire ad corpus quæ non habet omnino peccatum, per quot annos existimas vnam animam inueniri, quæ omnino munda sit à peccato, & non habeat opus transfigurationem suscipere? Tantum & sic vna quadam anima semper ex definito numero animarum translata, & iam non reuertente ad corpus, deficiet aliquãdo per aliqua innumerabilia secula natiuitas, mundo redacto ad vnum aliquem vel duos, vel tres. Post quos cum & ipsi fuerint propter perfectã iustitiam suã irreuertibiles facti, consummabitur mundus, deficientibus videlicet qui reuertãtur ad corpus. Quod scripturarum non placet veritati. Sciunt enim multitudinem peccatorum esse inuenienda in tempore consummationis, secundum quod ipse dominus manifestat dicẽs: Tamen cum venerit filius hominis, putas inueniet fidem super terrã? Item alibi. Sicut fuit in diebus Noe, ita erit aduentus filij hominis. Sicut

D

Luc. 18.

Luc. 17.

enim fuerunt ante diluuium mãducantes, bibentes, & nuptũ tradẽtes, donec intrauit Noe in arcã, & venit diluuium & tulit omnes: sic erit & aduentus filij hominis, & erit eis qui tũc fuerint peccatores punitio, non in transcorporatione, sed in igne. Vnde necessarium, qui transcorporationis dogma defendunt, gentiles, quasi consequentias ibi dicere cupiẽtes, denegant mundum esse aliquando consummandum. Contra quos respondemus. Si non consummatur mundus, sed erit sine fine, non est Deus omnia sciens priusquam fiant, sed forte ex parte vnum, vel alterũ scit futurũ priusquã fiat, omnia autem nescit: quæ enim nata sunt sine fine, definitione aliqua comprehendi non possunt: & consequens est vt nec prophetiæ possint fieri de omnibus, quasi sine fine omnibus constitutis. Adhuc dicimus eis qui putant animam Ioãnis, animam fuisse Heliæ, & primum quidem vocatam Heliam, postea Ioannem, quare angelus qui visus est Zachariæ ita dixit: Ecce Helizabet vxor tua concipiet, & pariet tibi filium & vocabis nomen eius Ioannem? Si enim anima ipsa fuit Heliæ, oportuit & secunda vice natum vocari Heliam, aut ostendi aliquam mutati nominis causam, sicut in Abram, & in Abraham: & in Saram, & in Sarai, & in Iacob, & in Israel, & in Simonem, & in Petrum. Tamen nec sic ratio valida vincitur, quoniam illorum in vna eademq; vita mutata sunt nomina. Sed dicit aliquis eorũ: Si non Heliæ fuit anima Ioannis, quare Saluator Heliã appellauit Ioannem? Et puto quod Gabriel in verbis quæ locutus est Zachariæ, demonstrauit quid Heliæ translatum est in Ioannẽ. Dicit enim ita: Et ipse præcedet ante eum in spiritu & virtute Heliæ, conuertere corda patrũ ad filios, & incredulos ad sapientiã sanctorum. Et non dixit, ipse præcedet ante eum in anima Heliæ. Manifeste enim scriptura cognoscit aliud esse animam, aliud autem esse spiritum sicut testatur Paulus dicens: Deus autem sanctificet vos ad perfectum, & integer spiritus vester & anima, & corpus conseruetur in aduẽtu domini nostri Iesu Christi. Et apud Danielem: Benedicite spiritus & animæ sanctorũ dominum. Helias ergo Ioannes non propter animam est appellatus, sed propter spiritum & virtutem: quæ non contristant virtutem scripturæ si primum fuit in Helia spiritus, & postea in Ioanne factus est, sicut conuenienter Apostolus ait: Spiritus prophetarum, prophetis subiectus est, non animæ prophetarum prophetis subiectæ sunt. Adhuc ad confirmationem eorum quæ angelus dixit: Et ipse præcedet in spiritu in virtute Heliæ, accipiamus de quarto libro Regnorum, quod est tale. Et factum est cum transisset, dixit Helias ad Helisæum. Pete quid faciam tibi priusquam tollar à te. Et dixit Helisæus. Fiat spiritus tuus duplex in me. Et dixit Helias. Dure petisti. Tamen si videris me ascendentẽ à te, fiat tibi sic: si autem non, nõ fiat. Et quoniam dixerat: Si videris me, fiat: si non, non fiat: volens scriptura ostendere quia factum est sic Helisæo sicut ipse petierat, sic addit. Et ascendit Helias in commotione quasi vsque in cœlum, & Helisæus intuebatur, & ipse exclamauit, & dixit: Pater pater agitator Israel, & non vidit eum amplius. Quoniam ergo vidit, propterea requieuit spiritus non anima Heliæ in Helisæo. Item postquam percussit aquas Iordanis Helisæus, & scissæ sunt inde & inde, transiit Helisæus, & viderunt eum filij prophetarum qui erant in Hiericho, & dixerunt. Requieuit spiritus Heliæ in Helisæo. Et venerunt obuiam ei, & adorauerunt eum in terra. Hoc diximus, vt intelligamus Ioannem dictum Heliam non propter eandem animam, sed propter eundem spiritum, sicut & discipuli intellexerunt Christi. Quoniam autem spiritus Heliæ in Helisæo quidem tantum requieuit, Ioannes autem præcessit ante Christum non solum in spiritu, sed etiã in virtute Heliæ, ideo Helisæus quidem non est dictus Helias, Ioannes autem dictus est ipse esse Helias. Et si sermo aliquis intelligatur Helias inferior eo verbo quod erat in principio apud deũ, & sic potest procedere vt videatur Helias esse verbũ quod præmittitur quasi ad exercitationem hominum præparatorum, vt fiat

Luc. 1.

E

Luc. 1.

1. Thess. 5.

Dan. 3.

Anima et spiritus diuersa.

1. Cor. 14.

4. Reg. 2.

F

Ibidem.

G perfecti ad susceptionem verbi perfecti. Et hunc ipsum sensum sicut potuimus ex parte tetigimus supra vbi tractauimus: Et si vultis suscipere, ipse est Helias qui venturus est. Qui ha- Matt.14. bet aures audiendi, audiat. Et fecerunt ei quanta voluerunt. Adhuc autem videamus quod ait. Et fecerunt ei quãta voluerunt, ad quem refertur: vtrũ ad scribas, de quibus interrogantes discipuli dicebant, quid ergo dicunt Scribæ? Sed non inuenimus aliquid passum Ioannẽ à Scribis, nisi forte, quia non crediderunt ei. Aut nisi forte, quod superius diximus, socij fuerant facti in eis quæ intulit Herodes Ioanni. Alius autem dicit, quod ait: Et fecerunt ei quanta voluerunt, non ad Scribas referri, sed ad Herodem, & ad Herodiadem, & filiam eius: Propter hoc autem quod sequitur: Sic & filius hominis patietur ab eis, consequenter dicitur, si primum ad Scribas pertinet, & hoc ad Scribas. Si autem primum ad Herodem, & Herodiadem, & filiam eius, & secundum ad ipsos. Nam inuenitur & Herodes in morte Christi fuisse conscius, & omnis domus eius.

Tractatus IIII. Cap. XVII.

H IN illo tempore, descendente Iesu de monte, accessit ad eum homo, eius genibus prouolutus dicẽs: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur. Aliquoties enim cadit in ignem, & aliquoties in aquã, & obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt eiicere eum.] Qui patiuntur, aut qui patientium domestici sunt, cum plebe habẽtur, non in mõte. Propterea populi causa ad dispensationem descendit humanã, quasi de mõte excelso diuinitatis: quemadmodum discipulorum electorum consequentium se gratia ascendit in montem excelsum, & ibi se transformauit in gloriam suam. Nam prius quidem descendit, propter ignorantes se, ad humilitatem humanã, cum autem factus fuerit eis notus, ducit eos ad notitiam diuinitatis suæ vt dicant cum Apo- 2.Cor.5. stolo. Si autem nouimus secũdum carnem Christum, sed iam non nouimus. Descendit ergo ad turbam, vt qui non poterant ascendere sursum propter infirmitates animarum suarũ, prodificentur ab eo. Et nunc ergo nõ accessisset ad eum homo genibus prouolutus, dicens: Domine miserere filio meo, nisi cum discipulis suis electis venisset ad turbam. Considerandum est autem in quibus quidem infirmitatibus qui patiuntur credunt, & deprecantur pro sua salute, aut tangunt fimbriam vestimenti eius, & sanantur: in quibus autem ipsi quidem qui patiuntur non faciunt hoc, pro eis autem qui fa- Matt.8. ciunt: vtputa Centurio pro puero suo, Regulus pro filio, Ioan.4. Archisynagogus pro filia, Chananæa pro filia sua vexata, & nũc qui genibus prouoluitur pro filio suo lunatico. Cum his considerabis & illud, quando à semetipso Saluator etiam à I nullo rogatus sanat, sicut paralyticum eum qui triginta & octo annos in infirmitate habebat. Ipsæ enim saluationes ad alterutrum in id ipsum comparatæ & discussæ, multa eis qui possunt audire absconditam in mysterio sapiẽtiam Dei dogmata demonstrabunt de differentiis infirmitatum animæ, & de modo saluationis eius. Sed quoniam nunc non de omnibus, sed de proposita dictione sermo est mihi, videamus moraliter primum quem esse lunaticum hunc dicere possumus, deinde quem existimemus patrem eius rogantem pro eo, tertio quid est cadere patientem non semper, sed frequenter, aliquoties quidem in ignem, aliquoties autem in aquam, & quid est quòd minime potuit à discipulis Christi sanari, sed ab ipso domino Iesu. Nam & ista est ratio. Siqui- Infirmitates spiritales. dem omnis languor & omnis infirmitas quam sanauit Saluator tunc in populo, referuntur ad infirmitates spiritales animarum secundum differentias passionum, vt solutos quidem animo, & iacentem habentes animam super corpus, paralyticos animo existimemus: cæcos autem animo esse, qui mente sua non cõsiderant quod iustum est, vel iniustum: surdos autem animo, qui non sunt ad susceptionem salutarium verborum parati: secundum ea conueniens est vt de lunatico requiramus. Est ergo passio hæc mutatio à melioribus ad deteriora, quia nihil differt à sanis qui patitur hoc, in tempore quando non operatur in illo ipsa mutatio. Tabet autem iuuenis infirmitas animæ in quibusdã hominibus, qui frequen- K ter existimantur sani esse in castitate, vel misericordia, & viuere secundum iustitiæ voluntatem. Aliquando autem quasi quadam correptione spiritus à passionibus comprehenduntur, & cadunt ab eo statu boni in quo stare putabantur, & transuertuntur ad seductionem seculi huius, & ad cæteras concupiscentias carnales. Forsitan non peccabis si huiusmodi homines dixeris (vt ita dicam) spiritaliter lunaticos esse, qui deiiciuntur à spiritalibus nequitiis in cœlestibus, & male habent frequenter in tempore quo comprehensi fuerint à passionibus animæ eorum, & cadunt in ignẽ incendij, quando adulterantes (sicut ait Osee) fiunt sicut clibanus ignis ar- Osee 7. dens. Huiusmodi autem homines interdum cadũt in aquam, Spiritualiter lunatici quando rex omnium, qui sunt in aquis, draco deiicit eos à libertate animæ in profundum fluctuum maris, id est in mala pessima vitæ istius humanæ, quæ mari assimilatur. Commendat autem hanc nostram de lunatico interpretationem, quod dicit Sapientia, de constantia quidem iusti, Sapiens sicut sol Eccl.27. permanet: de inconstantia autem peccatoris ita: Insipiens autem sicut luna immutatur. Et est videre in talibus impetus quosdam quasi operum bonorum subrepere, ita vt subripere possint ab hominibus laudes, ab eis tamen hominibus, qui nesciunt occultam incõstantiam cordis eorum. Vides autem eos minui iterum, & quod videbatur in eis lumen, inuenitur nõ esse lumen diurnum, sed nocturnum, & lunare, & tandiu minui vt nec videatur lumen esse omnino, quod existimaba- L tur lumen. Forsitan ergo angelus qui sortitus est lunaticum illum talem (si tamen dicẽdum est omnem animam hominis sub aliquo angelo constitutam, quasi sub aliquo patre) pater huiusmodi lunatici appellatur, deprecans quasi pro filio medicum animarum, vt liberet eum qui non potest sanari à passione per verbum humile discipulorum Christi. Si autem etiam mutum & surdum dæmonium intelligi moraliter oportet, dicimus quoniã ipse impetus irrationabilis, qui boni speciem videtur habere, mutũ & surdum dæmonium est dicendum, quod à verbo expellitur Christi solius: quoniam ille qui talis est nec videt iustum, vel iniustum, quẽadmodum cæcus: nec recipit ammonitionẽ discipulorum Christi, quemadmodum surdus. Ideo opus est ei Christi sermone, vt qui faciebat irrationabili prolatione quę putarentur à videntibus bona, iã de cætero sine ratione non agat. Secundum verbum autem doctrinæ Christi difficiles sunt ad sanandum huiusmodi passiones, propter quod fortiter deiiciũtur postquam egerint ea quæ putabantur bona, & est operatio quæ operatur in illis mala, & sic magna & fortis inter omnia mala, vt monti assimiletur, nec expellatur à patiente, nec exeat, nisi per omnem fidẽ eius qui passiones huiusmodi sanare nouerit. Ex omni enim fide mõtes huiusmodi transferuntur. Omnis autem fides grano sinapis cõparatur, sicut potest fieri manifestum ex eo quidem quod scribitur: Si habueritis fidẽ sicut granum sinapis, M dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit. Apud Apo- Mat.4. stolum autem: Si habuero omnẽ fidem ita vt montes trans- Luc.17. feram: Ideo arbitror quoniã omnis fides grano sinapis com- 1.Cor.13. paratur: quoniam contemnitur quidem fides ab hominibus, & modicum aliquid & vile apparet, cũ vero consecutum fuerit bonam animam, id est recti hominis terram, semen huiusmodi fit arbor magna, ita vt sine pennis quidẽ nemo, pennati autem qui sunt spiritaliter volucres cœli, habitent in ramis eius. Sed quoniam oportet & ipsa verba interpretari, primum quæramus quare lunaticus appellatur qui à spiritu immundo vexatur, & quare passio ipsa nomen accepit à luna, quæ post solem, magnum luminare vocatur. Medici ergo loquãtur sibi quæ volunt, qui nec immundum spiritum arbitrãtur, sed corporalem aliquam passionem, & dicunt humida moueri in ca- Cõtra Medicos de pite secundum aliquam comparationem ad lumen lunare, morbo lunaticorum. quod humidam habet naturam. Nos autem qui Euãgelio sumus credẽtes, dicimus hanc passionem immundum spiritum in hominibus operari. Obseruat enim quædam schemata lunæ, & sic operatur, vt ab obseruatione quorundam schema- Satana astutia. tum lunæ pati homines mẽtiatur, & per hoc culpabilem dei creaturam ostendit: vt omnes sicut diximus iniquitatem in Nulla stella malefica. excelso loquantur, qui existimãt ex efficientia stellarum consistere causam omnium infirmitatum, siue generalium, siue specialium,

A ſpecialium, criminantes opera dei, & quaſdam quidem ſtellas dicentes maleficas, quaſdam autem beneficas, cum nulla ſtella à Deo ſit facta vt malefaciat. Secundum Hieremiam enim, *Thren. 3.* ſicut in Lamentationibus dicit: De ore domini non procedent mala & bona. Forſitan autem ſicut iſte immundus ſpiritus obſeruat quædá lunæ ſchemata vt operetur in eo qui propter aliquas cauſas traditus eſt: ſic & alij dæmones ſecundum aliqua ſtellarum ſchemata inſidiantur eis, qui non præbuerút ſe dignos cuſtodia angelorú ſanctorum, vt nó ſol, ac luna, ſed etiá ſtellæ cęterę blaſphemétur ab hominib⁹, qui in excelſum iniquitaté loqui nó dubitát, & ponere in cœlos os ſuum. Poſt hæc videamus, quod loqués ad patré lunatici dńs dixit: O generatio incredula & peruerſa quouſq; ero vobiſcú? Vſquequo patiar vos?] Nam quoniá non potuerút eum ſanare neq; ipſi diſcipuli Ieſu quaſi adhuc modicæ fidei conſtituti, propterea dixit: O generatio incredula. Et ſi illis dixit: O generatio incredula nobis quid dicet? Et ꝙ ait peruerſa, oſtédit quoniam ex peruerſitate malitiæ eſt introducta extra naturá facta. Puto autem propter peruerſitaté totius humani generis, quaſi grauatus malitia eorú & conuerſatione cum eis dixit: Vſquequo ero vobiſcum? quouſque patiar vos? Videamus etiam illud quod dicit: Hoc genus non eiicitur niſi in ieiunijs & orationibus:] & ſi aliquando oportuerit nos circa curationem tale B aliquid patientium permanere, non adiuremus, neq; interrogemus, neque loquamur quaſi audiéti ſpiritui immundo: ſed permanentes in orationibus & ieiunijs impetremus patienti ſalutem à Deo, & abigamus ieiuniis & orationibus noſtris ſpiritus malignos. Conuerſantibus autem illis in Galilæa dixit eis Ieſus: Futurum eſt vt filius hominis tradatur in manus hominum, & occident eum, & poſt tertium diem reſurget. Et contriſtati ſunt vehementer.] Et paulo ſuperius dictum eſt. Exinde cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quoniá oportet eum ire in Hieroſolyma, & multa pati à ſenioribus, & principibus ſacerdotum, & ſcribis populi, & occidi, & tertia die reſurgere. Et videntur quidem hæc illis ſimilia eſſe, vt facile quis dicat dominum eadem ipſa repetere. Quod non eſt ita. Nec enim id ipſum eſt, oſtendere diſcipulis quoniam oporteret eum ire in Hyeroſolyma, & multa pati, & cætera: & dicere diſcipulis in Galilæa conſtitutis quod non dicimus ſupra, quoniam futurum eſt vt filius hominis tradatur. Tradendum ſuperius non eſt dictum: hic auté non ſolum tradendum, ſed etiam in manus hominum tradédum audimus. In quo requiramus à quo eſt tradédus in manus hominum, aut in quorú. Illic enim docemur à quibus patietur, & in quo loco patietur. Hic autem diſcimus quod multa paſſurus eſt à ſupradictis, non ipſis cauſam præbentibus vt multa patiatur, ſed vel eo, vel eis qui tradiderunt eum in manus hominum. Traditú C igitur filium Apoſtolus narrans, à Deo patre traditum manifeſtat ita: *Rom. 8.* Qui vnieo filio ſuo nó pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Alius autem non ſolum illud, ſed etiam *Chriſtus à quibus traditus.* conſequentia congregans in id ipſum, dicit ipſum quidem à deo traditum filium principi ſeculi huius, cæteriſque principibus eius: deinde ab iſtis traditum in manus hominum qui occiderunt eum. Et exépli cauſa accipe & illud quod eſt ſcri- *Iob 1.* ptum de Iob, qui primum traditus eſt à deo in manú diaboli, ſicut dicit: Ecce trado tibi omnia quæ poſſidet. Ecce trado tibi eum, tantum animá eius ſerua. Accipiens autem diabolus bona eius in poteſtatem, tradidit prædonibus, & equitibus, qui fecerunt cornua tria. Vide ergo ne forte ſicut bona Iob diabolus tradidit in manus prædonum accepta prius poteſtate à Deo, ſic & aliqua operatione princeps poteſtatis aëris, qui operatur in filiis diffidétiæ, tradidit eum in manus hominum, in quibus hominibus erat & Iudas, in quem poſt pané ingreſſus eſt Satanas. Conſidera tamen quoniam pater tradés filium contrariis poteſtatibus, non ſimpliciter tradidit eum, ſed propter miſericordiá ſuam, vt ſaluaret genus humanum. Contrariæ autem poteſtates tradentes dominum in manus hominum, non pro ſalute aliquorum tradiderunt eum: ſed quantum ad ſe, quia nemo eorum ſciebat ſapientiam Dei abſconditam in myſterio, tradiderunt eum, vt inimica eius mors ſubiiciat eum ſibi, ſicut omnes homines qui moriebantur in Adam: Sed & homines qui occiderunt eum, voluntatem habebant non ſecundum voluntatem Dei iam D ordinatam, ſed ſecundum voluntatem poteſtatum, quia filium Dei volebant fieri ſubditum morti. Non ergo ab hominibus in manus hominum traditus eſt, ſed à poteſtatibus quibus eum pro nobis omnibus tradidit pater, vt in eo quòd traditur & fit ſub eo cui traditur, deſtruat eum *Interpretatur locum Pauli ad Hebræos 2.* qui mortis habebat imperium. Imperium autem mortis intelligendum eſt habere diabolum, non iſtius mortis communis, ſecundum quam moriuntur omnes qui compoſiti ſunt ex anima & corpore, anima eorum à corpore recedente: ſed mortis illius quæ contraria eſt, & inimica ei qui dixit, Ego ſum vita: ſecundum quam anima quæ peccauerit ipſa morietur. *Ezech. 18.* Oſtenditur autem quoniam non Deus dominum in manus hominum tradidit, ex eo quòd ipſe dicit, Si de hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri vtique mei reſiſterent ne traderer Iudæis. *Ioan. 18.* Traditus autem Iudæis in manus hominum traditus eſt, non à ſuis miniſtris, nec ab aliquo eorum qui erant ipſius, ſed à principe ſeculi huius, vel à principibus, de quibus eſt dictum, Aſtiterunt reges terræ, *Pſal. 2.* & principes conuenerunt in vnum aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Et iſti quidem corporales reges aſtiterunt, ſicut Apoſtoli in Actibus docuerunt. Nos autem ex eo quod traditus eſt à principibus in manus hominum prodificati dicimus, hoc quod ait: Diſrumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum, etiam de inuiſibilibus regibus, & principibus ſeculi huius intelligi poſ- E ſe. Nam cum facti fuerimus conformes mortis Chriſti, iam non ſumus ſub vinculis regum terræ, neque ſub iugo principum ſeculi hujus, qui aduerſus dominum conuenerunt in vnum. Propterea & pater vnieo filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, vt ſuſcipientes eum principes, & tradentes in manus hominum, ab eo qui habitat in cœlis irrideantur, & à domino ſubſannentur, quoniam in diſſolutionem proprij regni, & principatus ſui omnia agebant, tradentes eum in manus hominum: qui tertia die reſurgens, & inimicam ſuam deſtruens mortem, non ſolum mortis ſuæ conformes nos fecit, ſed etiam reſurrectionis. Prædicente autem domino quoniam futurum eſt vt filius hominis tradatur in manus hominum, & occidant eum, & tertia die reſurgat, triſtati ſunt diſcipuli vehementer: tradendum quidem in manus hominum, & occidendum intelligentes, non autem attendentes ad illud quod ait: Et tertia die reſurget,] nec conſiderantes quis eſſet, cui ad deſtruendam mortem trium dierum tempus ſufficiebat. Cum veniſſet autem in Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma exigebant ad Petrum & dixerunt: Magiſter veſter non ſoluit didrachma? Ait: Etiam. Et cum intraſſet in domum, præuenit eum Ieſus dicés: Quid tibi videtur Simon? reges terræ à quibus accipiunt tributú, vel cenſum, à filiis ſuis, an ab extraneis? Dicit ei Petrus: Ab alienis. Dicit ei Ieſus: Ergo liberi ſunt filij. F Vt autem non ſcandalizemus eos, vadens ad mare mitte hamum, & eum qui prius aſcenderit piſcem tolle, & aperiens os eius inuenies ſtaterem. Illum accipiens, da eis pro me, & te.] Sunt ergo aliqui reges terræ, & eorum filij, qui non dant tributum, vel cenſum, & alij præter filios eorum extranei à regibus terræ, ex quibus accipiunt reges terræ tributum, vel cenſum. Et ſunt filij quidem eorum liberi apud reges terræ, ſicut apud patres filij: Extranei autem extra terram quidem liberi ſunt, propter eos autem qui dominantur eorum, & deprimunt eos, ſicut Ægyptij filios Iſrael, ſerui. Propter quos ſeruientes, formam ſerui ſuſcepit filius Dei, qui nullum opus fecit luteum, & ſeruile, Quaſi ergo habens formam ſerui illius tributum & cenſum dedit, non aliud ab eo quod dedit diſcipulus eius: Ipſe enim ſtater ſufficiebat, & vnum numiſma quod dabatur pro Ieſu & pro diſcipulo eius. Hoc autem numiſma in domo quidem Ieſu non erat, In mari autem erat, & erat in ore piſcis manni: quem ipſum piſcem arbitror adiuratum aſcendiſſe ad hamum Petri, & comprehenſum ab eo qui hominum piſcator fuerat factus, in quibus erat qui nunc moraliter dicitur piſcis, vt tollatur ab eo numiſma quod habebat imaginem Cæſaris, & fiat inter eos qui piſcati ſunt eum. Qui ergo habet quæ ſunt Cæſaris, Cæſari ea reddat, vt poſt hac valeat reddere Deo quæ ſunt Dei. Quoniam le-

G sus non habuit imaginem Cæsaris, princeps enim seculi huius nihil habebat in eo, propterea non ex proprio, sed ex conuenienti loco maris imaginem Cæsaris accepit eam, vt det regibus terræ pro se & pro discipulo suo, vt nec arbitrētur qui didrachma accipiebant, esse eum debitorem regū terræ, reddit enim debitam non suscipiens eum, neque possidens, neq; acquirens, neque faciens eum sibi possessionem, vt ne sit aliquando imago Cæsaris apud inuisibilem deum. Ista diximus secundum vnum modum, quoniam duplicem sensum habet hic sermo. Secundum alterum autem talia dici possunt. Filiorum sunt quidam filij regum terræ: alij autem propter hoc ipsum quòd alieni sunt à filiis regum terræ, nullius quidē eorum qui sunt super terram filij sunt, sed aut dei, aut filij dei, aut alicuius filiorum dei.

De liberis & seruis allegoria.

Quando ergo Saluator interrogat Petrum, dicens, Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filiis suis an ab extraneis? dicente Petro, non à suis filiis, sed ab extraneis, tale aliquid existima dictum. Dominus dicit de illis qui extranei sunt à regibus terræ: ergo filij liberi sunt, quoniam liberi sunt qui filij sunt dei. Filij autem regum terræ liberi non sunt, quoniam omnis qui facit peccatum seruus est peccati. Liberi autem sunt qui manent in verbis Iesu, & propter hoc cognouerunt veritatem, & veritas liberauit eos à seruitute peccati.
H Si ergo in mysterio quodam reges terræ à filiis dei liberis constitutis exigunt didrachma Cæsaris habentia imaginem, consequens est intelligere quoniam & quotiescunque exurgunt quidam qui per iustitiam tollūt nostra terrena, reges huius terræ eos transmittunt vt exigant à nobis quæ sunt ipsorum. Quicunque ergo filius est simpliciter, & non filius regum terræ, ille est liber. Tamen cum sit liber sollicite agit vt ne scandalizet vel ipsos reges terræ, vel filios eorum, vel eos qui accipiunt didrachma. Ideo sic dicit.

Cur nemo scandalizandus.

Sed ne scandalizemus eos, vadens ad mare mitte hamum, & cætera. Et quamuis essent iniqui, tamen solicite egit Christus, vt ne scandalizaret eos, & suo exēplo prohibet aliquod scandalum fieri etiam huiusmodi hominibus: siue vt ne amplius peccent scandalizati, siue vt saluentur suscipientes eum qui pepercit eis quo minus scandalizentur: & sic in agro consolationis (sic enim interpretatur Capharnaum,) cōsolatur omnem discipulum, & liberum eum & filium esse pronunciat, & dat ei virtutem piscandi piscem primum, vt ascendente eo consolationem accipiat Petrus super eum quem piscatus est. Et propter hoc quod ablatus est stater de ore ipsius aperto, dandus ei quorum proprius est stater, & exigunt huiusmodi numisma quasi suum: conuenienter poteris vti hoc textu aduersus auaros, qui nullam habēt in ore suo loquelam nisi pecuniæ:

Auari.

cum autem videris huiusmodi hominem ab aliquo Petro correptum, qui abstulit non solum de ore eius verbū pecuniæ, sed & de toto affectu concupiscentiam pecuniæ, dices huiusmodi hominem in mari fuisse, & in salsis rebus huius
I vitæ, & in fluctibus solicitudinum auaritiæ, & habuisse in ore suo staterem quandiu infidelis extitit, & auarus: ascendisse autem de mari ad hamum rationabilem, & comprehensum, atque saluatum ab aliquo Petro, qui eum docuit veritatem, vt ne habeat aliquando in ore suo staterem, sed pro eo habeat imaginem dei, eloquia dei.

Num. 3.

Et signa tibi ex Numeris, quoniam pro sanctis secundum legem dei non simpliciter didrachmū datur, sed didrachmum sanctum. Scriptum est enim: Et accipies quinque siclos secundum didrachmum sanctum. Sed & pro omnibus filiis Israhel secundum caput datur didrachmū sanctum. Quoniam ergo non licet sanctis dei cum sanctis didrachmis habere didrachmum inquinatum, ideo accipientibus non sancta didrachma, & interrogantibus Petrum, & dicentibus. Magister vester non soluit didrachmam, præcepit Saluator dari staterem, in quo erant duo didrachma, qui inueniebatur in ore piscis ascendentis primum: quod dedit magister, & dant semper discipuli eius pro sua salute, & gloria Christi, vt longe faciant à se omnia quæ imaginem Cæsaris habent.

TRACTATVS V.

Cap. XVIII.

In illo tempore, accesserunt ad Iesum discipuli K
eius, dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum? Et accipiēs puerum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & facti quemadmodum pueri non intrabitis in regnum cœlorum. Si quis ergo humiliauerit se sicut puer iste, ipse est maior in regno cęlorum. Et qui acceperit puerum talem in nomine meo, me recipit.] Cum posset Matthæus nostræ eruditionis causa hoc solum exponere, quid accedentes discipuli Iesu: interrogauerunt eum, & quomodo ad interrogationem eorum respondit, addidit secundum quædam quidem exemplaria in illa, accedentes discipuli Iesu secundum alia autem, In illa die. Et necesse est vt non indiscussam voluntatem relinquamus Euangelistæ. Propter quod exponentes in primis quod ait in illa hora, vel in illa die, videamus si necessaria est adiectio ista diei, vel horæ. Venerunt enim in Capharnaum Iesus cum discipulis suis, vbi & didrachma exigentes accesserunt ad Petrum, & interrogantes dixerunt. Magister vester non soluit didrachma? Ita Petro respondente ad eos, etiam, faciens verbum de didrachmis Iesus, mittit Petrum cum hamo comprehendere piscem, in cuius ore dicebat inueniendum esse staterem, vt daretur pro se & Petro. Ego arbitror, quoniam maximum hunc existimantes honorem in Petrum à Christo collatum, quasi per
hoc iudicasset eum cæteris discipulis meliorem, cupiebant L
quod suspicabantur certe cognoscere. Simul autem sperabāt quod & causam ipsam reuelationis interrogantes indicarēt. Hoc ergo ostendere volens Matthæus adiicit propter illud quod ait, Hunc accipiens da propter me & te: in illa die vel hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum?

Matt. 17.

Forsitan autem & dubitabant etiā propter illud quod superius tres discipuli magis erant dignificati, assumpti in montem cum ipso vt viderent transfigurationem gloriæ eius. Dubitabāt autem quis de tribus illis melior iudicatus esset à Christo. Distrahebatur autem existimatio sensus eorum per varias causas. Interdum quidem, Ioannem forsan meliorem putabant esse eo quod recubuerat super pectus Saluatoris in cœna, & secreta consilia ei præ cæteris fuerant declarata.

Matth. 16.

Interdum autem arbitrabantur Petrum maiorem in regno cœlorum, vel propter staterem hunc qui datus est pro Christo & Petro, vel propter illud quod Petrus dixit ad Iesum præ cæteris, Tu es Christus filius dei viui: & Christus ad eum, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis: & ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt ei, & cætera. Iterum autem forsitan eorū reuocabatur opinio, propterea quod dixerat Christus ad Petrum, quod aliis non dixerat discipulis, vade post me Satana, scādalum mihi es, quia
non sapis quæ dei sunt, sed quæ hominum: ne forte non esset M
maior Petrus, sed vnus ex filiis Zebedæi. Hæc diximus propterea quod ait in illa die vel hora, quando de statere sermo fuerat factus. Post hoc autem videamus quod ait, Et accesserunt discipuli ad Iesum, quasi discipuli ad magistrum, proponentes interrogationem, quis esset maior. In his autem imitatores discipulorum Christi esse debemus, si quando aliquid in nobis quasi dubium quæritur & non inuenitur, vt cū omni consensu accedamus ad Iesum semper præsentem, vbicunque duo vel tres in nomine eius fuerint congregati, qui potēs est illuminare corda omnium, qui ex toto corde discere volunt ab eo, ad intelligendum solutionem omnium quæstionum.

Doctores consulendi in difficilibus quæstionibus.

Non est autem absurdum vt secundum Christi exemplum interrogemus aliquem eorum doctorum qui præpositi habentur ecclesiis. Quid ergo iam sciebant discipuli secundum hanc interrogationem, quid autem adhuc ignorabant, videamus.

Matt. 5.

Nam quia non est æqualitas sanctorum in regno cœlesti, sciebant: & quia cùm nō sit æqualitas, est aliquis maior & minor: sed quomodo maior & qualiter viuens minimus, hoc discere cupiebant. Nisi fortè cautius est dicendum, quoniam qui esset quidem minimus sciebant ex eo quod alibi docuerat ipse: Si quis soluerit vnum ex mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Et quis esset maior sciebant ex eo quod ait, Si quis

fecerit

A fecerit & sic docuerit, hic magnus vocabitur. Sed ex multis magnis quis esset maior, hoc eis non erat manifestũ. Et quod multi quidem sunt magni, non autem æqualiter magni indicat nomen magni positum in persona Isaac, qui proficiens magnus fiebat, donec efficeretur magnus valde valde. Scriptũ est autem id ipsum etiam in Moyse, & in Ioanne Baptista, & ipso etiam saluatore. Et omnibus constat quoniam etsi omnes hi magni fuerunt secundum scripturas, tamen maior eis erat saluator. Ex eo ergo, quod est propositum in Isaac, donec fieret magnus valde valde, non simpliciter, sed cum additamento duplice, valde valde, cognoscere possumus quoniam differentiæ sunt magnorum, & alius quidem est magnus, alius autem magnus valde valde. Ergo discipuli quidem quæsierunt quis esset maior: ipse autem pleniorem facit sermonem, demõstrans eis etiam quomodo quis actibus maior efficiatur in regno cœlorum, sicut subsequens sermo demonstrat dicens, Et vocans Iesus puerum statuit eum in medio eorum & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis vt efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior erit in regno cœlorum. Et qui acceperit puerum talem in nomine meo, me accepit.] Primum simpliciter exponamus propositum verbi: hoc est, si quis vir constitutus vsq; eo mor-

B tificauerit viriles concupiscentias suas in spiritu mortificans corporales actus, & semper mortem Iesu circumferẽs in corpore suo, vt puer qui muliebria nondum tentauit, nec sensit

Quibus in rebus pueris similes esse debeamus.

motus viriles, iste talis conuersus factus est sicut puer. Et quãto amplius appropinquauerit pueris recedens ab huiusmodi motibus, tanto amplius cæteris continentibus, & ad perfectũ continentiæ ascendere non valentibus maior habetur. Quod autem propter muliebres passiones dictum de paruulis est, hoc ipsum dicere conuenit, & in cæteris passionibus & languoribus & ceteris infirmitatibus animę, in quas omnes pueri non incurrunt prius quàm incipiant absolutum proferre sermonem: vtputa vt conuersus quis fiat sicut paruulus puer in ira, cum sit vir: & sicut est paruulus puer ad tristitiam, qui interdum in tempore mortui patris vel matris vel alicuius amici ridet & ludit, talis fiat vir habitudinem puerilem circa tristitias repellendas perfectioris animę ratione commutans. Similiter dices circa extollentias quibus irrationabiliter extolluntur homines qui non sunt dei, quas pueri non patiuntur, nec qui conuersi fuerint sicut pueri. Et nulla pene passio

Quando passio cadit in pueros.

cadit in pueros, antequam absolute incipiant loqui. Si autem nulla, manifestum est quia nec timor, nisi forte secundum æstimationem cęterarum passionum leuis & transitorius. Pueri enim malum timorem non patiuntur, vtputa si quis puero comminetur ne mammam petat, vel ne ploret, terretur quidem, sed timor eius stabilis nõ est. Si quis autem terreat puerum talem & dicat, nisi hoc feceris occido te, incendo te, aut simile aliquid, nũquid timet huiusmodi puer? Sicut ergo cæteræ passiones non sunt firmæ in pueris, sic neque timor. Si

C autem quis & humiliet se sicut puer: nec enim magnum aliquid sapere cadit in puerum, neque iactantia generis vel diuitiarum, vel aliarum rerum quæ existimantur bonæ, non autem sunt, cadit in puerum: vnde videmus infantes vsque ad tertium vel quartum annum, licet fuerint generosi, similes se præbent pueris degeneribus, nec amplius diligunt diuites pueros quàm pauperes. Si quis ergo vir habitudinem quam habent pueri ex ætate, in se ratione susceperit, expellens ea quæ mouent insensatos, factus est sicut puer, non se extollens in honoribus, neque efferens se in diuitiis, neque eleuans se claritudine generis: iste talis suscipiendus est, & honorandus in nomine Iesu, quoniam præcipue in talibus est Iesus. Ideo dicit: Si quis susceperit vnum talem in nomine meo, me suscipit. QVI autem scandalizauerit vnum de pusillis credentibus in me, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.] Hoc exponere laboriosum est secundum consequentiam prædictorum. Dicit enim aliquis: quomodo qui conuersus est, & factus est sicut puer, & humiliauit seipsum quemadmodum puer, quem statuit Iesus in medio discipulorum, minimus est & potens scandalizari, cum sit scriptum: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum? Vide autem si rationabiliter hoc possumus explanare. Omnis qui Iesu quasi filio dei cre- D

dit, & conuersatur secundum euangelicos actus ad viuẽdum *Psal. 118.*

recte conuersus, ambulat quemadmodum puer. Qui autem non conuertitur vt fiat quemadmodum puer, hunc quidem impossibile est intrare regnum cœlorum. Multi enim conuertuntur vt fiant quemadmodum puer, sed non omnes qui conuertuntur vt fiant quemadmodum puer, iam perueniunt vsque eò, vt fiant similes pueris: sed vnusquisque tanto minus habet de similitudine puerorum, quantum longe est de habitudine puerili erga passiones carnales. In omni ergo credentium multitudine sunt quidam quasi nuper conuersi, vt fiant quemadmodum pueri. Hi propter hoc ipsum quod sic conuersi sunt vt fiant quasi pueri, nondum autem sunt facti, sed videntur nuper esse conuersi, pusilli habentur in Christo, & paruuli sunt, scandali receptores, quibus occasionem scandali non debemus prębere. Alioquin qui scandalizauerit vnum de pusillis quos Christus ostendit credentibus in se, expedit ei quasi vtile ad medelam peccati, vt suspendatur mola asinaria ad collum eius, & demergatur in profundum maris. Sic enim reddens dignam vindictam in mari, vbi & draco habetur, quem formauit deus ad illudendum ei, & sic quod expedit passus, qui punitus est, postea erit extra dolores qui sunt in profundo maris, quos pertulit tractus ab asinaria mola, sunt autem & molarum differentiæ, vt sint quædam earum (vt sic appellem) humanæ, aliæ autem asinariæ. Et humana E

quidem est illa de qua scriptum est: Duæ erunt molentes ad *Matth. 24*

vnam molam, vna assumetur & altera relinquetur. Asinaria autem quæ imponitur scãdalizanti vnum de pusillis in Christo credentibus, vt demergatur in profundum maris. Asinaria autem mola non irrationabiliter dici potest corpus grauissimum hominis mali, quod semper deorsum trahit, quod suscipiet in resurrectione vnusquisque peccator, vt demergatur in abyssum quæ dicitur profundum maris. Introducimus autem extra eam quam diximus, alteram expositionem, sine dogmatis causa, siue exercitationis. Quærimus enim quem

Allegoria longe petita.

puerum vocans Iesus constituit in medio discipulorum: & vide si possumus puerum hunc intelligere spiritum sanctum, qui seipsum humiliauit. Hunc Iesus accepit, & posuit in medio sensus discipulorum. Vult ergo Iesus omnes nos, vt auertamur ab omnibus & conuertamur secundum exemplũ spiritus sancti, vt efficiamur sicut pueri, id est Apostoli, qui & ipsi conuersi facti sunt similes spiritui sancto, qui positus erat in medio sensus eorum. Quos pueros Christo deus pater dedit, secundum quod scriptum est in Esaia dicente: Ecce ego *Esa. 8.*

& pueri quos dedit mihi deus. Et nõ est intrare regnum cœlorũ, nisi qui à rebus secularibus auersus fuerit & similis fuerit factus pueris illis qui spiritum sanctum in se habuerunt. Quem spiritum sanctum vocans Iesus à sua perfectione descendẽs ad homines, quasi puerum statuit in medio discipulorum suorum, vt vnusquisque humiliet se, non simpliciter si- F

cut puer, sed quemadmodum scriptum est, sicut puer iste: ita tamen vt propter deum quis humiliet se, sicut & spiritus sanctus propter salutem hominum se humiliauit. Quoniam autẽ & Iesus & spiritus sanctus à patre missi sunt in hunc mundum propter salutem hominum, manifestum est apud Esaiã prophetam ex persona Saluatoris ipsius dicentem, Et nunc dominus me misit, & spiritum suum. Quoniam autem in Græco spiritus sanctus neutri generis est, & non masculini quemadmodum apud nos, & tres casus habet similes, nominatiuum accusatiuum & vocatiuum, propterea transferentes in Latinum sermonem nominatiuum pro accusatiuo casu transtulerunt & dixerunt, Et nunc dominus misit me & spiritus eius: cum sit verius sic esse in Græco, Et nunc dominus misit me & spiritum sanctum. Tamen si quis violenter contra rationem veritatis defendere vult quod ita sit dictum, Et nunc dominus misit me & spiritus eius, sine dubio ita intelligimus filium Dei missum à spiritu sancto, quemadmodum & ductum à spiritu sancto in desertum secundum humanam naturam, quam Christus suscipiens per omnia imitatus est, vt etiam à spiritu sancto agatur, quemadmodum omnes homines dei. Maior ergo est in regno cœlorum qui se humiliauerit præ omnibus humiliantibus se, secundum imitationem illius pueri: & multi sunt qui nolunt se humiliare sicut puer

Humiliatione spiritus sancti appellat missionem.

Esa. 48.

Hæc sunt interpretis.

Matt. 4.

G ille. Sed qui præ omnibus factus fuerit propinquior puero, il-
li, ille erit omnibus maior. Debemus ergo suscipere puerum
talem in nomine Iesu, quoniam in eo habitat Iesus. Et quem-
admodum Iesum suscipit, qui susceperit vnum puerum ta-
lem in nomine Iesu, quoniam in nomine eius: sic Christum
refutat & pellit, qui non vult suscipere puerum talem in
nomine Iesu, licet si minimus, ita vt possit scandalizari pro-
pter quod non plenius humilitatem imitatus est puerilem. Et
conferamus euangelistarum dicta de capitulo isto, si forte
manifestior fiat sensus, propter spiritum sanctum quem diui-
nius puerum illum intelligi posse. Et Marcus quidem dicit:
Mar. 9. Et accipiens puerum statuit in medio discipulorum, & com-
plexus eum dixit eis: Si quis vnum puerum talem receperit
in nomine meo. Lucas autem ita: Et accepit puerum, & po-
suit eum non solum in medio eorum, sicut ait Matthæus &
Luc. 9. Marcus, sed apud se: & dixit discipulis suis non ita, si quis ac-
ceperit vnum puerum talem, vel vnum de talibus pueris: sed
ita, si quis acceperit puerum hunc in nomine meo. Secũdum
Matthæum ergo & Marcũ, potest quis dubitare vtrum pue-
rum spiritum sanctum dicat: quia sic dixeront, Si quis acce-
perit vnum puerum talem. Secũdum Lucam autem quis am-
bigit posse intelligi puerum illum spiritum sanctum, cum di-
cat, Si quis acceperit puerum hunc in nomine meo? Secun-
H dum Lucam ergo debemus puerum illum, id est spiritum san-
ctum, quem accipiens Iesus posuit apud se, suscipere in nomi-
ne Iesu. Viuit enim puer ille quasi immortalis: & debemus
eum ab ipso Iesu constitutum apud Iesum suscipere in nomi-
ne Iesu: quoniam cum sit Iesus nunquam recedens à puero
illo, fit apud eum qui receperit puerum in nomine eius. Et
quoniam nec pater recedit à filio, si quis receperit filium, re-
cipit apud se simul & patrem. Qui autem recepit & puerum
in nomine Iesu, & Iesum in nomine patris, in omnibus mi-
norem se præbet discipulis Christi seipsum minorans: &
quanto magis se minorauerit, tanto maior efficitur ab eo qui
et minorationis dedit mandatum. VÆ huic mundo à scan-
dalis. Necesse est enim venire scandala. Veruntamen væ ho-
mini illi per quem scandalum venit.] Digna est res quæ-
rere in hoc loco, qui dicit esse mundum cui promittitur væ,
cui omnia scandala afferunt væ. Intelligere autem aliquid
poterimus, si congregemus scripturarum exempla, in qui-
bus nominatur mundus. Arbitror ergo quia non cœli &
terræ spacium secundum scripturas diuinas dicitur mun-
dus, sed terrenus iste tantummodo locus, vel homines
Ioan. 1. qui sunt habitatores loci istius. Sic enim intelligitur il-
lud quod ait: In mundo enim erat verum illud lumen, id
est in loco terræ nostræ quam habitamus: & mundus per
ipsum factus est, id est orbis terræ: & mundus eum non co-
gnouit, id est homines habitatores terræ istius. Incongruum
enim est, Et mundus eum non cognouit, referre ad elementa
cœli & terræ: vt dicat aliquis, quoniam sol & luna & stel-
I læ vel aqua vel terra vel angeli qui sunt in vniuerso hoc mun-
do, lumen illud verum non cognouerunt, & non cogno-
scentes eum conseruauerunt ab eo sibi ordinem constitu-
Ioan. 17. tum. Secundum hunc enim sensum, intelligitur etiam il-
lud. Et nunc honorifica me tu pater eo honore quem ha-
bui ante quàm mundus esset apud te. Manifestaui nomen
tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Et post
pauca: Ego (inquit) pro eis rogo, non pro mundo rogo,
sed pro eis quos dedisti mihi. Item post pauca: Et hi in mun-
do sunt, & ego ad te venio. Et iam non sum in mundo, &
isti in mundo sunt. Item post pauca: Et ego ad te venio, &
hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum plenum.
In se ergo mundus dicitur, vel locus iste terrenus, vel ho-
Mundus mines qui sunt in eo. Ex mundo enim dedit filio homines
bifariã di- pater, pro quibus rogat filius patrem solis, & non pro om-
citur. nium hominum mundo. Nam vbi magis necessarium est
vt sememus à patre, quàm in mundo, quem dicit Ioan-
1. Ioan. 5. nes: & mundus totus positus est in maligno? Item in se-
quentibus. Vt mundus credat quia tu me misisti. Ergo lo-
cus iste, & homines qui sunt in eo dicuntur mundus, qui-
bus væ à scandalis. Omnibus enim hominibus, quos ta-
men scandala vincere possunt, væ à scandalis. Quod non
procedit vt de elementis mundi intelligamus. Si autem væ

est mundo à scandalis, non autem sunt discipuli Iesu de hoc K
mundo, sicut nec magister eorum de mũdo est, nemini disci-
pulorum Christi potest esse à scandalis væ: quoniam pax mul- Psal. 118.
ta diligentibus nomen dei & non est illis scandalum. Si au-
tem aliquis videtur quidem esse discipulus Christi, adhuc au-
tem est de mundo, propterea quod diligit mundum, & quæ
sunt in eo: id est aut vitam istam carnalem, aut possessiones
terræ istius, aut pecunias, aut speciem qualemcunque, vt non
conueniat ei quod dictum est discipulis Iesu, quoniam non
sunt de mundo: sine dubio possidebit, quasi de mundo con-
stitutus væ, quod mundo accidere solet. Si ergo volumus de-
clinare hoc væ, suscipiamus in nobis affectum apostoli Pauli
dicentis, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini mei
Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego Gal. 6.
mundo. Nemo autem amator corporalium specierum vel iu-
mentorum vel aliquarum concupiscibilium rerum, vel vitæ
istius carnalis, potest vere dicere: Mihi mũdus crucifixus est,
& ego mundo. Sancti enim qui sunt in hac habitatione, in-
gemiscunt corpore humilitatis grauati, & omnia faciunt vt
digni efficiantur in illo resurrectionis mysterio inueniri, quã-
do transformabit deus corpus humilitatis non omnium, sed
tantum discipulorum fidelium Christi, vt fiat conforme cor-
poris gloriæ Christi. Sicut ergo nihil eorum ex quibus væ cõ-
tingere solet, contingit discipulo Christi: nam etsi mille sint L
scandala, non tangunt eum qui non fuerit de hoc mundo: sic
qui receptor fuerit factus scandali, aut propter incõstantiam
fidei suæ, aut quia non ex toto corde consentit salutaribus
Christi mandatis, vt iam non videatur discipulus Christi, tan-
ta scandala comprehendent eum quantis fuerit obligatus in
mundo. Necesse est enim venire scandala. Aliud enim sunt
ipsa scandala, aliud autem homines per quos veniunt scan-
dala. Ergo venientia scandala sunt angeli satanæ, & malignus
chorus dæmoniorum, qui quærunt organa digna per quos
operentur: & plerunque quidem inueniunt, qui omnino ex-
tranei fuor à cultura dei: interdum autem & eos qui videntur
fideles: quibus maius væ per quos contingit, quàm mundo
cui contingit. Nam multo peius erit qui scandalizat quàm Differentia
qui scandalizatur: si quidem verum est esse differentiam tor- & gradus
mentorum, secundum illud quod ait: Remissius erit Tyro & tormentorũ
Sidoni quàm ciuitatibus in quibus fecit virtutes, & correptæ infernorũ.
non sunt. Si enim væ mundo à scandalis, ei quidem qui scan- Matt. 11.
dalizatur iuste est væ, quia miscens se mundo, voluntarie re-
ceptor scandali factus est. Ei autem grauius erit væ, per quem
scandalum venit, quoniam præbuit se spiritibus immundis
scandalizantibus ministrum ad scandalizandum homines in-
firmos & mundiales. Si autem hæc diligenter intelligeremus
quæ dicuntur: Væ per quem veniunt scandala, &: Qui scanda-
lizauerit vnum de pusillis istis, expedit ei vt alligetur mola a-
sinaria collo eius, & demergatur in profundum maris, quo-
niam sic vindicat deus eos qui scandalizati fuerint ab eis qui
scandalizauerunt, & quæ intelligeremus timeremus: nunquã
peccaremus in fratres, nec percuteremus conscientias eorum
infirmas, pro quibus Christus mortuus est, propter quos quasi M
in Christum peccantes subibimus pœnas cum requisitæ
fuerint animæ, quæ propter nos perierunt ex nobis. De-
inde videamus quomodo intelligere debeamus quod ait:

Necesse est vt veniant scandala.] Similiter enim expo-
nit etiam Lucas dicens: Impossibile est vt non veniant
scandala. Et sicut necesse est mortalem mori, & impossibi-
le est vt non moriatur: & sicut necesse est manducare ho-
minem in corpore constitutum, & impossibile est vt si-
ne esca qui corporalis est viuat: sic necesse est venire scan-
dala, & impossibile est vt non veniant. Et si potes acci-
pere ad exemplum malitiam, quæ est in cœlestibus, ne-
cessarie copulatam esse virtutibus. Impossibile est enim in-
ueniri hominem omnino sine peccato, & absque pecca-
to suscipere posse virtutes: quia nec potest esse verum bo-
num, nisi habeat impugnationem mali. Sicut ergo ne-
cesse est sustinere malitiam cœlestium, & impossibile est
eam non sustinere: sic necesse est venire scandala, & impos-
sibile est vt non veniant. Maxime si intellexeris malitiam
malignarum virtutum principalem esse malitiæ isti quæ in
hominibus est, & semper quærentem organa quædam per
quæ

A quæ operetur aduersus homines mundi. Forsitan autem & irritantur magis malignæ virtutes, quanto magis verbum Christi in hominibus inualescens expellit ab eis malignas virtutes, quæ prius consueuerant habitare in animis eorum: & dæmones qui delectabantur in sanguine sacrificiorum, irascuntur dum eorum cultura minuitur, nec offeruntur eis sacrificia consueta: ideo scandala venire necesse est. Et scandala quidem ipsa venire necesse est, non tamen per illum nescio quem venire necesse est: propter quod ei per quem venerint, erit væ, quoniam dedit locum malignæ operationi in se volenti scandalizare. Ne putes in natura aliqua vel in substantia esse scandala, quæ homines quærunt per quos operentur. Sicut enim Deus mortem non fecit, sic nec scandala creauit, sed libertas proprij arbitrij in quibusdam genuit scandalum nolens pro virtute suscipere laborem.

QVOD si manus tua vel pes tuus scãdalizat te, excide eum & proiice abs te. Bonum enim tibi est introire in vitam claudũ vel debilem, quàm duas manus vel duos pedes habentẽ mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scãdalizat te, erue eum & proiice abs te. Bonũ est tibi vnum oculum habẽtem in vitam intrare quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.) Docet nos per parabolã sermo, quoniã nec proximis
B nostris, vel adhærentibus nobis debemus parcere scandalizantibus. Superius quum dixisset: Antiquis dictum est, non
Matt.5. adulterabis, ego autem dico, si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo: post hæc verba statim subiunxit: Si dexter oculus tuus vel manus scandalizauerit te, ostendens quoniam de illis membris scan-
Scandalizantia membra. dalizantibus loquebatur quæ sunt intra nos. Propterea volũtates animæ exposuimus ibi esse scandalizantia membra. Hic autem cum dixisset: Væ mundo à scandalis, necesse est enim venire scandala, sed væ per quem veniunt, videlicet hominẽ, statim subiungit: Si manus tua, vel pes tuus, vel oculus tuus scandalizauerit te: ostendẽs quoniam non de membris scandalizantibus quæ sunt intra nos loquitur, sed de hominibus qui sunt extra nos pertinentes ad nos, ita vt manus aut pedes aut oculi existimẽtur gratia charitatis coniuncti. Et vere quędam scandala ex nobis ipsis nascuntur: sicut ait Iacobus in
Iac.1. epistola sua: Deus neminem tentat, sed vnusquisque tentatur in concupiscentiis suis. Quædam extrinsecus veniunt, vel ab extraneis, vel à proximis, de quibus pręsens loquitur sermo: & bonum quidem erat, vt laudabilis esset & oculus & manus, vt ne possit iuste dicere oculus manui, necessaria mihi non es. Si autẽ aliquis ex toto ecclesiæ corpore videatur manus propter aliquem actum, conuersus autem factus fuerit scandalizans, oculus dicat huiusmodi manui, necessaria mihi non es, & dicens præcidat eam & pellat à se. Sic bonum est, vt sit & caput beatum, & pedes tali capite digni, vt ne possit caput iuste dicere pedibus, necessarij mihi non estis. Si autem aliquis fuerit in ecclesia pes scandalum faciens corpori vniuer-
C so, dicat caput huiusmodi pedi, necessarius mihi non es, & præcidens repellat eum à se. Melius est enim vt residuum corpus intret in vitam sine membro scandalizante, quàm totum corpus ecclesiæ, morbo scandali per omnes currente, mittatur in gehennam. Sic bonum quidem erat vt ille qui factus est oculus, dignus esse capiti Christo, & toti ecclesiastico corpori. Si autem conuersus oculus ille factus fuerit scandalum corpori vniuerso, eiiciatur oculus scandalizans, & extra omne corpus expellatur, vt sine illo oculo residuum corpus saluetur, quàm cum illo oculo debilitato totam ecclesiam mittat in gehennam, intenebratam videlicet per oculum malum. Christum autem ecclesiæ caput esse, non
1 Cor.11. ego, sed apostolus intellexit. Sacerdotes autem rationabiliter possunt dici ecclesiæ oculus, quoniam & speculatores habentur: Diaconi autem cæterique ministri manus, quoniam per eos opera spiritalia vniuersa geruntur: Populum autem esse pedes ecclesiæ: quibus omnibus parcere non oportet, si scandalum ecclesię fuerint facti. Possumus autem hoc textu vti etiam de domesticis nostris, & quasi membris ita nobis dilectione coniunctis, siue parentibus, siue amicis quadam familiaritate dilectis, quibus parcere non oportet animæ nostræ nocentibus. Præcidamus ergo à nobis quasi manum vel pedem vel oculum, patrem aut matrem volentes

D nos agere contraria pietati, aut filium vel filiam, qui quantum ad se, faciunt nos recedere ab ecclesia Dei & à Christi dilectione. Sed & si vxor gremij nostri, vel amici vnanimes, facti fuerint scandala nobis, præcidamus eos ab anima nostra quasi non amicos, sed aduersarios nostræ salutis. Qui enim non oderit patrem & matrem, & cætera, quando tempus fuerit eos odire quasi aduersarios & insidiatores, vt Christum lucremur, hic non est dignus filio Dei: & istis est dicere, quoniam claudus saluatur qui perdiderit pedem, id est fratrem, & solus hæreditans regnum Dei saluatur. Et sicut sine manu quis saluatur perdens patrem vel matrem, vt illis pereuntibus solus saluetur: sic & sine oculo quis saluatur præcidens oculum suum à se, id est coniugem fornicantem, vt ne cum tali oculo duos oculus habens intret in ignem. Potest autem & sic intelligi, vt actus animæ peccans, manus intelligatur: & incessus animæ peccans, pes: & visus animæ peccans, oculus: quos oportet præcidere si scandalum faciunt. Frequenter enim ipsa opera membrorum pro membris in scriptura ponuntur, quale est illud: Et tuli manus meas ad mandata tua: Non ipsas manus, sed opera manuum tollimus ad mandata Dei, quando facimus opera digna Deo.
Et, ad te leuaui oculos meos. Non oculos istos, sed mentem Psal.118.
quæ per oculos videt. Item: Conuerti pedes meos in testimo- Psal.122.
nia tua. Non pedes, sed motus animæ conuertuntur ad testimonia Dei, quando cœperimus velle conuersari secundum E
Deum. Quos omnes, id est vel visum, vel actũ, vel incessum, oportet abscindere si fuerint mali, vt sine illis intremus in vitam non facientes quod volumus, quàm vt intremus in ignẽ facientes proprias voluntates. Et primum quidem beata est res ab omni scandalo abstinere, vt nulla virtus animæ comprehendatur in malo, sed omnibus vtamur bonis. Sic enim cum duobus pedibus & duabus manibus, & duobus oculis animæ corporisque intrabimus in vitam æternam. Si autem futurum est male vtentes quadam virtute animæ perire propter illam, melius est præcidere, id est repellere visum virtutis illius scandalizantis, quàm vt cum reliquis virtutibus pereamus in toto. VIDETE ne contemnatis vnum de pusillis istis. Dico enim vobis, quoniam angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est.) Primum videamus qui sunt pusilli quos non oportet contemnere. Arbitror autem quoniam sicut in corporibus differentia est, vt quidem eorum sint pusilli, alij autem magni, alij vero mediocres: sic in animabus sunt quædam pusillæ, aliæ autẽ magnæ secundum spiritalem mensuram, secundum quam videt solus Deus & iudicat. Sed in corporibus non culpa hominis, sed propter rationes aliquas seminis est alius breuis, alius magnus, alius vero mediocris. In animabus autem ex nobis est esse aliquem vel paruum vel magnum, aut secundum opera, aut secundum fidem, aut secundum aliquos motus: & arbitrij nostri est, si proficere volumus in statu ani-
mæ, & fieri magni, aut non proficere & paruuli remanere. Sic F
audio & Christo suscipienti naturam humanam, & secundum naturalia incrementa crescenti quod scribitur: Iesus au-
tem crescebat sapientia & ætate & gratia coram Deo & ho- Luc.2.
minibus. Vnde consequenter Apostolus ait: Donec occur-
ramus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis ple- Eph.4.
nitudinis Christi. Occurrere enim in virum, & hoc perfectum, secundum interiorem hominem intelligendus est ille, qui transcenderit quæ paruuli sunt, & euacuans ea peruenerit in virum perfectum. Hoc modo intelligenda est esse mensura spiritalis ætatis in singulis animabus, per quam proficit anima vna quæque, & ex eo quod magnificat Deum, magnificatur à Deo. Secundum hanc magnitudinem spiritalis ætatis, & spiritalium incrementorum, & Moyses dicitur fuisse ma-
gnus & Ioannes: & ipse dominus Iesus de quo Gabriel pro- Luc.1.
testatur: Et erit magnus. Pusilli autem sunt qui nuper in Christu sunt nati, aut tales permanent sine profectu, quasi nuper
nati, quibus rationabile lac necessarium est, qui adhuc carna- 1 Cor.3.
les sunt: sicut ait Apostolus, & paruuli sunt in Christo, nec capere possunt escam virilem. Pusilli enim quamuis sint hæ-
redes, tamen quia pusilli sunt quasi nihil differentes à seruis Gal.4.
quàm diu pusilli sunt, seruituris habent spiritum in timore. Qui autem per dilectionem Dei perfectã, miserit foras timo-

G rem, iam non habet seruitutis spiritum in timore, sed spiritũ adoptionis filiorum in dilectione Dei. Item requires pusillorum istorum angeli qui præsunt eis quando incipiunt curam *Angeli quando pusillorũ curã suscipiant.* eorum habere, vtrum ex quo per lauacrum regenerationis geniti sunt in Christo, quasi tunc nascentes infantes, & vltra non subiecti cuidam aduersariæ potestati: an ex tempore natiuitatis eorum carnalis secundum præscientiam Dei *Rom. 8.* & præordinationem ipsius, quos præsciuit & prædestinauit, vt fiant conformes gloriæ Christi. Vides quoniam qui caute vtrumque discusserit, illius est affirmare, vtrum eorum sit verum, & ad testimonium proferre scripturam vni *Gal. 1.* ex duobus consentientem. In vtraque enim parte multus quidem sermo fieri potest, tamen ex multo pauca aliquid proferamus. Qui enim volunt, mox vt quis fuerit natus eorum qui præcogniti sunt à Deo, accipere angelum præpositum sibi, vtentur Apostoli voce dicentis: Qui me segregauit ab vtero matris meæ vt reuelaret filium suum in me: quasi ex eo necessarium habeat angelum se tegentem, quoniam segregatus est secundum præscientiam Dei. Item in epistola Iudæ scriptum est ita: In Deo patre dilectis, & in Iesu Christo conseruatis & vocatis. A quo conseruatis, nisi ab angelis quibus traditi fuerant, vt conseruentur & eruantur ab omni malo, qui præcogniti & præordinati habebantur? Item H proferet & illud quod in Psalmis est dictum: De ventre *Psal. 70. 138 & 22.* matris meæ tu es meus protector: vt sit protector præcognitorum Deus, per angelos ad hoc ipsum ministerium deputatos. Sic & illud accipiet: Suscepisti me de vtero matris meæ. Item: Ad te proiectus sum ex vtero, & alia mille huiusmodi habentia sensum. Qui autem vult ex eo hominibus dari angelum adiutorem, ex quo per lauacrum regenerationis facti sunt tunc nati infantes in Christo, dicet non esse credibile, insensatis & incredulis, & errantibus & seruientibus desiderijs variis, & immundis in malitia & inuidia degentibus, odibilibus & odientibus inuicem, fornicariis & adulteris, interdum autem & masculorum concubitoribus, latronibus & ebriosis atque rapacibus præesse angelum sanctum, vt maculetur in huiusmodi actibus hominis cui datus *Arg. à coniectura.* est custos. Sed est homo quidem in tempore infidelitatis suę, & peccatorum suorum ex infidelitate nascentium sub angelis Satanæ & spiritibus malignis, & immundis dæmonijs. Cum autem susceperit fidem, tunc Christus qui est redemptor, qui precio sui sanguinis eum redemit à malignis dominis, credentem in Deum tradit eum angelo sancto, & propter munditiam semper videnti faciem patris. Secundum ea quæ sumus interpretati de pusillis discipulis conueniens est dicere: quoniam non habuit necessarium Christus mandare de magnis & perfectioribus fidelibus non contemnendis, sed de pusillis: propterea non simpliciter dictum est, ne contemnatis vnum de istis omnibus discipulis quos videtis: sed ita, vnum de pusillis istis: quos cognoscebat esse pusillos qui videre poterat mendicitatem & I magnitudinem inuisibilium animarum. Talia & superius diximus. Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis credentibus in me. Alius autem forsitan dicit pusillum hic dici perfectum, secundum illud quod alibi ait: Qui autem minor fuerit in omnibus vobis, hic erit maior. Qui enim humiliauerit se, imitator existens illius qui semetipsum humiliauit pro salute humana in medio omnium credentium, siue ille apostolus fuerit siue episcopus, ipse est pusillus quem Christus ostendit. Talem se pusillum etiam Paulus ostendit dicens: Mihi minimo omnium sanctorum data est gra- *Eph. 3.* tia hæc. Sed huiusmodi expositioni illud quod dicitur: Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis, & cætera, non videtur conuenire, vel illud quod dicitur sic: Non est voluntas patris mei qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis: quoniam talis pusillus qui vere perfectus est non scandalizatur, nec perit. Pax enim multa diligentibus legem Dei, & *Psal. 118.* non est illis scandalum. Et quoniam non perit pusillus hu- *Rom. 8.* iusmodi, dicere potest: Quis nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu? & cætera. Sed qui hanc expositionem existimat veram, dicit quoniam & iusti hominis anima vertibilis est, & scandalizatur aliquando etsi non facile, sicut *Ezech. 33.* testatur Ezechiel, dicens etiam iustum à mandatis Dei posse recedere, ita vt nõ imputetur ei iustitia prior. Propterea dicit: K Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis: & quia non est voluntas patris mei vt pereat vnus de pusillis istis. Qualis autem expositio sit verior, & tu sicut potueris iudicabis. Post hanc parabolam sequitur de ouibus centum, & vna ex eis errata pariter & inuenta. Hanc sicut potuimus tractauimus, exponentes euangelium quod est secundum Lucam, quoniam & ille memor fuit parabolæ huius. Ne ergo repetere videamur, hic prætermittentes transmittimus ad expositionem euangelij secundum Lucam, omnem volentem cognoscere quid senserimus in ista parabola.

Tractatus VI.

IN illo tempore, dixit Iesus Petro: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eũ inter te & ipsum solũ. Si te audierit, lucratus es fratrẽ tuũ. Si autem non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbũ. Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ. Si autem ecclesiam non au- *Peccata quadam mortalia.* dierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.] Videamus ne forte sententia hæc non de quocunque peccato posita sit. Quod si aliquis qui nominatur frater peccauerit aliquid eorum peccatorum quæ sunt ad mortem, vtputa masculorum concubi- L tor est factus, aut adulter, aut homicida, aut mollis, nunquid & istum talem sicut aliquem modica peccantem rationis est vt arguat solus ad solum: & siquidem audierit qui talia illa peccauit, statim eum dicere lucrifactum: & si non audierit, non prius eum expelli de ecclesia, nisi priusquam & coram testibus argutus & ab ecclesia persiterit in actu priori? Non autem ignoramus, quoniam sequens alios verba, & aspiciens ad immensam misericordiam Christi dicere potest, quoniam cum verba ipsa Christi nullam differentiam faciant peccatorum, superfluum faciunt, & contra Christi misericordiam, qui hæc ad minima tantum pertinere distinguunt. Sed eum, qui taliter sentit, non arbitror ad vtilitatem communem ista sentire. Alius autem ipsa verba caute considerans, & nihil extrinsecus subaudire volens, non de omni peccato hæc dicta defendit, quoniam qui grandia illa peccat, nec est frater, nisi forte nominetur frater. Differentia enim est inter fratrem & eum qui nominatur frater. Et quoniam distant à se, propterea dicit Apostolus: Si quis frater nominetur in vobis, sit au- *1 Cor. 5.* tem fornicarius aut auarus, aut idolorum cultor, & cætera, cũ talibus nec cibum sumere. Nemo enim idolorum cultor aut fornicator, aut auarus frater est. Et quamuis nomen baiulet Christi, tamen frater nominetur, non autem & proprie frater est. Sicut ergo æstimatione eminentis misericordiæ Christi negligentibus peccandi occasionem dat, qui ad omne peccatum generaliter hæc pertinere exponit: sic econtra qui docet in minimis & humanis peccatis peccantem, post agnitionem M testium, vel ecclesiæ fieri oportere sicut publicanũ, & ethnicum in peccatis, quæ non sunt ad mortem, aut sicut lex appellat in Numeris, non mortiferis, aliquid crudelitatis vide- *Peccata nõ mortifera.* tur inducere. Nec enim existimo cito aliquem inueniri in ecclesia, qui non iam ter in eadem culpa argutus sit, vtputa in detractione, qua inuicem homines detrahunt proximis suis, aut inflatione, aut in epulatione, aut in verbo mendacij vel o- *culpa leuis.* cioso, aut in tali aliqua culpa leui, quæ etiam in illis qui vidẽtur proficere in ecclesia frequẽter inueniũtur. Cõsidera ergo ne forte & illos qui ęstimatione immẽsę misericordiæ Christi, etiã ad peccata maiora hęc pertinere interpretãtur, prætereat intellectus loci: & istos qui hęc ad minima peccata asserũt pertinere, & propterea peccatorẽ minimorũ peccatorũ nisi bis vel ter argut[9] emẽdauerit se, statim sicut ethnicũ & publicanũ fieri arbitrãtur. Quid ergo? is qui ter argutus quasi ethnic[9] & publicanus fact[9] fuerit arguẽti, verũ omnino pereat, aut aliquid patiatur? Deus scit, nos autem pronũciare non possumus secundũ quod scriptum est: Nolite iudicare, vt non iudi- *Matt. 7.* cemini. Item: Nolite ante tẽpus quid iudicare, donec veniat dominus qui illuminabit occulta tenebrarũ, & manifestabit consilia cordiũ. Primũ quidem quoniam licet ei qui ter argutus nõ obaudiuit, in quarto audite, vt iã non sit sicut ethnicus & publican[9]. Memores enĩ esse debemus eius quod dictũ est:

Sic non

A Sic nō est volūtas patris mei, vt vnus ex minimis istis pereat. Sic enim oportet nos omnes præsentari ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisq; propria corporis prout gessit siue bonum siue malū. Deinde quia scriptū est. Secundū opera manuum vestrarū continget vobis: & nō multipliciter, aut dupliciter aut septupliciter recipient de manu domini peccatores. Aliquando autē non secundum opera manuum hominis redditur ei, sed amplius quam peccauit, Hierusalē enim sicut docuit Esaias, duplicia recepit de manu domini ob sua peccata. Vicini autē Israël quicunque sunt illi, septuplū recipiūt, secūdum quod ait in Psalmo: Redde vicinis nostris septuplū in finibus eorum, Et alij inueniuntur retributionis modi, quos si intelligamus, sciemus quoniā expedit recipere in hoc mundo. Nouissime autē quia nō pariter dixit, sicut ethnicus & publicanus, sed ita sit tibi. Qui ergo in peccato leui correptus ter, secundum quod diximus, nō se emēdat, nos quidem sic eum debemus habere quasi publicanum & ethnicum, abstinentes ab eo vt confundatur. An autē etiam à Deo quasi publicanus & ethnicus iudicetur, nō est nostrum pronunciare, sed est in iudicio Dei. Conuenienter autem adiunxit post tres argutiones facto aliquo sicut publicano & ethnico: [Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo, & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.] Iuste enim ligauit qui ter arguit, & non est auditus, eum qui factus est sicut publicanus & ethnicus. Propterea ille talis alligatus est, & cōdemnatus est apud omnes qui sunt in cœlo. Ita & si argutus emendauerit se, vt iam funiculis peccatorum suorum non sit ligatus, iuste solutus est etiam ab eis qui sunt in cœlo. Tamen & illa quæ superius soli Petro sunt dicta, videntur etiam istis omnibus dicta, qui ter peccantes arguerint, si auditi non fuerint, & alligauerint super terrā iudicantes peccatorem sicut publicanum & ethnicum. Sed quoniā oportebat aliquid maius habere Petrum præ illis qui ter arguerant, ideo illi quidem sic dixit: Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quęcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis: & quęcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis. Non ergo modica differentia est quod Petro quidem datæ sunt claues non vnius cœli, sed multorum cœlorum, vt quæcunque ligauerit super terram, sint ligata non tantum in vno cœlo, sed in omnibus cœlis: & quæ soluerit super terram, sint soluta nō solum in vno cœlo, sed in omnibus cœlis. Ad eos autem qui multi sunt ligatores & solutores in terra sic dicit, vt soluant & alligent, non in cœlis sicut Petrus, sed in vno cœlo, quia non sunt in tanta perfectione sicut Petrus, vt alligent vel soluant in omnibus cœlis. Quanto ergo melior fuerit qui ligat, tanto qui alligatur amplius quam in vno cœlo alligatur: & quanto melior fuerit qui soluit, tanto beatior erit qui soluitur, quoniam in omnibus solutus est cœlis. [Iterum amē dico vobis, quia si duo vestrum consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint fiet illis à patre meo qui in cœlis est. Vbi enim duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.] In primis videamus sapienter, si potest iste consensus esse in multis, vel in toto conuentu, vt in medio eorū sit Christus: quia angusta & tribulata via est quę ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Forsitan autem hoc tali consensu nec pauci consentiunt sibi per omnia, sed duo forte vel tres, sicut Petrus & Iacobus & Ioannes, quibus quasi consentientibus sibi per omnia ostēdit verbum Dei gloriam suam, ex eo quod non habebat speciem neque decorem, vertens se ad gloriam suam, vt vestimēta sua ostenderet eis splendentia sicut lumen. Consenserunt autem & duo, Paulus & Sosthenes scribentes Corinthiis epistolam primam. Item Paulus & Timotheus mittentes secūdam. Et tres consenserunt, vt esset Christus in medio eorum, Paulus & Syluanus & Timotheus scribentes Thessalonicensibus. Item in veteri testamento inuenimus consentientes tres super terram, vt esset in medio eorum verbum Dei, sicut ostendit suprascriptio psalmi quadragesimiprimi cōtinens ita: In finem in consensu filiis Chore. Cum essent tres filij Chore quorum nomina inuenimus in Exodo, Asir, qui interpretatur eruditio, secundi Helcana, quod intelligitur Dei creatura, tertij Abiasaph quod interpretatur congregatio patris: prophetiæ ergo nō sunt diuisę, sed quasi ex vno spiritu, quasi ex vna anima, & ex vna voce, cōsensu videlicet operante in eis, D sunt dictę & scriptę, & loquuti sunt tres quasi vnus dicentes: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarū, ita desiderat anima mea ad te Deus. Dixerunt autē & pluraliter in quadragesimo tertio, Deus auribus nostris audiuim⁹. Ideò & Apostolus pręcipit dicēs: Vt sitis perfecti in eodem sensu & in eadē sententia. Et in actibus de cōsentientibus dicit, Erat autē credentiū cor vnū, & anima vna: quoniam facti fuerant vnum, si tamen possibile est sicut diximus in multis inueniri per omnia vnū sentientes, vt nec modica sit dissentio inter eos. Non autem consentiebant Corinthij dicētes, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephę & ego Christi: sed etiam in illis schisma, quo soluto congregabantur cum spiritu Pauli & virtute domini Iesu, vt iam non essent alius aliū se mordentes & comedentes, vt consumerentur ab inuicē. Consumit enim dissensus, sicut congregat consensus, & separat Iesum qui in medio consentiētium sibi solummodo inuenitur. Et propriè quidem in duobus istis generibus fit consensus: in fide, sicut ait Apostolus: Vt sitis perfecti in eodē sensu, id est secundum eadem dogmata: & in eadem sentētia, id est vt similiter conuersentur. Ideo dicit: [Si duo vestrum conuenerint super terram de omni re, quicquid petierint fiet eis.] Manifestum est autem quoniam vbi non sit de omni re consensus, nec duo conuenerūt super terram. Et ista est causa, propter quam non E exaudimur orantes, quia non consentimus nobis per omnia super terram, neque dogmate, neque conuersatione. Adhuc autem, si corpus sumus Christi, & posuit Deus singula membra in corpore, vt id ipsum sapiant membra, & consentiāt, & solicita sint, & patiente membro vno compatiantur omnia, & glorificato congaudeant omnia, debemus in nobis musicum istum seruare concentum. Sicut enim in musicis nisi fuerit conuenientia vocum, non delectat audientem: sic & ecclesia nisi consensum habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum. Consentiamus ergo, vt congregatis nobis in nomine Iesu, sit Iesus in medio nostrum, verbum scilicet Dei & sapientia & virtus ipsius. Est & alia expositio verborum istorum, quam exposuit aliquis ante nos exhortans ad castitatem coniuges. Si duo (inquit) vestrum conuenerint, id est vir & vxor ea consensu semetipsus abinuicem separantes à corporali coniunctione, vt vacent orationi: tunc enim orantes de omni re quamcunque petierint consequentur, præstante eis Deo per talem castitatis consensum. Et iste consensus non videtur coniugium soluere, sed virtutem continentię exercere. Si autem alter voluerit caste agere, alter vero noluerit aut non potuerit, & propterea ille volens & potens non condescenderit nolenti & non potenti, non erit in eis quod dicitur, De omni re quamcunque petierint fiet eis. Scio & aliam expositionem. In malis enim hominibus peccatum carnis animę dominatur ad obediendum ei in desideriis eius. In his autem qui expulerunt quasi de throno corporis sui peccatum, quod regnauerat prius in eis, & certant aduersus ipsum, caro quidem cōcupiscit aduersus spiritum, spiritus F autem aduersus carnem. In viris autem perfectis obtinuit spiritus, & opera carnis mortificauit, & cōmendauit vitā suam carni, vt viuificet mortalia corpora sua propter inhabitantem spiritū in eis, & fit cōsensus duorū, spiritus & carnis super terram: quo consensu expleto, & oratio transmittitur corde quidem credenti ad iustitiam, ore autem cōfitenti ad salutem, vt cor non sit longe à Deo, sed cū eo, vt iam nō labiis appropiet ei: & sic fiunt duo congregati in nomine Iesu. Adhuc autem beatius est, si tres cōuenerint in nomine Iesu, vt impleatur Apostolicum illud votū. Deus autem sanctificet vos ad perfectum, & integer spiritus vester & anima & corpus sine macula seruetur in aduentum domini nostri Iesu Christi. Potest autem fieri, vt duo conueniant sine tertio. Iucundum est autē istum consensum intelligere etiam circa conuenientia duorum testamentorū. In quo enim testamenta duo conueniunt sibi, vt nullus sit inter ea dissensus, eorum inuenitur oratio de omni re acceptabilis Deo. Si autem & tertium congregatorem duorum requiris, non te pigeat dicere spiritū esse sanctū: quoniam sermones sapientium siue ante aduentum, siue in ipso aduentu, siue post aduētum sunt quasi stimuli, sunt quasi clauorij implantati, dati ab vno pastore. Sicut enim duos bo-

Marginal notes: 2 Cor. 5. — Esa. 40. — Psal. 39. — Matt. 16. — Psal. 41. — 1. Cor. 1. — Act. 4. — Cur nō exaudiamur orantes. — Similitudo elegans. — Alia expositio de coniugum continētia. — 1 Thes. 5. — Consensio vtriusque testamenti.

G ues altercantes stimulus cogit in vnum venire, ita & sermo sapientium duo testamenta conuenientia reddit, etiam si in quibusdam inconuenientia videantur apud eos, qui non possunt attingere profundum consensum eorum. Nec illud prætereas, quoniam non dixit in medio eorum ero, sed in medio eorum sum. Ergo non medius futurus est, neque medius esse tardabit, sed mox vt consenserint inuenitur Christus in eis, quoniam & Christus consessus est ipse.

T V N C accedens Petrus dixit ei: Domine quoties peccauerit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? Dicit ei Iesus, non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.] Quod putatur simpliciter dictum à Petro, quasi putante septem peccata fratri dimittere peccanti in se, octauum autem nequaquam: à Saluatore autem quasi docente proximi in se peccata non solum septem dimittere oportere, sed etiam septuaginta septem: post septuaginta autem septem iam neque fratri dimittere: satis mihi videtur contemptibile & indignum, & quantum ad Petri profectum in Christo, & quantum ad Christi eminentissimum intellectum. Ergo ne forte etiam hæc verba habent aliquem similem intellectum *Gen. 4.* eis quæ dicuntur in Genesi? Numerus ergo sextus videtur esse operis & laboris. Septimus autem repausationis. Et vide si potes intelligere, eum quidem qui diligit mundum, & ea quę sunt in mundo operatur, & secularia agit, dicere septies pec- H care, & finem ei peccatorum esse numerum septimum. Tale ergo aliquid intellexit Petrus, septem peccata existimans indulgere proximi sui in se. Quoniam autem decades & hecatontades aliquem sermonem communem habent ad numerum qui in monadibus est, & sciebat Christus extendere aliquos peccata sua etiam vlterius, propterea existimo Christum iuxta septenarium numerum, etiam septuaginta addidisse, vt dicat remissionem fieri oportere fratribus in hoc mundo degentibus, & secundum res huius mundi peccantibus. Si autem aliquis supergrediens ea peccata quæ fieri solent in rebus mundialibus & secularibus vltra peccauerit, si tamen & hoc possibile fuerit, iam non habebit iustam remissionem peccatorum suorum: quoniam remissio in istis rebus locum habet, & in istis peccatis iuste præstatur, siue tardius fiat remissio, siue cito. Non est ergo remissio neque fratri qui supra septuagies septies peccat. Considera autem si potes, & in natura omnium peccatorum vbicunque, vel quandocunque factorum, vel fieri potentium quoniam est differentia, cogitationem aliquam habens ad numeros: vt dicas omnium peccatorum pessima esse quæ sunt supra numerum septuaginta septem, quando nec Iesus consiliatur Petro suo remittere supra numerũ illum peccata, & si à fratre fiant in eum. Adhuc I autem considera si potes secundum ea quæ de Petro tradimus, cui portæ non præualent inferorum, & hic intelligere eum, vt quasi in Petrum aliquis peccet, qui in talem peccauerit qualis fuerit Petrus, & secundum eiusmodi quidem peccata esse eum in minori numero non habenti peccatorum remissionem.

TRACTATVS VII.

IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et quum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat decem milia talenta. Et reliqua.] Propositum quidem parabolæ vult *Propositum parabolæ.* docere faciles nos esse ad indulgẽdum eis qui nocuerint nobis, maxime si postquam nocuerint, satisfaciant nocitis nobis, & deprecentur dari sibi veniam eorum quæ offenderunt. Illud quoque nos instruit, quod etiam eorum peccatorum quę iam nobis à Deo indulta sunt, reuocationem faciet Deus etiam post indulgentiam, nisi indulserimus offendẽtibus nos ita ex corde, vt nec modicam aliquam memoriam offensionum earum apud nos reseruemus. Post hanc parabolæ voluntatem, est quidem & simpliciter per singula verba eam discutere vniuersam, vt negotietur quis ex ipsa discussione dictorum, qui singula diligenter inquirit. Est & sublimior *Allegoria sermina.* expositio & mysterialior, secundum quam rationis est quærere quis est rex & qui serui, & quod principium ponendi rationem cum seruis, & quis est debitor talentorum multo- K torum, & quæ vxor eius & filij eius, & quæ omnia eius quæ rex vendi præcepit, vt redderetur debitum de facultatibus eius: quid est egredi eum qui accepit indulgentiam talentorum multorum: vel quis est ille conseruus vnus, qui non patrifamiliâs, sed seruo indulgentiam debitorum suorum consecuto debebat: & quid sibi vult numerus centum denariorum, & quid est effocare & dicere, redde quod debes: & quis est ille carcer in quem conseruum suum detrusit indulgentiam consecutus talentorum multorum: & qui conserui, qui sunt contristati, domino nunciantes omnia facta, & qui sunt tortores quibus traditus est is qui conseruum suum detrusit in carcerem, & quomodo reddidit tortoribus traditus omne quod debuit, vt iam nihil deberet. Iam nunc propositam expositionem tangimus. [Simile est (inquit) regnum cœlorum homini regi.] Si regnum cœlorum assimilatum est cuidam homini regi, videamus in primis quid sit hoc ipsum regnum cœlorum quod assimilatum est homini regi, nisi filius Dei. Ipse est enim regnum cœlorum. Et sicut ipse est sapientia, *1.Cor.1.* ipse est iustitia, ipse veritas, ita ipse est regnum. Regnum autem non alicuius eorum qui sunt deorsum, nec quorundam eorum qui sursum habentur, sed omnium qui sunt sursum qui appellati sunt cœli. Secundum hoc dicere potes, quoniam ipsorum est Christus secundum quod ipse est regnum, L regnans quotidie in sensibus eorum, sicut est regnans & iustitia & sapientia & veritas, cæteræque virtutes in eo qui factus est cœlum per hoc quod portauit cœlestis imaginem. Hoc ergo regnum cœlorum quando factum est in similitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum: tunc similis factus est homini regi vniens eum sibi, & per omnia faciens cum sibi vnum: & secundum hoc mysterium suscepti hominis factus est Iesus Christus, quoniam qui coniungit se domino, fit spiritus vnus cum eo. Hoc itaque *Anticipatio.* regnum cœlorum quod assimilatum est homini regi, per anticipationem dicitur, quia voluit ponere rationem cum seruis suis. Nondum enim ponit. Positurus est autem, vt appareat quomodo vnusquisque domini sui & regis probabilibus & intelligibilibus pecuniis vsus est. Quas quidam quidem amplius, alius autem accipit minus: secundum enim virtutem vniuscuiusque alij quidem dantur quinque talenta quasi tantum sufficienti tractare, alij autem duo, quasi minus potenti, alij autem vnum, quasi adhuc impotentiori. Et si quis *Varietas ingeniorũ.* consideret varietatem humanarum animarum, & ingenia hominum distantia inter se, quoniam iste quidem facit ad plures virtutes, ille autem ad pauciores, alius vero ad istas facit, ad illas autem non facit, forsitan intelligere potest quomodo vnaquæque anima venit cum aliquibus dominicis pe- M cuniis in hunc modum. Adhuc autem quæres vtrum omnes homines serui sunt regis huius, aut quidam quidem serui, quos præsciuit & prædestinauit, alij autem non serui, sed qui negotiantur cum seruis? De quibus & dicitur cuidam seruo. Non oportebat te dare pecuniam meam ad mensam, vt ego *Matt. 25.* veniens cum vsura recepissem eam? Et sic requires vtrum extra seruos habentur, à quibus cum vsuris promittit se recepturum dominus, non solum qui sunt alieni à fide, sed etiam credentium quidam: serui autem hi soli quantum ad istas parabolas, qui dispensatores verbi habentur, & quibus hoc est commissum, vt negocientur, & fœnerent. Nec enim omnibus consequens est intelligere dictum, Negotiamini donec *Luc. 19.* redeo. Et sequitur, vt cum posita fuerit ratio cum seruis, requiratur etiam quæcunque fecerunt serui ad eos qui extra domum fuerant regis. Nec enim conseruus inuenitur fuisse villico illi iniquitatis, qui centum tritici coros debebat, aut centum olei batos, secundum quod ipse villicus manifestat dicens: Quantum debes Domino meo? Et non dixit Domino nostro. Intellige autem mihi omnem quidem actum bonum lucrum dici, malum autẽ dispendium. Et sicut est differentia inter lucrum & lucrum pecuniarum, sic & in bonis operibus differentia est inter bonum opus, & bonũ: sic differentia est inter malum opus, & malum. Quorũ differentiam solus Deus scit, qui potest talia ista discutere, & ea ipso affectu verborum & actuum videt quæ nostra ea nobis videntur, sed non sunt ex nobis: & quod est opus magnum lucrum, vel quod mediocre,

A diocre, vel quod exiguum: econtrario quod peccatum, magnum dispendium inuenitur cum ratio ponitur, vel quod minimum, vel quod est damnum nouissimi quadrantis. Omnis ergo vitę nostrę ratio est ponenda à rege, quando omnes nos præsentari oportuerit ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonũ siue malum: & adducetur ad rationem etiam omne verbũ otiosum quod locuti fuerint homines, vel si quis aliquando potauerit aliquem calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli. Hæc autem non sic dici putamus, quasi opus habentia multo tempore vt ponatur nobis ratio de omnibus actibus vitæ nostræ: vt suspicio sit rege ponente singulis in tanta seruorum multitudine rationem, ne forte res ipsa necessarium habeat longum tempus, quoadusque ad finem perueniant omnia, quæ ab initio mundi vsque ad consummationem seculi non vnius, sed multorum seculorum sunt gesta ab omnibus. Sed non est ita. Volens enim Deus ventilare omnium mentes: vt vnusquisque sentiat proprios actus bonos vel malos, cito omnia ab omnibus omni tempore gesta singulis quibusque faciet in mente ineffabiliter quadam virtute. Nec enim sicut nos volentes in mente facere alicui ea quæ fecit, opus habemus tempore sufficienti ad cõsummationem eorum quæ dicuntur à nobis, & in memoriam rediguntur: sic & Deus opus habet tempus volens nobis in mente facere

2. Cor. 5.

Discussio operum momentanea.

Deus omnia nostra opera ĩ memoriam reuocabit in momento.

B omnia quæ gessimus in vita, vt cognoscentes vniuersa quæ fecimus, intelligamus propter quæ aut punimur aut honoramur. Si quis autem celeritati diuinæ virtutis circa hæc omnia consummanda non credit, hic nondum intellexit Deum qui omnia fecit, & non indiguit spatio temporis alicuius ad faciendam cœli & terræ & omnium quę in eis sunt creaturam. Nam etsi videtur in sex diebus fecisse omnia Deus, maxime quia dicit, Hic est liber generationis cœli & terræ, qua die facta sunt cœlum & terra: audendum est tamen & dicendum, quoniam tempus futuri iudicij non opus habebit spatio temporis, sed sicut resurrectio dicitur futura in momento, in ictu oculi, sic puto & iudicium fore. Post hæc videamus quid est quod ait, [Incipiente eo ponere rationem, oblatus est ei debitor vnus multorum talentorum.] Initium iudicij est incipiens à domo Dei, qui dixit sicut scriptum est in Ezechiele, angelis qui constituti fuerant super pœnas, A sanctis meis incipite. Quod initium ictui oculi simile est, quoniam in ictu oculi omnium sanctorum acta considerans iudicat eos. Sic & tempus ponendæ rationis erit, quod concipitur mente. Nec enim obliti sumus quæ dicta sunt suprà de debentibus plura. Propter quod non quidem scriptum est, ponente autem eo rationem, sed ita: Incipiente autem ponere rationem. Oblatus est in principio ponendæ rationis debitor multorum talentorum, qui ad milia multa fecerat damna, & magna qui-

Gen. 4.

1. Cor. 15.

Iudiciũ futurum in momento.

Ezec. 6.

C dem ei erant iniuncta, & creditus multa nullum domino attulit lucrum, ita vt debitor efficeretur multorum talentorum. Et forsitan ideo multorũ talentorum factus est debitor quoniam secutus est mulierem super talentum plumbi sedentem, cuius nomen iniquitas. Intellige autem vnumquodque maximum peccatum dici talentum damni dominici, qualia peccant fornicatores, adulteri, molles, masculorum concubitores, idololatræ, homicidæ, sicut & iste nihil modicum, sed omnia magna & pessima peccauit, qui oblatus est regi. Qui forsitan tot talenta perdidit, quantos perdidit homines qui receperunt eum in se talia operantem peccata, grande est enim & hoc & honorabile vir misericors, & honorabile quasi talentum dignum siue aureum, qualis fuit lucerna illa talenti aurei, siue argenteum talentum, aut cuiuslibet alterius metalli intelligibilis, quorum mysteria in Verbis Dierum scripta habentur: sicut & Dauid ditatus talentis multis, quorum & numerus est ostensus in talentis aureis tantis, & argenti tantis, & reliquorum metallorum quæ illic nominantur, ex quibus fabricatum est templum. Et cum non haberet vnde redderet, iussit eum vendi, & vxorem eius & filios eius, & omnia eius, & reddi debitum.] Opus est ergo dicere secundum voluntatem Christi, quis est debitor talentorũ multorum, & quę vxor eius, & qui filij eius, & omnia eius, & quis est debitor qui ipsi debitori debebat, & qui conserui videntes hunc quidem suffocantem, illum autem suffocari. Et sicut est quidem, vere confi-

Zach. 5.

teor neminem exponere posse, nisi solum Christum, qui discipulis suis omnia secreta soluit, veniens in sensum eorum, & aperiens eis parabolarum thesauros, obscuros, secretos, inuisibiles, & confirmans demonstrationibus indubitabilibus: aut eum quem voluerit illuminare scientiæ lumine, vt intelligat omnia parabolæ huius: siue autem potest esse diabolus, siue homo peccati, siue & neuter eorum, aut alius aliquis eorũ qui sub diabolo sunt. Est enim sapiẽtiæ hoc opus. Quando autem secundum parabolam homo rex voluit ponere rationem, videre est dignum, & ad quod tempus quæ dicuntur referre debemus. Si enim post consummationem aut cum ipsa consummatione secũdum tempus sperati iudicij, quomodo quis soluet quod dicitur de eo qui denarios centum debebat, & suffocabatur ab eo qui multorum talentorum veniam fuerat consecutus? Si autẽ ante iudicium, quis potest ostendere positam rationem ab homine rege cũ seruis suis? Dicimus igitur, quoniam videtur de temporibus iudicij prædictis hoc fore. Probatio autem huius est, vna quidem parabola istius ipsius euangelij posita in extremo, altera autem secundum Lucam. Sed ne exponentes eã prolongemus sermonem, breuiter dicimus quoniam parabola quidem secundum Matthæum, Homo quidam peregre profectus vocauit seruos suos, & tradidit eis substantiam suam, & alij quidem quinque, alij autem duo, alij autem talentum vnum. Et post multum tempus reuersus est dominus seruorum eorum. Et his ipsis sermonibus scriptũ est, quoniam posuit rationem cũ seruis suis. Considera ergo quod ait, Et posuit rationẽ cum eis, & confer cum isto quod dictum est, Incipiente autem eo ponere rationẽ: & videbis quoniam peregrinationem quidem patrisfamiliâs appellauit tempus secundum quod donec sumus in corpore peregrinamur à Deo: aduentum eius, quando post multum tempus venit dominus seruorum eorum, tempus esse iudicij eum venerit in consummationem. Secundum Lucam autem clarius manifestat, quoniam homo quidam nobilis profectus est in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Proficiscens autem vocauit decem seruos suos, & dedit illis decem mnas, & dixit eis, Negotiamini dum venio. Iste autem nobilis vir, qui odiebatur à ciuibus suis, qui miserãt legationem post eum, nolentes eum regnare super se, reuersus est regno accepto, & vocauit seruos quibus dederat pecuniam, vt videret quæ esset negociatio eorum. Quis ergo non dicat quoniã nobilis ille homo qui abierat in regionem lõginquam accipere sibi regnum & reuerti, Christus est, qui abiit accipere regnum, & mundi & omnium quæ in eis sunt? Qui autem decem acceperunt mnas, sunt quibus dispensatio verbi credita est. Ciues autem eius secundum quod natus fuerat in hoc mundo, & susceperat humanam naturam, qui noluerunt eũ regnare, Iudæi sunt qui ei credere noluerunt, & cæteri infideles. Hæc retulimus, et eis volentes ostẽdere, quoniam & hoc quod dicit, Qui voluit ponere rationem cum seruis suis, ad tempus consummationis refertur, quando etiam rex est regno accepto: quo accepto voluit ponere rationem cum seruis suis, & incipiente eo ponere oblatus est ei vnus debitor talentorum multorum. Oblatus est autem quasi regi à suis ministris, videlicet angelis. Et forsitan vnus est iste cui commissa fuit quædam villicatio magna: & quia non bene villicauit, sed dispersit omnia sibi commissa, quasi factus debitor talentorũ multorum. Hic non habens vnde redderet, iubetur venundari à rege, cum vxore, cui communicans factus est pater multorum natorum. Opus est autem non mediocre videri in intelligibilibus patrem & matrem & filios. Sicut enim Hierusalem quę sursum est Pauli & omnium similium ei: sic mater est quorundam quidem Syene Ægypti vel Memphis, aliorum autem Tyrus & Sidon: & cæteræ ciuitates quæ nominatæ sunt in scripturis gentium impiarum. Et sicut Hierusalẽ sponsa est ornata viro suo Christo, sic & illæ matres virorum quorundam possidentium eas, coniuges sunt, vel sponsæ. Et sicut sunt quidam filij Hierusalem quasi matris, & Christi quasi patris, sic sunt quidam filij Syenes vel Memphidis, vel Tyri, vel Sidonis, & pręposítorum eis principum quasi patrum. Et forsitan & iste vnus qui oblatus est homini regi habet vxorem, & filios: quos primum quidem iussit rex venundari: postea autem misertus donauit ei omne debitum non ignorans futura, sed vt nos discamus quod

D

Matt. 25.

E

Luc. 19.

Parabola de nobili mnas seruis ad negotiationem dante.

F

Luc. 19.

Gal. 4.

G actum est. Vnusquisque ergo habentium secundum quod diximus vxorem, vel sponsam, vel filios, daturus est ratioẽ cum venerit rex ponere rationem, etsi in initio ponendæ rationis oblatus est. Vnusquisque enim eorum habet & debitores, quasi princeps alicuius vel Syenes, vel Memphidis, vel Tyri, vel Sidonis, vel alicuius huiusmodi. Iste ergo dimissus est, & indulgentiã consequutus exiens à rege inuenit vnum de conseruis suis qui debebat ei denarios centum, & effocabat eum dicens, Redde si quid debes. Ideo arbitror effocabat eũ, quoniam à rege exierat, nec enim effocaret conseruum suum, nisi excessisset à rege. Adhuc considera subtilitatem scripturæ, quoniam seruus quidem multorum talentorum debitor, procidens adorauit regem quasi regem, qui acceperat regnum, & venerat ad rationem ponẽdam. Qui autem centum denarios debebat, procidens non adorauit, sed rogauit conseruum dicens, patiẽtiam habe in me, & omnia reddam tibi. Et rex quidem misertus dimisit eum cum debito vniuerso, iste autem nec misereri voluit suo cõseruo. Et ille quidem & priusquam dimitteret nõ misit in carcerem debitorem talentorum multorum, sed iussit eum venundari, & vxorem & filios eius, & reddi debitum. Iste autem vadens in carcerem misit conseruum, donec redderet quod debebat. Sunt autem & conserui quidam eius qui indulgentiam est consequutus talentorum multorum: qui vidẽtes quæ facta sunt à seruo immisericorde, habentes videlicet misericordiam similem regis, contristati
H sunt valde super eum qui centum debebat denarios, & in carcerem fuerat missus: & volentes iuuare missum in carcerem, enarrauerunt domino quæ fuerant acta. Et vide quia non est scriptum, detraxerunt, vel dixerunt, sed enarrauerunt. Et tunc vocans eum dominus eius, dixit ei quod non dixerat prius, Sicut enim pius & misericors rex, non dixit in primis sibi ei oblato quasi debitori talentorum multorum, serue nequam & male: hoc enim reseruauit, vt non de pecuniis, sed de conseruo in carcerem misso diceret. Tunc autem & improperauit ei de indulgentia debitorum donata propter petitionem. Vide autem & humilitatem regis, quoniam aliud quidem fecit debitor talentorum multorum, aliud autem nominat rex. Debitor enim ille procidens adorauit eum dicens. Dominus autem eius & rex vocans eum non dixit, omne debitum dimisi tibi quoniam adorasti me, sed quoniam rogasti me. Et iratus tradidit eum tortoribus, donec redderet omne debitum. Et iam non iussit eum venundari, & vxorem eius, & filios eius, quia peius eum oportuerat pati, propter malitiam suam traditum tortoribus, donec redderet omne debitũ tortus ab eis. Qui autem sunt isti tortores? qui constituti sunt super pœnas.

Matt. 19. Et factum est, cum consummasset Iesus sermones istos, transiit inde, & venit in fines Iudææ, & reliqua.] Non ad mediam Iudæam, sed ad fines vbi erat Iordanis diui-
I dens: vsque trans illum secutæ sunt enim turbæ multæ, quos & sanauit in ipsis finibus Iudææ trans Iordanem, vbi baptismum dabatur hominibus. Et forsitan idem dicitur de turbis sequentibus Dominum ad baptismum Iordanis, Et sanauit eos ibi. *Baptismi efficacia.* Vere enim omnes ab infirmitatibus suis spiritalibus saluantur in baptismo. Qui autem in Iordane fuerint baptizati, qui est in mysterio Christi ex duobus fontibus factus diuinitatis & carnis. Considera autem differentiam turbarum, *Iordanis enim duo fontes Ior & Dan propè Paneadem ad radices montis Libani.* & Petri qui omnia reliquerat & sequutus fuerat eum. Turbæ enim non dixerunt ei quod dixit Petrus, Ecce nos omnia reliquimus, & sequuti sumus te, quid vtique erit nobis? Et de turba quidem scriptum est: Et secutæ sunt eum turbæ multæ. Matthæus autem dicente Domino sibi, Sequere me, non simpliciter secutus est, sed surgens secutus est. Magnum enim est surgere, & sic sequi Christum. Ergo multi quidem sequuntur Christum sicut turbæ secutæ sunt, tamen non surgentes vt sequantur, neque relinquentes omnia sua propria. *Matt. 14.* *Matt. 9.* Pauci sunt autem qui surgentes sequuntur, & omnia relinquentes.

Accesserunt autem ad Iesum scribæ & Pharisæi, tentantes eum & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa?] Ergo accedentium & interrogantiũ Christum, erant quidam tentantes. Tentato autem Domino tali, quis discipulorum eius grauiter ferat, qui positus est ad docendum, si tentatus fuerit à quibusdam? Tamen tentatoribus respondit dogmata pietatis, Quidam ergo dicebãt, Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa? Quibus respon- K dens dixit: Num legistis, quoniam qui fecit ab initio masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & iungetur vxori suæ, & erunt duo in carne vna? Itaque iam non sunt duo, sed caro vna. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.] Et puto quod Pharisæi qui dicebãt, Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa, ideo proposuerunt hoc verbum, volentes eum reprehendere quicquid dixisset: vt si quidem dixisset, licet dimittere, culparent eum quasi soluentem coniugia: si autem dixisset non licet, iterum culparent eum quasi iubentem viros conuincere mulieribus etiam cum peccatis. *Dilemma Pharisæorum.* Non autem videbant quomodo eis manifeste & irreprehensibiliter fuerat responsurus. Sic & alibi interrogauerunt eum, Si licet dare tributum Cæsari? *Matt. 22.* vt si quidem dixisset, date, culparent eum quasi subdentem hominibus populum Dei, & addicentem eum Romanis, & non legibus dei. Si autem dixisset non licet dare, iterum culparent eum quasi seditiones & prælia concitantem, & facientem populum discedere à Cæsare, qui mundum tenebat. Vide autem quomodo irreprehensibiliter respondit. Primum quidem interrogantibus, si licet dimittere vxorem quacunque ex causa, dicens: Num legistis quoniam *Gen. 2.* qui fecit masculum & fœminam fecit eos, & cætera. Ad illud autem quod obiecerunt dicentes: Quomodo Moyses præcepit dare libellum repudij? ait: Propter duritiam cordis vestri. Vidit enim quia non omnis causa iuste soluit coniugium. Sed L quoniam oportet virum cohabitare mulieri, quasi vasi infirmiori, & reddere ei honorem, & sustinere onera vitiorum eius, eos qui in litera legis gloriabantur, ex ipsis Moysi scripturis conuicit dicens: Num legistis quoniam qui fecit ab initio masculum & fœminam fecit eos? Et cætera. Tamen quoniam tetigimus istum locum vbi vel illud scriptum dicitur: Hæc vocabitur mulier, quia de viro suo assumpta: sciendum quia nihil proprium habet quantum ad Græcum, vel ad Latinum sermonẽ: vt idem vocetur mulier, quia de viro suo assumpta est. Propterea legentes Hebraica, inuenimus originationẽ istam conuenientem positam in Hebræo. Habet autem Hebraicum ita quod intelligitur & mulier & assumpta. *Issa Hebraice quasi virissa, quia à viro sũpta.* Apud Hebræos enim mulier, assumpta vocatur. Item quod est à viro. Vides quomodo iunctum est iuxta id est à viro sumpta. Vnde Theodotion sic posuit. Hæc vocabitur mulier sumptio, quia de viro suo sumpta est. Symmachus autem ita, Hæc vocabitur quod est mulier à viro. Et quod debet esse inter eos qui ex Deo iunguntur dignum Deo qui iunxit, addidit dicens: Itaque iam non sunt duo. Vbi enim concordia est & consensus viri ad mulierem, & mulieris ad virum, huius quidem quasi principis, illius autem quasi obsequentis, secundum quod dictum est, Et ipse tui domina- M bitur, vere de eis dicitur, Iam non sunt duo. Ergo Deus est qui coniunxit duos in vnum, vt iam non sint duo, vbi ex Deo comparatur vxor viro. Et quoniam Deus coniunxit, ideo gratia est in eis, quos Deus coniunxit. Quod Paulus sciens, *Casta coniunctio gratia Dei.* castam coniunctionem gratiam appellauit, dicens: Volo omnes esse sicut meipsum, sed vnusquisque propriam habet gratiam ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic. *1. Cor. 7.* Qui enim ex Deo sunt iuncti, & sapiunt & faciunt quod mandat Apostolus, *Ephe. 5.* Viri diligite vxores vestras sicut Christus dilexit ecclesiam: Item mulier vt timeat virum sicut ecclesia Christum: eorum coniunctio gratia Dei est. Sed quoniam Apostolus *Ephe. 4.* profert, Et erunt duo in carne vna, sacramentum hoc magnum est, ego autem puto in Christo & in ecclesia: dicendum est quoniam non dimisit Christus primam vxorẽ suam, id est primam synagogam, secundum aliam speciem spiritalem seruans quod dictum est, Quod Deus coniunxit homo non separet: nisi quando adultera est vxor illa corrupta ab adultero inimico, cuius consilio & insidiata est viro, & interficere eum voluit dicens: Tolle de terra huiusmodi: & *Matt. 27.* crucifige, crucifige eum. Illa ergo potius abstinuit, quàm vir eius eam dimisit. Et reliquit propter ecclesiam Christus vir patrem, cum quo erat, cum in forma Dei esset. Reliquit etiam matrem cum esset & ipse filius Hierusalem quæ erat sursum secundum corpus, & coniunctus est vxori suæ, isti quæ ceciderat huc, & facti sunt duo in carne vna. Propterea

enim

A enim & ipse caro est factus, cum esset verbum, & habitauit in nobis, & sunt vna caro, quoniam de muliere ecclesia dicitur: Vos estis corpus Christi & membra ex membro. Nec est aliud corpus Christi à corpore ecclesiæ, sed vnum sunt corpus. Et Deus illos vniuit, mandans vt homo non separet ecclesiam à Christo, quos Deus coniunxit. Vnde omnis anima quæ cognoscit se inseparabilem esse à Christo sic dicit: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia? & cætera. Et confido, quia neque mors, neque vita, neq; aliquid corũ quæ sequuntur poterit nos separare à charitate Dei, quę est in Christo Iesu. Post hęc accedamus ad verbum Pharisæorum quod dixerunt ad Iesum. Quid ergo Moyses præcepit dare libellum repudij, & dimittere?] Quoniam Moyses legem scribens non tantum aspexit quæ sit vera iusticia, sed secundum infirmitatem eorum propter quos lex ponebatur condescendens plura mãdauit, sicut est & lex dandi repudij. Quoniam autem secundum infirmitatem eorum dabatur, & non secundum iustitiam, subiectus sermo demonstrat dicẽs: Ab initio autem nõ fuit sic.] Et in nouo quoque testamento sunt quędam non secundum verã iustitiam, sed secundum duritiam cordis hominum carnalium constituta, vtputa propter duritiam cordis vestri lex data est dicẽs: Bonum est mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque propriam habeat vxorem, & vnaquæque proprium virum: & cætera. Si autem hoc propter duritiam cordis nostri

1.Cor.12. *Rom.8.* *In euangelio quadã secundum duritiam hominum.* *1.Cor.7.* A

B mandatum est, quanto magis illud propter duritiam cordis nostri est, quod alibi dicit de viduis volentibus iterum nubere, Quod si se non continent, nubant, melius est enim nubere quàm vri? Scio enim quosdam, qui præsunt ecclesiis, extra scripturam permisisse aliquam nubere viro priori viuente: & contra scripturam quidem fecerunt dicentem, Mulier ligata est quanto tempore viuit vir eius. Item viuente viro adultera vocabitur, si facta fuerit alteri viro. Non tamen omnino sine causa hoc permiserunt: forsitan enim propter huiusmodi infirmitatem incontinentium hominum, peiorum comparatione quæ mala sunt permiserũt aduersus ea quæ ab initio fuerant scripta: Dico autem vobis quoniam quicunque dimiserit vxorem suam nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur.] Forsitan audat aliquis, & Iudaicus vir aduersans doctrinæ saluatoris nostri dicet quoniam & Iesus dicens: Quicunque dimiserit vxorem suam excepta causa fornicationis facit eam mœchari, permisit vxorem dimittere quemadmodum Moyses, quem retulit propter duritiam cordis Iudæorum hoc præcepisse: & hanc ipsam inquiet esse causam fornicationis per quam iuste vxor à viro dimittitur: secundum quam & Moyses præcepit dimittere vxorem, si inuenta fuerit res turpis in ea. Sed ad hoc ita est respondendum,

Rom.7.

C quoniam si secundum legem adultera lapidatur, manifestum est quoniam non secundum hoc intelligitur res turpis. Nec enim in causa adulterij oportet dare libellum repudij. Sed forsitan Moyses omnem culpam mulieris turpem rẽ appellauit: quæ si inuenta fuerit in vxore nõ inuenienti gratiam coram viro suo, scribitur ei libellus repudij, & dimittitur de domo mariti. Quod ab initio non sic fuit.] Post hoc autem dominus nõ permittit propter aliam aliquam culpam vxorem dimittere, nisi propter solam causam fornicationis, dicens: Quicunque dimiserit vxorem excepta causa fornicationis, facit eam mœchari.] Quærendum est autẽ, si propter solam causam fornicationis dimittere iubet vxorem, quid sit si mulier non quidem fuerit fornicata, sed aliud quid grauius fecerit, vtputa venefica inueniatur, aut interfectrix communis infantis nati, aut in quocunque homicidio, aut expoliatrix domum, & male dispergens substantiam viri, aut furta viri faciens, si iuste huiusmodi mulier dimittatur, cum dominus excepta causa fornicationis dimittere vetet? Ex vtraque enim parte aliquid inhonestum videtur; nescio autem si vere inhonestũ. Talia enim mulieris sustinere peccata quæ peiora sunt adulteriis & fornicationibus, irrationabile esse videbitur. Itẽ facere contra voluntatem doctrinæ Saluatoris, omnis confitebitur impium esse. Disputo ergo quia nõ præceptiue mandauit, vt nemo dimittat vxorem excepta causa fornicationis, sed quasi exponens rem dixit: Qui dimiserit vxorem excepta causa fornicationis, facit eã mœchari. Et vere quidem quan-

In causa adulterij nõ dabatur libellus repudij. *An præter adulterium alia esse possit causa repudij.* *Obscura solutio.*

tum ad se facit eam mœchari, dimittẽs eam nõ mœchantem. D Si enim viuente viro adultera vocatur si facta fuerit alteri viro, sine dubio qui dimittit, dat ei occasionem secundarum nuptiarum, & propter hoc facit eam mœchari. Sed vir qui quantum ad se vxorem dimittens fecit mœchari, vtputa veneficam, vel homicidam, aut aliquid huiusmodi constitutam, si iustam excusationem habet apud Deum, tractabis. Potest autem & citra dimissionem propter alias causas facere vir vt vxor eius mœchetur: vtputa qui supra mensuram permittit vxorem suam agere quod vult, & in amicitiam descendere virorum quorum vult, frequenter enim ex simplicitate virorum huiusmodi vitia nutriuntur in mulieribus. Sed si est excusationis locus viris talibus in huiusmodi casibus, diligenter requirens prouĩdeas. Item & qui abstinet se à muliere sua frequenter, facit eam mœchari, non adimplens auiditatem ipsius, forsitan spe irrationabili sanctitatis & castitatis ductus. Et forsitan iste amplius reprehensionis dignus, quàm ille qui quantum ad se facit eam mœchari dimittens non quidem fornicantem, in veneficio autem, vel in homicidio, vel in quibuscunque aliis grauioribus peccatis inuentam. Qua enim ratione adultera est mulier quamuis legitime nubere videatur viro viuente: eadem ratione & vir quamuis legitime accipere videatur dimissam ab aliquo viro, non accipit legitime secundum sententiam Christi, sed magis mœchatur, quasi alienam accipiens. Post hæc intelligentes apostoli quanti sint casus inter coniuges quos debet vir sustinere, & propterea te- E nere quidem interitum esse, dimittere autem peccatum esse in domino, responderunt ei quasi ad rem facilem refugientes ad castitatem, & magis vtilẽ, & dixerunt: Ergo non oportet nubere si ita est causa viri cũ muliere. Ad hæc autem Christus respondit dicens: gratiam esse donatam à Deo continentibus se omnino. Quæ gratia non solum per continentiam apprehenditur, sed multis orationibus à Deo præstatur. Hoc enim significat dicens: Non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est.] Quoniam autem quidam calumniantur quod Christus ait: Quibus datum est, quasi excusationem habentes, & volentes quidẽ esse in castitate, non autem præualentes. Quibus est respondendum: Si quidem accipimus simpliciter quod dictum est, Sed quibus datum est: non autem attendimus quod alibi dicit: Petite & dabitur vobis. & omnis qui petit, accipit: aut fideles non sumus, aut scientes scripturas, qui enim vult capax esse verbi quod de castitate positum est, petat credens dicenti, & accipiet, nõ dubitans de illo quod dictum est: Omnis qui petit accipit. Quis est ergo qui petit? Qui credit Christo dicenti: Si steteritis orantes, credite quoniam accipietis. Debet autem qui petit, omnia facere quantum ad se, vt oret spiritu, oret & mente, memor F Apostolici verbi quod ait, Sine intermissione orantes. Vtile est autem scire quid debeat petere quis, vt mereatur accipere. Et quod ait: Dico vobis, etsi non dabit ei surgens propterea quod amicus est eius, tamen propter importunitatem eius dabit ei quantos voluerit. Et addit: Et ego vobis dico, Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Sunt eunuchi, qui ex vtero matris suæ nati sunt sic. Et sunt eunuchi, qui ab hominibus facti sunt. Et sunt eunuchi, qui se ipsos eunuchos fecerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.] Priusquam exponamus quæ nobis videntur in loco, notum facimus duas esse expositiones loci istius. Quotondam quidem duas eunuchizationes carnales aspicientes, quasi consequenter dicere existimantes ausi sunt etiam tertiam eunuchizationem dicere corporalem, vtputa si propter timorem Dei corporaliter eunuchizant, & obiecerunt se opprobriis, & confusionibus non solum apud alienos fidei, sed etiam apud eos qui ignorantiæ hominum ignoscere solẽt. Alij autem & plerique sic intellexerunt non discutientes modum consequentiæ verborum: duas quidem eunuchizationes priores similiter prioribus expositoribus carnales esse dixerunt, & nihil spiritaliter intelligendum in eis: tertiam autem eunuchizationem dixerunt ex verbo, non corporalem, quando spe regni cœlestis à seuerissimo verbo præcidunt concupiscentiæ passionem. Et primi quidem facti sunt amatores euangelicæ literæ, & non

Propositam quæstionem inexplicatam relinquit. *Repudiatã non licet accipere secundũ sententiam Christi.* *Contra hæreticos quibus castitas videtur impossibilis.* *Matt.7.* *Mar.11.* *1.Cor.14.* *Luc.11.*

G intelligētes quod etiam hæc in parabolis loquutus est Iesus, consequenter prioribus eunuchizationibus duabus corporalibus intellexerunt & tertiam, non quidem peccanter quantum ad consequentiam: necessarie autem peccauerunt, quoniam ab initio duas illas eunuchizationes corporaliter tantum intelligi putauerunt: consequens enim erat postquam priores corporaliter intellexerunt, vt tertiam quoque corporalem existimarent. Secundi autem interpretatores tertiam quidem eunuchizationem salubriter exposuerunt fieri verbi præcisione: non autem considerauerunt quoniam talis expositio conueniens erat etiam in prioribus eunuchizationibus duabus, secundum similitudinem illius tertiæ. Quibus autem displicet, quoniam est & euangelica litera occidens,
Luc. 22. audiat (exēpli gratia) quod dicit ad Apostolos suos: Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, an ne aliquid vobis defuit? Qui dixerunt: Nihil. Respondit Iesus: Sed nunc qui habet sacculum, accipiat similiter & peram: & qui non habet, vendat vestimentum suum, & emat gladium. Si quis ergo literam volens aspicere, & non intelligens volūtatem verborum, vendiderit vestimentum suum corporale, & emerit gladium, talis contra voluntatem Christi suscipiens verbum eius, peribit forsitan & in gladio peribit. De quo autem gladio dicat, non est loci huius exponere. Sed & illud
Luc. 10. aspiciat. Neminem in via salutaueritis. Si quis non discutiens
H quid volēs Iesus hoc loco præcepit, quasi zelans vitam Apostolorum, neminem in via salutauerit, is quasi inhumanus & stultus videbitur omnibus: & sic decebit odire omnes verba Christi quasi agrestes & inhumanos docentia homines esse. Forsitan autem & morietur in odium cunctorum deductus, litera se occidente. Si autem & dextrum quis oculum eiiciat, aut manum, aut pedem, post opprobrium insaniæ, infructuosum patietur interitum. Nos autem si spiritales sumus, verba spiritus spiritaliter accipiamus, & de tribus istis eunuchizationibus ædificationem introducētes moralem. Eunuchi nunc moraliter abstinentes se à veneris sunt
Cōtinentiū tres differētia. appellandi. Eorum autem qui se continent, differentiæ tres sunt. Et quidam quidem sunt natura frigidiores præ cæteris viris, de quibus recte dicitur: Sunt quidam eunuchi, qui de vtero matris suæ nascuntur sic. Quidam autem continentes sunt propter verba hominum: quorum concupiscentiam virilem præcidit non verbum diuinum, sed verba humana: vtputa qui philosophati sunt apud antiquos in gentibus, aut apud eos qui prohibent nubere, apud hæreses: isti sunt eunuchi qui ab hominibus fiunt. Qui autem suscipit verbum viuum & efficax, & acutius super omnem gladium bis acutum, & gladium spiritus sicut Apostolus, & præciderit concupiscentiam suam, corpus suum non tangens: & hoc fecerit non incitatus propter timorem hominum, neque propter laudem humanam, sed propter solam spem regni cœlestis: isti sunt qui eunuchizauerunt seipsos propter regnum Dei.
I Magna ergo res est propter regnum Dei suscipere eunuchizationem: quod non capiunt omnes, sed quibus datum est. Datum est autem omnibus qui huiusmodi gladium petunt sibi ex Deo. Si autem oportet secundum historias moraliter intelligere eunuchos, dicimus quoniam sunt quidam eunuchi Pharaonis non generantes bonum, vt sunt eunuchi illius escam ei offerētes. Eunuchizati sunt autem & homines Dei, propter hoc ipsum eunuchi nunquam generantes malum,
Gen. 40. vt reædificent casus Hierusalem. Et de primis quidem in Ge-
2. Esd. 2. nesi scriptum est: de secundis autem in libro secundo Esdræ, qui dixit: Et ego eram eunuchus regis. Et tu ergo considerans inuenies, quare ad restaurandum templum Dei principari eunuchus electus est dignus. Dicunt enim filij Hebræorum Danielem & pueros tres in Babylonia fuisse eunuchizatos: vt impleatur verbum Dei dicentis ad Ezechiam, Quoniam ex semine tuo accipient, & facient spadones in domo regis Babylonis. Dicunt & quod de eis prophetauit etiam
Esa. 38. Esaias dicens: Ne dicat eunuchus quia ego sum lignum aridum. Hæc dicit dominus eunuchis: Si custodierint mandata mea & elegerint quæ volo, ego dabo eis in domo mea locum electum & nominatum, & meliorem filiis & filiabus. Bonū est ergo secundum mysterialem locum nec generare in Babylonia, sed sine semine esse quantum ad Babyloniam sicut Daniel, vt generemus de spiritu sancto, sicut & ille & qui cū K eo fuerunt, visiones & prophetias, & cætera opera bona.

Tunc oblati sunt ei pueri, vt manus eis imponeret. Discipuli autem increpabant eos. Iesus autem dixit: Sinite pueros & nolite prohibere. Talium est enim regnum cœlorum. Et imponens eis manus abiit inde.] Sciendum quoniam non est quādo non offeruntur pueri Iesu de quibus dicit, quasi de- Esa. 8. positum suscipiens à Deo: Ecce ego & pueri quos dedit mihi Deus. Puerorum autem iustorum quidā quidem sunt infantes: alij autem dicuntur lactentes, quasi inferiores infantibus. Et dominus noster ex ore vtrorumq; percipit laudem, vt cognoscētes alia beneficia eius in pueris, dicamus, Ex ore in- Psal. 8. fantium & lactentium perfecisti laudem. Pueros autem dicimus, qui adhuc in Christo carnales sunt & infantes, quales 1. Cor. 3. esse Corinthios Apostolus sciens dicebat: Et ego non potui vobis loqui quasi spiritualibus sed quasi carnalibus, quasi paruulis in Christo. Tales autē pueri & tunc oblati sunt, & quotidie offeruntur Iesu. Signum autē oblationis puerorum sunt multi, qui in Christo paruuli cōstituti atque lactentes, & lacte opus habētes nō esca perfecta, accedunt ad fidem: de quibus dicit, qui dixit: quemadmodum si nutrix foueat filios suos nutriens eos, Lac vobis potum dedi non escam: nondum enim 1. Thes. 2. poteratis, sed nec vsque adhuc potestis. Exponentes autem euangelistæ hunc locum, quoniā quidem oblati sunt pueri Ie- L su retulerunt: non autē manifestauerunt à quibus oblati sunt, nobis videlicet relinquentes vt quæramus quod ab illis est prætermissum: vtrum euangelistæ omnes euentu prætermiserint cum possint conscribere vtrum à parentibus sint oblati, an à matribus: an ratione diuina & sapientia hoc fecerint, vt ostendant quoniam qui offerunt pueros Iesu angeli sunt qui accedunt & ministrant ei: quoniā ipsi sapienter cognoscunt differētiam puerorum vel infantium, quales Christo oportet offerri. Voluntas autem offerentium pueros est, vt manus eis imponat Iesus & oret. Oratio enim Iesu Christi & tactus eius, pueris & infantibus qui non possunt audire quæ audiūt iam spiritales, sufficit ad auxilium eruditionis eorum. Apprehendit enim eos virtus Iesu Christi cum manus suæ speculationis posuerit super eos, & iam nullum malum eos contingit. Forsitan autem quantum ad textum, etiam offerentium ei pueros & infantes voluntas huiusmodi erat, considerātiū quoniam impossibile est vt postquam dominus tetigerit pueros vel infantes, & per tactum dederit eis diuinam virtutem, vt ruina aut dæmonium aliquod tangere eos possit. Existimo autem quoniam multæ malignæ virtutes circa animā hominis ab initio vocantis iugiter ei insidiantes, ideo offerebant vt tangeret eos, quasi iam ex præcedentibus virtutem eius experti, qui offerebant pueros vel infantes Saluatori: quoniam per impositionem manuum eius, & per orationem eius pro pueris & infantibus factam, & per tactum eius repelluntur mala. Virtus enim facta in eis non solum ad præsens suffi- M ciens est custodire, verum etiam in posterum quasi prohibitoria constituta tactum cōtrarium repellet ab eis. Et saluator ergo non quasi superfluum aliquid sciens hoc esse, sed salutare omnibus qui impositionem manuum eius acceperint, dicit ad discipulos suos prohibētes pueros vel infantes offerri: Sinite pueros venire ad me, & nolite prohibere eos. Si quidē habent rationem quæ supra diximus de offerentibus, qui erāt qui offerebant: consequenter cum eis discipuli Iesu egregiæ intelliguntur virtutes, & doctæ à filio Dei. Potest enim & ad illas nomen discipulorum Iesu peruenire, vt nō solum homines discipuli eius sint, sed etiam angeli. Si quis autem hoc quod dicimus putauerit violentum, & voluerit discipulorum nomen non aliis nisi tantum hominibus applicare, discipuli eius qui prohibent offerri pueros Iesu & infantes: sic intelligendus est hic locus, vt eorum qui profitentur verbi doctrinam simpliciores quidem, & quasi puerilem sermonem habētes & similē lacti quo nutriuntur adhuc nouitij quibus lac opus est & non solida esca, intelligantur esse doctores qui offerunt Saluatori pueros & infantes. Nec enim possunt magis specialiori sermone eos nutrire quàm postulat status angusti sensus eorum, qui dicere possunt sicut ille qui dixit: Græcis ac Barbaris sapientibus & insipientibus debitor sum. His ergo offerētibus Saluatori huiusmodi pueros & infantes, id est Rom. 1.

A nouitios fidei & minus eruditos adhuc, qui videntur esse perfectiores doctoribus illis simplicioribus: & ideo sunt discipuli Iesu, priusquam discant rationem iustitiæ de pueris & infantibus talibus reprehendunt eos qui simpliciter docent, & per simplicem doctrinã pueros & infantes offerunt Christo. Manifeste autem intelligere poteris hoc, si consideraueris quod ait Apostolus: Videte vocationem vestram fratres, *1.Cor.1.* quia non multi sapientes secundum carnem, non multi fortes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mũdi elegit Deus, & quæ infirma, & quæ ignobilia, & quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Si videat ergo quis eorum qui doctrinam ecclesiasticam profitentur, offerentem aliquem quosdam stultos mundi, & ignobiles & infirmos qui propter hoc appellati sunt pueri & infantes: videns non prohibeat quasi sine iudicio facientem eum qui offert tales Saluatori atque magistro pueros & infantes. Et vide si non conuenit referre quæ tractamus ad discipulos: quosdam quidem offerentes pueros vt manus eis imponat Iesus & oret, alios autem prohibentes eos, vt dicat ad eos qui prohibent offerentes pueros Christo, magister & Saluator & Dominus: Sinite pueros, & nolite prohibere eos venire ad me. Post hoc cohortans discipulos iam viros constitutos condescendere vtilitatibus puerorum, vt fiant pueris quasi pueri, vt pueros lucrentur, *Phil.2.* dicit Iesus. Talium est enim regnum cœlorum.] Nam B cum & ipse in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed factus est puer, vt dicat de eo Matthæus, quoniam stella quam viderant in Oriente præcedebat eos donec veniens stetit vbi erat puer. Non solum Matthæus, sed etiam ipse angelus qui apparuit Ioseph, talem & tantum *Matt.2.* Saluatorem nostrum puerum appellauit, dicens: Surgens accipe puerum & matrem eius, & vade in Ægyptum. Humilians ergo se factus est quasi puer, recte dicat: Sinite, & nolite prohibere pueros venire ad me: talium est enim regnum cœlorum.] Hæc ergo debemus diligenter attendere, vt ne æstimatione sapientiæ excellentioris & profectus spiritalioris contemnamus quasi magni, pusillos ecclesiæ: sed scientes quod dictum est: Talium est enim regnum cœlorum, tales efficiamur, vt etiam paruuli sensu saluentur per nos: non solum non prohibentes pueros ad Iesum ire, sed etiam ipsi cum pueris effecti pueri in humilitate voluntatem domini adimpleamus: vt exaltemur à Deo. Scito autem quoniã pueri huiusmodi quamuis nõ omnia quæ dicuntur sequi possunt quasi pueri, tamen imposuit eis manus Iesus. Ponens autem abiit inde, & virtutem relinquens in pueris, per actum abiit à pueris, videlicet pueris non potentibus sequi Christum, sicut & cæteri discipuli eius perfecti. Siquidem autem eloquia do- *Psal.19.* mini euangelica eloquia sunt casta, & argentum igne exami- C natum, argentũ probabile, transmissum terræ, & valde mundatum, & septies mundatum: sine dubio debet esse aliqua idonea causa propter quam Matthæus exponens hunc locũ, duas quidem causas ostendit offerendi pueros, non autem ad duas præcedentes causas intulit quæ sequuntur. Oblati sunt enim pueri non solum vt manus eis imponat, sed etiam vt oret: Scriptum est autem post hoc, quoniam imponens eis manus abiit inde: & nõ addit & orans, potuit enim dicere: & imponẽs eis manus & orãs abiit inde. Et vide si potes dicere: quoniam maioribus quidem puerorum seruatur oratio Christi: qui possunt capere non solum impositionem manuum eius super se, sed etiam orationem eius ad patrẽm pro se. Minoribus autem pueris sufficit impositio manuum eius. Dicens autem: Talium est enim regnum cœlorum, hortatur vt nemo quamuis sit sapiens in ecclesia glorietur aduersus paruulos Christi: quoniam non eorum talium puerorum est regnũ cœlorum, sed eorum qui per humilitatẽ facti sunt sicut pueri cum essent sensu perfecti. Hanc autem expositionem commendat apud Lucam positus sermo: quoniam cum dixisset offerebant ei pueros & infantes vt tangeret eos, videntes autem discipuli prohibebant eos: Iesus autẽ dixit: Sinite pueros venire ad me, talium est enim regnum cœlorum, statim quasi conuenientia sensui præcedenti addidit, dicens: Amen dico vobis, qui non receperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

Tractatus VIII. Cap. XIX. D



INterrogauit Iesum vnus de turba dicens: Magister bone quid boni faciam vt habeam vitam æternam? Qui dicit ei, Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi vnus Deus.] Cum scriptum sit & de homine bono, Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona: & de angelis bonis, & de spiritu sancto bono, & de filio Dei bono: hic saluator ad eum qui dixit, Quid boni faciam vt habeam vitam æternam: ita respondit, vt proprie nulli conueniat esse bonum, nisi tantummodo Deo, dicens: Quid me dicis bonum? Vnus est enim bonus Deus. Scire autem oportet quoniam hic quidem proprie bonum soli conuenire dicitur Deo: in aliis autẽ abusiuè. Quod ergo inuenitur in aliis appellatio boni, non est contrarium huic dicto quod ait, Nemo bonus nisi vnus Deus: quoniam omnes (sicut diximus) abusiue dicuntur boni, vnus autem proprie. Ipse quoque dominus qui est imago Dei inuisibilis, sic & bonitatis illius imago est: & sicut *Col.1.* ipse distat à bonitate patris quasi imago bonitatis à principa- *Heb.1.* li bonitate, sic & omnes in quibus bonitatis nomen positum inuenitur, distant à bonitate filij. Plus autem distant omnes boni à bonitate filij, quàm bonitas filij à bonitate paterna: quoniam plus filius propinquus est patri in omnibus bonis, quàm omnes filio. Forsitan autem & propter eum qui dixit: E Quid boni faciam vt habeam vitam æternam: hoc Christus respondit ad eum, Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi vnus deus, vt illud confirmet quod alibi dicit: Cùm omnia fe- *Luc 17.* ceritis quæ præcepta sunt vobis, debetis dicere: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus. Nam etsi omnia fecerimus quæ præcepta sunt nobis nec sic quantum ad hæc verba bonum aliquid fecimus. Nec enim si vere bona essent quę facimus, scriptum fuisset, vt faciẽtes ea dicamus esse nos inutiles seruos, si proprie cõueniret hominibus appellatio bonitatis: quoniam omne bonũ nostrum, abusiue & non proprie dicitur bonum. Vere enim quando declinamus à malo & facimus bonum, quantum ad comparationem cæterorum hominum nolẽtium declinare à malo & facere bonum, dicun- tur bona quæ agimus: quantum autem ad veritatem, secun- *Bona abusiue.* dum quod dicitur in hoc loco quia vnus est bonus, bonum nostrum non est bonum. Et sicut nõ iustificatur in conspectu *Psal.37.* Dei omnis viuens, quoniam quantum ad comparationem iustitiæ Dei, omnis iustitia hominum inuenitur neque iustitia esse: sic nec bonus inuenitur quisquã in conspectu dei, quantum ad comparationem bonitatis illius, quamuis quãtum ad comparationem cæterorum hominũ bonus quis appelletur. Dicere autem poterit quis, quoniam sciens dominus propositum interrogantis satis abesse vt faciat vel humanum bonũ, F dixit ei interroganti: Quid boni faciam, quid me interrogas de bono? tanquam si dicat: cum sis imparatus ad ea quæ dicuntur bona, quid me interrogas de bono, quid boni faciens vitam æternam possidebis? Et sic docet quoniam vere vnus est bonus. Considera autem quomodo bonitatem eius omnia sperant etiam ea quæ videntur contraria esse: quale est, *Deut.32.* Ego percutiam, & ego occidam: non minus quàm quod dicit: & viuere faciam, & ego sanabo. Et si ipse facit dolorem, scire debemus, quoniam & medicus frequenter facit dolorem. Faciens enim Deus dolorem iterum restituit. Sic & ex bonitate quos percutit, percutit quasi filios. Quis enim est *Heb.12.* filius quem non corripit pater? Sed & omnis disciplina ad *1.Reg.2.* præsens nõ videtur esse gaudij, sed mœroris: postmodum autem fructum pacificum reddet eis qui per eam exercitantur. Propterea sicut percutit Deus, sic & sanat. Verum est enim quod scribitur, Percussit, & manus eius sanauerunt. Et si nouum videtur quod dicere volo, tamen dico: Boni dei est ipse quoque qui dicitur furor eius: quoniã opus salutis operatur arguens: & quæ dicitur ira eius, quoniã est boni dei, corripit vt emẽdet. Et multa possunt dici de bonitate eius ad ædificationem hominum, vt non contemnentur de bonitate ipsius. Multa enim iuste abscondit à timentibus se, vt ne diui- *Rom.2.* tias bonitatis eius, & longanimitatis contemnentes, secundum duritiam cordis sui, & sine pœnitentia cordis thesaurizent sibi iram, quam non thesaurizabunt si absconsa fuerit multitudo bonitatis eius ab eis. Post hoc autem dicit:

G Si vis ad vitam intrare, serua mandata.] Vbi considera quoniam adhuc quasi extra vitam constituto ei qui interrogabat de bono, ita respondit, Si vis intrare in vitam. Hic autem requiro quomodo quis sit extra vitam, & quomodo intret in vitam: & ne forte secundum vnum quidem modum sit homo extra vitam, qui est extra eum qui dixit, Ego sum vita. Alias autem omnis qui super terrã est, quamuis iustissimus esse videatur, potest quidem in vmbra esse vitæ, non autem in ipsa vita, cum sit corpore mortis circundatus, & dicens: Quis me liberabit de corpore mortis huius? & sedens in regione & in vmbra mortis, eo quod nondum venit in terram viuorum. Introibit autem quis in vitam abstinens quidem se ab operibus mortuis, appetens autem opera viua, etiam nũquam quidem mortua loquens, sed secũdum verbum dei viuum viua: & non habens iam cogitationes mortuas in corde, sed viuas. Sicut enim sunt opera mortua, & opera viua, & verba mortua & verba viua, ita sunt & cogitationes mortuæ, & cogitationes viuæ. De quibus dicit Apostolus: Cogitationibus inuicem accusantibus, aut etiam defendentibus in die cum iudicauerit dominus occulta hominum. Et saluabitur quidem ille cuius cogitationes fuerint defendentes: peribit autem, cuius fuerint accusantes. Si ergo & nos volumus introire in vitam, audiamus dicente Iesu: Si vis introire in vitam, serua

Rom. 7.

Cogitationes & opera mortua & viua.

Rom. 2.

H mandata:] & secundum mensuram obseruationis mandatorum ingrediemur in vitam, aut in interiora eius & beatiora, aut in mediocria, aut ad quancunque partem vitæ illius ad quam induxerit nos obseruantia mandatorum. Ille autẽ audiens: Serua mandata, respõdit, Quæ? vt discamus qualia maxime mandata vult nos Iesus obseruare. Ad quam interrogationem dixit: Non occides, non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, honora patrem tuũ & matrem: & diliges proximum tuum sicut te ipsum.] Et forsitan ista sufficiunt vt in principium (vt ita dicam) ingrediatur quis, non autem sufficiunt hæc vel alia similia istis, ad interiora vitæ introducere quẽquam. Qui autem prætererit vnum mandatorum istorum, nec in principium vitæ intrauit. Abstinendum est ergo omni volenti vel in principium vitæ intrare, ab adulterio, ab homicidio, à furto. Sicut enim adulter & homicida non intrant in vitam, sic nec fur. In hoc enim peccato multi etiam eorum qui videntur credidisse Christo incurrunt negotia huius mundi agentes, & pecuniarios actus qui creduntur eis, & qui operantur artes istas mediocres, qui omnes non sunt mundi à furto. Non solum autem fures non intrant in vitam: sed nec socij eorum, nec qui cõsentiunt eis: Scriptum est enim in Esaia: Socij furum diligentes munera. Item in Psalmo quadragesimo nono prohibetur enarrare iustitias domini & assumere in ore suo testamentum eius consentiens furibus, ita: Si videbas furem concurrebas ei, quod

Esa. 1.

I primum dictum est, In secundo autem loco: Et cum adulteris partem tuam ponebas. Et vide quia nec ipsum furem, nec ipsum adulterum dicit: sed concurrentem furibus, & cum adulteris partem suam ponentem. Qui vult intrare in vitam, nec falsum testimonium dicere debet. Expellitur autem à vita, & qui non honorabit patrem suum & matrem. Sed forsitan hæc seruare mandata nõ satis difficile est: opus autem est omnibus qui per mandata præcedentia inducuntur, quasi maius & vtilius quod mandat implere: Diliges proximum tuum sicut te ipsum: quoniam & secundum quod ait, non occides, & non furtum facies, non adulterabis, & si quod est aliud mandatum in hoc verbo recapitulatur: Diliges proximũ tuum sicut te ipsum. Et si omne mandatum in hoc verbo recapitulatur: Diliges proximum tuũ sicut te ipsum, perfectus est qui impleuerit omne mandatum, qui impleuerit, & hoc quod est: Diliges proximum tuum. Si autem iste est perfectus qui diligit proximum suum sicut se, quære quomodo dicenti adolescenti: Hæc omnia seruaui à iuuentute mea, quid adhuc mihi restat? respondit dominus quasi adhuc nondum perfecto constituto qui hæc omnia fecit: & quasi consentiens ei qui dixit: Hæc omnia feci, respondit. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ possides, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni, sequere me. Vide ergo si possumus ad propositam quæstionem secundum vnum quidem modum taliter respondere: quia ne forte quod ait, Diliges

Matth. 22.
Leuit. 19.
Rom. 13.

K proximum tuum sicut te ipsum, suspicari potest non à domino positum in hoc loco: sed ab aliquo nescio quo non intelligente subtilitatem dictorum istorum additum esse. Hoc autem adiectum esse commendat, quod ipsum locum Marcus & Lucas exponentes, neuter addidit, Diliges proximum tuũ sicut te ipsum. Dicet autem qui adiectum hoc esse defendere vult: si eadem ipsa diuersis sermonibus à tribus sunt exposita, nunquam dixisset dominus: adhuc vnum tibi restat, aut vnũ tibi deest, ei qui professus est, se impleuisse mandatum quod ait: Diliges proximum tuum sicut te ipsum: maxime si secundum Apostolum, quod dicitur, Non occides & cætera, & si quod aliud est mandatum in hoc verbo recapitulatur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Nam secũdum Marcum sic dicit: Intendens in eum qui dixerat: Omnia hæc seruaui à iuuentute mea, dilexit eum vel osculatus est eũ. Videtur enim affirmasse professionem eius qui dixit se omnia ea impleuisse. Intendens enim in eum, mente vidit hominem ex bona conscientia confitentem, se proposita impleuisse mandata. Nunquam enim si extra cætera mãdata etiam illud se impleuisse dixisset, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, capitale & maximum Marcus & Lucas prætermisissent mandatum: nisi forte quis similia quidem dicat scripta, non autem de eodem ipso dicta esse. Quomodo autem quasi nondum perfecto ei qui extra cætera etiam hoc impleuit mandatum, Dili-

Rom. 13.

Marc. 10.

L ges proximum tuum, sicut teipsum: Iesus responderet, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ possides, & da pauperibus?] Multam enim differentiam inter exemplaria inuenimus, siue per negligẽtiam scribentiũ, siue ex temeritate quorundã siue propter eos qui negligunt emẽdare scripturas, vel propter eos qui quod ipsis videtur in emẽdationibus vel adiiciunt, vel subducunt. Et in exemplaribus quidem veteris testamenti quæcunque fuerunt inconsonantia deo præstante coaptare potuimus, vtentes iudicio cæterarum editionum: ea enim quæ videbantur apud Septuaginta dubia esse propter consonantiam exemplariorum, facientes iudicium ex editionibus reliquis conuenientia seruauimus: & quędam quidem notauimus quasi non posita in Hebræo, non audentes ea omnino auferre: quædam autem cum asteriscis addidimus, vt sit manifestum quoniam quæ non fuerunt posita apud Septuaginta, ex editionibus cæteris addidimus conuenienter Hebræo. In exemplaribus autem noui testamẽti hoc ipsum me posse facere sine periculo non putaui. Tantum suspiciones exponere me debere, & rationes causasque suspicionum, non esse irrationabile existimaui, sicut in hoc loco quod dicitur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, quoniam apud Marcum & Lucam positum non est. Iudicent autem qui possunt, vtrum vera sint quæ tractamus, an falsa.

Negligẽtia eorum qui euangelicos codices describunt.

Quid orig. in codicibus sacris præstiterit.

M Tamen quasi posito etiam hoc, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, age aliter tractemus hunc locum. Scriptum est in Euangelio quodam, quod dicitur secundum Hebræos, si tamen placet alicui suscipere illud, non ad autoritatem, sed ad manifestationem propositæ quæstionis. Dixit, inquit, ad eum alter diuitum: Magister quid bonum faciens viuam? dixit ei. Homo leges & prophetas fac. Respondit ad eum. Feci. Dixit ei, vade vende omnia quæ possides, & diuide pauperibus, & veni sequere me. Cœpit autem diues scalpere caput suum, & non placuit ei: Et dixit ad eũ dominus. Quomodo dicis, legem feci & Prophetas? quoniam scriptum est in lege, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, & ecce multi fratres tui filij Abrahæ amicti sunt stercore morientes prę fame, & domus tua plena est multis bonis, & nõ egreditur omnino aliquid ex ea ad eos. Et cõuersus dixit Simoni discipulo suo sedenti apud se. Simon fili Ioannæ, facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cœlorũ. Verum est ergo quia non impleuit diues mandatum, Diliges proximum tuum sicut te ipsum: qui multos despexit pauperes, & non est eis partitus aliquid de tantis facultatibus suis. Impossibile est enim & implere mandatum quod dicit, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, & esse diuitem, & maxime tantas possessiones habere. Qui ergo non existimat esse abiiciendum verbum hoc quasi falsum: Diliges proximum sicut te ipsum: sed recipiendum quasi verum à Domino dictum, dicet non satis arguitione reperta: quoniam strictum &

Euangeliũ secundum Hebræos.

A non satis odibilis et volens arguere diuitem illum Dominus noster quasi non vera dicentem, quod an se impleuisse etiam illud mandatum, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, dixit ad eum: Si vis perfectus esse, vade vēde omnia quæ possides, & da pauperibus. Sic enim apparebis dicere verum, si dilexisti, aut diligis proximum tuum sicut te ipsum. Si quis autē aspiciens humanam infirmitatem, & difficile hoc putans hominem posse implere, despiciat verba, & ad allegoricum se intellectum conuertat: audiat etiam historiam quorundam gentilium, in qua propter sapientiam mundi referunt, quod hic dominus diuiti facere mandat, quendam Thebæum fecisse propter libertatem animæ suæ, & exemplum vitæ facilioris: & volentem se beatum demonstrare gentibus, & nihil mundi istius opus habentem, tradidisse vniuersam substantiam suam populo Thebanorum. *Thebai factum.* Si ergo propter sapientiam gentium, & dogmata liberantia animam (sicut illi putabant) hoc facere potuit homo gentilis, quomodo non facilius potest facere qui concupiscit in se suscipere Christi perfectionem? Si autem & de diuinis scripturis placari quis vult quoniam possibile est quod præcepit Christus, audiat historiam de Actibus Apostolorum ita conscriptam: *Act. 4.* Omnes autem qui crediderant in idipsum habebant omnia communia, & possessiones, & substantias vendebant, & diuidebant prout quisque opus habebat. Quotidie autem permanent in idipsum in templo, & B frangentes in domibus panem, percipiebant cibum cum lætitia & simplicitate cordis, laudantes Deum, & habētes gratiam ad vniuersum populum. Et post modicum iterū dicit. *Act. 4.* Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna, & nemo eorum dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia, & cætera. In quo loco introducitur de Anania & Saphira coniuge eius qui vendiderunt prædium suum, *Act. 5.* & de precio prædij partem aliquam subtraxerunt, & ideo passi sunt quæ passi sunt, digni enim erant in hoc seculo recipere peccatum suum, vt mundiores exeant ab hac vita mundati castigatione sibi illata per mortem communē, quoniam credentes erant in Christum. Puto autem quoniam audiens Ananias hæc verba ideo cadens expirauit, quoniam nō sustinuit argutionem Petri, sed cruciatus in se adeo est punitus vt expiraret, verbis videlicet Petri catechizantibus animā eius. *Anania & Saphira mors purgatio præcedētium peccatorum.* Nec Petrum hic existimare debemus interfecisse Ananiam, sed illum non sustinuisse acritudinem verborum Petri dicentis ad se: Vt quid repleuit satanas cor tuum, vt mentireris spiritui sancto, & fraudares de precio prædij? Nonne manens tibi manebat, & venditum in tua erat potestate? Quid quoniam posuisti in corde tuo facere rem talem? Non es mentitus hominibus sed deo. Audiens autem, inquit, Ananias verba hæc, cecidit & expirauit. Conuenienter aliquis quærere potest, quoniam si perfectus est qui omnes habet virtutes, vt C iam ex malitia nihil agat, quomodo fit perfectus qui vēdidit omnia sua, & pauperibus dedit? Ponamus enim aliquem hoc ipsum fecisse, quomodo fiet statim & sine ira? Et si contigerit eum esse sine ira, quomodo fiet statim & sine tristitia? Quomodo fiet etiam extra timorem, vt non timeat aut dolorem aut mortem, vel quælibet alia quæ possunt animam imperfectiorem turbare? Quomodo qui erogauit substantiam suam pauperibus, erit absque omni concupiscentia? Deinde quoniam possibile est ex hoc ipso quòd tradidit omnia sua, vt patiēt aliquid humanum ex paupertate, pœniteat eum facti, desideret autem similia possidere. Si autem & quę dicitur voluptas irrationabilis constituta eleuatio animæ passio est, quomodo quis mox vt tradiderit omnia sua pauperibus statim liberabitur à passione iactantię vanæ? Adhuc autem adiciens aliquis dicat. Quomodo potest ex eo quod tradiderit bona sua pauperibus, etiam sapiens fieri, & suscipere sapientiam dei, vt possit reddere rationem omni homini interrogāti se de fide, vel de omnibus quæ in scripturis absconsè sunt dicta? Siue enim ex hoc ipso dicimus quenquam fieri perfectum, si habuerit ea quæ diximus, ad irrationabilitatem venimus, dicentes aliquem & perfectum esse simul & peccatorē. *Peccator quis.* Peccator est enim omnis qui irascitur sine causa, & si quis seculi tristitia contristatur, & qui dolores timet, aut mortem, & qui desiderat quod non habet, & qui sine ratione extollitur quasi in bonis quæ non sunt bona. Siue simul vt tradiderit bona sua pauperibus, dicimus eum quasi recē praculum dei D factum, suscipere omnes virtutes, & deponere malitiam vniuersam, fideliter quidem vt communiter neminem dicimus, nescio autem si vere. Et forsitan deridebunt nos quasi non sapientes dicentes, qui audierint solutionem huiusmodi. Sapientes ergo videbitur forsitan dicere quis sectans simplicitatem verborum, & non moraliter aliquid dicens de eis, si sic responderit quasi fidelis, dicens quoniam qui pauperibus tradit bona sua, ipsorum orationibus adiuuatur, accipiens ad suā spiritalem inopiam spiritalem abundantiam eorum qui patiuntur inopiam carnalem, sicut ait Apostolus ad Corinthios scribens: *Preces pauperum.* & fit hoc modo perfectus, quamuis aliquas (quod humanum est) habuerit passiones, & si quis alius hanc inopiā passus fuerit, & magno adiutorio fuerit adiuuatus, deo exaudiente tantorum pauperum refrigeratorum preces: qui tamē *1. Cor. 13.* similes sunt Apostolis, aut paulo inferiores, pauperes quidem in corporalibus sicut illi, diuites autem in spiritalibus. Aut ita. Iste qui mutauit pro diuitiis paupertatē vt fiat perfectus, credens sermonibus Christi, adiuuabitur statim sicut Apostoli Christi, vt sapiens fiat in Christo, vt magnanimis, vt iustus, vt castus, & absque omni omnimodo passione. Non tamē sic debemus intelligere, vt in ipsa die, vel in ipso tempore quo tradiderit bona sua pauperibus, efficiatur omnino perfectus. Sed consequenter ex illa quidem die incipiet speculatio dei *Gen. 25.* adducere eum ad omnes virtutes, vt incipiat ex eo proficere sicut Isaac propter adiutorium dei collatum in se, & magis E atque magis crescet per singulos dies donec adiutus sicut Isaac magnus efficiatur valde in omni virtute, omni videlicet malitia auulsa de anima eius. Et sic qui hāc expositionem defendere vult, dicere non cogetur perfectum fieri hominem per hoc ipsum quod tradiderit bona sua pauperibus, alias delinquentem. Aliter autem forsitan abundans fide & studio transeundi ad subtiliora, & ad magnitudinem aliquam intellectuum eminentium & dignorum Christo, relinquens verbi simplicitatem & expositionem moralem transibit, dicens substantiam esse vniuscuiusque animæ, actus ipsius post exitum, vt sit substantia quidem iustorum boni actus, ipsorum autem malorum, mali. Hic ergo dicit eum qui multas habebat possessiones diuitē fuisse in mysterio eius qui multa possidet opera mala, in quibus potest esse & amor pecuniarum, & concupiscentia gloriæ, & aliæ res terrenæ replentes animā eius. Quoniam ergo potest aliquando qui hic modo diues est abstinere quidem se à malis quibusdā, vtputa ab homicidio, ab adulterio, à furto, à falso testimonio, & quæ conueniunt parentibus reddere cum quodam honore: potest etiam esse aliquis & misericors ad proximos, non tamen & perfectus. Ideo consilians huiusmodi viro imperat Christus vēdere omnem substantiam malam, & quasi tradere eam virtutibus o- F perantibus eam, quæ ab omni bono pauperes sunt, & propter hoc non sufferunt minas secundum quod scriptum est: Pauper autem non suffert minas. Sed scio quia valde violenta videbitur expositio ista, soluens quidem honeste quæ de perfectione sunt dicta, non autem valde persuadens, vt deponens quis quæ malitiæ sunt, vendere intelligatur substantiam, & dare pauperibus. Quasi in tali autem præuentus loco dicam: qui hanc expositionem defendit, dicere potest quoniam plenus est peccator spiritibus secundum mensuram peccatorum suorum: vtputa fornicarius, secundum quod dicitur in scripturis, spiritu fornicationis, furibundus, spiritu furoris: & maliloquax, spiritu criminationis. Istam substantiam acquisiuit qui malus fuit, & factus est participatione malorum spirituū abundantior & multiplicior in ipsis malis. Sicut autem acquisiuit quis eam emens arbitrio proprio complacens malis, *Arbitriū proprium αὐτεξούσιον. Matt. 10.* sic vendit eam, & dat talibus pauperibus, de qualibus loquitur sermo, per hoc quod credidit verbis Christi, & reliquit eam. Sicut enim pax Apostolorum reuertitur ad ipsos, nisi fuerit filius pacis: sic fornicatio, & vniuersa peccata reuertūtur ad pauperes qui auctores sunt peccatorum, cum non fuerit vtens malis eorum. Et sic neque dubitatio erit quin statim fiat perfectus qui sic vendidit omnes sicut tradidimus proprias facultates, & dedit pauperibus. Si autem & tēpore multo huiusmodi facultates venduntur & multum tempus necessarium est vt tradantur quibus dixi pauperibus, nihil con-

G tratium est : sed secundum æstimationem traditorum malorum pauperibus per tempora fit perfectus qui talia fecit. Manifestum est autem, vt qui talia egit habeat thesaurum in cœlo, & ipse factus cælestis. Qualis enim terrenus, hoc est malignus, tales & terreni : Et qualis cœlestis, id est Christus, tales & cœlestes. In parte ergo sui cœli habebit thesaurum qui voluerit esse perfectus, & vendiderit omoes facultates suas, & dederit pauperibus. Sed oe existimes huiusmodi virum inueniri inter diuites huiusmodi quales sunt nodu. Quis enim horum deponit amorem diuitiarum, & (vt ita dicam) mūdi amorē? Quis ad plenum deposuit spiritum gloriæ vanæ, vt suscipiat in suo cœlo thesaurū gloriæ dei, & diuitias quæ sunt in omni verbo, & in omni sapiētia dei? Quis enim deposuit spiritum concupiscētiæ & timoris, aut iræ, aut voluptatis propriæ? Ergo qui vult secundum subtilitatē discurere veritatis, pronunciabit hoc in Apostolis esse, & qui similes fuerint eis. Iste autem talis & potent sequi Christum, qui sicut diximus vendidit vniuersa & habuit thesaurum in cœlo. Nec enim distrahitur huiusmodi vir ab aliqua mala possessiooe, quo minus Christum sequatur. Audiēs autem verbum adolescens, abiit tristis. Erat enim habens possessiones multas.] Et considera secundum conuersationem humanam quomodo cum difficultate diuellimur à bonis ter-

1. Cor. 15.

Ægre auellimur ab amore diuitiarum & honorum.

H renarum diuitiarum, vel à concupiscentia gloriæ vanæ. Magis enim volumus adipisci etiam ea quæ male desideramus, quàm liberari à desideriis malis: & magis volumus vt nō incidamus in ea quæ arbitramur esse timenda, quàm deponere inimicum timori dei timorem. Sed vide quia non senior aliquis ion oducitur in hoc loco, neque vir qui euacuauerit quæ paruuli erant: sed adolescens, qui audiens verbum abiit tristis. Adolescens enim erat secundum animam, & propterea relinquens Christum abiit. Ad vituperationem enim dictum est eius, Et abiit tristis: tristatus tristitia seculi quæ mortem operatur. Erat enim habens possessiones multas quas diligebat, diligens irasci, diligens tristari: propter quod & abiit tristis: & quantacunque ei oasecbantur, ex malo, quæ tenebant animam eius. Si autem intelligere vis historiam secundū expositionem aliquorum, quam superius ex parte tetigimus, in dimidio inuenis hunc adolescentem laudabilem, in dimidio autem vituperabilem. Laudabilem quidem, quia nec occidit, nec adulteratus est, nec aliquid eorum fecit quę prohibet lex: sed adhuc adolescens constitutus honorauit patrem, & matrem, vituperabilem autem, quia tristatus est in verbis Christi vocantibus eum ad perfectionem: & promittentibus ei vt si tradidisset omnia quæ habebat, magnus efficeretur. Abeunte autem eo, dixit Iesus discipulis suis: Amen dico vobis, quoniā diues difficilè intrabit in regnum cœlorum.] Ex quo cōsiderandus est sermo Christi cautissimus, quoniam non simpliciter dixit: Diues non intrabit in regnum cœlorum. Quod si

De iis qui confidunt diuitiis suis non deo.

I dixisset, exclusisset vtique diuites à regno cœlorum. Nūc autem dicit, diues difficile introibit, difficultatem quidem salutis diuitum manifestans : nō autem impossibilitatem suæ potentiæ damnans. Quod ex hoc ipso textu manifestissime declaratur, posse diuitem cum difficultate quidem resistere passionibus suis atque peccatis, tameo posse. Si autem moraliter intelligamus dioitem, secūdum quod supra diximus, eum qui multorum malorum habet substantiam congregatam, quæres quomodo vel cum difficultate introibit diues in regnum cœlorum. Difficultatem autem introitus vtriusque diuitis ad salutem manifestat subiecta parabola dicens : Facilius est camelum per foramen acus intrare quàm diuitem in regno cœlorum.] In qua parabola diues comparatur camelo nnn solū propter immundinam animalis, sicut docuit lex, sed etiam propter totius corporis eius tortuositatem. Regnum autem cœlorum foramini acus assimilatur, vt demonstretur ex eo quoniam satis arctus est, & supra modum contribulatus regni cœlestis introitus. Ostendit autem quooiam ex seipso impossibile est camelum per foramen acus intrare, possibile autem quantum ad deum. Sic & diuitem quantū ad ipsum pertinet, impossibile est intrare in regoum cœlorum, possibile autem quantum ad deum, qui potens est ineffabili sua virtute, aut crassitudinem malorum mali homiois subtiliare, aut angustiam introitus facere ei capacem. Quoniā autem propter difficultatem introitus, & non propter impossibilitatem K accepit ad exemplum foramē & camelum, claret ex eo quod ad discipulos dicentes: Quis ergo potest fieri saluus, respondes: Apud homines impossibile est, apud deum autem omnia possibilia.] Ergo possibile est & camelum per foramen acus intrare, oon tamen apud homines, sed apud deum. Quomodo autem faciat hęc possibilia deus, ipse scit, & Christus eios, & cui reuelauit Christus. Qui autem proficit in sapientia & sermone, audebit forsitan abundantius & de acu, & de foramine eius exponere. Nos autem hoc adiicimus solum, quoniam sunt quædam quæ fiunt in lege artificio consutili, necessariam habentia acum, vt secundum sapientiam dei faciat opera quis artificij, qood suscepit. Qualitercūque ergo intellecta fuerint opera consutilia, ipsa consutura dabit intelligere quæ intelligi debeant in hoc loco. Quæ ounc dicere & manifestare forsitan quidem & supra nos est, forsitao autem & sciens multum & importunum exitum habere videbitur. Duobus ergo propositis, camelum per forameo acus iotrare, & diuitem in regnum cœlorum, facilius esse dixit primum. Quære autem inter homines, alium quidem camelum constitutum per foramen acus intraotem: alium autem diuitem impossibiliter quidem quantum ad homines, possibiliter autem qoantum ad deum intrantem in regnum cœlorum. Quicunque ergo inuenius fuerit esse camelus, & quodcunq; intellectum fuerit acus foramen, intrabit per illud. Puto gentiū L introitum io regnum cœlorum faciliorem ostendere volēs, quàm Iudæorum diuitum, hanc similitudinem introduxit. In quibus autē geotes dicebantur pauperes, in his Iudæi diuites erant. Vtrum autem manifestent hæc fines aliquos secundū mysteria quædam adducentes ad fines aliquos per quasdam vias deo soli possibiles, nec ne, discutiat qui discutere potest.

Matt. 7.

Deo possibilia quæ nobis impossibilia.

Apud deū possibile camelum per foramen acus intrare.

Vbi nunc sint qui negāt Christi corpus potuisse intrare in cœnaculū clausis ianuis.

TRACTATVS IX.

IN illo tempore : Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?] Hoc poterit quis simpliciter interpretari, & moraliter. Qui ergo simpliciter vult intelligere, talia dicet. Sicut enim in datis oon ipsum datum, sed affectum daoris aspiciens deus iustificat, & melius suscipit parua dantem cum magno affectu, qoàm magna ex affectu modico, sicut manifestum est ex his quæ scribuntur propter data diuitis magna, & duo minuta viduæ: sic & in his qui propter dei dilectionem dimittunt quæ possident, vt inseparabiliter Christum sequantur, omnia secundum verbum eius agentes, ooo magis acceptabilis erit qui plura reliquerit eo qui parua dimiserit. Ergo & si minima, & contemptibilia Petrus cum fratre suo reliquit, quando audientes, Venite post me, & faciam vos piscatores hominum, statim relictis retibus secuti sunt eum, sed non minima suot æstimata apud deum, considerantem quooiam M ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt, vt etiam si multas habuissent possessiones, omnia sine dubio reliquissent, nec ab eis vllo modo retenti fuisseot, aut impediti ab impetu dilectionis huiusmodi. Et puto quòd magis confidens Petrus de affectu suo, quàm de ipsa quantitate rerum relictarum, fiducialiter dixit : Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?] Consequens est autem sentire, quoniam non solum retia, sed etiam domum & vxorem forte reliquit, & filios, & possessiones quasdam etsi paruas. Magnum ergo aliquid demonstratur de Petro, & de fratre ipsius, quoniam audientes : Venite post me & faciam vos piscatores hominum, nihil cogitantes statim relictis retibus secuti sunt eum, nec sunt imitati eum qui dixit : Sed primum permitte mihi ire & renunciare eis qui sunt in domo: nec simile aliquid fecerunt ei qui dixit : Permitte mihi primum vt sepeliam patrem meum. Et diligenter attende, quoniam honestissime percussi Christi præcepto, & promissionibus eius, & credentes quoniam modicam capturam piscium relinquentes, homines piscaturi fuerant ad salutem, statim relictis retibus & quasi obliti suorum omnium, secuti sunt eum vt digni efficiantur hac interrogatione, quam fecit di-

Mar. 12.

Matt. 4.

Luc. 5.

Matt. 8.

A eens: Ecce nos reliquimus omnia, & fecuti fumus te. Obfcura fimul & hoc, quoniam occafio interrogationis huiufmodi ex illo facta eft Petro, quod verbum Chrifti audiuit dicentis: Si vis perfectus effe, vade, vende omnia quæ poffides, & da pauperibus, & habebis thefaurum in cœlis, & veni fequere me. Deinde quia confiderauit adolefcentem cum triftitia abeuntem, quoniam præpofuit multas poffeffiones habere in terris, quàm effe perfectus in Deo: confiderans quoque & difficultatem diuitum ingrediendi in regnum cœlorum, ideo quafi qui ipfe non facilem rem confummauerit in eo quod vniuerfa reliquit & fecutus eft Iefum, dixit: Ecce nos reliquimus omnia, & fecuti fumus te. Propterea Petro fiducialiter ifta dicenti, refpondit promiffionem iftam maximam Chriftus, vt fit vnus de iudicibus illis. Quoniam autem verbi fimplicitas non eft fatis idonea auditorem ingenij eminentioris placare, honeftatem fenfus in moralibus expofitionibus confiderantem, etiam hunc locum ita trademus, quomodo hoc ipfum quod ait: Ecce nos reliquimus omnia, & fecuti fumus te. Retia contemptibilia reliquiffe, vel pauperem domum, & vitam in paupertate doloribus plenam, nun adeo magnum eft, neque dignum tali difcipulo, cui non caro & fanguis reuelauerat effe Iefum Chriftum filium Dei

Matt.16.

B viui, fed pater cœleftis: cui etiam fuerat dictum, Tu es Petrus, & fuper hanc petram ædificabo ecclefiam meam, & portæ inferorum non præualebunt ei. Ergóne forte ea quæ tradita funt fuperius de verbis Chrifti dicentis: Vade & vende omnia quæ poffides, & da pauperibus, & habebis thefaurum in cœlis, & veni fequere me, vtilia & vera funt in præfenti? Petrus enim omnia reliquit, in quibus erat peccator. Propter quæ & dixerat: Exi à me domine: quoniam homo peccator fum ego. Et magna laus erat eius confitentis vt de cætero non peccaret, qui dicit: Ecce nos reliquimus omnia: & non folum mala reliquimus, fed & te fecuti fumus. Quod autem dicit: Et fecuti fumus te, poteft dici fecundum omnia quæ pater reuelauit Petro effe filium fuum, fecuti fumus te iuftitiam fecundum quod iuftitia es: fecuti fumus te fanctificationem, fecundum quod fanctificatio es, & fapientia, & pax, & veritas, & vita ducens ad Deum, & vita vera. Propter quod quafi victor athleta poft luctamen agonothetam interrogat quæ fint præmia certaminis huiufmodi quæ adhuc nefciebat. Quid vtique erit nobis?] Et nos fi volumus percipere quæ funt Petro promiffa, fimiliter omnia relinquamus, vt de cætero nulla teneamur malicia, neque aliquibus operibus eius, fed verbum Dei fequamur, vt dicatur & nobis, & omnibus fequentibus eum, quæ in fequentibus dicit: Amen dico vobis, quod vos qui fecuti eftis me, in generatione cum federit filius hominis fuper fedem maieftatis fuæ, fedebitis & vos fuper duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Ifraël.] Quod & ipfum & fimplicem habet interpretationem exhortantem relinquere bona feculi propter Chri-

Luc. 5.

Anagoge de Petro peccata relinquente.

1 Cor.1.

C ftum, & fpiritalem & altiorem. Qui ergo fecundum literam vult intelligere, talia dicere: non omnes dicit fequi Chriftum fermo, fed eos qui tunc fuerunt Apoftoli, & qui fimiliter eis fecuti fuerant eum, fecutos fe appellauit. Pofteriores autem manifeftauit per illud quod dixit: Et omnis qui reliquerit fratres, aut forores, & cætera.] Qui ergo fecuti funt Chriftum non quædam fed omnia relinquentes, fedebunt fuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Ifraël. Et hanc poteftatem accipient in refurrectione mortuorum, Ipfa eft enim generatio, & noua quædam natiuitas conftituta, quando & cœlum nouum, & terra noua creatur his, qui feipfos renouauerunt, & nouum traditur teftamentum, & calix ipfius. Illius autem regenerationis præmium eft, quod apud Paulum vocatur lauacrum regenerationis, & illius nouitatis myfterium eft hæc renouatio fpiritus. Et forfitan quidem fecundum hanc natiuitatem nemo eft mundus à forde, etfi vnius diei fit vita eius, propter natiuitatis noftræ carnalis myfterium: fecundum quod ait Dauid ex perfona omnium nafcentium ex carne & fanguine, Quoniam in iniquitatibus conceptus fum, & in delictis concepit me mater mea. Secundum regenerationẽ autem baptifmatis, omnis quidem eft mundus à forde, qui renatus fuerit ex aqua & fpiritu: vt audacter autem dicã, mundus eft per fpeculum in ænigmate. Secundum tertiam autem regenerationem, quando federit filius hominis in fede gloriæ fuæ, omnis, qui in illam regenerationem venerit quę eft in Chrifto, mundiffimus erit à forde, & faciem ad faciem videbit, & ipfe per lauacrum regenerationis veniens ad ipfam regenerationem. Si autem vis intelligere illud lauacrum, intellige quomodo Ioannes in aqua baptizans in pœnitẽtiam, dicit de Saluatore, Quoniã ipfe vos baptizabit in fpiritu fancto, & in igne. In ifta ergo regeneratione baptifmatis confepulti fumus Chrifto fecundum Apoftolum per baptifmum: in illius autem regeneratione baptifmatis, quod erit in fpiritu, & in igne, conformes efficiemur corpori gloriæ Chrifti fedentis in fede gloriæ fuæ, & ipfi fedentes fuper duodecim thronos, fi tamen relinquentes omnia fecundum vtrãque interpretationem fuperius factam, magis autem iuxta fecundam, fecuti fumus Chriftum. Tunc autem cum filius hominis federit in fede gloriæ fuæ, implebitur prophetia quæ dicit: Dixit dominus domino meo, fede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos fcabellum pedum tuorum. Et tunc oportet eũ regnare, donec ponat Deus omnes inimicos fuos fub pedibus fuis, donec nouiffima inimica mors deftruatur. Qua deftructa, iam non erit mors ante faciem faluatorum, fed fola credita vita. Morte enim conftituta ante faciem hominum, non creditur vita ab his qui tenentur à morte: de-

Prima regeneratio refurrectio.

2.a Baptifmus.

Tit.3.

Originis peccatum.

Pfal.50.

D

Tertia vifio Dei.

Matt.3.

1.Cor.15.

E ftructa vero morte, ab omnibus vita creditur. Tale aliquid pofitum eft in lege ita. Pofui ante faciem tuam vitam & mortem. Item. Erit vita veftra fufpenfa ante oculos veftros, & non credetis vitæ veftræ. Sedebit autem filius hominis fuper fedem gloriæ fuæ, cum nullus contemptibilis, & inglorius fuerit in regno eius. Omnes enim tunc qui gloriam ab hominibus non acceperunt, nec fecerunt aliquid vt ab hominibus glorificarentur, fed gloriam folam quæ ex Deo eft quæfierunt, regenerabuntur ab eo qui federit fuper fedem gloriæ fuæ. Tunc implebitur oratio Chrifti, quam orauit & dixit, Pater glorifica me ea gloria quam habui prinfquam mundus fieret, apud te. Si autem potes intelligere verbum reftitutum poftquam factus fuerat caro, & omnia quæcunque factus eft, fecundum quod vnufquifque neceffarium fieri habuit cum fibi vt omnes lucretur, & poftea reftitutum, vt fiat qualis fuit in principio apud Deum, Deus enim erat verbum in gloria fua, quafi verbum videbis eum fedentem fuper fedem gloriæ fuæ, quando non alium ab eo intellexeris filium hominis qui fecundum corpus homo exiftimabatur. Tunc autem cum hæc in reftitutione Saluatoris fuerint facta, & qui reliquerunt omnia, & fecuti funt eum, fedebunt quafi conformes facti corporis & fedis glorię eius fuper duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Ifraël. Omnis enim vita iuftorum iudicabit tribus Ifraël quæ non crediderunt, & iudicabunt Apoftoli, & qui Apoftolorum imitati funt vitam: & iudicabunt generofos quidem propter quod funt Ifrael, non autem egerunt digna genere fuo. Forfitan autem quod dicit Apoftolus, In vobis iudicabitur mundus, dicitur ad eos qui venerunt ex gentibus. Quod autem dicit, Sedebitis & vos fu-

Deut.30.

Deut.28.

Ioan.17.

F per duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Ifrael, dicitur ad Apoftolos, & ad eos qui apoftolicam imitati funt vitam, iudicatores Ifraël, qui generofiores toto mundo habentur. Si quis ergo reliquerit omnia, & fecutus fuerit Iefum, quæ Petro promiffa funt & ipfe recipiet. Si autem non omnia reliquit, fed quædam quæ fpecialiter inferius referuntur: hic multiplicia recipiet, & vitam æternam poffidebit, fecundum quod ait: Omnis qui reliquit fratres, aut forores, aut parentes, aut filios, aut agrum, aut domum propter nomen meum, centuplum accipiet, & in futuro vitam æternam poffidebit.] Et hoc quidem quoniam habet non contemptibilem rationem, & fecundum fimplicem traditionem exhortatoriam ad contemnendam omnem carnalem cognationem, & omnem fubftantiam mundialem, omnis homo fatetur: quoniam multi credentium Chrifto odio habiti funt à parentibus fuis, & elegerunt eos & omnẽ fubftantiam fpernere vt vitam æternam poffiderent, credentes quia omnis qui reliquerit fratres fecundum carnem & forores corporis, & parentes carnales, aut filios carnis, & in terra maledicta agros & domos in ea, & reliquerit propter aliud nihil

1.Cor.6.

G nii propter nomen Christi, multiplicia recipiet: & si oportet sic nominare, inæstimabiliter multiplicia spiritalia magis quàm carnalia. Et adhuc supra quod multiplicia recipit, non in vita hac temporali, sed in illa vita æterna factus recipiet ea. Et multiplices quidem fratres, & sorores exponere facile est. Nam & in hoc seculo pro fratribus carnalibus, quos propter infidelitatem reliquit, multos inuenit fratres secundum fidem. Sic & parentes omnes irreprehensibiles episcopos & presbyteros sine crimine constitutos inuenit quis patres, pro eo quod reliquit infideles parentes. Similiter & filios omnes ætatem habentes. Quomodo autem intelligatur multiplices agros vel domos quæ reliquerit, inuenire, non similiter tradere possumus. Sunt ergo sicut existimo, & angelis fratres & sorores omnes qui exhibuerunt se Christo castas virgines, tam illæ quæ adhuc in terris habentur, quàm illæ quæ iam viuunt in cœlis. Parentes autem quales dicti sunt Abrahæ. Tu ibis ad patres *Gene.15.* tuos in pace nutritus in senecta bona. Si autem facti fuerint aliquando secundum illos patres isti aliorum patres, multipliciter recipiunt etiam natos. Agros autem & domos multiplices intellige mihi in requie paradisi, & ciuitate Dei, de qua dicta sunt gloriosa, in cuius gradibus dignoscetur Deus cum suscipiet eam, vt dicatur ad eos qui illic possident *Psal.86.* domos: Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate domini virtutum, in ciuitate Dei nostri. De qua dicitur: Distri-
H buite gradus eius. Super hæc autem omnia vitam æternam possidebit. Multi erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.] Et hoc habet aliqua & secundum simplicem sensum exhortari potentia eos, qui nuper accedunt ad verbum diuinum, vt festinent per ea quæ constituta sunt hominibus ad prouectum ascendere præ multis, qui videntur senuisse in fide ad verbum & vitam, quæ est super illos, cum neque tempus, neque parentes infideles impediant eos qui nuper accedunt. Potest etiam huiusmodi sensus, & destruere, & extollere, qui gloriantur eo quod à Christianis parentibus sunt enutriti in ipsa Christianitate, maxime si fuerint ex patribus sacerdotali sede dignificatis, id est episcopatus, aut presbyteratus, aut diaconatus in populo Dei. Audientes enim quia multi erunt primi nouissimi & nouissimi primi, recordabantur vt non glorientur in eo quod videntur priores, neque humilientur & pusillanimes fiant, quasi minus aliquid prioribus possidentes, pro eo quod Christianitatis dogmata nouissimi receperunt. Habet etiam alterum intellectum, vt sint quidem primi Israelitæ, qui facti sunt nouissimi pro- *Rom. 11.* pter infidelitatem suam, & proditionem in Christo: gentes autem nouissimi facti sunt primi: si tamen permanserint in fide, non alta sapientes, sed humilibus consentientes, & sic communicantes radici patriarcharum, & pinguedini ver-
I bi patrum in qua plantati fuerint secundum propositum spiritalis legis, & secundum voluntatem prophetarum: si tamen & ipsi intelligãtur spiritaliter sicut lex, illis videlicet à bona oliua propter infidelitatem præcisis. Christo enim in iudicio veniente in istum mundum, vt gentes quæ non videbant viderent, Israelitæ autem videntes vt propter infidelitatem fierent cæci, nos proselyti ascendentes per fidem, facti sumus sursum & primi: Israëlitæ autem qui fuerũt priores, sunt facti nouissimi per infidelitatem cadentes. Sic intelligitur & quod ait: Si quis vult primus esse, erit nouissimus, Tanquam si dicat: quoniam nunc primatum accipient qui ex gentibus credunt in me, qui existimantur nouissimi esse apud Israëlitas: nouissimi autem iudicabuntur à Deo omnes Israëlitæ, etsi videntur propter tempora primi. Si quis ergo vult fieri verè primus, fiat in istis qui nunc nouissimi existimantur ab Israelitis. Quicunque autem voluerit esse in illis qui primi esse videntur, primatu ad gentes trãslato computabitur inter nouissimos. Vide autem caute quid loquatur sermo. Multi, inquit, erunt primi nouissimi. Non omnes primi erunt nouissimi, nec omnes nouissimi erunt primi. Sunt enim qui primi fuerunt, & nihilominus permanent primi, sicut Apostoli Christi qui Israelitę fuerunt de semine Abrahæ, qui etiam nunc primi habentur: Et sunt nouissimi nihilominus permanentes, qui male tractant de populo Christiano, & videntur de ecclesia esse cum sint. Adhuc autem vide si potest dicere primum genus esse angelorũ, K quasi honorabilius hominibus, qui nouissimi præ angelis esse videntur. Nam sicut scriptum est in Iob, quando factæ sunt *Iob.37.* stellæ, laudauerunt Deum omnes angeli eius, quasi antiquiores non solum homine post creato, sed & omni creatura pro- *Angelorũ* pter eum creata. Et sic audebit aliquis dicere, quod multi an- *qui ex pri-* gelorum qui priores fuerunt hominibus efficiuntur inferio- *mis nouis-* res quibusdam hominibus. Multi autem hominum qui natu- *simi facti* ra nouissimi sunt, efficiuntur per vitam angelicam & verbum *sunt.* Dei quibusdam angelis superiores, qui primi quidem fuerunt constituti, facti sunt autem nouissimi propter aliquas culpas. Accipe autem ad hæc scripturam Apostoli dicentis. An nescitis quoniam angelos iudicabimus? Nunquid secula- *1.Cor.6.* ria? Sed & Iudas dicit: Quoniam angelos Dei qui non custodierunt principatum suum, sed reliquerunt suam habita- *Iudæ 1.* tionem, Deus in iudicio magnę diei vinculis grauibus sub caligine conseruabit. Vide ergo nisi isti quidem quam diu custodierunt principatum suum, & non reliquerunt propriam habitationem, multis fuerunt hominibus meliores, & erant hominum primi, quorum anima humiliata erat in puluerem, qui facti fuerant in corpore humilitatis, vt vix dicerent ali- *Rom.7.* quando, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Homines autem qui angelorum comparatione nouissimi erant, angelorum primi efficiuntur, eorum qui non L conseruauerunt principatum suum, sed reliquerunt propriam habitationem accipientes principatum secundum quod scri- *Luc.19.* ptum est, Esto potestatem habens super decem ciuitates, aut super quinque ciuitates. Facti ergo in habitatione quidam angelorum derelinquunt eam: efficiuntur autem homines primi, siquando prædicato sibi regno cœlorum, fecerintque possunt eos subleuare ad illam habitationem quam angeli reliquerunt. Et multi ex nouissimis & natiuitatem habentibus super terram, ascendentes vt fiducialiter dicere possint, nostra autem conuersatio in cœlis est, efficiuntur primi. Et ip- *Phil.3.* se quoque sicut fulgor corruit de cœlo. Primus fuit quando incedebat immaculatus in omnibus viis suis, donec iniquitas inueniretur in eo, & factus est nouissimus in infernũ descendens, vt admirentur videntes eum, & dicant: Et tu consumptus es sicut & nos. In nobis autem existimatus *Esa.14.* es & descendit ad inferos honor tuus, & multa gloria tua. Sic cum nouissimus esset omnis qui insipiens & incredulus erat, seruiens voluptatibus variis, & desideriis in malitia & inuidia, odibilis & odiens, sed factus est primus quando benignitas apparuit Domini saluatoris per lauacrum re- *Tit.2.* generationis & renouationis spiritus, & suscepit eum qui dixit: Qui me suscepit, suscepit eum qui me misit. Sed se- *Luc.9.* cundum hæc quidem primos esse tradidimus eos qui saluantur, nouissimos autem qui non sunt digni totali ordine saluatorum, sed pœna, & vt relinquantur, siue donec intrauerit gentium plenitudo, siue donec compleantur quę peccatis propriis meruerunt. Parabola autem quæ subsequi- *Rom.11.* tur istos sermones, significat esse saluandos etiam nouis- M simos, qui primi quidem sunt operati, nouissimi autem acceperunt mercedem, & ideo cum primi fuissent, nouissimi sunt existimati: Meliores autem eis dicit, qui nouissimi quidem ad opera sunt vocati, receperunt autem mercedem non solum primi, sed etiam æqualem eis qui aduersus patremfamiliâs murmurauerunt, & dixerunt: Isti nouissimi vnam horam fecerunt, & æquales fecisti eos nobis, qui portauimus pondus diei & æstum. Et primi vocantur qui ad opera nouissimi sunt vocati, ex eo quod primi acceperunt mercedem.

Tractatus. x. Cap. xx.



IN illo tempore, dixit dominus Iesus discipulis suis. Simile est regnum cœlorum homini patrifamiliâs, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.] Videtur quidem omnis parabola hęc propter hoc esse suscepta, vt discamus quomodo nouissimi venientes ad opera, quasi primi vocati primi acceperunt mercedem: & quomodo qui vocati fuerant primi, in nouissimo loco à patrefamiliâs sunt

statuti,

A ftareti, propierea quod & nouiffimi acceperunt mercedem. *Parabola fcopus.* Scite autem debemus quoniam fi parabola Iefu in quo thefauri fapieotię & fcientię abfconditi funt, difcuffa fuerit, tanta dogmata fapientiæ in myfterio abfcōdita inueniuntur bis *Col. 2.* qui poffunt talia inuenire, vt maxime de ifta parabola dicat Saluator: Aperiam io parabolis os meum, loquar propofitio- *Pfal. 78.* nes ab initio, & eructabo abfcondita à conftitutione mundi. Neceffe eft enim vt videat qui vult intelligete, quę fit dies quæ refertur in ea, & quę horę illius, & quod non euentu paterfamiliâs quinque ordinibus operatiorum tradidit opera vineæ. Deinde quęrenda eft caufa ei qui quęrere poteft, quare quidem operatij mane conditi funt: & poft hoc noo circa horam fecundam, fed circa tertiam horam alij funt conducti: & poft eorum cooductionem, quare non circa boram quartam vel quintam, fed circa horam fextam: ita non circa feptimam, vel octauam, fed circa nonam: & nouiffime non circa decimam, fed vndecimam. Debet enim effe quædam ratio digna Iefu, quare inter matutinam & tertiaru tempus modicum eft affumprum, & non fecundum tempora quæ pofita funt inter tertiam & fextam, vel inter fextam & nonam. Poft hoc autem quare vna fit bora intes nonam & vndecimam, quemadmodum fuperius ioter matutinam &
B tertiam. Non autem negligenter eft attendendum, qua ratione paterfamiliâs cum mercenariis quidem quos mane cōduxerat pactum fecit fpecialiter in die denarium: conductis autem circa tertiam boram non conftituit nominatim certam mercedem, fed ita: Quodcunque iuftum fuerit dabo vobis.] Similiter & circa featam horam & nonam fecit vocatis. Et quia bis qui circa vndecimam erant vocati, eacufantibus fe propter otium totius diei, fic dixit: Ite & vos in vineam.] Sed & quoniam quafi extra vineam conftitutus paterfamiliâs, & inueniens operarios ibi, primos quidem mifit in vineam, fecundis autem dixit: Ite & vos in vineam: fimiliter euodem fermooem, & qui circa vndecimam fuerant vocati: Ite & vos in vineam. Intelligat autem qui poteft, quid fit forum, quod in Græco nundioa ponitur, in quo otiofos ftantes inoenit Iefus. Secundo fimiliter eft requirendum, qui funt qui innenti funt ftantes circa vndecimam, quibus dicit: quid ftatis bic tota die otiofi?] Afpiciat autē quis, quę fit excufatio eorum qui toto die ftetesant otiofi, & quis effet dolor ftandi eorū, qui toto die ftare otiofi fuftinuerunt, vt cum fiducia refponderent, quoniam parati quidem fuerūt ad opus, nemo autem eos conduxit: quafi plurimi effent qui conducereotur, non autem & qui conducerent. Necnon & diligenter oportet attendere, & quod fero facto dixit dominus vineę procuratori fuo. Voca operarios, & redde eis mercedem, incipiens à nouiffimis vfque ad primos.] Quæres autem quid mouit dominum vineę vt iubeset procuratorem vioeæ vocare operarios, & reddere eis mercedem incipien-
C tem à nouiffimis, & afcendentem vfque ad primos: vt primi quidem accipiant, qui circa vndecimam erant conducti, fecundi autem qui circa nonam: tertij qui circa fextam: quarti qui circa tertiam: onoiffimi vero qui mane. Hoc enim manifeftiffime declaratur ex eo quod dicit: Redde mercedem infipiens à nouiffimis vfque ad primos] Quis autem & extra dominum vineæ fit domini procurator dans mercedem iuata domini iuffiooem. Sed & fi qui vocati fuerant circa nooam non portauerunt pondus diei & æftum, manifeftum eft quoniam non illi murmurauerunt aduerfus patremfamiliâs dicentes: quoniam hi nooiffimi vnam horam fecerunt, & æquales eos fecifti nobis, qui portauimus pondus diei & æftum.] Neque illi qui feata hora vocati fuor pondus portauerunt diei, nifi forte diei dimidium. Et qui tertia funt vocati, non totius diei pōdus fuftinuerūt, fed fi oportet caute dicere, dimidium diei, & quartam partē diei. Soli autem qui ex mane cōducti funt, pondus diei fuftinuerūt, & ęftū totum: Cæteri autem fecundum menfuram temporis quod fecerunt in vineam, portauerunt. Quoniam autem diuerfæ parabolæ funt vineam nominantes, quęrendum eft vtrum fecundum diuerfas res & vinea intelligitur, aut fecundum ipfam rem. Ego arbitror oportere difcutere, & quare non ad omnes qui primi venerunt, & exiftimauerunt quooiam plures effent accepturi, & murmurauerunt aduerfus patremfamiliâs, fed vni

eorum dixit: Amice non tibi facio iniuriam. Denarium con- D ueni tecum. Et volo huic nouiffimo dare quemadmodum & tibi.] Quoniam autem hęc & talia fufcipit parabola prçfens, poteft quidē requirere quis in ea: digna autem dicere eft nullius nifi eius qui dixit: Nos autem fenfum Chrifti habemus. Age nos qui multum defumus à profunditate parabolę, quædam modica quę fufpicamur, in ea dicamus. Et primum quidem videbimus de die parabolæ, quę fit dies. Et vide fi poffumus totum hoc feculum præfens dicere vnum diem, magnum quidem quantū ad nos, modicum autē & exigui tem- *Expofitio* poris, quantum ad Dei patris, & Chrifti, & fancti fpiritus vi- *parabolæ.* tam. Et quid dico quaorum ad vitam patris, & filij, & fpiritus fancti? Forfitao & quantum ad vitam quarundam beatarum virturum & fublimium cōparatiooe generis multorum. Nam quantum eft voa hæc dies quantum ad vitam omnium diu viuentium, tantum eft omne feculum hoc quantum ad vitam fupernarum virturum. Et fi tantum eft quantum ad vitam fupernarum virtutum, iam vide quàm nullius momenti eft omne hoc feculum, quantum ad vitam Dei patris, & filij, & fpiritusfancti. Vtrum autem aliquod tale myfterium demonftre- *Deut. 32.* tur in Deuteronomij cantico in quo dicit: Mementote dies feculi, aut ooo: quærat qui poteft: & fi tales funt dies feculi, confequens erit traditionem fimilem effe intelligere quæ di- E cit: Et annos æternos in mente habui, & meditatus fum nocte cum corde meo, exercebar, & cōtribulabā fpiritū meum *Pfal. 77.* & dixi, non in fecula proijciet Deus. Et forte vt audacter dicam, in fecula quidem non proiiciet Deus: multum eft enim & in vno feculo proijcete Deum: proiiciet autem forfitan & in fecundo feculo, quando quędam peccata non remittuntur, nec in hoc, nec in futuro feculo. Quis ergo idoneus eft fex illos dies & feptimum requietionis ad huiufmodi dies referre, & poft fabbata & neomenias, & in primo menfe feftiuitates, & in quarta decima die menfis pafcha, & io cæteris azymorum? Sic autem fequens quis rationem in abyffum cader intellectuum, cęteras feftiuitates exiftimans fecundū huiufmodi dies, & totū feptimanale magnum, in quo pauperibus, & aduenis, & beftiis terrę donat Deus fructus, qui ex prima terræ operatione funt geniti in tempore cum iam nemo operabitur terram. Abyffum autem dico propter altitudinem dogmatum, vt afcendens qui videat quinquagefimum annum, & quę de eo in lege conftituuntur, & adimplentur. Sed quęrentes vnam propofitæ parabolę diem, & exiftimantes eam effe totum hoc feculum præfens, intrauimus in altitudioes, opus habētes fpiritu Dei qui omnia fcrutatur, etiam altitudines Dei. Ego autem exiftimo quoniam ficut in exitu *1. Cor. 2.* confummationis anni quędam dicta funt fieri oportere, fic (verbi gratia) & in confummatione feculorum multorum fiue annum aliquem complentium, fiue aliud aliquid, in abiectiooe peccati apparuit Iefus nofter: vt poft confummationem feculorum, quafi anni vnius dierum, iterum aliud fuccedat principium, & oftendat in feculis fuperuenientibus foperemioentes diuitias booitatis fuę in eos quos ipfe nouit o- F ftendere oportere. Et hæc quidem diximus propter diem qui in parabola nominatur prçfenti, quem poteft quis coofirmare etiam ex Ioannis epiftola ita diceotis, Filioli nouiffima hora eft, & ficut audiftis quoniam Antichriftus veniet, nunc *1. Ioan. 2.* autem Antichrifti multi facti funt: vnde cognouimus quoniam nouiffima hora eft. Nouiffima enim bora eft poft vndecimam, io qua homo paterfamiliâs egreffus inuenit alios ftātes, & dixit eis. Quid hic ftatis tota die otiofi? Poft hoc requiramus quomodo non fortuito paterfamiliâs quinque ordinibus operatiorum tradit opera vineę. Primum quidem, quan- *Ordines operariorum in vinea domini.* do egreffus eft mane, Secundo, quando egreffus eft circa horam tertiam, vidit alios ftantes ociofos in foro. Tertia vice & quarta, quando iterum circa featam & oooam egreffus fimiliter fecit. Quando autem circa vndecimam, inoenit alios ftantes. Et vide fi potes primum quidem ordinem dicere Adam in principio creatioois mundi, & eos qui fuerūt in tempore illo, vt operarētur vineam culturę Dei. Secundū autem ordinem Noe, & teftamentum quod difpofitum fuit ad eam cum eis qui fuerunt in tēpore illo. Tertium autem Abrahā, & qui poft ipfum fuerūt patres, vfq; ad Moyfen. Quartū Moyfen & eos omnes qui de Ægypto funt egreffi, & legiflationē

G quæ facta est in deserto. Nouissimum autem ordinem, Christi aduentum. Tamen vnus homo paterfamiliâs quantum ad parabolam istam, quinquies est egressus, & ad negotia peruenit huiusmodi, vt inconfusibiles operarios docentes verbum veritatis mittat in vineam operaturos opera eius. Si enim Christus qui condescendit hominibus multoties, vocationem operariorum semper dispensauit, & si de mundo sensibili, & à sensu incipiente opera facere mysterium aliquod habens quinque operariorum ordines introducti, qui potest, cognoscat. Exerceatur autē, etsi non vult quis suscipere dogmata, & quæ dicuntur à nobis. Dicet enim aliquis quoniam tactus est in prima vocatione, propterea quod mulier dixit serpenti. Dixit Deus, Non manducabitis ex eo, neque tangetis eum. (*Gen. 3.*) (*Gen. 9.*) Odoratus autem misericordia, propterea quod dictum est de Noe, Odoratus est Dominus odorem suauitatis. Gustus vero est in Abrahæ vocatione: propter quod & pascens angelos apposuit eis absconditos, sicut est in Latino, subcinericios de similagine, & vitulum tenerum. Auditus autem in Moyse, quando de cœlo audita facta est vox Dei. Visus autem, qui super omnes sensus honorabilior est, in aduentu Christi significatur, quando oculi beati Christum viderunt. Dicamus autem & hæc, siue exercitationis rationabilis gratia, siue vult quis accipere quasi dogmata propter quinque vocationes. Arbitror autem quoniam & opera vineæ huiusmodi erant, vt opus haberent operariis secundum H horas. Oportebat enim mox mane opera fieri in vinea, & vidit paterfamiliâs qui vocabat operarios, qui essent apti ad opera quæ primo mane fieri oportebat. Aliud autem opus circa tertiam horam erat, quod fuit in diebus Noe, quando testamentum disposuit ei. Ita decem generationes à Noe vsque ad Abraham, qui fuit principium alterius operis eminentioris: & erat operarius vineæ tunc incipiens Abraham, & post eum Moyses, & qui fuerunt cum ipso in vinea. Deerat autem vineæ aliquod nouissimum opus, quod opus habebat noua vocatione, quæ deerat in vinea breuiter operante, quod est opus noui testamenti. Cognouimus ergo interuallum vocatorum, circa tertiam & sextam, & nonam, & vndecimam: in qua tantum fuit interuallum à nona Moysi hora vsque ad vndecimam, in qua est aduentus Christi carnalis, quantum fuit à prima Adam vsque ad tertiam Noe. (*Merces.*) Conuenit autem paterfamiliâs qui primo mane vocati sunt denarium. Hunc autem puto nouissima esse salutis, non simul collatis eis quæ sunt secundum gloriam. Salutis enim arbitror nomen esse denarium: gloriæ autem quæ sunt super denarium. Sic alicubi nominata sunt numismata eius, qui datam sibi mnam amplificauit in quinque mnas, vel in decem. Quid autem dicit his qui circa tertiam erant vocati? Quod iustum fuit, dabo vobis.] Inuitauit quidem operarios tertiæ horæ ad totum: quicquid autem potuerint operari, iudicium sibi reI seruauit secundum opus quod fuerit factum, vt iustam reddat mercedem. Quoniam autem similiter fecit etiam eis qui circa sextam, & nonam venerunt, manifestum est: quoniam & ipsis dixit, quod fuerit iustum dabo vobis. Poterant autem æquale opus facere in vinea eis, qui ex mane sunt operati, quicunque in tempore breui volebant operantem virtutem ad opus extendere, quæ ante non fuerat operata. Sed quæret aliquis, quare sic dicit ad eos, quasi non solum fuissent ibi, sed etiam tota die stetissent, id est per totum tempus quod fuit ante vndecimam horam, secundum quod scriptum est, quia egrediens paterfamiliâs circa vndecimam horam dixit ad eos: Quid hic statis tota die otiosi?] Ego autem suspicor de anima etiam in istis secretam & absconditam rationem. Quomodo autem otiabantur tota die vsque ad vndecimam horam volentes quidem operari, non autem assumebantur in vineam, qui fideliter se excusabant dicentes, quia nemo nos conduxit? Nos autem ausi fuimus talia quædam, & de multis scripturis suspicionem accipientes, & de præsenti quoque parabola dicere, vt ostendamus quomodo tota die otiosi steterunt propterea quòd nullus eos conduceret, qui circa horam vndecimam sunt vocati. Quibus autem non placent dogmata ista, interpretentur nobis diem illam totam, & eos qui stabant tota die otiosi, volentes quidem operari, non autem vocabantur in vineam: & quod fiducialiter se excusantes dixerunt, nemo nos conduxit. Si enim conseminata esset K anima corpori, quomodo tota die steterunt otiosi? Aut dicant nobis, quæ sit illa dies tota, & in ea diuersæ secundum diuersas horas operariorum vocationes? Verum autem beati quidem qui secundum parabolam istam à patrefamiliâs sunt conducti: erant autem & alij operatores qui conducebantur, siue ab aliis patribusfamiliâs, siue ab ipso, & siue non beati, aut non sic beati: supra nos est hoc intelligere digne, aut secundum quod intelligimus credere. Ego autem & quæ extra vineam sunt, vbi & inueniuntur operarij ab eo qui exiit conducere eos. Et considera ne forte locus animarum est ante corpus, qui est extra vineam locus. (*ἀργυρίζει*) Vinea autem non solum hic in corpore est, sed etiam extra corpus vbi operantur operatores. Nec enim in otio sunt animæ operariorum à patrefamiliâs conductorum, cum à corpore sunt liberatæ. Et Samuel ergo extra corpus operabatur prophetans, & Hieremias orans pro populo: (*1. Reg. 28.*) (*2. Mac. 15.*) proptereáque contendimus, & operamur vineam, siue constituti in corpore, siue exeuntes à corpore, accepturi quod fuerit iustum. Et nemo est quantum ad parabolam istam, qui non est operatus opera vineæ, qui tamen transmissus fuit in eam. Neminem enim, quasi qui minus fecerit opera paterfamiliâs reprehendit, quanquam de mercede maiore vel minore sperata culpauit. Et forsitan locus qui extra vineam est, forum est, vbi erant stantes otiosi, magnam excusationem habentes ad hoc vt digni efficiantur totius diei mercede, secundum quod excusauerunt seipsos L dicentes: nemo nos conduxit. Propter quod & paterfamiliâs libenter conduxit eos, & vt ita dicam, reddidit eis mercedem pro eo quod magnanimiter tota die steterunt, & expectauerunt vsque ad vesperam conductorem. Post vespere facto, id est seculi consummatione & diei illius quæ in parabola ista refertur, dicit dominus vineæ procuratori suo, siue alicui angelo, qui super mercedes tribuendas positus est, siue alicui ex multis procuratoribus procuratori, secundum quod scriptum est, sub curatoribus & actoribus esse hæredem in tempore quo paruulus est. (*De mercedis dispensatione.*) (*Gal. 4.*) Secundum præceptum ergo patrisfamiliâs vocantur operatores à procuratore, vt merces nouissimis detur in primis. Primi enim operarij testimonium habentes per fidem, non acceperunt Dei promissionem, pro nobis melius aliquid prospiciente patrefamiliâs, qui vocati sumus vndecima hora, vt non sine nobis perficiantur. (*Heb. 11.*) Et misericordiam consecuti sumus, pro eo quod tota die stetimus, & voluimus conductorem nobis venire. Otiati autem fuimus, & cum excusatione ad opus assumpti: & misericordiam consecuti, primi mercedem speramus accipere, qui noti sumus Christi. Post nos autem dabit mercedem eis, qui ante nos operati sunt: & sic etiam eis qui fuerunt ante illos, & sic vsque ad primos. Videns autem quis locum illum vbi commorabatur Samuel, & qui consequenter considerauit de eis, M qui ante vndecimam horam sunt conducti, videbit quomodo portauerunt primi pondus diei & æstum: nos autem qui vndecima sumus vocati, sicut illi quidem, non portauimus pondus diei & æstum, portauimus autem pondus, eo quod stetimus otiosi antequam paterfamiliâs veniret ad nos, qui dixit nobis: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. (*Matt. 11.*) Onus enim erat otiositas ipsa, & quod non iudicabantur interim ad opera vineæ digni. Æstum autem portauerunt, qui ante vndecimam erant vocati, vnusquisque secundum æstimationem vocationis. Non autem scientes patrisfamiliâs dignitatem primi, & quoniam non debebant aduersus eum murmurare, amplius aliquid salutis quā nouissimi accipiunt, accipere putauerunt: & murmurauerunt contra patremfamiliâs, inuidentes nobis nouissimis, qui vnam horam vsque ad consummationem fecimus, & similes facti sumus eis, qui à principio diei ad diuinam vineam sunt vocati. Sed paterfamiliâs vni eorum dixit (forsitan Adæ) Amice non facio tibi iniuriam. Nónne denario conueni tecū? Accipe quod tuum est (Tuum est enim salus, quod est denarium) & vade. (*Adam.*)

Volo autem & isti nouissimo dare sicut & tibi.] Et non dixit istis nouissimis, sed ostendit aliquem secundum exitum suum, quem temeritatis quidem est dicere, non tamen incredibiliter potest quis arbitrari Apostolum Paulum, qui vna hora est operatus, & forsitan super omnes qui ante fuerunt,

A tunt, ficut ipfe teftatur dicens : Sed plus omnibus laboraui. *1.Cor.15.* Si autem oportet & de vinea dicere aliquid, accipio occafionem ab eo ipfo, qui interpretatus eft in alia parabola de vinea, quoniam vinea eft regnum Dei. Sic enim ipfe dixit. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Omnes ergo qui operantur opera vineæ, opera regni Dei, & falute digna perficientes, denarium confequentur. Poftquam autem dictauimus hæc in parabola hac præfenti, fubueniunt nobis etiam hæc quæ poffunt effe vtilia eis, qui *Anagoge.* in altiori & fecretiori expofitione proficiunt. Dicet enim aliquis omnem vitam effe diem vnum fecundum parabolam hanc. Hoc ergo oftenditur, quoniam quidam à pueritia ante ætatem ad operandum opera regni Dei accedunt, & ipfi funt qui primo mane conducuntur in vineam: alij autem in adolefcentia veniunt ad Dei culturam, & funt ipfi, qui hora tertia inuitantur: alij vero viri perfecti, & ipfi funt qui in fexta vocantur: alij autem iam fenes adducuntur ad Dei culturam, & ipfi funt qui circa nonam vocantur: alij autem in ipfo exitu vitæ fenes ad plenum, & ipfi funt qui circa vndecimam vocantur. Quoniam ergo affectus non tempus refpicitur quod quis fecit in fide, ideo non afpicitur ex quo quis vocatus eft, fed quantum operatus eft quis: & propterea omnibus æqualiter tribuitur merces falutis. Vnde indignantur qui à pueritia funt fideles qui laborauerunt, & fubiugauerunt iuuentutem fuam, & portauerunt totius ætatis feruidæ æftum, & ten-
B tationum accidentium pondus, fi æqualem falutem habituri funt ociofis à pueritia vfque ad fenectutem, qui otiantes in infidelitate ante modicum tempus ad fidem & opera fidei *Vinea Ecclefia.* venerunt. Vineam autem fecundum hanc expofitionem intelligimus regnum Dei, quod in ecclefia prædicatur. Forum autem eft, quicquid eft extra vineam foris, id eft extra ecclefiam Chrifti, extra verbum veritatis: vnde fermo dominicus accepit eos qui vocantur à Chrifto, & mifit in vineam, id eft in ecclefiam. Non autem numerabantur, fecundum expofitionem iftam, inter operarios vineæ, quotquot vocati funt quidem primum ad Dei culturam, non autem conferuantes quæ fidei erant, victi egreffi funt de vinea, id eft de ecclefia Dei, vel de fide veritatis, vel de iuftitiis regni cœleftis, peccantes, & poft adimpletionem voluptatum fuarum in peccatis fuis voluerunt quafi pœnitentes iterum ab initio vineam operari. Nec enim poffunt dicere patrifamiliâs, nemo nos conduxit. Conducti enim fuerunt fecundum tempus primum, quo funt vocati ad fidem. Sed neque dicetur eis, quid hic ftatis tota die otiofi? maxime fi incipientes fpiritu poftmodum carne perficiuntur, & fi poft ea regredi volunt, vt iterum fpi- *Luc.15.* ritu viuant. Et non diximus hæc diffuadentes furgere eos qui ceciderunt, aut impedientes ne conuertantur auerfi, vt ne ad
C domum patriam reuertantur lafciui filij qui viuendo luxuriofe Euangelicæ doctrinæ fubftantiam confumpferunt. Habent enim propter pœnitentiam quoniam victi funt à vitiis peruerfis, meliorem eis qui in peccatis comprehenfi fuerint, confolationem falutis: non tamen debemus exiftimare, quoniam fimiles funt eis qui propterea peccauerunt in iuuentute fua, quoniam nondum didiciffent quæ fidei erant. Vult ergo paterfamiliâs nouiffimis dare quemadmodum & primis denarium falutis, quoniam licet ei facere quod vult in propriis fuis, & arguere eum qui malum oculum habet, propterea quod paterfamilias bonus eft. Erunt ergo multi ex nouiffimis vocatis primi, & quidam primorum nouiffimi. Nam & multi vocati funt, pauci autem inueniuntur electi.

TRACTATVS XI.

IN illo tempore, Afcendens Iefus Hierofolymam, accepit duodecim difcipulos fuos feorfum in via, & dixit eis: Ecce afcēdimus in Hierofolymam, & filius hominis tradetur principibus facerdotum.] *1.Cor.11.* Paulus qui hortatur nos fieri fuos imitatores, ficut ipfe imitatus eft Chriftum, fciens Chriftum per hæc ad manifefta pericula promptiffime afcendiffe, fcientem quoniam tradendus fuerat principibus facerdotum & Scribis, & condemnandus fuerat morte, & gentibus erat tradendus ad deludendum & flagellandum, & cru-

Orig.rom. 2.

cifigendum, fimile aliquid fecit. Cum enim Agabus accepif- D fet zonam eius, & alligaffet fibi manus, & pedes dicens: Hæc *Act.21.* dicit fpiritus fanctus, virum cuius zona hæc eft, fic eum alligabunt Iudæi in Hierufalem, & tradent in manus gentium: audiens ifta Paulus, imitatus fuum magiftrum, in Hierufalem promptiffime afcendebat. Et cum aliquid humanum paffus fuiffet ab his, qui propter dilectionem eius cœperant flere, & prohibere ne afcenderet in Hierofolymam, dixit. Quid facitis flentes, & confringentes cor meum? Ego enim non folum alligari, fed & mori paratus fum pro nomine domini noftri Iefu Chrifti. Hæc ergo confiderātes & cognofcentes, fcire debemus quoniam frequenter tentationes aliquas fubituri fumus, dolori nofipfos fecūdum quod iuftum eft ad obuiandas tentationes offerre debemus, accipientes exemplum huiufmodi, primum quidem à Saluatore, deinde autem ab Apoftolo Paulo. Et ne arbitreris hæc contraria effe eis quæ fuperius diximus, & frequenter: quoniam fi quis vos perfecu- *Matt.10.14.* tus fuerit in ciuitate ifta, fugite in alteram: & quod audiens dominus, quod Ioannes traditus erat in carcerem, fecefsit inde. Sed fciendum, quoniam nec femper conuenit declinare pericula, nec femper obuiare periculis. Tamen fapientis eft alicuius in Chrifto, vt cognofcat quale quidem tempus exigit declinationem, quale autem obuiationem periculorum. Et hæc quidem diximus fecundum voluntatem fcripturæ præfentis, hortantes homines aliquando fpernere pericula E mortis. Poft hoc obferuandum eft, quoniam afcendens in Hierofolymam, duodecim accepit feorfum. In duodecim autem adhuc erat & Iudas, ergo & Iudam accepit feorfum. Adhuc enim forfitan dignus erat cum cæteris feorfum accipi, & audire quæ paffurus erat magifter: & non reprobo, quoniam adhuc nefciebat Iudas quid effet facturus, fed nec aliquis noftrum. Nam & omnibus nobis eft dictum, Noli *Prou.27.* gloriari in craftinum, nec enim fcis quid pariat fuperuentura dies. Necdum enim arbitror, immiferat in cor Iudæ fatanas vt traderet Iefum. Et videat qui poteft, quoniam ab initio Euangelij vfque nunc Matthæus nufquam accufauit Iudam, nifi in catalogo duodecim Apoftolorū dixit: Et Iudas Simonis Ifcariotes, qui & tradidit eum. Multa autem de hoc, quo- *Matt.10.* niam & Iudam fimilem fecit cæteris, tractauimus vbi diximus: Hos duodecim mifit Iefus præcipiens eis & dicens, quæ dicta funt ibi. Conferamus itaque hæc eis, quæ fupra funt dicta fimilia: quoniam illic his ipfis verbis domino prophetante quæ erat paffurus, accepit eum Petrus, & cœpit increpare dicens: Propitius efto tibi domine, & hoc tibi non *Matt.16.* erit. Hic autem non referuntur difcipuli dixiffe, aut feciffe, cum audiffent triftia hæc Chrifto futura. Et puto quoniam ideo nunc tacuerunt, quoniam fuperius quando Petrus accepit Iefum, & increpans dixit quæ dixit, conuerfus Iefus F dixit Petro: Vade poft me fatana, fcandalum mihi es, quoniam non fapis quæ Dei funt, fed quæ hominum. Confequens ergo erat, vt recordantes quæ Dominus dixit ad Petrum obferuarent difcipuli, ne audiant talia, vel peiora à fuo magiftro. Non eft autem abfurdum reuocare in memoriam ea quæ fimiliter iftis funt dicta fuperius. Tunc præcepit difcipulis fuis vt nemini dicerent quia ipfe erat Chriftus. Exinde cœpit oftendere Iefus difcipulis fuis, quoniam oportet eum in Hierofolymam ire, & multa pati à fenioribus, & principibus facerdotum, & Scribis populi, & occidi, & tertia die refurgere. Et in illis dicitur quoniam accipiens eum Petrus, & cætera. Adhoc autem illic dictum eft occidendum Saluatorem: hic autem & fpecies ipfa occifionis eft fcripta, id eft, ad crucifigendum. Quid eft ergo quod dixit oportet? Quamdiu quidem Iefus non tradebatur in Hierofolymis principibus facerdotum & Scribis, nec condemnabatur morte, nec deludebatur, nec flagellabatur, nec crucifigebatur, ftabat Hierufalem: & quod vocabatur fanctuarium, non deponebatur. Poftquam autem hæc in Iefum aufi funt, tunc qui tradiderunt eum derelicti funt: & facerdotes qui condemnauerunt eum morte, & Scribæ qui excæcati mente, & alienati fenfu non viderunt voluntatem fcripturarum fanctarum, traditi funt morti inimicæ Chrifti: & qui deluferunt Iefum in delufione funt facti, Hierufalem exercitu circundante, quando & venit defolatio eius: & qui flagellaue-

G tuns Iesum flagellati sunt, & flagellantur donec intret gentium plenitudo; quoniam qui lapidem mittit in altum, super caput suum mittit. Et hæc omnia facta sunt, vt ab illis quidem recedat speculatio Dei, transeat autem ad gentes, saluatis videlicet cum gentibus & reliquiis Iudæorum secundum electionem: quoniam nisi Dominus Sabaoth reliquisset illis semen, sicut Sodoma facti fuissent. Ego autem arbitror quoniam sicut exemplum & vmbra culturæ quod antea implebatur, propter cœlestia solutum est, & veniente vero principe sacerdotum figuralis sacerdos cessauit, & veris sacrificiis pro peccato in vsum venientibus figuralia sacrificia sunt destructa: sic quoniam vera Hierusalem suscepit Iesum ascendentem super subiugalem corporis sui, in quo & gaudebat valde filia Sion, & prædicauit filia Hierusalem quæ sursum est, tunc destructa est Hierusalem quæ fuerat vmbra, & cecidit templum quod de lapidibus mortuis erat constructum, propter templum quod de lapidibus viuis fuerat erigendum. Effossum est autem & altare quod fuit deorsum, quoniam apparuerat quod erat cœleste, cuius Encænia in destructione vera fecit Iesus. Si autem secundum quandam significationem homines ciuitas sunt, & nunc in Hierosolymis: sic enim eos voco qui spem suam habent in locum illius Hierusalem quæ aliquando fuit in terris: & nunc ergo traditur Iesus eis qui profitentur esse se Dei seruos Iudæis: & quasi principes sacerdotum constituti, & qui
H diuinas literas scire se arbitrantur Scribæ, condemnant Iesum morte per ea quæ maledicunt de eo, & non est quando non tradunt gentibus Iesum deludentes eum & doctrinam eius apud se, & semper linguis suis flagellant eum, & culturam Dei quæ per Iesum introducta est. Et ipsi quidem crucifigunt eum, per hoc quod anathemarizant & tollere volunt doctrinam ipsius. Ille autem melior illis omnibus constitutus paululum deficiens surgit, & viuens gentibus, quæ acceperunt posse videre, apparet.

Rom. 11. Esa. 1. — Matt. 21. — Ioan. 10.

TRACTATVS XII.

Cap. xx.

N illo tempore, Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum duobus filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Ille autem dixit ei, Quid vis? Dicit ei. Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & alter ad sinistram in regno tuo.] Dignum est in præsenti loco quærere sensum non contemptibilem, sed verè dignum Euangelio Christi. Hoc autem præmisi quoniam textus simplicibus quidem, & altitudinem Dei & scripturarum eius nescientibus
I quærere, simplicitatem postulationis alicuius ostendit, & responsionem simplicem Christi ad eam. His autem qui vel ex aliqua parte scripturarum propositiones discutere possunt, profundior & spiritalis ostenditur intellectus. Qui ergo hinc ostenditur sensus, breuis & contemptibilis est, & nihil habens magnum. Sicut enim in regno mundiali in honore esse videntur qui sedent cum rege sedenti in veste regali, & aliquid regalium negotiorum agenti: sic mater filiorum Zebedæi, secundum simplicem dico textum, videtur postulare à saluatore, vt vnus filiorum suorum sedeat ad dexteram eius, alter ad sinistram in regno ipsius. Et nihil fuit mirum, si mulier ex muliebri simplicitate vel imperitia talia debere se petere existimauit. Pone autem quoniam & ipsi fratres, secundum quod Marcus exponit, quasi homines constituti, & adhuc imperfecti, & nihil altum intelligentes de regno Christi, talia arbitrati sunt de his qui sedebunt cum Iesu: quid dicemus de Iesu, qui ostendens magnum esse sedere aliquem ad dextram, vel ad sinistram suam, tollit postulationem, & dicit: Nescitis quid petatis: & non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.] Quæret autem qui sapiens est auditor scripturæ, quid sit sedere ad dexteram Iesu, & ad sinistram in regno eius. Et conueniebat quidem congregare quæ sunt scripta de sessionibus Dei, vel Christi, vt ex tractatu eorum, & ex collatione eorum ad inuicem clarescere posset aliqua dogmatis magnitudo. Sed prolixitatis declinandæ gratia proponimus vnum quod dicit

Regnum Christi.

Micheas: Vidi Deum Israël sedentem in sede sua, & omnis K
militia cœli stabat in circuitu eius ad dexteram eius & sinistram. Omnis ergo qui est spiritalis, & cum iudicio vult cuncta discutere, dicet quoniam spiritalis est sessio Dei super spiritali sede: similiter etiam Christi. Nihil enim in omnibus sessionibus huiusmodi Dei, vel Christi, de corporali sessione significat sermo. Ridiculum enim est propter has corporales sessiones appellatas existimare sedes aliquas corporaliter esse ædificatas de materia nescio qua, in quibus sedeat Deus vel Christus eius, vel qui ad dexteram eius sessuri sunt, vel ad sinistram, quibus hoc à patre paratum est: & nescio si sit corporale quod dicitur, militiam cœli stare ad Dei dexteram vel sinistram: & iterum existimare quoniam qui saluantur quidem & laudabiles sunt, à dextris corporalibus sunt regis nostri Iesu, mali autem & perditi similiter in sinistris corporalibus. Sed vide ne forte quod dicitur Christum restitui in regno suo recipientem proprium principatum: sic intelligere debeamus, vt destructo peccato quod in corporibus mortalibus hominum est, & omni principatu alienarum virtutum, & potestate destructa, hoc sit sedere Christum in sede gloriæ suæ. Quod autem Deus omnia facit ad dexteram, & ad sinistram, hoc est vt iam nullum malum sit ante eum: Intelligat ergo qui potest, eminentiam quidem regni in hominibus Christum recepisse, & glorificatum esse ad gloriam quam habuit priusquam esset mundus, priusquam peccarent
L qui peccauerunt, & habebat gloriam apud patrem: eorum autem qui appropiant in primo, vel secundo, vel in tertio loco, quasi homines constituti secundum mensuram suam habentes sedere ad dexteram vel sinistram Christi in regno eius, quos restituet Deus cooperans eis, & parans eis vt appropient eminentiæ Christi. Qui quidem præcellunt præ cæteris appropinquantibus Christo, sunt à dextris Christi: videlicet qui tangunt eum, coniuncti sunt dextris ipsius verbi: qui autem inferiores sunt, à sinistris eius sunt. Dexteram autem vide si potes intelligere Christi inuisibilem creaturam; Sinistram autem visibilem & corporalem. Et Christus quidem omnibus regnat: appropinquantium autem ei quidam dextram sortiuntur, & intelligibilia: alij autem sinistram, & sensibilia. Et ne forte vera mater filiorum Zebedæi, quos appellauit filios Tonitrui Christus, magniloquentia ipsa indicans magna de filiis suis, Iacobo & Ioanne: nam & vere magni erant: & existimans eos prima habere posse super omnem naturam humanam, quasi qui poterunt capere magniloquium eius, accedens Deum precabatur, vt confirmaret vnum quidem à dextris, alterum à sinistris. Saluator autem reprehendens etiam huiusmodi magniloquentiam, matrem Iacobi & Ioannis quasi ignorantem qui esse ut eminen-
M tiores, & quoniam huiusmodi donum solius dei est qui super omnia est, conspirantis, & cooperantis, & confirmantis in huiusmodi eminentia quos viderit aptos, & ideo dixit: Nescitis quid petatis. Sedere autem mecum non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.] Arbitror autem quod volens ostendere matri filiorum Zebedæi, & ipsis quoniam adhuc minus habebant de perfectione quàm homines possunt habere non mediocres, ideo respondit postquam dixerat: Nescitis quid petatis: Potestis calicem bibere quem ego bibiturus sum? aut baptismo baptizari quo ego baptizor?] Denique cum dixissent: Possumus, non ita respondit Christus: Calicem quidem meum bibere potestis, sed ad futuram eorum perfectionem respiciens dicit: Calicem quidem meum bibetis, & baptismo baptizabimini. Adhuc autem quærere oportet in loco, quid est calix, & quid est baptisma. Quasi distent enim ab inuicem, sic vtrunque est nominatum. Multi enim vtrunque dicunt ad passionem martyrij pertinere, non attendentes quoniam nisi duos & diuersos intellectus ostenderet calix & baptismus, nunquam vtrunque nominaretur. Nos autem & istam quidem traditionem non reprobamus, alteram autem statuimus: quoniam calix quidem ipsa passio intelligitur esse dolorum. Quod confirmatur non solum eo exemplo quod dicit: Pater si possibile est transfer calicem hunc à me, qui cum doloribus bibitur ab eo qui suscepit certamen martyrij, donec biberit eum sustinens in tentatione martyrij vniuersa quę inferuntur

3. Reg. 22. — Ioan. 17. — Mar. 3. — Calix & Baptisma Christi. — Matt. 26.

A infetuotur: sed etiam eo quod in alio loco dicitur: Quid re- *Psal. 116.* tribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. Vota mea domino reddam in conspectu omnis populi eius. Preciosa in conspectu domini mors sanctorũ eius. Nihil enim dignum reddere possumus Deo pro omnibus bonis quæ fecit in nobis, nisi vt calicem salutarem prompte accipiamus, & nomen domini inuocemus, vt possimus magnanimiter bibere cum: in quo bibendi vota nostra reddimus domino in conspectu *Calix martyrium.* omnis populi eius. Manifeste autem ostendit in his quoniam calix martyrium est, ex eo quod statim propter bibitum calicem addidit, sic: Preciosa in conspectu domini mors sancto- *Martyriũ duplex.* rum eius. Intellectu autem omne martyrium duplex est, quorum vnum vocatur calix salutaris, reliquum autem baptisma. Et hoc quidem quod quis perfert dolores: calix est quem bibet omnis qui sustinet omnia sibi illata, nec reiicit, nec euomit aliquid eorum: quod autem quis in passione remissionẽ accipit peccatorum, baptismus est. Si enim baptismus indulgentiam peccatorum promittit, sicut accepimus de baptismo aquę & spiritus: remissionẽ autem accipit peccatorum, & qui martyrij suscipit baptismum: sine dubio ipsum martyrium rationabiliter baptismus appellatur. Quoniam autem remissio fit peccatorum omni martyrium sustinenti, manifestum est *Matt. 10.* ex eo quod ait: Omnis qui confessus fuerit in me coram ho- B minibus, & ego confitebor in illo coram patre meo qui est in cœlis. Cõfitetur ergo corã patre suo Saluator omnem hominem qui confessus fuerit cum coram hominibus, etsi fuit ante confessionem aliqua habens peccata. Si enim eos qui aliqua habentes peccata confessi sunt, non confitetur & Christus corã patre suo, iam nõ erit verum quod dixit: Omnis qui me cõfessus fuerit, & cætera. Aliâs autem peccatorem nescio si confiterentur Christus corã patre suo. Confessio enim filij glorificantis est in conspectu paterno super eo quẽ confitetur, quasi digno Christi cõfessione ad patrem. Secundum hæc viden- *Act. 12.* tur & calicem bibisse, & baptismo baptizati filij Zebedæi: quoniam Herodes quidem interfecit Iacobum fratrem Ioãnis gladio. Imperator autem Romanorum, sicut docet traditio, condemnauit Ioannem dantem testimonium verbi Dei in insulam Patmon, sicut ipse de suo martyrio docet, non dicens quis cum condemnauit, sed vbi fuit condemnatus. Dicit *Apoc. 1.* autem in reuelatione sua hoc modo. Ioannes frater vester, & socius in tribulatione, & in regno & in patientia Iesu fui in insula quæ vocatur Patmos, propter verbum Dei, & propter testimonium Iesu Christi. Et fui in spiritu in die dominico: & audiui post me vocem magnam quasi tubam, & cætera. Et ex hoc intelligitur quoniam reuelationem hanc in insula *De esca & potu domini.* constitutus vidit. Adhuc autem addimus iuxta ea quæ diximus: sicut est aliqua esca Christi, de qua dicit: Mea est esca vt faciam voluntatem eius qui me misit, & perficiam opus *Ioan. 4.* ipsius: sic secundum æstimationem escæ illius, est etiam po- C tus. Quod temeritatis quidem est abdirimere, & rebus ipsis ostendere. Tamen qui potest intelligat, ne forte quod est in actu, esca sit: quod autem in consideratione, potus. Manducare est enim Christi, facere voluntatem eius qui misit eum, & perficere opus eius. Bibere autem, sapere secundum volũtatem eius qui misit eum, & perficere notitiã eius. Secundum *Ioan. 6.* hanc differentiam intelligitur & quod ait: Caro mea vera est esca, & sanguis meus verus est potus. Esca enim animarũ vera, est actus. Verus autem potus, est agnitio veritatis. Ideo & primum dat panem benedicens & frangens discipulis suis, quoniam in primo loco est actus. Et post accipiens calicem, *Luc. 22.* & gratias agens, dixit: Bibite ex hoc omnes. Quoniam cõuenit primum quæ sunt actus implere, & opus bonum delecta- *Osee. 10.* re, & sic ad sciẽtiam rerum venire: & secundum Prophetam qui dicit: Seminare vobis ad iustitiã, & vindemiare fructum vitæ, vt primum bona opera faciamus, post hoc autem quod dicit: Illuminare vobis lumen scientiæ, quasi per viam quandam postquam emẽdauerit quis mores suos, proficiscatur ad scientiam & illuminetur. Et in Psalmo vigesimosecundo dictum est primum: Præparasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulãt me, impinguasti in oleo caput meum. Et post hoc: Poculum tuum inebrians quàm præclarum est. Non autem reprehendat nos qui legit hæc verba, quoniam oportuit interpretari quodãmodo, quæ de sessionibus dicta D sunt Dei, vel Christi. Respondemus enim quoniã placare tantummodo de scripturis propositum fuit de sessionibus, & legentẽ auertere ab humili illa traditione. Alterius autem temporis est, principalem expositionem facere de sedere Dei, & stare, & ambulare, quod non exigit expositio præsens. Et audientes decem contristati sunt de duobus fratribus, quoniam rogauerunt cæteris præponi.) Et vide quoniã & Iudas erat inter indignãtes. Et si inter indignantes cæteros erat, nõ forte nec dum immiserat diabolus in cor eius vt traderet dominũ, sed erat in ipso proposito, quo & cæteri apostoli erant. Iesus autem conuocans eos dixit. Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicunq; voluerit inter vos maior esse, erit vester minister: & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.) Quoniã duo fratres super cæteros Apostolos sibi gloriam præripere voluerunt indignantibus cæteris, inde occasionem accipiens Iesus, regulam iustitiæ fidelibus ponit, quomodo quis apud Deum *Regula iustitia.* potest obtinere primatum. Principes gentium non contenti tantum regere suos subiectos, violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem qui estis mei, nõ erunt hæc. Ne forte qui videntur habere aliquem in ecclesia principatum, dominentur fratribus proprijs, vel potestatem in eos exerceant. Quo- E niam sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, nõ in voluntate: spiritalia autem in voluntate, non in necessitate: sic & principes spiritales, principatus eorum in dilectione subiectorum debet esse positus, non in timore corporali. Sed & qui voluerit apud patrem meum maior esse comparatione fratrum suorum cæterorum, efficiatur minister eorum quibus vult esse maior. Et qui principatum desiderat ecclesiæ, debet fieri omnium seruus in humilitate seruili, vt obsequatur omnibus in his quæ pertinent ad salutem. Et hæc docet nos sermo diuinus. Nos autem siue nõ intelligentes voluntatem diuinam positam in scripturis, siue contemnentes talem commendationem Christi, tales sumus, vt etiam malorum principum mundi excedere superbiam videamur: & non solum *In pastores superbos.* quærimus sicut reges acies præcedentes, & terribiles nos, & accessu difficiles maxime pauperibus exhibemus, & tales sumus ad eos qui nos interpellant vt propter aliquid deprecentur, sicut nec tyrãni, & crudeliores principibus mundialibus ad subiectos. Et est videre in quibusdam ecclesijs præcipue ciuitatum maximarum, principes populi Christiani nullã affabilitatem habentes, vel habere ad se permittentes. Et Apostolus quidem etiam dominis dat mandatum de seruis dicẽs: Domini quod iustum est & æquum seruis præstate, scientes *Ephes. 6.* quoniam & vos habetis dominum in cœlis. Docet autẽ & remittere minas. Episcopi autem quidam crudeliter comminã- tur, aliquãdo quidem occasione peccati, aliquando autẽ con- F temnẽtes pauperum curam, cum sit scriptum: Quantum magnus es, tantum humilia te, & inuenies gratiam coram domino. Item in Prouerbiis: Ante cõtritionem extollitur cor viri, *Prouer. 16.* & ante gloriam humiliatur. Principes ergo gentium dominentur eorum, principes autem ecclesiarum seruiãt subditis. Sed & maiores gentium potestatem exerceant fidelium, audiãt autem cum qui dicit: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Non ista dicimus vt inclinemus ecclesiasticum *Matt. 11.* principatum. Est enim interdum quando secundum vocem *1. Tim. 5.* apostolicam peccantes coram omnibus arguant, vt & cæteri *Quomodo episcopi animaduertere in peccãtes debeant* metũ habeant. Est aliquãdo, vt vtens potestate sua tradat peccantem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluetur in die domini nostri Iesu Christi. Tamen raro hoc fieri debet. Corripiendi enim sunt inquieti, consolandi autem pusillanimes, sustinendi infirmi & ad omnes magnanimitas est habenda. *1. Cor. 5.* Nulli malum pro malo reddendum, vt non existimetur ini- *Rom. 12* micus qui peccat, sed corripiatur vt frater. Hæc autẽ diximus volentes ostendere, quod ecclesiarum principes, principum mundialium imitatores esse non debent, sed imitari debent Christum accessibilem, & mulieribus loquentẽ, & pueris manus imponentẽ, & discipulis suis pedes lauãtem, atq; tergen- *Ioan. 13.* tem, exemplum eis dantem, vt & ipsi similiter faciãt fratribus suis. Forsitan autem & quoniã dominus constitutus seruiebat pro salute hominum generi nostro, propterea dicitur formã *Phil. 2.*

G serui suscepisse, & humiliasse se vsq; ad mortem, propter quod & dominus eum superexaltauit. Qui vult ergo exaltari, similia faciat vt exaltetur per ea: sicut filius hominis nõ venit ministrari, sed ministrare. Nã etsi angeli ministrauerunt ei quando accesserunt & ministrabant ei, etsi Martha ministrauit ei, tamen non ideo venit vt ministretur, sed vt ministret: & tantum etenit ministrãs, vt animam suam daret redemptionem pro multis qui crediderunt in eum. *Cur data anima chri. pro redẽptione hominum.* Cui dedit animam suam redemptionem pro multis? Nec enim conuenit dicere, Deo. Ne forte ergo maligno. Ille enim dominabatur in nobis, donec daretur ei nobis redemptio anima Iesu, decepto videlicet & esistimanti quasi possit dominari eius, & non videnti quia non poterit sustinere in tenendo eam tormẽta. Propter quod & mors putans se dominari, eius dominata non est; quoniam erat solus inter mortuos liber, & fortior omni potestate mortis, & vsque adeo fortior, vt omnes sequi se volentes qui tenebantur à morte liberaret à morte, nihil valente in eis postmodum morte. Omnis enim qui sequitur Iesum, incomprehẽsibilis est à morte. Data autem anima eius in redemptionem pro multis, non mansit apud eum cui fuerat data. *Psal.15.* Propter hoc dicit propheta: Quoniam non derelinques animam meam in Inferno.

Tractatus XIII. Cap. XX.

H IN illo tempore: Egredientibus illis ab Hiericho, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et reliqua] Quæ sunt secũdum historiam huius loci, in aperto cõsistunt. Quæ autem spiritaliter nobis videntur, dicamus. Et primum consideremus, quid est quod dicit: Egrediẽtibus discipulis Iesu cum ipso Iesu ab Hiericho, secutæ sunt eum turbæ multæ. Vide ergo si memor eorum quæ à nobis sunt dicta apud Lucam *Luc.17.* in parabola de homine descendente ab Hierusalem in Hiericho, & incidente in latrones, potes dicere: ne forte & hic *Hiericho mũdi typ⁹.* Hierico intelligitur mundus iste terrenus. Qui ergo ab Hierusalem in Hiericho descendit fuit Adam, id est homo, qui incidit in latrones. Propter quem Iesus descẽdit in eam cum discipulis suis: & egressus est mercatus multos in ea fideles, & volentes eum sequi. Nec enim sciunt qui sunt in Hiericho exire de sapientia mundiali, nisi viderint non solum Iesum exeuntem de Hiericho, sed etiã discipulos eius. Hæc ergo videntes secutæ sunt eum turbæ multæ. Et est videre eos qui secundum verbum viuere volunt, & mundũ & mundialia vniuersa contemnere cupientes, Christum sequentes & discipulos eius, vt post eum incedentes, & eo duce vtentes, ascendant in Hierusalem illam cœlestem. Et ecce duo cæci secus viam sedebant: & audientes quod Iesus transiu, exclamauerũt dicentes: Miserere nobis domine, fili Dauid.]

I Duos cæcos possumus dicere Iudã, & Israel, qui ante Christi aduentum cæci fuerunt, tamen secus viam sedẽtes legis & prophetarum commorabantur. Et cæci quidem erant, quia non videbant ante aduentum Christi ad animam suam verbum verum quod erat in lege & prophetis. *Allegoria de cæcitate Israelitarũ secundum carnem.* Clamabant autem: Miserere nobis domine fili Dauid, propterea quod sentiebant esse se cæcos, non intelligentes voluntatem scripturarum, & volentes respicere & videre gloriam quæ erat in eis, quasi adhuc cæci & nihil magnum de Iesu esistimantes, sed secundum carnem de eo tantum intelligentes, clamabant ad eum *Rom.1.* qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, quia nihil amplius intelligebant quàm filium esse Dauid: & omnis quæ videbatur eorum propter Deum eloquentia, nihil amplius sciebat de Christo, nisi quia filius erat Dauid. Duos cæcos autem diximus populos duos in duo regna diuisos tem- *3.Reg.13.* pore Roboam: & vide prophetas, quomodo nunc Israel, nunc Iudæ prophetauerunt, aliquãdo autem simul ambobus. Hi ergo populi quoniam signo quodã prophetico audierant transire Iesum, clamauerunt. Puto enim quod audierunt ab eis qui aduentum Christi prophetauerunt. Et quoniam trãsit, veniens quidem in eam, egrediens autem ex ea, & timẽtes ne forte pertranseat eos, nequaquam misericordiam faciens super eos, clamabant: Miserere nobis domine fili Dauid. Iesus autem non pertransit, sed stat, vt stante illo non trãsfluat beneficium, sed quasi de fonte stante profluẽs misericordia de- K
ueniat vsque ad eos. Turba autem, id est præcedens eorum qui crediderant, etiam increpabat eis clamãtibus: Fili Dauid miserere nostri, vt tacerent, & non appellarent eum contemptibili nomine, sed potius dicerent: Fili Dei miserere nostri. Stans ergo Iesus clamoribus eorum retentus & precibus, vocat eos ad se, principium beneficij ostẽdens. Nec enim in vacuum vocauit eos. Vtinam & nobis clamantibus & dicentibus: Miserere nobis domine, vocet nos incipiẽtes à filio Dauid: stans autem vocet nos, quasi intendens deprecationibus nostris. Dixit autem eis: Quid vultis vt faciam vobis?] Quod esistimo esse tale. Quod vultis ostẽdite manifeste, vt omnes qui egrediuntur de Hiericho & sequuntur me, audiant & videant factum. Illi autem responderunt. Vt aperiantur oculi nostri.] Ingenui quidem, eo quod erant de Israel, & Iuda, cæci autem ignorantia, & intelligentes propriam cæcitatem, & audientes eos qui prædicauerunt de Iesu, dicunt se velle vt aperiantur oculi eorum. Et præcipue hoc dicunt, qui legentes diuinas scripturas intelligunt cæcitatem suam ad sensum scripturarum. Hi enim dicunt: Miserere nobis, & quia volumus vt aperiantur oculi nostri. Et vtinam & nos intelligentes in quibus cæci sumus, & nõ videmus, sedentes iuxta ipsam scripturarum viam, & audientes quoniam Iesus transit precibus nostris faciamus eum stare dicentes: Volumus vt aperiantur L
oculi nostri. Quod si diximus ex affectu desiderante videre quæ donat, tangens oculos animarum nostrarum aperiet, quasi verbum, & virtus, & sapientia, & omnia quæ de eo dicuntur constitutus. Et sic eo tangente recedet à sensibus nostris tenebra ignorantiæ, vt statim non solum videamus, sed etiam sequamur eum, qui dedit nobis posse videre propter nihil aliud, nisi vt eum sequamur, & illius ducatu transeamus ad Deum, & videamus oculis nostris per eum apertis Deum. Quoniam autem Marcus & Lucas secundum quosdam quidem ipsam exponunt historiam, secundum autem aliquos alteram similem, dignum est & quæ ab eis dicuntur videre. Et primum videamus de Marco ita scribente. Et venit in Hiericho. Et exeunte eo inde, & discipulis eius, & turba multa. *Mar.10.*
Qui ergo corporaliter intelligunt, propter diuersitatem verborum dicunt alia vice duos istos cæcos Christum sanasse: alia autem vice illum quem Marcus exponit: tertia vero, quod scribit Lucas. Qui autem spiritaliter intelligunt, vnam eandémque rem diuersis modis euangelistas exposuisse defendũt. Duo enim cæci sunt sicut diximus, Iudas & Israel. Vnus autem est mixtus ex vtroque populus vniuersus. Turba ergo multa ex gentibus exeunte cũ Iesu & discipulis eius de mundo, Iudaicæ quædam reliquiæ iuxta viam sedentes, id est iuxta propheticas scripturas, & mendicãtes intellectum necessarium animarum suarum, sicut Marcus exponit, fortiter cla- M
mabant, filium appellantes Dauid. Et cum videris eos qui ex Iudæis crediderunt in Iesum, aliquando quidem ex Maria & Ioseph esse eum putantes, aliquando autem de sola Maria & spiritu sancto, videbis quomodo ille cæcus clamabat, fili Dauid miserere mei. Quem increpant multi qui de Hiericho egressi ex gentibus sunt, populum videlicet qui videtur credere ex Iudæis, vt taceant qui pauperes sunt in fide Christi: & putant eum ex semine viri & mulieris esse, trahentem genus ex Dauid. *Ebionitæ intelligit.* Sed multis increpantibus magis clamabat, credens quidem in Iesum, secundum autem hominem credens, & clamans dicit: Fili Dauid miserere mei. Iesus autem stans, iam non sicut in Mattheo, ipse eum vocat, sed iubet eum vocari. Post hæc inquit: Ille autem abiiciens vestimẽtum suum, exiliens venit ad Iesum. Ne forte vestimentum cæci & mendicantis, velamentum intelligatur cæcitatis, & mendicitatis quo fuerat circundatus: quod abiiciens venit ad Iesum, & digniosiori voce cõfessus est dicens: Raboni. Digniosius enim est dicere Raboni, vel sicut in aliis dicit domine, quàm fili Dauid. Vnde & dominus propter illud quidem quod dixit: Fili Dauid miserere mei, non præstitit sanitatem, nec quando sedebat veste cæcitatis & mendicitatis velatus, nec quando sedebat secus viam mendicans. Propter hoc autem quod dixit: Raboni vt videam, dixit ei: Vade, fides tua te saluum fecit. Nunc videamus secundum Lucam, quæ communiter dixit prætereuntes, propria autem eius tãgentes. Et primum quidem

A quidem quod Marcus & Matthæus egrediente Iesu de Hie-
richo ponunt: Lucas autem ita. Et factum est cum appropin-
Luc.18. quaret Hiericho, & factus in proximo, cæcum illuminauit.
Et dicet aliquis secundum mysterium spiritale, quoniam prius
est quod ait Lucas, secundum autem quod Marcus, tertium
vero quod dicit Matthæus. Primum enim oportet appropin-
quare Hiericho, & ita intrare in eam, postea auté exire de ea.
Lucas ergo scribit: Et factum est cum appropinquaret Hie-
richo, Marcus autem ita. Et venit Hiericho, & exeunte eo
inde. Matthæus vero neque appropinquasse Hiericho scribit,
nec quia venit Hiericho, sed tantum exeuntibus eis ab Hieri-
cho. Potest ergo secundum Lucam quidem appropians Hie-
richo fecisse hoc, secundum Marcum autem veniens in Hie-
richo, secundum Matthæum autem exiens ab Hiericho. Post
hæc considera quoniam clamanti cæco atque dicenti: Mise-
rere mei fili Dauid, qui præcedebant, increpabant eű vt tace-
ret. Tanquam si dicat: Qui primi crediderant, increpabant ei
clamanti: Fili Dauid, vt taceret, & non appellare eű contem-
ptibili nomine, sed potius diceret: Fili Dei miserere mei. Ille
autem magis clamabat: Fili Dauid miserere mei. Et stans Ie-
sus, iussit eum adduci ad se. Et vide nisi, sicut diximus, inferior
est cæcus iste. Nam nec Iesus eum vocauit, nec dixit eum vo-
cari, sed quasi non capientem hæc iussit eum quasi nő poten-
B tem à semetipso venire adduci ad se. Et cum appropinquas-
set ei, interrogauit eum: Quid vis vt faciam tibi? Et non prius
interrogauit eű, aut interrogatus appropiauit ei, sed quoniam
appropiauit, ideo interrogatus dixit: Vt videá domine. Item
hoc amplius habet Lucas, quod in illis quidem secutus est tã-
tummodo cæcus: hic autem secutus est dans gloriam Deo, vt
videntes eum omnes, Deo laudem afferrent.

Tractatus. XIIII. *Cap.* XXI.



IN illo tempore: Cum appropinquasset Hiero-
solymis, & venissent Bethphage ad montem
Oliueti, tunc misit. Et reliqua.] Dignum est o-
stendere hic voluntatem Euangelistarum con-
scribentium, & propositum eorum, quid con-
siderantes, post mirabilia eius & opera gloriosa, etiam de ex-
hibitione asinæ & sessione domini super eam facerent men-
tionem. Pone quia de visione cæcorum, de paralyticorum
constrictione, de resurrectione mortuorum, de mundatio-
ne leprosorum scripserunt Euangelistæ, vt ædificent homi-
nes in fide Christi legentes in scripturis opera eius: quid autẽ
voluerunt conscribere quod appropians Iesus Hierosolymis
cum discipulis suis, & veniens Bethphage iuxta mõtem Oli-
ueti, misit duos discipulos mãdans eis de asina & pullo eius,
vt soluentes adducant eam ad se, qui frequenter non pigri-
tauit maiorem viam pedibus ambulare, sicut fecit quando ab
C Hierosolymis transiens per Samariam ibat in Galilæam, cum
Ioan.4. venisset ad puteum ex itinere lassus, & super eum sedisset?
Quid autem est quod & ipse Iesus asinam cum pullo eius li-
gatam soluere iubet, & mandat vt dicenti sibi, quare solui-
tis, respondeant, quia dominus operam eius desiderat, con-
festim autem remittet eam. Nec enim huiusmodi dominus
necessariam habens asinam & pullum eius aliquando liga-
tos, ostendit in prima facie aliquid dignum magnificentia
sua. Quid autem est vt de hoc etiam Zacharias propheta præ-
Zach.9. diceret verbis huiusmodi: Gaude valde filia Sion, prædica fi-
lia Hierusalem, ecce rex tuus venit tibi iustus, & saluans, ipse
mansuetus, & sedens super subiugalem, & pullum eius no-
uellum? Si auté vis discere ex Propheta, quomodo hoc ma-
gnum gaudium habuit Sion, audi quod dicit: Et extermina-
uit currus ex Effrata, & equum de Hierusalem, & extermina-
bitur arcus bellicus, & multitudo, & pax ex gẽtibus, & prin-
cipabitur aquarum vsque ad mare, & fluminum exitus terræ.
Et tu in sanguine testamenti dimisisti vincula tua de lacu nõ
habenti aquam. Notauimus autem, sicut in aliis, quod non
iisdem sermonibus Matthæus & Ioãnes protulerunt prophe-
tiam eãdem. Nec enim est idem, Gaude valde filia Sion, præ-
dica filia Hierusalem, quod ait: Dicite filiæ Sion, aut noli ti-
mere filia & cætera, quæ non similiter posuerunt. Quærere
auté oportet quomodo rationabiliter mandat Propheta val-
de gaudere filiam Sion & prædicare filiam Hierusalem, pro- D
pter eum qui sedit super asiná & pullum nouellum: eum post
modicum videns Hierusalem Iesus fleuit super eam, dicens: *Luc.19.*
Hierusalem Hierusalem quæ occidis Prophetas & cætera. Vi-
de ergo ne forte gauisuram Sion, & prædicaturam Hierusa-
lem, non illam dicit quæ dominum crucifixit, sed istam quæ
crucifixum suscepit, cœlestem Sion de qua dicit Apostolus
ad Hebræos: Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem *Heb.12.*
Dei viui Hierusalem cœlestem, & cætera. Item ad Galatas. *Gal.4.*
Hierusalem autem quæ sursum est, libera est, quæ est mater
nostra. Ne forte ergo mysteria sunt hæc omnia Saluatoris, qui
soluit vincula per discipulos suos populi ex Iudæis, & populi
qui venit ex gẽtibus. Ligata enim erat peccatis quæ tunc fuit
synagoga, ligatus fuit & pullus cũ ea, qui postmodũ factus est
nouellus ex gẽtibus populus credẽs. Et hos ambos appropiãs
ad Hierusalem cœlestem, id est ascẽdens in cœlum, iussit dis-
cipulos suos vt soluerent eos, dans eis spiritum sanctum di- *Ioan.20*
cens: Accipite spiritum sanctum. Si cuius dimiseritis pecca-
ta dimittentur eis: & si cuius tenueritis, tenebuntur. Et sem-
per discipuli Christi soluentes ligatam asinam, & pullum, ad-
ducunt ad Iesum volentem eis vehiculis vti per discipulos
suos solutis à vinculo peccatorum priorum. Et dignum est fi-
lio Dei, vt sic necessarios habeat eos. Misericors enim est su-
per asinam alligatam, & pullum cum ea. Necessarios autem
habet eos, vt sedẽs super eos repauset magis eos super quibus E
sedet, quàm vt repausetur ab eis. Sed quæret aliquis, quomo-
do eis quę diximus conueniens sit sermo qui sequitur, dicens:
Confestim remittet eos?] Solutio auté istius quæstionis sicut
arbitror hæc est: quoniam dominus quidem eorum qui fue- *1.Cor.8.*
rant ligati, nemo alius erat, nisi ille de quo ait Apostolus. No-
bis autem vnus dominus Iesus Christus, per quẽ omnia. Cui
quoniam nequaquam contradicturus fuerat aliquis dicen-
tium, quare soluitis pullum? manifestum est. Nam quasi nul-
lo contradicere potenti, sic dicit Christus: Et si aliquis vobis
dixerit, dicetis quoniam dominus operam eorum desiderat.
Et vide quia postquam ascenderit Iesus in Hierosolymam se-
dens super pullum hunc vel illum, missio quædam ad opus a-
liquod necessarium ad ipsum locum erat futura, vt aliquid o-
peris, faciant asina & pullus eius. Et hoc quidem significat,
non tamen clare. Sensum autem huiusmodi intellectus acci-
pio credẽs ordini beatitudinũ, quẽ facit Matthæus. Nã post-
quam dixit: Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorũ est regnum
cœlorum, post hoc scriptum est: Beati mansueti, quoniã ipsi *Matt.5.*
possidebunt terram. Dicimus enim in his quoniam primum
quidem beatorum est regnum cœlorũ: in secundo auté loco
possidebunt terram: nõ vt per omne seculum sint super eam,
sed consolati pro eo quod esurierunt, & sitierunt iustitiam F
satiati in ea, & misericordiam consecuti, iterum restituantur
in regnum cœlorum. Aut certe quoniã multi ex populo Iu-
dæorum, vel gentium, vel quos asinam & pullum supra su-
mus interpretati, qui crediderunt in Christo, & susceperunt
super se, postea missi à Christo reuersi sunt ad populũ Iudai-
cum, vel ad cæteras gentes nondum credentes, vt prædicarẽt
eis dominum Iesum filium Dei. Et hoc est quod significat di-
cens: Confestim autem remittet eos. Si ergo asina & pullus
eius illi sunt quos diximus supra, super quos verbum ascẽdit,
nõ tibi videatur sermo insulsus quod fideles homines anima-
libus comparentur. Forsitan enim tale aliquid intelligens &
Propheta dicit se factum esse quasi iumentum, non simplici-
ter iumentum, sed sicut iumentũ apud Deum, vel apud Chri-
stum eius, secundum quod ait: Vt iumẽtum factus sum apud *Psal.72.*
te. Nam quantum ad Deum, iumenta sumus non solum nos,
sed etiam multo nobis prudentiores. Sic autem quantum ad
pastorem Christum etiam oues eius sumus: quoniam tãta di-
stantia est inter eum & nos, quanta inter hominem & qua-
lecunq; iumentũ. Et forsitan cũ ascenderint in Hierosolymã
sedẽte Iesu super se, asina & pullus, & facti illic, nõ manebũt
ibi, sed remittẽtur mutati iam, & prodificati, & enutriti verbi
diuinitate, & eminentia, scientia, honestate: vt ad gloriã Dei
digni habeãtur remitti in locum vnde assumpti fuerant, prius
domino eos meliorante & quasi mercedem hãc eis præstan-
te pro eo quod portauerunt eum & requieuerunt in se: vt
(sicut diximus) digni habeantur remitti in locum terræ

G huius ex qua assumpti fuerant, non iam ad opera priora. Nec enim fas est vt misericors deus, dominus constitutus postquã semel eos suscepit, & honorauit, & à vinculo soluit, & fecit eos propriam sessionem, vt mittat eos rursus ad vincula, & opera mala, postquàm semel susceperũt super corda sua filium dei. In his omnibus conueniebat valde gaudere, & extendere gaudium fructum spiritus sancti filiam dei Sion, & filiam eius Hierusalem prædicare. *Gal. 5.* Veniebat enim ei rex iustus & saluans, & non simpliciter saluans, sed iustus & saluans, id est cum iudicio & iustitia saluans: veniebat sedens super asinam & pullum nouellum quos diximus, visitans Israel, & exterminans currus ex Effraia, similes constitutos curribus Pharaonis *Exod. 15.* quos proiecit in mare, Veniebat autem vt exterminet etiam equum animal bellicum de Hierusalem, vt pacẽ faciat Israel, conuertẽs perditas oues ipsius. Quomodo nõ erat res digna gaudio magno sic venire regem iustũ atque saluantẽ in Hierusalem ex qua erat exterminandus omnis arcus bellicus, vt iam nunquam peccatores in ea intendant arcum, neque præparent sagittas in pharetra vt sagittent in obscuro rectos corde? Erat tunc pax futura ex fide gentium saluatarum domino

H principante aquarum vsque ad mare, id est populorum: principatum autem & fluminis emissionis terræ, & exitus facientium, & irrigantium multa ipsius. Qui autem simpliciter vult intelligere Sion populos Iudæorum ad quos venit Saluator, sic dicere potest, quoniam verbum quidem dei præcepit gaudere filiam Sion, & prædicare filiam Hierusalem. Si autem aliqui eorum discrediderint, non digna gaudio opera facientes, neque suscipientes prædicandi præceptum, ipsi sibi causa sunt facti, vt patiantur ea quæ passi sunt, vt recte dicatur ad eos: Vobis quidem missum fuerat dei verbum, sed quia indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. *Act. 16.* Videamus autem & de nomine Bethphage secundum Matthæum, Bethaniæ autem secundum Marcum, Bethphage autem & Bethaniæ secundum Lucam. Et hic erat locus in mõte qui vocabatur Oliueti. *Bethphage.* Interpretatur autẽ Bethphage quidem domus maxillarum. Erat autem villa sacerdotum, quoniam maxilla propria pars erat sacerdotum ex lege. In quo possumus dicere maxime occasionem accipientes de libro *Iudic. 15.* Iudicum, quoniam in his erat fons qui vocabatur fons maxillæ, de quo biberat Sampson cum sitisset. Aut forsitan fons ille, mysterium erat patientię fidelium, ad quos dominus dicit, *Matth. 5.* Qui te percusserit in maxillam vnam, præbe ei & alterã. *Bethania.* Bethania autem, domus obedientiæ. In domum ergo obedientiæ adducuntur omnes qui soluuntur à vinculo peccatorum suorum, vel ad domum sacerdotalem maxillarum, vel patientiæ, vt inde ascendat dominus super eos, quos secundum præceptum soluerunt discipuli eius, & perduxerunt ad eũ. Mons autem oliuarum est ecclesia, in quo fructificantes fideles dicere

I possunt: Ego autem sicut oliua fructifera in domo dei. *Mons oliuarũ ecclesia.* Qui autem in primis adducuntur ad eum habentes initia fidei, sunt sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ Christi, quia sunt filij eius. Si autem oportet & duorum discipulorũ quos dominus misit enarrare mysterium: forsitan non irrationabiliter dicere possumus, fuisse eos in mysterio Petri & *Gal. 2.* Pauli, qui dextras sibi dederunt societatis: vt Petrus quidem in circuncisionem ad subiugalem iret, prædicaturus populo Iudæorum sub iugo legis degenti: Paulus autem ad gẽtes, ad nouellum & indomitum pullum. Erant autem ambo (id est populus ex Iudæis, & populus ex gentibus) in villa, & non in ciuitate Sion, vel Hierusalem: sed discipuli Christi soluunt vtrunque, & ad Christum perducunt, vt ascendat super eos cum soluti fuerint à peccatis accipiẽtes remissionem eorum. Super alligatis autem adhuc & vinculis peccatorum suorum constrictis, non sedet Iesus. Secundum Marcum autem & Lucam etiam pullus introducitur alligandus, super quem nemo hominum sedit: nihil enim rationabile, neque quod secundum mores humanos fieri solet, in gentibus factum fuerat aliquando, neque fundatum in eis aliquid disciplinæ, sed *Gentes cõtra meritũ suũ misericordiã consecuta.* contra meritum suum à deo sunt consecuti, vt verbum dei super eos sederet, vt eo ducente ascendant in Hierusalem dei. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit eis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eum vestimenta sua, & sedit super eum.] Adducentes ergo ad Christum asinam & pullum, nudos eos non dimiserunt, sed

K ornamenta eis imposuerunt quibus fuerant adornati, & vestibus quibus ipsi fuerant cooperti, honestatem eis adiicientes quos suo studio soluerant ipsi: vt super ornatos vestibus discipulorum Christi, Christus ascendat & requiescat in eis, & apud eos dei verbum fundetur: quoniam vnumquenque discipulorum decebat aliquid Christo conferre regi mansueto, vt possint dicere, quoniã Christi sumus operis participes. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus & sternebant in via.] Multus ergo populus cum Christo ascendebat in Hierusalem, qui & ipsi fructum susceptionis Christi demonstrauerunt, vestimenta sua & quæcunque habuerunt ornamenta sternentes in via, per quam asina transibat, videlicet vt mundè incedentes, terram & rerum terrenarum puluerem nequaquam contingant, vel patiantur in via illa qua in Hierusalem ascendebant. Et tertium agmen post discipulos, & plurimam turbam sternentem vestimenta sua, introducitur, qui pulchritudinem aliquam itineri faciebant, per quod proficiscebatur in Hierusalem Iesus. Turba autem quæ præcedebat, & quæ sequebatur, clamabant dicentes: Osanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine domini, osanna in excelsis.] Et

L præcedentes quidem ante Iesum dicuntur qui ante aduentũ Christi fuerunt sancti Prophetæ, & cæteri iusti: sequentes autem qui fuerunt post aduentum ipsius Apostoli cæterique fideles qui sequuti sunt verbum dei. *Prophetæ acclamant christo.* Tamen non aliud dicebãt qui præcedebant, aliud autem qui sequebantur, sed omnes clamabant insimul consona voce, humanam quidem Christi dispensationem laudantes in eo quod dicebant, Osanna filio Dauid benedictus qui venit in nomine domini: restitutionem autem eius in sancta, in eo quod dicebant, Osanna in excelsis.

TRACTATVS XV.

Cap. xxi.

IN illo tempore, cum intrasset Iesus Hierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic.] In istis nunc duobus clamoribus dictis ex consensu præcedentium & sequentiũ Iesum, ipse quidem intrauit in Hierosolymam veram: admirantes autem virtutes, cœlestes quæ appellantur ciuitas, dicebant, Quis est hic? secũdum quod fuerat prophetatum in Psalmo de ascensione ipsius, & de admiratione virtutum cœlestium propter nouum vehiculum corporis eius. Habet autem ita. Tollite portas principes vestras, & eleuami-

M ni portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio. *Psal. 23.* *Esa. 63.* Et in Esaia similia quædam prophetantur de reditu eius in cœlum post dispensationem passionis ipsius hoc modo. Quis est iste qui venit ex Edom, rubra vestimenta habens ex Bosor, iste formosus in stola? Hoc autem diximus, vt ostẽdamus mysterium eius quod dicitur, quoniam ascendente eo in Hierusalem commota est vniuersa ciuitas dicens: Quis est hic. Et intrauit Iesus in templum dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum euertit, & cathedras vendẽtium columbas. Et dixit eis: Scriptum est, Domus mea, domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis eam speluncam latronum.] Supra mensuram dignitatis Christi fuerat, secundum quod videbatur filius esse fabri, vt tanta fiducia vteretur & potestate eiiciens nundinam de tẽplo, quã nec princeps alicuius gentis vtens facile poterat explicare quod fecit Iesus. *Templi repurgatio.* Et hæc diximus secundum simplicẽ intellectum. Secundum moralem autem talia dicemus. Et primum quidem de templo, de quo per prophetã dixit deus: Domus mea, domus orationis vocabitur. *Esa. 56.* Ergo secũdum corporalem circuncisionem carnis, & secundum corporales legis festiuitates, & sacrificia, consequenter & templum dei existimabatur, quod ex lapidibus insensatis erat constructum, primum quidem à Salomone, deinde reparatum ab Esdra, postea vero post Christi aduentum à Romanis destructum: & illa existimabatur domus esse orationis. Qua destructa, necesse est vt Iudæi quasi non iam habentes domum orationis,

A nis, iam non habeant priuilegium speculationis dei, nec possint secundum legẽ deo seruire. Hoc ergo facto, omnia Christus eiecit in mysterio spiritualium actuum suorum: & tunc fecit visibiliter, quod semper inuisibiliter agit, eiciens vendentes & ementes de templo, & mensas nummulariorum euertens & cathedras vendentium columbas, ad correptionem populi, vt non pro mundi festiuitatibus in nomine dei emptionibus & venditionibus vacent in loco non competenti, in quo non debent vẽdere, nec emere, sed orationibus vacare, qui congregantur quasi in domo orationis. Nunc autem arbitror esse templum dei ex lapidibus viuis constructũ, ecclesiam Christi. *Ecclesia domus templum.* Sunt autem multi in ea non sicut decet viuentes spiritaliter, sed secundum carnem militant, qui & domum orationis de lapidibus viuis constructam faciunt spelũcam esse latronum, actibus suis non ecclesia dei dignis, sed spelunca latronum. Qui enim considerat in multis ecclesiis talium Christianorum peccata, qui arbitrentur quæstum esse pietatem, & cum deberent de Euangelio viuere secundum quod viuere decet seruos dei, hoc non faciunt, sed diuitias & multas possessiones acquirunt: nonne dicet speluncam latronum factam esse sub illis ecclesiam, vt recte dicat Christus ad eos propter dissipationem ecclesiæ suæ, Quæ vtilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem? Item ipse per Michæam tali modo: Væ mihi quoniam factus sum sicut qui B colligit stipulam in messe, & sicut qui racemum in vindemia, *Mich 7.* cum non sit botrio ad manducandum primogenita. Væ animæ meæ, quia periit timoratus a terra, & qui corrigat in hominibus non est. Et cum intellexeris Iesum dicentem talia, & lugentem peccata nostra, aspice simul & illud quod in Euangelio scribitur. Cum vidisset Hierusalem fleuit super eam, & dixit. Et si rationabiliter fleuit super Hierusalem, & rationabilius flebit super ecclesiam ædificatam quidem vt esset domus orationis, *Luc.19.* factam autem propter turpia lucra & luxus quorundam (quod vtinam non esset) principum populi speluncam latronum. Sed tunc quidem intrauit Iesus in templũ dei, & mundauit illud eiiciens vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorũ euertens & cathedras vendentium columbas: nunc autem quamdiu non visitantur, qui in nomine Iesu Christi conueniunt in ipsum, sunt in conuentibus vendentes & ementes in templo, & reliqua omnia faciẽtes, & nusquam eis Christus apparet, vt eiiciens eos reliquos saluet. Si autem visitauerit super peccata nostra, & quasi lugens nos veniat, & corripiat, & castiget quasi filios, vt recipiat nos, tunc ingredietur Christi potestas congregatis nobis & spiritu sancto & ingrediens eiiciet omnes vendentes & ementes in templo. Vendẽtes quidem & alienantes à se quicquid habebant boni, emẽtes autem pro eis mala. Et destruet mensas nummulariorum, *Nũmularij* id est auarorum & pecuniæ cupidorum, qui aliorum quidem pecunias cum iniquitate vertũt C ad se, ipsi autem non ad quod expedit eas expendunt. Sunt & alij in templo vendentes Christi columbas, & tradentes simplices sicut columbas, & orantes dicentes, *Venditores colũbarũ.* Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam: tradẽtes eas principibus, quibus non oportebat. Et arbitror conuenire verbum de venditoribus columbarum, eis qui tradunt ecclesias auaris, & tyrannicis, & indisciplinaris, & irreligiosis episcopis, aut presbyteris. Propter quod & cathedras tantummodo appellauit Euangelista euersas esse à Iesu. Et vtinam audirent hæc cum decenti ammonitione scripturæ, qui gloriantur de cathedris Moysi in quibus sedent, & vendũt omnes ecclesias columbarum, & tradunt eas talibus præpositis, *Hiere.4.* ad quos recte dicatur à domino per Hieremiam prophetam. Principes populi mei me non cognouerunt: filij enim sunt insipientes, & non intelligentes. Sapientes sunt ad male faciendum, *Mich.2.* bene autem facere nesciunt. Et apud Michæam similiter. Principes populi mei expellentur de domo epulationis suæ. Si autem audient, nunquam venderent Christi colũbas, sed constituerent principes eorum parcentes colũbis, & prouidẽtes saluti earũ, & non despiciẽtes nec occidẽtes pingues columbas. Si autem oportet tres ipsas species reiectas à templo cautius exponere, possumus dicere. Quicunque in populo Christiano ad nihil aliud vacant in seculo isto, nisi circa venditiones & emptiones, rarius autem in orationibus

permanent vel aliis actibus rectis, quos quærit sermo diuinus, D ipsi sunt vendentes & ementes in templo dei, facientes domum orationis speluncam latronum. Diaconi autem qui nõ bene tractant ecclesiasticarum pecuniarum mensas, sed semper de eis fraudant, & ipsas quas dispensant, non secundum iustitiam dispensant, & diuites fiunt de rebus pauperum, ipsi sunt nummularij pecuniarum mensas habentes quas Christus euertit. Quoniam autem mensis ecclesiasticarum pecuniarũ diaconi præsunt, docent nos in Actibus suis apostoli. Cum factum fuisset, inquit, murmur Græcorum ad Hebræos, eo quod despicerentur viduæ eorum in ministerio quotidiano, *Res pauperum bona ecclesiæ.* dicentes: Non est bonum relinquentes verbum dei ministrare mensis. *Act. 6.* Eligite ergo ex vobis septem quos constituamus in hunc vsum, nos autem verbo dei incorti erimus. Episcopi autem, & presbyteri quibus creditæ sunt cathedræ, qui tradunt ecclesias quibus non oportet, & constituunt principes quos constituere non expedit, ipsi sunt qui vendunt colũbas, quorum cathedras Christus euertit. *Notã episcopi.* Vnusquisque ergo sedentium super cathedram ecclesiasticam, & amantium primas cathedras in Synagogis, videant ne forte sic sedeant in eis, vt veniens dominus eas euertat quasi dignas euersione. Et vnusquisque diaconorum qui congregant sibi diuitias, fraudantes pauperum pecunias, intelligant præsentem scripturam, vt E iam non congregent, ne forte veniens dominus euertat mẽsas dispensationis eorum. Sed & qui solicitudinibus mundialibus feruntur, semper ad venditiones & emptiones currentes, ne forte veniẽs dominus eiiciat eos de templo dei, quando eiectus nec spem habet regrediẽdi vnde eiectus est. Scrutanti mihi scripturas apparet, ne forte hæc faciat Iesus in secundo aduentu, & in futuro iudicio. Tunc enim ingressus in omnes ecclesias eiiciet vel euertet quos inuenerit secundum ea quæ diximus, templo dei indignos. Si quis autem inuentus fuerit non habens aliquid de his criminibus tribus, & inuentus fuerit esse in templo, confidat. Nec enim eiicietur à Christo, nec aliquid eius euertetur, nec exprobrabitur quasi fecerit domum orationis speluncam latronum. Puto autem & in hoc tẽpore inuisibiliter venit Iesus ad singulas ecclesias dei, & eiicit quos supra diximus dignos eiectione. Quotiescunque enim excitat tentationem super ecclesiam, venit ad eam, & visitat eã, vt faciat quod facere scribitur in hoc loco. *Tẽtationes ecclesiæ vnde.* Post hæc videamus ne forte & sic locus iste intelligi possit. Omnis enim natura rationabilis templum est dei, quæ ad hoc est creata, vt capiat gloriam dei. Hoc ergo quod est naturaliter templum dei, id est anima, implemus peccantes quibusdam quidem vendentibus, quibusdam autem ementibus cogitationibus malis, & si aliquid sanctum reliquum est in anima nostra, quod est columba. Dicit ergo ad eos qui peccant, & pleni sunt furibus cogitationibus, Domus mea, domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis eam speluncam latronum. Et F Iesus quidem eos qui speluncam fecerant latronum domum orationis, fures eiicit de templo: illi autem qui consentientes erant furibus, de Iesu quidem dixerunt, Crucifige, crucifige eum: de Barabba autem latrone, Dimitte nobis Barabbam. *Matth. 27* Propter quod vsque hodie Iudæi Iesum quidem non habẽt: nec enim crediderunt in eum: habent autem de spiritalibus nequitiis latronem Barabbam, quem iam tentum, & in carcere clausum aduersus se petierunt dimitti. Ideo princeps infidelium Iudæorum est Barabbas latro. Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos.] Quæ sunt quidem secundum simplicem intellectum, habentur manifesta. Secundum consequentiam autem prædictorum moraliter expositorum, dicendum est quoniam in templo dei, id est in ecclesia, non sunt omnes videntes, neque recte ambulantes: sed alij quidem sunt cæci, alij autem claudi. Qui ex eo quod intelligunt propriam cæcitatem: & scientes quia nullius alterius opus est nisi Christi Iesu & verbi dei vt sanentur, vt percipiant sanitatem accedentes ad verbum dei sanantur. Videntes autem principes sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Osanna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei. Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis, vtique. Nunquam legistis, Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?] Quemadmodum secundum historiam vituperabiles sunt isti principes &

G scribæ: ita & secundum ecclesiam Christi vituperabiles sunt quidam episcopi & presbyteri, qui vitam suam minime adornantes, nec induti scientia veritatis, & quidem videntes miracula Christi, nihilominus contemnunt pusillos ecclesiæ, & paruulos deum laudantes & Christum ipsius, & indignantur in eorum profectu, & accusant eos apud ipsum Iesum quasi peccantes, cum non sint peccatores: & quasi ad non audientē, neque seruantem ordinem omnem dicunt: Audis quid isti dicunt? Et hoc magis intelligere poterimus, si cognouerimus quomodo frequenter eos qui feruent spiritu, & vsque ad carcerem contra infideles luctantur, & pericula vniuersa contēnunt, & cum omni virtute continentiam & virginitatem seruare student, sunt autem imperiti sermone, coarguunt quasi incontinentes, sacerdotes vituperabiles, & culpant eos apud Iesum quasi ipsi sint iustiores talibus pueris simplicibus, & benignis, & studiosis. Iesus autem pueris quidem testimoniū præstat, sacerdotibus autem ignorantiam scripturarum imputat dicens: Nunquam legistis quod scriptum est, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?] Qui adhærent ecclesiæ, quasi nuper nati infantes, rationabile & syncerum lac desiderantes, & sugentes ipsum, laudant deum fide & conuersatione, & completur in eis quod dictum est, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Ipse enim sibi deus in talibus perficiet laudem. Pro quibus gratias agens filius patri dicebat: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quo- *Matt.11.*
H niam abscondisti hæc à sapientibus, & manifestasti ea paruulis. Etiam pater, quoniam sic fuit bona voluntas ante te.

TRACTATVS XVI.

Cap. XXI.

IN illo tempore, Abiit Iesus foras extra ciuitatem in Bethaniam, & mansit ibi. Mane autem reuertēs in ciuitatem esuriit.] Quos relinquens exiit ab Hierosolymis Iesus, & mansit in Bethania, nisi principes, & scribas, qui sciebant quidem mirabilia quæ fecit Iesus, & pueros clamantes in templo, nihilominus indignantes aduersus eos qui deum laudabant, quasi qui non intellexerunt quod fuerat scriptum: Ex ore infantium & lactētium perfecisti laudem? Et quoniam reliquit illam Hierusalem, & factus est extra eam, ideo cecidit, & lapis super lapidē ibi stare non potuit. Venit autem in Bethaniam ad domum obedientiæ, id est ecclesiam, in qua est etiam commoratus, & requieuit: eo quod non habebat in Hierosolymis, vbi caput reclinet, quæ talibus sacerdotibus & populo impio erat repleta, cum autem requieuisset in Bethania, in domo obedientiæ, post principium constituendi ecclesiam, postquam repausauit aliquantulum in ea, tunc reuertitur in ciuitatem quā pau-
I lo ante reliquerat. Et reuertens esuriit. Et vidit vnam ficulneam secus viam, arborem, populum circumcisum. Et veniēs ad eam nullum fructum manducabilem inuenit in ea, sed tātum speciem vitæ. Folia enim sine fructibus erant in ficu. Et quoniam arbor illa erat animam habens, quasi audienti dignam maledictionem suam dicit: Nunquam ea te nascatur fructus in sempiternum] Id est quam diu stat hoc seculum præsens, nūquam ex te fructus nascatur. Ideo infructuosa est Synagoga Iudæorum: & hoc erit ei vsque ad consummationem seculi, donec intrauerit gentium plenitudo. Et aruit ficulnea adhuc peregrinante in hac vita hominum Christo, & inter homines quasi homine conuersante. Et videntes discipuli mirati sunt, oculis enim spiritalibus viderunt mysterium fici siccatæ: non tantum quia siccata est, sed quia confestim siccata est, id est populus Iudæorum. Respondens autem Iesus, ait illis: Amen dico vobis si habueritis fidem, & nō hæsitaueritis, non solum idem de ficulnea facietis, sed etiam si monti huic dixeritis, Tolle te, & iacta te in mare, fiet.] Ergo discipuli Christi fideles & non hæsitantes arescere faciunt ficulneam illam, dicentes ad eam. Vobis primum missum fuerat verbum dei, sed quia indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes. Et relinquentes eam, siccam faciunt eam, cum vitalis virtus eius transierit ad gentes. Super illud autem quod poterunt siccare ficulneam adhuc discipu-

Synagoga cæca vsque ad finem sæculi.
Rom.11.

lis suis promittit, quoniam si habuerint fidem, & non hæsita- K uerint, etiam monti qui à Christo videtur & manifestatur, id est contrariæ potestati extollenti se contra homines dicent, Tolle te, & mitte te in mare, & fiet. Tollitur enim à singulis qui adducuntur ad fidem verbo discipulorum Christi, altitudo illa malitiæ, mons ille Satanas, & mittitur in mare, id est *Psal.103.* abyssum dignum se locum. De quo mari dicit in Psalmo. Hoc mare magnum & spatiosum, illic naues pertransibunt, animalia pusilla cum magnis, Draco iste quem formasti ad illudendum ei. Item. Tu confregisti capita draconum super aquas, & dedisti eum escam populis Æthiopum. Ipsa autem est Betha- *Ioan.11.* nia, vbi ex mortuis suscitatus amicus Christi Lazarus morabatur. Et omnis qui obedit verbo dei confirmato, & commoranti in se, Bethania est, & domus obedientiæ, & commoratur Christus in eo, & requiescit. Et forsitan simplices dicūt de eo quod scriptū est, Relictis illis abiit in Bethaniam: quomodo enim poterat fieri extra ciuitatem nisi reliquisset priores apud quos fuerat prius? Sapientiores autem auditores dicunt: Non omnes reliquit priores quando fit apud alios, sed malos quidem & peccatores reliquit. Quando fuerit apud iustos, fiet & apud alios post illos, & cum illis. Nam & in Bethania commorans Iesus, non relinquens Bethaniam venit in ciuitatem: erat enim in Bethania, & venit in ciuitatem. Esurit autem Iesus semper in iustis, volens manducare fructum spiritus sancti in eis: & sunt eius escæ, vt ita dicam, ficus quas esuriens edit, id est, L charitas eius qui eam fructificauit, qui primus fructus est spiritus sancti, & gaudium, & pax, & patientia, & reli- *Gal.5.* qua. Quæ quidem quamdiu fructificamus, non arescimus. Si autem venienti domino, & quærenti huiusmodi fructum vt manducet in nobis, non exhibuerimus, dicet ad nos. Nunquam ex vobis fructus nascatur in sempiternum. Et vide quoniam secus viam erat hæc ficus, quæ folia tantum habuit sine fructu: Sic enim & terra quæ secus viam *Matt.13.* est, licet fuerit seminata, nullum fructum producit, diripientibus volucribus semina seminata. Quandiu ergo non venit Iesus ad aliquam ficum, nec quærit fructum eius, sed patienter agit, & sustinet si forte proferat fructum, non exiccatur. Si autem venerit esuriens, & fructum requirens, & inuentus fuerit aliquis nihil iustitiæ habens, nisi professionem tantummodo fidei, quod est folia sine fructu, mox exiccatur, etiam hoc ipsum quod videtur fidelis amittens. Et est multos in ecclesia videre tales, qui multo tempore portauerunt fidei nomen, ostendentes tantummodo quia viuunt, omnino autem sunt sicci. Quos quia non fructificabant, videmus recedentes à verbo dei ad plenum, & siccos. Quem talem cum viderint discipuli siccum, mirantur, dicentes: Quomodo confestim siccata est? Adhuc manifestius de hoc ipso dicamus: quomo- M do in tentationibus petit fructum Iesus à ficulneis quas plantauit, id est in persecutionibus confessionem & testimonium quærit fidelium. Et cum mulier meretrix insa- *Gene.39.* niens excitata fuerit super aliquem, quærit in eo Christus fructum continentiæ. Quem protulit & Ioseph, cum fureret eius domina super eum. Et sic in singulis quibusque tentationibus intellige Christum venire ad Christianos in tentationibus esurientem & fructum virtutibus quærentem. Qui autem non fuerit præparatus vt exhibeat fructus esurienti, aut confessionis, aut castitatis, confestim siccatur. Qui enim denegat in persecutione, siccatur. Similiter & qui fornicatur siccatur, quamuis ostensione fidei quam antea baiulabat, quasi foliis coopertus. Et super tales mirantur discipuli quomodo mox siccantur. Et frequenter per multos annos quis constitit ficus, & non est siccatus, veniente autem in vltimo vitæ eius ad eum Christo, videlicet in tentationibus, & quærente fructum in eo, & non inueniente, siccatur, & tantorum annorum perdidit subito vitam. Et hoc fit, vt impleatur sermo dominicus di- *Matt.13.* cens: Qui habet dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & ipsum quod habet auferetur ab eo, vt non sit otiosum quod habet. Et vnusquisque discipulorum si habuerit fidem, & non hæsitauerit, & ficum arescere facit, & quod sequitur eum. Et est operis demonstrare, quomodo

A modò Christi discipulus quærens fructum in ficu, & non inueniens dicat ad eam, Nunquam ex te fructus nascatur in æternum, vt cõfestim siccetur. Vtputa, pone mihi aliquem quæ sunt quidem fidei profitentem, & pronunciantem se in nomine Iesu manducare & bibere coram ipso, & Iesum in plateis cordis eius docuisse: ita veniat discipulus Christi quærens fructum sapientiæ & verbi in eo secúdum professionem docendi quæ Dei sunt: quærens & scrutans eum per verbum, nullum inueniat fructum in eo: & ideo manifestum faciens eum vidétibus vacuum à Christo exhibeat per verbum, quoniam non est possibile aliquẽ fructum fieri in eo in sempiternum qui ex arbitrio læsus est. Sicut & Petrus dixit ad Simonem, *Act. 8.* arefaciens eum qui videbatur Christi professor: Pecunia tua tecum sit in interitum, quoniam donum Dei existimasti te per pecuniam possidere. Cor enim tuum non est rectũ coram Deo. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse. Et melius est fallacem ficum quæ viuere existimatur, non autem fructificat quasi viua, arguatam quia est infructuosa siccari verbis discipulorum Christi, & fieri manifestam: quàm vt furetur dum viuere existimatur, per figmentum professionis innocentium corda, & eorum qui facile seducuntur à talibus. Arbitror autem & in vnoquoq; infideli & iniquo montem esse secundum mensuram infidelitatis & iniquitatis ipsius, qui verbis discipulorum Christi tol-B litur & mittitur in mare tormentorum eius. Et omnia quæcunque petierint in oratione credentes discipuli Iesu percipient, quasi discipuli Christi, nihil quod non oportet petẽtes: & quia credentes magistro nihil aliud petunt nisi magna & cœlestia, sicut ipse dicit ad discipulos suos: Petite magna, & minima vobis adiicientur. Petite cœlestia, & adiicientur vobis terrena. Marcus autem in hoc eodem loco scribens, aliud aliquid quantum ad textum adiecisse videtur: dicens, quoniá videns Iesus ficum de longe habentem folia, venit quasi inuenturus aliquid in ea. Cum venisset autem & nihil inuenis-*Mar. 11.* set nisi folia tantum, nec enim erat tempus ficuum, respondẽs dixit ad eam: Nunquam ex te in æternum quisquam fructum *Quæstio.* manducet. Dicet aliquis. Si non erat tempus ficuum, quomodo venit Iesus quasi inuenturus aliquid in ea? Et quomodo iuste dixit ad eam, nunquam ex te quisquam fructum manducet? Contra hæc respondemus, quoniá numerati ab apostolo *Gal. 5.* fructus spiritus sancti hi sunt, Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continẽtia. Hi omnes aliquando in tempore suo redduntur. Melius autem est, quando circumstantibus aduersariis, & prouocantibus ad nõ fructificandum, potuerit aliquis propterea quod satis est prodificatus in verbo, nihilominus proferre spiritus sancti. Quod autem dico tale est. Vnus de fructibus spiritus sancti charitas est. Huius tempus est quando non est difficile fructum reddere charitatis & diligere diligentem: & est quidem fructus iste spiritus sancti, tamen in tempore suo. Si autem aliquis excitetur ad odium fidelis constitutus, & circumueniatur, & insidias patiatur, & diligat insidiantem sibi: aut certe si fuerit aliquis male moratus & odio dignus, ille iustus nec hunc talem odiat, sed quasi filius eius qui so-C lem suum oriri facit super bonos & malos, etiam tunc cum *Matt. 5.* diligat: vtputa non in tempore ficuum fructum dans charitatis, beatus est. Similis & de gaudio potest esse tractatus. Qui profert fructum gaudij, nullo eum ad tristitiá prouocante. Quando autem præsentia prouocant eum ad tristandum, vel ad pusillanimitatem, prouocatus autem ille per verbum in tantum proficit, vt etiam in tempore tristitiarum gaudeat, & in tempore opprobrij vel castigationum glorietur & in omni tempore periculis memor sit eius quod dictũ est, Semper gaudete, beatus est huiusmodi Christianus fructum gaudij ferens, etiam non in tempore ficuum. *Phil. 4.* Similiter in omnibus fructibus sancti spiritus est tractandum. Vult enim Christus fideles suos meliores esse humana omni natura, & exigit eos supra naturam, & (vt dicam) opera Dei magis quàm hominum. Propter quod hominibus dicit, quoscunque ad beatitudinem vocat: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Arguens autem eos qui nolunt esse *Psal. 82.* dij, nec filij esse excelsi: Vos autem sicut homines moriemini. In singulis enim quibusque peccatis quando sumus carnales, & secundum hominem ambulamus, nihil operamur D nisi vt moriamur. Et verum est quia si secundum carnem vi-*Rom. 7.* uimus moriemur, sicut docet Apostolus.

Tractatus. XVII. *Cap.* XXI.

N illo tempore cum venisset Iesus in templũ, accesserũt ad eum docenté principes sacerdotum, & seniores populi, dicentes, In qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potesta-*Matt. 21.* tem?] Tribus Euangelistis idipsum quasi ne-*Mar. 11.* cessariũ conscribentibus, dignum est videre quid intelligẽtes *Luc. 20.* principes sacerdotum, & seniores populi interrogauerũt Iesum, non vná interrogationẽ, sed duas proponẽtes: vná quidem, In qua potestate facis hęc: alteram autẽ, Quis tibi dedit hanc potestatem: & quid volẽs dominus propter hoc solum cõtra interrogauit, vt ne responderet ad interrogationẽ eorũ. Quod autẽ nõ (sicut arbitrantur quidam) simplex est intellectus loci istius, & facilis, sed mysticalis & altus, manifestum *Duæ potestates.* erit ex eo quod ostendemus. Dicunt enim simpliciores quoniam sciẽtes duas esse potestates, vnam quidem Dei, alteram autẽ diaboli, principes sacerdotũ & populi seniores interrogabant in qua ex duabus his potestatibus vna prodigia facie-E bat, & à quo eam accepit. Ita dominus vt ne ad interrogata eorum daret responsum, interrogauit econtra, simul vt interrogantes argueret, quasi qui nõ rectè fecerunt credere nolentes Ioanni: & vt abiceret interrogatores indignos à suo responso, vt videretur eis rationabiliter non respondere. Sed dicet aliquis contra hæc, quia ridiculum erat interrogare, in qua potestate hæc faceret Iesus. Nec enim poterat fieri, vt responderet qua in potestate diaboli. Et non dicam, Iesus hoc non responderet, sed nec ipse homo peccati, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, responderet quod erat verum, quoniam in po-*2 Thes. 2.* testate diaboli facit omnes virtutes, & signa, & prodigia, quibus seducat si possibile est, & electos Dei. Si ergo nec ille diceret se in potestate diaboli facere signa & prodigia mendacia in omni seductione iniquitatis his qui pereunt: quanto magis dominus & Saluator nequaquá etsi non interrogasset econtra, aliud aliquid responderet, nisi in potestate Dei? Ad talem ergo manifestissimá rationẽ horum, & illos interrogare, & Christũ non respondere, satis vtile mihi videtur. Si quis autem dicat, quoniam non interrogabant principes vt audiẽtes discerent, sed vt illũ terrerent: vtputa, si facit aliquis quod nobis non placet in nostris, dicimus ei, Quis te iussit hoc facere: non volentes audire, sed eum terrentes, vt ille sciẽs quia nemo eum iussit, recedat ab actu: sic & principes interrogabant dominum terrentes potius quàm interrogantes, vt ille quasi sciẽs se non in potestate Dei hoc agere, cessaret ab opere. Sed quid quod & Christus ita respondit: Dicite mihi vos hoc, & ego vobis dico in qua potestate hoc facio.] Quod núquam diceret Iesus, si eos non discendi causa, sed terrendi, in- F terrogare sensisset. Vide ergo ne forte intelligatur sic hic lo-*Potestates* cus. Sunt potestates diuersæ, quæ generaliter quidẽ sunt duæ; *diuersæ.* vna ex parte Dei, altera ex parte diaboli: Specialiter autẽ plu-*Col. 1.* res & incõparabiles. De quibus Apostolus Christum glorificans, scribit ad Collossenses, dicens omnia in eo esse secreta quæ in cœlis sunt & in terris, siue visibilia, siue inuisibilia, siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Non dixit vnum principatum, aut vnam dominationem, aut *Eph. 6.* vnam sedem, aut vnam potestatem, sed multas. Et sicut sunt in parte Dei, ita sunt, in parte diaboli multi principatus, multæ potestates, sicut testatur Apostolus dicens: non est nobis colluctatio cum carne & sanguine, sed aduersus principatus, & potestates, aduersus rectores huius mundi tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Ego autem arbitror, quoniam & omnia eorundem nominum sunt apud diabolum, quæcunque sunt apud Deum: & est forte potestas ex potestatibus vniuersis, quæ ipsi Christo ministrat, alia autẽ quæ prophetis cooperabatur facientibus signa: *Gradus faciendorum miraculorum.* & non omnibus vna potestas, sed alia forte istis, alia autem illis secundũ dignitatem fidei eorũ, quam solus sciebat Deus. Et neque omnibus virtutibus faciendis vna eadémque po-

f

G testas cooperabatur, sed in quibusdam quidem hæc, in quibusdam auté alia: & ad res forsitan inferiores, inferior: ad res autem eminentiores, eminétior. Principes ergo sacerdotum, & seniores populi cognoscétes plura de potestatibus, & gradibus sacramentorũ cœlestium, siue ex traditione maiorum, siue de secretis quibusdam, vtrum autem rationabiliter, aut irrationabiliter excitati videbant Iesum multa prodigia faciétem non sine potestate aliqua ei subiecta: & ideo potestatis illius speciem & proprietatem volebant audire à Christo. Et si quidem fuissent principes sacerdotum aliqui sancti, qualis fuit Aaron, vel Eleazar, vel Phinees, vel quicunque eorũ qui bene functionem suam consummauerunt, quasi non tentantibus, sed discere cupientibus, & dignis huiusmodi scientia, sine dubio declarasset mysteria potestatum, & differétias earum, & de contrariis potestatibus rationem & differentias earum manifestasset. Quoniam autem illi principes sacerdotum, & populi seniores non fuerant digni talia audire mysteria, propterea non eis dat responsum, sed contra interrogauit, vt propter hoc quod non respondent ad interrogationem sibi propositam de Ioanne, rationabiliter nec ipse respondeat eis. Quæro autem si vnusquisque eorum qui signa fecerunt in aliqua potestate, vtrum in vna fecerunt semper, aut in primis quidem in ista, proficientes autem in alia potestate maiori. Tamen saluator videtur in vna potestate vniuersa fecis-
H se, quam accepit à patre. Nam hoc quod respondet, dicens: Nec ego vobis dico in qua potestate facio hæc: docet quoniam in potestate quidem vna fecit: in quali autem potestate non declarauit, nec proprietatem eius manifestauit, nec eminentiam quam habebat illa potestas super alias potestates in quibus ante eum prophetæ fecerũt virtutes. Et nunc in templo ecclesiæ Christus habetur, & docet in ea, & sunt quidam principes sacerdotum similes principibus illis, & seniores similes senioribus illis, & interrogant Iesum, & non accipiunt responsum ab eo, quia non sunt digni scire quę cupiũt. Item quæro, vtrum volens eos Iesus à se remouere, fortuito hanc eis interrogationem proposuit de Ioanne, tanquam si aliam quancunque interrogationem proposuisset, aut necessariè propter vtilitatem eorum de Ioanne specialiter eos interrogauit. Et mihi videtur quoniam non fortuito hoc eos interrogauit, sed quia Ioannes fuerat vox clamantis in deserto, parate vias domini, rectas facite semitas eius. Et hic erat de
Esa.40. quo Deus per prophetam dicebat: Ecce mitto angelũ meum
Matt.3. ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Propter
Malach.3. hoc (existimo) interrogauit de illo, non quidé ignorans quoniam cogitantes dicturi fuerant, Nescimus, secundum quod scriptum est, sed quantum ad se significantes quasi ex hominibus esset. Ita quasi respondentibus illis quoniam ex homi-
I nibus erat, consequentem parabolam introducit.

Tractatus XVIII. *Cap.* XXI.

IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam habuit duos filios. Et accedens ad primum dixit: Fili, vade hodie operari in vineam meam & reliqua.] Solus Matthæus hanc parabolam scribit, sicut mihi videtur, continenté Israël non credenté verbis Dei, & de populo credituro ex gentibus. Isti sunt enim filij duo quos habuit Deus, quasi homo moré hominum gerens. Hic ergo accedens ad primum quem acquisiuit in primis, quem pręcognouit, & præfiniuit, dixit ad eum. Fili, vade hodie, & operare in vineam meam.] Et distulit, fugiens hanc vineam propter ęstum qui habetur in ea & labores, & dixit, Nolo, Postea circa consummationem pœnitens quod dixerat patri suo, nolo, venit in vineam, & operatus est voluntaté patris. Quando autem primus respondit nolo, accessit pater ad alterum, & similiter dixit. Secundus quidem respondit, Etiam domine: non autem venit ad vineam verbi, & in agrum patris. Et manifestum est quoniam qui dixit nolo, postea autem compunctus abiit & operatus est in vinea, voluntaté patris impleuit non verbis, sed factis. Qui anté ver-
De Iudæis bis promisit, non auté fecit, operibus negauit voluntatem fa-
& gẽtibus cere patris. Vide auté si potes vnã parabola ista ad eos qui mo-
parabola. dicum quidem aut nihil promittunt, neque virginitatem, neque alium secundum Euágelium spiritalem actum, operibus K
auté ostẽdunt quod nec ab initio vsq; ad verbũ promiserũt. *Votum vir-*
E contra eos qui magna promittunt, nihil auté secundũ pro- *ginitas.*
missioné suam huiusmodi agunt. Dicit enĩ aliquis: Virginitas super me est, propter quod nolo eá: & maius est quàm virtus mea abrenunciare hanc vitá, & vacare spiritalibus verbis: & postea recogitans ad meliora se tradit quàm profiteri videba-
tur in primis. Alij auté audacter multa promittunt, operibus *Profiteri.*
auté cõtraria suis promissionibus agũt. Post parabolam auté dicit de eo qui dixit nolo, postea auté recogitauit, & sic abiit, Amen dico vobis, quoniá publicani & meretrices pręcedunt vos in regno Dei.] Ad eum auté qui dixit, Vado domine, & nõ abiit, hoc refert. Venit Ioánes ad vos in via iustitię, & non credidistis ei.] Iterum de primo quidé, Publicani auté & meretrices crediderunt ei. Ad eum auté qui dixit, Vado domine, & non abijt: Vos auté videntes nec pœnitentiá egistis, vt crederetis ei. Considera & illud quod ait, Pręcedunt vos in regno Dei: quoniá non exclusit Iudęos, vt non ingrediantur aliquando in regnum Dei. Nemo enim dicitur pręcedere eum
in aliquo loco, qui non sequitur eum per ipsum locum, Vide L
ergo ne forte hoc indicet sermo, vt cũ plenitudo gẽtium in-
trauerit, tunc omnis Israël saluus efficiatur. Intellige auté mi- *Rom.11.*
bi Israëlitas qui non secundũ carnem sunt, sed qui ingenuitate animę Israel intelliguntur in fide & operibus bonis.

Tractatus XIX. *Cap.* XXI.

IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolá hanc. Homo erat paterfamiliâs, qui plantauit vineam, & reliqua.] Qui non abundantius discutiũt
Parabolam hanc, neque singula verba scrutantur, *Breuis pa-*
satis manifesta videntur, si hoc modo intelligatur. Populus *rabola ex-*
qui fuit ante nos cum esset pars Dei, qui plantatus est à Deo, *plicatio.*
vinea fuit Dei. Custodia autem Dei quę extitit circa eam, fuit sepes ipsius Turris autem, templum. Torcular autem, locus libationum. Coloni autem, sacerdotes, & sapientes populi. Peregrinatio vero domini, quando dominus qui fuerat cum illis in nube diei, & in columna ignis per noctem, donec plátaret eos introducens in montem sanctum suum, & in tabernacula sua, nequando postea similiter apparuit eis. Tempus autem appropians fructuum petédorum, tempus extitit prophetarum exigentium à colonis & à vinea ipsa, vt ostendant qui acceperunt legem, si secundum eam vixerunt. Serui autem missi ad colonos ad fructus accipiendos, prophetæ qui prius fuerunt: quos principes & sapientes populi iniuriauerunt, cædentes quosdam, & occidentes, & lapidantes. Alij autem serui plures post eos tempore prophetarum multorũ, quorum nomina in secũdo Paralipomenon sunt conscripta, & in Hieremia, & in duodecim, & in Daniele. Dicet autem aliquis, & Ananiam, & Azariam, & Misael, prophetas fuisse temporis eius. Et his ergo plurimis similiter sunt abusi cædé-
tes, & occidentes, & lapidantes. Nouissime autem misit pa- M
terfamiliâs filium suum Iesum Christum, qui poterat reuerentiam eis incutere. Sed principes sacerdotum, & seniores populi, & prudétes, videntes, filium, non omnino insensati existentes eminentiæ suæ hæredem eum esse intellexerunt. Ausi sunt autem interficere eum, vt ipsi efficerentur domini super vineam illam, & eiicientes eum extra res Israëlitarum, foris eum iudicantes esse interfecerunt. Dominus autem qui statim rediit, quem occiderunt, venit resurgés à mortuis & malos quidem colonos male perdidit, aliis autem colonis, id est apostolis vineam suam consignauit, id est eos qui ex Iudaico
populo reliqui crediderunt, qui darent in tempore suo fru- *Psal.117.*
ctus domino suo. Item docet eos ex prophetia, quoniam ab istis quidem ædificatoribus reprobatus est, à Deo autem electus, & caput totius ædificationis, & caput mirabile factus in oculis eorum qui possunt eum videre, ita prophetans gentiũ fidem, dicit nõ credétibus sibi doctoribus Iudæorũ, Tolletur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus suos.] Ad
quàm multa quis spiritalis constitutus, & ad discutienda om- *Exegesis pa-*
nia paratus poterit dicere, pulsans obscuritatem eius, id est *terfamilias.*
ostium clausum, & quærens inueniet: & nos secundum mediocritatem nostram talia suspicamur in loco: quoniá paterfamiliâs

A familiâs homo Deus est, de quo scriptum est: Morigeratus est dominus Deus tuus, quemadmodum si homo morigeraretur filium suum. Sic enim eo quod morigeratur homines, vt hominum prodificet mores, in quibusdam parabolis dicitur homo, quemadmodum si pater cum paruulo filio suo colloquatur infantia, vt descendat ad verba filij sui, & morigeretur eum. Propterea puto, omnes iustitiæ quas tradidit Deus hominibus, quasi pueriles sunt quantû ad proprias iustitias Dei.

Vinea.

Quæ est ergo vinea alia præter colonos priores & secundos, quam plantauit paterfamiliâs? Quæ ista vinea primum quidé tradita est iniuriosis colonis, postea autem aliis colonis facientibus fructum eius in tempore suo, secundum quod dominus ait: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti faciêti fructum eius. Putas ergo id ipsum debemus dicere regnum Dei, & vineam quæ colitur à colonis prioribus & datur alteri genti? aut aliud quidé debemus existimare vineam, aliud autem regnum Dei? Videamus ergo primum probâtes de scripturis, quoniâ vinea appellatur populus, si omnia eius secundum huiusmodi expositionem valeans conuenire. Dicit enim Esaias, Cantabo nunc dilecto canticum, dilectæ vineæ meæ. Vinea facta est dilecto in cornu in loco vberi, &

Esa. 5.

B sepe circundedi, & circinaui eam & plantaui vineam Sorech & ædificaui turrim in medio eius, & torcular fodi in ea, & expectaui vt faceret vuam, fecit autem spinas. Et post aliqua sic. Vinea enim domini Sabaoth domus Israel est, & homo Iuda, nouellum dilectum. Protuli itaque canticû Esaiæ, volés considerare secundum parabolam hanc, si secûdum illam vineam, & hæc vinea intelligi possit. Et vide quoniam quędam quidem similia habent, alia autem dissimilia: vt videns differentias similium ad similia, discas sensum scripturę. Simile est ergo quod ait: Plantauit vineam, & sepe circundedit eam, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim. Dissimile auté, quoniam in Esaia quidem ipsam vineam accusat plantator, dicens: Expectaui vt faceret vuam, fecit autem spinas. In Euangelio autem manifeste non vinea accusatur, quasi quæ non dederit fructus in tempore suo, sed coloni qui susceperunt, & patrisfamiliâs seruos contumeliis affecerunt diuersis: nouissime & ipsum filium patrisfamiliâs occiderunt. Iterum in Esaia ipsi vineę minatur dicens: Auferam sepem eius & erit in rapinam, & destruam maceriam eius & erit in conculcationem, & cętera. Sed & nubibus promittit se mandaturum, vt ne super vineam pluant illam quę fuit secundum prophetam domus Israel, & homo Iuda, qui nullum fructum fecerunt. In Euangelio autem vineam non inuenimus aliquid patientem, sed adhuc prouisionem Dei consecutâ, vt possit fructus suos paterfamiliâs dare. Ablata est enî à colonis impiis, & data genti meliori. Coloni auté omné suscipiunt iram. Dicentes enim, cû venerit paterfamiliâs malos male perdet, siue

Eu. Esa. hoc Euang. dissimilia.

C ratione verbi coacti, & côsequentia parabolę, siue nolentes prophetauerunt de se, quoniâ cum venerit, malos male perdet, & vineæ prouisioné faciens, aliis eam dabit colonis. Item consequenter & Hieremias dicit ad populum: Ego plantaui te vineam fructiferam omné veram, quomodo conuersa es in amaritudinem vineę alienę? Vides ergo quoniâ in prophetis populus Iudaicus vinea appellatur, & côminatio patrisfamiliâs contra vineam fit: in euangelio autem omnino vinea non culpatur, sed eius coloni. Sed qui vult euangelica verba caute côsiderare, nequaquam poterit clariter approbare, quoniam vinea populus est. Sed ne forte secundum euangelium vinea regnum est Dei, id est doctrina quę prouidentiâ habens Dei, scripturis inserta est sanctis. Quod enim dicit, tolletur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius, manifeste sicut arbitror demonstrat mysteria regni Dei vineâ esse, id est legem, & prophetas, & omnes diuinas scripturas, quas tradidit dominus vineæ primum quidem colonis populo illi priori, quoniam & primis credita sunt eloquia Dei, secundis autem gentibus facientibus fructum: cuius vineæ sepes nihil tale patitur, quale scriptum est in propheta dicente: Auferam sepem eius & erit in rapinam. Vide ergo ne forte naturali ratione, vineam possimus dicere eloquia Dei. Consequenter autem secundum eandem naturæ rationem vitam reprehensibilem hominum & mores speciosissimos fructus ipsius vineæ: ipsas autem scripturas, & literas scripturarum, esse vineæ

Hier. 6. & 11.

Rom. 3.

Esa. 5.

Altera vinea & partiû eius expositio.

sepem extrinsecus circumpositam, vt non videatur vinea ab D eis qui foris sunt, maxime fructus eius qui sunt in abscondito. Profunditas autem eloquiorû Dei, torcular esse vineæ eius, in quâ qui profecerût de eloquiis Dei, & facti sunt perfecti fructus eorû, infundût studia sua quasi fructus quos de ipsis eloquiis colligunt. Turrim autem ædificatam in ea, ascensum habentem, & eminentiâ, & altitudinem super vineam ipsam, & sepem & torcular, existimo verbû esse de ipso Deo, & de dispensationibus Christi, & templû diuini sensus qui habentur in eo. Et de tali turre puto dicere saluatoré in eo loco euangelij. Quis vestrû volens turrim ædificare, non prius computat si potest prius ponere fundamentum, & consummare, ne forte incipiant videntes deridere eum qui non côsummauit: quoniam qui vult dicere de Deo, debet considerare si potest incipiés omnia quę quęrûtur circa Dei expositionem côsummare: ne forte incipiés dogmata pietatis, imperfectam relinquat turrim verbi de Deo, & coronam nô superædificet ei. Si enim non ędificauerit ei coronam, cadet aliquis ab intellectu E Dei scandalizatus, & morietur. Hanc vineâ tradidit colonis, id est populo ante nos, tam sacerdotibus quàm laicis, & profectus est ad suam profectionem, dans occasiones colonis ex eo quod ipse plantauit, & circumposuit sepem, & fodit torcular, & ędificauit turrem, proferendi fructus, cum appropinquasset tempus fructuû. Appropinquant enim & secundum vnumquęque quidem tempora fructuû, puto autem generaliter populo vniuerso. Appropinquationem autem temporis fructuum exponere vere sicut est, supra nostrû ingenium est, & cordis est mundioris. Tamen secundû virtutem nostrâ incipimus hoc modo incipiétes secundum vnumquenq; hominû. Ergo intellige mihi in vnaquaque anima, quasi vinea verbum Dei plantatû. Vinea enim occasiones sunt omniû propositionum quę necessarię sunt ad saluté. Sicut ergo in vinea est aliquod tempus quando principiû fructus demôstrant, & aliud quando florent quæ sunt demonstrata, & aliud quando acerbescunt fructus, & aliud quando variant, & aliud quâdo vindemiandi est tempus fructus perfectos, & paratos ad prębendum vinum. In omnibus itaque primum vitæ tempus est infantia, & tunc vinea nihil ostendens, nisi tantum habens in se vitalem virtuté. Cum auté cœperit posse loqui, tempus est generationis. Quantû auté proficit anima pueri operata, tantum & vinea quę operatur in ea, id est verbum Dei naturaliter implâtatum proficit, & producit indicia botrionum futurorum florentium quidem adhuc, & odorem suauitatis futuræ virtutis in primis dantium. Postea autem & acerbescût, quando malitia quidem est in iuuentute non autem permanet, sed necessitate superueniens est propter ætatem, sed vt ita dicam semper ad virtutem pergens. Quam si quis manducauerit, secundum prophetam obstupescere facit dentes: si autem nô ea fuerit vsus, sed semper quasi per aliquam viam adducat eam ad virtutem, ex parte incipit variare, non autem F & vnam habet perfectam. Est autem & post perfectum status aliquis studiosus, quando vinea operata fructum profert maturum, & studiosos botriones, diuersos, atque perfectos charitatis, & gaudij, & pacis, & longanimitatis, cæteratúmque virtutum quas Apostolus refert, & multæ scripturę. Est enim aliqua botrio secundum quod scriptû est: Beati pauperes spiritu: & altera, Beati qui lugent: & alia, Beati mansueti: & alia, Beati pacifici: & alia, Beati mundo corde. Et quid necessarium est dinumerare singulas beatitudinum causas, quasi diuersas botriones? Hæc autem diximus volentes ostendere quid sit quod ait: Cum autem appropiasset tempus fructuû.] Patrisfamiliâs autem solius est cognoscere vere quâdo vniuscuiusque hominis tempus appropiat, vel quando ádhuc longe est fructuum tempus. Et nos si abundanter consideremus comparationem facientes temporum ex quo sumus vocati ad omne tempus fidei nostræ, poterimus videre quomodo quidam cum deberent esse magistri secundum tempus, iterum opus habent doceri qualia sunt elementa principij eloquiorum Dei. Sic cum deberent quidam quantum ad tempus dispensationis Dei, & secundum vocationem omnium, iam fructus afferre, aut omnino non habent: aut cum deberent habere perfectos, habent extra tempus florentes, & non in tempore suo acerbos. Si autem intellexisti in singulis qui-

Torcular.

Turris.

Luc. 14.

Puto legen. dû domata.

Tempus fructuum.

Hier. 31.

Gal. 5.

Matt. 5.

Heb. 5.

G busque hominibus quomodo oporteat intelligere quod dicitur: Cum autem appropiasset tempus fructuum, transi ad populum illum, qui tunc acceperunt legem per Moysen, quoniam & illis tempus fructuum appropiauerat aliquando. Et misit seruos ad priores colonos quibus credita fuerant eloquia Dei, vt acciperent fructus vniuscuiusque vitis. Facile quidem est dicere quoniam seruos dicit prophetas, sed quærere conuenit quomodo mittuntur ad colonos accipere fru- *Serui.* ctus vineæ. Dicit enim aliquis, quoniam non ad accipiendos fructus mittuntur prophetæ, sed operari magis. Vide ergo si possumus dicere, quia spiritales fructus, & diuinæ oblationes dantur ab iis qui coluerant vineam, prophetis transmissis vt offerant quasi sacerdotes Deo populi fructus. Sed accipientes coloni ex populo illo, alium quidem ceciderunt, sicut *3.Reg.23.* Michæam percutiens in maxillam Sedecias filius Chanaan, *Matt.23.* quando & dixit ei prophetanti pseudopropheta: Qualis spi- *2.Para.24* ritus Dei qui locutus est in te? Alium autem occiderunt, sicut Zachariam inter templum & altare. Alium lapidauerunt sicut Zachariam Asariam filium Ioiadæ sacerdotem, sicut in *Ibidem.* secundo libro Paralipomenon positum est. Cum spiritus Dei induisset Aasariam filium Ioiadæ sacerdotem, surrexit super populum, & dixit: Hæc dicit Dominus. Quare præteritis mandata domini, & non prosperabimini? Dereliquistis dominum, & derelinquet vos. Et superpositi sunt ei, & lapidauerunt eum per mandatum Ioas regis in atrio domus domini, & non est recordatus Ioas misericordiam quam fecerat H cum eo Ioiada pater ipsius, & mortificauit filium eius. Et cum moreretur dixit: Videat Dominus & iudicet. Iterum misit plures prioribus, & fecerunt eis similiter. Plena est omnis scriptura eorum quæ acciderunt prophetis, quos misit ad populum vt fructus eorum offerāt per orationes suas Deo quasi sanctissimi sacerdotes. Nouissime autem misit filium suum, dicens: Reuerebuntur filium meum.] Quæres autem quomodo Deus quidem mittens filium suum, dicit: Reuerebuntur filium meum, quasi qui non præsciebat quod ei fuerat euenturum. Nec enim videntur secundum textum præsentem Iudæi reueriti eum, & inuenitur in hoc Deus nescisse futurum. Sed dicere aliud esse factum impium est: iterum dicere quoniam reueriti sunt eum coloni, falsum est. Coloni enim videntes filium dixerunt apud se, Hic est hæres, venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas.] Nisi forte hoc modo soluamus. Sicut enim quasi de omnibus Iudæis occisoris Christum sic dicit generaliter, Coloni autem dixerunt, Hic est hæres, venite occidamus eum. Et tamen non omnes Iu- *Quinā Iudæorum occiderunt Christum, & qui non.* dæi occiderunt Christum, sed qui secundum carnem fuerunt Iudæi. Secundum spiritum autem Iudæi non occiderunt Christum, sed crediderunt in eum. Sic generaliter quasi de omnibus colonis dicit, reuerebuntur filium meum: & tamen non omnes illum reueriti sunt, sed illi tantummodo qui se- I cundum spiritum fuerunt Iudæi, qui crediderunt in eum: vt illud quidem quod ait: Reuerebuntur filium meum, videatur impletum in illis Iudæis qui intelligentes Christum crediderunt in eum: hoc autem quod dictum est, Hic est hæres, venite occidamus eum, in illis impletum sit qui videntes Christum, & cognoscentes filium Dei, nihilominus occiderunt eum. Simul autem quæret aliquis qui sint isti coloni, qui di- *An Iudæi cognouerit Iesum esse Christum.* xerunt: Hic est hæres, venite occidamus eum. Nec enim videntur Iudæi occidisse eum quasi filium patrisfamiliâs Dei. Econtra hoc aliquis dicit: quando loquebantur ad alterutrum quis esset, quidam dixerunt: Hic est Christus. Ad quos *Ioan.7.* alij responderunt: Christus cum venerit, nemo scit vnde sit: hunc autem scimus vnde est, ita quoniam per signa & prodigia compuncti, intellexerunt quidem eum esse Christum, non autem & confessi sunt. Recognoscens autem aliquis & quæ scripta sunt de Herode, cum didicisset à Magis natum esse regem Iudæorum, videbit quoniam qui occiderunt Christum cognoscentes quia filius Dei erat, nihilominus ausi sunt contra eum. Nam & Herodes condiscens à scribis, quoniam in Bethleem nascitur Christus, & consentiens quoniam Christus erat qui nascebatur, promittit quidem, dicens: Ite *Matt.2.* & requirite caute de puero, vt & ego veniam & adorē eum. Nihilominus autem ausus est contra puerum, credens quia Christus erat. Nec enim si non credidisset, omnes occidisset infantes in Bethleem à biennio & infra, secundum tem- K pus quod didicisset à Magis. Sic & cæteri Iudæi cognouerunt quidem eum secundum quæ diximus: cognoscentes autem non diuulgauerunt, vt sermo eorum etiam ad alios perueniret: sed quasi qui non cognoscerent, eiecerunt extra vineam filium, & occiderunt eum. Quod autem dicit: Eiecerunt eum extra vineam, tale mihi videtur: quantum ad se, alienum eum esse iudicauerunt à vinea & colonis, quando sententiam mortis contra eum tulerunt. Et dixit eis Iesus: Cum venerit paterfamiliâs, quid faciet colonis illis?] Responderunt ore proprio iudicari, quòd malos male perdet, & vineam dabit aliis agricolis. Aut enim prophetant *Prophetāt sacerdotes Iudæorū et pharisæi.* quemadmodum Caiphas sacerdos, qui non ex se dixit verum, sed quia sacerdos fuit anni illius prophetauit: sic & isti non ex se prophetauerunt contra se, quoniam tollenda eis erant eloquia Dei, & gentibus danda fructum in tempore suo daturis. Dicit illis Iesus. Nunquam legistis in scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?] Quoniam ergo putabant se esse ædificatores populi sacerdotes illi, cum non essent ædificatores probabiles: nec enim si fuissent probabiles lapidem huiusmodi reprobassent: tamen dicit illis de scripturis, quoniam lapidem se constitutum & reprobatum ab eis Pater collocauit in totius ædificij caput, vt comprehendat duos angulos veteris testamenti & noui, & duorum populorum ædifica- L tionem. Hoc est enim quod ait: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et iste lapis *Psal.117.* donum est donatum à Deo ædificio vniuerso, & admirabile caput in oculis nostris qui possumus eum videre oculis mentis. Si ergo verum est, quod ait: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur aliis colonis, qui reddent ei fructum temporibus suis, sine dubio nemini datur regnum Dei, id est verbum domini, nisi facientibus fructum de eo: & nemini qui à peccato regnatur, datur regnum Dei. Sed dicet aliquis: Si nemini datur regnum Dei fructus eius non facienti, quomodo illi populo datum est à quo & ablatum est? Considera si possumus dare idoneam rationem in tanta difficultate quæstionis huiusmodi. Considera quia cum vinea illi populo traderetur, non est dictum, & dedit eam colonis: sed ita, locauit, aut sicut in Græco habetur, tradidit eam colonis. Hic autem habetur, auferetur à vobis regnum, & dabitur aliis colonis. Indissolubilis enim erat quæstio si quemadmodum dixit illic locauit, aut tradidit, similiter & hic dixisset, locauit, aut tradidit, eā aliis colonis: aut quemadmodū dixit hic: Dabit eam aliis colonis, & illic ita dixisset, dedit eam colonis. Quoniam quod datur, intelligitur quod gratis datur, quod locatur autem & traditur, non omnino gratis datur. Quibus er- M go tradidit, aut locauit, non omnino quasi electis & fidelibus tradidit aut locauit: quibus autem donauit, cum iudicio electionis merito eorùm donauit. Et cum audissent principes sacerdotum & pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis dicit. Et quærentes eum tenere timuerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant.] Et quicunque insidiantēs volunt tenere verbum veritatis, vt quantum ad se mortificent eum, hi nunquam poterunt eum tenere, neque mortificare, quoniam multus est populus qui existimant eum Dei esse prophetam, & præconem veritatis, & largitorem salutis: & ideo tenent eum in cordibus, qui & auellent ab eis qui volunt eum tenere & opprimere eum. Deinde sciendum est, quoniam volentium Iesum tenere differentia est. *Iesū tenere.* Aliter enim principes & pharisæi quærebant eum tenere, aliter autem illa sponsa quæ in Canticis canticorum quærebat eum, & subiens ibat in ciuitatem, in plateis, & nundinis, & vix inuenit eum. Postquam autem modicum pertransiit custodes, & circumeuntes in ciuitate, & inueniens tenuit eum, quando & dixit, tenui eum, & non dimittam eum, donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum eius quæ concepit me. Hæc enim eadem sponsa in principio quidem Cantici canticorum sic dicit: Tenui eum in domo ma- *Cant.8.* tris meæ, & in cubiculum eius quæ concepit me: circa finem autem ipsius libri quasi iam prouecta, & aliter eum tenitura, melius quàm in primis sic dicit: Dixi ascendā super palmam,

&

A & teneam altitudines eius. Vt autem intelligas qui sunt volentes eum tenere principes & pharisæi, non autem tenuerunt, considera quoniam alia quidem verba extra verbum Christi possibile est comprehendere, & tenere, & separare de sensu, eorum videlicet qui aliud qualecunque extra veritatem habuerint dogma, & manifeste in irritum eum facere possibile est. Verbum autem veritatis nemo potest comprehendere, id est intelligere, neque tenere, id est conuincere, neque separare à sensu credentium, neque mortificare, id est destruere. (1. Cor. 2.) Dicit enim apostolicus sermo: Spiritalis diiudicat omnia, ipse autem à nemine iudicatur. Diiudicat enim, & discutit, & conuincit alia verba siue sapientiam huius mundi, siue hæreticorum, non autem diiudicatur, neque comprehenditur sensus qui est in Christo, neque coinquinatur ab eis qui proponunt eum irritum facere. (Rom. 11.) Quis enim cognouit sensum domini qui instruat eum? Et manifestum est, quoniam qui instructurus est sensum alicuius, primum cognoscit eum, & post hæc instruet. Sensum autem domini nemo cognoscit. Propterea nemo est qui instruat eum. Qui habebant tanquam prophetam eum, sapiunt quidem aliquid de eo quod verum est, non autem & magnitudinem eius intelligunt. Erat enim Iesus & Propheta quidem sicut ostenditur intelligentibus (Deut. 19.) ex eo quod scriptũ est. Prophetam suscitabit vobis dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me ipsum audite secundum omnia quæcunque loquutus fuerit. Quicunque B autem non audierit Prophetam illum, interibit de populo. (In quo eminentia Christi.) Tamen eminentia eius non erat in eo quòd erat propheta, sed in eo quod erat filius Dei, primogenitus vniuersæ creaturæ, in quo creata sunt omnia in cœlis, & in terris, & cætera: (Coloss. 1.) & eminentia eius etiam eo quod erat sapientia dicente: (Prou. 8.) Dominus creauit me in principio viarum suarum, in opera sua prius quàm aliquid faceret, & cætera. Istas autem turbas sic sapientes de eo, & paratas pugnare pro eo contra impugnantes, timent principes & Pharisæi, & non possunt insidiari Iesu, volentes eum tenere. Et quamuis quasi prophetam eum habentes turbæ nihil magnum sapiebãt de diuinitate ipsius, tamen principes, & scribæ, neque eorum scientiam comprehendere possunt, qui ex parte eum cognoscunt, nihil dignum declarantes de eo. Hoc autem dico de his qui vere pro eo sunt. Qui autem mendaciter sapiunt, non sunt pro eo, qui glorificare se putant eum: quales sunt hæretici qui confundunt patris & filij substantiam, vnum dicentes esse patrem & filium, suspicione sola & nominibus solis diuidentes eos, quos existimant vnum: quasi magna de eo sapere proponentes iniquitatem in excelso loquuntur, & male loquentes de Deo non sunt pro eo: nec enim sunt cum eo, (Substantiã pro [illegible] accipit Sabe[illegible] perstringẽs.) propterea sunt contra eum, sicut dicit: Qui non est mecum, C aduersum me est. Sic & si congregant qui non sapiunt de (Matt. 12.) Christo quod verum est in nomine Iesu, dispergunt magis quàm congregant, sicut ipse dicit: Qui non congregat mecum, spargit. Et vide quia non simpliciter dixit, qui non congregat, spargit: sed cum cauta adiectione: Qui non congregat mecum. Qui enim congregat, cum Christo congregare debet. Quid sit autem congregare cum Christo intelliges, si considerau eris quod dicit Apostolus: Congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini nostri Iesu Christi tradere (1. Cor. 5.) eum qui talis est Satanæ in interitum carnis. Quod enim dicit: Congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Iesu Christi, manifestat quid sit congregare cum eo. Et hoc non conuenit ad eos dicere: Congregatis vobis cum virtute domini nostri Iesu Christi. Qui enim congregant cum male sapientibus de Christo, non congregant cum Christo. Et manifeste (Luc. 19.) istum sensum habes apud Lucam ita dicentem: Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & scribæ, & seniores populi volebant eũm perdere, & non inueniebant quid facerent. Populus enim omnis suspensus erat in eum audiens eum. Et in his ostenditur, quoniam qui præsunt inique Iudaicis turbis, & nominantur principes sacerdotum, & scribæ, & seniores populi, inimici Christi, volunt quidem perdere Christum, & disperdere nomen eius ex hominibus, & fidem de eo, sed non inueniunt quid faciant secundum quod volunt, quoniam præueniens omnis populus qui credidit ei pendet in dilectione ipsius, & pẽdet vt audiat doctrinam eius. Et est hoc vsque nunc videre, quomodo quęrunt D exterminare qui se profitentur esse sacerdotes Dei, & scripturas eius cognoscere, quasi scribę essent, antiquitatem se tenere putantes quasi seniores, & quærunt perdere Iesum, & exterminare fidem veritatis ipsius, omnia consequẽter secundum voluntatem patrum suorum agentes. Non tamen inueniunt quid faciant, quia non possunt populum Christi pendentem in eum ab eo diuellere, neque delere eum de sensu eorum. Forsitan autem & omnes qui non rectè sapiunt de diuinitate, sed aliud loquuntur de ea quam est Christi doctrina, perdere volunt Christum, non autem possunt, quia totus populus fidelis pendet in eum, audiens eum. Sed & quicunque ad sensum scripturarum extranearum aspiciunt, ideo moraliter dicuntur scribæ, & omnes alieni presbyteri à Christi doctrina, id est philosophi gentium, cæterorumq; barbarorum prudẽtes, perdere volunt Christum, non autem possunt, victi à populo Christi pendente, & audiente doctrinam ipsius.

TRACTATVS XX. Cap. XXII.

IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo &c. Hæc quoque parabola simpliciter intellecta, videtur ostendere quod homo rex moraliter Deus & Pater domini nostri Iesu Christi dicatur. (Rex in hac parabola quis.) Nuptiæ autem filij regis, restitutio sponsæ ecclesiæ ad Christum sponsum ipsius. E Qui autem mittuntur serui vocare inuitatos ad nuptias, secundum tempus habentur prophetæ conuertentes ex populo per suas prophetias ad lætitiam restitutionis ecclesiæ ad Christum. (Filij Regis inuitantes ad nuptias.) Qui autem noluerunt venire in primis inuitati, qui noluerunt audire verba prophetarũ. Item alij transmissi, alia congregatio prophetarum. Præparatum autem prandium, in quo tauri, & saginata regis occisa erant: solidæ & rationabiles mysteriorum Dei escæ. Sic autem & omnia apparata, id est de omnibus quę necessaria sunt pręparati sermones: quos cum venerit quod perfectum est, qui inuitationem secuti sunt Dei manducabunt & bibent. Quoniam autem vocatorum per Prophetas quidam quidem neglexerunt tantummodo, quæ dicebantur, secularibus occupati negotiis, non autem & malignati sunt aduersus prophetas, alij autem & malignati sunt contra eos, ideo differentiam eorum ostendere volens, dixit: Quidam quidem negligentes abierunt, alius quidem in agrum suum, alius autem in negotiationem suam: reliqui autem tenentes seruos eius iniuriis affecerunt, & occiderunt. Adhuc autem secundum simplicem hanc traditionem ita intelligitur regis: de qua & Apostolus (1. Thess. 2.) dicit propter Iudæos: Præuenit antẽ illos ira vsque in finem: & prophetatur aduersus Iudęos bellum, & interitus Hierusa- F lem, & interfectio populi post ascensionem domini facta, in eo quod ait: Mittens autem exercitum suum interfecit homicidas illos, & ciuitatem eorum succendit igni. Quod autem dicit. Tunc dixit seruis suis, nuptiæ quidem paratæ sunt, inuitati autem non fuerunt digni: Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis vocate ad nuptias:] refertur ad apostolos Christi dicẽtes Iudæis: Vobis primum missum fuerat verbum Dei: sed quoniam indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes. (Apostoli. Act. 13.) Exitus ergo gentium sunt res gentium foris extra Israel, ex quibus quoscunque inueniebant Apostoli vocabant ad nuptias. Vocabant autem obedientes tantum, non autem & curabant vtrum aliquando ante vocationem mali fuerint an boni qui vocabantur: omnes enim quos inuenire poterant, vocabant. Bonos autem intelligere hic simpliciter conuenit humiliores & rectiores ex eis qui veniebant ad cultũ dei, quibus conueniebat apostolicum dictum quod ait: Cum gentes quę legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, huiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium eis perhibente conscientia eorum. (Rom. 2.) Et impletæ sunt Christi & ecclesiæ nuptiæ, & restituti Deo qui ab apostolis sunt inuẽti recubuerunt ad epulandũ in nuptiis. (Christi & Ecclesia nuptia.) Sed quoniam bonos & malos oportuit quidem vocari, non autem vt mali permanerent mali, sed vt exuerent & deponerent vestimenta contraria nuptiis, & induerent se nuptialia

G indumenta, id est viscera misericordię, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, longanimitatem, hæc enim sunt nuptialia indumenta: ideo rex ingreditur vt videat discumbêtes priusquam apponatur prandium præparatum eis, tauri, & saginata, & omnia præparata: vt videns retineat quidem habentes nuptialia vestiméta ad quæ delectetur, condemnet autem contrarios. Ingrediens ergo inuenit quendam qui non mutauerat proprios mores, nec induerat se nuptialia indumenta, & dixit ei. *Vestis nuptialis.* Quomodo intrasti huc non habens nuptialia indumenta?] Et quoniam qui peccat, & renouatus non est, nec induit dominum Iesum, quasi non habens excusationem aliquá, ideo dixit: Obmutuit, & non solum reiectus est à nuptiis quas iniuriá nuptiis fecit, sed adhuc à ministris regis super vincula constitutis ligatis pedibus incessione, qua non est vsus ad bonum, & manibus apprehensoria virtute, qua nullú bonum opus impleuit, cúdemnatus est in loco ab omni lumine alieno, & quantum ad omnes tenebras pressioribus tenebris quę vocantur tenebræ exteriores. *Tenebræ exteriores.* Sed & si quis nostrum ad inuitationem quidem regis veniens ad nuptias filij eius, non autem & indutus fuerit qualia prædiximus nuptialia vestiméta, similia patietur, ligatus manus & pedes expelletur in tenebras exteriores, vbi erit fletus, secúdum quod scriptum est: *Luc. 6.* Væ qui nunc ridetis, quoniam flebitis. Et vt ostendat sermo tristitias & dolores eorum in quibus erunt qui vestiti non fuerint nuptialibus vestimentis, ideo dixit: Illic erit non solum fletus, sed H etiam dentium stridor. Hæc ergo secundum simplicem traditionem sint dicta, tentemus autem repetentes scrutari subtilius. *Anagoge.* Regnum ergo cœlorú simile est secundum eum quidem qui regnat, homini regi: secundum eum autem qui córegnat, filio regis: secundum ea vero quæ sunt in regno regis assimilatum est seruis, & inuitatis ad nuptias, quorum quidam quidem nolentes venire neglexerunt propter occupationes seculi huius, alij autem iniuriis affecerunt seruos, & occiderunt. Adhuc autem ex eis qui regnabantur fuit etiam ille exercitus regis: & qui ab exitibus viarum congregantur boni & mali, donec implerentur ex recumbentibus nuptię: & qui inter discumbentes non habuit vestimentum nuptiale, & ministri qui iussi sunt pedibus & manibus alligatum mittere in tenebras exteriores. Poterat quidem dicere, simile est regnú cœlorum regi, sine additamento hominis: sed quoniam additum est etiam homini, necessarium est exponere etiam hoc. Et ante me alius quidá interpretatus est sicut & mihi videtur. *De sanctis legib. liber. aliqs ανθρωπο-παθεια.* Fecit enim librum de legibus sanctis, & protulit sermonem vbi Deus secundum passibilem naturam hominum vertitur: & primum quidem dixit, vbi secundum passibilem naturam vertitur dispensans homines, secundum quod dictum est: Morigerauit te dominus Deus tuus, quemadmodum si pater morigeret filium suú. Deinde protulit vbi non est Deus quemadmodum homo, secundum quod dictum est: Non sicut homo Deus noster. *Num. 23.* Nos autem multam abundantiam exemplorum habêtes I de euangelicis, in quibus Deus pater assimilatur homini, exponimus parabolas nominantes quasi hominem Deum, & dicimus ad quosdam hæreticos, qui non intelligentes quæ hoc modo dicuntur in scripturis veteribus, peccant in Deú legis, & prophetarum totius creatoris: *Antropomorphitæ & alij hæretici qui negabant dei legis et prophetarú esse patrem domini nostri.* quoniam si homini assimilatur Deus secundum parabolas Euangelij, secundum consequentiam parabolarum istarum suscipere conuenit & iram Dei, & furorem, & pœnitétiam, & auersionem vultus, & sessionem, & stationem, & incessionem, & somnum: quę omnia de Deo scripta sunt in prophetis: & ab exitu ostéduntur quia nec veteris testamenti scripturas intelligunt. Ná si nihil Deus habet in se quod videtur humanum, dicant vtrum iste Deus qui secundum parabolas Euangelij & homo dicitur, & iratus proponitur, secundum humanam naturam ipse est pater Christi: aut alius pręter eum? & necesse habent, aut alium aliquem dicere patrem Christi extra hunc quem parabolæ & patrem Christi appellant, & similé eum humanæ naturæ proponunt: aut si dixerint hunc ipsum esse patrem domini nostri Iesu Christi, cogendi sunt confiteri quoniam multa in eo secundum passibilem naturam hominum esse dicuntur, non quia ipse passibilis est, sed quia morigerat passibilem naturam hominum. Quamdiu ergo homines sumus, & non expediunt nobis diuinæ bonitates Dei, & multitudo miserationum eius abscondita apud eum, vt ne noceamur videntes eam, K necesse est, vt simile sit regnum Dei homini regi: vt hominibus quasi homo apud homines loquatur, & dispéset homines non capientes dispensari à Deo: qui omnino quidem Deus est, & in eo quod loquitur per prophetas, & in eo quod dispésat homines, & túc cessabit regnú cœlorú simile esse homini, cum cessante zelo, & contentione, & residuis passionibus & peccatis cessauerimus secundum hominé ambulare, & digni facti fuerimus audire à Deo: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes: iam non agentes talia propter quæ dicatur ad nos: *Psal. 82.* Vos autem sicut homines moriemini. Ego autem arbitror, quoniam non solum homini regi simile fieri regnum cœlorum cessabit, sed & alia multa, quibus opus habet homo peccator: verbi gratia dicit in Osee: Ego autem sum sicut panthera, & sicut leo domui Iudæ: & in alio loco: Et obuiabo eis sicut *Osee 13.* vrsus turbatus. Cessabit ergo aliquando esse sicut panthera, & sicut leo, & vrsus turbatus: cú desinentes talia facere iam non opus habuerint homines Deo sicut panthera, & sicut leone, & vrso turbato, nec ipse habeat eos tales qui talé necessarium habent: tunc manifestabit se sicut est. Ego autem sic intelligo, quod ait: Deus noster ignis consumens est, cósumens ea. Cum autem consumpta fuerint ab igne consumente, ea quæ con- *Deut. 4.* sueta sunt consumi ab eo, tunc iam non erit Deus noster ignis *Deus ignis consumens & lumen.* consumens, sed lumen, sicut dicit Ioannes: Deus lumen est. Quoniam autem nouimus hæc, vide si potes etiam secúdum L hunc intelligere modum ex Ioannis epistola Catholica sic habente: Charissimi, nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam si apparuerit similes ei *1. Ioan. 3.* erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Nunc quidem & si digni fuerimus Deum videre mente & corde, videmus eum non quemadmodum est, sed quéadmodum propter nostram dispensationem factus fuerit nobis. In fine autem rerum, & restitutionis omnium quæcunque locutus est per os prophetarum à seculo, videbimus eum non sicut modo, quod nó est: sed quéadmodum túc docuerit, secundú quod est. Quoniam autem semel diximus hæc in eo quod ait: Simile est regnum cœlorum homini regi, possumus inuenire & causas propter *Quare Christus filium hominis.* quas sæpe & Saluator filium se hominis nominat: ostendens quoniá sicut Deus homines dispensans, quasi in parabolis dicitur homo, forsitan sic & Saluator principaliter quidé filius *Col. 1. 2.* dei existens, & deus, & filius charitatis eius, & imago dei inui- *Heb. 1.* sibilis, non autem manés in eo quod est principaliter, efficitur secundú dispensationem filius hominis eius qui in parabolis dicitur homo, secundum similitudiné hominis, cum cœperit homines dispensare. Sed deum qui in parabolis dicitur, & fit quasi homo, non debemus quęrere quis homo, vt illius dicamus esse filium Saluatorem: sed stantes in sensu Dei, & parabolarum dicentium ipsum esse hominem, sapienter audiamus eum dicentem se filium hominis. Apud nos ergo homines, simile est regnum cœlorum homini regi: apud eos au- *Psal. 82.* tem qui secundum scripturas dij vocátur, quoniam in Synagoga stetit Deus in medio deos discernens, regnum cœlo- M rum simile est regi Deo. Quæres autem si quemadmodum in *Homines inferiores natura angelis conscientiæ ordinum.* hominibus qui sunt inferiores quantum ad suam naturam, & angelis, & sedibus, & dominationibus, & principatibus, & potestatibus: simile fecit regnum cœlorum homini regi: sic in sedibus, simile est regnum cœlorum sedi regis, dominationibus autem dominationi regis, principatibus autem principatui regis, potestatibus potestati regis. Dicit enim aliquis: Quæ discretionis est ratio, vt hominibus quidé assimiletur regnú cœlorum homini regi, superioribus auté non similiter fiat? Iste igitur qui assimilatus est homini regi faciens nuptias filio, misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias. Et cósidera si quéadmodú in corporalibus alia est quæ nubit sponsa, alij auté inuitatores, alij auté qui inuitantur ad nuptias: sic & in rebus mysterialibus quidá quidem sunt qui accipiuntur in constitutioné sponsæ, alij auté in ordine transmissorú seruorú inuitatos vocare, tertij autem præter istos qui vocantur ad nuptias. Deus auté scit diuersos ordines istos animarú earúmque virtutes & causas, ob quas hi quidem in constitutionem *Diuersi ordines animarum.* sponsæ accipiuntur, alij autem in ordine seruorum ministrantium vocationi huiusmodi, & alij in numero inuitatorum ad nuptias. In spiritalibus autem nuptiis communicationem

sponsi

A sponsi ad sponsam, id est Christi ad animam, verbi susceptionem intellige. Partus autem opera bona animæ nuptæ, quæ non corrumpitur à verbo sponsi, sed quotidie per communicationem eius, incorruptibilitatē cōsequitur, & generat qualia decet ex talibus nuptiis rationabilia generamina. Et in talibus nuptiis intellige prandiū quod paratur esse eloquiū dei, vt fortia quæq; eloquiorum dei, tauri intelligantur: suauia autem & delectabilia eorum sint saginata. Varietatem autē diuersam omnium eloquiorum dei diuersitatē intellige. Quod ait omnia præparata. Rex enim in abundantia regali existens digna regno & diuitiis suis prandia facit. Puto autē ingenuarum aliquarum animarū & Israeliticarum primam hanc fuisse vocationem ad nuptias. Principaliter enim vult deus venire ad epulationem istam beatam eos, qui ad intelligendum sint ingeniosiores: & est videre plerunque, quoniam qui huiusmodi sunt, nolunt ad istā vocationem venire: & ideo trāsmittuntur alij serui prouocantes eos qui venire nolebant, & promittentes si venerint inuitati, percipient à rege prādium præparatum, carnes taurorum, quæ inter munda omnibus mundis mundiora habentur: manducabunt etiam saginata, id est ad vnamquamq; propositionē, exempla multa rationis probatione repleta & bene diuisa, quæ moraliter intelliguntur occisa, quæ in vnaquaq; propositione afferunt multā ostensionem. Vtputa (argumenti gratia dico) si quis aduersus
B aliquam propositionem proferat quædam dicta modica, & infirma, & non magnā virtutem rationis habentia, nónne videntur tibi tenuia esse, & exilia, & macra quæ proferuntur, & vt ita dicam sicca & sine carnibus verba? Sed non sunt talia quæ præparata sunt in conuiuio regis, in quo dicit: Tauri mei, & saginata occisa, & omnia parata. Vtputa (manifestādi intellectus gratiā dicam) loquitur aliquis apostolorum de castitate sermonem, sermo ille rectè intelligitur turtur. Sed cum ipsum castitatis sermonem cū multa rationis probatione de scripturis repletum protulerit, ita vt delectet animum audiētis pariter & confirmet, protulit eum saginatum. Si de charitate loquutus fuerit, protulit columbā. Et sic in omnibus eloquiis Dei intellige, quid est exile & quid saginatum. Sed qui principaliter quidē fuerant inuitati, primos inuitatores quasi pauperes sensu neglexerunt, & egenos sermone, & abierunt sua sequentes, & magis sunt delectati in illis, quàm in his quæ per seruos suos rex promittebat: & vnus quidem eorum habens proprium quendam agrum, non venit ad nuptias: alius autem negotiationem exequens, imitari quodammodo volēs illum negotiatorem margaritarum, & quærentem margaritas bonas, qui cum inuenisset preciosissimam margaritam, vendidit omnes vt emeret vnam. Sed non bona negotiatio ista, ad quā vadens qui fuerat inuitatus nō percepit prandiū quod à rege fuerat præparatum. Qui ergo ex intelligentibus inuita-
C tis non veniunt quidem, non autem & seruos ad vocandum transmissos iniuriant, nec interficiunt, leniores sunt illis qui ausi sunt talia. Et requiescunt quidem in agro proprio, alij autem in sua negotiatione: reliqui autē extra eos, videamus qui sunt. Puto quòd hi sunt qui ceciderunt in præparatione contentiosorum & asturorum verborum, in quibus tenuerūt, aut visi sunt tenuisse seruos transmissos, qui nō fuerunt præparati ad soluendas eorum quæstiones versutas, & contumeliis affecerunt ministros vocationis. Et est videre quotidie, quomodo inuitatores Dei simplices, & non valde astuti secundum carnem, cum diuina sapientia sua volunt illos tales docere: sed iniurias patiuntur ab eis qui intelligunt quidem, non autem volunt credere veritati. Alij autē & interficiuntur ab eis, quibus rex iratus dicitur, quoniam præuenit super eos ira vsq; finem. Et iratus rex misit exercitum suum, siue multitudinem cœlestis militiæ, siue eos angelos qui positi sunt super pœnas, & interficiūt interfectores ministrorum verbi, & omnem ciuitatem eorum succendūt. Puto ciuitas impiorum est, secundum vnumquodq; dogma, cōgregatio eorum qui cōueniunt in sapientia principum huius seculi. Hāc succendit rex, & exterminat, quasi ex malis ædificationibus consistentem. Et siquando videris exterminationem siue alicuius falsi nominis scientiæ, siue quorumlibet verborum profitentium veritatem destructionem validam, non pigeat te dicere hoc factum esse à militibus Dei, qui succendere solent ciuitates inimicorum

Morales cibi.

Mat. 13.

Administri vltionis diuinæ.

1. Thess. 2.

veritatis Dei. Succensa est ergo & ciuitas doctrinæ Iudaicæ D
post Christi aduentum: qua succēsa dixit rex seruis suis, id est apostolis, aut angelis Dei, qui præpositi erant super vocationem gentium, dicens: Nuptiæ quidem paratæ sunt, inuitati autem non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quantoscunque inueneritis, vocate ad nuptias.] Et est videre ex omni via imperitorum dogmatum, quæ fuerunt secundum gentium mores, & ciuitatum, & villarū, vocatos ad nuptias: Et egredientes serui, siue de Iudæa & Hierusalem apostoli Christi, siue ab interioribus finibus in quibus fuerāt angeli sancti, & venientes ad vias diuersas diuersorum morum, congregauerunt & congregabunt quoscunque inuenerint, malos quidem vt deponentes malitiam, quod est extraneum à nuptiis vestimentum, & induentes se opera bona, quæ sunt nuptialia vestimenta, impleant conuiuium nuptiale, recumbentes & requiescentes in fide. Cum autem impletæ fuerint nuptiæ ex requiescentibus in fide, & cultura Dei, tunc ingredietur rex ad videndum & iudicandum de discumbentium qualitate, vt eum quidem qui vestem non habuerit nuptialem arguens damnet, reliquis autem prandium præparatum apponat. Vidit autem vnum non habentem nuptialem vestem: id est quia vnius sunt generis omnes qui seruant malitiam post fidem quam habuerant ante fidem, & non deponunt eā, arguit eos quasi qui male fecerint: eo quod ausi sunt E
in huiusmodi nuptias introire non recipientes digna nuptiis indumenta, id est texturam virtutum claram vestem, de qua etiam Salomon in Ecclesiaste præcipit, dicens: In omni tempore sint vestimenta tua candida. Obmutuit autem qui ausus fuerat in huiusmodi nuptias introire sine vestimento decenti, & sic condēnatur ab eo qui dixit ministris suis, videlicet præter exercitum illum qui erat desursum, vt alligantes eum manus & pedes quibus non sicut debuerat vsus est (Nec enim ad bonum cucurrerat aliquādo, nec aliquos bonos impleuerat actus) eiiciant eum non solum de conuiuio nuptiali, sed etiam in tenebras exteriores, & omni lumine alienas mittant, vt sitiēs lumen cum fuerit in tenebris exterioribus ploret ad eum qui potens est ei misereri, & eripere inde, & dentibus strideat, qui quoniam acerba manducauerant, malitia stupidi erant effecti. Vua enim acerba intelligitur malitia eius qui non obliuiscitur posteriora, nec appetit priora, sed permanet in idipsum, cum deberet ad maturitatem proficere dulcem, & offerre virtutis alicuius manducabilem botrionem. Et addit: Multi vocati, pauci vero electi. Et si quis considerat multitudinem hominum, quæ in ecclesiis congregantur, & discusserit quanti sunt qui conuersantur disciplinatè, & reformantur nouitate sensus sui, quanti autem negligentissime conuersantes configurātur seculo huic, videbit quia verus est sermo domini dicens: Multi vocati, pauci autem electi. F

Eccl. 9.

Tractatus XXI. Cap. XXII.

IN illo tempore abierunt Pharisæi, & consiliū acceperunt vt eum caperent in sermone, & mittūt discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, nec enim respicis personas hominum, &c.] Voluntas loci præsentis secūdum textum talis mihi videtur. Iudæi propriam habentes cōuersationem ex lege, extraneam ab omni conuersatione gentium, & habentes præceptum quod ait: Vsq; ad mortem certa pro veritate, & dominus pugnabit pro te, ideo contradicebant gentibus dominantibus sibi, vt non transgrederentur legem Dei: & frequenter radicitus interire periclitati sunt sub Romanis volentibus statuam Cæsaris introducere in templum Dei, resistentes & prohibentes fortiores super se factos propter peccata. Inuenimus autem in historia Iudaica, quod in tempore Tiberij Cæsaris sub Pōtio Pilato periclitatus est populus, Pilato quidem cogente vt susciperent statuam Cæsaris in templo, Iudæis autem & supra vires suas resistentibus. Similiter autem scriptum est factum in tempore Caij Cæsaris. Existimamus ergo quoniam quamdiu quidem speculabatur populum illum Deus, circundatus fuerat sepe dominicæ tuitionis, quasi vinea domini Sabaoth, nihil huiusmodi contin-

Iosf. lib. 18. antiq. c. 4.

Ibid. c. 4. 12.

G gebat eis. In primis autem ipse Pilatus cui tradiderant Christum, ausus est populum inquinare, quod grauius erat captiuitatibus vniuersis. Quoniam omnis captiuitas quam frequenter sunt passi, corporis erat vexatio, introductio autem statuæ in templum, animarum erat interitus. Et in tempore ergo Christi, quando tributum iussi sunt dare Romanis, cogitatio, & consilium erat apud Iudæos, vtrum deberent qui Dei populus erant, & portio eius, tributum dare principibus: aut potius pro libertate bella suscipere, nisi permitterentur viuere sicut ipsis placebat. Et refert historia quòd Iudas quidem Galilæus, cuius memor est Lucas in actibus Apostolorum, auellens multam multitudinem Iudæorum, docebat non oportere Cæsari dare tributum, neque dominum Cæsarem appellare. *[Ios. lib. 18. cap. 1. & 2. Act. 5.]* Qui autem erat in tempore illo Tetrarcha, suadere populo festinabat, vt statui præsenti consulerent, & non voluntarie contra fortiores susciperent bellum, sed acquiescerent dare tributum. Et sermo quidem Euangelij præsentis, non quidem manifeste, tamen hæc ipsa ostendit. Qui autem diligenter considerat verborum præsentium sensum, inueniet hoc & in hoc loco præsenti. Nec enim haberent occasionem Pharisæi, volentes Christum capere in sermone, mittentes discipulos suos cum Herodianis vt eum interrogarent vtrum liceret, Cæsari dare tributum, an non, si manifestum apud eos fuisset, quoniam non oportet dare, & si consonantia voluntatum apud eos fuisset vt non darent tri-
H butum. Et vide nisi manifestatur historia illa ex eo quod volentes Christum capere in sermone, non solum miserunt discipulos suos interrogantes de censu, sed cum Herodianis. *[Herodiani.]* Forsitan enim in populo tunc qui quidem dicebant oportere dare tributum Cæsari, vocabantur Herodiani ab his qui hoc facere recusabant. Qui autem prospectu libertatis dare tributum vetabant, videbantur esse pharisæi, subtilitatem Iudaicarum disciplinarum cautius obseruantes, vt si quidem Christus responderet non oportere Cæsari dare tributum, traderent eum Romanis quasi recessionis autorem. *[Scopus insidiosæ quæstionis.]* Si autem iuberet dari, Pharisæi accusarent eum quasi personas hominum aspicientem, magis quàm docentem viam Dei in veritate. Considera autem, & vide quoniam Pharisæorum discipuli dicentes: Magister scimus quia verax es, & viā Dei in veritate doces, & nō est tibi cura de aliquo, neque enim aspicis personas hominum, prouocabant eum per huiusmodi laudem vt nō acciperet Herodianorum personas, qui partes Cæsaris defendebant: aut respondens secundum voluntatem Pharisæorum quia nō licet Cæsari dare tributum, traderetur Herodianis. Vnde & dominus videns nequitiam eorum ita dixit: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc, & suprascriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei sunt, Deo.] Ex hoc loco discimus Saluatoris exemplo, vt non his quæ à
I multis dicuntur, & propterea gloriosa videntur, occasione pietatis attendamus, sed quæ conuenienter secundum ordinem rationis dicuntur. Nam cum quæreretur ab eo vtrum licet Cæsari dare tributum, an non: non simpliciter dedit responsum secundum quod videbatur eis, sed dixit: Ostendite mihi numisma census: & interrogauit, cuius est inscriptio. Et dicentibus eis, quod Cæsaris, respondit quod oportet reddere Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & non eum oportet fraudare à propriis eius pietatis occasione. Nec enim ex eo quod reddit quis Cæsari quæ Cæsaris sunt, impeditur reddere Deo quæ Dei sunt. *[Moralis interpretatio.]* Potest aliquis moraliter intelligere locum istum hoc modo. Omnes consistimus ex anima & corpore: differamus nunc dicere quoniam & ex spiritu: & debemus quædam dare quasi tributum corporum principi qui dicitur Cæsar, id est necessaria corpori, & habētia imaginem principis corporum corporalem, hoc est escas, & vestimenta, & somnum, & quæcunque necessaria sunt ad repausationem simplicem naturæ carnalis, sine quibus consistere non potest carnis natura. *[Corpori & animæ quid tribuendū.]* Item quoniam anima quantum ad naturam suam secūdum imaginem est Dei regis sui, quæcunque sunt cōuenientia animarum naturæ, id est viæ omnes quæ ducunt ad virtutem, debemus ea Deo offerre. Qui ergo supra modum docēt legem Dei, & de rebus corporalibus & debitis corpori nihil curare præcipiunt, ipsi sunt Pharisæi qui reddere tributum K
Cæsari vetabant: id est qui tota virtute suadent omnino ieiuniis & vigiliis debere affligere corpus, & abstinere ab omnibus quæ sunt corporalia, & necessaria corpori, vt nihil ex nobis corporis principi tribuatur: quales sunt de quibus ait Apostolus. *[1. Tim. 4.]* Nouissimis temporibus recedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris & doctrinæ dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, cauteriatā habentium cōscientiam suam, prohibentium nubere, & iubentium abstinere à cibis quos deus creauit ad percipiendū cum gratiarum actione fidelibus. Alij autē sunt qui supra modum existimāt oportere corporibus indulgere, & per omnia satisfacere principi corporum: & ipsi sunt secundum similitudinē Herodianorū dicentium oportere Cæsari dare tributum. Saluator autē noster verbum Dei, dilucide separās rationabilia corporis debita à debitis spiritalibus animæ, dixit. Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt: & quæ Dei sunt, Deo. Imaginem enim Cæsaris habet omnis res corporalis, & imaginem Dei habet omnis virtus. Si ergo sic reddimus principi carnis quæ carnalia sunt, vt non fraudemus Deum à spiritalibus eius virtutibus, tunc reddimus principi corporum quæ corporis sunt, id est ea sola quæ necessaria habet carnis natura, & nihil amplius quod pertineat ad rationem virtutum. Et sic virtutibus seruiamus vt nō grauetur carnis natura à necessariis suis, tunc reddimus L
Deo quæ Dei sunt: vt nec virtus minoretur dum supra modum carni seruimus, nec carnis natura grauetur dum abundantius virtutibus adhæremus. Scio & huius loci aliam traditionem, quoniam princeps mundi moraliter dicitur: sicut & omnium gentium principes, in persona principum mūdi ponuntur. Rex autem omnium seculorum Deus, nō in vno mysterio sed vbique est Deus. *[Altera moralis interpretatio ferè Anagoge.]* Quoniam ergo habemus quædam in nobis quæ sunt principis huiusmodi, id est diuersas malitias, & non possumus prius reddere Deo quæ Dei sunt, nisi reddiderimus principi quæ principis sunt, id est nisi deposuerimus malitiam vniuersam: ideo dominus ostenso sibi numismate, & imagine eius respondit: Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt: & Deo, quæ Dei sunt. Et hoc discamus ex loco præsenti, quoniam si quando tentati fuerimus ab eis qui volunt occasionem, & proponunt nobis quasdam propositiones non vt discant, sed vt causam accusationis inueniant contra nos, nec omnino tacere debemus, nec simpliciter respondere, sed cum cogitatu, & circunspectu, vt quantum possibile nobis fuerit præcidamus occasionem quærentiū in nobis occasionem, & doceamus irreprehensibiliter ea quæ possunt saluare volentes saluari.

TRACTATVS XXII. M

Cap. XXII.



IN illo die, accesserunt ad Iesum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogauerunt eum dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit, & cætera.] In qua die? in illa die sine dubio, quando recedentes Pharisæi consilium acceperunt aduersus eum vt caperent eum in sermone, & interrogauerunt eum de censu. *[De mortuorum resurrectione.]* Forsitan enim respondente domino: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quę sunt Dei Deo: & admirantibus cunctis de responso ipsius, bene æstimauerunt Pharisæi videntes sensata eius responsa. Sadducæi autem per interrogationem huiusmodi voluerunt se ostendere prudentiores habere sermones, dicentes resurrectionem non esse. *[Sadducæi.]* Sadducæi enim qui dicunt resurrectionem non esse, non solum hanc quæ in consuetudine à simplicioribus carnis resurrectio nominatur negabant, sed etiam animæ immortalitatem tollebant. Secundum quos etiam nunc sapiunt Samaræi. *[Samaræi siue Samaritani.]* Nec non etiam Apostolorum tempore quidam ex Corinthiis similia sapiebant, animæ vitam post mortem negantes. De quibus talia scribit Apostolus, *[1. Cor. 15.]* Si Christus prædicatur quod à mortuis resurrexit, quomodo quidam dicunt in vobis, quia resurrectio mortuorum non est? & cætera quæ de ipsa causa sequuntur. Quod autem Corinthij permansionem animæ denegabant secundum sententiam Sadducæorū, illud ostendit quod ait Apostolus: *[Ibidem.]*

Si in

A Si in hac vita tantum sperātes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Quamuis enim quis carnis resurrectionem non credat, tamen qui animam existimat immortalem, non tātum in hac vita sperat in Christo: sed ille in hac vita tantum sperat in Christo, qui animam victuram non credit post mortem. Quoniā ergo ad defensionem sui erroris proferūt Sadducæi exemplum de lege Mosaica, dignum mihi visum est ponere ipsum textum legis quem proferūt Sadducæi, habentē hoc modo in Deuteronomio. *Deut. 25.* *Lex de vidua fratris defuncti.* Si habitauerint fratres in idipsum, & mortuus fuerit vnus ex eis, semen autē non fuerit ei, nō erit vxor mortui fratris viro non appropinquanti. Frater viri eius ingredietur ad eam: & accipiet eam sibi in vxorem, vt habitet cum ea: & erit infans quicunque fuerit natus, constituetur ex nomine fratris eius mortui, & non delebitur nomen eius ex Israel. Si autem noluerit homo accipere vxorem fratris sui, ascendet vxor fratris eius ad portam ad seniores, & dicet: Non vult frater viri mei suscitare fratris sui nomen in Israel. Et vocabunt eum seniores ciuitatis illius, & dicent ei: Et si stans dixerit: Nolo eam accipere, accedens vxor fratris eius ad eum ante conspectum seniorum excalceabit calceamentum eius de pede ipsius, & expuet in faciem eius, & respondens dicet: Sic facient homini, qui non ædificat domum fratris sui, & vocabunt nomen eius in Israel, Domus excalceati calceamētum. Hæc verba legentes Sadducæi, & nihil dignū Deo intelligentes in eis, arbitrati

B sunt nō posse fieri propter hæc verba, vt mortui resurgant, vt vir iterum sit virilia habens membra, aut mulier sit muliebria habens membra. Et dominus quidem respondens eis, voluntatem verborum legis non exposuit quasi indignis huiusmodi agnitione mysterij, sed tantum simpliciter eis dixit resurrectionem futuram, contestantibus hoc etiam scripturis diuinis, quoniam illic nuptiæ non sunt, sed erunt qui resurrexerint sicut angeli in cœlo, & quia transformabunt corpora humilitatis eorum secundum corpora angelorum cœlestia atque luminea. *De corporibus angelorum error.* Non autem existimaui superfluum, ex quo semel ipsa verba protulimus legis, vt sensum eorum aliquatenus explanemus. *Sensus legis.* Quæro ergo quæ sit hæc mulier vna & duo fratres, quorum primus quidem habuit vxorē, & fructum non reliquit ex ea: alter autem mortui frater, qui accepit eam, & generauit ex nomine mortui: & quis est ille qui non vult accipere vxorem fratris sui, & propterea coram senioribus excalceat eum mulier calceamentum vnum, & expuit in faciem eius ascendens ad portam dicens: non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel: & qui sunt seniores, & quæ porta ad quam ascendit mulier illa. Duo igitur fratres sunt, primus quidem sermo legis, secundus vero Euangelij sermo. Hos ambos vna peperit sapientia mater, & vna eos semper habuit domus, id est eadem scriptura veteris testamenti, & in idipsum habitauerunt semper. In

C aduentu autem Christi mortuus est frater prior, id est sermo legis, ex eo quod euacuatus per nouum testamentum irritus factus est. Mulier autem sermonis illius est omnis anima, vel synagoga quæ prius fuit sub lege: qualis fuit anima Pauli, vel Petri, cæterorúmque ex populo illo. *Anima fidelium.* Omnis autem anima recta quæ fuit amatrix sermonis illius, & vult memoriam illius & nomen apud se semper seruare, vt nunquam desinat dici vxor illius, efficitur vxor fratris alterius, non peregrini & extranei verbi quod non appropinquat. Peregrinum autem & extraneum est omne verbum gētile, quod longe est à genere legis Dei: sed accepit sibi virum Euangelicum sermonem, fratrem viri sui defuncti atque propinquum secundum genus diuinum, vt faciat natos ex eo. Ex priore sermone nullum potuit facere natum, quia ex operibus legis nemo iustificatur. Nati autem mulieris de viro secundo opera eius sunt sancta, & ipsa est mulier seruās legis mandatum. Et omnis puto anima in primordiis suis prius accepit verbum secūdum simplicem historiam legis, qui sine dubio morietur, cū cœperit anima illa ad maiora proficere. Sic mortuo simplici verbo, spiritaliori iungitur verbo, qui est secundum mysteria altiora in scripturis. Anima autem quæ non seruat legis mandatum, quæ prius fuit sub lege, post mortē legis fit vxor viro non appropinquanti, quando suscipit verbum quod nō appropinquat omnino legi priori, nec est secundum sensum eius, sed omnino habetur extraneum. Et tales sunt omnes a- D nimæ hæreticorum: quibus sermo quidem legis antiquæ mortuus est, voluerunt autem verbo nubere spiritali, quod semper habitauerat in idipsum cum lege antiqua sub vna eadémque domo eiusdem scripturæ: sed nupserunt alicui extraneo verbo, & alieno tam à nouo quàm à vetere testamento, & nunquam eis appropinquanti. *Animæ hæreticorū.* Cum autem anima recta mortua sibi sicut diximus lege, acceperit super se euāgelicū verbū, fratrem defunctæ legis, tunc frater mortui, hoc est verbū nouæ legis intrat ad animam illam, & fit iunctus in ea, & accipit illam sibi vxorem, & cohabitat animæ illius in omni beatitudine eius, & ex ea fructificat, & infans quicunque natus fuerit ei (id est opus quodcunque factum fuerit ei) bonum efficitur ex nomine fratris mortui: & quāuis non sit ex lege natum, tamen baiulat nomen legis prioris, & dicitur opus illud generatum ex lege, & nomen legis Dei nominatur in opere illo bono, quoniam & illa lex, Dei lex vocabatur: & non deletur nomē legis illius ab omni opere animæ sanctæ, licet sit ipsa euacuata. Sequitur autem quod ait: Si autē noluerit homo accipere vxorem fratris sui, ascendet vxor fratris eius ad portam ad seniores, & dicet quæ scripta sunt dici. Et primum vide, quamdiu quidem & mulier faciebat quod præceptum E ei fuerat ex lege, & vir intrans ad eam habitabat cum ea, & generabat ex ea; non dicebatur homo, sed frater defuncti. Quando autem non vult accipere vxorem fratris sui, nec vult suscitare fratris sui nomen in Israel, & vocatus à senioribus ciuitatis dixerit, nolo eam accipere: tunc iam non dicitur frater, sed homo. Vtputa quamdiu quidem facit legis mandatum, dicit ad eū scriptura, Ego dixi, dij estis, & filij excelsi *Psal. 82.* omnes. Si autem præterierit, dicitur ei. Vos autem sicut homines moriemini. Propinquus autem qui non vult accipere fratris sui vxorem, habetur omnis hæresiacus sermo: quoniā post mortem legis, facta est altera quędam traditio legis erratica, & non spiritalis, neque vera: quæ quamuis sit peruersa, tamen generationem habet ex lege, quoniam ex occasionibus eorum quæ dicuntur in lege sumit originem: & ideo dicitur homo propinquus nolens suscitare nomen fratris sui, & honorare nomen legis. Hoc autem verbum cum sit prauum, non vult accipere vxorem fratris sui, id est animam rectam, ad fructificandum & reparandum nomen legis. Propter quod mulier illa non deorsum stat quæ parata fuit honorare virum suum priorem, sed ascendit ad portam, de qua scriptum est: Hæc porta domini, iusti intrabunt in eam: & ad seniores ciuitatis illius, id est ad presbyteros ecclesiæ Dei: & cōuincet mulier verbum illud prauum dicens, quod non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel. Qui enim contraria docet legi, non vult suscitare semen legis. Ita seniores ciuitatis illius interrogant virum illum talem si vere non vult. Quando enim sacerdotes discutiunt verba dogmatis alicuius, quasi interrogant illud. Et cum in- F uenerint ipsum quod legi contraria profitetur, videtur dogma illud senioribus dare responsum, & dicere quia nolo accipere eam quæ fuit legis. Cùm ergo ille responderit nolle se, accedit ad eum anima sancta, & sub præsentia seniorum excalceat eum calceamētum eius vnum & ignominiat eum. Et vide in his ex eo quod alibi scriptum est, Solue calcea- *Exod. 3.* menta pedum tuorum ad Moysen: & iterum in Euangelio dicit: Cuius non sum dignus ego soluere calceamenta pe- *Matt. 3.* dum eius: ne forte non sit hoc ipsum soluere calceamentum, & excalceare. Nec enim excalceare iubetur Moyses, nec Ioannes de Saluatore loquens excalceare dixit, sed soluere. Iste autem qui contra legem agit excalceatur. Omne enim *Dogmata hæreticorū qualia.* dogma quoniā ex occasione veritatis scripturarum nascitur, plerumque in aliqua quidem parte verum dicit, in alia autem falsum. In qua ergo parte falsum dicit, in ea parte arguitur, & conuictum ab anima sancta excalceatur à calore verisimilis erroris sui, quod fuerat calceatum. Et ideo omnis hæresiacus sermo nec ad plenum excalceatus est, nec ad plenum calceamētis ornatus. Propter quod expuit in faciem eius coram senioribus mulier illa abrenuncians eum. Expuere enim videtur in faciem dogmatis erratici omnis anima in eo quod abrenunciat ipsum, & abdicat. Et vere nisi abrenunciauerit anima omne dogma peruersum, non potest

G firmiter verbo nubere veritatis. Et respondens dicet: Sic facient homini, qui non ædificat domum fratris sui. Omnis ergo qui videt huoc hominem excalceari à muliere & caput, & audire dicentem; Sic facient omni homini qui non ædificat domum fratris sui, omnia ad ædificationé fratris facere debet. Si autem non ædificauerit domum fratris sui legis, excalceabitur similiter vnum calceamentum, & expuetur, & nomen eius vocabitur in Israel ab omnibus videntibus eum, domus excalceati calceamentum. Quoniam autem animæ vir prior fuit sermo Mosaicæ legis, secundus autem Euangelicus sermo, cui nubit omnis anima recta mortua lege, illud est documentum quod Apostolus dicit hoc modo, An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quoniam lex dominatur homini, in quantum temporis viuit? Si autem mortuus fuerit vir, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro adultera est, si facta fuerit alteri viro. Si auté mortuus fuerit vir, liberata est à lege viri, ita vt nó sit adultera si fuerit cum altero viro. Hæc in excessu diximus ad manifestandum legé Moysi, cuius memoriam facientes Sadducæi, Christum interrogabant dicentes: Moyses dixit: & cætera, putauerunt omnia sic futura esse illic, quomodo sunt in seculo isto viri & vxores, patres & filij,

Rom. 7.

Reuertitur ad institutam Sadducæorũ quæstionem.

H fratres & sorores. Debuerunt enim considerare tunc Sadducæi ea quæ sequebantur opinionem eorum: quoniam si sunt ibi nuptiæ, & partus: si partus, & mortes & infirmitates: si natiuitas, & pueritia & ascensiones à pueritia ad maturitatem virilem, & minorationes senectutis. Si autem hæc omnia, erit & malitia, & vix alicubi virtus inuenietur in raris hominibus quærentibus eam. Et his quid potest esse amplius vanum? & melius est vt nec sit resurrectio, quàm vt sit talis qualem existimant Sadducæi. Si autem est ibi aut pater, aut frater, aut aliquid eiuscemodi, non tamen est secundum natiuitatem carnalem, neque per mulierem, neque per turpes corporis partes. Ego autem existimo non tantum ibi patres & filios esse secundum impassibilem spiritum, sed etiam vxorem & virum in spiritus vnitate, secundum parabolam illam quæ dicit: Simile est regnum cœlorum homini qui fecit nuptias filio suo, & cætera. Ergo filius regis in resurrectione mortuorum faciet nuptias extra omnes nuptias quas oculus vidit, & auris audiuit, & super cor hominis ascendit: & erunt illæ nuptiæ castæ, & diuinæ, & spiritales in verbis mysterialibus constitutæ, quæ non licet hominibus loqui. Et quæret si in resurrectione possint esse & aliorum nuptiæ secundũ nuptias Christi, aut potius solus Christus sponsus, destruens nuptias omnes, faciet nuptias, vt fiot duo in carne vna: magis autem non solum duo in carne vna, sed duo spiritus vnus, id est sponsus & sponsa. Sed vide ne tu audiens hæc aberres audiens fabu-

Rom. 10.

I las aliquorum dicentium esse secula masculina, & fœminina, qui finxerunt & coniunctiones seculorum illorum quæ non sunt, neque fit eorum memoria in scripturis. Nunc videamus Christi responsa, quibus ait: Erratis nescientes scripturas, neque virtutem dei. In resurrectione neque nubũt, neque vxores accipiunt, sed sunt sicut angeli in cœlo. Quæritur hic Saluator, qui dicit ad Sadducæos, Erratis nescientes scripturas, neque virtutem dei. Indicat enim quoniam in quibusdã scripturis positum est, vt in resurrectione nuptiæ non sint, hominibus videlicet factis in similitudinem angelorum. Quæ ergo scriptura est docens quoniam in resurrectione neq; nubent, neque vxores accipiunt? Et in qua scriptura vel legis, vel prophetarum discimus, quoniam erunt qui resurrexerint sicut angeli in cœlo? Manifeste enim in veteri testamento hoc non legitur scriptum, & quærat qui vult si poterit inuenire. Nos autem dicimus quia scriptum est, non tamen in ipsis sermonibus manifeste ista dicentibus, sed in mysterio indicantibus secundum intellectum moralem. Nam cum sit lex vmbra futurorum bonorum, & dicens quædam de viris & vxoribus, & exponens nuptias, non principaliter de ipsis nuptiis intelligitur, quas non simpliciter secundum carnem nuptias existimamus, sed de talibus nuptiis quales nos supra de Christo & ecclesia exposuimus in seculo illo fore. Vt puta Abrahã duos filios habuit, vnum ex ancilla, alterum ex libera: & qui ex ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, secundum promissionem, non omnino oportet me stare in intellectu carnalium nuptiarum liberæ & ancillæ, sed hæc a-

Contra Valentinianos qui æonum συζυγίας fingebant Iren. lib. 1. & 2.

Tropologia in historiis sacris de Nuptiis.

Gal. 4.

lia significant ex aliis. Et iterum. Propter hoc linquet homo patrem & matrem, & iungetur vxori, & erunt duo in carne vna, non ita debemus existimare quod dicitur, quasi nullum mysterium demonstretur in eis, quoniam mysterium illud magnum est de Christo & ecclesia. Et sunt alia mille loca de nuptiis scripta: & vnusquisque locus castum & diuinum de nuptiis continet intellectum, secundum expositionem moralem. Quicunque ergo scripturas legit, & nuptias virorum atque vxorum, & nihil amplius existimat demõstrari in eis, nisi simplices nuptias, errat in eis nesciens scripturas, neque virtutem dei: sicut errabant Sadducæi, nuptias legentes in scripturis, & carnaliter eas intelligentes. Quæret aliquis, hoc quod dicit Sadducæis: Erratis nescientes scripturas, vtrum in hoc eos errare significet, quoniã scripturas alias extra libros Mosaicos non legebant, aut quia nec ipsos libros Mosaicos legẽtes intelligebant. Et dicet aliquis: In hoc illos increpabat errare, quia non legebant cæteras scripturas quæ sunt extra legem, id est libros secretos: & ideo errabant nescientes scripturas. Alius autem dicit: Sufficit ad arguendum errorem Sadducæorũ, quod nesciebant Mosaicæ legis scripturas, ex eo quod diuinum sensum earum non scrutabantur. Duas tamé res dicit Sadducæos nescire, vnam quidem scripturas, alteram auté

K *Gen. 2.* *Ephe. 5.*

L virtutem Dei per quem resurrectio fit, & noua vita in ea. Potest aliquis dicere: quoniam dominus arguens Sadducæos nescire virtutem Dei, se eos nõ cognoscere arguebat. Ipse enim erat virtus dei, & sapientia, & non cognoscebant eum Sadducæi quasi nescientes scripturas quæ loquuntur de eo. Propterea nec resurrectionem credebant quam facturus fuerat ipse sanctorum suorum. Qui autem non vult intelligere dictum hoc, vt Sadducæi ideo videantur culpari, quia scriptura de nuptiis quibusque positas moraliter non intelligebant secundum spiritalem expositionem, sed simpliciter secundum corporalem historiam, necesse habebit vnum facere ex duobus: aut non credere præsentibus verbis Christi, quasi male Christo dicente, qui dixit positũ esse in scripturis quod positum non erat: aut refugere ad libros secretos in quibus de vita illa beata manifestius videtur esse conscriptum: & dicet ad illas scripturas referendum esse, quod hic dominus dicit ad Sadducæos, Erratis nescientes scripturas. Et vide nisi ex omni parte cadat quicunque moralem scripturarum respuit intellectum. Propterea nõ aliter mihi videtur solui posse quod dicitur: Erratis nescientes scripturas, neque virtutem dei: nisi scripturas quis moraliter audiens, aliam ex aliis intellexerit, demonstrantes in quibus aliquid de viris, & vxoribus loquũtur scripturæ: & quemadmodum errant qui propheticas scripturas non intelligentes moraliter, putant post resurrectionem homines manducaturos, & bibituros escas carnales: &

1. Cor. 1. *Ioan. 5.*

Libri secreti.

M post quoniam & scripturæ propheticæ talia continent quædam sicut & de nuptiis virorum & mulierum scripta, secundum textum intelligentes, putant nos etiam post exitum futuros esse in vsu carnalium nuptiarum, propter quas nec vacare quis orationibus potest absque macula nec in hoc mundo. Item quæro, quod dicit: Erratis nescientes scripturas neque virtutem dei, vtrum ad illud solum pertinet quod dicit: In resurrectione neque nubunt, neque vxores accipiunt: aut etiam ex eo quod ait: Sed erunt sicut angeli in cœlo. Nec inuenio alicubi scripturam dicentem, sanctos post exitum fore sicut angelos dei: nisi forte quis & hoc moraliter intelligat secundum illud quod dicitur: Tu autem ibis ad patres tuos cum pace nutritus in senecta bona. Item appositus est ad populum suum, aut adpositus est ad genus suum. Restat vt dicamus de eo quod ait: Non legistis de resurrectione quod dictum est vobis à deo? Ego sum deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob: non est deus mortuorum, sed deus viuẽtium. Et hic dicimus quoniam cum posset mille exempla proferre ostendentia resurrectionem futuram, hoc non fecit ex prophetis, sed tantum ex lege, quoniam Sadducæi tantum Mosaicam legem legebant, ex qua volens illos placare, protulit inde exemplum. Deus enim qui est dicit: Ipse ego sum qui sum, & hoc mihi nomen est sempiternum. Si impossibile est vt dicatur eorum deus esse, qui non sunt, & si hoc impossibile est, ergo eorum est deus qui sunt, & qui viuunt, & sentiunt beneficium eius. Et vide quia non dixit, Ego sum deus Abraham,

Chiliastas perstringit.

Gen. 15. *3. Reg. 2.*

Exod. 3.

Exod. 3.

A ham,& Isaac & Iacob,sed deus Abraham, & deus Isaac , & deus Iacob.Io alio autem loco sic dixit: Vade & dic ad Pha- *Exod. 3.* raonem,deus Hebræorum misit me. Qoi enim perfectissime suot circa deum,quantuo ad comparatiooem dico cætterorum hominum,plenius totum babens deum in se: propterea non communiter,sed singulariter eorum dicitur deus. Vt puta si dicatur,ager ille eorum est, osteodimus quod vnusquisque eorum qui possident agrum illum,partem modicam habens de eo , & non habens eum in toto.Si autem dicimus, quoniam ager ille illius est,demõstramus quia totum agrum illum possidet ille. Sic & vbi dicitur deus Hebræorum , imperfectio demõstratur eorum,quoniam vnusquisque eorum aliquid modicum de deo babebant. Abraham autem totum habebat deum,& Isaac totum habebat deum, & Iacob totũ habebat deum,ideo non dicitur in communione,deus eorũ: sed deus Abraham,& deus Isaac,& deus Iacob:quasi singuli eorum totum habeant deum.Sic & alibi dicitur deus Heliæ. Christi autem & deus & pater est. Quod beneficium singulare donauit etiam discipulis suis,vt non solum deus sit eorũ, sed etiam pater , sicut dicit ad Mariam post resurrectiooẽm suam: Vade ad fratres meos , & dic eis: Ascendo ad patrem *Ioan. 20.* meum,& patrem vestrum, ad deum meum , & ad deum ve- *Luc. 20.* strutu.Lucas autem hoc addidit,amplius dicens: Nõ est deus mortuorum,sed viuorum Omnes enim ei viuunt , quod oon B ad modicam laudem respicit patriarcharum qui non solum viuebant,sed deo viuebant quod viuebant,& nemini alteri, vt nos festinemus oemini viuere nisi deo.

TRACTATVS XXIII.

Cap. XXII.

N illo tempore, Aodientes autem Pharisæi quod silentium imposuisset Iesus Sadducæis,conuenerunt in vnum,& interrogauit vnus ex eis tentans eum: Magister quod est maius mandatum in lege? Ipse autem dixit eis. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua,& ex tota mente toa. Hoc *De dilectione Dei & proximi.* est maximum,& primum mandatum,& reliqua.] Cum dominus ad interrogationem Sadducæorum esse resurrectionẽ audire nolentibus demonstrasset legis exemplo (sicut dixit Matthæus) silentium Sadducæis imposuit Iesus volens ostẽdere , quoniam amaram & nociuam mendacij vocem obmutescere fecit claritas veritatis. Sicut ergo Saluator verbo doctrinæ suæ silentium imposuit Sadducæis,& falsum dogma, qood apud illos veritas putabatur,conuicit fiducialiter : sic facient & Christi imitatores exemplis scripturarum , quibus oportet secundum sanam doctrinam omnem vocem obmu- *Ezech. 29.* tescere Pharaonis in qua glorians dicit: Mea suot flumina, & ego feci ea,sicut scriptum est apud Ezechielem. Sadducæi ergo qui dicunt resurrectionem non esse,interrogauerunt Sal- C oatorem ea quæ scripta sunt,existimantes silentium imponere ei. Sed nec Iesus,nec dilecti discipuli eius aliquando obstruuntur ab impiis. Proprium est enim vt Sadducæis silentiũ *Eccl. 3.* imponatur à Christo. Iustus enim tacet quidem sciens tempus tacendi,& tempus loquendi,non autem obtumescit. Et sicut proprium est iusti tacere,non autem obmutescere : sic proprium est Sadducæorum vel omnium qoi mendacij sunt *Matth. 8.* doctores,obmutescere quidem,non autem tacere. Nam etsi obmutescuot quantum ad rem,non tamen tacent . Ideo & dominus non homini dixit,sed mari:tace,& obmutesce ; increpans illud cum turbaretur. Tamen Pharisæi qui resurrectiouem coosentiunt,audieotes quod silentiũ imposuit Sadducæis,conuenerunt in vnum , videlicet resurrectionis dogmate præualente,& congregati sunt qui noo congregabantur quamdiu Sadducæis silentium oon imponeretur. Nihilominus tameo & si congregati fuerint, propterea quod tenuit resurrectionis probatio,tamen vnus ex eis interrogauit, non quasi volens ab eo discere quæ interrogabat,sed tentans dominom deum. Omnem ergo hominem qui non discendi gratia,sed tentandi causa , oeque ex affectu simplici interrogat aliquem doctorum de qualicunque capitulo , existimare debemus fratrem Pharisæi illius qui Saluatorem interrogatione sua teotabat. Omnia enim quæ fiunt in sanctos Christi siue ab iosidiatoribus,siue à diligẽtibus, in se suscipit vniuer- D sa,secundum ea enim quæ scripta suot , tractare debemus & ea quæ scripta non sunt. Scriptum est enim propter esurien- *Matth. 25.* tes,& sitientes eum dixisse,Esurij & sitij : & propter nudos, & peregrinos,& ægrotantes,& io carcere positos,Nudus fui, & hospes fui,& in carcere fui,& infirmus fui. Secundum cõsequẽtiam similitudinis addamus & nos: iniurias passus sum, carius sum,& tentatus sum,& omnia. Et sicut in illis quę scripta sunt, verus est sermo domini dicentis : Quamdiu vni ex minimis istis fecistis,mihi fecistis:sic cum iniuriã passus fuerit iustus,vel blasphematus,vel aliquid tale passus,pone Christũ in eos qui fecerunt dicentem eis: Quãdo voi ex mioimis istis fecistis iniuriam, me tentastis , me blasphemastis. Videamus nunc propositionem tentantis. Magister (inqoit) quod est mandatũ maius in lege?] Tentans dicebat Magister , quoniã noo quasi discipulus Christi proferebat hanc vocẽ. Hoc autẽ manifestius erit ab exemplo quod dicemus. Puta , pater filij sui pater est,& nemo eum proprie potest dicere patrẽ oisi filius eius,& mater filię suæ mater est:& nulla eã potest dicere patrem, nisi sola filia eius. Sic & magister discipuli sui magister est,& discipulus magistri sui discipulus est. Propterea oemo potest dicere bene magister,nisi discipulus . Et vide oisi propter hoc,quia non omoes qui dicunt eum magistrum,bene dicunt,sed hi soli qui habent discendi voluntatem ab eo, E dicebat ad discipulos suos: Vos vocatis me magistrum,& do- *Ioan. 13.* mioũ,& bene dicitis:sum etenim. Bene ergo discipuli Christi vocant eum magistrum & seruientes verbo ipsius bene illum *1. Cor. 8.* dominum vocant. Vnde bene dicebat Apostolus: Nobis autem vnus dominus Iesus Christus,per quẽ omnia, & oos per ipsum. Et illud considera quod ait: Satis est discipulo,vt fiat non simpliciter sicut magister,sed sicut magister eius. Si quis ergo aliquis non discit à verbo , nec tradit se ex toto animo suo,vt fiat dilecta plantatio eius,dicit autem ei, Magister, frater est Pharisæi tentantis Christum,& dicentis ei, magister. Sic & omnis qui dicit: Pater noster qui es in cœlis,non debet *Rom. 8.* habere spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum. Qui autem oon spiritum adoptioois filiorum habet,& dicit: Pater noster qui es in cœlis,mentitor, cum nõ sit *Matt. 6.* filius dei,deum patrem suum appellans . Interrogatio autem ipsa est talis. Quod est magnum mandatum in lege?] In quo dignum est vt de mandatorũ differentia aliquid exponamus. *De mãdatorum differentia.* Quædam enim mandata sunt magna , quædam autem subsequentia:& sic per ordinem vsque ad minima mandata est requirendum. Si enim tentanti Pharisæo,& diceoti : Quod est maius mandatum in lege,non respondisset, consequẽter existimabamus non esse mandatum maius altero mandato. Nũc autem cum respondens dicat: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua, & ex tota mente tua, hoc est magnum mandatum & primum , necessariam discimus sententiam de mãdatis,quoniam & sunt magna, & sunt F inferiora,vsque ad minima. Adhuc autem & illud attende, quòd Pharisæus interrogauit qood est magnum mandatum in lege,dominus autem respondens ei docet nos,quia nõ solum magnum est mandatum diligere dominum , sed etiam *Primum mandatũ dignitate virtutis.* primum. Primum autem oon ordine scripturæ,sed dignitate virtutis. Et hoc quasi conueniens huic loco est attendẽdum, quia quasi multis mandatis coostitutis,ita nũc magnum hoc, & primum dixit mandatum : Diliges dominum deum tuum ex toto corde too,& ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua.] Secundum & simile est priori, & propter similitudinem magnum: Diliges proximum tuum sicut te ipsum,] vt secundum hoc intelligamus & aliud esse qood sit magnitudine & ordine tertium,aliud vero quartum : & sic per ordinem dinumerans legis mandata,accipiens à deo sapientiã, ordinet ea quis *1. Cor. 1.* vsque ad minimum. Quod opus nullius alterius est nisi Christi solius qui est dei virtus,& dei sapientia. A temporibus igitur Moysi vsque ad Saluatoris aduentum cum legeretur lex, forsitan quærebatur quod esset magnum mandatum in ea. Nec enim interrogasset hoc Pharisæus, nisi diu apud illos de hoc quæsitum fuisset,& oon inuentum,donec inueniens Iesus docuit nõ solum qood esset magnum, sed etiam primum & quod esset secundum simile priori. Ipsius ergo est opus inuenire & tertium,& quartum,& reliqua. Quæres autem si est

G aliquod mandatum non habens vtrumque, id est vt & primũ sit & magnum, sed vnum ex eis. Et puto tale aliquid dicit Apostolus ad Ephesios: *Ephes. 6.* Honora patrem tuum & matrẽ, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & eris longæuus super terram. Ergo primum quidem, non autem & magnum, Honora patrem tuum & matrem: & si est aliquod magnum quidem non autem & primum, quæres differentiã magnitudinis mandatorum. Et quia ad comparationem quidem mandatorum sunt alia minima, vtile est ad exemplum proferre quod ipse dominus ait: *Matt. 5.* Si quis soluerit vnum de mandatis his pusillis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno dei. Et saluator quidẽ tradens quod esset magnum mandatum, & primum, ad interrogationem pharisæi tentantis: adiecens autem & secundum simile priori, quod erat, *Rom. 13.* Diliges proximum tuum sicut teipsum, addit dicẽs: In his duobus mandatis, omnis lex & prophetæ pendent. Apostolus autem ad Romanos dicit: Non mœchaberis, nõ occides, non furtum facies, & si quod est aliud mãdatum, in hoc verbo recapitulatur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Videamus ergo verum aliud est pendere omnem legem & prophetas in his duobus mandatis de dilectione Dei & proximi: aliud autem, recapitulari omne mandatum in hoc mandato, Diliges proximum tuum sicut teipsum: aut omnia mãdata & pendent, & recapitulantur in vtroque mandato. Dicit ergo aliquis pendere à mandatis mãdata: & à primo quidem & magno pendere secundum & simile primo, à secundo autem tertium, & sic deinceps omnia quæ sunt post secũdum, pendere à præcedentibus. Et Apostolum quidem secũdum considerationem rei dixisse pendere omne mandatum à mandato, Diliges proximum tuum sicut te ipsum: Saluatorem autem docuisse, quoniam dominationem habent omnium mandatorum hæc duo mandata. Alter autem discutiẽs quæret, quomodo dictum est illud, Non mœchaberis, nõ occides, non furtum facies, & si quod aliud est mãdatum in lege, in hoc verbo recapitulatur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dicet ergo: & illud mandatum, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tuã, & ex tota mente tua, recapitulatur in eo mãdato. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quomodo autem verũ sit quod ait: Et si quod aliud est mandatum in hoc verbo recapitulatur, nisi & mandatum quod positum est de dilectione dei, recapituletur in secundo, & simili priori? Et si primum mandatum recapituletur in secundo, necesse est maius esse secundũ priore. Recapitulatur ergo omnẽ mandatum, sed & primum illud & magnum in hoc secundo, Diliges proximũ tuum sicut te ipsum: I quoniam diligentes nosmetipsos si quid fecerimus, & ipsum diligimus deũ qui factus est auctor dilectionis nostræ, vt alterutrum diligamus, & diligamur ab inuicẽ. *Diligere deũ ex toto corde ex tota anima, &c.* Gratias enim agẽtes in eo quod rationabiles sumus, & vocati sumus ad dei agnitionem. & consequimur beneficia eius, & gratiam, recapitulamus dei dilectionem in secundo, & simili priori. Magnum ergo & primum mãdatum in lege ẽst hoc, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota animatua, & ex tota mente. Et forsitan omnes qui diligũt deum, & dominũ suum, nisi sequentes partes impleuerint, & ex toto corde dilexerint, & ex tota anima, & ea tota mente, ex parte seruant mandatum: *Anima.* Hi autem soli magnitudinẽ eius in se suscipiunt & primatum, qui non solum diligunt dominum deum suum, sed etiã tria illa susceperint, id est vt ex toto corde suo apud se illam totam recondant, & operationes eius, & cogitationes eius: & ex tota anima sua, id est, vt parati sint ponere eam pro pietate dei qui vniuersa creauit, quando vtilitas exegerit verbi: ex eo quod ex tota anima diligit deum, ita vt nulla pars animæ euellatur ad aliquam rem quę à fide est aliena: & in tota mente nostra nihil aliud cogitantẽs vel proferentes nisi ea quæ dei sunt. Et vide si potes cor quidem accipere pro intellectu, *Cor.* qui est in intelligibilibus speculans, & ostendens fontem & principium eorum quod est deus: mentem autem ad proferendas res. *Mens.* Mante enim proferimus singulas res, & per vnumquodque significatum quasi mẽte nostra inambulamus, atque proferimus. Et si quis ingeniose intelligat mandatum, quod de dilectione positũ est in omnibus illis tribus quę sunt nominata, & cõsiderauerit in singulis quibusq; fidelibus dei dilectionẽ, inueniet forsitam totum mandatum aut K apud vnũ forsitan, vel secundũ, vel tertiũ, & hoc si fuerit datũ in omnibus, aut dei dilectionẽ minus habẽtem, vel modicũ, vel amplius, aut ex eo quòd dicit ex toto corde: aut ex eo quòd ait, ex tota anima, aut ex tota mente. Simile est & secũdum mandatum priori, quoniam est dilectio hominis qui factus est secundũ imaginem dei, forsitan & secundum similitudinẽ. In expositione autem mãdati quod est de dilectione proximi positũ, etiam hæc sunt discenda. Quoniam secũdum quod dictũ est in decimo psalmo: Qui diligit iniquitatem, odit animam suã: & secundũ quod in Prouerbiis dicitur: *Prou. 15.* Qui repellit disciplinam, odit se ipsum: manifestum est quoniam nemo diligens iniquitatẽ diligit proximũ suũ sicut se ipsum, cum nec seipsum diligat: & nemo repellens disciplinam diligit proximum suũ sicut seipsum, quippe qui nec ipsum se diligit: Et ita fit, vt qui diligit iniquitatem, & odit animã suam, nec possit seruare secundum mandatum. Similiter & qui repellit disciplinã, peccatum diligit: ideo & qui repellit aliquod verbũ disciplinæ dei, odit animam suã. Post hæc quæres quomodo omnis lex & prophetæ pendent in duobus istis mandatis. *Lex et prophetæ quomodo pendeant in his duobus mandatis.* Videtur enim textus ostendere, quod omnia quæcunq; sunt scripta, vel in Eaodo, vel in Leuitico, vel in Numeris, vel in Deuteronomio, pẽdeant in his duobus mãdatis. Quomodo autẽ lex quæ posita est de leprosis, vel de fluxum sanguinis patientibus, vel de menstruatis mulieribus, pendeant in istis mandatis: adhuc autẽ quomodo & prophetia quæ de Hierusalẽ captanda posita est, vel visio Aegypti apud Esaiam L exterisq; prophetas, quomodo & visio Tyri, vel quæcunq; prophetantur de Tyro, vel de principe Tyri, *Esa. 6.* quomodo etiam visio quadrupedũ in deserto apud Esaiam pendeant in duobus istis mãdatis? Quod autẽ videtur mihi in hoc loco, huiusmodi est. Qui omnia impleuit quæ scripta sunt de dei dilectione & proximi, dignus est maximas gratias à deo percipere, quibus præpositus est sapientiæ sermo per spiritum sanctum, per quem sermo scientię qui secundum spiritũ est. Dignus autem constitutus his omnibus donis exultat in sapientia dei, plenũ habens cor de dei dilectione, & totã animam, lumine scientiæ illustratã, & totam mentem verbo dei. Consecutus autem huiusmodi donã ex deo, profecto intelligit omnem legem & prophetas, partem aliquã esse ex omni sapientia, & sciẽtia dei, & intelligit omnem legem, & prophetas pendere, & adhærere à principio dilectionis domini dei, & proximi, & quoniam perfectio pietatis in dilectione consistit, sufficiẽtia quidem sunt & ista quæ diximus: tamen ad demonstrationem magnitudinis eius nihilominus conuenit & ista subiungere. *Dilectionis laus.* Charitas patiens est, benigna est. Charitas non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non irritatur, non cogitat malum, *1. Cor. 13.* non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati, omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat, charitas nũ M quam excidit. Nemo enim pusillanimis constitutus charitatem habet, nec contrarium aliquid faciens benignitati, neq; zelans zelũ quem habuerunt patriarchæ aduersus Ioseph, vel Aaron & Maria cõtra Moysen. *Num. 12.* Et nemo inflatus habet dilectionẽ, neq; perperam aliquid agens, nec qui in iracundiã excitatur. Item nemo cogitans malũ, charitatem habet in corde coinquinatus. Qui charitatẽ habet, nunquã de aliqua re iniusta gaudet, sed semper veritati cõgaudet. Qui charitatẽ habet, omnia accidentia sustinet mala, & non pro parte credit, sed omnia credit, & non ex parte sperat, sed omnia sperat, nec est quod non sustinet dilectio, sed omnia sustinet. Et quoniam charitas nunquã excidit, confidens Apostolus totã eam se suscepisse, dicebat: *Rom. 8.* Quis nos separabit à charitate dei? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculũ, an gladius? Sicut scriptũ est, Quoniam propter te mortificamur tota die, existimati sumus vt oues occisionis. Propter dilectionẽ enim dicebat, Sed in his omnibus superamus propter eũ qui dilexit nos. Ex charitate enim nunquã excidente erant illæ voces dicẽtis, Cõfido enim quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; pręsentia, neq; futura, neq; virtutes, neq; altitudo, neq; profundum, neq; alia aliqua creatura poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Et quoniã habebat duo Apostolus dilectionis mandata, dei, & proximi, ideo habebat in se totius legis & prophetarũ

manifestata

A manifestata mysteria, vt intelligens ea diceret, quoniā omnis lex & prophetę in his duobus mandatis pēdent. Congregatis autē Pharisęis interrogauit eos, Iesus dicēs: Quid vobis videtur de Christo, cuius est filius? Dicūt ei, Dauid. Dicit eis Iesus: Quomodo ergo Dauid in spiritu dominū eum vocat, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid dominum eum vocat, quomodo filius eius est? Et nemo poterat respondere ei verbum, nec ausus est quisquam ex illa hora interrogare quicquam.] Verba quidem ipsa posita sunt in Psalmo centesimonono, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quasi confitentibus autē pharisæis, quoniā qui dixit quidem est dominus Deus, ad quem autem dixit secundus dominus Christus, interrogat eos saluator dicens, Quid vobis videtur de Christo, cuius est filius: & ad responsionem eorū qui dixerunt Dauid, addit dicens: Si Dauid dominum eum vocat, quomodo filius eius est? Digna est ergo res vt videamus quid volens proponat saluator Pharisęis quęstionem de Christo, vt responderent quid eis videretur, & quæ fuit causa vt non possint ei dare responsum. Et simplicior aliquis ex discurientibus ista dicet, quia voluntas saluatoris fuit hæc, vt cōpesceret Pharisæorum audaciam, multas propositiones

B proponentium ei: similiter & Saducęorum qui proposuerant ei de septem fratribus, & vna vxore eorum. Quoniam ergo multa proponentes Pharisæi & Saducæi aliquid dicere videbantur, & hoc facientes non quasi discipuli discere cupiebāt, sed tentabant Christum, & sic videbantur legis esse doctores cum nō essent: ideo fuit & dominum interrogationem proponere eis necessarium, profitētibus legis habere se sciētiam, vt coram populo argueret eos, cum responsum ad interrogata non dederint, ipse ad omnia respōdens: quoniam ipse quidem idoneus erat secundum professionem doctoribus condocentem manifestare & tradere doctrinam diuinam: illi autem, nec ipsum prophetam qui erat fastigiū prophetarū sciebant. Adhuc autem cui hæc expositio placet adiiciens dicit. Propterea & sic adiicit scriptura Euangelij, dicens: Et nemo poterat respondere ei verbum, nec ausus est quisquam ex illa hora interrogare eum verbum.] Causa autē vt non essent ausi interrogare eum postmodum verbum, hæc fuit, quia interrogari respondere ei non poterant. Si enim interrogatio eorū fuisset ex voluntate discendi, nunquam talia eis proposuisset, vt postmodum non essent ausi interrogare. Sed tentantes interrogabant, ideo obstruere eos voluit interrogatione sua, vt erubescentes quiescant ab audacia sua, & postmodum nihil interrogent eum. Hæc secundū intellectū simplicis interpretatoris sumus locuti. *Anagoge de Christo.* Nos autem dicimus, quoniā cognoscebat seipsum saluator & dominus noster, factum quidē ex semine Dauid secundum carnem, prędestinatum autem filium Dei in virtute: *Rom. 1.* & quoniam hæc omnia erat quæ ipse de se do-

C cens dicebat: Ego sum via, veritas, & vita: ego sum ianua, ego sum resurrectio, ego sum panis viuus qui de cœlo descendi, *Ioan. 14. 10 6. 8.* & sciens esse se ante natiuitatem etiam ipsius Abrahæ: propter quod & dicebat: Ante Abraham ego sum: & sciens quoniam sapientia erat, & verbum viuum: *Prou. 8.* sapientiam quidem quam Deus creauit principium viarum suarum in opera sua: verbum autem quod erat in principio apud Deum, Deus verbum: hęc omnia de ipso cognoscens, & videns Pharisęos quia illud quidem quod secundum dispensationem humanam & propter homines erat vt capere possint sciebant ex diuinis scripturis, *Ioan. 1.* quoniā de semine erat Dauid secundum carnē, forsitam autem quoniam & omnino eum arbitrabantur filium esse Dauid: videns autem longe eos esse ab intellectu diuinitatis suæ secundum quod principium erat vniuersæ creaturę, nullius filius constitutus nisi Dei qui super omnia est, arguere titubantem existimationem eorum de se, & prouocare eos sermonibus suis, vt velint ascendere verbo, & videre secundum quod Deus verbum erat, qui erat in principio apud Deum, in primis quidem dixit: Quid vobis videtur de Christo, cuius est filius? Ita respondentibus, & dicentibus: Dauid, iterum eis respondit: manifestans sublimitatem diuinitatis suæ, quę demonstrabatur in ipso principio psalmi dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam *Psal. 109.*

inimicos tuos scabellum pedum tuorū: vt etsi tunc ei respon- D dere non possent, tamen occasionem acciperēt ex verbis ipsius, vt totum psalmum considerantes, aliquid amplius sentirent de Christo, qui non solum excedens erat humanam naturam, sed etiam cæteras genituras, secundum quod ait: In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te. Non enim specialiter designauit in splendoribus aliquorum sanctorum, sed generaliter de omnibus sanctis, id est, non solum hominum, sed etiam angelorum dicens: In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te. Et siquidem sapienter considerassent & illud, Iurauit dominus, nec eum pœnitebit, tu es sacerdos in ęternum secūdum ordinem Melchisedech, subiecissent vtique se sicut discipuli tali saluatori nostro, qui à Deo erat transmissus magister, atque sacerdos. Sed causa fuit propter quam Pharisæi non potuerunt respondere sermonibus Christi ista, quoniam nihil magnum de Christo in sanctis scripturis positum sentiebant, sed tantummodo de dispensatione eius humana, sed nec ipsam digne diuina dispensatione. Puto enim quod nec illud sciebant quod dixit: Ecce virgo in vtero concipiet, & vocabitur *Esa. 7.* nomen eius Emmanuel: nec illud, Ecce orietur stella ex Iacob, *Num. 24.* de natiuitate videlicet Christi. Hoc autem ipsum quod dicit in Psalmo: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: opportunius quidem exponet quis, cum ipsum sibi E exponere proposuerit psalmum. Et nunc tamen seorsum eius leuiter degustemus. Nec tibi describas sensibiles sessiones, *Sessio Christi ad dexteram patris de regno accipienda.* & duas cathedras, & sedentes super eas humano schemate patrem & filium: sed intellige hæc moraliter dici de regno Dei, & de regno filij, quod à patre est stabilitum, & est semper ad dexteram patris. Si quis autem hæc moraliter intelligi non vult, exponat quomodo & hoc sit verum quod ait: Dixit dominus domino meo sede à dextris meis: & illud quod alibi dicit: Sedere autem ad dexteram meam, & ad *Matt. 20.* sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo. Cogendus est ergo dicere qui non vult hæc intelligere digne, secundum magnitudinem sensus Christi, quoniam aliquando quidem ad dexteram sedet patris, aliquando autem dignitatem huiusmodi derelinquens sedendi ad dexteram patris, priuatim sedet cum eis quibus parauit pater vt sedeant ad dexteram, vel ad sinistram. Item adhuc cogendus est dicere, quoniam ad dexteram quidem sedens patris, adhuc inimicos habet. Tandiu enim sedet iuxta eum donec ponātur à patre scabellum pedum Christi. Cum vero desierit sedere ad dexteram patris, tunc iam non habebit inimicos, cum sedere ad dexteram eius vel sinistram cœperint secundum ordinationem patris, qui prius fuerant scabellū pedum ipsius. Et ita fit vt sedentium aliqui in locu priori sedeāt patris. His autem quid magis ridiculum potest esse? Deinde corporalem volens intelligere sessionem, inuenies in eodem Psalmo, quoniam & filius ad dexteram sedet patris, secun- F dum quod ait: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: *Psal. 109.* & pater sedet ad dexteram filij, secundū quod in sequētibus declaratur, dicens: Dominus à dextris est tuis, confringet in die iræ suæ reges. Nos autem dicimus non esse necesse corporalem considerationem introducere in his quæ spiritaliter sunt intelligenda. Nam moraliter & filius ad dexteram patris est: & pater ad dexteram filij semper. Quomodo & inimici saluatoris ponuntur à patre scabellum pedum eius: congruum est videre digne, secundum benignitatem Dei ponentis inimicos eius scabellum pedum ipsius. Nec enim est existimandum similiter ponere Deum inimicos Christi scabellum pedum eius, quemadmodum ponuntur inimici sub pedibus regum terrenorum exterminantium proprios inimicos. Nonne illi sine misericordia conculcant aduersarios proprios? Deus autem non ad perditionem ponit inimicos Christi scabellum pedum eius, sed ad salutem ipsorum, sicut *Cur Deus inimicos Christi pedibus eius subiiciat.* proferemus scripturarum sanctarum exempla idipsum significantia. Scriptum est enim in Lamentationibus Hieremiæ in secūdo Aleph, Quomodo cōtenebricauit dominus in ira sua filiam Sion, deiecit de cœlo in terram gloriam Israël, & non fuit memor scabelli pedum suorum. *Thren. 2.* Et vide quoniam quādo quidem erat Israel scabellū pedum Dei, in cœlo erat glori-

G fus: poſtquam autem eſt deiectus vt non ſit ſcabellum pedum eius, deſiit eſſe io cœlo. Attende enim diligẽter quod ait: Deiecit de cœlo in terram gloriam Iſraël, & non fuit memor *Eſa. vlt.* ſcabelli pedum ſuorum. Item & illud, Cœlum mihi ſedes, terra autem ſcabellum pedum meorum, non ignominiam, ſed gloriam ſignificat terræ, quæ de Deo modicam aliquam & nouiſſimam intelligit partem, quæ moraliter appellatur pedes eius. Sic & eccleſia ſuper terram in initiis quidem culturæ Dei & notitiæ Dei ſcabellum pedum eius: ſicut & pœnitentiã agẽs mulier illa peccatrix ad pedes erat Ieſu io principiis pœnitentiæ ſuę: nec enim poterat vnguentum odoris actuum ſuorum bonorum effundere ſuper caput Chriſti. Optabile enim erat vel ſecus pedes domini ſtare & vngere. Et *ad Tit. 3.* vnuſquiſque noſtrum ſe intelligens eſſe quod dicit Apoſtolus, Eramus & nos aliquando ſine intellectu, increduli, errãtes & ſeruiẽtes deſideriis, & voluptatibus variis, videbit quomodo quando quidem talis erat, priuſquam lauaretur ab illis, inimicus fuerat Chriſti inimicus iuſtitiæ, veritatis, ſapientiæ, pacis. Poſtquam autem benignitas apparuit ſaluatoris noſtri Dei, primum factus eſt ſcabellum pedum Chriſti. Et ego confitẽs quoniam iſte eſt ſenſus ſcripturæ, non dubito affirmare quoniam ſic dicit filio pater, Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Et A- *1 Cor. 15.* poſtolus in prima ad Corinthios talem introducit ſenſum H ſcripturę, vt ad ſubiectionem intelligamus eorum qui aliquãdo fuerant inimici, fieri eos ſcabellum pedum Chriſti hoc modo dicens: Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium factus eſt: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificabuntur, Vnuſquiſq; autem in ſuo ordine: initio Chriſtus, deinde hi qui ſunt Chriſti, qui in aduentu eius crediderũt, deinde finis, cũ tradiderit regnũ Deo & patri, cum euacuauerit omnem principatũ & poteſtatem & virtutem. Oportet enim illum regnare donec ponat inimicos eius ſub pedibus eius, nouiſſima autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius Cum autem dicat, quia omnia ſubiecta ſunt ei, manifeſte præter eum qui ſubiecit ei omnia. Cum autem ſubiecta illi fuerint omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei qui ſibi ſubdidit omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Horum quidem omnium manifeſtationem fecimus in proprio loco. Vide tamen quomodo in omnibus iſtis nomẽ ſubiectionis ad ſalutem ponitur ſubiectorum.

Tractatus. xxxiii. *Cap.* xxiii.

Diſcipuli turbis meliores. N illo tempore, loquutus eſt Ieſus ad turbas & ad diſcipulos ſuos dicens: Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & phariſæi: omnia quæcunque dixerint vobis facite, ſecundum autem opera eorum ne I faciatis.] Frequenter quidem, maxime autem apud Matthęũ ſeruatur, quoniam meliores ſunt diſcipuli Chriſti cæteris tur- *Matt. 5.* bis, Et inuenis quidem in eccleſiis quoſdam quidem cum dilectione audientes diuinas doctrinas, & effectuoſius accedẽtes ad verbum. Iuſte ergo huiuſmodi homines dicuntur eſſe diſcipuli Chriſti: cæteros autem multos qui non ſunt tales, populum eſſe illius. Et quædam interdum quidem diſcipulis ſuis ſolis dicit, non etiam turbis, ſicut beatitudines illas in euangelio ſcriptas, de quibus Matthæus quidem dicit ita, quoniam videns turbas aſcendit in montem, & ſedente eo acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos dicens: Beati pauperes ſpiritu, & cætera. Lucas autem tollens (inquit) oculos ſuper diſcipulos ſuos, dicebat: Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnũ cœlorum. Alia autem annũciat turbis, ſicut parabola ſeminantis declarat, Matthæus autẽ ita ſcribit: Loquente autem eo ad turbas, ecce mater & fratres e- *Matt. 12.* ius ſtabant foris quęrentes loqui cũ eo. Turbis ergo loquebatur quę ſcripta ſunt ante hæc. Cum autẽ dixiſſet ei aliquis, Ecce mater tua & fratres tui ſtant volentes te videre, reſpondẽs nuncianti ſibi dixit: Quę eſt mater mea & fratres mei? Non iam extendens manum ſuam ſuper turbas, ſed ſuper diſcipulos ſuos dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Qui enim fecerit voluntatẽ patris mei qui in cœlis eſt, ipſe eſt mihi & mater & frater, & pręcedẽtes parabolas exponens Matthęus ſcribit: K Egreſſus Ieſus de domo, ſedebat ſecus mare. Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, vt ingrediens in nauem ſederet, & *Matt. 13.* totus populus ſtabat in litore, & locutus eſt eis multa in parabolis dicẽs: Ecce exiuit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Et ne putes cuẽtu ſic poſitam parabolæ narrationem ſeminãtis, quia turbis eam Ieſus loquebatur, conſidera Marci & Lucæ *Mar. 4.* expoſitionẽ, qui ſimiliter conſcripſerunt. Marcus quidem ita: Cœpit iterum docere ad mare, & cõgregatus eſt ad eum populus multus vt intraret in nauem, & ſederet in mari, & totus populus ſecus mare in terris erat: & docebat eos in parabolis multa & dicebat eis, exiit qui ſeminat ſeminare. Lucas autem *Luc. 8.* hoc modo: Conueniente autem populo multo, & per ſingulas ciuitates exeunte ad eum, dixit parabolam talem. Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Manifeſte autem differentiam populi & diſcipulorũ ſcientes euangeliſtæ, poſt parabolã addiderunt, quod iam non turbis, ſed diſcipulis exponebat cauſam ꝑpter quã turbis in parabolis loqueretur. Matthęus quidẽ dicit ita: Accedentes diſcipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Lucas autem ita. Interrogabant autẽ diſcipuli eius quæ eſſet hæc parabola. Marcus vero ſic: Et cum facti fuiſſent ſecreti, interrogabãt eum diſcipuli quæ eſſet parabola hæc. Et vide ſi potes ex euãgelio Ioãnis audire & diſce- L re, quoniã ſi tantummodo credũt, & in verbo aſcendere non cõcupiſcunt, Chriſti populus ſunt. Qui autẽ æmulantes ſunt dona meliora, & quod eſt primũ omnium gratiarũ, ſapientiæ verbum ſtudent ſuſcipiẽtes, diſcipuli ſunt ipſius. Dicit autem *Ioan. 8.* Ioannes ita, quoniã dicebat Ieſus ad eos qui crediderũt ei Iudeos: Sed ſi manſeritis in verbo meo, cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Ergo quædam quidem diſcipulis ſuis dicit, quædam autẽ turbis, alia vero turbis ſimul atq; diſcipulis: ſicut & ſunt hæc ipſa præſentia de quibus loquimur modo. Quid ergo dicit turbis & diſcipulis videamus. Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & phariſæi. Quod arbitror huiuſmodi eſſe. Qui legem Moyſi profitentur ſe interpretari, *Super cathedrã Moyſi ſedẽtes.* & in hoc gloriantur, aut qui ſuperaſcendere hæc ſe profitentur, hi ſedent ſuper cathedram Moyſi. Qui ergo nõ recedũt à litera legis, ſcribæ dicuntur. Qui autẽ maius aliquid profitentes diuidunt ſeipſos quaſi meliores à multis, ſecundum hoc phariſęi dicuntur, qui interpretãtur diuiſi & ſegregati. Phares enim diuiſio appellatur, Eſt ergo videre vſque nunc apud Iudęos, ſedentes ſuper cathedram Moyſi, ſcribas & phariſæos. *Phares diuiſio.* Non hoc dico, quia ſoli ſcribæ & Phariſęi ſederunt ſuper cathedram Moyſi qui dicebant non faciebant, & alligabant onera grauia & importabilia ſuper humeros hominum, ipſi au- M tem nec digito volebant ea mouere. Arbitror enim quoniam qui Moyſen ſecundum ſpiritalem virtutem intelligunt & exponunt, ſedent quidem ſuper cathedrã Moyſi, ſed non ſunt ſcribæ & phariſęi, ſed his meliores Tales ſunt dilecti Chriſti diſcipuli, qui & verbum eius per gratiam Dei interpretãtur, & inueniunt ea quæ ſunt aliud ex alio ſignificantia. Ergo ante Chriſti quidem aduentum ſuper cathedram Moyſi ſede- *Cathedra eccleſia.* bant bene, qui bene & ſecundum rationem dicta Moyſi interpretabantur. Poſt aduentum autem Chriſti ſedẽt ſuper cathedram eccleſiæ, quæ eſt cathedra Chriſti & thronus. Sicut autem ſuper cathedram Moyſi male quidem ſedebant ſcribæ & phariſæi, bene autem qui recte intelligebant legem atque *Matt. 5.* tradebant: ſic & ſuper eccleſiam ſedent quidam dicentes quæ facere oporteat vnumquenque, non autem facientes: & alligantes onera grauia, & imponunt ſuper humeros hominum, ipſi nec digito volentes ea mouere: De quibus dicebat ſaluator: Quicunque exoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit homines ſic, minimus vocabitur in regno cœlorum. Alij autem ſedentium faciunt antequam dicant, & dicunt ſapienter moderantes differentias humerorum, & onera eis parce imponunt: ipſi ea prius mouentes ad hortationem audientium cæterorum, de quibus dominus ait: Qui autem fecerit & docuerit ſic, hic magnus vocabitur in regno Dei. Adhuc autem ſecundum ſimplicem traditionem dicti huius quo ait: Secundum omnia quæcunque dixerint vobis facere facite, ſecundũ opera eorũ ne faciatis,] dicimus quoniã per hæc oſtendere voluit quoſdam in eccleſia eſſe, qui quantũ ad verbum quidem potẽtes ſunt docere mirabilia, &

A exponunt ea secundum rationem, non autem volunt secundum quod dicunt agere: quorum quidem doctrina est audienda, non autem est & conuersatio imitanda. Reprehēdit ergo huiusmodi præceptores qui non solum quæ docent non faciunt, sed etiam crudeliter & sine misericordia, non secundū existimationem virium vniuscuiusque audientis, sed maiora virtute ipsorum iniungunt: vtputa qui prohibent nubere, & ab eo quod expedit, ad immoderatam inuoditiā compellūt. Qui docent etiam abstinere à cibis, & alia huiusmodi, ad quæ non omnino oportet cogere homines fideles, alligāt per verbum expositionis suæ onera grauia, circa voluntatem Christi dicentis, Iugum meum suaue est, & onus meum leue est: & imponunt ea quantum ad verbū suum super humeros hominum curuātes eos, & cadere facientes sub pondere grauium mandatorum eos qui baiulare ea nō sufferunt. Et frequenter videre est eos qui talia docēt, cōtraria agere sermonibus suis, & nec modica virtute animæ quæ moraliter digitus appellatur, volunt ea mouere. Castitatē enim multi docentes, castitatem non seruauerunt. Abstinere à cibis hortātes alios, ipsi siue propter simulationem, siue propter hoc quod victi sunt à cōcupiscentiis suis, cibos huiusmodi susceperunt quos abrenūciauerant verbis, alia docentes in publico, & alia secrete, & occulte agētes, omnia facientes propter persuoas hominum,

Encratitas perstringit. — *Matt. 11.* — *Digitus quid moraliter.*

B & glorias vanas, sicut subsequens sermo demonstrat dicens: Omnia opera sua faciunt, vt videātur ab hominibus.] Et plerunq, omnes illi sunt tales qui diligunt primos discubitus in cōuiuiis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabi, aut aliquid quod simile est Rabi huic: vtputa qui volūt vocari episcopi aut presbyteri, aut diaconi, cum deberet vnusquisque eorum etiam si vocaretur ab aliquo vel conscientiam suam ostendere Deo, quoniam non vult hoc nomine nominari, cuius nec scientiam habet nec actum. Et si habet, tamen non debet velle vocari eo nomine, quod proprie alterius est. Proprie enim episcopus dominus Iesus est. Et presbyteri Abrahā, Isaac & Iacob, sicut manifestū est his qui in Genesi cōsiderant, quę de semine eorum sunt scripta, vel cęteri qui hoc nomine digni habiti sunt, quales fuerūt apostoli Christi. Diaconi vero septem archangeli sunt Dei: ad quorum mysteria septem diaconi in Actibus sunt ordinati. Præcedit ergo dominus huiusmodi concupiscentias ab anima nostra per hæc verba quæ posita sunt, & hortatur magis zelare humilitatem quę est prima exaltationis occasio apud Deum: sicut econtrario humiliationis occasio est apud Deum, diligere primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in cōuiuiis, & primas salutationes in foro, & vocāri Rabi. Et vide quā super hęc addit & dicit: Qui maior est inter vos, fiat minister, & qui se exaltauerit humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Ita ex phylacteriis & fimbriis ad ostentationem eorū qui vanas glorias concupiscunt, & ex iactationibus propter pompam, & ex vestimentis, & ex annulis & calceamētis, manifestum est qui sunt, qui diligunt ab hominibus vocari Rabi. Si ergo secundum quod diximus, scribæ & pharisæi sedentes super cathe-

Episcopus propriè. — *Apo. 1. & 2.* — *Act. 6.* — *Matt. 20.*

C dram Moysi sunt Iudæorū doctores, secundum literā docentes legis mandata: quomodo iubet nos dominus pręsentibus verbis, secundum ea quæ dicunt illi facere, quum omnes Apostoli vetent fideles viuere secundum literam legis, sicut testatur epistola Apostolorum in actibus, quam miserunt ad gentes, & nihil seruent ex lege nisi immolatum & suffocatum & fornicationem? Sed illi docent secundum literam legem, legis sensum spiritaliter non intelligentes, sicut de illis ait Apostolus. Finis autem est legis charitas de corde puro & fide non ficta: à quibus quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Qui enim legem Moysi exponunt secundum literam, cadentes à dilectione quæ est ex corde puro, & à fide non ficta in quibus posita est lex spiritalis, omnes vaniloqui sunt. Vaniloquiū enim est circumcisio, azyma, pascha, & de mundis & immundis secundum literam legis. Hi ergo qui conuersi sunt in vaniloquium, & volunt esse legis doctores, nec tamen sunt secundum veritatem legis, dicunt quidem legis mandata, non autem intelligunt ea quæ dicunt, nec quid significent legis dicta de quibus affirmant, Ideo dicit de illis saluator, Di-

Act. 15. — *1 Tim. 6.* — *Chemisthos* [?] *taxat.*

D cunt enim & non faciunt, vtputa dicunt de circuncisione, de pascha, de azymis, de escis, de festiuitatibus, de neomeniis, de sabbatis cæterisque legis mandatis, non autem faciūt secundum voluntatem legis, nec enim circunciduntur, sicut est legis voluntas. Vnde ait Apostolus: Nos enim sumus circuncisio, qui spiritu Deo seruimus, & non in carne confidimus. Nec immolant pascha, ignorātes quod pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Nec manducant azyma secundum legis propositum, quod interpretatur Apostolus dicens: Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. Sed nec corporaliter pascha celebrant, quum præcipiat lex in Hierusalem ciuitatē quam elegit domin' Deus, oportere immolare agnum, & ter in anno apparere omnem masculum in conspectu domini Dei. Nos autem qui discipuli sumus Iesu, intelligentes eos qui sedent super cathedram Moysi, scribas & pharisæos seruantes circuncisiones, & cætera corporalia legis mandata, longe autem constitutos à spiritalibus legis mandatis, quæcunque dicunt nobis ex lege intelligen-

Phil. 3. — *1. Cor. 5.* — *Ibid.* — *Deut. 16.*

E tes sensum legis facimus & seruamus, nequaquam facientes secundum opera eorum. Nam quæ loquuntur ex lege quidem videntur dicere, tamen sicut lex docet non faciunt. Nec enim suscipiunt charitatem in corde puro, nec fidem non fictam, in quibus sensus legis positus est: nec intelligunt velamen esse super literam legis, nec audiunt prophetam hæc intelligentem patiter & petentem: Reuela oculos meos, & cōsiderabo mirabilia de lege tua. Et sic alligant onera grauia, & sicut Lucas ait importabilia, & imponunt super humeros discipulorum audientium se. Nam corporalia legis mandata secundum literam onera sunt grauia & alligationes non leues, sicut Petrus testatur in actibus Apostolorum dicens: Quid tentatis Deum, & vultis imponere iugum super ceruicem discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri potuimus portare? sed per gratiam Dei credimus salui fieri. Spiritale autem eius onus est leue: ideo & dominus dicit ad eos qui legis mandatis corporalibus erant grauati & alligati: Venite ad me qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam, Suscipite iugum meum super vos, & videte quia iugum meum suaue est, & onus meum leue est. Onus autem leue euangelium est, quod est lex spiritalis. Adhuc autem sedentes super cathedram Moysi scribæ & pharisæi, omnia opera sua faciunt vt ab hominibus videantur, visibilem suscipientes circuncisionem, & visibiliter corporalia fermenti auferentes de domibus suis, & pro eis similiter corporalia azyma inducentes, & Hierusalem visibilem hominibus requirētes, & similia his agentes vniuersa. Aspiciunt enim ea quæ videntur & temporalia sunt, & eleemosynas facientes vt ab hominibus glorificentur, & stantes in plateis orant vt videātur esse religiosi, Christi autem veri discipuli qui aspiciunt

Psal. 119. — *Lex Dei quatenus onerosa.* — *Act. 15.* — *Quatenus leuis.* — *Matt. 11.* — *Euangeliū lex spiritualis.* — *Matt. 5.*

F quæ non videntur, & sunt æterna, orant in occulto promptuario suo & eleemosynas in occulto faciunt, & legem in occultis implent, quasi in occulto constituti iudæi, secūdum quod ait Paulus: Non enim qui in manifesto Iudæus, neque quę palam in carne circuncisio, sed qui in occulto Iudęus est, & circuncisio cordis in spiritu, non in litera. In occultis enim & in azymis inuisibilibus epulātur sinceritatis & veritatis: manducant etiam pascha immolatum Christum pro nobis, qui dixit: Nisi manducaueritis carnem meam, non habebitis vitam manentē in vobis. Et per hoc quod bibūt sanguinem eius verum potum, vngunt superliminaria domorū animæ suæ, quærentes non sicut illi ab hominibus gloriam, sed à Deo occulta videnti. Post hæc videamus quid est quod ait,

Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias vestimentorum suorum.] Sciendum est in illis, quia quod scriptū est in lege de verbis diuinis dicens, Alligate eam super manum vestram, & erunt mobilia corā oculis vestris. Qui ergo omnia faciunt vt ab hominibus videantur scribæ & pharisęi, scribentes legis dicta in duabus præcisuris membranis alligant: & alteram quidem in domibus portant, quasi coronam ponentes in capitibus suis, quod scriptum est secūdum frontem: alterā autē super brachiū manus suę, & vocant eas phylacteria. Similiter & de fimbria aliquid inuenientes in Deuteronomio, existimātur seruare legē, fimbriā aliquam facientes

Rom. 2. — *1 Cor. 5.* — *Ioan. 6.* — *Deut. 6.* — *Deut. 22.*

G io aliqua parte vestimentorum suorum quæ portant. Etiam hæc ergo dominus reprehendens scribas & pharisæos in corporalibus & visibilibus eorum obseruationibus dicit: Omnia faciunt vt ab hominibus videantur Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias vestimentorum suorum.] Discipuli autem Iesu omnia opera sua faciunt, vt à Deo videantur solo. Alligant enim legem Dei super manum suam, spiritaliter super opus suum bonum: & per meditationem diuinarum disciplinarum semper ea mouentes, mobilia faciunt diuina præcepta coram oculis animarum suarum, & fimbriam virtutis Iesu plenam in eo quod imitantur magistrum. Quid autem oportet dicere de his qui amant primos discubitus in conuiuiis, & primas cathedras in synagogis, & primas salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabi? Manifeste huiusmodi delicta non tantum apud tunc scribas & pharisæos solos inueniebantur, vel inueniuntur apud ipsos: sed etiam in ecclesia Christi inueniuntur non solum conuiuia, & facientium ea mensas suscipientes, sed etiam cathedras primas in eis amantes, & multa facientes: primum quidem vt diacones fiant non tales quales dicit scriptura, sed quales sunt qui comedunt viduarum domos, occasione longa orantes: & propterea accipient iudicium maius. Et qui tales diaconi fieri volunt, consequenter visibiles primas cathedras eorum qui dicuntur presbyteri præripere ambiunt. Quidam autem nec istis contenti plurima machinantur, vt episcopi vocentur ab

Ambitio quorundã Ecclesiasticorum. *1. Tit. 3.*

H hominibus quod est Rabi: quum deberent intelligere episcopum fieri oportere irreprehensibilem, & cætera quæ sequuntur, vt si non dicatur ab hominibus esse episcopus, tamen sit apud Deum. Qui enim habet in se quæ Paulus enumerat de episcopo, etsi non est coram hominibus episcopus, episcopus est apud Deum, etsi non per ordinationem hominum ad eum gradum peruenit. Sicut & medicus est qui medicinalem didicit disciplinam, & potest medicare quasi medicus: etsi ægrotantes non ei credant corpora sua, medicus est: sed & gubernator est qui didicit gubernatoriam artem, & potest ea sicut conuenit vti: etsi non crediderit ei aliquis gubernacula nauis, tamen est gubernator. Inuenies autem nouæ gloriæ amatores zelantes ab hominibus gloriam, & à Deo non desiderantes, quasi ante iudices & præsides, sic quosdam adduci ante eos: & si dicere oportet, per hoc ipsum leuissimum Christi onus, intolerabile faciunt onus. Christi autem discipulus sustinet, & adhuc intercedit: omnia facit vt videatur à Deo, gloriam contemnens humanam. Iste videns parabolarum euangelicarum cœnam, & cœlestes primitiuorum ecclesias & congregationes & nundinas, in quibus erat secundum Canticum Canticorum sponsa, diligit quidem in spiritalibus cœnis discubitus primos, vt meliora spiritalium ciborum & primitias conuiuij spiritalis manducet, & non re-

Ti. 1. *Cant. 1.*

I liquias cæterorum. Diligit etiam cum apostolis sedentibus super thronos duodecim, primas cathedras, actibus bonis dignum se præbere festinans cathedris huiusmodi. Sic autem & salutationes quæ fiunt in nundinis, quas exposuimus suprà. Vnus est magister omnium. Vocari aut Rabi, neque ab hominibus, neque ab alio aliquo diligit iustus, certus quia vnus est magister omnium. Omnes autem qui sub eo sunt, alterutrum sunt fratres. Sed & qui superna natiuitate non solum ex aqua, sed etiam de spiritu natus est, spiritum adoptionis accepit, vt dicant de eo, quia non est ex carne, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. nullius eorum qui in terris habentur & deorsum filius adhuc existens, non vocat patrem in terris, quasi qui per omnem actum secundum Deum impletum dicit, Pater noster qui es in cœlis. Et si ministrat quis verba diuina, nequaquam se præbet vt magister vocetur, quasi sciens quia Christus in eo est, quando bene profecerit, quem oportet vocari magistrum à cunctis prodificatis: se autem profitetur ministrum secundum mandatum Christi dicentis, Qui maior est inter vos sit omniũ minister. Quoniam & ipse Christus quum esset vere magister, ministrum se esse professus est dicens: Ego autem sum in medio vestrum non quasi qui recumbit, sed quasi qui ministrat. Bene autem post omnia quibus vanæ gloriæ vetuit concupiscentias, addidit dicens, Qui se exaltauerit humiliabitur, Quod vtinam omnes quidem audirent, maxime autem diaconi & presbyteri & e-

Ioã. 1. & 3. *Matt. 6.* *Luc. 17.*

piscopi, maxime qui arbitrantur sibi hęc non esse scripta, Qui K se exaltauerit humiliabitur: propterea quod quasi neque illud scientes, Qui se humiliat exaltabitur, non audiunt eum qui dixit: Discite ex me quoniam mitis sum & humilis corde. Inflati sunt autem, & per inflationem decidunt in iudicio diaboli, nec quærunt per humilitatem ascendere à iudicio inflationis, quum deberent recordari sapientiæ verbum dicentis: Quantum magnus es, tantum humilia te, & coram Deo inuenies gratiam: quod primum dominus consummauit. Quantum enim fuerat magnus, tantum se humiliauit. Quum enim esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se parem Deo, sed semetipsum exinaniuit: formam serui accipiens in similitudine hominum factus, & in specie inuentus vt homo humiliauit se vsq; ad mortem, mortẽ autem crucis: propter quod & Deus illum superexaltauit, & donauit ei nomen quod est super omne nomen, Qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

1. Tim. 2. *Matt. 11.* *Philip. 2.*

TRACTATVS XXV.

Cap. xxiii.

IN illo tempore, dixit Iesus turbis Iudæorum: Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Et reliqua.] Qui L audent Deum dicere non bonum propter maledictiones quas aduersus peccatores in lege sua posuit Deus, audiant quomodo quasi vere filius Dei illius qui legem dedit, secundum similitudinem quidem benedictionum quæ positę sunt in lege, dicit & ipse beatitudines eorum qui saluantur, Secundum similitudinem autem maledictionum positarum in lege, ponit aduersus peccatores væ, dicens: Væ vobis & vobis, Et hæc audientes qui Deum legis causantur, non intelligentes quod & illa à Deo benigno sunt dicta, dicant quid debemus intelligere de Iesu dicente: Væ vobis scribæ & pharisæi, Qui fatẽtur bonitatis esse aduersus peccatores ista pronunciare, intelligant quod simile est propositum Dei in maledictionibus legis proferendis in lege. Siue autem illa maledictio, siue illud væ pronunciatum, non ex pronunciatione pronunciantis vnicuique contingit peccanti, sed ex peccatis ipsius peccantis, qui dignum se præbet ad susceptionem vel illarum maledictionum, vel istorum væ, quæ Deus disciplinæ causa pronunciauit aduersus illos, vt conuertat illos ad bonum. Nam & pater increpans filium, profert frequenter ad emendationem eius quosdam sermones qui videntur esse maledictiones: & tamen non vult dignum fieri maledictionibus illis, sed auertere eum magis cupit ab eis. Hæc diximus, vt demonstremus Euangelia conuenientia esse legi. Similiter & nunc dicẽs: Væ vobis scribæ & pharisæi qui clauditis regnum M cœlorum, terruit scribas & pharisæos vt ne claudant regnum cœlorum ante homines. Claudentes autem regnum cœlorum scribæ & pharisæi duo ad semel delinquunt. Vnum quidem, quod ipsi non ingrediuntur in regnum cœlorum. Secundum, quod intrantes introire non sinunt. Hæc duo peccata naturaliter inseparabilia sunt ab inuicem. Qui enim alterum ex istis peccat, ab altero se non potest abstinere. Item è contrario, qui ab altero se abstinet, impossibile est vt non ab altero se abstineat, vtputa non inuenitur aliquis, vt ipse quidem ingrediens in regnum cœlorum alios ingredi non permittat: quoniã qui vetat alios intrare in regnum, sufficit ei ad expulsionem quo minus intret in regnũ cœlorum, hoc ipsum quod alios non permittit intrare: quoniã qui scandalizauerit de pusillis ecclesiæ, prohibens aliquem intrare in regnum cœlorum, patietur quod scriptum est in euangelio væ. Item e contrario, qui potest aliquem facere intrare in regnum cœlorum, si tamen in eius potestate fuerit & permittere & vetare, multo magis ipse introibit in regnum cœlorum. Cum frequenter dicat dominus scribis & pharisæis væ, vniuscuiusque væ causam in loco proprio exponemus, Nunc autem huius præsentis væ exponemus causam. Præsentis ergo væ causa est, quia claudebant regnum cœlorum ante homines, Claudentes autem ante alios, nec ipsi intrabant propter hoc ipsum quod introire vetabant eos qui introissent vtique, si ab istis non fuissent exclusi. Et primum quidem simpliciter quasi

Contra Valentinũ Basilidem & Martionẽ. *Leui. 26.* *Duo peccata inseparabilia.* *Matt. 18.*

A quasi de scribis & pharisæis qui apud Iudæos habentur, sermo præsens est exponendus. Hi enim non contenti quod ipsi domino non credebant, adhuc derogabaot doctrinæ eius, & subuertebant omnem prophetiam scriptam de eo, & blasphemabant omne opus ipsius quasi falsum, & à diabolo fictum, dicentes: hic non eiicit dæmonia nisi in Beelzebub, & homicidaliter se præbebant eis qui crediderant Christo, & omni modo prohibebant aliquem ad Christianitatem venire per quam introitur in regnum cœlorum. Clandebant illud quod in conspectu omnium palàm esset annunciatum & prædicatum, & apud omnes homines conclamatum, Et claudentes regnum cœlorum nec ipsi intrabant, nec enim volebant eum audire qui dixit: *Ioan.10.* Si quis per me introierit saluabitur, & introibit & exiet & pascua inueniet. Nec intrantes, id est eos qui credere poterant propter fidem quæ à lege & à prophetis ante fuerat declarata de Christo, introire sinebant, omnino dissipantes principium consensus eorum: & eum omni terrore & ferali audacia, quantum ad se omnes volentes introire per ianuam, prohibebant ipsi eam claudentes. Huic simplici expositioni iungemus etiam hoc, de his qui peccant apud nos: *De iis qui suo exẽplo alios peccare faciunt.* quoniam omnes qui mala conuersatione suadent exemplum peccandi in populo, & qui faciunt iniuriam eis qui adhuc sunt pusilli in Christo & imperfecti, & exanimantes & scandalizantes claudere vidẽtur ante homines regnum
B cœlorum, & nec ipsi intrant, nec alios introire permittunt. Et hoc peccatum inuenitur quidem etiam in popularibus, maxime autem in doctoribus, qui docent quidem secundum iustitiam euangelij homines, non autem faciunt quæ docent, quia sunt mali pastores: & ideo non parcunt ouibus, neque curant de salute earum, sed semper aspiciunt ad lucra ex hominibus venientia sibi, pro eo quod videntur pascere *Mercenarij* populum quum non pascant: & deprehenduntur in sordidis lucris & concupiscentiis gloriç vanæ. Istæ enim sunt mercenariorum merecdes, qui claudunt ante homines regnum cœlorum, nec intrant in illud, nec volunt intelligere quod *Matt.7.* est dictum, Contendite intrare per angustum ostium: & quoniam super omnia certamina hoc est certamen, vt sit aliquis vim faciens & rapiens regnum cœleste: Ad eos ergo tales doctores conuenienter ista dicuntur: Nec vos intratis, nec intrantes sinitis intrare: maxime si videamus eos vita sua mala, & superbia & conuitiis & auaritia, non dicam vnum de pusillis, sed etiam quantum ad se, omnes in scandalum inducentes. Væ ergo illis qui claudunt regnum cœlorum ante homines, vel hoc modo, vel alio. Beati autem qui aperiunt il- *1.Cor.16.* lud, vel verbo, vel opere suo bono, sicut ille qui dixit, Ostium
C mihi apertum est magnum & euidens: vel sicut cæteri apostoli aperuerunt. Et si quis fuerit imitator eorum, aperit re- *Quomõ aperiant regnũ cœlorum.* gnum cœlorum ante homines sua iustitia & veritate & castitate & sapientia. Et quanto magis quis proficit pietate, tanto magis aperit ante homines regnum cœlorum. Arbitror ergo omnes qui profitentur se in ecclesiam intrare, omnino aut claudunt regnum cœlorum ante homines malis conuersationibus suis secundum quod peccant ipsi, aut aperiunt actibus bonis suis secundum quod iuste fuerint conuersati. Maxime hoc faciunt qui videntur in ecclesia clariores, quales sunt episcopi, presbyteri, diaconi. Bene enim viuentes, & bene docentes verbum veritatis, aperiunt ante homines regnum cœlorum: & dum ipsi intrant, alios prouocant introire. Mali autẽ qui non sunt pastores, sed mercenarij, claudunt regnum cœlorum ante homines, nec audiunt quod ait apostolus: Sed omnia sustinemus, vt non offendiculum demus euangelio Christi. Est vere videre multos doctores non permittentes intrare in regnum cœlorum intrare concupiscentes, maxime quando sine iudicio & sine ratione non propter peccata quę *Excommunicatores quidam.* faciunt, excommunicant quosdam, sed propter aliquem zelum & contentionem prohibent intrare frequenter & meliores quàm sunt ipsi. Et ipsi quidem non permittuntur introire, illi autem qui sobrij sunt mente, & animo vigilantes, vincentes sua patientia & longanimitate tyrannides eorum, quamuis vetiti, tamen intrant & hæreditant regnum cœlorum. Deinde videamus extra eos quos diximus, si possibile est etiam alios videre qui claudunt & aperiunt regnum cœlorum. Qui enim digni habiti sunt, & idonei ad Euange-

lium exponendum, & qui tales se præbent vt vere dicere pos- D sint, An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chri- *2.Cor.13.* stus? aperiunt ante homines regnum cœlorum, quando altitudinem diuinorum eloquiorum quæ non de terris dicta sunt, sed de cœlo, & de sensu domini qui venit ad homines cum omni manifestatione & probatione demonstrant: ita vt quantum ad se est gentiles & barbaros, sapientes & insi- *Rom. 1.* pientes inducere velint ad pietatem Christi. Qui autem per *Indocti & flagitiosi pastores.* suam indocilitatem, & iniustitiam cum multa temeritate seipsos dederunt ad professionem docendi priusquam discerent & cognoscerent veritatem, & propterea fabulas vanas Iudaicas imitantes, tradunt corporales historias scripturarum & non sensum spiritalem, aut voluntatem earum: & adhuc detrahunt eis qui Christo consurrexerunt, & quæ sursum sunt *Coloss. 3.* in scripturis requirunt, & non super terram, nec in terrenis scripturarum positam existimant veritatem: claudunt quantum ad se ante homines regnum cœlorum, claudentes illud iniustitia sua, & trahentes ad se eos qui poterant audientes diuiniorem & maiorem doctrinam & altitudinem veritatis intrare per cœlestes doctrinas, & per conuenientes eis actus in regnum cœlorum. Huic expositioni conueniens est quod scribit Lucas: Væ vobis legisperitis, quoniam abstulistis cla- *Luc. 11.* uem scientiæ, & ipsi non introistis, & alios intrantes prohi- *Allegoricã expositionem tuetur cõtra vituperatores legis.* buistis. Qui enim eliminantur expositionem allegoricam, & docere volunt, quia manifesta est diuina scriptura, & nihil habens amplius quam textus ostendit, neque diuiniorem aliquem sensum, & de circuncisione, vel de pascha, vel de azymis, vel de escis & potibus, vel de festiuitatibus, vel de neomeniis, vel de sabbatis, & non respiciunt, quoniam in osten- E sione & vmbra futurorum tunc seruiebant Iudæi, legisperiti *Heb. 10.* quidem sunt, tamen tulerunt clauem scientiæ quantum ad verbum suum, id est, omnem legis viam ad intelligenda legitima auferentes: propterea nec ipsi intrauerunt, nec alios quantum ad se intrare permiserunt. Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam vt faciatis vnum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos estis.] Hæc conuenienter dicuntur post aduentum Christi ad scribas & pharisæos Iudaicorum verborum, qui diligenter circumeunt plurima loca mundi, vt aduenas Iudaizare suadeant. Quicunque enim post saluatorem iudaizant, docentur imitari affectum eorum qui dixerunt in illo tempore: Crucifige, crucifige eum. Et iterum: *Matt.27.* Tolle, tolle à terra huiusmodi. Docentur autem & accusare eum, sicut tunc accusabant sacerdotes plebis. Est autem eos videre vsque nunc, cum iudicatur latro, & testimonium dat veritati Christianus, volentes magis absolui imitationem Barabbæ quam Christi disciplinam. Quæ omnia non simpliciter faciunt proselytum filium gehennæ, sed sicut scriptum est dupliciter super Scribas & Pharisæos, qui proselytum eum fecerunt. Sed dicet aliquis in hoc loco: Quomodo discipulus F proselytus eis qui nunc sunt Scribæ & Pharisæi miserabiles constituti, non æqualiter efficitur filius gehennæ doctoribus suis, sed dupliciter? Dicit enim quoniam debebat minus fieri gehennæ filius: aut si forte, pro dimidia parte ei qui fecit proselytum eum. Aut si & aliquis concedat vt sit discipulus sicut magister eius, debebat discipulus æqualiter magistro suo fieri filius gehennæ. Arbitror ergo omnem hominem qui ex conuersatione gentili Iudęorum factus est proselytus, filium gehennæ fuisse & priusquam proselytus efficiatur. Sufficiens est enim etiam vita idololatriis subdita, facere hominem filium gehennæ. Talem ergo filium gehennæ saluat quidem & liberat per lauacrum baptismatis sermo domini nostri Iesu Christi, dans ei potestatem fieri filium Dei, & viam ei ostendens vt efficiatur filius Dei patris qui est in cœlis. Sermo autem Iudæorum non credentium Christo, non solum gentilẽ non soluit à gehenna, sed adhuc addit illi damnationis numerum, vt etiam secundum Iudaismum fiat filius gehennæ. Et sic facit Scriba vel Pharisęus filium gehennę alterum plusquam se, nõ quia ipse dupliciter facit, sed quia cum factus fuerit homo dupliciter filius gehennę per doctrinam doctoris efficitur: & sic fit ille qui docuit causa secundi erroris illius, vt fiat dupliciter filius gehennæ supra illum qui male docuit eum. Alius autem dicit alio modo: quoniam qui ab initio nutriti sunt in

G lege Moysi, iam sunt filij gehennæ, propterea quod non crediderunt in Christum. Qui autem gētilem reliquerunt vitam semel iudicantes relinquere idololatriam, in qua fuerant enutriti, & apprehenderunt Iudaicam vitam, duplici pœna sunt digni, qui non cum requisitione reliquerunt, neque discutere voluerunt Iudaicum verbum, & ipsum quod videtur Iudaico verbo esse cognatum, id est professionē Christianorum: nec scrutati sunt ab eis qui vtranque sectam idonei sunt docere, vt intelligerent quod verbum verius esset, & potius eligendum.

Professio Christianorū cognata Iudaicæ.

Simul dicimus ex hoc loco, quoniam & eorum qui in gehenna futuri sunt, erit differentia tormentorum: quoniam alter quidē est simpliciter filius gehennæ, alter autē dupliciter. Sed & hoc videre oportet, si adhuc abundantius fiat aliquis filius gehennæ, vtputa tripliciter vel multipliciter secundum multitudinem peccatorum: & si generaliter est fieri aliquem filium gehennæ, vtputa Iudæorum, vel gentilem, aut cuiuscunque falsi dogmatis professorem, aut & specialiter, vt per singulas species peccatorum fiat quis filius gehennæ: vtputa qui fornicatur sit filius gehennæ: & qui adulteratur, dupliciter sit: & qui furtum facit, adhuc tripliciter, secundū quod scriptum est: Qua mensura mensi fueritis eadem mensura metietur vobis: vt iustus quidem secundum numerum iustitiarum suarum augeatur in gloria: peccator autem secundum numerum peccatorum suorum multiplicetur in gehenna.

In gehēna differentia tormētorū.

Luc. 6.

Quæ sit autē hæc gehenna, & in quo loco scripturarum prius est nominata, qui H potest requirat, maxime in diuisione hæreditatis Iesu filij Naue, vbi interdum quidem appellatur vallis filiæ Nom, interdum autem vallis Enon quæ est in gehenna. Gehenna enim est vallis. Et obseruet, quoniam sicut Hierusalem sors est tribus Beniamin, & aliæ quædam ciuitates electæ vel vici, sic & gehenna. Consequens autem est ei qui cognoscit quæ sit Hierusalem in diuisione veræ hæreditatis filiorum Israel, vt intelligat sermonem de gehenna. Qui autem legit diligenter Iesum Naue, videat & qui vici referuntur illic vicinare valli ei quæ dicitur gehenna. Hæc prolixius & manifestius tradere per atramentum & calamum & chartam visum mihi est non esse cautum: verum & hæc ipsa quæ dicimus non videamur temere & periculose dixisse.

Gehenna.

Væ vobis duces cæcorum qui dicitis: Quicunque iurauerit per templum, nihil est. Qui autem iurauerit per aurum templi, debet. Stulti & cæci, quid enim maius est? aurum, an templum quod sanctificat aurum? Et quicunque iurauerit per altare, nihil est: sed quicunque iurauerit per donum quod super illud est, debet. Stulti & cæci: quid enim maius est? donum, an altare quod sanctificat donum? Qui ergo iurat per altare, iurat per illud, & in omnibus quę sunt super illud. Et qui iurat per templum, iurat per illud, & per eum qui habitat in ipso. Et qui iurat per cœlum, iurat I per thronum Dei, & per sedentem super eum.] Per hoc quoque verbum criminatur traditiones pharisæorum, quasi non rectas. Hoc facit & in eo loco vbi vituperat traditiones pharisæorum factas aduersus Dei mandatum, quod positum erat de honore patris vel matris. Dicentibus enim pharisæis, quicunque dixerit patri vel matri, donum quod ex me, tibi proderit, non honorabit patrem suum. Post quæ addit & dicit: Irritum fecistis mandatum Dei, vt statuatis vestram traditionem. Et profert Esaiæ exemplum dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.

Traditiones pharisæorū de iureiurando &c.

Matt. 15.

Esa. 29.

Vna autem ex pharisaicis traditionibus erat talis de iurantibus, quoniam quidam quidem per templum iurabant, alij autem per aurum templi: item alij per altare, alij per donum altaris: & dicebant debitorem esse eum qui per aurum templi iurauerit, aut per donum altaris: eum autem in nulla re obnoxium esse, qui iurauerit per templum, vel per altare. Ideo ergo aduersus eiusmodi traditiones loquens Iudæis saluator, & volens eos corrigere ab humanis traditionibus ad diuina mandata, dicit quoniam cæci & fatui sunt qui talia tradunt, non videntes quoniā omne quod positum est in templo, non per ipsum sanctificatum est, sed per templum. Sic & quod positum est super altare, donū iam Dei esse iudicatur ex eo quod super altare susceptum est. Si ergo causa sanctificandi auri tēplum est, & sanctificandi doni altare, quomodo non videatur fatuum, hunc qui iurat per sanctificantem non esse reum, qui autem per sanctificatum iurauerit, reum videri? quasi melius K sit quod sanctificatur, quàm quod sanctificat. Ita quoniam Iudæi consuetudinem habent & per cœlum iurare, præcedentibus addidit etiam hoc ad reprehensionem eorum, qui facilius iurabant per cœlum quam per Deum: quoniam similiter irrationabiliter agit qui iurat per cœlum, sicut qui iurat per templum vel altare: quoniam qui iurat per cœlum, & per sedentem super eum iurare videtur: & non sicut arbitratur euadit periculum ex eo quod non per ipsum Deum iurat, sed per thronum Dei. Et hæc loquitur ad Iudęos, prohibens homines pharisæorum attendere traditionibus. Alioquin manifeste superius vetuit omnino iurare.

Matt. 5.

Si autem oportet quasi in talibus euangelij agri absconditum, & non à quibuscunque comprehēsibilem sensum scripturæ, vel ex parte altius publicare, dicendum est: Omne iuramentum colligatio est & confirmatio verbi de quo iuratur. Iuramentum ergo esse intelligēdum est omne testimonium scripturarum quod profertur ad confirmationem & colligationem nostri verbi quod loquimur: vt sit quidem templum gloriæ Dei omnis scriptura diuinitus inspirata, aurum autem positus sensus in ea. Debemus ergo ad testimonium omnium verborum quæ proferimus in doctrina, proferre sensum scripturæ, quasi confirmantem quem exponimus sensum.

Iuramentū quid.

Sicut enim omne aurum quodquod fuerit extra templum nō est sanctificatum: sic omnis sensus qui fuerit extra diuinam scripturam, quamuis admirabilis videatur L quibusdam, non est sanctus, quia non continetur à sensu scripturæ, quæ solet eum solum sensum sanctificare, quem habet in se, sicut templum propriū aurum. Non ergo debemus ad confirmandam doctrinam nostram nostros proprios intellectus iurare, & quasi testimonia assumere quos vnusquisque nostrum intelligit, & secundum veritatē existimat esse, ni ostenderit eos sanctos esse, ex eo quod in scripturis continentur diuinis, quasi in templis quibusdam Dei. Stulti ergo & cæci omnes qui non cognoscunt quoniam templum, id est lectio scripturarum, magnum & venerabilem facit sensum, sicut aurum sacratum.

Quæ sensū scriptura rectum.

Adhuc autē vide, ne forte secundum similitudinem templi & auri positi in templo, intelligere debeamus altare, & donum quod positū est super altare. Altare ergo quod votum sanctificat, est hominis cor, quod principale habetur in homine: Vota autē & dona quæ ponuntur super altare, omne quod superponitur cordi. Vtputa proponis orare, votum orationis posuisti super cor tuū, quasi super quoddā altare, vt orationē offeras Deo. Proposuisti psallere, votū psalmorum posuisti super cor tuū, quasi super quoddā altare, vt offeras Deo votum psalmorū. Proposuisti eleemosynas facere, votū eleemosynarū posuisti super cor tuū, quasi super quoddā altare, vt votū eleemosynarū offeras deo. Proposuisti ieiunare, votum ieiunij posuisti super cor tuum, quasi super quoddā altare. Venerabile ergo & sanctū facit omne votum hominis cor eius, ex quo votum deo offertur. Ideo nō potest honorabilius esse M votum quā cor hominis, ex quo transmittitur votum.

Allegoria.

Cor vota probat.

Cæcus est ergo omnis homo qui videt aut eleemosynas alicuius magnas, aut psalmos, aut preces magnas, aut ieiunia, & sine iudicio beatificat illa, & nō considerat ex quali corde eleemosynę offeruntur, vel psalmi, vel preces, vel ieiunia offeruntur. Altare est enim cor quod sanctificat votum eius qui mundi est cordis. Si enim cor & conscientia hominis non compungit, fiduciam habet ad Deum, non propter dona sua, neque verba orationis vel psalmi, quamuis videantur bene composita, & de scripturis electa, sed quia (vt ita dicam) altare cordis sui bene construxit. Qui ergo testem altare, id est cor principale & conscientiam assumit, iurat per altare, complectens omnia quæ continentur in eo. Et qui iurat secundum quod tradidimus per templum, idem per scripturam iurare videtur, & per verbum sensúmque dei qui continetur in ea. Tertium autem est vt dicamus, quoniā super templum, id est super omnem scripturam, & super altare, id est super omne cor, est intellectus quidam super intellectum omnium scripturarum, & super omne cor, qui super cor hominis nondum ascendit, qui moraliter appellatus cœlum, & thronus iā non gloriæ dei quemadmodum tēplum, sed dei ipsius. Templum enim gloriæ dei, templum est in quo per speculum videmus in ænigmate: Cœlum autem, quod est super templum ipsius Dei, in quo

1. Cor. 13.

A quo thronus est Dei, in quo est cōsiderare facie reuelata quū venerit quod perfectum est, faciem mysteriorum veritatis sedentiū in huiusmodi cœlo. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum & cyminum, & relinquitis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiā & fidem. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci liquantes culicem, camelum autem glutientes.] Hic sermo opportuno tempore est dicendus eis, qui circa res quidem minimas religionem ostendunt ad Deum: circa res autem magnas & necessarias contēnunt mandatum, & deum ipsum qui ea mandauit. Talia & apud Iudæos fiebant, qui arbitrabantur se legem Moysi seruare, qui præcipit ex omnibus fructibus decimas dare Leuitis & sacerdotibus. Ita quoniam facile erat implere legem in minimis, mentham quidem & anethum & cyminum decimabant, & omnia vt ita dicam minima, & quę leuia erant legis: grauia autem eius non obseruabant, id est iudicium & misericordiā & fidem. Iudicium quidem, vt vnusquisque iusto iudicio de omnibus iudicaret, non de quibusdā, & acquiesceret ei qui dixit: Misericordiam volo quàm sacrificium: vt sacrificia misericordiarum deo offerret, vt discutiens ea quæ fidei sunt, esset fidelis. *Ose. 6.* Sed quoniam cōueniens erat, vt audientes quidam de decimandis rebus minimis dominum ista loquētem, contemnerent minimarum rerum decimationem, sapiēter addidit dominus dicens: Et hæc oportuit facere, hoc est iudicium & misericordiam & fidem, & illa non omittere, id est decimationem menthæ & anethi

B & cymini. Et dicit eos qui talia agūt scribas & pharisæos, qui omittunt grauiora legis, & decimant contēptibilia fructuum, duces esse cæcos. Et sapienter dicit eos tales liquare, id est expellere à se minima delicta, quæ culices nominauit: glutire autem, id est cōmittere maxima delicta, quæ nominauit camelos, animalia videlicet tortuosa & grandia. Secundum hos itaque sermones, omnis homo qui omittit grauiora legis, maxime iudicium & misericordiā & fidem, camelum glutit. Nō solum autē apud Iudæos, sed etiā apud nos, multos est inuenire peccata huiusmodi peccantes & glutiētes camelos, in eo quod maxima delicta committunt: & oportet huiusmodi homines frequenter considerare quomodo in rebus minimis religionem suā ostendant. *Apud nos qui glutiat camelum.* Et bene eos hypocritas appellat. Volentes enim religiositatem acquirere corā hominibus, nolunt suscipere religiositatem illam quā Deus iustificauit. Fugiendę sunt ergo nobis scribarum & pharisæorum simulationes huiusmodi, ne væ illud etiam nobis contingat quemadmodum & illis. Existimo autem omnes moraliter scribas dici, qui amplius nihil existimāt positum in scripturis, quàm simplex sermo scripturæ demonstrat, sed adhuc contemnunt eos qui scrutantur altitudinem Dei. *Qui pharisæi & scribæ dici possint.* Similiter pharisæi sunt omnes qui iustificant semetipsos & diuidunt se à cæteris dicentes, noli mihi appropiare, quoniam mundus sum. Interpretantur

C autem pharisæi secundum nomen phares, diuisi, qui seipsos à cæteris diuiserunt. Phares autem dicitur hebraica lingua diuisio. Si autem oportet in eiusmodi euangelij verbis etiā moralem assumere intellectum, sciendum est: quoniā sicut mentha & anethum & cyminum ciborū sunt condītura, nō ipsi principales cibi: sic in conuersationibus nostris quædam quidem sunt principalia, & necessaria ad iustificationē animarum nostrarum, qualia sunt hæc grauia legis, iudicium & misericordia & fides. *Moralis sensus.* Alia autem quasi condientia actus nostros, & cōmendantia eos, & suauiores eos facientia, vtputa abstinentia risus, ieiunium, flexio genuum, permansio in collectis, assiduitas communicationis, & alia his similia, quæ non ipsæ iustitiæ sunt, sed conditurę iustitiarum habentur. Res autem spiritales quæ à semetipsis iustitiæ sunt, dicuntur iudicium & misericordia & fides. Turpe est ergo in iis minimis obseruare, quod est decimare: rerum autē necessariarum obseruationes non offerre deo, id est nō decimare. Qui autem hæc agunt & docent sicut & priores, duces sunt cæci. Quomodo autem nō existimentur cæci quos latet magnitudo & tortuositas camelorum, id est actuum peruersorum: nec vident quoniā nihil prodest liquare, & cautum esse discussorē in rebus minimis, quum principalia & vere ad gloriam Dei pertinentia negligantur? Quoniam ergo multi sunt & in nobis, qui circa res leues caute viuere existimantur, circa res autē necessarias contemnunt seipsos, huiusmodi homines sermo præsens confun-

D dit, non quidem leuia illa prohibens obseruare, sed principalia & magis salutaria præcipiens cautius custodire. Omnia ergo liquat, qui in omnibus quæcunque agit vel loquitur vel cogitat segregat quod est sordidum & terrenum, & non diuinis rationibus adornatum, ab his quæ natura lucida sunt & syncera & iusta, secundum eum qui docet: Epulemur non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. *1. Cor. 5.* Inuenies autem multos qui credere existimantur, non liquatos sermones & actus & cogitationes habētes. Propterea sicut fœnum carnalia eorum acta ignis comedet, crucians etiam animam simul cum corpore propter concreta ei delicta corporalia. Sicut enim non est possibile superfluitates corporibus innatas sine magno dolore & cruciatibus amputare ab eis qui patiuntur: sic nec commissa carnalia ab eis, qui (vt ita dicam) animas suas carnes fecerunt. Propterea dictum est de talibus animabus: Nō permanebit spiritus meus in hominibus istis quoniā carnes sunt. *Gen. 6.* Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui emūdatis quod foris est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & intemperantia & dolo. Pharisæe emunda prius quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat id quod foris est mundum.] Hic sermo nos instruit, vt festinemus esse iusti, non apparere. Qui enim studet vt appareat iustus, quæ à foris sunt mundat, & quæ videntur curat: cor autem suum & conscientiam negligit, non considerans: quoniam qui studet ea quæ intus sunt & cogitationes suas studet mundare, consequens est, vt etiam ea quæ à foris sunt studeat

E facere munda. Si quis autem ea quæ videntur studet, negligit autem interiora animæ suæ, necesse est, vt huiusmodi homo impleatur ab intus auaritia, lasciuia, malignitate, cæterisq; plurimis malis. Quoniam omnis qui de salute sua solicitus est, quod est ab intus, & de opinione solicitus est, quod est à foris: non autem omnis qui de opinione solicitus est à foris, etiā de salute sua solicitus est ab intus. Vtputa scriptū est: Qui viderit mulierem ad cōcupiscendum eā, mœchatus est in corde suo. *Matt. 5.* Iste ergo qui abstinet se ab opere fornicationis, fornicatur autē in concupiscentia cordis sui, mundauit quod à foris est calicis & paropsidis aut catini: ab intus autem intēperantia plenus est. *Matt. 6.* Sed & qui facit eelemosynas vt gloriam ab hominibus consequatur, mundare quidem videtur quod à foris est calicis & paropsidis faciens eleemosynas corā hominibus: ab intus autem plenus est cupiditate gloriæ. Et quicquid boni fecerit homo non ex conscientia munda propter Deum, à foris quidem mundus videtur, ab intus autem plenus est malis. *Hæretici quales sint.* Sed & omnes falsi dogmatis professores calices sunt à foris, quasi mundari propter speciem religionis quam simulāt, ab intus autem pleni rapina, seductione, quibus rapiūt homines ad errorem, & lupi rapaces sub pellibus ouium latitātes

F & deuorantes animas simplices, qui videre eos non possunt lupos esse rapaces, propter ouilium pellium tegumentum. *Matt. 7.* Si oportet autem omnia in sermonibus Euangelicis moraliter considerare, videndum est, quare apud Matthæum quidem à foris calicis & paropsidis scribæ & pharisæi mundare dicuntur: apud Lucam autem calicis & catini mentio fit. *Rom. 16.* *Luc. 11.* Vterq; ergo vasa ponūt cibi & potus, & calicem quidem ambo nominant, qui est ad potum: paropsidem autem non ambo, sed ille quidem catinum, hic autem paropsidem: vtrunq; tamen vas cibi habetur. Ergo secūdum vtrunque Euangelistā est aliquis spiritalis potus & spiritalis cibus, quē appetimus in sermonibus scripturarum legis & prophetarum. *Cibus & potus spiritalis.* Omnis itaque sermo per quem potamur spiritaliter, vel omnis narratio per quam enutrimur, vasa sunt potus & cibi. Ammonemur ergo, vt non curam habeamus sermonum vel narrationum quę foris sunt, sed quæ ab intus sunt: vt cor nostrum sensibus mūdis potatoriis & enutritoriis impleatur, & non verbis, neque compositionibus eorum ornatis: quia non in sermone est regnū Dei, sed in virtute. Vtputa qui studet cōpositum proferre sermonem magis quàm salutari sensu repletum, calix narrationis eius à foris mundatus est, ab intus autem sordibus vanitatibúsque repletus. Vnde Paulus qui non solebat à foris calicis & paropsidis mundare, sed ab intus, imperitum se cōfitetur sermone, sed non scientia: & erat sermo ipsius rusticus quidem tamen mundus propter scientiæ munditiam. *1. Cor. 2.* Illi autem qui

G in sapientia verbi loquebátur,& per hoc Christi crucem euacuabant,à foris quidem mundos præbebant sermones suos, ab intus autem immunda sciétia plenos, & rapinis & intemperantia vitæ. Item qui audient verbum, aut aliquam legis scripturam, compositioiibus eius exterioribus magis quàm interioribus & salutaribus sensibus delectatur: calicé vel paropsidem diligit à foris mũdatum,ab intus autem sordidum.

Tertia expositio.

Si oportet autem & tertiam cognatam prioribus superinducere espositionem, dicimus quoniam literæ legis & prophetarum calices spiritalium potuum animæ, & paropsides necessariarũ escarum sunt fidelium hominum,vel catini ciborũ sapienter conditorum: quorum calicum, & paropsidum, & catinorum legalium vel propheticorũ,scribæ quidem & pharisęi student sensum exteriorem atq; vulgarem,& hunc mundum & sanctum demõstrare festinant. Discipuli autem Christi sensum interiorem & spiritalem mundare festinãt, & sanctificare scientiis & demõstratione probabili:vt ab intus mũdatam legem & prophetas manducent & bibant,interiorem & mysterialem sensum audire & suscipere concupiscentes, & transcendentes sensus exteriores verborum. Bonum est ergo ab intus caute mundare calicis vel paropsidis vel catini, quia ei qui mundauerit primum quod ab intus est calicis,fiũt etiam ea quæ foris sunt vere mundata: & tunc inueniuntur vasa sermonum munda, quando manifestati fuerint veri &
H spiritales sensus eorum. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris quidem parent speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia: sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti, ab intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.] Sicut enim superius ab intus pleni sunt rapina & intẽperãtia,similiter & hic pleni sunt hypocrisi & iniquitate,quę comparantur ossibus mortuorum,immunditię vniuersę. Hypocrisis enim cum sit aliqua simulatio boni,nihil quidem habet vitale ex eo bono quod simulat. Ossium autem (vt sic dicam) virtutis illius quam simulat mortua iustitia est,aut castitas. Si enim sapienter audiamus quod vult ostendere sermo præsens, intelligimus quod omnis iustitia simulata, mortua iustitia est. Sicut homo mortuus videtur quidem homo, sed non est homo: sic & mortua castitas, nec castitas est. Mortua autem, quæ non propter Deum, sed in simulatione propter homines fit. Et quẽadmodum est in mimis qui personas suscipiunt aliquorum, & non sunt ipsi quos simulant, sed videntur: sic qui iustitiam simulat, simulata iustitia eius non est iustitia, sed videtur. Est enim non iustitia, sed figmentum iustitiæ. Sic & in seductione, castitas ficta nõ est castitas, sed videtur. Propter quod bene assimilantur huiusmodi homines sepulchris dealbatis. A foris videntur iusti in cõspectu eorum qui nesciunt interiora considerare: ab intus autem pleni sunt ossibus mortuorum. Tanta sunt ossa in eis & immundiciæ,

Hypocrisis emortua est pietas.

I quanta opera simulantur bona ex malo affectu: & videntur à foris iusti coram hominibus, non eis quos scriptura deos appellat, ad quos factum est verbum Dei, sed coram eis qui sicut homines moriuntur. Et malum quidem esse, vel vnum ossium mortui habere intus in se, vel immundiciam aliquam vnam. Nunc autem vide exaggerationem scripturæ de malitia hypocritarum. Sicut enim sepulchra plena sunt ossibus & immundicia omni, sic & illi pleni sunt hypocrisi & iniquitate, non in vna aliqua re simulantes, neque in conspectu vnius in omni vita sua, vel duobus vel tribus, quamuis & hoc esset pessimum malum: sed omnibus diebus vitæ suæ in simulationibus viuunt, & aliud quidem sunt, aliud autem esse putátur. Sunt lasciui quidem abintus, à foris autem castos se esse ostédunt, simulatores castitatis, & virginitatis fictores. Et alij simulatores iustitiæ, quum sint ab intus iniqui: & alij aliarum virtutum simulatores existunt, cum sint ab intus cõtrariis vitiis pleni. Sunt quidam & martyrij simulatores: quidam autẽ episcopatus vel presbyteratus, vel diaconatus, vel ecclesiasticæ scientiæ vel doctrinæ, tantum personas & ostentationem virtutum habentes, vere autem sunt inimici earundem virtutum quas simulant.

Psal. 82.

Episcopi simulati.

TRACTATVS XXVI.

Cap. XXIII.



IN illo tempore dixit Iesus turbis Iudęorum & principibus sacerdotum: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorũ, & dicitis: quia si fuissemus in diebus patrũ nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonium redditis vobis, quia filij estis eorum qui occiderunt Prophetas. Et vos implete mensurã patrum vestrorum. Serpentes generatio viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effunditur super terram.] Quantum ad primam faciem pertinet textus, non satis rationabiliter comminari videtur aduersus eos qui ædificant sepulchra Prophetarum, & ornant monumenta iustorum. Quantum ad hoc enim solum, laudabile aliquid faciebant, quia sepulchra Prophetarũ ædificabant & ornabant monumenta iustorum, operibus patrum suorum quibus ausi sunt contra Prophetas & sanctos non consentientes, maxime in eo quod dicunt: si fuissemus in diebus patrum nostrorum, nõ essemus socij eorum in sanguine Prophetarum. Quomodo ergo digni erát suscipere vel Si autem dicit aliquis: quãtum ad opus quidem illud, & professionem verborum suorum non erant rei: propter illud autem quod testimonium sibi reddebãt, esse se eorum filios qui occiderunt Prophetas, culpabiles erant: quod nec ipsum verum est. In re enim quæ ex arbitrio hominis non contingit, quomodo potest homo fieri reus? Non enim ex arbitrio vniuscuiusque hominis est, cuius sit filius, boni viri, aut mali viri. Ergo neque propter illud quia ædificabãt sepulchra Prophetarum, & dicebant, si fuissemus in diebus patrum nostrorum non essemus rei, vel rei erant, vel innocentes: sed quia rebus ipsis & similitudine facinorum testimonium sibi reddebant esse se filios eorum qui occiderunt Prophetas, implentes mensuram patrum suorum, & adhuc adiicientes quod fuerat minus, supplentes interfectionem Prophetarum atque iustorum interfectione Christi filii Dei. Propter quod possibile nõ erat qui huiusmodi actu detinebantur obnoxij fugere à iudicio gehennæ. Quibus nec suffecit sanguis Christi, sed adhuc illos prophetas & scribas qui fuerunt missi à Christo, interfecerunt, & crucifixerunt, in synagogis suis flagellauerunt & persecuti sunt de ciuitate in ciuitatem. Pro quibus omnibus homicidialibus commissis, iustum fuerat eos pati excidium Hierusalem, captiuitatem populi, patientia Dei magnitudinem & multitudinem facinorum eorum vlterius non sustinente. Venit autem in generationem eorum qui impleuerant mensuram patrum suorum, & superposuerunt Iesu Christi prophetas, & sapiẽtes & scribas, omnis sanguis iustus qui effunditur super terram à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, cuius interfectionem imputat scribis & pharisæis, quasi non esset interfectus à patribus eorum, sed ab ipsis illis. Sic enim scriptum est: Quem occidistis inter templum & altare. Non autem possunt qui exprobrantur à Christo dicere: Zachariam filium Barachiæ vnum fuisse ex prophetis duodecim, quorum scripta habemus in manibus: sed Zachariam dicit patrem Ioannis: de quo per scripturas quidem canonicas ostendere non possumus, nec quoniam filius fuit Barachiæ, nec quia scribæ & pharisæi interfecerunt eum inter templum & altare. Sed venit ad nos quædam traditio talis, quasi sit aliquis locus in templo vbi virginibus quidem consistere licet, & orare Deum: expertæ autem thorum virilem, non permittebantur in eo consistere. Maria autem postquam genuit Saluatorem, ingrediens adorare stetit in illo virginum loco: prohibentibus autem eis qui nouerant eam iam filium genuisse, Zacharias stetit, atque dixit prohibentibus eam, quoniam digna est virginum loco, cum sit adhuc virgo. Ergo quasi manifestissime Zachariam aduersus legem agentem, & in loco virginum permittentem stare mulierem, occiderunt inter templum & altare viri generationis illius. Tamen eos qui huiusmodi traditioni non credunt, exigamus rationem quomodo non quasi filios eorũ qui interfecerunt prophetas etiam Zachariam exprobrat Iesus

Laudabile ornare monumenta iustorum.

Solutio dubij.

Matt. 23.

Luc. 1.

De Zacharia traditio

K L M

fus

A sus propter Zachariam, sed quasi qui ipsi occiderunt Zachariam, inter templum & altare. Si ergo verum est verbū Christi quod dicit ad præsentes tunc pharisæos & scribas: Quem vos occidistis, inter templum & altare, nō est possibile illum intelligi Zachariam, qui est ex duodecim vnus. Nec tamen est mirum si contigit eiusdem nominis esse & vtrunque Zachariam, & patres eorum. Tale aliquid dicere vult sermo quē loquitur Christus: quoniam vos qui à sanguine prophetarum excusatis, & dicitis, si fuissemus in diebus patrum nostrorum non essemus socij eorum in sanguine prophetarum: & ædificatis sepulchra prophetarum interfectorum: per hæc ipsa quę ausi estis aduersum me, testimonium redditis vobis, quoniam homicidarum patrum vestrorum filij estis: quod minus fuerat iniquitatibus eorum, per meum & meorum prophetarum sanguinem adimplentes. Nec enim Christum illi crucifixerunt, vos autem crucifixistis adimplentes, & facti earum viperarum qui interfecerunt prophetas genetamina, serpentes pessimi, viam fuge à iudicio gehennæ vobis ipsi claudentes propter magnitudinem facinorum quæ commisistis in Christum, & in sapientes eius, & in prophetas, & in scribas ipsius, & adhuc ausi estis à societate patrum vestrorum disiungere vos, & excusare à sanguine prophetarū. Sed consequens est. vt aliquis qui secundum simplicem historiam scripturæ intelligit obiiciat, & requirat, quare nō dixit vsque ad sanguinem Ioannis filij Zachariæ: maxime cùm lex & prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerint. Dicemus ad eum quoniam

Cur martyrij baptistæ Ioannis nō fecerit mētionem.

B manifesta est res, quod scribæ & pharisæi non occiderunt Ioannem, sed Herodes. Nam etsi nō crediderunt Ioanni scribæ & pharisæi, vt scriptum est: Si dicimus, baptismus Ioannis de cœlo est, dicet nobis, quare ergo non credidistis ei? tamen adhuc reuerentiam quandā habebant nominis eius, non audētes aduersus interrogationem dicere Christi de baptismate ipsius quod ex hominibus erat. Timebant enim populum, credentes quoniā vere Ioannes erat propheta. Quomodo ergo improperaret eis qui non occiderunt Ioannem, quasi interfectoribus eius? Sed improperauit quasi interfectoribus Zachariæ dicens: Quem occidistis inter templum & altare. Adhuc in textu dicendum est, quia nō statim vt factum fuerit peccatum, punitur peccantium generatio, sed cum subsequens generatio debens emendare in se peccatū patrum suorum, adhuc adiecerit peccatis patrum suorum peiora: & sic si multæ generationes peccauerint in gēte aliqua, vel in ciuitate, punitur gens, vel destruitur ciuitas. Sic ergo & gēs Iudæorum multa inferens mala prophetis, non vt cœpit homicidiū cōtra eos statim fuerat punienda, sed post patientiā dei, postquā addiderunt super sanguinē prophetarum sanguinē Christi, & impleuerunt mensurā patrum suorum, tūc dignius fuit puniri. Non ergo peccatum quod peccauit Cain interficiens fratrē suum, aut peccatum eorū qui interfecerunt prophetas, suscepit hæc generatio Iudæorum, quæ fuit in tēpore Christi: sed oportebat patientiā dei quæ fuit in gente Iudęorum fini-

Mat.14.
Mar.6.
Matt.21.
Pœna peccatorū differuntur.
Gen.4.

C ri mensuris, vt post multas effusiones sanguinis prophetarum & iustorum, non desolata prius Hierusalem & Iudæa, hoc pareretur postea in sanguine Christi, & propter hoc longanimiter deo agente, vt accipiant scribæ & pharisæi, populo cōplacente, sanguinem prophetarum Christi, & secundum euāgelium sapientium & scribarum quos occiderunt, & crucifixerunt, & castigauerunt in synagogis suis, & persecuti sunt de ciuitate in ciuitatem: vt eiectis omnibus de Iudæa, desoletur locus euacuatus ab omnibus sanctis, & patiantur quæcunque sunt passi à Vespasiano & Tito. Hæc corporaliter exposuimus. Si autem & moraliter hæc ipsa oportet exponere, talia dicemus in loco. Arbitror sicut Christus celatus venit in corpore, vt à carnalibus quidem speciem corporis eius aspicientibus, & non virtutes considerantibus homo videretur: à spiritalibus autem non speciem corporis attendentibus, sed opera virtutum eius considerantibus, Deus intelligatur: sic est omnis scriptura diuina incorporata, maximè autem veteris testamenti. Spiritalis enim & propheticus sensus scripturæ celatus est in historia rei propositæ: vt omnis scriptura à mediocribus quidem secundum historiam intelligatur, à spiritalibus autem & perfectis secundum mysterium spiritale. Hac præmissa præfatione redeamus ad verbum. Quoniam sicut in

Sensus moralis.
Scriptura habet sensum accommodatum rudibus & doctis.

ipsis prophetis recedentibus ab hac vita, corpora quidem eorum erant in sepulchris, animæ autē & spiritus in regione viuorum: sic & in propheticis dictionibus est animaduertendum: vt narratio quidem eorum secundum historiam simplicem sit corpus: spiritalis autem sensus, & ipsa scripturarū intima veritas sit anima, & spiritus qui inhabitat in narrationibus simplicioribus secūdum historiā. Sepulchra autē prophetarum non inconuenienter possumus existimare literas ipsas scripturarum, & libros, in quibus collocata narratio permanet, quasi corpus aliquod positum in sepulchris. Qui ergo spiritalia scripturarum, & veritatem earum interius celatam intelligunt, & suscipiunt, habēt in se animas & spiritus prophetarum, ipsi quasi regio viuentium prophetarum effecti. Qui autem illa non capiunt, neque requirunt, sed simplicem narrationem, & historiam rei solam attendunt, corpora prophetarum colunt in literis posita, & in libris quasi in quibusdā sepulchris, quales fuerūt & pharisæi, qui rectè pharisæi sunt appellati, id est præcisi qui spiritalia prophetarum à corporali historia præciderunt, quasi animā prophetarum expellentes à corpore, & occidentes ipsas prophetias, & exanimes facientes quasi nihil spiritale habentes. Et vere hypocritæ sunt sola sepulchra prophetarum corporalem historiam cōmentia ædificantes, & ornantes, id est scripturas ipsas, & libros prophetarum studentes: qui non intelligentes quoniā corpora mortua colentes, id est historiales narrationes, videntur quidē piè agere circa memoriam prophetarum, impij autem sunt: & non esse se socios eorum qui interfecerūt prophetas per hoc ipsum defendere volunt, arguuntur autem adiicientes super facinora eorū qui interfecerunt prophetas, & implentes mēsuram iniquitatis ipsorum per hoc ipsum quod non credūt in Christum, quem nō simplices historiæ prophetarum, sed spiritalis earum prædicat sensus. Scio autem indubitanter, quod vbique causa incredulitatis Iudæorum extitit ista, vt nō intelligerent Iesum quasi Christum Dei: quoniam semper animū suum dederunt circa historias corporales, nihil spiritale in eis credere volentes. Vnum autem exempli introducimus causa, quod in Zacharia prophetatur, & dicitur: quasi super asinam & pullum ingressurus in Hierusalem, & exterminaturus currus ex Effrem, & equum ex Hierusalem. Hoc si quis secundum literæ historiam intelligere velit de Christo, non conuenit. Nec enim exponitur Christus exterminasse ex Effrem corporales ac sensibiles currus, nec equum corporalem ab Hierusalem corporali. Sed si videris apud hæreticos cōuentus ipsius mendacij quasi quodam iugo copulatos, & inter se male cōcordes, quos sermo veritatis destruere solet, videbis quomodo Christus Dei verbum, exterminat currus spiritales ex Effrem spiritali. Effrem enim semper in figura hæresum ponitur, qui se separauerunt à Christi ecclesia, sicut Effrem à tribu Iuda. Sic enim spiritaliter equum & ascēsorem Ægyptiorum proiecit in mare sermo diuinus, id est impium virum cū diabolo ascēsore & instigatore ipsius. Sic & equum exterminauit ab Hierusalem, quicunque diabolo ascensori subiectus fuerit, & non Christo, sicut illi equi acceptabiles Christi, de quibus dicit Abacuc: Quis ascendet super equos tuos? & equitatus tuus sanitas, id est super apostolos, cæterósque sanctos in quibus habitat Christus. Propterea dicimus, hi in curribus, ostendentes Ephrem: & hi in equis, ostendentes aduersarios Hierusalem, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur: ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos verò surreximus, & erecti sumus. Qui testimonium sibi reddunt, quia sunt filij eorum qui interfecerunt Prophetas, per hoc ipsum quòd implent mensurā patrum suorum, super illorum incredulitatē adiicientes incredulitatē in Iesum, quę nō aliūde descendit, nisi ex eo quòd non alibi vacant, nisi circa ędificia sepulchrorum propheticorum, id est, circa diligentias propheticarum literarum tantummodo, atque librorum. Alij autem sunt scribæ infelices legis, alij autem sunt scribæ qui mittuntur à Christo secundum euangelium, cuius & spiritus viuificat, & litera non occidit, sicut litera legis: quoniam literam legis sequentes in infidelitatem & in vanas superstitiones incurrunt. Literam autem euangelij qui sequuntur, id est simplicem narrationem ipsius, saluantur: quoniam & ipsa sola euangelij narratio simplex sufficit simplicioribus ad salutem,

D
Corpus & anima scripturæ.
Pharisæorū etymon.
E
Causa incredulitatis Iudæorum.
Zach.9.
Ephraim hæreticorū figura.
Exo.13. 15.
F
Abac.3.
Psal.20.
Cherinthū & cæteros Iudaizantes intelligit.

G Et si videris scribas legis, & pharisæos agentes non solum ad-
Litera Euāgelij sufficit ad salutem. uersus sapientes euangelij, & quæ Christi sunt prophetantes,
sed etiam aduersos scribas noui testamenti, videbis quomodo
quantum ad se occidunt Christi prophetas & scribas crucifi-
gunt per detractionem verborum suorum, flagellant in syna-
gogis suis. Frequenter ergo audire est apud hæreses, qui sunt
spiritales pharisæi, quomodo linguis suis quasi quibusdā ver-
beribus maliloquij sui Christianos flagellant, & persequun-
tur de ciuitate in ciuitatem, interdum quidem & corporali-
ter, aliquando autem spiritaliter, volentes eos expellere quasi
de propria ciuitate legis, & prophetarum, & euangelij, & a-
postolorum, & in aliam & extraneam quandam ciuitatem e-
uangelij alicuius alterius, mendacibus persuasionibus suis
quasi persecutionibus pellunt. Secundum quod & apostolus
Gal. 1. dicebat propter falsos apostolos: Miror quòd sic cito trans-
feramini à gratia dei, qui vos vocauit, ad aliud euangelium,
quod non est aliud, nisi sunt quidā qui conturbant vos. Pro-
pter quod veniet super eos omnes sanguis iustus, quem effun-
dunt per hoc ipsum quòd euertere volunt veritatem scriptu-
rarum, quæ rectè sanguis & vita dicitur scripturarū: quia om-
Scriptura mortua quæ. nis scriptura, nisi secūdum veritatem intelligatur, mortua est.
Effundunt ergo veritatem scripturarum quasi sanguinem ea-
rum, sicut effusus est sanguis Abel. Et non solum tunc vox
H sanguinis Abel clamabat ad deū, sed semper veritas scriptu-
Gen. 4. rarum ab impiis effusa, secundum quod diximus à sanguine
Heb. 11. Christi, id est à veritate euangelij cœpta, per omnes scriptu-
ras interpellat ad deum, aduersus eos qui auertere eā volunt:
& sanguis testamenti, id est veritas scripturarum prophetica-
rum, aduersus eos qui immundam eam existimauerīt, & no-
luerunt sanctificari in ea quasi in sanguine viuo & sanctificā-
ti. Sic effundunt etiam sanguinem Zachariæ, qui interpreta-
tur memoria dei. Omnis enim qui memòriam dei perdere
festinat in eis quos scandalizat, Zachariæ sanguinem videtur
effundere filij Barachiæ, qui & ipse interpretatur benedictio
dei. Per benedictionem dei memores sumus dei. Si autē nec
Abel nomen indiscussum debemus relinquere: dicimus quo-
Matt. 5. niam Abel luctus interpretatur. Qui ergo suscipit, quod scri-
Luc. 6. ptum est: Beati qui lugent, saluat Abel: qui autem nō recipit,
sanguinem effundit Abel, hoc est veritatem luctus salutaris.
Propterea implebitur super ipsum quod scribit: Vę vobis qui
ridebitis nunc, quoniam plangetis & flebitis. Inter templum
& altare ab impiis memoria interficitur dei, quando & tem-
plum dei à lasciuis corrumpitur, & altare ipsius per negligen-
tiam orationum sordidatum coinquinatur, quando & oratio
alicuius fit in peccatum ipsius, sicut & de oratione Iudæ di-
Psal. 108. ctum est: Et oratio eius fiat in peccatum eius. Hierusalem
Hierusalem quæ occidis prophetas & lapidas eos qui ad te
I mittuntur, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina
congregat pullos suos sub pennas, & noluisti? Ecce relinque-
tur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis: quoniam
amodo non me videbitis donec dicatis: Benedictus qui ve-
nit in nomine domini.] Dignum est quærere quomodo co-
ram auditoribus loquens Saluator, inter quos erant scribæ &
pharisæi, qui gloriabantur quæ legis sunt & prophetarū cau-
te cognoscere, qua ratione dixit Hierusalem occidisse pro-
phetas, & lapidasse ad se transmissos, cum non satis talis pro-
pheretur historia in scripturis veteribus quæ legebatur in sy-
nagogis eorum. In lacum quidem luti missum Hieremiam
Hiere. 38. legimus, non tamen interfectum in Hierusalem. Sed nec E-
De prophetaru martyrio. saiam, vel Ezechielem, vel aliquem prophetarum tale aliquid
legimus passum, inquantum suggerit memoria mea. Sed scru-
tans in secundo libro Paralipomenon, vbi multa de Prophe-
tis claris scripta sunt: inuenio quoniam Asa iratus Ananiam
2. Par. 16. prophetam se arguentem posuit quidem in carcerem, nihil
3. Reg. 22. tamen amplius fecit in eum. Sed & Michæam Achab pro-
phetantem aduersus se, iussit quidē in domum carceris ire, &
manducare panem tribulationis, non tamen & occidit. Vnū
2. Par. 24. autem legimus lapidatum Zachariam filium Ioiadæ sacerdo-
tis, populum arguentem. Non ergo inuenimus in Hierusalem
prophetas occisos amplius, vel lapidatos præterquàm dixi
Libri secretiores Iudæorum. transmissos ad Hierusalem. Propterea videndum ne forte o-
porteat ex libris secretioribus qui apud Iudæos feruntur, o-
stendere verbum Christi, & non solum Christi, sed etiam di-

scipulorum eius: Stephani quoque martyris, & Pauli Aposto- K
li. Stephanus enim sic dicit: O dura ceruice, & non circuncisi *Act. 7.*
corde & auribus, vos semper spiritui sancto restitistis sicut
patres vestri. Quem enim prophetarum non sunt persecuti?
& occiderunt eos qui annunciabant aduentum iusti, cuius
nunc vos proditores & interfectores estis. Et post hoc expu-
lerunt eum extra ciuitatem, & lapidabant Stephanū claman-
tem, & dicentem. Paulus autem in epistola ad Thessalonicē- *1. Thess. 2.*
ses prima: de interfectione prophetarum talia dicit. Vos imi-
tatores facti estis ecclesiarum dei quæ sunt in Iudæa in Chri-
sto Iesu: quoniam eadem passi estis & vos à contribulibus ve-
stris, sicut & ipsi à Iudæis, qui & dominum occiderūt Iesum
& prophetas, & nos persecuti sunt, & deo non placent. Ad
Hebræos autem ita: Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in *Heb. 11.*
gladio mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus capri-
nis, egentes, & angustiati, afflicti doloribus, quorum non fuit
dignus mundus, in solitudinibus errantes, & in montibus, &
speluncis, & foueis terræ. Fertur ergo in scripturis non mani-
festis serratū esse Esaiam, & Zachariam occisum, & Ezechie- *Digressio*
lem. Arbitror autem circuisse in melotis, in pellibus caprinis *de libris*
Heliam, qui in solitudine & in montibus vagabatur. Sed po- *canonicis et*
ne aliquem abdicare epistolam ad Hebræos, quasi non Pau- *Apocry-*
li, necnon & Secretum abiicere Esaiæ, sed quid faciat in ser- *phis.*
mones Stephani, vel Pauli ad Thessalonicenses de prophetis L
interfectis prolatos, vel ipsius domini nostri? Aut quomodo *2. Tim. 3.*
abdicet illud, quod ad Timotheum Paulus protulit dicens:
Sicut Iannes & Mambres restiterunt Moysi: sic & isti resistūt
veritati? Nec enim scimus in libris canonizatis historiam de
Ianne & Mambre resistentibus Moysi. Si autem aspiciant &
quod ad Corinthios prima positum est: Quæ oculus non vi- *1. Cor. 2.*
dit, nec auris audiuit, nunquid poterit hæc omnia aliquis ab-
dicare? Hæc omnia diximus discutientes sermonē: non igno-
rantes, quoniam multa secretorum facta sunt à quibusdā im-
piis & iniquitatem in excelsum loquentibus: & vtuntur qui-
busdam fictis Hypythiani, aliis autē qui sunt Basilidis. Opor- *Hypythianu, Basilides.*
tet ergo caute considerare, vt nec omnia secreta quæ ferūtur
in nomine sanctorum suscipiamus propter Iudæos, qui forte
ad destructionem veritatis scripturarum nostrarum quædam
finxerunt confirmantes dogmata falsa, nec omnia abiiciamus
quæ pertinent ad demōstrationem scripturarum nostrarum.
Magni ergo viri est audire, & adimplere quod dictū est: Om- *1. Thes. 5.*
nia probate, quod bonum est tenete. Tamen propter eos qui
non possunt quasi trapezitæ inter verba discernere vera ha-
beantur an falsa, & non possunt semetipsos caute seruare, vt
verum quidem teneant apud se, ab omni autem specie mala
abstineant, nemo vti debet ad confirmationem dogmatum
libris qui sunt extra canonizatas scripturas. Tamen si quis su-
scipit ad Hebræos quasi epistolam Pauli, dicit: quoniam plu-
ralia non debemus omnino referre ad plures. Nec enim plu- M
res serrati sunt, sed Esaias solus. Nec plures lapidati sunt, nisi
Zacharias tantummodo filius Ioiadæ. Nec occisione gladij,
nisi Zacharias filius Barachiæ. Sed & in melotis, & in pelle
caprina Helias, & cætera similia. Adhuc autē quęramus quod *Luc. 13.*
in Luca scriptum est, dicente domino: quia non capit Pro-
phetam perire extra Hierusalem, si ergo non capit prophe-
tam perire extra Hierusalem, id est interfici, si post destru-
ctionem Hierusalem iam nemo propheta est, ne forte qui in-
terficitur extra Hierusalem Propheta, falsum verbum Christi
demonstret. Si autem cogūt nos scripturæ propter Agabum,
& filias Philippi euangelistæ, nō propter falsos Phrygiæ pro-
phetas, quæramus ne forte omnis iustus sit in Hierusalem, & *Cataphryges perstringūtur. Sed haud scio an fuerint tēpore Origenis.*
non extra Hierusalem. Quoniam non capit eum qui est extra
Hierusalem, passionibus affici propter verbum. Sed quomo-
do Hierusalem occidit Prophetas videndum. Existimo autē,
sicut vulgariter dicere solent, clamauit ciuitas, tanquam si di-
catur qui sunt in ciuitate: item ciuitas egressa est obuiam, id
est qui sunt in ciuitate: sic Hierusalem occidit prophetas, id
est qui erant in Hierusalem: quorum causa dictum est Hieru-
salem occidisse prophetas. Et si ciues pro ciuitate ponuntur:
iterum occurrit ad quæstionem, qui sunt dicendi filij Hieru-
salem, de quibus dictum est: Quoties volui congregare filios *Hierusalē superna.*
tuos. Sed dicimus semper ciuium successores, filios præcedē- *Gal. 4.*
tium dici. Hierusalem autem quæ libera est à seruitute pecca-
ti,

A ti, quæ sursum est conuersatiooe, quæ est mater nostra, noo occidit propbetas, nec lapidat eos qui mittuntur ad eá. Aliud est quod secundum similitudinem illius Hierusalem occidẽtis & lapidantis prophetas, frequenter suot qoidã in ista Hierusalem imperiti constituti, & deũ non metuentes, qui quaotum ad se occiduot, & lapidant verbis sine iudicio prolatis viros verbo & vita proocctos, & ecclesiarum quidem canonem non requirẽtes, propter profunditatem autem dogmatum suspectos ab his qui consueti suot noua quędam dicere, & ooo aneodentes verbum saoum domini nostri Iesu Christi. Dicit ergo dominus ad Hierusalem interfectricem & lapidatricem prophetarũ. Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina pullos suos sub alas, & noluisti?] Quomodo bic domious Iesus, quasi qui frequenter voluit congregare Iudæos, non autem congregauit propter cootumaciam nolentium credere, ita dicit: Quoties volui: cum sit manifestum semel eum docuisse io corpore Iudæos? Sed oon solum in præsentia, verum etiam substantialiter semper Christus præsens fuit & in Moyse & in Prophetis, magis autẽ & in aogelis ministrantibus saluti bumanæ, & per siogulas generatiooes, & sic impletur: Quoties volui. Per singulas enim geoerationes semper voluit, & festinauit perficere volontatem patris in eis: etsi non in corpore cọnstitutus, sicut nunc in fine seculorum, tamen semper festinauit congregare filios Hierusalem. Ipsius enim volentis congregare filios Hierusalem voces habentur

Christus substantialiter in prophetis, i. re uera secundũ diuinitatẽ nõ per carnem.

B in lege & in prophetis. Et de ipso scriptum est: Expaodens alas suas accepit eos, & suscepit eos super scapulas suas: & quotidianum opus est Christi cõgregare filios Hierusalẽ: de quibus in Esaia & in reliquis prophetis plura dicuntur: & quotidie dei filius congregat dispersos filios dei, sicut gallina pullos suos sub pennas suas. Si quis autem non fuerit congregatus ab eo, iudicabitur quasi qui noluerit congregari ab eo. Veoit enim filius hominis quærere quod perierat, & saluare: & mortuus est non pro gente sola, sed vt dispersos filios dei congregaret in vnum: Iudæis quidem qui erãt filij illius Hierusalem quæ erat deorsum comminatus, & nolentibus congregari sob pennas suas, dicens: Ecce ouoc relinquetur vobis domus vestra deserta.] Semper autem eis qui noluerunt congregari sub pennas ipsius, comminari, & dicere Christus videtur: Ecce nunc relinquetur vobis domus vestra deserta, id est anima vestra, & corpus. Non solum eoim corpus, sed etiã anima peccãnium, deserta relinquitur: & sicut in deserto vulpes faciunt in eis foueas, & serpentes generatio viperarũ cubationes. Dicit autem nolentibus congregari ad eum: Quoniam noo me videbitis amodo donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine domini.] Et nec Iudæi tunc Christum viderunt: nec enim visus est eis resurgens à mortuis sicut prius, sed Iudicio & gratia partibus tantummodo dignis. Et donec intelligentes desertionem propriam dixerint pœoiteotes: Be-

Deut. 32.

Ioan. 11.

Ibid.

Luc. 19.

C nedictus qui venit in oomioe domini: non videbont filium dei, nec videbunt verbum eius, nec considerabuot pulchritudinem sapientiæ dei. Sed & si ex oobis voluerit aliquis congregari sub pennas Christi, sed operibus malis recusauerit cõgregari sub penoas eios, iam oon videbit verbum dei, maxime ex tempore illo ex quo congregantem illum per siogulos dies refugit actu magis quàm corpore: & tandiu non videbit pulchritudinem verbi, id est Christum, donec conuersus & pœnitens à proposito malo dicat: Beoedictus qui venit in nomine domini. Tunc enim verbum dei benedictum, & benedicta sapientia dei veniens veoit in nomine dei patris super cor bominis, quando fuerit quis conuersus ad deum.

TRACTATVS XXVII.

Cap. xxiiii.



N illo tempore: Egressus Iesus de templo ibat. Et accesserunt ad eum discipoli eius vt ostenderent ei structuras templi. Iesos autem respondens, dixit eis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, oon relinquetur bic lapis super lapidem qui non destruatur.] Postquam omnia quæ super Hierusalem ventura fuerant Christus prædixit, exiit de templo, qui conseruarat templum oe caderet, doocc fuit in eo. Quandiu enim fuit verbum apud Iudæos, noo auferens regnum dei ab eis, tamdiu stetit, & incolumes fuerunt res Iudæorum. Postquàm vero secundum verbum ipsius quod dixerat: Auferetur à vobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructum suum: abstulit regnum dei, & gentibus dedit: tunc & Iesus, & regnum dei facti suut apud geotes. Vode ounc nec Iesus nec regnum dei apud Iudæos habetur, quia relicti sunt sicut tabernaculum in vinea, & sicut casula in cucumerario, & sicot ciuitas quæ expugnatur propter facious quod commiseruot in Christum. Et vnusquisque suscipiens verbum dei, templum est dei, vt recte dicatur ad deum. Nescits quia templum dei estis, & spiritus dei habitat in vobis? Vnusquisque ergo cum sit templom sanctum dei propter spiritum dei iohabitantem in se, si peccauerit ipse, fit causa suæ desertionis, vt egrediatur Christus ab eo: vt qui fuerat ante templum filij dei, postmodum fit domus deserta, vt non relinquatur in eo lapis super lapidem ex omnibus dogmatibus, & booæ vitę ædificationibos, quod oon destruatur. Propter quod recordãtes bistoriam desertionis Hierusalem, prospicere nobis debemus, vt ne egrediatur Christus ex templo quod est ex nobis, vt ędificatiooes tẽpli nostri incolumes sioe lapidibus & donis adoroatæ: vt qui viderint ædificationes quæ sunt in oobis, dicãt mirantes: Vide qoales lapides, & quales structoræ. Illud autem dignotu est peruidere, qoomodo quantum ad textum sic loquuotur discipuli ad Iesum,

Matt. 21.

Esa. 1.

1. Cor. 6.

E & ostendunt ei structuras lapidum, quasi qui ouoquàm vidisit ipsum templum, sed aliũde in primis peregrinus aduenerit. Ad hoc ita est respoodendum: quoniam prophetans superius ruinam ipsius futuram Christus & desertionem, sic comminatus est. Ecce ounc relioquetur vobis domus vestra deserta. Audientes discipuli mirati sunt talem & tantam templi structuram ad nihilum redigendam: Propterea dicunt ad Iesum, sicut alter manifestius dicit Euangelista: Magister vides quales lapides, & quales structuræ? Videlicet vt flecterent eũ ad misericordiam loci illius, ne faceret quod fuerat comminatus. Et hæc corporaliter dicta sint. Moraliter autẽ hoc modo. Cum sit humaoæ naturę admirabilis constructio facta, videlicet templum dei & verbi eius, discipuli cæteriqoe saocti, non solum tunc, sed etiam modo miranda opera dei erga figmentum humanum confitentes, ante conspectum Christi intercedunt, & prouocant Christum, vt ne deserat genos humanum propter peccata ipsorum, sed magis moueãt eum ad indulgentiam opera eius miranda, quàm ad iracundiam iniquitas eorum. Aliter. Sicut illud templum non insemel est dirutum, sed paulatim tempore procedenti: ita & omois bomo qui suscipit in se verbum dei, templum est. Et si quidem post peccatum non ad plenum decidit à verbo dei, sed adbuc saluat ex parte vestigia fidei, & religionis in se mandatorũ dei, templum est ex parte destructum, & ex parte coosistens. Qui

Moralis sensus.

F autem postquàm peccauerit curam sui nõ habet, sed semper à fide decurrit, & à vita quæ est secuodũ Euangelium paulatim minuitur, donec ad plenum recedat à Deo viuenti: hic est templum io quo oon relinquatur lapis dogmatis super lapidem mandatorum dei qui non destruatur. Nos ergo prospicere nobis debemus, vt omnis ædificatio pietatis in nobis integra perseueret, vt & lapidibus salutarium dogmatum adornati, & donis bonorum operũ decorati capiamus in oobis dei virtutem, & gloriam, & Christum, qui est verbum & sapientia dei. Et tertiam expositionem iotroducit quidã huiusmodi, quoniam templum erat dei ædificatum compositione sermonum sigoificantium, omnis scriptura veteris testamenti secundum bistoriam videlicet constructa. Quam qui construxeruot Moyses vel prophetæ circumpositione literarum, & ordinatiope dictorum ædificauerunt omnibus admirandam propter pulchritudinem lapidum, id est electorum dictorum, & donis sensuum laudandorum. Hanc discipuli ostendunt Iesu suscipientes omnes scripturas: ad quos Christus respoodit, dicens destruendam esse à verbo hanc corporalem & primam editionem, vt ædificetur diuinius & mysterialius templum scripturæ alterius. Templum autem esse scripturam exposuit quidam ante nos. Et quooiam qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur deus, qui sedet in templo dei, Antichristus, falsus est sermo qui in scripturis habetur: qui simulat veritatem, proferẽs testimonia impiorum

Tertia expositio.

2. Thes. 2.

G dogmatum de scripturis placari aliunde nolentibus: & ipse est qui aduersatur, & super cathedram scripturarum, & super ædificationem earũ sedet, ostendens se quasi sit deus. Et semper est videre sermones hęresum Antichristos in templo scripturarum sedentes, & ex ipsis volentes eos placare qui audiũt tanquam vnusquisque eorum, ipse sit deus verbum in scripturis. Sedente autem ipso super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli eius secreto dicentes: Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi?] Egressus de templo Iesus postquàm dixit de eo, venit in montem Oliueti, & ibi sedebat cum discipulis suis. Puto autem mysterium esse montem Oliueti ecclesiæ quæ ex gentibus est, in qua sunt plantatæ oliuæ, quarum singulæ possunt dicere: Ego autem sicut oliua fructifera in domo dei. Forsitan autem & in hoc oliuarum monte radices sunt bonæ oliuæ. Rami autem inserti sunt oleastri in loco ramorum qui ex infidelitate præcisi sunt. Agricola autem in monte residens Oliueti, verbum est dei in ecclesia confirmatum Christus, qui semper oleastri ramos inserit in bonam oliuam patrum Moysi & cæterorum prophetarum, vt accipientes pinguedinem à sanctis prophetis per hoc quod sensum eorum caute intelligunt, & suscipiunt, & Christum qui prophetatur ab illis offerant fructum abundantem, & pinguiorem prioribus videlicet oliuis, propter maledictionem quæ erat in lege decussis, vt non possint esse in vsu. Post hoc considerandum est

Mons oliueti.

Rom. 11.

H illud: quoniam accedentium discipulorum ad Iesum, quidam quidem secrete accedunt ad eum, maiorem in hoc ipso habentes fiduciam apud ipsum quasi domestici eius, sicut cum interrogarent eum, de solutione parabolarum: quidam autem non secrete, sed in commune eum interrogabant. Obserua adhuc differentiam istorum, quoniam interdum quidem pharisæi accedunt, siue tentantes, siue quolibet modo interrogantes: interdum autem alij discere cupientes: tamen nunquam secrete accedunt ex multitudine. Et forsitan vsque nunc qui præcipuam susceperunt vitam, & propter hoc habent fiduciam ante Christum, aliquid amplius habentes quàm illi qui ex fide communi accedunt ad Iesum, dicunt ad eum: Dic nobis, quando erunt hæc?] Quæ [Quod ait, Non stabit hic lapis super lapidem qui non destruatur.] Et non hoc solum discere volunt, sed etiam signum aduentus Christi, & consummationis seculi: & duo petunt ab eo, signum aduentus ipsius, & consummationis seculi. Est ergo in multis quidem creditus aduentus filij dei, & consummationis seculi, præcipue tamen in eis qui elegantiorem vitam sectantur. Est & aliter videre duplicem Christi aduentum, id est aduentum verbi in animam, Primum quidem rudes, & tunc incipientes cognoscere Christum, quoniam non possunt videre luciditatem pulchri-

Secretè ad christum accedentes.

I tudinis, dicunt: Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem, sed species eius inhonesta, Species autem inhonesta verbi, stulta prædicatio est de Christo, quando prædicamus Christum natum & crucifixum. Secundus autem aduentus Christi, in viris perfectis: de quibus dicit dispensator verbi ipsius: Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Hi autem perfecti amatores facti sunt pulchritudinis eius, & rogant verbum vt accingat se rationabilem gladium suum, & circumponat eum super mysterium natiuitatis carnalis, quæ appellata est mysterialiter femur. Huiusmodi enim discipuli laudant pulchritudinem & decus verbi: & huic secundo aduentui, iuncta est consummatio seculi in viro ad perfectionem venienti, & dicenti: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Si enim mundus crucifixus est iustis, quibus mundus crucifixus est, & ego mundo. Si enim mundus crucifixus est iustis, quibus mundus crucifixus est, facta est eis etiam consummatio mundi. Necessarie ergo qui habent fiduciam accedendi secrete ad Christum, si volunt discere signum aduentus Christi, & consummationis seculi, præbeant se dignos videre secundum aduentum ipsius, & secundum quod tradidimus seculi consummationem. Et respondens Iesus dixit eis: Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicẽtes quod ego sum Christus,

Esa. 53.

1. Cor. 2.

1. Cor. 3.

Gal. 6.

& multos seducent.] Qui simpliciter intelligunt, arbitrantur K quod hoc solum hæc verba significant: quoniam multi erant venturi Christos se asserentes, habentes in se etiam quasdam virtutes mirandas, & verba quibus prouocent multos ad credendum, qui dignos seductione se præbuerint. Ioannes autẽ in epistola sua dicit: Et sicut audistis quoniã Antichristus veniet, nunc Antichristi multi facti sunt: vnde scimus quoniam nouissima hora est. Docet his verbis, omne verbũ quod à veritate extraneum est, & asserit se verbũ esse, sic enim possibile est intelligere quod ait: Et nunc Antichristi multi facti sunt, cum vnũ sit quod est verbum. Sicut autẽ manifestat historia lectionum, non multi fuerunt homines in tẽpore Apostolorum, qui Christos se esse dixerunt: nisi forte Dositheus Samaritanus, vnde & Dositheani dicuntur: & Simon, de quo referũt Actus Apostolorũ, qui se virtutem esse dei magnam pronunciabat. Præter hos neq; ante, neq; postmodũ fuerunt, quantũ ad scientiam meã. Sed omnis sermo qui profitetur expositionem scripturarum, & fidem earum, non autẽ habet veritatẽ, iuste Antichristus esse intelligendus est, veniens in nomine Christi, & dicens quod ego sum Christus, mentiẽs, & minime potens ostendere veritatis formam in se. Et quoniam eis qui discutiũt verba scripturæ vt inueniãt sensum eius, frequenter occurrũt quidã intellectus quasi veri, cũ nõ sint veri, aliquãdo autẽ traduntur & ab aliis verisimilibus colorati sermonibus, vt nõ facile inueniatur qui verus est sensus, priusquã ad L uersus mendaces existimationes muẽtus fuerit verior sensus, & firmior: propterea puto quod Christus ad interrogationẽ discipulorũ suorũ dicentium, quando hæc erunt? & quod signũ aduentus tui, & consummationis seculi? ita respõdit, Videte ne quis vos seducat, Multi enim venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus, & multos seducent. Vere enim qui implet illud mandatũ quod ait: Estote prudentes nummularij: & illud quod ait: Omnia probate, quod bonũ est tenete: ab omni specie mala abstinere vos: multos videbit seduci à multis intellectibus & verbis profitentibus esse se Christũ dei verbũ. Et vtinam soli qui extra ecclesiam sunt seducerentur, facile erat cauere seductionẽ. Nunc autem ipsi qui profitentur se ecclesiasticos esse, de necessariis quibusque capitulis falluntur, & seducuntur, sicut ipsa dissensio eorum testimonium est, quoniam & qui intus sunt seducuntur. Sed consequenter quemadmodum solet esse in errãtibus, vias has corporales differentia erroris, & quidam quidem etiam contra ipsam publicam viam quæ quæritur, vadunt errantes, alij autem modicum aliquid de semita recte declinãt, vt sint reuocabiles: & multæ sunt errantium differentiæ hoc modo videmus etiam eos qui à veritate aberrant. Et Marciones quidem, & Basilides & Valentiniani, & Apelliani, & Ophitæ, multũ à proposita errant via, qui omnino contraria sapiunt veritati. Quidam autem de publicis quidẽ & manifestis capitulis non M dissentiunt: vtputa de vno deo, qui legem & euangelium dedit: aut de Christo Iesu primogenito vniuersæ creaturę, qui in fine seculi secundum prædicationes Prophetarum venit in mundum, & suscepit in se veram humanæ carnis naturam, vt etiam natiuitatẽ subiret ex virgine, & mortẽ crucis susciperet, & surrexit à mortuis, & deificauit quam susceperat humanam naturam. Adhuc autem & de spiritu sancto, quoniam ipse ille fuit in Patriarchis & Prophetis, qui postea in Apostolis datus est, & de resurrectione mortuorum sicut Euangeliũ docet certissime credunt, & omnia quæcunq; feruntur in ecclesiis. De aliis autem non paucis tamen modicis, noua proponunt dogmata, & ipsi vtique sunt ex illis qui seducuntur à falsis intellectibus, & verbis venientibus in nomine Christi, qui est verbum & veritas. Et malum quidem est inuenire aliquem secundum mores vitæ errãtem, multo autem peius arbitror esse in dogmatibus aberrare & non secundum verissimam regulam scripturarum sentire, Quoniam sicut in peccatis mortalibus, puniẽdi sumus amplius propter dogmata falsa peccantes. Si enim sufficeret conuersatio morum bonorum hominibus ad salutem, quomodo apud gẽtes philosophi, aut apud hæreticos multi continenter viuentes nequaquam saluantur, quasi obscurante & sordidante conuersationem eorum dogmatis falsitate? Arbitror autem quoniam generalem munditiam quæ est non solum in actibus, sed etiã in scientia,

1. Ioan. 2.

Dositheus.

Act. 8.

Lege Epip. libr. 1. & Irenæum lib. 1.

1. Thes. 5.

Veteres hæretici.

Deificauit carnẽ christus id est, donauit ei suæ vnitæ deitatis proprietatem, non quod eã in deum deuenaturam verterit.

Error in fide, quàm in moribus deterior.

volens

A volens ostendere sermo in Psalmo vigesimotertio dicit: Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & puro corde. In Prouerbiis autem: *Prou. 20.* Qui gloriabitur castum se habere cor, aut quis confidat mũdum se esse à peccatis? *Mundũ cor* Mundum ergo corde, & castum corde, non alium arbitror esse nisi eum, qui ab omni dogmate falso mundum & castum possidet cor. Sic & innocentẽ manibus, & mundum à peccatis eum existimo esse, qui in actibus vitæ suę irreprehensibilis est. Sciendum est autem, quoniã quantũ ad veritatem impossibile est esse aliquem innocẽtem manibus, & mundum à peccatis, vt non sit purus corde, & castus à dogmatibus falsis: sicut econtrario impossibile est mundum quidem & castum esse corde à dogmatibus falsis, vt non sit innocens manibus, & mũdus à peccatis. Hæc enim alterutrum se sequuntur & non separãtur ab inuicem, sermo mundus in anima & vita irreprehensibilis. Abundantius autem de capitulo isto tractauimus, docentes nos ipsos secundum ea quę visa sunt nobis in loco, vt custodiamus nos ab omni errore falsorum dogmatũ, siue de manifestis & principalibus capitulis, siue de his quę videntur minora, vt audiamus qui dixit: Non declinabis ad dexteram, aut sinistrã: ab eo qui dixit: Ego sum via. Nec seducamur, sed vigilem⁹, ne quis nos *Deut. 5.* *Ioan. 14.*
B fallat eorũ qui veniunt in nomine Christi dicentes, Ego sum Christus, ego sum veritas, & sapientia, & lumẽ verũ. Puto autem quia non solũ est sermo Christus, est & sermo Antichristus, Veritas Christus, & simulata veritas Antichristus: sapiẽtia Christus, & simulata sapiẽtia Antichristus, fallens amatores sapientię Dei & veritatis, quę omnia pertinẽt ad fidei rationem. *Antithesis christi & Antichristi.* Sed etiam in his virtutibus quibus conuersamur secundum Deum inuenimus omnes virtutes esse Christum, & omnes simulatas virtutes Antichristũ. Quoniam omnes species boni quascunque habet Christus in se in veritate ad ędificationem hominum, eas omnes habet in se diabolus in specie ad seductionem sanctorum. Si enim Christus iustitia est: sunt autem frequenter viæ viri quæ videntur esse iustæ, nouissima autem earum respiciũt in profundum inferni. Quando ergo videtur iustitia cùm non sit iustitia vera, ea talis iustitia Antichristus est, aduersus iustitiam Christum. *Prou. 16.* Arbitror & castitatem esse Antichristum, quæ est apud hęreticos in errorem mittens homines, ne intelligãt ecclesiasticam castitatem Christum. Sic & misericordia est Antichristus contra misericordiam Christum, qui faciunt eleemosynas, sed non propter iustitiam Dei. Est & patientia Antichristus in eis qui videntur quidem pati pro Christianitate, & vsq; ad effusionem sanguinis concertantes, videlicet ne videãtur denegare Christianitatem: iniquitatem autem in excelsum, in ipsa etiam effusione sanguinis sui loquuntur, & ponũt in cœlo os suum. *Martyria hæreticorũ.* Est & virtus Antichristus seducens ignorantes, quoniam multi dicturi sunt Christo in illa die, Domine in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus. *Matt. 7.* Ad quos respondebit: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, nunquam vos noui. Si enim nunquam eos Christus cognouit, virtutes autem se fecisse gloriãtur in nomine Christi, non
C erãt virtutes illę à Christo, qui nõ nouerat illos, sed ab eo qui trãsfigurat se non solũ in angelũ lucis, sed etiã in ipsum Christũ. Opus est ergo nobis Deo auxiliatore, & ipso Christo viuente in nobis, vt apertis oculis nostris videamus ne quis nos seducat, vel sermo, vel virt⁹, vel ab intus, vel à foris, promittẽs se esse Christum cum sit inimicus eius cæterarũmq; virtutum ipsius. Considera etiam illud, quod multi veniunt in nullo alio nisi in nomine meo. Solum enim nomẽ Christi Antichristus suscipit, nec opera facit, nec verba veritatis eius docet, nec sapientiam eius ostendit in se. Et quemadmodum secundum quosdam Barabbas dicebatur & Iesus, sed latro erat, nihil habens Iesu præter nomen: sic multos existimo Christos sed nomine tantum. Nota autem quoniam nusquam inuenitur Dominus in scripturis hoc ipso sermone vtens, & dicens: Ego sum Christus, vt ne simile aliquid dicat mulos venturis in nomine eius atque dicentibus, ego sum Christus. Sufficiebãt enim ei ad credẽtium fidem, quoniam ipse est Christus, opera Dei, quæ solus poterat facere Christus, & sermo quem docebat, & virtus, super mille voces clamantes: Ego sum Christus. *Ioan. 5.* Sic autem nunquam manifeste dixit, ego sum: sed per

D opera dixit: & per doctrinam pietatis, vt ipse dicat ad Petrum, quasi qui nũquam ab eo audisset, didicisset autem à Patre, quia ipse erat Christus filius Dei viui: Beatus es Simõ Barlona, quia non caro & sanguis reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. *Mat. 16.* Si enim ipse in corpore constitutus manifeste dixisset ad eum, ego sum Christus, caro eum reuelasse videbatur, non tantum Pater. Propterea sufficit ad seductionem Antichristorum hoc solum, quod dicunt, ego sum Christus, quod nũquam Christus legitur dixisse: & multi sunt qui seducuntur. Lata est enim porta & spatiosa via quæ ducit ad perditionem, & multi intrant per eam. Pauci autem qui inueniunt eam viam, quæ ducit ad vitam.

Tractatus XXVIII. Cap. XXIIII.

IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis. Audietis autem prælia, & opiniones præliorum. Videte ne terreamini. Oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Lucas autem hoc modo. Cum audieritis prælia & seditiones, ne terreamini.] Duo proponit, *Discrimen inter parabolas & præliorum rumores.* Vnum quidem ita, Audietis prælia: alterum autem Auditiones præliorum. Et primum quidem videamus secundum simplicem traditionem, secundum quod multi intelligunt, quid distant auditiones præliorum à præliis. Pone mihi prælia esse vbi ciuitates super ciuitates insurgant, aut gentes gentibus, aut alter alterius rem tollat, vel fortior interficiat fortẽ. E
Quid ergo post prelia auditiones significent præliorum? Maxime quia non est dictum, videbitis prælia, & audietis de pręliis, sed vtrinque posuit audietis: id est & prælia audietis, & præliorum auditiones audietis. Et ponamus audire quidem prælia esse, quando filij pacis à præliis custodiunt oculos suos mundos, vt non videant maligna: & quoniam non possunt aspicere super labores & dolores, audiũt de pręliis qualis ciuitas pugnet aduersus quã ciuitatẽ, aut qualis gens à quali expugnetur gente: quid autẽ erit extra hoc alterũ audire prælia, & audire auditiones præliorum? Vide ergo si potes (quantum ad simplicitatem verbi dico) talem differentiã dare: non est idipsum lõge prælium positum audire quia pręlium est: & iuxta pręlium esse, & ipsas pręliantium voces audire. Habet ergo vtrunque suam sanctificationem. Et forte qui quidem audit ipsas voces quæ fiunt in pręliis, audit prælia: qui autem de præliis longe gestis audit, auditiones audit præliorum: nec enim ipsa pręlia audit. Cum sint autẽ sermones ambigui, potest quis & ex diuerso dicere, quoniam qui longe quidem est amplius audit de illis. qui autẽ est iuxta pręlia, audit ipsorum pręliorum auditiones. In vtroq; ergo videtur esse aliquis differentiæ intellectus. Ascende nunc ad moralem intellectũ & spiritalem, si quo modo possis aliquem sensum de eminentia scientiæ Christi, & de subtilitate Euangelistarum inuenire dignum, vt non deponas euangelicæ sapientiæ dignita- *Moralis intellectus.*
F tem. Vide ergo si recordantes ea quæ superius tradita sunt de eo quod ait: Multi venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus, & multos seducent: possumus secundum eorum consequentiam etiam ista interpretari. Omnis igitur qui perfectus est, & videt in animam suam gloriosum aduentum verbi, quod corrumpit & consummat mundum, & crucifigit eum viro iusto, vt moriantur ei omnes res mundiales, & qui exercitatos habet sensus ad capiendum, necesse est vt quærens & discutiens in multa incurrat dogmatum prælia, audiet etiam multos profitentes veritatem, & diuersas de ea traditiones: vt sicut bonus miles verbi inuulnerabilis animo maneat ab omnibus profitẽtibus veritatem, *Ioan. 1.* non autem videntibus eam, neque manifestantibus, sed contraria veritatis quasi veritatem pronunciantibus, & dignus efficiatur suscipere in animam suam gloriosum Christi aduentum, secundum quod est Deus verbum, quod fuit in principio apud Deum; quod solet venire ad eos qui postquam cognouerint Christum secundum carnem, & susceperint verbum quod factum est caro, tantum ascendunt præ multis vt possint capere non qualemcunque gloriam, sed gloriam quasi vnici à patre. Et forsitan in diuersis gloriis verbum Dei apparet secundum virtutem vniuscuiusque animæ, videtis secundum quod se capacem anima vnaquęque præbuerit. Ei ergo qui perfectus est, & ad consummationem seculi per-

G uenit quantum ad se, tale apparet verbum vt qui viderit eum dicat: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnici à patre, plenum gratia & veritate. Ergo si quis dignus habendus est vt tale suscipiat verbum, & videat necesse haber ante huiusmodi visionem verbi audite in anima sua prælia per alios autem qui quasi veritatem asserunt quicquid illis fuerit visum, præliorum auditiones. Et bene saluator proficientibus ad perfectum discipulis postquam locutus est de præliis, superaddidit, Videte, & non dixit audite: hortans eos solicitos esse vt oculis animæ possint videre, postquam audierint prælia, & auditiones præliorum, singulorum quæ audiuntur naturam, & videntes eam non terreantur: quoniam talia intelligibilia prælia solent in diuersis persuasionibus occurrere hominibus iustis, & conturbare & commouere animas eorum ad dubitandum ne forte vera sint quæ verisimilia esse videntur, cum sint falsa, aut certe vel ad credendum eis perfecte quasi veris.

Prælia hæresum & philosophia

Quotquot ergo proficiscuntur ad perfectionem quæ est in Christo, & ad conuersationem cœlestis ecclesiæ, cum audierint prælia hæresum, quæ aduersus veram fidem, & aduersus seipsos inuicem præliantur: & audierint auditiones præliorum philosophiæ, & vanæ seductionis secūdum traditionem H hominum, secundum elementa huius mundi, & non secundum Christum, exercitantes seipsos in his quæ dicuntur: quærunt & cogitant mandatum Christi dicentis, videte: & vident quidem quæ dicuntur: videntes autem cum verisimilitudine mendacia, non seducūtur, sed sperant sine vulnere talium præliorum, gloriosum aduentum videre Christi, qui est verbum: maxime si audiētes secūdum Christi mādatum prælia, & auditiones præliorum, nullam perturbationem animæ patiātur: sed sub pace Dei protecti, quæ custodit corda & sensus dignorum, non fuerint territi. Si quis autem audiēs prælia

Esa. 22.

& auditiones præliorū, secūdum quod exposuimus, non fuerit solicitus ad videndum ea quæ dicuntur in diuersis verisimilitudinibus: & quia non fuit solicitus ad vidēdum, territus fuerit: non solum decipietur à multis venientibus in nomine Christi, & dicentibus, Ego sum Christus: verumetiam interficietur ab huiusmodi gladijs insanabilia suscipiens vulnera. De quibus gladijs dictum est, Vulnerant gladij, quorum vulnera sapientium linguæ solent sanare. Hi autem qui perturbantur, & quia non sibi prospiciunt, in huiusmodi prælium cadunt: illi sunt qui in valle Sion vulnerantur & moriuntur, de quibus dicit scriptura: Vulnerati tui non vulnerati gladio: nec mortui tui mortui in bello. De quibus nunc tantum significare oportet nos: sed non cuiuscunque hominis esse præpa- I rare ad audiendum prælia, & auditiones præliorum, vt audiens videat, & non terreatur, sed viri perfecti in Christo, in

Refutatio hæreseon.

carne quidem viuentis, non tamen secundum carnē militantis, cuius militiæ arma non sunt carnalia, sed fortia Deo, & valentia destruere munitiones, & cogitationes extollentium se aduersus scientiam Dei. Nam secūdum Salomonem, multas ciuitates munitas hæresum suasione verborum ascēdit vir sapiens, & ascendens destruxit munitionem, in qua impij cōfidebant. Paulus destruxit, qui paratus fuerat ad destructionē ciuitatum munitarum aduersantiū veritati. Qui talis est, postquam audierit prælia, & auditiones præliorum, vidēs, & quasi sapiens ascendens super ciuitates munitas, & destruēs munitiones in quibus impij confidebant, laudans Deum, & gratias agēs Deo, & à quo didicit talia prælia præliari, & seruare mādatum, quod ait: Sāctificate bellū, clamat & dicit, Benedictus Dominus Deus qui docet manus meas in bellum, & digitos meos in prælium, misericordia mea & refugiū meum. Et propter huiusmodi prælia dicitur de Dauid ab vxore Nabal: Prælia Domini Dominus meus pugnabit, Puto autē & mysteria esse talium præliorū prælia quæ in scripturis legūtur: mysteria etiam esse destructionis præliātium aduersus veritatis cōgregationem: maxime quæ legūtur in libro Iesu Naue, de destructionib. ciuitatū: & mysteria sunt omniū congregationū aduersariarum virtutum. Audiētes ergo prælia, & auditiones talium præliorum, attēdamus quod ait: Videte ne terreamini.]

Hier. 6.
Ioel. 2.
Psal. 143.
1. Reg. 23.
Ios. 10.

Perseuerātia sanctorum.

Et debemus scire quoniam oportet hæc fieri expectāti aduentū verbi, vt audiat prælia, & auditiones præliorū: sed non statim vt audierit, mox erit finis. Propter quod finem oportet expectare omnem hominē qui vult fieri saluus: quoniam qui perseuerauerit vsque in finē, hic saluus erit. Secūdum Lucam K autem, si audierimus prælia & seditiones ne cōturbemur. Prælia quidem, quæ sunt à sciētia falsi nominis, & à sapiētia principum huius mundi. Seditiones autē, non consentiētium sibi inuicem in conuētu ecclesiæ. Diuersas enim sententias de varijs negotijs manifeste audimus: maxime qui volumus proficisci ad perfectionē quæ est in Christo. Non solum extra ecclesiā prælia, verum etiam in ecclesia intus seditiones. A quibus omnibus alieni fuerunt Apostolorū discipuli, quorū omnium sicut in Actibus Apostolorum est scriptum, Erat cor vnum & anima vna. Cōfirmati enim erant in eodem sensu, & in eadem scientia. Tamen nos & si audiuimus eiusmodi prælia, & seditiones eiusmodi, non terreamur. Oportet enim primum antequam videamus perfectionem sapiētiæ quæ est in Christo, hæc fieri: sed non statim erit finis quē quærimus. Oportet enim nos stabiliri & cōfirmari in pace, vt sine terrore simus, nec à seditionibus cōturbemur: vt post hæc valeamus capere finem, qui non est in auditione præliorū, neq; in ipsis seditionibus: pacificus enim finis longe est ab omnibus istis. Exurget enim gens aduersus gentem, & regnum aduersus regnum, & erunt fames, & pestilentiæ, & terræmotus per loca: Hæc enim omnia initia sunt dolorum.] Marcus eadem, addit autem & turbelas: Lucas similiter ipsa, addit autem. Terroresque de cœlo, & signa magna erūt, & hyemes. L Primum simplicia loci, & corporalia exponamus. Sicut enim ægrotāt corpora, ante mortem eorum qui vim non extrinsecus patiūtur, & quēadmodum in omnibus, per infirmitatē fit via ad separandam animam à corpore suo: sic talis & tanta creatura mundi, cùm corrūpi cœperit, quasi initium habēs & finem: quoniam quæ videntur, tēporalia sunt, & quia cœlū & terra transibūt, necesse est ante corruptionē vt langueat: vt terra quidem frequentius terræmotibus cōquassetur: aër autem vim quandam morbiferam cōcipiens, pestilēs fiat. Adhuc aūt & vitalis virtus terræ repēte deficiēs suffocet fructus, & omnes naturas arborum deficiēs generatrix earū virtus. His igitur accidētibus, consequēs est vt mobilis natura quasi totius mūdi pars aliqua constituta cōpatiatur vniuersarum rerum mutationi: vt pura consueta escarum nutrimēta non resumēs, veniat ad defectū & corrūpatur. Nam cœli peribūt: quoniam sicut vestimētum veterascēt. Quicquid aūt veterascit & senescit, prope interitū est. Consequēs est vt & propter inopiā ciborum in auaritiā & bella homines excitērut aduersus eos qui non tātam patiuntur inopiam, & vt ex cōparatione aliorū quæ in rebus necessarijs sunt abūdantium, fiāt insurrectiones aliorū aduersus alios, & gens pugnet aduersus gētem, & regnum aduersus regnum. M Possibile est aūt cum aliarū indigentia rerū etiam hominum bonū sensum habentium indigētiam fieri, vt per hæc trāquilla & pacifica vita non inueniatur in multis, sed insurrectiones & lites & perturbationes fiant, interdū quidem propter auaritiam, interdum autem propter concupiscentiam principatus, aliquando autem & propter gloriæ vanæ cupiditatem insanam, interdum autem & cupiditate vanæ gloriæ principum, qui non sunt contenti proprio regno: sed volunt suum quidem extendere principatum, & multas sibi subdere nationes. Adhuc autem profundiorem dabit aliquis causam eorum quæ ante consummationem mundi sunt euentura: maxime autem de prælijs. Quoniam sicut aduentus Christi in plurimis gentibus diuina virtute fecit pacem, secūdum quod dicit Propheta de illo: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec extollatur luna: & sic pax multiplicata est mundi propter incrementa ecclesiarum futura, vt ea pars salutis multorum fiat occasio, dum non coguntur exire ad bella, & pugnare pro patriis sicut pridem fiebat: sic consequens est, cùm propter abundantiam iniquitatis refrigerit charitas multorum, & ideo dereliquerit eos Deus & Christus eius, iterum fieri prælia: videlicet dum non prohibentur operationes seminatrices bellorum à sanctitate, sed magis adhuc nutriuntur propter malitiam hominum supercrescentem, vt omnium accidentium malorum causa esse dicantur: qui accesserunt quidem ad verbum, sed postea declinauerunt omnes, & simul inutiles facti sunt in mundialibus malis. Nam quandiu steterint sales terræ, ad quos Dominus dixit: Vos estis sal terræ: & omnia constant salibus temperata.

Luc. 21.
Seditiones in ecclesia.
Act. 4.
2 Cor. 4.
Essata mūdi senecta.
Psal. 101.
Heb. 7.
Psal. 72.
Christus adueniens pacē mūdo attulit.
Matt. 5.

A tata. Postquam autem infatuati fuerint ipsi sales (vt secūdum scripturam dicamus) & ea quæ saliebantur ab eis sicut insulsa rutaruantur, corrumpuntur, & fœtent, & resoluuntur. Adhuc autem & quandiu steterit lux mundi, omnia dirigunitur à claro lumine dispensata. Cum autem hoc ipsum lumen diminutum fuerit in animis hominum, dum propria & naturali esca non nutritur, tunc occupantibus omnia tenebris cum in tristitia facta fuerint omnia & calamitatibus, fiet quasi conoentus super omnia adoersariarum virtutum, dum non vetātur à sanctis & à Christo in eis, qui solebat eos vetare: sed quasi in tenebris sine aliqua prohibitione operabuntur in cordibus hominū, vt excitent gentē aduersus gētem, & regnum aduersus regnū. Si autem (quemadmodum & placet quibusdam) & fames & pestilentiæ ab huiusmodi operationibus fiunt, & ab angelis Satanæ: similiter & fames & pestilentiæ tunc inualescent ab aduersariis virtutibus, quando fuerint sales terræ & B lux mundi, Christi discipuli, qui sunt principes potestatis Dei, destruentes in hominibus prælia quæ faciunt aduersariæ potestates, & omnia quę ex earum malitia seminātur. Et aliquādo quidem in Israel fames & pestilentiæ fiebant propter peccata, & siccitates, quas orationes sanctorum soluebant, Samuelis, Hieremiæ, cæterorúmq; similium. Bene autem positum est: Erunt fames, & pestilentiæ, & terræmotus per loca.] Nec enim in semel vult Deus perdere humanum genus: sed iudicans per partes paulatim in eo dum fiunt fames, & pestilentiæ, & terræmotus per loca, dat pœnitentiæ locum his qui ex modicis castigationibus emēdātur & cōuertūtur ad Deū. Et quemadmodum incipientibus infirmitatibus possibile est afferre medicinalia adiumenta: sic incipientibus fame, & pestilentiis, & terræmotibus per loca, possibile est quibusdam hominibus ad conuersationem, & fidem, & sapientiam sanctorum purgatoria dare. Si autem incipientibus huiusmodi malis non fuerit facta pia correctio, proficiēt ad peius fames, & pestilentiæ, & terræmotus, cum locum habuerit abominatio desolationis, non contenta parte alia mundi: veniet vt etiam in loco sancto consistat. Tamen insurrectionis gētium super gentes, & regnorum aduersus regna, & fames, & pestilentiæ, & terræmotus per loca exurgentes, initia esse dicuntur peiorum calamitatum, quas dominus appellauit dolores. Si ergo tales erunt primitiæ dolorum, qualia putas erunt incremēta dolorum? Qualis autem & finis erit generalium dolorum in vniuerso mundo, vt non iam per partes sed vniuersum exterminent mundum? Tamen arbitror quæ sunt secutura aduersus impios fore tantummodo, vt in doloribus acutissimis, & diutinis crucientur, donec deponant quæ conceperunt & formauerūt semina peccatorum ab operationibus contrariis. Et Pharao quidem non bene facere cupiens præcepit omne masculinum quodcunque fuerit natum Hebræis, vt proiiciatur in flumen: Deus autem bonus quasi vere bo- C nus occidit semina malorum quæ receperunt, vt per multos labores & dolores ea deponat, quoniam conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem. Et quid aliud decet Deum, nisi vt occidat omnem iniquitatem quam generant peccatores? quibus huiusmodi mortis dies melior est quàm dies natiuitatis ipsius, secūdum quod scriptum est, Melior dies mortis super diem natiuitatis? Sic & abortum meliorem eo quod nascitur, bene quis dicet. Et dixi bonum super eum abortum. Nam abortus huiusmodi in natiuitate venit, & in tenebris ambulat, & in tenebris nomine eius cooperietur. Et hæc tractauimus abundantius consequentia aspicientes, secundum quod ait: Hæc omnia initia sunt dolorum. Quoniam autem & moralem intellectum existimo esse etiam in isto loco, secundum ea quæ dixi, consequenter & hic sunt dicenda: quoniam si quis gloriosam & regalem formam verbis visurus est, aduentum ipsius gloriosum, necesse est ei vt excitetur non solum audire prælia & auditiones intelligibilium præliorum, vt videns discat nequaquam terreri: sed etiam vt videat gentem mendacij alicuius, & motum verborum trahētium ad aliquam sectam insurgentem aduersus aliam aliquam mendacij gentem: quoniam huiusmodi gentibus nunquam est pacificus finis. Quod frequenter videmus inter hæreses fieri, & inter ecclesias malignantium surgere alterius hæresis gentem super gentem alterius hæresis. Sic & regnum alicuius verbi insurgit aduersus alterius verbi erratici regnum, D quoniam satanas & omne mendacium aduersus seipsum diuiditur semper, propterea non potest stare. Ergo qui proficiscitur ad videndam gloriam Christi, & regnum, hoc est verbi perfectionem, & regnum quod regnat, & dominatur, ponens omnes aduersarios sermones sub pedibus suis, & in conculcationem pedum suorum: necesse est ei vt quærens veritatem, frequenter inopiam sensuum patiatur, quibus propriè anima nutritur ad requisitionem eorum quæ sunt quærenda. Et sicut aliquando qui proficiscebantur ad terram promissionis, afflicti sunt, famē passi sunt carnaliū ciborū trāsitu, vt cęleste accipiāt manna: sic oportet inopia sensuum tentari eum frequēter, & nihil pati ex ea, qui perfectione verbi est nutriēdus. Et quotidie hoc ipsum videmus in nobis, quando quærimus aliquē veritatis sensum in scripturis: priusquam inueniamus quod quęrimus, aliquā inopiam sensuū patimur, donec soluitur in nobis eiusmodi inopia sensuum à Deo, qui dat dignis escā in tēpore opportuno ad manducandū, & vestimentū ad induendum. Oportet etiam eum qui videt gloriosum ad- E uentum, id est, aduentum sapientiæ in animam suam, necesse est eum videre pestilentias morbidorum sermonum, & nihil pati ab eis. Pestiferi autem sermones sunt omnes qui ab hominibus pestiferis proferuntur, iniquitatem in excelsum loquentibus, & ponentibus in cœlo os suum in superbia & magna promissione: vtputa Marcionis sermones aduersus creatorem mundi, & impiæ blasphemiæ, quędam pestilentię sunt animarum, corrumpentes hominum mentes, & facientes animas in eorum suspicionibus ægrotare. Valentini etiam de masculinis & fœmininis seculis fabulæ, & de natiuitate creatoris mundi, quam ex falsa sapientia confinxerunt, & quæcūque alia garrulant, quid aliud sunt nisi pestilentiæ? Basilidis quoque sermones detrahentes quidem eis qui vsque ad mortem certant pro veritate, vt confiteantur coram hominibus Iesum, indifferenter autem agere docentes ad denegandum, & ad sacrificandum diis alienis, non minus pestificant & corrumpunt audientes se, qui in iisdem sermonibus docent non esse alias peccatorum pœnas, nisi transcorporationes animarum post mortem. Nam vt dimittam manifeste falsum esse quod dicitur, adhuc autem tollunt ab hominibus salutarem timorem, & qui vel propter timorem futurarum pœnarum seruaturi se fuerant à multitudine peccatorum nutriūt audaciam impietatis eorum. Multæ igitur fames & pestilentiæ erunt omnibus videre volentibus gloriosum Christi aduentum in anima sua, sed nihil eis nocebunt. Videbunt enim tantummodo eas, sed nihil patientur ab eis. Patientur autem & motus eorum quę quęrentur in plurimis locis scripturarum, verisimilitudinem contrarietatis vel mendaciorum habentibus: sed postmodum patientur nihil, nec motus auditionum falsarum vellet eos ab expectatione gloriosi diuini & perfecti aduentus Iesu Christi verbi. Et qui dictum est, A timore tuo domine in vtero too cōcepimus, & parturiuimus, & peperimus spiritū salutis quem fecisti super terram, aut secundum quod dictum est, Filij mei quos ite- F rum parturio donec formetur Christus in vobis, necesse est eum in primis in omnibus istis doloribus fieri famis & pestilentiarum & motuum: quod sustinens patitur quod concepit & formauit in se Christum verbum, vt dicat in natiuitate eius, Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, & gloriam in excelsis Deo, & pacem super terram. Tunc tradent vos in tribulationes & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem, & multi pseudoprophetæ insurgent, & seducent multos: & quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum: sed qui permanserit in finem, hic saluus erit. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimoniū omnibus gentibus, & tunc veniet finis.] Et sine expositione quidem, textus à seipso est manifestus, quoniam frequenter traditi sunt discipuli Christi in tribulationes, & propter verbū sunt interfecti, & propter Christum odio habiti gentibus. Si autē discutere quis velit quod ait omnibus gentibus, non satis inueniet certum, quoniam omnibus etiam in vltimis partibus terrę cōmorātibus gētibus odio habetur popul᷒ Christi:

Differt de° penandans locum pœnitentiæ.

Primitiæ dolorum.

Exod. 1.

Eccl. 6.

Moralis sensus.

Hæresis in hæresin.

Sensus inopia & infestatio nostra.

Marcionitarum, Valētinianorū & Basilidianorum delyria.

Esa. 26.

Gal. 4.

Luc. 2.

Persecutio aduersus præcones Euangelij.

A nisi forte & hic aliquis dicat propter exaggerationem multarom positum omnibus pro multis. Proponens autem tibi quod dicit: Tunc tradēt vos, inuenies quæstionem. Nec enim postquam insurrexerunt gens cootra geotem, & regnum aduersus regnom, & post fames & pestilentias per loca, tonc traditi sunt in tribulationes & occisi suot, & odio habiti ab omnibus gentibus propter nomen Christi: nam & prius quàm hæc fierent, traditi sunt Christiani in tribulationes, & dantes testimonium veritati sunt interfecti, & odio habiti sunt gentibus cum quibus babitauerunt. Aduersus hanc autem quæstiooem qoi secundum verba vult intelligere, respondebit quoniam tunc maxime tradentur Christiani in tribulationes, quemadmodum nunquam, tunc odio habendi maxime ab omnibus geutibus cohabitantibus sibi sicut nunquam: & omnia patientur pro nomioe Christi, cum surrexerit gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & fient fames & pestilentiæ, & terræmotus per loca. Amant enim qui in calamitatibus sunt, causas earum discutientes, inuenire aliquid quod loquantur. Cum hæc ergo contigerint mundo, consequens est quasi derelinquentibus bominibus deorum culturam, vt propter multitudinem Christianorum dicant fieri bella & fames & pestilentias. Frequenter enim famis causa

Gentilium calumnia de famis et aliorū malorum causis, de qua etiā Arnobius, Aug. de ciuit. & Orosius.

B Christianos culparuot gentiles, & quicunque sapiebant quæ gentium sunt: Sed & pestilentiarum causas ad Christi ecclesiam retulerunt. Scimus autem & apud nos terræ motum factum in locis quibusdam, & factas fuisse quasdam ruinas, ita vt qui erant impij extra fidem, causam terræmotus dicerent Christiaoos, propter quod & persecutiones passæ sunt ecclesiæ, & incensæ sunt: Non solum autem illi, sed & qui videbantur prudeotes, talia in publico dicerent, quia propter Christianos fiunt grauissimi terræmotus. Quod autem dicitur, Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum, sic saluare quis poterit, quia nuoquam quidem iu vnum consenserunt omnes gentes aduersus Christianos, cum autem contigerint quæ Christus prædixit, tuoc quasi succendendi sunt omnes à quibusdam gentibus iocipientibus Christianos culpare, vt tunc fiant persecutiones iam non ex parte sicut ante, sed generaliter vbique aduersus populum Dei. Tunc continget illud vt multi scandalizentur qui videntur in fide consistere, & se alterutrum tradent, & erit odium inter ipsos etiam qui videntur fideles. Tunc pseudoprophetæ multi insurgent, multitudinem insensatorum falleotes: tunc & refrigescente charitate, non solum apud iofideles, sed etiam in ipsis fidelibus: & feruor charitatis ex multis iniquitatibus refrigescet, ita vt paoci remaneant certantes pro veritate vsque ad finem, qui & saluandi sunt soli. Et in hoc statu constitutis rebus, Euangeliom quod prius non fuerat præ-

C dicatom in toto mundo: multi enim non solum barbarorum, sed etiam nostrarum gentium, vsque nunc non audierunt Christianitatis verbum: tunc autem prædicabitur, vt omnis gens Euangelicam audiat prædicationem, & nemo derelinquatur qui non audiuit, & tunc erit seculi finis. Si autem hæc ita se habent, iam non ignorabimus de eo quod dicit: Tunc tradent vos, nec falsum suspicabimur quod ait: Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen tueum: dicentes veritatem huius verbi nondum esse impletam, quamdiu noo est factum quod ait: Tunc scandalizabuntur multi & inuicem tradent. Nondum enim multi proditores de ecclesia facti sunt, & nondum falsi prophetæ extiterunt multos fallentes: sic & nondum odio babiti sunt ab omnibus gentibus, etiam in vltimis partibus terræ habitantibus propter nomen Christi: sic & nondum est prædicatum Euangelium regni in toto orbe. Non eoim fertur prædicatum esse Euangelium apud omnes Æthiopias, maxime apud eos qui sunt vltra flumen: sed nec apud Seres, nec apud Orientem audierunt Christianitatis sermonem. Quid autem dicamus de Britannis, aut Germanis, qui sunt circa Oceanum, vel apud Barbaros, Dacos, & Sarmatas, & Scythas? quorum plurimi nondum audierunt Euangelij verbum, audituri sunt autem in ipsa seculi consummatione. Aspice enim quod ait, Et prædicabitur hoc Euangelium regni in toto orbe io testimoniom omnibus gentibus, & tuoc erit finis.] Si autem vult quis tenuere dicere prædicatum esse iam Euangelium regni in toto

Euangeliū quibus populis tēpore Orig. nōdum prædicatum.

De mundi fine.

orbe in testimonium omnibus gentibus, consequenter dicere poterit & quod ait, Tunc erit finis, iam finem venisse: D Quod dicere temeritatis est magnæ & hominis non intelligentis quæ Paulus ad Thessaloniceoses Epistola secunda dicit, dicens: Ne quis vos seducat vllo modo quasi instet dies domini: quoniam nisi venerit primum discessio, & reuelatus fuerit homo peccati, filius interitus, & cætera, non erit domini dies. Hæc secundum simplicem exposuimus traditiooem. Si autem debemus secundum quod moraliter supra tradidimus, & hic intelligere moralem tractatum, talia exponemus: quoniam qui visurus est secundum verbi Dei aduentum illum gloriosum in animam suam, necesse est vt secundum mensuram profectus sui ad verbi perfectionem insidias à contrariis operationibus patiatur, quasi magnus athleta, & traditus in tribulationes derelinquatur. Multæ enim tribulationes iustorum: & quanto quis iustior voluerit fieri, tanto magis quasi angustam & tribulatam cum affectu ambulans viam in tribulationes incurrit, & tribulatus occiditur mundo: & quanto ad manifestiorem proficiscitur visionem verbi, tanto amplius tribulatur. Quoniam perfectior inuenitur Christus in eo, ab omnibus odiētibus Christum odietur, non tantum à gentibus omnibus secundum carnem, quantum à E gentibus spiritalium nequitiarum. Ipsa enim implantata manifestatio proprietatum Christi in eo, propter quas & dicitur Christianus, facit eum ab omoibus habētibus spiritum mundi odiri, ad perfectionem adhuc Christi amplius & amplius contendētem. Sed & in dissensionibus & quæstionibus pauci eruot intenti veritatem plenius attingeotes. Plures aotem scandalizabuotur, & cadent ab ea, proditores & accusatores effecti alterutrum propter disseosiooem dogmatum veritatis, quam non omnes apprehendere possunt: quæ causa fiet, vt odiant se inuicem. Et cum huiusmodi quæstiones in plures venerint, multi quidem erunt non sane tradentes de futuris sermonem, & quomodo noo oporter interpretantes prophetas, quos pseudoprophetas quis dicere non peccabit, seducere multos. Valde autem pauci erunt veritatem inuestigantes. Falsæ autem doctrinæ à proposito veritatis fontem quidem soluent, eos autem qui prurientes sunt aure, multiplicabunt, ad delectamentum eorum loquentes iniquitatem legi contrariam: & tantum nocebunt verba docentium multorum contraria, vt etiam feruentem dilectionem quæ prius fuerat in simplicitate fidei, refrigescere faciant existimatione comparationis diuinorum mysteriorum & veritatis. Sed qui potuerit videns omoia hæc manere in primo Apostolicæ traditionis & ecclesiasticæ inductionis proposito, ipse saluabitur: & sic prædicatum Euangelium in animas omnium, erit in testimonium omnibus genti- F bus, id est, omnibus cogitatiooibus incredulis omnium animarum.

2. Thess. 2.

Moralis sensus.

Pauci veritatis studiosi.

2. Tim. 4.

TRACTATVS XXIX.

Cap. xxiiii.



IN illo tempore, dixit Iesus discipolis suis: Cum videritis abominationem desolationis, quod scriptum per Danielem prophetam stantem in loco sancto, qui legit intelligat.] Verba prophetæ quæ locutus est de abominatione desolationis sumtæ, sunt hæc, Et confirmabit testamentum multis septimana vna, & in dimidio septimaoæ tolletur sacrificium, & libatio, & super templum abominatio desolationis erit, & vsque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem. Vere quidem comprehendere sermones Danielis nullius alterius est, nisi spiritus sancti qui fuit in Daniele, vt de septimanis omnem manifestet sermonem, & de abominatione desolationis dicta ab eo. Si autem oportet & nos pauca secuodum quod nobis videtur exponere de hoc loco, dicendom est quoniam septuaginta annos, qui fuerunt post aduentum saluatoris nostri, demonstrare videtur sermo. Hæc enim septimana quæ propter septem decadas annorum dicitur septimana, confirmat testamentum multis, quando & Apostoli Christi post ascensionem ipsius orationi & verbo instantes à Deo illuminabantur in omnem

Deut. 4.

Hebdomadū Danielis explicatio.

A nem scientiam voluntatis diuinarum scripturarum, & à spiritu sancto. In dimidio autem septimanæ, id est in tribus & semis decadis annorum sublatum est sacrificium altaris, id est in triginta quinque annis, & impletum est quod fuerat scriptum, In dimidio septimanæ tollitur sacrificium & libatio. Tunc autem super templum quod fuit in Hierosolymis facta est abominatio desolationis templi, & ciuitatis, in eo videlicet tempore quando viderunt circundatam Hierusalem ab exercitu, vt secundum quod prophetauerat saluator de ea, cognoscant quod appropiauit desolatio eius, Et hanc desolationis abominationem factam super templum ab exercitu Hierusalem circundare, dicit propheta vsque ad tempus consummationis manere, vt consummatio fiat mundi super desolationem Hierusalem, & templi quod est in ea. Et vbi sunt qui se dicunt Iudæos & non sunt? qui dicunt, ædificabitur Hierusalem quæ est deorsum, priusquam seculi consummatio fiat? Consummatio, inquit, dabitur super desolationem e-

2.Thess.2. ius. Si autem ædificabitur templum, ædificabitur ei qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut colitur, vt sedeat in templo huiusmodi ostendens se quasi sit Deus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illuminatione aduentus sui. Siue ergo placeat quibus-

Contra chiliastas. dam ædificari hanc Hierusalem super terram, tamen non erit falsum quod dicitur, consummatio est danda super deso-

B lationem ipsius. Si autem oportet & de temporibus aliquid

Phlegontis chronica. dicere, dicimus quoniam in Chronicis Phlegontis cuiusdam dicitur, si tamen debemus & hunc quasi vera dicentem de templo suscipere, quoniam circa quadragesimum annum à quintodecimo anno Tiberij Cęsaris facta est destructio Hierusalem, & templi quod fuit in ea. Deduc ergo prædicationis domini fere annos tres, & tempus resurrectionis ipsius, quando per dies quadraginta apparens illis docebat eos de regno Dei, & inuenies forsitan plus minus: quoniam circa dimidium septimanæ computans per decadas annorum est com-

Dan.9. pletum quod dictum est, Tolletur sacrificium meum & libatio: quando & super templum abominatio desolationis est facta, quæ desolatio vsque ad tempus consummationis manebit. Consummatio enim secundum quod diximus dabitur super desolationem. Si autem constat nobis talis traditio septimanæ, dicentibus quantum ad dictum impletum esse quod dictum est, non solum, Tolletur sacrificium meum, & libatio, sed etiam illud quod scriptum est, vt abominatio desolationum super templum contingat: sine dubio manifeste ostenditur aduentus Christi etiam ex verbis Danielis prophetæ dicentis, Septuaginta septimanæ concisæ sunt super populum tuum, & super ciuitatem sanctam vt consummetur peccatum, & signetur peccatum, & deleantur iniquitates, & vt adducatur iustitia æterna, & vt signetur visio, & prophetia: &

C vngetur sanctus sanctorum, & cognoscet intelligens ab exitu verbi respondere & ædificare Hierusalem vsque ad Christum ducem septimanæ sexaginta duæ, & conuertetur & reædificabitur platea & murus, & euacuabuntur tempora: & post septimanas sexaginta duas interibit vnctio, & iudicium non est in ea. Ciuitatem autem & sanctum corrumpet cum duce veniente, & excidetur in diluuio, & vsque ad finem belli concisi interitus, & confirmabit testamentum multis septimana vna. & in dimidio septimanæ tolletur sacrificium, & libatio, & pinnæ vsque ad consummationem festinationis. Post hæc sequitur sermo quem exposuimus sic habens: & confirmabit

Anni mũdi testamentum multis septimana vna, & cætera. Arbitror autem septuaginta septimanas concisas super populum & super ciuitatem sanctam, vt consummetur peccatum, quatuor milia oongentos esse annos ab Adam vsque ad septuaginta annos qui fuerunt post dispensationem Christi. Consummatum est enim peccatum populi, propter quod & à Deo est derelictus. Et illorum quidem peccatum signatum est, credentium autem iustitia est deleta: & post deletionem eius, adducta est in Christo vita æterna. Sed quoniam lex & prophetæ vsque ad Ioannem, qui ostendit Christum, propterea puto dictum, signari visionem & prophetiam. Nam quoniam nequaquam sunt in prophetis visiones post Ioannem, ideo signata est visio & prophetia. Signata autem visione & prophetia vnctus est vnigenitus sanctus sanctorum Christus. Quem Christum

Orig.tom. 2.

vnctum cognouerunt prophetæ, & Daniel, & intellexerunt D aliquo modo ab exitu verbi, quando verbi domini cœli firmati sunt, & ab exitu verbi respondere in sanctis qui ab initio fuerunt & prophetis domini, sed & ædificari Hierusalem vsque ad Christum ducem transierunt septimanæ sexaginta duæ, hoc est primum quidem anni quadringenti nonaginta, quæ fiunt per decadas computatæ septimanæ septem. Post hoc autem anni quatuor milia trecenti quadraginta, qui fiunt similiter per decadas computatæ septimanæ sexagintaduæ. Post quos reuersus est Christus & ædificauit plateam, in qua sapientia fiducialiter agit, & murum, in cuius fastigio prædicatur. Euacuata sunt autem populi tempora, propterea quod super additas septem septimanas, sexaginta duas septimanas, sublatum est à popolo Chrisma quod fuit in templo, vt iam Chrisma non fit iudicium apud eos. Sed & ciuitas, & sanctum corru- sublatum. ptum est cum superueniente postea duce populo illi siue Herode, siue Agrippa. Hunc enim dicit esse historia Iudæorum. Sed vide ne putes quod ait corrumpi cum duce veniente, referri ad Christum. Vbi enim voluit ipsum intelligi Christum, vtrisque nominibus vsus est Daniel, dicens: Vsque ad Christum ducem. Quando autem tacet nomen Christi, corrumpendum introducit ducem, quoniam defecit dux post Christum, & dux de fœmoribus eius, venit enim cui reposita erát. Post quem excisus est in diluuio populus vsque ad finem Gen.39. belli concisi super eos. Sed his accidentibus illis confirmauit E Deus testamentum multis in septimana vna: in cuius septimanæ dimidio cessare fecit incensum, & sacrificia, & templum, quod arbitror à pinna nominauit interiturum vsque ad consummationem in festinatione, quando & derelicta est peccantibus eis domus eorum. Quæ autem sequuntur in textu Danielis, sicut potuimus exposuimus. Hæc autem omnia visa sunt nobis ex Daniele iuxta interpretationem Euangelici textus opponere, vt manifestemus verbum quod ait: Cum videritis abominationem desolationis, quod dictum est per Danielem Prophetam stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Nunc autem ipsum textum Euangelij declaremus. Diximus stare quidem in loco sancto abominationem desolationis, principem esse qui Hierusalem circundedit exercitu. Itaque quoniam pessima contigerunt his qui tunc fuerant in Iudæa, ideo hæc futura prophetans populo dominus dicit.

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes.} Et talia fuerunt quæ contigerunt in tempore illo, vt ita dicamus, vt qui esset super tectum domus, non haberet tempus descendere, & tollere aliquid de domo sua: & qui in agro erat, non posset reuerti in ciuitatem, & tollere vestimentum suum. Et non erat tunc tempus misericordiæ, neque super prægnantes, neque super lactantes, neque super infantes earum. Ideo dicit F (quantum ad verba dico) Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Et quasi ad Iudæos loquens, qui arbitrabantur in sabbato non oportere vel agere, vel ambulare viam amplius quam est sabbati iter, ideo dicit: Orate autem ne fiat fu- sabbati iga vestra in hyeme, vel sabbato. Non solum enim in sabbato, ter, de qua sed etiam in hyeme pessimum erat salutẽ quærere per fugam. Act.1. Refertur autem ab his qui Iudaicam historiam conscripserunt de illis quæ tunc contigerunt, quoniam tribulatio magna facta est populo, qualis nunquam fuit ab initio mundi vsque ad tempus Christi, sed nec postea fieri potest, vt talia eis contingant, propterea quod ausi sunt manus inferre in verum Christum Dei: cuius mysterium & nomen venerans Dauid, dicebat de Saule persequẽte, & occidere se volente: Non iniiciam manus meas in Christum domini. Præcisionem autem 1.Reg.4. dierum illorum futuram propter electos Dei qui credunt in Christum, abbreuiationem intelligimus dierũ illorum. Tunc autem in magna calamitate populo constituto, & electis qui sunt in Iudęa pericula patientibus, multi seductores dicebãt, ecce hic Christus, ecce illic. Quos obseruare docens discipulos suos, dicebat tunc. Si quis vobis dixerit, ecce hic Christus, ecce illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseu- Act.8. doprophetę, & dabunt signa magna, & prodigia. Dicere autẽ quis potest aut Simonẽ magum qui dicebat se esse virtutem Dei magnam: aut si quis ei similis fuit, seducere volens si possibile esset & electos? Hæc præuenientes diximus non adiicientes in hoc loco aliam expositionem, nisi eam quæ secun-

h iij

G dum tractatum est, propter eos qui traditione simplici delectantur, vt quæ videntur eis vtilia diceremus, quoniam hęc dominus futura prophetans præscius veritatis exposuit. Si autem oportet propter eos qui volunt & possunt ascendere verbo

Moralis interpretatio. ad altiora, replicemus ab initio proposita Euangelij verba, & secundum quod possumus exponamus eadem iterum spiritaliter. Et primum quidem suscipiamus verbũ de abominatione desolationis stante in loco sancto. Debet enim qui legit diligens esse, & intelligere, vt non seducatur à desolationis abominatione. Locus igitur sanctus intelligibilis est omnis dictio scripturæ diuinæ, quam locuti sunt sancti prophetæ qui fuerunt à seculo, Moyses, & post eum cæteri. Non solum autem, sed etiam dictio Euangelistarum, vel Apostolorum Iesu Christi. In hoc ergo loco sancto omnium scripturarum tam veteris testamenti quam noui Antichristus, quod est falsum verbum, stetit frequenter, per hoc ipsum quod stare videtur in scripturis diuinis, ostendens se quasi sit Deus, & quasi ipse sit Christus Dei verbum, & ipse est abominatio desolationis. Est enim frequenter videre in argumentationibus impiis dogmatum apud hæreses hanc abominationem desolationis, id est Antichristum verbum falsum abominationum, desolantem à Deo omnem hominem qui receperit eam in se abominationem aduersantem veritati, extollentem se super omne verbum quod est extra eum, quod annunciamr esse

H extollentem se & super omne verbum Dei, quod vnusquisque hominum colere vult, siue vere siue mendaciter. Nam vnumquodque hæresum dogma non solum veritati aduersatur, sed etiam cæteris dogmatibus similiter falsis. Et quoniam sic extollitur, vt etiam in templo scripturarum sedeat, per ipsum templum, id est per ipsas scripturas, volens se ostendere, quoniam ipse vere est Deus verbum, semper ergo qui diuinas legit scripturas intelligat eas: maxime quando viderit abominationem desolationis, secundum ea quæ diximus, stantem in eo quem exposuimus loco sancto sanctarum scripturarum. Qui autem intellexerit eum, destruet vera traditione, id est illuminatione aduẽtus Christi qui est veritas, eum verbum qui in alieno loco sancto stare videtur: & intelligens talem abominationem desolationis, irritam faciet eam, & eiiciet à loco sancto in quo stare videtur. Maxime autẽ destruet eum Christus qui loquitur in eo verum lumen. Iste autẽ Christus si in aliquo loquatur volente audire & ædificari, non infirmatur, sed omne falsum verbum quod est abominatio desolationis stans in loco sancto, & sedens in tẽplo Dei quod est Antichristus, interficiet spiritu oris sui per eos qui se præbuerint capaces ipsius. Quod verbum falsum frequenter non stat, sed etiam sedet in templo, quando quasi rationabiliter & bene constructum videtur. Qui autem vident hanc abominationem desolationis, ita vt possint de ea dicere: Non enim

1.Thes.2.

I versutias eius ignoramus, in eo dum legunt intelligentes quæ vera sunt, fugiant falsum, & recedant vbi eos mendaciũ comprehendere non valebit. Non autem potest comprehendere mendacium eos qui ex Iudæa literæ fugiunt ad spiritalia & intelligibilia, & sublimes veritatis montes. Vt autem intelligamus: Fugiant in montes, accipe exẽplum, quod dicitur manifeste de fuga laudabili, quale est quod ait Apostolus: Fugite fornicationem, & quod ait sapientia: Quasi à facie serpentis fuge peccatum: vel quale est, quod in mysterio dicit Rebecca Iacob. Ecce Esau frater tuus minatur occidere te. Nunc ergo fili audi vocem meam, & surgens fuge ad Laban fratrem meum in Carran, & habita cum illo aliquot dies, donec auertatur ira fratris tui. Et omnis arbitror qui filius est Iacob, opera consummans Iacob, intelligens omnem morem odibilem Deo, qui est Esau, fugit quasi intelligens. Si autem non fugiat eum qui fornicarius est, & pollutus sicut Esau, & quasi non fugiens Esau, sed cohabitans ei, non fit filius Iacob qui fugerat eum. Ipse autem Iacob habitans cum Laban vtiliter sibi & dispensationi quæ erat secundum Deum, abscondit cor suum, vt non annunciaret ei, quoniam fugiebat, & fugiebat ipse & omnia eius. Bonum est ergo fugere etiam à Laban, à conciliatore carnalium qualitatum, in quibus habitantem non oportet permanere in eis, sed fugere cum omni domo sua. Nam & si voluerit persequi post eum, Deus illum auertet à fugientibus eum: vt etsi comprehenderit eum

Fuga laudabilis. *1.Cor.6.* *Gen.26.* *Heb.12.*

postmodum aliquando, nihil mali facere ei possit fiducialiter pronuncianti: Apud quem inueneris deos tuos, non viuat in conspectu fratrum nostrorum: cognosce quid tuorum est apud me, & accipe. Nec enim cognosci poterit aliquid apud Iacob de rebus Laban. In his ergo Euangelicis dictis, quę in præsenti tractamus, imperatur vt qui cognoscunt abominationem desolationis stantem in loco sancto, intelligant in eo dum legunt, vt fugiant in montes. Qui ergo in tali Iudæa, quam diximus, id est in vetustate literæ constitutus habetur, fugiat in montes spiritalium nouitatũ. Et si quis inuentus fuerit ascẽdisse super tectum verbi, & stare in fastigio ædificationis eius, non descendat inde occasione, vt auferat aliquid de domo sua & vadat. Nihil enim opus habebit manẽs in tecto, & abstinens se nequando inde descendat. Et si fuerit quis in agro, siue in eo in quo absconditus est thesaurus: sicut dominus ait in parabola quadam, aut qualis fuit ager ille Iacob plenus, cui assimilauerat eũ benedicens pater ipsius, & dicens: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni quem benedixit dominus. In quo agro secundum spiritales benedictiones legis, benedicitur omnis qui secundum legẽ vixerit, dicente scriptura: Benedictus tu in ciuitate, benedictus tu in agro. Qui ergo est in tali agro totius plantationis quã plantauit pater cœlestis, non reuertatur retro. Non enim tãtũmodo ille qui mittit manum in aratrũ, & reuersus fuerit retro, non est aptus regno Dei: sed etiam qui in agro est quẽ tradidimus, & reuersus fuerit retro,

Matt.13. *Gen.26.*

L causa eorum quæ oportuerat obliuisci, sine dubio incurret in abominationem desolationis, id est in seductionẽ verbi mendacis: & maxime si spoliauerit se vestimentum suum vetus, id est veterem hominem cum actibus eius, & iterum conuersus fuerit retro, tollere vestimentum suum. Diligenter ergo debemus attendere, ne forte aliquid eorum quæ sunt deorsum, & sunt in domo, velimus descendentes tollere, aut relictum vestimentorum retro repetere relinquentes agrum, & conuersi retro, cum debueramus appetere ea quæ sunt priora, & obliuisci posteriora, & neque stare in aliqua regione illa, sed in monte saluari, vt non comprehendamur cum his qui sunt cõbusti, propter quod in Sodomis sunt comprehensi. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.] Quoniam sunt & aliquæ animæ concipientes generationes, manifestauit Propheta, dicens: A timore tuo domine in vtero concepimus, & parturiuimus, & peperimus spiritum salutis quem fecisti super terram. Sicut enim in prægnantibus formatur & figuratur semen, sic & in anima quæ suscipit verbum, paulatim formatur & figuratur conceptio verbi in ea. Et hoc puto dicere Paulum ad Galatas. Filij mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. In epistola ad Timotheum dicit idem, saluãdam mulierem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctitate cum castitate.

Gen 19. *Esa.26.* *Gal.4.* *1.Tit.2.*

M Quæ est autem hæc mulier, nisi anima quæ verbum concipit Dei & veritatis, & parit opera bona similia Christo? Irrationabile autem est existimare de sensibili generatione dictum quod ait: Mulier seducta in præuaricationem facta est, salua autem erit per filiorum generationem si permanserit in fide, & dilectione, & sanctitate cum castitate. Animæ ergo quæ nouiter susceperunt verbum, & adhuc prægnantes cõstitutæ, necdum fructificauerunt in eo in vtero intelligibiliter habẽtes, non possunt sustinere stãtem in loco sancto aduersantem veritati sermonem, neque stare quo minus seducantur persuasionibus eius. Propterea si aliquando abominationem desolationis secundum quod tradidimus stantem in loco sancto viderit anima in vtero habens, quæ necdum fructificauit ex verbo, incurrit in væ quod dominus dicit: Væ prægnantibus. Proiciet enim conceptionem, & euacuabitur à spe quæ est in actibus veritatis. Sed & si videatur formatum & fructificatum verbum, non autem fuerit enutritum sufficienter augentibus & magnum facientibus eum nutrimentis, sed manserit immaturum, secũdum similitudinem sugentis factũ est, super huiusmodi generationes veniet quod super sugentes. Si autem sicut in multis exemplaribus scriptum est: Væ sugẽtibus, dicendum est: quoniam animæ quæ lactantur adhuc, ad quas dicit Apostolus: Lac vobis potũ dedi nõ escam, nondũ enim poteratis, sed nec vsq; adhuc potestis, adhuc enim estis carnales. Dicit autẽ & alibi. Facti estis opus habẽtes lacte, & non solida

1.Cor.3.

A solida esca. Omnis enim qui lacte alitur, imperitus est verbo iustitiæ: paruulus enim est. Istę sunt ergo animæ quæ propter infirmitatem, & quia facile seducuntur, non possunt inseducibiliter permanere in conspectu abominationis desolationis *Dan.9.* stātis in loco sancto: seductę etenim cōsentiunt ei, vt ipsi Deo. Et est videre hæreticorū ecclesias plenas de lamentandis prægnātibus, vel nutrientibus, vel sugentibus. Plerunq; enim animæ quæ in ecclesia prægnātes fuerunt, aut nutrientes, aut sugentes, fuerunt seductæ à desolationis abominatione: & seductæ ab eo verbo falso qui stat in loco sancto per falsam traditionem dogmatū peruersorum, abominationis illius susceperunt væ, quod à domino factū est: Væ in vtero habentibus & nutrientibus. Non autem quandocūque, sed in diebus illis abominationis desolationis desolationum. Omnis enim qui audit verba, iniquitatē in excelsum loquentium, & suscipit ea in diebus eius, ille abominatione desolationis subditus fit.

Orate autē vt ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato.] Est enim sicut diximus quædā fuga hominū secūdū pręceptū verbi, vt qui fugit quæ fugere oportet, melior sit eo qui non fugit, sed semetipsum subditum facit perdentibus animam malis. Quòd est autem cōstituta fuga atq; laudabilis, manifeste docet apo- *1.Cor.6.* stolus dicens: Fugite fornicationem. Fugit autem fornicationem qui omnem occasionem irritantem & prouocantem ad fornicandum euitat, & neq; iuuenibus in fabulis iuuenilibus B cōmiscetur inquantum potest, ne forte consumatur per eas, neque descendit ad consuetudines eorum talium, sed auertit se omnino ab huiusmodi hominū concitationibus. Qui vult fugere fornicationem, audiat & illud quod dicitur: Cū saltatrice noli assiduus esse, ne forte consumaris in desideriis eius. *Eccl.9.* Fugit autem fornicationem abundantius, qui accendentes & excitatrices feminis escas inquantum valet euitat, & vino si potest fieri non vtatur, donec transeat feruentior ætas. Si autem vtitur, modico vtatur, secūdum apostolicum pręceptum, *1.Tim.5.* dicens Timotheo: Iam noli aquam bibere, sed vino modico vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Et quid plura? Ille est qui fornicationē fugit, & semper *Omne peccatum fugiendum.* fugam istam laudabilem operatur quæ à Deo fugere nō permittit. Operatur autem hanc fugam qui promptus est ad fugiendam fornicationem. Et nō solum fornicatio nobis est fugienda, sed & omne peccatū. Ideo bene dixit scriptura. Quasi à facie serpentis, fuge peccatum. Frequenter autem conuenit fugere ab Antichristo, verbo & falsi nominis scientia: maxime quando necdum sic idoneus est homo, vt habeat in se *2.Thess.2.* dominum operantem, qui interficit spiritu oris sui persuasiones mendaciorum: nec ascendit ad tantum altitudinis, vt habeat in se eum qui destruit illuminatione aduentus sui omnē persuasionem veri, similitudinem veritatis habentem, & assimilantem se veritati. Qui autem fugit, debet cognoscere etiā locum ad quem fugere debet, & orare etiam propter tēpus, C vt nō in eo tempore fugiat, quod est aduersarium fugæ. Loca ergo fugientibus erunt montes, quos Christus ostendit dicens: Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes.] Et qui fugiunt in istos montes dicant psalmū graduum sic habentem. *Psal.120.* Leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi. Ideo autem tollit oculos suos in montes, quia scit abundan- *Psal.87.* tiam quæ est in montibus illis, propterea dicit. Fundamenta eius in montibus sanctis. Et si fugerit in montes quos præcepit dominus, veniet ad locum sanctum, in quo factus & vi- *Exod.3.* dens visum illum magnum, dicet quod dictum est, Transiens videbo visum hunc magnum. Et qui huiusmodi est, audiet: Solue calceamentum pedum tuorum, locus enim in quo tu stas, terra sancta est. Fugiāt ergo in montes qui fugiunt secundum Dei mandatum. Quoniam ergo in tranquillitate animæ constitutę possunt impetrare fugam salutis, hyeme autem cōprehendente incurrunt in eos quos fugiunt, ideo orent vt ne fiat fuga eorū hyeme vel sabbato, si quidem vigilauerit Christus in eis. Si autem obdormierit, tunc descendēs procella vēti in stagnum, descendent etiam super eum qui fugit, quia nō Iesus fugit cum ipso, ostendens ei fugam optimę viæ. Tamen si descenderit aliquando procella, & hyemem fuerit operata, *Matt.8.* oret quis & suscitet orationibus suis Christum vt imperet vento & mari, vt tranquillitate facta iterum fugiat, vt non comprehendatur à fornicatione, aut auaritia, aut à gloria vana, aut ab aliquo malo persequente se, vel ab ipsa abomina- D tione desolationis, id est dogmate falso. Orate vt ne fiat fuga vestra hyeme vel Sabbato.] Deus in sex diebus fecit opera mundi, & requieuit in sabbato. Requieuit autem ab operibus mundi quæ facere cœpit. Opera autem iustitiæ semper *Gen.2.* sine initio operatus, & operabitur siue fine, & sic hominum *Deus opera iustitię semper operatur.* genus ante Christi aduentum operati sunt omnes opera mūdi: & nemo requieuit ab eis, sabbatizans iugiter ab operibus bonis. Veniens autem dominus noster sabbatum nostrum, & requies nostra, attulit nobis requiem sabbati sui, vt sicut ille requieuit in sabbato ab operibus mundi, non autem requieuit ab operibus iustitiæ, sic & nos per ipsum sabbatizemus ab operibus mundialibus & carnalibus & nociuis, opera autem iustitiæ semper exerceamus. Quoniam autem ipse nobis allaturus fuerat huiusmodi sabbatum, in quo nullum opus faciamus seruile, testatur & ipse per prophetam dicens de indignis Iudæis ita: Donec iuraui in ira mea, si introibunt in requiem *Psal.94.* meam. Et iterum Lamech nomen imponens filio suo Noe in mysterio Christi, ita dixit de eo, & vocauit nomen eius dicens Noe, quoniā hic dabit nobis requiem à mœroribus no- *Gen.5.* stris, & ab operibus manuum nostrarum, & à terra quā maledixit dominus. Omnis ergo qui viuit in Christo, semper in sabbato viuit & in requie requiescens ab operibus malis: operatur autem opera iustitiæ incessanter. Multi autem nomen *De sabbato spirituali.* Christi habentes non gratiam, econtra sabbatizant ab operibus bonis, operātur autem opera mala. Mediocres autē inter- E dum dimittunt sabbatismū operum malorum, & sabbatizant ab operibus bonis, nō bona operantes, sed mala. Quidam autem ab operibus malis sabbatizant, nō autem exercent opera bona, cum oporteat non solum mala fugere, sed etiam bona exercere. In tali ergo sabbato operum bonorum quādo bona opera non facit homo Christianus, iubet nos Christus orare, ne fuga nostra fiat in illo. Cessante enim te ab operibus bonis, si quidem steteris ante faciem abominationis, & vltro te subdideris ei voluntarie, mortuus es gladio verbi mendacis. Si autem volueris fugere, & abominatio desolationis secuta fuerit te, sine persecutionibus suis frangere, quia non operantur in te virtutem patientię opera tua bona: sine seductionibus suis capiet te, quoniā intelligentię lumen non operatur in te opera tua bona. Nemo enim in tali periculo falsi dogmatis facile superatur & fallitur, nisi quia nudus est ab operibus bonis. Propterea & Apostolus dicit de ipso periculo. Pro *2.Thes.2.* eo quod charitatem veritatis non acceperunt, dabit illis operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicētur homines qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Cū autem viderimus abominationem desolationis quæ dicta est per Danielem prophetam stantem in loco sancto, videbimus & magnam tribulationem instantem, qualis facta non est ab initio mundi vsque ad illam ipsam, neque fiet postea. F Quæ enim maior tribulatio quàm videre fratres nostros se- *Tribulationum maxima.* duci propter sanctum locum à desolationis abominatione stāte in eo? Et siquidem amici alicuius aut proximi mors corporalis magnam operatur tribulationem ei qui non fuerit meditatus vt sufferat eam: qualē putas tribulationem ei qui compatitur quando vnum passum fuerit membrum, & ei qui vident quando scādalizatus fuerit aliquis frater? Si autem & quis viderit seipsum moueri & conturbari à desolationis abominatione, quasi non sit abominatio desolationis, & viderit se periclitari propter dilectionem quam habet in sanctum locum, ita vt pene consentiat ei abominatione tanquam sit Deus, & tradat semetipsum abominationi quasi Deo: quomodo putas eum tribulari magna tribulatione, qualis non fuit ei ab initio ex quo venit in mundum, vsque ad illud tempus? Sed nec alia tribulatio talis eum poterit comprehendere aliquando: & maxime si quis trahitur vt existimet abominationem stantem in cœlo sancto, nō esse abominationem desolationis, sed Deum verbum. Adhuc autem *Error fuit Helcesaitarum licere fidem ore negare in persecutione.* & si quis manifeste quidem videat abominationem desolationis stantem in loco sancto, & si sequatur eam accipiens sibi excusationem de diuinis scripturis, quasi indifferēter liceat Christianitatem negare, dicens denegationem non esse denegationem, & escas immolatorum quasi nihil nocentes mācanti fuerit arbitratus, proferens de scripturis exempla & ne-

G quia indifferenter licet in vno eodémque tempore mulieribus commisceri diuersis, quasi & patribus ista facientibus olim, omnibus istis peccatis maius est abominatio desolationis, id est, verbum quod in loco scripturarum sanctarum cōsistit, iniquitatem in excelsum loquens & persuadens à creatore discedere, qui solus & verus est Deus, & credere alteri nēscio cui Deo super istum, cui nullus similis est: cū talis noster saluator dicat: Pater qui misit me maior me est. Magna ergo tribulatio generatur à desolationis abominatione stante in loco sancto, ita vt talia dicantur de ea. Et nisi abbreuiati essent dies illi, non esset salua facta omnis caro. Propter electos autem abbreuiabuntur dies illi.] Tāta autem, & sic magna in illa abominatione desolationis fit tribulatio, vt Deus operetur abbreuiationem dierum tribulationis illius, superfluum eorum præcidens, quod additur à desolationis tribulatione & abominatione. Aliter enim nō est possibile vt saluetur omnis quæ saluanda est caro, nisi acceperit abbreuiationem à Deo. Dies enim intelligūtur præcepta & dogmata veritatis, posita in scripturis ad illuminationem intelligentium animarum. Omnes autem intellectus à scientia falsi nominis venientes, qui adduntur sermonibus scripturarum, & cōiunguntur, intellige mihi additamenta esse supra magnitudinem naturalem dierū scripturæ: quod additamentum bonus Deus abbreuiat per quos vult. Et quotiescunq; videris aduētu veritatis in sensu tuo præcidi altitudines extollentes se aduersus scientiam Dei: toties intellige abbreuiatos dies tribulationis, & circuncisam superfluam magnitudinem, quam cōtra naturam abominatio desolationis, semper superaddit diebus domini qui sunt in scripturis. Et propter electos abbreuiantur dies illi, vt videntes in sensu suo præcisionem superfluitatis dierum, & remanentem illā solummodo lucem, quæ secundum verbum est veritatis, nihil patiantur à desolationis abominatione, vel eo quod additum fuerat super veros & naturales dies scripturarum. Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic Christus, ecce illic, nolite credere. Exurgēt enim pseudo Christi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi. Ecce prædixi vobis, ecce in solitudine est, nolite exire: ecce in domibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriēte, & apparet vsque ad Occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Vbicunq; enim fuerit cadauer, illic congregabuntur aquilæ.] Quoniam diximus abominationem desolationis stantem in loco esse mendacij verbum, quod in loco scripturarum sancto stare videtur, dicet aliquis: & quomodo quasi non stante ea illic ita dicet aliquis discipulus Christi: Ecce hic Christus, ecce illic: alius autem dicet: Ecce in solitudine est, alius autē, ecce in domibus? Vide ergo si ad hæc dicere possumus quod ait: Ecce hic, ecce illic: quoniam ecce hic, ecce illic, non extra I scripturā foras aspiciendum est. Dicet enim qui seducere voluerit nos, & defendere contraria veritati, Ecce hic Christus, demonstrans (verbi gratia) hunc Euangelij locum. Alterius autem erroris auctor dicet: Ecce hic Christus, offerens ad exemplum alterum textum, qui videtur defendere mendacij illius verbum quod proposuit vindicare: & sic ex lege & prophetis, & Apostolis profert vnusquisq; quæ videntur defendere mendaciū illud vtpote veritatem. Vel sic impletur quod ait. Ecce hic Christus, ecce illic, ostendens non Christum, sed aliquem fictum eiusdem nominis: vtputa secundum Marcionis doctrinam, & secundum traditiones Valentini, aut Basilidis longam fabulositatem, aut secundum Appellis aduersus Paulum testimonium falsum. Erunt autem & alij plures qui dicturi suos discipulis ex diuinis scripturis, coniungentes eis suum proprium sensum: Ecce hic Christus, ecce illic. Si autem dixerint vobis: Ecce in solitudine, nolite exire: ecce in domibus, nolite credere. Quidam enim secreta proferentes dicunt, ecce in solitudine. Quando enim secretas & non vulgatas scripturas proferunt ad confirmationem mendacij sui, videntur dicere: Ecce in solitudine verbum est veritatis. Secretæ enim scripturæ, recte solitudines appellantur, in quibus aut pauci suos credentes aut nullus. Quoties autem Canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis Christianus cōsentit & credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quēadmodum per successionem ecclesiæ Dei tradiderūt nobis. Vel sic. K Eorum verborum falsorum professores quidam quidem nec ab initio simulant scripturas, & sic fallere tentant. Ideo (existimo) eos sermones qui sunt omnino extra scripturam ostēdere volens dixit: Si dixerint vobis, ecce in solitudine est, nolite exire de regula fidei. Eos autem qui ad schisma simulant diuinas scripturas, ostendere volens dixit. Si dixerint vobis, ecce in domibus, nolite credere. Quodcunque professi fuerint de scripturis, & de mysterijs quæ sunt in eis ad demōstrationem, nolite credere quæ dicuntur. Veritas enim similis est fulguri egredienti ab Oriente, & apparenti vsq; ad Occidentem. Qualis est veritas ecclesiæ Dei: ab ea enim sola sonus in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum, & velociter currit sola verè veritas Dei.

Perstringit Valētinum & Marcionem. — *Ioan. 14.* — *Addita mētabominū affixa scripturis.* — *Signa pseudoprophetarum.* — *Secreta scriptura.* — *Allegatio canonicarū scripturarum contra ecclesiasticam traditionē nihil facienda.* — *Qualis veritas ecclesiæ.*

TRACTATVS XXX.

Cap. XXIIII.

IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis. Sicut fulgur enim exit ab Oriente & apparet vsque ad Occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. L Et reliqua.] Scire debemus & illud, quoniam veritatis fulgor non aliquo quidem scripturarum loco apparet, ex alio autem scripturarum loco non defenditur, sed ex omni loco scripturarum, id est siue ex legis, siue prophetarū, siue ex Euangeliorum, siue ex Apostolorum scriptura defenditur: Et exiens hic fulgor veritatis ab Oriente (id est ab initijs Christi) apparet vsque ad dispēsationem passionis ipsius, in qua est occasus ipsius. Et huic tali fulgor similis est filij hominis aduentus, id est verbum veritatis. Et sic autem intelligere possumus quod ait: Exit ab Oriente, & apparet vsque ad Occidentem. Christus verbum esse & veritas & sapientia ostenditur, à primo initio creaturæ mundi vsque ad nouissimā Apostolorum scripturam: id est à Genesi vsq; ad Apostolicos libros: post quos nullis scripturis ita credendum est sicut illis. Aut ita, quoniā lex & prophetæ vsq; ad Ioannem, in quibus est fulgor veritatis. Et oriens quidem est lex, occidens autem finis legis Ioannes. Sola autem ecclesia neque subtrahit huius fulgoris verbum & sensum, neq; addit quasi propheriā aliud aliquid. Sed si oportet subtiliter quærere quod non singulariter dicta est oriens, neque singulariter occidens, sed ita, ab orientibus vsque ad occidentes: dicemus quoniam vna oriēs, & vna occidens, lex & prophetæ vsque ad Ioannē: alia oriens vsque ad occidentem, Christus Iesus vsq; ad Paulum, cui nouissimo Apostolorum quasi abortiuo apparuit Christus. Cōsidera autem & hoc, quoniā vnam superius diximus abomi- M nationem desolationis quæ dicta est per Danielem prophetā stātem in loco sancto: superaddit autē quasi de multis: Exurgent enim pseudochristi. Generaliter enim vnus est Antichristus, species autem illius multæ: tanquā si dicamus, mendaciū generaliter vnum est, secundum differentias autem falsorum dogmatum inueniūtur multa esse mendacia. Si enim mendacium nihil differt à mendacio, puta Basilidis, aut Marcionis, aut Valentini, aut Appellis, aut aliquorum similium, vnum videtur esse mendaciū. Si autē secundū diuersa dogmata mentiuntur, multi sunt qui exurgunt. Hi enim sunt Antichristi: & quicunque post eos resurrexerint. Sicut autem veri Christi, & vnius facti sunt qui à seculo fuerunt sancti prophetæ, prænonciantes Christi passiones, & postmodum glorias eius futuras: sic mihi intellige secūdum vnumquenque pseudochristum, multos eius falsos prophetas. Non ergo alicuius vnius mendacij doctores, sed omnium pseudoprophetæ sunt illius Antichristi, cuius falsos sermones prædicant quasi veros, & docent. Secundum hæc ergo quæ diximus, qui Ecclesiasticè docent verbum, prophetæ sunt Christi. Qui autem Marcionis, vel alicuius eorum prædicant verbum falsum, prophetæ sunt Antichristi eius qui est secundum Marcionem, id est, illius mendacij quod introduxit Marcion: & alij falsi prophetæ sunt mendacij illius quod est secundum Basilidem, alij vero illius quod secundum Appellem. Similiter dices & de prædicatoribus singularum hæresum. Omnia enim & persuasoria

Veritatis fulgor ī omnis scripturarum loco apparet. — *1. Cor. 15.* — *Dan. 9.* — *Verum est vnum, falsum multiplex.* — *Propheta Christi.* — *Propheta Antichristi.*

A suasoria quæ proferuntur ad defensionem Antichristi verbi, signa sunt illius Antichristi & prodigia, quæcunque suggerūtur à sapientissimo omnium bestiarum terræ serpente, & à magno sensu principe Assyriorum, signa sunt magna & prodigia, vt in errorem inducantur si possibile est etiā electi. Exaggerationis autem sermo est dicens: Si possibile est.] Non enim pronunciauit, neque dixit, vt in errorem mittātur etiam electi, sed ostendere vult quoniam frequēter valde persuasorij sunt sermones hæreticorum, & cōmouere potentes etiam eos, qui sapienter audiunt. Sed prædicente nobis omnia Saluatore neque in solitudinem exeamus, neque qui profitentur Christum in domibus esse credamus. His autē quæ diximus, adiiciamus adhuc, quoniam omnis sermo profitens se esse veritatem cum non sit veritas, siue apud gentiles, siue apud barbaros, aliquo modo Antichristus est, volens seducere quasi veritas, & separare ab eo qui dixit: Ego sum veritas. Propterea non debemus attendere eis qui dicunt: Ecce hic Christus, non autem ostendunt eum in ecclesia quæ plena est fulgore ab Oriente vsque ad Occidētem, quæ plena est lumine vero, quæ est columna & firmamentum veritatis, in qua tota totus est aduentus filij hominis, dicentis omnibus qui vbique sunt: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vitæ vsque ad consummationem seculi. Et vbicunque fuerit, quod est secūdum dispensationem passionis eius, cadauer eius, qui ideo cecidit vt erigat eos qui ceciderunt, illuc congregabuntur non qua-

Gen. 3. *Ioan. 10.* *1. Tim. 4.* *Matt. 28.*

B lescunque, sed aquilę discipuli. De quibus etiam propheta dicebat: Pennigerabunt sicut aquilæ, & current, & non laborabunt, & ibunt, & non esurient. Et Salomon in Prouerbiis assimilat eum qui in Deo est diues, dicens: Paratæ sunt ei pennæ sicut aquilæ, & conuertetur in domo præpositi sui. Et vide quoniam non dixit: Vbicunque fuerit cadauer, ibi congregabuntur vultures, aut corui, sed volens ostendere magnificos & regales esse omnes qui in passionem domini crediderunt, proprie dixit: Vbi fuerit cadauer, illic congregabuntur & aquilæ. Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum mouebuntur. Et tunc parebit signum filij hominis in cœlo, & tunc plangent se omnes tribus terræ.] Considerantes maiores propositiones incurrere quàm est sensus hominum, etiam eorum qui plurimum in sapientia profecerunt præ aliis, age discutiamus sermonem: primum quidem quærentes quæ facile recipi possunt ad expositionē Euangelici textus quasi domino in ipso prophetante: deinde requiremus quæ sit veritas horum verborum secundum eos qui altius & subtilius esse aliquid arbitrantur in verbis, seruātes consequentiam moralium traditionum etiā in his quemadmodum supra. Dicet ergo aliquis: Quemadmodum in magnis ignibus succendi incipientibus, tenebræ ex fumo plurimo videntur extolli: sic in cōsummatione mundi ab igne qui

C accendendus est obscurabuntur etiam luminaria magna, vt sole obscurato consequenter obscurationi solis etiā luna impedita nec à sole percipere lumen, nec proprium lumen dare sinatur. Et sic necesse est comprehendāt mundi naturam primum tenebræ magnæ: sic autem permarcescēte stellarum lumine, reliquum earum corpus crassius factum vt non valeat exaltari sicut primum cum à lumine ipso portatū extollebatur, cadet de cœlo. His accidentibus consequens est cœlorum rationabiles virtutes patientes stuporem, commotionem aliquam pati, & conturbari, remotas videlicet à primis functionibus suis. Ita qui hæc sic intelligit esse, adiiciet quia signum filij hominis in quo cœlestia facta sunt quæ in cœlis erant, & quæ in terris, tunc apparebit: vt puta virtus quam operatus est filius suspensus in ligno: & in cœlo maxime fulgebit signum ipsius: & homines ex omnibus tribubus qui prius non crediderunt Christianitati annunciatæ, adhuc autem male de ea dixerunt, tunc recognoscentes per signum illud manifestatum, plangent se, & lamentabunt propter ignorantiam suam atque peccata, quia verbum domini non receperunt. Alius vero aliter arbitrabitur de his verbis: quoniam sicut hæc verba demonstrant, nec per ignem fiet mundi corruptio, sed per defectionem ipsius. Et alius vtitur exemplo: quoniam sicut deficiente lumine lucernæ paulatim minuitur lumen, sic cœlestium luminum deficiente nutrimine, Sol obscurabitur, iam non habens super se venientia spiramenta ab eis. Maiori autē D luminari hæc patiēte, multo magis & luna nec ipsum poterit exhibere splendorem igneum illum, & secūdum defectiones suas apparentem. His ergo cōtingentibus super solem, lumen etiam stellarum deficiet, vt quod remāserit in eis quasi terrenum cadat de cœlo: & omnes cœlorum virtutes his accidentibus mouebūtur. Sicut enim in dispensatione crucis, sole deficiente tenebræ factæ sunt super omnem terram: sic & signo filij hominis apparente in cœlo deficiet solis lumen, & lunæ adhuc & stellarum, quasi cōsumptum à multa virtute signi illius. Quo apparente, quæ tūc in terris remāserint tribus plangent se. Vtetur ad hæc exemplo Esaiæ prophetæ dicentis hoc modo. Ecce dies domini insanabilis venit, iræ & furoris, ponere orbem terræ desertum, & peccatores perdere ex ea. Stellæ enim cœli, & Orion, & omnia ornamenta cœli nō dabunt lumen suum, & obscurabitur in oriente sol, & luna non dabit claritatem suam. Et præcipiā orbi terræ mala, & impiis peccata eorum. Item & de Ioël talia. Ante faciem eius cōfundetur terra & mouebitur cœlum. Sol & luna cōtenebricati, stellæ nō dabunt lumen, & dominus dabit vocem suam ante faciem virtutis suæ, quia valida sunt castra eius nimis, quoniam fortia sunt opera verborū eius. Itē, Et dabo prodigia in cœlo sursum, & in terra sanguinis & ignis & vaporū. Sol conuertetur in tenebras & luna in sanguinem, priusquā veniat dies domini magnus & præclarus. Et his similia multa inuenies in E scripturis, si nihil aliud in locis Euangelicis aspicere volueris præter simplicia verba. Nā & secundum hoc quod dicit, Tūc plangent se omnes tribus terræ, quasi nulla habēs opus interpretatione, accipies de propheta Zacharia talia verba. Et erit in illa die, quæram auferre omnes gentes quæ venient super Hierusalem, & effundā super domū Dauid, & super omnes habitantes in Hierusalē spiritū gratiæ & miserationis: & respicient ad me propter quod saltauerunt, & plāgent super se plāctum sicut super dilectū, & dolebunt dolore sicut super primogenitū. In illo die magnificabitur plāctus super Hierusalē, sicut plāctus mali granati in cāpo excisi, & plāget se terra per tribus: tribus domus Dauid seorsum, & mulieres eorū seorsum: Tribus domus Nathan seorsum, & mulieres eorū seorsum: Tribus domus Leui seorsum, & mulieres eorū seorsum: Tribus domus Simeon seorsum, & mulieres eorum seorsum: Oēs tribus quæ subrelictæ sunt, seorsum, & mulieres eorum seorsum. Videbitur ergo quibusdam vsq; hoc interpretationē debere producere, & nihil discutere supra textum. Quoniam autem qui loquitur de scripturis diuinis, debet curare non solum simplices, vt negligat causa eorum illos qui possunt abūdantius sustinere verborum subtilium naturam, ne forte falsæ sint traditiones huiusmodi, & nihil tale, quale debet esse quod à Deo dici debeat de huiusmodi rebus: propter huiusmodi ergo viros pauca quædam secundum quod possumus F moraliter exponemus. Dicent autem huiusmodi homines. Quomodo potest dici de sole, quoniam obscurabitur lumen eius, quando Esaias propheta profectum aliquem solis in consummatione fore declarat, hic autem sermo ademptionem? Similiter & de luna Esaias quidem refert, quoniam erit sicut sol, præsens autem sermo, quia non dabit lumen suum. De stellis autem talia dicent, quoniā de terra in cœlum, multum spatium est maxime ad zonam mediam, in qua non sunt erraticæ stellæ: secundum considerationem ergo altitudinis eius est existimare, quoniā nisi supra modum essent magnæ stellæ, neque tāto spatio lumen earum videretur ab omnibus qui sunt in omni parte terrarum. Sicut autem quidam dicere tentant, aut omnes, aut plures earum maiores esse quàm ipsa est terra, argumento vtentes ad commendandam rationem verborum suorum, quoniam omne cœlum in modum sphæræ collectum vniuersam complectitur terram, dicent etiam aliquid tale: quoniā qui veritatem dictorū istorum simpliciter ex ipso colligūt textu, rem natura ipsa impossibilem dicunt vt possibilem, vt stellæ tantæ magnitudinis cadant de cœlo. Quō enim & cadant cum magnitudine earum non sufficiat terra, nec capere possit (vt ita dicam) magnitudinem duarum stellarum? Pone tamen capere eā duas vel tres, nunquid & tantam multitudinem capere potest? Ne ergo aliquid aliud forte moraliter sentire oportet in scripturis diui-

Signa & prodigia secūdum aduentum comitantia. *Esa. 13.* *Ioel. 3.* *Zach. 12.* *Allegoria* *Astrorum quantitas.*

G nis. Et audaciæ quidem est, necessarium autem: tamen multo tractu opus est in his locis, qui vult simul & possibilitatem ostendere scripturarum & veritatem. *Allegoria de diabolo & ecclesia malignantium.* Dicet ergo obseruandũ, solem esse diabolum, qui transfigurat se in angelum lucis, & quasi sol multos seducit, Quoniam ergo in consummatione est arguendus, cum sit tenebræ, simulat autem esse se solem, propterea de illo intelligi potest quod ait: Sol obscurabitur. Et dicet honestiorem esse hanc rationem, quàm existimare talem solem passurum obscuritatem. Omnes, inquit, consentire conuenit absque periculo aliquo huic probato sermonũ de huiusmodi sole sic obseruando. Et secundum consequentiam huiusmodi solis intelligenda est etiam luna quæ videtur illuminari ab huiusmodi sole. Omnis enim ecclesia malignãtium, quę frequenter lumen se habere & dare promittit, tunc autem arguita, & manifestata cum reprobatis dogmatibus suis, non dabit claritatem suã. Sed & quicunque siue in dogmatibus, siue in virtutibus falsis, hominibus quidem promittebant veritatem, mendaciis autem seducebant se attendentes, *Prou. 4.* hi conuenienter dicendi sunt stellæ cadentes de cœlo. De cœlo autem (vt ita dicam) suo, vbi erant altitudines constitutæ extollentes se aduersus scientiam dei. Ad commendationem autem sermonis huiusmodi, vtentur exemplo Prouerbiorum dicente: Lumen iustorum semper inextinguibile est: H lumen autem impiorum extinguetur. Scientiam quidem veram quam illuminauerunt sibi qui audierunt dicentem: Illuminate vobis lumen scientiæ, lumen esse iustorum, falsam autem scientiam lumen esse impiorum: & sanctorum quidem lumen semper inextinguibile esse cadentium autem à veritate lumen extingui. Obscurabitur ergo lumẽ solis illius quem diximus, & lunæ illius quam exposuimus: sed & omnes qui extollunt se contra scientiam dei, cadẽt ab altitudine sua qua se arbitrati sunt esse cœlum. Forsitan & sic conuenit quod est dictum, Videbam satanam sicut fulgur cadentem de cœlo.

Luc. 10. His autem accedentibus de huiusmodi sole, & luna, & stellis, virtutes cœlorum diuinæ non omnino immobiles erunt: sed mouebuntur quando arguitus fuerit ille obscuratus sol, & luna illa non exhibebit claritatem suam, & tales stellæ ceciderint, *Iudæ. 1.* sicut & Iudas dicit in Epistola sua. Tunc quod clarum est apparebit in cœlo, & omnis qui portauit imaginem cœlestis. Cum autem hæc ita fuerint facta, tribus quidem cœli lætabuntur, terræ autem tribus quę imaginem portauerunt terræ, plangent se. Adhuc autem pro commendanda huiusmodi sua traditione adiiciet dicens qui hanc fecit interpretationem, quoniam sensibili sole obscurato (vt hoc ita esse concedatur) & luna claritatem non dante, & cadentibus stellis, nec est possibile esse hominum tribus in terris. Si autem possibile non est, vtique nec secundum quod loquitur textus: Et *Luc. 5.* plangent se tribus terræ, Tunc ergo sicut ait dominus in Euangelio: Qui nunc rident, tunc plangent se, & plangẽt quasi quis in tribubus terræ. Secundum hæc & Esaiæ sermones, & Ioelis tentabit interpretari, qui vult ad moralem expositionem subleuare quæ dicta sunt. Adhuc autem ad ea quæ dicta sunt de cadentibus stellis, non sine ratione est assumere de re- *Apoc. 12.* I uelatione Ioannis, de tertia parte stellarũ tracta à cauda draconis in terram. Dicit enim ita. Et visum est aliud signum in cœlo, & ecce draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem, & super capita sua coronas septem, & cauda eius traxit tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram. Omnia hæc exponere singillatim de capitibus septem *Apoc. 13.* draconis, quæ forsitan possunt referri ad aliquos principes *Orig. scripsit in Apocalypsim.* rerum nequitiæ, siue ad tanta ducentium ad mortem peccata, non est temporis huius: exponetur autem tempore suo in reuelatione Ioannis. Sed & decem cornua dicere, quoniam sunt regna serpentinæ malitiæ, & habentis serpẽtis naturam, & semper pectore & ventre incedere per peccata, nec modo exponere tempus est. Quid narratio præsens de septem diadematibus quæ draco videtur habere super septẽ capita sua? Vtputa diademata per singulos qui iunguntur suscipit ali- *Draco tertiam partẽ stellarum cauda trahens quid.* quod caput draconis. Has autem principales expositiones atque probationes oportet fieri cum ipse liber propositus fuerit nobis ad exponendum: Nunc autem hoc solum oportet de reuelatione illa exponere, quoniam cauda draconis traxit tertiam partem stellarum cœli, & misit eam in terram. Existimo enim quoniam qui debet audire, post dominum deum K tuum ibis, & venite post me, & ad hæc quidem obstruit aures suas, peccatum autem sequitur, trahitur à cauda draconis vadens post eum. Si autem contigerit eum qui sic vixit vt audiat: Vos estis lux mundi, & aliquando splenduerint opera *Matth. 5.* eius bona: hic aliquando constitutus stella, & in cœlo habens conuersationem, si auulsus fuerit à dracone in terram, hic erit stella à cauda draconis tracta, & missa in terram. Sic stellæ à cauda draconis trahuntur, & mittuntur in terram. Sunt autẽ aliæ, quarum pars aliqua obscuratur, & quod maius est quidem, luminosum est: quas videtur ostendere de reuelatione sermo sic habens. Et quartus angelus tuba cecinit, & percus- *Apo. 6.* sa est tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum, vt obscuraretur tertia pars earum. Sunt quidam autem qui nec omnino seruauerunt quod dictum est: Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, nec omnino extincti & obscurati sunt, sed ex parte. Quidam enim propter scientiam quidem fulserunt sicut splendor cœli, quidam autem propter conuersationem facti sunt sicut stellæ. Sed videmur quibusdam non consequenter secundum præcedentes expositiones hæc protulisse, & pro parte exposuisse. Quoniam illic quidem stellas casuras diximus, qui videbantur fuisse stellæ, non autem erant: hic autem de his qui vere fuerunt stellæ, & aut ad plenum ceciderũt, aut L ex parte. Ad quos respondeamus quoniam proferentes exẽpla hæc quæ protulimus, hoc demonstrauimus quia omnino stellæ homines sunt intelligendi, non quales stellæ. Alioquin ille locus suam habet interpretationem, & hic suam. Tamen his ita factis parebit signum filij hominis in cœlo, & plangẽt se tunc tribus terræ. Ad hæc non est absurdum vti exemplis Zachariæ prophetæ ita habentibus. Et erit in illa die, quæram *Zach. 12.* auferre omnes gentes quæ veniunt super Hierusalem, & effundam super domum Dauid, & super habitantibus in Hierusalem spiritum gratiæ & miserationis, & respicient ad me quoniam saltauerunt, & plangent super se planctum sicut super dilectum, & dolebunt dolore sicut super primogenitum. Et in die illo magnificabitur planctus in Hierusalem sicut planctus mali granati excisi in campo, & planget se terra per tribus: Tribus domus Dauid secũdum se, & mulieres eorum secundum se: Tribus domus Nathan secundum se, & mulieres eorum secundum se: Tribus domus Leui secundum se, & mulieres eorum secundum se: Tribus domus Simeon secundum se, & mulieres eorum secundum se: & omnes relictę tribus secundum se, & mulieres eorum secundum se. Omne igitur terrenum agmen cum sit tribus terræ, quod esse sibi ipsi attribuerunt, maxime si oportet in aliquo peccatorũ abundantius plangere, plangent cum similibus suis. Arbitror autẽ *Differẽtia fidelium.* per hæc ostendi differentias eorum qui videntur in fide fuisse & in suo agmine, non autem placuerunt deo: Est ergo domus Dauid plangens, qui ex populo constituti digna planctu egerunt, aut de regibus & magnatibus. Qui autem ex docto- *Docere est prophetare.* ribus male vixerunt, sunt tribus Nathan plangens, quoniam Nathan fuit propheta, docere autem est prophetare. Ita qui sunt peccatores ex his qui præpositi fuerunt ecclesiæ, & sacerdotium habuerunt iumentum, & non bene dispensauerũt M præposituram suam, tribus sunt domus Leui plangens. Et verum quidem dicere, vel de his quæ diximus, vel de tribu Simeon, dei solius est: nos autem in pręsenti aptamus, quoniam omnes qui catechizati fuerunt, & instructi sunt diuino mysterio, nec fuerunt ordinati in aliqua tribuum quas diximus supra, & peccauerunt peccata grauia, quales sunt plurimi laicorum, tribus sunt Simeon: Reliqui autem homines, quas dixit tribus relictas, quas specialiter non nominauit. Nun autẽ qualecunque est opus dicere & de mulieribus singularũ tribuum plangentibus se secundum se. Et vide si potes in singulis quibusque classibus eos quidem qui corporaliores, & mundialiores fuerunt, dicere mulieres: qui autem eorũ comparatione meliores fuerunt viros fuisse. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute & gloria multa.]

Traditio ecclesiæ catholicæ de secũdo aduentu. Quoniam videtur suscepisse ecclesia catholica cum aliis traditionibus etiam de Christi aduentu secundo, quoniam erit in gloria manifestum est, Vtrum autem secundum quod scriptum est in hoc loco, nubes corporales atque sensibiles existimare debemus vehiculum esse ipsius, & secundum huiusmodi

A di nubes multam illam virtutem & gloriam expectare debemus, aut iuxta obseruationem verbi simplicioris, etiam moraliter est considerandum, aut nec omnino obseruare debemus simplicitatem verbi, sed solummodo muralem exequi intellectum, non cuiuscunque est de liberare; & diligenter scrutari singula loca, & postquam tractauerit verbum secundum ea, sic pronúciare quid potissimum verius sit eorum, & continens euangelicum sensum, & eoluntatem Christi, qui ista locutus est. Sed age, nos pauca de modica virtute, si tamé vel ipsam habemus, exponamus bis in locis: & primum quidem secundum textum. Videbunt oculis corporalibus filium hominis in specie humana eenientem super nubes superuas, quæ ideo nubes cœli dicuntur, cum virtute & gloria multa. Et conueniunt huic expositioni quæ superius in euangelio *Matth.17.* dicuntur hoc modo, Cum assumpsisset Iesus Petrum, & Ioánem & Iacobum, eduxit eos super montem excelsum nimis, seorsum, & transfiguratus est coram eis, & splenduit facies eius sicut sol, & vestimenta eius facta sunt sicut lumen, & visus est eis Moyses & Helias colloquentes cum eo. Et ecce, inquit, nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo complacui, ipsum audire. Sicut ergo quando transformatus est, resplenduit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius facta sunt sicut lumen, & vox venit de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo complacui: sic cum venerit iterum forsitan in speciem transformabitur gloriosam: aut sicut tunc transformatus est B coram tribus discipulis suis, postea veniet non super vná nubé, sed super multas, quæ erút vehiculum eius. Quoniam autem consequens est vt in meliorem gloriam reformetur, quá fuit transformatus in monte, manifestum est ex eo quod túc quidam coram tribus tantummodo transformatus est: in cósummatione autem mundi totius, apparebit in gloria multa, vt videant eum omnes in gloria. Et tunc quidem descendens lucida nubes adumbrauit eos, postea auté multæ nubes portabunt filium hominis venientem cum vehiculo digno glo- *Gen. 1.* riæ suæ. Dicet autem aliquis, quoniam sicut in fictione hominis accepit deus limum de terra, & finxit hominem, sic vt appareat gloria Christi, accepit deus de cœlo & de cœlesti corpore, & corporauit primum quidem in nubem lucidam, in cósummatione autem in nubes lucidas. propter quod & nubes cœli dicuntur, secundum quod & limus terræ est dictus. *Phil.2.* Et dicet patrem talia miranda donare filio suo, qui seipsum humiliauit, & propter dilectionem non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & factus est agnus dei vt tollat mundi peccata. Propter hoc enim & deus superexaltauit eum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen. Non solum autem exaltauit eum secundum spiritum, sed etiam secundum cor- *Luc.1.* pus, vt per omnia sit exaltatus. Et corpus quod suscepit de virtute altissimi, & de virgine huiusmodi ministerium mini- C strante, debebat honorari vt & super talibus nubibus veniret: forsitan super nubibus animatis & rationabilibus vt ne sine anima & irrationabile esset vehiculum filij hominis glorificati, sicut fuit sine anima currus, irrationabiles autem equi *4.Reg.2.* in quibus visus est assumi Helias, secundum scripturam dicé- *Psal. 36.* tem: Et ecce currus igneus & equi ignis. Quoniam autem *Esa.5.* animatæ & rationabiles nubes erunt, quæ erunt vehiculum filij dei, proferimus exépli causa quod dicitur: Et veritas tua vsque ad nubes. Et iterum: Mandabo nubibus ne pluant su- *Matt.. 17.* per illam pluuiam. Maxime autem ex eo quod dicitur: Et ecce nubes lucida adumbrauit eos, & ecce vox de nube dicens: Non quia nubes filij erat pater, sed (vt ita dicam) verbum dei *Esa.1.* factum est ad eam, sicut factum est ad prophetas. Et sicut qui audit Esaiam dicentem: Filios genui & exaltaui, ipsi auté me spreuerunt: non Esaiam, sed deum patrem audit in Esaia: sic qui audiebant de nube vocem dicentem: Hic est filius meus dilectus: non nubem, sed patrem in ea testificantem gloriæ filij audiebát. Si ergo ante passionis dispensationem talis fuit nubes prophetans, quid debemus dicere de nubibus cœli, super quibus venientem filium hominis videbunt cum virtute & gloria multa qui viderint eum tunc? Et si quidé vt ne terram calcaret filius dei in Hierosolymis, diligentes eum strauerunt vestimenta sua in via, neque asellum qui portabat eú volentes terram calcare: quid mirum si pater & deus omniú, D nubes sternat cœlestes sub corpore filij descendentis ad opus consummationis? Et primum quidem venit Iesus cum virtute & gloria qua glorificauerat eum pater, ex qua virtute faciebat signa & prodigia in populo, & omnem infirmitatem & languorem sanabat: propter quam & dicebat: Tetigit me aliquis, ego enim scio virtutem de me exisse. Omnis autem *Matt.9.* illa virtus comparatione virtutis illius multæ cum qua in fine venturus est, modica erat. Virtus enim erat exinanientis seipsum. Virtus autem illa multa de qua scribitur: Videbút filium hominis venientem super nubibus cum virtute & gloria multa, erit dei verbi, qui restiturus est in statum quem habuit à principio apud deum prius quàm exinaniret seipsum. Sic & multam gloriá eius intellige, incipiens à gloria vultus Moysi, & transiens ad Heliam, qui visi sunt in gloria quando facta est species vultus filij dei altera, & mutatum est vestiméntum. Intelligens autem etiam quod dicitur: Si enim quod euacua- *2.Cor.3.* tur per gloriam, multo magis quod manet in gloria: videbis multam illam gloriam filij, de qua scriptum est: Cum virtute & gloria multa. Adhuc autem magis intelliges, de qua loqui- *Act.1.* tur textus, accipiens de Actuum volumine quod taliter habet: Et cum hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Et cum intenderent in cœlum euntem illo, ecce duo viri steterunt in veste alba qui & dixerút, Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodú vi- E distis eum euntem in cœlum. Si enim credimus istis quibus nubes dicitur eum suscepisse, & sustulisse in cœlum, quomodo non secundum textum veniet de cœlo, sicut viderút eum euntem in cœlum discipuli eius? Et in reuelatione Ioánes si- *Apoc.1.* militer dicit: Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Intelligat autem qui potest, verum id ipsum est super nubes cœli venire eum, & cum nubibus eum venire, aut aliæ quidem sunt nubes super quas veniet, aliæ autem cum quibus veniet? Considera autem in visione Ægyptia Esaiá dicéntem: Ecce dominus sedet super nu- *Esa.19.* bé leuem, & veniet in Ægyptum: vtrum Ægyptum dicit hác quę communiter intelligitur, an totum mundum. Secundum enim ipsum Ioannem, locus in quo dominus eorum est crucifixus, vocatur spiritaliter Sodoma & Ægyptus, siue totus *Apo.13.* mundus, siue Iudęa Sodoma & Ægyptus appellatur. Qui autem super nubem leuem venit in Ægyptum, primum ascensionem faciet in Iudæam. Rationis est enim venientem eum iterum illic primum fieri. Sodoma autem vbi dominus eorú crucifixus est appellatur: sicut & aliquádo dictum est ad po- *Esa.1.* pulum illum & principes eius, Audite verbum domini prin- *1.Thess. 4.* cipes Sodomorum, attendite legem dei plebs Gomorræ. In his traditionibus vtitur etiam illud quod dicitur: Rapiemur *Exod. 14.* in nubibus obuiam domino in aërem, & sic semper cum do- F mino erimus. Et dicet: Si beati homines in nubibus rapientur in aeré, quid mirum est in nubibus filium dei venire cum virtute & gloria multa? Item nubes obumbrabat populú ve- *Liber Apocryphus.* nientem ex Ægypto. Si ista creduntur quomodo non consequens est, domino populi in vehiculum fieri nubes cœlestes vt sedeat super eas? Si autem recipitur liber qui dicit, quoniá sapientia est quæ facta est populo túc columna nubis in die, & flamma ignis in nocte: dicet aliquis quoniam nubes super quibus videbunt filium hominis venientem, virtus altissimi est & spiritus sanctus, quæ fient ei in nubibus cœli, vt veniat illis inuectus. Cum sit ergo fortior & non contemptibilis ratio hæc, qui vult quidem secundum vtrumque modum suscipere quæ dicuntur, non reprobabit: & si dixerit quis intelligibiles nubes in quibus veniet filius hominis, siue sanctas & diuinas virtutes, siue beatissimos prophetas. Et dicet quis secundum & gloriosum verbi aduentum futurum hominibus in consummationem seculi moraliter confiteri, sicut supra diximus traditum, sed non destruet etiam textum. Qui autem dispiciés gloriosum & admirabilem textum loci, & sicut dei amicus in solo spiritali putat consistere verum, ignoscendum *Verbi dei aduentus.* esse dicet quasi pueris & paruulis in Christo eis qui corporaliter suscipiunt ista. Cum multa autem virtute venit quotidie ad animam omnis credentis secundus verbi aduentus in nubibus propheticis, id est in scripturis prophetarum, & apo-

G stolorum, quę manifestant cum, & in omnibus verbis suis veritatis lumen ostendunt, & exorientem eum diuinis & super humanam naturam intellectibus suis declarant. Sic autem eis qui intelligunt manifestatorem dogmatum in prophetis atque apostolis dicimus apparere etiam gloriam multam, quæ in secundo verbi aduentu videtur. Et mittet angelos suos cum tuba magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum vsque ad terminos eorum. Similiter apud Marcum hoc dicit modo. Et tunc mittet angelos suus: & cógregabunt electos à quatuor veotis, à summo terræ vsque ad summum cœli. Quod dicit saluatorem mittere angelos suos cum tuba magna, quæcunque est illa, ad cógregandos electos eius, consequenter dicitur eis, quæ in parabola alia referuntur de seminibus & zizaniis: & interpretans parabolam sic dicit: quoniam messis consummatio est. Messores angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni cremátur, sic erit io coosummatione seculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittét eos in caminum ignis: illic erit fletus, & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Tale & aliquid dicit in parabola sagenæ missæ in mare. Ergo messores angeli mittuntur à Saluatore colligentes vniuersa zizania, vt post hæc sancti fulgeant sicut sol in regno patris sui, vt postea coogregentur electi à quatuor ventis, à summis cœlorum vsque ad terminos eorú.

Angeli cógregabunt electos.

Matt. 13.

Ibid.

H Considera vtrum sicut opinantur simpliciores, eos tantum qui tunc inuenti fuerint in corpore congregaodos aut certe omnes qui io deo patre dilecti sunt, & Iesu Christo sunt conseruati: & vide nisi melius est dicere, congregádos esse ab angelis Christi omnes ab aduentu Christi vsque ad consummationem vocatos atq; electos. Quæres autem si etiam eos qui fuerunt à constitutione mundi vsque ad aduentum: si tamén electi Christi non solum sunt illi qui ex aduétu eius sunt sancti, sicut quidam magistri hæresum dicunt, sed omnes qui à constitutione mundi fueruot, qui viderunt sicut Abraham Christi diem, & diuina exultatione exultauerunt in eum. Si autem non tantum sicut simplices arbitrantur, eos qui inueniuntur in corpore cógregaturi sunt angeli, sed omnes Christi electos, considerare est dignum, quid interea facientes, aut in quo loco cómorantes congregabunt electos: Quoniam autem non tantum illos qui in corpore fuerint comprehési, dicit cógregandos Christi electos, sed etiam illos qui de corporibus sunt egressi, manifestat sermo dicens congregandos electos non solum à quatuor ventis, sed etiam à summis cœlorum vsque ad terminos eorum. Nemini autem super terram arbitror conuenire quod ait, vt congregentur à summis cœlorum: nisi forte eos qui inter homioes ioterim apud angelos docentes cœlestia commorantur, congregabunt angeli sancti, vt ante eruditos in summis cœli vsque ad terminos eorum

Ioan. 8.

Omnes omnium temporum electi in vnum congregandi.

I & iostructos tradant perfectos magno deo verbo filio dei ad congregandum ei, & ad susceptionem eorum quę tradiderit filius dei his qui doctrinam cœlestem ante susceperint. Quoniam autem vmbra est hæc vita nostra in terris, consequens est vt nunc lege & propheris erudiátur qui in illa plenitudine temporis reliqua sunt sciturі, & pleniora à filio dei sciturі secundum res ipsas cœlestes, vt qui sunt io summis cœlorum, quasi in qoibusdam eruditionibus sint, vt possint postmodum capere sapientiam dei, magis autem sapientiam ipsum filium dei, cum venerit quod vere perfectum est. Et quatuor ventos ex quibus electi Christi congregabuntur, intelligimus quærentes quorum booorum futurorum habuerunt vmbram quæ in numeris sunt conscripta de vnaquaque tribo filiorum Israel. Vnde primus fuit ordo castrorum Iuda cum virtute ipsorú, constitués ad Orientem, & cú his ex vtraq; parte Issachar, & Zabulon. Et ad Aphricú tribus Rubé, & ex vtraque parte Simeon, & Gad: & tribus Ephré secundú mare, & ex vtraque parte Beniamin & Manasse oouissima. Et tribus Dan ad Aquiloné, & ex vtraq; parte Aser, & Neptalim. Forsitan ergo ex tunc, tribus egressæ vmbræ eraot castrorum secundum mysteria veri Israel. Et sicut tunc ex quatuor ventis congregatæ sunt in Iudæam, & in hæreditatem per Iesum post Moysen pædagogum, & procuratorem institutæ, sic à quatuor ventis angeli congregabunt electos: à vétis autem non terrenis, à summis cœlorum vsque ad terminos eorum, vt ab Iesu nostro congregati percipiant diuinam & veram hæreditatem. K Apud Matthæum ergo qui congregantur Christi electi, ex quatuor ventis congregantur, à summis cœlorum vsque ad termioos eorum. Apud Marcum autem, à quatuor ventis, à summo terræ vsque ad summú cœli: postea autem à summis cœlorum vsque ad terminos eorum. Intelliges autem eos qui congregantur à summo terræ, considerans conuersationem eorú qui fuerunt in terris, & secundú quod possibile est perfectionem eorum qui sunt conuersati in terris. Omnes ergo qui super terram beoe vixeruot, non simpliciter congregátur à terra, sed à summo terræ, vtputa à summa conuersantium super terram. Si autem post summam cónersationis quæ fuit io terris, susceperit subsequens conuersatio eos qui conuersationem habuerunt in cœlis, nôn simpliciter à summo cœlo sicut à summo terræ, sed à summis cœlis, quoniam vnumquodq; cœlum suæ institutionis & initia habet & perfectiones, id est terminos. Vtputa post cóuersationé summam quæ fuit super terram, suscipit iterum hominé conuersatio vnius cœli, & perfectio quæ in ea est. Iterum suscepit eú secunda conuersatio secundi cœli, & perfectio quæ in ea est, Iterum suscepit eum tertia cóuersatio tertij cœli, & perfectio quæ in eo est. Et sic iotellige mihi multorú cœlorum multarú conuersationum initia esse & termioos, id est perfectiones, à quibus initiis & terminis diuersorum cœlorum congregat deus suos electos. Aut ita: A summis cœlorum vsq; ad terminos eorum.] L Cœli sunt vel scripturæ diuinæ, vel auctores earum, io quibus habitat deus. Summa autem scripturarú sunt initia earum, termini autem consummationes earum. Cógregantur ergo sancti à summis cœlorum, id est ab eis qui cœpto viuuot io initiis scripturarum, vsq; ad eos qui viuuot in consummationibus earum: ac vt plus dicam, à rudibus eorú vsq; ad perfectos eorum. Qui autem mittuntur angeli à saluatore ad coogregandum electos eius, congregabunt eos non cum voce qualicunq;, sed cum tuba quæ vocatur magna, non vocem dante incertam, sed certam & manifestam, vt qui audierint, & didicerint, parent se ad vitam perfectionis, quæ ducit ad filium dei. Quoniam autem volumus intelligere quid est tuba magna, debemus spiritalibus spiritalia comparare. Age nunc & de tubis inquantum capere possumus, breuiter exponamus: si tamen possumus ex congregatione, & admonitiooo istorum exemplorum intelligere & magnam angelorum tubam. Scriptum est enim in Numeris: Et locutus est dominus ad Moysen, diceos: Fac tibi duas tubas argenteas: ductiles facies eas, & erunt tibi ad congregandam Synagogam, & erunt tibi ad promouenda castra, & tubabis in eis, & congregabitur in te omnis Syoagoga ad ostium tabernaculi testimonij. Si autem in vna tuba venerint ad te omoes principes milium Israel, tubabis significationé primam, & promouebunt castra qui coosistunt ad Orientem: Et tubabis significationem secúdam, & promouebunt castra qui consistunt ad austrú. M Et tubabis significationé tertiam & promouebunt castra qui consistunt secundum mare. Et tubabis significationem quartam, & tollent castra qui consistunt ad aquilonem. Ergo tubabút tuba io promotiooe eorum. Et quando congregatis congregationem, tubate & non significatiooe. Et filij Aaron sacerdotes tubabunt tubis, & erit vobis legitimum sempiternú in generationibus vestris. Si auté exieritis ad bellum in terra vestra cótra aduersarios, tubabitis tubis, & rememorabimini in conspectu dei vestri, & saluabimini ex inimicis vestris: & in diebus lætitiæ vestræ, & in festiuitatibus, & Neomeniis vestris, tubabitis tubis, & in holocaustis vestris, & in sacrificiis salutarium vestrorum, & erit memoria vestri in conspectu dei vestri. Ego dominus deus vester. Vide etiam in istis, quoniam in prima significatione tubę promouent castra qui sunt secundum Orientem. in secunda autem promouent castra qui sunt secundum austrum, & vt breuiter dicam, ex quatuor ventis congregant sacerdotes tubátes, eos qui sunt ex castris Israel: & secundum cóparationem sacerdorú tubantium, angeli Christi cum tuba magna congregabunt electos eius, à quatuor ventis. Sed in Numeris quidem hæc facta scribuntur in terris, in Euangeliis autem à summo terræ vsq; ad summum cœli. Post hæc autem à summis cœlorum vsq; ad summa

1. Cor. 13.

Marc. 13.

Cóuersatio in cœlis.

Tuba magna.

Num. 10.

Heb. 10.

ma

A ma eorum. Et forsitan lex vmbram haber futurorum bonorũ: & in Numeris quoq; quod positũ est de turbis, & ordinibus Israël, vmbra est futurorũ. Ne forte ergo argenteæ tubæ, quoniam argentũ in multis locis pro verbo suscipitur, magna vox verbi intelligitur tuba argẽtea cõgregans vnũquemque in ordine. *2. Cor. 14.* Secundũ vmbrã quidẽ sicut Moyses nominauit, secundum mysteriũ autẽ, secundũ quod dicit Paulus in epistola ad Corinthios secunda. Primũ autem cum tubis rationabilibus promouent castra. Ita legislatio fit de his rebus quæ ad bellũ pertinent Israël memorantis per illam significationem tubarũ bellicas res: quæ tubę ferunt eos qui commemorantur per eas significationes tubarũ, ad saluandũ eos ab inimicis eorũ. Voces autem argentearũ & productiliũ tubarũ in diebus lætitiæ Israël, quæ assumuntur in neomenijs ipsorum, erãt, vmbræ futurarũ neomeniarũ, de quibus dicit Apostolus: *Coloss. 2.* Nemo vos iudicet in esca, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum. Assumũtur autem & in holocaustis, & in sacrificijs salutariũ Israël. Quas significationes tubarũ exemplo, & vmbra cœlestis cul- B turæ, quasi alicuius cœlestis & conuersationem habentis in cœlo, exponere cõuenit. Hæc autẽ exempla accepimus, vt vel ex parte intelligere valeamus quod scriptũ est. Mittet angelos suos cum tuba magna, & congregabũt electos eius. Euangelicas autem tubas ostendit & in prima ad Thessalonicenses *1 Thes. 4.* Apostolus dicens: Hoc autẽ vobis dicimus in verbo domini, quoniam nos qui viuimus, qui remanebimus in aduentu domini non præueniemus eos qui dormierunt, quoniã ipse dominus in iussu, & in voce archangeli, & in tuba Dei descẽdet de cœlo. *1. Cor. 15.* Item ad Corinthios prima: Omnes quidẽ dormiemus, non autẽ omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Tubabit enim, & mortui resurgẽt incorrupti, & nos immutabimur. Est autẽ & aliqua secundũ legem & tubarum festiuitas, neomenia septimi mensis, forsitan mysterium alicuius veræ festiuitatis, & tubæ alicuius spiritalis & magniloquij. A ficu autẽ discite parabolã. Quãdo enim iam ramus eius factus fuerit tener, & folia producit, scitote quia prope est æstas. Sic & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in limine. Amen dico vobis quoniam nõ præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea nõ transient.] Quomodo de ficu similitudo eorũ quæ dicta sunt intelligi possit, secũdum quod possumus exponemus, ne forte totus hic mũdus & cõsummatio eius ficui assimiletur: vnusquisque proficiscentium ad vitam beatam, vt videat Christi verbi gloriosum in se & perfectũ aduentum, ficui similis habeatur. Sicut enim ficus in tempore quidẽ hyemis vitalem quidem virtutem habet in se, absconditam autem habet eam, & non satis manifestam: postmodũ autem cum virtus ipsa vitalis prodire cœperit ad manifestationẽ prætereunte hyeme, ex ipsa valetudine eius ramus efficitur tener, producit & folia: & sicut arbor in virtute C ipsa folia habet & fructus, & primum quidem est gemma, deinde paulatim proficiscitur, nouissime autem est in ipso effectu: sic & mundus, & vnusquisque eorum qui saluantur, in fine ante Christi aduẽtum quasi in hyeme, in se absconsam habet vitalem virtutem: Christo autem inspirante qui sunt teneri & non duricordij rami, & quæ abscondita erant in eis progrediuntur in folia, æstate instante, & manifestos fructus ostendunt, quos qui aspicit in Christo iam videt. Sic & in aliqua parabola refertur Pastoris, si cui placeat etiam illum legere librum, *Liber Hermę qui pastor inscribitur.* quoniam seculum præsens hyems est iustis, qui apparẽt similes proximis suis natura, & arboribus videlicet cæteris siccis, tẽpore autem opportuno in fructibus suis apparent. *Psal. 1.* Si autẽ & in primo psalmo tale aliquid fit quod de beato dicitur illo, quod erit tanquã lignum quod plantatum est, secus decursus aquarũ, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet prosperabuntur: & in considera quod est scriptum: Hyems *Cant. 2.* transiit, abiit sibi, flores apparuerũt in terra, sicut scriptum est in Cantico canticorum: ex quo Christus aduenit qui tẽperiem introduxit, & hyemales spiritus fecit cessare, & ficus (id est mũdus) tenerũ ramum (id est ecclesiam) fecit nunc quidem folia proferentem, donec est in proximo æstas, nondum tamen aduenit: facta autẽ æstate plenius perfectos & maturos Christo ficus præstabit, quando secundum Hieremiam ficus D bonæ, bonę sunt valde, congregatæ in cophinis bonorum ficorum, ex quibus Christus accipere vult, & quasi edere dulcedinem eorum. Absit autem à nobis vt Iesu veniẽte ad nos, & volente mãducare de ficu, vt non inueniatur fructus in ea. Si enim non fuerit inuentus fructus in ea, dicet ad eam in suo aduentu, quæ non ostenderit fructus: Nunquam ex te quisquam fructum manducet. *Populus circumcisionis.* Potest autem ficus illa intelligi populus circumcisionis, ad quos esuriens dominus venit, & cum non inuenisset fructum in ea, sed solam speciem vitalem, dixit. Nunquam ex te quisquam fructũ mãducet. Propter quod in aduentu eius continuo arefacta est illa ficus, id est populus *Luc. 13.* ille: illa autẽ altera ficus quæ quantũ ad priora tempora sterilis erat, quæ fuerat iam excidenda propterea quod nullã habuerat adhibitã sibi diligentiã à suo fossore, cũ stercus illi cœperit circummitti propter fructus: quæ aliquando euacuauerat terram, nunc autem largiores fructus producit etiam pro tempore transacto in quo sterilis fuit. Et vnusquisque nostrũ post hyemes tentationũ, & post tristitiã periculorũ trãsactorum ad æstatẽ festinet proferens tenerum ramum, non illum durũ, sed molle cor ad credẽdũ Deo: & profectus nostri proferãt folia interim & flores operũ, vt postmodũ etiã perfectis- E simos fructus cum venerit quod perfectũ est in Christum exhibeamus. Adhuc & ipsi qui saluantur habent in se verã vitẽ, eum qui dixit: Ego sum vitis vera: & secundum existimatio- *Ioan. 15.* nem viris, & ficũ veram offerentem salutares fructus, vbi requiescit vnusquisq; secundũ spiritalẽ promissionẽ Dei sub vite sua, & sub ficu sua. Et vitis quidem illa in his qui proficiunt floret, & dat suũ odorẽ: Ficus autẽ & ipsa profert fruct⁹ suos, vt post dignum profectum, digni efficiãtur cœlestibus torcularibus fructus eorũ, & cophinis ficorũ valde bonorum eius ficus, quæ teneros fructus & bonos protulit ante æstũ. *Esa. 38.* Cuius fructũ enim languẽtes, non autẽ pigritantes orare medicãtur, sicut scriptũ est de Ezechia rege in Esaia, qui saluatus est per ficus, vt ne moreretur: sed & sol super eũ in gradibus demonstrauit maiorẽ & clariorem ei diẽ effectã. Multa est ergo spes in ficu quę ex Dei verbis primum quidẽ fecit tenerũ ramum suum, postea autẽ nascentia folia. Talibus prope est æstas, & prope est in limine gloriosus, & in nubibus Christi aduentus, & aduẽtus gloriæ verbi Dei, & prope est huiusmodi hominibus regnũ Dei. Amen dico vobis, quoniam non trãsibit generatio hęc, donec omnia hæc fiant. Cœlũ & terra trãsibũt, verba autẽ mea nõ trãsibunt.] Videamus quę sit generatio hæc de qua loquitur Christus. Et simplices quidẽ ad destructionem Hierusalẽ referũt verba, & de illa generatione existimant dictum quę fuit tẽpore Christi, & passionẽ eius aspexit, nõ transiturã priusquã fieret destructio ciuitatis illius. Nescio autẽ si verbũ ad verbũ exponere possunt quod ait: Nõ videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidẽ qui F nõ destruatur: vsq, ad illud quod ait: Prope est in limine. Forsitan enim in quibusdã poterunt, in alijs autẽ omnino non poterunt. Et satis coangustati, nescio si aliquid dicere potuerint. *Duplex generatio: vna Iudæorum altera gentium.* Nos autem in locis multis obseruantes, nomen generationis dupliciter accipimus. Arbitramur enim duas esse generationes. Vnam quidem Iudæorum, alteram autem gẽtium. Sic intelligimus & Ecclesiasten dicentẽ: Generatio vadit, & generatio venit, & terra in æternum stat. De populo enim Iudæorum prophetans, qui fuerat trãsiturus, ait, Generatio vadit. *Eccl. 1.* De populo autẽ gentiũ credituro dixit: Generatio venit. Tale aliquid puto & in psalmo octogesimonono dici à Muyse in oratione ipsius: Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem. Duarum enim generationum refugium est Deus: quia vnus est Deus qui iustificat circuncisionẽ ex fide, & præputium per fidem. *Rom. 3.* Et quoniam non tantum Iudęorum, sed etiam gentium est Deus, ergo non præteribit generatio noui testamenti quę est in facie Saluatoris, *Rom. 1.* neque abibit ad illas beatas promissiones illius seculi, donec omnia fiant quæ locutus est Christus. Vnicuique enim nostrum oportet omnia fieri quæ prædicta sunt, sicut per singulas expositiones tradidimus. Vna ergo generatio est ecclesiæ quæ cœpit ex doctrina Domini Saluatoris vsque ad consummationem: & hęc ipsa generatio transiuit quidem aliquando totũ seculũ hoc, & pertransibit ipsum vt hæreditet illud futurũ: tamen

G donec fiant hęc omnia, non transibit. Quando autem in his omnibus sufficiens fuerit & impassibilis, permanserit vsque ad gloriosum Christi aduentum, tunc pertrãsibit. Tamen donec fiant hæc omnia, non quædam eorum quæ dicta sunt, quædam autem non sunt futura, tamen transibit generatio hæc, cùm omnia hæc fuerint facta, cùm transierit non solum terra, sed etiam cœlum: id est, non solum ij homines, quorum vita terrena est, & propterea terra dicuntur: sed etiam illi quorum conuersatio est in cœlis, & ideo cœlum vocantur. Transibunt autem ad futura, & omnis status eorum, vt vertatur ad eminẽtiora & meliora. Quorum reuelationem cum sint filij Dei, expectatio creaturę expectat, & omnis creatura *Rom. 8.* congemiscit eis & dolet, donec à timore Domini in vtero accipientes pepererint spiritum salutis facientes suas fœturas, & tunc transibit generatio de qua loquitur Christus, & cœlum secundum quod exposuimus, & terra secũdum quod tradidimus. Verba autem quæ à Saluatore sunt dicta, non transibunt, quoniam quę sua propria sunt operantur & nunc, & semper operabuntur. Perfecti autem & qui non recipiũt, vt iam meliores efficiantur, transeuntes quod sunt, perue- H niunt ad illud quod non sunt. In eo autem quod dixit: Verba autem mea non præteribunt, & hoc existimo quęrendum: ne forte Moysi quidem verba & Prophetarum transierunt, verba autem Iesu Christi non transierunt: quoniam quæ prophetabantur, quidem ab illis impleta sunt, verba autem Christi semper sunt plena: & in actu impletionis sunt semper, & quotidie implentur, & nunquam perimplentur. Ipsa enim sunt quæ in sanctis & impleta sunt & implentur, & adhuc sunt implenda. Aut forte neque Moysi verba vel Prophetarum dicere debemus impleta omnino: proprie enim & illa verba filij Dei sunt & semper implentur. Ergo bonum est altitudines verborum diuinorum, verbis simplicibus explicare: tamen propter paucos discutiamus, hæc tãtum intelligentes, quoniam verbum quod in verbo Dei humanum est à creatione mundi vsque ad consummationem non transiit. Instat enim & operatur, quia neque principium operandi ante tẽpora dierum accepit, sed cum creatura cœpit, & cum creatura transibit. Verbum autem quod fuit ante creaturam, non transibit cum creatura. De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, neque filius nisi Pater solus] Videntur hæc arguere eos qui promittũt de cõsummatione, & corruptione mundi se cõprehendere, & pronũciant quasi instet *2. Thess. 2.* dies Domini, quales dicuntur fuisse quidam Thessalonicẽses in tẽpore Apostoli, de quibus scribit: Rogamus autẽ vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostrã congregationem in ipso, vt non cito moueamini à sensu vestro, I neque conturbemini, neque per spiritũ, neq; per verbũ, neq; per epistolam quasi per nos missam, quasi instet dies domini. Forte quoniã apud Iudæos erant quidam siue per scripturas profitentes de tẽporibus consummationis se scire, siue de secretis: ideo hæc scribit docens discipulos suos, vt nemini credant talia profitenti. Et seipsum saluator secundum hunc locum coniungit ignorãtibus diem illũ, & horã. Et rationabiliter est quęrendũ quomodo qui cõfidit se cognoscere patrẽ, dicẽs: Nemo nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare, patrem quidẽ nouit, diem autẽ & horam consummationis nõ nouit? & quomodo hoc abscõdit pater à filio? Omnino enim ratio esse debet, quod à saluatore tempus cõsummationis absconditũ sit, & ignoret de eo. Audebit autem aliquis dicere quoniam homo qui secundũ saluatorem intelligitur proficiens sapientia, & ætate & gratia coram Deo & hominibus, qui proficiens proficiebat quidem super omnes scientia & sapiẽtia, non tamen vt veniret iam quod erat perfectum priusquam propriã dispensationẽ impleret: Nihil ergo mirum est, si hoc solum nesciuit ex omnibus, id est diem cõsummationis, & horã. Forsitan autẽ & quod ait nescire se diem consummationis & horam, ante dispensationem suam dixit, quia nemo scit, neque angeli, neque filius, nisi solus pater. Post dispensationẽ autẽ impletã nequaquã hoc dixit, postquam Deus illũ superexaltauit, & donauit ei nomen quod est super omne nomen. Nam postea & filius cognouit scientiã à patre suscipiẽs, etiã de die consummationis & hora, vt iam non solum pater sciret de ea, sed etiam filius. Et in

Verba Moysi & prophetarum transierũt.

Secreta Hebræorũ scriptura.

Matt. 11.

Luc. 2.

Quomodo filius nescit diẽ iudicij.

Actibus quidem Apostolorum cõuenientes Apostoli interrogauerunt eum dicentes: Domine si in hoc tempore restitues regnum Israel? Ille autẽ dixit ad eos. Non est vestrũ nosse tẽpora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate. Et quoniã in sua potestate tẽpora & momenta cõsummationis mundi, & restitutionis regni Israel posuit, ideo quod nondũ fuerat prędefinitum à Deo, nemo poterat scire. Vnumquodque autẽ eorũ quæ præfinit non ab inexperibili præfinit, non possibile est enim hoc. Quod autem pręfinit principium prędefiniendi faciens. Si autem ita est, pręfiniuit quidem consummationem facere mundi, non autem & tempora & momẽta præfiniuit quæ posuit in sua potestate, vt si voluerit ea augere sic iudicans augeat ea: si autem abbreuiare, abbreuiet, nemine cognoscente. Et ideo de temporibus & momentis consummationis mundi, in sua posuit potestate, vt consequenter humano generi in suo arbitrio constituto talia vel talia agenti definiat iudicium debitum. Multa & in prophetis est inuenire ad vtilitatem audientium scripta præceptis & denunciationibus quasi non præuenientè quicquam de eis, sed puniẽte quidem si peccauerint, saluante autem si præcepta seruauerint. Et sicut in illis non introduxit scriptura Deum præfiniẽtem, sed secundum vtilitatem audientium proloquentem: sic intelligendum est & de die consummationis & hora. Alia expositio quæ famosior est eis quæ iam tradita sunt, aliud dicit de eo quod scriptum est: Neque filius, nisi solus pater. Dicit, inquit, alicubi de Saluatore apostolus, & de rebus in fine seculi ordinandis, hoc modo. Cum autem subiecta illi fuerint omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei qui sibi subdidit omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. His verbis videtur ostẽdere quoniam priusquã subiiceret ei omnia, non erat subiectus ei qui sibi subdidit omnia. Quod ex hoc demonstratur, quoniam nisi subiectus fuisset filius patri qui subdidit omnia, nunquam ei pater omnia subiecisset. Et videtur per hæc dicere subiectionem omnium qui et erant subiiciendi, & aduentum eorum per filium ad Deum & perfectionem. Si ergo bene dicitur hoc de filij subiectione ad patrem futura, vt tunc hi qui futuri sunt Christi, & adhæserunt ei, cum ipso Christo patri subiiciantur: quare non & de die illa & hora neminem scire neque filium similiter exponemus? Donec enim ecclesia quæ est corpus, nescit diem illum & horam, tamdiu nec ipse filius dicitur scire diem illam & horam, vt tunc intelligatur scire quando scierint & omnia membra eius. Bene autem dicitur scire secondum propriam significationem, sicut est in cõsuetudine scripturarum. Quid est scire, quoniam cognoscet diem illum & horam qui occurrerit ad finem, & abbreuiationem diei illius & horę. Quoniam autem talis aliqua significatio est scire & cognoscere in scripturis, manifestũ est ex eo quod dicitur in Ecclesiaste hoc modo. Qui custodit mandatum, non sciet verbum malum, id est non experietur verbum malum. Et in apostolo de ipso Saluatore est dictum. Eum qui nesciuit peccatum, pro nobis peccatum fecit. Et nescientem peccatum saluatorem dicit, tanquam si diceret eum qui non peccauit, nec in natura fuit peccati. Tale aliquid significat & quod dicit, cognouit Adam Euam vxorem suam. Quamdiu enim illa nõ fuit ei admixta, non cognoscebat eam. Et diem ergo consummationis huiusmodi & corruptionis seculi nemo scit, neque angeli cœlorum, neq; filius Dei, de sanctis Deo melius prouidente, vt simul fiant in beatitudine quæ futura est post diem & horam consummationis illius. Et sicut apud Hebræos scriptum est de eis qui testimonium habent in fide, quoniam hi omnes testificati per fidem non receperunt promissionem Dei, Deo de nobis melius aliquid prouidente, vt nec sine nobis consummarentur: sic sciendum est & in hoc, quia Deo melius aliquid prospiciẽte de his qui erant saluandi, nondum enim receperunt promissionem, qui non cognouerũt de die illa & hora, neq; angeli cœlorum, neque filius. Pręparat enim filios scientiam diei illius & horæ cohęredibus promissionis illius, ex quo seipsum exinaniuit formam serui accipiens, operans viam quæ ducit ad restitutionem omnium propter quos formam serui accepit: vt omnes simul sciant, id est re ipsa experiãtur horam illam & diem, quia quod oculus non vidit, nec auris audiuit, & super cor hominis nõ ascẽdit, pręparauit

K — *Act. 1.* — L — *1 Cor. 15.* — *Scire pro experiri.* — *2 Cor. 5.* — M — *Gen. 4.* — *Heb. 11.*

A ranit Deus diligentibus se, in scientia priorū exercens, & præparans omnem quem vult scire diem illam & horā cum sanctis angelis, & cum ipso Domino nostro Iesu Christo. Et vniuscuiusque autem consummationem in his quibusdam futuram supradictis, & de singulis solus scit Pater: quoniam filius comitans, & præcedens ante sequentes, & volens (vt ita dicam) venturus est, & tardat vt possint eum sequi qui certāt sequi eum, & sequentes eum inueniātur cum eo in die illa & hora. Sicut enim fuit in diebus Noe, sic erit & aduentus filij hominis. Sicut enim fuerunt in diebus ante diluuium manducantes & bibentes, nubentes & nuptum tradentes, quousque intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: sic erit & aduentus filij hominis.] Eis qui cognoscunt verborum præsentium textum, siue spiritaliter ea volentibus intelligere, siue simpliciter: consequens est de consummatione dicere mundi istius, quoniam subito erit, quasi qui iam ægrotauerit prius ægrotatione idonea & manifestante corruptionem suam futuram. Hoc enim ex eo præcipue demonstratur, quod dicit, quoniam similis erit diebus Noe aduentus filij hominis: subito enim tunc perierunt omnia quæ fuerant super terram. Qui autem vult dicere quoniā

B paulatim erit consummatio mundi, dicet similiter factum & in diebus Noe. Quadraginta enim diebus, & quadraginta noctibus pluuia descendente: consequens fuit primos perisse, qui in depressioribus terræ partibus habitabant, post eos autem qui modice in altioribus, & sic nouissimos qui in altissimis montibus morabantur. Sic, inquit, in consummatione mundi cùm descenderit ignis, incipiet quidem de sublimioribus locis, & paulatim ad inferiora descendet. Lucas autem subiungens etiam similitudinem ignis Sodomorum, dat nobis occasionem intelligendi, quoniam subito consummatio est futura. Dicet autem aliquis quoniam per hoc declaratur, quoniam non moraliter pluuia illa fuit aut ignis, sed propter peccata hominum abundantia. Duobus ergo modis mundi corruptio existimatur futura. Vno quidem secundum moralem ignis detentionem: altero autem secundum iudicium Dei. Gentiles autem inflāmationem illam, vel causam inflammationis illius non dicunt fuisse peccata, sed ignis fuisse virtutem. Diuini autē sermones, omnia teneri & gubernari docent à Deo, & non culpant ignis violētiam, sed Dei pronunciant voluntatem, saluantis quidem super terram, qui salute sunt digni in ea: perdentis autem eos, in quibus propter abundātiam iniquitatis charitas refrigescit. Comparatio enim Sodomitici ignis manifestissime docet subitaneam fore mundi corruptionem, ex eo quod angelus dixit ad Loth: Ecce admiratus sum faciem tuam in verbo hoc, vt non destruam ciuitatem de qua dixisti. Festina ergo saluari illic, nec enim potero facere quicquam, donec tu eas illuc. Vide quoniam ignis ille qui super Sodomam mittebatur, voluntate continebatur diuina, donec Loth intraret in Segor. Sic puto & in consummatione futurum, secundum quod saluatus est & Loth: vt tunc ignis ille consummationis obtineat mundum secūdum iudicium Dei, cùm saluati iusti fulserint sicut sol in regno Pa-

C tris sui: tunc iniquos colligent de regno Christi, & mittent eos in caminum ignis. Quomodo enim non est manifestum, quia subito erit corruptio mundi, ex eo quod dicit: Erunt manducantes & bibentes, nubentes & nuptum tradentes, quæ pacis & securitatis sunt signa? Fames enim & pestilentiæ forsitan ante aliquod tempus consummationis erunt: circa ipsam autem consummationem, neque fames, neque bellum erit. Quomodo autem manducantes & bibentes, nubentes & nuptum tradentes, plantantes & ædificātes, ementes & vendentes sunt comprehēdendi, nisi ita sit ordinatum? Sed & illud hoc manifestat quod ait Apostolus: Quoniam dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet, cùm dixerint pax & securitas, tunc repentinus illis superueniet interitus, sicut dolorem partus in vtero habēti, & non effugient. Docet nos quoniam subito & insperato eueniet dies cōsummationis hominibus, cùm rerum status quasi ad melius visus fuerit esse conuersus, de fame priore ad vbertatē, de pestilentia & prælijs ad pacem atque securitatem. Qui autem altius Euāgelium audiunt, & omnia agunt, vt omnino in nulla parte Euangelij sit eis velatum, non multum curant de consummatione se-

Luc. 17.

Duobus modis mūdi corruptio futura.

Subitanea mundi corruptio.

Gen. 19.

1. Thess. 4.

culi generali, vtrum subito, & generalis sit futura, an per partes: sed hoc tantum considerant, quoniam vniuscuiusque consummatio fit ipso non cognoscente, neque diem, neque horam exitus sui: & quia super vnumquemque nostrum dies Domini ita veniet sicut fur. Propter quod opus est vigilare, siue vespere, id est in iuuentute, siue media nocte, id est in medio vitæ humanæ tenebrosæ, siue gallicantu, quando iam senior est, siue mane, quando iam senectute prouecta est: vt cùm venerit Deus verbum afferens consummationem profectionis vitæ istius, comprehendatur qui non dedit somnum oculis suis, neque dormitationem palpebris suis, & custodiuit mandatum dicentis: Vigilate in omni tempore. Tamen vani sunt omnes, siue qui consummationem mundi scire se profitentur quando erit, siue qui vitæ propriæ finem scire se gloriantur, aut per signa auium, aut per ventriloquos, aut per magos seducti, & putantes cognoscere diem & horam exitus sui. Sicut enim est, nemo cognoscere potest, nisi forte Propheta aliquis fuerit sancto spiritu illuminatus, sicut ille qui vxori regis prophetauit, volenti cognoscere si surgeret ex infirmitate filius eius: & sicut Helias prophetauit Ochoziæ dicens quæ à Domino fuerant constituta: hæc dicit Dominus, propterea quod non erat Deus in Israel, tu vadis quærere ad Baal aut Beelzebub virum muscarum, Deum Accaron: ideo dicit Dominus, de lectulo super quem ascēdisti non de-

D

E scendes, quoniam morte morieris. Hæc etsi in excessu diximus, tamen quasi vtilia introduximus, quoniam & de cōsummatione vniuscuiusque, id est de die exitus sui nemo cognoscere potest, quamuis multi profiteantur talia scire, nisi forte qui audierint ex prophetis. Scio & aliam consummationem viri iusti, qui Apostolico profectu dicere potest: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Cui enim mundus est crucifixus, ei quodammodo consummatio iam facta est mundi, & qui mortuus est mundialibus rebus, cui transgresso dies non Domini venit Domini dies in qua fit aduentus filij hominis super animam eius, quia iam non viuit peccato & mundo.

Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur & alter relinquetur.] Sicut in eo quod dicit, Aut facite arborem malam, & fructus eius malos: aut arborem bonam, & fructum eius bonum. Duæ sunt arbores generales in cordibus hominum, aut bona virtutis, aut mala malitiæ. Sicut mundus est ager secundum parabolam quandam, duo generaliter sunt in eo, vnus quidem sicut Noe operarius terræ, alter autem sicut Cain operans terram. His talibus in agro huiusmodi constitutis vnus assumetur, id est qui similis est Noe operarius terræ: & alter relinquetur, qui sicut Cain terram operans est. Talis enim est omnis qui odit fratrem suum: & propter odium fratris, homicida à Ioanne appellatur Apostolo. Sic autem & de animabus molentibus in graui mola mundi vel corporis, bona quidem anima assumitur, mala autem relin-

F quitur, donec digna efficiatur assumi. Aut ita: Duo in agro, sensus hominis boni, & sensus hominis mali. Sensus bonus assumitur, malus relinquitur. Nec enim possumus dicere spiritum mali hominis non assumi: quia didici apud Ecclesiasten de omni spiritu, quoniam conuertitur ad Deum qui dedit eum: sicut & de omni carne, quoniam reuertitur ad terram vnde sumpta est: & sicut ipse Dominus docuit nos vt timeamus eum qui corpus & animam potest perdere in gehennam: & ex eo quòd nihil de spiritu dixit, euidenter ostendit, quoniam spiritus cum corpore vel anima peccatrice non simul punitur. Qui enim peccauit, diuiditur & pars quidem eius cum infidelibus ponitur: quod autem non eius, reuertitur ad Deum qui dedit eum. Duo in lecto vno, vnus assumetur, & alter relinquetur.] Extra eos qui sunt duo in agro, extra eas quæ sunt duæ ad molam, sunt duo corpora in vna materia, ex quibus corporibus vnum quidem corpus est iusti quod assumitur, alterum autem corpus eiusdem materiæ quod relinquitur. Et corpus quidem quasi infirmum in lecto est carnalium passionum quamuis assumatur: Anima autem propter multa quæ sustinet in hoc mundo, molit in mola mundi: sensus autem in agro secundum ea quæ diximus operatur quæ operatur.

Vani sunt, qui mundi & vitæ suæ finē se præscire somniant.

3. Reg. 14.

4. Reg. 1.

Gal. 6.

Matt. 12.

Genes. 4. & 9.

1. Ioan. 3.

Eccl. 12.

Matt. 10.

G

TRACTATVS XXXI.



IN illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis qua hora dominus vester veniet. Et reliqua.] Non dantes somnum oculis animæ nostræ, neque dormitationem palpebris, vt expectemus vel nostrum vel seculi finem, siue vt de hac vita egrediamur, siue vt nobis consummetur hic mundus. Quæret autem aliquis quomodo præsens iuxta discipulos dominus constitutus, ita loquitur quasi non præsens, sed venturus ad eos, dicés: Vigilate, quia nescitis qua hora dominus vester veniet. Et dicet quidem qui simplicior est, quoniam de secundo aduentu in quo venturus fuerat, hunc dicebat sermonem. Alius autem intelligibilem & futurum in sensum discipulorum verbi dicebat aduentũ: quia nondum erat in sensu eorum quemadmodum erat futurus: quoniam sicut per hunc locum demonstrat, in vigilantibus operatus diem aduentus sui in animam eorum qui illuminantur à lumine vero venientis ad animas ipsorum.

Intelligibilis aduẽtus.

Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamiliâs qua custodia fur venit, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.] Quomodo non sineret? Sine dubio per vigilantiam suam. Ideo & vos estote parati, quia qua custodia non speratis, filius hominis venturus est.] Sed Matthæus quidem indefinite: Marcus autem etiam tempora dici

H

tanquam furis venientis definit dicens: Vigilate ergo, quia nescitis quando dominus domus veniet, sero, an media nocte, an gallicantu, an mane. Paterfamiliâs autem domus est sensus hominis: Domus autem eius anima. Fur vero qui patrefamiliâs dormiente subito venit & perfodit domum, puto quod diabolus est, aut omnis sermo contrarius, secundum quod Euangelista Ioannes nos docet hoc modo dicens: Amen amen dico vobis, qui non intrat per ianuam in cohortem ouium, sed ascendit aliunde, ille est fur & latro.

Ioan. 10.

Sicut ergo qui per ianuam intrat in cohortem ouium pastor est ouium, cui ostiarius aperit: qui autem non intrat per ianuam, sed ascendit aliunde, fur est & latro: sic dominus domus fiducialiter per ianuam quando vult ingreditur in eam remuneratâs vigilantem. Fur autem quasi fur, non per naturalem introitum intrat in domum ad animã negligentis, sed quasi qui iam foderit eam, primum destruens quædam naturalia ædificia animæ eius & naturales intellectus in eo qui non vigilauit, quos ædificauerat Deus verbum. Et per ipsam diruptionem ingressus fur diripit eam exarmans sensum, quando & sepeliens non vigilantem patremfamiliâs spolia eius distribuet. Alioqui autem inuenit quis furem in ipsa perfossione, & comprehendens eum quasi arma sua habens percutit furem, & percussorem sermonem immutans eum, interficit eum, quando & interficiens homicida non existimatus, absq; omni dilatione interficiens eum.

I

Si autem non apud se, sed apud eum qui occulta omnia manifesta facit, comprehenderit quis eum qui furatus fuerat bona eius, & intellexerit eum, & redargueerit eum, id est interfecerit eum, nullam veniam habet mortuo atque manifestato furi: & ipse enim morietur. Et vide ne forte tale aliquid significet lex Moysi dicens: Si autem in ipsa perfossione inuentus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, non est ei homicidiũ. Quòd si ortus fuerit sol super eum, reus est: morietur pro eo.

Exod. 22.

Qui enim priusquam faciat malum cognoscit malum & confringit in seipso, ipse est qui comprehendit, & interficit in eo, dum perfoderetur ab eo. Qui autem postquam fecerit malũ, quamuis redargueerit eum extra se malum comprehendisse, & extra domum suam interfecisse videtur, nihil ei prodest, reus enim factus est mortis. Nam omnem hominem postquã peccauerit seuersum in se, sensus diuinus qui est in nobis illuminat quasi lux, vt intelligamus quod gessimus malum ad præiudicium nostrum, non ad salutê: tamen in textu hoc euãgelij in quo loquimur, non in die fur venit, quando illuminata est à sole iustitiæ anima hominis studiosi, sed in nocte, & in tẽpore adhuc malitiæ permanentis. In quacum fuerit aliquis, possibile est, etsi non habuerit virtutem solis, tamen vt illustretur ex aliquo splẽdore modico verbi quod est lucerna, adhuc quidem manens in malis, iam tamen habens propositum meliorum, & vigilantiã, vt ne perfodiatur propositum eius ad meliora respiciẽs. Nam sicut legimus apud Pastorem, vasa plena

Pastor Herma.

K

non cito quis gustat: nec enim mutantur facile: semiplena autem quia facile creduntur mutari, frequenter gustantur. Et vide si potes ad talem trahere intellectũ illud, quod alibi scribitur. Sint autem lumbi vestri succincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus expectantibus dominum suũ quando reuertatur.

Luc. 12.

Quoniam qui nondum est in lumine, & in die virtutum, præbet autem se iam doctrinæ illuminanti animam suam, secundum quod possibile est, in primis succincta est, & auertens seipsum ab effusione malitiæ vtitur nondum quidem quasi diei lumine claro virtutis, sed lucerna qua possibile est illuminari etiam qui in malitia est. Hic ergo cuius sic lucerna accensa est, expectans est dominum suum deũ verbum, vt reuertens veniat ad eum qui interim habuit in semetipso lucernam, & illuminauit totam mẽtem ipsius, videlicet quasi sol. Et vnusquisque secundum suum profectum incendit lucernam aut minus, aut amplius à lumine scientiæ, & oleũ per meditationem infundit, & in ipsa vigilans aduersus peccatricia opera, sperans per abstinentiam huiusmodi, & meditationem dominum suscipere in seipsum. Et tamen qui abundantiùs proficit, & posteriora quidem obliuiscitur, id est malitiã, modicum autem eius adhuc habet in se, iam ad virtutem propinquat, conuenienter dicitur: Nox processit, dies autem appropinquauit.

Rom. 13.

Signanter dictum est autem, quoniam dixit: Dies autem instat. Instat enim perfectis, & nullum habentibus in se vestigium noctis. appropinquat autem proficienti ad melius,

L

& quæ diei sunt meditanti, & sicut in die honestatem suscipienti: & prope est iam iste qui talis est, vt dicat: Non sumus noctis, neque tenebrarum.

1. Thess. 5.

Quoniam autem semel venimus in hunc locum, debemus & de custodiis diuersis reddere rationem.

Ratio diuersitatis custodiarum.

Alius quidem reprehenditur vigilans statim in vespere ipso, & continuat vigilias vsque ad mediam noctem, adhuc autem vsque ad gallicantum, & adhuc vsque ad mane. Qui enim mox vt cœperit malitiã, id est mox, vt cœperit infans plenum proferre sermonê, ex eo enim incipit esse malitia, quod est in nocte, si statim tradiderit se, vt fiat & auditor legis, & factor, si quidem permanserit vsque ad finem in ipso proposito, vigilauit à vespere, & côtinuauit vsq; ad mediam noctem, & non dedit somnum oculis suis, neq; vsque ad gallicantum, neque vsque ad mane, inter beatos seruos huiusmodi vir eorum putatur. Qui autem fuerit inuentus post tempus sermonis impleti partem aliquam noctis transigere in comessationibus & ebrietatibus & cubilibus, & impudicitiis, cœperit autem postea vigilare, & iste spem bonam habebit si permanserit vsq; ad mane, incipiens à media nocte vigilare, id est, à virilitate. Si autem perfectus in tempore ætatis corporis sui audiens diuinam doctrinam susceperit inde lucernam, quasi volens viuere secundum Dei præceptum, & iste habens lucernam à gallicantu, & vigilans, & permanens vsque ad mane, non perdit bonæ seruitutis mercedem in tempore modico. Si possibile

M

autem est & statim circa ipsam consummationem noctis (id est postquam pene totum tempus vitæ suæ consumpserit malitia) vt credens accendat sibi lucernam, & vigilet vel residuo tempore, & si venerit dominus domus cũ gratia sua, quibusdam quidem à vespere commorabitur vsq; ad mane, aliis autem à media nocte, illuminans eos in reliquum, aliis verò à gallicantu minus conuersans cum eis. Sed neque mane accendentes lucernam, & vigilantes propter expectationem domini derelinquet: sed etiam istos inueniens minime dormiẽtes, neque cubilibus & impudicitiis attendentes, honorabit eos honore quo dignos esse cognouerit. Et fur ergo custodia quadam, & hora noctis aduentat, & perfodit domum eius, quem non inuenerit vigilantem, neque habentem lucernam accensam. Et quibusdam quidem superuenit vespere, aliis autẽ media nocte, quibusdam autem & gallicantu: sunt autem & quibus mane. Et dominus custodia quadã & hora noctis venit, & fortsitan dominus illi venit, cui fur veniens nihil facere potuit, videlicet non permissus perfodere domum vigilantis, & lucernam accensam habentis. Ad eum autem qui domum habet perfossam, non venit dominus, maxime si didicerit aliquis, quod dictum est: Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, & contemnens ea quæ dicta sunt dederit somnum oculis suis & palpebris suis dormitationem. Ad manifestan-

Luc. 12.

Quo tẽpore diabolus

dum

A dum autem sensum loci istius qui nobis incurrit, tali viamur exemplo. In tempore tentationum, vel qualiumcunque calamitatum maxime fur solet venire, volens perfodere animæ domum: sed veniente fure, qui accidentia sustinet, & propter Dei dilectionem omnia suffert, nihil passus ab eo confestim ad se venientem videbit dominum. Qui autem à fure in tempore calamitatis suæ perfossus fuerit domum, quasi indignus aduentu ad se domini sui, non erit dignus aspicere eum. Quis enim fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus eius super domum suam, vt det cibos in tempore? Quod ad apostolos cæterósque episcopos & doctores parabola ista pertineat manifestum est: maxime ex eo quod apud Lucam Petrus interrogat dicens: Ad nos parabolam istam dicis, an ad omnes? Sed tamen cum sint multi dispensatores, difficile est inuenire & fidelem & prudentem. Propter quod ait apostolus. Ita nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Peccat autem in Deum quicunque episcopus, qui non quasi conseruis seruus ministrat, sed quasi dominus. Frequenter autem & quasi amarus dominus dominãs per vim, similis constitutus Ægyptiis qui affligebant vitam filiorum Israël cum vi. Ergo memores esse debent verborum Christi dicentis: Vos vocatis me magistrum & dominum, & bene dicitis. Sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, & vos debetis alterutrum lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt sicut ego feci, sic faciatis. Et illud. Principes gentium

maximus infestat. *Ibidem.* *De dispensatoribus verbi Dei.* *1.Cor.4.* *Episcoporũ ministerium.* *Ioan.13.* *Luc 22.*

B dominantur earum, & maiores eorum potestatem exercent in eis. Iotet vos autem non sic erit, sed qui vult inter vos esse primus, erit nouissimus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptioné pro multis. Audire autem oportet & Paulum dicẽtem. Cum possimus oneri esse vt Christi Apostoli, facti sumus paruuli in medio vestrum, quemadmodum si nutrix foueat natos suos, sic desiderantes cupimus participari vobiscum non solum Euangelium, sed etiam animas nostras. Et non oportet percutere conseruos, sed corripere inquietos, cõsolari pusillanimes, sustinere infirmos, & patientes esse ad omnes: quoniam seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, cum modestia docẽtem eos qui resistunt. Quasi recedens autem ipse à mala inductione conseruorum, Paulus culpat eos qui non erant tales, qui superbis quidem erant subiecti, contemnebant autem mansuetos, hoc modo dicens: Sustinetis si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit, quasi nos infirmi fuerimus. Considera autem in istis quomodo eos qui in seruitutem redigunt, & in faciem cædunt propter quod amarius principentur, reprehẽderit ipse dicens se abstinere ab eis: non

1.Thes.2. *2.Cor.11.*

C quia infirmus erat, quod minus faceret ea, sed vt faciat ipsa quæ docet. Docet autem cum modestia ducere eos qui resistunt. Propter quod & definiens quales debeant esse episcopi, sic dicit: Non litigiosi, non percussores, sed mansueti, ornati, & quęcunque inter fideles, & sapientes seruos inueniuntur, & dispensatores, quos constituit dominus super familiam suam, sicut dicit Lucas. Ex his autem cognoscere est, quoniam non solum qui fideles sont & sapientes, illos constituit dominus super domum suam, sed etiam malos seruos dicentes in cordibus suis, semper moram facit dominus meus venire: propterea percutiunt conseruos, manducant & bibunt cum ebriis, vel ebriosis, & inebriantur. Si quando ergo arbitrantur se esse in magno fastigio qui præsunt ecclesiis Christi, propterea quod constituit eos dominus super familiam suam, cognoscant quoniam non hoc eos saluat, quod constituti sunt à domino super familiam eius, sed illud vt dent in tempore cibos, & vt abstineãt se à percussionibus, & à comessationibus, & potationibus cum ebriosis. Si autem non se abstinuerint ab huiusmodi, & magnum sapuerint propterea quod constituit eos dominus super familiam suam, sciant quoniam venit dominus eorum in die qua non putant, & hora qua nesciunt, & diuidet eos, & partem eorum cum hypocritis & infidelibus ponet: & cum fuerint inter hypocritas & infideles positi, nihil eis proderit quod constituti à domino sunt super familiam eius. Vt autem timeamus illud quod ait: diuidet eum, conuenit recordari ea quæ à Daniele sunt dicta contra presbyteros iniquos. Quoniam angelus domini habens gladium D scindet te medium. Scindens autem diuidet. Vsi sumus vt in hoc loco Danielis exemplo, non ignorantes quoniam in Hebræo positum non est, sed quoniam in ecclesiis tenetur. Alterius autem temporis est requirere de huiusmodi. Attende autem etiam illud quod ait: Fidelis seruus & prudens, beneuolenter audiens verbum, & acquiescens voluntati Christi ea dicentis, & conscribentis Matthæi. Diligenter ergo est audiendum de fideli seruo atque prudenti, qui in fide proficit. Aut si nondum in ea perfectus est qui communiter & ipse fidelis vocatur, & qui naturalem habet mentis velocitatem, & dicitur prudens. Et villicus ergo iniquitatis prudenter facit, non quidem faciens secundum prudentiam ex virtutibus, sed quia velox erat ingenio. Et filij seculi huius prudẽtiores sunt quam filij lucis in generatione sua. Non quia secundum prudẽtiam vnam ex virtutibus sunt prudentes, aut qui filij lucis secundum aliud aliquid sunt eis minores in sapientia, aut in acumine naturali mentis sunt inferiores. Scit enim & prudentiam vnam esse ex virtutibus sermo diuinus, sicut in Prouerbiis docet dicens. Dic sapientiam sororem tuam esse, notam autem fac tibi prudentiam, vt custodiat te à muliere aliena. Nunc autem communiter audire debemus quod ait: quis est seruus fidelis & prudens: quasi quidam quidem secundum communiter intellectam fidem sint fideles, non autem sint prudentes, neque veloces ingenio: & iterum alij quidem sint veloces, &

Ong.rum. x.

Luc.12. *Quid Mercenarius & malus seruus Deus interdum permittat.* *Dan.13.* *Prou.7.* *Nõ omnes seruos domini fideles & prudentes esse.*

secundum quod hic significatur, prudentes, non autem omni- E no & fideles. Si quis autem considerat multitudinem volentium esse se Christianos, inueniet quidem fideles multos & studium fidei exercentes, non autem & prudentes, vt sint filij huius seculi prudẽtiores eis in generatione sua, scientes quoniam quæ stulta sunt mundi, elegit Deus vt confundat sapiẽtes. Et videbit iterum alios qui credidisse putantur, veloces quidem esse, & sapientes, modicæ autem fidei: & si non infideles, tamen minus fideles, quoniam stulta mundi quæ Deus elegit contemnunt. Cõuenire autem in vnum fidelem atque prudentem, vt secundum vtrumque det conseruis suis cibum in tempore, valde rarissimum est. Vt enim in tempore det cibum, necessariam habet quis prudentiam: vt autem non adimat cibos in tempore indigentium, opus est fide. Non autem est importunum monere propter peccata, quæ in hominibus qui videntur credere Christo, & in dispensatoribus ecclesiarum plerique fieri solent: quoniam & secundum simplicem intellectum multi opus habemus vt fideles simus pariter & prudentes ad dispensandos ecclesiæ reditus: fideles quidem vt non deuoremus quæ sunt viduarum, & vt memores simus pauperum, & occasionem accipientes ex eo quod scriptum est, Dominus constituit his qui Euangelium prædicant de Euangelio viuere, amplius quæramus cibo simplici, & necessariis vestimentis, vt ne amplius teneamus nobis quam demus F esurientibus fratribus, & sitiẽtibus, atque nudis, & eis qui necessitatem patiuntur in secularibus curis. Prudentes autem vt vnicuique secundum dignitatem vniuscuiusque subministremus recordantes quod dictum est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Non enim simpliciter de rebus Ecclesiasticis dare oportet, vt vnũ hoc obseruemus, vt ne quæ pauperum sunt deuoremus, aut furtum faciamus de eis: sed vt prudenter intelligamus indigẽtium causas propter quas sunt indigentes: & vniuscuiusque dignitatem quomodo adductus est, quantum necessarium habet, vel propter quam causam indiget. Non ergo similiter est agendum in eis qui ab infantia duriter sunt educati & strictè, & in eis qui large & deliciose nutriti sunt, & postea ceciderunt. Nec eadem sunt ministranda viris & mulieribus, aut multũ senibus & iuuenibus, aut iuuenibus quidem, & debilibus, propter quod non possunt sibi acquirere escas, & eis qui vel ex parte possunt sibi succurrere. Requirendum est autem & si multos habeant natos non negligentes, sed omnia facientes, & non sibi sufficienter occurrentes. Et ne plura dicamus, multa sapientia opus est qui vult bene dispensare ecclesiasticos reditus, vt etiam in istis fidelis & prudens dispensator inuentus, beatus efficiatur. Forsitã autem & propter multitudinem Christianorũ qui non satis circa requisitionem verbi habentur, & tales sunt ad principatum subleuati, magis necessarium habemus audire, quis est fidelis

1.Cor.1. *1.Tim.6.* *Psal.40.* *Ecclesiastici reditus sapienter dispẽsandi.*

G seruus & prudens quem constituit dominus super familiam
suam, vt det illis cibum in tempore: vt non effundant rationa-
bilem & spiritualem cibum conseruis quibuscunque simplici-
Dispensatio ter, & quibus non oportet, volentes se ostendere esse pruden-
cibi spirita- tes: & magis necessarium habentibus verbum quod mores
lis, i. doctri- eorum aedificet, & vitam componat, quam quod producit ad
nae. sapientiam, & illuminat scientiae luce eos quorum mens po-
test sufferre huiusmodi lucis splẽdorem: aut vt ne eis qui pos-
sunt acutius audire, pigeat exponere altiora, vt ne exponentes
vilia, ab ingeniosioribus contemnantur qui naturaliter sunt
ingeniosi, aut per exercitationem forsitan secularis sapientiae
habentur acuti. Difficile est ergo vtrũque in vno, vt & prudẽs
sit & fidelis: non aũt & impossibile: nec enim beatificat eum
qui non potest esse, dicens: Beatus seruus ille quem dominus
veniens inuenerit faciẽtem sic. Amen dico vobis, quod super
omnia bona sua constituet eum.] Beatus ille seruus, quem ve-
niens dominus inuenerit faciẽtem sic. Magna promissio fide-
libus & prudẽtibus dispensatoribus praedicatur, & cũ eis qui-
bus ait: Esto potestatem habẽs super quinq; ciuitates, aut esto
Rom. 8. potestatem habens super decem ciuitates. Nam super omnia
bona patrisfamiliâs fieri, quid aliud manifestat nisi haeredes
Dei & cohaeredes Christi, & conregnantes cum Christo? Cui
Matt. 28. omnia sua tradidit pater, sicut ipse dicit: Data est mihi omnis
potestas in coelo & in terra: & quemadmodum boni patris fi-
lius super omnem patris substantiã constitutus participat hu-
H iusmodi dignitatẽ & gloriã fidelibus & prudentibus dispen-
satoribus suis, vt sint & ipsi super omnem creaturam, & pote-
statem, vt sint cum Christo. Et vide interpretationẽ eius quod
dicit: Amen dico vobis quod super omnia bona sua cõstituet
eum. Intellige mihi quasi in exemplum accipiens aliquem re-
gem omne regnum sub se habentem: cũ quo sunt gentes mul-
tae, & ciuitates & loca diuersa. Itaq; diuidat ipse satrapis & ce-
teris principibus qui aliquid praeclare gesserũt plenitudinem
regni sui: omnes quidem constituet super omne regnũ suum,
non autem singulus super omnia, sed vnumquenq; eorum su-
per aliquam partem regni sui, vtputa hunc quidem super de-
cem ciuitates, alium super quinque. Et sic omnes erunt super
omnia bona. ipse aũt solus teneat omnia quasi solus omnium
rex. Et tale est quod dicit: Super omnia bona sua constituet
eum.] Sicut autem audiuimus de beatitudine danda seruis fi-
delibus & prudentibus, sic audiamus & de tormentis malorũ
Malus ser- seruorum. Dicit enim malus seruus in corde suo praesentem
uus poenas voluptatem praeponens bonis futuris, & contemnens domi-
dabit. num suum, dicit. Moram facit dominus meus venire.] Men-
tiens autem hoc dicit, volens manducare & bibere cũ ebrio-
sis: & semper somniat, quia post multum tẽporis venturus est
dominus eius: & quasi domino moras faciente percutit con-
seruos sufferentes, & in seruitutem redigit eos, & in faciẽ eos
caedit. Et percutiens manducat, & bibit cum ebriosis, occasio-
ne obsequij Ecclesiastici: & non esurientes suscipit, sed epula-
I tur cũ ebriosis & multis huiusmodi quibus Ecclesiastica cura
commissa est: quibus veniet dominus faciens consummatio-
nem eorum in die qua nesciunt, & hora qua non putant, & di
uidet eos qui non timuerunt eum, qui potens est animam &
Matt. 10. corpus perdere in gehennam. Diuidit autem eum quando spi
ritus quidem eius reuertitur ad Deum qui dedit eum: anima
autem cum corpore suo vadit in gehennam. Iustus autẽ non
diuiditur, sed anima eius vadit cum spiritu ad regna coelestia.
Propter quod scriptum est. Benedicite spiritus & animae iu-
Psal. 139. storum domino. Eorum autem qui diuiduntur & deponunt
spiritum reuertentem ad eum qui dederat eum, & nõ habent
postmodum in se partem aliquã quę erat ex Deo, relinquitur
eis pars eorum quę erat ipsorum, id est anima, quę cũ corpore
suo punietur a domino veniẽte cum infidelibus & hypocri-
tis in tormentis. Vide ergo differentiam seruorũ quos domi-
nus constituit super domum suam: quoniam quidam quidem
quasi fideles & prudentes dispensatores qui dederunt con-
seruis cibum in tempore, super omnia bona patrisfamiliâs
constituuntur: qui autem contraria eis egerunt, extra quod
ceciderunt de gloria tanta, adhuc diuidentur, & pars eorum
cum hypocritis & infidelibus ponetur. Ibi erit fletus eis qui
Luc. 6. male in hoc mundo ridentes fuerunt, dicente scriptura: Vae
qui nunc ridetis, quoniam flebitis & plangetis. Consequen-
ter autem propter requiem & resolutionem qua requieue- K
runt & resoluti sunt, rationabiliter erit eis dentium stridor.
Quod hoc forsitan significat, quoniam qui puniuntur co-
gitantes fore finem doloris, & propter hoc volentes virili-
ter eos sufferre, compulsi tormentis insufferibilibus, denti-
bus stridunt. Illis videlicet dentibus quibus manducauerunt
acerbitatem malitiae, & propterea patiuntur dentium di-
gnum stridorem.

TRACTATVS XXII.

IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis pa- *Matt. 25.*
rabolam hanc. Simile est regnum coelorum de-
cem virginibus, quę accipientes lampades suas,
exierunt obuiam sponso & sponsae. Quinq; au-
tem ex eis erant fatuae, & quinque prudentes.
Et reliqua.] In omnibus quę didicerunt verbum Dei, regnum
coelorum assimilatur virginibus decem. Et siquidem in eis
sunt qui recte & credunt & viuunt, & ideo iuste assimilatur
quinque prudentibus: qui autem profitentur quidem fidem
in Iesu, non autem praeparant se bonis operibus ad salutem,
reliquis quinque assimilantur virginibus fatuis: non irrationa
biliter dicimus sensus omnium qui didicerunt diuina, quo-
modocunque verbum domini receperunt, siue occasione si-
ue veritate, quod virgines sunt virginificatae per verbum Dei
qui crediderunt, aut credere volunt. Tale est enim verbũ Dei, L
vt de sua munditia accommodet omnibus qui per suam do-
ctrinam recesserunt quidem ab idolorum cultura, vel cultura
elementorum creationis Dei: accesserunt autem per Iesum
Christum ad Dei culturam, quamuis non fuerunt subsecuta
opera pietatis, neque ad beatitudinem praeparauerint semet-
ipsos. Sicut autem secundum verbum veritatis sequuntur se-
ipsas alterutrum virtutes quae sunt substantia Christus, ita vt
qui vnam habuerit omnes habeat: & qui vnam minus habue-
rit, nec vna habeat: Christus enim à seipso inrecessibilis est: sic
& sensus omnes alterutrum se subsequuntur: & vbicunq; mi-
nus fuerit vnus de sensibus secundũ rectam verbi doctrinam,
ibi omnino & omnes sensus quasi fraudati à verbo sapientiae
infatuantur. Sensus autem dico & eos qui communiter intel-
liguntur, visio, auditio, odoratio, gustatio, palpatio: & eos qui
in Prouerbiis appellantur diuini, hoc modo dicentibus. Sen- *De quinque*
sum diuinum inuenies. Iterum autem quoniam verbum Dei *sensibus al-*
causa est vt rectus fiat sensuum vsus, & non est possibile enim *legoria.*
cum sit in sensibus, vt in quibusdam quidem sensibus opere- *Imò verò.*
tur, & diligenter tribuat quae prudentiae suae sunt, in aliis au- *Sap. 7.*
tem negligat: ideo si vnum de sensibus fecerit sapientem, vt
virgo constituatur, necesse est vt in aliis sensibus sapientiam
suam effundat. Propterea non est videre de quinque sensi-
bus in aliquo, quosdam quidem fatuos, quosdam autem pru-
dentes: sed necesse est, vt aut omnes quinque sint pruden- M
tes, aut omnes fatui. Omnes isti sensus lampades suas acci- *Lampades*
piunt, id est, organa sua naturalia, siue secundum verbum Dei *organa na-*
vti volentes, siue contra voluntatem Dei, tamen accipiunt eas *turalia.*
quando recipiunt sponsum esse ecclesiae verbum Dei, & fi-
lium Dei: & egrediuntur de mundo, & de erroribus deo-
rum multorum, & veniunt in obuiam saluatori, qui semper
paratus est venire ad virgines eas vt simul ingrediantur cum
dignis eorum ad beatã sponsam ecclesiam. Sed quandiu qui- *Matt. 5.*
dem post verbum receptum lucet lumen fidelium coram ho
minibus, vt videntes opera eorum bona, glorificent patrem
eorum qui in coelis est, hae & prudentes sunt, & accipientes
oleum nutrimentum luminis sui quod semper infunditur a-
ctibus bonis, id est verbum doctrinae, & vasa animarum sua-
rum ab hoc verbo implentes à doctoribus & traditoribus
qui illud venundant, quod satis sit eis etiam tardante exitu
& remorante verbo veniente ad consummationem eorum,
vt consummatę & extra mundum factę festinent illuc. Quan-
tis autem nõ fuit cura post inchoationem Christianitatis tan-
tam accipere verbi doctrinam, quanta sufficere eis durare v-
que ad finem, negligentes circa susceptionem doctrinae quae
confortat fidem & bonorum actuum lumen illuminat: quid
autem sic cõfortat sicut moralis sermo, quod oleum luminis
appellatur: hae fatuae sunt, & acceperunt lampades in primis
quidem

A quidem accensas, sed ad tantum iter obuiam exeundi sponso oleum non acceperunt. Moram autem sponso faciente dormitauerunt omnes virgines, & dormiebant.] Ita sponso tardante, & non cito veniente verbo ad consummationem vitæ eorum, hinc patiuntur aliquid quasi sensus, & quasi in nocte mundi agentes & dormitantes. Dormierunt quidem, vt puta remissius egerunt à sensu vitali: non tamen & lampades perdiderunt, neque desperauerunt de conseruatione olei illæ prudentes. Media autē nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exurgite obuiam ei. Tunc surrexerūt virgines illæ omnes, & cōposuerunt lampades suas. Fatuæ autem prudentibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Respōderunt autem prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Abeuntibus autem illis emere, venit sponsus. Et quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissime autem venerunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, domine aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.] Media autem nocte, id est in altitudine remissionis, & in medio tempore iam transacti luminis vespertini, & adhuc sperati diurni, factus est clamor o-

Heb. 1. mnes suscitare volentium sicut existimo angelorum, qui omnes sunt ministratorij spiritus qui mittuntur ad ministerium

B propter possessuros salutem, qui & soliciti fuerūt eos qui sunt sensibiles excitare in obuiam sponso, & dicunt intus clamantes in sensibus omnium dormientium: Ecce spōsus venit, surgite in obuiam ei. Et suggestionem quidem oportere in obuiā ire responso verbo, & ecclesiæ immaculatæ, omnes quidē audierunt & surrexerunt: nō autem omnes decentem imposuerunt lampadibus suis ornatum, sed quæ audierūt prudentiam eas ornantem. Ita non in tempore opportuno, fatuæ dixerunt prudentibus, date nobis de oleo vestro, quasi qui non sibi congregauerāt antè prudentiā: vt intelligant quoniā non omnium habentiū oleum, est etiā dare ex eo volentibus aliis, sed eorum tantummodo, qui adhoc ipsum positi sunt vt venundent, & tribuant, & accipiāt precium olei venundati, cuius precium est perseuerantia & instantia & amor discendi & diligentia, & labor cupientium discere. Date nobis de oleo vestro, quoniam lāpades nostræ extinguuntur.] Nam etsi fatuæ erant tamen hoc intelligebant, quoniā cum lumine debebant obuiā ire sponso, omnes lampades sensuum illuminatas habentes. Videbant autem & illud, quoniā ex eo quod minus habebant oleum rationale iam propinquātibus tenebris, lampades earum fuerant obscurandæ. Sed sapientes trāsmittunt fatuas ad olei venditores, videntes quoniam non tātum oleum, id est, verbum doctrinæ congregauerant, vt sufficeret & ipsis ad vitā, & illas docerent ornare lampades suas. Et si consideraueris aliquē aliquando, quod congregauit qui-

C dem doctrinam verbi quod sibi sufficiat ad bene viuendum, non tamen vt etiā doctor fieri possit, videbis hunc talem respondentem volentibus ab eo discere quæ sunt Dei, & dicen-

Non omnes ad docendū idonei. tem: Ne forte non sufficiat nobis & vobis.] Sufficienter enim mihi ad bene viuendum habeo doctrinam, nō tamen vt & vobis possim accōmodare doctrinam. Et respōdebunt volētibus à se discere. Ite magis ad vēditores, & emite vobis.] Id est ad doctores, & ab eis accipite. Et fatuæ nō quando oportebat euntes ad doctrinam sibi emendam, perdūt tempus introeundi cum spōso ad nuptias. Et est videre eos qui talia patiuntur: qui quando debuerunt quidem discere, neglexerunt discere aliquid vtile ex eis à quibus discere debuerunt. In ipso autem exitu vitæ suæ dum disponūt discere, comprehenduntur à morte, & propterea non ingrediuntur cū verbo ad spōsam ecclesiā, nec cum Christo ad eos qui simul in requie sunt futuri, & in beatitudine regnaturi. Clauditur autem postea ostium adhuc fatuis virginibus oleum accepturis, quæ & sine causa postea venient dicentes: Domine, domine aperi nobis. Itaque respondens sponsus dicit: Nescio vos] Itaq; quoniam parabola omnibus audientibus dicebatur, subiungit ad discipulos suos, dicens: Vigilate ergo, quia nescitis diem & horam.] Ornantes autem lāpades sensuum Euangelicis vsibus,

Vsu recto sensuum. atq; rectis, vt sit quidem oculorum ornamentum rectus visus videndi, vt oculi videant quidem admirādum factorem, claudantur autem vt ne videant iniquitatem. Auditus autem est

ornamentum quando quis auditionem quidem non suscipit F vanam, sed obturat aures suas, vt nō audiant iudicium sanguinis. Audit autem Iesum dicentem ad se, Adaperire, vt tantum ad verba salutaria & necessaria præbeantur. Sic & de ornamento gustus quis dicere potest, & de odorationis & palpationis, secundum ea quæ dicta sunt. Quoniam qui male vtuntur sensibus suis, eorum nullum est ornamentum, aut in oculis, aut in auribus aut in reliquis sensibus. Obseruandum est autem, quoniam scriptum est quidem, fatuas trāsmissas ad oleum comparandum, non tamen referuntur emisse, aut accepisse: sed hoc in silentio prætermisso, postea dictum, quoniam post hoc veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine domine aperi nobis. Cum potuisset dicere, postea venerunt accepto oleo vel comparato; cōuenienter siluit, vt ne habentibus oleum, vel in extremo ornantibus lampadas suas diceret. Nescio qui estis. Nec enim scribitur, quia ornantes lampadas suas venerunt. Tamen finis verbi est iste, vt in omni tēpore præparemus nos ad exitum, vt nō demus somnum oculis nostris, neque palpebris nostris dormitationem, quia nescimus diem & horam exitus nostri.

TRACTATVS XXXIIII.



N illo tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolā hāc: Homo quidā peregre proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit eis bona sua. Et reliqua.] Et primum quidem videamus quare peregrinanti homini assimilatur dominus noster, qui vnus est dominus noster, de quo ait Apostolus. Nobis autem vnus dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum, si tamen eas eo tantummodo dominemur, & neque mammona dominū habeamus, neque aliquem dominorum eorum, quos multos esse significās ipse Apostolus dicit: Sicut enim sunt dij multi, & domini multi. Ergo primum quæramus de peregrinatione ipsius, maxime quia peregrinationi eius videtur esse contrarium quod ipse de se discipulis suis promittit, dicēs. Vbi fuerint duo vel tres cōgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Item illud Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad cōsummationem seculi. Et quod Baptista dicit de eo, vbiq; eum esse demōstrans, ita: In medio autem vestrum stat quem vos nescitis, ipse est qui post me venit. Propterea dicet aliquis: si in medio etiam nescientium se stat, si vbicūque duo vel tres congregati fuerint in nomine eius, inter eos habetur, si per omnes dies vitæ discipulorum cum eis est vsq; ad consummationem seculi, quomodo in ista parabola proponitur peregrinans? Tractantes autem assumere debemus & illud quod Paulus ait de se, Ego autem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens cōgregatis vobis & meo spiritu cum virtute domini Iesu, eum qui talis est tradere Satanæ in interitū carnis, vt spiritus eius saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Si enim virtus Iesu congregatur cum his qui congregantur in nomine eius, nō peregrinatur à suis, sed semper præsto est eis. Quod si semper omnibus suis est præsens, quomodo introducunt eum parabolæ eius peregrinan- D tem? Vide si possumus soluere hoc modo quod quæritur. Qui enim dicit discipulis suis: Ecce ego vobiscum sum vsq; ad cōsummationem seculi: & item, Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, & ego sum in medio eorum, & cætera: & qui in medio etiam nescientium se consistit, vnigenitus Dei est Deus verbū, & sapientia, & iustitia, & veritas, qui non est corporeo ambitu circumclusus. Secundum hanc diuinitatis suæ naturam non peregrinatur, sed peregrinatur secūdum dispensationem corporis quod suscepit. Secundum quod & turbatus est, & tristis factus est dicens: Nunc anima mea turbatur. Et iterum: Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Hæc autem dicentes non soluimus suscepti corporis hominem, cū sit scriptum apud Ioannem: Omnis spiritus qui soluit Iesum nō est ex Deo: sed vniuscuiusque substantiæ proprietatem seruamus. Si enim omnis homo fidelis qui cōiungitur domino vnus spiritus est: quanto magis homo ille quem secundum dispensationē carnis Christus suscepit, non est soluendus ab eo, nec aliter est dicendus ab eo? Et vide quomodo ait: Sicut homo peregre futurus: quoniam nō erat homo, sed sicut homo: & quasi homo peregrinabitur, qui erat vbique secundum di-

E *De dispensatione donorum Dei parabola.*

1. Cor. 8. *Matt. 18.* *Mat. 28.* *Ioan. 1. et 8.* *1. Cor. 5.* *Christus cū perpetuo ecclesiæ suæ adsit quomodo dicatur peregrinans.* *Solutio.* *Ioan. 12.* *Matt. 26.* *1. Ioan. 4.*

G oinitatis naturam. Simul considera, quoniam nō videtur redditio sermonis ita cōscripta: Sicut homo peregrinās sic & Iesus: aut ita, sic & filius hominis: quoniā ipse est qui in parabola proponitur peregrinans quasi homo. Nec enim est homo, qui est, vbicunq; duo vel tres in nomine eius fuerint congregati. Neque homo nobiscum est omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Nec cōgregatis vbique fidelibus homo est præsens, sed virtus diuina quę erat in Iesu. Possumus etiam talia dicere de hoc loco. Nihil contrarium cum ipsum Iesum secundum quendā quidem intellectum esse vbique, secundū alium autem peregrinari. Si enim nos dum sumus in corpore, peregrinamus à domino: per fidē enim ambulamus, non per speciem: in omnibus qui sunt in corpore & peregrinantur à domino, peregrinatur ab eis & dominus per fidē ambulantibus non per speciem. Si autem peregrinantes à corpore cum domino fuerimus, & ipse tunc erit nobiscum & pro eo quod per fidem ambulauimus, vt & per speciē postea ambulemus. Speciem autem dicimus verbi & sapientiæ, & veritatis, & iustitiæ, & pacis, & omnium quicquid est vnigenitus deus, Speciem autem verbi, & speciem sapientiæ intelliges, cum intellexeris quod ait apostolus. Filij mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Formatum enim Christum intelligens in aliquo, videbis consequenter secundum formationem huiusmodi etiam speciem Christi. Iste ergo qui

Corp⁹ christi nō vbique. — *2. Cor. 5.* — *Gal. 4.*

H quasi homo peregre est profectus, vocauit seruos suos, & tradidit eis probatam pecuniam suam in eloquijs castis. Quoniam eloquia eius, eloquia sunt casta, argentum ignitū, probabile, purgatum septies. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum. Vnicuique autem secūdum propriam virtutem, Et profectus est statim. Abijt autē qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinq; talenta, Similiter qui duo accepit, lucratus est in eis duo alia. Qui autem vnum accepit, abiens fodit in terram & abscondit pecuniam domini sui.] Ergo si quando videris eorum qui acceperunt à Christo dispensationem eloquiorum Dei, alios quidem habere amplius & diuinius & abundātius, alios autem minus, & vt ita dicam, neque in dimidio intelligentes rerum negotia, comparatione eorum qui multo sunt meliores, alios autem adhuc minus habere, videbis differentias eorum qui eloquia Dei susceperunt à Christo: quoniam alia fuit virtus eorum quibus data sunt quinque talenta, alia quibus duo, alia quibus vnum, & alter alterius non capiebat mensuram. Et qui accepit talentum vnū, accepit quidem datum non contemptibile: multum est enim & vnum talentum talis domini. Tamen tres sunt proprij serui eius qui peregre profectus est quasi homo, sicut & tria genera sunt eorum qui fructum faciunt. Quorum quidam quidem faciunt centum, quidam autem sexaginta, quidam vero triginta. Sed ibi etiam ille qui triginta fecit saluatur: hic autē sermo arguit eum qui

Psal. 19. — *Dispensatio eloquiorum Dei secundum mensuram donationis Christi.*

I vnum acceperat talentum, & abscondit in terrā. Et quæro qui quinque acceperant talenta, si possunt intelligi perfectiores, qui diuiniorem & subliniorem acceperunt sensum scripturæ: qui duo autem acceperunt, super literam quidem, paulo autem superius ascenderunt, & non ad magnitudinem illam ascēdere potuerunt: tertij autem, qui nihil super literā quam acceperunt in primis. Est ergo & de numeris omnino in his quæ loquimur dignus sermo tali nostro domino saluatore. Dico autem de quinque, & duobus, & vno. Nos autem modici & talia minus explicare potentes existimamus, ne forte quia omnia quidem sensibilia scripturarum possunt deducere ad sensus diuiniores quos Salomon diuinos appellat, & quos dicit Hieremias sensus cordis, & qui ad Hebræos dicūtur à Paulo sensus exercitati ad discretionem boni quoq; & hi sunt qui extra quinque talenta alia quinque sunt lucrati operantes in eis, & per doctrinā exercitantes seipsos, & ad maiorem scientiam erigentes. Conuersati enim salutariter & studiose doctores, operati sunt & lucrati sunt alia quinque: quia nemo facile additamentum accepit virtutis alterius, nisi eius quam habet: vtputa sapiens in sapientia crescit, fidelis in fide. Aut ita. Alia acquisiuit quinque, quoniā vnusquisq; quod ipse scit hoc docet alterum, & quāta ipse scit tanta alterum docet, non amplius. Propterea quicquid habuerit quis in se, hoc alterum docendo acquirit in altero, faciēs eum habere quod

Sap. 7. — *Hier. 4.* — *Heb. 6.*

habet ipse. Propterea quinque habuit, & non amplius acquisisse dicitur, nisi quinque quæ habuit. Et qui duo, nō amplius nisi duo quæ habuit. K Si autem debemus & de duobus talentis dicere, & de illis dicimus, quoniam qui nō permanserunt in litera, sed quærentes ascendere sensu suo super eam, non autem potentes peruenire super ordinem prædictorum duorū, hi sunt qui ab eo qui cognoscebat virtutem eorum, acceperūt talenta duo, corporalem doctrinam edocti: Duo enim videtur carnalis numerus esse: & super hæc lucrati sunt duo, id est corporalem eruditionem, & aliam paulo eis sublimiorem. Erat autem aliquis seruorum minorem colligens sibi virtutem, propter quam quasi minus potenti vnum talētum paterfamiliâs dedit, quod accipiens seruus habens aliquam terram fodit, & in altitudines posuit eius, cum debuisset sursum & in mēsas id mittere. Quoniam autem proprij serui tres referuntur illius patrisfamiliâs esse, quæro si possunt postquā crediderunt & serui facti sunt eius, quasi potētes negotiari. Postea acceperunt à patrefamiliâs pecuniam eius, vt quidam quidem operatus sit & lucratus, alius autem lucratus, alius vero præ timore non satis fidelis, domini sui infodit & abscondit pecuniam, Et apparet in ipsa defensione per quam loquitur, quoniam timuit quidem dominum habēs Dei timorem, sicut alter zelum Dei, non autem secundum scientiam ōmens, abscondit talētum suum in terra. Tales sunt autem qui neq; mouent, neque discutiunt quæ dicuntur, neque seipsos ad L prodificandas animas tradunt, sed latere volunt quæ acceperunt, & crediti sunt. Si quando ergo videris aliquem qui virtutem quidem aliquam acquisiuit & habet dicendi, & animas quātuncunque prodificantē, & hanc virtutem occultat, vt tātummodo tradat verbū nudū quod creditus est & accepit, & depositum eius domino suo, & viuit in obscuro multis ignotus etiā magna peccata habētibus, & nō se profert in bono quod à Deo accepit, quāuis habeat quandam religionem conuersationis non vituperabilem multā, nō dubites dicere eum talē esse qui vnum talentum accepit, & abscōdit id in terra. Si autem propter illud quod scriptū est, cum talem mitti in tenebras exteriores, displicet tibi quod dicitur, si propterea quod nō docuit quis iudicatur quasi qui data sibi virtute & prodificationem animarum nō est vsus, recordare apostolicum dictum quod ait: Vę enim mihi est si non euangelizauero. Non enim propter aliam quancunque cōuersationem suā vituperabilem, sed propter hoc solum si non prædicauerit Euangelium, Væ sibi confitetur futurū. Manifeste enim apparet, quoniam ille spersuit audire, serue male, & piger, & cætera, nisi Euangelizasset: quamuis alia vitæ eius recta fuissent. Hæc enim & his similia debent in mente habere maxime qui mittunt manum suam, id est actum ac aratrum docendi doctrinam Christi, vt cognoscentes quibus est Væ, nō propter aliud nisi quia non docent repositum, non cōuertantur retro postquam semel miserint manum suā ad aratrum arātem animas M hominum, vt post hoc & semina suscipient verbi. Iste autē qui sicut homo peregre profectus vocauit seruos suos, & tradidit eis bona sua, post multum temporis venit, postquā dimisit aptos ad negotiandum animarum salutē: & ideo forsitan non facile inuenitur quis ex eis qui apti fuerint ad huiusmodi opus, vt cito trāseat de hac vita: sicut est manifestū ex eo quod & apostoli senuerunt, ex quibus dicit ad Petrum. Cum senueris extendes manum tuā, & cætera. De Paulo autem dictū est ad Philemonem. Nunc autem vt Paulus senex, cum esset adolescentulus quādo Stephanus pro Christi testimonio lapidabatur, & ipse vestimenta seruabat interficientium eum. Hoc autem diximus propterea quod dicit: Post multum temporis venit dominus seruorum illorum. Et obserua in hoc loco, quoniam non ad dominum vadunt vt iudicentur & digna actibus suis recipiant, sed dominus venit ad eos cùm fuerit impletum quod dictum est, quoniam venit tempus. Veniēs autem, ponet rationem cum eis de omnibus quæcunque egerūt, compensans lucra bonorum operum, & dispendia peccatorum, vt ponens rationem, & diligenter vniuersa discutiens, vnoquoque sicut oportet vtatur. Debemus ergo quasi qui peccando damnum fecimus, bona autem operantes lucremur, sic omni custodia corda nostra seruare, vt cùm venerit dominus noster & posuerit rationem nobiscum, non inueniamur

Eruditio corporalis. — *Qui defodiunt talentum.* — *1. Cor. 9.* — *Ministerium docendi nō relinquendum.* — *Negotiari animarum salutem.* — *Ioan. 21.* — *Philem. 1.* — *Act. 8.*

A niamur nec pro otioso sermone damnum fecisse. Et accedēs qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinq; dicēs: Domine quinqne taléta mihi dedisti, ecce alia quinque superlucratus sum, Ait ei dominus eius: Euge serue bone & fidelis t quia snper pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, instra in gaodium domioi toi. Accedens autem & qui duo talēta acceperat, ait: Domine duo talenta mihi dedisti, ecce alia duo lucratus sum. Ait illi dominus eius. Euge serue bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te cōstituā, intra in gaudium domini tui.] Ita accessit primus quasi qui babuit fiduciam eo quòd operatus fuerat & lucratus. Nam fiducia ipsa fecit eum audere, vt ad dominū primus accederet, & audacter faceret sermonem dicens: Domine quinq; talenta mihi dedisti, ecce alia quinq; talenta lucratus sum super ea. Ad quem dominus dixit vocē omnibus nnbis optabilem, cū posuerit rationem etiā nobiscum dominus noster dicēs: Euge serue bone & fidelis: contrariā ei voci quam dixit ad tertium, serue male & piger. Quis nō optet exhortationem accipiēs ex ista scriptura, vt audiat à domino suo, fidelis? Quod

Gen. 15. *Rom. 4.* simile esse existimo ei quod dictum est de Abraham, Quoniā credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiā, sicut & ei qui audiuit à domino suo, serue fidelis. Sine dubio fides eius ad iustitiam reputata est ei, vt reputata est ad iustitiā fides ipsius qui in modico fuit fidelis. Modica autē sunt om-

B nia vitæ istius, vt omne resurrectionis mysteriū ei credatur & administratio supernorum bonorū. Videamus aotem & qoò ingreditur seruus iste bonus & fidelis, qui in modico vitæ istius fuit fidelis. Intra, inquit, in gaudium domini tui. Omnia enim ibi delectabilia, & omnia gaudia, quando qui hic flens, ibi ridebunt, & qui laudabiliter lugent, consolationem accipient dignā. Quod autem dicit vel in eo qui quinq; talenta acceperat, vel in isto qui duo, accedens, intellige mihi accessum & trāsitum de hoc muodo ad illum: & vide quoniā non aliam vocem dominus protulit ad secundum, nisi quā protulit ad priorē dicens: Euge serue bone & fidelis, super modica fidelo fuisti, super magna te constituā. Quæro qooniam eadē dicta sunt ambobus, ne forte & qui minorem habuit virtutē, & totam illā quam habuit secundum quod oportebat exercuit, nihil minus habiturus sit apod Deū, quàm ille qui fuit in

Exod. 16. maiore virtute, vt impleatur in eis quod dictū est: Qui multū, noo abundauit: & qui modicum nō minorauit. Tale aliquid ostenditur & circa mandatum dilectionis ad Deū vel ad pro-

Matt. 22. ximum dicens ita: Diliges dominū Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Sine dubio enim cum ex toto corde suo quis dilexerit Deum, & ex tota aoima sua, & ex tota virtute sua, talem dilectionis habet mercedem, qualem ille qui maius habnit cor, vel qui eminétiorē habet animam, vel qui maiorem accepit virtutem, Hnc enim solum quæritur, vt quicquid habuerit homo ex Deo, toto eo

C vtatur ad gloriam Dei. Accedens autem & qui vnum talentum acceperat, ait: Domine scio quia homo durus es, & metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti, & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes tuum. Respondens autē dominus eius dixit ei: Male serue & piger, sciebas quia meto vbi nō seminaui, & cōgrego vbi noo sparsi. Oportuit ergo te cōmittere pecuniam meam nummulatiis, vt veniens recepissem eam cum vsuris.] Videtur mihi iste

Christiani clandestini qui vnum talentū accepit, fuisse inter credentes quidem, non autem & fiducialiter agentes in fide, sed latere volentes, & omnia facientes vt non cognoscantur quasi Christiani. Forsitan autem & alij mores eorum non satis erant culpabiles, & quod acceperunt custodiunt quidem, non autem & addunt, neque negotiantur, neqne fiducialiter agunt in eo: propterea verbum in eis non profecit ad maius, oeque alios acquisiuit. Adhuc videntur mihi qui huiusmodi sunt, timorem Dei habere & sapere de eo quasi de aliqno austero, & duro, & implacabili. Sic enim verba ipsa significāt respondētis, & dicentis: Sciebam quia durus es: & quasi qui sciebat eū metere vbi oon seminanit, & congregara vbi nō sparsit.] Propter quod respōdens ei dominns eius, & arguens eum quasi malum seruum & pigrum, oō quidem cōfessus est se esse homioem durum, sicut ille arbitrabatur, cęteris autem sermonibus eius cōsensit dicens: Et sciebas quia meto vbi nō semioaui, & congrego vbi non sparsi. Quomodo autē intelligamns quod vere dominus noster metit vbi nō seminauit, & congregat vbi D non sparsit? Mihi hoc videtur io loco isto, qnoniam iustus seminat in spiritu, ex quo & metet vitam æternam. Omnia autē *Gal. 5.* quæ ab altero, id est à iusto viro seminaotur, & metuntur ad vitam æternam, metit Deus. Dei enim est possessio iustus, qui metit vbi non ipse seminauit: sed ille iustus. Consequenter & illud dicemus, quoniā iustus dispersit dedit pauperibus. Dn̄s autem in suo colliget vniuersa, quantacunq; iustus dispersit, & dedit pauperibus. Metens autem quæ non seminauit, & cōgregans quæ non sparsit, sibi cōputat & sibi arbitratur esse *Eleemosynæ fructus.* collata, quæcunque pauperibus fidelibus fuerint seminata vel sparsa, diceos ad eos qui bene proximis suis fecerunt: Venite benedicti patris mei, hæreditate regnum qood vobis paratū est, Esuriui enim & dedistis mihi manducare, & cætera. Et *Mat. 25.* quia vult metere vbi non semioauit, & congregare vbi non sparsit, cum non inuenerit dicet ad eos qui nō præbuerunt ei metere & congregare: Discedite à me maledicti in ignem æternū, quem præparauit pater meus diabolo, & angelis eius, Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, & cætera. Nā & vere durus est, secundum quod ait Matthæus, & austerus secundum quod ait Lucas. Sed his qui misericordia Dei abutuntur ad negligentiam suam noo ad conuersionem suam, sicut ait apostolus: Vide bonitatem Dei & seueritatem. In eos *Rom. 11.* quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem si permanseris in bonitate. Qui enim bonū iudicat Deum, cre- E dens indulgentiam accipere si fuerit cōuersus ad eum, illi bo- *Qualis deus erga homines.* nus est Deus. Qui autem existimat eum sic bonum, vt nō curet de peccatis peccantium, illi nō est bonus Deus, sed austerus. Zelans est enim super peccata hominū contemnentium se. Tamen quasi Christo metente quæ nos seminanimus, & congregāte quæ oos sparsimus, seminemus in spiritu, & spargamus pauperibus, & talentū Dei non abscondamus in terra. Nec enim bonus hoiusmodi timor, nec liberat nos talis timor ab exterioribus tenebris illis cū fuerimus damnati quasi mali serui, & pigri. Mali quidē, quia nō sumus vsi probata illa pecunia dominicorū verborum cū quibus poteramus negotiari & discutere christianitatis eloquia, & acquirere bonitatis dei altiora mysteria. Pigri autē, quia nō fuimus operati cū eloquiis dei salutem vel nostrā vel aliorū, cum deberemus mittere pecuniā domini nostri, id est eloquia auditoribus nūmulariis qui omnia tentāt, & probant, vt bonū quidem dogma & verum teneant, reprobū autem & falsum repellant, vt cū venerit dominus, eloquia illa quæ cōmisimus nos cum vsuris recipiat, & cū additamentis ab eis qui acceperunt à nobis. Omnis enim pecunia, id est omne verbū qnod habet in se formā dei regalem & imaginē verbi eius, legitimum est. Nūmulariis ergo viris iubet credere verbū, qui possunt eius reddere vsuras. Reddit autē vsuras verbi qui iterū festinat saluare cū eo, sicut ipse saluatus est: sicut Andreas, Petrus, Philippus, Nathanael, Matthæus publicanus. Et hoc est quod dicit apostolus, F Quæ audisti à me per multos testes, hæc cōmenda fidelibus *2. Tim. 2.* hominibus qui idonei erunt & alios docere. Similiter & dominus dicit: Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrū, vt introeuntes videant lumen. Tol- *Matt. 5.* lite ab eo itaque talentum, & detur ei qui habet decem talenta. Vides quia tollitur talentum à malo seruo & pigro, & datur ei qui habet decem talenta. Quomodo autem tollitur ab aliquo quod datum fuerat ei, & alteri datur hoc agenti, vt habeat etiam hæc super illa quæ acquisiuit, nō satis facile est explicare: tamen possibile est. Quooiā qui idoneum facit in ali- *Incrementa donorum & decrementa.* quo sensum in dogmatibus veritatis, potest sua diuinitate Deus auferens sufficientiam ab eo qui pigrius ea est vsus, dare ei qni eā multiplicauit, Omni enim habenti dabitur & abundabit, ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.] Vt pura fidē habenti quæ est ex nobis, dabitur gratia fidei quæ est per spiritū fidei, & abūdabit: & quicquid habuerit quis ex naturali creatione, cū exercuerit eā accipit idipsum & ex gratia dei, vt abūdet & firmior sit in eo ipso quod habet. Non enim de sapientia sola, sed de omni virtute intelligendū est nobis quod ait Salomō: Et si fuerit quis perfectus *Sap. 9.* inter filios hominum, si abfuerit ab illo sapientia tua, in nihilum reputabitur, Sic & qui perfectus fuerit in castitate, aut in iustitia, aut in veritate aut pietate, nō fuerit autem ei aut castitas, aut iustitia, aut virtus, aut pietas quæ venit ex gratia

G dei,in nihilum teputatur huiusmodi homo.Propterea si volumus vt detur nobis virtus perfectior, & abundet in nobis quod perfectum est inter homines per diligẽtiam omnimodo acquiramus:& postquàm acquisierimus quasi intelligenter quoniam in nihilum hæc teputantur sine gratia dei,humiliemus nosmetipsos sub manu valida dei, & oremus sine ira & disceptatione leuãtes puras manus, vt omnium bonorum quæ sunt in nobis perfectio detur ex deo, & faciat nos perfectos,& acceptabiles deo quasi filios dei. Iste autem qui vnũ acceperat talentum,& absconderat ipsum in terra, nõ solum quasi malus & piger arguitur,sed quasi inutilis mittitur in tenebras exteriores,vbi nulla illuminatio est, forsitan nec corporalis,nec est respectiq dei illic, sed quasi indigni speculatione dei qui talia peccauerunt condemnantur in his quæ exteriores tenebræ appellantur forsitan donec intellexerint, vt conuertantur & digni efficiantur exire ab eis. Forsitan & propter aliam causam quam nos ignoramus: quoniam legimus aliquem qui fuit ante nos exponentẽ de tenebris abyssi, & dicentem,quoniam abyssus est extra mundum foris & tenebræ.Consideremus ergo si potest vera esse expositio eius, vt exteriores tenebras illas intelligamus, vt quidam quasi indigni toto mundo in abyssum illam quam ille exposuit foras eijciantur,in qua sunt tenebræ nemine eas illuminante, cum sint extra totum mundum.

1.Tim.2.

Purgatoriũ

Infernus tamen locatur circa mundi cẽtrum.

H

TRACTATVS XXXIIII

Cap. XXV.



IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis. Cũ venerit filius hominis in gloria sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & cætera.] Indiscussus quidem sermo videtur esse manifestus, quasi exhortans homines ad dandum & largiendum,& auertens ab omni inhumanitate & parcitate. Videamus tamen quid quærere oportet in eo propter eos qui nihil arbitrantur aliud in eo nisi exhortationem humanitatis, Certe secundum & gloriosum Christi aduentum fore credit omnis ecclesia, quando & filius dei qui assumptus est in gloria, sic cum gloria huc reuertetur in specie sua & pulchritudine sua, vt corpus eius sit quale fuit cum transformatus fuisset in mõte coram tribus discipulis eo ascendẽtibus ei:vt iam nõ tribus, nec aliis paucis,sed vniuersis gentibus congregatis ante eum appareat,& sedeat super sedem gloriæ suæ, & tunc segregabit malos à bonis. Vtrum autem omnes ab omnibus qui in omnibus generationibus fuerint, aut illæ tantum quæ in consummatione fuerint derelictæ, aut illæ tantum quæ crediderunt in deum per Christum, & ipsæ vtrum omnes, an non omnes,non satis est manifestum, Tamen quibusdam vi-
I detur de differentia earum quæ crediderunt hæc esse dicta. Quantum ergo ad simplicem textum, nec qui à dextris consistunt alia causa laudantur,& in præparatum regnum vocãtur,nisi propter solam humanitatem: nec qui sunt à sinistris alia causa confunduntur & deputãtur in ignem, nisi propter inhumanitatem. Quid ergo? Si isti,qui humani fuerunt circa virtutes cæteras negligentes fuerunt, consequentur talia hæc promissa? aut illi qui non fuerunt humani, si alias implenerũt virtutes maledicti erunt omnino,& in ignem sunt condemnandi,& hoc cum ipso diabolo? Vides ergo quia necessariam habet sapientiam sermo. Item tractandum est vtrum in loco futurus est saluatoris aduentus in gloriam,an alteram expositionem debemus exquirere. Quis enim erit locus ille,vt capiat in vno aspectu, & omnes angelos venientes cum Christo,& omnes gentes illic congregatas? Et de sede gloriæ eius quid est dicendum? Putas corporale aliquod subsellium erit? an etiam hoc opus habet interpretationem subtiliorem? Propterea qui vult omnia rationabiliter intelligere, multam sapientiam inueniet & in istis. Et periculosum quidem est de huiusmodi rebus exponere, sed ne propter intellectus difficultatem plenius tacentes derelinquamus eos qui mouentur in istis ad fluctuandum,pauca de multis secundũ quod possibile est exponamus. Existimo ergo quoniam erit tempus aduentus Christi quando tanta manifestatio futura est Christi

De iudicio extremo.

Matth.17.

Quæstio.

Solũ gloria an corporale.

& diuinitatis,vt non solum nullus iustorum, sed nec aliquis peccatorum ignoret Christum secundum quod est, quando & peccatores cognoscent in conspectu suo sua delicta,& iusti manifeste videbũt semina iustitiæ suæ,ad qualem eos perduxerint finem. Et hoc est quod dixit: Congregabuntur ante eum omnes gentes.] Si enim modo quando nec omnes cognoscunt Christũ secundum quod est, nec ipsi qui videntur cognoscere palam eum cognoscunt,sed in fide tantum intrãt homines in conspectum eius,quando agnitionem eius accipiunt per fidem,sicut scriptum est: Intrate in conspectu eius in exultatione, quanto magis recte dicuntur omnes gentes ante eum congregandæ, & constituendæ, quando palã omnibus tam bonis quàm malis,tam fidelibus quàm infidelibus fuerit factus manifestus,ante oculos mentis eorum iam non fidei aut diligentiæ alicuius inquisitione repertus, sed ipsius diuinitatis suæ manifestatione prælatus? Non in aliquo quidẽ loco apparebit filius dei cum venerit in gloria sua, in altero autem non apparebit,sed sicut ipse secundum comparationẽ fulguris exeuntis,aduentum suũ voluit demonstrare dicẽs: Si dixerint vobis:ecce in deserto,nolite exire:ecce in domo,nolite credere:sicut enim fulgur egreditur ab Oriẽte,& apparet vsque ad Occidentem,sic erit aduentus filij hominis, Sicut enim fulgur egrediens ab Oriente,& propterea quod omnia implet, apparet vsque ad Occidentem:sic cum venerit Christus in gloria sua, proptereáque vbique futurus est, & ipse in conspectu omnium erit vbique, & omnes vbique erunt in conspectu ipsius,& sic constituentur ante sedem gloriæ eius, hoc est ante regnum eius & potestatem dominationis ipsius. Sedes autem eius aut certe quidam perfectiores sanctorum dicuntur,de quibus scriptum est, Quoniam illic sederunt sedes in iudicio:aut quædam virtutes angelicæ,de quibus dicitur: Siue sedes,siue dominationes. Ergo rex seculorum deus verbum,qui in forma factus est hominis,sedebit super huiusmodi sedem gloriæ suæ: & congregabuntur ad eum omnes gentes iam nõ dispersæ in dogmatibus falsis & multis de eo: & sic erunt ante eum,vt non localiter audiamus omnes gentes fieri ante eum,sicut nec localiter audimus iustos ea dicturos quæ sunt dicturi. Quandiu ergo confusi sunt iniqui, nec se cognoscentes,nec Christum,sed in erroribus in tenebricati tenẽtur:& iusti quamdiu per speculum & in ænigmate vident,& ea parte seipsos cognoscunt,non secũdum quod vere sunt:tandiu non sunt segregati boni à malis: Cum autem propter manifestationem filij dei omnes ad intellectum venerint suum, tunc saluator segregabit bonos à malis. Oues autem dicti sunt qui saluantur, propter mansuetudinem quã didicerunt ab eo qui dicit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde:& propter quod vsque ad occisionem parati fuerunt venire imitantes Christum,qui sicut ouis ad occisionem ductus est,& sicut agnus coram tondente se sine voce: & nõ simpliciter sine voce,id est curam auferente quæ sunt ipsius & diripiente Hœdi autem dicuntur mali,quia aspera & dura saxa male ascendunt,& per præcipitia eorum incedũt. Sic intellige mihi & sanctos à dextris qui dextra opera operati sunt,& plenius sunt conuersi ad iustitiam, quæ semper à dextris est dei. Propterea secundum dignitatem actuum suorum dextrorum à dextris consistunt,& acceperunt mercedẽ suorum dextrorum, dexteram regis, in qua requies & gloria est. Qui autem ad peruersitatem vitę seipsos separauerunt à dextris propter opera sua pessima & sinistra, ceciderunt in sinistram,id est in tristitiam tormentorũ damnari, propter quod à sinistris consistunt. Tunc dicet ad eos qui sunt à dextris, inuitans eos ad se, Venite:vt quicquid minus fuerat eis,cũ perfectius vniti fuerint Christo consequantur audientes: Venite: & facientes. Tale est & quod dicit apud Lucam. Auferte talentum ab eo,& date ei qui habet decem, Omnis enim qui habet,additur ei:qui autem non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo, Vocat autem illos benedictos patris,addito benedicti patris mei,vt eminentia benedictionis eorum manifestetur, qui benedicti sunt à domino qui fecit cœlum & terram: & forsitan quia sunt aliqui qui benedicti quidem sunt,non autem patris. Accipite regnum quod vobis præparatum est à constitutione mundi.] Quod in latino habet, A constitutione mundi,in Græco sic habet: A depositione mũdi,

K

Quando erit aduẽtus christi.

Psal.99.

De loco aduentus.

Vbique futurus christi aduẽtus, sed successiuè.

L

Tribunal christi.

Psal.121.

Col.1.

Memento te legere allegorias Origenis. Aliquãstatus aduẽtus christi et iudicij nõ tamẽ erit spiritalis.

Matt.11.

M

Luc.21.

Hæc sunt interpretis.

A di,& secundum Græcum sermonem exponit,quæ secundum latinum non conueniebat exponere. Quare autem nomine depositionis de mundo frequenter vtuntur scripturæ sicut & hic dicens: A depositione mundi,quærat qui potest, sciens quia nō omne quod creatum est depositum dicitur, nec scriptum est alicubi,à depositione sedium, aut dominationum, aut principatuum.Congregans autem ex omnibus nomē depositionis,si forte in altero aliquo dictum est, & comparans ea cum his quæ dicuntur de mundi depositione, ascendens per verbum ad cætera creata quidem,non autem deposita,ex eo quod non est eorum facta depositio,videbis causam nominatæ depositionis,quod nomen tantum de mundo suscipitur. Credere autem hæc talia literis quæ possunt & in manus hominum oiale moratorum venire, & calumniatorum, & nouitatis amatorum,non est religiosum, vt ne margaritæ nimis exoperatæ ante porcos mittantur, neque sancta canibus dentur. Esuriui,& dedistis mihi manducare, & cætera.] Videtur mihi per hæc,quia non vnius iustitiæ species remuneratur,sicut existimant multi. Absurdum est enim nihil aliud intelligere virtutis in eo qui ita remuneratur, nisi tantum communicationē humanitatis. Non enim hoc dicimus, vt negligentius studeamus humanitatem, cum sit omnibus fidelibus præcipue obseruanda,sed vt omnia æqualiter,aut vt pene æqualiter studeamus,vt propterea ex omnibus omnem benedictionem percipiamus in cœlestibus in Christo Iesu.

Κατὰ τὴν καταβολὴν κόσμου.

Quosdā offendebant nomia Origenis Allegoria.

B Primum autem sciendum est, quoniam sicut quātum ad textum non sufficit ad consequendam regni cœlestis hæreditatem, dare esurientibus manducare, nisi & cætera fecerimus quæ subsequuntur: sic non est possibile omnia illa secundum textum implere,sicut existimant multi,nisi ex parte egerimus contra dei mandatum. Necesse est eum & quæstuosum esse, vt det cibum,& potum,& vestimentum Christo esurienti,& sitienti,& algenti in sanctis,vt hoc modo& peregrinum cum colligat,& infirmum visitet,& eat ad eum in carcerem. Vere autem siue secundum simpliciora & corporalia bene facta intelligamus,siue secundum spiritalia,certum est, quoniam siue hoc,siue illo modo quis faciat opus bonum & nutriat animas spiritalibus cibis,siue qualemcunque speciē boni operis quis fuerit operatus propter deum,Christo esurienti & sitienti dat cibum & potum. Siue quæ facimus sanctis qui sunt diuites meritis,pauperes rebus, siue in quibuslibet qui meritis pauperes sunt, etsi fuerint diuites rebus, siue in qualibuscunque causis mandatum Christi quis fecerit,Christum cibat & potat,qui fidelium iustitiam & veritatem manducat & bibit. Item Christum algentem teximus vestimento, accipientes sapiētiæ tecturam à deo,vt per doctrinam aliquos doceamus,& induamus eos viscera misericordiæ,castitatem, mansuetudinem,humilitatem,cæteráſq; virtutes: quæ omnes virtutes spiritalia sunt vestimenta eorum, qui audiūt doctrinam docentium eas,secundum eum qui dicit: Induite vos viscera

Cibum & potū quomō & qua ratione christo dent.

Spiritalia munimēta.

C misericordiæ,benignitatem,humilitatem,mansuetudinem& cætera. Magis autem & ipsum Christum qui hęc omnia fidelibus est,secundum eum qui dixit: Induite dominum Iesum. Cum ergo huiusmodi vestimentis vestierimos vnum de minimis in Christo credentibus, ipsum dominum videmur vestisse,vt ne quantum ad nos nudum sit verbum dei in mūdo. Sed & peregrinum dei filium constitutum, & domesticos corporis eius peregrinos in mundo ab omnibus actibus corporalibus,sicut ipse & de se & de discipulis suis dicit: Et isti non sunt de hoc mundo, sicut & ego non sum de hoc mundo. Et quærit Christus cum suis animam vbi succedat. Quando ergo præparamus cor nostrum diuersis virtutibus ad receptaculum eius,vel illorum qui sunt ipsius, ipsum peregrinantem suscipimus in domum pectoris nostri facientes cœnaculum magnum,mundatum & ornatum ad susceptionem Christi peregrinantis in mundo, cæterorúmque discipulorū ipsius. Quorum enim verbum suscipimus, & ipsos suscepisse videmur in nobis,& per ipsos Christum, cuius baiulant verbum. Item in infirmatis hominibus,siue à fide siue ab aliquo opere bono,aut scandalum patientibus Christus infirmatur, & scandalum patitur,sicut ipse dicit ad Petrum, quæ carnis sunt,sapientem,Scādalum mihi es,hoc est infirmitas mihi es. Sed & omnes discipuli eius dilecti simul cum talibus infirmantur,& scandalum patiuntur dicentes: Quis infirmatur, D & non infirmamur?Quis scandalizatur, & non vrimur nos? Et si discipuli eius confirmantur infirmis,quanto magis ipse saluator creator ipsorum?Nam quem maior misericordia tenet hominum infirmorum,grauior constringit infirmitas talis. Cum ergo vnum fratrum infirmorum visitauerimus, aut per doctrinam,aut per increpationem, aut per consolationē, aut precibus,aut terrore iudicij,aut aliqua bona opera faciētes in eum,fecerimus meliorare in Christo, ipsum Christum visitauimus, & confortauimus infirmatum, & cæteros discipulos Christi talibus passionibus confirmantes refrigerauimus,sicut Paulus ad Philemonem dicit: Gaudiū enim magnum habuimus,& consolationem in charitate tua, quia viscera sanctorum requieuerunt per te frater. Et ne putes esse blasphemum infirmum dicere Christum. Ipse enim ex infirmitate est crucifixus propter misericordiam,& ipse infirmitates nostras portat,& omnes nos ipsius. Deinde omne quod hic est,carcer est Christi & eorum qui sunt ipsius. Propterea eamus ad eos qui in domo vinculorum istorū habentur quasi in carcere,& sunt in hoc mundo degētes,quasi carcere naturæ necessitate constricti. Cum ergo abierimus ad tales, & omne opus bonum fecerimus in eis,visitauimus eos in carcere,& Christum in eis. Videamus autem nisi generaliter hæc intellecta,& ad simplicem humanitatem nos exhortantur,& ad omnia laudabilia facta,vt benedictionem dignis dicentē: Venite benedicti patris mei,consequi quis valet digne. Non E autem isti obliti eorum quæ gerunt, tunc respondebunt ei dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, & cætera: sed humilitatis causa laude benefactorum suorum indignos se proclamantes. Ipse autem volens eis ostendere suam compassionem in suis,etiam se pronunciat esse in quibus fuerint fratres eius,dicens: Amen dico vobis, ex eo quod fecistis vni minimorum istorum fratrum meorum,mihi fecistis.] Videamus nunc quod dicit iustis: Venite benedicti patris mei: Iniustis autem: Discedite à me: cum fuissent vtique fideles: & intelligemus impletum in eis quod scriptum est: Omni habenti dabitur,& abundabit: ab eo autem qui non habet, etiā quod videtur habere auferetur ab eo. Nam propinqui sunt verbo,qui seruant dei mandatum,& vocantur vt adhuc magis propinquiores efficiantur audientes: Venite benedicti patris mei. Longe autem ab eo sunt,etsi videātur assistere ei, qui non faciunt mandata ipsius. Propter hoc tollitur ab eis, & quod sibi videbantur assistere ei audientes: Discedite à me: vt qui modo vel videntur esse ante eum, postea nec videantur. Propter quod & nos debemus nos conseruare ne audiamus & ipsi,& quasi elongantes nos ipsos à domino: Discedite à me: & omnia faciamus,vt dicat ad nos: Venite benedicti pa- F tris mei. Considerandum est autem,quoniam in sanctis non solum dictum est benedicti,sed cū additamento, non qualēcunque honorē habētes,id est benedicti nō alicuius alterius, nisi dei patris. E cōtra autē quibus dicitur maledicti nō dicitur maledicti patris mei. Nā benedictionis quidē ministrator est pater,maledictionis autē vnusquisq; sibi est autor,qui maledictione digna est operatus. Qui autem recedunt ab Iesu, decidunt in ignem æternum, qui alterius generis est ab hoc igne quem habemus in vsu, Nullus enim ignis inter homines est æternus,sed nec multi temporis,extinguitur enim cito. Æternus autem ignis est ille, de quo & Esaias dicit in fine prophetiæ suæ. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguitur. Forsitan talis substantię est,vt inuisibilia cōburat ipse inuisibilis constitutus,secundum quod ait apostolus: Quoniam quæ videntur temporalia sunt,quæ autem non videntur æterna. Si ergo quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt: necesse est si visibilis est ille ignis,& temporalis sit. Si autem æternus est, & inuisibilis est,quo puniuntur qui recedunt à saluatore. Tale est quod dicit & Iob: Comedet eum ignis qui non accenditur. Ne autem mireris audiens esse inuisibilem ignem& punientem,cū videas inter homines calorem corporibus accidentem,& nō mediocriter cruciātē,maxime eos qui ab eo validissime molestantur. Et considera, quoniam regnum quidem non aliis præparatum dicit à constitutione mundi,nisi iustis, & ideo reddet eis ipsum rex eorum Christus. Ignem autem æternum

Colos. 3.

Ioan. 17.

Luc. 22.

Matth. 16.

Philem. 1.

Es. 53.

Qui longè à deo absint

Benedictionis & maledictionis qui sint autores.

Esa. vlt.

Ignis æternus qualis.

2. Cor. 3.

Iob. 20.

G non illis quibus dicitur: Discedite à me maledicti, paratum ostendit, sicut regnũ iustis, sed diabolo & angelis eius. Quia quantũ ad se homines non ad perditionẽ creauit, sed ad vitã & gaudium: peccantes autem coniungunt se diabolo, & sicut qui saluantur sanctis angelis coæquantur, & fiunt filij resurrectionis & filij dei & angeli: sic qui pereunt, diaboli angelis coæquantur, & fiunt filij eius. Esuriui enim & non dedistis

1. Cor. 12. mihi manducare, & cætera.] Scriptum est ad fideles: Vos estis corpus Christi, & mẽbra ex parte. Sicut ergo anima habitans

Christi erga fideles affectus. in corpore cum non esuriat quantum ad suam substantiã spiritalem, esurit tamen vnumquenq; corporis cibum: quia copulata est corpori suo: sic & saluator patitur quæ patitur corpus eius ecclesia, cũ sit ipse impassibilis quantũ ad suam diuinitatem. Sanctis enim indigentibus cibo, & ipse esurit. Alijs autem membris suis necessariam habentibus medicinam, & ipse quasi infirmus necessariam habet. Item alijs susceptione opus habentibus, ipse quasi peregrinus in eis quærit vbi caput suum reclinet. Sic & in nudis alget, & in vestitis vestitur. Et si

1. Cor. 13. ex dilectione Paulus dicit: Quis infirmatur & non infirmor? & hoc magis ad laudem respicit apostoli, ostendentis magnitudinẽ charitatis suæ circa fideles: quomodo nõ magis quàm

Psal. 92. Paulus & omnis homo dilectione ornatus filius charitatis dei saluator dicere potest conuenienter? Quis infirmatur & non infirmor? quis scandalizatur, & non ego vror? Propter quod

H dicit, infirmus fui, sic & in carcere fui, & non visitastis me. In carcere enim membro Christi constituto, ipse non est solutus à carcere qui dicit de iusto: Cum ipso sum in tribulatione, hoc est cõtribulor ei. Sicut enim qui meus est, in tribulatione mecum est, sic & ego in tribulatione cũ eo sum. Et hoc dico nõ ignorans vulgariorem illam traditionem. Et hoc considera, quia immoratur in vnoquoque verbo loquens ad iustos, & laudans eos, & per singulas species eorum benefacta dinumerat. Loquens autem ad iniustos præcidit compendians, & cõcolligens malefacta eorum in breue: id est iustis quidẽ de infirmitate dicit: Infirmus fui, & visitastis me. Separatim autem de carcere: In carcere fui & venistis ad me. Ad iniustos autem cũ potuisset similiter facere, infirmus fui, & non visitastis me, in carcere fui, & non venistis ad me: præcidens narrationem subunauit vtrumq; dicens: Infirmus fui & in carcere, & non visitastis me. Quoniã misericordia iudicis erat, benefacta quidem hominum largius prædicare & ampliare, malefacta autẽ eorum transitoriè memorare & breuiare. Sed & iusti immorantur in vno quoq; verbo dicẽtes: Quando te vidimus esurientem & cibauimus, aut sitientem & potauimus, aut nudũ

Iustorum propria humilitas. & vestiuimus, aut peregrinũ & collegimus? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere?] Quoniam proprium est iustorum, beneficia sua relata sibi in facie, diligenter & per singula refutare causa humilitatis: tanquàm si dicente domino, hoc & hoc & hoc bonum in me fecistis, illi recusantes dicãt, nec hoc, nec hoc, nec hoc fecimus tibi. Iniusti non ita per sin-

I gula, sed cursim dicũt. Quando te vidimus esuriẽtem, aut sitientem, aut peregrinum, aut nudum, aut infirmũ, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? verbũ ministrauimus tibi ad omnia referentes, & quasi præcidentes & prætereũtes crimina singula, vt non grauiora videantur diligẽter & singillarim enumerata: quia proprium malorum hominũ est culpas suas excusationis causa, aut nullas velle ostẽdere, aut leues & pau-

Non fateri peccatum proprium malorum. cas. Sed & responsio Christi tam ad iustos facta quàm ad iniustos, hunc ipsum significat intellectum. Volens enim iustorũ benefacta ostendere grandia, peccatorum autẽ culpas non grandes, ad iustos quidẽ dicit: Ex eo quod fecistis vni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis.] Ad iniustos autem sic: Ex eo quod nõ fecistis vni ex minimis istis, nec mihi fecistis] non adiiciens fratribus meis, quemadmodũ cum loqueretur ad iustos. Nam abusiue quidem omnes credentes in Christo

1. Cor. 10. fratres sunt Christi: Reuera autẽ fratres eius sunt, qui perfecti

Matth. 6. sunt, & imitatores sunt eius, sicut ille qui dixit: Imitatores mei estote sicut & ego Christi: qui possunt dicere: Pater noster qui es in cœlis. Gratius est autẽ apud deum opus bonũ quod fit in sanctioribus, quàm in minimis sanctis: & leuior culpa est negligere minus sanctos quàm sanctiores. Minimos autẽ hic dicit, aut quasi in mundo minimos existimatos, aut quia apud seipsos minimi erant. Volentes enim apud deum fieri magni, seipsos minimos faciebant, quasi charissimi discipuli K eius qui dixit: Discite à me quia humilis & mitis sum corde.

Et hoc attende, quoniã cum prius dixisset: Venite benedicti: Matt. 11. deinde: Discedite maledicti: quoniam proprium boni dei est prius recordari benefacta bonorũ quàm malefacta malorũ: postea in exitu vtrorumq; prius nominat pœnam malorum, deinde vitam bonorum dicens: Et abibunt illi in pœnã æternam, hi autẽ in vitam æternam: vt primum quæ timoris sunt euitemus mala, postea quæ honoris sunt, appetamus bona. Et *Initiũ explicationis.*

factum est postquàm consummauit Iesus omnes sermones hos, dixit discipulis suis.] Volens ostendere quod omnia in *Cap. 26. Matthæi.*

pondere & numero & mensura constituit deus, dicit in aliquo loco ad matrem suam: Nondum venit hora mea. Item: Ioan. 2.

Nunc anima mea turbatur, & quid dicam? Pater salua me ex 12

hac hora. Sed propter hoc veni in hãc horam. Item: Pater ve- 17

nit hora, clarifica filium tuũ, vt & filius tuus clarificet te. Sic Marc. 1. & horam constituit passionis filij sui. Ideo etsi frequenter insidias passus est à Iudæis, nihil potuit pati discedente ab eo diabolo vsq; ad tẽpus: & nihil pati poterãt, donec cõsummaret omnes sermones suos, quos proposuerat dicere discipulis suis. Propterea postquã consũmauit omnes sermones hos, tũc dixit discipulis suis. Et vide quia non dixit simpliciter, postquam consummauit omnes sermones, sed addidit hos omnes, id est quos iam locutus fuerat, non quos adhuc fuerat lo-

cuturus. Adhuc enim oportebat eum etiã alios loqui sermo- L nes, postquã traderetur, & in Bethania in domo Simonis leprosi de muliere accedente ad se: Item & pascha facere cum discipulis suis, & conuincere proditorem latentem, & gratias agere, & porrigere eis panem & calicem. Oportebat eum & prædicere discipulis suis, quod essent scandalizandi: & Petro, quoniam ante galli cantum ter fuerat negaturus. Adhuc autẽ oportebat eum hora appropinquante magis orare nõ semel, nec bis, sed ter, donec hora plenius adueniret.

TRACTATVS XXXV.

Cap. XXVI.



IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Scitis quia post biduũ pascha fiet, & filius hominis tradetur ad crucifigendum. Et reliqua.] Si ergo etiã hora fuerat definita secundum quod diximus, vt nõ traderetur ante omnem doctrinã, quomodo nõ magis &

dies fuerat definitus, vt pascha nostrum Christus immolare- 1. Cor. 5. tur, dissoluens Iudaicum pascha, & tradens secũdum nouum testamentum discipulis suis? Oportebat etiam mensem esse definitum paschæ. Ego autem puto etiam annum, de quo & propheta dicebat: Prædicare annum domini acceptum & diẽ

salutis. Prædicit ergo discipulis suis præmuniens eos, vt ne Esa. 61. priusquã audiant quæ fuerant euentura subito videntes tradi ad crucem magistrum, obstupescant pauore propter passionẽ

domino accidentem. Ideo dixit eis: Scitis quia post biduum M pascha fiet, & filius hominis tradetur ad crucifigendum.] Nõ

autem sicut arbitrabantur quidam, hoc dicere vult, quia post *Pascha nouum.* biduum paschæ dies adueniet, sed quia post biduum nouum pascha fiet. Nec enim dixit, post biduum pascha erit, aut veniet, vt ne ostenderet illud pascha futurum quod fieri solebat secundum legem: sed pascha fiet, hoc est quale nunquàm fuerat factum, vt per hoc nouum pascha illud succidat antiquum. Denique sic addit: Et filius hominis tradetur ad crucifigendum.] Post duos autem dies factum est pascha secundum quod fuerat prophetatum ab eo, quando traditus est in nocte, & dixit osculanti se Iudæ: Amice ad quid venisti? Si autem post biduum pascha factum est, quarta decima luna, manifestum est quia quando ista dicebat, secundum Iudæos vndecima erat luna, quando & parabolas supradictas exposuit. A quo autem traditus est, hic non

est scriptum. Congregabis autem de scripturis, quoniam & *Christus à multis traditus morti* pater tradidit eum secundum quod scriptum est: Qui vnico filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Secundum alias autem scripturas Iudas tradidit

illum. Sed & satanas qui intrauit in Iudam tradidit eum. Rom. 8. Sed & principes sacerdotum & seniores tradiderunt eum. Propterea hic impersonaliter posuit tradetur, non di-

cens

A cens à quo: quod verbum potest ad omnes respicere qui tradiderunt eum. Sed non omnes eodem proposito tradiderunt. *Diuersis finis traditionum.* Deus enim tradidit eum propter misericordiam circa genus humanum, quod vnico filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Cæteri autem tradiderunt eum iniquo proposito, vnusquisque secundum malitiam suam, Iudas propter auaritiam, sacerdotes propter inuidiã, diabolus propter timorem, ne auelleretur de manu eius genus humanum per doctrinam ipsius, non aduertens quoniam magis eripiendum fuerat genus hominũ per mortem ipsius, quàm fuerat ereptũ per doctrinam & mirabilia. Traditus est enim ad crucifigendum, vt exuens principatus & potestates fiducialiter triumphet eos in ligno. Tunc congregati sunt principes sacerdotũ & scribæ & seniores populi in atrium principis sacerdotum qui dicebatur Caiphas, & consilium fecerunt, vt Iesum dolo *Psal. 2.* tenentes occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, vt ne tumultus fiat in populo.] Quod dixit propheta: Et principes conuenerunt in vnum aduersus dominum & aduersus Christum eius, tunc impletum videtur cum principes sacerdotum & seniores populi congregati sunt in domum principis sacerdotum aduersus dominum & aduersus Christum eius.

B Non veri sacerdotes, sed populi, & seniores non aliorum, sed illius qui videbatur populus Dei, vere autem populus erat *Matt. 27.* Gomorrę, quoniam dixerunt: Crucifige, crucifige eum, & *Esa. 1.* tolle talem de terra. Et quod dixerat Esaias: Audite verbum domini principes Sodomorum, attendite legem Dei plebs Gomorræ, conuenit illis insidiantibus Iudæis qui fuerunt in generatione temporis Christi. Et quod dicit Ezechiel ad Hie-*Ezech. 16.* rusalẽ: Iustificata est magis Sodoma ex te, magis conuenit dici ad Hierusalem super quam dominus fleuit, quàm ad tempus prophetæ. Peiora enim Sodomis peccauerunt principes *Luc. 21.* populi: quia non intelligentes summum sacerdotem Dei, insidiati sunt ei: & seniores populi non cognoscentes primogenitum vniuersæ creaturæ, & seniorem omnibus creaturis, cõsiliati sunt cõtra eũ. Et propter atriũ puto illud in quo cõsiliũ fecerunt vt Iesum dolo tenerent, desolata est Hierusalem. Oportebat enim iam nõ esse ciuitatẽ quæ aduersus totius mũdi egerat fundatorẽ: quę prius quidẽ occiderat prophetas, postmodũ autem dñm prophetarũ. Vt dolo eum tenerent.] Ideo conuenienter de eis dixit propheta: Disperdat dominus vniuersa labia dolosa. Dolo autẽ eum tenere & occidere voluerũt, vt ne tumultus fiat in populo illo, qui multa signa & prodigia Iesum viderat facientem. Et propterea multi quidem ex his erant pro eo qui forte dixerãt, quia magnus propheta surrexit in Israel. Alij autẽ erant aduersus eum qui dixerant: Hic non eiicit dęmonia nisi in Beelzebub principe dęmoniorum. Necesse ergo erat tumultũ fieri domino cõprehenso, propter diuersa studia populi diligentis Christum & odientis, credẽtis & non credentis. Stetit enim consilium eorum quasi firmum, cum ipsi qui consiliabantur stabiles non essent, vt non in die festo occideretur, sed in alio die: videlicet vt pascha nostrum immolaretur Christus, vt relinquentes azyma Iudæo-*1. Cor. 5.*

C rum festiuemus in spiritalibus azymis & veris. Cõsidera autẽ si potes omne verbum quod profitetur quocunq; modo doctrinã Dei, dicere principẽ esse sacerdotum Dei. Cũ sint autẽ *Allegoria.* multa falsorũ dogmatũ verba quasi sacerdotes Dei, nõ autem Dei sed populi qui seductus ab eis est, consiliantur aduersus vnum & verũ Dei verbum. Verbũ autem Dei pręberet quidem se insidiantibus, nihilominus tamen resurget, nõ immutatum neque corruptum ab eis: & in cœlum ascẽdet, vt suscipiat eos qui tollunt crucẽ suam & sequũtur eum. Cum autem esset Iesus in Bethania in domo Simonis leprosi accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti preciosi, & effudit super caput eius, recumbente eo. Videntes autem discipuli eius indignati sunt, & cætera.] Multi quidem existimant de vna eadẽque muliere quatuor euangelistas exposuisse, quia cõscripserunt tale aliquid de muliere, & omnes similiter alabastrum *Ioan. 12.* vnguenti nominauerunt. Ioannes autem pro alabastro posuit librã vnguenti. Sed & quod dicitur: Potuit hoc venundari, & pauperibus dari, dixerunt Matthęus & Marcus & Ioannes: & quoniam ad sepulturam suam vnguẽtum illud Christus pronunciauit effusum, ipsi exposuerunt: & quoniã in Bethania in domo Simonis leprosi factum est, ipsi tres conscripserunt.

Orig. tom. 2.

Ioannes autẽ Bethaniã quidem dixit, vbi fecerunt ei cœnam, D & Martha ministrabat, & Lazarus vnus erat ex discũbẽtibus, & Maria accepit libram vnguẽti nardi pisticæ preciosi, & cętera. Ex quibus apparet, quia ipsi ei fecerunt cœnã. Lucas autem, quãuis non leprosum posuit Simonẽ, tamen pharisæum *Luc. 7.* dixit fuisse, qui rogauerat Iesum vt manducaret cum eo, sicut de nomine eius dominus ipse testatur, dicens ad eum ibi: Simon Simon habeo quid tibi dicere. Multa ergo similitudo & cognatio quædam de muliere apud quatuor euãgelistas. Dicam tamen ad eos qui arbitrantur vnam fuisse mulierem de qua omnes euangelistæ scripserunt. Putas quod hæc mulier quæ effudit super caput Iesu preciosum vnguentũ, sicut Matthæus & Marcus exposuerunt, ipsa & myrrha vnxit pedes ipsius, sicut Lucas & Ioannes exposuerunt? Non est autem possibile, vt de eadem muliere exponentes euangelistæ cum essent consummati in eodem intellectu, & in eodem spiritu, & in eadem sententia qui fuerant ministraturi salutem ecclesiarum, contraria sibi dixissent. Si autem aliquis arbitratur ipsam fuisse quæ vnxit vnguento domini pedes apud Lucã & Ioannem, dicat nobis si Maria ipsa erat quæ apud Lucam fuisse scribitur in ciuitate peccatrix, quæ discens quoniam recubuit in domo pharisæi attulit alabastrum vnguenti, & stans retro E secus pedes eius plorans lachrymis lauabat pedes eius. Nec *An maria soror Lazari peccatrix illa Euangel.* enim credibile est, vt Maria quam diligebat Iesus, soror Marthæ quę meliorem elegerat partem, peccatrix in ciuitate fuisse dicatur. Et putas quia mulier quæ secundum Matthæum & Marcum effudit super caput Iesu preciosum vnguentum, euentu non scribitur fuisse peccatrix? Quę autem secundum Lucam peccatrix refertur, non fuit ausa ad caput Christi venire, sed lachrymis pedes eius lauit, quasi vix etiam ipsis pedibus eius digna, præ tristitia pœnitẽtiam in salute stabilem operante. Et quæ secundum Lucam est, plorat & multum lachrymat vt pedes Iesu lachrymis lauet: quæ autem secundum Ioannem est Maria, neque peccatrix, neque lachrymans introducitur. Forsitan ergo quis dicet quatuor fuisse mulieres, de quibus conscripserunt euangelistæ: ego autẽ magis cõsentio tres fuisse: & vnam quidem de qua conscripserunt Mat-*Tres mariæ* thæus & Marcus, nullam differentiam expositionis suæ faciẽtes in vno capitulo: alteram autem fuisse de qua scripsit Lucas: aliam autem de qua scripsit Ioannes: quoniam differt ab aliis mulieribus, non solum in his quæ scripta sunt de vnguẽto: sed quoniam & diligebat Iesus Mariam & Marthã: quamuis & ipsa in Bethania referatur fuisse, sicut & mulier de qua exponunt Matthæus & Marcus. Tertia differentia est, quo-*Ioan. 10.* niam Matthæus quidem & Marcus in domo Simonis leprosi hoc factum fuisse exponunt: Ioannes autem, quoniam Iesus ante sex dies paschę venit in Bethaniam vbi erat Lazarus, quẽ suscitauerat Iesus, & fecerunt ei cœnam. & non simul, sed Maria & Martha, forte & Lazarus: & Martha ministrabat, Lazarus autem erat vnus ex discumbentibus. Adhuc autem secundum Ioannem ante sex dies paschę venit in Bethaniam, quando & fecerunt ei cœnam Maria & Martha. Hic autem quando & recumbentem in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier, post biduum pascha erat futurum, sicut dictũ est supra. Restat vt aliquis dicat: Si de altera muliere Mat- F thæus & Marcus scripserunt, de altera autem Ioannes, de tertia vero Lucas, quomodo in persona vnius mulieris semel à Christo increpati discipuli quasi male indignantes de facto mulieris non se emendauerũt, vt ne super alteram mulierem *Obiectio.* similiter facientem indignarentur? Propterea sciat quia apud Matthæũ & Marcũ discipuli indignãtur ex bono proposito, apud Ioannem autem solus Iudas furandi affectu, apud Lucã autem murmurat nemo. Ex his ergo & aliis quæ & ipse poteris obseruare, certum est quoniam aut sibi contraria dicunt euangelistæ, vt quidam eorum mentiantur: aut si hoc impium est credere, necesse est dicere non de eadẽ muliere omnes cõscripsisse euãgelistas, sed aut de tribus, aut de quatuor. Dicet autem aliquis paulo audacior. Forsitan secundum historiam vna quædam mulier fuit quæ tale aliquid fecit. Pone autem & alteram si vis & tertiã, tamẽ & principaliter euãgelistarum propositum fuit respiciens ad mysteria: & non satis curauerunt, vt secundum veritatem enarrent historiæ, sed vt rerũ mysteria quæ ex historia nascebantur, exponerent. Pro-

G ptet quod & adrexuerunt quosdã sermones mysteriorũ intellectibus conuenientes & cõsonos. De his autem quę apud quatuor exponuntur euangelistas causa mulierum vel potius mulieris, sicut existimãt multi, diligẽtius tractauimus exponẽtes euangelium secundum Ioannem, quæ videbantur nobis cum similia essent & cognata, quasi contraria & distantia. Nunc autem ea breuiter perstringamus. Rationabiliter ergo Lucas cum de peccatrice muliere loqueretur, introduxit eam flentẽ abundãtius, vt etiã Iesu pedes lauaret: & non infundẽtem quidem vnguentum, sed tantum vngentẽ non caput, sed pedes. Illa autem quæ non accusabatur peccatrix, non vnxit, sed effudit, & non super pedes, sed super caput. Si autem quis & quæ de Maria Lazari sorore scripta sunt tractet, quæ & ipsa vnxit domini pedes notet sibi quę scripta sunt ibi, quoniã omnis domus repleta est ex odore vnguenti: quod non est scriptum de ea quę dicebatur esse peccatrix. Sed nec de muliere de qua scripserunt Matthæus & Marcus, quæ non dicebatur fuisse peccatrix, tale aliquid scriptum est, quia omnis domus repleta est ex odore vnguẽti. Fortitan per differentias

Ioan. 12.

Differẽtia fidelium.

H istarum mulierum, differentiæ fidelium demonstrantur: quorũ quidã quidẽ effundunt super caput Iesu preciosum vnguẽtum: alij autẽ non caput vngunt, sed pedes: alij autem nõ infundunt largiter, sed vngunt tantum. Vnguentum vero quidam tali vngunt vnguento, vt omnis domus impleatur ex odore diuinitatis ipsius: alij autem non tali quidẽ, tamen & ipsi acceptabili apud Christum, quoniam & ipsi vngunt pedes eius vnguento, quos pharisæus nec oleo vnxit. Oportebat autem hęc in Bethania fieri, quæ interpretatur domus obediẽtiæ, & ab hac quæ super caput domini effudit vnguentũ, non accusata quasi peccatrix in ciuitate, & à Maria, apud quam cũ fieret conuiuium Iesu, accessit ad eum & vnxit. Domum autẽ obedientiæ, ecclesiã intelligi oportere dubitat nemo. Illa autem quæ apud Lucã dicebatur peccatrix, adhuc non erat digna in Bethania esse, quamuis pœnitentiam peccatorum suorum agebat. Adhuc enim minus habebat, vt postmodum inueniretur in domo obedientię facta, vt iam consummata neque peccatrix diceretur, nec lachrymans & lauãs domini pedes, sed & ipsa effundens vnguentum super caput ipsius. Sed & Simon obedientię mysterium est, quoniam sic interpretatur, sed obedientialiter non spiritus: propter quod Simon eleuatus à litera legis per Iesum ad legem spiritalem, iam non erat Simon tantum, sed factus est etiam Petrus, & pro ædificatione Iudaica dignus habitus est ędificatione ecclesiæ super petrã fundandæ. Factus est ergo Iesus in domo Simonis quidem & alicuius obedientis, tamen leprosi, & adhuc opus habentis mundatione ab Iesu. Non autẽ memoratum est apud Lucam de Simone, quoniam & leprosus erat. Existimo quoniam ipse debitor erat quinquaginta denariorum, & iam acceperat remissionem eorum, quoniam dilexerat modicum. Tamen diligẽs aliquantulum, rogauit eum vt manducaret

Ecclesia domus obedientia.

Simon obedientia symbolum

I cum eo. Accessit autem mulier, non peccatrix secundũ Matthæum & Marcum alabastrum habens vnguenti preciosi. Et cõsidera quam caute apud hos qui peccatricẽ non retulerũt, vnguentum eius quasi preciosum laudatur. Apud Lucam autem qui exposuit peccatricem, vnguentum simpliciter nominatur, nec preciosum, nec nardi pisticę, vt ex odore eius impleretur domus. Adhuc enĩ habere non poterat vnguẽta huiusmodi: sed hoc erat magnum, quia vel vnguẽto poterat vngere domini pedes. Huius autem mulieris preciosum fertur vnguentum. Nec enim decebat esse non preciosum quod super caput saluatoris effundebatur. Et super vnguentum quidem peccatricis vngentis domini pedes, & non effundentis, neque indignati sunt discipuli, neq; doluerũt, nec dixit Iudas: Quare vnguentum hoc non est venundatum trecentis denarijs, & datum est pauperibus? Super mulierem autem apud Matthæum & Marcũ indignati sunt discipuli, & doluerunt perditionem vnguenti quod decurrebat à capite eius ad cæterum corpus. Nam etsi poterat venundari vnguentũ illud multo precio & dari pauperibus, tamẽ nõ debebat fieri hoc, quia cõueniens erat vt super caput Christi infunderetur sancta & decẽti infusione. Qui autẽ contendũt intelligere ista secundũ simplicẽ textũ, dicant effusum vnguentũ super caput Iesu laudabiliter, qualem habebat secundũ textum decorẽ, vt effunderetur super caput talis & tanti magistri. Non erat ergo vnguentũ illud pauperibus dignum, nec cõueniens, quantum ad suum honorẽ, vt diuideretur in multos, sed vt integrũ manens effunderetur super caput tantummodo Iesu. Propter K
quod & mulierem quæ fecerat hoc, suscipit Iesus, & indignãtibus discipulis dicit: Sinite eam, & nolite ei molesti esse, quoniam bonum opus operata est in me. Vsque adeo autem efficax est huiusmodi laus operis boni, vt exhortetur omnes nos odoriferis & diuitibus operibus implere domini caput: vt & de nobis dicatur, quia semper quidem habemus quãdiu in hac vita consistimus, pauperes nobiscum, & opus habentes cura eorum qui profecerunt in verbo, & diuites facti sunt in sapientia Dei, non autem possunt sufficere, vt semper diebus & noctibus habeant secum filium Dei, verbum Dei & sapiẽtiam, & omnia quicquid est dominus noster saluator. Vide & quod ait: Bonum opus operata est in me, quia non dixit de peccatrice vngente pedes ipsius: quia bonum opus fecit in me. Si autem oportet discutere & quod ait: Ad sepeliendum me fecit, comparans ei quod dicitur: Consepulti sumus Christo per baptismum, & consurreximus ei. Adhuc autem hoc considera, quoniam de muliere secũdum Lucam non est dictum, Amen dico vobis vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, dicetur & quod fecit hæc in memoriam eius. De muliere autem secundũ Matthęum & Mar- L
cum, hoc scriptũ est. Iustum enim erat nõ de illa quæ vnxerat pedes, sed de hac quę vnguentum effuderat super caput eius, dici: Vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, dicetur & quòd fecit hæc in memoriam eius. Si ergo volumus vt de nobis dicatur quod facimus in Iesu, effundentes preciosum vnguentũ super caput ipsius, proficiamus ab vnctione pedũ eius ad effundendũ preciosum vnguẽtum super caput eius. Quid autẽ est oleum, & quid vnguẽtum? Vnguentum autẽ quod proficit ad corpus Christi vngendum, & quod ad caput, difficile est explicare. Tamen id quod nobis videtur, demonstrare tẽtabimus, certissime cognoscẽtes, quia oleum vbique in scripturis aut opus misericordię intelligitur, quo lucerna verbi enutrita clarescit: aut doctrina, cuius auditu assiduo verbum fidei quod est accẽsum in nobis nutritur, & clarius lucet. Sicut ergo generaliter omne quo quis vngitur oleum appellatur, olei autem aliud est vnguentum, item vnguenti aliud est mediocre vnguentum, aliud preciosum: sic omnis actus iustus opus dicitur bonum. Operis autem boni, aliud est quod facimus propter homines, vel secundum homines: aliud autem quod propter Deum & secundum Deum. Item hoc ipsum quod facimus propter Deum, aliud est quod proficit ad vsum hominum, aliud quod non proficit ad vsum hominum, sed tantum ad gloriam Dei. Vtputa, bene quis facit homini naturali iustitia motus, non propter Deum, quomodo faciebant interdum & gentes, & multi faciunt homines. opus illud oleum est vulgare, non magni odoris, & ipsum tamen acceptabile apud Deum: sicut Daniel significat M
dicẽs ad Balthasar Deũ non cognoscentem: Audi consilium meum rex, & peccata tua eleemosynis redime. Tale aliquid dicit & Petrus apud Clementem, quoniam opera bona quæ fiunt ab infidelibus in hoc seculo eis prosunt, nõ & in illo ad consequendã vitam æternam. Et conuenienter, quia nec illi propter Deum faciunt, sed propter ipsam naturam humanã. Qui autẽ propter Deum faciũt, id est fideles, non solũ in hoc seculo proficit eis, sed in illo, magis autem in illo. Quod autẽ fideles faciunt propter Deum, hoc est vnguentum boni odoris. Hoc ipsum autem opus fidelium propter Deum, quod est vnguentum, aliud fit ad vtilitatem hominum, vtputa eleemosynæ, infirmorum visitationes, peregrinorum susceptiones, humilitas, mansuetudo, indulgentia, & cætera huiusmodi quæ hominibus prosunt. Hęc qui facit in Christianos, pedes domini vngit vnguento, quia ipsi sunt domini pedes cum quibus ambulat semper: quod præcipuè solent facere pœnitentes pro remissione peccatorum suorum. Et illud est opus quod dicitur vnguentum odoriferum quidem, non autem summum. Qui autem castitati studet, in ieiunijs & orationibus permanet, in aduersis patientiam habet sicut Iob, in tentationibus veritatem Dei non timet confiteri: quę omnia cæteris hominibus nihil prosunt, sed tantum ad gloriam Dei

Christus mulieris, quæ se vnxerat factũ probat.

Rom. 6.

Quomodo nos Domini corpus possimus vngere.

Non omnia opera infidelium esse peccatum.

Dan. 4.

D. Petri iudicium de virtutibus ethnicorũ.

A Dei proficiunt: hoc est vnguentum quod vngit caput domini Christi, & exinde per totum corpus Christi, id est per totam decurrit ecclesiam: & hoc est vnguentum valde preciosum, ex cuius odore tota repletur dom⁹, hoc est ecclesia Christi. Et hoc opus est proprium non pœnitentium, sed perfectorum sanctorum. Aut certe doctrina quæ necessaria est hominibus, per quā nutriuntur animæ pauperes in spiritalibus bonis, aut forte & debiles in peccatis, hoc est vnguentum mediocre, quo pedes domini vnguntur. Agnitio autem fidei veræ quæ ad solum pertinet Deū vnguentū est preciosum, quo vngitur caput Christi Deus. Tunc abiit vnus de duodecim qui dicitur Iudas Scariot ad principes sacerdotū & dixit eis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta stateres, & exinde quærebat opportunitatē, vt eū traderet eis.] Iudas interpretatur cōfessor. Cum sint ergo duo discipuli hoc nomine nominati, secundū quod Lucas Euangelista dinumerat inter duodecim fuisse Apostolos, Iudā Iacobi, & Iudam Scariotā: Quum nihil ergo à mysterio vacuum sit apud Christum, existimo duos discipulos Iudas in mysterio fuisse Christianorum confitentium fidem Christi: quorum vna quidem pars fideliter permanet apud Christum, cuius mysteriū fuit Iudas Iacobi, altera autē pars postquam credidit & confessa est fidem Christi, propter auaritiam relinquit Christum, & facta proditrix veritatis ipsius, trāsit ad hæreses, & ad falsos sacerdotes Iudæorum falsorum, id est simulatorum Christianorum, & tradidit eis Christū quantum ad se, id est, verbum veritatis, vt crucifigatur & occidatur verbum veritatis ab eis: cuius mysterium fuit Iudas Scariota, qui abiit ad sacerdotes, & de traditione Christi pactus est precium. Audiui quendam exponentem patriam proditoris Iudæ secundum interpretationem Hebraicam exsuffocatum vocari. Quod si ita est, magna conuenientia inuenitur nominis patriæ eius cum exitu mortis ipsius, quoniam & ipse laqueo se suspendens prophetiam nominis patriæ suæ suffocatus impleuit. Hic ergo Iudas ad quem dictum est per prophetam: Tu autem homo vnanimis mihi dux meus & notus meus, cecidit cum fuisset vnus eorum quos Christus ad ducatū suscepit populi Christiani. Et vide quomodo quod scriptū est: Vos autē sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis, refertur modo ad illum principem qui cecidit tanquam fulgur de cœlo: modo ad Iudam, qui electus ad principatum Apostolatus, & quasi in cœlo constitutus, & ipse quasi fulgur antè cōstitutus cecidit in proditionis ruina, vadens aduersus vnum principem sacerdotum, qui in æternum factus fuerat sacerdos secundum ordinem Melchisedec, ad multos principes sacerdotum & aduersarios vnius sacerdotis summi, vt venderet precio volentem redimere totū C mūdū à maledictione legis & totius peccati, & redimere nos non corruptibilib⁹ pecuniis, sed precioso sanguine suo. Quid autem dixit Iudas ad sacerdotes, audiamus. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Volebat enim accipere pecuniam, & tradere verbum Dei. Quod faciunt omnes qui accipiunt aliquid corporalium aut mundialium rerum, vt tradant & eiciāt ab anima sua saluatorem, & verbum veritatis quod erat in eis. Et opportune hoc veteris exemplo ad omnes qui quodcūque peccatum facientes propter auariciam & causam pecuniarum, aut alicuius lucri, verbum Dei tradunt & contemnunt. Nam huiusmodi homines quasi manifeste clamare videntur, & dicere virtutibus aduersariis præstantibus lucrū aliquod pro peccato transgressi verbi: Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam? Quod & si traditus fuerit, sit quidem extra tradentem: vincens autem eos qui eum suscepisse videntur, operatur decentia se, vt euacuare cupientes eum, nihil operantur in ipsum. At illi statuerunt ei triginta stateres, tantam ei dationem constituentes, quantos annos saluator peregrinatus fuerat in hoc mundo. Triginta enim annorum baptizatus cœpit Euangelium prædicare, quasi Ioseph factus triginta annorum erogaret frumenta fratribus suis. Nam sicut tunc propter filios quidem Israël à Deo fuerat præparatū frumentum illud, erogatū est autē etiam Ægyptiis: sic Euangelium sanctis quidem fuerat præparatum, tamen prædicatum est etiam infidelibus & iniquis. Ex tūc quærebat opportunitatem vt traderet eum. Qualem autem opportunitatem

Iudas.
Matt. 17.
Act. 1.
Psal. 81.
Psal. 110.
Luc. 3.
Gen. 42.

quærebat Iudas, Lucas manifestius explanauit dicens: Et quærebat opportunitatē, vt traderet eum eis sine turba: id est quādo populus non erat circa eū, sed secretius erat cum discipulis suis. Quod & fecit eum tradēs post cœnā cum secretus esset in prædio Gessemani. Arbitrabatur enim Iudas opportunitatem sibi esse post pactū quod fecit, quando cum multitudine nō erat Iesus. Et vide nisi vsque nunc opportunitas ista videtur proditoribus verbi veritatis, qui nolūt prodere Christum Deum verbum in tēpore persecutionis Christianorum, quādo multitudo credentiū non est circa verbum veritatis, nec potest impedire aut prohibere persecutores, maxime vbi pauci fideles habentur. Et cum sit omnium rerum tēpus, Salomone dicente, Tempus pariendi, & tempus moriendi & cętera: tempus proditorum veritatis proprium hoc est, quādo non sunt circa Christum multi fideles. Prima autē azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes ei. Vbi vis paremus tibi pascha manducare? Iesus autem dixit: Ite in ciuitatem ad quendā, & dicite ei, & cętera.] Apud Marcū autē sic dicitur: Et prima die azymorum quando pascha immolabatur, dicēt ei discipuli eius: Quouis eamus & præparemus tibi vt manducemus pascha? Et mittit duos ex discipulis suis, dicens: Ite in ciuitatem, & ingredientibus vobis occurret vobis homo amphoram aquæ portans: & vbicunque ingressus fuerit, dicite patrifamiliâs. Magister dicit: vbi est diuersorium meum, vbi cum discipulis meis manducem pascha? Et ipse vobis ostēdet locum in superioribus stratum magnum paratū, illic parate nobis. Sic ergo apparet quod vna eademq; dies erat paschæ, quādo oportebat immolare pascha azymorum, & quando oportebat tollere fermētum vetus, & azyma manducare cum carnibus agni. Et dies quidem paschæ vna erat, azymorū autem septem, cōnumerata videlicet die paschę cum cæteris sex. Secundum hæc forsitan aliquis imperitorum requiret, cadens in Ebionismum ex eo quod Iesus celebrauit more Iudaico pascha corporaliter, sicut & primam diē azymorum & pascha, dicens quia conuenit & nos imitatores Christi similiter facere: non considerās quoniā Iesus cum venisset temporis plenitudo & missus fuisset, factus est de muliere, factus est sub lege, non vt eos qui sub lege erant sub lege relinqueret, sed vt educeret eos ex lege. Si ergo ideo venit vt educeret eos qui erant sub lege, quanto magis non conuenit illos introire in legem, qui prius fuerant extra legem? Ergo de litera quidem egredimur legis: intra virtutem autem spiritalem legem constituti, spiritaliter celebrantes implemus omnia, quæ illic corporaliter celebranda mandantur. Expellimus enim vetus fermentum malitiæ & nequitiæ, & in azymis syncæritatis & veritatis celebramus pascha, Christo nobiscum coëpulante secundum voluntatem agni dicentis: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam manentem in vobis. Qui tulit peccatum mundi, & prohibet verum exterminatorem non solius Ægypti, sed totius generis humani exterminatorem tangere nos celebrantes festiuitatem paschæ secum. Et ascendimus ipso domino nobiscum constituto ab inferioribus ad locum superiorem, in quo diuersorium est quod demonstratur ab illo intellectu, qui est in vnoquoque homine paterfamilias discipulis Christi. Hæc autem domus superior sit nobis magna, vt capiat Iesum verbum Dei & sapientiam & veritatem, & omne quod est filius Dei, qui non capitur nisi à magnis sensu. Et sit domus hæc præparata à patrefamiliâs intellectu filio Dei, non solum in loco superiori, nec tantummodo magna, sed etiam mundata, nullo modo habens malitiæ sordes, sed à scopis legis coadunatas atq; prolectas. Sit domus ista & in ciuitate Dei, id est in ecclesia. Sit autem domus illius princeps non qualiscunque cognomen habens nomen, ideo & mystice dicit Iesus: Ite ad quendam. Et illi dicant, qui Christo præparant pascha: Magister dicit, apud te faciam pascha cum discipulis meis: Annuncient etiam patrifamiliâs illi & quod dicit, Magister dicit, vbi est diuersorium vbi cum discipulis meis manducem pascha? vt paterfamilias ille qui præparat diuersorium Iesu & discipulis eius ascendat locum superiorem & stratum & paratum & magnum, vt veniens illuc Iesus festiuet cum discipulis suis. Ego autem puto quod homo qui ingredientibus discipulis in ciuitate occur-

D
Luc. 22.
Proditores christi & veritatis.
Eccl. 3.
E
Ebionitarū de Iudaisme deliria refutat.
Gal. 4.
1 Cor. 5.
Ioan. 6.
F
Allegoria de esu agni paschalis.

G rit els amphoram aquæ portans, quem voluit Iesos vt sequerentur discipuli eius euntem in domum, qui subtilem illam aquam domui apportabat, vt non solum esset mundata, sed etiam aquis plenius eluta: erat quidam ministrans patrifamiliâs, id est intellectui, portans mundatoriam aquam in fictili vase, vt sublimitas virtus sit Dei. Aut certe potabilem aquam subministrabat in illo fictili vase, vt filius quidem Dei generationem præbeat vitis: ille autem intellectus minister ea lege & prophetis aquam portet quę misceatur cum vino Euangelici verbi. Nos ergo qui optamus de ecclesia esse, volentes celebrare pascha cum Iesu, sequamur hominem illum qui vas baiulat huiusmodi aquæ, quem puto esse Moysen legis datorem, spiritalem doctrinam portantem in corporalibus historiis. Qui autem accedunt ad legem & propbetas quasi ad eloquia ipsius Dei, non autem sequuntur eum spiritaliter qui vas baiulat aquæ viuæ, non celebrant pascha cum Iesu, nec calicem bibunt noui testamenti. Præparent autem discipuli pascha Iesu: & post sermones discipulorum quibus catechizauerunt patremfamilias, id est intellectum, veniat & diuinitas vnigeniti coëpulans discipulis suis in domo prædicta. Scire tamen debemus quoniam qui in epulationibus & solicitudinibus secularibus sunt, non ascendunt in domum illam superiorem, nec vident magnitudinem eius, nec considerant stratus illius ornatum. Propterea nec celebrant cum Iesu pascha, nec accipiunt panem benedictionis ab eo, nec calicem noui

Aqua gestator Moses.

H testamenti. Vespere autem facto discubuit cum discipulis suis, & edentibus eis dixit: Amen dico vobis, quoniam vnus ex vobis tradet me.] Discipulis edentibus pascha secundum legis mandatum, dixit Iesus: qui sciebat quid esset in homine, & propterea non babebat opus vt aliquis testimonium daret ei de homine, & dixit de Iuda com consueto sibi iureiurando. Amen dico vobis, quoniã vnus ex vobis me tradet. Cum enim potuisset à principio proditorem specialiter demonstrare, hoc quidem non fecit: dixit autem generaliter, quod vnus ex vobis me tradet, vt ex testimonio percussi cordis singulorum qualitas probaretur: vt & discipulorum ostenderet bonitatẽ, quia plus credebant verbis Christi, quam conscientiæ suæ: & Iudæ malitiam, quia nec cognitori consiliorum suorum credebat vt turbaretur aut tristaretur: existimo, quia in primis putauit latere quasi hominem. Qui postquam vidit conscientiam suam notam Christo, amplexus est occultationem positam in verbis ipsius: quorum primum infidelitatis erat, secundum autem impudentiæ. Et contristati nimis cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum domine?] Quæret autem aliquis quomodo si bonæ conscientiæ erant vndecim Apostoli, quia mondi erant ab omni proditione magistri, vt quid contristati sunt de auditu, quasi potuisset fieri vt vnus esset ex ipsis de quo dicebatur? Existimo autẽ quoniam vnusquisque discipulorum sciebat ea his quæ docuerat Iesus, quoniam mutabilis & ad malum vertibilis est natura humana: & quoniam in colluctatione aduersus principatus & po-

Querela Christi de proditore.

Ioan. 2.

Naturã humanam ad lapsum proclinẽ esse.

I testates & rectores huius mundi tenebrarum potest fieri vt decidat homo, aut circumuentus, aut vim passus ab aduersariis virtutibus ad malum perficiendum. Hoc ergo considerantes vnusquisque discipulorum, ne forte ipse esse qui præcognitus esset proditor, cõtristati sunt valde, propterea quod dictum fuerat eis, vnus ex vobis me tradet: & cœperunt dicere quasi nesciẽtes singuli futurum de se: Nunquid ego sum domine? Si autem babet rationem, quoniam propter hanc causam timens vnusquisque eorum dixit, nunquid ego sum domine? de omnibus futuris timendum est nobis infirmis, qui nondum sapientiam perfectionis accepimus, secundum quam dixit Apostolus: Confido enim quia neque mors, neque vita & cætera, potest nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu. Qui autem nondum perfectus est, dubitat de seipso quasi possit & cadere. Secundum quam infirmitatem humanam scribens Corinthiis Paulus dicebat: Sed castigo corpus meum, & seruituti redigo, ne forte cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar. Et vide quod dicit: Ne forte cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar, sic pronunciat quasi timens ne forte & cadere possit & reprobus fieri. Quod autem dixit: Confido & cætera, confidentis hominis infirmi est propter suam perfectionem, quoniam nulle contraria se-

Rom. 8.

1. Cor. 9.

parare cum à charitate Christi non valeant. Quod autem A- K
postoli adhuc erant infirmi, & iuste timebant, manifestum est ex eo quod dicit qui sciebat propositum singulorum: Quoniam omnes vos scandalum patiemini in me in hac nocte. Et quod proponens quis meliora aliquoties ad malitiam transuertitur victus in colluctatione contrariarum virtutum, manifestum est ex eo quod scriptum est de Petro: quoniam ipse quidem considerans propositum suum, qualem circa Christum haberet affectum, respondit non cum simulatione, sed ex veritate cordis sui quantum ad se, Quoniam si omnes scandalizati fuerint, ego solus non scandalizabor. Saluator autem sciens infirmum eum in suis promissionibus fore, & quoniam breuis timor hominis facturus esset eum recedere à proposito meliori, dixit ad eum: Amen dico tibi, quoniam in hac nocte priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et talibus non est importunum dicere semper: ne glorieris in domino, nec enim scis quid pariat dies superueniens. Et Paulus similiter, Fratres, inquit, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, confirmate huiusmodi in spiritu mansuetudinis, considerantes ne & vos tentemini, docens quoniam incertus est exitus noster de nobis, quamuis forte meliorum propositum habeamus. Hæc autem omnia recordantes, quoniam nescimus quid pariat nobis dies superuentura, non inflabimur, neque superbiemus, neque gloriabimur ali- L
quando, quamuis sciamus nos multa bona habere: sicut & Paulus cum dixisset de se: Nihil mihi conscius sum, superaddit, Sed non in hoc iustificatus sum, tanquam sciens Deum sanctificantem quos præcognoscit, & quos prædestinauit vocantem. Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Videns eos de seipsis timentes, demonstrauit proditorem indicio propheticæ vocis dicentis: Qui manducat panem meum mecum, amplificauit aduersus me supplantationem. Nec enim discrepat illud ab hoc quod dicit: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Et hoc quoque considerandum est, quid vtique nos volens docere Saluator signum dat discipulis de Iuda proditore, ex eo quod cum Iesu manum suam in paropsidem misisset, in quam sicut existimo intingebant carnes pascha edentes. Existimo autem quod malitiam eius multam manifestam facere volens hoc dixit: quoniam quem suscepit ad mensam communem, & commanducauit ei, forte quia à principio bene agebat, ipse Iesum prodidit tantis honoribus se complectentem: & neque salis eiusdem, neque mensæ, neque panis communicati memor est factus, sed omnia illa transgrediens propter triginta staterum promissionem tradidit largitorem tantorum bonorum. Et hæc est vere propria consuetudo hominum nimis malorum, vt post salem & panem insidientur hominibus, maxime nihil nocentibus eis, cum quibus communicauerunt panem & salem. Denique Daniel de quibusdam huiusmodi hominibus feralibus & valde malis ita prophetans dicebat: Super mensam vnam falsa loquentur. Si autem potes spiritalem mensam & cibum spiritalem & dominicam intelligere cœnam, quibus omnibus dignificatus fuerat à Christo, abundantius videbis multitudinem malitiarũ eius, quibus magistrum M
cum cibo diuinæ mensæ & calicis & hoc in die paschæ tradidit saluatorem: non recordatus nec in corporalibus bonis magistri dilectionem, nec in spiritalibus doctrinam eius sine inuidia semper communicatam. Tales sunt omnes in ecclesia qui insidiantur fratribus suis, cum quibus ad eandem mensam corporis Christi, & ad eundem potum sanguinis eius frequenter simul fuerunt. Si autem oportet & ipsius paropsidis interpretationem accipere, non quidem ab huiusmodi nos abstineamus, ne aliquid frigidum quibusdã dicere videamur. Tamen qui vult etiam in hoc aliquid inuenire morale, consideret in lege vbi dona à principibus singularum tribuum offeruntur in dedicatione altaris. Forte intelliget ibi etiam paropsidem aliquid esse intelligendam. In prima, inquit, die obtulit donum suum Naason filius Aminadab princeps tribus Iuda: & obtulit donum suum paropsidem argenteam, siclorum triginta & centum pondus eius, & phialam vnam argenteam siclorum septuaginta, secundum siclum sanctum.

Gal. 6.

1. Cor. 4.

Psal. 40.

Mensa communis.

Alludit ad vetus dictũ, τὴν ἅλα καὶ τὴν τράπεζαν μὴ παραβαίνειν.

Dan. 11.

Iudæ similes.

Num. 7.

Et filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo: Væ autem homini illi per quem filius hominis traderur.] Et

Iesus

A Iesus quidem secundum quod videbatur ibat passus per crucem: secundum autem quod vere erat, & ibat, & remanebat in mundo cum discipulis suis custodiens eos in fide. Nec enim potuissent permanere in fide ipsius, præcipuè cum mortuum eum vidissent, nisi ab ipso inuisibiliter custodita fuissent corda eorum. Et non dixit, væ homini illi à quo traditur, sed per quem traditur, ostendens alterum à quo tradebatur, id est, à diabolo: ipsum Iudam autem ministrum esse traditionis. Væ autem non solum Iudæ, sed omnibus proditoribus Christi. Quicunque enim discipulos Christi tradit, ipsum Christum tradit. Propterea à diabolo quidem traduntur, tamē per homines illos: & ideo væ illis. Nam si omnē malitiam in hominibus diabolus per homines operatur, & quicunque interficitur ab aliquo, etsi non ab ipso, tamen per ipsum est interfectus, Et si iudex aliquem interfecerit iniuste mortis sententiam ferens in aliquem, sciendum est quia ipse locum diabolo dans in se, ministrum se præbuit diabolo ad interfectionem hominis innocentis. Bonum erat ei si non fuisset natus homo ille.] Hoc est, illi bonum erat si natus non fuisset: quia nec hoc bono fuerat dignus vt non nasceretur. Sed quoniam aptus fuerat ex arbitrio suo vt hoc ministeriū proditionis consummaretur per eum, ideo natus est malo suo, vt in malum quod secundum propositum suum merebatur incideret.

Seipsum aptauit Iudas ad proditionē magistri.

Respondens autem Iudas dixit: Nunquid ego sum Rabbi?] Et vide quoniam expectans Iudas tanitū sermonem

B Christi de se, non præcidit narrationem eius sua responsione, sed post omnes respondit dicens: Nunquid ego sum Rabbi? Non ex affectu discendi, sed secundum consuetudinem nominandi magistrum, eum vocauit magister: quasi subsannans eum, quia vocabatur magister, cum non esse hoc vocabulo dignum. Et dixit eis Iesus: Tu dixisti.] Vt ea ore ipsius iudicaret eum: quoniam ille quasi dubitans dixerat, Nunquid ergo sum Rabbi? Non quidem secundum conscientiam dubitans, sed fingens se de hoc dubitare. Non enim habebat ipsum timorem quem cæteri Apostoli habuerunt: sed ille sine timore, quasi timens dicebat. Et ideo forsitan post omnium Apostolorum singillatim interrogationes, & post Christi narrationem de ipso, vix aliquandu & ipse interrogauit, quasi ex cogitato quodam & versuto consilio, vt similia cæteris Apostolis interrogando, celaret interim proditionis suæ consilium. Nam vera tristitia & vrgens non sustinet moram, sicut nec Apostolorum sustinuit. Edentibus autem eis accipiens Iesus panem & gratias agens, fregit & dedit discipulis suis dicens: Accipite & manducate, Hoc est enim corpus meum. Et accipiens calicem, & gratias agens dedit eis dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.]

Cœna dominica institutio.

C Panis iste quem Deus verbum, corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum, verbū de Deo verbo procedens, & panis de pane cœlesti, qui positus est super mensam de qua scriptum est: Præparasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Et potus iste quem Deus verbum sanguinem suum fatetur, verbum est potans & inebrians præclare corda bibentium, qui est in poculo de quo scriptum est. Et poculum tuum inebrians quam præclarū est. Et est potus iste generatio vitis veræ quæ dicit: Ego sum vitis vera. Et est sanguis vuæ illius, quæ missa in torcular passionis protulit potum hunc. Sic & panis est verbum Christi factum de tritico illo quod cadens in terram bonam multum reddidit fructum. Cur autem non dixit, hic est panis noui testamēti: sicut dixit, hic est sanguis noui testamenti? Quoniam panis est verbum iustitiæ, quam manducantes animæ nutriuntur: Potus autem est verbum agnitionis Christi, secundum mysterium eius natiuitatis & passionis. Quoniam ergo testamentum dei in sanguine passionis Christi positum est ad nos, vt credentes filium Dei natum & passum secundum carnem, salui efficiamur non in iustitia, in qua sola sine fide passionis Christi salus esse non poterat, ideo tantum de calice dictum est: Hic est calix testamenti. Amen dico vobis, quod amodo non bibam de generatione vitis huius, nisi cum bibam illud vobiscum nouum in regno patris mei.] Sed & de pane dictum est apud Lucam similiter. Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum. Dico vobis quod amodo non

Psal.23.

Ioan.15.

Luc.22.

manducabo illud, nisi impletum in regno Dei. Ergo manducabit saluator & bibet, panem illum & potum paschalem renouatum in regno Dei, & manducabit & bibet cum discipulis suis. Sicut enim non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum humiliauit vsque ad mortem, sic manducabit panem, & bibet de generatione vitis, & bibet nouum, & propter multam bonitatem suam & dilectionem hominum manducabit & bibet cum discipulis suis, cum tradiderit regnum Deo & patri. Attende enim quod dicit. Cum bibero ipsum vobiscum nouum, non alio tempore nisi in regno patris mei. Et alias autem non regnum Dei esca & potus. Corporaliter enim & secundum similitudinem præsentis cibi & potus, non est regnum Dei esca & potus his qui exhibuerunt se dignos pane cœlesti & pane angelorum, & esca illa de qua dicit saluator, Mea esca est, vt faciam voluntatem eius qui me misit, & perficiam opus eius. Quoniam autem in regno Dei manducabimus & bibemus: ex multis locis scripturarum est demonstrare, præcipuè ex eo quod scriptum est: Beatus qui manducauerit panem in regno Dei. Ergo implebitur in regno Dei hoc pascha, & manducabit cum Iesus cum discipulis suis, & bibet: Et quoniam quod dicit Apostolus, Nemo vos iudicet in esca & in potu, & cætera, quæ sunt vmbra futurorum, reuelationem habet ad futura mysteria de escis & potibus spiritalibus quorum vmbra fuerunt quæ de escis & potibus in lege fuerant scripta. Manifestum est autem

D

Philip.2.

1.Cor.15.

Rom.14.

Ioan.4.

Luc.14.

Col.2.

E quoniam veram escam & verum potum manducabimus & bibemus in regno Dei, ædificantes per ea & consortantes verissimam illam vitam, & quod dicit: Accipiens Iesus panem, similiter & accipiens calicem, qui paruulus quidem est in Christo, & in Christo adhuc carnalis, intelligit communiter: prudentior autem quærat, à quo accipiens Iesus, Deo enim dante accipit & dat eis qui digni sunt à Deo accipere panem & calicem. Quomodo autem dat Deus panem, significat & Iacob dicens: Si fuerit dominus meus mecum, & dederit mihi panem ad manducandum & vestimentum ad vestiendum, omnia quæcunque mihi domine dederis decimam decimabo tibi. Item scriptum est in Euangelio secundum Ioannem: Non Moyses dedit vobis panem, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Et semper Iesus his qui secum pariter agunt festiuitatem, accipiens panem à patre gratias agit, & frangit, & dat discipulis secundum quod vnusquisque eorum capit accipere, & dat dicens: Accipite & manducate: & ostendit quando eos hoc pane nutrit, proprium esse corpus, cum sit ipse verbum, quod & nunc necessarium habemus, & cum fuerit in regno Dei impletum: Sed nunc quidem nondum impletum, tunc autem impletum, cum nos præparati fuerimus ad capiendum pascha plenum, quod venit vt impleat, qui non venit soluere legem, sed adimplere.

Gen.28.

Ioan.6.

F Et nunc quidem implere quasi per speculum in ænigmate impletionis: tunc autem facie in faciem implere, cum venerit quod perfectum est. Si ergo & nos volumus panem benedictionis accipere ab Iesu, qui consuetus est cum dare, eamus in ciuitatem in domum cuiusdam, vbi facit Iesus pascha cum discipulis suis præparantibus ipsum nobis ipsius: & ascendamus ad superiorem partē domus magnam & stratam & præparatam: vbi accipiens à patre calicem, & gratias agens, dat eis qui cum ipso ascenderint, dicens: Bibite, quia hic est sanguis meus noui testamenti, qui & bibitur & effunditur: bibitur quidem à discipulis, effunditur autem in remissionem peccatorum commissorum ab eis à quibus bibitur & effunditur. Si autem quæris quomodo etiam effunditur, discute cum hoc verbo etiam quod scriptum est, Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Si autem sanguis testamenti infusus est in corda nostra in remissionem peccatorum nostrorum, effuso eo potabili sanguine in corda nostra, remittuntur & delentur omnia quæ gessimus ante peccata. Ipse autem qui accepto calice dicit: Bibite ex hoc omnes, nobis bibentibus non discedit à nobis, sed bibit eum nobiscum cum sit in singulis ipse: quoniam non possumus soli, & sine eo vel manducare de pane illo, vel bibere de generatione illius vitis veræ. Nec mireris quoniam ipse est & panis, & manducat nobiscum panem, ipse est & potus generationis de vite, & bibit nobiscum. Omnipotens enim est verbum Dei, & diuersis

Matt.5.

1.Cor.13.

Sanguis Christi bibitur & effunditur.

Rom.5.

Sanguis Christi effunditur in corda nostra in remissionem peccatorū.

G appellationibus nuncupatur, & innumerabilis est ipse secundum multitudinem virtutum, cum sit omnis virtus vnus & ipse. Deinde docebat discipulos qui festiuitatem celebrauerant cum magistro, & acceperant benedictionis panem, *Corpus verbi.* & manducauerant corpus verbi, & biberant calicem gratiarum actionis, pro his omnibus hymnum dicere patri, & de alto transire in altum: quia fidelis non potest aliquando aliquid agere in conualle: propterea ascenderunt in montem Oliueti, in quo vnaquæque oliua quasi arbor faciens fru- *Psal.118.* ctum dicere potest, Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. Et qui nondum sunt facti quasi oliua fructifera in domo Dei, sed sunt adhuc quasi nouella oliuarum in circuitu mensæ spiritalis patris sui, possunt esse in monte Olueti, de quo prophetat & Zacharias. Et quàm apte mons misericordiæ est electus, vbi prænunciaturus fuerat scandalum infirmitatis discipulorum suorum: quia non optabat vt fieret, sed prænunciabat quod erat futurum, iam tunc præparatus non vt repelleret discipulos discedentibus, sed vt reciperet conuertentes. Tunc dicit eis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in hac nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Cum autem surrexero, præcedam vos in Galilæam.] Qui scandalizantur, non in die scandalizantur, sed in nocte, & in nocte illa in qua proditur Christus. Sic enim & Petrus denegans, non in die denegat, sed in nocte, & in nocte cui nondum H propinquauerat lux. Ante cantum enim galli negat. Si quis autem quærat quomodo post tanta & talia signa, & prodigia & sermones non ex inferiori virtute, quàm ex qua facta fuerant signa & prodigia, dicto scandalizantur discipuli: sciat quia vult ostendere per hæc sermo: quoniam sicut ne- *1.Cor.12.* mo potest dicere dominum Iesum nisi in spiritu sancto, sic nemo potest sine scãdalo esse sine spiritu sancto. Quãdo au- *Ioan.7.* tem implebatur quod dixerat Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in hac nocte, nondum datus erat spiritus sanctus *Rom.8.* adhuc, quoniam Iesus nondum fuerat honorificatus. Nos autem postquam confessi fuerimus dominum Iesum in spiritu sancto, quoniam qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt, si post spiritum sanctum scandalum passi fuerimus, aut denegauerimus, non habemus excusationis locum, quasi scandalizati sine spiritu sancto, aut denegantes sine spiritu sancto. Et illi quidem scandalizati sunt quasi adhuc consistentes in nocte, nobis autem iam nox remota est, dies au- *Rom.13.* tem appropinquauit. Propter quod dicitur: Sicut in die honeste ambulemus. Qui autem honeste ambulat, in luce est, non denegat Christum, quia non est in nocte. Adhuc autem ideo illi scandalizati sunt in nocte, sicut dominus ipse testa- *Rom.8.* tur, quoniam secundum scripturam pro nobis omnibus pater filio vnico non pepercit, sed tradidit eum pro nobis in passionem, vt ad modicum dispergantur oues gregis scan- I dalum passi, post hoc autem congregentur à resurgente Chri- *Esa.9.* sto, & præcedentes eos in Galilæam, qui se sequi voluerint in Galilæam, vt gentium populus qui sedebat in tenebris videat lumen magnum, & qui in regione & vmbra mortis, lux eis oriatur. Respondens autem Petrus dixit ei. Si omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor. Dixit ei Iesus: Amen dico tibi, quoniam in ista nocte priusquam gallus can- *Rom.3.* tet, ter me negabis. Dicit ei Petrus: Et si oportuerit me tecum mori, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.] Dicit Apostolus in epistola ad Romanos, Sit autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: non præcipiens omnem hominem fieri mendacem, sed pronuncians esse mendacem, Psalmo dicente: Ego dixi in excessu mentis meæ, omnis homo mendax. Hic autem Petrus audiens saluatorem dicentem: Omnes vos scandalum patiemini in me hac nocte, dominum nostrum profitebatur facere mendacem per ea quæ sibi confidens dicebat: Si omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor: non considerans quoniam qui dixit: Ego sum veritas, mentiri non poterat. Propter hoc, sicuti existimo, omnes quidem discipuli scandalizati sunt tantum in Iesum: Petrus autem qui existimauit mendacem posse facere veritatem, non tantum scandalizatus est, sed etiam derelictus propter audacem suam promissionem, iuxta scandalum etiam denegauit.

Et quoniam non solum inconsideratè, sed penè etiam im- K pie dixit: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor, nec cogitans lubricam naturam humanam, magnum protulit verbum: ideo nec ad modicum est derelictus, vt scilicet denegaret, vel semel denegaret, sed abundantius derelinquitur, vt ter denegaret: vt arguatur audacis promissionis eius per vnam ancillam, & hoc verbum interrogantem, & dicentem: Et tu cum Iesu Galilæo eras. Et denegauit coram omnibus dicens: Nescio quid dicis. Et iterum denegauit non simpliciter, sed cum iuramento. Et tertia vice non solum cum iuramento, sed cum adnotatione, quia nescio hominem. Per hoc autem instruimur, vt nunquam sine consideratione aliquid promittamus super habitudinem nostram humanam, quasi qui valeamus Christi implere confessionem ex nobis, aut aliquid præceptorum Dei, ammonente nos Apostolo, & dicente: Noli *Rom.11.* altum sapere, sed time. Debuerat enim, postquam audiuit, *Orandus* quia omnes vos scandalum patiemini in hac nocte, & po- *Christus ne* stulasse dominum, & dixisse: Et si omnes scandalizati fue- *labamur.* rint in te, esto in me, vt non ego scandalizer: & dona mihi præcipuè gratiam hanc, vt in tempore cum omnes discipuli tui fuerint scandalum passi, ego in denegationem non cadam, nec ab initio scandalizer. Si eum postulasset, forsitan amotis ab eo ancillis cæterisque ministris, non denegasset. Nec enim poterat fieri, vt facta interrogatione potuisset dicere dominum Iesum in spiritu sancto, aut con- L fessus fuisset, cum spiritus sanctus nondum fuisset datus. Quæres autem, si possibile erat vt nec scandalizaretur semel Saluatore dicente: Quia omnes vos scandalum patie- *An possibile vt non* mini in me? Ad quam quæstionem aliquis respondebit, *scandaliza-* quoniam necesse erat ore verissimo prædicente, quia om- *rentur disci-* nes vos scandalizabimini, fieri quod prædictum erat ab Ie- *puli, suppo-* su. Alius autem dicet: quoniam qui exoratus à Niniuitis *sita Christi* quæ prædixerat per Ionam non fecit propter pœnitentiam *prædictio-* Niniuitarum, sic possibile fuit vt repelleret etiam à Petro *Ioan.2.* scandalum deprecante. Nunc autem promissio eius audax ex affectu quidem prompto, non tamen prudenti, facta est ei causa vt non solum scandalizaretur, verum etiam ter denegare. Quæres adhuc, si postquam audiuit Iesum dicentem: Amen dico tibi, priusquam gallus cantet in hac nocte, ter me negabis, non addidisset, Si fuerit mihi mori tecum, non te negabo: sed deprecatus fuisset, vt repelleretur ab eo præcognita ipsius denegatio, si forte non denegasset. Et aliquis quidem dicit, quoniam locum quidem habebat deprecatio Petri, cum dixisset: Omnes vos scandalum patiemini in me, auxilium accipere vt ne scandalizaretur. Nec enim cum Amen prolatum fuerat, dictum est, omnes vos scandalum patiemini. Postquam autem cum affirmatione iuramenti pronunciauit, non erat possibile vt non denegaret. Si enim iuramentum erat Christi amen, men- M titus fuisset dicens: Amen dico tibi, si verum dixisset Petrus, quia non te negabo. Videntur autem mihi cæteri discipuli Iesu cum prospectu & cogitatu, quod primum quidem fuerat dictum, Omnes vos scandalum patiemini in me in hac nocte, nihil dixisse, neque professos fuisse quasi non essent scandalizandi, Videbant enim veracem esse Iesum hæc prædicentem. Ad hoc autem quod soli dictum est Petro, Amen dico tibi antequam gallus cantet, ter me negabis: promiserunt similiter & Petro: Et si fuerit nobis mori tecum, non te negabimus. Quod Petrus quidem non conuenienter facit post Christi prophetiam de eo negaturũ ter ante galli cantum. Cæteri autem quasi qui non erant comprehensi in illa prophetia, nec tenebantur in illis quæ ad Petrum fuerant dicta, responderunt promittentes, non promissionibus suis mendacem dominum facere cupientes, sicut facere voluit Petrus. Sicut enim cum transfiguratus fuisset in monte excelso, apparentibus in gloria simul cum Iesu Moyse & Helia dixit: Vis, faciamus hic tria ta- *Matt.17.* bernacula, vnum tibi, & vnum Moysi, & vnum Heliæ, ne- *Luc.9.* sciens quid loqueretur, sicut scriptura testatur de eo: sic & hic nesciens quid loqueretur dixit: Si fuerit mori mihi tecum, non te negabo. Cum Iesu enim mori pro nobis omnibus moriente vt nos viuamus, hominum non erat: quoniam

A niam omnes fuerant in peccatis, & omnes opus habebant vt pro eis alius moreretur, non ipsi pro aliis. Tunc venit Iesus cum illis in prædium quod dicitur Gethsemani.] Scienti Hebraicorum nominum interpretationem, etiam nomen huius prædij quod vocant Gethsemani prodest ad manifestationem loci istius, quoniam non sine causa positum est apud Matthæum & Marcum etiam prædij nomẽ. Nos autem prætermittentes illud, hoc solũ suggerimus, quomodo Iesus cum discipulis venit ad prædium hoc quod vocatur Gethsemani, accipiens eos ex loco illo, in quo pascha cum eis manducauit. Nec enim conueniebat cum proderetur, ab illo capi loco, vbi cum discipulis manducauerat pascha. Conueniebat autem & priusquam proderetur orare, & orandi eligere locum mundum ad orationem. Sciebat enim quoniam sicut differt aër ab aëre mundiore, sic terra sancti loci & sanctio- *Exod. 3.* ris, sicut scriptum est: Locus in quo tu stas, terra sancta est. Et quæras, si præter affectum orantis, etiam ex loco orationis in quo quis orat, fit oratio mundior & acceptabilior, se- *Esa. 56.* cundum quod scriptum est: Domus mea, domus orationis *Psal. 17.* vocabitur. De qua & alibi dicitur: Et exaudiuit de templo *Ioan. 4.* sancto suo vocem meam. Et vir quidem Iudaicus nec dubitat de huiusmodi: qui autem propter Christi doctrinam recessit à Iudaicis fabulis, & ab omnibus quæ corporaliter ab eis in- *Nõ orandũ cũ malis.* telliguntur, dicit non propter locum fieri orationem distantem ab oratione, sed quia melius est cum nullo orare quàm B cum malis orare. Ad demonstrationem autem traditionis istius vtetur exemplo, quod Iesus in domo Iairi sacerdotis narraturus pro mortua filia eius, omnes eiecit foras, & tres tantum elegit secum, qui & super montem facti fuerant testes trãsfigurationis ipsius. Propter hoc enim & in ecclesiis Chri- *Cõsuetudo ecclesiæ de eijciendis publicis peccatoribus.* sti cõsuetudo tenuit talis, vt qui manifesti sunt in magnis delictis, eijciantur ab oratione communi, & ne modicum fermentum non ex corde mundo orantium totam vnitatis conspersionem & consensus corrumpat. Habet autem & hic sensus, quod iuste obijciatur his qui nõ quomodo debent sic intelligunt, accipientes sic occasionem, vt dicant proximo suo: Ne appropinques mihi, quia mundus sum. Quod fecit & *Luc. 18.* Pharisæus ad Publicanum longe orãtem & pectus suum percutientem & dicentem: Domine propitius esto mihi peccatori. Mẽsuratè ergo facere hoc debemus, vt nec cum indignis oremus propter honorem orationis, secundum eum qui di- *Matt. 18.* xit: Si duo in vobis conuenerint in idipsum, de omni re quãcunque petierint fiet eis. Nec inferiores spernamus nos præponentes propter iactantiæ casum, secundum eum qui dixit: *Luc. 18.* Qui se exaltat humiliabitur. Hæc autem tractauimus propterea quod dictum est: Sedete hic donec eo illuc orare. Accipiens autem Petrum, & duos filios Zebedæi, cœpit tristari, & tædiari.] Vel sicut Marcus exponit, cœpit pauere & tædiari. Hos ipsos autem discipulos assumpsit, & super C montem cum esset transfigurandus, & ad filiam Iairi sacerdotis. Et quęro si aliquid secretius forte vidit in tẽpore priusquam pateretur Iesus, & ibi vadens voluit orare. Forsitan enim vidit assistentes reges terræ, & principes congregatos *Psal. 2.* in vnum aduersus dominum, & aduersus se Christum eius. Propter quod quasi multis illis constitutis, & in malitia potentibus cœpit tristari & tædiari, vel & pauere. Et considera quia non dixit tristabatur & tædiabatur, sed cœpit tristari & tædiari. Multum enim interest inter tristari & incipere tristari. Si ergo aliquis defendens passiones humanas pro- *Heb. 2.* ferre nobis etiam ipsum tristatum fuisse Iesum, audias quoniam qui tentatus est per omnia secundũ similitudinem præ- *Tristitia passionũ incidit ĩ christum sed propassio. i. inchoata passio.* ter peccatum, hic non est tristatus tristitia passionis ipsius, sed factus est secundum humanam naturam tantum in ipso principio tristitiæ & pauoris, vt ostendat discipulis suis præsentibus maxime Petro magna de se existimanti, rebus ipsis, quod postea eis dixit: Quia spiritus promptus est, caro autem infirma. Et non est aliquando confidendum in ea, sed semper timendum de ea: quia incauta confidentia ad iactantiam *Incauta cõfidentia.* ducit, timor autem infirmitatis ad auxilium Dei confugere adhortatur, sicut & dominum ipsum paululum progredi, & cadere in faciem, & orare. Ergo cœpit quidem tristari secundum humanam naturam quæ talibus passionibus subdita est, non autem secundum diuinam virtutem, quæ ab hu-

Orig. tom. 2.

iusmodi passione longe remota est. Et hæc dicimus de Iesu, D vt non arbitreris, sicut quædam hæreses, hominem eum fuisse, sed Deum veram humani corporis suscepisse naturam, qui poterat compati infirmitatibus nostris, quoniam & ipse circundatus erat infirma natura humani corporis: similiter & ipse participans corpus & sanguinem, quemadmodum & *Heb. 2.* pueri de quibus dicit: Ecce ego & pueri quos mihi dedit Deus, participant carni & sanguini. Videns ergo instans sibi certamen quod non erat ei aduersus carnem & sanguinem, *Ephe. 6.* sed aduersus tantos reges terræ assistentes, & principes congregatos in vnum aduersus se, quantos nunquam cœpit pauere, vel tristari, nihil amplius tristitiæ vel pauoris patiens nisi principium tantum. Nec enim scriptum est, quia pauit, vel *Principiũ tãtum passionum in Christo.* tristatus est, sed cœpit pauere, & cœpit tristari, quando & dixit, Tristis est anima mea vsque ad mortem.] Quod ipsum tale aliquid significare videtur, tanquam si dicat: tristitia cœpta est in me, vt non omni modo sim sine gustu tristitiæ: non semper, sed vsque ad tempus mortis in me est, vt cũ mortuus fuero peccato, moriar & vniuersæ tristitiæ, cuius principium tantum fuit in me. Sustinete hic, & vigilate mecum.] Ac si dicat: etsi aliis discipulis dixi: Sedete hic donec vado illuc orare, & adduxi vos tres vsque huc, nolo vos vlterius progredi, nondum enim potestis. Propter hoc manete hic vigilantes, sicut & ego vigilo, sciẽtes quoniam cæteros quidem iussi sedere ibi quasi firmiores adduxi, vt mecum E collaboretis in vigiliis & orationibus. Tamen & vos manete hic, vt vnusquisque in gradu suæ vocationis consistat: quo- *Gradus gratiæ.* niam & omnis gratia quamuis fuerit magna, habet & superiorem. Quod autem hoc significat dicẽs: Manete hic, manifestum est ex eo, quod in sequentibus dicitur: Progressus autem pusillum cecidit in faciem suam. Propter quod maneamus vbi pręcepit Iesus, secundũ quod & Apostolus mandat. *1. Cor. 7.* Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in hac maneat apud Deum, vt omnia faciamus, vt cum eo pariter vigilemus, qui non dormit, neq; dormitat custodiens Israel. Ad hoc autem adduxit eos, maxime Petrum magna de se confidentem, vt videant & audiant vbi est posse hominis, & quomodo impetratur. Videant quidem cadentem in faciem suam, audiant *Posse hominis infirmum.* autem dicentẽ: Pater, si possibile est trãseat, calix iste à me: & discant non magna de se sapere, sed humilia æstimare, nec veloces esse ad promittendum, sed soliciti ad orandum. Ideo & illos duxit qui videbantur fideliores, & fortes similes Petro, in quibus similiter facile poterat locũ inuenire iactantia pro- *Iactantia propter fiduciã fidei.* pter fiduciam fidei. Mediocres autem quantum ad periculũ dico iactantiæ, ipsa fidei exiguitate muniti sunt. Et progressus pusillum cecidit in faciem suam orans, & dicens: Pater, si possibile est transeat calix iste à me] Qui dixit, discite à me quia mitis sum & humilis corde, laudabiliter se humilians, & nunc cadit in faciem orans, & adhuc amplius postmodũ humiliat se factus obediens vsq; ad mortem: quoniam precium exaltationis humilitas est. Nec enim exaltatur à Deo, nisi qui F humiliauerit se propter deum. Cadit autẽ in faciem orans, nõ *Matt. 11.* multum progressus sed pusillũ à tribus discipulis suis manentibus secũ. Nolebat enim longe fieri ab eis, sed iuxta eos constitutus orare. Quod autẽ dicit orans: Si possibile est, transeat calix iste à me, manifestãs in oratione suã deuotionem, quasi dilectus filius & complacens dispositionibus patris, addidit.

Sed non sicut ego volo, sed sicut tu.] Docens vt non oremus nostram fieri voluntatem, quando factum fuerit vt aliquid aliud velimus quàm Deus. Pater si possibile est transeat calix iste à me, sed non sicut ego volo, sed sicut tu.] Secundum quod cœpit pauere & tristari, secũdum illud & orat calicem passionis transire à se, sed non sicut vult, sed sicut vult pater. Suscipiens enim naturam carnis humanæ omnes proprietates impleuit, vt non in phantasia habuisse carnem exi- *Phantasia carnis.* stimaretur, sed in veritate: secundum quod in hoc loco orat calicem passionis transire à se, sed nõ sicut vult ipse, sed sicut vult pater. Quoniam proprium est omnis hominis fidelis, primum quidem nolle pati aliquid doloris, maxime quod ducit vsque ad mortem, quia homo est carnalis: si autem sic voluerit Deus, acquiescere etiam contra voluntatem suam, quia fidelis est, ne plus videatur in se desperare, quàm in Deum sperare. Nam sicut multum confidere non debemus nec no-

G ſtram virtutem videamur profiteri: ſic multum puſillanimi-
Præſum- ter agere, & diffidere non debemus, ne Dei adiutoris noſtri
ptionem & impotentiam videamur pronunciare. Hæc ergo voluntas
puſillani- quam dicit: Si poſſibile eſt tranſeat calix iſte à me, ſed non ſi-
mitatem re cut ego volo, ſed ſicut tu: non eſt ſecundum ſubſtantiam eius
prehendit. diuinam & impaſſibilem, ſed ſecundum naturam humanam
Col.1. eius & infirmam. Altera autem interpretatio loci huius eſt
talis, quoniam quaſi filius charitatis Dei, ſecundum præſcien-
tiam quidem diligebat eos qui ex gentibus fuerant creditu-
ri: Iudæos autem quaſi ſemen patrum ſanctorum, quorum
adoptio, & gloria, & teſtamenta, & repromiſſiones, dilige-
Rom.9. 11. bat quaſi ramos bonæ oliuæ. Diligens autẽ eos videbat qua-
Doluit chri lia erant paſſuri petentes eum ad mortem, & Barabbam eli-
ſto, magnã gentes ad vitam, ideo dicebat dolens de eis: Pater ſi poſſibi-
Iudæorum le eſt tranſeat calix iſte à me. Rurſus reuocans deſiderium
& gentiũ ſuum, & videns quanta vtilitas mundi totius eſſet futura per
partẽ, ſpre paſſionem ipſius, dicebat: Sed non ſicut ego volo, ſed ſicut
tu ipſi⁹ be- tu. Videbat adhuc propter illum calicem paſſionis, etiam Iu-
neficiu pe- dam qui ex duodecim vnus erat, filium fore perditionis. Rur-
rituram. ſus intelligebat per illũ calicẽ paſſionis principatus & pote-
Sententia ſtates triumphandas in corpore ſuo. Propter hos ergo quos
precationis in paſſione ſua nolebat perire dicebat: Pater ſi poſſibile eſt
Christi. tranſeat calix iſte à me. Propter ſalutem autem totius huma-
H ni generis quæ per mortem eius Deo fuerat acquirẽda, dice-
bat quaſi recogitans: Sed non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Id
eſt ſi poſſibile eſt, vt ſine paſſione mea omnia illa bona pro-
ueniant, quæ per paſſionem meam ſunt prouentura, tranſeat
paſſio hæc à me, vt & mundus ſaluetur, & Iudæi in paſſione
mea non pereant. Si autem ſine perditione quorundam, mul-
torum ſalus non poteſt introduci, quantum ad iuſtitiam tuã
non tranſeat ſicut ego volo, ſed ſicut tu, Ac ſi dicat: iſta qui-
dem eſt mea voluntas, ſed quoniam tua voluntas multò emi-
nentior eſt, quaſi ingeniti Dei, quaſi patris omnium, pro-
pterea magis volo tuam voluntatem fieri, quàm meam. Ca-
licem autem hunc qui bibitur paſſionis in multis locis nomi-
nat ſcriptura, præcipuè quæ à martyribus propriè bibitur,
ſicut eſt ibi: Quid retribuam domino pro omnibus quæ re-
Pſal.115. tribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam & nomen domini
Calix mar inuocabo. Si ergo calix ſalutaris calix martyrij eſt, neceſſe eſt
tyrij. vt ſaluemus calicem illum, totum illum bibentes, quia calix
eſt ſalutaris, vt nihil fundamus ex eo. Bibit ergo calicem to-
tum, qui patitur pro teſtimonio quicquid fuerit ei illatum.
Effundit autem accipiens, qui vocatus ad martyrium dene-
gat ne aliquid patiatur. Eſt & alterius generis calix inebrians
quem bibit quis poſtquam manducauerat præparatam ſibi
menſam à Deo aduerſus illos qui tribulant iuſtum. Notan-
Euangeli- dum eſt autem quoniam Marcus quidem & Lucas hoc ip-
ſtarum ſin ſum ſcripſerunt, qui & tentatum exponunt à diabolo Ieſum.
gularia. Ioannes autem paſſionem quidem exponit quemadmodum
alij: orantem Ieſum vt tranſiret ab eo calix non introducit,
ſicut nec tentatum exponit à diabolo Ieſum. Cauſam autem
I hanc arbitror eſſe, quoniam hi quidem magis ſecundum hu-
manam eius naturam exponunt de eo, quàm ſecundum di-
uinam: Ioannes autem magis ſecundum diuinam quàm ſe-
cundum humanam interpretabatur naturam, diuinitas autẽ
Pſal.135. intentabilis erat. Ideo tres quidem Euangeliſtæ expoſuerunt
tentatum: Ioannes autem ſecundum quod cœperat, In prin-
cipio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat
verbum: neſcit Deum verbũ poſſe tentari. Sic & hic tres qui-
dem iſti retulerunt Ieſum poſtulaſſe à patre vt tranſiret calix
ab eo, quoniam & proprium hominis erat quantum ad infir-
mitatem pertinet carnis, velle euadere paſſionem. Ioãnes au-
tem propoſitum habens exponere Ieſum Deũ verbum, ſciens
Ioan.11. quia ipſe eſt vita & reſurrectio, neſcit Deum impaſſibilem re
fugere paſſionem. Et venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit
eos dormientes. Et dixit Petro: Sic non potuiſtis vna hora
vigilare mecum? Vigilare, & orate ne intretis in tentatio-
nem.] Quamdiu quidem affuit Ieſus diſcipulis ſuis, non
dormierunt: puſillum autem progrediente eo ab eis, nec vna
hora potuerunt vigilare eo abſente. Propter quod oremus vt
Matt.28. nec modicum aliquando Ieſus progrediatur à nobis, ſed im-
pleat quod promiſit in nobis dicens: Ecce ego vobiſcum ero
omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Sic enim

vigilabimus eo excutiente ſomnum ab anima noſtra, ſine K
quo poſſibile non eſt implere mandatum quod dicit: Nec *Pſal.131.*
des ſomnum oculis tuis, aut palpebris tuis dormitationem,
vt euadat ſicut damula ex retibus & ſicut auis ex laqueo. Ta-
men veniens ad diſcipulos, & inueniens dormientes, ſuſcitat
eos verbo ad audiendum, vt iam quaſi audientibus dicat, quod
dicet ſic. Non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Præcipit
autem vigilare, vt vigilantes oremus. Vigilat autem qui facit
opera bona: vigilat qui ſolicitè agit de fidei veritate, ne in a-
liquod tenebroſum dogma incurrat. Qui enim ſic vigilans
orat, illius exauditur oratio. Hoc enim ſignificat dicens: Vi-
gilate, & orate: vt primum vigilemus, & ſic vigilantes ore-
mus. Vt ne intretis in tentationem.] Hoc ſecundum quod
multi intelligunt tale eſt, ac dicat, vt non tentemini: Si autem
ſic placuerit Deo, acquieſcite Deo, ſicut me audiſtis orantem.
Conſidera autem ſi poſſibile eſt ſic intelligere magis, quo-
niam vita noſtra ipſa tentatio eſt ſecundum Iob, Intrare au- *Iob.7.*
tem in tentationem aut venire in tentationem, eſt cadere in
tentationem & vinci ab ea. Et puto quia nemo venit ad Ie-
ſum ſimul & in tentationem: ſed ſi quidem venit ad Ieſum,
non venit in tentationem: ſi autem venit in tentationem, nõ
venit ad Ieſum. Ad Ieſum enim nemo venit, niſi quem trahit
pater ad Ieſum, vt reſuſcitetur ab eo. Ad Ieſum ergo veni-
mus, vt & ſi tentator nos fuerit perſecutus, & mala ex eo, non
comprehendamur ab eis ſicut ſcriptum eſt: Perſequentur te L
mala, & non comprehendent. Ad peccatorem autem dici-
tur: Conſequentur te mala, & comprehendent te. Spiritus
quidem promptus, caro autem infirma.] Sicut & tuus ò Pe-
tre ſpiritus fuit promptus ad promittendum, caro autem erat
infirma ad confitendum. Sed hoc eſt conſiderandum, vtrum
ſicut omnium hominum caro infirma eſt, ſic omnium ſpiri-
tus promptus eſt: an omnium hominũ caro quidem infirma
eſt, non autem & omnium hominum ſpiritus promptus eſt,
ſed tantum ſanctorum. Ergo ad ſolos Apoſtolos, vel ad eos
qui ſimiles eis inueniuntur dicit, quoniam ſpiritus promptus *Infideliũ*
eſt, caro autem infirma. Infideliũ autem & ſpiritus ſegnis eſt, *ſpiritus*
& caro infirma. Si ergo ad ſanctos tantum Chriſtum dicere *ſegnis.*
hoc procedit, prouocat nos, vt quæramus quoniã eſt aliis ca-
ro infirma, eorum tamen ſolorum quorum ſpiritus promptus
eſt. Ego autem dico carnem infirmam eſſe illius, qui non ha-
bet peccatum, nec carnis ſapiẽtiam fortem ſed defectam, qui
cum ſpiritu prompto carnis opera mortificauit, & ſapientiam
carnis ad nihil reduxit, vt ſemper mortem Chriſti circunferat *Gal.5.*
in corpore ſuo, præualente videlicet ſpiritu in cõcupiſcentiis
ſuis aduerſus concupiſcentias carnis: quoniam caro concu-
piſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Et *In ſanctis*
hæc in imperfectis quidem aduerſantur inuicem: in perfectis *caro morti-*
autem iam non aduerſatur caro ſed mortificata eſt, & infir- *ficata.*
mata eſt ſapientia carnis in carne, & concupiſcentia eius ex-
tincta eſt: viuit autem in ea ſapientia ſpiritus, viuit autem &
operatur. De qua infirmitate & dominus ad Apoſtolum di-
cit: Quoniã virtus in infirmitate perficitur, id eſt in infirmitate *2.Cor.12.*
carnis & ſapientiæ eius. Propter quod ait Apoſtolus: Cum e-
nim infirmor, tunc potens ſum. Potens enim tunc fit vnuſ- M
quiſq; noſtrum, cum infirmata fuerit caro ipſius, vt non per-
ficiat opera carnis, ſed habitet virtus Chriſti in ea. Vnde dice-
bat: Sic certe repugno, & caſtigo corpus meum, & in ſer- *1.Cor.9.*
uitutem redigo. Quoniam per multas caſtigationes facit ho-
mo carnem ſuam infirmam proficiens ſpiritu, & mortificans
opera carnis. Hoc ergo dicere vult ad diſcipulos ſuos ſecun-
dum iſtam traditionem. Vigilate & orate ne intretis in ten- *Traditionẽ*
tationem, vos quorum ſpiritus quidem promptus eſt, caro *vocat ex-*
autem infirma. Quoniam qui ſpiritalior & perfectior eſt, *poſitionem*
ſolicitior eſſe debet ne magnum bonum ipſius grauem ha- *ſcriptura.*
beat lapſum. Iterum vadens Ieſus orauit dicens: Pater meus
ſi non poteſt hoc tranſire à me niſi illud bibam, fiat volun-
tas tua.] Petit autem nunc vt tranſeat calix ab eo: & ſi non
ſic quomodo voluit ipſe, tranſeat quomodo vult pater. Hic
iam ſecundum quod poſſumus intelligere expoſuimus, vt cũ
hoc etiam præcedentia videamur expoſuiſſe. Exiſtimo enim
quoniam calix ille paſſionis omnium quidem ab Ieſu fue-
rat tranſiturus, ſed cum differentia: vt ſi quidem biberet
cum & ab ipſo tranſiret poſtmodum, & ab vniuerſo genere
hominum.

A hominũ. Si antè non biberet eũ & ab ipso quidẽ forsitã transiret, ab hominibus autẽ non trãsiret, sed maneret apud eos donec perficeret eos. Húc ergo calicem passionis principaliter quidẽ volebat à se transire, sic vt omnino neq; gustaret amaritudinem eius, si tamen possibile esset quantum ad iustitiam Dei. Quod enim dicebat: Si possibile est, non ad potentiam Dei referebat solam, sed etiam ad iustitiam eius: quoniam inquantum ad potentiam quidem Dei omnia possibilia sunt, siue iusta siue iniusta. Quantum autem ad iustitiam eius, qui non solum potens est, sed etiam iustus, non sunt omnia possibilia, sed ea sola quæ iusta sunt. Si autem non poterat fieri, magis volebat vt biberet eum, & sic transiret ab eo, & ab vniuerso genere hominum, quàm vt faceret contra voluntatem paternam bibitionem eius effugiens. Propter exitũ ergo bonum qui erat futurus post bibitam amaritudinem calicis, orat vice secunda dicens, Pater meus si nõ est possibile vt transeat nisi bibero eum, fiat voluntas tua.] Manifestum est itaque, quia bibere eum volebat. Quantum ad cõparationem enim, melius erat vt propter bibitionem eius transiret, quàm vt non transiret propter quod non biberet eum. Pone enim dominũ non bibisse calicem illum, & propter hoc eum non transisse, sine dubio nec à genere humano transissent spiritus operãtes peccata. Conuenienter autem neque pœnæ trãsissent quæ de-

De potẽtia Dei & iustitia.

B bebantur peccatis. Ergo expediebat omnibus, vt transiret calix ab eo, propterea quod biberat eum saluator, vt nos omnes credentes in eum qui biberat eum, non bibamus calicem illum vini meri, qui potat & potaturus est omnes gentes, vt bibentes inebrientur, & euomant, & insanire desistant. Sicut enim pro nobis omnibus mortuus est, vt transeat nos mors inimica Christi: sic pro nobis omnibus qui debitores eramus vt in æternum biberemus, calicem illum bibit, vt per hoc ipsum quod transit ab eo calix, transeat & à nobis non bibentibus illum. De quo calice dicit Hieremias: Dixit dominus Deus Israel ad me. Accipe calicem vini meri huius de manu mea, & potabis omnes gentes ad quàs ego mitto te, & bibent, & euoment, & insanire desistent à facie gladij quem ego mitto in medio eorum. Qui ergo audiunt dominum, & viuunt secundum verbum eius, & sunt emundati per fidem ipsius, iam non opus habent illa mundatione quæ fit per calicem illum iræ. Sicut enim qui loti sunt non opus habent lauari, quia sunt mundi, quia Christi discipuli sunt: sic qui non sunt mundi, necessarium habent calicem illum, domino eos hortãte: Bibite, & inebriamini, & euomite. Audi enim quomodo loquitur Hieremias, magis autem Deus in Hieremia exhortans eos qui necessarium habent calicem illum talem: quoniam voluntarie debent eum bibere, qui necessariam habent talem mundationem. Quoniam autem exhortans ad bibendum hæc dicit Deus, considera quod dicit

Hier. 25.

Ioan. 13.

C inferius. Et erit, inquit, cum nolueriti suscipere calicẽ de manu tua ad bibendum, dices eis: Hæc dicit dominus virtutum: Bibẽtes bibetis, quoniam in ciuitate super quam inuocatum est nomen meum, super ipsam incipiam ego inducere mala, & vos mundatione mundabimini. Vide autem quoniã post primam orationem venit ad discipulos, & inuenit eos dormientes: similiter post secundam veniens inuenit eos dormientes. Quoniam erant oculi eorum grauati.] Puto autem non tantum corporum eorum oculi, quãtum animarum eorum. Adhuc enim nõdum amouerat ab oculis discipulorum suorum grauamen impositum, nec enim fuerat adhuc honorificatus. Et sicut nondum erat spiritus datus, quoniam Iesus nondum erat honorificatus, sic oculi eorum nõdum fuerant releuati à grauamine, quoniam Iesus nondum fuerat honorificatus. Vnde non eos reprehendit, sed vadens iterum tertia vice orauit idipsum: docens & nos per hoc ipsum, vt non deficiamus in oratione, sed permaneamus in ipso verbo orationis, donec impetremus ea quæ postulare iam cœpimus. Tunc veniens dixit discipulis suis: Dormite nunc, & requiescite. Ecce appropiat qui me tradet.] Tunc sine dubio post orationem. Non autem est ille ipse somnus quem iubet nũc discipulos suos dormire, & ille qui bis superius scribitur contigisse discipulis. Illic enim dormientes inuenit, & non requiescentes: & iterum dormientes inuenit grauatos oculos habentes: Nunc autem præcepit eis non simpliciter dormire, sed cum requie. Multum enim differt secundum præceptum Christi dormire, & requiescere à dormitatione contra voluntatem ipsius dicentis: Manete hic & vigilate mecum: & improperantis propter somnum, & dicentis: Sic nõ potuistis vna hora vigilare mecũ? Non ergo contraria sibi dixit, dicens illic: Vigilate mecum, hic autẽ Dormite, & requiescite: sed vt ordo seruetur, vt primum quidem vigilemus orantes, vt nõ intremus in tentationem, & postea dormiamus & requiescamus secũdum Dei præceptum. Quem somnum & Salomon ponit in promissione bene viuentibus, dicens in Prouerbiis suis: Si enim sederis, sine timore eris, Si antè dormieris, suauiter dormies, & non timebis pauorẽ superuenientem, nec impetus impiorũ irruentes. Et Dauid diuersas sciens vigilias & dormitiones, iurauit domino & votum vouit Deo Iacob, non ascendere supra lectum stratus sui, nec dare somnum oculis suis, nec palpebris suis dormitationem: & hoc tãdiu facere donec inueniat locũ domino, tabernaculum Deo Iacob: vt cum inuenerit locum domino ascendat supra lectũ stratus sui, & det somnum oculis suis renouantibus se, & post requiem præparantibus ad nouam & diuiniorem surrectionem, secundum quod solet corporalibus hominibus euenire post somnum naturalem & sanum. Forsitan autem & anima non potens semper sufferre labores quasi creata & incarnata,

Ibidem.

Ioan. 7.

D

Prouer. 3.

Psal. 131.

E & non sufficiens sine intermissione seruare bonum, remissiones sine reprehensione aliqua consequetur, quæ moraliter somnia atque dormitationes dicuntur: vt vsque aliquantulũ temporis habens remissionem, surgens renouata resuscitetur. Si autem hoc erit semper an non, abundãtius quærat qui potest de talibus & quærere, & intelligere de diuinis scripturis, & sine periculo pronunciare. Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.] Propter hanc horam puto & ad matrem suam dicebat: Nondum venit hora mea. Et hic enim docet, quoniã hora appropians hoc agebat, vt filius hominis traderetur in manus peccatorum. Vtinã & in illorum peccatorum tãtummodo manus Iesus traditus tunc fuisset: nũc autem arbitror semper in manus peccatorũ traditur Iesus, quãdo hi qui videntur in Iesum credere, habẽt Iesum in manibus suis cum sint peccatores. Sed & quotienscunq; iustus habens in se Iesum in potestate factus fuerit peccatorum facientium ei quod possunt, Iesus est traditus in manus peccatorũ. Surgite eamus, ecce appropiauit qui me tradet.] Postquam suscitauit eos ab illo somno quem diximus, consequenter dicit discipulis suis: Surgite eamus. Et vidẽs in spiritu appropinquantem Iudam traditorẽ, qui nondum videbatur à discipulis eius, dixit: Ecce appropiauit qui me tradet. Ego autem puto nõ esse idipsum, ecce appropiauit mihi, & ecce appropiauit qui me tradet. Nec enim ipsi Iesu appropinquabat traditor eius, qui se elongauerat peccatis suis ab

Ioan. 2.

F Iesu, & proditione qua tradere eum cõsiliatus est, sed appropiauit ad tradendũ filiũ Dei quem iã prodiderat. Sed & omnes transgressores priùs prodũt Iesum, postea tradunt. Et adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus ex duodecim venit, & cum eo turba multa cũ gladiis & fustibus missi à principibus sacerdotũ, & senioribus populi.] Quæret autẽ aliquis etiã causam cur multa turba fuerit cõgregata cũ gladiis & fustibus super eũ. Erat autẽ secũdũ Ioannẽ, multa hęc turba cohors militũ, & ministri à principibus sacerdotũ trãsmissi. Et potest dicere aliquis, quoniã propter multitudinẽ eorum qui iã crediderãt in eũ ex populo, tanti venerũt aduersus eũ, timentes ne multa multitudo credentiũ de manibus eorũ raperet eũ. Ego autẽ existimo alteram causam congregatæ multitudinis contra eum, quoniam qui putabant eum in Beelzebub eiicere solere dæmonia, arbitrabantur eum ex quibusdam maleficis disciplinis & magicis posse effugere de medio volẽtium eum tenere. Et forsitan quidam eorum audierant, quomodo aliquando cum iam præcipitandus fuisset de supercilio montis effugit manus iam tenentium se, non fuga simplici & humana, sed alia quadam extra naturam humanam. Propter hanc etenim causam etiã apud Marcum Iudas dicebat turbæ, quæ veniebat cum ipso cum gladiis, & fustibus: Quemcunq; osculatus fuero ipse est, tenete eum, & adducite diligẽter: maligne & cum significatione videtur dixisse, tanquam si dicat, nisi diligenter eũ tenentes adduxeritis, cum voluerit effu-

Ioan. 18.

Mar. 14.

G gier vos. Illi autem audientes secundum existimationem Iudæ quasi non patere a diuinitate adiutum hoc agere, vel alia multa, omnia faciebant vt diligenter eum tenerent, & custodirent. Multi & nunc cum spiritalibus gladiis, specie malignorum, & fustibus similiter cõtra Iesum militantes, quemadmodum illi: quorum insidiis omnino melior fit Iesus, quãuis pro tempore suscipiat in se eorum incursus, vt impleantur peccata insidiantium ei, & manifestata fiat malitia voluntatis eorum aduersus veritatem vnigeniti verbi. Qui autem sic cũ gladiis & fustibus militant contra Iesum, variis & diuersis dogmatibus venientes, exposito insidiantur Iesu. Sunt autem & qui à presbyteris impij sui transmissi populi contra verbũ militant veritatis, quod est in Iesu. Qui autem tradidit eum dedit eis signum dicens: Quemcunque osculatus fuero ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Iesum dixit: Aue Rabbi. Et osculatus est eum. At Iesus dixit ei: Amice ad quid

Matt.4. venisti?] Dignum est quærere quam ob causam cum palam docuisset Iesus per singulas ciuitates, & vicos, & synagogas, prædicans euangelij verbum, ita vt fama eius exiret in omnẽ regionem & secundum faciem manifestatus esset omnibus habitantibus in Iudæa, quasi non cognoscentibus effigiẽ eius dedit signum Iudas missis à principibus sacerdotum dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est. Quod autem & ipsi qui venerant cum Iuda ad comprehendẽdũ eum, frequenter

H eum vidissent, manifestatur ex eo quod ipse Iesus dicit ad turbas. Quasi ad latronem venistis cum gladiis & fustibus comprehendere me, quotidie vobiscum sedebam in templo docens, & non tenuistis me.] Similiter & Ioannes refert eũ dixisse: Ego palam locutus sum huic mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo, vbi omnes Iudæi conueniunt. Ve-

Ioan.18. nit ergo traditio talis ad nos de eo, quoniam non solum duæ

Traditio de duabus christi formis. formæ in eo fuerunt, vna quidem secundum quam omnes eũ videbant, altera autem secundum quam trãsfiguratus est coram discipulis suis in mõte, quando & resplenduit facies eius tanquam sol, sed etiam vnicuique apparebat secundum quod fuerat dignus. Et cum fuisset ipse, quasi non ipse omnibus vi-

Exod. 16. Sap.16. debatur. Secundum quod de manna est scriptũ, quando deus filiis Israel panem misit de cœlo omnem delectationem habentem, & ad omnem gustum conuenientem: quando desiderio offerentis obsequẽs ad quod quis voluerat vertebatur. Et non mihi videtur incredibilis esse traditio hęc, siue corporaliter propter ipsum Iesum, vt alio & alio modo videretur hominibus: siue propter ipsam verbi naturam, quod nõ similiter cunctis apparet. Si autem hoc ita se habet, possibile est solutionem eius inuenire quod quæritur. Quoniam & si frequenter eum viderunt turbæ venientes cum Iuda, nihilominus opus habebant propter transformationes eius qui eum ostenderet eis, habens notitiam eius familiariorem per multam commorationem cum eo, vt intelligeret transformationes eius secundum quas suis apparere solebat. Hoc idem si-

I gnificatur etiam per Ioannem euangelistam, vbi sciens Iesus quæ superuentura erant ei, procedẽs foras dixit: Quem quæritis? At illi dixerũt, Iesum Nazarenum. Et dixit eis: Ego sum.

Ioan.18. Et abierunt & ceciderunt retrorsum. Vides quia non eum cognoscebant cum frequenter vidissent, propter transfigurationes ipsius. Si autem etiam illam causam quærat aliquis, cur osculo Iudas tradidit Iesum, hanc dabimus rationem. Quoniam secundum quosdam quidem, voluit reuerentiam quandam ad magistrum seruare, non audens manifeste in eum irruere, & impudenter profiteri se proditorem magistri. Secũdum alios autem hoc ideo fecit Iudas, timens ne forte si manifestum se aduersarium præbuisset, & proditorem magistri, ipse ei fieret causa euasionis, cum posset quantum ad ipsius opinationem ex quibusdam secretioribus disciplinis effugere, & facere se in paruum. Vt ergo nihil tale suspicans Iesus secundum quod Iudas opinabatur, sed putans eum amicum, quomodo nescit sic inspiratè comprehendatur, ideo hoc dedit signum sciens iam quoniam si noluisset cõprehendi, nunquàm comprehensus fuisset, sed volens præbuit se manibus

Allegoria osculi Iudæ. peccatorum. Ego autem puto quod etiam omnes proditores veritatis amare veritatem fingentes, & osculi signo vtentes quasi quadam indicatione charitatis prodũt verbum dei volentibus ipsum tenere aduersariis eius, nihil pacificum indutis: bellicos autem gladios, & iniurias & fustes habentibus. Et K

dicit proditor Iesu, Rabbi. Omnes enim hæretici quemadmodum Iudas sic Iesu dicunt, Rabbi: qui & osculantur eum *Hæretici Iudæ similes.* sicut & Iudas. Ad quos omnia placabilia dicit Iesus, cum sint omnes Iudas proditor. Iuda osculo filium hominis tradis?] Dicit autem ei improperans simulationem amicitiæ eius. Amice ad quid venisti?] Hoc enim nomine neminem bonorum in scripturis cognoscimus appellatum. Ad malum enim, *Matt.. 22.* & non indutum nuptialibus vestimentis, dicit: Amice quid huc venisti non habens vestem nuptialem? Malus autem est qui & in parabola denarij audit: Amice non tibi facio iniuriam, Nõnne ad denarium conuenisti mecum? Accipe quod *Matt.20.* tuum est, & vade. Volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Tunc accedentes, manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum.] Post osculum continuo nihil differentes turba illa, forsitan timẽtes ne de manibus eorum effugiat Iesus, manus iniecerunt in eum. Et ecce vnus ex his qui erant cum Iesu extendens manum exemit gladium suum, & percutiens seruum principis sacerdotum amputauit auriculã eius.] Vnus autem eorum qui erant cum Iesu, nondum manifesto concipiens apud se euangelicam patientiam illam traditam sibi à Christo, nec pacem quam dedit discipulis suis, sed secũdum potestatem datam Iudæis per legem de inimicis, extendens manum accepit gladium, & percussit seruum principis L

sacerdotum, & amputauit auriculam eius. Sicut autem dicit Ioannes, et dextram auriculam amputauit, apud quem & nomen serui dicitur, quia Malchus vocabatur. Et forsitan quod *Allegoria amputatæ auriculæ.* agebat Petrus mysterium erat: quoniam Iudaici populi dextra auditio fuerat amputanda propter malitiam eorum demonstratam in Iesum. Nam & si videntur audire legem modo, cum sinistro auditu audiunt vmbram traditionis de lege, non veritatem: cum sint serui sermonis profitentis seruitium dei, non autem seruientis in veritate. Huius sermonis myste- *Es.6.*

rium erat aduersus Christum, aduersarius Christi princeps sacerdotum Caiphas. Videtur autem mihi, quoniam qui ex gẽtibus crediderunt omnes vnus populus constituti in Christo, per hoc ipsum quòd crediderunt in Christum facti sunt causa, vt præcideretur Iudæorum auditio dextra, secũdum quod fuerat prophetatum de eis: Graua aures populi huius, & oculos eorum deprime, vt ne videntes videant, & audientes intelligant & conuertantur, & sanem eos. Tunc ait Iesus ei. Conuerte gladium tuum in locum suum.] Mox Iesus ad eum qui fuerat gladio vsus, & abstulerat auriculã serui illius dexteram, non dicit, exime gladium, sed conuerte gladium in locum suum. Est ergo gladij aliquis locus, ex quo non licet accipere eum qui non vult perire, maxime in gladio. Pacificos enim vult esse Iesus discipulos suos, vt bellicum gladiũ hunc deponentes, alterũ pacificũ accipiant gladiũ, quem dicit scriptura gladiũ spiritus. Simile autem mihi videtur quod dicit. M

Omnes qui accipiũt gladiũ gladio & peribunt.] Id est, omnes qui non sunt pacifici, sed belli concitatores, in eo bello peribũt quod concitãt, vt sit in eis gladius mysteriũ belli & litis. Et puto quod omnes tumultuosi, & concitatores bellorum, & conturbantes animas hominum, maxime ecclesiarum, accipiunt gladium in quo & ipsi peribunt. Quoniam qui fodit foueam, ipse incidit in eam. Quoniam cõuertetur dolor eorum in caput ipsorum, & iniquitas eorum in cerebrum eorũ descendet. Sed & simpliciter audientes quod dicit, Qui accipiunt gladiũ, gladio peribunt, cauere nos cõuenit, vt ne occasione militiæ aut vindictæ propriarum iniuriarũ eximamus gladiũ, aut ob aliquã occasionẽ, quã omnẽ euangelica abominatur hæc Christi doctrina, præcipiens vt impleamus quod scriptum est: Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Si *Ioan.15.*

ergo cum odientibus pacem debemus esse pacifici, aduersus neminem gladio vti debemus. Ita volens ad eum qui non didicerat loquens nos docere omnes, quoniam volens tradidit semetipsum pro nobis omnibus, addidit & dicit. An putas quoniam non possum modo rogare patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum?] Tanquam si dicat: Tu quidem sic gladium exemisti, & percussisti principis seruum, quasi mihi auxilium præstans: ego autem si voluissem poteram rogans patrem non humanum auxilium impetrare, sed meliorum, id est angelorũ, nec vnius, sed plus quàm

A quàm duodecim legionum. Ex hoc demonstratur, quoniam secundum multitudinem angelorum militiæ mundialis sunt & angelorum legiones militiæ cœlestis, militantium contra legiones dæmonum habitantium in sepulchris. (Luc. 2.) Nam & apud Lucam multitudo militiæ cœlestis audita est laudantium deum propter Christi natiuitatem. Si autem multitudo militiæ cœlestis erat laudantium Deum, (Gen. 28.) militia autem omnis propter aduersarios intelligitur constituta, consequenter & illa militia propter aduersarios militat deo. Sed etiam Iacob locum aliquem vocauit castra domini, quoniam militiam illic aspexit angelorum. Et vbicunque sunt deum timentes, circa eos sunt castra angelorum. (4. Reg. 6.) Immittet enim angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos: sicut fuisse & circa Helisæum liber refert Regnorum. Et attende, putas, quasi angelis inferior saluator, aut indigens auxilio angelorum dicebat: An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum? (Christus non egebat auxilio angelorum.) Aut forte secundum existimationem Petri volentis ei auxilium ferre, & gladium proferentis, & amputantis auriculam serui, talia est locutus? Magis enim angeli opus habent auxilio vnigeniti filij dei, quàm ipse illorum. Propter hoc & quod scribitur. (Psal. 90.) Quoniam angelis suis mandauit de te vt custodiant te in omnibus viis tuis, nõ de filio dei vnigenito intelligitur dictum: sed aut in persona Christi de omni viro iusto quem Christus portabat in corpore suo, aut de Christo secundum humanam eius naturam.

B Denique & quod dicit: Liberabit te à ruina, & dæmonio meridiano, nequaquam conuenit filio dei. Sed & quod dicit: Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante per diem, à negotio perambulante in tenebris, magis conuenit viro iusto, quàm filio dei. Cum ergo posset accipere legiones, nolebat accipere, vt per patientiam eius implerentur scripturæ prophetantes de ipso, quoniam ita eum pati conueniebat. In illa hora dixit Iesus ad turbas. Sicut ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos in templo sedebam docens, & non tenuistis me.] Voluntas eorum quæ in hoc loco dicuntur talis mihi videtur, quod dicit saluator ad turbas. Si quis latronẽ vult tenere, non est incongruum cum gladiis & fustibus venire ad eum, quia talis est & latro, vt omnia audeat, dummodo nihil mali patiatur: & si potest, paratus est & gladio vti, & fuste aduersus comprehẽdere se volentes, potius quàm vt vltro tradat se in manus eorum. Ego autem quod non sum talis, omnes qui sunt in Iudæa sciunt, alij quidem videntes doctrinam meam & opera mea, alij autem auditum habentes de me, aut cõuersationem meam sequentes: quoniam quotidie sedens in loco sancti tẽpli, quasi congruo ad doctrinas diuinas, manifestabam quæ pertinentia erant ad pietatem & vitam sanam secundum legem dei, & per hoc commẽdabam pacificum me esse. Quod autem nullam habet rationem idoneam, neque insidiatio vestra aduersus me, neque militia vestra cum gladiis & fustibus facta, manifestum est omnibus cognoscentibus me. Quomodo autem & non estis placati quotidie permansionem

C meam videntes in templo dei, & præbentem me omnibus volentibus me audire, vt coniungerem eos mihi ad proficationem eorum per verbum & vitam ad beatitudinem Dei? Aut tunc quidem non tenuistis me videntes docentem & nihil facientem dignum carcere, nunc autem quasi mutatum me existimatis, vt quasi latronem debere cõprehendi putetis? sed nec in hoc occasionem aliquam inuenitis, quasi ad verbum mutatum ab eis quæ in primis proposueram prodesse volentibus verbis & factis. Et vide postquam dixit ad Petrum: Recondе gladium tuum in thecam suam, quod est patientiæ, postquam auriculam restituit amputatam, sicut alter dicit euangelista, quod & summæ benignitatis indicium fuerat pariter & diuinæ virtutis, tunc ista verba locutus est, vt fideliæ viderentur ex præcedentibus verbis & factis: vt si præterita benefacta non recordantur, vel præsentia recognoscant. Hoc (Mar. 14.) autem totum factum est, vt implerentur scripturæ prophetarum de huiusmodi.] Multum autem est nunc eligere de prophetis, qualia quæ tunc impleta sunt eloquia prophetarum, quando hæc se pati Christus dicebat: & studiosi hominis est & multa scientis congregare verba prophetarum quæ sunt impleta. Et in centesimo octauo psalmo forte pleraque inue- D nies conuenientia istis qui venerunt cum Iuda comprehendere Iesum, sicut & alia de Iuda in eodem dicta sunt psalmo. Tunc simul omnes derelicto eo fugerunt.] Timentes ergo turbas, & principem eorum Iudam fugerunt. Nec enim habebant adhuc spiritum, quoniam Iesus nondum fuerat honorificatus, nec spiritum virtutis, & charitatis. (Ioan. 7.) Quem si habuissent, nõ essent infirmati, nec aliquid aliud extra diuinam charitatem egissent. Et illi tenentes Iesum duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, vbi scribæ, & seniores conuenicbant.] Arbitror enim, quoniã sermo deseruitionis Iudaicæ quo nunc derelicti deseruire profitentur, Caiphas est qui aduersus veritatem militat Iesu, qui dicitur princeps sacerdotum. Iesus autem secundum veritatem sacerdos est verbum dei, sub quo constituti sunt omnes, qui acceptabiliter seruiũt deo patri. Vbi autem Caiphas est princeps sacerdotum, ibi congregantur scribæ, id est literati, qui præsunt literæ occidenti. Et secundum literæ qualitatem scribarum sunt seniores, qui non in veritatem, sed in vetustatem literæ simplicis sunt recumbentes, & nihil amplius negotiari volentes. Petrus autem sequebatur eum de longe vsque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, vt videret exitum rei.] Cum duceretur autem magister, sequebatur quidem Petrus: non autem poterat de proximo eũ sequi, sed de longinquo, nec omninò recedẽs ab eo, nec cum eo incedens, nec iuxta eum, sed de longe sequens peruenit ad atrium principis sacerdotum. Et ingressus Petrus intus sede- E bat, neque quod illi ministri ministrans, neque faciens quæ docuerat Iesus, sed expectabat exitum omnium horum volẽs videre: quoniam adhuc non intelligebat, neque videbat exitum dispensationum Christi quo tenderẽt. Nec enim est exitus eorum in atrio Caiphæ, nec vbi scribæ, & seniores populi illius congregantur. Si tamen proprie quis videat exitũ ipsum, videbit verbum dei & sapientiam dicentem, Ego sum α & ω, principium & finis. (Apo. 1.) Principes autem sacerdotum, & seniores, & vniuersum concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & non inuenerunt: & multi falsi testes accesserunt, & non inuenerunt.] Et per hæc manifestum est, quoniam peccatum non fecit Iesus, nec fuit dolus in ore eius. Mundissimam autem fuisse vitam ipsius, & omnino irreprehensibilem, & auferentem occasiones eorum qui quærunt occasiones, ex hoc demõstratur, quia non inueniebant aduersarij eius quod dicere possent aduersus eũ, vel colorare: sed quærebant omnes sacerdotes & concilium vniuersum, & nihil verisimile poterant inuenire. Quoniam falsa testimonia tunc locum habent, quando cum colore aliquo proferuntur: aduersus Iesum autem nec color inueniebatur qui posset contra Iesum adiuuare mendacia: & hoc cum essent multi volentes gratiam tribuere Caiphæ, & principibus sacerdotum, & scribis, & senioribus, & vniuerso concilio hoc ipsum audire desideranti. Et hæc qui cõsiderat, F maximam laudem exhibet Iesu propter vitam eius, & doctrinam ipsius, qui sic omnia irreprehensibiliter & dixit, & fecit, vt nullam verisimilitudinem reprehensionis inuenirẽt in eo, nec mali, nec multi, nec tales astuti, & ingeniosi. Nouissime autem accedentes duo falsi testes dixerunt. Hic dixit: Possum destruere templum dei, & post triduum illud reædificare.] Non arbitreris Matthæum duos hos testes sine causa falsos dixisse, cum vera viderentur esse testimonia eorum ex eo quod exponit Ioãnes Christum dixisse: Soluite templum hoc, & ego in tribus diebus excitabo illud: quando & additur: Hoc autem dicebat de templo corporis sui. (Ioan. 2.) Sed vide versutiam falsorum testium duorũ, qua persuasione vtentes sumpta ab aliquo dicto vero quod dixerat Iesus, finxerunt testimonium falsum. Iesus autem non dixit soluo templum hoc, & in tribus diebus suscito ipsum: sed Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo ipsum. Falsi autem testes retulerunt eum dixisse quod non fuerat dictum ab eo, nec dixit: Possum soluere templum dei, & in tribus diebus reædificare illud. (Ioan. 18.) Impietatem ergo solutionis templi, non ipse promisit facere, sed illis qui fuerant apti ad huiusmodi opus commisit dicens: Soluite templum hoc. Sibi autem quod reseruauit, id est: Et in triduo suscitabo ipsum. Et quod ille dixit de tem-

G plo corporis sui, Iudæi præpediti malitia transaudierunt, & intellexerunt de templo illo lapideo. Quod manifestum est ex eo quod respondentes dixerunt: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus suscitas illud? Et considera quoniam nō vnus falsus testis processit in testimonium hoc: nec enim sufficiebat vnus volentibus interficere Iesum: quoniam lex præcipiebat: Non manebit testis vnus testimonium dare aduersus hominem. *Marc.14.* Sed nec tres erant: multis enim accedentibus testibus falsis, vix duo inuēti sunt, qui aliquid dicere viderentur. Sed nec ipsorum testimonia conuenientia erant, sicut Marcus exponit: dicit enim hoc modo, quoniam principes sacerdotum, & cōcilium vniuersum quærebant contra Iesum testimonium, vt eum morti traderent, & non inuenerunt. Multi enim falsum testimonium dixerunt aduersus eum, & conuenientia non erant testimonia eorum. Alij autem exurgentes falsum testimonium dicebant aduersus eum, quoniam nos audiuimus eum dicentem: quoniam ego soluo templum hoc manibus factum, & in tribus diebus aliud non manibus factum faciam. Sed nec sic conuenientia erant eorum testimonia. Tunc enim est cōueniens testimonium quando eadem dicunt: non autem sunt conuenientia quando dissonant sibi, qualia erant testimonia horum qui aduersus Iesum testimonia proferebant. Et si verum dicunt Matthæus & Marcus, quod credere nos oportet,
H tentemus ostendere quomodo non erant conuenientia neque duorum ipsorum testimonia, quoniam non eadem protulerunt. Secundum Matthæum enim dixerunt: Hic dixit: Possum soluere templum dei, & in tribus diebus reædificare illud. Secundum Marcum autem, quoniam nos audiuimus eum dicentem, quoniam ego soluo hoc templum manibus factum, & in tribus diebus aliud reædificabo non manibus factum. Siue ergo bis dicentes hæc, quoniam non eadem dixerunt, non sunt inuenta testimonia eorum conuenientia sibi: siue autem vnus quidem dixit quod exponit Matthæus, alter autem secundum quod scripsit Marcus, ac per hoc testimonia eorum non erant conuenientia sibi. Et exurgens princeps sacerdotum dixit ei: Nihil respondes ad ea quæ isti testificantur aduersus te? Iesus autem tacebat.] Potest in istis impleta intelligi prophetia quæ dicit: Dum consistit peccator aduersus me, obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis: vt *Psal.38.* peccator ille in istis prophetatus Intelligatur Caiphas qui cōsistit contra Iesum. Simul & discimus ex hoc loco contemnere calumniantium, & falsorum testium voces, vt nec responsione nostra dignos eos habeamus, nec defendere nosmetipsos, vbi non sunt conuenientia quæ dicuntur aduersus nos. Quid enim opus est illis resistere qui sibiipsi contraria dicētes resistūt? maxime vbi maius est libere & fortiter silere quā defendere sine vllo profectu, vt non humiliemur à testibus falsis, & calumniatoribus improbis. Et dixit ei princeps sacerdotum: Adiuro te per deum viuum, vt dicas nobis si tu es
I Christus filius dei. Et dixit ei Iesus: Tu dixisti.] Et in lege quidem adiurandi vsum inuenimus, In Numeris enim dicit lex: *Num.5.* Quoniam adiurabit eam sacerdos, id est mulierem illam in cuius viro factus est spiritus zeli, & dicet mulieri sacerdos: Si non dormiit aliquis tecum, & nisi transgressa es vt macularis à viro non tuo, innocens eris ab aqua argutionis hac maledicta. *Adiurare possunt magistratus ex lege.* Et post pauca. Et adiurabit, inquit, sacerdos mulierem in adiurationibus maledictionis huius. Item in tertio Regū dixit rex Achab ad Michæam. *3.Reg.22.* Adiuro te vt loquaris ad me veritatem in nomine domini. Adiurauit autem rex prophetam, & adiurauit non sicut sacerdos in Numeris. Ille enim ex legis præcepto, iste autem ex arbitrio suo. Et nunc in loco præsenti Iesum sacerdos adiurat per deum viuum. Existimo autem *Matt.5.* quoniam non oportet vt vir qui vult secundum euangelium viuere, adiuret alterum. Simile est enim quod dicit in euāgelio dominus ipse: Ego autem dico non iurare omnino, & non adiurare omnino. Si enim iurare non licet quantum ad euāgelicum Christi mandatum, verum est quia nec adiurare alterum licet. Propterea manifestum est quoniam princeps sacerdotum illicite Iesum adiurauit, quamuis videatur per Deum viuum adiurasse. *An dæmones adiurandi.* Quæret aliquis si conuenit vel dæmones adiurare: & qui respicit ad multos, qui talia facere ausi sunt, dicet, non sine ratione fieri hoc. Qui autem aspicit Iesum imperantem dæmonibus, sed etiam potestatem dantem discipulis K suis super omnia dæmonia, & vt infirmitates sanarent, dicet *Matth.10.* quoniam non est secundum potestatem datam à Saluatore adiurare dæmonia: Iudaicum est enim. Hoc & si aliquando à nostris tale aliquid fiat, simile fit ei, quod à Salomone scriptis *Salomoneæ de adiurationibus dæmonū scripta.* adiurationibus solent dæmones adiurari. Sed ipsi qui vtuntur adiurationibus illis, aliquoties nec idoneis constitutis libris vtuntur: quibusdam autem & de Hebræo acceptis adiurant dæmonia. Tamen non decebat dominum nostrum ad adiurationem principis sacerdotum respōdere, quasi vim passum ab adiurante contra propriam volūtatem. Propter quod nec negauit se Christum filium dei esse, nec manifeste confessus est, sed quasi ipsum testem accipiens adiurātem, quoniam ipse est qui in interrogatione sacerdotis pronunciatus est Christus filius dei, dicens: Tu dixisti. Et quoniam omnis qui facit peccatum ex diabolo natus est: faciebat autem peccatum etiā princeps sacerdotum insidians Iesu: & propterea de diabolo erat natus, & quasi de diabolo natus imitabatur propriū patrē qui his dubiè interrogat Saluatorē, si tu es filius dei, sicut scri- *Matt.4.* ptum est in tentationibus eius. Simile est enim, si tu es filius dei, & si tu es Christus filius dei. Recte enim quis dicere potest in loco hoc, quoniam dubitare de filio dei vtrum ipse *Matt.16.* sit Christus, opus diaboli est, & principis sacerdotum insidiātis domino nostro: sed non talis inuentus est Petrus. Nam sine aliqua dubitatione pronunciauit, tu es Christus filius dei viui, nec posuit ibi, si. Propter quod beatus est appellatus, quia non caro & sanguis reuelauerat ei, sed deus pater qui est L in cœlis. Qui autem cum dubitatione dicūt, si tu es filius dei, ab omni beatitudine sunt alieni. Nam quia nōn erat dignus princeps ille sacerdotū Christi doctrina, propterea non eum docet, nec dicit quia ego sum, sed verbum oris eius accipiens in redargutionem ipsius, conuertit dicens: Tu dixisti, vt eo modo videretur argui, non doceri. Amen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, & venientem supra nubes cœli.] Quoniam non est scriptum à dextris Dei, sed apud omnes euangelistas ad dexteram virtutis sedere filium hominis: item tres euangelistæ similiter scribunt, videbitis sedentem. simplicibus quidem cōcedimus qui nihil altum possunt audire in eo quod dicit sedentem, ac si dicat, supra virtutem fundatum. Quibus autem possibile est spiritu omnia perscrutari etiam altitudines Dei, & quod scriptum est: Qui sedes super Cherubim appare, & Vidi domi- *Psal.80.* num sedentem super sedem excelsam & eleuatam, & : dixit *Esa.5.* dominus domino meo sede à dextris meis, donec ponam *Psal.109.* inimicos tuos scabellum pedum tuorum, & alia similia quæ de Deo sedente dicta sunt, similiter & de Christo dicuntur quæ conferre oportet cum dicto præsenti, vt ex humili existimatione & fabulosa videamus quid significet more *Sessio christi.* humano sessio Christi. Videtur autem mihi, quoniam fundationem quandam, & firmitatem regalem significat sessio filij hominis. Iuxta virtutem ergo qui solus est virtus, & proprie nominatur, & à dextris fundatus est, & qui accepit om- M nem potestatē à patre sicut in cœlo & in terra. Et hanc funda- *Marc.14.* tionem videbunt etiam aduersarij, postquam cū lætitia viderint eum beati. Sed secundum Marcum quidem non habet amodo, sed puriter, id est videbitis filium hominis à dextris sedentē virtutis: secundum quem nihil erit contrariū his quæ tradidimus. Secūdum Matthæum autē qui dicit: Amodo videbitis, & secundū Lucā dicentē: Ex hoc erit filius hominis, *Luc.22.* & cætera, quærendū est, si ex quo hæc dixit saluator impleta sunt & in eis qui audierūt quod dixit: Amodo videbitis filiū hominis sedentē à dextris virtutis. Et dicimus quoniā potest impletū videri, quoniā ex illo, id est tēpore dispensationis filius hominis sedit ad dextrā virtutis, & viderūt eū discipuli resurgentē à mortuis, & per hoc viderūt eū fundatū ad dexterā virtutis, secundū quod tradidimus supra. Aut ita: vide si potes horā & diē metiri nō secundū breuitatē, quæ est apud homines horarū atq; dierū, sed secundū longitudinē, quæ est apud dominū sempiternū, cui à cōstitutione mūdi vsq; ad cōsummationē eius est vnus dies: quod demōstrat parabola, vbi dicit de cōductis mane in vineā, & tertia horā, & sexta, & vsque *Matth.20.* ad vndecimam. Nihil ergo mirū & quod hic dicit saluator amodo spaciū esse breuissimū vsq; tunc in quo spatio dicebat

Videbitis

A Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, ad illos qui tunc eum audiebant, forte tunc, quando dixit Dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorum: in quibus erant & illi ad quos dicebat. Amodo videbitis. Inimicus enim erát & Caiphas qui insidiabatur Christo. Et non solum sedentem eum ad dextrã virtutis visuros hos prophetabat, sed etiam visuros eum venientem sicur Matthæus quidem dicit super nubes cœli. Quę sunt autem nubes super quas veniet qui fundatus est à dextris virtutis, aut cum quibus veniet, aut ad quas pertinget veritas Dei secundum quod scriptum est: Et veritas tua vsque ad nubes? Hæ sunt viuæ nubes, prophetæ Dei, & apostoli Christi, quibus mandat pluere cum oportuerit, aut non pluere super vineam sine fructu. Si quas autem nõ vult esse huiusmodi nubes super quas & cum quibus veniet filius hominis apparens, ipse scit. Semper enim super illas, & cum illis venit, ostendẽs suum aduentum dignis se Deus verbum, & sapientia & veritas & iustitia. Hæ autẽ quas tradidimus nubes, quasi portãtes imaginẽ cœlestis nubes sunt cœli nouitãseuntis sedis Dei. & regno Dei dignificatæ, quasi hæredes Dei & cohæredes Christi, & cõregnant ei. Tunc princeps sacerdotum cõscidit vestimẽta sua dicẽs, blasphemauit.] Hæc Domino prophetãte inimicus Domini sacerdos illi quasi non erat propinquus, vt videret

Psal. 110.

Nubes cum quibus venturus est Christi.

Psal. 35.

B filius hominis, & virtutẽ à cuius dexteris sedebat, quasi inclinatus & non potens aspicere sursum, non audiens quæ dicebat, conscidit vestimenta sua: ostendens turpitudinem suam, & nuditatem animæ suæ, & mysterium manifestans, conscindendum esse sacerdotium vetus, & stolam sacerdotij eius, & culturæ quæ secundum literam fuerat. Blasphemiam autem arbitratus est esse magnitudinem verborum Christi, & gloriam existimauit Iudaicam & fabulosam historiam literæ occidentis. Et putabat quasi intelligens Christi sermones sufficientes esse ad testimonium contra ipsum, qui testes erant diuinitatis ipsius, quantũ ad eos qui intelligere possunt: & dicit ad eos qui eadem sapiebant: ecce nunc audistis blasphemiam eius, quid vobis videtur? donec respondentes & ipsi aduersus animam suam pronuncient de Iesu, quoniã reus est mortis. Quantum putas fuit erroris ipsam principalem omnium vitam ream mortis pronũciare, & tantorum resurgentium testimonio non aspicere fontem vitæ, de quo in omnes viuentes vita fluebat? quoniam sicut pater vitam habet in se, sic & filio dedit vitam habere in semetipso. Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt. Alij autem palmas in faciem ei dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe quis est qui te percussit.] Pessime, sicut arbitror, illi qui audierunt dicentem Iesum: Amen dico vobis, quoniam amodo videbitis filiũ hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli, ausi sunt expuere in faciem eius. Arbitrabantur enim in eo quod cõfunderent eum mentientem, & quia non sustineret expuitionis opprobrium, qui sedebat ad dexteram virtutis, & venturus erat in nubibus. Quoniam ignorabant sermones Esaiæ prophetæ, hæc eadem prophetantis de eo, & dicentis ex persona ipsius Domini Saluatoris: Quid, quoniam veni & non erat homo,

Sacerdotij veteris cõscissio.

Ioan. 5.

Esa. 50.

C vocaui, & non erat qui obediret. Nunquid non valet manus mea eruere, aut non possum eripere? Ecce increpatione mea desertum faciam mare, & ponam flumina deserta, & siccabuntur pisces eorum ex eo quod non habent aquam, & morientur in siti, & induam cœlum tenebris, & sicut saccũ amictum eius, Dominus dat mihi linguam doctrinæ, vt sciam quomodo me oporteat dicere verbum. Posuit me mane, apposuit mihi aurem ad audiendum, & doctrina Domini aperiet aures meas. Ego autem non sum incredulus, neque contradico. Dorsum meum præbui ad flagella, & maxillas meas ad palmas. Faciem autem meam non auerti à cõfusione sputamentorum, & dominus deus factus est adiutor meus. Omnes enim qui sunt ab ecclesia, confitentur Christum esse qui dicit: Dominus deus dedit mihi linguam doctrinæ, & cætera quæ exposui. Ego autem conuenienter & ea quæ superius his erant cõiuncta exposui, volens ostendere de illo glorioso esse hoc prophetatum, vt expuatur, colaphizetur. Cui autem alij conuenit dicere, veni, nisi Christo qui venit in mundum? aut quem decebat dicere: Vocaui & non erat qui obediret, nisi

Esa. 50.

Ioan. 1.

eum qui venit ad vocandum populum Iudæorum, & non est D auditus, & ideo non eruit populum, neque eripuit eum, sed dereliquit? Christus est autem qui dicit: Ecce increpatione mea desertum faciam mare, & ponam flumina deserta: qui consummationem facturus est mundi. Ipse est enim qui cœlum induet tenebras, & induet id velut saccum: & accipiens à patre linguam doctrinæ sciebat quomodo oporteat dicere verbum quod cõmiserat ei deus: & apposuit ei aurem, vt amplius audiat audientibus cunctis, & doctrina patris aperuit ei aurem: quia non fuit incredulus patri mittẽti, sed neque contradicens, & opere ipso docuit discere cupientes mansuetudinem laudabilémque humilitatem. Opus autem erat in eo quod factis ista docebat, dorsum suum exhibẽs ad flagella, & maxillas ad palmas, & faciem non auertens à cõfusione sputamentorũ, vt nos sicut arbitror qui digni fueramus omnes has insanias pati, erueret ipse pro nobis patiens eas. Nõ enim mortuus est pro nobis, vt nõ moriamur, sed vt pro nobis non moriamur: & alapis cæsus est pro nobis, & exputus est, vt ne nos qui digni fueramus omnibus his, propter nostra peccata patiamur ea, sed vt pro iustitia patientes ea gratanter excipiamus. Et Paulus quidem dicit de saluatore: quoniam humilia- E uit se factus obediẽs vsque ad mortem, mortem autẽ crucis. *Phil. 2.* Non enim est indecorum ei qui vult numerare in quantis se Christus humiliauit, vt dinumeret extra ea quæ Paulus exposuit dicens: Humiliauit se factus obediens vsque ad palmas, vsque ad confusionem sputamentorũ, & flagellorũ, & mortis: propter quæ omnia exaltauit eũ deus. Nec enim propter mortem solam quam pertulit propter nos exaltauit eum, sed etiam propter palmas & sputamẽta, & cætera. Quoniam autem ad extremam iniuriam accipitur sputamẽtorum iniuria, manifestum est etiã in lege: in qua scriptum est vt mulier de- *Deut. 25.* functi, si noluerit frater viri eius accipere eã, accedens ad eum qui noluit eam accipere sibi vxorem coram senioribus excalciabit calciamentum eius vnum ex pedibus, & expuet in faciem eius, & dicet: Sic faciunt homini qui non ædificauerit domum fratris sui. Non ergo auertit faciem suam Christus à confusione sputamẽtorum, vt magis glorificetur vultus eius, quàm fuit vultus Moysi glorificatus, tãta & tali gloria, vt cõ- *2. Cor. 3.* paratione glorificationis istius, vultus illius glorificatio destruatur: sicut in conspectu solis lumen lucernæ destruitur, & sicut scientia quæ ex parte est, destruitur cum venerit quod perfectum est. Sed & colaphis ceciderunt sanctum ecclesiæ caput, propter quod ipsi colaphizantur à Satana: non vt non *2. Cor. 12.* extollantur, neq; vt virtus eorũ perficiatur; sed vt traditi inimico & vindici, recipiãt quod fecerũt peccatũ, colaphizãtes Iesum. Et non cõtenti tantummodo expuere in faciem eius, & colaphis eum cædere, sed adhuc & palmis eum ceciderũt, & deludentes dixerunt: Prophetiza nobis quis te percussit. Propter quod receperũt alapã æternã, & ab omni prophetia priuati sunt, percussi & castigati, & nec sic volentes recipere F disciplinã, secundum quod prophetauerat hoc ipsum de eis Hieremias: Flagellasti eos, & non doluerunt, & noluerũt suscipere disciplinam. Et nunc qui iniuriant vnum aliquem de *Hier. 5.* ecclesia, & faciunt ei hæc, in faciem expuunt Christi: & Christum colaphis cædentes castigãt & palmis. Petrus verò sedebat foris in atrio. Et accessit ad eum vna ex ancillis dicens: Et tu eras cum Iesu Galilæo? At ille negauit coram omnibus dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autẽ illo ianuã, vidit illum alia ancilla, & ait ei ibi: Et hic erat cũ Iesu Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem. Post pusillum autem accedentes qui stabant, dixerunt Petro: Vere ex illis es tu, etenim loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit deuotare, & iurare, quia nescio hominem. Et continuo gallus cantauit. Et rememoratus est Petrus verbi Iesu dicentis ei: quia priusquã gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, amarissimè fleuit.] Abundantius considerãtes Petri negationem dicimus, quoniã nemo potest dicere dominũ Iesum, nisi in spiritu sancto, sicut Paulus nos docet. Et nondum erat tunc in hominibus spiritus sanctus, quoniam Iesus nondum fuerat honorificatus, sicut dicit Ioannes. Propterea non erat possibile, neque illum talem Petrum tunc Iesum confiteri: *Ioan. 7.* nec tamẽ erat reprehẽdendus non cõfitens Iesum. Quoniam *Matt. 10.* ad confitentes dicitur: Non estis vos qui loquimini, sed spiri-

G tus patris vestri qui loquitur in vobis. Non autem cum sit potens spiritus ille patris nostri loqui in nobis, & cum in nostra sit potestate locum dare in nobis spiritui sancto, & non diabolo, si denegauerimus, excusationem vllam habemus. Forsitan autem & quicunque est in atrio Caiphæ principis sacerdotum non potest cōfiteri dominū Iesum, nisi fuerit egressus ex atrio eius, & foris fuerit factus ab omni doctrina cōtraria Iesu. Nam qui illic sunt, Iudaicas tradunt traditiones, & non secundum voluntates scripturarum, sed secundum mandata hominum & doctrinas. Considera enim quoniam Petrus foris sedens ab Iesu segregatus, & in atrio principis constitutus, coram omnibus Iesum denegauit: & iterum vice secunda similiter, non extra ianuam foris factus, sed volens exire, nondum autē egressus ianuam, denegauit. Sed & tertia vice quando qui stabant dixerunt: Vere ex illis es, & quando cœpit se deuotare, & iurare quia nescio hominem, adhuc non erat foris. Et omnes denegationes factæ sunt ei in nocte, & in tenebris priusquam veniat dies, & signum diei, id est gallicantus, qui suscitat volentes à somno. Et vt verbi gratia dicam, si

Rom. 13. post gallicantum Petrus negasset, vt diceretur: Nox promouit, dies autem appropinquauit, sicut in die honeste ambulemus, nulla excusatione dignus fuisset Petrus. Forsitan autem & omnes homines quando denegāt Iesum, ita vt pecca-

H tum denegationis eorum recipiat medicinam, ante galli cantum denegare eum videntur nondum eis nato sole iustitiæ, nec appropinquante eis ortu ipsius: Si autem post ortum huiusmodi solis ad animam, volentes peccauerimus, postquam accepimus scientiam veritatis, iam non relinquitur nobis sacrificium pro peccato, sed terribile iudicium, & zelus ignis

Heb. 6. & 10. qui comesturus est inimicos. Et in Petro quidem tunc denegante non conueniebat dicere, quomodo ne putatis peiora mereri supplicia qui filium Dei cōculcauerint, & sanguinem testamenti communem existimauerint, vnde sanctificati sunt, & spiritum gratiæ iniuriauerint? Nondum enim sanctificatus fuerat Petrus sanguine Christi, qui fuerat sanguis noui testamenti, nec iniuriauit spiritum gratiæ quem à principio nec

Ioan. 7. acceperat, quoniam Iesus nondum fuerat honorificatus, nec erat in hominibus spiritus sanctus. Si autem in nobis hoc impium fuerit factum denegationis peccatum, omnis hæc dicere conuenit: quoniam & in sanguine testamenti sanctificati sumus, & spiritum gratiæ suscepimus. Propterea communem putare sanguinem testamenti preciosissimum, & iniuriare spiritū gratiæ, omnibus peccatis deterius est, ita vt nec in hoc seculo, nec in futuro remissionem possimus accipere si Dei filiū denegemus. Quoniam ergo nobis nox promouit, dies autem appropinquauit, & signum diei galli cantus insonuit nobis, propterea vsque ad sanguinem stemus cōtra peccatum certantes, & propter charitatē nunquam excidentem omnia sufferamus, vt cum perfectis in ea consequamur hæreditatem. Et hoc attende quoniam ante galli cantum, & ante spiritum sanctum, & in tēpore noctis profundæ, etiam si frequenter denegauit quis viuere potest, quod manifestum est

I ex eo quod ter denegauit Petrus. Si autem post galli cantum vel semel in quocunq; periculo constitutus denegauit quis, impossibile est eum renouari in pœnitentiā, vt iterum crucifigat sibi filium Dei. Qui autē in huiusmodi denegationis peccato fuerit cōprehensus, aspiciat illud quod scriptū est: Væ his

Esa. 5. qui attrahunt peccata sua sicut funem longum, & sicut iuge lorum vituli iniquitates, & nō dicat, peccata nostra in nobis sunt, & quomodo viuemus? Viuo, inquit, dominus, quoniam

Ezech. 33. nolo mortē peccatoris, sed pœnitentiam. Ipse autē scit Deus, de quo scriptū est: Et ipse sapiēs adducet super eos mala, qualia mala adducet super denegantes & non pœnitētes, & qualia super denegantes & pœnitētes, qualia bona super eos qui nunquam denegauerunt, neq; verbo coram hominibus, neq; operibus: longe autem efficiamur à priore ancilla, & altera, & ab omnibus qui stant in atrio eius, vel in ianua eius, vt ne in proximo existamus facientibus denegare eum, qui fuerit iux-

De ancillis & atrius allegoria ta eis. Cognoscemus autem quæ sit ancilla principis, si intellexerimus quę sit ancilla Dei, de qua scriptum est: Ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ. Quæ sint autem atria principis, po-

Psal. 134. teris scire si intellexeris quæ sint atria domus domini: de quibus scriptum est: Ecce nunc benedicite dominū omnes serui domini, qui statis in domo domini in atriis domus Dei no- K stri. Si autem & de ancilla altera debemus aliquid dicere, vt etiam ab illa recedamus, intelligamus quod scriptū est. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Puto primam ancillam intelligi principis facientem denegare discipulos Christi, synagogam esse Iudæorum secundum carnem, qui denegare frequēter cōpulerunt fideles. Secundam autem ancillam, congregationem gentium, qui & ipsi persequentes Christianos, denegare cogebant. Tertios autem stantes in atriis, ministros esse hæresum diuersarum, qui & ipsi veritatem Christi denegare compellunt. In nocte autem non solum ter denegat Petrus, sed etiam deuotat seipsum & iurat, quia nescio hominē. Et quidem tunc adhuc secundū carnem Christū sciebat, nec adhuc poterat dicere: Et si Christum cognouimus aliquādo secundū carnē cognouimus: sed nūc iam nō cognoscimus. Quamdiu enim signū diei nō existebat, denegans Petrus verborum Iesu non fuit memor. Postquā autem angelus diei clamauit ei, tunc recordatus est verborum Iesu dicētis ad sē: Antequam gallus cantet ter me negabis. Et quando recordat' est verbū Christi, iam nō erat in atrio prīcipis sacerdotū, nec iuxta ianuam eius, sed foris: alioquin nequaquam plorasset: Sicut enim scriptum est, egressus foras, amarissime plora- *Luc. 7.* uit. Ergo & secundum Lucam peccatrix mulier iuxta pedes domini pœnitens fleuit, & hic Petrus egressus atrium princi- L pis, ad ianuam eius plorat ex amaritudine peccati, examaricās in pœnitentia fletum suum. Mane autem facto, consilium ac- *Hic incipit* ceperunt omnes principes sacerdotum, & seniores plebis ad- *cap. 27. explanatio.* uersus Iesum, vt eum morti traderent: & vinctum eum adduxerunt, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.] Qui in tenebris & nocte offendit, venia dignus est: qui autem in die clara offendit, nunquam potest culpare errorem quasi continētem se, maxime quando habens in se lucernam corporis offendit, sed incontinentiam suam. Hoc autem diximus, ostendentes quoniam Christi quidem discipuli in nocte scandalizantur, secundum quod dominus eis prædicit: Omnes vos scandalum patiemini in me in hac nocte, & quia Petrus ante galli cantum ter denegauit. Qui autem consilium accipiunt *Matt. 26.* contra Iesum omnes principes & seniores plebis mane facto, in lumine peccant, id est scientes, secundum quod scriptū est de hoc consilio: Quoniam consiliati sunt ex consensu in vnū, sicut scriptum est in psalmis, vt morti traderent Christū: putantes per mortem extinguere eius doctrinam, & fidem eius apud eos qui crediderūt in eum quasi in filium Dei. Talia autem contra eum cōsiliantes principes culturæ literę occiden- *Psal. 2.* tis, & ministri damnationis seniores, alligauerunt Iesum sol- *Luc. 13.* uentem à vinculis, & dicentem eis qui sunt in vinculis, Exite: & cōpeditos soluentem, atque dicentem: Dirumpamus vincula eorum: & qui filiam Abrahæ alligatam à Satana decem & octo annis à vinculis soluerat, vt iam nequaquam sit inclinata, quæ non poterat sursum aspicere prius: & alligauerūt M eum volentem, & in eo quod alligaretur vinculis ipsis insidias dirumpentem, vt iam non habeant principes sacerdotū, & seniores Iudæorum aduersus homines vincula, domino ea videlicet dirumpente in se. Si quis autem exigit à me scripturam hæc de disrumpendis vinculis ostendentem, quibus alligauerunt Iesum principes sacerdotum, & seniores, intelligat quod propter ipsum hoc dicit ipse Iesus per prophetam: Dirumpamus vincula eorum, tanquam si dicat, principum, sacerdotum & seniorum, aut multo magis eorum principum qui sunt operati in eis, & regnum terræ illorum qui astiterūt, & principum qui conuenerunt in vnum aduersus dominū, & aduersus Christum eius: quorum & iugum proiiciamus à nobis. Adhuc autem amplius te placabit, vt suscipias quoniam etsi alligantes Iesum induxerunt qui consilium fecerunt aduersus eum, tamen disrupit Iesus vincula: si intellexeris quæ scripta sunt de Sampsone, qui frequenter fuit ligatus: & disrupit alienigenarum vincula, quoniā Nazareus fuerat Dei, & habebat comam plenam virtutis. Si ergo ille propter co- *Iud. 16.* mę virtutem quam habebat in capite, potuit rumpere vincula alienigenarum, quibus alligauerant eum frequenter: quanto magis Christus qui post tanta prodigia & virtutes quas fecit volens tradidit se ad vincula, soporans in se diuinitatis virtutem.

A autem, & acquiescens vt alligaretur, sine dubio dirupit vincula circũdantia se? Quorum vinculorũ mysteria, vincula Samsonis fuerunt. Et tradiderũt eum Pontio Pilato.] Vtrum autem etiam nomina vtraq; præsidis habeant aliquã rationem conuenientẽ dispẽsationi domini saluatoris: nõ facile est sententialiter respõdere. Poterunt enĩ aliquẽ mouere principalia ex quibus hæc vocabula deducũtur, Põtius & Pilatus. Vtrum autẽ bene quis moueatur, an non, vnusquisq; potentiũ considerare cognoscat. Tunc videns Iudas qui eum tradidit quoniam damnatus est, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotũ & senioribus dicẽs: Peccaui quod tradiderim sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris. Et proiectis argenteis in templo recessit, & abiẽs laqueo se suspendit. Principes autẽ sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet mittere eos in corbonã, quia precium sanguinis est. Consilio autem accepto inter se, emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille Acheldemach, quod est ager sanguinis, vsq; in hodiernum diem. Tunc impletũ est quod dictũ est per Hieremiam prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, precium appreciati quod appreciauerunt à filiis Israel,

B & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus.] Respondeant mihi qui de naturis quasdam fabulas introducunt, existimantes se dicere vera, & non cognoscentes quod eorum opinio iniquitatem creatoris accusat: qui fecit quędam quidem vasa in honorem, non ex causa virtutis eorum ducentia eos ad honorem: quædam autem in contumeliam, non propter peccata eorum ducẽtia eos ad contumeliã.

Refellit hæresin de naturis bonis vel malis.

Matt. 7.

Si enim perdibilis naturę erat Iudas, quomodo pœnitentiam tãtam suscepit, vt nõ vinceretur cupiditate triginta argenteorum, propter quã impiam proditionis suscepit audaciam? Si enim ad proprietatẽ naturarũ referunt quod est dictum: Non potest arbor mala fructus bonos proferre, dicant, nisi bonitatem aliquam spirat: & si non perfecte, neque sicut debuit conuersus fecit Iudas hoc ipsum quod retulit triginta argenteos: vnde est & quod dicit cognoscens peccatum suum: Peccaui tradens sanguinem iustum: nisi ea bona plãtatione mentis, & ex seminatione virtutis quæ seminata est in omni rationabili anima, quam non coluit Iudas, & ideo cecidit in tale peccatum. Si autem naturæ pereuntis est aliquis hominum, sine dubio magis huiusmodi naturæ pereuntis fuit & Iudas. Quod sine dubio fuisse videretur, si tradens sanguinem iustum, aut non retulisset pecunias condelectatus in eis, aut auferens non dixisset, quia peccaui tradẽs sanguinem iustũ. Et si quidem post resurrectionem Christi ex mortuis dixisset Iudas quæ dixit, forsitan verisimiliter erat dicendum, quoniam cõpulit eum pœnitere de facto, & confiteri de suo peccato, ipsa virtus resurrectionis ipsius. Nunc autem mox vt vidit eum traditum esse Pilato cõpunctus pœnituit: forsitan autem & recordatus ea quæ frequenter Iesus dixerat discipulis suis de

C resurrectione sua futura. Videns igitur Iudas magnitudinem facinoris sui, pœnituit quidem, & locutus ex pœnitentia cordis, confessus peccatum suum eo quod tradiderit sanguinem iustum: non autem & secundum scientiam pœnituit, sicut debuit pœnitere. Existimauit enim præuenire in morte moriturum magistrum, & occurrere ei cum anima nuda, vt confitens, deprecans, misericordiam mereretur. Propter quod ipse se iudicauit, & condemnauit in eo quod sciens peccauit, & non aspexit in hoc quod dixerat Iob in tantis cladibus constitutus: Vtinam possem me interficere, aut aliquem rogare vt faceret mihi hoc: nec vidit quia non conuenit seruum Dei seipsum expellere de hac vita, sed expectare etiã de hoc Dei iudicium. Videamus nũc si quod latet multos, loci istius Deo donante possimus explicare quod dictum est: Videns autem Iudas qui tradidit eum, quoniam condemnatus est, pœnitentia ductus retulit triginta argẽteos principibus sacerdotum, & cætera. Si enim scriptum fuisset post sententiam Pilati, postquam flagellis cæsum Iesum tradidit Iudęis vt crucifigerẽt eum, quod ita fecisset Iudas, nihil sine dubio huiusmodi quæreremus in eo quod dictum est: Videns autem quia condemnatus est. Nunc autẽ quomodo vidit Iudas quia condẽnatus est? Neque enim adhuc condẽnatus fuerat Iesus, neque à Pilato interrogatus. Forsitan ergo dicit aliquis vim

Nemo sibi mortem cõsciscere debet.

Iob. 7.

Elegit suspendiũ anima mea.

faciens, quoniam consideratione mentis suæ vidit exitum rei D quia condemnatus est, ex eo quod traditum aspexit à principibus sacerdotum, & senioribus plebis. Alius autem dicet hoc modo: quoniam quod scriptum est: Videns autem Iudas quia condemnatus est, ad ipsum Iudam refertur. Cum enim tradidissent Iesum principes sacerdotum, & seniores plebis Pilato, tunc sensit malum suũ Iudas, & intellexit quoniã qui talia ausus est, sine dubio iudicatus, & condẽnatus à Deo est. Forsitan & Satanas qui post panem intinctum fuerat ingressus in Iudam, præsto fuit ei donec Iesus traderetur Pilato: postquam fecit quod voluit, recessit ab eo: Recedente autem diabolo intellexit & vidit, quoniam tradens sanguinem iustum condemnatus à Deo est, & potuit intelligere sensus eius iam vacans & non habens diabolum operantem in se. Potuit ergo à se recedente diabolo capere pœnitẽtiam, & referre triginta argenteos his qui dederant eos: & potuit dicere recedente diabolo, quod priusquam ab eo recederet, dicere non potuisset. Nec enim adhuc implente diabolo cor eius potuit dicere: Peccaui tradens sanguinem iustum. Sed non hoc dicimus, quoniam diabolus recedens ab aliquo tali iam nequaquam ei insidiatur, sed obseruat iterum tempus, si potuerit iterum se apponere ei: & postquam cognouerit E secundum peccatum suum quis, obseruat etiam tertiæ deceptionis locum in eo diabolus. Si autem opus est & exemplis vti, videamus in epistola ad Corinthios prima, eum qui vxorem habuit patris: nec enim in huiusmodi malo sine magno opere diaboli potuit esse. De quo malo pœnituit, sicut scriptura ipsa testatur, & tristatus est tristiciam secundum Deum, tristiciam quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sed postquam suscepit huiusmodi tristiciam, apposuit iterum se ei diabolus, volens ipsam tristiciam eius supra modum exaggerare, vt iam non esset secundum Deum, sed vt abundantior facta absorberet tristantem supra mensuram, & vltra quàm tristare deberet, & sic eum absorberet Satanas in abundantiori tristicia. Quod præcognoscens Apostolus consilium Corinthiis dat, vt confirment charitatem in eum, dicens huiusmodi causam, Vt ne, inquit, abundantiori tristicia absorbeatur qui huiusmodi est. Non enĩ versutias eius ignoramus. Similiter aliquid factum est & in Iuda qui tradidit Iesum: & secundum similitudinem illius tristiciæ, quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatus, tristatus & ipse, postquam pœnitentiam ductus est retulit triginta argẽteos principibus sacerdotum dicens: Peccaui tradens sanguinem iustũ: quod ipsum pœnitentiæ erat, & tristicię salutaris. Sed quia nunquam seruauit cor suum, neque sapienter tristatus est, sed suscepit abundantiorem tristiciam à diabolo sibi submissam, qui voluit eum absorbere in abundantiori tristicia, ideo referens argenteos illos in templum, abiens, laqueo se suspendit. Si enim postquam retulit pecuniam, & confessus est se peccasse eo quod tradidit sanguinem iustum, non abiens laqueo se suspẽdisset, sed locum pœnitẽtiæ requisisset, & tempus pœnitentiæ obseruasset, forsitan & inuenisset eum qui dixit: Vi- F uo ego quoniam nolo mortem peccatoris, sicut pœnitẽtiam eius. Ego autem existimo quoniam & maius aliquid de saluatore intelligens Iudas non alibi proiecit triginta argenteos nisi in templum, vbi sciebat dominum eiecisse de tẽplo oues & boues, & dixisse venditoribus columbarum: Tollite hæc hinc, & nolite facere domum patris mei domum negociationis. Satis ergo desperans ex se quod intellexit magnitudinem sui peccati, iactans argẽteos illos in templum, abiit, & laqueo se suspendit. Accipientes autem argenteos illos, voluerunt aliquid legitimum obseruare, & non mittere eos in corbonam, vbi data populi propter necessitates pauperum congregabãtur: sanguinis enim precium impium existimabant mittere in corbonam. Propter quod consilium accipientes, comparauerunt ex pecunia illa agrum figuli, & operantis lutum. Videbant enim quoniam circa mortuos magis eam pecuniam cõueniebat expendi, & circa locum mortuorum, & sepulturæ, quoniam precium sanguinis erat, quàm in corbona, aut in aliqua necessitate honesta. Sed quia & inter loca mortuorum differentiæ sunt: quoniam multi quidem secundum votum optabiliter sepeliuntur in monumentis suis paternis: quidam autem propter quasdam calamitates frequenter in peregrinis

Diabolus qua ratione miseros exagitet.

1. Cor. 5.

2. Cor. 7.

2. Cor. 2.

Ezech. 33.

Ioan. 2.

Corbona qualis loc⁹.

Sepeliri in monumentis paternis ex voto.

G monumentis sepeliuntur: iden accipientes precium sanguinis Iesu, vsi sunt eo ad comparationem agri figuli alicuius, vt in eo peregrini mortui sepeliantur, non secundum votum, sed secundum casum aliquem contrarium hoc promerentes. Si autem & peregrinos spiritaliter intelligere conuenit, peregrinos dicimus esse qui vsque ad finem extranei sunt à Deo, & peregrini testamentorum eius. Tales igitur peregrini huiusmodi habeot finem, vt in agro figuli sepeliantur, qui precio sanguinis est comparatus. Nam iusti sunt qui dicunt:

Rom. 6. *Ioan. 18.* Consepulti sumus Christo in nouo monumento quod excisum habetur in petra, in monumento dolato, vbi nondum quisquam mortuorum positus est. Qui autem vsque ad finem peregrini sunt à Christo, & alieni à Deo, dicent sine dubio consequenter: Consepulti sumus peregrinis in agro figuli nuperanis lusum, qui precio sanguinis est comparatus, & sumus in agro qui ager sanguinis nominatur. Sed quoniã quod post hæc dicit Euangelista, Tunc impletum est quod dictum fuerat per Hieremiam prophetam dicentem. &c] inter ea quæ scripta sunt, non inuenitur hoc Hieremias alicubi prophetasse in libris suis, qui vel in ecclesiis leguntur, vel apud Iudæos referuntur: si quis autem potest scire, ostendat vbi sit scriptum: suspicor aut errorem esse scripturæ, & pro

Mendum exẽplarũ. Zacharia positum Hieremiam, aut esse aliquam secretam Hieremiæ scripturam in qua scribitur, Talis est autem textus

Zach. 11. apud Zachariam Prophetam. Et dicam ad eos: Si bonum est

H in conspectu vestro, date mercedem meam, aut abnegate: & statuerunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit dominus ad me. Depone eos in fornacem, & vide si probum est, sicut probatus sum pro eis. Et accepit triginta argenteos, & misit eos in domum domini in fornacem. Si autem hæc

Secreta. Hieremiæ. dicens aliquis æstimat se offendere, videat ne alicubi in secretis Hieremiæ hoc prophetatur, sciens quoniam & Apostolus scripturas quasdam secretorum profert, sicut dicit ali-

1. Cor. 2. cubi, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit: in nullo e-

Secreta Heliæ. nim regulari libro hoc positum inuenitur, nisi in secretis Heliæ prophetæ. Item quod ait, Sicut Iamnes & Mambres restiterunt Moysi, non inuenitur in publicis scripturis, sed in libro secreto, qui suprascribitur, Iamnes & Mambres liber.

2. Tim. 3. Vnde ausi sunt quidam epistolam ad Timotheum repellere, quasi habentem in se textum alicuius secreti, sed non potuerunt. Primam autem epistolam ad Corinthios, propter hoc aliquem refutasse quasi adulterinam, ad aures meas nunquam peruenit. Iesus autem stetit ante præsidem. Et interrogauit eum præses, dicens: Tu es rex Iudæorum? Dixit ei Iesus: Tu dicis.] Vere Iesus non rapinam arbitratus est esse se æqua-

Philip. 2. lem Deo. Et non semel, sed frequenter pro omnibus seipsum humiliauit. Et nunc ergo Iudex totius creaturæ constitutus à

I patre, rege regum, & domino dominorum, vide in quantum se humiliauit vt acquiesceret stare ante iudicem tunc terræ Iudææ: & vocatus, interrogatus est interrogationem, quam forsitan deridens, aut dubitans Pilatus interrogauit dicens:

Ioan. 18. Tu es rex Iudæorum? Ad quam interrogationem quod putauit esse condecens, respondit, dicens: Tu dicis. Et à principe quidem sacerdotum adiuratus vt diceret si ipse est Christus filius Dei, respondit: Tu dixisti: à Pilato autem interrogatus: Tu es rex Iudæorum? respondit: Tu dicis. Vide interrogationes, nisi illa quidem interrogatio: Si tu es Christus filius Dei, Iudaicæ conueniebat personæ: Romano autem iudici dicenti interrogatoriè, non tu es Christus, sed tu es rex Iudæorum? Qui autem caute considerat ipsos apices Euangelicorum sermonum, videbit quoniam princeps quidem sacerdotum dubitanter dixit: Si tu es Christus filius Dei. Si enim syllaba, dubitationem interrogationis ostendit. Pilatus autem pronunciatiue: Tu es rex Iudæorum. Quoniam autem pronunciatiue hoc dixit Pilatus, illud quoque confirmat, quod etiam alibi suprascribit in titulo, Rex Iudæorum, in tribus linguis, Hebraice, Græce, & Latine, vt Hebræi, & Græci, & Romani cognoscerent quoniam & Pilatus sciebat

Pilati reuerentia erga Christum. eum regem Iudæorum esse. Propter quod apparet cum qua reuerentia requirebat de Iesu, & prouocabat populum vt Iesum magis ad dimittendum peterent, quàm Barabbam. Reuerentiæ autẽ Pilati illud etiam fuit signum, quod lauans manus suas dixit: Innocens ego sum à sanguine huius, vos videritis. K Quod autem dixit ad principem sacerdotum, Tu dixisti, dubitationem eius oblique arguens conuincit. Et quod ait Pilato: Tu dicis, sententiam eius pronunciantis confirmat. Marcus autem pro, si tu es Christus filius Dei, sic scribit: *Mar. 14.* Tu es filius benedicti? Forsitan aut illud quod simpliciter scriptum est, aut hoc quod dubitanter, nescio si non mendosa habeant exemplaria, cum debuissent ambo æqualiter dicere, Si tu es, aut, Tu es. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus plebis, nihil respondebat. Tunc dixit ei Pilatus. Non audis quanta aduersus te dicunt testimonia? Et non respondit ei vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer.] Iudaicæ literæ occidentis ministri & seniores filij sunt eorum sacerdotum & seniorum qui accusauerunt Iesum, accusationem eorum vsque nunc suscipientes, & accusantes Iesum. Propterea permanente eis ipso peccato, & *1. Thes. 2.* præueniente eos semel ira, vsque in finem adhuc patiuntur o- *Esa. 1.* peratores ipsi, derelicti cum populo vniuerso sicut tabernaculum in cucumerario, & sicut ciuitas quæ expugnatur. Accusatus autem Iesus, sicut tunc nihil respondit, sic & modo aduersus accusationes istorum sacerdotum, & seniorum, nihil respondit. Tacet enim eis verbum Dei, & iam nõ audiunt verbum Dei, sicut aliquando factum fuerat ad prophetas & in consummatione seculorum caro factus est, & habitauit in *Hier. 1.* nobis. Et non solis principibus sacerdotum & senioribus *Ioan. 1.* plebis falsa accusatoribus non respondit, sed neque Pilato, quoniam volebat eum audire defendentem se contra accu- L sationes eorum mendaces. Quando enim dixit ei Pilatus post accusationes principum, sacerdotum & seniorum: Non audis quanta te accusant? neque ipsi respondit. Nec enim erat dignum respondere, vel dubitanti vtrum debeat aduersus accusatores eorum falsas respondere. Hoc dicimus, non obliti quod dictum est de Pilato, quia vel momentum aliquod benignum erga Christum habebat. Hoc enim verum esse de Pilato, ea omni narratione eius ostenditur. Non autem dicere quis audebit, quorum permanens & firmum erat in eo de Christo iudicium. Trahebatur enim & ad cõtraria: propterea & nunc trahenti ad deteriorem opinionem, dominus non respondit, contemptis omnibus quæ dicta fuerant in accusationem ipsius. Miratus est autem Pilatus constantiam eius, forsitan sciens quomodo cum idoneus esset pronunciare & remittere crimen, miratus est videns eum in tranquilla & quieta sapientiæ grauitate, & inturbabili cum iudicio stare, in quo ad mortem periclitari existimabatur ab his qui fuerãt ibi, & fortior erat humana natura, & omni eius infirmitate volente obtundere virtutem spiritus eius, non autem præualente facere hoc. Quod autem scriptum est, non solum mirari Pilatum, sed etiam valde mirari, mouet me vt existimem, quoniam dignum ei videbatur magno miraculo, vt exhibitus M ad criminale iudicium Christus inturbabilis maneret, & staret ante mortem quæ apud omnes homines terribilis existimatur. Per diem autem solennem consueuerat præses dimittere populo vnum vinctum quem voluissent.] Non mireris si adhuc primordium habens Romanus principatus in eis, & nouiter Iudæis iugum suscipiẽtibus Romanorum, quia donatum erat Iudæis vt in solennitate paschali peterent vnum quem voluissent, quamuis mille homicidiis obnoxius videretur. Sic enim quasdam gratias præstant gentes eis quos *Gratia principum.* subiiciunt sibi, donec confirmetur super eos iugum ipsorum. Tamen consuetudo hæc absoluendi vincti fuit aliquando & *1. Reg. 14.* apud Iudæos. Nam cùm Saul decreuisset vt ne quis acciperet cibum, Ionathas autem fauum mellis gustasset contra regis decretum, inuenit obnoxium Ionatham: & quamuis filium constitutum, tamen propter aliquod iuramentum suum decreuerat interficere eum; sed non interfecit, omni populo Israël interueniente, & petente eum ad vitam. Sed quod Pilatus dimisit vnum vinctum populo, vel Saul secundum petitionem populi quod dimisit Ionatham, non est mirum: sub culpa enim erat amborum petentium vitam, quoniam Iudæi semper obnoxij erant. Sed illud quæramus, si tale aliquid fiat & in iudicio Dei, & omnis ecclesia petere possit aliquem peccatorem vt soluatur à condemnatione peccati, maxime autem si quando habeat perditionis cætera opera, ad benefaciendum autem ecclesię impiger sit. Tales enim in-

uenies

A ueniet sæpe in potentibus constitutos, alias quidem peccatores, tamen pro Christianis quantum possibile eis est multa agentes. Adduceris autem magis ad requirendum talia, si rationem habet idoneam quod etiam Israel pro vita Nabuchodonosor & Balthasar filij eius Deum orabat. Sed hoc si videtur alicui dignum requisitione, requirat. *Baruch. 1.* Quod autem manifestum est, omnes curare tentemus, vt ex petentibus inueniamur esse, & in ordine eorum qui bene vixerunt, magis quàm ex illis pro quibus petitur quasi pro omnibus malis. *Preces ecclesiæ pro peccatore.* Nam etsi concedatur aliquis peccator ad preces ecclesiæ, non tamen iustum est gloriam & beatitudinem consequi eum, qui huiusmodi est: sufficit enim quod à pœna dimittitur. Arbitror autem propter istum diem festum Iudæorum in quo Barabbas ad vitam electus est, Christus autem neglectus, dominum dicere per prophetam: *Esa. 1.* Ieiunia, & ferias, & dies festos vestros odit anima mea: & quia magis solennitatem agere voluerunt cum latrone dimisso, quàm cum Iesu. Verbi gratia dicam: Si egissent solennitatem rectè sicut Iosias, aut aliquis similis ei, & data eis fuisset quem vellent petendi licentia, sine dubio Iesum postulassent, Barabbam autem condemnassent. Nos autem oremus vt festum diem colentes, non in fermento veteri, *1. Cor. 5.* neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis, Barabbam quidem condemnare, Iesum autem ab omnibus vinculis liberum accipere nobis mereamur in regem & dominum. Et quamdiu hæc facimus non

B conuertuntur dies festi nostri in luctum, neque cantica nostra in lamentationem, sed erunt in nobis solennitatis veræ, solennitates Dei. Habebat autem tunc vinctum insignem qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo eis, dixit eis Pilatus. Quem vultis dimittam vobis, Iesum Barabbam, an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per inuidiam tradiderunt eum.] In multis exemplaribus non continetur, quod Barabbas etiam Iesus dicebatur, & forsitã rectè, vt ne nomen Iesu conueniat alicui iniquorum. *Nomina bona et mala communia.* In tanta enim multitudine scripturarum neminem scimus Iesum peccatorem, sicut in alijs nominibus inuenimus iustorum, vt eiusdem nominis inueniantur esse etiam iniqui, vtputa Iudas Apostolus Zelotes, & Iudas patriarcha, item & Machabæus Iudas, omnes laudabiles: sed Iudas proditor. Et in Genesi inueniuntur eiusdem nominis esse filij Set, & filij Cain, sicut Enoch, & Lamech, & Matusalem: non autem conueniebat esse tale aliquid & in nomine Iesu. Et puto quod in hæresibus tale aliquid superadditũ est, vt habeant aliqua conuenientia dicere fabulis suis, de similitudine nominis Iesu, & Barabbæ. Existimo enim in istis, rerum aliquod mysterium demonstrari, vt Barabbas quidem constitutus sit ad seditionem, & bella, & homicidia facienda in animabus hominum: Iesus aut quasi filius Dei, & pax constitutus, & verbum, & sapientia, ad omnia bona. Hi

C ergo duo cum sint vincti in rebus humanis & corporibus, populus ille sibi postulauit absolui Barabbam: propter quem non cessat gens illa habens seditiones, & homicidia & latrocinia, secundum quosdam gentis suæ in rebus quæ foris habentur: secundum omnes autem Iudæos qui non credunt Iesum, intus in anima. Vbi enim non est Iesus, illic seditiones, *Rom. 8.* & lites, & prælia sunt. Vbi autem est Iesus, vt dicere possint: Si autem Christus in nobis, corpus quidem mortuũ propter peccatum, spiritus autem vita propter iustitiam: ibi sunt omnia simul bona, & innumerabiles diuitiæ spiritales in manibus eius, & pax. *Ephe. 2.* Ipse est enim pax nostra qui fecit vtraque vnum. Et si quis videat contrariam illam operationem, cognoscet quoniam ipse est in omnibus vinctus insignis Barabbas, quem sibi solui desiderant, non solum tunc peccans Israel secundum carnẽ, sed & omnes qui eis similes sunt, vel in dogmate, vel in vita. Quicunque ergo mala agit, solutus est in corpore eius Barabbas, Christus autem vinctus. Qui autem bona agit, Christus ei solutus est, Barabbas autem vinctus. Sedente autem eo pro tribunali, misit ad eum vxor eius dicens: Nihil sit tibi, & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter eum.] Et Iesus quidem per inuidiam traditus erat: & ita per inuidiam manifestam, vt etiam Pilatus eam non ignoraret. Volunt autem Euangelistæ non præterire rem diuinæ prouidentiæ laudem Dei continentem, qui voluit per visum conuertere Pilati vxorem, vt quantum ad se vetaret virum suum, vt ne audeat contra Iesum proferre sententiam.

D Et visum quidem non exposuit Matthæus, tantum autem dixit, quia multa passa erat per visum propter Iesum. Et ideo per visum passa est, vt ne amplius pateretur. Vt beatam fuisse dicamus Pilati vxorem, quæ per visum passa est multa propter Iesum, & recepit per visum quod erat passurus. Ex quo audebit quis dicere, quoniam melius est recipere aliquem mala in visu, quàm recipere in vita. Quis enim non eligat per visum mala sua recipere in vita sua, nisi forte talia mereatur, vt expediat ei acriora recipere in vita sua, potius quã recipere leuiora in visu? Consolatur enim, & requiescit in sinibus Abrahæ, qui recepit mala in vita sua, *Luc. 16.* & non hæc mala quæ recepit in visu suo: secundum quod & cõsolationem habebit. Vtrum autem & initium habeat conuersionis ad Deum ex eo quod multa propter Iesum fuerat passa per visum, Deus scit: *De cõuersione vxoris Pilati dubitat.* tamen continetur etiam hoc in scripturis quibusdam non publicis. Et vide, quia iustum appellauit Iesum vxor Pilati, ne forte mysterium sit hæc vxor Pilati ecclesiæ ex gentibus: quæ aliquando quidem regebatur à Pilato, nunc autem iam non est sub eo propter fidem suam in Christo. Principes autem sacerdotũ, & seniores persuaserunt populo vt peterẽt Barabbam, Iesum vero perderent. Respondens autem præses dixit illis. *Matt. 7.* Quem vultis de duobus dimittã vobis? At illi dixerunt, Barabbam.] Et est videre vsque nunc quomodo populus Iudæorum à senioribus suis, & Iudaicæ culturæ doctoribus suadetur, & excitatur aduersus Iesum vt perdant eum, quantum ad se, &

E habeant Barabbam solutum. Credunt enim turbæ principibus, & sacerdotibus suis. Plerunque & præses quidem dicit ad populum, Quem vultis ex duobus dimittam vobis? Turbæ autem, quasi veræ turbæ, & multæ, quæ spatiosam & perducentem ad perditionem ambulant viam, petierunt Barabbam solui, volentes eum sibi habere solutum. Dicit eis Pilatus: Quid ergo faciam de Iesu qui dicitur Christus? Dicunt omnes. Crucifigatur, & cætera.] Volens eis pudorem tantæ iniquitatis incutere Pilatus, dicit eis: Quid ergo faciam de Iesu qui dicitur Christus? Non solum autem, sed & mensuram colligere volens impietatis eorum. Illi autem nec hoc erubescentes, quod Pilatus Iesum Christum esse confitebatur, nec modum impietatis seruantes, dixerunt omnes, crucifigatur. & siquidem Barabbam petissent dimittere, non autem econtra & Christum postulassent ad crucem, vtputa Barabbam quidem petissent absolui, hunc autem non petissent crucifigi, sed in potestate dimisissẽt Pilati, vt faceret de eo quod vellet: adhuc magnæ esset impietatis, quod relicto iusto, homicidam petissent. Nunc autẽ multiplicauerunt impietatis suæ mensuram, non solum homicidam postulantes ad vitã, sed etiam iustum ad mortem, & ad mortem turpissimam crucis. Adhuc autem permanens in eo ipso quod confundere eos volebat, vt vel

F confusi ad electionem iusti venirent, etsi non ex iudicio cordis, dicit eis. Quid enim male fecit?] Contra hoc nihil habentes quod responderent, amplius clamauerunt, non deponentes, sed augentes iram, animositatẽ, blasphemiam, & dixerũt, Crucifigatur. Pilatus autem videns quod nihil proficeret, Iudaico vsus est more, volens eos de Christi innocentia non solum verbis, sed etiam ipso facto placare si voluerint: si autem noluerint, condemnare, faciens non secundum aliquam consuetudinem Romanorum. Accepit enim aquam in cõspectu omnium, & lauãs manus suas dixit: Innocens ego sum à sanguine huius, vos videritis.] Et ipse quidem se lauit: illi autem non solũ se mundare noluerunt à sanguine Christi, sed etiam super se susceperunt dicẽtes. Sanguis eius super nos, & super filios nostros.] Propter hoc rei facti sunt non solum in sanguine prophetarum, sed implentes mensuram patrum suorũ facti sunt rei in sanguine Christi, *Matt. 23.* vt audiant Deum sibi dicentem: *Esa. 1.* Cum expanderitis manus vestras ad me, auertã oculos meos à vobis, manus enim vestrę sanguine plenę sunt. Propterea sanguis Iesu non solum super eos factus est qui tunc fuerunt, verumetiam super omnes generationes Iudęorum pòst sequentes vsque ad consummationẽ. Propterea vsque nunc domus eorũ derelicta est eis deserta. Pilatus autẽ oblitus verborum suorum bonorum quibus cœperat defendere innocentiam Christi, declinans ad malum, non solum tradidit Iesum, sed etiam flagellis cęsum tradidit, vt crucifigerent eum. Tunc mi-

G lites pręſidis ſuſceperunt Ieſum in prętorium,& congregauerunt ad eum totam cohortem,& induerunt eum chlamydem coccineam, & purpuram circundederunt ei,& coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius,& arundinem in dextera eius,& adgeniculantes ſe, deludebant eum dicentes: Aue rex Iudæorũ.] Veriſimile eſt, vt in primordiis tunc nouiter erecti

Milites quomodo illuſerunt domino.

imperatoris, milites nondum diſciplinæ ordinem conſeruantes decentem, extra conſuetudinem diſciplinæ quæ nunc eſt, facerent in ſaluatorem, quando accipiẽtes eum in prætorium congregauerunt totam cohortem,& fecerunt quæ feciſſe dicuntur, luſum ſibi Ieſum facientes, propter quod nominatus fuerat rex Iudæorum. Ego autem puto milites feciſſe, operantibus in ſe inuiſibilibus regibus, & principibus ſeculi huius, qui aſtiterunt & conuenerunt in vnum aduerſus dominũ,& aduerſus Chriſtum eius, vt videatur illa deluſio eorum potius fuiſſe quam hominum. Eorum autẽ qui non cognouerunt in illa diſpenſatione ſapientiam Dei: ſi enim cognouiſſent, nunquam dominũ maieſtatis crucifixiſſent. Ergo cohors illa myſterium erat militiæ alicuius malignæ. Et expoliauerunt eum veſtimẽta eius quæ deſurſum habebat, tunicam inconſutilem & ſtolam: hæc enim veſtimenta eius talia deſcribit Ioannes: & induerunt eum deludentes propter nomẽ eius regale, coccineam chlamydem, non intelligẽtes quod agunt. Illa autem coccinea chlamis myſteriũ erat coccinei ſigni, quod ſcriptum eſt in Ieſu Naue, quod ad ſalutem ſuam habuit illa Raab,& in Geneſi quod factum eſt in vno filiorum Thamar ad manum naſcentis, vt coccũ alligaretur in ſigno futuræ paſſionis Chriſti.

Pſal. 2. *Coccinea chlamis myſtica erat.* *Ioſ. 2.* *Gen. 38.*

H Ergo& nunc ſuſcipiens dominus coccineam chlamydem, in ſe ſanguinem mundi ſuſcepit:& in ſpinea illa corona, ſuſcepit ſpinas peccatorum noſtrorum intextas in capite ſuo. Et de chlamyde ſcriptum eſt, quoniam denuo ſpoliauerunt eum chlamidem coccineam, de corona autem ſpinea nihil tale Euangeliſtę ſcripſerunt, propterea quod & nos quęrere voluerunt exitum rei de corona ſpinea ſemel impoſita, & nũquam detracta. Ego igitur arbitror quoniam ſpinea illa corona conſumpta eſt à capite Ieſu, vt iam non ſit ſpinæ noſtræ antiquæ poſtquam ſemel eas à nobis abſtulit Ieſus ſuper venerabile caput ſuum. Si autem & de calamo quidem poſuerũt in dextera eius, aliquid dicere conuenit, huiuſmodi dicimus rationem. Calamus ergo ille myſteriũ fuit ſceptri vani & fragilis, ſuper quem incumbebamus omnes priuſquã crederemus ſceptrum maligni. Confidebamus enim in virga calamina Ægypti, vel Babylonis, vel cuiuſcunque regni contrarij contra regnum Dei:& accepit calamum illum,& virgam fragilis regni de manibus noſtris, vt triumphet eum, & conterat in ligno crucis:& pro calamo illo priori ſuper quem prius recumbebamus, dedit nobis ſceptrum regni cœleſtis, & virgam de qua ſcriptũ eſt: Virga æquitatis, virga regni tui: vel virgã quæ corripiat eos qui opus habent correptione, de qua dicit Apoſtolus. Quid vultis in virga veniam ad vos? Dedit nobis & baculum vt celebremus paſcha, ſecundũ quod ſcriptum eſt, Baculi veſtri in manibus veſtris ſint: vt celebremus paſcha deponẽtes virgã calami eam quã habebamus prius quàm celebraremus domini paſcha. Percutiunt autem eum hoc fragili & vano calamo caput Ieſu venerabile, quoniam & ſemper regnũ illud contrarium conuitiat & verberat Deum patrẽ caput domini ſaluatoris. Et in his omnibus vnigenita virtus nocita non eſt, ſicut nec paſſa eſt aliquid, facta pro nobis maledictum, cum naturaliter benedictio eſſet: ſed cũ benedictio eſſet, conſumpſit,& abſoluit, & diſſipauit omnem maledictionem humanam.

Corona ſpinea. *Calami myſterium.* *1. Cor. 4.* I *Exod. 12.*

Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæũ, nomine Simonem: hunc angariauerunt vt tolleret crucẽ eius.] Sicut enim ſecundum tres Euangeliſtas tentatur à diabolo Ieſus: ſecundum Ioannem autẽ qui ſpiritalis naturæ eius fecit ſermonem, non tenetur: nec enim tentatur veritas,& vita,& reſurrectio,& lumen verũ: ſed tentabatur ſecundũ hominem quem ſuſceperat vnigenitus Deus: ſic ſecundum Ioannẽ quidem ſaluator imponentibus eis qui ſuſceperunt eum, crucem ſuam portãs egreſſus eſt in locum qui dicitur Caluarię locus, ſecundum reliquos autẽ ſibi eam non portat. Exeuntes enim qui ducebant eum ad crucifigendum, inuenerunt quendam Cyrenæum nomine Simonem, quem angariauerunt vt acciperet crucem Chriſti. Non autem ſolum ſaluatorem conueniebat accipere crucem ſuam, ſed & nos conueniebat portare eam ſaluatorem nobis angariam adimplentes. Nec iterum autem ſic proficiendi fueramus crucem eius accipientes, quãtum modo proficimur à cruce eius, cum & ipſe ſibi accipiat eam & portet.

Ioan. 18. K

Quæres ſi ſecundum textũ vtrunque eſt factum,& non diſſonant ſibi Euangeliſtę ab inuicem,& quid eorum prius eſt factum: vtrum enim qui ſuſceperunt Ieſum ad crucifigendum, & imponentes ei crucem, vt portans eam exeat in locum Caluariæ, hoc primum fecerunt, antequã angariarent Simonem Cyrenæum: aut egreſſi quidẽ angariauerunt Simonem, facti autem ad locum in quo eum fuerunt ſuſpenſuri, poſuerunt crucem ei ipſi, vt ipſe eam portaret. Et qui poteſt diſcutere quęrat diſcutiens in vtroq; vt inueniat, vtrum finem portandæ crucis accepit, aut magis Cyrenæus Simon, non fortuitu angariatus, ſed ſecundum aliquam de eo præſcientiam Dei, ſecundum diſpoſitionem Dei ductus ad hoc, vt Euangelica ſcriptura dignus inueniretur,& miniſterio crucis Chriſti, in qua mũdus crucifigitur ſanctis,& ſancti mũdo. Quidam autem & moraliter exponere voluerunt hũc ipſum Simonem Cyrenęum, ex eo quod de Pentapoli eſſet Cyrenes ſecundum Libyam, accipientes occaſionem de ſenſibus quinque: vt dicant, quaſi quinque ſenſus portauerunt diſpenſationis illius crucem. Simon autem interpretatur obedientia. Cui autem magis conueniebat vt crucem Chriſti portaret niſi obedientię? aut ſicut ſecundus Lię filius vocatur Simeon? Dupliciter enim apud Gręcos nominatur & patriarcha,& Petrus ſecũdum proprietatẽ Hebraici ſermonis, vt conueniat ei qui ita vocatur, vt & Simon dicatur, & Simeon, quoniam iiſdem literis ſcribunt Hebræi & Simeonis nomen,& Simonis.

Gal. 6. *Allegoria de Simone Cyrenæo.* L

Locus autem Caluariæ dicitur non qualemcunque diſpenſationem habere, vt illic qui pro hominibus moriturus fuerat moreretur. Venit enim ad me traditio quædã talis quod corpus Adæ primi hominis ibi ſepultum eſt vbi crucifixus eſt Chriſtus: vt ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes viuificentur: vt in loco illo qui dicitur Caluariæ locus, id eſt locus capitis, caput humani generis reſurrectionem inueniat cum populo vniuerſo per reſurrectionem domini Saluatoris, qui ibi paſſus eſt,& reſurrexit. Inconueniens enim erat, vt cum multi ex eo nati remiſſionem acciperent peccatorum, & beneficium reſurrectionis conſequerentur, non magis ipſe pater omnium hominum huiuſmodi gratiam conſequeretur.

Traditio de Adamo in loco Caluariæ ſepulto. *Rom. 5.*

Et dederunt ei acetum bibere felle mixtum. Et cum guſtaſſet noluit bibere.] Sufficiebat enim nobis, vt tantum guſtaret pro nobis ſicut mortem reſidui temporis non longiorem, ſic & acetum felle permixtum, Aliud autem vinum nõ mixtum cum felle, nec cum alio aliquo contrario accepit & bibit, & gratias agens diſcipulis dedit, & promiſit ſe bibiturũ nouum ipſum in regno dei. Poſtquam autem crucifixerunt eũ, diuiſerunt ſibi veſtimenta eius, ſortem mittentes: & ſedentes ſeruabant eum.] Et ſunt vſque nunc qui ipſum quidem non habentes, veſtimenta autẽ verba in ſcripturis poſita habent, nec ipſa ad plenum, ſed ex parte nihilominus hoc ipſum propheta dicente myſterium quod nunc eſt impletum. Vtrum autem conſciſſum eſt aliquod veſtimentorum eius in illa partitione, aut manſit vnumquodque eorum integrũ ſicut fuit,& qualia illa veſtimenta fuerunt, non legimus apud tres Euangeliſtas: apud Ioannem autem didicimus quod milites poſtquã crucifixerunt Chriſtum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem. Tunicam autẽ quoniam erat nõ conſutilis, ſed à ſurſum textilis per totum, dixerunt ad inuicem: Non cõſcindamus eam, ſed ſortiamur de ea. Non ergo omnes acceperunt eam, ſed qui ſortitus eſt. Diſputans autem aliquis de differentia eorum qui veſtimenta domini habent, inueniet ſine dubio qui in dogmatibus ſuis, etſi non habent ipſum, tunicam tamen deſurſum textilem per totum habent: alij autem nec ipſam, ſed aliquam particulam veſtimenti eius. Et hoc conſidera, quod ſecundum Matthæum quidem Ieſus accipiens acetũ cum felle permixtum guſtauit, & noluit bibere: ſecundum Marcum autem cum daretur & myrrhatum vinum non accepit. Et ſedentes ſeruabant eũ ibi. Et milites quidem ſeruabant corpus, ſubmiſſi à principibus ſacerdotũ, quaſi furandum à diſcipulis eius ſi non ſeruaretur: diſpenſatio autem reſuſcitauit eum, & teſtes reſurrectionis eius

Adam remiſſionem conſecutus. M *Mar. 15.*

A eius esse fecit non duos tantum, aut tres, sed multo plures. *1.Cor.15.* Visus est enim Cephæ, postea illis vndecim, deinde apparuit amplius quàm quingentis fratribus, nouissime autem omnium Paulo. Et non erat modicum signum resurrectionis eius, quod à tantis est visus, his qui susceperunt periculum, vt prædicent eum viuentem in populis qui petierant eum ad crucem. Et nunc noui principes sacerdotum, videlicet filij principum illorum, verbum veritatis positum in scripturis crucifigunt falsis expositionibus suis, & occidunt mendacijs: verbum autem veritatis, quia apud illos quidem occiditur, viuit auté in sua natura, semper inuenit, & eligit sibi vasa in quibus resurgat, & viuat, & adhuc confundat illos interfectores, multis testimoniis viuere demonstratum. Et imposuerunt super caput eius causam eius scriptam, hic est Iesus rex Iudæorum.] *Titulus crucis.* Siue occasione siue veritate, Christus rex pronunciatur, & omnis litera regnum eius testatur, siue Græcorum, siue Romanorum, siue Hebraicorum, & pro corona super caput eius scriptum, Hic est Iesus rex Iudæorum. Et cum nulla inueniatur caosa alia mortis eius, nec enim erat, hæc habetur sola, rex fuit Iudæorum: de qua & locutus est, dicens: Ego *Psal.2.* autem constitutus sum rex ab eo super Sion mõtem sanctum eius. Et princeps quidem sacerdotum secundum literam legis portabat in capite suo formam signi, & sanctificationem domini scriptam in metallo: verus autem princeps sacerdotum, & rex Iesus, in cruce quidem habet scriptũ, Hic est rex B Iudæorum: ascendens autem ad patrem & suscipiens patrem ãti se pro literis & pro nomine habet qui nominatur, & habet eum coronam, & dignus eo effectus, & domus Dei patris digna effectus, solus sufficienter patrem capere potest. Tunc crucifixerunt cum eo duos latrones, vnum à dextris, & vnum à sinistris.] Crucifixus inter latrones dominus sicut ipsi latrones impleuit prophetiam dicentem de se, & cum ini- *Esa.53.* quis deputatus est: Et est videre discipulos eius testimonium dantes culturæ Dei quæ per eum est introducta, cũ iniquis reputari, & cum eis crucifigi, aut passiones reliquas su- *Heb.11.* stinere, sicut & illi. Mũdus enim & spiritus qui in eo est, summos semper persequitur viros, & punit malitiæ quidem summos propter vtilitatem multorum: summos autem virtutis, quoniam non est dignus mundus iste eis qui non considerãt quæ videntur, sed quæ non videntur: & contemnunt eum, sicut & olim sancti ambulantes in melotis, & in pellibus, & in speluncis & in foueis terræ, quorũ non erat dignus mundus.

Transeuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruebas templum, & in triduo reædificabas. Libera teipsum. Si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotum deludentes eum cum Scribis, & senioribus, & Pharisæis dicebãt: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluũ facere. Si ipse est rex Israel, descendat nunc de cruce, & credimus illi. Confidit in Deum, liberabit nunc eum si vult: dixit enim, quia filius Dei sum.] Nemo C stans Iesum blasphemat, neque recte incedens. Transeuntes enim blasphemabãt eum, & sicut in Græco habet prætereuntes, qui etiam macerie vineæ dissoluta à Deo, vindemiant eos qui remanserunt. Scriptum est enim: Vt quid posuisti maceriem eius, & vindemiant eam omnes qui prætereunt viam? Quamdiu ergo quis non præteriuit viam, neque declinauit à via, stans dicere potest Deo, Statuisti supra petrã pedes meos, & non blasphemat iesum. Si autem ceciderit, aut præterierit, vel transierit, vel declinauerit, tunc eum blasphemat. Sicut adhuc qui in mala opera ceciderunt, & sicut qui dereliquerunt terminos æternos, & viam ecclesiæ cœlestis, & fluctuantur, & circunferuntur ab omni vento doctrinę in fallacia hominum, in astutia, ad remedium erroris. Omnes enim hæreses prætereuntes & declinantes esse si quis dixerit, non peccabit: propterea quod & ipsi inter prætereuntes habentur, & blasphemant Iesum non habentes caput firmum, sed mouentes ipsum sursom & deorsum: quoniam non sunt prudentes, nec *Eccl.2.* habent oculos suos in capite suo, in quo habere debuerãt Ecclesiaste dicente: Sapientis oculi in capite eius sunt. Prætereuntium ergo & declinãtium opus est Iesum blasphemare filium Dei, quia nemo in spiritu loquens dicit anathema Iesu. *1.Cor.12.* Diuersi autem blasphemantium sermones habẽtur, quorum vnum est blasphemum, quod dicitur ab eis qui non intelli-

gunt, nec audiunt quæ dicuntur, nec de quibus affirmant: D Iesus enim dixit: Soluite templum hoc, & ego in triduo su- *Ioan.2.* scitabo illud. Prætereuntes autem quasi falsi testes contra Iesum dicebant quod non erat dictum de eo, appetentes eum: Vah qui destruit templum Dei, & in triduo reædificat illud. Non enim ipse destruit templum, sed quod alij destruunt ipse ædificat: siue templum proprium corporis, quòd à Iudæis fuerat traditum morti, siue templum testium suorum & omnium qui habuerunt verbum Dei in se, & ex insidijs impiorũ propter pietatem mortui sunt. Venit enim hora, quãdo om- *Ioan.5.* nes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei & resurgent. Et non solum in eo quod dicebant, Qui destruit templum, mentiti sunt, sed etiã illud quod dixerunt, Et ego in triduo reædificabo ipsum. Nec enim dixit reædificaturũ se tẽplum, sed resuscitaturum. Sermo enim ædificationis non ostendit subitaneum opus, suscitationis autem ostendit. Et qui quidem deridebant, dicebant, Salua teipsum: ipse autem accipiens virtutem à patre, & hoc fecit, & amplius. Cunctis enim capientibus verbum suum, salutem suam ostendit. Et illi quidem deridentes dicebant: Si filius Dei es, descende de cruce: Ipse autem filium Dei se deridentibus quidem non ostendebat, ostendit autem credentibus sibi postquã dispensauit quæ oportebat eum dispẽsare in tribus illis diebus, postquam descendens ad inferos mortificatus corpore, viuifica- E tus autem in spiritu, spiritibus qui erant in carcere prædicauit *1.Pet.3.* quod non crediderant aliquando quando expectabatur patientia Dei in diebus Noe, cũ fabricaretur arca in qua pauci, id est octo animæ, sunt saluati per aquam. Et non est derelictus illic, sicut ipse dicebat: Quoniam non derelinques ani- *Psal.15.* mam meam in inferno. Oportebat autem eum & ascendere ad proprium patrem & Deum, vt ascendens in altum capti- *Eph.3.* uet captiuitatem, & accipiat dona in homines, & post hæc ostendat se fortiorem morte dicens ad eam. Vbi est mors a- *1.Cor.15.* culeus tuus? Similiter autem cæteris prætereuntibus, & blasphemantibus eum, principes quoque sacerdotum, & scribæ prætereuntes, & ipsi dicebant ad eum victi virtutibus ante gestis ab eo: Alios saluos fecit, seipsum saluum facere non potest. Videlicet non credentes, quoniam qui alios saluare potuit, multo amplius poterat & seipsum saluare, & promittebant se credituros in eum, quasi in regem Israel, si descendens à cruce, videretur ab eis. Ipse autem non curabat indignum aliquid agere propter derisionis iniuriã, & facere quod dicebatur ab eis extra rationem & ordinem. Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. Et apud Ioannem sicut potuimus exposuimus de duobus latronibus qui fuerunt crucifixi cum Christo, qui secundum Matthæum quidem & Marcum improperauerũt ei ambo in cruce. Secundum Lucam autem dicentem quoniam vnus de pendentibus latronibus blasphemabat dicens: Si tu es Chri- *Luc.23.* stus, salua teipsum & nos: Respondens autem alter incre- *Latrones.* pabat eum, dicens: Nõ times tu Deum quod in eadem dam- F natione es? Et nos quidem iuste, nam condigna factis recipimus, iste autem nihil mali fecit. Et dicebat ad Iesum. Memento mei cum veneris in regnum tuum. Respõdens autem Iesus dixit ad eum, qui increpauerat blasphemantem: Amen dico tibi, hodie mecũ eris in Paradiso. Cõueniens ergo est, vt in primis quidem ambo latrones intelligãtur dominum blasphemasse: post hoc autem vnum ex eis cõuersum esse, & credidisse tractantem apud seipsum his miraculis quæ audiebat facta ab eo: forsitan autem & videns conuersionem aëris, & tenebras fieri insuetas, & non sicut fieri frequenter solebant. Aut ne forte sicut & illic diximus, alij sunt hi duo latrones, qui ambo blasphemarunt. Sed ille latro qui saluatus est, potest esse mysterium eorum qui post multas iniquitates crediderunt in Christum, & dixerunt Christo: Confixi sumus & configurati in morte Christi: & semper dicunt filio Dei: Memor esto nostri cum veneris in regnum tuum, & ideo in Paradiso sunt cum ipso. A sexta auté hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam.] Ad hunc *Tenebræ.* textum quidam calumniãtur Euangelicam veritatem, dicentes quomodo secundum textum potest esse verum quod dicitur, quia factæ sunt tenebræ super omnem terrã à sexta hora vsque ad nonam, quod factum nulla refert historia? Et di-

G eunt, quia sicut solet fieri in solis defectione, sic facta est tunc defectio solis. Defectio autem solis à seculo semper fuit in suo tempore facta. Sed defectio solis quæ secundum consuetudinem temporum ita currentium fieri solet, non in alio tẽpore fit, nisi in conuentu solis & lunæ, quando luna subtus currens solis impedit radios occurrentes ei, & occursu suo lumen eius obtundit. In tempore autem quo passus est Christus, manifestum est quoniam conuentus non erat lunæ ad solem, quoniam tempus erat paschale, quod cõsuetudinis est agere quãdo luna solis plenitudinem habet, & in tota est nocte. Quomodo ergo poterat fieri defectio solis cum luna esset plena & plenitudinem solis haberet? Quia autem credentium volentes defensionem aliquam introducere cõtra hæc, angustiati sermonibus profitentium talia, ita dixerunt. Si nullum prodigium nouum factum fuisset in tempore passionis Christi, sed omnia secundum consuetudinem, crederetur secundũ cõsuetudinem facta fuisse illa defectio solis. Nunc autem cum cõstet cætera prodigia quæ tunc facta sunt non secundum consuetudinem facta fuisse, sed noua & admiranda: nam & velum templi scissum est in duas partes à sursum vsq; deorsum, & terra contremuit, & petræ diruptæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora dormientium sanctorum resurrexerunt: manifestum est quoniam & illa defectio

De defectione solis ordinaria & extra ordinaria.

H solis consequenter secundum cætera prodigia, noua contra consuetudinem facta est. Item aduersus hæc filij seculi huius, qui prudentiores sunt filiis lucis in sua generatione, talia dicunt. Pone quia extra consuetudinem facta est illa defectio solis in tempore non antiquo sub principatu Romanorum, ita vt tenebræ fierent super omnem terram vsque ad horam nonam, quomodo hoc factum tam mirabile, nemo Græcorũ, nemo Barbarorum, factum cõscripsit in tẽpore illo, maxime qui Chronica cõscripserunt, & notauerunt sicubi tale aliquid nouum factũ est aliquandó, sed soli hoc scripserunt vestri auctores? Et Phlegon quidem in Chronicis suis scripsit, in principatu Tiberij Cæsaris factum, sed nõ significauit in luna plena hoc factum. Vide ergo ne fortis est obiectio hæc, & potens mouere omnem hominem sapientem, qui nec illis dicẽtibus, nec istis scribentibus consentit, sed omnia cum ratione & iudicio audit. Et non est quidem durum, quod vnusquisq; fidelium qui credit quidem, nõ tamen cum ratione, & cum iudicio credit, vt ita sit cõstans in fide, vt etsi mille crimina obiiciant contra Euangelicam fidem volentes destruere fidem nostram, vt in nulla parte eorum commoueatur sermonibus, qui fingens se credere scripturis Euangelicis, per occasionem vnius aut alterius quæstionis aut difficilis, aut forte & indissolubilis, aduersantes scripturis festinant fidem Christi & Euangeliorum eius tollere de anima nostra, introducẽtes quasdam mirabiles res, & mirabilia Dei virtute cõsummata ad seculares quasdam consuetudines transferre volentes. Iudicaui igitur bonum, vt accipiens bonum propositum eorum qui in fide cõstantes esse desiderant, solutiones criminationum eorum,

Luc. 16.

Phlegõ profanus author meminit huius ecclipsis.

I inquantum mihi ex Deo est virtus, inueniam pro Euangelica veritate: vt fideles non solum fide simplici, sed etiã ratione fidei muniantur in fide. Dicimus ergo quod Matthæus & Marcus nõ dixerunt defectionem solis tunc factam fuisse, sed neque Lucas, secundum pleraque exemplaria habentia sic: Et erat hora fere sexta, & tenebræ factæ sunt super omnẽ terram vsque ad horam nonam, & obscuratus est sol. In quibusdam autem exemplaribus non habetur, Tenebræ factæ sunt, & obscuratus est sol: sed ita, Tenebræ factæ sunt super omnem terram sole deficiente. Et forsitan ausus est aliquis quasi manifestius aliquid dicere volens, pro, Et obscuratus est sol, ponere, deficiente sole, existimans quod non aliter potuissent fieri tenebræ, nisi sole deficiente. Puto autem magis quod insidiatores ecclesiæ Christi mutauerunt hoc verbum, quoniam tenebræ factæ sunt sole deficiente, vt verisimiliter Euangelia argui possint secundum adinuentiones volentium arguere ea. Arbitror ergo: sicut cætera signa quæ facta sunt in passione ipsius, in Hierusalem tantummodo facta sunt: sic & tenebræ tantummodo super omnem terram Iudæam sunt factæ vsque ad horam nonam. Quæ autem dico in Hierusalem tantummodo hæc facta sunt, quod velum templi scissum est, quod terra contremuit, quod petræ diruptæ sunt,

Et fide & ratione fidei nos in fide confirmari oportet.

Luc. 23.

Putat hãc Ecclipsin nõ fuisse generalem.

quod monumenta aperta sunt. Nec enim extra Iudæam, petræ diruptæ sunt, aut monumenta aperta sunt alia nisi ea tantum quæ in Hierusalem erant, aut forte in terra Iudæa. Nec K
alia terra tremuit tunc nisi terra Hierusalem: nec enim refertur alicubi quod omne elementum terræ tremuerit in tẽpore illo, vt sentirent (verbi gratia) & qui in Æthiopia erant, & in India, & in Scythia: quod si factum fuisset, sine dubio inueniretur in historiis aliquibus eorum qui in Chronicis scripserunt noua aliqua facta. Sicut ergo quod dicitur: Terra contremuit, refertur ad terram Hierusalem, aut si latius voluerit quis extendere ad terram Iudæam: sic & tenebræ factæ sunt ab hora sexta vsque ad nonam super omnem terram, intellige quod super omnem terrã Iudæam sunt factæ, aut certæ super Hierusalem tantum. Sic ergo qui intelligit, sine culpa intelligit, & non magnitudinem miraculi ostendere volens, incidat in risum sapientiũ seculi huius, & magis infidelitatem in hominibus sapientibus operetur quam fidem. Dicit autem aliquis contra hæc. Si non ex defectione solis factæ sunt tenebræ, tunc super omnem terrã Iudæam, & Hierusalem, sed ex altera causa, ostende causam. Cui talia respondemus. Primum quidem, quod omnino Euangelistæ nec nominauerũt solem in isto loco, sed tantũ quia tenebræ factæ sunt super omnem terram. Si enim tenebræ factæ sunt super omnẽ terram sole non nominato, sine dubio consequens est intelli- L
gere quasdam tenebrosissimas nubes, & forte non vnam, sed multas & maiores cõcurrisse super terram Iudæam & Hierusalem, ad cooperiendos radios solis, & ideo profundæ factæ sunt tenebræ à sexta hora vsque ad nonam. Quomodo autem factæ sunt in tali loco diximus, ne forte & tenebræ palpabiles in Ægyptum hoc modo factæ fuerunt tribus diebus, non ex solis defectione, siue autẽ ex eo quod nubes tenebrosæ concurrerunt in vnum, siue quod aër illic tunc spissior factus est super Ægyptios tantum. Omnibus enim filiis Israel, sicut testatur scriptura, fuerat lumen, in quibus fuerãt cõmorati. Nam & impossibile est in solis defectione, quæ fit ex cõcursione lunæ ad solem, tribus diebus continuis fieri tenebras: & crederetur aliqua alia tenebrarum causa fuisse in Ægypto, si vel nominatus fuisset Sol, siue quasi obscuratus in tẽpore illo, nunc autem scriptura Exodi nihil aliud dicit, nisi quia Moyses extendit manum suam in cœlum, & factæ sunt tenebræ, & caligo, & cætera super totam terram Ægypti tribus diebus, & nemo vidit fratrem suum, neque surrexit aliquis de lecto suo tribus diebus. Quod autem dico super omnem terram Iudęam vel Hierusalem, vt non omne elementũ terræ intelligamus, illud est argumẽtum, quod scriptum est in tertio libro Regnorum, vbi Abdias dispensator Achab dixit Heliæ: Quid peccaui, quia dedisti seruum tuum in manus Achab, vt mortificet me? Viuit Deus tuus si est gens aut regnũ vbi non misit dominus meus quærere te, & dixi: nõ est: & cõ- M
bussit regnũ & regiones eius, quoniam non inueniat te. Quis enim tam lapideus sit legens ista, vt existimet quoniam rex Israel Achab in omnem gentem mundi, & in omne regnum orbis terræ misit quærens Heliam, & combussit vbicunq; dictum est, non est Helias? Sed sine dubio exaggeratione dicta sunt illa, ostendentia quod satis eum quæsiuit in gentibus, quæ fuerunt circa Iudæam secundum quod potuit requirere. Diximus autem etiam in aliis locis, quod cum duæ creaturæ generales in sexta die factæ fuissent, primum quidem animalia, deinde homo secundum Dei imaginem factus, consequens est vt & dies ille sextus diuisus fuisse intelligatur in duas species creaturæ: vt ante sextam quidem animalia intelligantur fuisse creata, in sexta autem hora dixisse dominum, faciamus hominem ad imaginem nostrã, & fecisse eum tunc. Propter quod conueniebat pro salute eiusdem hominis morientem, in ipsa hora sexta suspendi, ac à sexta hora propter hoc tenebras fuisse factas super omnem terram vsque ad nonam. Et sicut Moyse manus extendente in cœlum factæ sunt tenebræ super Ægyptios seruos Dei tenẽtes in seruitute, imago futurarum tenebrarum quæ comprehensuræ fuerant Ægyptios: similiter & Christo in sexta hora manus extendente in cruce ad cœlum super populum qui clamauerat: Tolle de terra hunc, & crucifige, crucifige eum, factæ sunt tenebræ, & ab omni lumine sunt priuati & imago fuit tenebrarum

Exod. 9.

Exod. 9.

3. Reg. 18.

Cõfert Mosem cum Christo.

A rum illa futurarum quæ comprehensuræ fuerant gentem Iudæam, quia ausi sunt lumini vero manus suas inferre. Vnde ex tunc omnis illa gens tenebris est repleta, sicut dicit pro- *Psal. 69.* pheta. Obscurentur oculi eorum ne videant. Item sub Moyse factæ sunt tenebræ, & caligo super omnem terram Ægypti, tribus diebus: & nemo vidit fratrem suum, neque sur- *Lux in ecclesia.* rexit de lecto suo aliquis tribus diebus. Omnibus autem filiis Israel, erat lumen in omnibus locis in quibus cõmorabantur. Sub Christo autem tenebræ factæ sunt super omnem terram Iudęam tribus horis, lumen autem fuit super omnem reliquã terram, quod vbique illuminat omnem ecclesiã Dei in Christo. Et si vsque ad nonam horam tenebræ fuerunt super omnem terram Iudęam, manifestum est quoniam iterum lumen eius refulsit: quia cum plenitudo gentium intrauerit, tunc o- *Rom. 11.* mnis Israel saluus futurus est. Quod autem tribus horis factę sunt tenebræ super terram Iudæam, illud ostẽdit quoniã propter peccata sua priuati sunt à lumine Dei patris, & à splẽdore Christi, & ab illuminatione spiritus sancti. Circa nonã autẽ horã clamauit Iesus voce magna, dicens. Eli Eli lama zabachthani, hoc est Deus meus, Deus meus, vt quid me dere- *Psal. 22.* liquisti? Qui autem illic stantes erant, & audientes, dicebãt, quia Heliam vocat iste.] Digne Deo requirendum est quæ fuit illa magna vox Christi, verum magna rebus significanti-
B bus magna mysteria, aut magna sensibili & corporali magnę vocis auditu. Puto autem quod omnis vox Christi filij Dei magna est, & si fuerit lenis: & testatur de hoc ipso scriptura in locis maxime illis, in quibus vult erigere auditorem, vt transgrediatur illud quod multi intelligere possunt in locis, & non manet in eo, quamuis secundum simplicem intellectum habeo in eo aliquam veritatem, vt intelligere possit aliqua digne propter magnam domini vocem. Quoniam ergo his verbis ostendit aliquid esse absconditum magnum quod clamat ad Deũ dicens: Quare me dereliquisti? ideo requirendũ est quid est quod à Deo derelictus est Christus. Nec enim *Christi quomodo à patre derelictus.* fas est credere eum mentiri dicentem: Quare me dereliquisti? Et quidam colore religionis pro Iesu, & quia non possunt exponere quid sit Christum derelinqui à Deo, arbitrantur & dicunt: verum quidem est quod dictum est, tamen per humi- *Phil. 2.* litatem dictum est. Nos autem vidẽtes eum, qui in forma Dei fuerat constitutus, ab huiusmodi magnitudine descendentem, & semetipsum exinanientem per hoc quod formam serui suscepit, & videns in his voluntatem eius qui ad hæc talia eum misit: intelligimus quoniam quantũ ad illa in quibus fuerat forma dei inuisibilis, & imago secundũ patrem, derelictus à patre est, quando suscepit serui formã, & derelictus pro hominibus, vt talia & tanta susciperet, & vsq; ad mortem veniret, & mortẽ crucis, quæ inter homines turpissima esse videtur. Extremum enim dilectionis eius factum est quando crucifixerunt eum, & posuerunt super caput eius, quasi deridentes eum, literas dicentes: Hic est Iesus rex Iudæorum. Ex-
C tremum autẽ dilectionis eius erat & illud, quod inter latrones est crucifixus, & quod prætereuntes blasphemabant eum mouẽtes super eum capita: & quod principes cum scribis dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Adhuc autem & illud, quod etiam latrones improperabant ei in cruce. Ergo manifeste intelligere poteris quid sit quod *Psal. 66.* dicit: Quare me dereliquisti? faciens comparationem gloriæ illius quã habuit apud patrem, ad confusionem quam cõtemnens sustinuit crucem. Si enim ille erat sicut sol in conspectu Dei, & sicut luna perfecta in æternũ, & erat testis eius fidelis in cœlo, postea autem & pro quibus dicit: Quare me dereliquisti, superaddit dicens: Tu autem repulisti, & pro nihilo deduxisti, & distulisti Christum tuum, euertisti testamẽtum serui tui, profanasti in terra sanctitatẽ eius, & cętera. Et quandiu quidem fuit solis lumen etiã tanta & talia sustinens, non dicebat: Quare me dereliquisti? postquã autem vidit super omnem terrã Iudæam vsq; ad horam nonam tenebras factas, dixit magna voce sua: quare me dereliquisti? Illud ostendere volens per hæc, quoniã volens dereliquisti me pater, & talibus exinanitum calamitatibus tradidisti, vt populus qui fuerat apud te honoratus, recipiat quæ in me ausus est, implens mensuram patrum suorum, & quæ super prophetas fecit, vt priuetur à lumine tuæ prospectionis, & efficiatur in tenebris quasi te Deo iam nequaquam eis præsente. Sed & pro D salute gentium dereliquisti me, vt derelictio Israel fieret gen- *Rom. 11.* tium salus. Quid autem tã bonum fecerunt qui ex gentibus crediderunt, vt precioso sanguine meo super terram effuso pro eis, emerem eos à maligno qui tenuerat eos? & quare faciem tuam auertisti, & factus sum cõturbatus, vt dicam: Tri- *Matt. 26.* stis est anima mea vsq; ad mortem? Aut quid tale dignum facturi sunt homines pro quibus patior ista, vt pro eis ego patiar hæc? sicut & propheta iã ante de hoc ipso prædixit, quasi clamans ad te, & dicens: Quæ vtilitas ô pater hominibus facta est in sanguine meo dum descendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam? Forsitan autem & videns peccata hominum pro quibus patiebatur, dicebat: Quare me dereliquisti? vt fierẽ quasi *Mich. 7.* qui colligit stipulam in messe, & sicut qui colligit racemos in vindemia, cum non sit botrio ad manducandum primitiua. Et hæc dico, quia periit timoratus à terra, & qui corrigat inter homines non est. Vnde non existimes humano more Saluatorem ista dixisse propter calamitatem quæ comprehenderat eum in cruce. Si enim ita acceperis, nõ eris audiens magnam vocem in qua ista locutus est, nec digna voce diuina requires. Ergo tenebrę quidem à sexta hora factæ sunt super omnem terram vsq; ad nonam: prius autẽ quàm finiretur no- E na, clamauit dominus circa eam voce magna, dicens quæ scripta sunt, quasi postulans vt oriatur sol terræ, soluens in ea tenebras trium horarũ, secundum quod tradidimus supra. Quidam autẽ illic stantes, & audientes dicebant, quia Heliam vocat iste. Cæteri autem dicebant. Sine videamus si venit Helias, & liberet eum.] Tanquam si audissent quoniam Deum vocat, vtiq; mirati fuissent orationem eius in cruce maiorem quàm fuit oratio Ionæ orãtis in vtero ceti & prodificati fuissent, vt etiam in extremis calamitatibus constituti orare non *Ioan. 2.* desinant deum. Maiorem autẽ dico orationem Christi fuisse, quàm Ionæ in vtero ceti, propter magnitudinẽ rerũ quæ demonstrantur ex ea, & propter magnum affectum voluntariæ passionis eius. Et cõtinuo accurrens vnus ex eis accepta spõgia impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.] Et impleuit prophetiam in se dicentem de se: Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Ideo & secundum Ioannem cum accepisset Iesus acetum cum felle, dixit: Consummatũ est, etiã hoc quod de me scriptura prædi- *Ioan. 18.* xerat. Iocũde autẽ quis potest vti hoc textu aduersus eos qui maligna vel scripserunt vel scribunt aduersus Christũ, de qui- *Esa. 10.* bus dicit Esaias: Væ qui scribunt maligna. Scribentes enim maligna scribunt. Dico autem de illis qui conscriptiones ali- *Allegoria* quas dimiserunt iniquitatem in excelsum loquẽtes: & vtetur quis hoc textu vidẽs eos quibusdam auditionibus siue ethnicorum verborum, siue barbaricorũ sermonum cõgregantes, & facientes narrationem quasi spongiam quandã, adimplen- F tes eam non de verbo potabili, neque vino lætificãte cor hominis, neque de aqua refectionis, sed de aliquo contrario, & nociuo & non potabili aceto intelligibili: & hanc spongiam imponunt calamo scripturæ suæ, & quantum ad se, læsiones inferunt Iesu ex huiusmodi pom. Et quidã quidem dant Iesu bibere vinũ cum felle permixtum, quod non vult bibere Iesus filius Dei: alij autem non vinum, sed acetum. Et forsitan quanticunque secundum doctrinam quidem ecclesiasticã sapiũt, viuunt autem male, dant ei vinum bibere felle permixtum: qui autem alienas à veritate sapientias applicant Christo quasi eo ea dicenti, hi spongiam implentes aceto imponunt calamo, & potãt eum. Sunt autem qui & acetum, & fel sicut Ioannes scribit, offerunt ori eius: & forsitan qui sapiunt *Ioan. 19.* tantummodo male, spongiã implent aceto, & imponunt calamo scripturæ suæ, & potãt eum: qui autem & sapiunt male de dispẽsationibus Christi, & viuunt nequiter, hi spongiã plenam ex aceto cũ felle & hyssopo imponentes calamo scripturæ, offerunt ori eius. Qui autem neq; vinum eius bibere vult propter fellis commixtionem, multo magis non bibet acetũ, neque acetum felle permixtum. Propterea nos vinum mundum ab omni acerbitate & amaritudine, vinũ quod lætificat cor hominis, & cor ipsius filij Dei, accipientes ex eo ipso saluatore nostro Iesu, qui est vitis vera, potemus eum & discipulos eius, vt dicat de nobis bene potantibus eum & disci-

G pulos eius, sitij, & dedistis mihi potũ. Accipiamus & aquam refectionis cum qua nutrit iustos pastor bonus, vt qui pascũtur ab eo dicant, Super aquam refectionis educauit nos. *Matt. 25.* Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum.] Quantum ad Matthæum quidem dicentem iterum clamasse Iesum voce magna, & emisisse spiritum, non autem manifestantem quę fuerit illa magna qua clamauit iterum, erat dicere quoniam eãdem vocem clamauit iterum quam supra clamauerat dicens: Deus deus meus. *Luc. 23.* Lucas manifeste scribit, quam vocem clamauit cum emitteret spiritum, dicẽs: In manus tuas commẽdo spiritum meum. Est intelligere & in isto loco, quòd vox illa quam iterum clamauit emittens spiritum fuit ista, In manus tuas commendo spiritum meum. *Ioan. 18.* Si ergo emittere spiritum, aut sicut Ioannes scribit tradere spiritum idipsum erat quod est mori, simpliciter erat intelligendum quod dicitur in hoc loco, emisit spiritum. Nunc autem cum mortem nihil aliud esse definiant sapiẽtes, nisi separationem animę à corpore, videamus ne forte aliud est simpliciter mori, aliud autem magna voce clamare & emittere spiritum, sicut præsens exponit Matthæus: aut in manus dei commendare spiritum, & dimittere spiritum, secundũ quod dicit Lucas: aut inclinare caput & tradere spiritum, sicut Ioannes exponit. *Mortis definitio.* Et mori quidem omnium hominum est, etiam malorum, quoniam omnium animæ separantur à corpore, etiam iniquorum, qui dicere non possunt quæ dixit Christus exiens de corpore suo: *Gen. 3.* Magnam autem vocem clamare, & sic emittere spiritum, quod est in manus domini commendare spiritum, & sic dimittere spiritum, aut inclinare caput & tradere

H spiritum, non est nisi tantum sanctorum qui bonis operibus deum sibi præparauerunt sicut & Christus, vt possint exeuntes de mundo fiducialiter in manus dei commẽdare vel tradere spiritum suum. Si ergo intelleximus quid est magnã vocem clamare, & sic emittere spiritum id est in manus dei cõmendare: sic enim exposuimus supra proferentes expositionem euangelistæ Lucæ: si intelleximus quid est inclinare caput, & tradere spiritum, festinemus vitam nostram seruare, vt in exitu nostro possimus & nos magnam vocem clamare, & sic emittere spiritum, aut inclinare caput & tradere spiritum, sicut Iesus qui inclinauit caput, & quasi supra patris gremium illud repausans exiit, qui poterat illud in sinu suo fouere, & confortare. *Quomodo nobis moriendum.* Quod si vis audire quid profuit Christo magnã vocem clamasse, & sic emisisse spiritum, id est in manus domini commendasse spiritum, & sic emisisse: aut inclinasse caput super gremium patris, & tradidisse spiritum: audi quod dicit Propheta: Propter hoc enim nõ dereliquit animam eius in inferno, nec dedit eum videre corruptionem. *Psal. 15.* Si ergo & nos ita nos gesserimus vt possimus commendare spiritus nostros in manus dei, aut inclinare caput super gremium dei, & sic tradere spiritum: sine dubio neque nostras animas derelinquet in inferno, nec dabit nos in corruptione in perpetuũ

I manere: sed qui illum post diem tertium reuocauit ab inferis, & nos reuocabit in tempore opportuno: & qui illi donauit, vt non videat caro eius corruptionem, nobis donauit, nõ quidem vt non videat caro nostra corruptionem, sed vt liberetur à corruptione tempore opportuno: quoniam ille quidem peccatũ non fecit, neque dolus inuentus est in ore eius: nos autem iusti erimus, si vel aliquando à peccatis recesserimus. Deinde autem quoniam iterum voce magna clamans & dicens: Pater, in manus tuas commẽdo spiritum meum, emisit spiritum, ideo eo spiritum emittente signa facta sunt super eum, & prodigia testificantia dignitatem eius hoc modo. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum.] *Gene. 49.* Quandiu quidem Iesus non susceperat pro hominibus mortem, ipse expectatio gentium constitutus, velum templi interiora templi velabat: oportebat enim ea velari, donec ille qui solus ea poterat reuelare, manifesta faceret ea videre volentibus, vt per mortem Christi Iesu destruẽtis credentium mortem, qui liberati fuerint à morte, possint aspicere quæ sunt intra velum: Quæ autem fuerint illa non est temporis huius exponere, quoniam multam & difficilem interpretationem sunt habentia. Conuenit autem ea exponere in tertio libro Regnorum, & in secundo libro Paralipomenõ, in quibus scriptum est de templo, & de his quæ posita sunt intra velum: hic autem hoc tantum scriptum est, quia velum K templi cõscissum est in duas partes, à sursum vsque deorsum. Quæret autem aliquis qui non negligenter intelligit scripturas, & aspicit duo esse vela, vnum quidem interius quod velat sancta sanctorum, alterum autem exterius siue tabernaculi, siue templi, quæ figuræ erant tabernaculi sancti, quod præparauit ab initio pater. *Duo vela.* Quorum velorum templi vnum scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum, quando voce magna clamans Iesus emisit spiritum: hoc ostendens sicut puto mysterium, quoniã in passione domini saluatoris velũ quod erat à foris, conscissum est à summo vsque deorsum, vt ab initio mundi vsque ad deorsum, id est vsque ad finem eius, conscisso velamine mysteria publicentur, quæ vsque ad Christi aduentum rationabiliter fuerant occulta. Et nisi ex parte cognosceremus, sed iam nunc manifestarentur omnia, adbuc in corpore constitutis dilectis Christi discipulis, vtrumque velum fuerat conscindendum, id est quod à foris est & interius. Nunc autem quoniam ad scientiam rerum nouarum producimur, ideo quod à foris quidem fuerat velum, interim conscinditur à sursum vsque deorsum: vt quando venerit quod perfectum est, & reuelata fuerint cætera quæ restabant, tunc auferatur etiam secundum velum, vt videamus etiam quæ intra secundum velum sunt occultata, veram arcam testamẽti, & sicut ipsa se habet natura, videamus Cherubim, & propiciatorium verum, & repositionem mannæ in aureo vase, & omnia manifesta atque maiora illis, quæ per legẽ Moysi fuerant demonstrata, in quibus dixit deus ad eum: Facias omnia L secundum formam eorum, quæ tibi ostensa sunt in monte. *Heb. 10.* *Exod. 26.* Nihil ergo est mirum quod velum templi conscissum est, quod interiora velabat mysteria, vt videant discipuli Christi accipientes oculos spiritales, ea quæ nulli ante Iesum fuerant demonstrata. Nemo enim nisi solus princeps sacerdotũ, quæ fuerant ante velum secundum videt. Sed Aaron quidem, & qui ex eo erant, neque virtutem, neque dignitatem habebant reuelare quæ ipsi videbant alicui alteri: solus autem qui cum iureiurando factus est princeps sacerdotum in æternum secundum ordinem Melchisedec, potuit per dispensationem mortis suę conscindere velum templi in duas partes à sursum vsque deorsum, vt videantur quæ fuerant intus oculis qui talia possunt videre. *Psal. 109.* Et terra mota est, & petræ scissæ sunt & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum dormientium resurrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem ipsius introierunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.] Et terra mota est, id est omnis caro, nouo verbo, & nouis rebus secundum Nouum testamentum, & nouo cantico, & nouis omnibus, atque cœlestibus venientibus super terram, sicut & propheta de hoc ipso in aliquo dicit loco: *Allegoria* Conturbati sunt omnes qui videbãt eos, id est discipulos Christi, & timuit omnis homo. Item per alterum prophetam dominus dicit: Adbuc semel & ego mouebo cœlum & terram, & mare, & aridam. M Dicentes autem pauca de motu terræ, non inutiliter iterum dicamus & de petris scissis in passione domini saluatoris, quæ mysterium fuerunt sicut arbitror prophetarum: manifestatæ sunt enim in Christi aduẽtu lex & prophetæ: *Agge. 2.* propter quod ad dominum conuertentibus cum legitur Moyses velamen quod positum erat super cor eorum tollitur, & quod in lectione veteris testamẽti positum erat velamen, in Christo abolectur. *2. Cor. 3.* Apertæ sunt ergo nunc petræ, & scissæ sunt, vt in profundo eorum posita spiritalia mysteria videamus. Probamus autem scissas tunc petras esse prophetas, primum quidem ex eo quod Christus dicitur petra spiritalis, & rationis est, omnes imitatores Christi, dici similiter petras esse, sicut & lux mundi dicuntur, ex eo quod ipse dominus eorum lux est mũdi: *1. Cor. 10.* deinde etiam ex eo quod ipse Petrus à domino petra est appellatus cum dicitur ei: Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo ecclesiam meã, & portæ inferorum non præualebunt ei. *Matth. 16.* Maxime autem hoc demonstratur ex eo quod omnes quibus non præualent portæ inferorum, qui opus nominis petræ habent in se, id est apostoli & prophetæ, petræ sunt ipsi, & sunt fundamenta eorum qui super eis ædificantur, secundum quod ait apostolus: Superædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo domino nostro. *Ephes. 2.*

A stro. Superædificantur autem apostolis & prophetis maxime qui sunt de ecclesia immaculata, & apostolos Christi imitantur, & prophetas non spernunt, sed scrutantur etiam eorum scripturas. Nunc & de monumentis apertis dicamus. Venit autem hora secundū quod promiserat Christus, vt qui in monumentis sunt, audiant vocem filij dei, & viuant. *Ioan. 5.* Propterea audientibus eis vocem filij dei, monumenta sunt aperta, quæ clausa quidem fuerunt quamdiu mortui erant in eis: aperta sunt autem vt qui resurrexerant egrediantur ex monumentis, non ante resurrectionem primogeniti ex mortuis, sed post resurrectionem ipsius, & resurgentes derelinquant quidem monumenta, ingrediantur autem in ciuitatem sanctam, & appareant & manifestentur multis volentibus & potentibus sanctam ciuitatē dei videre, & quæ in ea resuscitata sunt corpora sanctorum. Monumenta enim dicuntur corpora peccatricum animarum, id est mortuarum deo. *Monumentorum allegoria.* Cùm antè per gratiam dei animæ huiusmodi fuerint suscitatæ ad fidem, corpora earum quæ fuerant prius monumenta mortuarum animarum, efficiuntur corpora sanctarum, & videntur à seipsis exire, cum desinunt esse monumenta mortuarum animarum, & cœperint corpora esse sanctarum. Magna ergo sunt facta ex eo quod magna voce clamauit Iesus, & emisit spiritū, & semper hæc eadem magna quotidie fiunt. Velum enim templi ad reuelanda quæ intus habentur, quando non scinditur sanctis à sursum vsque deorsum, & à principio vsque ad finem? B quando & terra eis qui salute sunt digni non mouetur, & tremit, quæ ante Christi mortem immobilis erat? quando & petræ secundum quod tradidimus non finduntur? Sic semper & monumenta aperiūtur, & multa corpora sanctorum quidem dormientium surgunt, & egrediuntur de monumentis, post resurrectionem tamen eius in eis qui mortuus est pro nobis, & sequuntur eum qui resurrexerunt, & in nouitate vitæ ambulant cum eo. Sic & qui digni sunt habere conuersationem in cœlis dicentes: Nostra autem conuersatio est in cœlis, ingrediuntur in sanctam ciuitatem per singula tempora, & lumen eorum lucet coram hominibus, & multis apparent videntibus & intelligentibus opera bona ipsorum, & propterea glorificantibus patrem ipsorum qui est in cœlis. *Rom. 6. Phil. 3. Matt. 5.* Sed & dicere debemus de istis & sapere, quoniam omnis quidem litera euangelij quasi litera viuificans angelicos, vt ita eos appellem, scribas: spiritus autem qui supergreditur literarum naturam diuinioribus motibus magis eos illuminat quibus euangelium non est velatum: omnia enim agunt vt videant quæ in anima sua per resurrectionem Christi fiunt mysteria. Prodificat enim quadam prodificatione eum qui credit scripturis, maiori autem repleitur scientia qui videt quod conscinditur velū scripturæ à sursum vsque deorsum, & videt quæ sunt intra ipsum. Beatus est autem & cui terra, & omnia terrena mouentur: propterea enim & à Christo sunt mota: nec mouebūtur pedes eius nec dicet: Mei autem penè moti sunt pedes. Quanto autem beatior est qui videt oculis animæ scissas petras, quàm illi qui tunc corporaliter fieri ista viderunt? Si C autem quis videns & monumenta aperta, & corpora multa dormientium sanctorum surgentia, & de monumentis egredientia post resurrectionem corporis Christi, omnino alienus efficitur à monumentis, & domesticus efficitur ciuitatis dei ingressus in eam, quāto magis prodificabitur amplius eis, qui corporaliter prodigia ista viderunt? Satis autem puto distare hunc qui ingreditur in ciuitatem sanctam, & apparet multis quia est in ea, ab illo qui secundum historiam credit & non ascendit à fide simplici ad altiora mysteria. Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere filius dei erat iste. *Matt. 55.* Marcus autem sic scribit. Videns centurio qui astabat ibi, quoniam clamans expirauit, dixit, Vere hic homo filius erat dei. *Luc. 23.* Lucas autem: Videns Centurio quæ facta sunt, glorificauit deum, dicens: Vere hic homo iustus erat. Secundum Marcum quidē: Centurio non quia velum templi fuerat scissum à sursum vsque deorsum, nec quia alia facta sunt signa, secundum quod refert Matthæus, id est quia mota est terra & quia petræ sunt fissæ, & ut aperta sunt monumenta, est admirans. Dignum est ergo videre quid postea factum est super illud quod scriptum est apud Marcum vt miraretur Centurio dicens: Vere hic homo filius erat dei. Et vide si dicere possu- D mus secundum vnum quidem modum, quoniam miratus est in his quæ dicta fuerant ab eo ad deum cum clamore & magnitudine sensuum, secundum quod capiebat intelligere, suspicans admiratus est, & dixit: Vere hic homo erat filius dei. Secundum alterum autem modum, quoniam forte præstare volens Pilatus populo vniuerso qui dixerat: Crucifige, crucifige eum, & timens populi totius tumultum, non iussit secundum consuetudinem Romanorum de his qui crucifiguntur percuti sub alas corporis Iesu: quod faciunt aliquando, qui condemnant eos, qui in maioribus sceleribus sunt inuenti. Quoniam ergo maiorem sustinent cruciatum qui non percutiuntur post fixionem, sed viuunt cum plurimo cruciatu, aliquando autem & tota nocte, & adhuc post eam tota die: Iesus ergo cum non fuisset percussus, & speraretur diu pendens in cruce maiora pati tormēta, orauit patrem, & exauditus est, & statim vt clamauit ad patrem receptus est: aut sicut qui potestatem habebat ponendi animam suam, posuit eam quando voluit ipse, quod prodigium stupuit Centurio factum, & dixit: Vere hic homo filius erat dei. Miraculū enim erat quoniam post tres horas receptus est, qui forte biduum victurus erat in cruce secundum consuetudinem eorum qui suspenduntur quidem, non autem percutiuntur: vt videretur beneficium dei fuisse quod expirauit, & meritum orationis eius magis quàm violentia crucis. Illud etiam quod in sequentibus exponit Marcus, cum Ioseph intrasset ad Pilatum, & petisset E corpus Iesu, hoc ipsum significat. Sic enim dicit, quoniam Pilatus miratus est si iam mortuus esset, & vocans Cēturionem interrogauit eum si iam mortuus esset & cum audisset à Centurione, donauit corpus eius Ioseph. Si enim cōsuetudo quæ apud Romanos fuerat de crucifixis, atque percussis, in Christo seruata fuisset, quomodo miratus fuisset Pilatus si iā mortuus est? Vide ergo nisi nouum demonstrat miraculum quod iam mortuus erat, & quod vocauit Centurionem Pilatus, & interrogauit si iam mortuus est. *Crucifixi biduū aut triduū viuebant in cruce vt est notat Iosephus in vita sua.* Vide autem nisi huiusmodi cruciatum fuisse Christi etiam Matthæus ostendit, dicens: Centurio & qui cum eo erant seruabant Iesum. Quare autē eum seruabant, nisi vt diutius pendens in cruce amplius cruciaretur, neque interfectus, neque depositus? Tamen Centurio secundum Matthæum non tantum dixit de Iesu: Vere filius dei erat iste, sed & timuit eum, terræ motu eum in timorem mittente. *Mar. 15.* Forsitan autem & experimento sciebat, super terræ motus qui in gentibus fiunt, eum terræ motum fuisset & in hoc stupuit dicens. Et obserua quoniam apud Marcum vbi Centurio nullum miraculum vidisse refertur, hominem dixit Iesum filium dei: qui autem conscissione veli, vel à terræ motu stupuit, hominem illum fuisse non dicit, sed filium dei. Consentit autem nobis ad tractatum quem fecimus de scriptura Marci, etiam sermo conscriptionis Lucæ, quoniam & ipse sic scribit: Vere hic homo iustus erat: apud quem nihil aliud dicitur, nisi de velo. Videns, inquit, quæ facta sunt Centurio glorificauit deum, dicens: Vere iustus erat hic homo. Quoniam autem tale aliquid factum est in tempore condē- F nationis Christi, & non iussit Pilatus consuetudinem seruare vt percutiatur corpus Christi, manifestat etiam Ioannes hoc modo scribens, quoniam rogauerunt Pilatum vt frangerētur crura eorum, & tollerentur. *Ioan. 18.* Quid autem necessarium fuerat rogare, & preces offerre de hoc, si secundum consuetudinem factum fuisset? Miserti sunt ergo Iudæi post crudelem condemnationem eorum, qui quantum ad existimationem eorū viuebant in cruciatu terribili. Et prioris quidem crura fregerunt, similiter & secundi: Iesus autem non opus habuit intercessionibus eorum, aut precibus quas obtulerunt Pilato: propter quod venientes ad Iesum, quoniam iam mortuus erat, crura eius non fregerunt. *Cur crura crucifixorū fracta.* Aut forte non propter misericordiam hoc fecerunt Iudæi, sed principaliter propter sabbatū, vt non maneant corpora super crucem in sabbato. Erat enim magnus dies ille sabbati. Hæc tractauimus propterea quod scriptum est, quod centurio & qui cum eo seruabant Iesum, & cætera, videntes terræmotū, & quæcunque fiebant, timuerunt. Verisimile est quod viderunt quomodo velum templi conscissum vsque deorsum, & cætera mysterium ostendentia eorum quæ supra tradidimus, & timuerunt valde: hoc enim

G significat quod dicitur valde, Vide autem ne forte & moralē *Allegoria* expositiunem suscipit sermo hoc modo, quoniam sunt quidā qui suscipiuot Christum & seruant: qoasi quando viderint secundum quod tradidimus velum scindi, & petras sicut exposuimus findi, & monumenta secundum quod es posuimus aperiri, & corpora mortuorum sanctorum execuntia de monumentis, & introeuntia in ciuitatem sanctam, id est ecclesiam, adducuntur in timorem dei, & testimonium perhibent quoniam filius dei est qui talia passus est. Et non erit mirū si confessus fuerat aliquis filium dei, verbum & sapientiam & veritatem, & omnia quæcunq; dicitur filius dei. Et laudabilis est, qui non conturbatur in his quæ videntur contigisse ei more humano, & confitetur quia filius erat dei. Erant autem ibi mulieres à longe videntes, quæ secutæ fuerant Iesum à Galilæa ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi.] De istis mulieribus prophetasse referunt Esaiam dicentem. Mulieres venientes ad spectaculum venite: nō enim est populus habens sapientiam. Vocat enim mulieres quæ fuerant de lōge, & de longe videbant Iesum, vocat eas ad verbum, vt derelinquāt quidem populum insensatum & derelictum, & accedant ad Nouum testamentum. Beatas autem arbitror esse mulieres quæ ædificantur ad beatitudinem à spectaculo verbi & à morte corporis Iesu. Omne enim quod est in Christo, H si vere videatur, beatum facit videntem. Aspiciunt ergo mortificationem corporis Iesu, & modum quo cum precibus spiritum suum commendauit patri. Hæ primum secutæ sunt à *Esa. 9.* Galilæa, & vt audens dicam, vtens auctoritate scripturæ dicētis: A Galilæa gentium secutæ sunt, non à recta neq; à firma, sed circuitum quendam habente: hoc enim intelligitur Galilæa, id est volutatio vel vertigo: quam relinquētes secutæ sunt Iesum, non otiose, sed facientes quæ mandabantur ab eo, & delectabant eum, ministrātes enim sequebantur eum. Omnis anima autem diuisionem aliquam gratiarum, & ipsum dominum participans, ministrat Iesu ministerium simile ministeriis angelorum, de quibus scriptum est, quoniam accedentes *Matt. 4.* angeli ministrabant ei. Multæ ergo erant expectantes tunc Iesum: præcipuæ autem nominatæ sunt, & quasi attētius spectantes, & amplius ministrantes, & melius sequentes, Maria Magdalena, magis interpretationi nominis patriæ suæ cōueniens quæ Magdalena appellatur. Interpretatur autē magnificatio locus ille. Et erat hæc Maria Magdalena de magnificatione propter nihil aliud nisi quia secuta fuerat Iesum & ministrauerat ei, & spectauerat mysterium passionis ipsius. Erat autem inter præcipuas & Maria Iacobi & Ioseph mater, *Marc. 15.* aut sicut Marcus dicit, Iacobi minoris & Ioseph mater, secundum nomen patriarchę Iacob supplantatoris fratris sui, & Ioseph super quem natum genitrix dicit: Adiciat mihi dominus filium alterum. Et hæc igitur sequens dominum, & ministrans, & spectans dispensationem passionis ipsius, quoniam fidelis alicuius fuerat mater, non magni alicuius qualis fuerat patriarcha Iacob, sed minoris, Ioseph alterius. Erat autem in- I ter mulieres & mater filiorum Zebedæi, forsitan aliqua con- *Marc. 3.* sisteos in mysterio tonitrus propter fidem & vitam sanctam, & qoia dominum sequebatur, & ministrabat, & spectatrix fuerat omnium quæ gesta fuerant circa eum, quia filij Zebedæi vocati sunt filij tonitrui. Erant enim filij eius Ioanoes & Iacobus: ideo Ioannes audiuit septem tonitruum verba, quę quasi eminentiora omni scriptura vt non scriberet accipit mandatum. Si autem oportet opinari, & dicere etiam nomē matris filiorum Zebedæi, dico quoniam hæc ipsa fuerat Sa- *Tres Mariæ.* lome pacifica appellata. Opinatus sum autē hoc videns apud Matthæum & Marcum tres præcipuas mulieres nominatas, de quibus præsens sermo habetur. Et duas quidem esse præsens euangelista exponit, Mariam Magdalenam, & Mariam Iacobi: tertiam autem dici matrem filiorum Zebedæi. Apud Marcum autem tertia illa Salome appellatur: & secundum Marcum, quæ secutæ fuerant Iesum à Galilæa, cum Christo ascenderunt in Hierusalem. Iste est enim finis eorum qui derelinquunt Galilæam gentium, & sequuntur Iesum, vt nō solum ascendant in Hierusalem, sed etiam cum Iesu ascendant *Ioseph Arimathęsis.* in eam. Hoc enim significat quod simul ascendisse referūtur cum Christo. Cum sero autem factum fuisset, venit quidam homo diues ab Arimathia nomine Ioseph, qui & ipse disci- K pulus erat Iesu. Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus.] Qui petit corpus domini à Pilatu, nō qualiscunque aliquis erat, sed laudabilibus diuitiis diues: & quia decurio constitutus, mysterium nominis Christi portabat in veritate, quod est decem: ideo libenter pro beneficio magno postulauit corpus Iesu a Pilato, & nō permisit eum pendere in ligno. Propterea laudatur ab euangelistis quasi iustus: & discipulus fuerat Iesu, & fructus discipulatus sui reddidit forte sicut in multis sic & in corpore Christi, quia expectans erat regnum dei, sicut docuerat Iesus. Et accepto corpore Ioseph inuoluit in sindone mūda, & posuit ipsum in monumento suo nouo, quod excidit in petra, & aduoluit lapidem magnum ad ostium monumenti, & abiit.] In sindone munda inuoluit, & in monumento posuit nouo vbi nemo mortuus erat, seruans corpus Iesu ad resurrectionem præcipuam. Puto autem magis munditiam sindo illa habebat ex quo inuolutū est corpus Christi quàm prius: corpus enim Iesu etiam in morte constitutum, quasi corpus Iesu mūdabat omnia quæcunque tangebat, & magis innouabat monumentum illud nouum quod fuerat excisum in petra. Ne ne existimet quia fortuito scriptum est, & euentu dictum est, quoniā inuoluit corpus in sindone munda, & in monumento posuit nouo, & quia monumentum illud erat excisum in petra mo- L numentum mundum quod à corpore Iesu mundius erat factum quàm fuerat prius quàm poneretur Iesu corpus in eo. Quæres autem si sunt homines nihil amplius habentes quàm corpus Iesu, noui quidem & excisi in petra, & monumentum *Esa. 53.* suot eius mundum, & ideo salui efficiuntur. Consequēter au- *1. Thess. 4.* tem & alij sunt extra eos qui habent Iesum viuentem: & quidam eorum habent Iesum & ante passionem viuentem, quidam autem resurgentem à mortuis, quidam secundum quod multis apparet, non habentem speciem neque decorem. Alij autem habent in gloriam reformatum, alij autem vident eum ascendentem, & sperant cum eo rapi in nube, vt semper habeantur cum ipso. Ergo Matthęus nouum esse monumentum conscripsit, & in petra excisum non exposuit manifeste. Et quod nouum erat ab omni corpore mortuo manifestauerunt Lucas & Ioannes: quorum vnus quidē dixit, in quo nōdum erat aliquis positus: Ioannes autem in quo nondum aliquis positus erat, plane si nunquàm aliquis positus fuerat ibi, postea autem positi sunt: nam quod dicit: In quo nondū aliquis positus erat, caute considerantibus verbum hoc significatur. Dicimus ergo ne forte simpliciter intelligere debemus hunc locum, quoniam qui dixit: Cōsepulti sumus Christo per baptismum, & consurreximus ei, in monumento nouo & intelligibili exciso in petra consepultus est & ipse post Christū *Rom. 6.* cum Christo, & omnes qui consepulti suot Christo in baptismo vt resurgant cū eo ex nouo monumento primogeniti ex mortuis, & in omnibus primatum tenentis. Voluit autem Ioseph non lapides multos ad ostium monumenti, sed vnum, & magnum, & maiorem quàm poterat esse insidiantium virtus, M non tamen maiorem quàm virtus erat angeli descēdentis de cœlo, & reuoluentis ab eo lapidem, & sedentis super ipsum: quoniam omnia quæ sunt circa corpus Christi Iesu munda sunt & noua, & non simpliciter magna, sed valde omnia magna. Erat autem ibi Maria Magdalena, & altera Maria sedentes contra sepulchrum.] Post hæc charitas duarum Mariarum, Magdalenæ & matris Iacobi & Ioseph, colligauit eas ad monumentum nouum, propter corpus Iesu quod fuerat ibi. Et hoc obserua, quoniam superius duę istę Marię, & mater filiorum Zebedæi quàm existimamus ipsam esse Salomē, de longe spectabant mirabilia quæ in passione Christi fiebant, & corpus eius suspensum in ligno. Hic autem non permanserunt tres: mater enim filiorum Zebedæi non scribitur cum Maria Magdalena, & cū Maria matre Iacobi & Ioseph simul sedere contra sepulchrum. Forsitan enim vsque hoc peruenire potuit mater filiorum Zebedæi: istæ autem quasi maiores in charitate, neq; his quæ postea gesta sunt defuerūt. Altera autē die quæ est post Parasceuen, conuenerūt principes sacerdotū & pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, rememorati sumus quod ille seductor dixit adhuc viuens: Post tertium diem resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsq;

in

A in diem tertium, ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Resurrexit à mortuis, & erit nouissimus error peior priore. Ait autem illis Pilatus: Habetis custodes: ite, custodite sicut scitis. Illi autem euntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.] Rationis est interrogare principes sacerdotum, qui venerunt ad Pilatum, vt dicerent hæc quæ dixerunt: Dicite sacerdotes: cum dixisset *Ioan. 2.* Iesus: Soluite templum hoc, & ego in triduo illud suscitabo, ad quod propositum eum dixisse putastis? an de solutione & resurrectione corporis sui? an de templi destructione, & reparatione ipsius? Si enim intellexistis sic, quia de resurrectione sua ista dicebat, quomodo testimonium dantes aduersus eum dixistis, quoniam hic dixit: Possum destruere templum hoc, & in triduo reædificare illud? Si autem vere de templo illo non intellexistis secũdum quod & testimonium præbuistis, vnde modo scitis quoniam dixit, post tres dies à mortuis *Impietas seipsam expugnat.* se resurrecturum? Vide ergo quomodo impietas seipsam suis verbis expugnat. Per hæc enim verba ipsi testimonium suum illud condemnant, quoniam vere intelligentes eum de resurrectione corporis sui illa dicere, & scientes conuerterunt ser-B mones eius ad destructionem & reparationem illius insensibilis templi. Adhuc autẽ interrogo: Quid dicitis sacerdotes? nempe quia dicebat hominibus: Post tres dies resurgam, & secreto mandabat discipulis suis, vt furentur eum noctu, & dicant post tres dies, quia surrexit à mortuis. Sed hoc ex hoc ipso incredibile est, post tãtos sermones morales quos in populo docuit vniuerso, & post tales & tãtas virtutes quas vbique in omni Iudæa ostendit, vt falleret discipulos suos verbis, vt etiam ipsi culparent ista mandantem, & ideo nequaquam facerent quod mandabat, maxime propter periculum quod imminebat eis à populo, si confiterentur eum qui ante modicum fuerat crucifixus, & doctorem se habere & Christum. Si autem hoc dixisse eum incredibile est, vide nisi consequens est, vt sicut prodigia fecit, vt sicut euangelium suum *Matt. 10.* prædicandum in toto mundo prædixit, & sicut: Ante præsi-*Iacn. 2.* des & reges stabitis, & sicut Hierusalem destruetur ab exer-C citu, sic & de resurrectione sua prædixit quod ait: Soluite templum hoc, & ego in triduo suscitabo ipsum. Propterea & in præiudicium suum locuti sunt sacerdotes & pharisæi ad Pilatum dicentes, quoniam ille seductor dixit adhuc viuẽs, quo- D niam post tres dies resurgam. Adhuc autẽ vide quoniam quidam venientes de custodibus in ciuitatem nunciauerũt non alijs, sed ipsis principibus sacerdotum omnia quęcunque fuerant facta, vt ex omni parte inexcusabilis eorum constituatur impietas: illi aut nec sic miserrimi acquieuerunt documentis tantis, vt susciperent, quia Iesus erat Christus, sed & post omnia hæc malignabantur propter duritiam cordis sui. Sicut in- *Exod. 7.* duratum fuerat cor Pharaonis super tãtis & talibus prodigiis quæ in Ægypto fuerant facta: sic & isti sunt indurati, vt congregati cum senioribus & consilium accipiẽtes darent pecuniam auaris, vt dicant, quia discipuli eius venientes noctu furati sunt eum dormientibus nobis: & qui legebant in lege: Non falsum testimonium dices, etiam alios ad falsum testi- *Exod. 20.* monium inuitabant, expendentes pecuniam multam, vt milites quidem falsum testimonium dicãt, propter auaritiam pe- E riculis se subdentes si furatum esset corpus Iesu: præsidem autem multo magis placarent, & ei suaderent tantis pecuniis quantis poterat præses placari, siue autem & precibus, volentes eruere eos de periculis aduersus se ipsos falsum testimonium præbuerunt dicẽtes, contra disciplinam militarem obdormisse se tunc tanto somno, vt discipuli ausi essent: venire simul & multi, confidentes quoniam milites dormiũt abundantius, & sic furarentur corpus Iesu. Et hęc omnia gerebantur ab operantibus contrariis virtutibus cõtra Christi doctrinam, existimantibus quoniam poterant extinguere à vita hominum, de resurrectione domini prouidentiam Dei, & fidem. Et sicut nimia duritia Pharaonis non est mollita mul-tis prodigiis factis per Moysen, sic aut amplius duritia cordis F istorum non solum factis signis & prodigiis non est flexa, sed neque custodibus nunciantibus crediderunt: qui venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt omnia quæcunque fuerant facta. Et Pharaoni quidem dictum est: Ad hoc ipsum te *Exod. 9.* suscitaui, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra: istos autem suppor- *Rom. 9.* tauit magnanimitas Dei, vt vasa iræ præparata in interitum, fiat salus in gentibus.

Finis Tractatuum Origenis in Matthaeum.

PROLOGVS SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI IN EXPLANATIONEM SANCTI LVCÆ ab Adamantio Origene.




ANTE paucos dies quorundam in Matthæo & in Luca commentarios vos legisse dixistis: è quibus alter & sensibus hebes esset, & verbis, alter in verbis luderet, in sententiis dormitaret. Quamobrem petistis vt contemptis istiusmodi nugis, saltem Adamantij nostri in Lucam Homelias sicut in Græco habentur interpreter, molestam rem & tormento similem, alieno (vt ait Tullius) stomacho & non suo scribere. Quam tamen idcirco nunc faciam, quia sublimiora non poscitis. Siquidem illud quod olim Romæ sancta Blesilla flagitauerat, vt XXXVI. Tomos illius in Matthæum, & quinque alios in Lucam, & XXXIX in Ioannem, nostra lingua traderem, nec virium mearum, nec otij, nec laboris est. Perspicitis enim, quantum apud me, & auctoritas vestra, & voluntas valet. Prætermisi paululum Hebraicarum quæstionum libros, vt ad arbitrium vestrum lucrati operis hæc, qualiacunque sunt, non mea, sed aliena dictarem, præsertim cum à sinistro oscinem coruum audiam crocitantem, & mirum in modum de cunctarum auium ridere coloribus, cum totus ipse tenebrosus sit. Fateor itaque antequam ille obiiciat in his Origenem tractatibus, quasi iterum talis luderem, alia sunt virilia eius, & senectutis seria. Quæ si libuerit, si potuero, si dominus vt in latinum sermonem vertam dederit commeatum, & prætermissum opus prius expleuero, tunc videre poteritis, imo per vos Romana lingua cognoscet, quantum boni & ante nescierit, & scire nunc coeperit. Præterea commentarios viri eloquentissimi Hilarij, & beati martyris Victorini, quos in Matthæo diuerso sermone, sed vna gratia spiritus ediderunt, post paucos dies ad vos mittere dispositus, ne ignoretis quantum nostris quoque hominibus sanctarum scripturarum quondam studium fuerit.

G

IN PROOEMIVM LVCAE K

VSQVE AD EVM LOCVM VBI AIT, SCRIBERE TIBI OPTIME THEOPHILE, DICTÆ homiliæ in diebus dominicis. *Homilia prima.*



Gratia discernendorũ spirituũ in ecclesia.

SICVT olim in populo Iudęorum multi prophetiam pollicebãtur, & quidam erant pseudoprophetæ, è quibus vnus fuit Ananias filius Agot: alij vero Prophetę: & erat gratia in populo discernendorũ spirituum, per quem alij inter prophetas recipiebãtur, nonnulli quasi ab exercitatissimis trapezitis reprobabantur: ita & nunc in Nouo testamento multi conati sunt scribere Euangelia, sed non omnes recepti. Et vt sciatis non solum quatuor Euangelia, sed plurima esse conscripta, è quibus hæc quæ habemus electa sunt, & tradita ecclesiis, ex ipso procemio Lucæ quod ita contexitur cognoscamus. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem.] Hoc quod ait: Conati sunt, latentem habet accusationem eorum qui absque gratia spiritus sancti ad scribenda Euangelia prosilierũt. Matthæus quippe, *Luc.1.*

H & Marcus, & Ioannes, & Lucas non sunt conati scribere, sed spiritu sancto pleni scripserunt Euangelia. Multi igitur conati sunt ordinare narrationem de his rebus quę manifestissimè cognitæ sunt in nobis. Ecclesia quatuor habet Euangelia, hæreses plurimas: è quibus quoddam scribitur secundum Ægyptios, aliud iuxta duodecim apostolos. Ausus fuit & Basilides scribere Euangelium, & suo illud nomine titulare. Multi conati sunt scribere, sed & multi conati sunt ordinare: Quatuor tantum euangelia sunt probata, è quibus sub persona domini & saluatoris nostri proferenda sunt dogmata. Scio quoddam Euangelium, quod appellatur secundum Thomam, & iuxta Matthiam, & alia plura legimus ne quid ignorare videremur, propter eos qui se putãt aliquid scire, si ista cognouerint. Sed in his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod ecclesia, id est quatuor tantum euangelia recipienda. Hæc idcirco, quia in principio lectũ est: Multi conati sunt ordinare narrationem de his rebus quæ confirmatæ sunt in nobis. Illi tentauerunt, atque conati sunt de his rebus scribere, quæ in nobis manifestissimè sunt compertæ. Effectum suum Lucas indicat ex sermone quo ait: In nobis manifestissimè sunt ostensæ, id est πεπληροφορημένων, quod vno verbo latinus sermo non explicat. Certa enim fide & ratione cognouerat, neque in aliquo fluctuabat, verũ ita esset, an aliter. Hoc autem illis euenit, qui fidelissimè crediderunt, & id quod propheta obsecrat, cõsecuti sunt, & dicunt: Confirma me in sermonibus tuis: vnde & Apostolus de his qui erant firmi, atque robusti, ait: Vt sitis radicati & fundati in fide, Si quis enim radicatus in fide est atq; fundatus, licet tempestas fuerit exorta, licet venti flauerint, licet se imber effuderit, non conuelletur, nec corruet, quia super petram ædificiũ solida mole fundatum est. Nec putemus oculis istis carnalibus firmitatẽ fidei dari, quam mens & ratio tribuit. Infideles quique credant signis, atque portentis, quæ humana acies conuertur. Fidelis vero magis prudens atq; robustus, rationem sequatur & verbũ, & sic diiudicet quid verum quidue falsum sit. Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderũt, & ministri fuerũt sermonis.] In Exodo scriptum est. Populus videbat vocem Dei. Et certè vox auditur potius quàm videtur, sed propterea scriptum est, vt ostẽderetur nobis aliis oculis videre vocem Dei, quibus illam aspiciunt qui merẽtur. Porrò in Euangelio non vox cernitur, sed sermo qui voce pręstantior est. Vnde nunc dicitur: Sicut ab initio tradiderunt nobis, qui à principio ipsi viderũt, & ministri fuerunt sermonis. Igitur Apostoli ipsi viderunt sermonem: non quia aspexerant corpus domini saluatoris, sed quia verbum viderunt. Si enim iuxta corpus vidissent Iesum, hoc est Dei vidissent sermonem, ergo & Pilatus qui condemnauit, sermonem Dei vidit, & Iudas proditor, & omnes qui clamauerunt, Crucifige, crucifige eum, tolle de terra, talem dei viderunt sermonem. Sed absit vt quisquam incredulus sermonem Dei viderit. Videre sermonẽ Dei, tale est quale saluator ait: Qui videt me, videt & patrem qui misit me. Sicut tradiderũt nobis qui à principio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Clàm Lucæ sermonibus edocemur, quod cuiusdam doctrinæ finis sit ipsa doctrina, alterius vero doctrinę finis in operę computetur. Verbi gratia. Sciẽtia geometriæ finem habet ipsam tantum scientiam atque doctrinam. Alia vero scientia est, cuius finis opus exigit: velut in medicina oportet me rationem, & dogmata scire medicinę, non vt tantummodo nouerim quid debeam facere, sed vt faciam, id est vt secem vulnera, victum moderatum castigatumq; disponam, æstus febrium in pulsu venarum sentiam, vt curationibus cyclicis humorum abundantiam siccem, temperem atq; restringam. Quæ si quis tantum scierit, & nõ opere fuerit subsecutus, cassa erit eius scientia. Simile quid scientiæ medicinæ & operi, etiam in notitia ministerioq; sermonis est. Sicut tradiderũt nobis qui à principio ipsi viderũt, & ministri fuerũt sermonis. Vt ex eo quod dixit: Ipsi viderũt, doctrinam & scientiam significari, & ex eo quòd dixit: Ministri fuerunt sermonis, demonstrari opera cognoscamus. Assecuto à principio. Visum est & mihi assecuto ab initio:] Inculcat, ac replicat, quoniam ea quæ scripturus est non rumore cognouerit, sed ab initio ipse fuerit consecutus. Vnde & ab Apostolo merito collaudatur dicente: Cuius laus in euangelio est per omnes ecclesias. Hoc enim de nullo alio dicitur, & nisi de Luca dictũ traditur. Visum est & mihi assecuto à principio omnia diligenter ex ordine tibi scribere optime Theophile.] Putat aliquis quod ad Theophilũ quẽpiam euangelium scripserit: omnes qui nos auditis loquẽtes, si tales fueritis vt diligamini à Deo, & vos Theophili estis, & ad vos euangelium scribitur. Si quis Theophilus est, iste optimus & fortissimus est, hoc quippe significantius Græco sermone dicitur κράτιστος. Nemo Theophilus infirmus est. Ee quomodo scriptum est de populo Israel, quando egrediebatur ex Ægypto, quod non fuerit in tribubus eorum infirmus: sicut audacter loquar, dicã, quod omnis qui Theophilus est, sit robustus, habens fortitudinem robustam à Deo tanquam à sermone eius, vt cognoscere possit eorum verborũ quibus conditus est veritatem, intelligens sermonẽ euangelij in Christo, Cui gloria in secula seculorum, Amen.

Pseudeuãgelia.

Psal.118.

Eph.3.

I

Matt.7.

Exod.19.

Videre sermonem.

Matt. 26.

Ioan.14.

Fines doctrinarum.

Cyclica curationes.

L

2. Cor.8.

Exod.14.

M

De eo quod scriptum est: Erant autem iusti ambo in conspectu Dei, ambulantes in omnibus mandatis, & iustificationibus domini sine querela. Cap. 1. Homil. 11.

QVI volunt peccatis suis obtẽdere aliquã excusationẽ, existimãt nullum esse absq; peccato, & vtũtur testimonio quod in Iob scriptũ est: Nemo mũdus à sorde, ne si vnius quidẽ diei fuerit vita eius super terrã. Numerabiles autẽ menses eius. Cuius sonum tantũmodo proferunt, interpretationẽ penitus ignorãtes. Aduersus quos breuiter respõdebimus, quoniam absq; peccato esse in scripturis, dupliciter intelligitur: vt sit alterũ, nunquã omnino peccasse, alterũ, peccare desisse. Si igitur aiunt eũ absq; peccato dici qui nunquã peccauerit, & nos assentimus nullũ esse absq; peccato: quia omnes homines aliquãdo peccauimus, licet postea virtutẽ secuti sumus. Si vero sic intelligũt hominẽ non esse absq; peccato, vt negẽt quẽpiam post vitia ita se ad virtutes referre, vt nunquam omnino peccet, falsa eorum sententia est. Potest enim fieri, vt qui ante peccauerit, & peccare desiuerit, sine peccato esse dicatur. Sic & dominus noster Iesus Christus exhibuit sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam: non quia ecclesiasticus vir nunquam habuerit maculam, sed quia nequaquam vlita maculetur, non habẽtem rugam, non quod ruga veteris hominis in eo aliquando non fuerit, sed quod eam habere desierit.

Iob.14.

Absque peccato esse dupliciter intelligitur

Eph.5.

A desiert. In hunc modũ & illud quod sequitur est intelligendum, vt sit sancta & immaculata, non quod à principio immaculata fuerit: hoc enim suspicari quidem de homine non potest quod anima eius maculosa non fuerit: sed quod repute tur pura atq; syncera, quę maculari vltra desierit. Hęc idcirco diximus, vt doceremus posse hominẽ ob id quod peccare desiuit, vocari absq; peccato, & immaculatũ. Vnde & manifestissimè de Zacharia & Elizabeth scribitur: Erant iusti ambo in cõspectu Dei ambulantes. In omnibus autẽ erant iusti ambo ante dominum, incedentes in mandatis & iustificationibus dñi sine querela.] Diligentius laudes Zachariæ & Elizabeth, quas sanctus Lucas in sua scribit historia, cõtemplemur: non tantùm vt sciamus illos fuisse laudabiles, sed vt sanctũ zelum assumentes, etiam ipsi laude digni efficiamur. Poterat simpliciter scribere, erant iusti ambo, ambulantes in omnibus mandatis: nunc autem necessario additur, iusti ambo in conspectu Dei. *Iustus in cõspectu dei & iustus in cõspectu hominum.* Potest quippe fieri, vt sit aliquis iustus in conspectu hominum, sed in conspectu Dei non. Verbi gratia, quando non habet homo quod de me male loquatur, & in me vniuersa considerans nihil cui detrahat reperit, iustus sum in conspectu hominum. Finge omnes de me æqualem habere sententiam, & quærere quid detrahant mihi, & tamen inuenire non posse, sed cõsono me ore laudare, iustus sum in conspectu hominum plurimorum: verum hominum non est certum iudicium. *Matt. 5.* Nesciunt enim vtrum in abscondito cordis mei aliquãdo peccauerim, vtrum viderim mulierem ad concupiscendum eam, & adulterium mihi in corde sit natum. Ignorant homines cum me viderint secundum vires meas eleemosynam facere, vtrum propter mãdatum Dei fecerim,
B an hominum laudem fauorémque quæsierim. Difficilis res est in cõspectu Dei iustum esse, vt non ob aliam causam quid boni facias nisi propter ipsum bonum, & Deum tantũ quæras boni operis retributorem. *Rom. 2.* Tale quid & Apostolus loquitur. Quorum laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Beatus qui in cõspectu Dei iustus est atq; laudabilis. Homines enim quãuis certum iudicium habere videantur, tamen nõ possunt ad liquidum pronunciare. Euenit quippe interdum, vt laudent eum qui non est laudabilis, & ei detrahant qui minime detractione dignus est. Solus Deus & in laude & in vituperatione iustus est iudex. Vnde dignè & nunc additur in laude iustorum: Erant iusti ambo in conspectu Dei. Tale quid & *Prou. 3.* Salomon in Prouerbiis cohortatur dicens: Fili, prouide bona in conspectu Dei & hominum. Sequitur Zachariæ & Elizabeth alia laudatio. Ambulantes in omnibus mandatis & iustificationibus domini] Quando bene & rectè de aliquibus iudicamus, in iustificationibus domini gradimur. Quando hoc aut illud facimus, in mandatis illius ambulamus. Vnde puto & sanctum Lucam volentem eos prædicare laude perfecta, dixisse: Erant iusti ambo, ambulantes in omnibus mandatis & iustificationibus domini. Dicat mihi quispiam: Si laus ista perfecta est, quid sibi vult hoc quod dicitur, sine querela? Sufficiebat enim dicere, ambulantes in omnibus viis
C & iustificationibus domini, nisi posset fieri vt ambulet quis in omnibus mandatis Dei, & tamen sine querela non ambulet. Et quomodo potest euenire, vt in omnibus mandatis & iustificationibus Dei ambulans sub querela sit? Cui breuiter dicam. Nisi hoc ita esset, nunquam in alio loco nosceremus *Deut. 16.* scriptum referri: Iuste id quod iustum est sequere. Nisi enim esset iustum aliquid quod non iuste sequeremur, nequaquam nobis præciperetur, vt iuste id quod iustum est sequeremur. Quando enim facimus mandatum Dei, & in conscientia nostra vanæ gloriæ sordes respergimus, vt placeamus hominibus, aut alia quæcunque non placet Deo boni operis causa præcedit, quamuis faciamus præceptum Dei, tamen illud absque querela non facimus, & iniuste id quod iustum est sequimur. Difficile ergo est ambulare in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine querela, secundum *2. Cor. 5.* testimonium & laudem Dei in Christo Iesu. Quæ laus reddenda est in die iudicij ab eo, cui omnes nos manifestari oportet ante tribunal eius, vt recipiat vnusquisque quæ per corpus gessit, siue bona, siue mala. Omnes enim stabimus ante tribunal Dei, vt recipiamus quod meremur in Christo Iesu. Cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

De eo quod scriptum est: Apparuit ei angelus domini, stans a dextris altaris accensi. Cap. 1. D

Homilia III.



QVÆ corporalia sunt, & sensu carent, vt videantur ab alio, ipsa nihil efficiũt, sed tantummodo oculus alterius intentus in ea, siue voluerint illa, siue noluerint, videt quando in ea contemplationem direxerit. Quid enim potest homo, aut alia res quæ circundatur corpore crasso, cum in præsenti fuerit, facere ne cernatur? Econtrario ea quæ sunt superna & diuina, ea cum in præsenti fuerint nõ videntur nisi ipsa voluerint: & in voluntate eorum est videri vel non videri. *Quãdo inuisibilia videntur.* Gratia Dei fuit vt appareret Abraham, vel cæteris prophetis: non quod oculus tantum cordis Abraham in causa fuerit vt cerneret Deum, sed quod gratia Dei vltro se aspiciendam præbuerit viro iusto. Hoc autem non solum super Deo patre intelligas, sed etiam super domino saluatore, & super spiritu sancto, & vt ad minora perueniam, super Cherubim & Seraphim. Fieri enim potest, vt & nunc nobis loquentibus assistat angelus, & tamẽ quia non meremur eum videre nequeamus. Quamuis enim oculus siue corporis, siue animæ nostræ ad contemplandum intendat, nisi sponte apparuerit angelus, & se videndum præbuerit, & ille qui vere desiderat non videbit. Itaque vbicunque scriptum fuerit, apparuit Deus illi, vel illi, vt & nunc: Apparuit ei angelus domini, stans à dextris altaris incẽsi, ita vt dixi, intellige. Siue Deus, siue angelus Abrahæ E vel Zachariæ cum voluerit vel noluerit, aut nõ videbitur. Et hoc non tantum in præsenti seculo dicimus, sed etiam in futuro cum migrauerimus è mundo, quod non omnibus vel Deus, vel angeli appareant, quod scilicet & angelos & spiritum sanctum & dominum saluatorem & ipsum Deum patrem, is qui de corpore exierit statim mereatur videre: & ille tantũ videbit qui mundũ habuerit cor, & talẽ se præbuerit vt dignus Dei sit aspectu. *Matt. 5.* Et quamuis in eodẽ loco sit qui mũdo corde est, & is qui adhuc aliqua sorde respergitur, vnus locus nec nocere quempiã poterit, nec iuuare: quia qui mundũ cor habuerit, Deum videbit: qui autẽ talis fuerit, id quod alij cernunt nõ videbit. Tale quid mihi intelligendũ & de Christo, qui quondã in corpore videbatur, quod nõ quicunq; eum videbant poterãt videre. Videbant quippe tantũ corpus illius: secundũ vero hoc quod Christus erat, eũ videre nõ poterant. Porrò discipuli eũ videbant, & magnitudinẽ diuinitatis illius contẽplabantur. Propter quod puto & ad Philippũ deprecãtem atq; dicentẽ: Ostende nobis patrem & sufficit nobis, re- *Ioan. 14.* spondisse saluatorem: Tanto tempore vobiscũ sum, & nõ cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem. Neque enim Pilatus qui videbat Iesum intuebatur patrẽ, nec proditor Iudas: quia nec ipse Pilatus, nec Iudas Christum secũdum hoc quod erat Christus videbãt, nec multitudo quæ coarctabat eum. Illi tantũ videbant Iesum, quos aspectu suo dignos esse sciebat. Laboremus ergo & nos, vt & in præsentiarũ nobis Deus appareat. Sanctus quippe scripturarum sermo pro- F misit, quod inuenietur ab his qui non tentant eum, apparet autem his qui non sunt increduli in eum: & in futuro nõ abscondatur à nobis, sed videamus eum facie ad faciem, & habeamus fiduciam bonæ vitæ, fruamúrque conspectu omnipotentis Dei in Christo Iesu, & spiritu sancto: cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Homilia Quarta, de eo quod scriptum est: Ne timeas Zacharia, vsque ad eum locum vbi ait de Ioanne: Præcedet coram ipso in spiritu & virtute Heliæ. Cap. 1.

Homilia IIII.



ZACHARIAS cũ angelũ vidisset, expauit. Noua quippe facies humanis obtutibus se præbens turbat mentem, animúmque consternat. Vnde angelus sciens hanc esse humanam naturam, primum perturbationi medetur dicens: Noli timere Zacharia: & trepidantem refocillat, nouóque lætificat nuncio infertẽs: Exaudita est oratio tua, & vxor tua Elizabet pariet filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & erit tibi gaudium & exultatio.] Quando iustus quis oritur mũdo, & stadium huius vitæ

G ingreditur, ministri natiuitatis eius lætantur, & se efferunt in sublime. Quando vero ille nascitur qui malæ vitæ præparatus est, & quasi ob pœnas in ergastulum relegatus, minister contristatur & concidit. Vis exemplum accipere sancti viri cuius omnis fructus in laude sit? Vide Iacob duodecim genuisse mares, qui omnes populi Dei & partis illius patriarchæ & principes extiterunt: in his omnibus Iacob lætabatur pater, sicut & nunc de Ioannis natiuitate cunctis gaudium nunciatur: & qui semel ob vtilitatem aliorum ad liberorum opera descenderit, & se voluerit huic ministerio mancipare, obsecret Deum vt talis ei filius ingrediatur seculum, super cuius natiuitate lætior sit. Scribitur ergo de Ioanne: Erit magnus
Luc. 1. in conspectu domini.] Magnitudinem animæ Ioannis ostendit, quæ oculis Dei pateat: & aliquid minus, quod proprie in animæ virtute conspicitur. Ego ita intelligo & illud quod in euangelio dicitur: Nolite contemnere vnum de minimis istis qui in ecclesia sunt. Minimus ibi ad distinctionem maioris intelligitur. Non mihi præcipitur, vt eum qui grandis est contemnam, quia non potest contemni ille qui grandis est: sed dicitur mihi, ne contemnas vnum ex minimis. Vt autem
Matt. 18. scias quod minimus & paruus non fortuitu dicatur, sed cum ea ratione quam posuimus, scriptum est: Quicunque scandalizauerit vnum de minimis istis. Minimus scandalizatur, grandis non potest scandalum sustinere. Sequitur
H de Ioanne: Et spiritu sancto replebitur adhuc de vtero matris suæ.] Et natiuitas Ioannis plena miraculo est. Quomodo enim domini nostri ac saluatoris aduentum archangelus nunciauit, ita & Ioannis ortum archangelus nunciat. Spiritu sancto replebitur adhuc de vtero matris suæ. Populus Iudæorum facientem dominum nostrum signa atque portenta, & curantem infirmitates eorum, nequaquam videbat: Ioannes vero adhuc in vtero matris constitutus exultat, etenim non potest, & ad aduentum matris Iesu de vtero gestit erumpere. Ecce enim, ait Elizabet, vt facta est salutatio tua in aures meas, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Adhuc in
Matt. 4. matris vtero erat Ioannes, & iam spiritum sanctum acceperat. Non enim illud principium erat substantiæ eius, atque naturæ, de qua scriptura loquitur, quod plurimos filiorum Israël conuertet ad dominum Deum ipsorum. Ioannes plurimos conuertit, dominus autem non plures, sed omnes. Hoc opus illius, vt omnes conuertat ad Deum patrem. Et præcedet coram ipso in spiritu & virtute Heliæ.] Non ait in anima Heliæ, sed in spiritu & virtute Heliæ. Fuit in Helia virtus, & spiritus sicut in omnibus prophetis, & secundum dispensationem corporis in ipso quoque domino saluatore, de quo post paululum ad Mariam dicitur. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Spiritus ergo
I qui fuerat in Ioanne, & virtus quæ in illo erat, in hoc quoque apparuit. Ille translatus est, hic vero præcursor domini fuit. Et mortuus est ante eum, vt ad inferna descendens illius prædicaret aduentum. Ego puto, quod sacramentum Ioannis vsque hodie expleatur in mundo. Quicunque crediturus est in Christum Iesum, præcurrit antè spiritus & virtus Ioannis ad animam illius, & præparat domino populum perfe-
Matt. 3. ctum, & in cordis asperitatibus planas facit vias, & dirigit semitas parare domino plebem perfectam. Non illo tantum tempore præparatæ sunt viæ, & directæ semitæ sed vsque hodie aduentum domini saluatoris spiritus Ioannis virtúsque præcedit. O magna mysteria domini, & dispensationis eius.
Ioan. 1. Angeli præcurrunt Iesum: Angeli quotidie aut ascendunt, aut descendunt super salutem hominum, in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De eo quod Zacharias obmutuit. Cap. 1. Homilia V.



ZACHARIAS sacerdos cum in templo offerret incensum, silentio condemnatur, & retinetur, imò tantum nutibus loquitur, & mutus vsque ad ortum Ioannis filij perseuerat. Quò hæc tendit historia? Silentium Zacha-
Silentium prophetarū riæ silentium prophetarum est in populo Israël. Nequaquam loquitur eis Deus, & sermo qui à principio erat apud patrem Deus, ad nos transiit, nobísque non tacet Christus, apud illos K
vsque hodie silet: quamobrem & Zacharias propheta tacuit. Manifestissimè ex sermonibus ipsius comprobatur, quod & propheta fuerit & sacerdos. Quid vult autem hoc quod sequitur, Annuebat eis, & damnum vocis nutibus compensabat? Ego puto talia esse opera absque sermone, quæ ratione nihil nutibus differunt. Vbi vero ratio & sermo præcesserit, & ita opus fuerit subsecutum, non debent existimari simplices nutus qui ornantur sermone, aut ratione. Si igitur videris conuersationem Iudæorum sine ratione atque sermone, ita vt non queant eorum quæ agunt rationem reddere, intellige quod tunc in Zacharia præcessit, in imagine ipsius hucusque compleri. Circumcisio eorum nutibus similis est. *Circumcisio nutus & opus mutū.* Nisi enim circuncisionis ratio reddatur, nutus est circumcisio & opus mutum. Pascha & aliæ solennitates nutus magis sunt quam veritas. Vsque hodie populus Israël surdus & mutus est: neque poterat fieri, vt non surdus esset & mutus, qui à se sermonem abiecerat. Et olim quidem Moyses loqueba- *Exod. 14.* tur, Ego autem alogos sum: quod licet Latinus aliter expresserit, tamen propriè transferri potest absque sermone siue ratione: & postquam hoc ait, accepit rationem & sermonem, quem confessus fuerat se antea non habere. Populus autem *Populus Israel quādo mutus.* Israël priusquam legem acceperat, absque ratione & sermone quodam modo mutus erat: deinde accepit sermonem, cuius imago fuit Moyses. Iste igitur nqn confitetur modo quod tunc confessus est Moyses, eo quod sit mutus & alo- L
gos, sed nutibus & silentio indicat se non habere sermonem, & non habere rationem. Nonne tibi videtur confessio esse stultitiæ, quando nullus eorum potest legalium præceptorum, & prophetici vaticinij rationem reddere? Cessauit Chri- *Esa. 1.* stus esse in eis, reliquit eos sermo, completum est illud quod in Esaia scribitur: Relinquetur filia Sion sicut tabernaculum in vinea, & sicut custodia in cucumerario, vt ciuitas quæ expugnatur. Quibus relictis salus translata est ad nationes, vt illi concitentur ad zelum. Intuentes ergo dispensationem & *Deut. 32.* arcanum Dei, quomodo Israël abiectus sit in salute nostra, cauere debemus ne forte & illi nostri causa eiecti sint, & nos *Rom. 11.* maiori supplicio digni simus, propter quos & alij derelicti sunt, & nos nihil dignum adoptione Dei & eius clementia fecerimus, qua adoptauit nos, & in suos filios reputauit, in Christo Iesu: Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De eo quod scriptum est: Cum autem concepisset Elizabet abscondebat se: vsque ad eum locum vbi ait: Hic erit magnus. Cap. 1. Homilia VI.



QVANDO concepit Elizabet abscondebat se mensibus quinque dicens: quia sic mihi fecit M
dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum in hominibus.] Quæro quam ob causam postquam intellexit se esse prægnantem, publicum declinarit? Ni fallor hoc est etiam *De castitate cōiugali.* quod hi qui nuptiis copulati sunt non omne tempus coitus liberum inter se habent, sed est tempus quando recedunt ab opere nuptiarum. Si enim vir senex fuerit & mulier anus, pudoris est maximi seruire eos libidini, seruire coniugio, quæ vel curæ corporis & senectæ esse Dei videntur voluntate sublata. Hæc autem quæ ad sermonem angeli & dispensationem Dei rursum fuerat viro copulata, erubescebat quod anus & penè decrepita ad opus iuuenum reuertisset. Vnde & abscondebat se mensibus quinque: non vsque ad nonum mensem, donec partus ingrueret, sed vsquequo conciperet Maria. Quando enim illa concepit, & venit ad eam, & facta est salutatio in aures eius, exultauit in gaudio infans in vtero Elizabet, & prophetauit spiritu sancto plena, & locuta est quæ euangelicus sermo describit. Et diffamata sunt per omnem montanam verba hæc.] Quando enim in populo rumor egressus est habere eam in vtero prophetam, & aliquid maius esse homine qui gestabatur à virgine, tunc non absconditur, sed tota libertate se prodit, & exultat se habere præcursorem in vtero saluatoris. Deinde scriptura commemorat, quod mense sexto conceptus Elizabet, missus sit

angelus

A angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cuius nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph de domo Dauid, & nomen virginis Maria. Rursum in mea mente voluens quæro quare Deus cum semel saluatorem iudicaret nasci ex virgine, non elegit puellam absque sponso, sed eam potissimum quæ iam fuerat desponsata. Et nisi fallor hæc causa est. Debuit de ea virgine nasci, quæ non solum sponsum haberet, sed, vt Matthæus scribit, iam viro tradita fuerat, licet eam vir needum nosset, ne turpitudinem virginis habitus ipse monstraret, si virgo videretur vtero tumenti. Vnde elegãter in cuiusdam martyris epistola scriptum reperi, Ignatium dico episcopum Antiochiæ post Petrum secundum, qui in persecutione Romæ pugnauit ad bestias, Principem seculi huius latuit virginitas Mariæ. latuit propter Ioseph, latuit propter nuptias, latuit quia habere virum putabatur. Si enim non habuisset sponsum & putabatur virum, nequaquam potuisset principi mundi huius abscondi. Statim enim cogitatio diaboli tacita subrepsisset: Quomodo ista quæ non concubuit cum viro prægnans est? Debet iste conceptus esse diuinus, debet aliquid humana natura esse sublimius. Econtrario disposuerat Saluator, dispensationẽ suam, & assumptionem corporis ignorare diabolum: vnde & in generatione sua celauit eam: & discipulis postea præcipiebat, ne manifestũ eum facerent. Et cum ab ipso diabolo tentaretur, nusquam confessus est Dei se esse filium, sed tantummodo respondebat, Non oportet vt adorem te, nec vt lapi-
B des istos panes faciam, vt me de alto præcipitem. Et cum ista diceret, tacuit semper se esse filium Dei. Quære & in alia scriptura, & reperies voluntatis Christi fuisse, vt aduentum filij Dei diabolus ignoraret. Apostolus enim passionem eius asserens nescisse contrarias fortitudines, ait: Sapientiam loquimur inter perfectos, Sapientiam autem non seculi huius, neque principum seculi huius qui destruũtur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam nullus principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Absconditum igitur fuit à principibus seculi mysterium Saluatoris. Quod autem econtrario obiici potest, soluendum mihi videtur antequam ab alio proponatur, qua ratione quod principes huius seculi latuit, dæmonem non latuit cum præsertim qui in Euãgelio loquebatur, venisti ante tempus torquere nos, scimus te qui sis filius Dei. Sed considera, quia minor in malitia non erit Saluatorem: qui vero maior est in scelere, & versipellis, & nequam, ex eo ipso quod in malo maior est, impeditur nosse filium Dei. Nos quoque ipsi si minus habuerimus mali, facilius possumus ad virtutem procedere. Si vero magis in nobis fuerit mali, ingenti labore sudandum est, vt maiori malitia liberemur. Hæc de eo quod sponsum habuerit Maria.

Cur virgo habuit sponsum. — *Matt. 1.* — *Ignatij verba de diabolo nesciente Mariæ virginitatem.* — *Matt. 4.* — *1. Cor. 3.* — *1. Cor. 2.* — *Mat. 9.*

Quia vero angelus nouo sermone Mariam salutauit, quem in omni scriptura inuenire non potui, & de hoc pauca dicenda sunt. Id enim quod ait: Aue gratia plena, quod Græce dicitur κεχαριτωμένη, vbi in scripturis alibi legerim non
C recordor: sed neque ad virum istiusmodi sermo est, salue gratia plena. Soli Mariæ hæc salutatio seruatur. Si enim scisset Maria & ad alium quempiam similem factũ esse sermonem, habebat quippe legis scientiam, & erat sancta, & prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognouerat, nunquam quasi peregrina eam salutatio terruisset. Propter quod loquitur ei angelus: ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam coram domino. Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Is erit magnus & filius altissimi vocabitur.] Dicitur & de Ioanne, erit magnus: & hoc ipsum Gabriel angelus contestatur: sed quando venit Iesus vere magnus, vere sublimis, ille qui prius magnus fuerat minor effectus est. Ille enim (inquit) fuit lucerna ardens & lucens, & vos voluistis ad horam exultare in lumine eius. Magnitudo Saluatoris nostri non tunc apparuit quando natus est, sed nunc postquam oppressa ab aduersariis videbatur, emicuit. Vide magnitudinem domini: in omnem terram exiuit sonus doctrinæ eius, & in fines orbis terrarum verba illius. Dominus noster Iesus, qui virtus est Dei, in omnem diffusus est orbem, & impræsentiarum nobiscum est, iuxta illud quod in Apostolo legitur, Congregatis vobis & spiritu meo cum virtute domini nostri Iesu Christi. Virtus domini Saluatoris & D cum his est qui ab orbe nostro in Britannia diuiduntur, & cum his qui in Mauritania, & cum vniuersis qui sub sole in nomine eius crediderunt. Vide ergo magnitudinem Saluatoris quomodo in toto orbe diffusa sit, & certe necdum eius veram magnitudinem exposui. Ascẽde in cœlos, & vide eum quomodo cœlestia repleuerit. Apparuit siquidem angelis. Descende cogitatione in abyssos, & videbis eum etiam illuc descendisse. Qui enim descendit, ipse est & qui ascendit, vt impleret omnia, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Considera virtutem domini quod impleuerit mundum, id est cœlestia, terrestria, & infernalia, quomodo & cœlum ipsum penetrauit, & in superna ascenderit. Legimus enim, quod pertransierit cœlos filius Dei. Si hæc videris, pariter intueberis non transitorie dictum, Magnus erit, sed verbum opere completum. Magnus est dominus noster Iesus, & præsens, & absens, tribuitque consortium fortitudinis suæ huic cœtui nostro atque conuentui: quod vt & singuli mereamur accipere, deprecemur dominum Deum, Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Nouo sermone Mariam salutat angelus. — *Ioan. 5.* — *Psal. 18.* — *Ioan. 10.* — *1. Cor. 1.* — *1. Cor. 5.* — *Ephe. 4.* — *Heb. 4.*

De eo quod scriptum est, Exurgens autem Maria cum festinatione venit in montana, vsque ad eum locum, vbi ait: Erit consummatio eorum quæ dicta sunt. Cap. 1.

Homilia. VIII.



MELIORES ad deteriores veniunt vt eis ex E aduentu suo aliquid tribuant emolumenti. Sic & Saluator venit ad Ioannem, vt sanctificaret baptisma illius: & Maria statim vt audiuit angelum nunciantem, quòd conciperet Saluatorem, & quod cognata illius Elizabet haberet in vtero, consurgens cum festinatione venit in montana, & ingressa est domum Elizabet. Iesus vero qui in vtero illius erat, festinabat adhuc in ventre matris Ioannem positum sanctificare, Denique antequam veniret Maria, & salutaret Elizabet, non exultauit infans in vtero: sed statim vt Maria loquuta est verbum, quod filius Dei in ventre matris suggesserat, exultauit infans in gaudio, & tunc primum præcursorem suum prophetam fecit Iesus. Oportebat quoque Mariã cum Dei prolo dignissima, post alloquium Dei ad montana conscendere, & in sublimioribus commorari. Vnde & scriptum est. Consurgens Maria in diebus illis, venit in montana.] Debuerat etiam cum esset solicita non pigra, properare solicitudine, & spiritu sancto plena ad sublimiora perduci, & virtute Dei protegi, à qua fuerat obumbrata. Venit ergo in ciuitatem Iudæ, & in domum Zachariæ, & salutauit Elizabet. Factum est cum audisset salutationem Mariæ Elizabet, exultauit infans in vtero eius, & repleta est spiritu sancto.] Non est itaque dubium quin quæ tunc repleta est spiritu sancto, propter filium sit repleta. Neque enim mater primum spiritum sanctum meruit, sed cum Ioannes adhuc clausus in vtero spiri- F tum sanctum recepisset, tunc & illa post sanctificationem filij repleta est spiritu sancto. Poteris hoc credere, si simile quid etiam de Saluatore cognoueris. Inuenitur beata Maria sicut in aliquantis exemplaribus reperimus, prophetare. Non enim ignoramus, quod secundum alios codices, & hæc verba Elizabet vaticinetur. Spiritu itaque sancto tunc repleta est Maria, quando cœpit in vtero habere Saluatorem. Statim enim vt spiritum sanctum accepit, dominici corporis conditorem, & filius Dei esse cœpit in vtero, etiam ipsa completa est spiritu sancto. Exultauit ergo infans in vtero Elizabet, & repleta est spiritu sancto, & clamauit voce magna, & dixit.

B. Maria prophetat.

Benedicta tu inter mulieres.] Debemus in hoc loco ne simplices quique decipiantur, ea quæ solent opponere hæretici, confutare. In tantam quippe nescio quis prorupit insaniam, vt assereret negatã fuisse Mariam à Saluatore, eo quod post natiuitatem illius iuncta fuerit Ioseph: & loquutus est: quæ quali mente dixerit qui ipse nouerit locutus est. Si quando igitur hæretici vobis tale quid obiecerint, respondete eis, & dicite. Certe spiritu sancto plena Elizabet ait: Benedicta tu inter mulieres. Si sancto spiritu benedicta canitur

Cõtra hæresim cuiusdam.

G Maria, quomodo eam Saluator negauit. Porrò quòd asse-runt eam nupsisse post partum, vnde approbent non habent. Hi enim filij qui Ioseph dicebantur, non erant orti de Maria, neque est vlla scriptura quæ ista commemoret. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde mihi hoc, vt veniat mater domini mei ad me?] Quod ait: Vnde mihi hoc, non ignorans dicit: & maxime spiritu sancto plena, quasi nesciat quod iuxta Dei voluntatem mater domini venerit ad eam: sed isto sensu loquitur. Quid boni feci? quæ opera mea tanta sunt, vt mater domini ad me veniat? per quam iusticiam, ex quibus bonis, de qua fidelitate mentis hoc merui, vt mater domini mei veniat ad me? Ecce enim vt facta est salutatio tua in aures meas, exultauit in exultatione infans in vtero meo.] Sancta erat anima beati Ioãnis, & adbuc in matris vtero clausa, venturáque in mundum quasi per experientiæ sensum sciebat quæ Israel ignorabat. Vnde exiluit: & non simpliciter exiliuit, sed in gaudio. Senserat enim venisse dominum suum, vt sanctificaret seruũ suum, antequam de matris vtero procederet. Vtinam mihi eueniat, vt ab infidelibus stultus dicar, qui talibus credidi. Ipsum opus ostendit & veritas, non me stultitiæ, sed sapientiæ credidisse: & quia hoc quod stultum apud illos putatur, mihi salutis occasio sit. Nisi enim fuisset cœlestis, & beata natiuitas Saluatoris, nisi habuisset diuini aliquid, & humanitatem hominum

Heluidius post Orig. hanc hæresim tenuit.

H superegrediens, nunquam totum orbem illius doctrina penetrasset. Si tantummodo fuisset in Mariæ vtero, & non Dei filius, quomodo poterat fieri, vt & illo tempore & nunc, non solum corporum, sed etiam animarum morbi multiplices curarentur? Quis nostrum non insipiens fuit, qui nunc propter misericordiam Dei habemus intelligentiã, & sitimus Deum? Quis nostrum nõ incredulus iustitiæ, qui nunc propter Christum iusticiam habemus, sequimúrque iusticiam? Quis nostrum non errabundus & vagus, qui nunc propter aduentum Saluatoris non fluctuamus, atque turbamur, sed sumus in via, in illo videlicet qui ait: Ego sum via? possumus & reliqua congregantes videre quoniam omnia quæ scripta sunt de eo, diuina admiratione digna referuntur: quòd & natiuitas illius, & nutrimenta, & virtus, & passio, & resurrectio non solum illo tempore, sed etiam nunc operentur in nobis. Quis vos ô catechumeni in ecclesia congregauit? quis stimulus impulit, vt relictis domibus in hunc cœtum coeatis? Neque enim nos domus vestras singillatim circuiuimus, sed omnipotens pater virtute inuisibili subiicit cordibus vestris quos scit esse dignos, hunc ardorem, vt quasi inuiti, & retractantes veniatis ad fidem, maxime in exordio religionis, cum veluti trepidi, & pauentes salutis fidem cum timore suscipitis. Obsecro vos ô catechumeni nolite retractare: nemo vestrum formidet, & paueat, sed sequimini præeuntem Iesum. Ille vos

Ioan. 10.

Natiuitas & Christi etiam nũc operatur in nobis.

I trahit ad salutem, congregat in ecclesiam, nunc quidem super terram, si autem dignos fructus feceritis, in ecclesiam primitiuorum qui scripti sunt in cœlestibus. Beata quæ credidit, quia erit perfectio his quæ dicta sunt ei à domino. Super quibus & beata Maria magnificat dominum Iesum. Magnificat autem anima dominum, spiritus Deum. Quæ quam habeant interpretationem, si concesserit dominus vt rursus in ecclesiam congregemur, vt festiui veniatis ad domum Dei, & diuinæ lectioni præbeatis aures, quæremus, ventilabimus, disseremus, in Christo Iesu: cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Heb. 12.

De eo quod scriptum est, Magnificat anima mea dominum, vsque ad illum locum vbi ait, Timentibus efficit virtutem: Cap. 1. Homilia VIII.



ANTE Ioannem prophetat Elizabet, ante ortum domini saluatoris prophetat Maria. Et quomodo peccatum cœpit à muliere, & deinceps ad virum vsque peruenit: sic & principium salutis à mulieribus habuit exordium, vt cæteræ quoque mulieres, sexus fragilitate deposita, imitarentur vitam, conuersationémque sanctarum earum quæ vel maxime nunc in Euangelio describuntur. Videamus ergo vaticinium virginale. Magnificat (ait) anima mea dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.] Duæ res, anima scilicet & spiritus, duplici laude funguntur. Anima dominum prædicat, spiritus Deum. Non quòd alia laus domini, alia Dei sit: sed quia qui Deus est, idem & dominus est: & qui dominus est, idem & Deus sit. Quæritur quomodo magnificet dominum. Si enim dominus nec augmentum, nec decrementum recipere potest, & quod est, est: qua ratione nunc Maria loquitur: Magnificat anima mea dominum? Si considerem dominum Saluatorem imaginem esse inuisibilis Dei, & videam animam meam factam ad imaginem conditoris, vt imago esset imaginis, neque enim anima mea specialiter imago est Dei, sed ad similitudinem imaginis prioris effecta est: tunc videbo quoniam in exemplum eorum qui solent imagines pingere, & vno (verbi causa) vultu regis accepto ad principalem similitudinem exprimendam artis industriam commendare, vnusquisque nostrum ad imaginem Christi formans animam suam, aut maiorem ei, aut minorem ponit imaginem, vel obsoletam, vel sordidam, aut claram, atque lucentem, & splendentem ad effigiem imaginis principalis. Quando igitur grandem fecero imaginem imaginis, id est animam meam, & magnificauero eam opere, cogitatione, sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse dominus cuius imago est in nostra anima magnificatur. Et quomodo crescit dominus in nostra imagine, sic si peccatores

Vaticiniũ virginale.

K

Quomodo magnificetur domin⁹

Col. 1.

L fuerimus minuitur, atque decrescit. Sed nos pro imagine saluatoris alias nobis imagines induimus: pro imagine verbi sapientiæ, iustitiæ, cæterarúmque virtutum, diaboli formam assumimus, vt dicatur de nobis: Serpentes, generatio viperarum. Et leonis personam induimus & draconis, & vulpium, quando venenati, crudeles, callidi sumus: necnon & hirci, vel porci, quando ad libidinem promptiores. Memini quondam Deuteronomium disserentem in eo loco vbi scriptum est: Ne faciatis omnem similitudinem omnis animalis, dixisse me quoniam spiritalis est in alios facere imaginem masculi, in alios fœminæ: illum similitudinem habere volucrum, illum reptilium, atque serpentium, & alium facere similitudinem Dei. Hęc quomodo intelligantur sciet qui illa legerit. Anima itaque Mariæ primum magnificat dominum, & postea exultat in Deo. Nisi enim antea crederemus, exultare non possemus. Quia respexit (inquit) in humilitatem ancillæ suæ.] In quam humilitatem Mariæ respexit dominus? Quid habebat mater Saluatoris humile atque deiectum, quæ Dei filium gestabat in vtero? Quod ergo dicit: respexit in humilitatem ancillæ suæ, tale est quasi dixerit: Respexit in iusticiam ancillę suæ, respexit in temperantiam, respexit in fortitudinem, atque sapientiam. Dignum quippe est, vt virtutes respiciat. Respondeat aliquis: & dicat: Intelligo quomodo Deus iusticiam ancillæ suæ sapientiámque respiciat: quomodo autem intendat humilitatem, non satis liquet. Consideret qui quærit talia,

Matt. 23.

Deut. 4.

Humilitas hęc sumitur pro virtute non abiectione.

M quoniã proprie in scripturis vna de virtutibus humilitas prædicetur. Ait quippe Saluator: Discite à me, quia mãsuetus sum, & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus vestris. Quòd si vis nomen huius audire virtutis, quomodo etiam à philosophis appellatur, ausculta eandem esse humilitatem quã respiciat deus, quæ ab illis ἀτυφία, siue μετριότης dicitur. Sed & nos quodam eam possumus appellare circuitu, cũ aliquis non est inflatus, sed ipse se deiicit. Qui enim inflatur, cadit secundum Apostolum in iudicium diaboli: siquidẽ & ille ab inflatione cępit, atq; superbia. Vt non (inquit) inflatus in iudicium incidat diaboli. Respexit super humilitatem ancillæ suæ. Humilem me (inquit) & mansuetudinis sectantem deiectionisq; virtutem respexit deus. Ecce enim amodo beatam me dicunt omnes generationes.] Si simpliciter intelligã omnes generationes, super credentibus illud interpretor. Si autem altius aliquid fuero scrutatus, animaduertã quanti profectus sit dicere: Quia fecit mihi magna qui est potens: quoniam omnis qui se humiliat exaltabitur? Respexit autẽ deus in humilitatẽ beatę Mariæ, propterea fecit illi magna qui potens est, & sanctũ nomen eius. Et misericordia eius in generationes generationũ.] Misericordia Dei non in vnam generationem, nec in duas, neque in tres, sed nec in quinque, verum in sempiternũ extenditur in generationes generationũ, timentibus potentiã eius. Fecit virtutẽ in brachio suo.] Licet infirmus ad dominum accesseris,

Matt. 11.

1. Tim. 3.

Luc. 18.

A cesseris, si timueris eum, audire poteris repromissionem quã tibi ob timorem suum dominus pollicetur. Quæ est ista repromissio? Timentibus (inquit) se fecit virtutẽ. Virtus siue imperiũ, potestas est regia. Etenim κράτος quod nos imperiũ possumus appellare, ab eo dicitur quod imperet, siue sub se vniuersa cõtineat. Si ergo timueris dominum, dat tibi fortitudinem siue imperium, dat regnum, vt factus sub rege regum, possideas regnum cœlorum, in Christo Iesu: cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

De eo quod scriptum est: Manebat cum ea mensibus tribus, vsque ad eum locum vbi ait: Et loquebatur benedicens dominum. Cap. I.

Homilia IX.



TAM eorum quæ dicta sunt, quàm illorum quæ facta referuntur, debet ratio esse sancto spiritu digna, & Christi fide, ad quam credentes vocamur. Vnde & nunc causa quærenda est, quare Maria post conceptum venerit ad Elizabet, & manserit cum ea mensibus tribus: aut quid causæ fuerit, vt Lucas qui Euangelij scribebat historiam, etiam hoc scriberet, quod mãserit cum ea mensibus tribus, & postea regressus sit in domum suam. Vtique debet aliqua esse ra-
B tio: quam, si dominus aperuerit cor nostrum, sequens sermo monstrabit. Si enim eo quòd tantum venit Maria ad Elizabet, Et salutauit eam, exultauit infans in gaudio, & spiritu sancto plena Elizabet prophetauit ea quæ in Euangelio scripta sunt, & in vna hora tantos profectus habuit, nostræ coniecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus Ioannes profecit assistente Maria Elizabet. Valde quippe indignum est in puncto horæ atque momẽto exultare infantem, & quodammodo gaudio lasciuisse, repletámque esse spiritu sancto Elizabet: per tres vero menses, nec Ioannem, nec Elizabet ex vicina matris domini & ipsius saluatoris præsentia profecisse. Exercebatur ergo, & quodammodo in athletico sancta matre per tres menses vngebatur Ioannes, & præparabatur in matris vtero, vt mirabiliter natus, mirabilius nutriretur. Quod enim extra cõsuetudinem nutritus est, non refertur scriptum quomodo matris fuerit lactatus vberibus, quomodo in sinu gerulæ constitutus, sed statim sequitur: Et erat in desertis, vs-
Mar. 3. que ad diem ostensionis suæ ad Israel. Deinde legimus. Elizabet autem completum est tempus vt pareret, & peperit filium.] Multi putant superfluè dici, Elizabet autem completum est tempus vt pareret, & peperit filium. Quæ enim mulier potest parere, nisi tempus pariendi ante compleuerit? Sed qui scripturas diligentissime contemplatur, & audit populum loquentem, attendat lectioni, obseruans tam in veteri, quàm in nouo testamento sicubi scriptum in ortu pecca-
C toris inueniat, completum est tempus vt pareret: nunquam omnino reperiet. Sed vbicũque iustus nascitur, ibi complentur dies, illic in mundum completur aduentus sui. Ortus iusti, plenitudinem habet, peccatoris natiuitas, vt ita dicamus, vacuitatem atque inanitatem. Hæc de eo quod scriptum est, Completum est tempus vt pareret. Cõgratulabantur matri eius vicini, & cognati, & volebant in honorem patris puero nomen ponere, vt vocaretur Zacharias. Porrò Elizabet, sancto spiritu suggerente aiebat. Ioannes est nomen eius. Deinde cum illi causas iustas quærerent, cur Ioannes potissimum vocaretur, cum in genere ipsius nullus haberet hoc nomen, interrogant patrem: qui non valens respondere, manu & literis est locutus. Scripsit enim in pugillari, Ioannes est nomen eius. Statímque vt stylus impressus est ceræ, lingua quæ prius fuerat vincta, laxata est. Recepit eloquium, non humanum, quoniam ligata fuit lingua eius, Humana tamen non fuit. Vinxerat enim eam incredulitas. Statim vt soluta est, humana esse desiuit, & loquebatur benedicens Deum & prophetauit ea quæ scripta sunt in Euangelio, de quibus præbente domino Iesu Christo cum tempus fuerit disseremus: cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Orig. tom. 2.

De eo quod scriptum est, Plenus spiritu sancto prophetauit vsque ad eum locum vbi ait: Antecedis enim coram domino parare vias eius. D



PLENVS spiritu sancto Zacharias, duas prophetias generaliter nunciat: primam de Christo, alteram de Ioanne. Quod manifeste de verbis ipsius approbatur, in quibus quasi de præsentia, & qui versaretur in mundo loquitur Saluatoris, ac deinde de Ioanne. Repletus enim spiritu sancto prophetauit dicens: Benedictus dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionẽ plebis suæ.] Visitante enim & Deo volente redimere populum suum, mansit Maria cum Elizabet, postquam ei locutus est angelus mensibus tribus, vt per ineffabilem quandam virtutem, non solum Ioannem, sicut dudum diximus, sed etiam Zachariam, vt nunc Euangelicus sermo declarat, præsens Saluator instrueret. Paulatim quippe & hic per tres menses sancti spiritus augmenta capiebat, & cum nesciret erudiebatur, & de Christo prophetauit dicens: Qui dedit redemptionem populo suo, & suscitauit cornu salutis nobis in domo Dauid, in qua secundum carnem natus est Christus. Et vere quia fuit cornu salutis in domo Dauid, prophetia ista concinitur. Vinea enim facta est in cornu. In quo cornu? In Christo Iesu, in illo in quo nunc scribitur: Suscitauit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui, sicut
E locutus est per os sanctorum suorum prophetarum, Salutem ex inimicis nostris.] Non putemus nunc de corporalibus inimicis dici, sed de spiritalibus. Venit enim dominus Iesus, fortis in prælio, destruere omnes inimicos nostros, vt nos de insidiis eorum liberaret. De manu inimicorum nostrorum, & de manu eorum qui nos oderunt. Facere misericordiam cum patribus nostris.] Ego puto, quod in aduentu domini Saluatoris: & Abraham, & Isaac, & Iacob fruiti sint misericordia Dei. Neque enim credibile est, vt qui prius viderunt diem illius, & lætati sunt, postea in aduentu ipsius, & natiuitate de virgine, nihil vtilitatis acceperint. Et quid de patriarchis loquor? Ad altiora scripturarum autoritatem sequens audacter ascendam, quoniam præsentia domini Iesu & dispensatio illius non solum terrena, sed etiam cœlestia iuuerit. Vnde & Apostolus ait: Pacem faciens per sanguinem crucis suę, siue super terram, siue in cœlis. Si autem in cœlis & in terra præsentia domini profuit, cur paueas dicere quod aduentus illius etiam maioribus profuit, vt impleatur quod dicitur: Facere misericordiam cum patribus nostris, & recordari testamenti sancti sui, iuramenti quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, vt daret nobis absque timore de manu inimicorum liberari?] Crebro de hostium manu aliqui liberantur, sed non absque timore. Cum enim metus discrimen ante
F præcesserint, & ita de inimicorum manu quis fuerit erutus, liberatur quidem, sed nõ sine timore. Porrò aduentus domini Iesu, de manu inimicorum absque timore nos eruit. Non enim sensimus inimicos nostros nec eos vidimus repugnantes, sed nescimus quomodo repente de faucibus eorum & insidiis erepti sumus, in puncto atque momento, & transtulit nos in hæreditatem partémq; iustorum. Et liberati sumus de manu inimicorum sine metu, vt seruiamus Deo in sanctitate & iusticia coram eo omnibus diebus nostris. Et tu puer propheta altissimi vocaberis.] Apud memetipsum quærẽs rationem quare non quasi de Ioanne, sed ad Ioannem ipsum dicens: Et tu puer propheta altissimi vocaberis, & reliqua: superfluum enim fuit ad nõ audientem loqui, & ad paruulum atque lactantem apostropham facere: hanc puto posse me reperire: quod quomodo mirabiliter Ioãnes natus est, & angelo prædicante venit in mundũ, & tribus mensibus Maria iuxta Elizabet commorante fusus est in terram, sic etiam cuncta quæ super eo scripta sunt mirabiliter facta referuntur. Quod si dubitas statim de vtero matris effusum posse verba patris audire & scire quid sit hoc quod ad se dicitur: Et tu puer propheta altissimi vocaberis, considera multo fuisse mirabilius quod præcessit. Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in aures meas, exultauit infans in gaudio in vtero meo. Si enim adhuc in ventre matris conclusus audit Iesum, & audiẽs exiliuit, atq; lætatus est: quare non credas eum iam genitum

Margin notes (right column): *Duæ prophetia Zachariæ.* — *Esa. 5.* — *Hostes spiritales.* — *Eph. 2.*

G prophetiam patris audire & intelligere potuisse, dicentem ad se: Et tu puer propheta excelsi vocaberis, antecedes enim coram domino parare vias eius? Ideo reor Zachariam festinasse vt loqueretur ad paruulum, quia sciebat eum post paululum in eremu moraturum, nec se eius posse præsentiam babere. Puer enim erat in desertis vsque ad diem ostésionis suæ ad Israel.

Exod. 3.

Et Moyses in desertis moratus est, sed post & expletis iá ætatis suæ annis, fugit ex Ægypto, & per alios annos pecora custodiuit. Ioannes vero statim vt natus est, transiit ad deserta, & qui maior fuit inter natos mulierum, maiori nutrimento dignus apparuit.

Malach. 3.

De quo propheta loquitur. Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam.

Ioannes Angelus.

Recte angelus dicitur, qui missus fuerat coram domino, & prophetantem patrem statim vt natus est audire potuit, & intelligere. Quamobré nos qui tantis mirabilibus credimus, credamus pariter resurrectioni, credamus & repromissionibus quæ venturæ sunt, regnóque cœlorum quod nobis quotidie spiritus pollicetur. Quæ omnia vt scripta sunt mirabiliter plusquam sentire possumus, accipiamus in Christo Iesu: cui est gloria & imperiú in secula seculorum, Amen.

De eo quod scriptum est, Puer autem crescebat & confortabatur spiritu, vsque ad eum locum, vbi ait. Hæc est descriptio prima quæ facta est sub Præside Syriæ Cyrino. Cap. I. & II.

H

Homilia XI.

Bifariam crescimus.

BIFARIE in scripturis sanctis crescere quid dicitur: vnum corporaliter, vbi voluntas humana nihil prodest: alterú spiritaliter, vbi causa crescendi in studio cósistit humano. De hoc ergo quod secundum posuimus, id est spiritali, nunc Euangelista narrat: Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu.] Quod dicit, tale est: crescebat spiritu, nec in eadem permanebat mensura qua cœperat, sed semper crescebat in eo spiritus, & per singulas horas atque momenta spiritu succrescente, anima quoque sua incrementa capiebat: & non solum anima, sed etiam sensus & mens augmenta spiritus sequebantur.

Gen. 1.

Illud quod præcepit Deus: Crescite & multiplicamini, qui simpliciter & iuxta literam accipiunt quomodo exponere potuerint, nescio. Esto enim multiplicamini referatur ad numerú, & dum plures fiunt quàm prius fuerant, multiplicatio habet locum: hoc vero quod sequitur: Crescite, non est in nostra potestate.

Matt. 6.

Quis enim hominum non velit ad staturam suam adiicere vt longior fiat? Si ergo propterea quid præcipitur vt fiat: stultum est quippe præcipere, quod is cui præcipias facere non possit: & præcipitur nobis vt crescamus, vtiq; id præcipitur quod facere non possumus. Vis scire quomodo intelligitur, Crescite?

Gen. 21.

Ausculta I quid Isaac fecerit, de quo dicitur: Isaac proficiebat, & maior fiebat, donec factus est magnus, vel vehementer nimis. Semper enim voluntas illius ad meliora se tendens, habebat profectus suos, & mens diuinius aliquid cótemplabatur, & exercebat se memoria, vt plura in thesauro suo códeret, vt firmius retineret. Atque in hunc modum euenit, vt qui omnes virtutes suas in animæ agro excoluerit, impleret mandatum præcipiens, crescite. Quamobrem & Ioannes adhuc paruulus crescebat, & multiplicabatur. Difficillimú autem est paruulum spiritu crescere, & totos mortales perratú. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu.] Aliud est crescebat, aliud confortabatur. Infirma est humana natura, & vt fieri possit fortior, diuino auxilio indiget.

Matt. 26.

Legimus: Caro infirma. Quo igitur auxilio confirmanda est? Vtique spiritu. Sanctus enim spiritus promptus, caro autem infirma. Qui vult fortior fieri, non debet nisi in spiritu confortari. Multi confortantur carne, corpore roborantur:

De carne & spiritu.

Athleta autem Dei spiritus roborandus est: & cum sic fuerit confortatus, sapientiam carnis elidet, & spiritalis effectus subdet corpus animi imperio. Non putemus ergo simplicem de Ioanne historiam esse conscriptam, & quæ nihil ad nos pertineat, in eo quod dicitur, crescebat & confortabatur spiritu: sed ad imitationem nostram, vt multiplicati spiritaliter iuxta eum quem diximus sensum, incrementa capiamus. Et erat in desertis vsq; ad diem ostensionis suæ ad Israel.] Dixi nuper quod & conceptus Ioannes K stupendum quid habuerit quando exultauit infans in vtero, & suum necdum genitus dominum recognouit: & natiuitas non impar miraculum, quando ad eum velut audientem Zachariæ prophetantis sermo conuertitur, dicens: Et tu puer, propheta altissimi vocaberis.

Ioannes in deserto habitabat.

Digne igitur qui sic conceptus fuerat, & natus, non expectauit vt à patre nutriretur vsque ad diem ostensionis suæ ad Israel, sed recessit, fugiens tumultum vrbium, populi frequentiam, viciniam ciuitatum, & abiit in deserta, vbi purior aër erat & cœlum apertius, & familiarior Deus: vt quia necdum sacramétum baptismi, nec prædicationis tempus aduenerat, vacaret orationibus, & cú angelis conuersaretur, appellarétque dominum, & illum audiret respondentem atque dicentem: Ecce adsum. Sicut enim Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei, sic puto quòd Ioannes locutus fuerit in deserto, & dominus responderit ei. Hoc arbitror, certa de scripturis ratione commotus.

Matt. 11.

Si enim maior in natis mulierum Ioanne Baptista fuit nemo, Moysi autem respondit Deus, consequenter respondit & Ioanni qui maior Moyse fuit, qui est nutritus in eremo, cuius natiuitaté idem archangelus qui & domini nunciauit, cuius pater qui eú nasci non credebat obmutuit. Erat igitur in deserto Ioannes, & nutriebatur nouo & extra humanam naturam modo, id ipsum Matthæo memorante.

Matt. 3.

Cibus autem eius erát locustæ, & mel syluestre. L Quia enim minister fuit primi saluatoris aduentus, & tantummodo de dispensatione carnis dominicæ loquebatur, ac prophetia illius eum qui natus fuerat ex virgine præcinebat, non habuit domesticú mel, & humana diligentia percolatum, sed syluestre mel, & volucre nó gráde, non in sublime se eleuans, verum volucre paruum, & vix à terra consurgens, & saliens potius quàm volans. Quid plura? Manifestissime dicitur quod locustæ fuerint cibus eius, paruulum animal & mundum. Considerate ergo fratres charissimi, quod qui nouè natus fuerat, nouè nutritus est. Post quæ scriptura subiicit.

Luc. 2.

Factú est autem in diebus illis, exiuit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur omnis orbis. Hæc fuit descriptio prima, à præside Syriæ Cyrino.] Dicat aliquis. O Euangelica narratio, quoniam prima descriptio vniuersi orbis sub Cæsare Augusto fuerit, & inter omnes etiá Ioseph cum Maria desponsata sibi atque prægnante nomen retulerit in censum, ac priusquam descriptio compleretur ortus fuerit Iesus, diligentius intuenti sacramentum quoddam videtur significare, quod in totius orbis professione describi oportuerit & Christum, vt cum omnibus scriptus sanctificaret omnes, & cum orbe relatus in censum, communionem sui præberet orbi, vt post hanc descriptionem, describeret quoq; ex orbe secum in libro viuentium, vt quicúque credidissent in eo, postea cum sanctis illius scriberétur in cœlis: cui est gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

Christus cú omnib' scriptus fuit vt omnes sanctificaret.

M

De eo quod scriptum est: Angelum venisse de cœlo, & ortum domini nunciasse pastoribus. Cap. II.

Homilia XII.

NATVS est dominus meus Iesus, & angelus descendit de cœlo annúcians natiuitatem eius. Videamus itaque quum quæsierit, vt eis nunciaret aduentum. Non venit Hierosolymam, non quæsiuit Scribas, & Pharisæos, non synagogam ingressus est Iudæorum, sed pastores reperit super greges suos vigilias excubantes, eisque loquitur: Natus est hodie saluator, qui est Christus dominus.] Putas ne nihil aliud diuinius scripturarum sermo significat, sed tantum hoc quod ad pastores venerit angelus, & eis locutus sit? Audite pastores ecclesiarum, pastores Dei, quòd semper angelus eius descendat è cœlo, & annunciet vobis, quoniam natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus.

Apostrophe ad pastores ecclesiarú.

Etenim pastores ecclesiarum, nisi ille pastor venerit, per se bene gregem seruare non poterunt: infirma est eorum custodia, nisi Christus cum eis pauerit, atq; seruauerit.

1. Cor. 3.

Dudum in Apostolo lectum est, Dei cooperatores sumus. Pastor bonus, qui imitatus pastorem bonum, cooperator est Dei & Christi.

Ioan. 10.

Et propterea pastor bonus est, qui habet secum pastoré optimum compascentem

A pascentem sibi. Posuit enim Deus in ecclesia Apostolos, prophetas, Euangelistas, pastores, doctores, omnia in perfectione sanctorum. *Eph.4.* Et hæc quidem sunt dicta simpliciter. Cæterum si ad sacratiorem oportet ascendere intelligentiam, dicam quosdam fuisse pastores angelos qui res humanas regerent. *Angeli pastores gentium.* Et cum horum vnusquisq; suam custodiá conseruaret, & diebus ac noctibus vigilans iam laborem ferre nó posset, & hoc ageret industrié, vt gentes quę sibi creditę fuerãt gubernaret, venisse angelú nato domino, & annunciasse pastoribus quòd verus esset pastor exortus. Verbi gratia, vt ad exemplum veniam, erat quidam pastor Macedoniæ, hic necessarium habebat auxilium domini: propterea apparuit in somnis vir Macedo Paulo, dicens: Transiens in Macedoniam, adiuua nos. *Act.16.* Quid de Paulo loquar? cum hæc non Paulo, sed qui in Paulo erat, locutus sit Iesu? Indigent itaque pastores præsentia Christi. Quamobrem angelus descendit de cœlo, & ait: Nolite timere. Ecce enim annuncio vobis gaudium magnum. Vere gaudium magnum, his quibus hominum fuerat & prouinciarum cura permissa, Christum venisse in mundum. Multum vtilitatis accepit angelus, qui dispensabat Ægyptias res, postquam dominus descendit è cœlo, vt Ægyptij Christiani fierent. Profuit & cunctis, qui diuersas prouincias obtinebát. Verbi causa, Præsidi Macedoniæ, præsidi Achaiæ, reliquarúque regionum. Neque enim fas est credere, malos angelos B suis præesse prouinciis, & bonos non easdem prouincias habere permissas. Hoc autem quod de singulis prouinciis dicit, puto etiam de vniuersis hominibus generaliter debere credere. *Angeli duo vnicuique assistunt.* Vnicuique duo assistunt angeli, alter iustitiæ, alter iniquitatis. Si bonæ cogitationes in corde nostro fuerint, & in animo iusticia pullularit, haud dubium quin nobis loquatur angelus domini. Si vero mala fuerint in nostro corde versata, loquitur nobis angelus diaboli. Quomodo igitur per singulos homines bini sunt angeli, sic opinor & in singulis dispares esse prouinciis, vt sint & boni, sint & mali. Verbi gratia, in Ephesu propter eos qui in illa vrbe peccatores erant, pessimi angeli præsidebant. Rursus quia multi erant credentes in ea, erat & angelus ecclesiæ Ephesiorum, vtique bonus. Hoc autem quod de Epheso diximus, super omnibus prouinciis cognoscendum. Ante aduentum domini saluatoris, isti angeli parum poterant creditis sibi vtilitatis afferre, & conatus eorum sequi non valebat effectus. Quoddam est signú, quàm parum prodesse poterant subiectis: Ausculta quod dicimus: Quando angelus Ægyptiorum Ægyptios adiuuabat, vix vnus proselytus credebat in Deum: & hoc fiebat, Ægyptios angelo dispensante. Denique quia plerique de Ægyptiis & Idumæis proselyti accipiebant fidem Christi, propterea scriptura dicit: Non abominaberis Ægyptium, quoniam aduenæ eratis in terra Ægypti: & Idumæum, quia frater tuus est. *Deut.23.* Filij si nati fuerint eis, in generatione tertia in- C trabunt in ecclesiam Dei. Atque ita fiebat, vt de omnibus gentibus nonnulli proselyti fierent, & hoc ipsum angelis qui gentes habebant subditas adnitentibus. Nunc autem populi credentium accedunt ad fidem Iesu, & angeli quibus creditæ fuerint ecclesiæ roborati præsentia saluatoris multos adducunt proselytos, vt congregentur in omni orbe conuenticula Christianorum. Quapropter consurgentes laudemus dominum, & fiamus pro carnali Israel, spiritalis Israel. Benedicamus omnipotenti Deo opere, cogitatione, sermone, in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

De eo quod scriptum est: Et facta est multitudo exercitus cælestis, vsque ad eũ locum vbi ait: Inuenerunt Mariam, & Iesum positum in præsepe. Cap. II.

Homilia XIII.

DOMINVS noster, atque saluator in Bethleem, & multitudo cœlestis exercitus laudat Deum, & dicit: Gloria in excelsis Deo, & super terram pax hominibus bonæ voluntatis.] Hæc autem loquitur multitudo cœlestis exercitus, quia iam defecerat præbere hominibus auxilium, & videbat se opus quod sibi creditum fuerat implere non posse absque eo qui vere saluare poterat, & præsules quoq; ipsos iuuare, vt homines saluarentur. Quo- D modo igitur scriptú est in Euágelio, quòd quidam remis sulcantes mare aduersus contrarios ventos iam fessi erant, & vigintiquinque siue triginta stadiis laborantes, portum tenere non poterant, & postea dominus superuenit, & quiescere fecit fluctus tumentes, nauémque cuius hinc inde latera tundebantur ab imminenti discrimine liberauit? *Ioan.6.* sic intellige quoniam & angeli volebant quidem hominibus præbere auxilium, & eis ab ægrotationibus suis tribuere sanitatem, quia omnes sunt apparitores spiritus in ministerium missi propter eos qui consecuti sunt salutem, qui quantum in suis viribus erat, adiuuabant homines. *Heb.1.* Videbant autem multo inferiorem suam esse medicinam, quàm illorum cura poscebat. Porro vt de exemplo possis intelligere quod dicimus, vide mihi vrbẽ in qua ægrotent plurimi, & medicorum frequens adhibeatur manus: sint diuersa vulnera, quotidie in emortuã carnem serpens putredo penetret: & tamen medici qui adhibiti sunt ad curandum nequeant alia vltra inuenire medicamina, & artis suæ scientia magnitudinem mali vincere: cum hæc in talibus *Similitudo* nacti sint, eueniat aliquis archiater qui habeat summam in arte notitiá, & illi qui prius sanare nequiuerant cernentes magistri manu putredines cessare vulnerum, non inuideant, nõ liuore crucientur, sed in laudes erumpant archiatri & prædicent Deum qui & sibi & ægrotantibus tantæ scientiæ hominem miserit. *Archiater princeps medicus.* In hanc ergo similitudinem, & multitudo exer- E citus angelorum audita est dicens: Gloria in excelsis Deo, & super terram pax in hominibus bonæ volũtatis. Postquam enim dominus venit ad terrã, pacem fecit per sanguinem crucis suæ, siue eorum qui in terra erãt, siue eorum quæ in cœlis. *Ephe.1.* Siquidem volentes angeli vt recordarentur homines creatoris sui, cum fecissent omnia quæ in suis viribus erant vt sanarentur, & noluissent illi respicere sanitatem, cernunt eum qui sanare potuit, & glorificantes dicunt: Gloria in excelsis Deo & super terram pax. Diligens scripturæ lector inquirat quomodo saluator loquitur: Non veni pacem mittere super terram, sed gladium: & nunc angeli in eius natiuitate decantant, super terram pax. *Matt.10.* Siquidem & in alio loco ex persona ipsius dicitur: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Nõ sicut mundus iste dat pacem, ego do pacem. *Ioan.14.* Videat ergo quod inferimus, an possit soluere quæstionem. Si scriptum esset super terram pax, & hucusq; esset finita sententia, recte quæstio nasceretur. Nunc vero in eo quod additum est, hoc est, quod post pacẽ dicitur, in hominibus bonæ voluntatis, soluit quæstionem. Pax enim quam non dat dominus super terram, nõ est pax bonæ voluntatis. Neque enim ait simpliciter, non veni pacem mittere, sed cum additamento super terram: neque econtrario dixit, non veni pacem mittere super terram hominibus bonæ volũtatis. *Legit ergo Origenes cũ latinis bonę voluntatis, nõ vt Græculi bona voluntas.* Hæc locuti sunt angeli ad pastores, qui non solum eo tempore loquebantur, sed vsque hodie nisi locuti fuerint ad pastores, & sua eis opera copularint, dicitur ad eos: Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. *Mat.10.* Nisi dominus custodierit ciuitatem, in vanum laborabit qui custodit eam. *Psal.127.* Si audacter expe- F dit loqui scripturarum sensum sequenti, per singulas ecclesias bini sunt episcopi, alius visibilis, alius inuisibilis: ille visui carnis, hic sensui patens. *Bini episcopi in singulis ecclesiis.* Et quomodo homo si commissam sibi dispensationé bene egerit, laudatur à domino: si male, culpæ & vitio subiacet: sic & angelus. Scriptum est enim in Apocalypsi Ioãnis. *Apoc.2.* Sed habes ibi nomina pauca quæ polluerunt illud vel illud: & rursus habes ibi qui doctrinam Nicolaitarum doceant: ac deinde habes illa, vel illa peccata facientes: & accusantur angeli, quibus creditæ sunt ecclesiæ. *Caue.* Si autem angelis solicitudo est quomodo ecclesiæ gubernentur, quid necesse est de hominibus dicere quantum metum habeant, vt possint cum angelis laborantibus laborantes salutem consequi? Ego puto inueniri simul posse & angelum & hominem bonos ecclesiæ episcopos, & quodammodo vnius operis esse participes. Quod cum ita sit, petamus omnipotentem Deum, vt angeli & homines ecclesiarum episcopi adiumento sint nobis, & sciamus quoniam vtrique pro nobis à domino iudicentur. Quod si illi fuerint iudicati, & vitium atque peccatum non in eorum incuria, sed in nostra negligẽtia fuerit inuentũ, nos arguemur, atq; plectemur.

G Illis enim vniuersa facientibus, & pro nostra salute nitētibus, nos nihilominus à peccatis vacabimus. Porro frequēter euenit, vt nobis laborantibus illi suum officium non expleant, & in culpis sint. Et factū est (inquit) cum abiissent ab eis angeli
Lucæ. in cœlos, pastores dixerunt ad inuicem. Transeamus vsq; Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod dominus ostendit nobis. Venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph & puerum.] Quia festinantes venerant, & non pedetentim, neque fesso gradu, ideo inuenerunt Ioseph dispensatorem ortus dominici, & Mariam quæ Iesum fudit in partum, & ipsum saluatorem iacentem in præsepio. Illud erat, de quo propheta vaticinatus est dicens: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Bos ani-
Esa.1. mal mundum est, asinus animal immundum. Cognouit asinus præsepe domini sui: Non populus Israel cognouit præsepe domini sui, sed immundum animal ex gentibus. Israel vero me non cognouit, & populus meus me non intellexit. Intelligentes hoc præsepe, nitamur cognoscere dominum, & digni fieri scientia eius, assumere quoque natiuitatem & resurrectionem carnis eius, sed & inclytum ac secundum maiestatis eius aduentum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De eo quod scriptum est: Cum autem impleti essent dies circun-
H *cisionis eius, vsque ad eum locum vbi ait: Par tur-*
turum & duos pullos columbarum. Cap. II.
Homilia. XIIII.



QVod mortuus est Christus, pro peccato mortuus est. Non quia ipse peccauerit, neque enim peccatum fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, sed
Rom. 6. mortuus est, vt nos qui mortui sumus illo moriēte peccatis, nequaquam peccato & vitiis viueremus. Vnde scribitur: Sicut igitur commortui sumus tunc illo moriente, & consurreximus resurgenti: sic cum eo circuncisi sumus, & post circuncisionem solenni purgatione mundati. Vnde non
Col.2. iam indigemus circuncisione carnali. Et ut scias propter nos fuisse, illum circuncisum, audi Paulum manifestissime prædicantem. In quo habitat (inquit) omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti qui est caput omnis principatus, & potestatis, in quo & circuncisi estis circūcisione sine manibus in expoliatione corporis carnis, in circuncisione Christi, consepulti ei in baptismate, in quo & consurreximus per fidem operationis dei qui suscitauit eum à mortuis. Et mors igitur, & resurrectio, & circuncisio eius, pro nobis factę sunt. Cum impleti, inquit, essent dies circuncidendi puerum, vocatum fuerat nomen eius Iesus, quod vocatum est ab an-
Iesus. gelo antequam conciperetur.] Vocabulum Iesu gloriosum omni adoratu, cultúque appellari, neque ab eis efferri in mūdum, sed ab excellentiori quadam maiorique natura. Vnde
I signāter Euangelista addidit dicēs. Et vocatū est nomen eius Iesus, quod vocatū fuerat ab angelo antequam in vtero conciperetur. Dehinc sequitur. Cum iam impleti essent dies purgationis eorum secundum legem Moysi, duxerunt eum Hierosolymam.] Propter purgationem (inquit) eorum. Quorum eorum? Si scriptum esset propter purgationē eius, id est, Mariæ quæ pepererat, nihil quæstionis oriretur, & audacter diceremus Mariam quæ homo erat, purgatione indiguisse post partum. Nunc vero in eo quod ait dies purgationis eorū, non videtur vnum significare, sed alterum siue plures. Ergo Iesus purgatione indiguit & immundus fuit, aut aliqua sorde pollutus. Temerarie forsitan videor dicere, sed scripturarum autoritate commotus. Vide quid in Iob scriptum est. Nemo
Iob.15. mundus à sorde, nec si vnius quidem diei fuerit vita eius. Nō dixit nemo mundus à peccato, sed nemo mundus à sorde. Neque enim id ipsum significant sordes atque peccata, Et vt scias aliud sordem, aliud sonare peccatum: Esaias manifeste docet dicens. Lauabit dominus sordem filiorum & filiarum
Esa.4. Sion, & sanguinem mundabit de medio eorum, spiritu iudicij sordem, & spiritu combustionis sanguinem. Omnis anima quæ humano corpore fuerit induta, habet sordes suas. Vt autem scias Iesum quoque sordidatum fuisse secundū ignominiam crucis, non secundum ipsam quam assumpsit sanctam carnem de qua Apostolus ait: in similitudine carnis K
peccati fuisse propria volūtate, quia pro salute nostra humanum corpus assumpserat, Zachariam prophetam ausculta di- *Zach.3.*
centem: Iesus erat indutus vestibus sordidis. Quod quidem & aduersus eos facit, qui negant dominum nostrum humanū *Valētiniani.*
habuisse corpus, sed cœlestibus & spiritalibus fuisse contextum. Si enim de cœlestibus, & vt illi falso asserunt, de sideribus & alia quadam sublimiori spiritaliq; natura corpus eius fuerit, respondeant quare potuerit spiritale corpus esse sordidum, aut quomodo hoc interpretentur quod posuimus, Iesus erat indutus vestibus sordidis. Si autem fuerint necessitate compulsi vt suscipiant spiritale corpus sordidum intelligi vestimentum, debent cōsequenter dicere quoniam illud quod *1.Cor.15.*
in repromissionibus ponitur completum sit, id est, Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale: & quod polluti & sordidi resurgamus, quod etiam cogitare piaculum est maxime eum qui scit scriptum esse, Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surgit in gloria: seminatur in infirmitate, surgit in fortitudine: seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale. Oportet ergo, vt pro domino & saluatore nostro qui sordidis vestimentis fuerat indutus, & terrenum corpus assumpserat, ea offerentur quæ purgare sordes ex lege consueuerant. Quod frequenter inter *De puerorū*
fratres quæritur, loci occasione commotus retracto. Paruuli *baptismo.*
baptizantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum? vel quo tempore peccauerunt? aut quomodo potest vl- L
la lauacri in paruulis ratio subsistere, nisi iuxta illum sensum de quo paulo ante diximus, Nullus mundus à sorde, nec si vnius diei quidem fuerit vita eius super terram? Et quia per baptismi sacramentum natiuitatis sordes deponuntur, pro- *Peccatum*
pterea baptizantur & paruuli. Nisi enim quis renatus fuerit *originale.*
ex aqua & spiritu, non poterit intrare in regnum cœlorum. Cum (inquit) expleti essent dies purgationis eorum.] Explen- *Ioan.3.*
tur dies & iustitiæ. Neque enim statim vt nata fuerit anima purgatur, nec potest perfectam in ipso ortu consequi puritatem: sed sicut scriptum est in lege, si masculum peperit, septē *Luc.12.*
diebus mater sedebit in sanguine immūdo, ac deinde triginta tribus in sanguine puro, & ad extremū & ipse infans sedebit in sanguine purissimo: sic quia lex spiritalis est, & vmbrā habet futurorū bonorū, possumus intelligere purgationem veram nobis euenire post tempus. Ego puto, quod & post resurre- *Rom. 7.*
ctionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos at- *Heb.10.*
que purgante: nemo enim absque sordibus resurgere poterit: *Caue*
nec vllam posse animam reperiri quæ vniuersis statim vitiis careat. Vnde in regeneratione baptismi assumitur sacramentum, vt quomodo Iesus secundum dispensationem carnis oblatione purgatus est, ita etiā nos spiritali regeneratione purgemur. Duxerunt illum secundum legem Moysi in Hierosolymam, offerre ante conspectum domini.] Vbi sane qui M
deum legis negant, qui aiunt non illum, sed alium à Christo *Valētinianus.*
fuisse in Euangelio prædicatum? Misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Ergo putandum est, vt fi- *Basilides.*
lium suum bonus deus sub lege fecerit creatoris, & sub inimici iure, quod ipse dederat? Quin potius ideo sub lege factus *Marcion.*
est, vt redimeret eos qui sub lege erant, & alię legi subiiceret, *Gal.4.*
de qua dudum lectum est, Attendite popule meus legē meā, & reliqua. Adduxerunt ergo eum, & statuerunt ante conspectum domini.] Cuius scripturæ præcepta complentes? Nempe illius: Sicut scriptum est (inquit) in lege Moysi, quia omne masculinum quod aperit vuluam, sanctum domino vocabitur, & ter per annum apparebit omne masculinum in conspectu domini dei. Masculina quę ex eo quod vuluam matris aperuerunt sancta erant, offerebantur ante altare domini. Omne (inquit) masculinum quod aperit vuluam. Sacratum quippiam sonat. Quemcunque enim de vtero effusum marē dixeris, non sic aperit vuluam matris suæ, vt dominus Iesus: *Num.8.*
quia omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vuluam reserat. Matris vero domini eo tempore vulua reserata est, quo & partus editus, quia sanctum vterum & omni dignatione venerationis venerandum ante natiuitatem Christi *Caute lege.*
masculus omnino non tetigit. Audeo quid loqui, quia & in eo quod scriptum est, Spiritus Dei veniet super te, & virtus *Luc. 1.*
altissimi obumbrabit te, principium seminis & conceptus fuerit,

A fuerit,& fine vuluæ teſeracione nouus in vtero fœtus adole-
ucrit. Vnde & ſaluator loquitur: Ego ſum vermis & non ho-
mo, opprobrium hominum,& abiectio plebis. Videbat io
matris vtero immuodiciam corporum, viſceribus eius hinc-
inde vallatus, terrenæ fecis patiebatur anguſtias: vnde aſſimi-
Pſal. 21. lat ſe vermi,& dicit: Ego ſum vermis,& non homo. Ea mare
quippe ac fœmina homo naſci ſolet: ego vero non ex maſcu-
lo & fœmina ſecundum ritum humanum atque naturam, ſed
in exemplum vermis natus ſum, cuius non eſt aliunde ſemē,
ſed in ipſis, & ex ipſis in quibus coaleſcit corporibus origo
eſt. Propter quod quia omne maſculinum quod aperit vul-
uam, ſanctum domino vocabitur, ductus eſt in Hieroſoly-
mam, vt appareret ante conſpectū dei: & propter illud quod
ſequitur, vt daretur munus pro eo quod in lege domini ſcri-
ptum eſt, Par turturum, aut duos pullos columbarum.] Tur-
Mar. 23. turum par,& duos pullos columbarum, pro ſaluatore vide-
mus oblatos. Ego & aues iſtas beatas puto quæ pro ortu do-
mini oblatæ ſunt: & quomodo aſinam Balaam miror,& feli-
citate accumulo, quia digna fuerit non ſolum videre angelū
dei, ſed etiam ore reſerato in humanum ſermonem erumpe-
re ſic multo amplius has volucres prædico, eáſque ſuſtollo,
quod pro domino noſtro & ſaluatore oblatæ ſunt. Vt offer-
rent pro eo par turturum, aut duos pullos columbarū. Nouū
quid forſitan videar inferre, ſed pro maieſtate parum dignū.
Sicut noua fuit generatio ſaluatoris, non ex viro & muliere,
B ſed ex ſola tantum virgine: ſic & par turturum & duo pulli
columbarum non fuerunt tales quales oculis carnis aſpici-
mus, ſed qualis ſpiritus ſanctus eſt qui in ſpecie columbæ de-
ſcendit,& venit ſuper ſaluatorem quando in Iordane bapti-
zatus eſt. Tale fuit & par turturum: nō erant illæ volucres vt
Matt. 3. iſtæ quæ per aërem volitant, ſed diuinum quiddam & huma-
na contemplatione auguſtius, ſub ſpecie columbæ & turturis
apparebat, vt non talibus victimis qualibus omnes homines,
ille qui pro toto mundo naſcebatur,& pati habebat, coram
domino mundaretur, ſed vt diſpenſatio eius noua omnia ita
nouas quoque haberet hoſtias, ſecundum voluntatem omni-
potentis dei in Chriſto Ieſu, cui eſt gloria & imperium in ſe-
cula ſeculorum, Amen.

De Simeone, quod in ſpiritu ad templum venerit, vſque ad eum locum vbi ait: Nunc dimittis ſeruum tuum domine in pace. Cap. II.

Homilia. XV.

DIGNA dei munere quærenda eſt ratio. Simeon
vir ſanctus & domino placens, ſicut in Euange-
lio ſcriptum eſt, expectans conſolationem Iſ-
rael, reſponſum acceperat à ſpiritu ſancto, non
ſe prius mortem obiturum quàm videret Chri-
ſtum domini. Quid ei profuit vt videret Chriſtum? Verū hoc
C tantum in promiſſione habuit, vt videret illum, nihilque ex
viſu eius conſequeretur vtilitatis? an latet aliquod donum di-
gnum deo, quod beatus Simeon & meruit,& accepit? Fim-
Matt. 9. briam veſtimenti Ieſu mulier tetigit,& ſanata eſt. Si illa ad
extremam partem veſtimenti tantum emolumenti habuit,
quid putandum eſt de Simeone qui in ſuas vlnas accepit in-
fantem,& brachiis tenens lætabatur, atque gaudebat videns
paruulum à ſe geſtari qui ad vinctos venerat reſoluendos, ſé-
que ipſum nodis corporis liberandum, ſciens neminem poſſe
de clauſtro corporis quempiam emittere cum ſpe futuræ vi-
tæ niſi eum quem in brachiis continebat? Vnde ad eum lo-
quitur: Nunc dimittis domine ſeruum tuum in pace. Quan-
diu enim Chriſtum non tenebam, quamdiu illum meis bra-
chiis non arctabam, clauſus eram,& de vinculis exire nō po-
teram. Hoc autem non ſolum de Simeone, ſed de omni hu-
mano genere ſciendum eſt. Si quis egreditur è mundo, ſi quis
è carcere vinctorum domo dimittitur vt ad regnandum va-
dat, ſumat Ieſum in manibus ſuis, & circundet eum brachiis
ſuis, totum habeat in ſinu,& tunc exultās ire poterit quo de-
ſiderat. Conſiderate quanta diſpenſatio præceſſerit vt filium
dei Simeon mereretur tenere. Primum reſponſum à ſancto
ſpiritu acceperat, non enim videre mortem niſi prius vidiſſet
Chriſtum domini. Deinde nō fortuitu, ac ſimpliciter ingreſ-
ſus eſt templum, ſed venit in templum in ſpiritu dei. Quot- D
quot enim ſpiritu dei aguntur, hi filij ſunt dei. Spiritus igitur Rom. 8.
ſanctus eum duxit in templum. Tu quoque ſi vis tenere Ie- Ephe. 2.
ſum & amplexari manibus, & dignus fieri exire de carcere, ſpiritu ſ.
omni labore nitere, vt ducem habeas ſpiritum, veniáſque ad impulſore
templum dei. Ecce nunc ſtas in templo domini Ieſu, hoc eſt venientes in
in eccleſia eius: hoc eſt templum de viuis lapidibus extructū. templum.
Stas autem in templo domini, quando vita tua, & conuerſa-
tio eccleſiæ fuerit appellatione digniſſima. Si veneris ſpiritu
ad templum, inuenies paruulum Ieſum: leuabis illū brachiis
tuis,& dices: Nunc dimittis ſeruum tuum domine in pace,
ſecundum verbum tuum. Simúlque attende, quòd ſolutioni,
& dimiſſioni pax addita ſit. Non enim ait: dimitti volo, ſed
cum additamento in pace dimitti. Nam & beato Abrahæ
hoc idem promiſſum eſt. Tu autem vades ad patres tuos in
pace, nutritus in ſenecta bona. Quis eſt qui moriatur in pace,
niſi qui habet pacem dei quæ omnem ſenſum ſuperat, cuſto-
dítque cor poſſeſſoris ſui? Quis eſt qui de ſeculo iſto recedit
in pace, niſi is qui intelligit quòd deus erat in Chriſto mundū
reconcilians ſibi, nihilque inimicum habet aduerſarium dei,
ſed omnem pacem atque concordiam bonis in ſe operibus
Phil. 4. aſſumpſit,& ſic in pace dimittitur pergere ad ſanctos patres,
ad quos & ſanctus Abraham profectus eſt? Quid de patribus
loquar? ad ipſum quoque qui patriarcharum princeps & do-
minus eſt, ire Ieſum, de quo dicitur: Melius eſt reſolui & eſſe
cum Chriſto. Ille habet Ieſum, qui audet loqui: Viuo iam nō
ego, viuit vero in me Chriſtus. Vt igitur & nos ſtantes in tē-
plo,& tenentes dei filium amplexantéſque eum, digni remiſ- E
ſione,& profectione ad meliora ſimus, oremus omnipotentē
deum, oremus & ipſum paruulum Ieſum, quem alloqui & te-
nere deſideramus in brachiis: cui eſt gloria & imperium in
ſecula ſeculorum. Amen.

De eo quod ſcriptum eſt: Erant pater eius & mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de eo, vſque ad locum vbi ait: Ecce iſte poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael. Cap. II.

Homilia XVI.

ET erant (inquit) pater illius & mater admiran-
tes ſuper his quæ dicebantur de eo. Congrege-
mus in vnum ea quę in ortu Ieſu dicta ſcriptá-
que ſunt de eo,& nunc ſcire poterimus ſingu- De mira-
la quæque digna eſſe miraculo. Quamobrem culis quæ
mirabatur & pater: ſic enim appellatus eſt Ioſeph, quia nutri- chriſti na-
tius fuit: mirabatur & mater ſuper omnibus quæ dicebātur tiuitatem
de eo. Quænam ergo ſunt quæ de paruulo Ieſu fama diſper- conſecuta
ſerat? Paſtores erant in regione illa, vigilantes & obſeruantes ſunt.
cuſtodias noctis ſupra gregem ſuum. Venit angelus ſub ipſa
hora natiuitatis Ieſu,& ait ad eos. Annuncio vobis gaudium
magnum. Ite,& inuenietis infantem inuolutum pannis, &
poſitum in præſepio. Nec dum angelus verba finierat,& ecce
multitudo cœleſtis exercitus laudare cœpit & benedicere F
deum. Cum hoc paſtores trepidi perſpexiſſent & angelus re-
ceſſiſſet ab eis, dixerunt ad inuicem. Eamus Bethleem, & vi-
deamus factum quod dominus oſtendit nobis. Venerunt &
inuenerunt paruulum. Tam illi quàm parentes videntes quæ
facta fuerant, admirabantur ſuper hoc. Et de Simeone ſcri-
bitur, quod rumorem auxerit miraculi, vel magna pars fuerit,
tenuitque puerum in brachiis ſuis,& ait: Nunc dimittis do-
mine ſeruum tuum in pace ſecundum verbum tuum, quia vi-
derunt oculi mei ſalutare tuum. Faſtigium,&, vt ita dicā, cul-
men ſuper his quæ iactabantur de Ieſu, & pater & mater il-
lius mirabantur, ſermo Simeonis fuit. Nō enim ſuffiecit ei te-
nere paruulum,& ea quæ de ſemetipſo ſcripta ſunt proloqui,
ſed benedixit patri illius & matri,& de ipſo quoque prophe-
tauit infante dicens: Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſur-
rectionem multorum in Iſrael,& in ſignum cui contradice-
tur. Tuam quoque ipſius animam pertranſibit gladius, vt re-
uelētur de multis cordibus cogitationes. Quid ſibi vult quod
ait: Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multo-
rum in Iſrael? Huic quid ſimile in euangelio ſecundum Ioā- Ioan. 9.

G nem reperi scriptum, In iudicium ego in mundum istum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Quomodo ergo in iudicium venit, vt non videntes de nationibus viderent, & qui prius videbant de Israel cæci fierent: sic venit in ruinam & resurrectionem multorum. In aduẽtu enim domini saluatoris qui prius steterant corruerunt, & qui ceciderant surrexerunt. Vna hæc est interpretatio de eo quod dictũ est: Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel. Est autem & altius quid intelligendum aduersus eos vel maxime qui contra conditoré latrant, & hincinde de Veteri testamento, quæ non intelligunt testimonia congregantes simpliciũ corda decipiunt. Aiunt enim. Ecce deus legis & prophetarum, videte qualis sit. Ego, inquit, occidam, viuere faciam: percutiam, & ego sanabo: & non est qui eruat de manibus meis. Audiunt occidam, & non audiunt viuificabo: audiunt percutiam, & audire contemnunt, & ego sanabo. Istiusmodi occasionibus creatorem calumniantur. Igitur antequam interpreretur quem sensum habeat: Ego interficiam & viuificabo, percutiam & sanabo, opponam eis testimonium euangelij, dicámq; aduersum hæreticos. Innumerabiles quippe hæreses sunt, quæ euangelium secundum Lucam recipiunt. Si propterea cruentus, & in tantum sæuus & crudelis est conditor, quia dicit: Ego interficiã & viuificabo, percutiã & sanabo, manifestissimè est & Iesum ipsius esse filium: eadem siquidem de eo scripta sunt: Ecce hic

Contra Valentinianos. *Deut. 32.*

H positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel. Non in resurrectionem tantũ, sed & in ruinam. Si malum est interficere, malum sit & in ruinã venire. Quid respondebũt? Vtrúmne recedent à cultu eius, an quærent aliquam interpretationem, & ad tropologias confugient, vt quod in ruinã venerit, benignitatem magis quàm austeritatem sonet? Et quomodo iustum erit quando quid in euãgelio tale reperitur, ad allegorias & nouas intelligentias confugere: quando vero in Veteri instrumento, statim accusare, & nullam explanationẽ, quamuis probabilis sit recipere? Sed & hoc quod sequitur: In iudicium ego veni in mundum istum, vt nõ videntes videãt, & qui vident cæci fiant, quamuis quærant vt edisserant, implere non poterunt. Ego vero quia opto esse ecclesiasticus, & non ab hæresiarcha aliquo, sed à Christi vocabulo nuncupari, & habere nomen quod benedicitur super terram, & cupio tam opere quàm sensu & esse & dici Christianus, æqualem & in veteri & in noua lege quæro rationẽ. Loquitur deus: Ego interficiam: libenter habeo vt interficiat me deus. Quando enim vetus in me homo est, & viuo adhuc quasi homo, cupio vt occidat in me deus veterem hominem, & viuificet me ex mortuis. Primus enim, ait, homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Secundum hunc sensum intelligitur & illud: In iudicium ego veni in mundum istum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Habemus in nobis omnes homines, & aspectum & cæcitatem. Adam & videbat, & non videbat. Eua quoque, antequam aperirentur oculi eius, vidisse describitur, Vidit, inquit, mulier lignũ, quia

Ad allegorias confugere. *Optatum Origenis.* *1. Cor. 15.* *In eode homine & visus & cæcitas.*

I bonum ad comedendum, & optimum oculis ad videndũ, & tollens de fructu ligni comedit, & dedit viro suo, & comederunt. Igitur non erant cæci, sed videbant. Deinde sequitur. Et aperti sunt oculi eorum. Ergo cæci fuerãt, nec videbant, quorum oculi postea sunt aperti: Sed qui bene ante viderãt, postquam domini mandatum prætergressi sunt, cœperunt videre male, & aspectum obedientiæ subripiẽte delicto postea perdiderunt. Ego sic intelligo & illud quod dicit deus: Quis fecit mutum & surdum, videntem & cæcum? Nónne ego dominus deus? Est oculus corporis quo terrena ista conspicimus, oculus secundum sensum carnis, de quo scriptura dicit: Frustra incedis inflatus sensu carnis. Cui habemus alium cõtrarium meliorem, & diuina sapientem: qui quia cæcus in nobis erat, venit Iesus vt faceret eũ videre, vt qui non videbant, viderent, qui autem videbant cæci fierent. Iuxta hunc ergo sensum, & hoc quod nunc habemus in manibus est intelligendum: Ecce iste positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. Habeo aliquid in me quod male stat, & peccati superbia se erigit: hoc cadat, hoc subruatur. Quod si ceciderit, quod ante ruerat, surgens stabit. Interior homo meus quondam iacebat elisus, & exterior stabat erectus. An- K tequam crederem in Iesum, bonum in me iacebat, malũ stabat. Postquam ille venit, tũc quod in me malum fuit, corruit, & expletum est illud, Semper mortificationem Iesu in corpore circumferentes: & illud: Mortificate membra vestra super terram, fornicationem, immunditiam, luxuriam, idololatriam, veneficia, & cætera. Horum omnium vtilis ruina facta est. Et de hac ruina dicitur: Vbicumque erit cadauer, illic congregabuntur aquilæ. Cadauer quippe, à casu nomen accepit. Vna est hæc ruina, ad quam primum venit Iesus: nec potest facere resurrectionem, nisi ruina præcesserit. Venit ante destruere quod in me malum fuit, vt illo destructo & mortificato, consurgat in me, & viuificetur id quod bonum est, vt consequamur regnum cœlorum per dominum nostrum Iesum Christum: Cui est gloria & imperiũ in secula seculorũ, Amen.

Gen. 3. *Exod. 4.* *Coloss. 2.* *Coloss. 3.* *Matt. 24.*

De eo quod scriptum est: Erant pater eius & mater ammirantes super his quæ dicebantur de eo, & rursum vsque ad eum locum vbi de Anna scribitur. Cap. II. Homilia. XVII.

LVCAS qui scripsit: Spiritus sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, propter hoc & quod natum fuerit sanctum, vocabitur filius dei: & qui manifeste nobis tradidit, L quoniam virginis filius Iesus est, nec de humano conceptus est semine: iste patrem eius Ioseph testatus est, dicens: Erant pater illius & mater ammirantes super his quæ dicebantur de eo. Quæ igitur causa extitit, vt eum qui pater non fuit, patrem esse memoraret? Qui simplici expositione contẽtus est, dicit: Honorauit eum spiritus sanctus patris vocabulo, quia nutrierat saluatorem. Qui autem altius aliquid inquirit, potest dicere, quia generationis ordo à Dauid vsque ad Ioseph deducitur, & ne videretur frustra Ioseph nominari, qui pater non fuerat saluatoris, vt generationis ordo haberet locum, pater appellatus est domini. Ammirabantur igitur pater illius & mater super his quæ dicebantur de eo tam ab angelo, quàm à multitudine cœlestis exercitus, nec non à pastoribus. Omnia quippe hæc audientes, vehementissimè mirabantur. Dehinc scriptura ait: Benedixit eis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce iste positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicitur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Quomodo saluator in ruinam & in resurrectionem multorum venerit, est contemplandum. Qui simpliciter exponit, potest dicere in ruinam eum venisse infidelium, & in resurrectionem credentium. Qui vero curiosus interpres est, dicit nequaquam eum cadere qui ante non steterit. Da mihi igitur qui fuerit ille qui steterit, & in cuius ruinam saluator aduenerit, nec non & eum qui consurgat. Nam vtique ille consurgit, qui ante corruerat. M Videndum est vtique, ne forte saluator non aliis atque aliis in ruinam venerit & resurrectionem multorum, sed iisdem & in ruinam & in resurrectionem venerit. In iudicium, ait, ego veni, vt qui non videbant videant, & qui videbant cæci fiant. Est enim in nobis quod videbat prius, & postea videre desiuit, & aliud quod non videbat, & postea cœpit videre. Verbi gratia, volo videre illis oculis quibus antea non videbam, & qui mihi postea reserati sunt, quoniam post inobedientiam & Adam & Euæ oculi sunt aperti, de quibus superiori sermone tractauimus. Nunc autem interpretandum quid sibi velit hoc quod ait: Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. Me oportet primum cadere, & cum cecidero postea bene resurgere, ne saluator causa fuerit malæ ruinæ. Sed propterea cadere me fecit, vt consurgam, & multo mihi ruina vtilior fuerit, quàm illud tempus quo videbar stare. Stabam enim in peccato eo tempore quo peccato viuebam: & quia peccato stabam, prima mihi vtilitas fuit vt caderem, & peccato morerer. Denique & sancti prophetæ quando augustius aliquid contemplabantur, cadebant in faciem suam. Propterea autem cadebant,

Ioseph cur pater domini dict. *Matt. 1.* *Luc. 3.* *Allegoria de ruina et resurrectione.* *Ioan. 9.*

vt

A vt peccata per ruinam plenius purgarētur. Hoc ipsum & saluatori tibi primum cōcedit, vt corruas. Ethnicus eras, cadat in te ethnicus: diligebas scortum, primum in te scortū intereat: peccator eras, cadat in te peccator, vt possis dehinc resurgere & dicere: Si commortui sumus, & conuiuemus: & si mortis conformes, simul & resurrectionis erimus. Iste igitur in ruinam & in resurrectionem multorum positus est in Israel, hoc est in his qui plena possunt acie, & ratione conspicere. Et in signum cui contradicetur.] Omnibus quæ narrat historia de saluatore, contradicitur. Virgo mater est, signum est cui contradicitur. Marcionitæ contradicunt huic signo, & aiunt, penitus eum de muliere non esse generatū. Ebionitæ contradicunt signo, dicentes ex viro & muliere ita natum esse, vt nos quoque nascimur. Habuit corpus humanū: & hoc signum est cui contradicitur. Alij enim dicunt eum venisse de cœlis: alij tale quale nos corpus habuisse, vt per similitudinē corporis etiā nostra corpora redimeret à peccatis, & daret nobis spem resurrectiōis. Resurrexit à mortuis: & hoc signū est cui cōtradicitur, quomodo resurrexit, & vtrū ipse, & talis qualis mortuus est, an certe in melioris substātiæ corpus resurrexerit. Et est infinita contentio: alijs dicentibus, fixuram clauorū Thomæ ostendit in manibus suis: alijs è regione tractantibus, si idem corpus habuit, quomodo clausis ingressus est ostiis, & stetit? Vides igitur quemadmodum argumentis varijs etiā resurrectioni eius quæstio concitetur, & fit signum cui contradicitur. Ego & hoc quod prophetarū ore prædictum est, puto signū esse cui contradicitur. Sunt enim plures hęretici, qui

B asserunt eum à prophetis penitus non fuisse prædicatum. Et quid me necesse est multa prosequi? Omnia quæ de eo narrat historia, signum est cui contradicitur. Non quod cōtradicant hi qui credūt in eum: nos quippe omnia scimus vera esse quæ scripta sunt: sed quia apud incredulos vniuersa quæ de eo scripta sunt, signum sit cui contradicitur. Deinde Simeon ait: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.] Quis est iste gladius qui non aliorum tantum, sed etiam Mariæ cor pertransiit? Apertè scribitur, quod in tempore passionis omnes sint apostoli scandalizati, ipso quoque domino dicente: Omnes vos scandalizabimini in nocte hac. Ergo scādalizati sunt vniuersi, in tantum vt Petrus quoque apostolorum princeps tertio denegarit. Quid? putamus quod scādalizatis apostolis mater domini à scandalo fuerit immunis? Si scādalum in domini passione non passa est, non est mortuus Iesus pro peccatis eius. Si autem omnes peccauerunt & egent gloria Dei, iustificati gratia eius & redempti, vtique & Maria illo tempore scandalizata est. Et hoc est quod nunc Simeon prophetat dicens: Et tuam ipsius animam, quæ scis absque viro peperisse te virginem, quæ audisti à Gabriele: Spiritus sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, pertransibit infidelitatis gladius, & ambiguitatis mucrone ferieris, & cogitationes tuæ te in diuersa lacerabunt, cum videris illum quem filium Dei audieras, & sciebas absque semine viri esse gene-

C ratū, crucifigi & mori, & suppliciis humanis esse subiectum, & ad postremum lachrymabiliter conquerentem atque dicentem: Pater, si possibile est, pertranseat calix iste à me. Et tuam ergo animam pertrāsibit gladius, vt reueleotur ex multorum cordibus cogitationes.] Cogitationes erant malæ in hominibus, quæ propterea reuelatæ sunt, vt prolatæ in medium perderentur, & interfectæ atque emortuæ esse desinerent, & occideret eas ille qui pro nobis mortuus est. Quādiu enim abscunditę erant cogitationes, nec prolatę in medium, impossibile erat eas penitus interfici. Vnde & nos si peccauerimus, debemus dicere: Peccatum meum notum feci tibi, & iniquitatem meam non abscondi. Dixi annunciabo iniustitiam meam contra me domino. Si enim hoc fecerimus, & reuelauerimus peccata nostra non solum Deo, sed & his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebūtur peccata nostra ab eo qui ait: Ecce delebo vt nubē iniquitates tuas, & sicut caliginē peccata tua. Post Simonis prophetiam, quia necesse erat vt mulieres etiā saluarentur, venit prophetes mulier, de qua scribitur: Et erat Anna ꝓphetissa filia Phanuel de tribu Aser. Quàm pulcher ordo. Non venit ante virū mulier, sed primum venit Simeon, qui apprehendit infantem, & tenuit in brachiis suis: deinde mulier, cuius non sunt quidem

Rom. 6. — *Hæreses de Christi humanitate.* — *Valentiniani dicūt eū tulisse corpus de cælo.* — *Ioan. 20.* — *Gladius cor da penetrās.* — *Matt. 26.* — *Caue.* — *Matt. 26.* — *Psal. 32.* — *Confessio peccatorū.* — *Esa. 44.*

D verba digesta, sed dictū est generaliter quod cōfessa sit domino, & locuta de eo omnibus qui expectabāt redemptionem Israel. Et iustè sancta mulier spiritū prophetandi meruit accipere, quia longa castitate, longisq; ieiuniis ad hoc culmen ascenderat. Videte mulieres testimoniū Annæ, & imitamini illud, si quando vobis euenerit vt perdatis viros. Considerate quid de ea scriptū sit, Septē annis vixit à virginitate sua cum viro suo, & reliqua, propterea prophetes fuit. Neque enim vt libet & fortuito spiritus sanctus habitauit in ea. Bonū est, & primum, si qua potest virginitatis gratiam possidere. Si autem hoc nō potuerit, sed euenerit ei vt perdat virum, vidua perseueret. Quod quidem non solum post mortem viri, sed etiam cum ille viuit debet habere in animo, vt etiam si non venerit voluntas ipsius & propositū, à domino coronetur, & dicat: Hoc voueo atq; promitto si mihi humanū aliquid quod non opto contigerit, nihil aliud faciā quàm incōtaminata viduaq; perseuerē. Nunc vero & secundæ & tertiæ & quartæ nuptiæ, vt de pluribus taceā, reperiūtur, & non ignoramus quod tale coniugiū eiiciet nos de regno Dei. Sicut enim ab ecclesiasticis dignitatibus non solū fornicatio, sed & nuptiæ repellunt, neq; enim episcopus, nec presbyter, nec diaconus, nec vidua possunt esse digami: sic forsitan & de cœtu primitiuorū immaculatorumq; ecclesiæ, quæ nō habet maculā, neq; rugam, eiicietur digamus: non quo in æternū mittatur incēdium, sed quo partē non habeat in regno Dei. Memini cum interpretarer illud quod ad Corinthios scribitur: Ecclesiæ Dei quæ est

E Corinthi cū omnibus qui inuocāt eū, dixisse me diuersitatem ecclesiæ, & eorum qui inuocant nomen domini. Puto enim monogamū & virginē, & eum qui in castimonia perseuerat, esse de ecclesia Dei: eum vero qui sit digamus, licet bonā habeat conuersationē, & cæteris virtutibus polleat, tamen non esse de ecclesia, & de eo numero, qui non habēt rugā aut maculam, aut aliquid istiusmodi: sed esse de secūdo gradu, & de his qui inuocant nomen domini, & qui saluantur quidem in nomine Iesu Christi, nequaquā tamen coronantur ab eo. Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De virginū & viduarum castitate. — *Caue.* — *Nuptiæ repellunt ab ecclesiasticis dignitatibus.* — *Eph. 5.* — *Digami sunt de secūdo gradu piorum.*

De eo quod scriptum est: Puer autem crescebat & confortabatur, Vsque ad eum locum vbi ait: An nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse?
Cap. II. Homilia XVIII.

NATVS est dominus meus Iesus, & ascenderunt parentes eius in Hierosolymam, vt complerēt ea quæ fuerāt in lege præcepta, & offerrent pro eo par turturum, & duos pullos columbarū. Tenuit eum brachiis suis Simeon, vt dudum lectū est, & prophetauit de eo quæ narrat historia: & postquam omnia in more cōpleta sunt, reuertuntur parentes quo Iesus nunc agebat, & tamen crescebat & confortabatur sapiētia & gratia. Necdum quadraginta dies purgationis impleuerat, necdum Nazareth venerat, & iam totam sapiētiam

F respiciebat. Potuit scriptura dicere, crescebat & cōfortabatur, & accipiebat spiritum, sed qui euacuauerat se formam serui accipiens, statim vt pro mundatione eius sacrificiū oblatum est, id quod vacuefecerat adimpleuit: non quod corpus eius illico maius fuerit effectum, sed quod sacratius quippiam demonstraretur, scriptura referente: Puer autem crescebat & cōfortabatur, & replebatur sapientia.] Quæramus sicubi alibi de paruulo scriptum sit, crescebat & confortabatur, vt ex collatione multorū quid plus in domino nostro dicatur, intelligere valeamus. De Ioanne: Puer autem crescebat & confortabatur, & tamen non additur, & replebatur sapientia, sed confortabatur spiritu. Hic vero de domino: Crescebat, inquit & confortabatur, & replebatur sapientia, & gratia Dei erat super eum. Hæc omnia de puero, qui necdum duodecim annos impleuerat, dicta sunt. Cum autē duodecim esset annorum, remanet in Hierusalem. Parentes eius ignorātes, quærūt eum solicitè, & non inueniūt. Quærunt inter affines, quęrunt in comitatu, quærunt inter notos, & in his omnibus non reperiunt. Quæritur ergo Iesus à parentibus suis cum patre, qui nutricius & comes fuerat Ægyptum descendentis, & tamen nō statim vt quæritur inuenitur. Non enim inter cogna-


Phil. 2. — *Luc. 1.* — *Luc. 2.*

G eos & carnis propinquos inuenitur Iesus, non in his qui corporaliter ei iuncti sunt. *In mulierum comitatu Christus nō reperitur.* In mulierum comitatu Iesus meus non potest inueniri. Disce vbi eum quærentes reperiant, vt & tu quærens cum Ioseph Mariáque reperias. Et quærentes, inquit, inuenerunt illum in templo. Non vbicunque in alio loco, sed in templo. Neque in templo simpliciter, sed in medio doctorum, audientem & interrogantem eos. Et tu ergo quære Iesum in templo Dei, quære in ecclesia, quære eum apud magistros, qui in templo sunt, & non egrediuntur ex eo. Si enim ita quæsieris, inuenies eum. Porrò si quispiam dicit se magistrum esse, & Iesum non habet, iste nomine tantum magister est, & ideo apud eum nō potest inueniri Iesus verbum Dei & sapientia. Inuentus est, inquit, in medio doctorum.] Quomodo in alio loco de prophetis scriptū est, sic & nunc intellige in medio doctorum. Si, inquit, alteri reuelatum fuerit sedenti, primus tacet. *1. Cor. 14.* In medio doctorum sedentem inueniunt eum: & non solum sedentem, sed & sciscitātem & audientē eos. Et nunc præsens est Iesus, interrogat nos, & audit loquentes. Et mirabātur, inquit, omnes.] Super quo mirabantur? Non super interrogationibus eius, licet & ipsæ mirabiles erant, sed super respōsionibus eius. Aliud est enim interrogare, aliud respondere. Interrogabat magistros: & quia respondere non poterant, ipse his de quibus interrogauerat, respondebat. Quod autem responsio non vicissitudinem sermocinandi, sed doctrinam in scripturis sanctis sonet, lex diuina te doceat. Moyses loquebatur, Deus autem respōdebat ei voce.

H Responsio illa eorum erat, super quibus ignorātem Moysen dominus instruebat. Interdum interrogat Iesus, interdum respondet, sicut supra diximus. Quanquam mirabilis eius interrogatio sit, tamen multo mirabilior est responsio. Vt igitur & nos audiamus eum, & proponat nobis quæstiones, quas ipse dissoluat, obsecremus illum, & cum labore nimio & dolore quæramus, & tūc poterimus inuenire quem quærimus. Non enim frustra scriptum est: Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.] Oportet enim qui quærit Iesum, non negligēter, non dissoluiè, nō trāsitorie quærere, sicut quærunt nonnulli, & ideo inuenire non possunt. Nos autē dicamus: Dolentes quærimus te. Et cum hoc dixerimus, ad laborātem animā nostrā, & cum dolore quærentē, respondebit, & dicet: Nescitis quia in his quæ sunt patris mei me oportet esse? *Contra Valentinianos & Marcionitas.* Vbi sunt hæretici impij atque vesani, qui asserunt non esse patris Iesu Christi, legem & prophetas? Certè Iesus in templo erat, quod à Solomone constructum est, & confitetur templum illud patris sui esse, quem nobis reuelauit, cuius filiū esse se dixit: Respōdeāt quomodo alter bonus, & alter sit iustus Deus. Quia igitur saluator creatoris est filius, in cōmune patrem filiúmque laudemus, cuius lex, cuius & templum est. Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De eo quod scriptum est: Puer autem crescebat & confortabatur, vsque ad eum locum vbi ait: Seniores in templo interrogat. Cap. II.

I *Homilia XIX.*



QVIA nonnulli qui sanctæ scripturæ videntur credere, quasi in gloriam omnipotentis dei diuinitatem saluatoris negant, iustū mihi videtur *Hæretici negantes diuinitatē saluatoris.* vt ipsarum scripturarum auctoritate doceantur in humanum corpus quiddam venisse diuinum, & non solum in humanum corpus, sed in humanam quoque animam. Quanquā si diligenter sensum intendimus scripturarum, plus aliquid anima illa habuit, quàm cæteræ hominum animæ. Omnis quippe anima hominis antequam ad virtutes veniat, vitiis sordidatur. *Anima Christi omnibus modis immaculata, & sapiētia cōpleta.* Porrò anima Iesu, nunquam peccati sorde maculata est. Siquidem antequam ad duodecimum ætatis perueniret annum, spiritus sanctus de eo in Lucæ scribit euangelio: Puer autem crescebat & confortabatur, & replebatur sapientia. Hoc hominum natura non recipit, vt ante duodecim annos sapientia compleatur. Aliud est partem habere sapientiæ, aliud sapientia esse cōpletum. Non ambigimus ergo diuinum aliquid in carne Iesu apparuisse: & non solum super hominem, sed super omnem quoque rationalem creaturam. Et crescebat, inquit. Humiliauerat enim se, formam serui accipiens, & eadem virtute qua se humiliauerat crescit. K *Phil. 2.* Apparuerat infirmus, quia infirmum corpus assumpserat, & ob id iterum confortatur. Euacuauerat se filius Dei, & propterea rursum cōpletur sapiētia, & gratia Dei erat super eum. Non quando venit ad adolescentiā, non quando manifestè docebat, sed cū adhuc esset paruulus habebat gratiā dei: & quomodo omnia in illo mirabilia fuerāt, ita & pueritia mirabilis fuit, vt dei sapientia compleretur. Ibant itaque parentes eius iuxta consuetudinē in Hierusalem ad solennem diem Paschæ. Et cum factus fuisset annorū duodecim.] Diligenter obserua, quia priusquam duodecim esset annorum, sapientia Dei & cæteris, quæ de eo scripta sunt, complebatur. Cum ergo, vt diximus, duodecim esset annorū, & iuxta morem dies solennitatis expleti essent, & reuerterentur parentes cum infantulo Iesu, remāsit puer in Hierusalem, & nesciebāt parētes eius. Et hic sublimius quiddam quàm humana natura patitur intellige. Non enim simpliciter remansit, & parentes eius vbi esset ignorabant, sed quomodo in Ioannis euangelio scriptū est, quoniam insidiabantur ei Iudæi, & elapsus est de *Ioan. 8.* medio eorū, & non apparuit, sic & nunc puto remāsisse puerum in Hierusalem, & parentes eius vbi remanserit ignorasse. Nec miremur parentes vocatos, quorū alter ob partum, alter ob obsequiū, patris & matris meruerunt vocabula. Sequitur: Dolentes, inquit, quærebamus te.] Non puto eos idcirco doluisse, quia putarēt errasse puerū vel periisse: nec poterat accidere, vt Maria quę sciebat se de spiritu sancto concepisse, quæ L & angelum loquentē, & currētes pastores, & Simeonem audierat prophetantē, timeret, ne puerū perderet oberrantem. Amoue hāc opinionē maxime de Ioseph, cui ab angelo præceptū fuerat, vt tolleret puerum, & in Ægyptum pergeret: qui audierat: Ne timeas tollere Mariā coniugē tuam, quod enim *Matth. 1. & 2.* in ea natū est, de spiritu sancto est. Nunquam fieri poterat vt perditū formidaret infantem, quem diuinū esse cognouerat. Aliud quiddā dolor & quęstio parentū, quàm simplex lector intelligit, sonat. Quomodo enim tu si quādo scripturas legis, quæris in eis sensum cum dolore quodā ac tormēto, non quo scripturas errasse, aut perperā quid habere arbitreris, sed quod illæ intrinsecus habeant veritatis sermonem atq; rationē, & tu nequeas inuenire quod verū est: ita & illi quærebāt ne fortè recessisset ab eis, ne relinquens eos ad alia trāsmigrasset, & quod magis puto, ne reuertisset ad cœlos, cum illi placuisset, iterum descensurus. Dolentes ergo, quærebant filium Dei. Et cum quęrerent, non inuenerunt inter cognatos. Neque enim poterat humana cognatio Dei filium continere. Non inuenerunt inter cognatos, quia diuina maiora erāt notitia scientiáque mortali. Vbi igitur inueniunt eum? In templo. *In templo inuenitur filius Dei.* Ibi enim inuenitur filius Dei. Si quando & tu quæsieris filium Dei, quære primum in templo, illuc propera, ibi Christum, sermonem atque sapientiam, id est filium Dei, reperies. M Quoniam vero paruulus erat, inuenitur in medio præceptorum, sanctificans & erudiens eos. Quia paruulus erat, inuenitur in medio non eos docēs, sed interrogans, & hoc pro ætatis officio, vt nos doceret quid pueris, quamuis sapientes & eruditi sint, conueniret, vt audiant potius magistros, quàm docere desiderēt, & se vana ostentatione non iactent. Interrogabat, inquam, magistros, non vt aliquid disceret, sed vt interrogans erudiret. Ex vno quippe doctrinæ fonte manat & interrogare & respondere sapienter. & eiusdem scientiæ est, scire quid interroges, quid ue respondeas. Oportuit primum saluatorem eruditæ interrogationis magistrum fieri, vt postea interrogationibus respōderet iuxta rationē Dei, atque sermonem. Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De eo quod scriptum est: Quid est quod quærebatis me, vsque ad eum locum vbi ait: Conseruabat Maria omnia verba in corde suo. Cap. II.

Homilia XX.



QVÆREBANT Maria & Ioseph inter affines Iesum, & non inueniebant: in comitatu, & inuenire non poterant. Quæsierunt in templo, sed apud magistros, & in medio præceptorum inueniunt eum. Vbicunque magistri fuerint, in medio magistrorum

inueni

A inuenitur Iesus, si tamen magister sedeat in templo, & nunquam egrediatur ex eo. Profuit Iesus magistris suis, & eos quos interrogare videbatur, docuit in medio eorum loqués, & quodammodo concitabat eos ad quærenda, quæ vique ad id locorum, verum scirent, an ignorarent, nosse non poterant. Inuenitur Iesus in medio magistrorum, & inuentus dicit quæsitoribus suis: Quid est quia quærebatis me? Nesciebatis quia in his quæ sunt patris mei oportet me esse? Primum simpliciter sentientes armemur aduersus impios hæreticos, qui dicunt non esse conditorem patrem Christi Iesu, neque Deum legis, sed nec prophetarum. Ecce pater, Deus templi asseritur. Erubescát Valentiniani audientes Iesum inquientem: In his quæ sunt patris mei oportet me esse. Erubescant omnes heretici, qui euangelium recipiunt secundum Lucam, & quæ in eo sunt scripta contemnunt. Hæc vt dixi, sint intellecta simplicius. Quoniam vero infertur: Ipsi autem non intellexerunt sermonem, sensum scripturæ diligentius ventilemus, si erant stulti & insipientes, vt nescirent quid diceret, quia hoc quod ait: In his quæ sunt patris mei, me esse oportet, significaret in templo, an aliud quiddam altius significet, & quod magis ædificet audiétes. Vnusquisque nostrum si bonus fuerit atque perfectus, possessio Dei patris est, & habet in medio sui Iesum. Credamus quippe dicenti, quoniam

Refutatio hæreseos de duobus dys

B in his quæ sunt patris mei, me oportet esse. Magis rationabile atque viuens, & verum templum Dei hoc esse suspicor, quàm illud quod typice terreno opere constructum est. Vnde illo in téplo vt typice fuit, ita recessit & typice. Egressus est enim de templo terreno dicens: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, & relinquens domum illam venit ad possessionem Dei patris, ad ecclesias in toto orbe dispersas, & dicit: In his quæ sunt patris mei, me oportet esse. Tunc ergo non intellexerunt verbum, quod locutus est eis. Simul & illud attédite, quod quamdiu in possessione patris sui fuit sursum erat, quia necdum plenam fidem Ioseph & Maria habebant, propterea sursum cú eo manere non poterant, sed dicitur descédisse cum eis. Crebro Iesus descendit cum discipulis suis, nec semper versatur in monte, nec absque fine sublimia tenet. In monte cum Petro est, cum Iacobo, cum Ioanne, & rursum in alio loco cum cæteris discipulis. Porrò quia non valebant hi qui variis ęgrotationibus laborabant in montem conscendere, idcirco descédit, & venit ad eos qui deorsum erant. Nunc quoque scribitur, descendit cum eis, & venit Nazareth, & subiiciebatur eis.] Discamus filij subiecti esse parentibus nostris, maior minori subiicitur. Nam quia maiorem Ioseph videbat ætate, propterea cum parentis honore coluit, omnibus filiis exemplum tribuens, vt subiiciantur parentibus. Quod si patres iis non fuerint, subiiciantur his qui patrum ætatem habent. Quid loquor de parentibus & filiis? Si Iesus filius Dei

Matt. 23.
Possessiones Dei patris.
Matt. 17.
Adhortatio ad filios familias.

C subiicitur Ioseph & Mariæ, ego non subiiciar episcopo, qui mihi à Deo ordinatus est pater? Nó subiiciar presbytero, qui mihi domini dignatione præpositus est? Puto quod intelligebat Ioseph, quia maior se erat Iesus, quod subiiciebatur sibi, & sciens maiorem esse subiectum, trepidus moderabatur imperiú. Videat ergo vnusquisque, quod sæpe melioribus præpositus sit inferior, & nonnunquam accidat, vt ille qui subiectus est, melior sit eo qui sibi videtur esse præpositus. Quod cum intellexerit dignitate sublimior, nó eleuabitur superbia ex eo quod maior est, sed sciet ita sibi melioré esse subiectú, quomodo & Iesus subiectus fuit Ioseph. Deinde sequitur. Maria autem conseruabat omnia verba hæc in corde suo.] Plus aliquid quàm de homine suspicabatur, vnde & custodiebat omnia verba eius in corde suo, non quasi pueri qui duodecim esset annorum, sed eius qui de spiritu sancto conceptus fuerat, quem videbat proficere sapiétia & gratia apud Deum & homines. Iesus proficiebat sapientia, sapientior per singulas videbatur ętates. Nunquid sapiés non erat, vt sapientior fieret? An quoniam euacuauerat se formá serui accipiés, id quod amiserat resumebat, & replebatur virtutibus, quas paulo antè assumpto corpore visus fuerat relinquere? Proficiebat ergo nó solum sapiétia, sed ætate, Est ætatis profectus. Duæ in scripturis feruntur ætates, altera corporis quę non est in potestate nostra, sed in lege naturæ, altera animæ, quæ propriè in nobis sita est, iuxta quam si volumus quotidie cresci-

De obedientia erga episcopos & presbyteros

mus, & ad summitatem venimus: vt non simus vltra paruuli D fluctuantes, & qui circumferamur omni vento doctrinæ, sed esse paruuli desinentes, incipiamus esse viri, atque dicamus: Quando factus sum vir, destruxi ea quæ erant paruuli. Huius vt dixi ætatis profectus, qui incremétum habet animæ, in nostra est potestate. Si autem nó sufficit testimonium, etiá aliud de Paulo sumamus exemplum. Donec perueniamus, inquit, omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis corporis Christi. In nobis ergo est, vt ad mésuram perueniamus ætatis corporis Christi, & si in nobis est, omni labore nitamur deponere paruulum, & destruere illum, & ad ætates reliquas peruenire, vt nos quoque audire possimus: Tu autem ibis ad patres tuos cum pace, nutritus in senecta bona, vtique spiritali, quæ est vere senectus bona, canescens & in finem vsque perueniens in Christo Iesu: Cui est gloria & honor & imperium in secula seculorum, Amen.

1. Cor. 13.
Ephes. 4.

De eo quod scriptum est: Quintodecimo anno imperij Tiberij Cæsaris, vsque ad eum locum vbi ait: Rectas facite semitas eius. Cap. III.

Homilia XXI.



VANDO ad Iudæos tantum sermo propheticus mittebatur, Iudaici reges ponebantur in titulo: Verbi gratia, visio quam vidit Esaias filius Amos, aduersus Iudæam, & aduersus Hierusalem in regno Osiæ & Ioathan, & Achaz, E & Ezechiæ: nec alium quemquam exceptis Iudææ regibus, Esaiæ video tempore designatum. In quibusdam prophetis & Israel reges legimus, sicut ibi: Et in diebus (inquit) Hieroboam filij Ioas regis Israel. Quando vero sacramentum euangelij prædicandum erat, & in toto orbe euangelium disseminandum, cuius princeps Ioannes in eremo fuit, & orbem Romanum Tiberij regebat imperium, & tunc in quintodecimo anno verbum domini ad Ioannem factum esse describitur. Et si tantum his qui de nationibus credituri erant annuncianda salus fuisset, & penitus excludendus Israel, suffecerat dicens: In quintodecimo anno Tiberij Cæsaris, pręside Iudææ Pontio Pilato. Quia vero & de Iudæa & de Galilæa multi credituri erant, idcirco & hæc regna ponuntur in titulo: diciturque, Tetrarcha Galilææ Herode, & Philippo fratre eius Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysania Tetrarcha Abilenæ, sub principibus sacerdotú Anna & Caipha factum est verbum domini ad Ioannem filium Zachariæ in deserto.] Olim verbum Dei fiebat ad Hieremiam filium Elchiæ in Anathoth in diebus Iosiæ regis Iudæ: nunc sermo Dei fit ad Ioannem filium Zachariæ, qui nunquam factus est ad prophetas in deserto. Sed quia plures filij credituri erant desertæ magis quàm eius quæ habet virum, idcirco factum est verbum Dei ad Ioannem filium Zachariæ in deserto. Simúlque considera quod magis rationem habet si mysticè intelligatur desertum, & non secundum simplicem literam. Qui enim in deserto prædicat, F superfluè facit ibi vociferari, vbi se loquentem nullus exaudiat. Præcursor ergo Christi, & vox clamantis in deserto, prædicat in deserto animæ, quæ non habebat pacem. Non solum autem tunc, sed & in præsenti primum lucerna ardens & lucens venit, & prædicabat baptisma pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, deinde lux vera subsequitur: quando lucerna ipsa loquitur: Illum oportet crescere, me autem minui. Fit verbum in deserto, & venit ad omnem circa regionem Iordanis. Quæ enim alia loca debuit circuire baptista, nisi vicina Iordanis, vt quicunque voluisset agere pœnitentiam, præsto essent ad lauacrum aquæ? Porrò Iordanis descendens interpretatur. Descendens autem & largo impetu currens fluuius Dei saluator noster dominus est, in quo baptizamur. Quam veram aquam salutarem, in remissionem quoque peccatorum in baptisma prædicat, venite catechumeni, agite pœnitentiam, vt in remissioné peccatorum baptisma consequamini. In remissionem peccatorum ille accipit baptisma, qui peccare desistit. Si quis enim peccans ad lauacrum venit, & non fit remissio peccatorum. Propterea obsecro vos ne absque cautela & diligenti cir-

Esa. 1.
Amos 1.
Ioánes festo tubarú prædicare cœpit Tiberij an. 15.
Hier. 1.
Gal. 4.
Esa. 54.
Ioan. 1.
Mar. 1.
Ioan. 3.
Adhortatio ad cathecumenos.

G cunſpectione veniatis ad baptiſmum, ſed oſtendatis primum fructus dignos pœnitentiæ. Facite aliquid temporis in conuerſatione bona, mundos vos à cunctis ſordibus vitiiſque ſeruate, & tunc vobis remiſſio peccatorum fiet, quando cœperitis & ipſi propria peccata contemnere. Dimittite delicta veſtra, & dimittentur vobis. Hoc autem ipſum quod nunc de Veteri inſtrumento ponitur, in Eſaia propheta ſcriptum legimus. Ibi enim dicitur: Vox clamantis in deſerto: Parate viam *Eſa. 40.* domini, rectas facite ſemitas eius. Vult dominus in vobis reperire viam, vt poſſit in veſtras animas ingredi & iter ſuum facere. Præparate ei ſemitam, de qua dicitur: Rectas facite ſemitas eius: Vox clamantis in deſerto. Vox clamat, præparate viam. Primo enim vox ad aures peruenit: deinde poſt vocem imò cum voce, auditum ſermo penetrat. Iuxta hunc ſenſum à Ioanne annunciatus eſt Chriſtus. Videamus ergo quid vox de verbo annunciet. Præparate (inquit) viam domino. Quam viam domino præparemus? Nunquid corporeã? Aut poteſt ſermo Dei tali itinere pergere? An intrinſecus præparanda eſt domino, & in corde noſtro recta & æqualis ſemita componenda? Hæc eſt via per quam ingreſſus eſt ſermo Dei, qui in humani corporis capacitate conſiſtit. Magnum eſt cor hominis & ſpatioſum & capax, ſi tamen mundum fuerit. Vis eius magnitudinem latitudinémque cognoſcere? Vide quan-
H tam diuinorum ſenſuum magnitudinem capiat. Ipſe ait: De- *Sap. 7.* dit mihi eorum, quæ ſunt, notitiam, rationem mundi ſcire, & opera elementorum, principium & finem & medietatem ſeculorum, temporum varietates, & tranſitationem menſium, annorum circulos, & ſiderum ſedes, naturas animalium, & furores beſtiarum, ſpirituum violentias, & cogitationes hominum, diuerſitates arborum, & vim radicum. Vides non *Cor hominis quã ſit capax.* paruum eſſe cor hominis, quod tanta capiat. Neque in corporis quantitate, ſed in fortitudine eius intellige, quæ tantam ſcientiam capiat veritatis. Vt autem & ſimplices quóſq; quotidianis exemplis ad credendum adducam quod grande ſit cor hominis, videamus. Quaſcunque vrbes tranſiuimus, habemus illas in animo, & qualitates, & ſitus platearum, murorúmque, & ædificiorum in corde noſtro verſantur. Viá quam ingreſſi ſumus, in memoriæ pictura ac deſcriptione retinemus, mare quod nauigauimus tacita cogitatione amplectimur. Non eſt prauum, vt dixi cor hominis, quod poteſt tanta capere. Si autem non eſt paruum tanta capiens, conſequenter in illo via domini præparatur, & recta fit ſemita, vt ambulet in illa ſermo Dei, atque ſapientia. Præpara viam domino per conuerſationem bonam, & egregiis operibus tene ſemitam, abſque offenſa vlla deambulet in te verbum Dei, & doret tibi myſteriorum ſuorum aduentúſque notitiam: Cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

De eo quod ſcriptum eſt. Omnis vallis implebitur, vſque ad eum locum vbi ait: Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Cap. III. Homilia. XXII.



VIDEAMVS quæ in Chriſti prędicentur aduentu, inter quæ primum de Ioanne ſcribitur: Vox clamantis in deſerto: Parate viam domini, rectas facite ſemitas eius.] Et quod ſequitur proprie de domino ſaluatore eſt. Neque enim à Ioanne omnis vallis impleta eſt, ſed à domino ſaluatore. Seipſum vnuſquiſque conſideret, quis erat antequam crederet: tunc animaduertet vallem humilem, vallem ſe fuiſſe *Spiritus S. vicarius Chriſti.* præcipitem & in ima demerſam. Quando vero venit dominus Ieſus, & miſit ſpiritum ſanctum vicarium ſuum, vallis omnis expleta eſt. Expleta eſt autem operibus bonis, & fructibus ſpiritus ſancti. Charitas non ſinit permanere te vallem. Quod ſi pacem habueris, & ſapientiam & bonitatem, non ſolum vallis eſſe deſiſtes, ſed etiam mons eſſe incipies Dei. Quod tamen de gentibus quotidie magis fieri videmus, atque compleri: Omnis vallis implebitur, quam de populo Iſraël, qui de excelſo depoſitus eſt: Omnis (inquit) mons & collis humiliabitur. Mons erat quondam ille populus & collis, qui depoſitus eſt atque deſtructus. Illorum delicto ſalus gentibus data eſt ad æmulandum eos. Quod & ſi contrarias fortitudines, *Rom. 11.*

quæ aduerſus mortales erigebantur, dixeris montes & colles K eſſe depoſitos, non peccabis. Vt enim impleantur huiuſcemodi valles, humiliandæ ſunt. Sed & hoc quod in aduentu Chriſti prophetatum eſt, vtrum expletum ſit contemplemur. Sequitur enim: Et omnia praua erunt in directa.] Vnuſquiſque noſtrum prauus erat, ſi tamen non & vſque hodie perſeuerat, & per aduentum Chriſti qui factus eſt ad animam noſtram, praua quæque directa ſunt. Quid enim tibi prodeſt, ſi Chriſtus quondam venit in carnem, niſi quoque ad tuam animam venerit? Oremus vt illius quotidie nobis aduentus fiat, & poſſimus dicere: Viuo autem iam non ego, viuit autem in me Chriſtus. Si enim Chriſtus viuit in Paulo, non viuit in me, *Gal. 3.* quid mihi proderit? Cum autem & ad me venerit, & fruitus illo fuero, ſicut fruitus eſt Paulus, tunc & ego Paulo ſimiliter loquar: Viuo iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. Conſideremus ergo cætera, quæ in Chriſti prædicentur aduentu. Nihil te aſperius erat. Vide priſtinos motus tuos, vide iram, & cætera vitia, ſi tamen ceſſauerunt eſſe quæ fuerant, & intelligis nihil te aſperius, & (vt ſignificantius loquar) nihil fuiſſe inæqualius. Conuerſatio tua inæqualis erat, & ſermo & opera inæqualia. Venit ergo dominus meus Ieſus, & exæquauit aſperitates tuas, incompoſita quæque vertit in vias planas, vt fieret in te iter ſine offenſione, & leue, atque puriſſimum, graderetúrque in te Deus pater, & Chriſtus dominus manſionem apud te faceret, diceretque: Ego & pater meus venie- L mus, & manſionem apud eum faciemus. Sequitur: Et vide- *Ioan. 14.* bit omnis caro ſalutare Dei: Tu quondam caro eras, imò vt *Caro.* mirabilius loquar, cum adhuc in carne ſis vides ſalutare Dei. Quid autem ſibi velit quod dicitur, omnis caro, eo quod nulla excipiatur quæ non videat ſalutare Dei, relinquo intelligendum his qui ſciunt ſcripturarum myſteria. Quænam egredientibus ad baptiſmum Ioannes loquitur, attendendum. Si quis vult baptizari, egrediatur. Manens enim in priſtino ſtatu, & mores ſuos & conſuetudinem non relinquens, nequaquam rite ad baptiſmum venit. Vt autem intelligas quid ſit egredi ad baptiſmum, accipe teſtimonium & auſculta verba quibus Deus loquitur ad Abraham: Egredere de terra tua, & *Gen. 12.* reliqua. Egredientibus itaque ad lauacrum turbis, non egreſſis, ſed tantum egredientibus, Ioannes loquitur quæ ſequuntur: Si enim iam egreſſi fuiſſent, nunquam ad eos diceret, generatio viperarum. Quæcunque igitur ad illos loquitur, ad vos, ô catechumeni & catechumenæ, loquitur. Qui diſponitis venire ad baptiſmum, conſiderate ne forſitan vobis dici poſſit, generatio viperarum. Sed & illud quod ſequitur, niſi prauitatem venenáque ſerpentum de corde veſtro expuleritis, dicetur ad vos: Quis oſtendit vobis fugere ab ira ventura?] Magna huic ſeculo impendet ira, omnis iram Dei paſſurus eſt mundus: tantam vaſtitatem cœli, & latitudinem terræ, & ſtellarum choros, ſplendorem ſolis, & lunæ nocturnæ ſolatia, Dei ira ſubuertet. Hæc enim omnia propter hominum peccata tranſibunt. Et olim quidem ſuper omnia tantum in terra M venit ira Dei, quia omnis caro reliquerat viam ſuam ſuper ter- *Gen. 6.* ram: nunc autem & ſuper cœlum, & ſuper terrã ventura eſt ira *Pſal. 102.* Dei. Cœli pertranſibunt, tu autem permanebis (ad Deum dicitur) & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Videte qualis & quanta ira ſit, quæ mundum omnem conſumptura ſit, & puniet eos qui pœna digni ſunt, inueniétque materiam in qua ſe exerceat. Vnuſquiſque noſtrum ex eo quod geſſit, iræ materiam præparauit. Secundum duritiam enim tuam & impœ- *Rom. 2.* nitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti Iudicij Dei, dicitur ad Romanos. Dein ſequitur: Quis oſtendit vobis fugere ab ira ventura? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.] Et vobis qui venitis ad baptiſmum dicitur: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Vultis ſcire qui ſunt fructus pœnitentiæ? Charitas fructus eſt ſpiritus, gaudium fructus eſt *Fructus pœnitentiæ.* ſpiritus, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia, & reliqua huiuſcemodi. Si hæc omnia ha- *Gal. 5.* buerimus, fecimus fructus dignos pœnitentiæ. Rurſum di- *Ioãnes prophetat de* citur ad eos qui ad Ioannis baptiſmum veniebant. Et ne in- *reiectione* cipiatis dicere intra voſmetipſos, patrem habemus Abraham: *Iudæorum,* dico enim vobis, quia poteſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare *& vocatione gẽtium.* filios Abraham.] Prophetat Ioannes nouiſſimus prophetarum expulſionem prioris populi, & vocationem gentium.

Illis

A Illis enim qui de Abraham gloriabantur dicit: Et ne incipiatis dicere in vobismetipsis, patrem habemus Abraham, Et de gentibus rursum loquitur: Dico enim vobis, quia potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. De quibus lapidibus? Non vtique lapides irrationabiles corporeósque monstrabat, sed homines insensibiles & quondam duros, qui quia lapides & ligna adorabant, impletũ est illud quod in psalmo cantabatur: Similes illis fiunt qui faciũt ea, & omnes qui con- *Psal.115.* fidunt in eis. Vere qui faciunt idola, & confidunt in eis, similes sunt diis suis, absque sensu, siue vlla ratione, in lapides li- *Idololatra.* gnáque conuersi sunt. Cum enim tantum videant creaturarum ordinem, decorem, officium, tantam mundi pulchritudinem, nolunt de creaturis intelligere creatorem, neque considerant tantæ dispensationis aliquam prouidentiam aliquem esse rectorem, sed sunt cæci, his tantum oculis mundum videntes, quibus irrationabilia iumenta & bestiæ vident. Non enim animaduertunt in his quæ vident ratione regi, aliquam inesse rationem. Hæc propterea, quia Ioannes dixerat: Potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Et nos igitur obsecremus Deum, vt siquando fuimus lapides, vertamur in filios Abrahæ pro his filiis qui eiecti sunt, & repromissionem adoptionémque suo vitio perdiderunt. Vnum testimo- *Exod.15.* nium adhuc de lapidibus ponam, Siquidem in cantico Exodi scribitur: Vertantur in lapides donec pertranseat populus tuus domine, donec transeat populus tuus iste quem possedi- B sti. Rogatur itaque Deus, vt paulisper conuertantur in lapides: hoc enim Græcus sermo significantius sonat, ἀπολιθωθήτωσαν, donec pertranseat populus Iudæorum. Haud dubium quin postquam illi transierint, gentes lapideæ esse cessabunt, & pro duro corde recipient humanam in Christo rationabilémque naturam: Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De eo quod scriptum est: Ecce securis ad radices arborum posita est, vsque ad eum locum vbi ait: Venerunt autem & Publicani, vt baptizarentur ab eo. Cap. III.

Homilia XXIII.

IOANNES illo iam tempore loquebatur: Ecce securis ad radices arborum posita est:] Et siquidem iam ingrueret consummatio, & temporum finis instaret, nulla mihi quæstio nasceretur. Dicerem enim hoc quod ait: Ecce securis ad radices arboris posita est: & illud: Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum præcidetur, & in ignem mittetur: propterea prophetatum, quia in illo tempore complebatur. Cum autem tanta post secula fluxerint, & tam innumerabiles anni ab illo tempore vsque ad præsentem diem C transierint, quomodo spiritus sanctus in propheta dicat: Ec- *De reprobatione Iudæorum.* ce securis ad radices arborum posita est, debemus inquirere. Ego puto Israëlitico populo prophetari, quod præcisio eius vicina sit. His enim qui egrediebantur ad eum vt baptizarentur, inter cætera loquebatur: Facite fructus dignos pœnitentiæ, & quasi Iudæis dicebat: Ne incipiatis dicere in vobismetipsis, patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potest Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Hoc ergo quod ait: Ecce securis ad radices arborum posita est, Iudæis loquitur. Cui sensui & apostolicum illud congruit, fra- *Rom.11.* ctos esse ab hac securi infidelitatis ramos, atque succisos, vt amputaret ex arbore non radicem, sed ea quæ de radice pullularunt, vt in radice pristinæ arboris, rami possint oleastri inseri. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum præciditur, & in ignem mittetur. Hunc enim finem habet, vt in- *Tres ordines sciscitantium Ioannẽ super salute sua.* cendio concremetur. Deinde tres ordines inducuntur sciscitantium Ioannem super salute sua: vnus quem scriptura ap- pellauit populos exeuntes ad baptisma, alius quem publica- nos nominat, tertius qui militum appellatione censetur. In- terrogabant enim turbæ, dicentes: Quid faciemus? Qui re- *1. populus.* spondens, ait eis: Qui habet duas tunicas, det ei qui non habet: & qui habet cibos, similiter faciat.] Quod quidem, nescio si turbæ conueniat præcipi. Magis enim apostolis quàm vulgo congruit, vt qui duas tunicas habet, vnam tribuat non habenti. Et vt scias magis hoc apostolis quam populis conue-

nire, audi quid à saluatore dicatur ad eos: Neque duas tunicas tollatis in via. Duplex itaque vestimentum quo vnus quis- D *Matt.10.* que vestitur, & præcipitur vt alterum tribuat non habenti, aliam intelligentiam sonat. Vult enim nos saluator, quomodo non habemus duobus seruire dominis, sic nec duas habere tunicas, nec duplici veste circumdari, ne sit vnum indumentum veteris hominis, & alterum noui. E contrario autem cupit vt expoliemus nos veterem hominem, & induamus nouum. Hucusque facilis expositio est. Porro quæritur, quomodo iuxta hanc interpretationem iubeatur nobis non habenti tribuere vestimentum. Quisnam est ille qui ne vnum quidem indumentum super carnem suam habet, qui nudus est, qui omnino nulla veste coopertus? Neque vero hoc dico, quo non præcipiatur liberalitas, & in pauperes misericordia. Hyperbolica clementia: vt etiam nudos, altera tunica protegamus. Sed hoc aio, quod & profundiorem locus iste respiciat intellectum, & oporteat ei dare tunicam qui omnino non habebat. Quis est ergo iste, qui tunicam non habet? Nempe ille qui penitus Deum non habet. Debemus igitur exuere nos, & ei dare qui nudus est. Alius habet Deum, alius omnino non habet, contraria videlicet fortitudo. Et quomodo scri- *Mich.7.* ptum est, vt in profundo maris præcipitemus delicta nostra, sic proiici à nobis oportet vitia atque peccata, & iacere super eum qui eorum nobis causa extitit. Et qui habet (inquit) cibum, similiter faciat.] Qui habet cibos tribuat non habenti, vt non solum ei vestimentum, sed etiam id quod possit co- E medere largiatur. Venerunt autem & Publicani baptizari ab eo. Hoc & iuxta simplicem intelligentiam docet publicanos, *2. Publicanorum ordo & oratio.* nihil amplius quærere, quàm in lege præceptum est, qui enim plus exegerint, non Ioannis mandatum præuaricant, sed spiritus sancti qui locutus est in Ioanne. Nescio autem vtrum, vt secundum ἀναγωγὴν, aliud quiddam excellentius sermo *Anagoge.* significet, & an debeamus in tali auditorio res tam mysticas prodere, maxime inter eos qui scripturarum medullas non introspiciunt, sed tantum superficie delectantur. Periculosum quidem est, sed tamen strictim, breuitérque tangendum. Cum exierimus à seculo, & hæc vita nostra fuerit commutata, erunt quidam in finibus mundi sedentes velut publicanorum officio diligentissime perscrutantes, ne quid sui in nobis inueniant. Videtur mihi princeps seculi huius quasi publicanus esse, vnde scriptũ est de eo: Venit princeps mundi istius, *Ioan.14.* & in me habet nihil. Illud quoque quod in apostolo legimus: Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vecti- *Rom.13.* gal, vectigal: cui honorem, honorem, nemini quid debeatis nisi vt inuicem diligatis: sacratè intelligendum est. Quamobrem consideremus ne forte cum non habuerimus quod pro vectigali queamus reddere, ipsi trahamur ob debitum, vt solet apud seculi quoque fieri vectigales, quando quis pro debito ipsi reipublicæ seruiturus includitur. Complures è nobis, ab istiusmodi publicanis tenendi sunt: quos Iacob ille vir sanctus non magnopere formidabat, nec verebatur, vt de pu- F blicanorum vectigalibus in eo aliquid reperiretur. Vnde & audacter ad publicanum illum loquebatur Laban: Cogno- *Gen.31.* sce si quid tuarum rerum est apud me. Super quod agit testimonium scriptura dicens: Et non cognouit Laban apud Iacob quicquam. Docet igitur saluator noster & spiritus sanctus qui loquutus est in prophetis, non solum homines, sed etiam angelos, & virtutes inuisibiles. Quid loquar de salua- *Angeli edocti ab hominibus.* tore? Prophetæ quoque ipsi & apostoli, omne quod resonant, non solum hominibus, sed & angelis prædicant. Quod vt scias verum: Attende (inquit) cœlum & loquar: & in con- *Deut.32.* spectu angelorum psallam tibi: & Laudate dominum cœli *Psal.148.* cœlorum, & aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen domini: & Laudent eum angeli: & In omni loco potestatis eius benedic anima mea domino. Inuenies in plurimis locis, & maxime in psalmis, & ad angelos sermonem fieri, data homini potestate, ei tamen qui spiritum sanctum habet, vt & angelos alloquatur. E quibus vnum exemplum ponam, vt sciamus angelos quoque humanis vocibus erudiri. Scriptum est in Apocalypsi Ioannis: Angelo Ephesiorum ecclesiæ scri- *Apoc.2.* be. Habeo aliquid contra te, Et rursum: Angelo ecclesiæ Pergami scribe. Habeo quippiam contra te. Certe homo est qui scribit angelis, & aliquid præcipit. Ego non ambigo &

G in cœtu nostro adesse angelos, non solum generaliter omni
Matt.18. ecclesiæ, sed etiam singillatim. De quibus saluator ait: Ange-
li eorum semper vident faciem patris mei qui in cœlis est.
Duplex hic adest ecclesia, vna hominum, altera angelorum.
Si quid iuxta rationem, & iuxta scripturarum dicimus volun-
tatem, lætantur angeli, & orant nobiscum. Et quia præsentes
angeli sunt in ecclesia, in illa duntaxat quæ meretur & Chri-
sti est, propterea orantibus fœminis præcipitur, vt habeant
1.Cor.11. velamen super caput propter angelos, vtique illos qui assi-
stunt sanctis, & lætantur in ecclesia. Quos quidem nos quia
peccatorum sordibus oculi nostri obliti sunt non videmus,
Ioan.1. sed vident apostoli Iesu ad quos loquitur: Amen amen dico
vobis, videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes
& descendẽtes super filium hominis. Quòd si haberem hanc
gratiam, vt quomodo apostoli, sic viderem, & sicut Paulus
aspexit intueret, cernerem nunc angelorum multitudinem,
quod videbat Helisæus, & Giezi qui cum eo steterat non vi-
debat, In metu erat Giezi ne ab hostibus caperetur, solus
Helisæus videns. Sed Helisæus vt prophetes domini, depre-
catur, & dicit: O domine aperi oculos pueri istius, & videat
quoniam multo plures nobiscum sunt quam cum illis. Et sta-
tim ad preces sancti viri, angelos quos prius Giezi non vide-
4.Reg.6. bat intuitus est. Hęc idcirco diximus, vt ostenderemus & po-
blicanus doceri à Ioanne, & non solum eos qui reipub. vecti-
H galibus seruiunt, sed etiã illos qui veniebant ad pœnitentiam.
Et alij erant à corporalibus publicani, sicut & alij milites, qui
egrediebantur ad baptismum pœnitentiæ. Venit enim non
Ioannes & propheta tantum, sed etiam ipse saluator, & homi
nibus, & angelis, & virtutibus cęteris salutarem pœnitentiam
prædicare, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestiũ,
Rom.10. & terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur,
quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris: Cui est
gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De eo quod scriptum est: Ego quidem baptizo vos aqua, vsque ad eum locum vbi ait: Ipse vos baptizabit spiritu sancto & igne. Cap. III. Homilia XXIIII.



OANNEM qui minor est Christo suscepit
populus, reputans & cogitans ne forte ipse es-
set Christus: eum vero qui maior illo venerat
non suscepit. Vis causam scire? Cognosce: Ioan-
nis baptisma videbatur, Christi baptismus in-
uisibilis erat. Ego enim, inquit, baptizo vos in aqua: qui au-
tem post me venit maior me est, ipse vos baptizabit spiritu
I sancto & igni.] Quando baptizat Iesus spiritu sancto, & rur-
De baptis- sum quando igne baptizat? Nunquid vno atque eodem tem-
mo aqua et pore spiritu & igni baptizat, an vario atque diuerso? Vos au-
spiritus. tem baptizabimini spiritu sancto, non post multos hos dies,
Act.1. Baptizati sunt apostoli post ascensionem eius ad cœlos spiri-
tu sancto: quod autem igni fuerint baptizati, scriptura non
Baptismus memorat. Sed quomodo Ioannes iuxta Iordanem fluuium
ignis. venientes ad baptismum præstolabatur, & alios abigebat di-
cens, Generatio viperarum, & reliqua: porro eos qui confi-
tebantur vitia atque peccata suscipiebat: sic stabit in igneo
Gen.3. flumine dominus Iesus iuxta flammeã romphæam, vt quem-
Purgato- cunque post exitum vitæ huius quiad paradisum transire de-
riũ, igneum siderat, & purgatione indiget, hoc cum amne baptizet, & ad
flumẽ, flam cupita transmittat: eum vero qui non habet signum priorum
mea rom- baptismatum, lauacro igneo non baptizet. Oportet enim
phaea, Laua prius aliquem baptizari aqua & spiritu, vt cum ad igneum
chrũ igneũ fluuium venerit, ostendat se & aquæ & spiritus lauacra ser-
post vita uasse, & tunc mereatur etiam ignis accipere baptismum in
exitum. Christo Iesu: Cui est gloria & imperium in secula seculorum,
Amen.

De suspicione quam habebat populus de Ioanne, ut forte ipse esset Christus. Cap. III. Homilia XXV.



ABET periculum & dilectio, si modum tran- K
scat. Debet enim qui aliquem diligit naturas Charitatis
& causas considerare dilecti, & non eum plus debet esse
diligere quam meretur. Nam si mensuram cha modus.
ritatis, modũmque transcenderit, & qui diligit,
& qui diligitur, in peccato erunt. Quod vt manifestius fiat,
ponamus exemplum. Ioannem populus mirabatur, & dilige-
bat eum: & re vera erat dignus miraculo, vt plus ei quam cæ-
teris hominibus deferretur, quia aliter quàm cuncti mortales
viuerat. Non omnes sumus simplici contenti cibo, sed varie-
tate delectamur escarum: vnum nobis ad potandum vinum
sufficit, varij gustus vina mercamur: Ioannes vero semper lo-
custis, semper vescebatur melle syluestri, & contentus erat Simplex ci
simplici & tenui cibo, ne corpus illius crassioribus pulmentis bus, ne pin-
pinguesceret, & exquisitis dapibus grauaretur. Huiusmodi guescamus.
quippe natura corpora nostra sunt, vt escis superfluis aggra-
uentur: & cũ corpus fuerit aggrauatum, anima quoque one-
retur, quæ per totum diffusa corpus, passionibus illius subia-
cet. Quamobrem recte præcipitur eis qui obseruare possunt.
Bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum, ne- Rom.14.
que in quo frater tuus scandalizetur. Erat igitur Ioannes vitæ
mirabilis & multum ab aliorum hominum conuersatione di-
uersus. Non habebat sacculum, nõ famulum, non saltem vile
tugurium. Morabatur in deserto non solum vsque ad diem
ostensionis suæ ad Israël, verum eo tempore quo pœnitẽtiam
populo prædicabat erat in solitudine Iudææ, & aqua simplici L
irrigabatur, vt & in potu esset diuersus à cæteris. Nos qui ver-
samur in vrbibus, qui in medio populorum sumus, & vestes
quærimus lautiores, & cibos, & habitacula: ille vero qui in eremo
morabatur, videte quali vestimẽto indutus fuerit. De pilis ca-
melorum sibi tunicam fecerat, & zona pellicea cingebatur.
Omnia ergo in illo nouerant, & propter dissimilitudinẽ vitæ
vniuersi qui videbant admirabantur eum, & mirantes studio-
sissime colebant, super omnia quod pœnitentes in remissionẽ
peccatorũ baptizabat. Quas ob causas diligebant quidẽ eum
iustissime, sed non seruabant in charitate modum: cogitabant
enim ne forte ipse esset Christus. Quam inordinatam & irra-
tionabilem charitatem cauẽs Apostolus Paulus, de semetipso 2.Cor.12.
loquebatur. Timeo autẽ ne quis de me cogitet super id quod
videt in me, aut audit ex me, & ne magnitudo reuelationum
extollat me, &c. Quod metuens ne etiam ipse incurrat, nole-
bat omnia de se iudicare quæ norat, ne quis de eo plus arbitra-
tur esse quam cerneret, & mensuram honoris excedens dice-
ret quod dictum fuerat de Ioanne, quia ipse esset Christus.
Quod quidem nonnulli enã de Dositheo Samaritanum hęre- M
siarcha dixerunt, alij vero de Iuda Galilæo. Denique in tãtam Dositheum
quidã dilectionis audaciam proruperunt, vt noua quędam & hæresiar-
inaudita super Paulo monstra confingerent. Alij enim aiunt chum Chri-
hoc quod scriptum est, sedere à dextris Saluatoris & sinistris, stum quidã
de Paulo, & de Marcione dici, quòd Paulus sedet à dextris, putarunt,
Marcio sedeat à sinistris. Porrò alij legentes, Mittã vobis ad- item Iudã
uocatum spiritũ veritatis, nolunt intelligere tertiã personam Galilæum.
à patre & filio, & diuinam sublimẽq; naturã, sed Apostolum Ioan.14.
Paulũ. Nonne tibi omnes vidẽtur plus amasse quã expedit, &
dum virtutem vniuscuiusque mirantur, dilectionis perdidisse
mensurã? Quod quidẽ in ecclesia patimur: plerique; enim dum
plus diligunt quã meremur, hæc iactant & loquuntur, sermo- Modestia
nes nostros doctrinãq; laudantes, quę conscientia nostra non Origenis.
recipit. Alij vero tractatus nostros calumniãtes, ea sentire nos Quarentur
criminantur, quæ nunquã sensisse nos nouimus. Sed neque hi de calum-
qui plus diligunt, neq; illi qui oderunt, veritatis regulã tenent: niatoribus.
& alij per dilectionẽ, alij per odium mẽtiũtur. Vnde oportet
charitati frena imponere, & tantũ ei vagãdi permittere liber- B
tatem, quantũ in pręrupta non corruat. Scriptum est in Eccle-
siaste. Ne sis iustus multum, neque ampliora cogites, ne fortè
obstupescas. Quod exẽplum sequens possum simile quid dice
re, Ne diligas hominem ex tota anima tua, & ex tota virtute
tua: ne ames angelum de toto corde, de tota anima, de tota
virtute, sed præceptum iuxta eloquium saluatoris soli serua
Deo. Diliges enim, inquit, dominum Deum tuum ex toto
corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Respon
deat mihi aliquis, & dicat: Saluator præcipit, Diliges domi- Matt.25.
num Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &
ex

A ex tota virtute tua, & proximum tuum tanquam teipsum. Volo diligere Christum: doce ergo me quomodo eum diligam. Si enim dilexero eum ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex tota virtute, contra præceptum facio, vt alterum absque vnu Deo sic diligam. Sin autem minus eum dilexero, quàm omnipotentem patrem, timeo ne in primogenitum vniuersæ creaturæ impius & profanus inueniar. Doce me & ostende rationem, quomodo inter vtrunque medius incedens, diligere debeam Christum. Vis scire qua charitate Christus diligendus sit? Breuiter ausculta. Diliges dominū Deum tuum in Christo. Putas diuersam habere posse in patre & filio charitatem? Simul dilige dominum Christum, Dilige patrem in filio, filium in patre, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute. Quod si aliquis sciscitatur, & dicit: hoc quod asseris de scripturis proba: audiat Apostolum Paulum, qui habebat rationabilem charitatem, loquentem. Certus enim sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque potestates, nec præsentia, nec futura, nec fortitudo, nec altitudo, nec profundū, nec alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, domino saluatore nostro, Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Non est diuersa charitas in patrem & filium. *Rom. 8.*

De eo quod scriptum est, Cuius ventilabrum in manu, & mundabit aream suam, vsque ad eum locum vbi ait: Et congregabit triticum in horreum. Cap. III.

Homilia XXVI.

B

CHRISTVS est Deus: & qui adorat eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Deus quoque noster, ignis consumens est. Duplici res appellatur Deus & spiritus, & ignis. Iustis spiritus, ignis peccatoribus. Sed dum & angeli spiritus ignisque dicuntur: Qui facit, inquit, angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem: angeli sanctis quibusque sunt spiritus: his vero qui merentur, addicunt ignem, & feruorem subministrát. Iuxta quem sensum, & Deus noster atque saluator cum sit spiritus, ignem venit mittere super terram. Spiritus, secundum illud quod scribitur, Cùm autem conuersus fueris ad dominum, auferetur velamen: & dominus spiritus est. Ignem autem venit mittere non super cœlum, sed super terram, vt ipse demonstrat dicens: Ignem veni mittere super terram, & quid volo nisi vt iā ardeat? Si enim conuersus fuerís ad dominum qui est spiritus: Christus tibi spiritus erit, & non venit ignem mittere super terram. Quod si non conuerteris ad Deum, sed habes terram & fructum eius, ignem venit mittere super terram tuam: Huic quid simile etiā de Deo scriptum est: Ignis accensus est furoris eius, non vsque ad cœlum sursum, sed vsque ad infernū deorsum: & d[illegible]orabit non cœlum, sed terram & germina eius. Quorsum ista memoraui?

Ioan. 4. *Deut. 4.* *Heb. 1.* *2. Cor. 3.* *Luc. 12.*

C Quia & baptismus quo baptizat Iesus, in spiritu sancto est, & igni. Memini eorum quæ nuper locutus sum, nec præterit explanatio superior, sed volo & nouū aliquid inferre. Si sanctus fueris, spiritu sancto baptizaberis: si peccator, in ignem mergeris: & vnum atq; idem baptisma indignis & peccatoribus in condemnationem ignémque vertetur: his vero qui sancti sunt & tota fide ad dominū conuertuntur, spiritus sancti gratia salúsque tribuēda est. Is ergo qui spiritu sancto & igne dicitur baptizare, habet ventilabrum in manu sua, & mundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.] Volo inuenire rationem, quare dominus noster habeat ventilabrum: & quod blando vento leues paleæ huc illúcque rapiantur, graue vero triticum in vnum deferatur locum: neque enim absque vento possunt triticum & paleæ separari: existimo tentationes pro vento intelligi, quę confuso credentium aceruo, alios paleas, alios triticum esse demonstrant. Cum enim anima tua fuerit aliqua tentatione superata, non tentatio te vertit in paleas, sed cum esses palea, leuis videlicet & incredulus, ostendit te esse tentatio quod latebas. E contrario autem cum fortiter tentamenta toleras, non te facit fidelem tentatio, atque patientem, sed virtutem quæ in te erat patientiæ & fortitudinis, & latebat, profert in medium. Putas enim, ait dominus, aliter me tibi locutum fuisse quàm vt pareres iustus?

Et alibi. Afflixi te, & affeci penuria, vt manifesta fierent quæ erant in corde tuo. In hunc modum & tempestas non facit super arenam ædificium consistere, sed super terram. Quæ cum fuerit exorta, id quod super terram fundatum est, non euertet: quod vero super arenam fluctuat, probat illico non bene fuisse fundatum. Quapropter antequam oriatur tempestas, antequam ventorum flabra consurgant, priusquam intumescant flumina, dum adhuc silent vniuersa, omne studium nostrum ad ædificiorum fundamenta vertamus, ædificemus domum nostram variis firmisque lapidibus præceptorum Dei, vt cum persecutio sæuierit aduersus Christianos, durúsque turbo surrexerit, ostendamus nos habere ædificium super petram Christum Iesum. Si quis autem (quod procul absit à nobis) negauerit, iste sciat non se illo tempore quo negasse visus est, Christum negasse, sed semina & radices habuisse negandi iam veteres, tunc vero fuisse agnitum quod habebat, & in medium esse productum. Oremus igitur dominum, vt simus ædificium quod tempestas nulla subuertat, fundatum supra petram per dominum nostrum Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen. D

Matt. 7.

De eo quod scriptum est: Multa quidem & alia exhortans annunciabat, vsque ad eum locum, vbi ait: Spiritus sanctus descendit super eum. Cap. III.

Homilia XXVII. E

QVT Euangelij sermonem docet, non vnam rem nunciat, sed plurimas. Hoc quippe scriptura significat dicens: Multa quidem & alia exhortans annunciabat.] Itaque etiam alia quę scripta non sunt, Ioannes populo prædicabat: quæ autem scripta, considerate quanta fuerint quæ annunciant Christum. Monstrauit enim baptismum spiritus sancti, prædicauit publicanis salutem, docuit milites disciplinam, aream purgari, succidi arbores, & cætera quæ Euangelij narrat historia, exceptis ergo his quæ scripta sunt, etiam illa quæ scripta non sunt annunciasse monstratur in eo quod dicitur: Multa quidem & alia exhortans annunciabat populo. Et quomodo in Euangelio secundum Ioannem de Christo refertur, quia multa & alia locutus est quæ non sunt scripta in libro isto, quæ si scriberentur, neque ipsum puto mundum capere potuisse libros qui scribendi erant: sic & in præsenti loco intellige, quod forsitan Lucas quoniā maiora quædam à Ioanne annunciabantur quàm vt deberent literis credi, voluerit ea nominatim dicere, sed tantum significauerit quod dicta sint: & idcirco dixisse, Multa quidem & alia exhortans annunciabat populo. Miremur quidem Ioannem ex his quæ sequuntur, maxime quod inter natos mulierum maior Ioanne Baptista nemo fuerit, & in tantam opinionem merito virtutis ascenderit, vt à plerisque Christus putaretur: sed aliud multo mirabilius: Herodes Tetrarcha habebat regiam potestatem, & poterat eum cum voluisset occidere: & cum rem fecisset iniustam, & contra legem Moysi vt vxorem fratris sui acciperet, quæ habebat filiam de priori viro, non eum timuit, non accepit personam, non cogitauit, vt dixi, regiam potestatem, non formidauit interitum, sciebat enim etiam si propheta non esset, quod lacessitus eum posset occidere. Hæc igitur vniuersa cum nosset, libertate prophetica corripuit Herodem, & incestas nuptias arguit, & ob id clausus in carcere, non de morte solicitus, non de incerto iudicij, sed in vinculis de Christo quem annunciauerat, cogitabat. Et quia ipse ad eum ire non poterat, mittit discipulos suos sciscitantes: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Animaduertis, quod & in carcere docuerit, videns eum & in illo loco discipulos habere, & quam ob causam ibidem per se erudiebat. Inter quæ etiam cum de Iesu orta esset quæstio, mittit ex discipulis & interrogat: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Reuertuntur discipuli, & nunciant magistro, quæ Saluator iusserat nunciari: cuius verbis Ioannes armatus ad prælium confidenter emoritur, & libenter capite truncatur ipsa vox, domini voce firmatus, verum esse Dei filium quem credebat. Hæc de Ioan-

Ioan. 21. *Matt. 11.* F *Mar. 6.* *Ioannes etiā in carcere docuit.*

G ne & libertate eius, & Herodis insania, qui super multa scelera etiam hoc addidit, vt Ioannem primum carcere clauderet, & postea decollaret. Quia vero dominus baptizatus est, & cœli aperti sunt, & spiritus sanctus descendit super cũ, vóxque de cœlis intonuit dicens:
Matt.17. Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui: dicendum est in baptismo Iesu, cœlum esse reseratum & ad dispensatioẽ, remissionémque peccatorum, non illius qui peccatum non fecerat, neque inuentus est dolus in ore eius, sed totius mundi apertos esse cœlos,
Eph.4. & spiritum sanctum descendisse: vt postquã dominus ascendisset in excelsum, & captiuam duxisset captiuitatem, tribueret nobis spiritum qui ad se venerat: quem quidem dederat &
Ioan.20. resurrectionis tempore dicens: Accipite spiritum sanctum. Si cui dimiseritis peccata dimittentur eis: si cui tenueritis, tenebuntur. Descendit enim spiritus sanctus super Saluatorem in specie columbæ, auis mansuetæ, innocentis, & simplicis. Vnde & nobis præcipitur, vt imitemur innocentiam columbarum. Talis est spiritus sanctus, mundus, & volucris, &
Psal.55. sublime consurgens. Quamobrem orantes dicimus: Quis dabit mihi pennas vt columbæ, & requiescam? id est, quis dabit mihi pennas spiritus sancti? Et in alio loco sermo
Psal.68. propheticus pollicetur: Si dormieritis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ: & posteriora dorsi eius in virore auri. Si enim inter medios cleros veteris & noui testamenti requieuerimus, dabuntur nobis pennæ columbæ de-
H argentatæ, id est sermones Dei, & posteriora eius auri fulgore & virore radiantia, vt sensus noster spiritus sancti sensibus compleatur, id est sermo & mens illius compleatur aduentu, & nec loquamur aliquid nec intelligamus, nisi quod ille suggesserit, sed omnis sanctificatio tam in corde quàm in verbis, & in opere, à sancto spiritu veniat in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De Genealogia Saluatoris, eo quod in Matthæo & in Luca diuersi eius referantur autores. *Cap.* III.
Homilia XXVIII.

DOMINVS noster atque saluator, qui multorum saluator, cuius generationem scriptura non docuit, quæ melior fuit, nunc secundum patrum ordinem natus esse describitur. Et cum diuinitas eius non subiaceat exordio, propter te qui ortus in carne es, nasci voluit, & tamen non æque ab Euangelistis natiuitatis eius ordo narratur: Quæ res nõnullos plurimum conturbauit. Matthæus enim incipiens natiuitatis illius seriem texere, ab Abraham vsque ad id peruenit vt diceret, Christi autem Iesu generatio sic erat: & describit non eum qui baptizatus est, sed qui venit in mundum. Lo-
I cas vero exponens natiuitatem eius, non à superioribus ad
1. Ordo. inferiora deducit: sed eum baptizatum ante dixisset, vsque ad ipsum peruenit Deum. Nec eædem personæ sunt in generatione eius, quando descendere dicitur, & quando conscendere. Qui enim fecit cũ cœlis tibi descendentem, mulie-
2. persona. res non quaslibet, sed peccatrices, & quas scriptura repre-
Mat.1. henderat introducit: qui vero baptizatum narrat nullius facit mulieris mentionem. In Matthæo enim vt diximus nominatur Thamar, quæ cũ socero fraude concubuit, & Ruth Moabitis nec de genere Israel: & Raab, quæ vnde sumpta sit scire nequeo: & coniunx Vriæ, quæ violauit mariti thorum. Quia enim dominus noster atque saluator ad hoc venerat vt hominum peccata susciperet, & eum qui non fece-
2.Cor.5. rat peccatum, pro nobis peccatum fecit Deus: propterea descendens in mundum assumpsit peccatorum hominum vitiosorúmque personam, & nasci voluit de stirpe Salomonis, cuius peccata conscripta, & Roboam cuius delicta feruntur, & de cæteris è quibus multi fecerunt malum in conspectu Dei. Quando vero de lauacro conscendit, & secundus ordo
3. Stirps esse describitur, non per Salomonem, sed per Nathan nasci-
nõ vna post tur, qui eius arguit patrem super Vriæ morte ortúque Salo-
Dauidem. monis. Sed in Matthæo semper generationis nomen adiungitur: hic vero penitus siletur: Scriptum est enim ibi: Abraham genuit Isaac: Isaac genuit Iacob: Iacob genuit Iudam, & fratres eius: Iudas genuit Phares & Zaram de Thamar: & vsque ad finem, genuit, semper apponitur. In Luca vero vbi de lauacro conscendit Iesus filius dicitur sicut putabatur filius Ioseph: & in tam multa serie nominum, excepto quod putabatur filius Ioseph generationis nomen ascriptum non est. In Matthæo non est scriptum incipiebat: hic vero quia de baptismate conscensurus erat, incipiebat legitur, scriptura referente: Et ipse erat Iesus incipiens. Quando enim baptizatus est, & mysterium secundæ generationis assumpsit, vt tu quoque priorem natiuitatem destruas, & in secunda regeneratione nascaris, tunc dicitur incepisse. Et quomodo populus Iudæorum quando erat in Ægypto non habebat initium mensium: quando vero egressus est ex Ægypto nunc dicitur ad eum, mensis iste initium mensium primus erit vobis de mensibus anni: sic qui necdum est baptizatus, nec cœpisse narratur. Nec enim frustra additum putemus Post regene-
ad id quod dicitur, Ipse erat Iesus, quod sequitur, incipiens. rationẽ verè esse incipimus.
Sed & quod ait: Quasi annorum triginta, considerandum. Ioseph triginta annorum erat quando dimissus è vinculis, & interpretatus somnium Pharaonis Ægypti effectus est prin- Gen.41.
ceps, vberatísque tempore triticum congregauit, vt famis tempore haberet quod distribueret. Ego puto quod triginta anni Ioseph, in typo triginta annorum præcesserint Saluatoris. Iste enim Ioseph non tale triticum congregauit, quale in Ægypto ille Ioseph, sed triticum verum, atque cœleste, vt tempore vbertatis tritico congregato haberet quod L
distribueret, cum fames esset missa in Ægyptum, non fames panis, neque sitis aquæ, sed fames audiendi sermonem Dei. Congregat de prophetis, de lege, de Apostolis, verba abundantiæ: vnde quando iam non scribuntur libri, nec nouum aliquod conficitur instrumentum, nec mittuntur ab Apostolis ea quæ ab Iesu in horrea Apostolorum fuerant cõportata, hoc est in animas eorum, omniúmque sanctorum, tunc distribuat & nutriat Ægyptum fame periclitantem, maximéque fratres, de quibus scribitur: Narrabo nomen tuum Psal.22.
fratribus meis, in medio ecclesiæ cantabo te. Habent & alij homines verba patientiæ: verbáque iudicij & reliquarum verba virtutum: hoc est triticum quod Ioseph Ægyptius distribuit. Sed aliud est frumentum quod fratribus, id est, discipulis suis distribuit de Iessen terra, de ea quæ ad orientem respicit, triticum Euangelicum, triticum Apostolicum. De hoc tritico debemus panes facere, ita tamen vt non commisceatur veteri fermento, habeamúsque panem nouum de scripturarum tritico, farinámque commolitam in Christo Iesu, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De eo quod scriptum est, Iesus autem plenus spiritu sancto reuersus est: & de tentatione eius prima.
Cap. IIII. *Homilia,* XXIX. M

QVANDO legis in Euangelio, Iesus autem Act.2.
plenus spiritu sancto reuersus est, & in Actibus Apostolorũ vbi dicitur: quod repleti fuerint spiritu sancto, vide ne æquales putes esse Apostolos Saluatori: sed & Iesum, & Apostolos & alium quemlibet sanctorum plenos spiritu sancto cognosce secundum mensuram vasculi sui: & quomodo, verbi gratia, si volueris dicere hæc vasa plena sunt vino vel oleo, non statim iudicas quod æquali mensura plena sint: siquidem aliud sextarium capere potest, aliud vrnam, aliud amphoram: eodem modo & Iesus & Paulus pleni erant spiritu sancto: sed multo vas Pauli minus erat vase Iesu, & tamen erat secundum mensuram suam vtrunque completum. Accepto itaque baptismo, Saluator plenus spiritu sancto, qui super eum in specie columbæ de cœlis venerat, ducebatur à spiritu. Quia enim quotquot spiritu Dei ducuntur, hi filij sunt Dei, iste autem extra omnes proprie filius Dei erat, ideo & ipsum oportebat spiritu sancto duci. Siquidem scri- Matt.4.
ptum est: Ducebatur autem in desertum à spiritu. Quadra- Rom.5.
ginta diebus tentatur Iesus, & quæ fuerint tentamenta nescimus: quæ ideo forsitan prætermissa sunt, quia maiora erant quàm vt literis crederentur. Etsi sic oportet dicere, sicut mundus capere non poterat omnes libros si scripta fuissent quæ fecit

A fecit & docuis Iesus: sic quadraginta dierum tentationes quibus tentatus est dominus à diabolo, mundus ferre non poterat si scriptura docuisset. Sufficit nobis hoc tantum scire, quod quadraginta diebus in deserto fuerit & tentatus à diabolo, & non comederit quicquam in diebus illis. Mortificabat enim sensum carnis iugi continuóque ieiunio: & cum completi fuissent dies, esuriit. Dixit autem ei diabolus. Si filius Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat. Dic, inquit, lapidi huic. Cui lapidi? voque monstrabat diabolus quem volt panem fieri. Quænam est ista tentatio, vt rogato patre à filio panem, nec lapidem quod ne ipse quidem aduersarius voluit versipellis fallax, det lapidem pro pane? hoc est enim quod diabolus voluit, vt lapis panis fieret: & non potius, vt non in panem lapidem, sed hominem in lapidem verteret, quem diabolus pro pane monstrauerat? Ego puto quod vsque hodie lapidem diabolus ostendat, & hortetur singulos ad loquendum: Dic vt lapis iste panis fiat. Omni tentatione qua tentandi erant homines, primus secundú assumptionem carnis tentatus est dominus. Tentatur autem ob id, vt nos quoque illo vincente vincamus. Obsecrum sit forte quod dico, nisi manifestius exemplo fiat. Si videris hæreticos dogmatum suorum mendacium pro pane comedere, scito lapidem eorum esse sermonem: quem monstrat diabolus. Neque vero existimes vnum eum habere lapidem: habet plures lapides, do

Hæreticorū figmenta lapidibus comparat.

B quibus à Matthæo introducitur loquens: Dic vt lapides isti panes fiant. Dixit & Marcion & lapis diaboli ei factus est panis. Dixit Valentinus, & alius lapis ei est versus in panem. Habuit & Basilides eiusmodi, & cæteri hæretici. Vnde sollicite prouidendum, ne forte diaboli lapidem comedentes, putemus pane vesci Dei. Alioquin quæ erat tentatio de lapide panem fieri, & à saluatore comedi? Fingamus enim quod diabolo proponente dominus lapidem in panem vertit, & id quod virtute sua ipse fecerat comederit, & satiarit esurié, quænam esset ista tentatio, quæ victoria diaboli, si hæc simpliciter scriberentur? Quæ vt diximus ratione perspecta & tentationem ostendunt fuisse si fierent, & victoriam quod contempta sunt fieri, Simúlque monstratur istum panem qui de lapide fiat, non esse verbum Dei quod pascit hominem, de quo scriptú est: Nó in pane solo viuit homo, sed in omni verbo quod egreditur per os del viuet homo. Respódeo tibi ó versipellis, & nequam qui me tentare non metuis: alius est panis, sermo Dei qui viuificat hominem. Simúlq; videamus quod hæc loquatur qú filius Dei, sed homo, quem filius Dei dignatus est assumere, quasi de homine enim respondet, & dicit: Scriptum est, non in pane solo viuit homo, ex quo manifestum, non Deum, sed hominem fuisse tentatum. Scripturæ sensum diligenter euentilans, teor inuenite me causam quare Ioannes tētationem domini non descripserit: sed tantum Matthæus, Lucas, & Marcus. Ioannes enim qui à Deo exordium fecerat dicens: In principio erat verbum, & ver-

Deut. 6.

Ioan. 1.

C bum erat apud Deum, & Deus erat verbum: nec poterat diuinæ generationis ordinem texere, sed tātummodo quod ex Deo & cum Deo esset expressisset, adiecit: Et verbū caro factum est. Porrò quia Deus tentari non potest, de quo ei erat sermo, ideo tentari illum à diabolo non introducit. Quia vero liber generationis Iesu Christi de eo in Matthæi Euāgelio narratur, & in Luca generatio eius describitur, & in Marco homo est qui tentatur, propterea eius fertur simile responsum, Non in pane solo viuit homo. Si igitur filius Dei Deus, pro te homo factus est, & tentatur, qui natura homo es, non debes indignari si forte tētaris. Quod si tentatus illum imitatus fueris qui pro te tentatus est, & omne viceris tentamentum, habebis spem cum eo qui tunc homo fuit, nunc auté homo esse cessauit. Nam si qui quondam homo erat, postquam tentatus est, & recessit ab eo diabolus vsque ad tempus mortis, à mortuis resurgens vltra non morietur, omnis autem homo morti subiacet: iste ergo qui nequaquam moritur iam nō est homo, sed Deus est. Si autem Deus est qui quondam homo fuit, & oportet te illi similem fieri quando similes eius fuerimus, & viderimus eum sicuti est, te quoque necesse erit Deum fieri, in Christo Iesu, Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Desiit esse homo Christus post mortem, quasi desierit esse homo.

Tentatio Saluatoris Secunda. Cap. IIII.
Homilia XXX.

D



TAM filio Dei, quàm Antichristo regnandi studium est. Sed antichristus regnare desiderat, vt occidat quos sibi subiecerit: Christus ad hoc regnat vt saluet. Et vnusquisque nostrū si felix est, regnatur à Christo, sermone, sapientia, iustitia, veritate. Si autem amatores voluptatis sumus magis quàm amatores Dei, regnamur à peccato, de quo Apostolus loquitur: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. Duo igitur reges certatim regnare festinát: peccati rex peccatorum diabolus, iustitiæ rex iustus Christus. Sciénsque diabolus ad hoc venisse Christum vt regnum illius tolleret, & hi qui sub eo erant, inciperent esse sub Christo, ostendit ei omnia regna mundi, & hominum huius seculi, quomodo alij regnentur à fornicatione, alij ab auaritia, illi populari rapiantur cura, hi formæ capiantur illecebris. Neque vero arbitrandum est, quod regna ei mundi ostendens, Persarum, verbi gratia, regnum, Indorúmque monstrauerit: sed ostendat ei omnia regna múdi, id est, regnum suum quomodo regnaret in mundo, vt cohortans eum faceret quod volebat, inciperet etiam Christum habere subiectum. Vis, inquit, in hominibus his regnare? Ostendit innumerabiles hominum multitudines, quæ suo tenebantur imperio. Et re- E uera si miseriam & infelicitatem nostram simpliciter volumus confiteri, penè totius mundi rex diabolus est: vnde & princeps istius seculi à Saluatore vocatur. Quod ergo dicit: Vides hos homines qui sub meo regno sunt: ostendit ei in puncto temporis, hoc est in præsenti temporum cursu, qui ad comparationem æternitatis puncti instar obtinet. Neque enim necessariú habuit Saluator, vt ei dignitates seculi istius & negocia monstrarentur: statim vt aciem luminum suorum ad contemplandum vertit, & peccata regnantia, & eos qui regnarentur à vitiis conspexit, & ipsum principem seculi diabolum superuenientem, atque gaudentem in propriam perniciem, quia tantos sub suo habebat imperio. Dicit ergo ad dominum diabolus. Ideo venisti vt aduersus me dimices, & tollas de imperio meo quos nunc subiectos habeo? Nolo contendas, nolo nitaris, ne habeas vllam in certando molestiam. Vnum est quod precor: procidens adora me, & accipe regnum omne quod teneo. Verum dominus noster atque Saluator vult quidem regnare, & omnes gentes subiectas esse vt seruiant iustitiæ, veritati, cæterisque virtutibus: sed vult regnare quasi iustitia, vt absque labore regnet, vt nihil faciat indecorum, & non vult absque labore subiectus diabolo coronari, nec sic regnare cæteris, vt ipse regnetur à diabolo. Vnde loquitur ad eum Iesus. Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Hos, in- F quit, omnes propterea volo mihi esse subiectos, vt dominum Deum adorent, & ipsi soli seruiant. Hæc est cupido regni mei. Tu autem à me vis accipere peccata, quæ dissoluturus veni, quæ etiam à cæteris auferre desidero. Scito atque cognosce me in hoc manere quod dixi, vt adoretur dominus Deus solus, & hos omnes sub meam faciam potestatem, meóque regno subiiciam: cui gaudeamus nos quoque esse subiectos, & deprecemur dominum, vt regnans peccatū in corpore nostro mortificet, & regnet nobis solus Christus Iesus: cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

De regno christi & antichristi.

Rom. 6.

Matt. 4.

De tertia tentatione Saluatoris. Cap. IIII.
Homilia, XXXI.



SCRUTAMINI scripturas, vt & in his quæ putantur esse simplicia, reperiatis non minima sacramenta. Scrutemus principium Euangelicæ lectionis, quotquot hodie audiuimus, & id quod latebat, procedit in medium. Adduxit auté diabolus Iesum in Hierusalē. Hoc incredibile est, vt diabolus duceret filiū dei, & ille sequeretur. Sequebatur planè quasi athleta ad tentationé, sponte proficiscens. Non formidabat tentantem, neque insidias callidissimi pertimescebat inimici, & quodam-

G modo loquebatur. Duc quo vis, tenta vt placet. Ad tentandū sponte me tribuo, sustineo quæ suggesseris. Præbeo me in quibuscunque tētaueris, inuenies me in omnibus fortiorem. Adduxit ergo eum in Hierusalem, & posuit super pinnam templi, & dixit: Si filius dei es: mitte te deorsum.] Adduxit eum in culmen ad summitatem templi, & hortatur vt se inde præcipitet. Quod cum ille fraudulenter proponeret, & sub ostentatione gloriæ niteretur, dicebat Saluator, Scriptum est: Non tentabis dominum deum tuum. Simúlque considera

Quomodo tentet diabolus.

quomodo tentet diabolus. Non aliunde tētare audet, nisi de diuinis libris, & de psalmis sumens testimonium ait: Si filius dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedē tuum.] Vnde tibi diabole hoc scire quod ista scripta sunt? Nūquid legisti prophetas, vel diuina eloquia cognouisti? Licet tu taceas, ego pro te respondebo. Legisti non

Quo fine Satan legerit scripturas.

vt ipse ex lectione sanctorum melior fieres, sed vt simplicitate eos qui amici sunt literæ interficias. Scis quia si de aliis ei voluminibus loqui volueris non decipies, neque habere poterunt autoritatem assertiones tuæ. Sic legit scripturas Marcion vt diabolus, sic Basilides, sic Valentinus, vt cum diabolo dicerent Saluatori: Scriptū est, quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidē pedē tuum: Si quādo testimoniū de scriptura audieris, vide ne statim loquenti acquiescas, sed cōsidera illum cuius sit, ac cuius sententiæ, cuius sit voluntatis: ne forte simulet sanctum se esse quod nō est, & venenis infectus hæreseos, sub ouis pelle lupus

H latitet, ne forte loquatur in eo diabolus de scripturis. Quomodo autē diabolus per occasionē temporum de scripturis

Matt. 7.

loquitur, sic econtrario Paulus pro vtilitate eorū qui audiunt non solum de scripturis, sed etiam de secularibus libris assumit testimonium, & ait: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Et rursum de alio. Ipsius enim & genus sumus. Necnon & de Comico: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Sed neque diabolus si de scripturis loquutus fuerit, poterit me hac occasione decipere: neque Paulus, si de gentilibus literis aliquod exemplum sumpserit, quoquo modo me eloquio deterrebit. Ideo enim assumpsit Paulus verba etiam de his quæ foris sunt, vt sanctificet ea. Videamos ergo quid de scripturis diabolus loquatur ad dominum. Scriptum est enim: Angelis suis mandauit ad te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Vide quo modo & in ipsis testimoniis versipellis est. Vult enim imminuere gloriam Saluatoris: quasi angelorum indigeat auxilio, offensurus pedem, nisi eorum manibus subleuetur. Assumit testimonium, & interpretatur illud de Christo, quod non de Christo, sed de sanctis generaliter scriptum est. Libere quippe & mea confidentia contradico diabolo, super Christi persona hoc non posse intelligi. Neque enim indiget angelorū auxilio, qui maior angelis, & melius ipsis hæreditatem consecutus & nomen. Nulli angelorum vnquam dixit deus: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ad nullum enim quasi ad filium loquutus: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros

Tit. 1.

Act. 17.

1. Cor. 15.

Heb. 1.

Psal. 2.

I suos ignem vrentem: sed ad filium proprie suum, de quo innumerabilia loquitur in prophetis. Non indiget inquam angelorum auxilio filius dei. Quin potius disce diabole, quod nisi Iesus adiuuerit angelos, offendēt pedem suum. Et si quis angelorum visus est offendere, de quibus dudum lectum est, quia angelos iudicabimus, ideo offendit, quia non extendit manum suam ad Iesum, vt apprehensus ab eo nō offenderet. Quoniam enim in propria virtute confidens, non inuocas præsidium Iesu, offendis, & credere in Iesum Christum filiū dei noluisti. Vt autem scias quod male interpretatus est, & non de Christo, sed de sanctis intelligi quæ sequantur, ausculta. A ruina & dæmonio meridiano non Iesum Christum liberat deus, sed sanctos. Lege nonagesimum psalmum, cuius principium: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione dei cœli commorabitur, & inuenies hæc magis iusto viro, quàm dei filio conuenire: Cadent à latere tuo mille, & decē millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit, veruntamen oculis tuis videbis, & retributionem aspicies peccatorum, & reliqua, super personam iusti interpretans. Sed & sic quoque peruerse afferens diabolus testimonia, vt assereret su-

Filius dei nō indiget angelorum auxilio.

Psalmus, citatus à Satana nō conuenit Christo.

per Saluatore intelligi, silet & transit versiculos qui contra se K scripti sunt. Cum enim dixisset: Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedē tuum, tacuit illud quod sequitur: Super aspidem & basiliscū ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Quare diabole siles, nisi quod tu es basiliscus, tu es omnium serpētium regulus nocentiora habens venena quàm cæteri? Qui statim vt videris aliquem, interficis, & aliam fortitudinem contrariam sociam tui assumis, quæ aspis appellatur, & viro iusto subiecta est, & idcirco omnia taces. Tu es draco, tu es leo, de quibus scribitur: Super aspidem & basiliscum calcabis, & cōculcabis leonem & draconē. Sed licet tu taceas, nos qui scripturas rectius legimus, scimus habere nos potestatem cōculcandi te, & datam nobis hanc ditionem, non solum in veteri testamento sicut nunc cātatur in psalmo, sed etiam in nouo, Saluatore dicente: Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebunt. Sumamus arma tanta potestate firmati, & vniuersa faciamus: vt per conuersationem nostram leonem conculcemus & draconem. Porro vt scias quomodo conculcetur leo, & conteratur draco, Pauli epistolam lege, in qua asserit conculcari peccatores filio dei. Sicut ergo qui peccator est conculcatur filio dei, sic econtrario qui iustus est conculcat leonem & draconem, & omnem virtutem inimici conculcat in nomine Iesu Christi, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

In veteri & nouo testamēto potestas data contra Satanam.

Luc. 10.

De eo quod scriptum est: Reuersus est Iesus in virtute spiritus, vsque ad eum locum vbi ait: Et omnium oculi erant in synagoga intendentes in eum. L

Cap. IIII. Homilia. XXXII.

PRIMVM quidem Iesus plenus spiritu sancto reuersus est à Iordane, & agebatur in spiritu in deserto diebus quadraginta, Cum tentaretur à diabolo, quia adhuc vi certaturus erat aduersus eum, & semel, & bis, non cum additamento aliquo spiritus ponitur. Quando vero tres tētationes quas scriptura commemorat pugnando superauit, quid de spiritu signanter cautéque ponatur ait: Et reuersus est Iesus in virtute spiritus.] Virtus addita est, quia conculcauerat draconem, & tentatorem cominus vicerat. Reuersus est ergo Iesus in virtute spiritus in Galilæam terram, & fama exiit per omnem regionem de eo: & ipse docebat in synagogis eorum, & glorificabatur ab omnibus. Caue ne beatos illos tantum iudices, & te arbitreris primum esse doctrina. Si vera sunt quæ scripta sunt, non solū tunc in congregationibus Iudæorū, sed & hodie in hac congregatione dominus loquitur: & non solum in hac, sed etiam in alio cœtu, & in toto orbe docet Iesus, quærens organa per M quæ doceat. Orate, vt me quoque compositum ad canendū, aptúmque reperiat. Sicut enim quęrit omnipotens deus prophetas eo tempore quo prophetia mortales indigent, & inuenit, verbi gratia, Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, Danielē: sic quærit deus organa per quæ doceat sermonem suum, vel erudiat populos in synagogis eorum, & glorificetur ab omnibus. Nunc magis glorificatur ab omnibus Iesus, quàm illo tēpore quo tantum in vna prouincia cognoscebatur. Deinde venit Nazareth vbi nutritus fuerat, & ingressus iuxta morem in synagogam die sabbatorum surrexit legere, & datus est ei liber Prophetæ Esaiæ, & reuoluens librum, inuenit locū vbi erat scriptum: Spiritus domini super me, propter quod vnxit me.] Non fortuitu reuoluit librum, & apud se vaticinans reperit lectiones, sed & hoc prouidentiæ dei fuit. Sicut enim scriptum est, in laqueum non cadit passer sine voluntate patris, & quia capilli capitis Apostolorū omnes numerati sunt sic forsitan & hoc quod Esaiæ potissimum liber inuentus est: & lectio nō alia, sed hæc quæ Christi mysterium loquebatur: Spiritus domini super me, propter quod vnxit me. Christus est enim qui ista commemorat, non vt libet & casu venisse arbitrandum est, sed prouidentia, & dispensatione dei. Quæ sunt igitur quæ in propheta loquebatur, & postea de se ipse in synagoga personet, contemplemur. Euangelizare (ait) pauperibus misit me.] Pauperes, nationes significant. Isti enim

Matth. 10.

Esa 61.

erant

A pauperes,nihil omnino possidentes,non Deum, non legem,
Pauperes Etiamq. non prophetas,non iustitiam,vel quásque virtutes Ob quam
causam misit eum deus, vt pauperibus nunciaret, Prædicare
captiuis remissionem.]Captiui nos fuimus, quos tantis annis
vinxerat Satanas,habens captiuos sibiq; subiectos. Venit Ie-
sus prædicare captiuis remissionem, & cæteris vt viderent.
Sermone quippe,& prædicatione doctrinę eius,cæci vident.
Prædicatio ergo remissionis intelligatur non solum super ca-
ptiuis,sed etiam super cæcis. Emittere confractos in liberta-
tem.] Quid ita fractum,atque collisum fuit,vt homo qui à
Iesu dimissus est & sanatus? Prædicare annum domini acce-
ptum]Iuxta simplicem intelligentiam aiunt vno anno Sal-
uatorem in Iudæa Euangelium prædicasse, & hoc esse quod
dicitur:Prædicare annum domini acceptum, & diem retri-
butionis:nisi forte quiddam sacramenti in prędicatione anni
domini diuinus sermo significat. Futuri sunt enim alij dies,
non tales quales nunc in mundo cernimus,& menses alij, &
Calendarum ordo diuersus.Sicut igitur ista alia,sic annus do-
mini futurus est placens.Ista autem omnia prædicta sunt, vt
post visionem ex cæcitate,post libertatem ex vinculis,post sa-
nitatem à diuersis vulneribus veniamus ad annũ domini ac-
ceptum.Cum enim hæc legisset Iesus,inuoluens librum red-
didit ministro & sedit, & omnium oculi erant in synagoga
attendentes in eum.]Et nunc si vultis,in hac synagoga cœtú-
que possunt oculi vestri attendere in Saluatorem.Cum enim
B principalem cordis tui direxeris aciem ad sapientiam & ve-
ritatem,deique vnigenitum contemplandum, oculi tui in-
tuentur Iesum.Beata congregatio, de qua scriptura testatur,
quod omnium oculi erant attendẽtes in eum. Quàm vellem
istum cœtum simile habere testimonium, vt omnium oculi,
& catechumenorum,& fidelium,& mulierum& virorum,&
infantium non corporis oculi,sed animæ aspicerent Iesum.
Cum enim respexeritis ad eum,de lumine eius & intuitu cla-
riores vestri vultus erunt,& dicere poteritis:Signatum est su-
Psal.4. per nos lumen vultus tui domine,cui est gloria & imperium
in secula seculorum.Amen.

De eo quod scriptum est:Vtique dicitis mihi parabolam
istam,& cætera, vsque ad eum locum
vbi ait:Sed nullus eorum mundatus
est, nisi Naaman Syrus.
Homilia XXXIII.

IN Capharnaum quantum ad lucem historiæ
pertinet, necdum moratus est Iesus, nec ali-
quod in ea signum fecisse describitur, quippe
in qua non fuit. Porro antequam veniret in
Capharnaũ,in patria sua,hoc est in Nazareth,
fuisse signatur. Vtique dicitis mihi parabolam istam. Medice
cura teipsum.Quæcunque audiuimus facta in Capharnaum,
C fac & hic in patria tua.]Vnde puto aliquid in sermone præ-
senti latitare mysterij,& Nazareth in typo Iudæorũ,Caphar-
naum in typo pręcessisse gentilium. Sciens itaque Iesus quod
non haberet in patria sua honorem,ne ipse,nec propheta,nec
Apostoli,noluit ibi prædicare,sed prædicauit in gentibus, ne
sibi à patriæ suæ hominibus diceretur: Vtique dicitis mihi pa-
rabolam istã,Medice cura te ipsum. Erit enim tempus, quan-
do dicturus sit populus Iudæorum:Quæcunque audiui facta
Rom.11. in Capharnaum apud gentes signa atque portẽta,fac & apud
nos in patria tua. Quæ ostendisti vniuerso orbi,ostende &
nobis.Prædica sermonem tuum populo Israel,vt saltem cum
intrauerit plenitudo gentium,tunc omnis Israel saluus fiat.
Quamobrem mihi videtur cõsequenti ordine Nazarenis in-
terrogantibus respõdisse Saluator:Nemo propheta acceptus
Iere.1. est in patria sua.]Et puto plus iuxta sacramentum quàm iux-
ta literam verum esse quod dicitur,licet Hieremias in Ana-
toth patria sua non fuerit acceptus,& Esaias quæcunque fuit
patria illius, & reliqui prophetæ: sed magis mihi videtur sic
intelligi,vt dicamus patriam fuisse omnium prophetarũ, po-
pulum circuncisionis,& hanc nõ recepisse prophetas, & eo-
rum vaticinia: porro nationes quæ longe fuerãt à prophetis,
& eorum notitiam non habebant,suscepisse vaticinium Iesu
Christi.Nemo est ergo propheta acceptus in patria sua, hoc
est in populo Iudæorum. Nos autem qui eramus alieni à te- D
stamento & peregrini à promissionibus,toto prophetas cor- *Ephe.2.*
de suscepimus,magisque habemus Moysen & prophetas de
Christo prædicantes, quàm illi qui ex eo quod non suscepe-
runt Iesum,nec illos susceperunt qui de illo annunciauerant.
Vnde ad id quod dixerat:Nemo propheta acceptus in patria
sua,& aliud adiungit:In veritate enim dico vobis,quia multę
viduæ erant in diebus Heliæ in Israel,quãdo clausum est cœ-
lum annis tribus,& mensibus sex.] Quod dicit tale est He-
lias propheta erat,sed erat in populo Iudæorum. Sed quan-
do mirabile quid facturus erat cum essent plures viduæ in
Israel,reliquit eas,& venit ad viduam in Sareptam Sidonię ad
gentilem mulierculam,figuram futuræ rei explicans,quia oc-
cupante fame non panis,neque siti aquæ, sed fame audiendi
sermonem dei,venit ad viduam,de qua & propheta testatur
dicens:Multi filij desertæ,magis quàm eius quę habet virum.
Et cum venisset,panem illius& alimenta multiplicat.Tu eras
vidua in Sarepta Sidoniæ, è cuius finibus Chananæa mulier
egreditur,&cupit sanari filiam suam,& propter fidem meruit
accipere quod petebat. Multæ ergo viduæ erant in populo
Israel,sed ad nullam earum missus est Helias nisi in Sareptis
ad mulierem viduam. Sed & aliud ad eundem sensum perti-
nens loquitur.Multi erant leprosi in Israel in diebus Helisæi *Esa.54.*
prophetæ,& nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus,
qui vtique non erat ex Israel.] Considera vsq; ad præsentem
diem multos leprosos in Israel secundum carnem, vide ecõ-
trario lepræ squalore perfusos,atque spiritali Helisæo domi- E
no nostro & Saluatore,te autem purgari baptismi sacramen-
to,& dici ad te:Surge & vade in Iordanem,& lauare,& resti-
tuetur tibi caro tua.Surrexit Naaman & abiit,& lotus im- *4.Reg.5.*
pleuit mysterium baptismi, & facta est caro eius quasi caro
pueri, qui in lauacro regenerationis ortus fuerit in Christo
Iesu,cui est gloria& imperium in secula seculorum,Amen.

De eo quod scriptum est:Magister quid bonu faciens vitam
æternam possidebo, vsque ad eum locum vbi ait:
Vade & tu fac similiter.
Homilia. XXXIIII.

CVm multa in lege præcepta sint tantum Saluator
in Euangelio posuit quæ quondam compendio
ad ęterna obedientes ducerent.Ad id enim respi-
cit quod legis doctor interrogauerat cum dicẽs:
Magister quid faciens vitam æternam possidebo?] Quæ le-
ctio secundum Lucam hodie vobis recitata est,respondit. In
lege quid scriptum est? Quomodo legis? Diliges dominum *De iustifi-*
deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota virtute tua,& ex to- *catione le-*
ta mente tua,& proximum tuum tanquam teipsum. Ac dein- *gis.*
de,Bene(ait)respõdisti:hoc fac,& viues. Haud dubium quin
sempiternam vitam hoc faciendo accepturus sis, de qua & *Deut.6.*
legis doctor interrogauerat. Simúlque perspicuè docemur in
legis præcepto, vt diligamus deum. In Deuteronomio scri- F
ptum est. Audi (inquit) Israel,dominus deus tuus,deus vnus
est. Et diliges dominum deum tuum ex tota mente tua,& re- *Matth.22.*
liqua,& proximum tuum quasi teipsum. Et Saluator super
his testatus est dicens:In his duobus mandatis tota lex pen-
det & prophetæ. Volente autem doctore legis iustificare se-
metipsum & ostendere quod nemo sibi esset proximus, atq;
dicente:Quis est proximus meus,intulit dominus parabolam
cuius exordium est:Homo quidam descendebat de Hierusa-
lem in Hiericho, & reliqua: & docet nullius fuisse proxi- *Luc.10.*
mum descendentem, nisi illius qui voluerit custodire præ-
cepta,& pręparare se,vt sit proximus omni homini qui auxi-
lio indiget. Hoc enim est quod post parabolam in fine poni-
tur. Quis de his tribus videtur tibi proximus esse eius qui
in latrones incidit? Nec enim sacerdos, nec Leuites proximi
eius fuerunt, sed vt ipse quoque legis doctor respondit, ille
qui fecit misericordiam,proximus eius fuit.Vnde & à Salua-
tore dicitur, Vade,& tu fac similiter. Aiebat quidam de pre-
sbiteris volens parabolã interpretari, hominem qui descen-
dit esse Adam: Hierusalem,paradisum. Hierico,mundum,la- *Allegoria*
trones contrarias fortitudines, sacerdotem, legem, Leuitem, *de Adam.*
prophetas,Samaritem, Christum: vulnera vero inobedien-

G tiam,animal,corpus domini: Pandochium, id est, stabulum quod vniuersos volentes introire suscipiat, ecclesiã interpretari. Porro duos denarios,patrem & filium intelligi: Stabularium ecclesiæ præsidem cui dispensatio credita est. De eo vero quod Samarites reuersurum se esse promittit,secundum saluatoris figurabat aduentum. Hæc cum rationabiliter pulchréq; dicantur, non est tamen existimandum quod ad omnem hominem pertineant. Neque enim omnis homo descẽdit de Hierusalem in Hiericho,nec vniuersi propterea in præsenti seculo commorantur, licet ille qui missus est, propter perditas oues venerit domus Israel. Homo igitur qui de Hierusalem descendit in Hiericho, quia voluit ipse descendere, propterea in latrones incidit. Latrones autem nulli sunt alij, nisi de quibus saluator ait: Omnes qui ante me venerunt, fures fuerunt & latrones. Veruntamen non incidit in fures,sed in multo furibus nequiores latrones,qui descendentem cum de Hierusalem cum incidisset in illos spoliauerunt, & imposuerunt ei plagas. Quæ sunt plagæ? quę vulnera quibus vulneratus est homo? Vitia,atq; peccata. Deinde quia latrones qui nudauerant eum, & vulnerauerant, non assident nudo, sed plagis rursus impositis relinquunt eum, idcirco scriptum est: spoliantes eum,& vulnera apponentes abierunt eo nõ mortuo,sed seminece. Factum est autem vt in eadem via primus sacerdos,deinde leuites descenderent,qui forsitan aliis hominibus bona quędam fecerant,non tamen huic,qui descenderat ab Hierusalem in Hiericho. Hunc enim vidit sacerdos, puto lex vidit: Leuites vt reor,sermo propheticus. Et cum vi-

Altera allegoria de homine peccante. — *Ioan.10.*

H dissent reliquerunt,& transierunt. Seruabat quippe seminecẽ prouidentia ei qui fortior erat lege & prophetis,Samaritano videlicet qui interpretatur custos. Iste est qui non dormitat, neque dormit custodiẽs Israel: propter seminecem profectus est iste Samaritanus non de Hierusalem in Hiericho,sicut sacerdos & leuita descendens: aut si descendit,idcirco descendit,vt saluaret,custodirétq; moriturum. Ad quem locuti sunt Iudæi: Samaritanus es tu & dæmonium habes. Qui cum negasset se habere dæmonium,Samaritẽ negare se noluit. Sciebat enim se custodem. Itaque cum venisset ad seminecem,& vidisset eum in suo sanguine volutari,misertus accessit ad eũ vt fieret eius proximus. Ligauit vulnera,infudit oleum vino mixtum neque dixit quod in propheta legitur, Non est malagma imponere,neq; oleum,neq; alligaturas. Iste est Samaritanus,cuius cura & auxilio omnes qui male habent indigẽt. Huius vel maxime Samaritani indigebat auxilio qui de Hierusalẽ descendens inciderat in latrones:& vulneratus ab eis, semianimis fuerat derelictus. Vt autem scias quod iuxta prouidentiam dei Samarites iste descenderit vt curaret eum qui inciderat in latrones,manifesto doceberis ex eo quod secum habebat alligaturas,secum oleum,secum vinum. Quæ quidẽ ego puto propter istum vnum seminecem, sed propter alios quoque qui ob varias causas fuerant vulnerati,& indigebant alligaturis,& oleo,& vino,secum portasse Samariten. Habebat oleum de quo scriptum est: Vt exhilaret faciem in oleo,

Ioan. 8. — *Esa. 1.* — *Psal.104.*

I haud dubium quin eius qui curatus fuerat,oleo etiam tumores vulnerum sedarentur. Sed & vino mundat vulnera,asperitatis aliquid admiscẽs: eumq; qui fuerat vulneratus imposuit iumento,id est proprio corpori, iuxta id quod est hominem dignatus assumere. Iste Samaritanus peccata nostra portat,& pro nobis dolet,portat seminecem,inducit in pandochium, id est,in ecclesiam,quæ omnes suscipit,& nulli auxiliũ suum denegat,ad quam cũctos prouocat Iesus dicens: Venite ad me omnes qui laboratis,& onerati estis, & ego reficiam vos. Et postquam induxit eum non statim recedit,sed vno die in stabulo cum seminece perseuerat, & curat vulnera nõ solum in die,verum etiam in nocte, reliquam solicitudinem suam & industriam tribuens. Cúmque vellet mane proficisci, de probato argento suo,de probata pecunia sua tollit duos denarios,& onerat stabularium, haud dubium quin angelum ecclesiæ,cui præcipit vt diligenter curet eum,& ad sanitatem vsque perducat,quem pro angustia temporis etiam ipse curauerat. Duo denarij notitia mihi videtur esse patris & filij, & scientia sacramenti,quomodo pater in filio, & filius in patre sit,qui velut mercedes donantur angelo,vt diligentius curet sibi hominem commendatum: & promittitur ei quicquid

Esa.53. — *Ecclesia pandochiũ.* — *Matt. 11.*

de suo in medelam seminecis expenderit,illico esse reddendum. Vere legis & prophetiæ custos animarum ille vicinior, qui fecit misericordiam ei qui inciderat in latrones,& proximus eius apparuit non tam sermone quàm opere. Quia ergo possibile est iuxta illud quod sequitur, imitari nos Christum, & misereri eorum qui inciderãt in latrones,accedere ad eos, ligare vulnera,infundere oleum & vinum, imponere super proprium iumentum,& ferre onera ipsorum,propterea ad talia nos cohortans filius dei,non tam doctori legis quã nobis quoq; omnibus loquitur. Vade & tu fac similiter. Quæ si similiter fecerimus,vitam consequemur ęternam in Christo Iesu,cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen. K

De eo quod scriptum est: Quando vadis cum aduersario tuo & cætera, vsque ad eum locum vbi ait: Et nouissimum minutum reddes.

Homilia. XXXV.

NIsi esset nobis natura insitum id quod iustum est iudicandi, nunquam Saluator diceret: Quare autem & à vobismetipsis nõ quod iustum est iudicatis? Verum ne ad probationem huius sententiæ longius euagemur, maxime cum multa difficiliora huic capitulo subnexa sint,tantum superbos significasse sufficiet. Quin potius animarum nostrarum ad deum vela pendamus, deprecemúrque aduentum sermonis eius, vt interpretus parabolam de qua scribitur: Quando vadis cum aduersario tuo ad principem,in via da operam, vt liberes te ab eo,ne forte tradat te iudici,& iudex tradat te exactori,& in carcerẽ mittaris. Amen dico tibi non inde exies,donec nouissimum minutũ reddas. Quatuor personas poni video,aduersarij, principis,iudicis,exactoris,& quia videtur Euangelista Matthæus simile quid locutus in eo quod ait: Esto beneuolus aduersario tuo dum es in via cum eo, quæro vtrum idem sensus sit, an aliqua sit vicinia, siquidem apud Matthæum vna persona prætermissa sit,& alia immutata. Prætermissus est princeps, & pro exactore minister insertus: aduersarius vero, & iudex similiter ab vtroque sunt positi. Imus itaque cum aduersario nostro ad principem,& oportet nos dum adhuc in via sumus fortiter laborare,vt liberemur ab eo. Quoniam ambiguum quippe verbum est,& potest tam ad principem quàm aduersariũ,referri: Ne forte tradat te,siue aduersarius,siue princeps iudici,& iudex tradat te exactori,& nõ inde exies,donec nouissimum minutũ reddas: pro quo Matthæus ait: Donec reddas nouissimum quadrãtem,verbum vero nouissimum vterque scribit: discrepare autem sunt visi, quod hic quadrãtem, ille minutum posuit: quædam mihi sunt secretiora tangenda, vt intelligamus alium esse aduersarium, alias tres personas, id est principem,iudicem,exactorem. Legimus (si tamẽ cui placet huiusmodi scripturam recipere) iustitiæ & iniquitatis angelos super Abrahæ salute & interitu disceptantes,dũ vtræq; turmæ suo eum volunt cœtui vẽdicare. Quod si cui displicet, M transeat ad volumen quod titulo pastoris scribitur. & inueniet cunctis hominibus duos adesse angelos: malum qui ad peruersa exhortatur, & bonum qui ad optima quæque persuadet. Scribitur alibi, quod assistant homini siue in bonam, siue in malam partem duplices angeli: De bonis etiam Saluator meminit,dicens: Angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cœlis est. Simul quære vtrum paruulorum in ecclesia semper videant angeli faciem patris, & aliorum angeli non habeant libertatem vultum patris attendere: Neque enim sperandum est, omnium angelos videre faciem patris qui in cœlis est. Si fuero de ecclesia, quamuis minimus sim, habet libertatem angelus meus & fiduciam semper videre faciem patris mei qui in cœlis est. Si autem forinsecus, nec de illa ecclesia quæ non habet maculam aut rugam, aut quid istiusmodi, & ipsa re probor alienus esse à tali congregatione, non habet fiduciam angelus meus respiciendi vultum patris mei qui in cœlis est. Quam ob causam angeli pro bonis soliciti sunt, scientes quod si nos bene gubernauerint, & ad salutem vsque perduxerint, habeant etiam ipsi fiduciam videndi faciem patris. Quomodo enim si per curam eorum & industriam salus hominibus

Matt. 5. — *Ibid.* — L — *Ibidem.* — *Angelorũ bonorum et malorũ de salute Abrahæ concitatio.* — *Matth. 18.* — *Ephes.5.*

A nibus comparatur, faciem patris semper attendunt: sic si per negligentiam eorum homo corruerit, etiam sui periculi rem esse nõ nesciũt. Et sicut bonus episcopus, & optimus ecclesiæ dispẽsator scit sui meriti esse atque virtutis, si oues gregis sibi crediti fuerint custodiæ, ita intellige & de angelis. Ignominia angelo est si homo iustus creditus fuerit, & peccauerit: vt ecõtrario gloria est angelo si creditus sibi saltem minimus in ecclesia fuerit. Videbunt enim non aliquando, sed semper, faciem patris qui est in cœlis, cum alij semper non videant. Secũdum meritum enim eorum quorũ angeli sunt, aut semper aut nunquam, vel parum, vel plus, faciem Dei angeli cõtemplabũtur. Cuius rei ad liquidum notitiam Deus nouerit, & si quis (licet raro) fuerit inuentus quẽ Christus illuxerit. Videamus ergo primũ quis sit aduersarius cum quo iter faciamus. *Aduersarius.* Semper nobiscum est aduersarius. Infelices nos, atq; miserabiles. Quotiescunque peccauerimus, aduersarius noster exultat, sciens quoniam habet facultatem apud principem seculi huius, qui se miserat exultandi & gloriandi, eo quod aduersarius (verbi gratia) huius, vel illius, eum fecerit principi seculi huius esse subiectum per talia totq; peccata, per hoc illúdque delictum. Euenit autem interdum, vt si qui fuerit præparatus armatura Dei, & ex omni parte se texerit, conetur quidẽ aduersarius vulnus inferre, sed facultatem non habeat percutiendi. B Semper nobiscum aduersarius graditur, nunquam nos deserit, quærit occasionem insidiarum, si quo modo nos subuertere queat, vt in principali cordis nostri malam subiiciat cogitationem. Quando vadis ad principem. Quisnam iste princeps est? *Princeps.* Quando diuidebat altissimus gentes, quãdo dis- *Deut. 32.* seminabat filios Adam, statuit terminos nationum secũdum numerum angelorum Dei, & facta est portio domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israel. Igitur principibus, id est angelis, ab exordio terra diuisa est. *Dan. 10.* Daniel quippe manifestius quos Moyses angelos nominarat, principes esse testatur, dicens: Princeps regni Persarum, & princeps regni Græcorum, & Michael princeps gẽtium. Et vnusquisque nostrum secum habet aduersarium cohærentem, cuius opus est ducere nos ad principem, & dicere: O princeps, verbi gratia, regni Persarum, iste qui subter erat tibi, cum vt opus fuerat, custodiui: nullus enim de reliquis principibus ad se potuit transducere, ne ille quidem, qui ad hoc se venisse iactabat, vt de cunctis hæreditatibus Persarum, siue Græcorum, omniúmque nationum raperet homines, & hæreditate Dei faceret esse subiectos. Christus dominus noster omnes principes vicit, & terminos eorum transiens captiuos populos ad se transtulit in salutem. Et tu de parte alicuius principis eras, C venit Iesus & rapuit te de potestate peruersa, & Deo patri obtulit. Aduersarius ergo noster ambulat, ducens nos ad principem suum. Vnde ego credens omnia scripturarum verba habere rationẽ, non puto frustra iudicem apud Græcos, cum articulo positum, qui singularitatis significator est, principem vero sine articulo scriptum esse simpliciter. Quando vadis cum aduersario tuo. Signanter ait tuo. Neque enim omnes omnium sunt aduersarij, sed singuli singulos habent, qui vbique eos sequãtur, & sint comites. Quando vadis cum aduersario tuo ad principem. Non cum articulo principem posuit, ne certum videretur ostendere, sed sine articulo, vt è pluribus vnum esse monstraret: quod apud Græcos magis intelligitur. Vnusquisque enim nostrum, nõ habet proprium principem. Qui Syrus est, sub Syrorum principe est, & vnusquisque sub suo principe gentis est: si tamen hucusque processisse me sufficit, & ab hac disputatione ad aliam transire maiorem, vt ceteras quoque gentes etiam commemorem. *Rom. 11.* Vnde dicitur: Videte Israel secundum carnem. Prudenti cœpisse, dixisse est: licet & hoc in populo cœpisse sermonem. Qui te vult, inquit, ducere ad principem suum, & ab alio principe conducere, quando vadis cum aduersario tuo ad principẽ, in via da operam vt libereris ab eo. Nisi omni studio laboraueris, dum adhuc viam carpis, antequam ingrediaris ad principem, priusquam princeps tradat te iudici ab aduersario præparatum, postea frustra conaberis. Da ergo operam, vt libereris ab eo, siue à principe ad quem te trahit aduersarius. Da operam, vt habeas sapientiam, iustitiam, fortitudinem, atque temperantiam, & tunc cõplebitur: Ecce homo, opera eius ante faciem

suam. Nisi dederis operam, nõ poteris aduersarij pactum in- D fringere, cuius amicitia est in Deum. Quando vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da operam. Latitat in hoc loco nescio quid, & secretum est, in via da operam. Saluator ait: Ego sum via, veritas, & vita. *Ioan. 14.* Si dederis operam, vt libereris ab aduersario, esto in via: & cũ steteris in eo qui dicit: Ego sum via, stetisse non sufficit, sed da operam, vt libereris ab aduersario. Nisi dederis operam, vt ab aduersario libereris, quæ te sequantur ausculta. Trahit te ad iudicem aduersarius, siue princeps cũ te susceperit ab aduersario, trahit te ad iudicem. Quàm elegans verbum, trahit, vt ostendat quodammodo retractãtes, & nolẽtes ad cõdemnationem trahi, & ire cõpelli? Quis enim homicida concito gradu pergit ad iudicem? quis gaudens ad cõdemnationem suam ire festinat, & non inuitus trahitur, ac repugnans? Scit enim se ad hoc ire, vt sententiam mortis accipiat. Ne fortè trahat te ad iudicem. Quis putas iste *Iudex Christus.* iudex est? Ego nescio alium iudicem nisi dominum meum Iesum Christũ, de quo alibi dicitur. *Matt. 25.* Et statuet oues à dextris, hœdos autem à sinistris. Et iterum: Qui confessus fuerit me, cõfitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo eum coram patre meo qui in cœlis est. Trahat te ad iudicem, & iudex tra- E dat te exactori. Vnusquisque nostrũ per singula peccata damnum sustinet, & iuxta qualitatem rationemq; delicti, damni magnitudo reputatur. Debeo aliquod de scripturis afferre testimonium super damno, mulctaq; pecuniæ. Alius damnum sustinet quingentorum denariorum, & debet eos, alius quinquaginta denariis condemnatur: quæ summa ambobus à creditore cõceditur. Porrò alius, sicut scriptura dicit: Oblatus est *Matt. 18.* ei vnus qui debebat decem milia talẽta, decem milibus talentorum condemnatur. Et quid me necesse est plura persequi? Vnusquisque pro qualitate & quantitate peccati, diuersam mulctæ sententiam expendit. Si parũ est quod peccas, fieris damno minuti, vt Lucas scripsit, vt vero Mattheus, quadrãtis. Veruntamen etiam necesse est hoc ipsum quod extitisti debitor, soluere. Non enim inde exies nisi & minima quæq; persolueris. Qui vero fidelis est, nullo dãno percutitur, sed quotidie ditatur. Totus enim mũdus diuitiarum eius est. Infidelis autem nec obulũ habet. Alius damnatur denario, alius mna, alius talento. Et quæsitor huius negotij, qui mensuras vniuersorum nouerit peccatorũ. Hoc delictum talento condemnatur: illud peccatũ mulctam istiusmodi meretur. Scriptum est enim, Cum autem cœpisset facere rationem. Supputanda est F omnibus nobis gratia. Non est aliud tempus faciẽdæ rationis *Tẽpus reddendæ rationis.* nisi tempus iudicij, quando liquido cognoscetur quid nobis creditum est, & quid lucri, quídue detrimenti fecerimus, quis nostrum acceperit mnam, quis vnum talẽtum, quis duo, quis *Matt. 25.* quinque. Necesse non est plura indicare, cum hoc in commune dixisse sufficiat, reddituros nos esse rationem: & si debitores inuenti fuerimus trahi ad iudicem, & à iudice exactori tradi. Singuli exactores proprios habemus: omnis verò multitudo, pluribus traditur, secundum id quod in Esaia scriptum *Esa. 3.* est: Populus meus, exactores vestri spoliant vos, & qui potentes sunt dominantur vestri. Dominantur exactores, si debuerimus aliquid. Si autem habuerimus fiduciam, & fronte libera vixerimus, seruabo præceptũ libens: Reddite omnibus *Rom. 13.* debita, cui tributum, tributum: cui timorem, timorem: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem. Si omnibus vniuersa reddidero, venio ad exactorem, & intrepida mente respondeo, nihil tibi debeo. Venit exactor ad deposcendum, resisto ei. Scio enim quod si nihil debuero, in me non habet potestatẽ. Quod si debitor fuero, mittet me exactor meus in carcerem, illo ordine qui prædictus est. Aduersarios enim me ducit ad principem, princeps ad iudicem, & iudex tradet me exactori, & exactor mittet in carcerem. Quæ est lex carceris istius? Non egredior ex eo, neq; me exactor patitur exire, nisi debitum omne persoluero. Non habet exactor potestatẽ, vt mihi saltem quadrantem, vel minimam portionẽ valeat concedere: unus est, qui debitoribus non habentibus vnde persoluant, potest concedere. Accessit, inquit, ad eum vnus qui debebat quingentos denarios, & alius quinquaginta: & cum *Luc. 7.* non haberent vnde redderent, ambobus donauit. Qui donauit, dominus est: iste vero qui exactor est, non est dominus,

G sed à domino ad exigenda debita præpositus. Non fuisti di-
gnus vt tibi quingenti, siue quinquaginta denarij donaren-
tur, nec audire meruisti, dimissa sunt tibi delicta tua: sed mit-
teris in carcerem, & ibi exigeris per laborem & opera, siue
per pœnas atque supplicia, & non inde exies nisi reddideris
quadrantem, vel nouissimum minutum, quod Græcè tenuè
λεπτός. dici potest. Peccata autē nostra pinguia sunt. Scribitur enim:
Incrassatum est enim cor populi huius. Aut comparatione
maioris, tenue atque subtile. Beatus est igitur, primum qui
non peccat, secundo vt in collatione aliquis saltem tenue
peccatum habeat. Et inter ipsa quoque tenuia atque subtilia,
est diuersitas peccatorum. Nisi esset pecunia subtilis, nun-
quam diceretur: Non exies inde, donec reddas nouissimum
quadrātem. Quomodo sine pecunia diceret nouissimum mi-
nutum, quod est denarius, siue nummus, siue obolus, vel sta-
Matt. 18. tera. Quod si magnam pecuniam debuerimus, sicut ille qui
scribitur decem millia talenta debuisse, quāto tempore clau-
damur in carcere donec reddamus debitum, non possum
manifestè pronunciare. Si enim qui parum debet, non e-
greditur nisi exoluat minutum quadrantem: vtique qui
H tanto debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum de-
bitum secula numerabuntur. Quapropter debemus ope-
ram, vt liberemur ab aduersario, dum sumus in via, & iun-
gamur domino Iesu: Cui est gloria & imperium in secula se-
culorum, Amen.

De eo quod scriptum est: Qui voluerit animam suam saluare, perdet eam, vsque ad eum locum vbi ait: Regnum Dei intra vos est. Homilia XXXVI.



Luc. 17. Vi quæsierit, inquit, animam suam saluare,
perdet eam: & qui perdiderit eam, saluabit
eam.] Martyres quærūt saluare animam suam:
propterea perdunt, vt saluent eam. Qui verò
volunt saluare animam suam, vt non perdant
eam, hi & corpus & animam perdunt pariter in gehennam.
Quamobrem nolite timere eos, ait, qui possunt corpus oc-
cidere, sed timete magis eum qui potest animam & corpus
perdere in gehennam. Hoc ad propositum, iuxta vires in-
1 Cor. 2. genij nostri breuiter diximus. Animalis autem non reci-
1. Cor. 15. pit ea quæ sunt spiritus, & idcirco saluari non potest. Se-
minatur corpus animale, surgit corpus spiritale. Porrò qui
adhæret domino, spiritus vnus efficitur. Si ergo qui do-
mino copulatur, cum animalis esset per id in spiritalem ver-
titur, & vnus est spiritus: nos quoque perdamus animam
nostram, vt adhærentes domino in vnum spiritum trans-
I formemur. Sed & de regno Dei interrogatus, respondit
Luc. 17. Saluator Pharisæis: Quando venerit, inquit, non venit re-
De regno Dei & peccati. gnum Dei cum obseruatione, neque dicunt, ecce hîc, aut
ecce ibi. Regnum enim Dei intra vos est. Non omnibus Sal-
uator dicit, regnum Dei intra vos est: siquidem in peccato-
ribus regnum peccati est, & absque vlla ambiguitate, aut re-
gnum peccati, aut regnum Dei in corde nostro imperat.
Vnde siue quæ facimus, siue quæ loquimur, siue quæ cogita-
mus contemplemur attentius, & tunc videbimus vtrum Dei
imperium regnet in nobis, an imperium delictorum. Quam
diuersitatem sciens apostolus, quosdam commonet, dicens:
Rom. 6. Non regnet peccatum in mortali vestro corpore. Si quis no-
strum desiderat regnum Dei, regnatur ab eo. Si quis auaritiæ
ardore cruciatur, regnatur ab auaritia. Porrò qui iniustitiam
reginam habet, regnatur ab ea. Quis vanæ gloriæ ambitione
sustollitur, regnat ei aura popularis. Quis mœret, qui aliquid
reformidat, qui amat, qui desiderat, imperant ei singula, pro-
ut perturbationibus variis possidetur. Quæ omnia cogno-
scentes, & quàm multa sint genera regnorum surgamus, pre-
cemúrque Deum, vt auferat à nobis regnum inimici, & pos-
simus sub regno esse Dei omnipotentis, id est sub regno sa-
pientiæ, pacis, iustitiæ, veritatis, quæ cuncta in vnigenito Dei
filio intelliguntur, cui est gloria & imperium in secula secu-
lorum, Amen.

De eo quod à discipulis pullus asinæ solutus est. Homilia XXXVII.

LECTVM est in Euangelio secūdum Lucam, K
quomodo cum venisset Saluator Bethphage, & Luc. 19.
Bethaniam, iuxta mōtem oliueti, miserit duos
è discipulis suis, vt soluerent pullum asinæ, qui
vinctus erat, & super quem nullus hominum
aliquando sederat. Quod quidem mihi videtur magis ad al-
tiorem intelligentiam, quàm ad simplicem historiam perti-
nere. Asinus vinctus erat. Vbinam? Contra Bethphage, & Allegoria.
Bethaniam. E quibus Bethania interpretatur domus obe-
dientiæ, Bethphage verò domus maxillarum, sacerdotalis
quidam locus. Maxillæ enim sacerdotibus dabantur, sicut in
lege præcipitur. Illuc ergo vbi obedientia, vbi locus sacer-
dotibus mancipatus, mittit Saluator discipulos suos, vt sol-
uant pullum asinæ super quem nullus hominum aliquando
sederat. Porrò quid aliud super asinum sedere potest absque
homine? Volo paulisper exemplum sumere, vt quod dictu-
rus sum, possit intelligi. Scriptum est in Esaia. Visio quadru- Esa. 30.
pedum in tribulatione & angustia, & reliqua, vsque ad eum
locum vbi ait: Non proderunt eis diuitiæ aspidum. Vnusquis-
que nostrum consideret quantas opes aspidum ante porta-
uerit, quantas diuitias bestiarum, & quomodo nunquam ra-
tionabilis homo sederit super asinum nostrum, non sermo
Moysi, non Esaiæ, non Hieremiæ, nec reliquorum omnium
prophetarum: & videbit tunc sedisse super nos sermonem
Dei atque rationem, quando venit dominus Iesus, & præce-
pit discipulis suis, vt euntes soluerent pullum asinæ, qui prius L
vinctus fuerat, vt liber incederet. Solutus itaque pullus asinæ
adducitur ad Iesum, ad cuius solutionem mittens discipulos
dixerat: Si quis vos interrogauerit quare soluitis pullum, di-
cite ei quia dominus necessarium illum habet. Multi erant
domini huius pulli antequam Saluator eum haberet necessa-
rium: postquam verò ille cœpit esse dominus, plures domini
esse cessauerunt. Nemo enim potest Deo seruire & mammo-
næ. Quando malitiæ seruierimus, multis sumus passionibus
vitiísque subiecti. Soluitur ergo pullus, quia dominus neces-
sarium eum habet. Vos estis pullus asinæ, quid vestri filius
Dei necessarium habet? quid à vobis expetit? Salute ve-
stra opus habet, cupit vos solui vinculis peccatorum. Deinde Vincula
mittunt discipuli vestes suas super asinum, & sedere faciunt peccatorū.
Saluatorem. Assumunt sermonē Dei, & imponunt eum super
animas auditorum. Vestibus exuuntur, substernunt eas in via.
Super nos sunt vestimenta apostolorum: opera eorum bona,
ornaméta nostra sunt: volunt apostoli induméta sua calcari à
nobis. Et reuera solutus à discipulis asinus, & portans Iesum,
incedit super vestiméta apostolorum, quando doctrinam eo- M
rum imitatur & vitam. Quis nostrum ita beatus est, vt sedeat
super illum Iesus? Qui quamdiu in monte fuit, cum suis apo-
stolis morabatur: quando verò cœpit vicinus esse descensui,
tum occurrit ei turba populorum. Si non venisset ad descen-
sum, non ei poterat occurrere multitudo. Descēdit, sedítque
super pullum asinæ, & omnis populus voce cōsona laudabat
Deum. Quod Pharisęi vidētes, dicebāt domino: Increpa eos.
Quibus ille respōdit: Si isti tacuerint, lapides clamabūt. Quā-
do nos loquimur, lapides silent: quando nos tacemus, lapides
clamant. Potest enim dominus de lapidibus istis suscitare fi- Matth. 3.
lios Abrahæ. Quo tempore nos tacebimus? Quando refri-
xerit charitas multorum, quando illud quod à Saluatore prę-
dicatum est, fuerit impletum: Putas veniens filius hominis in-
ueniet fidem super terrā? Propterea domini misericordiam
deprecemur, ne nobis tacētibus lapides clament, sed loqua-
mur, & laudemus Deum in patre, & filio, & spiritui sancto:
Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De eo quod scriptum est: Cum autem appropinquasset, vidit ciuitatem, & fleuit super eam, vsque ad eum locum vbi ait: Eiecit omnes vendentes columbas. Cap. XIX. Homilia XXXVIII.



VM appropinquasset Hierusalē dominus noster,
videns eam fleuit, & dixit: Si cognosceres & tu in
die ista quæ ad pacē sunt tibi, nunc autē abscon-
dita sunt ab oculis tuis, quoniā veniēt dies super
te, &

A te, & circũdabunt te inimici tui vallo.] Sacramenta sunt quæ dicuntur, & speramus pandente Deo aperire posse quod *Matt.21.* latitat. Primum ergo de fletu eius videndum. Omnes beatitudines quas locutus est in euãgelio Iesus, suo firmat exemplo; & quod docuit per testimonio probat. Beati, inquit, mites. Huic simile est de semetipso: Discite à me, quoniã mitis sum. Beati pacifici. Et quis alius ita pacificus vt dominus meus Iesus, qui est pax nostra, qui soluit inimicitiã, & in sua eam carne dissoluit? Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam. Nemo sic persecutionem passus est propter iustitiam vt dominus Iesus, qui pro peccatis nostris crucifixus est. Omnes igitur beatitudines in semetipso dominus ostẽdit. Ad quam similitudinẽ etiam illud quod dixerat, Beati flentes, ipse fleuit, vt huius quoque beatitudinis iaceret fundamenta. Fleuit autem super Hierusalem, dicens: Si cognouisses & tu in die ista quæ ad pacem sunt tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, & reliqua, vsquam ad eum locum vbi ait: Eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Dicat aliquis auditorum: Manifesta sunt quæ dicuntur, & opere completa de Hierusalem. Circundedit enim eam Romanus exercitus, & ad internecionem vsque vastauit, tempúsque veniet quando lapis super lapidem non relinquetur super eam. Non nego &
B illam quidem Hierusalem propter habitatorum scelera fuisse *Allegoria.* destructam, sed quæro si & ad hanc nostram Hierusalem fletus iste pertineat. Nos enim sumus Hierusalem quæ defletur, qui nobis videmur intuitum habere maiorem. Quod si post mysteria veritatis, post sermonem euangelij, post doctrinam ecclesiæ, post visionem sacramentorum eius, aliquis è nobis peccauerit, plangitur, atque fletur. Nemo enim gentilis fletur, sed ille qui fuit de Hierusalem, quod post peccata circundant eam inimici, contrariæ videlicet fortitudines, spiritus nequam, & immittant in circuitu eius vallum, & obsideant eam, & lapidem super lapidem non relinquant: maximè si post multam continentiam, post aliquot annos castitatis victus quis fuerit, blandimentisque carnis illectus patientiam pudicitiámque amiserit. Si fueris fornicatus, lapidem super lapidem non relinquent super te. Ait *Ezech.18.* enim in alio loco. Non recordabor priorum iustitiarum eius: in peccato suo in quo deprehensus fuerit, in ipso iudicabo eum. Hæc est ergo quæ defletur Hierusalem. Post quæ dicitur: Ingressus est templum. Quod cum fuisset ingressus, eiecit, eos qui vendebant columbas.] Non eiecit emptores, qui enim emunt, & non emerint possident. Illos eiecit de templo patris Iesus, qui vendunt & abiiciunt quod habuerant: in similitudinem illius luxuriosi filij, qui substantiam
C suam accepit à patre, & vniuersa perdidit nimiè potando. *Luc.15.* Si quis ergo vendit, eiicitur, præcipuè si vendebat columbas. Quare alias aues non posuit nisi columbas? Hoc animal simplex est, & decorum. Vereor ne & in nobis vitium istiusmodi deprehendatur. Si enim ea quæ mihi à sancto spiritu reuelata sunt & credita, vt in vulgus efferrem, precio vendidero, & absque mercede non docuero, quid *Columbas* aliud facio nisi columbas, id est, spiritum sanctum vendo? *qui vẽdãt.* Quem cum vendidero, eiicior de templo Dei. Quapropter rogemus dominum, vt omnes emamus potius quàm vendamus. Si enim non vendiderimus, cognoscimus & intelligimus salutem nostram: alioquin inimici circumdabunt vrbem nostram. Quod si semel nos exercitus hostilis cinxerit, lachrymas Dei non merebimur. Surgamus ergo diluculo, & obsecremus dominum, vt saltem micas quæ de *3.Reg.10.* mensa eius cadunt, comedere possimus. Miratur scriptura reginam Saba venisse ab extremo terræ audire sapientiam Salomonis: quæ cum vidisset prandium, & supellectilem, & ministeria domus eius, obstupuit, & tota in miraculo fuit. Nos si tantas domini nostri opes, tantam sermonis supellectilem, & abundantiam doctrinarum non libenter amplectimur, si non comedimus panem vitæ, si non carnibus Christi vescimur, & cruore potamur, si contemnimus dapes Saluatoris nostri, scire debemus quod habeat Deus & benignitatem, & seueritatem. E quibus benignitatem eius magis orare debemus, in Christo Iesu domino nostro. Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Orig.tom.2.

D *De quæstione Sadducæorum quam proposuerant domino, mulieris eius quæ septem viros habuit. Et rursus de denario quem sibi saluator iussit ostendi. Cap. XX.*

Homilia XXXIX.



EST hæresis in Iudæis quæ dicitur Sadducæorum, hæc resurrectionem mortuorum negat, & putat animam interire cum corpore, nec post mortem vltra respirare. Igitur quæstionem domino proponentes, composuerunt fabulam mulieris septem virorum, quæ post primum virum ad resuscitandum semen prioris alterum duxerit: quo mortuo, tertium quoque, & rursum quartum: atque in hunc modum ad septimum vsque peruenerat. Quæritur ergo in resurrectione mortuorum quis eam sibi è septem fratribus sit vendicaturus vxorem. *Hæresis Sadducæorum.* Hoc autem problema insidiantes verbis Saluatoris eo tempore proposuerunt, quo eum viderant de resurrectione docere discipulos. Quibus respondens Saluator, ait: Erratis, nescientes scripturas neque virtutem Dei. In resurrectione enim mortuorum, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli in cœlis.] Qui erunt sicut angeli, vtique angeli erunt. Simúlque discendum quod angeli connubia non habeant. Hic vero vbi mors, & nuptiæ, & liberi necessarij sunt: vbi immortales, nec coniugio opus est, nec E filiis. Proponam mihi quæstionem valde molestam, & quæ non facile soluitur, ex persona eorum qui studiosissimi scripturarum sunt, & die ac nocte meditantur in lege domini. *Psal.1.* Vbi inquiunt scriptum est, quia neque nubent, neque nubentur? Tam vetus quàm nouum Testamentum memoria ac mente perlustrans, nusquam memini tale quid relatum. Quod si fortè me fallit, qui plus nouit doceat. Libenter disco quod nescio. Sed quantum ego existimo, nec in veteri, nec in nouo instrumento quicquam tale reperies. Omnis ergo eorum error, de prophetica quam non intelligunt lectione surrexit: è quibus illud est in Esaia, Lecti mei non habebunt liberos in maledictionem: & in Deuteronomio in be- *Esa.65.* nedictionibus: Benedicti filij vteri tui. Et putant hæc futu- *Deut.28.* ra in resurrectione, non intelligentes spiritales benedictiones esse prædictas. Paulus enim vas electionis omnes has benedictiones quæ ponũtur in lege, spiritaliter interpretans, & *Benedictiones spirituales.* sciens non esse carnales, ad Ephesios loquitur: Benedictus *Ephes.1.* Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, cum à mortuis resurgentes æternam beatitudinem consequeremur. Sed & in psalmis simile quid reperientes, eodem labuntur errore, Vxor, inquit, *Psal.127.* tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ: vsque ad eum F locum vbi ait: Benedicat te dominus ex Sion, & videas quæ bona sunt Hierusalem. Ergo cum instructa fuerit Hierusalem & instaurata in antiquum statum, tunc visurus est bona quæ scriptura commemorat. Qui spiritaliter intelligunt Hierusalem, & de ea dici sciunt quæ cœlestis est, quæ sursum est, *Gal.4.* quæ est mater nostra: videbunt bona illius de quibus sæpe diximus, & id quod nunc de psalmo posuimus: Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Quæ omnia corporaliter intelligentibus Sadducæis, qui erant portio Iudæorum, dicit Saluator: Nescitis scripturas, neque virtutem Dei. Hæc de quæstione quam Sadducæi domino proposuerunt, breuiter dicta sint. Porrò quia adiectum est de imagine Cæsaris, etiam super hoc debemus pauca perstringere. Putant quidam à Saluatore dictum esse simpliciter: Reddite quæ sunt Cęsaris, Cęsari, id est, tributum reddite quod debetis. Quis enim nostrum de tributis reddendis Cęsari contradicit? Habet igitur locus quiddam mystici atq; secreti. Duę sunt imagines hominis: vna quam accepit à Deo factus in principio, sicut in Genesi scriptum est, Iuxta imaginem & similitudi- *Gen.1.* nem Dei: altera Choici, id est terreni, postquam propter in- *Duæ hominis imagines.* obedientiam atque peccatum eiectus de paradiso assumpsit eam, principis seculi huius suasus illecebris. Sicut enim nummus atque denarius habet imaginem Imperatorum mundi, sic qui facit opera rectoris tenebrarum istarum, portat imaginem eius cuius habet opera, Quam præcepit Iesus esse red-

G dendam & proiiciendam de vultu nostro, assumendámque eam imaginem, iuxta quam à principio ad similitudinem Dei conditi sumus. Atque ita fit vt quæ Cæsaris sunt Cæsari, & quæ Dei, reddamus Deo. Ostendite, inquit, mihi nummum.] Pro quo in Matthæo scribitur denarius. Quem cum accepisset, ait: Cuius scriptionem habet? Qui respondētes, dixerunt: Cæsaris. Ad quos rursum: Reddite ergo, inquit, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.] Quorum consequentiam & Paulus locutus est, dicens: Sicut portauimus imaginem choici, portemus & imaginem cœlestis. Quod ergo ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, hoc dicit: deponite personam choici, abiicite imaginem terrenam, vt possitis vobis personam cœlestis imponentes, reddere quæ sunt Dei Deo. Repetit nos Deus. Quidnam repetit? Lege Moysen. Et nunc quid dominus repetit à te? Et reliqua quæ sequuntur. Postulat igitur à nobis Deus, & deprecatur, non quia necessarium habet aliquid vt ei tribuamus: postulat vt postquam ei dederimus idipsum tribuat in salutem. Quod vt manifestius fiat, ponam parabolam mnarum. Qui vnam acceperat mnam & fecerat decem, & obtulit domino à quo sibi credita mna fuerat, accepit & aliam quam antea non habebat. Illius enim mnam qui non multiplicauerat quod accepit, iubet dominus auferri, & dari ei qui altas habet. Tollite, inquit, mnam, & date ei qui habet decem mnas. Atque in hunc modum quæ dederimus Deo, nobis ea ipsa restituet cum his quæ ante non habueramus. Exigit & postulat à nobis Deus vt habeat occasionem donandi, vt ipsi tribuat qui erogauit. Ipsius enim gratia duplicata est mna, & dignis quibusque plus datum est quàm sperabant. Quapropter surgentes oremus Deum, vt digni simus offerre ei munera quæ nobis restituat, & pro terrenis cœlestia largiatur, in Christo Iesu. Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen. K

1. Cor. 15.

COMMENTARIORVM ORIGENIS ADAMANTII IN EVANGELIVM IOANNIS.

TOMVS PRIMVS.

PRÆFATIO.



H *De populi Dei ordinibus & sacerdotio.*

QVEMADMODVM qui olim populus Dei cognominabatur, in duodecim tribus, ordinémque Leuiticum diuisus erat, cùm cæteras tribus honore præstantem, tum etiam Deum pluribus ordinibus sacerdotalibus, & Leuiticis colētem, ita meo iudicio quisquis fuerit Christi populus, iuxta interiorem cordis hominem, scilicet in occulto Iudæus, & spiritu circuncisus, tribuum ipsarum proprietates habet, idque sacratius (vt ab Ioanne ex Apocalypsi apertius possumus discere) cum nec reliqui Prophetæ, iis, qui sciunt audire, talia reticuerint. Sic autem inquit Ioannes. Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem sigillum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus suis. Et audiui numerum signatorum: centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israël: Ex tribu Iuda duodecim millia signati: Ex tribu Ruben, duodecim millia signati. Cúmq; cæterarum tribuum diuisionem fecisset, Tribu Dan omissa, deinceps post plura subiungit. Et vidi, & ecce agnus stans, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentia nomen eius, & nomen patris sui scriptum in frontibus suis. Et audiui vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni. Et vocem audiui citharœdorum citharizantium citharis suis, & cantant quasi canticum nouum ante sedē, & ante quatuor animalia, & seniores, & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quòcunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitię Deo, & Agno, & in ore eorum non est inuentus dolus. Sine macula enim sunt ante thronum Dei. Quòd autem hæc dicantur apud Ioannem de his, qui crediderunt in Christum, qui etiam ipsi sunt ex tribubus, etiam si corporale ipsorum genus ad semen Patriarcharum non videatur referri, hunc in modum colligere possumus. Nolite, inquit, nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque Dei nostri seruos signauerimus in frontibus suis. Et audiui numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israël. Cum igitur qui signantur ex omni tribu filiorum Israël in frontibus suis, cētum quadraginta quatuor millia sint numero, & hi centum quadraginta quatuor millia virgines existentes, & cum mulieribus non inquinati, in sequentibus apud Ioannem nomen Agni, & patris eius in frontibus suis scriptum habere dicantur: Quodnam aliud esse poterit sigillum frontibus ipsorum impressum, quàm nomen Agni, & nomen patris eius? cum vtrisque in locis, frontes, alicubi quidem sigillum, alicubi vero literas, nomen Agni, & nomen patris eius continentes, habere dicantur? Quin etiam, si hi qui sunt ex tribubus, iidem sunt cum virginibus, vt antea ostendimus, pauci autem sunt ex Israël secundum carnem, qui credant: vt fortassis ausit quis dicere, ne numerum quidem centum quadraginta quatuor millium compleri ex credentibus, qui sint ex Israële secundum carnem, perspicuum est eos, qui ex gentibus diuino adhæserunt verbo, constituere illa cētum quadraginta quatuor millia eorum, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: adeo vt non sinamus à veritate aberrare dicentem, Primitias cuiusque tribus esse virgines ipsius. Nam subiungitur, hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno, & in ore eorum non est inuentum mendacium, irreprehensibiles enim sunt. Non est autem ignorandum, sermonem de centum quadraginta quatuor millibus virginum anagogicam interpretationem recipere, superfluum vero æquè tunc, atque ab instituta disputatione alienum est, prophetarum testimonia apponere, idem de iis, qui ex gentibus crediderunt, nos docentia. Atqui, quid hæc omnia sibi velint, dices, in hæc scripta incidens ô Ambrosi, verè homo Dei, & homo in Christo, & qui pro virili contendis esse spiritualis, nec amplius homo: audi igitur. Alij quidem sunt ex tribubus, qui decimas, & primitias offerunt Deo per Leuiticos sacerdotes, cum tamen ipsi nullis fruantur decimis, aut primitiis. Leuitæ verò, & sacerdotes in omnibus decimis fruentes, & primitiis, Deo decimas, atque etiam (vt opinor) primitias offerunt per Pontificem: Eodem modo, complures ex nobis, qui ad Christi disciplinam accesserunt, maiori ex parte in tuenda vita occupati, paucas actiones Deo offerentes, fortasse sunt iis similes, qui ex tribubus parum communicant cum sacerdotibus, & paucis cultores Dei nutriunt. Qui verò diuino dicati sunt verbo, & in solo Dei cultu syncere, legitiméque immorantur, Leuitæ, Sacerdotésque vocari poterunt, iuxta differētiam eorum motuū & actionū, quę huc, & illarum, quę illuc spectant. Fortassis autē prętantes, atque proximi progenitoribus nobilitatis suę, summi sacerdotes erunt, iuxta Aaronis ordinē non iuxta ordinē Melchisedech. Quod si quis obiciat, nos minus in hoc piè sentire, quod summi sacerdotis nomē ad homines redigimus, quoniam sæpe Iesus magnus sacerdos à Prophetis

Apoc. 7.

Apoc. 14.

I

L

Apoc. 14.

M

Summi sacerdotis nomen ad homines redactum.

Heb. 4.

A tis vocatur: Habemus enim inquit sacerdotem magnum, qui cœlos penetrauit, Iesum filium Dei. Huic respondendum est, Apostolum id notasse, cum diceret prophetam de Christo locutum fuisse, cum inquit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron, à quo & nos sumentes, dicimus fieri posse, vt homines iuxta Aaronis ordinem, sint summi sacerdotes, cum iuxta ordinem Melchisedech, sacerdotem esse ad Christum Dei filium pertineat. Toto itaque ordine vitæ, atque nostro instituto Deo dicato, quoniam ad præstantiora magno studio contendimus, eopientibúsque nobis primitias ipsas omnes multarum primitiarum habere, nisi hic existimantes decipimur, quænam aliæ nobis primitiæ præstantiores esse debuerunt, posteaquam mutua corporis consuetudine seiuncti sumus, quam instituere de Euangelio disputationem? Etenim audendum est dicere, omnium scripturarum primitias Euangelium esse. *Scripturarum primitia Euangelium.* Ex quo igitur tempore Alexandriam peruenimus, quásnam alias esse oportuit nostrarum actionum primitias, quam in scripturarum primitiis? Sed sciamus necesse est, non idem esse ἀπαρχὴν quod est, si interpreteris, primitiás, & πρωτογέννημα quod sonat primam genituram. Siquidem post omnes fructus dedicatur ἀπαρχὴ, hoc est primitię, ante omnes vero fructus πρωτογέννημα, hoc est, prima genitura. Proinde haud equidem quis aberrabit, si ex B omnibus scripturis, quæ in omnibus ecclesiis, & feruntur, & creduntur esse diuinæ, Moysis legem dixerit πρωτογέννημα quasi primam genituram: Euangelium verò ἀπαρχὴν id est primitias. Quandoquidem post omnes prophetarum fructus, qui fuerunt vsque ad dominum Iesum, perfectus ille sermo germinauit. Quòd si propter interpretationem datam τῆς ἀπαρχῆς hoc est, primitiis, reclamet aliquis dicés: Rursum post Euangelia circunferri etiam tùm acta, tùm epistolas Apostolorum, & idcirco hoc minus verum esse, quod superius de hoc vocabulo tradidimus, nempe Euangelium totius scripturæ ἀπαρχὴν, hoc est, primitias esse: huic primum dicendum est, eorum, qui in Christo sunt sapientes, quique adiumentum ob prædictas epistolas afferentes opus habere testimoniis in lege, ac prophetis positis, quò fidem sibi concilient, mentem esse, vt Apostolica scripta sapientiæ plena quidem, & irreprehensibilia, & valde certa esse dicant, haud tamen similia huic dicto. Hæc dicit dominus omnipotens. Et hanc ob causam, inspice complectatur necne suas epistolas Paulus, cum dicit: *1.Tim.3.* Omnis scriptura afflatu prodita vtilis est: Et cum ait: Dico ego, non dominus: & illud: Sic in omnibus ecclesiis ordino. *1.Cor.7.* Itémque qualia passus sum Antiochiæ, Iconij, Listris, & his similia, interdum ab ipso scripta, & iuxta potestatem, non tamen secundum accuratam synceritatem sermonum qui sunt ex diuina inspiratione. Deinde huic etiam ostendendum est C veterem scripturam non esse Euangelium: quæ venientem non ostendit, sed prænunciat: omnem vero nouam Euangelium esse, quę non solum (vt in Euangelij initio scriptum est) *Ioan.1.* ait: Ecce Agnus dei, ecce qui aufert péccatum mundi, verum etiam, quæ varias opiniones, doctrinásque continet eius, per quem Euangelium est Euangelium. Præterea si Deus posuit in ecclesia Apostolos, & Prophetas, & Euangelistas, pastorésque, & Doctores, *Ephe.4.* cum accuratè examinauerimus, quodnam sit Euangelistæ officium, & inuenerimus pertinere ad eum, *Ioan.9. & 11.* non semper enarrare, quonam pacto Seruator cæcum à natiuitate sanauerit, fœtentem mortuum excitarit, vel aliquid supra hominum opinionem fecerit: non dubitamus affirmare aliquo modo Euangelium esse, quæ scripserint Apostoli cum ad Euangelistæ munus attineat, adhortatoria etiam oratione fidem iis, quæ de Iesu tradita sunt, sequirere. *Euã epistolæ apostolorum euãgelium nomin.* Quantum verò attinet ad hoc, quod secundo loco tradidimus, si obiecerit aliquis, quod minus probè nominauerimus totum Testamentum nouum Euangelium, eo quòd Euangelij inscriptionem non habeant epistolæ: huic dicemus, scripturas à nobis frequẽter duas, vel plures eodem vocabulo nuncupari, etiam si magis propriè vni earum illud attribuitur. Verbi gratia, dicente Seruatore: Ne vocetis magistrum super terram, inquit Apostolus, magistros in ecclesia ordinatos fuisse. Num erunt ergo hi magistri secundum exactam intelligentiam vocis huius Euangelij: Sic etiam non erit Euangelium, qualiscunque

Orig.tom.2.

tandem illa fuerit scriptura, quæ sub nomine epistolarum D fuerit, si conferatur cum scriptura, quæ actiones, passiones, sermonésque Iesu contineat. Attamen totius scripturæ primitiæ est Euangelium, actionúmque omnium, quæ ex animi sententia nobis cessuræ sunt, primitias facimus in primitiis Euangelij. Arbitror verò ego etiam si quatuor sint Euangelia, *2.Cor.5.* velut elementa fidei ecclesiæ, ex quibus elementis totus constat hic mundus, Deo per Christum reconciliatus (sicut inquit Paulus) Deus erat in Christo, mundum sibi reconcilians, cuius mundi peccatum sustulit Iesus: (De mundo enim ecclesiæ sermo ille est scriptus, Ecce Agnus Dei, qui aufert peccatum mundi,) *Ioan.1.* Euangeliorum primitias Euangelium esse Ioannis, nobis propositum, cuius sensum pro virili nostra iussi sumus abs te inuestigare. Idque arbitror considerans genealogiam recentem, & incipientem ab eo, qui genealogia caret. Nam Matthæus quidem cum scriberet Hebræis, qui venturum ex Abrahamo, & Dauide expectabant, Liber, inquit, generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. *Matt.1.* Marcus verò sciens id quod scribit, initium enarrat Euangelij, *Mar.1.* fortassis quod inueniamus finem ipsius apud Ioannem, qui in principio verbum Deum fuisse, inquit. Lucas etiam cum dixisset. *Luc.3.* † Sed nimirum maiores, perfectiorésque de Iesu sermones reseruat ei, qui supra pectus Iesu recubuit. Nullus enim illorum adeò pure manifestauit illius diuinitatem, vt Ioannes, quippe qui inducat illum dicentem: Ego sum E lux mundi: Ego sum via, veritas & vita Ego sum resurrectio. *Io.8.& 14* Ego sum ostium. Ego sum pastor bonus, & in Apocalypsi, *Ioan.10.* Ego sum α & ω. Principium & finis, primus & nouissimus. *Apoc.1.* Audeamus igitur dicere primitias scripturarum omnium Euangelium esse, Euangeliorum verò primitias, Euangelium à Ioanne traditum: cuius sensum percipere nemò potest, nisi qui supra pectus Iesu recubuerit, vel acceperit à Iesu Mariam, *Ioan.19.* quæ etiam ipsius mater fiat: adeo talem, tantúmque esse necesse est, qui Ioannes alius sit futurus, vt quemadmodum Ioannes, eidem etiam & iste à Iesu Iesus existere ostendatur. Nam si nullus est Mariæ filius, iudicio eorum, qui de ipsa sanè senserunt, præterquàm Iesus: dicítque Iesus matri: Mulier ecce filius, & non ecce etiam hic est filius tuus: perinde est, ac si dixisset, ecce hic est Iesus, quem genuisti. Etenim quisquis perfectus est, non amplius viuit ipse, sed in ipso viuit Christus, Cúmque in ipso viuat Christus, dicitur de eo Mariæ: ecce filius tuus Christus: Quid ergo attinet dicere, quanta nobis opus sit mente, vt in testaceis abiectæ literæ thesauris reconditum verbum dignè valeamus interpretari? Præsertim cum litera passim à quibusuis legatur, verbúmque per vocem sensibile audiatur ab omnibus, qui auditum præbent corporalem? Qui enim hæc accuratè apprehensurus sit, vere is dicat, oportet: Nos autem Christi sensum habemus, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Quòd verò omne testamentum no- F uum sit Euangelium, adduci possumus ad credendum ex his, *1.Cor.2.* quæ Paulus dicit: quando alicubi scribit, secundum Euangelium meum. *Rom.2.* Inter scripta enim Pauli, nullus extat liber, qui vocari Euangelium consueuerit. Sed quicquid vel prædicauit, vel dixit, est Euangelium, quæ vero prædicauit, & dixit, hæc etiam scripsit, ergo ex his colligitur ipsius scripta Euangelium esse. Quòd si Pauli scripta sunt Euangelium, profectò idem censendum est de Petri etiam scriptis, & vt in vniuersum loquar, omnia quæ ipsius Christi confirmant aduentum, & quæ stabiliunt præsentiam illius, quæque inducunt ipsam in animos cupientium suscipere Dei sermonem, stantem pro foribus, & pulsantem, & ingredi volentem in animas, sunt Euangelium. Sed tempus iam est accuratius exquirere, quid vox Euangelij significet, & quare hi libri inscriptionem hanc habeant. Est igitur Euangelium oratio, quę bonam & conuenientem rationi rerum annuntiationem continet, quæ lętum reddunt auditorem propter vtilitatem, simulátque ab ipso admissa fuerint, quæ nuntiantur. *Quid euangelium.* Nec vero minus talis oratio est Euangelium, quamuis ex habitu audientis perpendatur. Vel Euangelium oratio est, continens boni præsentiam cuicunque credenti. Vel, oratio affirmans adesse bonum, quod expectabatur. Omnes autem, quas prædiximus, diffinitiones iis conueniunt, quæ inscribuntur Euangelia. Vnumquodque enim Euangelium continens res nunciatas vtiles

o iij

G credenti, ei qui à se illud non reiecerit, cum pro suo iure afferat vtilitatem, iure optimo etiam lætitiam affert dicens salutarem aduentum ad homines, & propter homines primogeniti omnis creaturæ, nempe Iesu Christi. Quin etiam *Iudicia aliorum de Messia.* quod Euangelium vnumquodque sit oratio, docens bona patris in filio aduentum ad volentes eum excipere, credenti cuilibet perspicuum est. Quòd autem expectatum etiam bonum, per hos libros promittitur, non est obscurum. Totius namque populi ferè ore loquens Baptista Ioannes in legatione ad Iesum missa ait: *Matt. 11.* Num tu es ille venturus, an alium expectamus? Expectatum enim à populo bonum, Iesus erat: de quo prophetis annuntiantibus, etiam è vulgo quilibet homines qui sub lege, & prophetis erant, in eo spem habebant. *Ioan. 4.* Samaritide illa hoc testante, atque dicente: Noui quòd Messias venit, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit ille, nobis nunciabit omnia. Quin & Simon, & Cleophas inter se sermones conferentes de omnibus, quæ ipsi Iesu Christo, qui resurrexerat, accidissent, nondum ipsum è mortuis excitum fuisse credentes inquiunt: *Luc. 24.* Tu solus peregrinus es Hierosolymis, neque cognouisti quæ facta sunt illic his diebus? cúmque ille dixisset, quæ? responderunt de Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, & potens opere & sermone coram Deo, & toto populo, & quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes, & principes nostri in condemnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, cum esse illum, qui redempturus esset Israël. *Ioan. 1.* Ad hæc Andreas frater H Simonis Petri, reperto fratre suo Simone dicit: Inuenimus Messiam, quod est, si interpreteris Christus. Cúmque paulò *Ioan. 1.* post Philippus reperisset Nathanaëlem, dicit illi: De quo scripsit Moses in lege, & prophetis, inuenimus Iesum filium Ioseph Nazarenum. Quòd si quis repugnare velit primæ diffinitioni, quia cadant & alia sub eam, quæ non inscribantur Euangelij titulo, dicátque legem, & propheticos sermones continere promissionem rerum conuenienter rationi factam, quæ propter vtilitatem, lætum reddunt auditorem, simul ac ab ipso approbatæ fuerint: respondebimus, non habuisse legem, & propheticos sermones ante Christi aduentum, quia nondum aduenisset ille, qui in his contenta reseraret mysteria, eam ipsam promissionem, quæ in Euangelij diffinitione continetur. Seruatorem verò, ad nos cum accessisset, & vt Euangeliú corpore esset præditum effecisset, perfecisse cum Euangelio, vt omnia essent instar Euangelij. Neque præter propositum exemplo vtere, qui pauca, † Quando enim filius hominum diuinitate sua ablato, quod in lege, & prophetis erat, velamine, Deum certis rationibus ostendit palam ob oculos ponens his, qui sapientiæ eius discipuli vellent fieri, quæ nam vera lex Mosis contineret, quorum exemplum, & vmbram colebant antiqui: & quæ nam sit veritas rerum in historiis contentarum, quæ in figura contingebant I illis, propter nos scripta, ad quos fines seculorum deducti *1. Cor. 10.* sunt. Nullus ergo, ad quem Christus accesserit, vel in Hiero-*Ioan. 4.*solymorum vrbe, vel in Samaritanum monte Deum adorat. Sed cum didicerit Deum spiritum esse, spiritualiter illum colens spiritu & veritate, non amplius sub figuris patrem vniuersorum, mundíque opificem adorat. Quamobrem ante illud Euangelium, quod per Christi aduentum est ortum, nihil rerum antiquatum Euangelium erat. Porrò Euangeliũ, quod est nouum testamentum, cùm nos à vetustate literæ abduxisset, spiritus nouitatem nunquam senescentem, & ad nouum testamentum propriè pertinentem, quæ in omnibus est scripturis, luce cognitionis illustrauit. Siquidem necesse erat, vt id, quod efficiebat, vt in testamento veteri putaretur Euangelium esse, præcipuè Euangelium appellaretur. Attamen non ignorandum nobis est Christi aduentum, antequam corpore ad terras descenderet, intelligibilem multò ante factum fuisse perfectioribus, miniméque paruulis, quippe qui à pæ-*Gal. 4.*dagogorum, curatorúmque cura, ac tutela liberi essent, ob oculos habentes plenitudinem eam temporis, quæ mente cernebant. Vt erant illi patriarchæ, & Moses ille tantus seruus, ac reliqui prophetæ, qui Christi gloriam contemplati sunt. Cæterum vt ante corporalem, & manifestum aduentum ad perfectos adueniebat, sic etiam post diuulgatam ipsius præsentiam ad eos, qui etiam non sunt paruuli, quia sint sub curatoribus, & administratoribus, ac nondum peruenerint ad tem- K poris plenitudinem, sermones quidam præcursores Christi aduenerunt, animis puerilibus accommodati, qui iure pædagogi vocentur. At vero ipse filius, ipse glorificatus deus verbũ nondum aduenit: nimirum expectans, vt Dei homines diuinitatem illius percepturi decentem apparatum faciant. Iam & hoc quoque sciamus necesse est. Vt lex vmbram continet fu-*Euangeliũ docet vmbrã mysteriorũ Christi.* turorum bonorum, quæ declarantur ab ea lege, quæ annunciatur secundum veritatem, sic etiam Euangelium, quod vel à quibuscunque vulgaribus intelligi existimatur, vmbrá docet mysteriorum Christi. Atque equidem quod Ioannes appellat *Apoc. 14.* Euangelium sempiternum, quod propriè dici posset spirituale, aperte viris cordatis, & intelligentibus ob oculos ponit omnia de ipso filio Dei, tum mysteria ab ipsius sermonibus exhibita, tum res, quarum ænigmata ipsius actiones erant. His consequens est exponere, vt in manifesto Iudæus quis est, & circuncisus. † Sic Christianus fit, & baptisma. *Rom. 2.* Quin etiam Paulus quidem & Petrus, qui in manifesto Iudæi antea erant & circuncisi, postea tantum in occulto: tales vt essent, sicuti prius in aperto, à Iesu acceperunt: cum non alia de causa etiam se in manifesto Iudæos esse, quam propter multorum salutem, & propter ædificationem, non solum verbis faterẽtur, verum etiam factis declararent. Id quod etiam de eorũ Chri-*Act. 16.*stianismo censendum est, & quemadmodum Iudæis secundum carnem adiumento esse non potest Paulus, nisi quando L cuincit ratio, circuncidat Timotheum, & quando consentaneum est, tondeatur, oblationem offerat, & vt in vniuersum *1. Cor. 9.* dicam: Iudæis Iudæus efficiatur, vt Iudæos lucrifaciat: ita fieri nequit, vt is, qui multorum vtilitati expositus est, euehat ad præstantiora, & in sublime, melioréśque reddat per Christianismi in occulto existẽtis legem eos, qui exteriorem Christianismum sequuntur. Hanc ob causam, tum spiritu, tum corpo-*1. Cor. 9.*re Christiani vt simus necesse est, & corporale Euangelium prædicare, quando opus fuerit, dicendo carnalibus, nihil nos *Necesse est nos spiritu & corpore christianos esse.* scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixũ: Atque hoc quidem ita faciendum est. Cum autem inuenti fuerint eleuati spiritu, & in ipso fructificantes, amantésque sapientiæ cœlestis, hi participes efficiendi sunt verbi, & filij Dei regressi post incarnationem ad id, quod erat in principio apud Deum. Cæterum hæc haud frustra nos disseruisse existimamus, Euangelij sensum accuratè inuestigantes, & Euangelium sensibile, ab Euangelio intelligibili separantes. Etenim nunc nobis propositum est, vt Euangelium sensibile, transmutemus in intelligi-*Euangeliũ sensibile & intelligibile.*bile, & spiritale: alioqui quæ enarratio erit Euangelij sensibilis, nisi accommodetur ad intelligibile & spiritale: nulla sanè, vel exigua, eáque vulgarium, qui ex verbis ipsis vim eorũ, quæ declarantur, percipere sibi persuadent. Verum tota contentio nostra eò nobis dirigenda est, vt pertingere conemur profunditatem sensus Euangelici, accuratius indagantes veritatem in ipso figuris nudam. Atque equidem si consideremus ea, M quæ annuntiantur in bonorum promissione: Apostoli quidem Iesum prædicant, dicuntur quidem, ceu bonum, resurrectionem etiam anounciare, quæ ipsa aliquo modo est Iesus, *Ioan. 11.* dicente Iesu, ego sum resurrectio. Iesus verò quę sanctis repo-*Luc. 4.*sita sunt, Euangelizat pauperibus, cohortãs eos ad diuina promissa. Quibus sanè bonis annuntiationibus, vel Apostolorũ, vel seruatoris nostri, diuinæ quoque attestantur scripturę: Da-*Psal. 68.*uid enim de apostolis, fortassis etiam de euangelistis ait: Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa, ac rursum: Rex virtutum dilecti, simul etiam docent, non compositionem verborum, non prolationem vocum, non elaboratam orationis pulchritudinem ad persuadendum conducere, sed virtutis diuinæ suppeditationem. Quare Paulus etiam alicu-*1. Cor. 4.*bi sic inquit. Non agnoscam sermonem istorum, qui sunt in-*1. Cor. 2.*flati, sed virtutem. Nec enim est in sermone regnum Dei, sed in virtute. Et aliàs, sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus sapientiæ verbis, sed in demonstratione spiritus, & virtutis. *Luc. 24.* Huic virtuti attestantes Simon, & Cleophas dicunt: Nonne cor nostrum ardens erat in via? quum reserabat nobis scripturas. Verùm Apostoli, quia quantitas virtutis à Deo prædicantibus suppeditatæ est præstans, multam habuere virtutem. Iuxta illud, quod apud Dauidem dicitur: Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.

Porrò

A Porrò Esaias, cum diceret: Quàm pulchri sunt pedes Euangelizantium bona, *Psal.68.* *Esa.52.* prædicationem intelligens Apostolorum maturã, & tempore atque opportunè factam, dũ viam sternunt dicenti, ego sum via, laudat pedes incedentes per viam Christi Iesu, ingredientésque per ostium ad Deum. Itaq; bona Euangelizant illi, quorum pedes sunt pulchri, bona inquã, scilicet Iesum. Nec miretur quispiam si nomine bonorum, *In Christo omnia bona nobis proposita.* numero multitudinis, exposuimus annunciari Iesum ab Euãgelizantibus, expositis enim rebus nomina habentibus, quibus Dei filius nuncupatur, sciemus quomodo multa bona sit Iesus, quem annunciant ij, quorum speciosi sunt pedes. Vita bonum est vnũ, at Iesus est vita. Bonum alterum lux est mũdi, lux vera, lux hominum. At hæc omnia dicitur esse filius Dei. Ad hæc, præterquam quòd vita & lux est, aliud etiã est bonũ, iuxta considerationes nostras, veritas scilicet. Rursus est aliud bonum, quod est quartum bonũ, nempe via, quæ ad hæc bona nos conducit. Hęc autem omnia seruator seipsum esse docet, dicens: Ego sum via, veritas & vita. Quomodo autẽ non bonum est resurgere hominem excusso puluere, & mortali- *Prouer.8.* tate, hócque à domino assequi, in quãtum ipse Iesus est resurrectio? qui etiam inquit, ego sum resurrectio. Quin & ostiũ etiam, per quod ad summam beatitudinem quis ingreditur, est bonum. At Christus inquit, ego sum ostium. Quid vero

B opus est verba facere de sapientia, quam condidit Deus in initio viarum suarum, in opera sua, qua adgaudebat pater ipsius, oblectatus in multifaria ipsius pulchritudine intelligibili, quæ solis intellectualibus oculis cernitur, quæque considerantem diuinam pulchritudinem ad amorem cœlestem inuitat? Bonum enim est sapientia Dei. At hoc quoque præterea, quæ supra recensuimus, ij annuntiant, quorum pedes sunt pulchri. Potentia Dei præterea octauum nobis bonum annumeratur, qui est Christus: Verum enim verò haud silentio prætereundum est illud verbum, quod cum patre *1.Cor.3.* vniuersorum est Deus. Námque & hoc bonum nullo alio bono est inferius. Itaque beati qui admiserint hæc bona, quique perceperint ea, ab iis qui pedes habent pulchros, atque qui E- *Rom.6.* uangelizant. Veruntamen quamuis Corinthius quispiam extiterit, apud quem affirmet Paulus se nihil scire, nisi Iesum Christum, & hunc quidem crucifixum, admiseritque edoctus, hunc nostri causa hominem factum: is iam principia bo- *1.Cor.2.* norum ingreditur, homo Dei factus ab homine Iesu, & ex morte eius moriens peccato: etenim quòd ille mortuus fuit, peccato mortuus est semel: ex vita verò ipsius, quoniã Iesus est illud, quod viuit, viuit Deo vnusquisque, & conformis factus resurrectioni eius hoc assequitur, vt viuat Deo. Quis autẽ ambigat, an id, quod per se iustitia est, quódque per se sanctificatio, atque per se perfecta redemptio est, sit bonum?

C quæ etiam ipsa, Iesum Euangelizantes, Euangelizant: dicentes eum factum fuisse nobis iustitiam à Deo, & sanctificationem, & redemptionem. Quæ autem scripta sunt ab his de ipso, vix numerari poterunt, docentia nos subtiliter considerare ex iis bonis, quæ difficulter numerantur, quæque scripta *Col.2.* sunt, quomodo multitudo bonorũ sit Iesus, quæ in ipso quidem sunt, in quem beneplacitum fuit omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter habitare, haud tamen à literis continetur: quid dico à literis? quando & de toto mundo dicat *Ioan.21.* Ioannes, Nec ipse, opinor, mundus caperet eos, qui scriberentur libros, dicere ergo Apostolos Euangelizare seruatorem, *Christus bona omnia.* perinde est, ac si diceremus eos Euangelizare bona omnia, quamobrem hic est ille, qui à bono patre accepit, vt esset tot bona: vt vnusquisque eo quod capit, vel iis quæ capit, cum per Iesum ea perceperit, fruatur bonis. Haud poterant autem Apostoli quorum pulchri sunt pedes, & horũ studiosi imitatores Euangelizare bona, nisi Iesus antea ipsis Euan- *Esa.52.* gelizasset. Quemadmodum loquitur Esaias: Ego ipse, qui loquebar, adsum, sicut opportunitas in mõtibus, sicut pedes Euangelizantis pacem, sicut Euangelizans bona, quoniam auditam salutem tuam faciã, dicens: Sion regnabit deus tuus. Qui nam enim sunt montes, in quibus se loquentem affirmarum dicit, nisi hi, qui nulla re inferiores sunt iis, qui super terram sunt maximi, & altissimi? quos quæsitos oportuit ab his, qui noui testamenti ministri sunt idonei. Scilicet vt seruent præceptum dicens, super montem altum ascende qui Euan-

gelizas Sion, exalta cum fortitudine vocem tuam qui annun- D cias Hierusalem. Nec mirere si Euangelizaturis bona, bona quoque Iesus Euangelizet, quæ non aliis sunt à seipso, quãdoquidem seipsum illis Euangelizat filius Dei, qui ipsum discere queunt. Veruntamen qui ascendit mõtes, illis Euangelizãs bona, haud contemptui habet pauperes spiritu, à bono illo edoctus patre, qui solem suũ exoriri facit super bonos & ma- *Mat.5.* los, & qui pluit super iustos & iniustos. Nãque his quoque Euangelizat, sicut ipsemet testatur: ex eo quod sumpto Esaiæ libro legit: Spiritus domini super me, propterea quòd vnxit *Luc.4.* me, ad Euangelizandum pauperibus misit me, vt prædicem captiuis remissionem, & cæcis visum. Complicatum enim librum cum reddidisset ministro, resedit: Cumque omnium in eum defixi essent oculi, dixit: Hodie scriptura hęc impleta est in auribus vestris. Necessariò etiam illud sciendum est, omnẽ bonam actionem, erga Iesum factam, hoc Euangelium continere, quomodo etiam continet mulieris illius præclaram illã actionem, quæ mala opera cum admisisset, resipuissétq;, boni odoris vnguentum potuit ob insignem, & ex animo factam à *Ioan.12.* malis mutationẽ, super Iesum fundere, quo facto, tota domus atque adeo quotquot illic aderant, illius vnguenti fragrantiã sensu perceperunt. Quocirca etiã scriptum est: vbicunq; prędicatum fuerit hoc euãgelium in omnibus gentibus, dicetur etiam istius factum ad memoriam suam. Porrò perspicuũ est, E Christum sibi accepta referre, quæcunque in discipulos suos *Christus sibi accepta fert quæ in sua mẽbra collata sunt* collata fuerint. Vnde beneficium accipientes ostendere volens, dantibus beneficium dixit quod his feceritis, mihi fecistis. Quamobrem quæuis actio bona à nobis in proximũ collata, ad euangelium refertur, quod in cœli tabulis inscribitur, agnoscitúrq;, ac legitur ab omnibus, qui vniuersorum cogna- *Matt.25.* tione digni habiti fuerint. Cùm ex aduerso etiam, pars euangelij accusationẽ contineat eorum, qui deliquerunt in Iesum. Itaque Iudę proditio, populíq; impij vociferatio dicẽtis, tolle hunc à terra, & crucifige, crucifige eum, & irrisiones eorũ, *Matt.26.* à quibus est spinis coronatus, & his similia per ordinem in euãgeliis posita sunt. Quibus consequens est, vt consideremus, quòd quisquis Iesu discipulos prodiderit, is reputetur Iesum prodidisse. Hinc ad Paulum adhuc se persequentem di- *Act.9.* cit Iesus: Saul Saul cur me persequeris? Et illud: ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Qui vero spinas habẽt, quibus spretum Iesum coronent, nisi hi qui diuitiarum solici- *Ioan.19.* tudinibus ac præsentis vitæ voluptatib⁹ suffocati, ex accepto Dei verbo nullum referunt fructum? Proinde cauendum est nobis, ne quando in eorum numerum redacti, ac descripti, qui Iesum suis coronant spinis, huius generis homines esse legamur ab iis, qui dicunt, quo pacto Iesus, qui in omnibus, & penes omnes rationis compotes, & sanctos commoratur, tũ vnguento vngatur, tum conuiuio excipiatur, ac deinde glorificetur, tum contra spernatur, irrideatúrq;, ac vapulet. Necessario autem sunt hæc nobis dicta, cũ demonstraremus om- F nes actiones nostras bonas, & peccata delinquentium per ordinem in euangelio esse posita, aut ad vitam æternam, aut ad opprobrium, & confusionem sempiternam. Nec si inter homines aliqui sint euãgelistarum ministerio honorari, ipséque Iesus bona euangelizet, atque etiam pauperibus euangelizet, idcirco oportuit angelos factos à Deo spiritus, existẽtes ignis flammam & ministros patris vniuersorum, hac laude priuari, *Angeli euãgelistæ.* vt & ipsi non sint euãgelistæ. Hanc ob causam, coram pastoribus angelus cùm stetisset, eósque gloria vndequaque illu- *Heb.1.* strasset, ne terreamini, inquit. Ecce enim euãgelizo vobis gau *Luc.2.* dium magnum quod erit omni populo, quoniã natus est nobis hodie seruator, qui est Christus dominus, in ciuitate Dauid quando nondũ intelligentibus hominibus euangelij mysterium ipsis præstantiores cœlestis exercitus Dei, laudibus Deũ vehentes dicant: Gloria in altissimis deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas, hísque dictis pastoribus, in cœlum sese recipiunt angeli, nobis cõsiderandum relinquentes, quomodo annunciatum nobis ex ortu Christi Iesu gaudium, & gloria etiam est in altissimis Deo, reuertẽtibus in requiem suam, & in altissimis Deum glorificaturis per Christũ iis, qui humiliati fuerant in puluerem. Mirantur etiam angeli pacem *Esa.14.* per Iesum futurã in terra, quæ locus est bellis infestus, in quẽ delapsus è cœlo lucifer ille, qui mane oriebatur, à Iesu est cõ-

G tetendus. Ad hæc & illud de euangelio sciamus necesse est,
Mar.1. euangelium in primis esse Iesu Christi, qui est caput totius
corporis eorum, qui seruantur, dicente Marco: Initium euan-
gelij Iesu Christi: deinde etiã apostolorum. Quocirca etiam
Paulus, inquit, iuxta euangelium meum. Veruntamen vel to-
tum vetus instrumentorum, cuius figura est Ioãnes, initium est
euangelij: nam euangelium eo quòd magnitudinem habeat,
initiũ quoq;, & quæ sequuntur, media scilicet, & fines habet:
vel propter coniunctionem noui instrumenti ad vetus, fines
veteris instrumenti, quos Ioannes exhibuit, initium sunt euã-
Mar.1. gelij, dicente Marco, initium euangelij Iesu Christi, sicut scri-
ptum est in Esaia propheta. Ecce ego mitto angelum meum
ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Vox clamantis
Contra hæreticos sui temporis. in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas eius. Vn-
de subit mihi admirari, quomodo qui ab ecclesię decretis dis-
sentiunt, duorum testamentorum duos asserãt Deos, aliorqui
non parum his verbis cõuicti. Quî fieri enim potest, vt Ioan-
nes euangelij sit initium, vt ipsi putant, ad alterum pertinens
Deum, opificis mundi homo, & ignorans, vt asserunt, nouam
deitatem? Cæterum non vno eóque breui, atque inter solos
pastores obeundo munere funguntur angeli euangelico, sed
in fine sublimis, & volans angelus euangelium habens euan-
gelizabit omni populo, bono patre non perperuò deserente
H eos, qui à se desciuerint. Itaque inquit in Apocalypsi Ioannes
Apoc.14. ille Zebedæi filius: & vidi angelum volantem per mediũ cœ-
li, habentem euangelium æternum, vt euangelizaret habitan-
tibus super terram, & omni genti, & tribui, & linguæ, & po-
pulo, dicẽtem voce magna. Timete Deum, & date illi hono-
rem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit
cœlum & terram, mare, & fontes aquarum. Quia igitur iux-
ta veram intelligentiam ostendimus totum vetus instrumen-
tum, significatum per nomen Ioannis, euangelij initium esse,
ne sine aliquo testimonio hæc dicantur, apponemus quæ re-
Act.4. ferunt Acta apostolica de Eunucho reginæ Æthiopũ, & Phi-
Psal.53. lippo. Incipiens enim, inquit, Philippus ab Esaiæ scriptura,
quæ scilicet inquit: Tanquam ouis ad occisionem ductus est,
& tanquam agnus coram tondente mutus, euangelizauit illi
dominum Iesum. Quomodo enim incipiens à propheta, e-
Tota scriptura euãgelium. uangelizat Iesum, nisi pars aliqua est Esaias principij euan-
gelij? Insuper quòd principio diximus, totam scilicet diui-
nam scripturã posse dici euangelium, hinc confirmari potest.
Nanque si euangelizans euangelizat bona, omnésque qui an-
te aduentum Christi corporalem fuere, Christum euangeli-
zant, qui est omnium bona, vt antea ostẽdimus: quodammo-
du diuini sermones, & scriptura diuina, pars sunt euangelij.
Quod euangelium cum diuulgandum esse dicatur in toto
mundo, nos per totum mundum non tantũ intelligimus ter-
restrẽ hunc locũ, sed etiam omnem globum ex cœlo, & terra,
vel ex cœlis & terra. Sed quid opus est diutius protrahere ser-
monem de eo quid sit euangelium, cùm ex minime spernen-
I dis, copiosèque à nobis disputatis similia colligere valeamus
ex scripturis, & intueri quam gloriam bonorũ in Christo Ie-
su exhibeat euãgelium, tum ab hominibus, tum ab angelis ad-
ministratum, & vt ego arbitror, etiam à principatibus, & po-
testatibus, à thronis, & dominationibus, ac denique ab omni
Eph.1. nomine, quod nominatur, non solum in hoc seculo, verume-
tiam in futuro, tum etiam ab ipso Christo? Hanc ob causam
hoc in loco finiemus, quæ narranda esse diximus ante inter-
pretationem eorum, quæ prælegnntur his scriptis. Iam verò
Deum oremus, vt nobis sit adiumẽto per Christum in sancto
spiritu ad explicandum mysticum sensum in verbis, perinde
ac thesaurum reconditum.

In principio erat verbum.

Principij vox multiplex.  A Æ C vocem principij, multa significare, non
tantum gentiles fatentur, sed etiam si quis obser-
uare, atque intelligere voluerit vndique colligẽs
hoc nomen, & accuratè exquirens, qua dẽ re in
singulis scripturarum locis positum sit, inueniet multiplicem
vocis huius significationem in diuinis sermonibus esse. Est
namque principium aliud transitus, quod ad viam pertinet,
& longitudinẽ, vt hæc verba declarant, viæ bonæ principium
est facere iusta. Longissima enim via bona cum sit, ad eam in K
primis pertinere eam philosophiæ partem cẽsendum est, quæ
in rerum actione versatur, quod ostenditur ex illis verbis,
facere iusta, cùm quod reliquum est viæ, id totum ad eam
vim spectet, quæ in rerum cognitione, ac contemplatione
est sita, in quam etiam contemplationem viæ ipsius finem
desitutum opinor, simulátque aduenerit restitutio, quam
vocant: eò quòd tum temporis ne vnus quidem relinquen- *1.Cor.15.*
dus sit inimicus. Nam verè dicente Paulo illud: Oportet
enim eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pe-
des suos, & nouissimus hostis aboleatur mors, tum vna erit
actio, nempe cognoscendi, contemplandique Deum eo-
rum, qui ad Deum peruenerint, duce eo verbo, quod est a-
pud Deum: vt sic sint in cognitione Patris, formati omnes
accuratè filius, vt nunc solus filius nouit patrem. Nam si di-
ligenter quis examinet, quando patrem agnoscent hi, qui-
bus reuelat filius, qui solus patrem nouit, & consideret vi-
dentem nunc per speculum, & ænigmate ipsum videre non-
dum cognoscentem, quemadmodum opus est nosse, haud *Matt.11.*
aberrabit, si dixerit neminem nouisse patrem, etiam si apo- *Ioan.17.*
stolus, etiam si propheta quis fuerit, sed tum patrem ab his
cognoscendũ esse, cùm vnum erunt, sicut filius, & per v-
num sunt. Quod si quis putet nos à re digressus fuisse, quia
hæc disseruimus, vnam principij significationem explanan-
tes, sciat hic, digressionem ad rem, de qua agitur, & vtilem, L
& necessariam fuisse. Nam si principium, vt transitus est, &
viæ, & longitudinis, principiúmque viæ bonæ est facere iu-
sta, sciendum est, quomodo omnis via bona principium ha-
beat facere iusta, post principium verò contemplationem,
& quo nam pacto cõtemplationem. Rursum est etiam prin- *Principiũ*
cipium aliud generationis: quod videri potest in hoc dicto: *generationis.*
In principio fecit Deus cœlum, & terram. Sed apertius in
Iob significatum hoc enuntiari arbitror, his verbis, Hoc est *Gen.1.*
principium figmenti domini factum, vt illudatur ab angelis *Iob.40.*
suis. Posset enim quispiam existimare cœlum, & terram prin-
cipio facta fuisse ante omnia, quæ sunt in mundi generatio-
ne. Sed melius est, vt sententiæ Iob habita ratione, cùm mul-
ta sint quæ in corporibus facta fuere, primus eorum quæ sunt
in corpore, factus sit ille, qui appellatur draco, nominatus *Draco.*
etiam alicubi magnum cete, quod vicit dominus. Necessa-
rium est autem considerare, an ille, qui appellatur draco, æ-
qualis factus sit sanctis viuentibus vitam immaterialem, & in-
corpoream in beatitudine, delapsus vero ante omnes à pura
vita, alligatus fuerit materiei, & corpori, vt propter hoc res- *Iob.38.*
pondens dominus per turbinem, & nubes dicat: hoc est prin-
cipium figmenti domini factum, vt illudatur ab angelis suis,
fieri enim potest, vt draco nõ sit omnino principium figmẽ-
ti domini, sed vt multorum, quæ facta sint in corpore, vt illu- M
derẽtur ab angelis, sit hic draco principium, cùm possint ali-
qui existere in corpore, haud ita tamen. Etenim anima * Eliæ ** Solis vertit Perionius*
in corpore est, atque etiam vniuersa creatura, de qua aposto-
lus dicit: Tota creatura suspirat, & cõdolet vsque in præsens, *Rom.8.*
& fortassis de illa est hoc: vanitati creatura subiecta est volẽs,
sed propter eum, qui subiecit eam in spe, vt in vanitate sint
corpora, & ipsum facere corporalia, id quod necessarium exi-
stenti in corpore. † qui est in corpore, non lu-
bens facit quæ sunt corporis, Hanc ob causam vanitati crea-
tura subiecta est volens, & qui non vult, quæ sunt corporis,
quod facit, spei gratia facit, tãquam si diceremus, Paulum vel-
le permanere in carne, non sponte, sed propter spem. Præfe-
rentem enim per se resolui, & cũ Christo esse, nihil est absur- *Phil.1.*
di velle permanere in carne propter aliorũ vtilitatem, & pro-
fectum in rebus, non tantum quas ipse sperat, sed etiam quas
sperent hi, quibus est adiumento. Iam iuxta hoc significatum,
quod dicimus principium generationis, intelligere potero-
mus etiam, illud prouerbiorum: Deus creauit me principium *Prouer.8.*
viarum suarum, ad opera sua: quod tamen potest etiã ad pri-
mum significatum referri, scilicet ad significatũ viæ, eò quòd
dicatur, creauit me Deus principium viarum suarum. Nec ab-
surdè vniuersorum Deum, dixerit quispiam principium, palã
eò procedens, vt filij principium sit pater, & principiũ crea-
turarum creator, atque generatim, eniũ principium sit Deus,
confirmabit hoc Ioannes, cùm dicẽdo, In principio erat ver-
bum

A bum, verbum intelligit filium, qui in principio esse dicitur,
Principiũ quia sit in patre. Tertio illud ex quo, vnde tanquam ex præ-
ingenitum existenti materia oriantur alia, principium existimant illi, qui
quibusdam materiam ingenitam asserunt. Secus verò apud nos est, qui
materia. credimus ex non entibus, Deum entia fecisse, vt matet illa
2. Mac. 7. septem martyrum in Machabæorum gestis, & pœnitentiæ an-
Herma pa gelus, in Pastore docuit. Ad hæc principium etiam est velu-
stor. ti secundum formam, hoc pacto. Si primogenitus omnis
Col. 1. & 2. creaturæ, est imago Dei inuisibilis, principium ipsius est pa-
Heb. 1. ter. Similiter etiam Christus est principium eorum, qui facti
sunt secundum imaginem Dei. Nam si homines sunt, secun-
dum imaginem, imago verò secundum patrem, iuxta hoc
quidem, pater principium est filij. iuxta illud verò hominum
principium est Christus, qui nascuntur non secundum illud,
cuius est imago, sed secundum imaginem ipsius, congruet
Principiũ autem ad idem exemplum, contextus hic, In principio erat
disciplinæ. verbum. Est etiam principium disciplinæ, iuxta quam intel-
Heb. 5. ligentiam, dicimus elementa principium esse grammatices,
ob hoc dicit apostolus, Cùm deberetis esse magistri propter
tempus, rursum opus habetis, vt doceamini, quæ sint ele-
Principiũ menta principij sermonum Dei. Sed duplex est principium
disciplinæ disciplinæ, alterum natura: alterũ respectu nostri. Vt si dice-
duplex. mus de Christo, quòd natura principium ipsius sit diuinitas:
quo ad nos verò, qui non valemus ex magnitudine eius ve-
ritatem de ipso assequi, humanitas, in quantum paruulis præ-
B dicatur Iesus Christus, & hic crucifixus. Quare hac ratione
Christum dicimus natura principium esse disciplinæ, secun-
Ioan. 1. dum quòd Dei sapientia, & Dei potentia est, quo ad nos ve-
rò caro factus est, vt habitaret in nobis, qui hoc modo tan-
tùm initio eum capere valebamus. Ac fortassis ob hanc cau-
sam non modo primogenitus est omnis creaturæ sed etiam
1. Cor. 15. interpretatur homo Adam, cũ dicente Paulo Adam his ver-
Principiũ bis: Vltimus Adam in spiritum viuificantem. Præterea dici-
actionis. tur etiam principium de actione, in qua actione inest finis
quidam post principium, & obserua, an sapientia principium
actionum Dei existens hoc modo intelligi possit esse princi-
pium. Iam cùm tot nobis in præsentia succurrant principij
significata, quærimus de quo intelligi oporteat illud. In prin-
cipio erat verbum. Perspicuúmque est hoc principium sumi
non posse de principio transitus, aut viæ, & longitudinis. Li-
quet autem, quòd neque de principio generationis. Verum-
tamen fieri potest, vt illud accipias tanquam principium, à
quo, quod est faciens. Quandoquidem mandauit Deus, &
Gen. 1. creata sunt. Creator enim aliquo modo est Christus, quo di-
xit pater, fiat lux, & fiat firmamentum. Creatórque est Chri-
stus, tanquam principium, in quantum sapientia est. Idcirco
Prouer. 8. dictus principium, quia sapientia sit: dicente per Salomonem
sapientia, Deus creauit me principium viarum suarum, ad o-
pera eius, vt sit in principio verbum, hoc est in sapientia:
C secundum quidem collectionem contemplationis, & intel-
ligentiarum de rebus vniuersis, considerata sapientia: Secun-
dum verò rerum contéplatarum communionem, ad ea, quæ
sunt rationis capacia, considerato verbo, hoc est λόγῳ, quæ
ratio etiam dicitur. Nec mirum si, vt prædiximus, multa bo-
na, existens seruator, in se contineat, quæ vno, & altero, item
& tertio considerentur modo. Cùm enim protulerit Ioan-
nes de verbo loquens, quod factum est in ipso vita erat, osten
dit factam fuisse vitam in verbo. Neque verò verbum hoc a-
liud est à Christo, Deus existens, & verbum apud patrem,
Ioan. 10. per quod facta sunt omnia: neque vita alia est à Dei filio,
qui inquit, Ego sum via, veritas, & vita. Vnde non secus
atque vita facta fuit in verbo, sic verbum erat in principio.
Proinde inspice, an iuxta hoc significatum possimus intel-
ligere hoc dictum, in principio erat verbum, hoc est λόγος,
qua ratio etiam dicitur: vt secundum sapientiam, & secun-
dum figuras collectionis intelligentiarum, quæ sunt in ipsa,
fiant omnia. Opinor enim sicut domus, & nauis fabricatur,
vel ædificatur iuxta figuras, & formas mentibus eorum, qui
structuræ præsident, conceptas, domo, nauique principium
sumentibus ab his figuris, & rationibus, quæ sunt in artifi-
ce: sic vniuersa facta fuisse iuxta rerum futurarum rationes,
iam antea à Deo manifestatas in sapientia. Omnia enim in
sapientia fecit. Dicendúmque est, Deum, cùm animatam
sapientiam, vt ita loquar, creasset, illius curæ permisisse, vt
ex figuris, & speciebus, quas ipsa habebat, (opinor) subsi- D
stentiam, & plasmationem, & formas præberet entibus, &
materiæ. Ego etiam inspicio, an dicere possimus principium, *Apoc. 1.*
& entium esse filium Dei, dicentem ego sum principium &
finis, α & ω, primus & nouissimus, cùm necessario etiã, scien-
dũ sit nobis ipsum nõ esse principiũ, iuxta omnia, quibus no-
minatur. Qui enim fieri potest, vt sit principiũ, in quãtum est
vita, cùm vita facta fuerit in verbo, quod est ipsius vitæ prin-
cipiũ? Manifestius præterea est, ipsum nõ esse principiũ, qua-
tenus primogenitus est ex mortuis. Quod si diligẽter exami-
nemus, omnia ipsius cognomina, solũ quia sit sapiẽtia, princi-
pium est, ne principiũ quidem existẽs in quantũ est λόγος, id
est verbum, vel ratio. Quãdoquidẽ verbum, vel ratio in prin-
cipio erat. Adeò vt audacter ausit quis dicere antiquiorẽ om-
nibus, quæ excogitãtur nominibus primogeniti omnis crea-
turæ, sapientiã esse. Atq; deus quidem vnũ est, & simplex. Ser
uator verò noster propter multa, quandoquidẽ proposuit illũ
deus propitiationẽ, & primitias omnis creaturæ, efficitur etiã *Rom. 3.*
multa, vel etiã fortasse omnia hæc purgat ipsius creatura, quæ
vniuersa liberare valet. Hinc fit lux hominũ, quãdo homines
à vitio obscurati luce egent lucente in tenebris, & à tenebris
non apprehensa: lux non futurus, nisi homines obscurati non
fuissent. Simile cõsiderare possumus de eo, quod dicitur pri-
mogenitus ex mortuis. Nam si ponamus mulierem decepiã
non fuisse, nec Adam deliquisse, sed creatum hominẽ ad im- *Gen. 3.*
mortalitatem obtinuisse, neq; in puluerẽ mortis descendisset
Christus, neq; mortuus fuisset nõ existente peccato, aut erga E
humanum genus amore moriendũ illi erat. Ac si hæc non fe-
cisset, minime fuisset primogenitus ex mortuis. Disquirendũ
& illud, num forte etiã hominis pastor futurus non erat, si cõ- *Ioan. 10.*
paratus homo iumentis insipientibus non fuisset, neque simi-
lis illis factus. Nam si homines, & iumenta seruat deus, seruat
quæ seruat iumenta, illis donando pastorem, quæ regem ca-
pere nequeunt. Exploret ergo oportet, qui collegerit filij no-
menclaturas, quænam ipsarum ipsi accesserint, alioqui illi nõ
accessuræ, si sancti incepissent, & perseuerassent in beatitu-
dine, quórque ex sint. Nam fortasse sola sapientia, vel etiam
verbum, vel vita, atque omnino veritas permaneret, haud
tamen omnia alia nomina, quæ nostri causa assumpsit. Ve-
rum enim vero beati illi, qui egentes filio Dei, eiusmodi fue-
re, vt in posterum non eguerint medico, qui male affectos cu-
raret: neque pastore, neque redemptione, sed sapiẽtia, & ver-
bo. ac iustitia, vel si quid aliud est ipse Christus iis, qui ob per-
fectionem pulcherrima quæque ipsius percipere valent. Sed
hæc sufficiant de eo, quod scriptum est in principio. Videa- *De nomini-*
mus nunc diligentius quisnam sit hic λόγος, id est verbum, *bus Christi*
seu ratio, quæ in principio esse dicitur. Atque equidem repu-
tanti mihi, quænam frequenter dicuntur de Christo ab iis,
qui in ipsum credere volunt, mirari subit, cur nam tandem F
imposita nomina seruatori nostro, quę vix numerari possunt,
plerunque hi silentio pertranseant, atque etiam si eorum mẽ-
tio facta fuerit, illa immutant non proprie sed tropicè, Iesum
his nominibus appellari dicentes: in sola appellatione ver-
bi insistentes, veluti solum verbum asserant, esse Christum
Dei, non perinde atque in cæteris vocabulis, quibus ipse
nuncupatur, indagantes vim significati ex hac voce λόγος.
Iam in quo me mirari dicam multorum ruditatem, (aper- *Ioan. 8.*
tius enim loquar,) tale est. Inquit alicubi filius Dei, Ego *Ioan. 11.*
sum lux mundi, & alibi, Ego sum resurrectio, & rursum, E- *Ioan. 14.*
go sum via, veritas & vita. Scriptum est & illud, Ego sum o- *Ioan. 10.*
stium. Dictum est etiam, Ego sum pastor bonus, & ad Sa- *Ioan. 4.*
maritidem dicentem, Scimus quòd Messias venit, qui dici-
tur Christus, cum autem venerit ille, nunciabit nobis om-
nia, Respondet, Ego sum qui loquor tecum. Ad hæc cum
lauisset pedes discipolorum, dominum se, & magistrum his
verbis fatetur. Vos dicitis dominũ me, & magistrum, & be- *Ioan. 13.*
ne dicitis, sum etenim. Quin aperte, & clare seipsum filium
Dei esse pronunciat, dicens: Quem pater sanctificauit, & *Ioan. 10.*
misit in mundum, vos dicitis me blasphemare: quoniam di- *Ioan. 17.*
xi, Filius Dei sum ego, & illud, Pater, venit hora, glorifica
filium tuum, vt & filius tuus glorificet te, inuenimus etiam
seipsum pronunciantem, regem. Veluti cum Pilato dicenti,
Rex es tu Iudæorum? Respondens dixit: regnum meum non *Ioan. 18.*
est ex hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meũ, mi-

G nistri mei certaori fuerant,ne traderer Iudæis. Nune autem regnum meum non est hinc. Legimus & illud, Ego sum vitis *Ioan.15.* vera,& pater meus agricola est. Et rursum,Ego sum vitis, vos palmites. Connumerentur bis hæc quoque . Ego sum panis vitæ,& iterum,Ego sum panis viuens,qui de cœlo descendi, *Ioan.6.* & vitam mundo præbeo. Et hęc quidem quæ filius dei se esse asserit,quæque nobis ad id,de quo agimus, succurrerunt , ex euangeliorū textu in mediū protulimus. Sed addendū etiam *Apo.1.* illud est ex Ioannis Apocalypsi:Ego sum primus,& vltimus, & viuens & factus sum mortuus. Et ecce viuēs sum in secula seculorū,& rursus,Factus sum ego,α.& ω.primus & vltimus, principium,& finis. Sunt autem non pauca,atque bis,quę diximus,similia,quæ sumi ex propbetis poterunt ab eo,qui diligenter versatus fuerit io sanctis libris. Veluti quòd sagittam electam,& seruum dei,& lucem gentium seipsum appellat. *Esa.49.* Esais dicente,Ex vtero matris meę vocauit me nomine meo, & posuit os meum quasi gladium acutum,& sub protectione manus suæ abscondit me . Posuit me quasi sagittam electam, & in pharetra sua abscoodit me , & dixit mihi seruus meus es tu Israel,& io te glorificabor , & post pauca , Deus meus erit fortitudo mea . Et dixit mihi,magnum tibi est,vt voceris seruus meus,& suscites tribus Iacob,& dispersionetu Israelis conuertas. Ecce posui te in lucem gentium,vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Sed & in Hieremia ita seipsum agno assimilat:Ego sicut agnus ionocens,qui ducitur ad *Hier.11.* sacrificandum. Hæc itaque & his similia seipsum appellat.

Porrò innumera vocabula,tum apud euangelia,tum apud a-
H postolos,tum apud prophetas colligas , licebit , quibus filius dei appellari gaudet. Videlicet,vel iis qui euangelia scripserunt , quid de ipso sentirent exponentibus , vel apostolis ex his quę didicerant,ipsum glorificantibus,vel prophetis ipsius futurum aduentum præcinentibus , & res illius variis nomi-*Ioan.1.* oibus efferentibus. Veluti Ioannes agnum dei ipsum prædicat,dicens:Ecce agnus dei,ecce qui tollit peccatum mundi. Vtrum vero his,quæ sequuntur:hic est,de quo dicebam, post me vir venit, qui aote me factus est , quoniam prior me erat, *1.Ioan.2.* & ego oesciebam eum. Sanè in catholica epistola Ioannes illum appellat aduocatum animarum ad patrem,dicēs. Si quis *Rom.3.* peccauerit , aduocatum apud patrem habemus Iesum Christum iustum, Subiungit etiam,quòd sit recōciliatio pro peccatis nostris,ad cuius similitudinem Paulus appellat eum re-*1.Cor.1.* conciliatorem,dicens. Quem proposuit deus recooсiliatorē per fidem in sanguine ipsius propter remissionem præteritorum peccatorum,quæ deus tolerauit. Ad hæc prædicatus est etiam à Paulo,potentia dei esse,vt io Coriothiorum epistola, quando dicit. Christus est dei potentia,sapiētia, Quòd etiam sanctificatio sit,& redemptio. Factus est,inquit,sapientia nobis à deo,& iustitia,& sanctificatio,& redemptio. Quin etiā *Heb.5.* sacerdotem magnum eundē esse docet nos ad Hebræos scribens,habentes ergo sacerdotem magnum,qui pertrāsiuit cœ-*Gen.49.* los Iesum filium dei,teneamus cōfessionem. Prophetæ etiam
I præter hæc diuersis eum nominibus appellant. Iacob itaque dum filios,Iudámque benediceret,Iuda,inquit,laudabunt te fratres tui. Catulus Leonis Iuda,ex germine fili mi ascendisti, recumbens dormisti vt leo,& vt leonis catulus. Quis excitabit illum? Cæterum præsentis non est temporis singulis immorari,ostendendo,quomodo , quæ de Iuda dici videntur, Christo conueniant. Atque etiam obiectio , quæ iure ioferri posset,(scilicet,noo deficiet princeps de Iuda,& dux de femoribus eius,donec veneris cui repositum est.) aliàs cómo-*Esa.42.* dius soluetur. Iam Esaias aliquoties nouit ipsum Christū ap-*Vbi tamen voces Iacob & Israel nō reperiuntur.* pellare Iacob,& Israel,dicēs. Iacob dilectus meus auxiliabor ei:Israel electus meus,suscepit illum anima mea. Iudiciū gentibus nunciabit,oon contendet,neque clamabit , neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Calamum contritum oon coofringet,& linū fumigaos noo extinguet,dooec proieceris ex contentiooe iudicium,& in oomine eios gentes sperabūt. Quod enim hæc de Christo prophetę nunțiēt,palā Matthęus *Matth.12.* ostendit in euangelio,ex parte,mutila citans:& dicens:vt impleretur quod dictum est per prophetam,nō cōtendet,& nō clamabit: & quæ sequuntur. Vocatur etiam Dauid Christus. *Ezech.34* Veluti qoando Ezechiel prophetans ad pastores subiungit ex persona dei. Excitabo Dauid seruum meum,qui regit eos.

Non enim Dauid patriarcha exurget rectutus sanctos , sed K Christus. Ad hæc virgam,& florem appellat Christum Esaias *Esa.11.* his verbis: Egredietur virga de radice Iesse , & flos de radice eius ascendet,& requiescet super eum spiritus domini , spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus cognitionis,& pietatis,& replebit eum spiritu timoris dei. Iam lapis etiam dicitur dominus noster,ita in psalmis. *Psal.118.* Lapidem quem reprobauerunt ædificaotes,hic factus est io caput anguli,à domino factus est hic,& est mirabilis in oculis nostris. Declarat autem euangelium, & Lucas io actis oon alium esse lapidem,quàm Christum,euangeliom quidem sic: Nunquam legistis lapidem,quem reprobauerunt ædificātes, *Matt.21.* hic factus est in caput anguli ? Omnis,qui ceciderit super lapidem huoc,conteretur,super quem vero ceciderit, cooteret *Act.4.* eum. In actis vero Lucas scribit:hic est lapis ille qui reiectus est à vobis ædificātibus,qui factus est caput anguli. Cum igitur verbum illud,quod erat in principio,verbum inquā deus apud deum,vnum sit ex nomioibus seruatori attributis , nec tamen ab ipso dictum,sed à Ioanne scriptum,operæ pretium fuerit Insistere iis , qui tot à oobis enumerata nomioa prætermittentes , hoc solo verbi vocabulo ceo præcipuo vtuntur: rursus eorum interpretatiooem,si qua quis protulerit, requirentes,& hoc vnum verbi vocabulum admittentes:tanquam liqueat,quid sit filius dei,verbum nūcupatus, Idque tum maxime quod cononuè vtantur hoc dicto: Eructauit cor meum verbum bonum:existimantes filium dei paternam prolatio- L tiem esse tanquam in syllabis positam. Et idcirco Hypostasio,& subsistentiam illi,si accuratè ipsos ioterrogemus , non tribuentes,neque essentiam eius explanantes,nondum dici-*Psal.44.* mus talem,vel talem,sed quomodocunque essentiam. Verbū *Docet christum esse verbū per se subsistēs.* enim pronunciatum iotelligere vel vulgaris quiois potest , at renuntient nobis & proferant verbū tale per se viuere,quod vel non sit separatum à patre,& hac etiam ratione neq; subsistat,neqoe sit filius:vel quod sit separatum , & substantiam habens deus verbum. Itaque dicendum est,oon secus à oobis fieri debere,com vocabulo verbi ille nuncupatur, atque facimus singillatim in nominibus prædictis , cum ex proprietate nominis explicamus intelligentiām rei nominatæ : cúmque certas rationes adoptamus ad explicandum , quomodo filius dei hoc vel illo nomine ouncupetur. Quæ enim est hæc priuata istorum electio,non insistere in singulis quibusque spectando vim vocabuli:sed,vt ita dicam , cum quæsierint quomodo ostium, quomodo vitem , quánam etiam de causa intelligere debeamus eum esse viam , idem solum oon facere, cum aodis eum dici lo scripturis verbum? Vt ergo diligentius ac reuerentius assequamur ea,quæ dicturi sumus in ea qua de *Digressio qua. nomina filij dei explicat.* agitur disputatione , scilicet quomodo filius dei dicatur esse verbum à nominibus ipsius nobis à principio propositis, incipiamus necesse est. Nec ignoramus fore aliquos , quibus eiusmodi digressio maior , quàm pro rei necessitate esse videatur. Attamen animum adhibenti rei,qua de agitur,nō pa- M rum vtile fuerit explorare sensa,de quibus oomina pouūtur, quorum etiam coosideratio vtilis erit ad res,quæ subsequuntur. Proinde cum semel in theologiam de seruatore inciderimus,inuenientes,diligentia adbibita . quæ de illo feruntur, oecessariò non iaotum eum ex parte considerabimus , qua λόγος,id est verbum,& ratio dicitur: sed etiam plenius , & vberius,pro virili nostra,reliqua vocabula quibus appellatur, tractabimus. Cum ergo dixerit seipsum lucem mundi, etiam proxima,& similia huic voci,quæ quibusdam fortasse , non tantum proxima,& similia,sed etiam eadem videbūtur esse, examinabimus. Itaque lox est homioum, lux est vera , lux est denique gentium. Quòd sit lux hominum, Euangelij , cuius Instituitur ounc à oobis interpretatio ,ioitium testatur,dicēs: Quòd factum est in ipso vita erat: & vita erat lux hominum, *Ioan.1.* & lux io tenebris lucet,& tenebræ eam non apprehenderūt. Quòd etiam sit lux vera,eiusdem Euangelij verba declarant, quæ mos subnectuotur. Erat lux vera,quę illuminat omnem hominem venientem in mundum. Lux vero gentiū ab Esaia appellatur,sicut prædiximus , illud illius testimonium proferentes:ecce posui te in lucem gentium,vt sis salus mea ab extremis terræ. Cæterum lux mundi sub sensum cadens sol est. *Esa.49.* Post hunc ooo ioconcinne etiam luna , ac denique reliquæ

stellæ

A stellæ eodem nomine nuncupabuntur. Lux attamé cum hæc
sint, sub sensum cadens, eò quod terrestria illuminant, dicta
apud Mosem quarto die facta fuisse, haud tamen lux sunt ve-
ra. At vero seruator noster illucescés his, qui rationis sunt ca-
paces, præstantissimis animarum eorum partibus, vt ipsorum
mens propria aspectabilia cernat, intelligibilis mundi lux est.
Nimirum animarum rationis capacium in hoc mundo sensi-
bili existentium, & siquid præter hæc mundum complet: ex
quo seruator noster esse nos docet. Fortasse ipse illius præcel-
lens, præstantissimaque pars existens, vt ita dicam, sol, qui fa-
ciat diem domini magnum, cuius diei causa ad eos dicit, qui
lucis suæ participes erát, operamini dum dies est, veniet nox,
quando nullus postea potest operari: quandiu sum in mun-
do, lux sum mundi. Quoniam verò discipulis etiam dicit: vos
estis lux mundi: & luceat lux vestra coram hominibus, non
secus atque lunam, & astra, lucere existimamus sponsam ec-
clesiam, & discipulos, qui propriam lucem habent, & ab illo
vero sole mutuatam, vt luceant illis, qui lucis fonté in se præ-
parare non possunt. Verbi gratia, Paulum quidem, & Petrum
dicimus lucem mundi, vulgares verò, vel ipsorum discipulos,
qui illuminentur quidem, haud tamen illuminare alios pos-
sint, mundum: cuius mundi lux fuére Apostoli. At vero Ser-
uator lux existens mundi, non corporea, sed incorpoream mé-
tem incorporea potentia illuminat, vt tanquàm à sole illumi-
B natus vnusquisque nostrum videre alia etiam intelligibilia
possit. Vt autem sole illucescente vis illa lunæ, & stellarum il-
luminandi obscuratur, sic hi, qui à Christo illustrantur, quiq;
splendores illius perceperunt, nullam operam desiderant ali-
quorum administrantium Apostolorum, vel prophetarum, ac
ne angelorum quidem: audendum enim est veritatem dice-
re: proinde addam, neq; præstantissimarum virtutum eos in-
digere, quos ipsa primigena lux educerit. Porrò iis, qui mi-
nimè solares Christi radios capere valent, sancti ipsi ministrá-
tes lucem præbent, sed ea, quam prædiximus longè inferioré,
cum vis alioqui hanc paruam ipsi capere valeant mox ab ip-
sa pleni. Est autem Christus lux mundi: est & lux vera ad eius
lucis differentiam, quæ sensu percipitur. Cum nihil, quod sen-
su percipiatur, sit verum, nec tamen quia, quod sensu percipi-
tur, non est verum, idcirco falsum est: nam potest compara-
tionem, proportionémque habere quod sensu percipitur ad
illud, quod animo cernitur, rationéque comprehéditur, cum
interim sanè, rectéque de omni non vero, nó prædicetur fal-
sum. Quare autem an idem sit lux mundi, & lux hominum.
Ac meum quidem iudicium est maiorem tunc lucis vim ex-
hiberi, cum appellatur lux mundi, quàm quando lux homi-
1. Cor. 4. num. Nam mundus iuxta vnum sensum, non tantum homi-
nes. Et Paulus in priore ad Corinthios epistola maius quid-
dam esse, vel etiam diuersum ab hominibus mundum hunc
astruit dicens: Theatrum facti sumus mundo, & angelis, &
hominibus. Proinde obserua, an iuxta vnum sensum mundus
C sit creatura illa, quæ liberanda dicitur ab interitus seruitute
in libertatem gloriæ filiorum Dei, cuius vehemens desideriú
reuelationem filiorum Dei expectat. Obserua, autem addidi-
mus, quòd in medium producta fuerint ea verba: Ego sum
lux mundi, quæ possunt etiam de discipulis intelligi, cum eis
quoque Iesus dixerit: Vos estis lux mundi. Siquidem sunt, qui
suspicantur præstantiores aliis creaturis eos esse homines, qui
ab ipso Iesu sincere edocti fuerint. Quorum alij quidem hos
homines natura, alij vero ratione, quæ in actione difficiliori
versatur, tales existere affirmant. Maiores enim labores, maio-
ráque vitæ pericula, qui carne ac sanguine constant, habere,
quàm qui æthereo corpore. Nam neque lumina cœlestia di-
cunt corpora terrena si suscepissent, à periculis omnino, & à
peccando immunia præsentem vitam transactura, cui etiam
rationi qui fauent scripturarum quarundam testimoniis enú-
ciantibus maxima de hominibus, superuenientiámque pro-
missionis ad hominem pertinere dicentibus, vsuti sunt: cum
tamen hoc ipsum de creatura, vel vt intelleximus de mundo
testimonia hæc non permittant. Illud enim, vt ego, & tu vnú
sumus, vt & ipsi in nobis vnum sint, &, vbi ego sum, illic erit
Ioan. 17. & minister meus, apertè de hominibus scriptum esse dicunt.
Ioan. 12. De creatura verò quòd liberatur ab interitus corruptione in
libertatem gloriç filiorum Dei. Non silent autem etiam hoc:
videlicet primogenitum omnis creaturæ pro eo honore, quo D
hominem præter cætera prosequebatur hominem factum,
non animal aliquod cœleste. Quinetiam rursus addunt mini-
stram, & seruam cognitionis Iesu stellam, quæ in oriente ap-
paruit, creatam fuisse, vel similem reliquis astris, vel fortasse
etiam præstantiorem, quippe quæ omnium præstantissimum Rom. 5.
designaret. Quòd si gloriationes sanctorum sunt in afflictio-
nibus, qui sciunt afflictionem parere patientiam, patientiam
verò probationem, probationem verò spem, spem autem nó
confundere, neque patientiam, neque probationem, habebit
non afflicta creatura æqualem, sed diuersam: quoniam vani-
tati creatura subiecta est non volens, sed propter eú, qui sub-
iecit illam sub spe. Cæterum qui nó in animum inducit suú, Rom. 8.
talia homini beneficia collata fuisse, aliò voluntate tendens
dicet, creaturam, quæ vanitati suspirás subiacet, affligi magis,
quàm hos, qui suspirant in hoc tabernaculo: quippe quæ té-
pore quamplurimo, idque cum multiplicatione seruiat hu-
mani certaminis vanitati. Quare enim nolens hoc facit? nisi
quod vanitati subiectam esse, & non habere præcipuum vitę
statum sit contra eius naturam? Quem quidem statum, quia
in múdi interitu, & in interitu vanitatis corporum liberatur,
& soluitur, receptura est? Verum enimuero quoniam plura,
quàm quæ conueniant propositæ disputationi, videmus dis-
seruisse, redeamus vnde digressa erat oratio, memoria repeté- E
tes, qua de causa tum lux mundi, tum lux vera, tum denique
lux hominum seruator dicatur. Explicatum est ergo eum lu-
cem veram appellari, propter lucem mundi sensibilem: vel
quòd idem sit esse lucem mundi, & lucem hominum, vel in
disputationem cadat, sit necne idem. Quæ necessariò nobis
inuestigata sunt propter eos, qui nihil commentati sunt, qua-
re seruator diceretur verbum: quo persuasum haberemus, nos
nó ea præfinitione stare debere in solius vocabuli huius ver-
bum intelligentia, cum minus sit decens, vt hoc vocabulum
per translationem non exponatur, cum anagogicè, atque al-
legoricè exponamus illud lumen mundi, atq; multa alia, quæ
in medium protulimus. Vt autem eò quòd illuminet, illu-
stréque eas hominum partes, quas principales vocamus, vel
generatim omnium, qui rationis sunt capaces, lux est homi-
num, & lux vera, & lux mundi: sic eò quòd auctor sit omnis
mortalitatis deponendæ, ingenerandique eam, quam propriè
vocamus vitam, resurgentibus ex mortuis iis, qui eum sincere
acceperint, appellarat resurrectio. Hoc autem non modo in Rom. 5.
præsentia in his operatur, qui valent dicere, consepulti sumus 2. Cor. 4.
cum Christo per baptismum, cúmque eo simul resurreximus:
sed etiam multò magis cum prorsus omni deposita mortali-
tate, aliquis in nouitate vitę ipsius filij ambulat: mortalitatem
vero Iesu semper in corpore, dú hic degimus, circumferimus,
quádo magnum fructum cepimus: vt vita Iesu in corporibus
nostris manifestetur. Quinetiam via, quæ est in sapientia, &
actione eorum, qui seruátur in ipso facta circa permeationes, F
& explicationes de veritate in diuino verbo, & circa actio-
nes existentes in vera iustitia, vim exhibet nobis intelligendi,
quomodo Christus via dicatur, in quam viam nihil gestare
debet, neque peram, neque pallium, ac ne baculum quidem,
vel calceos, quibus induat pedes iter facturus. Sufficiés enim Prou. 30.
per se est hæc via ad omnia suppeditanda itineri necessaria:
nulláque re omnino indiget, quisquis hanc ingreditur, orna-
tus eo vestimento, quo ornatum esse eum decet, qui inuitatus
vadit ad nuptias, cum nulla res similiter molesta possit in hac
via occurrere. Facile enim factu non est, teste Salomone, vt
serpentis, & vt ego arbitror, cuiusuis etiam feræ vias inueniat
quis supra petrá. Quare nihil opus est baculo in via hac, quæ
tantum abest, vt contrariorum vestigia habeat, vt ne illorum
quidem, quæ mala sunt, ob soliditatem, vnde etiam petra di-
citur, sit capax. Porro vnigenitus veritas est, omnem omnium
rerum iuxta patris voluntatem, cum omni claritate rationem
in se complectens, atque vnicuique in quantú est veritas pro
illius dignitate, & merito distribuens. Quòd si quis inquirat,
num omne, quod tandem cognitum est patri iuxta profundi-
tatem, & diuitiarum, & sapientiæ, & cognitionis eius, serua-
tor noster sciat, & causa glorificandi patrem, quædam à patre
cognita esse dicat, quæ filius ignoret, cum alioqui possit ex æ-
quo perinde atque ingenitus Deus apprehensiones præben-

G dere, sciendum est seruatorem ipsum, quia sit veritas, nihil veri ignorare, idque tum maximè adiungendum est, solida si est veritas, ne claudicet veritas diminuta cognitione eorum, quę sunt in solo patre, vt isti tradunt: vel ostendat aliquis, quędam esse, quæ cognoscuntur, quæ veritatis appellatione nuncupari non possunt, sed supra ipsam veritatem sita sunt. Cæterum perspicuum est principium, fontémque vitę sincerioris ac purioris, atque à mixtione cuiuscunque rei alienæ, propriè in primogenito omnis creaturæ existere, à qua qui Christi sunt participes sumentes, veram viuunt vitam, cum hi, qui præter ipsum viuere existimantur, vt veram lucem non habent, ita ne veram quidem viuant vitam. Iam ostium quoque Seruator inscriptus est: quoniam in patre non licet esse ei, qui non peruenerit apud patrem, primum ab imo ascendentem ad filij diuinitatem, per quam quis manu duci potest etiam ad paternam, generis autem humani amãs cum sit, & qualemcunq; animorum ad meliorem frugem inclinationem admittat, eorum qui ad λόγον, id est ad rationem, non festinant, sed ouiũ instar exquisitam, sed irrationalem mansuetudinem, & lenitatem habent, pastor efficitur. Homines enim, & iumẽta seruat dominus. Quin & Israel, & Iudas ne dum hominum, sed etiam iumentorum semen seminat. Ad hæc à principio considerandum est Christi vocabulum, adiuncto etiam vocabulo regis, vt comparatione, quid differant, intelligatur. Cum itaque in quarto hic, & quadragesimo psalmo dicatur, amana iustitiæ, & osor iniquitatis prę participibus, ob talem erga iu-
H stitiæ amorem, ergáque iniquitatem odium promeruisse, vt vngeretur, tanquam non simul cum esse vnctionem existentem, conereatámque acceperit: quæ vnctio regni, interdúmque etiam sacerdotij mortalibus est signum, censebis tu mortale filij Dei regnum esse, nec simul cum eo natum? Atqui qui fieri potest, vt primogenitus omnis creaturæ rex efficeretur, cum id antea non haberet? & idcirco quia iustitiam dilexerit, eum sit ipsa iustitia? Verum haudquaquam nos latere debet, vocabulum Christi ad eam naturam, qua est homo, præcipuè pertinere: iuxta quam etiam anima ipsius dicitur turbata, & pertristis fuisse: Vocabulum verò regis referri ad diuinitatem: id quod ex primo, & septuagesimo psalmo confirmare licet, dicente:
Psal. 17. Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis, vt iudicet populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio: apertè enim Salomoni inscriptus hic psalmus de Christo propherat, operæque pretium est videre, cui regi oportet à deo propheta iudicium dari: & cui filio regis, & cuius regis iustitiam. Meum itaque est iudicium, præcipuam primogeniti totius creaturæ naturam, cui ob præstantiam datum sit iudicium, regem dici: filium verò regis, eum, quem assumpsit hominem ab illa formatum, & effigiatum secundum iustitiam. Quàm rem sic se habere, vt credam, adducor ex eo, quòd sub vnam & eandem rationem contractum
I sint vtrunque: & quod quæ dicuntur, non tanquam de duo-
Ephes. 2. bus quibusdam, sed tanquam de vno enuntientur. Nam fecit seruator vtraq; vnum, cum hoc primum in seipso fecisset, eò quòd sit primitiæ eorum, in quibus vtraque facta sunt vnum: vocem enim Vtraque refero ad homines etiam illos, qui permixtam spiritu sancto habentes animã, spirituales effecti seruantur. Vt igitur aliquos cernere est, quibus Christus est pastor, sicuti prædiximus, propter suam ipsorum mansuetudinem, & firmitatem, quæ inest in irrationali parte animæ: Sic etiam aliquos videas, quibus rex sit ipse Christus, ob eam animæ partem, quæ rationis magis est capax, per quam accedunt ad Dei cultum. Quorum quidem regem habentium sunt differentiæ, regnante in illis rege, vel magis secundum mysticã, & arcanam rationem, arcanius, ac diuinius, vel imperfectius. Ex quo dixerim ego præcipuam, ac diuinam vnigeniti naturam in illis regnare, qui eousque ratione peruenerunt, vt cõtemplati fuerint ea, quæ corporea non sunt, & à Paulo vocã-
Rom. 1. tur ἀόρατα. hoc est inuisibilia: & μὴ βλεπόμενα. hoc est, quæ oculis non cernuntur: appellat, cum Christus iuxta humanam naturam regnet in illis, qui rationem tantum attigerunt rerum earum, quæ sensu percipi possunt: ex hisce rebus sub sensum cadentibus glorificantes eum, qui fecit, vt etiam in ipsos, qui sub regno rationis sunt, ipse Christus regnaret.

Neque verò offendatur vllus, separantibus nobis, quæ sunt in K
seruatore, significationes, idem existimans etiam in substantia ipsius nos facere. Vel vulgaribus verò quibusque admodũ *Rom. 8.*
etiam patebit quomodo dominus noster, magister sit, & explanator his, qui contendunt ad pietatem; ac dominus seruorum illorum, qui spiritum seruitutis habent ad timorem qui si proficiant, & ad sapientiam summo studio contendant, etiã hac digni habentur, quoniam seruus nescit, quid velit domi-
nus ipsius, nec amplius autem permanet dominus, factus il- *Ioan. 15.*
lorum amicus, id quod ipse docet: cum adhuc serui erant ipsius auditores, dicens: vos vocatis me magistrum, ac dominũ,
& bene dicitis, sum etenim Alibi verò, post hac, nõ dico vos *Ioan. 13.*
seruos, quia seruus nescit, quæ sit voluntas domini sui: sed di- *Ioan. 15.*
co vos amicos, quoniam permãsistis mecum in omnibus tribulationibus meis. Qui ergo in timore viuunt, (quem exigit Deus à seruis non bonis, vt legimus in Malachia, si dominus ego sum, vbi est timor meus?) serui sunt domini, qui illorum vocatur seruator. Attamen nec his omnibus manifestè filij nobilitas declaratur, sed tum, cum, filius meus es tu, ego hodie genui te, dicitur ad illum à Deo, cui semper est hodie, neque enim est vespera dici, neque mane, meo quidem iudicio, sed tempus (vt ita dicam) simul se extendens cum illa ipsius ingenita, & sempiterna vita ipsi dies est hodie, in qua genitus est filius, sic non inuento originis ipsius principio, sicut neq; diei. Insuper addendum est his, quæ diximus, quomodo filius sit vitis vera. Ac profectò hoc perspicuum erit iis, qui vt dignum est prophetica gratia, intelligunt illud, vinum lætificat
cor hominis. Nam si cor pars διανοητικὴ ea est, quæ cogita- L
tione versat, & agitat, ipsúmque lætificat ratio, maxime potabilis, abducens à rebus humanis, & furere faciens, & ebrium esse ebrietate, non ea quidem, quæ est aliena à ratione, sed diuina, qua etiam Ioseph fratres, vt puto, ebrios facit: meritò is, qui vinum cor lætificans affert, est vitis vera: ob hanc causam veram, quòd racemos habeat veritatem, & palmites discipulos, sui imitatores, & ipsos fructificantes veritatem. Difficile autem est differentiam proponere panis, & vitis: quandoquidem non vitam tantum, sed etiam panem vitę seipsum appellat. Proinde vide, ne forte quemadmodum panis nutrit, & cor roborat, confirmare cor hominis dictus, & vinum lætificat diffundens animum, atque exhilarans, sic disciplinæ morales, (Euangelicas intelligo docentes operari) quæ vitam acquirunt eas addiscenti, atque operãti, panis quidem sint vitæ: non tamen fructus vitis dicantur: Theoremata verò arcana, & mystica, lætificantia, atque numine animam afflantia, quæ ingenerantur in iis, qui oblectantur in domino, non solũ nutriri, verumetiam oblectari desiderantes, vinum vocentur à vera vite prouenientia. Ad hæc elaborandum nobis est, quonam pacto primus, & vltimus in Apocalypsi inscriptus est. Diuersus, in quantum primus est, existens ab α, id est principio, & in quantum est vltimus, non idem existens cum ω, id est fine. Opinor itaque, cum animalia, quæ rationem partici-
pant, diuersarum sint specierum, aliud inter ipsa esse primum, M
aliud secundum, aliud tertium, & sic deinceps vsque ad vltimum: quorum sanè quodnam sit primum, & secundum, & tertium, & sic vsque ad vltimum accuratè dicere, humani non admodum ingenij est, sed eius quod naturam superet nostram. Conabimur tamen quæ ad huius considerationis declarationem pertinere videbuntur, pro virili nostra afferre in medium, atque eloqui. Sunt quidem dij, quorum deus deus est, vt prophetiæ loquuntur: confitemini Deo deorum: & Deus deorum dominus locutus est, & vocauit terram. Deus autem, vt Euangelium tradit, non mortuorum
Deus est, sed viuentium. Vnde viuentes etiam dij sunt, quo- *1. Cor. 8.*
rum Deus, Deus est. Quin etiam scribente ad Corinthios Apostolo iuxta propheticas voces, quemadmodum sunt dij multi, & domini multi, nomen deorum interpretati sumus, tanquam existant. Sunt vero etiam alij præter deos, quorum Deus, est Deus, qui vocantur Throni: & alij, qui dicuntur principatus, rursus præter hos alij, qui dicuntur dominationes, & potestates. Dicente autem Paulo super omne nomen, quod nominatur non solùm in secu-
lo hoc, verum etiam in futuro, credere debemus alia es- *Ephes. 1.*
se etiam, præter hæc, rationalia, quorum vocabula haud

ita

A ita familiariter oobis sint in vsu, quorum vnum quoddam genus Sabba vocabat Hebræus, ob eam causam, dicens, nomen formatum fuisse Sabaoth, qui princeps huius ordinis esset, nec diuersus à Deo. Præter hæc omnia est mortale rationale ipse homo. Vniuersorum ergo Deus, genus primum quoddam rationale, quod cæteris bonore excelleret, fecit quod mea sententia eos complectatur, qui vocantur Dij: alterum in præsentia vocenuit throni: ternum verò principatus sine dissidio. Sic autem rationale ad vltimum rationale descendendum est, quod non aliud fortasse fuerit, quàm homo. Seruator igitur diuinius multò, quàm Paulus, factus est omnibus omnia, vt omnes vel lucrifaceret, vel perficeret: & manifestè homo hominibus, angelis angelus factus est. Cúmque fidelium nemo ambigat hominem eum fuisse, angelum etiam eum fuisse inducamur ad credendum seruantes angelorum apparitiones, & verba, quando potestatem cum apparet angelorum habere: in quibusdam scripturæ locis angelis loquentibus: veluti illo in loco, visus est angelus domini in

Exod. 3.

flamma ignis de medio rubi, & dixit: Ego sum Deus Abraham, & Isaac, & Iacob. Quin etiam Esaias dicit: Vocabi-

Esa. 9.

tur nomen eius magni consilij angelus. Primus ergo & vltimus est Seruator, non quòd non sit etiam media, sed ideirco illorum extremorum vocabulo gaudet, vt declaret so

B omnia fuisse. Ipse verò vtrum homo sit vltimum rationale, an ea, quæ vocantur subterranea, quorum de nomero sunt dæmones, vel omnes, vel aliqui. Inquirenda sunt & illa,

Psal. 87.

quæ Seruator se factum per prophetam Dauid inquit: & factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber: sicut plus habens in hominibus, quia natus sit ex virgine: & ob reliquam vitam supra vulgi opinionem, & admirabiliter transactam, ita inter mortuos, non derelicta est anima eius in infernum, eò quòd illic solos fuerit liber. Atque hunc quidem in modum primus est, & vltimus. Quòd si sunt literæ Dei (vt certè sunt) quas sancti legentes ea se dicunt legere, quæ sint in tabulis cœli: elementa illa, per quæ legenda sunt cœlestia, notiones sunt, in minutas partes diuisæ, nempe in α, & quæ sequuntur vsque ad ω, de filio Dei. Rursus idem Dei filius principium est, & finis. Sed secundum significationes non est idem. Nam principium cum sit, quatenus sapientia est, vt in Prouerbiis didicimus, nam scriptum est: Deus creauit me principium viarum suarum ad opera eius: quatenus verbum est, non est principium, quia in principio erat verbum. Igitur significationes eius continent principium, & secundum quiddam, & tertium, præter principium, & sic vsque ad finem: tanquam si diceret, principium sum, quatenus sapientia sum: secundum autem, si for-

C tè sic contingeret dici, in quantum sum inuisibilia: tertium, in quantum vita: quoniam quod factum est, in ipso vita erat. Quod siquis scripturarum sensum inuestigans, idoneus est eum assequi, is quidem fortasse inoenier pleraque, quæ ad ordinem pertineant, atque finem ipsum, omnia autem non arbitror illum inuenturum: apertius autem principium, ac finis, secundum communem loquendi consuetodinem, de re continua, & vnita dici videntur: vt domos principium est fundamentum, & finis fastigium. Et sanè summo angulari lapide existente Christo, toti corpori vnito eorum, qui seruantur, adaptandum est exemplum hoc, omnia enim, & in om-

1. Cor. 3.

nibus est Christus vnigenitus, qui vt principium in eo est homine, quem assumpsit, vt finis autem in vltimo, sanctorum scilicet, etiam in his, qui sunt in medio existens. Est etiã Christus, vt principium quidem, in Adam, vt finis autem, in aduentu suo. Iuxta illud, vltimus Adam in spiritum viuificau-

1. Cor. 15.

tem. Veruntamen hoc dictum congruet etiam explicationi harum vocum, primus & vltimus. Cæterum si obseruauerimus, quæ superius à nobis dicta fuere de vocabulis primi, & vltimi, vbi rum ad species rationalium, tum ad filij Dei diuersas appellationes, & significationes, orationem retulimus, habemus etiam differentiam primi, & principij, & vltimi, & finis, quin etiam eius, quod esse dicitur α, & ω: Sed neque obscurum est, quomodo Christus dicatur viuens, & mortuus, imò post hanc vocem mortuus, viuens in secula seculorum.

Apoc. 1.

Quoniam enim non iuuabamur à præcedenti ipsius vita, peccato obnoxij, descendit ipse ad mortalitatem nostram: vt nos ipsius Iesu, peccato mortui mortificationem circũferentes, ordine capere possimus eam, quæ post mortificationem ipsius extitit, vitã in secula seculorum. Nam qui semper Iesu D mortificationẽ in suo corpore circunferont, etiam ipsam Iesu vitam habituri sunt in corporibus ipsorum clarè apparẽtem: & hæc quidem ipse de seipso in libris Testamenti noui enun-

Esa. 49.

tiauit: Apud Esaiam autem suum ipsius os à patre positum esse dixit, veluti gladium acutum, & se abscõditum fuisse sub vmbra manus ipsius, assimilatum interim sagittæ electæ, & in patria pharetra absconditum: seruum Dei vniuersorum ab

Heb. 4.

ipso vocatum, & Israelem, & lucem gentium. Gladius itaque acutus est os filij Dei, quoniam viuus est sermo Dei, & effi-

Matt. 10.

cax, & penetrantior quouis gladio vtrinque incidẽte, & pertingens vsque ad diuisionem animæ simul, ac spiritus, compagúmque, & medullarum, & discretor cogitationum, & notionum cordis: præsertim cum venerit, non vt mittat pacem super terram, hoc est, in res corporeas, & sensibiles, sed gladium, & vt discindat perniciosam, vt ita loquar, corporis amicitiam & animæ, quò anima permittens seipsam spiritui, qui militat aduersus carnem, amicitiam cum Deo ineat: gladium inquam eum, qui vt gladium acutum, habuit os iuxta propheticum sermonem. Quinetiam inspiciens aliquia tot diuino amore sauciatos, non secus atque erat illa, quæ in Cantico Canticorum se hoc passam fatebatur, inquiens, amore

E vulnerata ego sum: is profectò non aliam inuenturus est sagittam multorum animas amore Dei vulnerantem, quàm eum, qui dicit: posuit me sicut sagittam electam. Ad hæc quisquis intellexerit, quo nam pacto Iesus factus sit discipulis, non tanquam recumbat, sed tanquam ministrans, cum fi-

Esa. 49.

lius Dei existens, pro liberandis iis qui peccato seruiebant formãm serui sumpserit: non ignorabit quomodo ad ipsum pater dicat: seruus meus es tu: ac mox, magnum tibi est, vt voceris seruus meus. Nam nobis audendum est dicere, maiorem, diuiniorémque, atque verè secundum imaginem pa-

Phil. 2.

tris, Christi bonitatem apparere, quando humilem præbuit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, quàm, si rapinam arbitratus fuisset esse se æqualem Deo, nec voluisset pro mundi salute fieri seruus. Ob eam causam volens nos docere, magnum donum se à patre accepisse, quòd sic seruierit, inquit: Et Deus meus erit mihi fortitudo mea. Et dixit mihi: Magnum tibi est, vt voceris seruus meus: nam seruus non factus, non excitasset Iacob, neque dispersionem Israel conuertisset. Sed neque futurus erat in lucem gentium, vt vsque ad extremum terræ salus esset. Et res quidem non vsque adeo magna est, quòd seruus ipse fuerit factus, quamuis à patre hoc magnum esse dicatur, si conferatur cum agnello, & agno innocente: vt enim agnellus inno- F cens, qui ducitur vt sacrificetur, factus est ille agnus Dei, vt auferat peccatum mundi, & qui omnibus sermonem suppeditat, etiam assimilatus est agnello sine voce, coram tondente, vt morte ipsius omnes nos purificemur, quæ datur instar pharmaci aduersus actiones aduersarias, & aduersus peccatum eorum, qui recipere cupiunt veritatem. Siquidem imbelles fecit mors Christi eas potentias, quæ humano generi bellum inferunt, & vindicabit à peccato vitam in vnoquoque credentium, potentia indicibili. Quoniam autem aufert peccatum, vt totus sine peccato sit mundus, idq; facit, donec vniuersos hostes suos, atque adeo mortem ipsam, nempe vltimum hostem, deuicerit: Ideirco Ioannes ait, ostẽdens ipsum:

Ioan. 1.

Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi: non inquit, qui tollit aliquando: neque item, qui abstulit quidem ante, nunc autem non tollit, sed tollit, inquit, quòd assiduè hoc agit, id est, tollit ab vnoquoque in mũdo existente peccatum, neque cessat tollere, quoad è toto mũdo sublatum fuerit peccatum, ac Seruator tradiderit patri regnum paratũ, eo quòd nullum, ac ne leue quidem peccatum perfuturum sit debellandum à patre: & rursum suscipiẽs omnia Dei in toto seipso perfectè, quando impletur illud, vt sit Deus omnia in omnibus. Dicitur etiam præter hæc, vir veniens post Ioannem, ante ipsum factus, & ante ipsum existens, vt edoceamur, etiam hominem filij Dei, diuinitati ipsius cõmixtum ante fuisse, quàm nasceretur ex Maria, quem hominem dicit se nescire. Quem tamen quomodo non notat, cum iam subsiluisset præ gaudio in-

G sam, & adhuc existens in vtero Elizabethæ? quãdo facta fuit
vox salutationis Mariæ, ad aures coniugis Zachariæ. Proinde
obserua, num quod Ioannes dicit se non nosse, referri possit
ad id tempus, quo nondum ipse Christus in corpore appa-
ruerat. Sin verò nõ norat ipsum Christum, antequam id tem-
poris apparuisset in corpore, cum tamen ipsum iam agno-
uisset existẽtem in vtero matris, fortasse dicit quiddam aliud
de eo, diuersum ab illo, quod agnoscebat, scilicet quòd super
quem dilapsus spiritus sanctus maneret super eum, hic esset,
qui baptizaret spiritu sancto, & igni, quando vidit spiritum
descendentem, & super eum manentem. Attamen virum
ipsum etiam antea existere norat Ioannes. Verum enimuero
nullum vocabulum ex his, quæ supra diximus, æquè Christi
pro nobis patrocinium apud patrem declarat, obsecrantis
pro hominum natura, & eam expiantis, atque aduocatus, &
propitiatio, & propitiator: & aduocatum quidem nuncu-
1. Ioan. 2. pat eum Ioannes in epistola sua dicens: Si peccauerit quis,
1. Ioan. 2. aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum.
Rom. 3. Dicitur etiam propitiatio ab eodem, in eadem epistola. Et
hic propitiatio est pro peccatis nostris, similiter in epistola ad
Romanos, propitiator. Quem proposuit Deus propitiato-
rem per fidem, cuius propitiatorij erat vmbra quædam au-
reum illud propitiatorium duobus impositum Cherubim in
intima, & sancta sanctorum. Quomodonam verò aduoca-
tus, & propitiatio, tum etiam propitiatorium esse posset Ie-
sus absque Dei potentia, quæ nostram abolet infirmitatem,
H & quæ in credentium animos influit, & à Iesu subministra-
tur, quia ea peior est, cum sit ipsa Dei potentia, hoc est, αὐτο-
Phil. 4. δύναμις, per quem etiam dicat aliquis, omnia possum per
Christum, qui me corroborat. Quapropter Simonẽ quidem
illum Magum seipsum prędicantem esse potentiam Dei, quæ
vocatur magna, scimus vnà cum suo argento in interitum, &
perditionem abiisse, eos verò omnes qui quomodocunque
sunt fortes, & fatẽtur Christum esse verè potentiã Dei, ipsum
Christum (quatenus potentia est) participare credimus. Illud
autem silentio non prætereundum. Iesum Dei sapiẽtiam me-
ritò existere, & hanc ob causam hoc nomine appellari: quip-
pe cum non in nudis visionibus Dei, & patris vniuersorum
substantiam habeat sapientia ipsius, perinde atque phantas-
mata cogitationum humanarum: Quòd siquis potest incor-
poream substantiarum variarum speculationum omnium ra-
tiones continentium, viuentem, & veluti animatam conside-
rare, is planè sciet Dei sapientiam omni creatura longè præ-
Prou. 8. stãtem, ac bene de seipsa dicere: Deus creauit me initium via-
rum suarum ad opera eius, per quam creationem potuit que-
uis creatura subsistere, haud expers existens diuinæ sapientiæ,
per quam facta est, quandoquidem, teste Dauide, in sapientia
fecit omnia Deus, sed multa quidem participatione sapien-
tiæ orta sunt, quæ vicissim non assequuntur eam, qua creata
I sunt, ex quo pauca sont admodum, quæ nõ modo possideant
ex seipsis sapientiam, verumetiam ex multis aliis, cum Chri-
stus sit vniuersa sapiẽtia: & quilibet sapiens, quatenus sapien-
tiam capit, sit Christi (in quantum est sapientia) particeps per-
inde atque quisque viribus longè præcellens, quantum par-
ticeps est potentiæ, tantũdem etiam Christi (quatenus est po-
tentia) sit particeps. Quòd idem etiam de sanctificatione, &
de redemptione sentiendum est. Ipsa siquidem sanctificatio,
vnde sancti sumus, sanctificationem, & redemptio, Christus
nobis factus est: & vnusquisque nostrum illa sanctificatione
sanctificatur, & illa redemptione redimitur. Obseruа autem,
an particulam, nobis, minimè frustra addiderit Apostolus di-
1. Cor. 1. cens: Qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & san-
ctificatio, & redemptio. Itidemque obseruat Apostolum non
ab re alibi dixisse absolutè Christum, Dei sapientiam, & Dei
potentiam, quatenus potẽtia, & sapientia est, etiam si nos exi-
stimassemus eum non esse potentiam Dei, neq; sapientiam in
vniuersum, sed nobis: nunc autem Iesum scribens Apostolus
sapientiam esse potentiã, aliquoties, vocabulum nobis, addit,
aliquoties non addit, absolutè eum sapientiam, & potentiam
scribens, eum itidem interim non faciat, scribẽs eum esse san-
ctificationem, & redemptionem. Quocirca vide (quoniam
qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes) an ipsius,
qui est nostra sanctificatio, sanctificatio sit pater, quemadmo-
dum ipsius Christi existentis nostri capitis, caput est pater. Est K
autem redemptio nostra Christus, eò quòd in captiuitatem
abducti opus habuimus redẽptione. Nec ipsius redemptio-
nem quæro, qui tentatus est per omnia, iuxta similitudinem
absque peccato, sed nunquam ab hostibus factus captiuus.
Cum semel autem distinxerimus inter voculam nobis, & vo-
culam simpliciter, siue absolutè, dicentes non simpliciter san-
ctificationem, & redemptionẽ scribi à Paulo esse Christum,
sed cum additamento, nobis (cum potentia, & sapientia di-
catur, & cum additamento nobis, & simpliciter sine vocula,
nobis) non sinere debemus inexploratum sermonem de iu-
stitia. Et quòd quidem iustitia, nobis sit Christus, perspicuum
est ex eo: qui factus est nobis sapiẽtia à Deo & iustitia, & san-
ctificatio, & redemptio. Quòd si non inuenimus ipsum iu-
stitiam simpliciter dici, quemadmodum simpliciter sapien-
tia, & potẽtia Dei dicitur, vestigare debemus an ipsi Christo,
quemadmodum sanctificatio est pater, ita etiã iustitia sit pa-
ter. Neque enim iniustitia est apud Deum. Et iustus, & san-
ctus est dominus, & in iustitia iudicia eius. Iustus autem cum
sit, iustè omnia dispẽsat. Quod autem attinet ad id, quod hæ-
retici dicunt, diuersum scilicet esse iustum à bono, sed quod
ipsi non explanant, existimantes iustum quidem esse mundi
opificem, Christi autem patrem bonum, mea sententia accu-
ratè examinatum posset dici de patre, & filio: filio quidem
existente iustitia, qui accepit potestatem faciendi iudicium,
quoniam filius hominis est, & iudicabit orbem terrarum in L
iustitia: patre verò (eos, qui in filij iustitia eruditi fuerint post
Christi regnum beneficio afficiente) boni vocabulum operi-
bus ostensuro, quando fuerit Deus omnia in omnibus. Cuius
fortassis iustitia Seruator instruit omnia, temporibus ido-
neis, & ratione, & ordine, & punitionibus, & spiritualibus,
vt ita loquar, auxiliis ipsius medicinalibus ad capiendum in
fine patris bonitatem. Cuius vim probè tenens Seruator, illi,
qui sibi vnigenito, dicebat, præceptor bone, Cur me, inquit,
appellas bonum? Nemo bonus nisi vnus: nempe ille Deus: Matt. 19.
ille pater. Simile verò etiam in aliis ostendimus, tum verò ma
ximè in hoc, quod dicunt maiorem esse aliquem demiorgo,
hoc est mundi opifice, per mundi opificẽ interpretãtes Chri-
stum, per hoc verò maiorem patrem: hic igitur qui tot nomi-
nibus nũcupatur, aduocatus, propitiatio, propitiatoriũ, com-
passus infirmitatibus nostris, tentatus in omnibus humanis,
iuxta similitudinem sine peccato, magnus est Pontifex non
modo pro hominibus, sed etiam pro omni, quod rationis est M
capax, hostiam semel oblatã seipsum offerens Sine Deo enim
vel per gratiam Dei (vt in quibusdam exemplaribus epistolæ
ad Hebræos ponitur:) Pro omni gustauit mortem: siue sine Hebr. 2.
Deo pro omni gustauit mortem, non solùm pro hominibus
mortuus est, verum etiam pro cæteris rationis capacibus, siue
per gratiã Dei. Pro omni gustauit mortem: pro omnibus sine
Deo mortuus est: per gratiam namque Dei pro omni gustauit
mortem: etenim absurdum est pro peccatis quidem humanis
dicere eum mortem gustasse, non ita vero pro quibuscunque
etiam aliis, qui præter hominẽ in peccatis essent, verbi gratia
pro astris, nimirum neque astris omnino corã Deo puris exi-
stentibus, veluti legimus apud Iob, Astra autẽ non sunt mun-
da in conspectu eius, nisi fortè hoc hyperbolicè dictũ est. Ob
eam causam magnus est Põtifex, quoniã regno patris omnia
restituit, faciens ea repleri, quæ in vnoquoq; mortalium de-
sunt, vt capiãt paternam gloriam. Sanè hic magnus Pontifex
iuxta aliam considerationem Iudas vocatur, vt qui in occulto
sunt Iudæi non à Iuda Iacob filio nominẽtur, sed ab hoc, exi-
stentes ipsius fratres, & laudantes eum, adipiscentes liberta-
tem, qua liberantur ab ipso, & liberati ab hostibus suis, ipso
scilicet manus suas in illorũ dorsum imponente, & subiiciẽte
ipsos, quin etiam supplantante actionẽ oppositam, præterea
solus videns patrẽ (etiam quando homo factus est) Iacob est,
& Israel, à quo vocato Iacob, & Israel, ita vocamur etiam nos,
Iacob, & Israel, vt ab ipso, qui est lux mundi, lux etiam nun-
cupamur. Quoniam autem assumit sibi regnum à rege, quem
sibi præfecerunt filij Israel, id non suggerente Deo, quẽmque
imperare fecerunt, Deo id non approbãte, & quoniam bella
domini gerens filio suo (nempe) populo pacem præparat, for-
tassis hanc ob causam Dauid vocatur: deinde virga, nimirum
his;

A his, qui etiamnum laboriosa, ac duriore vitæ institutione indigent, cum nec dum scipsos amori, mansuetudinique patris permiserint. Hanc ob causam si virga vocatur, egredietur, neque enim manet intra se, sed extra primigenum statum esse videtur. Cúmque egressus fuerit factus virga, non manet virga, sed post virgam exoritur flos ascendens. Vnde ipsam virgæ extremitatem florem esse conspiciunt illi, qui ab eo facto virga visitati fuerint. Visitabit enim Deus in virga (nempe Christo) iniquitates eorú, quos visitabit, misericordiam verò non disperget ab eo. Ipsum nanque miseratur, quandoquidem quos miseratur filius, miseratur & pater. Possumus autem non de iisdem accipere, factum fuisse ipsum virgam, & florem, sed virgam quidem egentibus punitione, florem verò his, qui seruantur, sed melius arbitror, quod prius dixi. Attamen hoc etiam in hoc loco addendum est fortasse futurum, vt cui fuerit Christus virga, sit illi etiam propter virgæ extremitatem omnino flos, sed non contra. Neque enim si alicui flos, huic etiam est virga, nisi fortè quia sit aliquid flore perfectius, & flos, ac ipsum florere dicatur de his, qui nódum perfectè fructificát, perfecti enim illud Christi capiunt, quod est flore præstantius, qui verò ipsius virga tentati fuerint, simul cum ipsa virga futuri nó sunt participes perfectionú Christi, sed tantùm floris præcedentis fructus ipsius. Vltimò ante sermonem, Lapis est Christus reprobatus ab ædificantibus, & in caput anguli ordinatus, (quoniam enim lapides viui ædificátur in fundaméto, ipso Iesu Christo domino nostro existente
B summo angulari lapide, aliis lapidibus apostolorum, & prophetarum, eò quòd ipse sit pars structuræ, quæ est ex lapidibus viuentibus in regione viuentium) lapis appellatur. Hæc autem à nobis dicta sunt redarguere multos volentibus, qui priuata quadam electione, & vtuntur, & segnes sunt in indagando, nam tot nomina cum sint, quæ ad Christum referantur, in solo τοῦ λόγου, id est rationis, & sermonis vocabulo acquiescentes non expendunt, cur nam tandem filius Dei, Deus in principio apud patrem, scriptus sit λόγος, per quem omnia facta sunt, vt igitur propter actionem, eò quòd illuminet mundú, cuius est lux, lux mundi appellatur, & ex eò quòd auctor sit deponendæ mortificationis, illi sincerè adhærentibus, & resurgentibus recipiendi vitæ nouitatem resurrectio vocatur, itémque propter aliam actionem, & pastor, & præceptor, & rex, ac denique sagitta electa, & seruus, ad hæc aduocatus, propitiatio, & propitiator, sic etiam λόγος, hoc est ratio dicitur, veluti quicquid in nobis est à ratione alienum prorsus auferens, & nos præparans conuenienter veritati, rationis participes esse, omnia vitæ opera tum vulgaria, tum perfectiora, propter hunc λόγον, rationémque ad Dei gloriam agentes: adeò vt vel manducando, vel bibendo gloriæ Dei studeamus: nam si ipsum participantes resuscitamur, illu-
C minamúrque, fortassis autem pascimur, etiá vel regimur, quis non videat rationis capaces nos diuinitus effici ipso λόγῳ, hoc est filio Dei, atque ipsa ratione, cuncta in nobis à ratione aliena, atque mortificationem ipsam, quatenus ratio est & resurrectio, aboleri? Quocirca inspice, an quodá modo ipsius, quatenus λόγος (hoc est ratio) est, participes sint omnes homines, quos eum inueniendi cupidos hac etiam ratione doceat Apostolus extra se quærere non debere, dicens: ne dixe-
Rom. 10. ris in corde tuo, quis ascéder in cœlum? hoc est Christum ex alto deducere, aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit scriptura? prope te verbú est valde in ore tuo, & in corde tuo, perinde ac si ipse
Ioan. 15. Christus etiam esset verbum, quod quæritur, quin etiam quádo ipse dominus loquitur, nisi venissem & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem non habent quod prætexant peccato suo, nihil aliud intelligendum est λόγον (hoc est filium Dei, & rationem) dicere, quàm eos, quibus nondum λόγος (id est ratio) completa est, peccatum non habere, sed illos tátùm peccato obnoxios esse, qui participes effecti iam ipsius rationis, agunt præter rationes, ex quibus hæc ratio in nobis cópletur, in quem sensum tantùm verum est illud, nisi venissem, & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent. Age enim de Iesu aspectabili (vt vulgares existimabunt) hoc expendatur quomodo iam verum sit eos, ad quos non venerit, non habere peccatum. Nanq; omnes, qui fuerint ante Seruatoris aduentum, ab omni peccato immunes futuri D
sunt, quoniam non venerit aspectabilis iuxta carnem Iesus. Quin etiam omnes, quibus de eo nunciatum non fuerit, peccatum non habebút. Vnde apertè sequitur etiam non peccatum non habentes, condemnationi non subiici. At λόγος, id est ratio, quæ est in hominibus, cuius participare genus nostrum diximus, bifariá dicitur, vel iuxta complementum, quòd omni inest, qui puerilem transcendit ætatem, detractis prodigiis, vel iuxta summam perfectioné, quæ in solis perfectis inuenitur. Itaque iuxta priorem sensum intelligenda sunt hæc verba, nisi venissem, & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent. Iuxta secúdum verò: omnes, quotquot ante me ve- Ioan. 10.
nerunt, fures sunt & latrones, & non audierút eos oues. Nam antequam perficiatur ratio, omnia, quæ insunt hominibus, vituperabilia sunt, quia sint indiga, & imperfecta, quibus etiam perfectè non obtemperant ea, quæ sunt in nobis ratione carentia, tropicè omnes dicta: ac fortasse iuxta primum sensum, λόγος (id est ratio) facta est caro: iuxta secundum verò, Deus erat ille λόγος, hoc est illa ratio. Huic autem consequens est quærere, num cernere possimus medium aliquod in hominibus inter hanc particulam, ratio facta est caro, & inter hanc, Deus erat illa ratio, videlicet reelemétata, atq; in idé redeunte ratione illa, postquá fuerat facta caro tantisper inferior facta, donec fieret, quod erat in principio apud Deú, Deus λόγος, id est ratio illa apud patrem: cuius λόγου, & filij Dei gloriam vidit Ioannes verè vnigeniti veluti à patre. Potest auté filius
E etiá sermo esse, eò quòd renúciet occulta patris sui, qui mens existit perinde atque filius, qui vocatur sermo. Vt enim apud nos sermo nuncius est earum rerum, quæ à mente cernuntur, sic ille Dei sermo, qui patrem agnouit (nemine alioqui mortalium absque duce in eum intendere valente) patré agnitum reuelat. Nullus enim agnouit patrem, nisi filius, aut ille, cui filius reuelabit: in quantum sermo est, magni existens consilij nuncius: cuius principatus factus est super humerum eius, regnauit enim eò quòd in crucem sustinuit. Ceterum in Apoca- Apo. 19.
lypsi sermo fidelis, & verus sedere dicitur in equo albo, mea sententia denotans vocis claritatem, quam insonat ad nos, accedens veritatis sermo. Non est autem præsentis temporis ostendere, vocabulum equi frequenter poni in voce scripturæ, in qua proponuntur, quę nobis sint adiumento diuinas disciplinas audientibus. Tantú vnius, aut alterius loci submoneamus. Huius fallax equus est ad saluté, & illius. Hi in curribus, Psal. 33.
& hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabi- Psal. 19.
mur. Porrò quòd in quarto, & quadragesimo psalmo est scri Psal. 44.
ptum: Eructauit cor meum sermonem bonum, dico ego opera mea regi, frequentissimè repertum à multis tanquam nobis agnitum, haud intactum prætereundum est. Esto enim patrem hæc dicere, quodnam dicent esse ipsius cor, vt sermo videatur bonus consequenter cordi? Si enim hæc vox λόγος, id est ratio, vel sermo, interpretatione non eget, vt illi F
existimant, abundè constat neque cordis vocabulum interpretatione egere, id quod est absurdissimum: Existimare scilicet non secus cor partem Dei esse, atque est in nostro corpore. Sed admonendi sunt illi, quòd quemadmodum manus, & brachium, atque etiam digitus Dei dicitur, nudum vocabulum acie mentis nobis non dispicientibus, sed examinantibus quonam pacto hæc sanè, & vt Deo est dignum, sunt accipienda, ita etiam nos intelligere debere, cor Dei esse eius eam vim, quæ intelligétiam efficiat, & vniuersa disponat, sermoné verò illud esse, quod, quę in illo sunt corde, renunciet: Quis verò patris consilium his, qui inter mortales digni existerint, quiq; horum naturam superauerint, renunciat, nisi Seruator? Fortè auté non frustra positú est, eructauit, cum huius verbi vice alia innumera dici potuissent, nimirum proposuit, vel protulit cor meum sermonem bonum: Loquutum est cor meum sermoné bonum. Sed vide ne fortè quemadmodú alicuius flatus occulti progressus in apertú est ructus eructátis, tanquam per hunc respirantis, ita veritatis speculationes non continens pater, eructet, faciátque harum figuras in sermone, qui etiam hanc ob causam vocetur inuisibilis Dei imago, & hæc quidem, vt illud, eructauit cor meum sermonem meum, dici à patre intelligamus, multorum intelligentiæ adhærentes. Quibus tamen non statim cedendum, perinde ac constet

G Deum hæc enunciare: quare enim non propheta ille loqua-
tur plenus spiritu sancto,& proferat sermonem bonum per-
tinentem ad prophetiam de Christo? continere ipsum non
Psal.44. valens. Scilicet. Eructauit cor meum sermonem bonum, di-
co ego opera mea regi: lingua mea calamus scribæ velociter
scribentis, speciosus forma præ filiis hominum: postea ad
ipsum Christum, diffusa est gratia in labiis tuis,propterea be-
nedixit te Deus in æternum:& post pauca, propter hoc vnxit
te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.
Verum illud obuciat aliquis(volens hæc psalmi verba à patre
enunciari) audi filia,& vide, & inclina aurem tuam, & obli-
uiscere populum tuum,& domum patris,& dicat prophetam
non fuisse dicturum ad ecclesiam,audi filia. At ex aliis psalmis
difficile non fuerit ostendere personarum plerunque fieri im-
mutationes, vt ab eo loco, audi filia, possit hic pater loqui.
Iam indagantibus nobis vim sermonis, adiungendum est e-
Psal.32. tiam hoc: Sermone Dei cœli firmati sunt, & spiritu oris eius
omnis virtus eorum,quę quidam existimant de Seruatore,&
spiritu sancto posita esse,cum etiam hunc sensum habere pos-
sint,cœlos Dei ratione firmatos fuisse, non secus ac dicimus
domum ædificatam fuisse ratione illa,quæ est ars fabricanda-
rum ædium, & nauim compactam fuisse ratione illa, quæ est
ars fabricandarum nauium, sic etiam dicentes cœlos Dei
ratione firmatos fuisse: qui diuinius corpus assequuntur,
quod etiam propter hoc firmamentum vocatur, non ha-
H bens quàm plurimum fluxus, eámque facilitatem fluendi,
quam cætera inferiora: propter quam differentiam, ac præ-
stantiam dicimus etiam cœlum eximiè diuina ratione firma-
tum fuisse: quoniam igitur proponitur, vt apertè intelliga-
mus hoc dictum,in principio erat λόγος, hoc est sermo, siue
ratio, principium vero sapientiam dici explicatum est, testi-
moniis ex Prouerbiis sumptis,consideratúrque sapientia ante
sermonem ipsam annunciantem,intelligamus necesse est,ser-
monem in principio,hoc est sapientia,semper esse,cúmque sit
in sapientia,quę vocatur principium,non prohiberi esse apud
Deum,cum sit etiam ipse Deus. Nec apud Deum simpliciter
est ipse,sed existens in principio (similiter sapientia) est apud
Deum,subiungit enim,& inquit, hic erat in principio apud
Deum. Poterat enim dicere,hic erat apud Deum. Sed quem-
admodum erat in principio, sic & apud Deum in principio
erat. Et omnia per ipsum facta sunt, existentem in principio,
omnia enim Deus(teste Dauide)in sapientia fecit. Ad hæc vt
intelligamus sermonem propriam habere inscriptionem,ve-
lut qui vitam per se assequatur,dicendum etiam est de poten-
tiis,non de potentia. Hęc dicit dominus potentiarum,multis
in locis ponitur,nomine potentiarum intellectus quibusdam
diuinis animantibus, quæ rationis sunt capacia, quibus supe-
rior, & præstantior Christus est, non tantum sapientia Dei,
I sed etiam potentia dictus. Vt igitur virtutes complures sunt,
quarum singulæ descriptionem habent, quibus differt serua-
tor,sic etiam ὁ λόγος,id est ille filius Dei,illa ratio(etiam si il-
la ratio, quæ in nobis est, non habeat descriptionem) extra
nos intelligetur Christus, iuxta ea, quæ antea indagauimus,
hypostasim habens in principio,hoc est in sapientia. Sed ha-
ctenus de eo,quod est, In principio erat sermo.

EXPLANATIONVM ORIGENIS
Adamantij in Euangelium secundum Ioannem, Tomus secundus.

Et verbum erat apud Deum.



ATIS pro viribus nostris facit Ambrosi, i-
démque frater euangelio conformis, cum an-
tehac disseruerimus, quid sit euangelium, &
quod, qualéue principium,in quo erat sermo,
& quisnam sit ille sermo, qui erat in principio,
Consequenter nunc consideremus quonam pacto sermo ille
erat apud Deum. Ergo vtile erit ad hoc explicandum collige-
re sermonem,qui scriptus est, factum fuisse ad quosdam. Ver-
Osee 1. bi gratia,sermo domini factus est ad Osee filium Beeri. Et ser-
Esa.1. mo factus est ad Esaiam filium Amos,de Iudæa,& de Hieru-
Hier.14. salem, & sermo factus est ad Hieremiam de siccitate. Quo-
modo ergo sermo domini factus est ad Oseam, & sermo ad K
Esaiam filium Amos, & rursus ad Hieremiam, conside-
randum est, vt sic collatione facta inueniri possit, quo-
nam pacto sermo ille erat apud Deum, atque equidem
vulgus simplicius exponet prophetarum dicta, veluti ser-
mone domini, vel sermone facto ad ipsos. Tu verò vide, ne-
fortè vt dicimus, hunc ad hunc fieri, sic etiam nunc à nobis
theologicè consideratus filius,sermo factus sit ad Oseam,mis-
sus ad ipsum à patre: quòd ad historiam quidem attinet ad
prophetam Oseam filium Beeri, quantum verò ad mysticam
rationem ad seruatum(sonat enim Oseas,si interpreteris, ser-
uatus)filium Beeri,quæ vox puteos sonat. Efficitur enim qui-
libet eorum,qui seruantur, putei filius, quia sapientia Dei ex
profundo scaturit. Nec mirum sanè est puteorum filium sic
esse sanctum qui ex strenue factis, frequenter filius nomina-
tur. Idcirco quidem quia luceant opera eius coram homini-
bus,filius lucis nuncupatus:quia verò habeat pacem Dei,exu-
perantem omnem intelligentiam, filius pacis: atque etiam
propter sapientiæ vtilitatem,filius sapientiæ. Iustificata est e-
nim inquit sapientia à filiis suis. Hunc igitur in modum ille e- Philip.4.
tiam,qui diuino spiritu omnia profunda Dei perscrutatur, vt Matt.11.
eloqui possit,ô profunditatem diuitiarum,& sapientiæ,& co
gnitionis Dei, potest esse puteorum filius: ad quem sermo
fiat domini. Sic sermo etiam ad Esaiam venit docens, quæ in
vltimis diebus euentura erant tum Iudeæ, tum Hierusalem:
eodem modo & ad Hieremiam diuina elatione elatum(nam L
ἰαὼ interpretatur elatio.) Sed ad homines quidem,qui prius
capaces non erant aduentus filij Dei, qui est sermo, fit ser-
mo, ad Deum verò non fit, quasi qui antea non existe-
ret apud ipsum, sed eò quòd sit semper cum patre, dici-
tur, & sermo erat apud Deum, non enim factus est apud
Deum. & idem verbum erat,de sermone prædicatur, quo-
niam in principio erat etiam tum, cum apud Deum erat,ne-
que à principio separatus, neque patrem deserens. Et rur-
sus neque eo quòd non sit in principio factus, in princi-
pio,neque eo quòd non sit apud Deum, factus vt esset apud
Deum(ante omne enim tempus,& seculum,in principio erat
sermo,& sermo erat apud Deum.) Quoniam igitur vt inue-
niremus sensum verborum illorum, & sermo ille erat apud
Deum,apposuimus verba prophetica,quomodo factus sit ser
mo ad Oseam,& Esaiam,& Hieremiam,obseruauimúsq; non
parum differre,fuit,& factus est,à verbo erat,addemus, dum
ad prophetas sermo fit, sermonem prophetas illustrare luce
cognitionis: facientem eos, tanquam coràm videntes ea vi-
dere, quæ non intellexerant, antequam fieret ad eos sermo
ipse, apud Deum Deus existens,ex eo quòd sit apud ipsum,
itaque fortasse talem quendam ordinem intuitus Ioannes, in
sermone non præposuit, Deus erat sermo, illis verbis: Sermo
erat apud Deum, nihil alioqui, quòd ad enuntiationes atti- M
net,obfutura serie ad intelligẽdam vim seorsum cuiuscunque
pronunciati,vnum nanque pronunciatum est, in principio e-
rat ille sermo. Alterum,ille sermo erat apud Deum, & dein-
ceps,& Deus erat ille sermo. Sed quoniam fortasse ordinem
quendam declarat,quia positum sit primo loco hoc pronun-
ciatum,in principio erat ille sermo,iuxta talem seriem, & ser-
mo erat apud Deum:& tertio loco,& Deus erat sermo,idcir-
co dicitur,& ille sermo erat apud Deum, deinde, & Deus e-
rat ille sermo: vt ille sermo intelligi possit esse Deus, quia sit
apud Deum. Cæterum magna obseruatione (non tanquam
non callens elaboratum Græcorum dicendi genus)alibi qui-
dem articulis vsus est Ioannes,alibi verò reticuit,in voce nan-
que sermonis articulum cum addiderit, in Dei vocabulo ali-
quando id ponit, aliquando differentiæ gratia id non ponit.
Nam cum Dei vocabulum ponitur de ingenito vniuersorum
auctore,articulum ponit,reticens illud. cum ille sermo Deus
nominatur. Proinde vide,ne forte vt in his locis differt Deus
cum articulo, & Deus sine articulo, sic differat etiam ὁ λό-
γος, id est ille sermo, vel illa ratio, cum articulo, & λόγος,
id est sermo, siue ratio, sine articulo. Vt enim Deus ille, qui
est in omnibus, ille Deus est cum articulo, & non simpliciter
Deus,sine articulo, sic fons rationis(quæ vnicuique rationis
capaci inest)ratio illa est,cum articulo,cum alioqui ratio,quæ
in vnoquoque inest,non perinde propriè,atque illa ratio pri-
ma,

A ma, quam fontem huius dicti, nominetur, dicatúrque illa eatio, cum articulo. Et hinc solui potest illud, quod perturbat multos proficientes se Dei amantes esse, ac verentes duos prædicare deos. Et propter hoc in falsa, & impia dogmata incidentes, vel negantes proprietatem filij esse aliam à patris proprietate, confitentes Deum esse cum nomine tantùm, qui apud ipsos filius appellatur, vel negantes filij diuinitatem, & ponentes ipsius proprietatem, & essentiam per descriptionem existere aliam à patre. Dicendum enim est illis, quòd αὐτόθεος quidem, hoc est, per se Deus, Deus ille est
Ioan.17. cum articulo, propter quod, & seruator in precatione ad patrem inquit, vt agnoscant te illum solum verum Deum, quicquid verò est præter hunc, qui αὐτόθεος dicitur, hoc est per se Deus, participatione, & communione diuinitatis illius deificatum, non ille Deus cum articulo, sed Deus sine articulo magis propriè dicendum esse, quo nomine omninò primogenitus omnis creaturæ, quippe qui cum primus sit apud ipsum attrahens diuinitatem ad seipsum, honorabilior est reliquis diis, qui sunt præter ipsum, quorum ille Deus, Deus est, iuxta id, quod dicitur, ille Deus deorum dominus loquutus est, & vocauit terram, dans esse diis, à Deo hauriens abundanter, vnde ipsos efficiat deos, & vnde illis iuxta suam ipsius bonitatem suppeditet. Verus igitur Deus est ille Deus
Psal.94. cum articulo. Qui autem dij efformantur ad eius formam, velut imagines quædam sunt primi exemplaris. Sed rursus multarum imaginum archetypa imago est ille λόγος, qui est apud Deum in principio existens, quia sit apud Deum semper manens Deus, haud quaquam id habiturus, nisi apud Deum esset. Et haudquaquam Deus mansurus, nisi perpetuò permansisset in contemplatione paternæ profunditatis. Sed quoniam fortassis verisimile est futurum, vt multi offendantur, quia diximus vnum esse verum Deum, nempe patrem, & præter Deum verum multos factos deos participatione Dei: verentes gloriam eius, qui omnem creaturam præcellit, æquari reliquis obtinentibus appellationem Dei sine articulo, præter datam differentiam, per quam Deum λόγον diximus reliquis omnibus diis ministrum esse deitatis, etiam hæc differentia est apponenda. Ea enim ratio, quæ in singulis rationis capacibus inest, eandem comparationem habet ad illam rationem, quæ in principio apud Deum est, & Deus est λόγος, quam habet Deus λόγος, id est ratio sine articulo ad Deum cum articulo. Vt enim pater αὐτόθεος (hoc est per se Deus, & verus Deus) se habet ad imaginem, & ad imagines imaginis, quam ob causam etiam dicuntur homines non esse imagines, sed ad imaginem, sic hunc in modum se habet ipse λόγος, hoc est ipsa ratio ad eam, quæ est in singulis, rationem. Vtraque enim locum obtinent fontis, & originis, pater quidem diuinitatis, filius verò λόγου, id est rationis. Quemad-
C modum ergo dij multi, sed nobis vnus Deus est, nempe ille pater: & multi domini sunt, sed nobis vnus dominus est Iesus Christus, sic multi etiam sunt λόγοι, hoc est rationes, sed nobis illum λόγον, id est rationem illam precamur inesse, quæ est in principio, quæ est apud Deum, quæ est Deus λόγος. Qui enim non capit λόγον hunc, id est rationem, quæ in principio apud Deum, aut ipsum assequetur, quatenus caro factus est, aut particeps efficietur aliquorum, qui λόγοι hunc, id est rationem hanc participant. Vel si verò nec alicuius quidem horum, qui huius rationis participes existunt, particeps effici poterit, in nomine omnino eorum erit, qui à ratione alieni dicuntur. Id autem quod diximus, palàm efficietur ex exemplis de Deo illo, qui profertur cum articulo, & de illo λόγῳ cum articulo, qui est Deus sine articulo, rum etiam de diis, qui vel participant Deum, vel dij quidem dicuntur, nullo pacto autem sunt, & rursus de λόγῳ Deo, & de λόγῳ, qui factus est caro, necnon de λόγοις, qui hunc quodam modo participant, & λόγοι secundi, ac tertij ab ipso dicuntur, & λόγοι esse existimantur, cum tamen verè non sint, sed potius, vt ita loquar, prorsus dici merentur ἄλογοι λόγοι, hoc est rationes irrationales, quemadmodum etiam de iis, qui dij quidem dicuntur, cum non sint, diceret aliquis dij non dij: non secus enim & hi vocantur ἄλογοι λόγοι, hoc est rationes ratione carentes. Atque ille quidem Deus vniuersorum, electionis est Deus, & multò magis il-

lius, qui hanc seruauit, deinceps eorum, qui verè sunt dij, D
& vt semel dicam, Deus est viuentium, & non mortuorum, at verò Deus λόγος, fortasse Deus est eorum, qui in ipso sistunt omnia, qui que existimant ipsum esse patrem. Sol autem, & Luna, & astra, vt ante nos quidam disseruerunt, illis attributa fuerunt, qui minus digni habentur, vt illo titulo, ac laude cohonestentur, vt Deus deorum, Deus ipsorum sit. Sic autem intellexerunt adducti verbis Deuteronomij, quæ ita sese habent: Ne cum suspexeris in cœlum, & intui- Deut.4.
tus fueris solem, & lunam, & omne cœli ornamentum, deceptus adores ea, & seruias eis, quæ ipsa distribuit Deus tuus cunctis gentibus. Vobis autem non sic dedit dominus Deus tuus. Sed qui distribuit cunctis gentibus solem, & lunam, & omne cœli ornamentum Deus, cum sic non dederit Israeli? Scilicet vt qui non possunt ad intelligibilem recurrere naturam, rebus corporeis, ac sub sensum cadentibus diuinitatem esse suspicati, vel lubenter in his sisterent, non prolapsi ad idola, & dæmonia. Deum igitur alij quidem Deum vniuersorum habent, qui verò hos proxime sequuntur, in Christum Dei ipsius filium desiti sunt. Tertij verò sunt, qui solem, lunam, omnéque cœli ornamentum habentes à Deo aberrant, veruntamen errore longè præcellenti, præstantioréque, quàm eorum, qui vocant deos opera manuum hominum, aurum, & argentum artis excogitationes. At omnium vltimi sunt, qui dicati sunt his, qui dij quidem dicuntur, E
haudquaquam vero sunt. Similiter igitur aliqui participant quidem ipsius λόγου, id est rationis, siue sermonis, qui est in principio, qui est apud Deum, qui est Deus, vel vt Oseas, & Hieremias, & Esaias, & siquis alius talem se ipsum exhibuit, vt sermo domini, vel sermo ad se fieret, alij verò, qui nihil sciunt, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, tantum secundum carnem agnoscunt Christum, existimantes se habere amplius nihil de sermone, nisi quòd caro factus est: cuiusmodi est multitudo eorum, qui credere putantur. Iam tertij se sermonibus aliquantulum illum sermonem participantibus applicuerunt, perinde quasi sermones illi omnem sermonem præcellant. Et fortè hi sunt, qui præclaras in philosophia, & præstantes sectas apud gentiles exercent. Quartò verò loco ab his numerandi sunt illi, qui sermonibus prorsus corruptis, & impiis credideruut, euidentem, ac ferè sub sensum cadentem de medio tollentes prouidentiam, aliúmque finem quendam, præter bonum, honestúmue approbantes. Quòd si digredi visi sumus, commodè tamen id fecisse remur, & appositè, nimirum quod ad Dei nomen attinet, res quatuor in eo inspecturi, & totidem in nomine λόγος, qui est ratio, siue sermo. Erat enim Deus cum articulo, & Deus sine articulo, deinde dij dupliciter. Hic erat in principio apud Deum. Tribus prædictis propositionibus, tres ordines nos docens Euangelista, tria in vnum coonectit F
dicens: Hic erat in principio apud deum. In prima proposi- Ioan. 1.
tione didicimus, in quo erat λόγος. Videlicet, quod in principio: & apud quem hic erat, videlicet, quòd apud deum: & quisnam λόγος erat, videlicet quòd deus. Tanquam ergo demonstrans sermonem, quem ante dixerat deum per particulam, hic & in quartam propositionem congregans illud, in principio erat sermo, & sermo erat apud deum, & deus erat ille sermo, inquit: Hic erat in principio apud deum. Potest tamen principij nomen sumi etiam de principio mundi, addiscentibus nobis per hæc dicta, sermonem illum antiquiorem esse rebus à principio factis. Nam si in principio fecit deus cœlum, & terram, clarum est id, quod in principio erat, apertius esse eo, quod in principio factum est, nec solùm firmamento, & arida, sed cœlo, & terra sermo ille est antiquior. Forte autem non absurdè quis inquirat, quare non sit dictum. In principio erat sermo dei: & sermo dei erat apud deum, & deus erat ille sermo dei. Sed consequitur, vt, qui quærit, cur tandem non scriptum sit, In principio erat sermo dei, & quæ sequuntur, plures enunciet esse sermones, & fortassis diuersi generis. Vel vnus quidem erit dei sermo, alter (vt ita dicam) angelorum sermo, alius item hominum. Et ita in cæteris sermonibus. Quòd si vocabulum, sermo, hoc modo se habebit, idem fortassis censendum erit de sapientia, & de iustitia. Dicto autem absurdum est,

G plures vocabuli huius, sermo, appellationes propriè esse, & sapientiæ, & iustitiæ. Conuincemur etiam à veritate, minime à nobis quæri oportere plures sermones, & sapientias, & iustitias, quę propriè sic nominétur. Nam vnusquisq; confiteretur vnam esse veritaté. Nec auderet aliquis dicere, aliam esse dei veritatem, aliam angelorum, aliam hominum. Cum in natura entium vna sit de vnaquaq; re veritas, quòd si veritas est vna, perspicuum est, etiam sapientiam, quæ cófirmatio, & demonstratio ipsius est veritatis, meritò intelligi vnam esse, quippe cum ne ea quidem, quæ appellatur sapientia, nomen suum rectè tueri queat, si non adsit veritas. Quòd si veritas vna, & sapientia vna est, vnus etiam sermo sit oportet, annuncians veritatem, & sapientiam rerum earum, quæ simplices sunt, & apertæ, ad eos, qui sunt capaces. Nec hoc dicimus negantes esse veritatem, & sapientiam, & sermonem Dei, sed ostendentes vtilitatem, ob quam euangelista reticuit dei vocabulum, non scribens: In principio erat sermo dei. Idem autem
Apoc. 19. Ioannes etiam cum additione dei nominat eum in Apocalypsi dicens: Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis, & verax, & in iustitia iudicat, & pugnat. Oculi autem eius, sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse, & indutus erat veste tincta sanguine. Et vocatur nomen eius sermo Dei. Et exercitus, qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis vestiti byssino
H albo, & puro, & ex ore eius procedit gladius anceps, & acutus, vt eo percutiat gentes, & ipse reget eos virga ferrea, & ipse calcat torcular vini furoris, & iræ dei omnipotentis, & habet in vestimento, & in femore suo nomen scriptum, rex regum, & dominus dominantium. Sed necessariò, & absolutè posuit Ioannes vocabulum, sermo, & cum adiectione etiam, sermo dei. Nam si alterum tacuisset, occasionem habituri eramus admittendi multos sermones, & aberrandi à veritate huius vocabuli, sermo: ac si absolutè scripsisset Ioannes sermonem, nec dixisset etiam cum adiectione sermonem dei, non didicissemus apertè hunc sermonem esse sermonem dei. Rursus si sermonem Dei dixisset, nec absolutè sermonem, etiam multos sermones fingentes iuxta relationem ad vnumquemque entium, qui sermone, ac ratione vtuntur, multos propriè sic nominatos admissuri fueramus. Itaque rectè Ioannes Apostolus, & euangelista, iam verò etiam propter Apocalypsin propheta describens in Apocalypsi sermonem dei, se dei sermonem vidisse, inquit, aperto cœlo, equo albo vectum. Ex quo etiam considerandum est, quòd innuatur, quia cœlum sit apertum, & quia equus albus, & quia super ipsum sedeat ille qui sermo Dei vocatur, qui etiam præterquam est sermo Dei, fidelis dicitur, & verax, & in iustitia iudicans, & bellans, vt eo magis proficiamos, cum intellexerimus quæ ad dei sermonem pertinent. Proinde arbitror ego
I impiis, & terrestrem imaginem gerentibus, cœlum esse clausum, apertum verò iustis, & his, qui insigniti fuerint supercœlestis imagine. Nimirum impiis quidem humi etiamnum repentibus, & in carne existentibus præstantiora sunt clausa, quia non intelligant ea, nec possint eorum pulchritudinem (quia nolunt) dispicere proni, nec erigere se conantes, cum insti, & excellentes, quia ius ciuitatis in cœlis habeant, cœlestia contemplentur, Dauidis claui aperta, nempe diuino sermone aperiente ea, & manifestante, eo quòd vehatur equo, hoc est vocibus significata renunciantibus, albo, propter perspicuam, & candidam, & lucidam cognitionem. Sedet autem super equum album ille, qui vocatur fidelis, firmius, (& vt ita dicam) regalius insidens in vocibus, quæ subuerti non possunt, ac quouis equo velocius, ac celerius currunt, & gloria in ipso impetu superant aduersarium omnem simulantem, se esse sermonem, itidémque simulantem, se esse veritatem, & apparentem veritatem. Vocatur autem fidelis, non quia fidem alicui habeat, sed quia fide dignus sit. Nam Mose teste, fidelis, & verax est dominus. Verax est etiam ad differentiam vmbræ, & figuræ, & imaginis: quoniam talis est ille sermo, qui est in cœlo aperto, non enim talis est sermo terrestris, qualis cœlestis, quia factus caro per vmbras, & figuras, & imagines loquitur. Multitudini ergo eorum, qui putantur credere vmbra sermonis, non verò illo sermone Dei, qui est in cœlo aperto, eru- K
diuntur. Propterea Hieremias inquit, spiritus personatum Thren. 4.
nostratum Christus dominus, cui diximus, in vmbra ipsius viuimus in gentibus. Sic igitur sermo ille Dei, qui fidelis vocatur, etiam verax vocatur, & in iustitia iudicat, & bellum gerit, quod iustitia ipsa, ac iudicio ipso facultatem à Deo acceperint iudicandi, & distribuendi, ex dignitate vniuscuiusque entium. Nemo enim eorum, qui iustitiam ac facultatem, iudicandi populum habent ita in sua ipsius animam omnino imprimere poterit, & iustitiæ, & iudicandi figuras ipsas, & idæas, vt nulla in re sit inferior ea, quæ ex se est iustitia, & eo, quod ex se est, iudicio. Quemadmodum neque qui pingit imaginem, potis erit pictura exprimere omnes rei depictæ proprietates. Propterea Dauidem Psal. 142.
dixisse reor, non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, non enim generatim dixit, omnis homo, siue omnis angelus, sed omnis viuens, quoniam etiam si vitæ quis sit particeps, & mortalitatem prorsus excussetit, sic neque tui comparatione iustificari poterit, perinde atque vita. Neque fieri potest, vt qui particeps est vitæ, & ob hoc viuens nominatur, ipse sit vita, nec qui compos est iustitiæ, & idcirco iustus dicitur, omnino ipsi iustitiæ æquiparari poterit. Iam verò quemadmodum ad Dei sermonem pertinet iudicare in iustitia, ita etiam ad ipsum pertinet bellum gerere in iustitia. Vt ex eo, quòd dicitur oppugnare hunc in modum, ipsi sermoni, & iustitiæ inimicos, sublatis his, qui à L
ratione sunt alieni, & iniustitia sublata, inhabitet, & iustificet: expellens contraria ab anima illius, qui salutis causa (vt ita dicam) captiuus factus est à Christo. Sed apertius cernere possumus hoc sermonis bellum, quod gerit cum sermone ipso fungente legatione pro veritate, alter, qui cum non sit sermo, fingit tamen se esse sermonem: itémque simulata veritas, quæ non est veritas, sed mendacium fingit, & prædicat se ipsius sermonis esse ipsam veritatem. Sed enim armatus sermo contra mendacium, illud interficit spiritu oris sui, & destruit apparitione præsentiæ suæ. Et vide an hunc sensum subinnuere voluerit Apostolus hæc scribens in epistola ad Thessalonicenses: Quid enim est, quod spi- 2. Thess. 2.
ritu oris Christi interficitur, cum Christus sit sermo, veritas, & sapientia, nisi mendacium? Et quid est illud, quod destruitur apparitione presentiæ Christi, qui sapientia, & sermo consideratur, nisi id omne, quod profitetur se esse sapientiam, atque etiam sapientia eatenus existens, quatenus Deus per illud comprehendit eos, qui non sunt sapientes vera sapientia in vafricie ipsorum? Quare mirè, ac supra modum de sermone disserens Ioannes, qui equo albo vehebatur, inquit etiam illud, oculi eius velut flamma ignis. Vt enim flamma clara, pariter & lucida, iam verò etiam ignea est, & consumptrix materialium, sic oculi (vt ita dicam) sermonis, quibus & ipse videt, & quisquis illius fuerit particeps, præterquam quòd percipiunt intelligibilia per ea, quę in ipso M
insunt, conficiunt, & demoliuntur conceptus crassiores, & magis materiales, omnibus quomodocunque falsis gracilitatem, & tenuitatem veritatis fugientibus. Valde autem ordinatè postquam induxit sermonem iudicantem in iustitia, & vt iudicet in iustitia, bellum gerentem, atque deinde post bellum, illuminantem, illud subiungitur, in ipsius capite multa diademata. Nam si vnum, & vniforme esset mendacium, de quo prostrato coronam acciperet victor, fidelis, & verax sermo, iure etiam sermo, qui superasset Deo repugnantes, scriptus fuisset vno diademate insignitus. Nunc autem multa cum sint mendacia, quæ profitentur veritatem, aduersus quæ bellum gerens ille sermo coronatur, multa sunt etiam diademata capiti cuncta vincentis imposita. Quin etiam vnamquamque actionem rebellem superans, multis coronis ob victoriam multiplicem insignitur. Dictus etiam post diademata capiti imposita nomen habere scriptum, quod nemo nouit nisi ipse, nouit enim solus quædam animatus hic sermo, cum nullus intueri possit ea, quæ ille comprehendit, eo quod res, quæ continuè generantur, longe inferiores sint natura ipsius. Atque etiam fortassis soli participes illius sermonis quædam norunt, quæ sunt abscódita non participantibus illum. Porrò sermo ille dei non nudus à Ioanne cernitur,

dum

A dum equo albo vehitur, sed circundatus vesta sanguina tincta, sermo ille factus caro, vestigiis ingredi cœpit, & idcirco etiam mortuus, quia caro factus, ita vt sanguinem super terram suum profuderit, milite latus eius pungente. Passionis namque illius, & veritatis & institutu vitæ, quam tenuit in corpore nostro, nulla nos vnquam tenebit obliuio, etiam si fortasse quomodocunque peruenerimus ad altissimam, superuámque ipsius sermonis, & filij Dai contemplationem. Hunc Dei sermonem cœlestes exercitus omnes sequuntur, sermonem sequentes ducem, & imitantes cum in omnibus. Idque tum maxime, cum non secus ac ipse, inscendunt equos albos, omnia enim aperta sunt intelligentibus. Et quemadmodum fugit dolor & mœror, & suspirium in fine rerum, sic arbitror fugere etiam obscuritatem, & dubitationem, omnibus sapientiæ Dei mysteriis diligenter, & manifestè in apertum productis. Considera verò albos equos eorum, qui sequuntur sermonem, indutos albo, & puro abysso & considera, num quia byssus è terra oritur, byssina indumenta significent proprietates linguarum, quæ sunt in terra, quibus indutæ sunt voces, res apertè, & purè significantes: hæc autem sumpta ex Apocalypsi, quæ docet nos qualis sit Dai sermo, prolixius tractauimus, vt accuratius, & subtilius, quæ ad ipsum sermonem spectant consideraremus.

B

Hic erat in principio apud Deum.

Ioan.1 IIS qui accuratè non attendunt diuersas in bis, quæ enunciantur, propositiones, videbitur Euangelista eadem repetere, ac sic nihil plus diceret his verbis: Hic erat in principio apud Deum, quàm illis: & ille sermo erat apud Deum. Sed obseruemus necesse est, nos quando dicimus, ille sermo erat apud Deum, non addiscere quando erat, vel in quo erat apud Deum, iuxta quartum pronunciatum additum. (Nam quatuor cum sint in hoc loco ἀξιώματα, hoc est pronunciata, quæ aliqui προτάσεις, hoc est propositiones appellant, pronunciatum quartum est. Hic erat in principio apud Deum.) Insuper hæc propositio: ille sermo erat apud Deum, non idem est cum illa, quæ inquit: Hic erat non simpliciter apud Deum, sed quando erat apud Deú, scilicet, Hic erat in principio apud Deum, quin etiam illud, hic, per demonstrationem existimabitur positum fuisse, vel de sermona, vel de Deo, ab eo, qui minus diligenter inuestigauerit, vt etiam inueniat comprehensionem priorum, & comprehensioné aonsiderationis huius vocis sermo, & huius vocis Deus, factam io pronomine hic: vt hæc demonstratio in vnum ea congreget, quæ consideratione sunt diuersa, neq; enim dum consideramus Deum, consideramus sermonem, C neq; dum consideramus sermoné, consideramus Deú. Fortassis auté summa est, & collectio triú propositionum in vná hanc: Hic erat in principio apud Deum, quatenus enim in principio erat sermo, non didiceramus, quòd apud Deum. Quatenus verò apud Deum sermo ille erat, non agnoueramus apertè, quòd in principio apud Deum erat: quatenus autem, Deus illa sermo erat, nequa declarabatur ipsum in principio esse, nequa quòd apud Deum erat. Quòd si dicense Euangelista, hic erat in principio apud Deum, sub pronomine demonstratiuo, hic, intelligatur, & sermo, & Deus, & particula, in principio, sic coniungatur, addatúrque etiam apud Deum, nihil omittitur eorum, quæ sunt in tribus propositionibus, quod summatim ooo comprehendatur redactis tribus propositionibus in vnum. Vide verò an fieri possit, vt etiam duas res dicamus, quia bis dicatur, in principio, alterá quidem, quòd in principio erat ille sermo, quasi & iam ex te esset, & non omnino apud aliquem, alteram verò, quòd in principio apud Deum erat. Meúmq; est iudiciú, absqua mendacio dici posse de eo, quòd & in principio erat, & in principio apud Deum, nequa apud Deum solùm existens, quoniam in principio erat, neque in principio solum existans, & non apud Deum existens, quoniam hic erat in principio apud Deum.

Orig. tom. 2.

Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. D



VNQVAM principem locum habet particula Per quem, sed semper secundum: veluti in epistola ad Romanos, Paulus seruus inquit Iesu Christi, vocatus ad munus apostolicum, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, genitus fuit ex semine Dauid secundum carnem: qui declaratus fuit filius Dei cum potentia secundum spiritum sanctificationis ex eo quòd resurrexit è mortuis Iesus Christus dominus noster, per quem accepimus gratiam, & apostolici muneris functionem, vt obediatur fidei inter omnes gentes super ipsius nomine, Deus enim euangelium suú prænunciauerat per prophetas, subministrantibus prophetis, & habentibus sermonem illius, cui competit per quem. & rursum, Deus dedit gratiam, & apostolici muneris functionem Paulo, & reliquis, vt obediant fidei omnes gentes. Et dedit per Christum seruatorem, habentem particulam, per quem. Rom.1. Et in epistola ad Hebræos ipse Paulus inquit: In nouissimis Heb.1. diebus loquutus est nobis in filio, quem posuit heredem omnium, per quem fecit & secula, docás nos Deum secula fecisse per filium. Vnigenito habente particulam διά, id est per E quem, dum secula fierent. Sic igitur hoc etiam in loco, si omnia per sermonem facta fuerunt, non à sermone facta fuerút, sed ab eo, qui ipso sermona maior est, quem quis alium dixerit, quàm patrem ipsum? Quærendum est & illud, an ipse etiam spiritus sanctus per ipsum sit factus. Verum cum sit, omnia per sermonem facta fuisse, ac meo quidem iudicio, siquis dicat factum esse spiritum sanctum, & admittat omnia per sermonem facta fuisse, is etiam fateatur necesse est, spiritum ipsum à sermone factum, nimirum sermone ipso antiquiore existente ipso spiritu. Qui verò noluerit spiritum sanctum per Christum fuisse factum, sequitur, vt is vera credens, quæ in hoc Euangelio sunt scripta, spiritum ipsum ingenitum asserat. Ad hæc quæramus oportet & illa in hoc dictum. Omnia per ipsum facta sunt, quia sermo intellectione animi alius est à vita, & quod factum est in sermone vita erat, & vita erat lux hominum, an vt omnia per ipsum facta sunt, sic etiam vita per ipsum facta sit, quæ est lux hominum, & aliæ seruatoris intellectiones: an omnia per ipsum facta fuisse, intelligere opus sit, detractis his, quæ in ipso sunt, quod mihi melius essa videtur. Vt enim concedatur ipsum fecissa omnia, eò quòd vita (quæ est lux hominum) facta fuerit, quid dicendum de sapientia, quæ ante ipsum sermonem aonsideratur? Nam profectò per sermonem factum non est, quod excellit sermonem. Quare omnia per sermonem Deum facta sunt, præterea, quæ considerantur in Christo, quia pater fecerit ea in sapientia, omnia enim inquit in sapientia fecisti, F non per sapiétiam fecisti. Videamus etiam quam ob rem dictum sit: Et sina ipso factum est nihil, (etiam si quibusdam videatur superfluum essa illud, sine ipso factum est nihil,) Ioan.1. quod subiungitur his verbis, omnia per ipsum facta sunt. Si omne & quicquid dixeris per sermonem factum fuit, nihil sina sermona factum fuit, tamen non sequitur, si sine sermone nó factum est aliquid, omnia per sermonem facta fuisse. Nam fieri potest, vt cum nihil sine sermona factum fuerit, non tantùm omnia per sermonem facta sint, sed aliqua solùm ab ipso facta fuerint. Proinde intelligamus necesse est, quonam pacto accipere debeamus vocabulum, omnia, & quomodo vocabulum, nihil. Fieri enim potest, ni explanauerimus vtrasque dictiones, si omnia per sermonem facta sunt, & appellatione omnium comprehendatur & vitium, & omnis fusio peccati, & omnia praua, vt intelligamus etiam hæc per sermonem facta fuissa, quod est falsum: creaturas enim per sermonam factas fuisse nihil est absurdi: atqua etiam beatos viros omnia præclaré facta, & egregia facinora per sermonem peregisse, nobis necessarium est intelligere, non item verò lapsus, & peccata. Exposuerunt igitur quidam, propterea quòd non subsistat vitium, (neque enim fuit ab initio, ac ne in seculum quidem futurum est) ea nihil essa. Et quemadmodum gentiles quidam genera, & species, veluti animal, & hominem

G nihil esse dicunt, ita hi arbitrati sunt esse omne illud, quod nec à Deo, nec per sermonem sumpserit apparentem subsistentiam. Et adnotamus num è scripturis possunt hæc accuratissimè ostendi. Quantum igitur attinet ad significata huius vuculæ, nihil, & voculæ, non ens, Synonyma videbuntur esse, cum non ens dicatur nihil, & nihil non ens. Ita-
1.Cor.1. que videtur Apostolus non entia dicere, non quæ omnino nequaquam sunt, sed ea, quæ sint praua, existimans praua non existere, quæ enim non erant, inquit, Deus velut entia vocauit. Quin Mardochæus etiam in libro Ester iuxta septuagin-
Ester 14. ta, non existentes vocat inimicos Israel dicens: Ne tradideris sceptrum tuum domine nõ existentibus. Possumus etiam adiungere, quomodo propter vitium mali appellentur nõ exi-
Exod.3. stentes, ex Dei nomine, quod scriptum est in Exodo: Dixit enim dominus ad Mosen: Existẽs hoc mihi est nomen, Bonus Deus hæc loquitur iudicio nostro, qui gloriamur esse de Ecclesia, quem glorificans seruator dicit. Nemo bonus nisi solus Deus, nempe ille pater. Igitur bonus idem est cum existente. Cum verò malum aut prauum contrarium sit bono, & contrarium existenti sit non existens, sequitur malum, & prauum esse nõ existens. Et fortassis hac ratione adducti fuerunt, qui dicunt diabolum non esse Dei opificium, in quantũ enim diabolus est, non est Dei opificium, in quantum verò illi contigit, diabolo esse, factus cum sit (cum nihil creatum
H sit extra Deum nostrum) Dei est opificium, non auferentes, ipsum à Deo factum fuisse, in quantũ homo est. Namque ponentes etiã nos, cum esse sumpsisse à Deo, in quantum homo est, non ponimus hoc eum sumpsisse, in quantum est interfector. Itaque omnes participantes ens (participant autem sancti) meritò erunt existentes, qui verò diffugiunt entis participationem, eò quòd priuati sint ente, facti fuerunt non existentes. Diximus autem superius ens, & nihil, synonyma, & vniuoca esse: & hanc ob causam, qui non sunt, nihil esse, & omne vitium etiam nihil esse, quoniam est, non ens: & nihil vocatum, sine sermone factum fuisse, non connumeratum cũ vocula hac omnibus. Atque nos quidem pro virili ostendimus, quæ sint omnia facta per sermonem, & quid sit sine ipso quidem factum, nunquam autem existens, & hanc ob causam nihil vocatum. Sed arbitror Heracleonem, qui dicitur esse familiaris Valentini, enarrantem hoc dictum, omnia per ipsum facta sunt, coactè & nullo teste adhibito excepisse mundum, & quæ in ipso sunt, à vocabulo, omnia, excludentem, quantum ad positionem suam, mundum, & quæ in ipso sunt, per sermonem enim inquit, non insignia, non seculum, non quæ in seculo sunt, facta fuere, existimans illa ante sermonem fuisse. Impudentius insuper instans ad illud, sine eo
Deut.4. factum est nihil (neque veritus illud: ne addideris sermonibus eius, ne te redarguat, & mendax sis) illi nihil addit eorũ, quæ in mundo sunt, & in hac conditione. Et quoniam aper-
I tum est dicta ipsius valde coacta esse, prætérque euidentiam pronũciata (si quæ ipse diuina opinatur, excluduntur à voce omnium, quæ verò sunt opinione sua omnino corruptibilia propriè dicuntur omnia) non immorandum nobis est in his confutandis, quæ ex se absurditatem præseferunt. Quale est illud etiam quod scriptura dicente, Et sine ipso factum est nihil, ipse addit sine auctoritate scripturæ, nihil eorum, quę sunt in mundo, & creatione, quod neque cum probabilitate pronunciat, sed dignum se putat, cui non secus atque prophetis, vel apostolis credatur, qui cum auctoritate, & inculpatè reliquerunt sui similibus, ac posteris suis salutaria scripta. Iam verò, & hoc dictum, omnia per ipsum facta sunt, priuatim, atque secus, quàm alij, exposuit dicẽs: sermonem eum esse, qui causam præbuerit generationis mundi opifici, nec tamen sermoni competere particulam à quo, vel ex quo, sed per quem, exponens id, quod scriptum est, phrasim esse consuetam, sed si rerum veritas erat, vt ipse putat, scriptum fuisse oportuit, omnia per opificem facta fuisse à sermone, nõ vice versa per sermonem ab opifice. Et nos quidem cum vsi sumus vocula, per quem, perinde atque facit consuetudo, non sine teste expositionem dimisimus. At verò ille præterquam quòd suam opinionem è diuinis scripturis non cõfirmat, videtur & suspicatus fuisse veritatem, & impudenter illi aduersatus, dicens: nõ enim faciebat ipse sermo tanquam ab alio operante (vt sic intelligeretur vocula per quẽ) sed ipso operante alius faciebat. K
Cæterùm non præsentis est tẽporis probare quòd mundi opifex, & fabricator fecerit mũdum, non factus minister sermonis, & ostendere, quòd sermo, vt minister opificis mundum cõdiderit. Iuxta Dauid enim prophetam, Deus dixit & facta sunt: mandauit, & creata sunt, mãdauit enim ingenitus Deus primogenito omnis creaturę, & creata sunt, non solùm mundus, & quæ sunt in illo, verùm etiã reliqua omnia. Siue thro- Col.1.
ni, siue dominationes, siue potestates, omnia enim per illum, & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia. Ad hæc in hoc dictum, & sine ipso factum est nihil, non intacta sinenda est oratio de vitio, quamuis enim admodum dissentanea atq; absimilis esse videatur, ego nihil fermè facile contemnendum esse censeo. Quærẽdum enim est, an etiam vitium per λόγον, id est rationem factum sit, sumendo nunc λόγον, id est rationem attentè, & diligenter pro eo λόγῳ, qui est in vnoquoque, quoniam & ipse ingenitus est singulis ab eo λόγῳ, qui erat in principio. Inquit igitur Apostolus, sine lege peccatũ est Rom.7.
mortuum, & addit, veniente autem mandato peccatũ reuixit, vniuerse docens de peccato, quòd peccatũ ipsum nullam habeat operationem, antequam veniat lex, & mãdatum. Proinde cum λόγος, id est ratio, sit aliquo modo lex, & mandatum, & non sit peccatum non existente lege (peccatum enim non imputatur, cum non sit lex) etiam rursus non erit peccatum, si non sit ratio. Nam si non venissem, inquit, & loquutus eis L
fuissem, peccatum non haberent. Aufertur enim prætextus omnis ab eo, qui voluerit se de peccato defendere, quoniam sermoni, & rationi in se existenti, ostendentique quid agendum, non paruerit. Vnde omnia, vel fortasse etiam ipsa deteriora facta sunt per rationem, & sine ipso (exponentibus nobis simplicius vuculam nihil) factũ est nihil. Nec rationi omnino vitio vertendum est, si omnia per ipsam facta sint, & sine ipsa factum sit nihil: quemadmodum neq; magistro vitio vertendum est, qui discenti necessaria ostẽderit, cum propter huius disciplinas nullus defensionis peccanti relinquitur locus, perinde quasi ignorauerit, idque præsertim, si considerauerimus magistrum à discẽte inseparabilem: veluti enim magister inseparabilis est à discente, sic ratio in vnoquoque, qui rationis est compos, naturaliter existens: semper agenda suggerens, etiam si non obediamus illius præceptis, permittentes nos ipsos voluptatibus, & prætermittentes optima illius consilia. Vt autem oculo nobis ad bona ministro dato etiam abutimur in his, quæ honestè non videmus, perinde atque in auditu facimus, cum præbemus nos ipsos attentos audiendis canticis, quę nos condemnant, auditionibúsque nobis vetitis, sic cõtumeliam inferentes rationi, quæ in nobis inest, nec vbi oportet, illa vtentes, per ipsam trãsgredimur legem, quæ peccantibus inest ad iudicium. Et idcirco eum iudicás, qui ipsam omnibus nõ prætulerit. Vnde etiam inquit: Sermo, quem lo- M
quutus sum, ipse condemnabit vos, perinde quasi diceret, ego Ioan.12.
ille λόγος, ille in vobis insonans, ipse vos condemnabo, cum nullum omnino vobis locum reliquerim à ratione alienum. Verum coactior videbitur esse hæc intelligentia, exponentibus nobis alium λόγον in principio existentem λόγον apud Deum, Deum λόγον, alium autem ipsum considerantibus, quia non solum de præcipuis opificiis omnia per ipsum facta fuisse dici, diximus, verum etiam de omnibus, quæ fiunt ab his λόγου, & rationis sunt cõpotes, sine quo λόγῳ, id est ratione nihil peccamus. Insuper quærendũ etiã est, an is λόγος, qui in nobis est, idem sit cum eo, qui est in principio, & qui est apud Deum, & Deus λόγος, præsertim quoniam tanquam hoc λόγῳ altero non existente, ab eo λόγῳ, qui est in principio apud Deum, videatur Apostolus illud docere. Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum: hoc est Christum Rom.10.
deducere, vel quis descendet in abyssum, hoc est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit scriptura? propè te verbum Deut.30.
est, valde in ore tuo, & in corde tuo.

TOMVS TERTIVS.

Quod factum est in ipso vita erat, & vita illa erat lux hominum.

Quædam

A VÆDAM sunt apud gẽtiles dogmata (Paradoxa quæ vocant) sapienti suu tribuentia quamplurima, cum quadam demonstratione, vel apparenti demonstratione. Iuxta quæ inquiunt, solum, & omnem sapientem esse sacerdotem: eò quòd solus sapiens cultus diuini sapientiam teneat: solum etiam, & omnem sapientem inquiunt esse liberum: tanquam qui acceperit libertatem ex animi sui sententia, operandi à lege diuina, libertatem etiam diffinientes legitimam permissionem. Et quid opus est nos nunc dicere de his, quæ paradoxa appellantur, cum multum operæ insumatur in eis, & ea, quæ ab ipsis enunciantur iuxta paradoxa collatione egeant cum voluntate scripturæ, vt in quibus cultus diuini ratio concordet, & in quibus contrarium velit, his, quæ ab illis dicuntur, ostendere possumus? Horum autem mentio facta est, inquirentibus illud: quod factum est in ipso vita erat, propterea quod possit aliquis scripturam sequẽs, complura huiusmodi ostendere, quæ formam veluti habeant paradoxorum: quæque etiam (siquid quod magis sit paradoxon, opus est dicere) magis sint paradoxa, quàm quæ ab illis dicuntur. Nam si considerauerimus λόγον, id est rationẽ, & filium Dei in principio existẽtem: rationem apud Deum, & rationem Deum, fortassis eum solum, qui huius particeps sit, in quantum est talis, rationis capacem dicere poterimus:
B Adeò vt enunciemus solum sanctum rationis capacem esse. Rursum si intellexerimus factam in sermone vitam (iuxta eum, qui dicit: ego sum vita) dicturi sumus neminem extra Christi fidem viuere, sed omnes mortuos esse, qui Deo non viuant, & quòd viuere ipsorum, sit viuere peccato, & idcirco (vt ita dicam) Viuere ipsorum ad mortem pertineat. Inspice verò, an non hoc frequenter proponant diuinæ scripturæ,
Exod.3. alicubi. Seruatore dicente, an non legistis, quod dictum est
Psal.142. in Rubo: Ego Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, non est Deus mortuorum, sed viuentium: &, non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Cæterũ quid dicere opus est de ipso Deo, vel Seruatore? Ambigitur enim vtrius sit vox illa, quæ apud prophetas dicit, viuo ego, dicit dominus. Ac principio quidem videamus illud, non est Deus mortuorum, sed viuentium. Quod perinde valet atque illud, non est peccatorum Deus, sed sanctorum Deus. Magnum enim patriarcharum munus, deum vice sui nominis illorum nomenclaturam applicuisse suæ propriæ appellationi. Deinquemadmodũ
Heb.11. etiam Paulus inquit, propter quod non erubescit Deus, vocari Deus ipsorum. Itaq; Deus est patrum, & omnium sanctorum: nec alibi scriptum reperias, Deum esse alicuius impiorum Deum. Si ergo Deus sanctorum est, & Deus viuentium esse dicitur, sancti sunt viuentes, & viuentes sancti. Quippe cum sanctus non sit extra viuentes, nec aliquis iam sit viuens, qui cum ipsa vita non etiã hoc habeat, vt sit sanctus. Idem te-
C rè de eo sentiendum est, quod ait: Hilariter affectus ero erga dominum in regione viuentium: Perinde ac si dixisset in ordine sanctorum, vel in loco sanctorũ, nempe animi hilaritate propriè, vel in ordine, vel in loco sanctorum existẽte, & perinde quasi nullus eam plenè sit possessurus, qui vel ad ordinẽ sanctorum, vel ad locum sanctorum nõ peruenerit: ad quem accedat oportet, quisquis hac in vita perceperit vmbram veluti, & imaginẽ veræ hilaritatis. Quin illud, non iustificabuntur coram Deo viuentia omnia, declarat neminem, quãtumlibet beatum, si cum Deo, ac iustitia ipsius conferatur, iustificari, veluti si tale quiddam altero exemplo diceremus, non splendebit lucerna vlla coram sole, splendebit quidem omnis lucerna, sed tum, cum radiorũ solis splendore non illustrantur. Iustificabitur etiam omnis viuẽs, at verò non coram Deo iustificabitur, quando cum illis comparatur, qui infernè habitant, quique tenebris detinẽtur, apud quos lucebit illorum lux. Et vide num hac ratione intelligendum sit etiam illud,
Mat.5. quod est in Euangelio: Luceat lux vestra coram hominibus, nõ enim dixit, luceat lux vestra coram Deo, alioqui præceptũ daturus impossibile, si hoc præcepisset, perinde ac si lucernis animatis præcepisset, vti lux ipsorum coram sole luceret. Quamobrem non modò vulgus viuentium nõ iustificabitur coram Deo, sed nec etiam hi, qui ceu inter viuentes inferioribus præstant, quódque magis etiam est, omnium viuẽtium

in vnum collecta iustitia, comparatione Dei, non iustificabi- D
tur, perinde ac si luminibus, quæ super terram sunt, nocturnis in vnum collectis, dicerem ego, fieri non posse, vti splendorem afferant, splendorum huius solis comparatione: Per repetitionem verò eorum, quæ diximus, considerandum etiam Num.14.
illud est: Viuo ego dicit dominus, cum proprium viuere (præcipue ex his, quæ de viuendo disseruimus) penes solum sit Deum. Et vide num ob hoc possit Apostolus in hyperbolen vsque cõsiderata Dei vitæ excellentia, & vt dignum est Deo, intelligens illud, viuo ego dicit dominus, de Deo dixisse: qui solus habet immortalitatem, nullo viuente præter Deum, immutabilem, inalterabilem diuinitatem habentem, & quid ambigimus de cæteris, quãdo ne Christus quidem patris ha- Heb.2.
buerit immortalitatem? Nam pro quocũque mortem gustauit. Cum verò inquiramus de his, quę ad Deum viuẽtem pertinent, & de vita, quæ est Christus, déque viuentibus, qui sunt in sua regione, atque de viuẽtibus etiam his, qui coràm Deo non iustificantur, consequenter his apponentes, qui solus habet immortalitatem, pariter etiam assumemus, quæ subintelliguntur, nempe quod omne quicquid dixeris rationis capax, non habeat substãtialiter (ceu inseparabile accidens) beatitudinem. Nam si inseparabilem habeat beatitudinem, & præcipuam vitã, quomodo verum erit illud, quod de Deo dicitur, qui solus habet immortalitatem? Sciendum est attamen Seruatorem non esse sibi ipsi aliqua, sed aliis, aliqua verò & ipsi, E
& aliis. Insuper quærendum est, an aliqua ipse habeat, quæ nullus alius. Namque palàm aliis est pastor: non more pastorum, qui hominibus præsunt, vtilitatem ad se trahẽs, eò quòd pascat, nisi fortè eorum, qui pascantur, vtilitatem, benignitatis causa propriam esse reputet. Quin etiam via est, aliis similiter etiam ostium, iam etiã in confesso est, quòd sit etiam virga: sibi verò ipsi, & aliis sapientia, fortassis etiam λόγος, id est ratio. Quærendum est insuper, num ex ea multitudine speculationum, quæ sunt in ipso, in quãtum sapientia est, sint aliquæ speculationes apud ipsum, quas reliqua natura generata percipere nequeat, quarũmque sibi ipsi scientiam reseruet. Nec inexaminata relinquenda est oratio de spiritu sancto ob timorem, nam quòd etiam ipse ab illo edoceatur, liquet, ex eo quòd de paracleto, & spiritu sancto dicitur, de meo accipiet, & annunciabit vobis: sed diligentius inquirendum est, an cum docetur, omnia capiat, quæ defixis in partem oculis à principio existens filius agnoscit. Si ergo Seruator aliqua quidem est aliis, aliqua verò forsitan sibi ipsi, eàque vel nulli, vel vni, vel paucis, examinandum est, vtrum Seruator, quatenus est vita illa, quæ facta est in sermone, sibi ipsi, & aliis sit vita, an aliis, & si aliis, quibus aliis. Quam ob rem si vita, & lux hominum idem sunt, (inquit enim, quod factum est, in ipso vita erat: & vita illa erat lux hominum.) Et lux hominũ, aliquorum est lux, & hæc nõ omnium, qui rationis sint capaces, propterea quòd addita sit vocula, hominum, sed hominũ est lux, vita erit etiam vita hominum, quorũ etiam lux est. Et F
in quantum est vita, dici potest Seruator nõ sibi ipsi, sed aliis vita, quorum est etiam lux. Hæc sanè vita in λόγῳ, hoc est in Dei filio fit, inseparabilis ab ipso existens, simulátque facta fuerit: præexistat enim λόγος, id est sermo, siue ratio in anima oportet, qui ipsam expurget, vt post hunc, & ab ipso prouenientem purgationem omni prorsus ablata mortificatione, & infirmitate, pura, sincerãque vita ingeneretur apud omnem, qui fecerit seipsum capacem sermonis, in quãtum Deus est. Cæterum duo singulatim obseruanda sunt, differentiáque eorum accuratè examinanda, primum quidem λόγος, id est, sermo est in principio, deinde quod vita in sermone. Sed sermo quidem in principio non est factus. Nec enim fuit quando principium fuerit absq; sermone, & ratione, quam ob causam dicitur: In principio sermo erat. At vero vita in λόγῳ, id est, sermone non erat, sed facta est (quãdoquidem vita est lux hominum) cum enim homo nondum esset, neque lux hominum erat: considerata luce hominũ, iuxta relationem ad homines. Cæterum nemo nos vrgeat iatus nos hæc tẽporaliter enuntiare, ordine exigente, primũ, & secundum, & quæ deinceps, etiam si tempus non inueniatur, quando ternarius numerus, aut quartus haud quaquam à sermone substrati erant. Vt igitur omnia per ipsum facta sunt, non omnia per ipsum

G erant,& sine ipso factum est nihil,non sine ipso erat nihil, sic quod factum est in ipso(non quod erat in ipso)vita erat. Et rursus non quod factum est in principio sermo erat,sed quod erat in principio,sermo erat. Quædam tamen exemplaria, & fortassis non improbabiliter habent:quod factum est in ipso vita est,quòd si vita idem est cum luce hominum, nullus qui sit in tenebris viuit,nec vllus viuentium est in tenebris, cum omnis,qui viuit, is etiam sit in luce, & omnis, qui sit in luce, is etiam viuat,adeò vt solus,& omnis viuens sit lucis filius: filius autem lucis, cuius luceant opera coràm hominibus. Rursus, quoniam ex his, quæ disseruimus, de contrariis, intelligi possunt contraria prætermissa, disseritur autem de vita, & luce hominum, contrarium autem vitæ mors est, & contrarium luci hominum, tenebræ hominum, videre est, quòd in tenebris existat hominum, is etiam sit in morte, & quæ mortis sunt agens, non alibi sit quàm in tenebris. At qui memor est Dei(si cósiderauerimus, quid sit memorem esse Dei) nó est in morte iuxta illud,quod dicitur:nihil rei cum morte habet,qui memor est tui. An vero tenebræ hominum,& mors,natura talia sint,nec ne, alterius est considerationis. Nos eramus aliquando tenebræ,nunc autem lux in domino,etiam si sancti, spiritualésque iam aliquo maxime pacto simus. Quisquis fuit aliquando tenebræ factus est perinde atque Paulus,tenebræ cum esset, capax & aptus,vt fieret lux in domino. Haud verò scio,an iuxta opi-
H nionem eorum,qui naturas ferunt spirituales,veluti Paulum, ac sanctos Apostolos,consistat,spiritualem esse aliquando tenebris,ipsúmq; postea lucem fieri: nam si spiritualis tenebræ quandoque fuit terrestris qualis? Quod si verum est,tenebras factas fuisse lucem,quænam priuata electio est, cur non omnes tenebræ lux fieri queant? Nisi enim de Paulo dictum fuisset,eramus aliquando in tenebris, núc autem lucidi cum domino,locum vtique habuisset opinio de naturis in illis, quos arbitrantur esse naturæ deperditæ, quoniam tenebræ fuerát, vel tenebræ sunt. Nunc autem Paulus inquit se aliquando tenebras fuisse, núncque esse lucem in domino, quasi in lucem tenebræ transire possint. Haud autem difficile est cernentem vniuscuiusque contingentem mutationem in melius, vel in peius, diligenter perspicere ex his,quæ diximus, quæ ad omnes tenebras hominum, & quæ ad hanc mortem in tenebris hominum existentem pertinent. Cæterum valde coactè ad hunc contextum veniens Heracleó, quòd factum est in ipso,vita erat, in ipso interpretatus est, in hominibus spiritualibus: quasi sermonem,& spirituales idem esse arbitratus fuerit. Et si non apertè id dixerit,ac veluti causam reddés inquit: Ipsam enim primam formationem,quoad ortum attinet,ipsis præbuit,ab alio prætermissa in formam,& illuminationem,& delineationem propriam ducens, & ostendens.

1. Cor. 2. Non obseruauit autem Paulum de spiritualibus loquentem
I eos homines esse,reticuisse: animalis enim inquit homo non recipit,quæ sunt spiritus. Stultitia enim est illi: at spiritualis omnia diiudicat. Nos enim dicimus non ab re nomé hominis à Paulo prætermissum,cum spiritualem diceret, eò quòd præstantius quiddam spiritualis sit,quàm homo: nempe homine,vel in anima,vel in corpore,vel in vtrisque formam accipiente:non ita verò in spiritu,his longe diuiniore: secundú cuius participationem præualentem est spiritualis. Præterea verò quæ ad talem opinionem spectant,vel sine apparéti demonstratione enunciat,ne mediocrem quidem persuasioné attingere valens,disserendo de hisce rebus. Sed de illo hactenus. Agè verò inquiramus etiá nos hoc, scilicet num vita erat hominum tantum lux,& non potius cuiusuis in beatitudine existentis. Nam si vita & lux hominum idem sunt,& hominú tantum sit Christi lux,hominum tantum etiam vita erit: hoc autem suspicati æquè stultum est,atque impium, refragantibus aliis scripturis huic intelligentiæ: siquidem quando proficiemus,erimus tanquam pares angelis. Sed sic soluendum est dubium. Siquid aliquorum esse dicatur,non continuò illud ad eos solos,de quibus id dicitur,pertinere. Sic igitur nó si vita lux hominum dicitur,hominum tantum est lux. Potentat enim addi,vita erat hominum tantum lux,fieri enim potest vt lux hominum,aliorum quoque, præterquam hominú sit lux perinde atque cum animalia quædam, & plantæ hominibus suppeditant, vnde alantur,tamen alia quoque præter K homines alere possunt. Hoc autem exemplum ea consuetudine sumptum est. Verum enimuero dignum est,vt è scripturis Dei spiritu proditis, simile conferamus. Proinde hoc in loco inquirimus,num quicquam prohibeat,lucem hominum esse etiam lucem aliorum: dicentes non quia dicatur lux hominum continuò excludi alios ipsis etiam hominibus præstantiores,ne perinde sint lux,atque homines. Nam cum sit scriptum, Deum esse Deum Abraham,& Deum Isaac,& Deú Iacob,qui voluerit,quia dictum sit, vita erat lux hominum, lucem ad nullum alium,præterquam ad homines pertinere, existimet oportet is pari modo,Deum nullius alterius Deum esse,nisi tantum horum trium patrum. Verum Solis profectò etiam est Deus. Et vt inquit Iudith,patris sui Simeon,atque etiam Hebræorum est Deus. Quam obrem si nihil prohibet, Deum aliorum quoque esse Deum,eodem modo nihil prohibeat oportet,lucem hominum esse etiam aliorum, præterquàm hominum lucem. Porrò alius quispiam etiam testimonio illo vtens,faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram,hominem esse dicit, quicquid ad imaginem Dei sit factum,innumeris hac in re vtens exemplis, nihil referre scripturæ,hominem dicat,an angelum,de eodem enim subiecto alicubi poni angeli,& hominis vocabulum, quemadmodum in tribus illis, qui apud Abraham hospitio fuere excepti,& in duobus,qui Sodomis fuerunt,& in tota scriptu- L ræ serie,aliquando quidem angeli,aliquando verò homines esse dicuntur. Quin etiam,qui hoc existimat,dicet,quòd vt homines vocari sunt angeli,apud eos, quos palam cernere est esse homines,quemadmodum Zacharias dicens, angelus Dei,ego vobiscum sum dicit dominus omnipotens,& Ioannes,de quo scriptum est. Ecce ego mitto angelum meum an- Malach. 3. te faciem tuam, sic etiam qui Dei sint angeli, hoc vocabulo nuncupati propter officium, qui non fuere vocati homines propter naturam. Præterea magis etiam hoc corroborabit, quoniam nomina in virtutibus præstantioribus non naturarum animalium sunt nomina,sed ordinum,quos hæc & hæc, rationis compos natura sortita sit à Deo, thronos enim non species animalis est,neque principatus,neque dominatio,neque potestas species sunt animalis,sed rerum nomina,in quibus ordinati sunt,qui sic appellantur,quorum subiectum nihil aliud sit,quàm homo,cui subiecto contingat esse vel throno,vel dominationi,vel principatui,vel potestati. Et in Iesu Iosua 5. Naue ponitur illud: Visus est Iesu ipsi homo in Hiericho,qui inquit,ego sum princeps exercitus potentiæ domini, núc accessi. Secundú hoc ergo,vt æque valens interpretabitur lucé hominú,lucé etiá esse cuiuslibet,qui rationis sit cópos, quippe quia sit homo,ad imaginé,& similitudiné dei. Sanè lux ipsa trifariá nominatur. Lux hominum,& simpliciter lux,& lux vera. Atque lux quidem est hominum, vel vt ante ostensum est,nullo prohibente eam intelligere lucem etiam aliorú præter hominum esse,vel omnium, qui rationis sunt compotes, M quique homines vocantur, quia facti sint ad imaginem, & similitudinem Dei. Quia verò lucem simpliciter hoc in loco Seruator,in ipsius verò Ioannis catholica epistola, Deus lux esse dicitur,alius quidem existimat etiam hinc colligi,patrem à filio substantia non differre,qui verò, & diligentius obseruarit,& rectius loquutus fuerit,docet,non idem esse lux,quæ in tenebris luceat ab illis non apprehensa,& lux,in qua haud quaquam sint tenebræ. Siquidem ea lux, quæ in tenebris lucet,tanquam superuenit tenebris. Cúmque ab ipsis persequutionem patitur,&,vt ita dicam,insidiis petitur, non comprehenditur. At lux,in qua nullæ sunt tenebræ,neque lucet in tenebris,neque principio ab ipsis persequutionem patitur, vt ceu vincens publicè declaretur,quòd ab ipsis persequentibus non sit apprehensa. Tertio dicitur hæc lux,lux vera,qua ratione pater veritatis, Deus amplior,& maior est,quàm veritas, & pater cum sit sapientiæ,præstantior est ipsa sapientia, hac etiam ratione excellit eum,qui est lux vera. Apertius autem patrem,& filiú duas existere luces per hæc, à Dauide sciemus psalmo quinto & trigesimo,dicéte: In lumine tuo videbimus lumen. Eadem sanè lux hominum in tenebris lucens, lux vera,in sequentibus Euangelij lux esse mundi dicitur, dicente Iesu. Ego sum lux mundi. Quare neque hoc sinamus nó animaduersum,

A maduersum, cur cum potuisset scribere, quod factű est in ipso lux erat hominum, & lus homioum vita erat, contrarium fecerit, pręponens vitam luci hominum: quàmuis idem sit vita, & lux hominum, & dicendum quòd in his, qui participes sunt vitæ, quæ est lux hominum, primùm oobis occurrat ipsos viuere vita beata, & antea dicta, deinde eos illustrari, supponatur enim, viuere oportet, vt viuens illuminatus fiat. Nec consequens fuisse illuminari eum, qui nondum intellectus fuisset viuere, & superinduci illuminationi ipsum viuere. Quamuis enim idem sit vita, & lux hominum, considerationes tamen secundum aliud, & aliud sumuntur. Hæc itaq; lux hominum dicitur etiam lux gentium apud prophetam Esaiã, iuxta illud: Ecce posui te in testamentum generis in lucẽ gentium: & huic luci cõfisus Dauid in sexto, & vigesimo psalmo *Esa.42.* *Psal.2.* inquit. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Sanè ad eos qui fingunt fabulosum de seculis in coniugationibus commentum, & existimant à mente, & veritate sermonem, vitámq; iam ante emissos, & productos fuisse, haud absurdum est talia mouere dubia. Quomodo enim vita sermonis, vt ipsi tradunt, coniunx esse sumitur in marito? Quod factum est enim ioquit in ipso (scilicet prædicto sermone) vita erat. Dicant ergo nobis, quomodo coniunx sermonis vita facta sit in sermone, & quomodo ipsa vita potius quàm sermo lux sit hominum. Verum enimuero probabile est, vt B viri meliore mente præditi, qui quæstionibus permouentur, dubitatione hac perculsi, ex aduerso nos ioterrogẽt, vrgeántque, ni inuenerimus causam, per quam sermo non sit dictus lux hominum, sed vita quæ facta est in sermone ipso: quibus talia respondebimus. Vitam hoc in loco non eam intelligi, quam communiter participant, & rationis capaces, & bruta, sed eam, quæ complexa in nobis rationi superuenit, sumpta participatione ἀπὸ τῦ πρώτου λόγου. hoc est, à ratione prima, cuius in primis vitæ participes efficimur, vt ab apparente, oec verè existente vita abducamur, vitam illam verè existentem capere desiderantes, qua perceptamos in nobis otiri etiam alicimus fundamentum lucis cognitionis. Et fortassis ipsa hæc vita penes quosdam quidem potentia, noo actu, lux est: nempe penes eos, qui minimè, quæ ad cognitionem pertinent, inquirere contendũt: apud quosdam verò actu etiam: *1.Cor.13.* factos iam lucem, quos eos esse perspicuum est, qui Pauli pręceptum cum laude impleuerint, nimirum æmulamini charismata vtiliora, quibus charismatibus vtilius illud est, quod omnibus etiam præponitur, nempe sapientiæ sermo, quem mox cognitionis sermo sequitur. Iam vero quid differant inter se sapientiæ, & cognitionis significata ipsa mutuò inter se collata, non est præsentis temporis disserere.

TOMVS QVARTVS.

C *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt.*



DIVE de hominum luce, quoniam in ordine prima est, inquiomus, atque etiam, opinor, de eius contrario: nempe tenebris, de quibus nondum inquisiuimus. De hominum autem luce inquam, quoniam fortasse lux homiuum genus est duarum specialium rerum: atque etiam similiter tenebræ. Vt enim dicimus eum, qui possederit hominum lucem, quíque ipsius splendores participauerit, lucis opera perficere, & illustratum luce scientiæ agnoscere etiam, sic è contrario perspecta, & considerata analogia, & proportione, dicimus praua opera, & habitam falsò scientiam, tenebras esse. Et quòd quidem res ad agendum aptas, lucem soleat scriptura sacra dicere, inquit Esaias, eò quòd lux sint mandata tua super terram, & Dauid in decimo octauo psalmo, mandatum tuũ lucidum *Psal.10.* illuminans oculos: Quòd verò præter mãdata, & pręcepta lux sit quædam scientiæ, inuenimus apud quendam ex duodecim. Seminate vobis ipsis ad iustitiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis ipsis lucem scientiæ. Veluti enim existẽte alia luce scientiæ præter mandata, dicitur, illuminate vobis ipsis lucem, nõ simpliciter lucem, sed qualem? nempe lucem scientiæ. Nam si quæuis lux, quam sibi homo illuminat, lux scientiæ esset, frustra additum fuisset, illuminate vobis ipsis lucem scientiæ. Rursus quod tenebræ de prauis D operibus sumantur, ipse Ioannes in sua docet epistola, dicens: Si dixerimus quòd communicationem cum ipso habemus, & ambulamus in tenebris, mentimur, & non facimus veritatem. Et rursus qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque modo. Et adhuc, qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, nec nouit quò vadat, quia tenebræ excæcauerũt ipsius oculos, siquidem per ambulationem in tenebris indicat actionem vituperabilem. Quin etiam odio prosequi fratrem suum, nonne lapsus est ab ea, quæ propriè vocatur scientia? Quòd autem qui ignorat diuina, propter ipsum ignorare in tenebris ambulet, inquit *1.Ioan.1.* Dauid: nõ cognouerunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant. Illud vero obserua, an idcirco dicatur, Deus lux est, & tenebræ in eo, ne vnæ quidem sunt, non quia vnæ sint tenebrę, sed vel propter genus duplex tenebrarum, vel etiam quia vnaquæque species tenebrarum multas habeat prauas actiones, & multa falsa dogmata, vnde tenebræ sunt multę. Et nota *Matt.5.* Seruatorem, cũ de sancto dixisset: vos estis lux mundi, non dixisse, sanctus est lux mundi: & tenebræ in eo non sunt vllę. Proinde quæret aliquis: si de patre positum est, quòd tenebræ nullæ sint in eo, quomodo ceu rem eximiam, & præcipuam hoc in ipso dicemus esse, cum de Seruatore quoque dicatur, quòd omnino sit impeccabilis, ita vt eum dicamus esse lucẽ, E in qua nullæ sint tenebræ? Ex parte itaque differentiam in superioribus ostendimus: Atque etiamnum illis audacius addemus, si Christum non agnoscentem peccatum fecit pater pro nobis peccatum, si fecit inquam deus ille, Christum pro nobis peccatum, dici non posse de eo, tenebrę in eo nõ sunt vllæ. Quamuis enim in similitudinem carnis peccati, haud tamen omnino hæc de eo rectè dicentur, scilicet quòd nullæ tenebræ insint in eo. Addemus autem eum infirmitates nostras, & morbos assumpsisse, & animæ infirmitates, & morbos occulti cordis nostri hominis, quas infirmitates, morbósque quia à nobis sustulerit, dicitur apud Zachariam, animam *Zach.3.* pertristem, perturbatámque habere: atque vestibus sordidis indutus, quibus quoniam exuendus erat, dicuntur esse peccata. Subiungit ergo eodem in loco: Ecce ego abstuli peccata tua: eo enim quòd ipse receperit in seipsum populi credentium peccata, frequenter inquit: Longè à salute mea verba delictorum meorum: & tu cognouisti insipientiam meã, & delicta mea à te non sunt abscondita. Nec verò suspicetur nos quisquam hæc dicere, minus piè Christum Dei colentes. Nam qua ratione solus pater habet immortalitatem, quia dominus noster omnium nostrum nomine mortẽ ob amorem erga genus humanum pertulerit, hac pater solus habet, vt in ipso nullæ sint tenebrę: cum Christus, vt homines beneficio afficeret, tenebras nostras in seipsum receperit, vt potẽtia sua mortem nostram deleret, expelleretque animarũ no- *Esa.9.* strarum tenebras; nimirum vt impleretur illud Esaiæ: popu- F lus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Hæc itaque *Ephe.5.* lux, quæ facta est in sermone, existens etiam vita, lucet in tenebris animarum nostrarum. Et eò accessit, vbi erant mundi rectores tenebrarum seculi huius, qui quia cum genere humano luctantur, in tenebras adducere eos contendunt, qui pro virili non instant, vt illuminati in filiorum lucis numero censeantur. Iam verò etiam hæc lux lucens in tenebris persequutionem patitur quidem à tenebris, sed non apprehenditur. Quod si quis putet nos addere, quod non sit scriptum, nempe quod tenebrę lucem insequantur, audiat, frustra illud dici, quòd tenebræ eam non apprehenderunt, si nequaquam tenebrę lucem sunt persequutæ. Veluti autem intelligẽtibus, & mente prędit is, per quam intelligere possent consequentia rerum scripturarum, quæ putarentur omissa, scribat Ioannes: tenebras lucem non apprehendisse. Nam si non apprehenderunt, persequutę non apprehenderunt: quòdque lucẽ tenebrę persequutę fuerint perspicuum est, tum ex his, quæ Seruator perpessus est, tum etiam illi, qui illius disciplinã exceperunt, & secuti sunt, genuini ipsius filij: tenebris operantibus aduersus lucis filios, & fugare volentibus lucem ab hominibus. At quoniam si Deus pro nobis, nullus etiam si velit, poterit aliquid aduersum nos, quanto magis seipsos humiliabant, tantò plures existebant, pręualebántque admodum

G valde. Porrò dnobus modis tenebræ non apprehenderũt lu-
cem: vel quia lux eas longo interuallo post se relinqueret, vt
quam celeritate, pernicitatéque cursus præstantem, ob pro-
priam tarditatem ipsæ tenebræ, ne iuxta quantitatem quidé,
assequi possent, vel quia sicubi tenebræ luci insidias struere
voluerint, atque certe quodam consilio, & per dispensationé
superuenientes ipsas lux expectauerit, mox atque luci appro-
pinquauerint, euanescunt. Attamen vtroque modo tenebræ
lucem non apprehenderũt. Necesse autem est nos in his ver-
santes annotare, non, sicubi tenebræ nominentur, mox eas in
peiorem partem sumi, verum scripturam etiam in boná par-
té aliquoties has accipere, quòd qui diuersa à nobis sentiunt,
non diuidentes, horrenda de mundi opifice dogmata admit-
tentes ab ipso recesserunt, seipsos figmentis fabularum addi-
centes. Quomodo ergo, & quando, & num in melioré par-
tem, tenebrarum nomen sumatur iam est ostendendum. Te-
Psal. 17. nebræ, nubes, nimbúsque in Exodo circa deum esse dicũtur,
& in Psalmo decimo septimo: Deus posuit tenebras latibu-
lum suum, in circuitu eius tabernaculũ eius: tenebrosa aqua
in nubibus aeris: si enim quis considerauerit multitudinem
contemplationum, & cognitionis de deo, quam humana na-
tura percipere nequeat, fortasse auté, nec alij, qui geniti sunt,
præter Christum, & spiritum sanctum, sciet quo nam pacto
circa deum sint tenebræ: propterea quod nulla, quãrumlibet
copiosa, atque ornata oratio explicare valeat, ac nesciat quidé
H ex dignitate ipsius dei, in quibus tenebris posuerit latibulum
suum, qui hoc fecit, eò quod quæ de ipso sunt, ignorentur, im-
perceptibilia cum sint. Quòd siquis huiuscemodi expositio-
nibus offenderetur, is in sententiam nostram veniat, adductus
tum à tenebrosis sermonibus, tum à thesauris Christo datis à
deo, tenebrosis, occultis, & inuisibilibus: nec enim aliud opi-
nor esse tenebrosos thesauros per Christum manifestatos, te-
Matth. 10 nebras posuit deus latibulum suum. Et sanctus intelliget pa-
rabolam, & obscurum sermonem. Verum considera, num ob
hoc dicat seruator discipulis suis: Idcirco quæ in tenebris au-
distis, dicite in luce. Tradita enim ipsis mysteria, cognitu dif-
ficilia, & obscura, in loco secreto, & non in frequenti audito-
rio iubet eos illuminatos, & ob hoc dictos esse in luce, tenũ-
ciare cuicunq;, quòd lux extiterit. Admirabilius autem quid-
dam addam de tenebris laudaris: nempe has festinare ad lu-
cem, eámque apprehendere, atque quę olim fuissent tenebrę,
non dispicienti vim ipsarum, eò quòd ignorarentur, sic immu-
tari, vt cum is ad eorum scientiam peruenerit, quę ignorabat,
enunciet, quæ didicerit, fuisse sibi aliquando tenebras, nunc
autem lucem.

TOMVS QVINTVS.

1 *Fuit homo missus à Deo, nomen illi Ioannes.*

ACCVRATIVS aliquis intelligens vocem,
Missus (quoniam qui mittitur alicunde, & ali-
quò mittitur) quæret vnde Ioannes sit missus,
& quò. Cum verò liqueat quò, nimirum iuxta
historiam, quòd ad Israel, & ad volentes eum
audire in heremo Iudeæ commorantem, & apud Iordanem
fluuium baptizantem (iuxta verò rationem profundiorem,
in mundum, intelligendo per mundum, locum hunc terre-
strem, vbi sunt homines.) Inquiret quo nam pacto particula,
Gen. 3. vnde sumi debeat. Itaq; diutius dictionem examinans, forté
etiam enunciabit, quòd quemadmodum de Adam scriptum
est, quòd emiserit eum dominus deus è paradiso voluptatis,
vt coleret terrá, è qua sumptus fuerat: Ita Ioannes missus fue-
rit vel è cœlo, vel è paradiso, vel ex alia parte alicunde tádem
ad hunc super terram locum. Et missus fuerit, vt testaretur de
Esa. 6. luce. Habet autem non contemnendam obiectionem sermo
hic, quoniam scriptum sit apud Esaiam: Quem mittá, & quis
ibit ad populum hunc? Et respondens propheta, inquit: Ecce
Esa. 6. ego mitto te. Dicet enim qui aduersabitur huic opinioni, quę
profundior apparet, quòd quemadmodum Esaias missus est
non ab alio loco ad hunc mundum, sed postquam vidit do-
minum sedentem in throno excelso, & elato, vt ad populum K
diceret auditu audietis, & non intelligetis, & quę sequuntur,
ita etiam Ioannem (suppresso principio missionis analogiam,
& rationem habentis ad missionem Esaiæ) mitti ad baptizá-
dum, & præparandum domino populum instructum, & ad
testificandum de luce. His ita dictis ad primam rationem, so-
lutiones tales adducuntur: asseosum attrahentes ad id, quod
de Ioanne profundius excogitatum est, ex eodem enim loco
subiungitur: Hic venit ad testificandum, vt testaretur de luce, *Ioan. 1.*
si enim venit, alicunde venit. Dicendum etiam est illi, qui hęc
grauatè admittit, id quod in sequentibus à Ioanne dicitur,
postquàm vidit spiritum sanctum descendentem, ceu colum-
bam super Seruatore, inquit enim qui misit me ad baptizan-
dum in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum de- *Ioan. 1.*
scendentem, & manẽtem super eum, hic est qui baptizat spi-
ritu sancto, & igni: quando enim ille, qui misit, hoc præcepit?
At probabile est responsurum, qui hæc grauatè admittit, ad
interrogationem hác, eum qui ad Ioannem loquebatur, tum
hæc verba dixisse ei, cum eũ mitteret, vt baptizare inciperet.
Adhuc autem admirabilius est illud ad probandum, quòd a-
licunde ex alio loco missus sit Ioannes, qui corpus assumit,
causam non aliam aduentus sui in vitam habens, quàm vt te-
staretur de luce, quòd repletus fuerit spiritu sancto adhuc ex
vtero matris suæ, id quod dixit Gabriel, qui nunciauit Zacha-
Luc. 1. riæ quidem ortum Ioannis, Mariæ autem Seruatoris nostri
inter homines aduentum, & illud etiam: Ecce enim vt facta
est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio
infans in vtero meo. Proinde qui cauet ne quicquam vel in-
iustè, vel casu, vel priuata electione faciat, antiquiorem esse L
Ioannis animam, quàm corpus admittat, necesse est, & antea
subsistentem missam fuisse ad ministerium testandi de luce.
Ad hæc haud ita contemnendum est etiam illud: Hic est He-
lias, qui venturus est, quòd si prędualuerit vniuersalis de anima
opinio, tanquam quæ cum corpore pariter nõ seminetur, sed
ante ipsum existat, ob variásque causas carnem, & sanguinem
induat, particula, missus à deo, non videbitur amplius dicta,
cęu res quædam eximia de Ioánne. Itaq; omnium pessimos,
homo peccati, filius perditionis dicitur apud Paulum mitti à
deo. Propter hoc enim, inquit, mittit illis deus actionem er-
roris, vt credant mendacio: vt iudicentur quotquot veritati *Matt. 11.*
non credunt, sed sibi complacent in iniustitia. At vide, num *2. Thess. 2.*
hanc quæstionem sic soluere possimus, nempe quòd quem-
admodũ simpliciter omnis homo, eò quòd creatus sit à deo,
homo est dei (cum nullus homo sit dei, nisi qui deo fuerit ad-
dictus) quemadmodum Helias, & qui in scripturis inscribun-
tur homines Dei, ita dici posse, communiter omnem homi-
nem à deo missum esse, propriè autem non alium à deo mit-
ti, quàm qui ad ministerium diuinum, & ad obeũdam huma-
ni generis salutem in vitam aduenerit. Quam ob rem nõ in-
uenimus, quòd quisquam mittatur à deo, positũ: nisi de san-
ctis: de Esaia quidé, vt antea proposuimus. De Hieremia ve- *Ezech. 2.*
rò: ad omnes, ad quos misero te, ibis. De Ezechiele etiam, ec- M
ce ego mitto te ad gentes rebelles, & incredulas mihi. Cæte-
rum haud ita ad propositum sumpta fuisse videbuntur ex-
empla missionis, cum nos quæramus de missione, quæ
fit ad hanc vitam, & illa non apertè dicant, aliquem
existentem extra hanc vitam, missum fuisse in hanc vitam.
Attamen sic etiam nihil est absurdi orationem transferre
ad id, de quo quærimus. Si dicamus quòd, vt solos san-
ctos, de quibus loquuti sumus, mittere dicitur deus, sic
etiam de his intelligendum esse, qui ad vitam mittuntur.
Et quoniam omnino in Ioannis sermone versamur, ipsius
missionem inuestigantes, non importunè opinionem no- *Malach. 3.*
stram, quam de ipso habemus, proponemus. Quoniam
enim legimus prophetiam de ipso. Ecce ego mitto an-
gelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam
ante te, adnotamus num fortè vnus sanctorum angelorum
existens, præcursor ad ministerium demittatur Seruatoris
nostri. Et mirum profectò est nihil, Christi primogeniti
omnis creaturæ ob amorem erga homines incarnati æmu-
latores, imitatorésque aliquos extitisse, quibus dulce fue-
rit ei benignitati, quam in ipsos ostendisset, inseruire, ea-
dem corporis similitudine: Sed quem nam non moueret
exultans

A exultans in gaudio adhuc existens in vtero matris suæ, perinde ac communem hominũ naturam excellens? Quòd si quis admittat precationẽ Ioseph inscriptam in his libris, qui apud Hebræos dicũtur Apochryphi, mox hoc dogma etiam apertè dictũ inde sumpturus est: perinde quasi qui à principio eximium aliquid præ hominibus habuerunt, longè meliores cæteris animabus, cum angeli essent, ad humanam descenderint naturam. Inquit ergo Iacob, ego qui ad vos loquor, Iacob sum, & Israel, angelus Dei sum ego, & spiritus primarius, & Abraham, & Isaac, ante omne opus creati fuerunt. Ego autem Iacob, vocatus ab hominibus Iacob: nomen verò meum Israel: qui vocer Israel à Deo: vir videns Deum, quoniam ego primogenitus omnis animantis à Deo animati. Et subiungit, cum verò ego venissem à Mesopotamia Syria, exiuit Vriel angelus Dei, & dicit se descendisse ad terram, & habitasse inter homines, & quòd vocatus fuisset nomine Iacob, æmulatúsque est, & pugnauit mecum, & luctatus est, mihi dicens: suum nomen primas habere supra nomen meum, & ante omnem angelum. Interrogauíque eum de nomine suo, & quotus esset inter filios Dei. Nónne tu ex Vriel octauus à me, & ego Israel archangelus potentia domini, & princeps
B tribunus militum inter filios Dei? Nónne ergo Israel in persona Dei, minister primus? Et inuocaui nomine inextinguibili Deum meum? Probabile enim est his à Iacob verè dictis, & ob hoc scriptis, etiam illud, in vtero supplantauit fratrem suum, prudenter factum fuisse. Inspice verò num celeberrima quæstio de Iacob, & Esau solutionem habeat. Quandoquidem nondum natis pueris, cum neque boni quidpiam fecissent, neque mali, vt secũdum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante. Dictũ est illi: maior seruiet minori. Sicut scriptũ est, Iacob dilexi, Esau verò odio habui. Quid igitur dicemus? Num iniustitia est apud Deum? Absit, non recurrentibus ergo nobis ad opera hanc vitã præcedentia, quomodo verum erit, iniustitiam non esse apud Deum, si maior minori seruiat, odio habitus, antequam digna vel seruitute, vel odio faciat? Sed latius digressi sumus, sermonem Iacob assumentes, & adducentes nobis in testimonium scripturam, haud ita facile contemnendam, vt confirmatior de Ioanne oratio ea esset, quæ astruit eum angelum existentem, iuxta Esaiæ vocem, in corpore aduenisse testificaturum de luce. Sed hactenus de Ioanne homine: arbitror verò ego quemadmodum vox & sermo apud nos differũt, cum interdum proferri possit, vox nihil significans absque sermone, itidémque sermo absque voce renũciari possit menti (ve-
C luti cum intra nos ipsos discutimus) ita Ioannem etiam, veluti vocem existentem ad comparationem Christi, qui sermo est, differre à Seruatore, qui iuxta quandam considerationem sermo est. Ad hoc autem me inuitat ipse Ioannes, quisnam tandem esset ad interrogantes, respondens: Ego vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas eius. Et fortasse propter hoc incredulus Zacharias in ortu vocis Dei, quæ demonstrat sermonem, amittit vocem, sumens eam, nascente voce, quæ est præcursor sermonis. Vox enim auribus percipiatur oportet, vt postea mens demõstratum à voce sermonem excipere valeat. Ideirco etiam paulò antiquior Christo est Ioannes, quod ad ortum pertinet. Vocem enim ante sermonem recipimus: demõstrat etiam Christum Ioannes, quia voce demõstratur sermo, atque etiam baptizatur Christus à Ioanne, fatente se opus habere, vt ab ipso baptizetur, quia sermo purificatur à voce inter homines, cum natura vocem omnem significantem purificet sermo. Prorsúsque cũ Ioannes Christum ostendit, homo Deum ostendit, & Seruatorem incorporeum, & vox sermonem. Vt autem in rebus multis nominum euidentia est vtilis, sic hoc quoque in loco vtile erit videre, quid Zacharias, quidúe Ioannes significent. Etenim perinde ac si esset aliquis non contemnendus, quòd ad nominis positionem attinet, cognati quidem, Zachariam appellandum censent ipsum Ioannem: dissentiẽtes quia vellet eum Elizabeth Ioannem appellare, cum verò, Ioannes erit illi nomen Zacharias scripsisset, à molesto silentio liberatur. Inuenimus ergo in interpretatione nominum, Ioannes. Et inuenimus particulam Ioa seorsum sumptã, sine nes, quod idem valere putamus, atque Ioannes. Quoniam alia quoque

Rom. 9.

Ioan. 1.

nouum instrumentum Hebræorum nomina Græcè reddiderit, forma Græca pronũcians ipsa, veluti pro Iacob, Iacobum, pro Simeon, Simeonem. Porrò Zacharias memoria esse dicitur: Elizabeth verò Dei mei iusiurandum, vel Dei mei septimum. Ex memoria igitur de Deo iuxta iusiurandum Dei nostri, quod iurauit ad patres, genitus est Ioannes (hoc est gratia à Deo) præparans domino populum instructum: cum vetus instrumentum, quod est sabbatismi extremitas, peruenisset ad finem. Quare gigni non potuit ab hebdomada Dei nostri requies, quæ est post sabbatum: nimirum Deo seruatore nostro, eam ingenerante secundum requiem suam in nobis, qui facti sumus morti ipsius conformes, & idcirco etiam resurrectioni. D

Hic venit in testimonium, vt testificaretur de luce, vt omnes crederent per ipsum. Ioan. 1.



VIDAM ex his, qui ab ecclesiæ decretis dissentiunt, credere se dicẽtes in Christum, & eò quòd fingant Deum alium diuersum à mundi fabricatore, vt est ipsis consequens, non admittentes aduentum ipsius à prophetis prænunciatum fuisse, subuertere conantur prophetarum testimonia de Christo, dicentes, opus non esse testibus filio Dei: vt qui fidem sibi conciliaret, tum E ex salutaribus sermonibus, quos denunciabat potentia plenis, tum ex prodigiosis, & admirandis operibus, quæ vel quẽlibet ex se perterrere poterant, & dicunt: Si Mosi habita fuit fides, sermonis, virtutísque gratia, nullis præuiis testibus, qui ipsum annunciarent egenti, atque etiam prophetarum vnusquisque receptus à populo fuit, veluti à Deo iussus, quomodo Mose, atque prophetis præstantior non poterit absque prophetis de seipso testificantibus, facilius quod velit perficere, & hominum generi adiumento esse? Superfluum ergo esse aiunt existimare, à prophetis eum pronunciatum fuisse, qui de hoc anxij fuissent, si (vt illi dicerent) noluissent diuinitatis nouitatem admitti à credentibus in Christum, sed eos peruenire ad ipsum Deum, quem etiam ante Iesum Moses, & prophetæ docuissent. Quam ob rem respondendum est illis, quòd multæ causæ esse cum possent, quæ ad credendum inuitarent, & interdum aliquos, qui ab vna miraculorum demonstratione non percellerentur, ab alia demonstratione permoueri: posse Deum complures causas hominibus præbere, vt admittant Deum, qui est super omnia genita, humanam assumpsisse naturam. Vnde etiam euidenter cernere est, nonnullos ex propheticis vaticiniis in admirationem Christi venire, tot prophetarum, qui ante ipsum F fuerunt, perculsos voce stabiliente quicquid ad locum pertinet, in quo genitus fuit, & eam etiam regionem, in qua enutritus fuit, & vim ipsius doctrinæ, & rerũ admirabilium operationem, ac denique passionẽ humanam à resurrectione destructam. Quin hoc quoque considerandum est, quòd prodigiosæ, & admirandæ potentiæ, eos quidem, qui domini ætate extitissent, inuitare poterãt ad credendum, at non seruassent post multa tempora euidentem demonstrationem, quinimo fabularum etiam loco habitæ fuissent: plus enim potentiis, ac miraculis illius temporis potuit ad persuadendum prophetia, quæ nunc cum potentiis ipsis, & miraculis expenditur, & comparatur, confirmans prophetiæ indagatores, vt fidem habeant illis potentiis prodigiosis, & admirandis. Fortasse verò prophetica testimonia non tantùm prædicãt Christum venturum, hoc nos docentes, & nihil præterea, sed multam theologiam, & quomodo sese habeat pater ad filium, filiúsque ad patrem discere licet non minus ex his, quæ prophetæ de ipso annunciarunt, quàm ab apostolis magnificentiam filij Dei narrantibus. Iam verò etiam qui ausus fuerit, tale quiddam potest præter hæc dicere. Nempe aliquos Christi μάρτυρας, hoc est testes, eò quòd testificentur de illo, honore honestari, cui tamen nihil prorsus gratificentur propter ipsam testificationem de filio Dei, vt omnes fassuri sunt de his, qui propriè Christi nominãtur martyres. Quid mirum igitur, si quemadmodum multi, Christi germani, discipuli cohonestati fuêre, eò quòd essent Christi μάρτυρες, hoc est testes, ita etiam prophetæ agnoscentes ipsum id muneris à Deo acce-

G perint, vt eum præcinerent, docentes non solùm quid illis, qui post Christi aduentum futuri erant, sentiendum foret, verumetiam quid illis, qui sua tempestate essent? Quemadmodum enim qui non agnouit nunc filium, neque patrem habet, sic etiam de superioribus seculis considerãdum est, quam ob rem Abraham exultauit, vt videret diem Christi, & vidit, & gauisus est. Chorum ergo prophetarum maxima vult gratia priuare, quisquis noluerit oportere eos de Christo testari. Quid enim aliud æquè excellens babebit prophetia ex inspiratione spiritus sancti, si ab ea detrahãrut, quæ ad domini nostri dispensatienem attinent? Vt enim nunc pietas, & religio eorum bene ordinata est, qui petitè ad Deum vniuersorũ accesserint per mediatorẽ, & summũ sacerdotem, & paracletũ, declinaturut alioqui, nisi per hustium ingressus fuerit ad patrem, sic etiam cultus antiquarũ patrum diuinus, tum intelligentia, tum fide, tum deniq; Christi expectatione sacer erat, & apud Deum charus. Quandoquidẽ obseruauimus etiã Deum se μάρτυρα, hoc est testem fateri, obsecrãs omnes, vt idipsum de Christo etiam enuneient: nempe vt sint sui, & Christi imitatores, dum testimonium de eo præbent, quibus testatione
Esa.44. est opus. Inquit enim estote mibi testes. Er ego testis, dicit dominus Deus: & filius quem elegi. Quisquis autẽ testificator de veritate, tum verbis, tum operibus, quomodocunque fauens illi, is iure testis diceudus est: sed iam fraternitatis mo-
H rem, qui admiratione prosequuti sunt (nempe affectum eorum, qui vsque ad mortem certarunt pro veritate, vel fortitudine) eos propriè solos nominarũt martyres, seu testes, qui sui ipsorum sanguinis effusione, diuini cultus mysterio, testimonium reddidere. Cum Seruator etiam nominet omnes testimonium præbentes iis, quæ de se annũciantur, μάρτυρες, hoc
Act.1. est, testes, cum in cœlum reciperetur dicẽdo Apustolis: Eritis mihi testes tum in Hierusalem, tum in Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Vt autem leprosus ille mũdatus munus offert à Mose præceptum, ad testimonium hoc faciens iis, qui in Christum nondum crediderunt, sic ad testimonium afferendum infidelibus, tum martyres, tum sancti cæteri testificãtur, quorum opera coram hominibus lucent. Vitam enim degũt, in Christi cruce summam fiduciam habentes, & testificantes
Ioan.1. de vera illa luce. Et Ioannes ergo venit, vt testificaretur de luce illa, qui testificans clamauit, dicens: qui post me venit, ante me factus est, quia me erat honorarior: quoniam ex plenitudine eius nos omnes accepimus: & gratiã pro gratia, quoniam lex per Mosen data est, gratia autem, & veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus qui est in sinu patris, ille enarrauit. Tota ergo hæc oratio ex Baptistæ persona testantis de Christo dicta est, id quod multos latet opinãtes ab illis verbis, ex plenitudine eius om-
I nes accepimus, vsque ad illa, ille enarrauit, ex Ioannis apostoli persona dicta fuisse. Præter ante dictum verò Baptistæ testimonium (quod incipit ab illis verbis: qui post me venit, ante me factus est, & desinit in illa verba: ille enarrauit) etiã hoc est testimonium Ioannis post illud secundum, quando ad eos, qui miserunt ex Hierosolymis sacerdores, & leuitas. (Iudæi nempe miserunt illos) fatetur, non negans verum, quòd ipse nõ esset ille Christus, neque Helias, neque propheta ille, sed vox clamantis in deserto: dirigite viam domini, dixit Esaias propheta. Post hæc verò aliud ipsius Baptistæ de
Ioan.1. Christo testimonium est, quod docet etiam ipsius præcipuam hypostasin peruadentem in omnem mũdum propter animas rationis capaces, cum inquit, in medio vestri stat, quem vos nescitis, qui post me venit, cuius non sum ego dignus, vt soluam corrigiam calciamenti eius. At considera, num quia cor in medio totius sit corporis, inque corde animæ principatus, illud, quod ait in medio vestri stat, quem vos nescitis, intelligi possit ratio, quæ in vnoquoque est. Quartum verò Ioannis de Christo est testimonium, humanam ipsius etiam pas-
Ioan.1. sionem iam describẽs, cum dicit: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dicebam: Post me venit vir, qui ante me extitit, quia honorarior me erat, & ego nesciebam eum. Sed vt manifestus fieret Israeli, propterea veni ego, in aqua baptizans. Iam quintum testimonium inscriptum est in verbis illis: Vidi spiritum descendentem sicut columbam è cœlo, & mansit super eum, & ego non noueram eum, sed qui misit me ad baptizandum in aqua, ille mihi di- K xit. Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto, & ego vidi, & testificatus sum, hunc esse filium Dei. Porrò sexta iam vice testimonium perhibet Christo in duobus discipulis Ioãnes, cum intuitus Iesu ambulantem, inquit: Ecce agnus ille Dei. Post quod testimonium cum audissent duo discipuli Ioannem, sequutique fuissent Iesum, conuersus Iesus, & conspicatus duos sequentes, respondet, dicens: Quid quæritis? & fortassis non frustra post sex testimonia cessat Ioannes testificari: & Iesus profert in septimo, quid quæritis? His insuper, qui Ioannis testimonio adiuti fuerint, vox est illa decans, quæ prædicat Christum magistrum: & fatetur filij Dei domunculam cupere se intueri. Nam dicunt illi: rabbi, quod dicitur ex interpretatione, magister, vbi manes? Et quoniam omnis qui quærit, inuenit: quærentibus Ioannis discipulis Iesu mansionem, eam ostendit ipsis Iesus, dicens: Venite, & videte, fortassis per vocem; venite, inuitans eos ad eam philosophiæ partem, quæ in rerum actione versatur, per vocem verò, videre, contemplationem præclarè facta sequentem, omnino his futuram qui voluerint, designans: existentem in Iesu mansione. At qui quæsierant, vbi maneret Iesus, quique sequuti, ac conspicati magistrum fuerant, deliberauerunt apud Iesum permanere totam illam diem, cúmque filio Dei morari. Verùm enimuero cum decennarius numerus obseruatus sit vt sanctus, cum mysteria non parua fuis- L se facta in decennio numero inscribantur, intelligendum est, non frustra in Euangelio decimam inscribi horam, cum discipuli Ioannis apud Iesum diuertunt, ex quorum numero erat Andreas frater Simonis Petri, qui dum maneret apud Iesum, adiutus, inuenio fratre suo Simone (fortè enim antea non inuenerat) Messiam se inuenisse, inquit, quod est, si interpreteris, Christus. Quoniam enim qui quærit, inuenit, quæsierat autem vbi maneret Iesus. Et sequutus, cum perspexisset eius mansionem, manet apud dominum decima hora, & inuenit Dei filium: sermonem, scilicet, & sapientiam, & regitur ab ipso: hanc ob causam, inquit, inuenimus Messiam, quæ vox à quouis dici poterit, qui inuenerit Dei sermonem, & qui ab ipsius diuinitate regitur, fructum verò mox offert Christo fratrem Simonem, quem vt munere Iesus singulari remuneraretur, in ipsum intuitus est, per illum intuitum declarans, se Simonis curam gerere: animæ illius parte præstantissima illustrata. Porròque Simon, eò quòd Iesus in ipsum intuitus est, eousq; stabiliri, vt ab opere stabili, firmóque cognomen traheret, & vocaretur Petrus. Sed dicturus est aliquis. Cur tandem proposita nobis interpretatione verborum eorum: Hic venit ad testificandum, vt testificaretur de luce illa, omnia hæc transcurrimus? At dicendũ, necesse fuisse M Ioannis testimonia de luce illa demonstrare, ordinémque eorum exponere: atq; vtilitatem, quæ insequuta fuerit eos, apud quos testatus fuisset, factam post Ioannis testimonium à Iesu, vt perfectio testimonij Ioannis declararetur. Quin ante hæc testimonia Baptistæ exultatio præ gaudio in vtero Helisabethæ propter Mariæ salutationem, testimoniũ fuit de Christo, testificante Baptista de diuinitate cõceptionis, & ortus Christi. Quid plura? vel vbique testis, & præcursor Iesu est Ioãnes, participans illius ortum, & paulò ante mortem filij Dei moriens, vt nõ solùm ad viuos, verum & ad expectantes libertatem à morte per Christum futurũ, ante Christum adueniens, vbiq; domino pararet populum instructum: pertingit autem vsque ad secundum, cúmque diuturniorem, Christi aduentum Ioãnis testimonium. Si enim vultis, inquit, recipere eum, ipse Matt.11.
est Helias, qui venturus est: qui habet aures audiendi, audiat. Cæterùm cum sit principium, in quo est sermo (quod sapientiam esse ex Prouerbiorum libro ostendimus) cúmque etiam sit sermo, atque vita, in hoc facta, ac deinde vita etiam sit lux hominũ: quæro cur tandem, cum homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, venerit ad testificandum, vt testificaretur de luce, non etiã venerit, vt testificaretur de vita? Vel vt testificaretur de sermone, vel de principio, vel de quacunque alia consideratione Christi. Proinde considera, an quoniã populus, qui sedebat in tenebris, viderit lucem magnã, & quoniam lux in tenebris lucet non deprehensa ab ipsis tenebris,

A illi qui sunt in tenebris (nempe homines) luce indigeãt. Nam si lux hominum in tenebris lucet, quando nulla omnino tenebrarũ operatio erit, tunc alias Christi considerationes participabimus, cum minime ipsas propriè nunc, & certò participemus. Nam quomodo vitæ participes sumus, qui adhuc corpore hoc mortali circundamur? quorum vita abscondita est vnà cum Christo in Deo? Cum enim Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos cum ipso apparebimus in gloria. Homo ergo nullus qui venisset, testificari poterat de vita etiam nunc cum Christo abscondita in Deo. Sed neque venit ad testificandum, vt testificaretur de sermone: sermonem considerantibus nobis in principio, apud Deum, & Deum sermonem, super terram enim sermo factus est caro Et fuisset testimonium (quãuis quibusdam videretur esse de sermone) propriè dicendum de sermone, qui factus est caro, non autem de sermone Dei, quare non venit, vt testificaretur de sermone. Quomodo fieri verò poterat testimonium de sapiẽtia purè, lucidéque verum non dispicientibus, etiam si existimarent se agnoscere, sed cernentibus per speculum, & in ænigmate? Proinde probabile est futurum, vt ante secundum, & diuiniorem Christi aduentum veniat Ioannes, aut Helias ad testificandum de vita, paulò antequam Christus manifestandus sit vita nostra, ac tùm de sermone testificaturi sint, ostensurique testimonium de sapientia. Indagatione autem eget, an in vnaquaque consideratione de Christo testificatio Ioannis sit velut præcursor. Hæc quidem in illud: Hic venit ad testificandum, vt testificaretur de luce. Deinceps verò considerãdum est, quid commentari debeamus in illud: vt omnes crederent per illum.

Col. 3.

B

TOMVS SEXTVS.

PRÆFATIO.

OMNIS quidem domus, quæ quantũ fieri potest firmissimè construenda est, in ea parte, vbi cœli sit serenitas, ventorúmque tranquillitas ædificatur: ne impediatur decentem recipere stabilitatem, vt talis etiam esse possit, quę sustineat impetum exundationis, & allisionem fluuij, & quæcunque solent, si contingat tempestas, atque vis venti, quæ nam ædificia putrida, ac debilia, atque quæ firma, & stabilia propriam virtutẽ receperint, declarare. Pręcipuè verò ædificium rationis compos constans veluti in promissione, & literis, contemplationum veritatis capax, potissimum tũm probè ædificatur, cum anima, pace illa, quæ omnem intelligentiam superat, vtens, summa tranquillitate potitur, ab omni tumultu liberata, & nullis vndarum procellis agitata. Hæc igitur accuratè cum perspexissent, & prophetici spiritus interpretes, C & euangelicæ prædicationis ministri, mihi videntur seipsos dignos exhibuisse, qui acciperent pacem interiorem ab eo, qui eam dignis semper exhibet, quiq; dixit: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, nõ quomodo mundus dat pacem, ego do vobis pacem. Proinde inspice, num quando tale quid innuat historia Dauidis, & Salomonis de templo Dauid, siquidem hostes domini debellans, & contra plures instans sui ipsius, & Israelis inimicos, volens ędificare templum Deo, à Deo per Nathan prohibetur dicente: non ædificabis mihi domum, quia vir sanguinum es tu: Solomon autem qui Deum per somnium conspexit, quíque etiam sapientiam per somnium cœpit (seruabatur enim reuera dicenti, ecce plus quàm Solomon hoc in loco) in altissima pace existens, ita vt vnusquisque sub sua vite, & sub sua ficu requiesceret, cognomen eius pacis habens, quę suo tempore contigerat (nam Solomon interpretatur pacificus) propter pacem, vacat ad ædificandum Deo celeberrimum templum. Quin Esdrę tempore cum vinum, & inimicum regem, ac denique mulieres vincit veritas, reædificatur templum Deo. Hæc à nobis sint tibi dicta, ô sacer Ambrosi, pro defensione nostra, quoniam turrim euangelicam ex sancto hortatu tuo volentes literis ædificare, supputauimus quidem sedentes, sumptum an habeamus ad ea, quibus opus est ad perficiendum: ne illudamur reprehensi ab intuentibus, tanquam qui fundamentum quidem iecerimus, perficere verò opus nequiuerimus: cæterùm suppu- D tatione facta cum deprehendissemus, perficiendæ fabricæ, ea quæ paraueramus, non sufficere, id totum Deo commisimus, ditanti in omni sermone, & cognitione, credentes, quòd nos ipsos leges seruare spirituales conantes ditabit, & quòd progredientes in structura adiuti his, quæ ipsæ suppeditauerit, ad ædificij etiam coronam perueniemus: quæ eum, qui ascenderit ad domum sermonis, cadere prohibet, cum ab his tantum domibus, quæ corona carent, cadant ij, qui cadunt, propter imperfectionem ædificiorum, quæ cædes, & casus causantur his, qui in eodem sunt loco. Iam ad quintum vsque tomum, quamuis aduersari nobis videretur Alexandriæ procella, quæ concessa fuere: loquuti sumus, Iesu increpante ventos, & vndas maris. Ex hoc casu progressi, extracti sumus ex Ægypto, Deo nos liberante, qui educit populum suum ex ea: deinde, inimico aduersus nos acerbissimè pugnãte per suas nouas literas, reuera euãgelio inimicas, omnésque Ægypti ventos aduersus nos concitante, stare me magis adhortabatur ratio ad certamen, & seruare præstantissimam mei partem, quàm importunè coniungere restantem scripturam, antequam rationis discursus tranquillitatem reciperet, ne fortè cogitationes prauæ inualescerẽt in animam etiam meam procellam inducere. Quin absentes quoque, qui mihi de more adsunt, veloces scriptores, me prohibebant, quæ excogitassem, mandare literis. Nunc verò quando aduersum nos ignitæ sagittæ multæ vanæ fuerunt factæ, Deo illas extinguẽte, & assueta anima nostra his, quæ cœlestia sermonis causa contingunt, ferre co- E gitur facilius factas insidias, veluti aliquantum serenitatis nacti, nõ amplius differẽtes dictare volumus quæ restant, Deum magistrum in animæ nostræ adyto penetrali insonantem adesse precantes, vt finem accipiat structura enarrationis euangelij secundum Ioannem. Atque vtinam audiat Deus preces nostras, vt corpus totius operis cõiungere possimus, nec vlla post hac necessitas intercipiat, atque interrumpat scripturæ seriem: Cæterum scias ex multa nos promptitudine initium sexti tomi denuò facere, eò quòd quæ antea interpretati fueramus Alexandriæ, nescio quo pacto nobiscum allata nõ fuerunt. Melius enim ratus sum, ne interim etiam hoc opus cum ignauia intermitteretur, quæ restabant prosequi, quàm dum incertus sum inueniendi, quæ interpretati fueramus, expectare: hoc interim tempore, quòd lucri non parua est accessio, pereuntes, & hæc proœmij loco satis sunto, Nunc iam contextum sequamur.

Ioan. 14.

3. Reg. 7.

Esd. 40.

Luc. 14.

Ioan. 1.

Et hoc est testimonium Ioannis.

SECVNDVM hoc est Ioannis Baptistæ de Christo scriptum testimonium, primo testimonio incipiente ab illis verbis, hic erat, quem dixi: Qui post me venit, & desinente in ea, vnigenitus filius Dei, qui est in sinu patris, ille enarrauit. At verò non rectè Heracleon suspicatur verba illa, nullus F Deum vidit vnquam, & quę sequuntur, dicta fuisse non à Baptista, sed à discipulo. Nam si etiam opinione sua, quòd ex plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quoniam lex per Mosen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, à Baptista est dictum, quomodo nõ consequens est, eum, qui ex plenitudine Christi acceperit, & gratiam secundam pro gratia prima, quique fassus fuerit datam fuisse per Mosen legem, gratiam verò, & veritatẽ per Iesum Christum factam fuisse ex his, quæ ex plenitudine in ipsum deuenissent, tum intellexisse, quomodo Deum nullus vidit vnquam, tum etiam, quòd vnigenitus ad sinum patris existẽs, hæc ipsi, & omnibus, qui ex plenitudine eius hausissent, enarrauerit. Non enim nunc primum enarrauit, qui est ad sinum patris, perinde quasi nullus antea idoneus extiterit accipere, quæ Apostolis enarrauerit, quandoquidem antequam Abraham existeret, docet nos Abraham exultasse, vt videret diem ipsius, gauisumq; fuisse. Quin quòd ait: Ex plenitudine ipsius nos omnes accepimus: & gratiam pro gratia, vt in superioribus diximus, arguit prophetas etiam ex Christi plenitudine donum cepisse, gratiámque secundam pro prima eos sumpsisse: peruenerũt enim & illi à spiritu manuducti, postquam

Ioan. 1.

G introducti fuissent, atque exerciti in figuris, ad veritatis visionem. Quo circa non omnes prophetæ, sed multi desiderarunt videre, quæ Apostoli viderunt. Nam si prophetarum erat differentia, perfecti, & præstantes non desiderarunt videre, quæ viderunt Apostoli. Viderunt enim ipsa. Qui verò non æquè atque hi assequuti sunt, vt ad altitudinem sermonis ascenderint, appetiuerunt ea, quæ Apostoli per Christum cognouerunt. Nam illud videre, non corporaliter dictum fuisse interpretati sumus, quemadmodum etiam illud audire spiritualiter prolatum intellex imus: quippe cum is solus aures possideat, qui eas præparauerit ad audiendum sermones Iesu, quæ res haud ita frequenter obtingit. Iam verò sanctos cæteris credentibus habentes plus quippiam, diuinitatis mysteria ante corporalem Iesu aduentum intellexisse, dei sermone eos edocente etiam antequam caro fieret (nam semper operatur imitator patris cum sit, de quo dicit: Pater meus vsque modo operatur) considerare licet ex his etiam dictionibus, vbi Saduceis non credentibus sermoni de resurrectione inquit: non legistis quod Deus in rubo dixit. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus verò non est mortuorum, sed viuentium. Si igitur Deum non pudet virorum horum vocari Deum, hique viri inter viuentes à Deo numerantur, filiique Abraham sunt omnes credentes (quandoquidem in fideli Abraham, qui positus est pater gentium à

Ioan.5.

Exod.3.

H Deo, benedicuntur omnes gentes) ambigimus admittere viuentes viuentium agnouisse disciplinas? Idque à Christo edoctos ante luciferum genito, antequam caro fieret? Cæterum ob eam causam viuebant, quoniam participabant dicentem: Ego sum vita, & percipiebant apparitionem non modò angelorum, sed etiam Dei per Christum, tanquam tantarum promissionum hæredes: & fortasse videntes imaginem inuisibilis Dei (quandoquidem qui vidit filium, vidit & patrem) quum intellexissent Deum, Deique sermones pro ipsius dignitate audissent, Deum vidisse, ipsúmque audisse scribuntur. Arbitror verò ego eos, qui perfectè, & sincerè filij Abraham extiterint, filios esse actionum ipsius Abrahæ, quæ intelliguntur esse spiritnales, atque etiam filios esse scientię manifestatæ ipsi Abrahæ, quoniam quæ ipse cognouit, & fecit, ingenita fuerint illis, qui filij sunt patriarchæ, quemadmodum docet habentes aures, dicens: Si filij Abraham essetis, opera Abrahæ faceretis. Quòd si sapiens intelliget quæ ex proprio ore protulerit, in labiis verò portabit animi candorem. Vel necessariò quædam de prophetis, tanquam non sapientibus (vt qui non intellexerint proprio ore prolata) inconsideratè enuncianda erunt, vel quod celebre est, & verũ admittentes (nempe prophetas sapientes esse) fatendum erit, quæ proprio ore protulerint, eos intellexisse, inque labiis gestasse animi candorem, & perspicuum est Mosen mentis acie, legis veritatem,

I historiarúmque apud se scriptarum allegorias iuxta anagogen vidisse. Imò Iesus veram distributionem factam post destructionem nouem & viginti regum intelligit, cum magis quam nos conspicere posset, quas veritates adumbrarent res à se gestæ. Quin perspicuum etiam est Esaiam, mysterium sedentis in throno, & duorum Seraphin, & alarum, ipsiúsque altaris, & forcipis, & operimenti faciei, & pedum (quod faciebant Seraphin) vidisse. Rursus Ezechiel Cherubin, & ipsorum iter, & firmamentum super ipsos, & sedentem in throno vidit, quibus quid gloriosius, sublimiúsque? Et ne singulatim prosequens in longum protendam sermonem, volens ostendere viros perfectos in superioribus ætatibus non minus cognouisse, quàm qui à Christo reuelationem habuerunt, quippe cum his ille idem, qui Apostolos docuit, cultus Dei mysteria abscondita retexerit, adhuc paucis additis iudicandum legentibus reliquam, & considerandum de hisce rebus, quicquid volunt. Nam inquit in Romanorum Paulus epistola. Ei autem qui potest nos firmare secundum Euangelium meum iuxta reuelationem mysterij, quod temporibus sempiternis est tacitum, manifestatum autem nunc per scripturas propheticas, & per apparitionem domini nostri Iesu Christi. Si enim apostolis manifestatum est mysterium per scripturas propheticas, olim tacitum, & prophetæ intelligebant, quæ proprio ore proferebant, quia sapientes essent, profectò quæ apostolis manifestata fuere, etiam prophetæ intellexerunt.

Rom.16.

Quoniam verò multis, & vulgaribus reuelatum non fuerat, K ob eam causam inquit Paulus, aliis ætatibus non innotuit filiis hominum, quemadmodum nunc reuelatum est sanctis apostolis eius, & prophetis per spiritum: vt sint gentes cohæredes, & eiusdem corporis. Vide verò, an etiam ob obiectionem, quam obiicere possent hi, qui non admittunt rationem nostram, sic interpretari possimus vocabulum reuelatum: nempe vt duobus modis dicatur. Vno quidem modo, quando id, quod reuelatur, intelligitur, altero verò, quando fuerit aliquid prophetatum, quod futurum sit, & complendum. Tum enim reuelatur, quando res impleta perficitur. Quòd igitur gentes per Christum sint cohæredes, & eiusdem corporis, & comparticipes promissionis in Christo, quantum quidem attinet ad cognitionem, vt gentes futuræ sint cohæredes, & eiusdem corporis, & comparticipes, & quando cohæredes erant futuræ, & quare, & quales essent, & quomodo extraneæ à testamentis, alienǽque à promissione, futuræ in posterum erant eiusdem corporis, & comparticipes, norant prophetæ, cum ipsis hoc reuelatum fuisset. Intelligentibus verò tantum, & non videntibus perfecta fuisse ea, quæ prophetata fuerant, non sic reuelata sunt futura, vt iis, qui sub aspectum horum euentum cernebant, quod factum est in Apostolis: nam, vt ad vnum modum, arbitror eos non magis res intellexisse, quam patres, & prophetæ, sic altero modo verificatur de eis illud, quod aliis ętatibus reuelatũ non fuit, quemadmodũ nunc Apostolis, gentes esse cohæredes, & eiusdem L corporis, & comparticipes promissionis per Christum: quia præterquam quod intelligunt mysteria, etiam actionem, per rem perfectam intuentur. Quòd autem ait, multi prophetæ, & iusti cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt, similem potest habere interpretationem: perinde quasi cupierint & illi videre mysterium olim prędictum dispositum incarnationis, & descensus filij Dei, ad œconomiam passionis suæ, compluribus salutaris, tanquam si exempli gratia tale quiddam aliud sumeremus. Esto aliquis Apostolus, qui intelligat verba ineffabilia, quæ non licet ad hominem loqui, sitque is non visurus secundum gloriosum Christi aduentum diuulgatum apud fideles, & tamen cupiat videre ipsum: rursus sunto alij duo, qui non solùm non perceperint, atque intellexerint eadem, quæ Apostolus, sed impendio minus ipso etiam spem diuinam possederint, atque hi deprehendant secundum seruatoris nostri aduentum (quem copiat quidem Apostolus iuxta exemplum, nec tamen videat) certè nec falsò pronunciabimus hos duos vidisse, quæ cupierit Apostolus ille, vel apostoli videre: nec omnino hanc ob causam necessariò dicemus, eos prudentiores, beatioresque Apostolis. Ad hunc igitur modum neque Apostolos sapientiores patribus, vel Mose, vel prophetis dicturi sumus: hisque præcipuè, qui diutius ob virtutem supernis apparitionibus, vel repræsentationibus diuinis, & reuela- M tionibus grandium mysteriorum digni fuere habiti. Sed diutius commorati sumus in his, inquirentes eorum dicta, qui propter opinationem glorificandi Christi aduentum, dicunt, longè sapientiores Apostolos, quàm prophetas, & patres fuisse. Nam aliqui quidem Deum maiorem finxerunt: aliqui verò hoc non ausi, quantum ex ipsorum verbis percipimus, propter dogmata, quæ explicatu difficilia sunt, prophetas, ac patres dono defraudant, quod illis à Deo donatum fuerat per Christum, per quem omnia facta sunt, nam si omnia, perspicuum etiam est, quę illis reuelata fuerunt pręclara, & peracta, signa sanctorum mysteriorum cultus Dei, per ipsum facta fuisse. Iam quoniam vndequaque sepiri necesse est generosos Christi milites pro veritate, nusquam pro virili fieri permittentes ingressum falsæ persuasioni, age & hæc consideremus. Nam fortasse primum Ioannis de Christo testimonium esse dicens: Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat. Et illud: Ex plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, & quæ sequuntur, dictum fuisse ex persona discipuli. Vnde necesse est intelligentiam hanc refellere, seu coactam, & non consequentem. Admodum enim violentum est existimare repentè adeò, & importunè Baptistæ orationem interruptam fuisse ab oratione discipuli. Et sanè vel cuilibet, qui tantillum iudicare sciat contextum orationis corum,

Ephe.3.

Matt.13.

A totum, quę dicuntur, lectionis series aperta est. Hic erat, quem Ioan. 1. dixi, qui post me venit, ante me factus, quia prior me erat. Docet autem Baptista, quomodo ante se factus sit Iesus, dictus ipso Baptista prior, quia sit primogenitus omnis creaturæ, per illa verba, quoniam ex plenitudine eius nos omnes accepimus, ob hanc enim causam inquit, ante me factus est, quoniam prior me erat, & ob hanc causam intelligo eum priorem me existere, & apud patrem honorabiliorem esse, quoniam ex eius plenitudine, tùm ego, tùm prophetæ, qui me antecesserunt, sumpserimus: nempe gratiam diuiniorem, & maiorem, & propheticam, pro ea gratia, quæ secundum electionem nostram recepta est. Ob hanc autem causam ante me enam factus est, quoniam prior me erat, quia ex plenitudine eius cum hausissemus, intelleximus etiam legem per Mosen, non à Mose datam fuisse: gratiam verò, & veritatem per Iesum Christum non solùm datam, sed etiam factam fuisse. Nempe Deo, & patre ipsius, tùm legem per Mosen dante, tùm veritatem, & gratiam per Iesum Christum faciente, gratiam autem, & veritatem per Christum faciente, quæ homines præuenit, candidius enim, & simplicius interpretantes ea verba, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, non discruciabimur, perinde quasi contraria his sit illud: Ego sum via, veritas, & vita: nam si Iesus est, qui dicit, ego sum veritas, qui fieri potest, vt veritas per Iesum fiat? cum aliquis per se B ipsum non fiat? Sed intelligendum est, quod αὐτοαλήθεια ea, quæ est per se veritas, ipsa illa, quæ est substantialis, &, vt ita dicam, primum exemplar illius veritatis, quæ in animabus inest rationis capacibus, à qua veritate, veluti imagines illius, impressæ fuere spectantibus veritatem, non per Iesum Christum facta est, neque omnino per aliquem, sed à Deo. Quemadmodum enim neque sermo ille, qui in principio erat apud Deum, non est per aliquem: neque sapientia illa, quam creauit initio viarum suarum Deus, non est per aliquem: sic neque veritas illa est per aliquem. Verùm quæ apud homines est veritas, per Iesum Christum facta est, verbi gratia: veritas, quæ in Paulo inest, cæterisque Apostolis, per Iesum Christum facta est. Nec mirum est, si veritas cum sit vna, multas quasi veritates ab illa dicamus diffluere. Vidit enim Dauid ille prophe Psal. 11. ta multas veritates dicens: Veritates exquiret dominus, non enim vnam exquirit veritatem veritatis ipsius pater, sed multas, per quas seruantur, qui eas habent. Simile verò quiddam huic orationi de veritate, & veritatibus dictum inuenimus de iustitia, & iustitiis. Ipsa enim iustitia, quæ ex se est, & substantialis, Christus est, qui factus est nobis sapientia à deo, iustitiáque, & sanctificatio, & redemptio perfecta. Ab illa autem iustitia ea iustitia formatur, quę in vnoquoq; inest, ita vt in his, qui seruantur, multæ fiant iustitiæ: hanc ob causam etiam scriptum est, iustus dominus, & iustitias dilexit: sic enim in veris C exemplaribus, & cæteris traditionibus iuxta septuaginta, & ipso Hebraico inuenimus. Inspice verò, num isto modo alia quoque, quę Christus esse dicitur singulariter, pro proportione multiplicata, plurium numero efferri possint, verbi gratia: Christus est vita nostra, quemadmodum Seruator ipse inquit: Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Et Apostolus: Quandocunque Col. 3. Christus manifestatus fuerit vita nostra, tunc & vos cum illo Psal. 36. manifestabimini in gloria. Rursus in psalmis scriptum: Melior misericordia tua super vitas. Nam quia Christus in vnoquoque inest vita, ideò multiplicantur vitę. Fortassis isto modo & illud inquirendum: num experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Fermè enim in vnoquoque sancto Christus inuenitur. Et fiunt per vnum Christum multi Christi, illius imitatores, & transformati ad illius similitudinem, qui est imago Dei: vnde per Prophetam inquit Deus: Ne tetigeritis Christos meos: quod igitur in enarrando visi sumus præteriisse (nẽpe gratia, & veritas per Iesum Christum facta est) obiter explicuimus, insuper ostendentes Ioannis Baptistæ hanc esse vocem: adhuc etiam per hæc verba testimonium reddentis filio Dei. Iam ergo videamus secundum Ioannis testimonium, è Hierosolymis Iudæi, ceu affines Baptistæ, qui ex genere sacerdotali erant, sacerdotes mittunt, & leuitas, interrogaturos, quis tandem esset Ioannes. At ille dicens, non sum ego Christus, veritatis confessionem edidit, nec vt aliquis suspicari posset, per hæc verba, non sum ego Christus, negauit, neque enim negatio est ad Christi gloriam, dicere se non esse Christum. D Cæterum cum audissent qui missi fuerant è Hierosolymorum vrbe sacerdotes, & leuitæ, ipsum non esse Christum expectatum, de secundo, qui sperabatur (nempe Helia) cuius nomẽ magni apud ipsos fiebat, percunctantur, num ipse ille esset? Quo dicente se non esse Heliam, Ioan. 1. rursus dicendo non sum, fatetur verum. Quoniam verò prophetæ multi cum essent in Israël, vnus quispiam præcipuè expectabatur prophetatus à Mose, iuxta verbum illud dicens: Deut. 18. Prophetam suscitabit dominus Deus noster ex fratribus vestris, sicut me, ipsum audite, & omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, ex populo suo exterminabitur: tertio interrogant: non si propheta esset, sed an propheta ille? Et hoc non ponentibus illis hoc nomen de Christo, sed alterum esse ipsum præter Christum existimantibus, ipse cognoscens illum, cuius præcursor est (nempe quod Christus, quòd propheta est ille prophetatus) respondet, non: responsurus fortasse, næ, (quæ vox est assentientis) si absque articulo interrogassent, cum non ignoraret se prophetam existere: in omnibus his etiam responsionibus secũdum Ioannis testimonium non absolutum fuit, donec petentibus responsionem renunciandam his, qui eos miserant, seipsum è voce prophetica Esaiæ manifestauit, quæ sic se habet: Vox clamantis in deser- Ioan. 1. to, parate viam domini. Quæsitu autem dignum est, vtrum absolutum sit secundum testimonium, & tertium incipiat ad eos, qui miserant ex pharisæis, & volentes intelligere, cur tan- E dem baptizaret, cum neque Christus neque Helias, neque propheta existeret, in illis verbis, ego baptizo in aqua, sed in medio vestrum stat quem vos nescitis, ipse est, qui post me veniens, ante me factus est, cuius non sum ego dignus, vt soluam corrigiam calciamenti, an pars secundi testimonij sit responsio ad pharisæos. Verùm ego quantum coniectare ex lectione valeo, dicturus sum tertium testimonium esse responsionem ad eos, qui missi fuerant ex pharisæis. Obseruandum insuper quod primum testimonium diuinitatem seruatoris demonstrat. Alterum suspicionem ambigentium, num fortè Ioannes esset Christus, purgat. Tertium inuisibiliter hominibus præsentem prædicat illico venturum: verùm ante testimonia sequentia, ex quibus qui demonstratur, testimonium accipit. Videamus singulas dictiones secundi, & tertij testimonij: hoc primum obseruantes, duas legationes fieri ad Baptistam, alteram è Hierosolymis à Iudæis mittentibus sacerdotes, & leuitas, vt interrogarent eum, tu quis es? alteram à pharisæis mittentibus, atque pręter factam responsionem sacerdotibus, & leuitis, dubia mouentibus. Obserua ergo, quomodo propter personam sacratam, & leuiticam, cum mansuetudine, atque discendi auiditate dicuntur ea verba, tu quis es? Et illud, quid ergo Helias es tu? Et illud, num propheta ille es tu? Et ad hæc, quis es? vt responsum demus his, qui mi- F serunt nos, quid dicis de te ipso? Neque enim quicquam præfractum, temerariúmue inest in horum interrogatione, sed omnia conuenientia veris dei cultoribus. Cum contra qui missi fuerant à pharisęis, leuitis alioqui & sacerdotibus minime anxiè disquirentibus ea, quæ dicta fuerant, vocibus veluti contumeliosis, & inhumanioribus cum baptista agunt, per illud, quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Helias, ne- Ioan. 1. que ille propheta? Et ferè non intelligere volentes veluti prædicti leuitæ, & sacerdotes, hi mittunt, sed prohibere volentes à baptizando. Cum fortassis existimarent ad nullum alium pertinere baptizare, quàm ad Christum, vel ad Heliam, vel ad prophetam: Iam qui accuratè scripturam legere voluerit, diligentiam is adhibeat oportet, obseruare necessarium cum sit, quæ dicuntur, à quibus, & quando dicuntur: vt per totos sanctos libros inueniamus personis aptè tributum sermonem.

TOMVS SEPTIMVS.

Tunc miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes, & leuitas, vt interrogarent eum, tu quis es? Et confessus est, & non negauit, & confessus est, non sum ego ille Christus.

G QVos mittere legatos ad Ioannem Iudæi debebant, & vnde, nisi eos qui præcellere existimabantur, & à Hierosolymorum loco super
omnem terram bonam celebrato: vbi templum
erat Dei? Ioannem itaque tanto cum bonore
interrogant. De Christo verò nihil tale Iudæos fecisse scriptum est. Sed quod Iudæi erga Ioannem faciunt, isthuc Ioannes erga Christum fecit, per suos discipulos interrogans: tu
es, qui venturus es, an alium expectamus? Et Ioannes quidem
ad eos, qui venerant, confessus cum fuisset, & non negasset,
subinde illud: Ego vox clamantis in deserto, enunciat, Christus verò, tanquam qui maius testimonium quam Ioannem
haberet, responsionem facit sermonibus & operibus dicens:
Matt. 11. Ite & renunciate Ioanni, quæ auditis, & videtis. Cæci visum
recipiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt,
pauperes lætum accipiunt euangelij nuncium, de quibus
commodius, Deo dante, in suis disputabimus locis. Fortasse
autem non sine causa quis instaret, cur tandem sacerdotibus,
& leuitis interrogantibus Ioannem, num si ipse esset Christus, sed tu quis es? respondet Baptista non id, quod par erat
ad illud, tu quis es? Ego vox clamantis in deserto, sed quod
aptè dictum fuisset, si interrogassent, tu es Christus? conueniebat enim ad illud, es tu ille Christus? Illud, ego non sum
Christus, ad illud vero, tu quis es? ego vox clamantis in deserto. Dicendum verò ad hoc, quod ex interrogatione vide-
H bat Ioannes (vt probabile erat) timiditatem leuitarum, & sacerdotum præseferentium quidem suspicionem opinionis,
num fortè is, qui baptizat, esset Christus, sed apertius illud
nominare, ne viderentur petulantes, cauentium. Vnde iure, vt
in primis omnem ipsorum suspicionem tolleret, quam de se
ipso falsam habebant, deinde sic ostenderet veritatem, ante
omnia enunciat illud, non sum ego Christus. Declarat autem
tale quiddam suspicatos eos fuisse secunda, atque etiam tertia interrogatio. Heliam enim cum venturum sperarent, atque plurimi facerent, cum esse suspicantes honore ipsi Christo proximum, atque secundum, enunciante Ioanne se non
esse Christum, interrogant, quid ergo Helias es tu? Et dixit,
non sum, tertiò num ipse esset ille propheta scire volunt: quo
respondente, non, cum non amplius possent dicere priuatum
nomen alicuius, qui ad se accessurus speraretur, inquiunt, quis
es? vt responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de
te ipso? hue innuentes: hæc quidem non es, quæ Israeli futura
expectantur, qualis autem sis, qui baptizas, nescimus, quare
isthuc nos doceto, vt possimus renunciare his, qui hanc ob
causam nos ad te miserunt. Rursus verò etiam hoc his, quæ
proposita sunt, proximum addemus, Videlicet quòd tempus
aduentus Christi commouerat populum: quod quidem tempus iam aliquo modo instabat circa annos, qui erant ab ortu
Iesu, & paulò superius vsque ad demonstrationem prædica-
I tionis. Quocirca Scribis, & legis peritis, vt probabile erat, iam
expectantibus eum, qui sperabatur, quia tempus illius è diui-
Act. 5. nis scripturis collegerant, tumultuatus est Theudas non parua multitudine congregata, tanquam, opinor, Christus esset.
Et post illum Iudas Galilæus in diebus professionis. Consentaneum ergo est, cum Christi aduentus feruenter expectaretur, diuulgaretúrque, Iudæos ab Hierosolymis sacerdotes, &
Ioan. 1. leuitas misisse ad Ioannem, per illud, tu quis es? discere volentes, num fateretur, se ipsum esse Christum: & interrogauerunt eum, quid ergo, Helias es tu? & dicit non sum. Verùm
enimuerò quis audiens Iesum dicentem de Ioanne, si vultis
accipere, ipse est Helias, qui venturus est, non quæsiturus sit,
quonam pacto ad interrogatores, Helias es tu? dicat Ioannes, non
sum, atque etiam quomodo opus sit intelligere Ioannem esse
Heliam venturum, iuxta id, quod à Malachia est dictum, sic
Malac. 4. habens. Et ecce ego mitto vobis Heliam Thesbiten, antequam veniat dies domini magna, & manifesta, qui restituet
cor patris erga filium, & cor hominis erga proximum suum,
ne veniam, & percutiam terram funditus. Quin angeli oratio ad Zachariam stantis à dextris altaris incensi (quem ipse etiam Zacharias conspexit) simile quiddam his, quæ dixit Ma-
Luc. 1. lachias, per hæc verba ostendit. Et vxor tua Elisabeth pariet
tibi filium: & vocabis nomen eius, Ioannes, & post pauca,
ipse procedet coram ipso cum spiritu, & virtute Heliæ, vt
conuertat corda patrum ad filios, & contumaces ad pruden- K
tiam iustorum, vt præparet domino populum instructum. Ad
primum igitur aliquis dicet: Ioannem ignorasse se ipsum esse Heliam: & fortassis hac ratione vsuri sunt, qui fauent opinioni eorum, qui ponunt μετενσωμάτωσιν, hoc est, transcorporationem: perinde quasi anima subinde induat corpora, prorsus immemor anteactæ vitæ. Sed & hi ipsi dicturi sunt
aliquos ex Iudæis huic dogmati assentientes de seruatore dixisse: eum fortassis vnum quempiam esse ex veteribus prophetis: qui resurrexisset non ex monumentis, sed ab ortu.
Qui fieri enim poterat, vt palàm cum innotuisset Mariam
ipsius esse matrem, putaretúrque Ioseph faber illi pater esse,
existimarent eum vnú quendam ex prophetis existere è mortuis resuscitatum? Quin etiam illo testimonio Geneseos hi
vtentes, delebo vniuersam resurrectionem, statuent in certamine virum ab hoc dogmate stantem, gnarum soluendi è
scripturis diuinis fallaces probabilitates adductas. Cæterum
alius ecclesiasticus orationem eam, quæ astruat transcorporationem, veluti falsam respuens, nec admittens Ioannis animam aliquando Heliam fuisse, prædicta oratione angeli vsurus est, qui non nominauerit Heliæ animam in ortu Ioannis,
sed spiritum, & virtutem, per hæc verba. Et ipse præcedet cum
spiritu, & virtute Heliæ, vt corda patrum ad filios conuertat:
infinitis scripturarum locis ostendere valens, aliud esse spiritum, & id quod nominatur virtus spiritus, aliud esse animam:
de quibus tempestiuum non est nunc multa in medium affer- L
re, ne in immensum orationem protrahamus. Quocirca ad
ostendendum virtutem spiritus differre ab anima, contentus Luc. 1.
erit ecclesiasticus in præsentia illo testimonio: & virtus altissimi obumbrabit tibi: ad ostendendum verò eos spiritus, qui
sunt in prophetis (vt qui illis à Deo donati sint) veluti illorum 1. Cor. 14.
mancipia esse, eo vtetur. Spiritus prophetarum prophetis
subijcitur. Et illo, requieuit spiritus Heliæ super Helisæum.
Isto enim modo nihil absurdi erit, inquiet, vt Ioannes conuertens in spiritu, & virtute Heliæ corda patris ad filios, dicatur propter hunc spiritum, Helias, qui venturus est, ad quorum confirmationem etiam hac ratione vtetur. Si vniuersorum Deus familiaris factus sanctis, Deus ipsorum fit, sic nominatus Deus Abraam, Deus Isaac, & Deus Iacob, quantò
magis spiritus sanctus familiaris factus prophetis, spiritus ipsorum haberi poterit, vt hunc in modum spiritus dicatur, spiritus Heliæ, & spiritus Esaiæ? Dicetque hic ipse ecclesiasticus, potuisse quidem eos, qui suspicati fuissent vnum, solúmq;
prophetarum esse Iesum, è mortuis resuscitatum, decipi, tùm
ex prædicto dogmate, tùm ex suspicione, quòd ipse vnus ex
prophetis esset, sed præterquam quòd existimarét eum vnum
ex prophetis esse, atque ex monumentis resuscitatum fuisse,
labi eos etiam, & falsa opinari potuisse ignorando, quisnam
pater ipsius diceretur, & quænam eius esset mater. Ad illud
etiam, quod est in Genesi de voce resurrectionis, occurret ec- Gen. 4.
clesiasticus vtens eo testimonio: Resuscitauit mihi semen a- M
liud Deus pro Abel, quem interfecit Cain, voce resurrectionis posita, etiam de natiuitate. Proinde hic ad primam dubitationem alio modo, quàm is, qui suspicatur transcorporationem, respondens dicet. Per ea quidem, quæ nuper probata sunt: Ioannem ratione quadam Heliam esse venturum, respondisse verò sacerdotibus ac leuitis, non sum, coniectantem, interrogationis ipsorum voluntatem. Nec enim intendebat hæc inquisitio primo Ioanni facta à sacerdotibus, &
leuitis, vt discerent, an idem spiritus in vtroque esset, sed an
Ioannes esset ille ipse Helias, qui assumptus fuerat, nunc apparens iuxta Iudæorum expectationem absque ortu, quem
fortasse etiam ignorabant, qui missi fuerunt ab Hierosolymis,
ad quam interrogationem meritò respondet, non sum neque
enim Helias ille sursum receptus alternauerat corpus, dictus
Ioannes. At contra primus ille, cuius sensum proposuimus
existimantis transcorporationem hinc astrui immorans in
examinatione dictionis, dicet ad alterú: minime consequens
esse Zachariæ tanti sacerdotis filium in senectute vtrisque gentium parentibus, præter omnem humanam expectationem,
ignorari à tot Iudæis, qui erant Hierosolimæ, & ab iis, qui
missi fuerút ab ipsis leuitis, & sacerdotibus pescientibus ipsum
natum fuisse, & maxime testificante Luca, timorem ingruisse Luc. 1.
super

A super vicinos eorum, nempe Zachariæ, & Elisabethę, & quòd in tota montana Iudeæ diuulgabātur omnia verba hæc, quòd si ortus Ioannis ex Zacharia non ignorabatur, miserántque Iudæi ab Hierosolimis per leuitas, & sacerdotes interrogaturi, Helias es tu? perspicuum esse, hoc eos dixisse verum putantes esse dogma de transcorporatione: quod ceu patrium esset ipsorum, & non alienum ab arcana doctrina, quæ apud ipsos traditur, addétque etiam hanc ob causam Ioannem dicere, non sum Helias, quòd ignoraret, quodnā vitæ genus ante transegisset. His igitur non cōtemnendam probabilitatem habentibus, rursum ecclesiasticus dubitabit cōtra illum priorem, an illius prophetæ sit, qui à spiritu illuminatur, qui ab Esaia prophetatur, qui à tali, tantóque angelo, priusquam nasceretur, prædicitur pariendus, qui ex plenitudine Christi accepit, qui gratiam talem, ac tantam participauit, qui intellexit veritatem per Iesum Christum factam fuisse, qui talia ac tanta de Deo, ac de eius vnigenito illo, qui ad sinum patris est, enarrauit, mentiri, atque etiam hæsitare non agnoscentem, quod erat. Oportebat enim de rebus obscurioribus assensionem inhibere, neque concedendo, neque tollendo propositionem. Quomodo autem rationi cōsentaneum non erat, si multorum tūm temporis dogma hoc fuisset, vt dubitaret Ioannes de se ipso, num quando anima sua in Helia fuerit? Quin ad historiam prouocabit ecclesiasticus illū priorem

B auditurum ab his, qui se scire profitentur, quæ apud Hebręos arcana sunt, & euulgare sit nefas, num dogma aliquod huiusmodi sit apud ipsos: nam si nullo loco appareat, hoc hunc in modum se habere, perspicuum est illius prioris rationem dissipatam esse. Quamobrem nihilò minus ecclesiasticus solutione vtetur, quam ante explicauimus: adhuc etiam ipse voluntatem interrogantium produci in medium postulantes. Nam si illi, qui miserunt, sciunt, vt is probauit, genitum ex Zacharia, & Elisabeth Ioannem fuisse, atque etiam multò magis ij, qui missi fuerant, ex genere cum essent sacerdotali, quibus clām futura non erat clara, atque admiranda soboles Zachariæ cognati tām illustris, quid cogitarunt interrogantes (es tu Helias?) viri qui legerant Heliam in cœlos receptum fuisse, & qui expectabant aduentum eius? Fortassis igitur quoniam consummationis tempore Heliam ante Christum expectant, & post Heliam Christum, veluti tropicè interrogare videntur, num tu es ille prænuncians venturam ante Christum, consummationis tempore, prædicationem? Et scienter ad hoc respondet, non sum. Præterea verò ecclesiasticus instans ad ea, quæ inquirit alter, qui ostendere tentat, non latuisse sacerdotes ortum Ioannis adeo manifestum factum, eò quòd diuulgata fuerint omnia ver-

C ba hæc per montana Iudææ, dicet: multos simili errore de-

Matt.16. ceptos fuisse in seruatore: quoniam alij quidem Ioannem Baptistam ipsum, alij Heliam, alij Hieremiam, aut vnum prophetarum dicerent. Quemadmodum & discipuli interroganti domino (cum venisset in partes Cæsareæ, quæ cognominatur Philippi) dixerunt. Quin Herodes dicens, cui ego præcidi caput, Ioannes iste est, ipse surrexit à mortuis, videtur nescisse de Iesu, quæ diuulgabantur ab his, qui dicebāt,

Matt.13. nónne hic est ille fabri filius? Nonne mater eius vocatur Maria? & fratres eius Iacobus, & Ioses, & Simon, & Iudas, & sorores illius nónne omnes apud nos sunt? Nihil ergo mirū dicet ecclesiasticus esse sic alios in seruatore deceptos fuisse, cū multi alioqui qui cognouerint ipsius ortum ex Maria: quemadmodum etiam de Ioanne tutum nō est, alios quidē ipsius ortum ex Zacharia sciuisse, alios verò ambigere, vtrum Helias apparuerit in Ioāne. Nec profectò locum magis habet addubitatio de Ioāne, vtrum ipse sit Helias, quàm de seruatore, ne forte ipse sit Ioannes. Quorum Heliç quidem formam ex sola dictione, & non à sensu refellere facile erat propter illud, vir pilosus, & zona pellicea circa lumbos suos circuncinctus, Ioannis verò forma præcognita fortasse, neque similis existēs formæ Iesu nihilo minus suspicionem habuit, ne fortè Ioannes à mortuis resurrexerit, mutato nomine, dictus Iesus. Iam quòd ad nominis mutationem attinet, nescio vnde, veluti ex Apocryphis, mori Hebræi tradāt Phinees illum, qui est Eleazari filius (qui absque dubio produxit vitam vsq; ad multos iudices: sicuti legimus in libro Iudicum) ipsum esse Heliam,

& immortalitatem ipsi promissam in Numerorum libro, per D pacem nominatam fœdus, eò quòd zelum habuit: vnde com- Num.25. motus zelo diuino percusserit Madianitidem, & Israelitam, & cessare fecerit furorem (vti vocant) Dei, iuxta id, quod scriptum est. Phinees filius Eleazar filij Aaron, cessare fecit furorem meum, quoniam zelum habuit pro me. Quamobrem nihil est mirum, si qui suspicabantur eundē esse Phinees, & Heliam? vel rectè dicentes, vel non (nec enim hac de re proposita nobis est nunc inquisitio) eundem esse putabant Ioānem, & Iesum. Vel profectò hac de re ambigebant, sciréq; volebāt, num ipse esset Ioannes, & Helias. Præcipuè verò atque alio tempore inquirenda est diligentius, diutiúsque indaganda ratio de substantia animæ, déq; principio formationis eius, atq; ingresso ipsius in corpus hoc terreum. Indagandū etiam, quid iniunctum sit vitæ vniuscuiusq; animæ, atque de eius recessu ex hac vita, & an contingat illam denuo ingredi in corpus, an non, & eodem periodo, & eadem dispositione, nec ne, & nū in eodem corpore, an in alio: quòd si in eodem, vtrum manēte eodem secundum subiectum, sed mutato secundum qualitatem, an etiam idem futuro secundum subiectum, & qualitatem, & num semper eodem corpore vsura sit, an immutatura illud. In quibus etiam illud, quid propriè sit μετενσωμάτωσις, id est transcorporatio, quidque hæc differat ab incorporatione, quæ Græcè est ἐνσωμάτωσις, indagare necesse E erit, & num sequatur, vt qui astruit mutanda corpora, seruet mundū incorruptibilem, in quibus necessariò ponendæ erūt rationes eorum, qui volūt ex scripturarum auctoritate, vt anima simul cum corpore seminetur, & quæ sequuntur ipsas, &, vt semel dicā, oratio de anima, copiosa alioqui, & ad interpretandum difficilis, si vndequaq; colligi debeat ex his quæ passim posita sunt in scripturis, proprium requirit opus. Quamobrē nunc decenter ex his, quæ de Ioanne, déque Helia conquisita sunt, cum breuiter perscrutati simus quæstionem, ad cætera transeamus.

Es tu propheta ille? & respondit non. Ioan.1.

SI lex, & prophetæ vsque ad Ioannem, quid aliud Luc.1. diceremus Ioannem esse, quàm prophetā: quemadmodū pater eius Zacharias plenus spiritu sancto, prophetans inquit: Et tu puer propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem domini, ad præparandum vias eius, nisi fortè quis sumat vocem, vocaberis, non esse dictam pro eo quod est, eris, idque potissimū, quòd ser- Matt.11. uator dixerit eis, qui existimabant eum esse prophetam. Quid exiistis in desertum ad vidēdum? Prophetam? etiam dico vobis plusquam prophetam. Obseruādum autem, quòd ea verba, etiam dico vobis, ponant Ioannem esse prophetam, nec auferant eum prophetam esse. Quòd si præterquam quòd est propheta, etiam maior quàm propheta à Seruatore dicitur, F quomodo si propheta est, sacerdotibus ac leuitis interrogantibus, propheta es tu? respondit, non. Dicendum autem ad hoc: non idem esse, propheta es tu ille, cum articulo, & es tu propheta, sine articulo. Similia verò obseruauimus antè, quid differat ille Deus cum articulo, & Deus sine articulo: & ille sermo, & sermo. Quoniam ergo in Deuteronomio scriptum Deut.18. est, prophetam vobis suscitabit dominus Deus vester de fratribus vestris mei similem, ipsum audietis. Futurum est autē, vt omnis anima, quę non audierit prophetam illum, exterminetur è populo suo. Expectabatur quispiam eximiè propheta, qui simile quid Mosi habēs mediatorem ageret inter Deū, & homines, & acceptum à Deo testamentum nouum discipulis traderet: atque in singulis prophetis agnouerat populus Israel neminem eorum hūc extitisse, qui à Mose prophetatus fuerat. Vt ergo de Ioanne ambigebant, num fortè ipse esset Christus, sic etiam, num esset ille propheta. Nec mirum si ambigentes de Ioanne, an fortè ipse esset Christus, diligenter nō inuestigarunt, an ipse esset Christus, & ille propheta. Sequitur enim, vt qui hac de re sic interrogant, ignorēt etiam quòd ipse, qui sit Christus, sit etiā ille propheta. Latuit autem multos ea differentia, quæ est inter prophetam illum cum articulo, & prophetam absque articulo: velut etiam Heracleonem, qui hisce dictionibus inquit: Sic igitur Ioannes fassus est se

G Christum non esse, neque prophetam, neque Heliam: opus
cum alioqui fuisset hunc locum sic interpretantem perscru-
tari, vera nec ne Ioannes narret dicens se neque prophetam,
neque Heliam esse. Verùm cum loca hæc non considerasset
ille in commentariis, quæ reliquit, talia sine vlla examina-
tione prætetiit, quædam admodum paucula, eáque indili-
genter examinata in sequentibus dicens: de quibus mox di-
cturi sumus.

Ioan.1. *Dixerunt ergo ei, quis es, vt responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de te ipso?*



Illud quod dicunt hi, qui missi fuerant,
hoc valet. Aduenetamus discédi gratia, quòd
rebamur te esse, & agnouimus te non esse ta-
lem, restat post hæc, vt abs te audiamus, quis
sis, vt renuntiemus his, qui miserunt nos, res-
Ioan.1. ponsum tuum de te. Ego vox clamantis in deserto, dirigite
viam domini, sicut dixit Esaias propheta. Vt ille, qui propriè
filius est Dei non alius à sermone cum sit, sermone vtitur: ip-
se enim in principio sermo ille erat, & ille λόγος, Deus apud
Deum? Sic Ioannes minister illius sermonis (si propriè scri-
pturam intelligamus) non alius cum sit à voce, voce vtitur
ostendente sermonem. Qui etiam cum intellexisset prophe-
H tiam de se apud Esaiam dictam fuisse, vocem se esse inquit:
non vocem clamantem in deserto, sed vocem clamantis in
Ioan.7. deserto: nempe illius, qui stabat, & clamabat, si quis sitit, ve-
Luc.3. niat ad me, & bibat: dicendo & illud, dirigite viam domini,
rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis
mons, & collis reddetur humilis, & erunt omnia obliqua in
Exod.7. viam rectam. Vt enim scriptum est in Exodo Mosi à Deo
dici: Ecce dedi te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit
tuus propheta, sic intelligendum est in his rationem quan-
dam, & analogiam esse Ioannis ad sermonem Deum, qui est
in principio etiam si vndequaque similitudo non quadret.
Vox enim demonstrans, & ob oculos ponens sermonem il-
lum, Ioannes erat. Quamobrem valde aptè non alia puni-
Luc.1. tione plectitur Zacharias (cum dixisset angelo, quî cognos-
cam isthuc? ego enim sum senex, & vxor mea prouectæ iam
ætatis) quàm priuatione vocis, eò quòd non credidisset ortui
vocis iuxta dictum Gabrielis ad ipsum: Ecce eris tacitus, nec
poteris loqui ad eum vsque diem, quo hæc fiant, eò quòd non
credidisti verbis meis, quæ implebuntur tempore suo. Hic
itaque Zacharias cum postulata tabellula scripsisset dicens:
Ioannes est nomen eius, & mirati fuissent omnes, recepit
Luc.1. vocem: apertum est enim illico os eius, & loquebatur bene-
dicens Deum. Vt autem disputantes quonam pacto intelli-
gendum esset, sermonem esse Dei filium, declarauimus, quæ
I in mentem venerunt, sic iuxta conuenientem consequen-
tiam, quoniam Ioannes venit ad testificandum homo missus
à Deo, vt testificaretur de luce, vt omnes crederēt per ipsum,
intelligere debemus Ioannem vocem esse, quæ sola capere
valeat sermonem annunciatum: potissimúmque hoc intelli-
gemus, si memoria repetemus, quæ ante proposuimus enar-
rantes ea verba, vt omnes crederent per ipsum, in eo loco,
hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum,
qui præparabit viam ante faciem tuam. Illud etiam egregiè,
quòd non ait, se vocem esse dicentis in deserto, sed claman-
tis in deserto, etenim qui clamat, dirigite viam domini, etiam
dicit, sed contingit vt quispiam non clamans, hoc ipsum etiā
dicat. Clamat verò, & vociferatur, vt & qui sunt procul à di-
cente, audiant, & qui ad audiendum sunt tardi, rerum quæ
dicuntur, magnitudinem intelligant: voce pronunciata cum
magnitudine opem ferēs tum his, qui à Deo recessserint, tùm
his, qui auditus acuitatem perdiderint. Hanc ob causam enim
Ioan.7. stabat etiam Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad
me, & bibat. Hanc ob causam Ioannes etiam testificatur de
eo, & dicens clamabat. Hanc ob causam iubet Esaiam Deus
Esa.40. clamare in voce dicente: clama, cui respondet Esaias, quid
clamabo? At vox precantium, quæ intelligentia percipitur,
quamuis magna, neque prolixa omnino fuerit, neque adau-
xerint illi clamorem, ac vociferationem, audit tamen hunc
in modum precantes Deus, Mosi dicens: Quid ad me cla-
masi qui sensibiliter nō clamauerat, neque enim scriptum est K
in Exodo, Mosen sensibiliter clamasse, cum per precationem
ea voce valde clamasset, quam solus Deus audit. Hāc ob cau-
sam Dauid etiam inquit: Voce mea ad dominum clamaui, & Psal.76.
exaudiuit me. Opus est autem voce clamantis in deserto, vbi
anima etiam, Deo atque, veritate destituta, quodnam enim
aliud desertum asperius, quàm anima, quæ Deo, atque om-
ni virtute sit destituta? eò quòd adhuc obliquè ambulet e-
gena doctrina, inuitetur ad dirigendam domini viam, quam
quidem viam dirigit ille quidem, qui nequaquam serpentis
iter tortuosum imitatur, peruertit verò, qui huic est contra-
rius. Quamobrem acerbius reprehenditur etiam talis simili-
bus verbis per illud. Quare peruertitis vias domini rectas?
Cæterum bifariam via domini dirigitur, primùm propter cō-
templationem, quæ manifestatur in veritate absque vlla per-
mixtione mendacij, deinde propter actionem: si quis cum
probè peruiderit quid agendum, actionem conuenientem
rationi rectæ, suggerenti agenda in opus produxerit. Vt ac-
curatius verò intelligamus illud, dirigite viam domini, op-
portunum erit citare, quod in prouerbiorum libro est dictū:
Ne declinaueris ad dexteram neque ad sinistram. Qui enim Num.20.
in vtramlibet inclinat, is amisit illud dirigere, factus non am-
plius cura, & consideratione dignus, quando transgressus
fuerit itineris rectitudinem. Quoniam enim iustus dominus,
& iustitias dilexit, & rectitudines vidit vultus eius, illud, L
quod videt, illuminat. Hanc ob causam qui est in conside-
ratione, & tutela, vtilitatem ex hac cura, & protectione ca-
piens, inquit: Signatum est super nos lumen vultus tui do- Psal.5.
mine. Itaque stemus in viis iuxta Hieremiæ dicta, & viden-
tes interrogemus semitas domini sempiternas: & videamus,
quænam sit via bona, & ambulemus in ea: perinde atque
Apostoli, qui steterunt, & interrogarunt semitas domini
sempiternas: nempe patriarchas, & prophetas, quorum li-
teras cum interrogassent, postea ipsos intelligendo, viderunt
viam bonam: nempe Iesum dicentem ego sum via, & am-
bulauerunt in ea. Bona enim via est, quæ ad patrem ducit,
bonum hominem de thesauro suo proferentem bona: & bo-
num seruum, & fidelem: cæterùm hæc quidem via angusta
est, vulgaribus, & alioqui carnis amantibus, qui iter per eam
facere non possunt, sed eadem etiam pressa, & trita est ab
his, qui vim faciunt, vt per eam eant: quoniam non est di-
cta premens, sed pressa. Nam qui non soluerit calceamenta
pedum suorum, neque sincerè admiserit, quòd locus, in quo
stat, vel etiam, per quem ambulat, terra sancta est, is præ-
mit viuentem viam, & sentientem proprietatea facientia
iter. Ducet præterea hæc via ad eum, qui, vita cum sit, di-
xit: Ego sum vita. Seruator namque, in quo vniuersa est vir-
tus, variis modis potest intelligi, & significari. Hinc illi, qui
ad finem nondum peruenerit, sed adhuc progreditur, ac pro-
ficit, est via: illi verò, qui omnem mortalitatem deposue- M
rit, vita. Per hanc viam qui ambulat, docetur nihil in illam Mar.6.
tollere, quia ipsa panes habet, & quæ ad vitam pertinent,
ne virga quidem egens, quòd nihil in illa possint hostes, sed
neque calceis, quia sancta sit, valet autem tantundem illud.
Ego vox clamantis in deserto, & quod sequitur, ac si dice- Ioan.1.
res. Ego sum ille, de quo scriptum est. Vox clamantis, vt
clamante Ioanne, vox huius etiam clamet, dirigite viam do-
mini. Maledicentius autem Heracleon de Ioanne, & pro-
phetis differens inquit: Sermonem esse seruatorem: vocem
per Ioannem intelligi, sonum verò esse vniuersum prophe-
tarum ordinem, contra quem dicendum, quemadmodum
si incertam vocem tuba dederit, nullus adornatur ad bellum, 1.Cor.14.
& qui sine charitate mysteriorum cognitionem, seu prophe-
tiam habet, factus est æs resonans, aut cimbalum tinniens,
ita si nihil aliud vox prophetica sit, quàm sonus, quomodo
remittens ad eam nos Seruator dicit: Scrutamini scripturas,
quia vos videmini in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, Ioan.5.
quæ testificantur de me? & si credidissetis Mosi, credidisse-
tis vtiq; & mihi: de me enim ille scripsit. Et bene prophetauit Matt.15.
de vobis Esaias dicēs: Populus hic labiis me honorat. Haud e-
nim scio, an rationabiliter admittet aliquis incertum sonum
à seruatore laudari: vel non licet ex scripturis (ad quas remitti-
mur) ceu à voce tubæ adornari ad bellum contra oppositas
actiones,

A actiones, si sonus dederit incertam vocem? Quonã enim pacto, si charitatem non habuerunt prophetæ, ob eamque causam veluti æs resonabant, aut tanquam cimbalum tinniebãs, ad sonum ipsorũ, vt illi interpretati sunt: remittit nos dominus inde vtilitatem percepturos? Rursus etiam nescio, quomodo absque vlla probatione enũciet vocem sermoni valdè accommodatam, sermonem fieri: quasi verũ mulierem in virum transmutet. Præterea quasi potestatem habens condendi dogmata, & fidem sibi acquirendi, & proficiendi, futurum, inquit, vt sonitus muretur in vocem, loco discipuli statuens vocem trãseuntem in sermonem, loco verò serui sonitũ transeuntem in vocem, quòd si quomodocũque attulisset aliquas probabiles rationes in his astruendis, laborassemus etiam nos in his refellendis. Sed sufficis ad hæc refellẽda nuda, simplẽsque negatio. Sed age, quod distuleramus in præcedentibus inquirere, quomodo motus fuit nunc disseramus. Seruator iuxta Heracleonem, Ioannem ipsum dicit, & prophetam, & Heliam: quorum vtrunq; se esse negat Ioannes ipse. Præterea prophetam, & Heliam, cum Seruator ipsum dicit (inquit Heracleon) non ipsum Ioannem declarat, sed quæ sunt circa ipsum: cum verò maiorem etiam prophetis, & his, qui sunt inter natos mulierum, tunc ipsum Ioannem designat. Proinde inquit Heracleon, Ioãnes ipse interrogatus, de seipso respondes, non de his, quę circa seipsum sunt. Cæterum magnam di-
B ligentiam de hisce rebus pro viribus adhibuimus, vt nihil non confirmatum omitteremus, quo comparentur termini, quos vocans, cum his, quæ enunciata fuerũt ab Heracleone: quippe qui non habeat potestatem dicendi quicquid velit. Quia enim ratione, ne leuiter quidem, probare conatur hoc (quòd scilicet Ioannes, quatenus est propheta, & Helias, & vox clamantis in deserto) esse ex numero eorum, quæ sunt circa ipsum, sed vtitur exemplo, quòd quæ sunt circa ipsum, sint veluti vestimenta diuersa ab eo: & quod interrogatus de vestimentis, an ipse vestimenta esset, non respondisset illud, næ. Quomodo enim vestimenta Ioannis hoc sit, esse Heliã venturum, nõ admodum, vt ab hoc traditum est, clarè video. Fortasse dici aliquo modo cum possit, vt à nobis est dictũ: qui vt potuimus, exposuimus illud, cũ spiritu, & virtute Heliæ, hunc spiritum Heliæ in potentia esse spiritum animæ Ioannis. Cæterùm qui demonstrare volunt, quare sacerdotes, & leuitæ fuerint hi, qui à Iudæis missi fuerunt, vt interrogarent Ioannem, non male dicerent, idcirco ex hoc ordine missos, quia conueniens esset hos in Dei cultu iugiter perseuerãtes, de hisce rebus interrogare, ac solicitos esse. Nec illud valde exquisitè protulit, Ioannem ex tribu leuitica esse, quemadmodum antea dubitantes nos indagauimus, quia si agnouissent Ioannem, ortũmq; eius, illi, qui missi fuerãt, quomodo habuissent locum interrogandi, an ipse esset Helias? Rursum in illis verbis, num propheta ille es tu? nihil præcipuum existimans si-
C gnificari ex articuli adiectione, dicit eos interrogasse, nũ propheta esset: rem multis commonem addiscere volentes. Præterea verò non solus Heracleon, sed, quantum ego videre potui, omnes etiam, qui à nobis diuersa sentiunt, vtpote qui per exiguam, ac tenuem dubitationem distinguere non possunt, Ioannem suspicati sunt Heliã, atque prophetis omnibus maiorem esse: propterea quòd nemo surrexerit inter natos mulierum maior Ioanne, nõ videntes duobus modis verum esse, quod dicitur, neminem Ioãne maiorem esse inter natos mulierum: non solùm quia ipse sit maior omnibus, verùm etiam quia sint aliqui ipsi æquales. Nam verùm est, multis prophetis ipsi æqualibus existentibus, neminem eo maiorẽ esse propter gratiam ipsi datam. Existimat autem confirmari Ioannẽ esse maiorem, quia prophetatus fuerit ab Esaia, perinde quasi nemo ex eorũ numero, qui aliquando prophetarunt, hoc honore dignatus fuerit, vere velut despiciens testamentum vetus, quod vocant: nec obseruans ipsum Heliam prophetatum
Malach. 4. fuisse. Prophetatur enim Helias à Malachia dicente. Ecce ego mitto vobis Heliam thesbiten, qui reducet cor patris erga filium. Quin etiam Iosias (vt in Regum tertio legimus) nominatim prophetatur à propheta, qui ex Iuda aduenerat, dicẽte (Cum etiam adesset Hieroboam iuxta altare.) Hæc dicit do-
3. Reg. 13. minus: Ecce filius nascitur Dauidi Iosias nomine. Inquiunt
Gen. 49. etiam nonnulli Sampsonem à Iacob prophetatum fuisse, dicente: Dan iudicabit suum ipsius populum, quemadmodum D etiam vna tribus in Israel, quoniam è tribu Dan genitus Sampson iudicauit Israelem. Sed hactenus de prophetia, propter eum, qui enunciauit præter Ioannem prophetatum fuisse neminem: & hæc dixi volens aliquid differere in illud.

Ego vox clamantis in deserto, & qui missi fuerant, erant ex pharisæis. Et interrogauerunt eum ac dixerunt ei. Quid ergo baptizas? si tu non es Christus ille, neque Helias, neque propheta ille.



QVs quidem ab Hierosolymis sacerdotes, & leuitas interrogaturos Ioannem miserãt, cum didicissent quis esset, vel non esset ipse Ioannes, decentissimè quiescunt: veluti silentio fauentes, & demõstrantes, se admittere, quæ audissent: quòd baptizare conueniat voci clamantis in deserto ad dirigendam viam domini. Contra verò pharisæi (vt qui iuxta nomen suum diuisi quidam, & seditiosi essent) se eadem non sentire demonstrat cum Iudæis existẽtibus in vrbe Metropoli, & cum ministris cultus diuini, ac sacerdotibus, & leuitis: mittendo qui veluti increpantes, ac prohibentes, quantum in ipsis esset, baptizare, interrogarent. Quid ergo Ioan. 1. baptizas, si tu non es ille Christus, neque Helias, neque pro- E pheta ille? Et fortasse si vnum in corpus connectamus, quæ in Euangeliis sunt scripta, dicturi sumus nunc quidem eos hæc dixisse, deinde verò nescio quomodo eos, cum se baptis- Mat. 3. mo dedissent, à Ioanne audisse illud. Progenies viperarum, quis vos docuit fugere à ventura ira? Facite igitur fructum dignum pœnitentia. Hæc enim apud Matthæum dicta sunt à Baptista, cum vidisset multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptisma. Sed liquet, eos pœnitentiæ fructus non habere, atque Pharisaicè apud seipsos gloriari de Abraham tanquam patre, quocirca sæuius obiurgãtur à Ioanne, zelum Heliæ habente iuxta communicationem spiritus sancti. Obiurgatiua enim oratio est illa, quæ inquit. Ne co- Mat. 3. gitetis dicere apud vos ipsos patrem Abraam: didascalia autem illa: quòd infideles (ob cor lapideum lapides dicti) immutari possint virtute Dei ex lapidibus in liberos Abraę, quo quoniam erant in oculis prophetæ, non fugientes illius diuinum obtutum. Quam ob causam illud ab ipso dicitur: Dico Mat. 3. vobis posse Deum è lapidibus istis suscitare liberos Abraę. Et quoniam cum nõ fecissent fructum pœnitentia dignum, venerant ad baptisma, conuenientissimè ipsis illud dicitur. Iam verò, & securis ad radicem arborum posita est, omnis igitur Mat. 3. arbor non faciens fructum bonum exciditur, & in ignem cõiicitur, veluti ipsis apertè dicens. Quoniam venistis ad baptismum, cum non feceritis fructum pœnitentiæ, arbor estis non faciens fructum bonum, excidenda ab acutissima, & va- Heb. 4. lidissima securi: nempe à sermone viuẽte, & efficaci: qui pe- F netrãtior est quouis gladio vtrinq; incidente. Cæterum Pharisæorum de se prædicationem producit Lucas in medium, Luc. 18. per illud. Duo homines ascenderunt in templum, vt precarentur, vnus Pharisæus, & alter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quòd non sum quales cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, qualis etiam hic Publicanus. Quando propter hæc verba, Publicanus domum suam descendit iustificatus magis, quàm ille, additur etiam, omnem exaltantem se, humiliari. Vt hypocritæ igitur (iuxta Seruatoris ad ipsos obiurgatoria verba) veniunt ad baptisma, non latentes baptizantem, quòd adhuc haberent viperarum, & aspidum venenum sub labiis suis. Venenum enim, inquit, sub labiis eorum. Cúmque verè venenum haberent, vt venenum serpentis, id e- Psal. 58. tiam expresserunt per hanc amaram interrogationem: quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Helias, neque propheta ille? Quibus ego dicere possem, tanquam Christo, atque Helia propheta baptizantibus, cum vox clamantis in heremo hanc facultatem non acceperit. Inhumaniter ô boni interrogatis missum nuncium ante faciem Christi ad præparandum viam eius coràm ipso, vniuersa ipsius, qui ad hunc locum attinet, ignorantes mysteria, nam is cum sit Christus (vel si nolitis) & ille propheta, ipse nõ baptizauit,

G sed discipuli eius. Proinde vnde nã vobis persuasum est Heliã venturum ad baptizandum? qui neque ligna altari superposi- 3.Reg.18. ta tempore Achab, eáque egentia balneo, vt côburerentur (cum apparuisset per ignem dominus) baptizauerit? Iubet enim sacerdotibus, vt istuc facerent, nec id tãtum semel, nam dicit, denuo id facite. Cúmque denuo id fecissent, tertiò inquit, id facite. Et tertio id fecerunt. Cum ergo ipse tum non baptizarit, sed aliis cesserit hanc prouinciam, quomodo cum accesserit iuxta Malachiæ vaticinium, baptizaturus est? Igitur Christus in aqua nõ baptizat, sed discipuli eius: sibi ipsi reseruans baptismum in spiritu sancto, & igni. Porrò Heracleon admittens Pharisæorum sermonem rectè prolatum, perinde quasi tum Christus, tum Helias, tum denique prophetæ omnes debitores essent baptizandi iisdem verbis, inquit, quibus solis opus est baptizare. Cúmque à nobis nuper sit redargutus ex his, quæ diximus, ídque præsertim, qui per prophetam illum intellexerit prophetam quempiam vulgarem (neque enim ostendere potest prophetarum aliquem baptizasse) nõ inscitè ait Pharisæos, non quia vellent discere, sed ex propria versutia interrogare. Quoniam verò necessarium nobis esse videtur in medium afferre Euangeliorum verba similia huic contextui, quem in manibus habemus (& hoc singulatim ad finem vsque est faciendum, quò quæ discrepantiam habere videntur, consona ostendantur, atque item vt explanentur, quæ veluti singulare quidpiam priuatim habẽt) age id etiam H hoc in loco faciamus. Illud enim, vox clamantis in deserto, Ioan. 1. dirigite viam Domini, apud discipulum Ioannem ex perso- Marc.1. na Baptistæ dicitur, apud Marcum verò tanquam principium Euangelij IesuChristi ex Esaiæ voce hunc in modum est scriptum. Initium Euangelij Iesu Christi, pro vt scriptum est in Mal.3. Esaia propheta. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparaturus est viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas eius. Cæterum non ponitur in propheta, dirigite viam domini, quod citauit Ioannes. Proinde vide, ne fortè Ioannes decurtãs illud, parate viam domini, rectas facite semitas dei nostri, scripserit, dirigite viam domini: quæ verba Marcus duas prophetias duobus in locis dictas à duobus prophetis in vnum colligens fecit, prout scriptum est in Esaia propheta. Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit Marc. 1. viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas eius. Illud enim, vox clamantis in deserto, mox scriptum est post historiam narrantem, Ezechiã ex morbo conualuisse. Illud autem. Ecce ego mitto nũcium meum ante faciem tuam, à Malachia. Quod autem fecit Ioannes abbreuians textum à se citatum, id Marcus etiam ipse Malach. 3. in alia dictione repręsentauit, quando quidem, dicente propheta, parate viam domini, rectas facite semitas dei nostri, scripserit ipse: parate viam domini, rectas facite semitas eius: I idem fecit etiam in illis verbis. Ecce ego mitto angelum meũ ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te: addens, ante te, quod positum non fuerat à propheta. Insuper diligẽtiam adhibentes in illud, & qui missi fuerant, erant ex Pharisæis, & interrogauerunt eum, nos proposuimus pharisæorum interrogationem (quòd Matthæus eam tacuerit) his, quę scripta sunt facta fuisse apud Matthæum dicentem: quòd intuitus Ioannes multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptisma dixerit illis. Progenies viperarum, & quæ sequuntur, consequens cum sit primum eos interrogasse, tum verò aduenisse. Hoc etiam obiter obseruandum est, quòd exeuntibus, tum Hierosolyma, tum tota Iudæa, tum verò tota regione fluuio Iordani circumiecta, sua ipsorum peccata confitentibus, Matthęo nullum dicente eos verbum à Baptista audisse obiurgatorium, & asperum, sed solos Pharisæos, & Sadducæos, eósque multos, cum venirent, conspectos audisse illud: Progenies viperarum, & quæ sequuntur. Marcum cõsequenter, quia non nominarit pharisæos, neque Sadducęos, nullum obiurgatorium verbum narrare dictum fuisse à Ioãne his, qui ad se venerunt, cum accessissent ad eum tota Iudæa, ac Hierosolymitæ omnes, & baptizarentur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Quin & hoc necessariò addamus oportet, nempe vtrosque, Matthæum videlicet, & Marcum dicere, totam Hierosolymam, totámq; Iudæam, ac omnem circumiectam Iordanis regionem, vel totam Iudæam K regionem, & Hierosolymitas omnes confiteri peccata sua, sed cum Matthæus induxerit venientes ad baptisma Pharisæos, & Sadducæos, non tamen confitentes peccata sua, probabile esse, atque rationi consentaneum, vt hanc ob causam audierint: Progenies viperarum. Cæterum ne nos existimes importunè, quæ quatuor Euangelistæ dixerunt, contulisse, inquirens quæ pertinent ad eos, qui missi fuerant ex Pharisæis, & interrogauerũt Ioannem. Nam si bene adaptauimus Pharisæorum interrogationem scriptam apud discipulum Ioannem, baptismo ipsorum posito apud Matthæum, consequens erat inquirere, quæ ad hæc loca etiam intelligenda pertinebant, & quas inuenissemus obseruationes addere. Meminit autem Lucas, perinde atque Marcus ex persona propria eorum verborum, vox clamantis in deserto hunc in modum. Factum est verbum domini ad Ioannem Zachariæ filium in Luc. 3. deserto. Et venit in omnem regionem finitimã Iordani prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophetæ dicentis: Vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas eius. Addit autem Lucas, quod reliquum erat prophetiæ. Omnis vallis implebitur, & omnis mõs, & collis reddetur humilis, vertentúrque distorta in vias rectas, & asperæ viæ in planas, videbitque omnis caro salutare dei, perinde atque Marcus, cum scripsisset rectas facite semitas eius, decurtans, vt prędiximus, illud, rectas facite semitas eius dei nostri. L In illis verò verbis, erunt omnia obliqua in rectum, vocem, omnia, prætermisit, plurium etiã numero rectas dicens, quod rectum singulari numero dictum fuerat. Ad hæc etiam pro eo, quod est aspera in planitiem, fecit, & asperę viæ in planas. Cúmque prætermisisset illud, videbitur gloria domini, addidit deinceps, & videbit omnis caro salutare dei. Præter hoc verò conferunt etiam huiusmodi obseruationes ad demonstrandum decurtata fuisse ab Euangelistis prophetica. Adhęc verò obseruandum est illud, progenies viperarum, & quæ sequuntur, Matthæum narrare, dictum fuisse Pharisæis, & Sadducęis aduentantibus ad baptismum, diuersis existentibus ab his, qui confitebantur peccata sua, & nihil tale audiebãt: Lucam verò, egredientibus turbis, vt baptizarentur ab ipso, hæc dicta fuisse: non facientem duos ordines eorum, qui baptizabãtur, quod apud Matthęum inuenimus. Sed iure Matthęus Baptistam inducit dicentem turbis, progenies viperarum, & quę sequuntur, quando turbæ in bonam non sumuntur, vt obseruantibus perspicuum erit. Pharisæis præterea, & Sadducæis numero singulari dictum est, facite fructum dignũ pœnitentia, turbis verò numero plurium, fructus dignos pœnitentia. Fortassis enim fructus pœnitentiæ eximius à Pharisæis exigitur, qui non alius est, quàm Iesus, & fides erga ipsum, à turbis autem neque principium bonorum habentibus omnes exiguntur pœnitentię fructus. Quamobrem plurium nu- M mero, fructus facite, dixit ipsis Baptista. Illud etiã pręter hęc Pharisęis dicitur. Ne cogitetis apud vosmetipsos dicere, patrem habemus Abraam. Pharisęi verò non incipiũt, sed multò ante hoc cogitant. Vtrique tamen prędictos lapides ostẽsos audiũt, quasi ex his suscitari possent liberi Abrahę ipsi, suscitaturos ab insensibilitate, & mortificatione. Obserua autẽ Osee 10. Pharisęis (iuxta id quod dictum fuit apud Prophetam, comedistis fructum mendacem) habentibus fructum mendacẽ dici: omnis igitur arbor non faciens fructum bonum excinditur. Id enim, quod fructum non habet, nec bonum quidem fructum habet, quamobrem dignum est, vt excindatur, quod autem fructum habet, id non omnino fructum bonum habet, quare iure, & ipsum à securi deiicitur. Cęterum si accuratius exquisierimus, fieri non posse videbimus, vt id, quod nuper excoli sit cęptum, etiam si fructificet, primos afferat fructus bonos. Contentúsque est agricola primam arboris culturam conuenientes fructus proferre, tum verò procedente tempore, post hos qualescunque fructus, sumpturus etiã fructus bonos: adhibitis purgationibus agriculturę conuenientibus. Quin lex etiam huic nostrę intelligentię attestatur di- Leuit.19. cens, oportere eum, qui plantauerit, impurgatum triennio sinere, quod plantauerit: Non comessis rei plantatę fructus. Tres enim inquit annos vobis fructus impurgatus non comedetur,

A medetur, quarto autem anno erit omnis fructus ſanctus, laudabilis domino. Iure ergo ad turbas abſque additione boni dicitur. Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum, excinditur, & in ignem conicitur: poſtquàm per triennium inſtructæ peruenerint ad annum quartum, non facientes aliquem fructum ſanctum, laudabilem domino. Hæc autem omnia, quamuis per digreſſionem videantur à nobis dicta, cōparantibus etiam quæ cætera Euangelia dicant, non importunè tamen aſcita, neque aliena à præſenti conſideratione iudicio *Ioan. 1.* ſunt meo. Phariſæi enim mittunt ad Ioannem poſt ſacerdotes, & Leuitas ab Hieroſolymis miſſos, ad interrogādum ipſum, quiſnam eſſet, interrogantes, quid ergo baptizas, ſi tu nō es ille Chriſtus, neque Helias, neque ille propheta? cúmque interrogaſſent hoc in loco, deinceps profecti, vt baptizarentur (vt ſcribit Matthæus) audiunt conueniētia faſtui, & ſimulationi ſuæ. Portò quoniam bis eadem ferè, quæ turbis dicta fuerant, poſtulabant hæc collationem, atque explanationem, quæ dum fiunt, plura compuilr nos conſequentia rerum conſiderare. His inſuper quæ diximos, neceſſariò illud addemus, *Ioan. 1.* Ioannem ſcribere duos ordines eſſe mittētium: alterum quidem Iudæorum mittentium ab Hieroſolymis ſacerdotes, & leuitas: alterum verò Phariſæorum addubitantium quare baptizet. Tradidimus etiam Phariſæos poſt interrogationem profectos fuiſſe, vt baptizarentur. Proinde vide, ne fortè Iu-*B* dæi, qui ante Phariſæos miſerant ab Hieroſolymis, admiſſa *Matt. 3.* Ioannis oratione, quia priores Phariſæis miſerint, priores etiā veniant. Hieroſolyma enim, & tota Iudæa, & conſequenter omnis regio Iordani finitima baptizabantur ab ipſo in Iordane fluuio, confitentes peccata ſua. Velut Lucas inquit. E-*Matt. 3.* grediebatur ad ipſum tota Iudea regio, & Hieroſolomytæ omnes, & baptizabantur ab ipſo in Iordane fluuio confitentes peccata ſua. Cæterum neque Matthęus Phariſæos, & Sad-*Luc. 3.* ducæos, quibus dicitur, progenies viperarum, neque Lucas turbas eandem increpationem, audiſſe inducunt confitentes peccata ſua. Illud verò dubitatione dignum eſt, quomodo cū tota Hieroſolymitarum vrbs, & tota Iudæa, & tota regio Ior-*Matt. 11.* dani finitima baptizarentur à Ioanne, Seruator dicat. Venit Ioannes Baptiſta neque manducans, neque bibens, & dicitis, dæmonium habet: & interrogantibus, in qua poteſtate hæc facis? dicit: Interrogabo & ego vos vnum verbum, quod ſi dixeritis mihi: dicam etiam ego vobis, in qua poteſtate hæc fa-*Matth. 21.* cio. Baptiſmus Ioannis vnde erat? è cœlo, an ex hominibus? quando, & diſceptantes inquiunt: ſi dixerimus è cœlo, dicet: quare non credidiſtis illi? Sed ſoluitur hunc in mundum dubitatio. Phariſæi, vt antea obſeruauimus, qui audierant, progenies viperarum, nec illi crediderant, accedunt ad baptiſmū, timentes, vti probabile eſt, turbam, atque propter illos ſimulatè vellent lauari, ne tot hominibus aduerſari viderentur. Sentientes igitur ipſum ab hominibus, nō è cœlo habere baptiſmum, timent, quòd ſuſpicantur dicere, ne forte lapiden-*C* tur à turba. Quare quæ Seruator Phariſæis locutus eſt, cōtraria non ſunt his, quæ ſcripta fuerunt in Euangeliis de multitudine eorum, qui apud Ioannem baptizati fuerunt. Cum alioqui temeritatis phariſæorum fuerit dicere, Ioannem habere dæmonium, & Ieſum in Belzebub dæmoniorum principe virtutes ediďiſſe.

TOMVS OCTAVVS.

Reſpondet illis Ioannes dicens, ego quidem baptizo vos in aqua: in medio autem veſtri ſtat, quem vos neſcitis. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, cuius non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam calceamenti.

EQVIDEM Heracleon exiſtimat Ioannem reſpondere his, qui à Phariſæis miſſi fuerāt, quod ipſe volebat, non ad id, quod illi interrogauerant, non aduertens ſe incuſare prophetam inſcitiæ, ſi aliud interrogatus, de re alia reſpondet: (cauendum enim nobis eſt hoc, dum colloquimur, tanquam vitium.) Contra, nos dicimus maximè appoſitam eſſe reſpōſionem. Nàmque ad illud, quid ergo baptizas, ſi tu nō es ille Chriſtus, quid aliud dici oportuit, quàm oſtendere baptiſma *D* ſuum eſſe corporale? Ego enim inquit baptizo aqua: cúmque hoc reſpondiſſet ad illud, quid ergo baptizas, ad alterum, ſi tu non es ille Chriſtus, laudes enarrat de præcipua, ac præce-*Ioan. 1.* denti ſubſtantia Chriſti. Nempe quòd Chriſtus tantum virtū habet, vt inuiſibilis etiam ſit diuinitate ſua, omni homini pręſens, & per vniuerſum orbem extenſus: quod declaratur per illud, in medio veſtri ſtat ille, quem vos neſcitis. Et quoniam nihil tale expectantes Chriſti aduentum Phariſæi de ipſo videbant, tantum ſuſpicantes eum eſſe hominem ſanctum, cōcinnè redarguit Phariſæorum ignorantiam, qui ipſius excellentiam ignorabant, adiiciens, quem vos neſcitis, illis verbis, in medio veſtri ſtat. Et ne quis ſuſpicetur eum, qui ſit inuiſibilis, quique penetret ad omnem hominem, & ad totum mundum, diuerſum eſſe ab eo, qui humanam ſumpſit carnem, & ſuper terram eſt viſus, & cum hominibus eſt conuerſatus, cōiūgit illis verbis, in medio veſtri ſtat, quem vos neſcitis, illud: qui poſt me venturus eſt, hoc eſt, qui poſt me manifeſtandus *Ioan. 1.* eſt. Cuius cum excedente, & exuperante excellentia intellexiſſet Ioannes ſuam ipſius naturam ſuperari, ob quam ambigebant nonnulli, an ipſe eſſet Chriſtus, oſtendere volens, quātò inferior eſſet Chriſti magnitudine, ne quis de ſe cogitaret aliquid ſupra id, quod videt, aut audit à ſemetipſo, dicit etiā illud: non ſum ego dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti, illud innuens, ſe minime idoneum eſſe, qui de ipſius *E* Chriſti incorporatione rationem (quæ veluti ligata eſt, & occulta non intelligentibus) ſoluat, explicétq;: dignum aliquid dicendo de tanto aduentu in tantam breuitatem contracto. Verum enimuero haud importunū fuerit inquirentibus nobis illud. Ego aqua baptizo, addere, ſiquid ſimile de hoc dixerint Euangeliſtæ, & cum re, qua de agitur, conferre: itaque Matthæus inquit, cum conſpexiſſet multos ex Phariſæis & ex Sadducæis venientes ad Baptiſmum (poſt verba increpatoria, de quibus inquiſiuimus) ego quidem vos aqua baptizo ad reſipiſcentiam. At ille, qui poſt me venturus eſt, potentior me *Matt. 3.* eſt, cuius non ſum idoneus, vt calceamenta portem. Ipſe vos baptizabit ſpiritu ſancto, & igni: cum ſermone Ioannis conueniens narrante, confeſſionē baptiſmi ad eos, qui miſſi fuerant ex Phariſæis. At Marcus prædicabat (inquit) Ioannes di-*Mar. 1.* cens: Venit, qui fortior eſt me, poſt me, cuius non ſum idoneus, vt procumbens ſoluam corrigiam calceamentorū eius. Ego quidem baptizo vos aqua, ille verò baptizabit vos ſpiritu ſancto. Ad complures, & omnes audientes docens hæc prædicata fuiſſe, rurſum Lucas inquit, quòd expectante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, an ipſe eſſet Chriſtus, reſponderit Ioannes dicens vniuerſis. *Luc. 3.* Ego quidem aqua baptizo vos, ſed veniet, qui potentior eſt me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum, ipſe vos baptizabit ſpiritu ſancto, & igni. Tenentes igitur quatuor Euangeliſtarum ſimilia verba, age videamus pro *F* virili ſeorſum vniuſcuiuſque verbi ſenſum, & differentias, initio ſumpto à Matthæo: qui primus cæterorum traditur Euāgelium tradidiſſe Hebræis, qui ex circuncíſione crediderant: ego vos, inquit, aqua baptizo, veluti purgans, & deterrens à rebus malis, & ad reſipiſcentiam inuitans: vt præpararem enim populum inſtructum ego veni: & ad præparandum locū reſipiſcentiæ per baptiſmum poſt me venturo, qui hac etiam ratione longè potentius, præſtantiúſque quàm mea ſi potentia, vobis adiumento futurus eſt. Siquidem illius baptiſmus non eſt corporalis, cum reſipiſcentem repleat ſpiritus ſanctus, qui igne diuiniori quicquid vel materiale, vel terrenum fuerit, demolitur, conſumítque. Et hoc non tantùm in eo, qui ipſum admiſerit, ſed etiam in eo, qui audierit ipſum habentes. Tantò autem eſt me fortior, qui poſt me venturus eſt, vt ne ea quidem, quæ ad amictum ſpectant extremarum potentiarum, quę ſunt circa ipſum, ferre queam, quippe cum manifeſtò expoſita non ſint, neque vulgus ea ferre ſuſtinens exiſtimare poſſit me idoneum eſſe, qui ea feram. Igitur non noui verum prius dicam, meam ne multam imbecillitatem, quę ne vilia quidem Chriſti (magnarum rerum circa ipſum exiſtentium comparatione) ferre queat, an diuinitatem illius eminētem, & toto mundo maiorem, quandoquidem ego, qui tantam accepi gratiam, vt prophetia dignus habitus fuerim, quæ

G meum aduentum ad vitam hominum prædiceret, illis ver-
bis: Ego vox clamantis in deserto: Et ecce ego mitto nunciũ
meum ante faciem tuam. Ego cuius ortum Gabriel adstans
coràm altari admirabiliter annunciauit, patre meo in sene-
ctute existente. Ego, ad cuius nomen Zacharias mox vocem
recepit, atque etiam prophetandi munus per ipsum. Ego, de
quo dominus testificatus est, neminem inter natos mulierũ
me maiorem existere, neque calceamenta eius idoneus sum
portare, quòd si non calceamenta, quid dicendum de vesti-
mentis eius? quis tantus, qui totam illius vestem custodire
queat? quis est qui cogitaturus sit, se comprehensurum ratio-
nem eã, quàm habet tunica à summo inconsutilis, qui sit per
totum contexta? Illud verò obseruandũ, quòd quatuor Euan-
gelistis dicentibus, Ioannem fateri se aduenisse ad baptizan-
dum aqua, solus Matthęus huic rei addiderit ad resipiscentiã,
nimirum dicens vtilitatẽ futuram baptismatis ei, qui ex pro-
posito baptizaretur, quæ ad resipiscentem perueniens ei, qui
accederet non resipiscens, asperius iudicium futura esset; sciẽ-
dum est insuper, quemadmodum prodigiosæ virtutes in cu-
rationibus à Seruatore factis, norę existentes eorum, qui sem-
per à λόγῳ. id est filio Dei liberantur tum ab omni ægritu-
dine, tum à mollitie, profuerunt (etiam corporaliter factæ:)
inuitantes ad fidem eos, qui beneficio afficiebantur, ita laua-
crum aquæ symbolum, & nota existens purificationis animę,
H ablutæ ab omni sorde malitiæ, nihilominus (etiam ex se) esse
principium, ac fontem munerum diuinorum propter poten-
tiam inuocationũ adorandæ triadis ei, qui se exhibuerit dei-
tati. Diuisiones enim donorum sunt. Testimonium autẽ meis
verbis prębet historia in actis Apostolorũ scripta de eo, quòd
adcò euidenter tunc aduenerit spiritus his, qui baptizabātur,
præstruente viam aqua his, qui sincere ad ipsum accedebant,
adcò vt Simon ille magus obstupefactus vellet à Petro hanc
gratiam accipere, vellètque rem iustissimam per mammona
iniquitatis. Quin & hoc insuper notandũ, quòd Ioannis ba-
ptismus Iesu baptismo, quod dabatur per discipulos eius, in-
ferior erat. Qui ergo in actis baptizati erant in Ioãnis baptis-
mo, & neq; an spiritus sanctus esset, audierãt, denuo ab Apo-
stolo baptizantur, quia regeneratio non apud Ioannem, sed
apud Iesum per Apostolos suos fiebat, atque etiam regenera-
tionis quod dicitur lauacrum, quod fiebat cum renouationẽ
spiritus, qui etiam nunc præfertur aquæ (quoniam à deo est)
sed non omnibus post aquam imprimitur, & ingeneratur, &
hęc quidem hactenus, quòd ad inquisitionem attinet eorum,
quæ sunt in Euangelio secundum Matthæum. Proinde iam
Marcum etiam consideremus: qui prædicantem quidem Ioã-
nem eadem scripsit dixisse, iuxta illud, venit potentior me,
Marc. 1. post me: hæc enim æquè valent, atque ea verba, qui post me
I venturus est, potentior me est, nõ amplius verò eadem, dum
inquit, non sum idoneus procumbens soluere corrigiam cal-
ceamentorum eius: aliud est etenim gestare calceamenta: iam
scilicet soluta à pedibus calceati: aliud etiam, procumbentem
soluere corrigiam calceamentorum. Proinde consequens est
nullo ex Euangelistis vel fallente, vel mentiente, vt dicerent
qui credunt vtraq;, Baptistam diuersis temporibus dixisse se-
cundum aliam, & aliam mentem motum. Non enim de iisdẽ
rebus variè loquuti sunt Euangelistæ, vt quidam expositores
putant accuratè non inquirentes singula dicta, vel facta. Atq;
magnum quidem est gestare Iesu calceamenta, sed magnum
etiam est illud, procumbentem ad ipsius corporalia deorsum
facta (considerandi causa imaginem inferiorem) soluere ob-
scura quæque mysterij incarnationis, quæ veluti sunt calcea-
mentorum corrigia: vnum enim est obscuritatis vinculum, si-
cut etiam vna sciẽtię est clauis, quæ ne ipse quidem maior in-
ter natos mulierum ex se soluere, vel aperire ideoneus est, nẽ-
pe ex solo ligante, aperientéq;, qui quibus ipse velit, elargitur,
soluere, & aperire corrigiam calceamentorum, atq; etiã quæ
clausa sunt. Quòd si mysticus est calceamentorum locus, ne
hũc quidem præterire dignum est. Igitur opinor hominis as-
sumptionem (cum carnem, & ossa recipit dei filius) alterum
esse calceamentorum, alterum autem esse descẽsum ad infer-
num, quisquis tandem sit ille infernus, & ad carcerem cũ spi-
ritu iter. illud de descensu ad infernum scribitur in quintode-
1. Pet. 3. cimo psalmo: Non derelinques animam meam in infernum.

Et de itinere cum spiritu ad carcerem apud Petrũ in catho- K
lica epistola, mortificatus enim, inquit, carne, sed viuificatur
spiritu: in quo etiam profectus spiritibus, qui erant in carcere,
prædicauit: qui inobedientes fuerunt quõdam, cum expecta-
batur dei lenitas in diebus Noë, cum apparabatur arca. Qui
itaque, vt dignum est vtrisque aduentibus, orationem habere
potest, corrigiam soluere calceamentorum Iesu idoneus est,
etiam ipse mente procumbens, pariterque cum descendento
in infernum descendens, & à cœlo, & à mysteriis diuinitatis
Christi descendens ad ipsius apud nos aduentum necessariò
factum, cum hominem subinduit. Porrò qui hominem sub-
induit, etiam mortuũ subinduit. In hoc enim Iesus mortuus
est, & resurrexit, vt & mortuis, & viuẽtibus dominetur. Quis *Rom. 14.*
ergo idoneus est procumbens soluere corrigiam talium cal-
ceamentorum? eaque soluta non dimittere, sed ex altera ido-
neitate ea recipere, & gestare, eò quod circumferat in memo-
ria, quæ intellexerit? Nec illud sinatur intactum, Lucam, simi-
litérque Ioannem vocem, procumbens, omisisse. Et fortassis
quidem cõtingit, vt qui procubuerit, soluat iuxta id, quod est
dictum, sed facile factu est etiam, vt qui obseruat altitudinẽ
interualli, & spatij existẽtis à λόγῳ filio Dei, inueniat calcea-
mentorum solutionem (quæ, cum ea quærit ligata apparent)
vt ea quis cum soluerit calceamenta, quæ separabilia sunt, vi-
deat λόγον dei filium per se nudum rebus inferioribus. Per- *Rom. 12.*
scribit autem Ioannes, non sum ego dignus, quod idẽ non est
cũ illis verbis, non sum ego idoneus: Fieri enim potest, vt qui
dignus non sit, sit idoneus, contra qui dignus sit, nondum sit
idoneus. Si enim etiã ad id, quod expedit, data sunt dona, nec L
id tantũ ex proportione fidei, dei humanũ genus amãtis offi-
ciũ erit pręuidẽtis nocumẽtum elatione, vel inflatione inse-
quutura, ne digno quidẽ aliquãdo idoneitatẽ dare. Accõmo-
datũ est autẽ ad naturã bonitatis dei, vincere in cõferẽdis be-
neficiis eũ, in quẽ beneficia cõferũtur, anticiparéq; eũ, qui di-
gnus futurus est, atq; ornare idoneitate, vt post idoneitatẽ as-
sequatur esse dignus. Ne talis dignus omnino cũ fuerit, præ-
ueniẽs deũ munera largiẽtẽ, ipsiusq; gratias anticipãs, ad hoc
pertingat, vt sit idoneus. Ergo apud tres euãgelistas se nõ esse
idoneũ inquit, Baptista, apud Ioannẽ autẽ nõ esse dignũ: Nec
profectò qui dixit, se nondũ existere idoneũ, excluditur, quin
factus fuerit postea idoneus, etiã si nõdũ dignus esset, qui vi-
cissim quũ dixit, se nõ esse dignũ, cũ non esset dignus, nõ ex-
cluditur, quin ad hoc nõ pertigerit, vt esset dignus. Nisi fortè
quis dicturus est, eò quod mortalis natura nõ capax sit, neque
possit illò pertingere aliquãdo, vt calceamẽta ipsa soluere, atq;
gestare possit, vt dignũ est ipsis, Ioannẽ vera narrantẽ habere
illud, vt nũquã fuerit idoneus, ac ne dignus quidẽ soluere cor
rigiã calceamẽtorũ pro dignitate ipsius Christi, quia quamuis *Eccl. 18.*
multa cognitione percepimus, adhuc relinquãtur tamẽ mul-
ta, nõdũ intellecta: quoniã cũ absoluerit homo tũc incipit: &
cũ quieuerit tũc incertus erit, iuxta Iesu filij Sirach sapientiã.
Adhuc de calceis hũc in modũ apud tres Euangelistas nomi-
natis dissseramus, illos cõferẽtes cũ illo calceo, qui apud disci-
pulũ Ioãnẽ numero singulari nominatur. Nõ sum enim ego, M
inquit, dignus, vt soluã eius corrigiã calceamẽti, fortassis igitur
victus à Dei gratia munus accepit (nõdũ alioqui quantũ in se
erat dignus existẽs) soluẽdi corrigiã alterius calceamẽtorũ, cũ
perspexisset illius inter homines aduentũ, de quo & testifica-
tur: Sed quoniã deficiebat illi cõprehẽsio rerũ, quę sequuturę
erãt, nesciẽti, an Iesus esset etiã illò venturus, quò futurũ erat, vt
Ipse ex carcere decollatus accederet, an aliũ oporteret expe-
ctare, ob hãc causam dubitationẽ illã, quæ nobis postea aper-
tius declaratur, etiã innuẽs, inquit illud, Nõ sũ ego dignus, vt
soluã eius corrigiã calceamẽti. Quòd si quis existimarit curio-
sius hoc à nobis dictũ fuisse, is in idẽ cõgregabit, quod dictũ
est de calceamẽtis, & calceamẽto, vt veluti dicat, haudquaquã
dignus sum soluere corrigiã (ne in principio quidẽ) vnius cal-
cei: vel etiã hũc in modũ in vnũ adduci possunt, quę quatuor
euãgelistę dixerũt. Si enim Ioãnes intelligebat, quę pertinent
ad aduẽtũ Christi ad nos, dubitabatq; de rebus sequentibus,
vera narrat dicẽs, se nõ idoneũ, qui soluat corrigiã calceamẽ-
torũ. Nec enim vtraq; soluit, qui vnũ soluerit: vera etiã narrat
dicens corrigiã calceamẽti, quoniã, vt prædictũ est, etiãnũ nõ
dubitat de eo, an ipse sit ille venturus, & etiam ille expectãdus,

A an alter. Quin, quòd ad id attinet, In medio vestri stat, quem vos nescitis, hæc differenda sunt de filio Dei λόγῳ, per quem omnia facta sunt, subsistente substantialiter secundum subiectum, & idem existente cum sapientia. Hic enim per vniuersam orbis machinam permeat, vt quę semper fiunt, per ipsum fiant, & de vniuersis quæcunque protuleris, semper verú erit: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et illud, Omnia in sapientia fecisti. quòd si per omnem creationem, atque vniuersam mundi fabricam permeat, in medio scilicet etiam eorum stat, qui interrogabant, quid ergo baptizas, si tu non es ille Christus, neque Helias, neque propheta ille? In medio, inquam, stat λόγος ipse, hoc est ratio, & filius Dei à patre firmatus vbique. Vel verba ea, in medio vestri stat, sic intelligantur, quia homines vos estis rationis compotes, idcirco in medio vestri stat, eo quòd in medio sit totius corporis ea animæ pars præstantissima (principatum quam vocant) scripturis inuiolatæ fidei ostendentibus, eam in corde existere. qui igitur in sui ipsorum medio λόγον, hoc est rationem habent, cum interim non differant vel de ipsius natura, vel à quo fonte & principio venerit, neque tãdem quomodo confirmauerit ipsos, hi in medio sui ipsorum λόγον,
B & rationem se habere nesciunt. At Ioannes ipsum nouit, proinde quòd ait, quem vos nescitis, commendatè dictum ad Pharisæos, ostendit Ioannem agnouisse, quem illi ignorarent. Quam ob causam etiam Baptista ipsum agnoscens, nouit post se venturum, in medio existentem, hoc est post se, & post doctrinam à se in baptismo datam aduenientem ad eos qui secundum sermonem, seu rationem abluti fuerint. Non idem autem significatur hoc in loco per vocem, post, & quando Iesus mittit nos per seipsum. Illic enim post ipsum esse iubemur, vt incedentes per ipsius vestigia, perueniamus ad patrem: hoc verò in loco, vt declararetur Iesum post Ioannis doctrinas (quandoquidem hic venit, vt omnes crederent per ipsum) accedere ad eos qui antea præparati fuissent, atque purificati per inferiora ad perfectum λόγον, seu rationem. Præcipuè itaque stat pater immutabilis, & inalterabilis existens, stat autem, & sermo ipsius semper, dum seruat, etiam si fiat caro, etiam si in medio sit hominum, non comprehensus, sed neque visus, stat autem & docens, inuitans omnes ad bibendum à fonte suo abundanti. Stabat enim Iesus, & cla-
Ioan. 7. mabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. At Heracleon, in medio vestri stat, interpretatur iam adest, & est in mundo, & inter nos omnes homines iam visibilis est, qua interpretatione tollit quod docuimus, nempe, quòd ipse discurrat ac permeet per totũ mundum. Dicendum enim ad illum,
C quando enim non adest, quando autem non est in mundo? præsertim Euangelio dicente: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Et ob hanc causam hi etiã, ad quos est sermo (ille quem vos nescitis) nesciunt eum, quoniam nondum è mundo egressi fuerãt, mundus verò eum non cognouit. Sed quo tempore cessauit inter homines esse? An non erat in Esaia dicente: Spiritus domini super me, propterea quòd vnxit me? Et manifestus factus sum his qui me non quærebant. Rursus dicant, an à semetipso dicente: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius? Et quæcunq; in psalmis ex persona Christi scripta sunt Cúmque euidenter docere queam Iesum semper inter homines esse, ad conuincendũ non rectè Heracleonem exponendo, in medio vestri stat, exposuisse, iam adest, & est in mundo, & in homine, quid opus est me singulatim argumẽta congerere, cum ea vix enumerari queãt? Non absurdè tamen apud eũ dicitur, quòd verba illa, Qui post me venit, declarant Ioannem præcursorem Christi existere. Verè enim non secus atque seruus præcurrit dominum. Longè verò simplicius ea verba interpretatus est: Non sum ego dignus, vt soluam eius corrigiá calceamenti, perinde quasi fateatur Baptista his verbis, se neque dignum, qui vltima officia in Christum cõferat. Attamen post hanc expositionem satis probabiliter subiũxit: Non sum ego idoneus, vt mei gratia descendat à magnitudine, & carnem accipiat, ceu calceamentum, de qua rationem reddere ego non valeo, neque enarrare, vel soluere de ipsa dispensationem. Rursus minus prudenter, atque animosius Heracleon ipse cum per calceum interpretatus esset mũdum, ad

rem magis impiam transit, nempe ad enunciandũ, hęc omnia D
intelligi etiam oportere de mundi fabricatore, intelligendo per Ioannem, personam fabricatoris mundi. Existimat enim mundi opificem inferiorem Christo existentem, hoc per verba fateri, quod est omnium impiissimum. Nam pater qui misit illum, viuẽtium Deus (vt etiam ipse Ioannes testatur) nempe Abraham, Isaac & Iacob: & idcirco Dominus cœli & terræ, quòd ea fecerit: hic etiam solus bonus, & maior est misso. Quòd si minus prudenter (vt antea diximus) ab Heracleono excogitatum est, omnem etiam mundum calceamentum esse Iesu, non arbitror oportere, vt illi assentiamur. Quomodo enim cum tali intelligentia seruabitur illud, Cœlum mihi sedes est, terra autem subsellium pedum meorum: quod testimonium sic sumit Iesus, perinde quasi pater id dixerit? Non enim iuraueritis, inquit, per cœlum, quoniam sedes est Dei: neque per terram, quoniam subsellium pedum eius est. Proinde quomodo si docuerimus totũ mundum, intelligendum esse calceamentum Iesu, illud intelligetur, Nónne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus? Verũtamen dignum est, vt inspiciamus, vtrum quia sermo & sapientia, hoc est filius Dei per totum mundum permeet: pater verò sit in filio, vt apposuimus, verba intelligenda sint: an præcipuè circuncin- E
gens omnem creaturam, propterea quòd filius sit in ipso, donauerit Seruatori, quasi post se secundo, & Deo λόγῳ existenti per totam creaturam permeare. Ac potissimum his qui dispicere queunt tanti cœli indeficientem motũ, vt quod circũducat ab oriente in occidentem vsque tantam stellarũ multitudinem, dignũ erit quæsitu, quæ nam sit ea vis tanta, & talis in toto mũdo existens. Nam aliud hanc dicere audere præter patrem & filium, fortasse non est pium.

Hæc in Bethabara facta sunt, trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.



Vod in omnibus ferè exemplaribus ponatur, Hæc in Bethania facta sunt, nõ ignoramus, & videtur hoc etiam factum fuisse: vnde apud Heracleonem etiam Bethaniam legimus. Sed persuasi sumus non Bethania, sed Bethabara legere, cum ad loca peruenissemus, vt Iesu discipulorumq; eius, ac prophetarum vestigia inspiceremus. Bethania nanque, vt ipse inquit euangelista, patria Lazari, & Mariæ, & Marthæ, qui vndecim stadiis à Hierosolymis distat, qua Iordanes fluuius, lato computo, abest stadiis circiter octoginta supra centum, sed neque locus est circa Iordanem, qui nomẽ commune habeat cum Bethania. Dicunt autem ostendi circa tumulos Iordanis Bethaba- F
ra, vbi historiæ dicunt Ioannem baptizasse, éstque nominis interpretatio consequens baptismati præparantis Domino populum instructum. Est enim, si interpreteris, domus instructionis. Bethania verò domus obedientiæ. Nam profectò vbi baptizare opus erat ei, qui missus fuerat ante faciẽ Christi ad præparandum viam ipsius coram ipso, quàm in domo instructionis? Quæ nam verò magis propria est patria ipsi Mariæ, quæ elegerat boná partem à se non auferendam, & Marthæ in diuersa distractæ propter suscipiendum Iesum, atque ipsarum fratri Lazaro, qui à Seruatore amicus dicitur, quàm Bethania obedientiæ domus? Itaq; contemnenda non est accurata circa nomina diligẽtia ei qui voluerit probè intelligere sanctas literas. Peccatũ equidem frequenter fuisse in gentilium exemplaribus, indeq; errata in euangeliis translata facile quis credat. Dispensatio nanque circa porcos è rupe præcipi- Luc. 8.
tatos, & in mari suffocatos à dæmoniis, scriptum est fuisse in loco Gerasenorum. Gerasa autem vrbs est Arabiæ, neque mare, neque stagnum in propinquo habens. Nec mendacium adeo apertum, quódque facile redargui posset, dixissent euangelistæ viri diligenter agnoscentes regionem Iudææ. Quoniam verò in paucis exemplaribus inuenimus in locum Gadarenorum, ad hoc etiam est dicendum, Gadaram quidem ciuitatem esse Iudææ, circa quam celeberrima balnea sunt, haudquaquam verò in ea esse stagnum, vel mare præcipitiis adiacens. At Gergesa, à qua Gergesæi, vrbs est antiqua iuxta stagnum, quod nunc Tiberiadis vocamus, iuxta quam rupes est stagno adiacens, è qua ostenditur por-

t

G cos à dæmonibus in præceps delatos foisse. Interpretatur au-
tem Gergesa habitatio ejicientium, fortasse cognomentũ sor-
tita propheticæ illius rei, quam locorum ciues erga Serua-
torem fecerunt, obsecraotes eum, vt è finibus suis excede-
ret. Tale subinde erratum in lege, & prophetis, circa no-
mina licet cernere, vt accuratè perspeximus ab Hebræis edo-
cti, cum ipsorum exemplaribus nostra comparantes, quæ te-
stimooium habent ab eruditionibus Aquilæ, & Symmachi,
& Theodotionis, quæ nondum sunt deprauatæ. Pauca igi-
tur apponemus in studiosorum gratiam, quò in his diligen-
Num.3. tius versentur. Vnus filiorum Leui primus in pluribus exem-
plaribus Geson nominatus est, pro eo quod est Gerson, eius-
dem nominis existens cum primogenito Mosis, nomioe ve-
rè vtrisque posito, quòd geniti fuissent in terra aliena habi-
Gen.38. tantes. Rursus Iudæ secuodus apud nos quidem Aunan esse
dicitur, apud Hebræos verò Onan, quod est, labor ipso-
rum. Ad hæc in profectionibus filiorum Israel io Numero-
rum libro inuenimus, quòd profecti sunt ex Sochoth, &
castra fixerunt in Buthan: cum Hebraicum pro Buthan, Æ-
man habeat: & quid me opus est tardantem plura appone-
re, cum veritatem, quæ est in oominibus, cuiuis volenti,
tum inquirere, tum agnoscere sit in promptu? Sed in primis
ea scripturarum loca suspecta habere debemus, vbi pariter
H complurium nominum est enumeratio, veluti in libro Iesu
Naue, sunt quæ ad diuisiooem hæreditatis pertinent. Et in
primo Paralipomenon à principio per ordinem vsque ad ea
quæ in principio sunt super. * Similiter autem in Esdra.
Nec verò paruipendenda sont nomina, cum res vtiles ex eis
significentur locorum interpretatiooe. Cæterùm haud est
nunc opportunum instituere sermonem de ratione nomi-
num, omittendo quæ sunt proposita. Quamobrem videa-
mus quæ ad euangelicam lectionem spectant. Iordanes qui-
dem interpretatur descensus ipsorum: huic aotem (vt ita
dicam) vicinum est nomeo Iared, quod & ipsum interpre-
tatur descendens, quoniam genitus est Malaleeh, vt in libro
Enoch est scriptum (si cui placet admittere librum vt san-
ctum) his diebus cum filij Israel descenderent ad filias ho-
minum. quo descenso quidam suspicati sunt innoi anima-
rum ad corpora descensum: filias hominum metaphoricè
terrenum habitaculum dici existimantes. Si igitur hoc se sic
habet, quis erit fluuius descensus ipsorum, ad quem non de-
scendentem proprio desceosu, sed descensu hominum, qui-
cunque venerit, purificatione egeat, nisi Seruator noster, di-
sterminaos eos qui à Mose hæreditatem acceperint ab his
I qui proprias partes acceperunt per Iesum? Huius igitur im-
petus, qui sunt per fluuium descendentem lætificant, vt in
Psalmis est scriptum: Ciuitatem Dei, non Hierusalem sub
sensum cadeotem: nec enim Hierusalem habet adiacentem
fluuium, sed ioculpatam Dei ecclesiam, ædificatam super
fuodameotum apostolorum & prophetarum, summo angu-
lari lapide Christo Iesu existente domino oostro. Iordaois
itaque iotelligendus est ille Dei sermo, qui factus est caro, &
habitauit in nobis. Iesus, inquam, qui quicqoid assumpsit
hominum, hæreditarium fecit: quod est etiam summus an-
gularis lapis, quod etiam ipsum, in diuinitate filij Dei fa-
ctum, ex eo quòd ab ipso assumptum fuerit, lauatur, & tum
capit simplicem, & sioe dolo columbam spiritus, sibi colli-
gatam, nec amplius auolare valentem. Super quem eoim, io-
quit, videris spiritum desceodentem, & manẽtem super eum:
hic est qui baptizat spiritu sancto. Propter hoc qui acceperit
spiritum manentem super ipsum Iesum, baptizare poterit ad
se accedentes, spiritu sancto in ipso permanente. Sed traos
Iordanem in partibus extra Iudæam vergentibus in Bethba-
bara baptizat Ioannes: præcursor illius existens, qui venit
non iustos, sed peccatores ad resipiscentiam vocaturus: qui-
que docet non opus sanis medico, sed malè habentibus. Et-
eoim remissionem peccatorũ datur lauacrum: cæterùm pro-
babile est, aliquem qui non intellexerit diuersas de Seruato-
re notiones, offeosum iri pro explicata Iordanis interpreta-
tione, eo quòd Ioannes dicat, Ego baptizo aqua, sed qui post
me venturus est, is est me fortior, ipse vos baptizabit spiritu
sancto. Ad quem sic est dicendum, quòd vt sermo Dei pota-
bilis existens, aliquibus quidem aqua, aliquibus verò vinum
lætificans cor hominis: nonnullis etiam sanguis est (propter K
illud: Nisi biberitis sanguinem meum, non habetis in vobis
ipsis vitam. Quin cibus dictus, oon eadem ratione considera-
tur panis viuens & caro) sic ipsum existere aliquibus quidem
aquæ baptisma, & spiritus, & ignis: aliquibus etiam baptisma
sanguinis. De quo vltimo baptismate inquit, vt quidam dixe-
runt: Hoc baptismate ego baptizari habeo, & aliquo modo
coarctor, donec illuc perfectũ fuerit. Huic cõsona discipulus
Ioaones scripsit in epistola, dicens: Spiritũ, aquam & sangui-
nem tria esse, quæ facta fuerint vnum. Cumq; viam & ostium
se esse fateatur, palàm est omnino eum nõ esse ostium, cui sit
via, nec amplius viam esse illi, cui sit ostium. Quotquot ergo
ioitiãtur primis elementis sermonũ Dei accedẽtes ad vocem
clamãtis in deserto: Dirigite viam domini: accedẽtes inquam
trans Iordanem, ad vocem existẽtem apud domum præpara-
tionis, diligeoter præparent se, vt præcedenti præparatione
percipere queant spiritualem sermonem, qui imprimitur per
illuminationẽ spiritus. Cootinenter igitur rei propositæ col-
ligentes, quæ ad Iordanem pertinẽt, accuratius coosideremus
fluuium. Deus igitur per Moseo traducit populum per mare Ios.3.
rubrum, cum fecisset, vt aqua ipsis murus esset à dextris, & à
sinistris. Iesus verò traducit eum per Iordanem. Cum legisset
autem scripturam Paulus, non amplius secundum carnem illi
militans, (nooerat enim legem spiritualem esse) spiritualiter
docet nos interpretari quæ contigerunt in transitu maris ru-
bri, dicens in priore ad Corinthios epistola: Nolo vos igno- 1.Cor.10.
rare fratres, omnes patres oostros sub nube fuisse, omnésque
per mare transiisse, & omnes in Mose baptizatos fuisse in nu- L
be, & io mari, & omnes eundem cibum spiritualem come-
disse, & omnes eundem potum spiritualem bibisse: bibebant
enim ex spirituali sequente eos petra: at verò illa petra erat
Christus. Quibus consequenter petamus etiam nos, vt à Deo
accipiamus intelligentiam spiritualem transitus Iordanis per
Iesum, dicentes de hoc etiam dixisse Paulum: Nolo vos igno-
rare fratres, quòd omnes patres nostri per Iordanem transie-
runt, & omnes in Iesu baptizati fuerunt in spiritu & in flu-
uio. At Iesus Mosi succedens, figura fuit Iesu Christi, qui in
euangelica prædicatione illi œconomiæ, quæ per legem erat,
successit. quam ob causam, etiam si omnes io Mose bapti-
zantur in nube, & io mari: amarũ attamen nonnihil & salsum
habet illorum baptisma, adhuc timentium inimicos ab ipsis,
& clamantium ad dominum, dicentiúmque Mosi: Propterea
qoòd non essent monumenta io Ægypto eduxisti oos, vt in-
terficeres in eremo. At verò baptisma in Iesu, in fluuio verè
dulci, & potabili multa eximia præ illo baptismate habet: ni-
mirum quia iam clareret, acciperétque decentem ordinem
Dei cultus. Arca enim testamenti domini Dei nostri, & sa- Ios.4.
cerdotes, & Leuitæ præcedunt, seqoẽte populo, sequentéque
illo cultores Dei. Cæterùm his qui percipiunt mandatum de
sanctificatione, dicit Iesus, nempe populo: Sanctificamini Ibidem.
in crastinum, faciet dominus mirabilia. Quin sacerdotibus M
etiam præcipit cum arca testameoti præcedere coram popu-
lo, quando etiam mysterium ostenditur œconomiæ patris ad
filium superexaltatum ab ipso, qui dedit illi hoc munus, vt in
nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, &
infernorum: & omnis lingua cõfiteatur, quòd Iesus Christus
dominus est ad gloriam Dei patris. Per hęc enim declarantur
illa quæ sunt in libro, qui inscriptus est Iesu Naue. Et dixit
Dominus ad Iesum: In die hac incipiam exaltare te corã filiis Ios.3.
Israel. Accedite huc, & audietis verbum domini Dei nostri.
In hoc agnoscetis Deum vioentẽ in vobis esse: cum enim ba-
ptizamur in Iesu, agnoscimus Deum viuentẽ in nobis esse. Et
illic quidem (nempe in Ægypto) faciẽtes pascha, principium
exitus faciunt. At verò apud Iesum post transitũ Iordanis de- Exod.12.
cima primi mẽsis castrametati sunt in Galgalis, quãdo primũ Ios.4.
oportebat qui accepisset ouem, conuocare cõuiuatores post Ios.5.
baptisma Iesu. Petra autẽ acutissima circũciduntur filij Israel
à Iesu, nimirum quòd omnes filij eorum, qui egressi fuerant
ex Ægypto, incircumcisi essent, & opprobrium Ægypti fate-
tur Dominus se auferre in Die baptismatis in Iesu, quãdo Ie-
sus vndequaq; purificauit filios Israel. Scriptum est enim: Et
dixit Dominus ad Iesum filiũ Naue: In die hac deuolui à vo-
bis probrum Ægypti. Tunc fecerũt filij Israel pascha quarta-
decima

A decima die mensis, longè quàm in Ægypto hilarius: quando etiam comederunt è frumento terræ sanctæ azyma, & nouum cibum meliorem mâna. Neque enim cum terram promissionis acceperint, vilioribus cibat eos Deus: neq; duce tali Iesu inferiorem panem assequuntur. Hoc etiam perspicuum erit consideranti veram sanctámque terram nimirum supernam Hierusalem. Hanc ob causam in illo etiam euágelio illud ponitur: (Ioan. 6.) Patres vestri in deserto manducauerút manna, & mortui sunt. Qui hunc verò panem manducauerit, is victurus est in æternum. Manna etenim illud, etiam si erat panis à Deo datus, erat tamen panis profectus, & augmenti his suppeditatus, (Ios. 5.) qui etiamnú indigerent pædagogis, erátque panis conuenientissimus his qui sub tutoribus & curatoribus erant. At verò panis recens demessus mediatore Iesu in terra sancta è frumento terræ (ea quæ alij laborauerunt metentibus ipsius discipulis) illo pane lógè vitalior erat: qui distribuitur iis qui recipere possunt paternam hæreditatem propter perfectionem. Quocirca, qui etiamnum illo pane eruditur & instituitur, rationabiliter mortem suscipere potest: at verò qui pertigerit ad panem illo posteriorem, manducaueritque ipsum, is profectò in æternum viuet. Hęc autem non intempestiuè apposita fuisse reor, Inquirétes de Ioánis baptismate, quod efficiebatur à Ioanne apud Iordané in Bethabara. Sed hoc etiam obseruãdum est, quòd Helias subuehédus turbine in cœlum, acceptum palliũ suum inuoluens, percusserit aquam, quæ huc & huc diuisa est. & transierút ambo, ipse scilicet & Helisæus: aptior enim qui subueheretur factus est, baptizatus in Ior- B dane, quoniam transitum per aquam admirabilem, vocauit Paulus, vt superius posuimus, baptisma. Propter hunc igitur ipsum Iordané capit Helisæus per Heliam donũ illud, quod cupierat accipere, dicens: Sit quæso duplex portio spiritus tui super me. Et fortassis hanc ob causam duplex accepit donum (4. Reg. 2.) in spiritu Heliæ super seipsum, quoniam bis transiuit Iordanem. Semel quidem cum Helia, secundò cum accepto pallio Heliæ percussit, & dixit: Vbi est Deus Heliæ? etiá ipse? Et percussit aquas. & diuisit huc & huc: at si quis offendatur hoc dicto, Percussit aquá, propter ea quæ superius à nobis sunt tradita de Iordane, nempe quòd Iordanis figura fuerit sermonis filij Dei, qui humilem se reddidit æquè ac nos. Dicendum est perspicuum esse apud apostolũ, quòd Christus sit petra, quæ bis percutitur virga, vt bibere possint è spirituali sequête eos petra. Est igitur ille verbero, qui in dubitatione antequam discat quod quærit, contraria profert sermonis conclusioni, à quibus liberans nos Deus interdum quidem sitientibus dat potum, interdum verò quod initium nobis, & imperceptibile est propter profunditatem, petuium illud pręparat diuisione sermonis, cum quamplurima ex ratione diuidendi nobis manifestentur. Ad hęc vt admittamus interpretatioué de potabilissimo & gratiarum pleno Iordane, vtile nobis erit apponere Naaman illum Syrum à lepra mondatum, & quæ di- C cuntur de fluminibus apud hostes cultus diuini. Atq; de Naaman quidem scriptum est, quòd venerit cum equitatu & curru, & steterit ante fores domus Helisæi, quódque miserit Helisæus nuncium ad illum, dicens: Profectus lauare in Iordane septies, & restituetur tibi caro tua, & mundaberis. quando etiam commonetur indignatione Naaman non intelligens, quòd Iordanis noster is sit, qui immundos ob lepram liberat ab immunditia, sanátque, non ille propheta: quandoquidem prophetæ officium est mittere ad illud quod sanitatem affert: (4. Reg. 5.) Non intelligés igitur Iordanis magnum mysterium, Naaman inquit: En, cogitaram apud me: omnino exibit, & stans inuocabit nomen domini Dei sui, imponétque manum suam ad locum, & curabit lepram. Etenim manum lepræ imponere, & curare solius domini mei Iesu officium est, qui non tantùm dixit cum fide pronuncianti: Si vis, potes me mundare: volo, mundus esto. Præterquam quod enim loquutus est, tetigit etiam eum, & mundatus fuit à lepra sua. Errans etiam Naaman, nec videns, quantum cæteri fluuij Iordane sint inferiores, quantum attinet ad curádum eos qui morbo affecti sunt, laudat Damasci fluuios, Arbana & Pharpha, dicens: An non bonus est Arbana & Pharpha fluuij Damasci præ omnibus aquis Israelis? Nónne profectus lauabor in eis, & múdabor? Vt enim nullus bonus, nisi vnus, nempe Deus: sic inter fluuios nullus est bonus, nisi Iordanis, etiam à lepra liberare va- D lens eum, qui cum fide lauat animam in Iesu. Proinde meum est iudicium, scriptum fuisse omnes sedentes super flumina Babylonis propter hunc flere, memoria repetentes Sion. Deducti enim ob vitium in captiuitatem, cum alias degustassent aquas post sanctum Iordanem, in memoriam, desideriúmque veniunt proprij & salutaris fluuij. Propterea de fluuiis Babylonis inquiunt. Illic sedimus (nimirum stare nequeuntes) & fleuimus. Quando etiam Hieremias miratur volétibus Ægyptiam aquam bibere, & relinquentibus aquá è cœlo descendentem, & descensus agnomen habentem Iordanem, dicens: Nunc igitur quid est tibi in via Ægypti, vt bibas aquá Geon, (Hier. 2.) & vt bibas aquam fluuiorum, vel vt Hebraicum habet, Bibere aquam Seor? de qua nunc propositum nó est dicere. quòd autem non de his fluminibus, qui sensu percipiuntur, præcipuus sit sermo spiritui loquenti in scripturis à Deo inspiratis, id licet etiam cernere ex his, quæ ab Ezechiel prophetantur ad Pharaonem regem Ægypti, quæ sic habent: En ego ad te, (Ezech. 29.) ô Pharao rex Ægypti, draconem magnum, sedentem in medio fluuiorum, te ipsúmque alloquentem, mihi sunt fluuij, & ego feci eos, & dabo laqueos in maxillas tuas: adglutinabo pisces fluuij, & deijciam te celeriter: & omnes pisces fluuij coram facie terræ tuæ cadent, & non congregaberis, & non ornaberis. Quem enim serpentem corporalem, in corporali Ægypti fluuio visum fuisse prodiderunt vnquam historiæ? Proinde vide ne fortè fluuius Ægypti locus sit draconis inimici nostri: qui & Mosen quidem puerum interficere quiuit. Vt auté draco est in Ægypti fluuio, sic Deus est in fluuio læti- E ficante ciuitatem Dei: nam pater est in filio. Hanc ob causam qui ad ipsum pergunt, vt lauentur, probrum deponunt ex Ægypto ductum, aptioréśque fiunt, vt subuehantur, & mundantur à lepra, duplicationémque donorum accipiunt, atque etiam fiunt ad spiritus sancti receptionem parati, nimirum ad aliud flumen non aduolante columba. Quamobrem magnificentius considerato Iordane, ipsiúsque lauacro, ac Iesu qui in ipso lauatur, tum Bethabara, hoc est domo instructionis, tantùm vtilitatis à fluuio hauriamus, quantum egemus.

TOMVS NONVS.

Postero die videt Ioannes Iesum venientem ad se.

Prius Iesu mater, simulatque ipsum concepit, ad Ioannis matrem, eámque vterum ferentem pergit, quando qui formatur accuratiorem formationem donat ei qui formabatur, conformem illum efficiens suæ gloriæ, adeò vt ob formam communem, Ioannes crederetur esse Christus, & item Christus Ioannes esse à mortuis excitus putaretur F apud eos qui non discernunt inter imaginem, & inter eum qui est secundum imaginem: nunc autem ipse Iesus post ea, quæ antea accuratè examinauimus, testimonia Ioannis de ipso, videtur à Baptista veniens ad illum. Sed obiter obseruandum est, quòd illic per vocem salutationis Mariæ, quæ peruenit ad aures Elizabeth, exilit Ioannes infans in vtero matris, tum veluti à sancta Maria sumens spiritum sanctum. Euenit enim, inquit, vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, subsiliuit infans in vtero eius, & repleta est spiritu sancto Elizabeth, & exclamauit voce magna: Hic autem videt Ioannes Iesum ad seipsum venientem, & dicit: Ecce ille agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. in rebus etenim præstantibus, per auditum primum quis eruditur, deinde oculatus testis ipsarum rerum fit. Sed profectò adiuuari Ioannem ad formationem à domino, qui adhuc cum formaretur perrexit in matre ad Elizabetham, et perspicuum erit, qui renouerit quæ disseruimus, dum diceremus Ioannem esse vocem, Iesum verò sermonem: magna enim vox fit in Elizabeth, repleta spiritu sancto, ob Mariæ salutationem, vt lectio ipsa docet hunc in modum habens: Et clamauit voce magna, scilicet Elizabeth, & dixit: Vox etiam salutationis Mariæ, quæ peruenit ad aures

G Elisabeth, repleuit Ioannem seipsa, quam ob causam subsilit Ioannes, matérque veluti os filij, & prophetissa efficitur voce magna exclamans, ac dicens: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus ille fructus ventris tui. Iam verò à nobis apertè perspici potest, tum Mariæ iter ad montana cum festinatione, tum ingressus in domum Zachariæ, ac deinde salutatio, qua salutat Elisabeth. Hæc enim omnia eueniunt, vt Maria faciat participem Ioannem (etiamnum in vtero matris existentem) eius potentiæ, quam habet ab eo quem conceperat: qui quidem Ioannes & ipse participem facturus erat matrem illius gratiæ propheticæ, quam acceperat. Et decentissimè profectò in montana tales dispensationes perficiuntur, cum nihil magni capi possit ab his hominibus, qui valles ob humilitatem vocandi sunt. Ideo hoc in loco post Ioannis testimonia: primum quidem quod dicitur à Ioanne clamante, ac theologiam agente: alterum verò ad sacerdotes & Leuitas ab Hierosolymis à Iudæis missos: tertium ad eos qui ex Pharisæis existentes acerbius interrogarunt, Iesus iam videtur ab eo qui testimonium perhibuerat venienti ad se, adhuc proficientem, melioremque euadentem, cuius profectus, & ad meliora progressus, nota est ea dies quæ postera dicitur: veluti enim in sequenti illuminatione, & in postera die propter ea quæ præcesserant, Iesus venit, non tantùm ignotos (tanquam qui in medio steterit etiam nescientium) sed iam etiam veniens conspicuus ei, qui hæc antea annunciarat. Prima ergo

H die testimonia fiunt, altera Iesus ad Iordanem venit. Tertia autem Ioannes (cum staret cum duobus discipulis, intuitúsque esset Iesum ambulantem, ac dixisset: Ecce agnus ille Dei) præsentes admonet, vti sequantur filium Dei. Iam in quarta die, cum exire vellet in Galilæam, ille qui exiit ad quærendum quod perierat, inuenit Philippum, & dicit ei: Sequere me: die verò tertia post quartam, quæ sexta est in earum numero, quas à principio recensuimus, nuptiæ fiunt in Cana Galilææ: de quibus videbimus, cum ad locum hunc peruenerimus. Illud etiam obiter obseruandum, quòd Maria illa præstantior venit ad Elizabeth inferiorem, & filius Dei ad Baptistam: ex quibus id vtilitatis capimus, vt impigri simus ad ferendam opem inferioribus, & ad mediocritatem conseruandam. Quoniam autem apud Ioannem discipulum, vnde ad Baptistam Ioannem veniat Seruator, non dicitur, hoc discimus ex his quæ Matthæus scripsit: Tunc aduenit Iesus à Galilæa ad Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab illo. At Marcus etiam locum Galilææ addidit, dicens: Et euenit in diebus illis vt veniret Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizaretur à Ioanne in Iordane. *Matt.3. Mar.1.* Porrò Lucas locum quidem reticuit, vnde Iesus aduenit, prætermittendo quæ alij scripserant, sed quod ab illis non didicimus, ipse nos docet: sic igitur post baptismum ascendenti ipsi apertum est cœlum. Et

I descêdit spiritus sanctus corporea specie, sicut columba. Rursus dicente Matthæo, Dominum prohibitum à Ioanne dicente Seruatori: Mihi opus est, vt abs te baptizer, & tu venis ad me: *Matt.3.* nullus quidpiam addidit, ne eadem repeterent. Quin etiam omnem iustitiam solus scribit Matthæus. Et dicit: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. *Ioan.1.* Iam verò cum quinque animalia offerantur super altare, terrestria tria, alata duo, quæsitu dignum mihi videtur, cur tandem à Ioanne Seruator dicatur Agnus, & nullum cæterorum, atque etiam cur agnum ex genere ouium appellarit, cum animalia hæc terrestria in vnaquaque trium ætatum offerantur. Quinque autem animalia hæc sunt, vitulus, ouis, capra, turtur & columba. Sunt etiam ætates cuiuslibet animalis terrestris hæ. Vitulus, bos, vitellus, aries, agnellus, agnus, hircus, capra, hœdus: alatorum verò, columbarum quidem iugum, sed id tantùm pullorum, & turturum iugum perfectum. Inquirendum ergo est ei qui accuratè spiritualem rationem victimarum comprehendere voluerit, quonam cœlestium exemplari, & vmbra hæc fiebát. Itémque quánam ratione sanciat sermo vnumquodque animal sacrificari: priuatimque colligenda sunt quæ de agno dicuntur. *Heb.8.* Quòd autem sermo victimarum intelligendus sit de quibusdam mysteriis cœlestibus, docet apostolus, dicens: Qui *Heb.9.* exemplari & vmbræ cœlestium deseruiunt. Et rursum. Necesse ergo est, vt exemplaria rerum quæ sunt in cœlis, hisce rebus purificentur: ipsa verò cœlestia mundentur victimis præ his potioribus. Cæterùm in his singulis inuentam victi- K mam legis spiritualis per Christum factam enarrare (veritas maior quam pro captu humanæ naturæ) nullius alterius opus est quàm perfecti, nempe eius qui sensus exercitatos habet ad diiudicandum, tum bonum, tum malum: qui que ex affectu vera narrante dicere potest, Sapientiam loquimur inter perfectos. Et verè de hisce rebus, hísque simillimis dicere possumus, quam nullus principum seculi huius cognouit. Veruntamen agnum in sacrificiis ἐνδελεχισμοῦ (hoc est iugis oblationis) inuenimus oblatum. Sic autem scriptum est: Et hæc sunt quæ facies in altari. Agnos anniculos duos imma- *Num.28.* culatos per singulos dies super altare iugiter oblationem endelechismi. Agnum vnum offeres mane, & alterum vespere, & decimam partem similaginis mixtam oleo contuso cum quarta parte vini in agno vno. Et agnum alterum offeres vespere, iuxta sacrificium primum, & iuxta libamen ipsius odorem fragrantiæ oblationem Domino. Sacrificium endelechismi in generationes vestras ad ostia tabernaculi testimonij coram Domino, in quibus agnoscar tibi illic ita tantum, vt loquar ad te, ibique ordinabo filiis Israel, & sanctificabor in gloria mea, & sanctificatione sanctificabo tentorium testimonij. Verum enimuero quænam alia intelligibilis victima ἐνδελεχισμοῦ (hoc est iugis oblationis) esse potest λογικῷ (hoc est ei qui sermonis compos est, & sermocinatur) quam sermo floridior, symbolicè dictus agnus, qui simulatque illustratur anima, offertur (hæc enim esse potest matuti- L na endelechismi victima) & offertur etiam, cum mens cessat versari in rebus diuinioribus. Non enim potest semper sufficere, vt sit in præstantioribus anima, quandiu illi contigerit, coniunctam esse huic terreno & aggrauanti corpori. Quòd si quærat quis, quid facturus sit sanctus eo tempore quod est inter mane, & vesperam, transferat sermonem ab hisce rebus, quæ ad cultum Mosaicum pertinent, & deinde euangelica potiora sequatur. Vt enim legis veteris sacerdotes principium victimarum offerunt endelechismi victimam, ac deinde ante vespertinam victimam endelechismi, cæteras ex lege (verbi gratia pro delicto, vel pro his quæ sponte non committuntur, vel pro salute, vel pro precatione, vel pro zelotypia, vel pro sabbato, vel pro nouilunio, & reliquis quæ longum esset in præsentia recensere) sic etiam nos à sermone de imagine, qui est Christus, oblationem facere incipientes, de multis, hísque vtilissimis differere poterimus. Rursúsque in his quæ Christi sunt, finientes, ad vesperam veluti, noctémque perueniemus, venientes ad corpora etiam. Sin verò sermonem exquirimus de Iesu demonstrato à Ioanne, iuxta id: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi, insistentes in ipsa dispensatione corporei aduentus filij Dei ad vitam hominum: agnum non alium existimabimus quàm hominem: hic enim veluti ouis ad cædem ductus est, & tan- M quam agnus coram tondente se mutus, dicens: Ego tanquam agnus innocens ducor, vt immoler. Quam ob causam, *Esa.53.* & in Apocalypsi videtur agnus stans ceu immolatus. Hic igi- *Hier.11.* tur agnus occisus purificatio factus est, iuxta quasdam rationes occultas totius mundi, pro quo ob amorem, quo pater humanum genus prosequitur, cædem etiam suscepit, suo ipsius sanguine nos peccatis venditos redimens ab eo qui nos seduxerat. Porrò qui agnum hunc ad sacrificium offerebat; Deus in homine erat, magnus sacerdos, qui hoc declarat per ea verba: Nullus animam meam à me tollit, sed ego à memetipso pono eam, potestatem habeo ponendi eam: & rursum potestatem habeo sumendi eam. Et sanè huius victimæ cognatæ sunt cæteræ, quarum notæ sunt legales: per cæteras verò victimas huic victimæ cognatas, effusiones intelligo sanguinis generosorum martyrum, qui non frustra conspiciuntur stare à discipulo Ioanne iuxta cœleste altare. Sed quis sapiens, & intelliget hæc, vel prudens, & agnoscet hæc? Ad hæc altioris contemplationis est vel tantillum exequi rationem de huiusmodi victimis, quæ purgant eos pro quibus offeruntur. Consideranda ergo est ratio sacrificatæ filiæ Iephtæ, qui propter hanc filios Ammon vicit, cui quidem voto propensa fuit ea etiam quæ offerebatur, ad patrem dicentem: Apertum est os meum aduersum te ad Dominum re- *Iud.11.* spondens, & si aperuisti os tuum aduersum me ad Dominum

A num, fac votum tuum. Atque simulacrum quidem crudelitatis per hæc producitur illius, cui tales pro hominum salute perficiuntur victimæ, sed profectò mente generosiore, quæ calleat soluere, quæ dicuntur contra prouidentiam, egemus, vt simul de omnibus quæ veluti secretiora sunt, & supra humanam naturam, nos excusemus. Magna enim iudicia Domini, eáque ægrè, nec facilè narrantur, atque ob hanc causam rudes animæ errauerunt. Notum autem atque testatum cum sit apud gentiles, multos cædi pro communi hominum salute seipsos tradidisse, cum pestilentes morbi suam patriam inuasissent: Et hæc euenisse admittit non sine causa scripturis credens, Clemens ille fidelis, de quo hunc in modum testificatur Paulus, dicens: Cum Clemente & reliquis coadiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ, similem habent dissimilitudinem apud eum qui velit mysteria, quæ multos latent, incusare, quæ de martyribus traduntur: Deo magis approbante, vt vel asperrima supplicia suscipiamus, dum confitemur illius diuinitatem, quam à tot rebus, quæ malæ existimantur, liberari ad breue tempus, sermone nostro vbique sequentes voluntatem inimicorum veritatis. Quamobrem existimare debemus destructionem fieri potentiarum maleficarum, per mortem sanctorum martyrum, veluti tolerantia & confessione vsque ad mortem, atque erga pietatem promptitudine, hebetantibus & mitigantibus feritatem insidiarum tyrannorum illorum, contra tot cruciatus
B patientem, vt hebetata, & debili reddita potentia ipsorum, alij etiam plures victis, dimitterentur liberati eo onere, quo potentiæ malæ instantes eos grauabant & lædebant. Quin etiam martyres ipsi, qui passi sunt, postea non incidunt in supplicia, quamuis non debilitatis, ac delassatis his qui alios malis afficiunt, nimirum quia is qui talem victimam obtulit, vicit hanc contrariam potentiam, tanquam si ex parte hac vteter similitudine vtili ad ea de quibus agitur: Qui interficit, aut carmine sopit animal venenatum, aut ipsum vi quapiam, vacuum reddit à veneno, is in multos beneficia confert, qui in posterum aliquid passuri erant, nisi interfectum illud, vel sopitum fuisset, vel veneno euacuatum, atque etiam si alicui morso manifestum fiat, & liberatus ille à nocumento per morsum contracto, defigat oculos in mortuum, qui læsit, vel inscendat mortuum, vel attingat mortuum, vel gustet huius partem, fiet sanè antea passo medicina, & beneficium ab eo qui interfecisset id quod lædebat. Simile quiddam fieri morte piissimorum martyrum existimandum est, multis ex ipsorum morte indicibili quadam vt adiumentum sumentibus. Cæterùm multum immorati sumus de martyribus verba facientes, atque enarrantes de his qui perierunt ob pestilentes constitutiones, vt videremus excellentiam illius qui ductus
C est velut ouis ad cædem, quique sicut agnus coram tondente fuit mutus. Nanque si aliqua gentibus non falsò historiis mandata sunt, aliqua verò tum de martyribus sunt dicta, qui fuerunt mundi purgamenta, tum de apostolis, qui omnium reiectamenta ob hanc causam dicuntur, qui & quantum sentiendum est de agno illo Dei, qui ob hanc causam sacrificatur, vt tollat peccatum mundi, pro quo & passus est? Quanuis enim peccet aliquis, aduocatum habemus apud patrem
1. Io. 2. Iesum Christum iustum: & ipse propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi: quoniam Seruator est omnium hominum, & maximè fidelium, qui suo ipsius sanguine chirographum, quod aduersus nos erat, deleuit. Et illud, Sustulit è medio affixum cruci, vt ne vestigia quidem peccatorum perpetratorum inueniantur, qui expolians principatus ac potestates ostentauit palàm triumphans in ligno. Itaque afflicti in mundo docemur confidere, confidenti causam hanc esse edocti, quia mundus sit victus, quem perspicuum est victori subiectum fuisse. Vnde etiam omnes gentes absolutæ ab his qui antè præualuerant, seruiunt ipsi, quoniam liberauit mendicum à potente, per propriam passionem, & pauperem cui nullus erat adiutor. Hic igitur Seruator humiliato calumniatore (eo quod seipsum humiliauerit) cum intelligibili sole permanet coram splendidissima ecclesia (quæ tropicè luna dicitur) à generatione in generationem. Et cum hostes per passionem
[illegible] sustulisset potens & fortis in bello Dominus poculo purificatorio indigens (quod à solo patre ob rectè facta dari potest) prohibet Mariam seipsum tangere, dicens: Ne me tangas, nondum enim ascendi ad patrem meum: sed vade, & dic fratribus meis: Vado ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Cæterùm cum pergit victoriis, tropheísque onustus, cum corpore, quod ex mortuis resurrexerat, (quomodo enim aliter intelligere oportet illud, Ascendi ad patrem meum, & illud, Vado ad patrem meum?) nunc aliquæ quidem potentiæ dicunt: Quis est iste Esa. 63. qui accedit ab Edom rubra vestimenta habens ex Bosor, adeò speciosus? qui verò præibant illum, illis qui præfecti erant portis cœlestibus, inquiunt. Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Præterea verò interrogant veluti aspectu ipso, vt ita dicam, ipsius dexteram videntes cruentatam, eúmque totum repletum operibus strenuè gestis. Quare rubra sunt vestimenta tua sicut calcatio torcularis pleni vua calcata, quando & respondet, Calcaui eos. Verè ob hæc indiguit, vt lauaret in vino stolam suam, & vestimentum suum in sanguine vuæ. Infirmitates enim nostras cum sumpsisset, ægritudinésque portasset, totiúsque mundi peccatum cum sustulisset, & in tot beneficia contulisset, fortassis tum baptismum accepit quouis alio, qui apud homines excogitari potest, maiorem de quo reor eum dixisse. Baptismo habeo baptizari, & aliquo modo Luc. 12. coarctor, donec perfectum fuerit. Vt enim audacius orationem explorans instem ad ea quæ plurimi sentiunt, dicant nobis E qui martyrium ipsius, baptismum existimant, maximum esse, supra quem alium excogitare baptismum non liceat, cur tandem post hoc dicat Mariæ, Ne me tangas. oportebat enim seipsum magis exhibere tangendum, tanquam qui per mysterium passionis baptismum sumpsisset perfectum. Sed quoniam, vt prædiximus rebus aduersus aduersarios præclarè gestis, opus habebat lauare in vino stolam suam, & in sanguine vuæ vestimentum suum, ascendit ad agricolam veræ illius vitis, nempe patrem: vt illic lotus, postquam ascendisset in altum captiuata captiuitate descenderet, varia ferens charismata, nempe diuisas apostolis linguas veluti igneas, atque etiam ad futuros in omni actione sanctos angelos liberaturos ipsos. Ante has enim dispensationes, purificati nondum cum essent, capaces non erant angelorum ad se aduentus, fortassis ne angelis quidem ipsis adesse volentibus his qui nondum optimè instituti, purificatique à Iesu fuissent. Solius enim Iesu benignitatis erat cum peccatoribus, & publicanis manducare & bibere, atque suos ipsius pedes præbere lacrymis resipiscentis peccatricis, & ad mortem vsque pro impiis descendere, non rapinam arbitrantem se esse æqualem Deo, & inanientem semetipsum, serui forma sumpta. F
Hæc autem omnia perficiens patris magis voluntatem ipsum tradentis pro impiis perficiebat, quam suam ipsius. Bonus etenim est pater: Seruator verò imago est bonitatis ipsius: porrò toti mundo officia conferens, quoniam Deus in Christo mundum sibi ipsi reconciliat, antea propter malitiam inimicum factum, tum via, tum ordine officia confert his rebus, in quas ipse beneficia confert, non subitò accipiens scabellum pedum, nempe inimicos omnes. Dicit enim ad ipsum vniuscuiusque nostri Dominum pater: Sede à dextris Psal. 109. meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et hæc fiunt quoad vltimus inimicus, nempe mors, ab ipso destructus fuerit. Si verò cōsideraueritnus, quid sit subici Christo (idque maximè ex illis verbis, Cum autem ipsi omnia subiecta fuerint, tunc ipse filius subiicietur ei qui omnia sibi subiecit) vt dignum est bonitate Dei vniuersorum, intelligemus agnum Dei, tollentem peccatum mundi. Verum non omnium peccatum ab agno aufertur, nempe eorum qui non dolent, quíque non affliguntur, donec ablatum fuerit. Spinæ nanque non tantùm infixæ, sed etiam altius radicatæ in manus sunt cuiuscunque per vitium temulenti, quíque sobrietatem perdiderit: iuxta illud quod in Prouerbiis Prou. 26. dicitur: Spinæ nascuntur in manu temulenti. Quantum verò doloris patiens in eo, qui tales plantas admiserit in corpus suæ ipsius animæ, iam dicere difficillimum est. Nam abscindatur oportet à sermone Dei viuentis, penetrantiore quouis gladio vtrinque incidente, & efficaci, & supra omnem ignem

G combureote, quisquis eò profunditatis suæ ipsius animæ admisit vitium, vt factus sit terra spinas germinans. Et profectò opus erit ad huiusmodi animam ignem mitti inuenientem spinas, propéque eas stantem, ac penetrantem sua ipsius diuinitate, nec combusturum areas, vel spicas camporum. Verum enimuero agni tollentis peccatum mundi, idq; per propriam cædem incipientis, complures sunt viæ: quarum aliæ quidem manifestæ possunt esse vulgo, aliæ verò vulgus latentes his, qui diuina sapientia digni habiti fuerint, quibus solis sunt notæ. Quid enim opus est recensere quot viis ad credendum veniat quis inter homines, cum liceat vnicuique, dum adhuc in hoc est corpore, ea se id considerare. Veruntamen per vias credendi licet peccatum quoque tollere: per flagella, per spiritus malos, per morbos difficillimos, per infirmitates laboriosissimas. Quis ergo nouit quæ sunt etiam post hæc? Cæterùm necessarium fuit, ne respueremus eum qui assequi videtur veram intelligentiam sermonis illius, qui dicit: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi, diutius de hisce rebus disserere, vt scientes nos & furore Dei aliquando redargui, & ira Dei corripi, neminem ob amorem erga genus humanum, vel ad hyperbolen vsque, sinentis omnino irredargutum, atque non correptum, omnia faciamus, vt talibus redargutionibus, atque correptione ea quæ sita est in rebus asperrimis, atque molestissimis non egeamus. Consideret insuper lector oportet quæ suprà sunt à nobis dicta cum appositione compluH rium exemplorum de eo quod est, quid significetur iuxta scripturam per vocem mundi, nec enim consentaneum esse putaui repetere. Non ignoramus autem quendam exposuisse per mundum Ecclesiam solam: mundum, & ornamentum existentem mundi. Quandoquidem lux etiam mundi dicitur: Vos enim estis (inquit) lux mundi. Mundus autem & ornamentum mundi, est ecclesia, Christo existente mundo & ornamento ecclesiæ, quippe qui sit prima lux mundi. Considerandum autem est, num eiusdem mundi lux esse dicatur Christus, & discipuli eius. Proinde vide, ne, quando Christus lux est mundi, fortassis lux sit ecclesiæ: quando verò discipuli eius lux sunt mundi, inuocantium sint lux, qui diuersi sunt ab ecclesia. Quemadmodum à Paulo dictum est in prooemio prioris epistolæ ad Corinthios scribente ad ecclesiam Dei cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi. Si quis suspicetur ecclesiam dici lucem mundi, hoc est reliqui generis hominum, & infidelium, siquidem propheticè hoc interpretabitur propter sermonem de consummatione, fortasse locum habet illud quod dicitur, sin verò tanquam iam factum id considerabit (quoniam lux alicuius illustrat illud, cuius est lux) ostendant quomodo reliquum genus illustratur ab ecclesia peregrinante in mundo. Quòd si hoc ostendere nequeunt, aduertant, num rectè exposuerimus lucem esse ecclesiam, & mundum inuocantes. Sed vocula quæ sequiI tur, posita in euangelio à Matthæo tradito exprimet enarrationem ei qui diligentissimè scrutatur scripturas. Vos enim, inquit, estis sal terræ: fortasse per terram intelligens reliquos homines, quorum sal sunt, qui crediderunt, auctores existentes, vt mundus seruetur propterea quòd credant. tunc enim consummatio erit, si sal infatuatus fuerit, & non sit amplius qui saliat, conseruétque terram. Quoniam liquet si impleta fuerit iniquitas, & refriguerit charitas super terram (vt etiam Seruator ipse dubiam profert vocem de his qui in suo ipsius aduentu erunt) dicens: Veruntamen cum venerit filius hominis, num inueniet fidem super terram? futuram consummationem seculi: dicatur itaque ecclesia mundus, quando à Seruatore illustratur. Nos autem quærimus, an propter illud: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi, interpretari debeamus mundum spiritualiter esse Ecclesiam (ablatione peccatorum circunclusa in sola ecclesia.) Quomodo enim quod
1.Ioan.2. à discipulo suo in epistola dicitur de Seruatore, qui propitiatio est pro peccatis, interpretabimur, sic habes: Si quis pec-
1.Tim.4. cauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi? Quando quod apud Paulum est, huic reor esse simile, sic habens: Qui est Seruator omnium hominum, maximè fidelium. Rursus ad hunc locum Heracleon veniens, absque aliqua approbatione & appositione testimoniorum, enunciat Ioannem K tanquam prophetam dicere, Agnus Dei: & vt excellentior quàm propheta dicere, Qui aufert peccatum mundi. Quorum primum existimat de corpore eius dici: secundum verò de eo quod est in corpore, quia agnus imperfectus sit in ouium genere. Atque tale etiam sit corpus comparatione inhabitantis in ipso. Perfectionem verò, inquit, si volebat corpori attribuere, arietem ipsum immolandum dixisset. Sed non arbitror necessarium esse post tot inquisitiones factas, eadem hoc in loco repetere, contendentes contra ea quæ dixit Heracleon parum doctè. Tantum hoc adhuc notetur, quòd vt via mundus capax illius fuit, qui seipsum inaniuit, sic agno, & non ariete opus fuisse ad illius auferendum peccatum.

TOMVS DECIMVS.

Postea descendit Capharnaum ipse & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus. Instabat autem pascha Iudaeorum, &c.

VMERI, qui in ipso Numerorum libro scripti fuerunt, iuxta quandam proportionem conuenientem vnicuique rei, scriptura digni ha- L biti sunt. Inquirendum autem est, an vnus ex Mosis libris numerorum inscriptione notatus, rationem Numerorum eximiè doceat eos, qui huiuscemodi accuratè inuestigare valeant, quæ mihi ad te in principio decimi tomi dicuntur, tum intuenti frequenter numerum denarium assequutum fuisse priuilegium scripturæ excellentis, vt ibi quoque licet diligenter considerare, tum speranti etiam fore, vt aliquid maius à Deo in hunc tomum accipiam, quod vt contingat, pro viribus præbere nos ipsos Deo tentemus, qui cupit optima largiri: sed incipiendus hinc est liber. Postea descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & Ioan.2. discipuli eius, & manserunt ibi non multis diebus. Etiam cæteri tres, qui euangelia scripserunt, inquiunt Dominum in Galilæam secessisse, post ipsius contra diabolum certamen. Matthæus autem & Lucas prius cum venisset Nazareth, postea illa relicta profectum habitasse Capharnaum. Matthæus verò & Marcus causam etiam quandam dicunt, cur ipse inde discesserit, nempe quia audisset Ioannem ab Herode in carcerem coniectum fuisse. Habent autem se sic verba, Matthæi quidem, Tunc omisit illum diabolus: & Matt. 4. ecce angeli accedebant, & ministrabant ei. Cum audisset autem Iesus, Ioannem traditum esse, secessit in Galilæam: & relicta Nazareth, profectus habitauit in Capharnao maritima, & in finibus Zabulon & Neptalim, vt impleretur quod M dictum fuerat per Esaiam prophetam, dicentem: Terra Zabulon, & terra Neptalim: & postea quæ dicta sunt in Esaia, dicit: Ex eo tempore cœpit Iesus prædicare, & dicere: Resipiscite, instat enim regnum cœlorum. Marcus verò. Et e- Mar.1. rat, inquit, in deserto dies quadraginta, & tentabatur à Satana: erátque cum feris, & angeli ministrabant illi. Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam prædicans euangelium Dei, nempe impletum est tempus, instátque regnum Dei. Resipiscite, & credite euangelio. Deinde cum enarrasset de Andrea, & de Petro, Iacobóque ac Ioanne, scribit hæc. Et ingressus Capharnaum statim, sabbatis docebat in synagoga. Lucas verò, Luc. 4. Et cum consummasset, inquit, tentationem diabolus, recessit ab illo vsque ad tempus. Et reuersus est Iesus virtute spiritus in Galilæam, & fama exiit per vniuersam regionem de ipso, & ipse docebat in synagogis eorum, & glorificabatur ab omnibus: & venit in Nazara, vbi erat nutritus, intrauítque secundum consuetudinem suam die sabbatorum in synagogam. Cúmque docuisset, quæ in Nazaris ab ipso dicta fuerant, furorémque eorum qui erant in synagoga, aduersus ipsum (vt qui eiecissent eum è ciuitate, ac duxissent vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum) &

A & vt transiens per medium illorum ibat, superaddit hæc. Et
Ioan. 4. descendit Capharnaum ciuitatem Galilææ, & docebat illos sabbatis. Veritatem de hisce rebus oportet repositam esse in his quæ animo cernuntur, aut si dissonantia non soluatur, recedere à fide euangeliorum, tanquam quæ verè non sint scripta per spiritum, neq; sint diuiniora, neque optimo ordine commentata, vtroque enim modo dicitur scriptura ordinata fuisse. Dicant enim nobis qui recipiunt quatuor euangelia, & existimant apparentem dissonantiam nō dissolui per anagogen (præter prædictas à nobis dubitationes de quadraginta diebus tentationis, qui minimè locum habere possunt apud Ioannem) quando fuit in Capharnao Dominus: Nam si post sex dies ab eo tempore, postquam baptizatus est Iesus, fuit Capharnao (sexta die facta dispensatione, & miraculo in nuptiis, in Cana Galilææ) perspicuum est, neque tentatum fuisse, neque in Nazaris fuisse, neque Ioannem adhuc traditum fuisse. Itaque post Capharnaum, vbi mansit non multos dies, cū pascha esset Iudæorum in propinquo, ascendit Hierosolymā, quando è templo eiecit tum oues, tum boues, & mēsariorum æra effudit. Videtur autem Nicodemus pharisæorū princeps, noctu ad ipsum principio venisse Hierosolymam: audisséq;, quæ licet ex euangelio accipere. Post hæc autem venit Iesus,
3. & discipuli eius in terrā Iudæam, & illic morabatur cum eis, ac baptizabat, quo tempore erat Ioannes in Ænon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, ac baptizaban-
B tur. Nondum enim coniectus fuerat in carcerem Ioannes, quando orta etiam quæstio est ex discipulis Ioannis de purificatione cum Iudæis. Et venerunt ad Ioannem dicentes de Seruatore. Ecce is baptizat, & omnes veniunt ad eum. Audierant enim Baptistæ verba, quæ accuratius ex ipsa scriptura licet assumere. Quòd si interrogantibus nobis quādo primum fuit in Capharnao Christus? qui lectionem Matthæi, reliquorúmque duorum sequuntur, dicent post tentationem (quando relicta Nazareth profectus habitauit in Capharnao, quæ est ciuitas maritima) quomodo simul verum esse dicēt & illud, quod apud Matthæum & Marcum dictum est, Iesum scilicet secessisse in Galilæam, tanquam qui audisset Ioannem traditum fuisse? & illud quod positum est apud Ioannem, scilicet nondum fuisse Baptistam coniectum in carcerem, sed baptizare in Ænon iuxta Salim? Id quod ponitur post mansionem domini in Capharnao? & post ascensum ad Hierosolymam, indéque ad Iudæam descensum, ac post multas alias œconomias & dispensationes? Quin si de aliis compluribus diligenter quis exquisierit euangelia de dissonantia secundum historiam, quam singulatim tentabimus pro virili ob oculos ponere, vertigine affectos, vel tenuet confirmare euangelia tanquam vera, & iudicio suo sibi eligens quod voluerit, alicui ipsorum euangeliorum adhærebit, non audens funditus infirmare de domino nostro fidem, vel admittens quatuor esse euāgelia, veritatem ipsorum non in figuris, & characteribus corporalibus esse adiunget. Vt autem aliquā considerationem sententiæ ac voluntatis euangeliorum de hisce rebus sumamus, nobis hoc est dicendum. Esto quibusdam spiritu Deum videntibus, huiúsque sermones ad sanctos, atque præsentiām, qua illis se offert, præcipuis temporibus profectus ipsorum (atque hi plures numero existant, & diuersis in locis, nec similibus omnino beneficiis affecti) esto inquam propositum his singulis, sua renunciare quæ spiritu tum de Deo, tum de sermonibus eius, ac de apparitionibus ad sanctos vident, ita vt hic quidem renunciet, quæ dicuntur vel aguntur à Deo in tali loco huic iusto: ille verò quæ alius per oracula vel audierit, vel receperit, & alius præter duos prædictos velit nos de aliquo docere. Esto autem etiam aliquis quartus, perinde atque hi tres, faciens, conferántque hi quatuor inter se de quibusdam quæ spiritus illis suggesserit, & de aliis breui oratione renuncient: adeò vt huiusmodi sint illorum narrationes. Visus est Deus huic hoc tempore, hoc in loco, & hæc illi fecit hunc in modum (si illi apparuerit tali forma) & manu duxit ad hunc locum, vbi hæc fecit. Secundus eodem tempore quo hæc dicta sunt, facta fuisse apud primum, referat Deum visum fuisse in quadam vrbe cuipiam secundo (quem ipse velit) existenti in loco valde remoto à loco prioris, & alios eodem tempore ser-

mones à Deo huic, quem secundum posuimus, habitos fuisse D
dicat. Similiter de tertio & quarto existimandum est. Consentiant autem hi (vt prædiximus) inter se vera de Deo nunciantes, déque ipsius erga aliquos beneficiis, in quibusdam narrationibus, quas ipsi renuncient. Apparebit igitur historiam esse existimanti horum narrationem, quæ propria sunt imaginis historiæ, ad res veras accommodare, & ei qui arbitratur Deum esse in loco secundum circunscriptionem, eodē tempore nequeuntem plures de seipso ingenerare visiones pluribus, in pluribus locis, nec plura etiam simul dicere, impossibile esse, vt hi quatuor, quos supposuimus, vera narrent ex eo quòd facile factu non sit Deum esse in hoc quodam certo tempore, quia etiam consideratus fuerit esse in loco secundum circunscriptionem, & huic, & illi, hæc & illa dicere: & facere hæc, & his contraria, & (vt ita dicam) sedentem simul & stantem esse, in hoc quidem tempore dicentes eum stantem hæc dixisse, & alia fecisse in loco eodem sedentem. Vt igitur sensus præceptus historicorum charactere & forma in his quos supposui volentes nos docere, quæ mens ipsorum perspexerit, nullam inueniretur habere dissonantiam, si quatuor fuerint sapientes: sic etiam in quatuor euangelistis rem se habere intelligendum est. Abutentibus moltis tum dictis, tum factis Iesu iuxta illius prodigiosam & admirabilissimam potentiam: interdum etiam attexentibus ad scripturam, cum dictione velut de sensibilibus, quod illis E
puto ac solo intellectu manifestatum erat. Non reprehendo autem ipsos aliquo pacto transposuisse ad vtilitatem mysticæ considerationis harum rerum, id quod (quantum attinet ad historiam) alio modo factum fuerat: ita vt quod vno loco factum fuerat, tanquam in alio gestum sit narrarent, & quod vno tempore tanquam in alio, & illud quod vno modo pronuntiatum fuerat, cum quandam alteratione referrent. Propositum enim illis erat vera narrare, & spiritualiter, & corporaliter, vbi liceret: vbi autem non contingebat vtrumque, rem præferre spiritualem rei corporeæ: seruata sæpe veritate spirituali, in corporali (vt aliquis diceret) Gen. 27.
mendacio. Quemadmodum si etiam ex historia diceremus Iacob dicentem Isaac: Ego sum Esau primogenitus tuus filius, secundum intellectum spiritualem narrasse vera: & participem factum primogeniturarum, quæ in fratre iam perierant, & recepta forma & figura Esau externa per vestem hœdinarum pellium: atq; factus Esau sine voce laudante Deum, vt deinde locum inueniret Esau ad benedictionem consequendam. Nam fortasse, ni benedictus fuisset Iacob, tanquam Esau, ne Esau quidem capere quiuisset ex se benedictionem. Is igitur multa est secūdum varias nationes, ex quibus probabile est euangelistas notiones sumentes diuersas, interdum etiam alias de quibusdam consentientes scripsisse euangelia. Verbi gratia: verum est, quod ad textum attinet, contraria dicere de domino nostro, nempe eum genitum ex F
Dauid, & non genitum ex Dauid. Verum etenim est genitū fuisse ex Dauid (vt etiam apostolus inquit, genitum ex semine Dauid secundum carnem) si ad corpus ipsius referamus: falsum autem hoc ipsum est, si de diuiniore ipsius potentia intellexerimus eum genitum fuisse ex semine Dauid. Declaratus namque filius Dei fuit cum potentia. Et fortassis hanc ob causam diuinæ scripturæ aliquoties eum seruum, aliquoties eum filium prædicant, seruum quidem propter serui formam: & quia ex Dauide, filium verò Dei propter potentiam suam primogenitam: sic verum est dicere eum hominem, & non hominem, hominem quidem propter illud quod mortis est capax: cæterum non hominem propter illud quod homine est diuinius. Ego autem arbitror etiam Marcionem respuentem doctrinam suam, & reiicientem ipsius ex Maria ortum, enunciasse eum iuxta diuinam naturam genitum ex Maria non fuisse: & hanc ob causam ausum fuisse delere hos locos ex euangelio, cui simile quiddam passi fuisse hi videntur, qui illius humanitatem tollunt, solam illius diuinitatem admittentes, atque his contrarij, qui diuinitatem eius obliterant, hominem eum hominum omnium iustissimum, & sanctissimum fassi. Quin qui introducunt opinionem (quia non intellexerunt eum, qui seipsum ad mortem vsque humiliauit obediens factus vsque ad crucem, & solam

G eius eam partem, quæ perturbationibus vacat, quæque superior est quouis tali casu imaginaueiunt) priuare nos pro virili sua volunt eo homine, qui hominum omnium fit iustissimus, valens, etiam per seipsum seruari (vt enim per vnum hominem mors, sic per vnum hominem vitæ iustificatio) vtilitatem nobis alioqui nō percepturis ex filio Dei, si remoto homine, talis esset, qualis erat in principio apud patrem Deum, neque hominem assumpsisset, qui omnium primus, & omnibus honorabilior, ac longè omnibus purior valeret ipsum capere, post quem poterimus vnusquisq; nostrum tantum, ac talem, qualis erat, ipsum capere, si locum magnitudini eius conuenientē in anima nostra præparauerimus. Hæc mihi dicta sunt declarare volenti, via spiritualis intelligentiæ, apparentem euangeliorum dissonantiam. In eundem autem locum huiusmodi etiam exemplo vtendum est, scilicet Paulum carnalem se esse venditum sub peccato dicere, nec quidquam diiudicare posse, spiritualem verò omnia diiudicare posse, & à nemine iudicari, & carnalis quidem hæ sunt

Rom. 7. voces: Non enim quod volo, hoc facio, sed quod odi, hoc facio: spiritualis verò, quod volo, hoc facio, & quod odi, non facio. Quin etiam qui raptus fuit vsque ad tertiū cœlum, & au-

2. Cor. 12. diuit arcana verba, diuersus erat ab eo, qui dicebat, Pro hac re gloriabor, pro meipso autem non gloriabor. Sin verò etiam Iudæis fit quasi Iudæus, vt Iudæos lucrifaciat, & his, qui sub lege erant, tanquàm sub lege esset, vt eos, qui sub lege erāt, lu-

H crifaceret, & his qui sine lege erant, tanquam esset sine lege, cum non esset sine lege Deo, sed obnoxius legi Christi, vt lucrifaceret exleges, & infirmis infirmus, vt infirmos lucrifaceret, perspicuum est inquirendas esse diligenter rationes huius rei: idque priuatim in singulis: siue cum efficitur tanquàm Iudæus, siue cum tanquàm sub lege, siue cum est quasi sine lege, siue interdum etiam efficitur infirmus. Verbi gratia, illa quæ dicit propter veniam, non propter imperium, tanquàm infirmus existens, dicit. Quis enim, inquit, infirmatur, & ego

2. Cor. 11. non infirmor? Cum autem tondetur, oblationem offert, vel

Act. 16. Timotheum circuncidit, fit Iudæus. Quando autē Athenien-

Act. 17. sibus inquit, Inueni aram, in qua inscriptū erat, ignoto Deo, quod ergo ignorantes colitis, hoc ego vobis annuncio, & illud, sicut & quidam vestratium poetarum dixerunt, Huius enim & genus sumus, his, qui sine lege erant, fit tanquàm sine lege: pietatem testibus firmans impiissimis, & illo, qui dicit. Ab Ioue principium, illo illius hemistichio (nam huius progenies etiam sumus) abusus ad id, quod volebat. Fortasse verò interdum his, qui non sunt Iudæi, sed sub lege, fit sub lege. Cæterùm hæc exempla non solùm vtilia sunt in rebus Seruatoris, verùm etiam in rebus discipulorum, de quibus etiam ipsis est quædam secundum textum dissonantia. Nam fortasse Simon, qui à suo fratre Andrea inuenitur, & audit, tu vocaberis Cephas, cogitatione diuersus est ab eo, qui videtur cum fratre à Iesu deambulante iuxta mare Galilææ, di-

I uersus etiam ab eo, qui cum illo Andrea pariter audit. Venite post me, faciam vos piscatores hominum. Decebat enim, vt qui renunciabat solidiori ratione de λόγῳ, hoc est de filio Dei, qui factus est caro, qui etiam ortum hanc ob causam non scripsit filij Dei existentis in principio apud Deum, ne inuentum quidem apud mare, indéque vocatum dicere, sed narrare inuentum à fratre, qui mansit apud Iesum hora decima, qui etiam eò quòd sic inuentus fuerit, mox acceperit nomen Cephæ. Nam qui videtur à deambulante iuxta mare Galilææ, vix aliquando etiam post illud accipit, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Et Iesum quidem apud Ioannem agnoscunt baptizare pharisæi in discipulis eius, cum aliis rebus præcipuis etiam hoc faciens. At apud tres Iesus haudquaquā baptizat. Insuper Baptista Ioannes apud eiusdem nominis euāgelistam perseuerat non coniectus in carcerem. Contra apud Matthæum ferè tentato Iesu in carcerem traditur, quam ob causam secedit etiam Iesus in Galilæam, cauens tradi in carcerem. Quando ne carceri quidem traditus inuenitur Baptista apud Ioannem. Proinde quis adeo sapiens, & in tantum idoneus est, vt totum Iesum ex quatuor euangelistis discat, quíque valeat vnamquamque rem priuatim agnoscere, omnésque Christi, vel peregrinationes, vel sermones, vel opera, quæ singuli narrarunt, vi-

dere præsertim ea, quæ in præsenti loco Seruatorem fecisse K

remur cōsequenter sexto die, quando facta est dispensatio illa nuptiarum in Cana Galilææ, & quādo eū descendisse remur cū matre, & fratribus, atque discipulis in Capharnaum, quod interpretatur ager consolationis. Ad agrum namq; cōsolationis post epulum illud vino celebre cum matre, cúmq; discipulis venire Seruatorem necesse erat consolaturum discipulos, atque eam animam, quæ ex spiritu sancto conceperat, & eos, qui illic vtilitatem perceperunt: consolaturum inquam è fructibus in agro pleno futuris. Quærendum attamen, quare

Ioan. 2. ad nuptias fratres eius non vocentur. Sed neq; erant illic. Nec enim dictum est in Capharnaū descendunt cum ipso, & matre sua, & discipulis. Insuper quærendum, quare nunc non ingrediuntur Capharnaū, neq; ascendunt ad ipsam, sed descendunt. Quare vide, an hoc in loco per fratres intelligendæ sint hæ potentiæ, quæ cum ipso descenderunt, quæ etiam ad nuptias vocatæ nō sunt ob ea, quæ prædiximus: cum infra, & in locis humilioribus, inueniuntur ij, qui Christi habentur discipuli, & alterius generis homines, quoniam, si vocatur mater eius, sunt quidam proficientes, & fructificantes, ad quos etiam descendit dominus ipse cum ministris verbi Dei, & discipulis, tales adiuuans, matre sibi etiam assistente. Sanè habitatores in Capharnao videntur non capere diuturniorem Iesu, eorúmque, qui cum ipso descenderant, apud se con-

L suetudinem, vnde manent apud ipsos non multis diebus. Nam ager consolationis infernæ non capit illuminationem de multis dogmatibus, rerum tenuium cum sit capax. Præ-

Ioan. 2. terea vt videamus differentiam eorum, qui plus, vel minus suscipiunt Iesum, addendum est verbis illis, illic manserunt non multis diebus, illud quod dicitur à domino resuscitato ex mortuis apud Matthæum, discipulis missis ad docendum

Mat. 26. omnes gentes, sic habens, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Namque agnituris quidem quæcunque agnoscere potest humana natura, dum hic degit, dicitur demonstratiuè hoc. Ecce ego vobiscum sum, de omni verò ortu, & illuminatione, quæ his exoritur, qui speculantur, quæque dies plures ob oculos ponit beatissimis, illud omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, de his autem, qui sunt in Capharnao, ad quos, vtpote infra existentes, descendunt non solùm Iesus, verumetiam mater eius, & fratres eius, & discipuli, dicitur, illic manserunt non multis diebus. Credibile autem est aliquos non sine causa quæsituros, an post omnes huius seculi dies non amplius futurus sit cum his, qui eum acceperint vsque ad consummationem seculi, ille qui dixit. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, nam particula, vsque, veluti circunscriptionem quandam denotat temporis. Proinde ad hoc etiam est dicendum, non idem esse, vobiscum sum, & in vobis sum. Quamobrem fortasse magis propriè diceremus, non in di-

M scipulis Seruatorem esse, sed cum ipsis, qui mente, non præuenerint consummationem seculi. Cum verò instātem consummationem mundi viderint sibi crucifixi (quantum ad illorum conatum attinet) tunc non amplius cum ipsis, sed in ipsis existente Iesu, dicent illud: non amplius viuo ego, sed

Gal. 2. viuit in me Christus. Et illud, An experimentum quæritis lo-

2. Cor. 12. quentis in me Christi? Hæc autem dicimus, obseruata priuatim à nobis aliquo modo ea expositione, quæ docet omnibus diebus vsque ad consummationem seculi dici iuxta ea, quæ humana natura comprehēdere potest, dum hoc in mundo existit, nam possumus etiam seruata illa interpretatione notare vocabulum, ego, vt ille, vsque ad consummationem, cum his, qui mittuntur ad docendū omnes gentes, sit, qui exinaniuit seipsum, forma serui sumpta, tanquàm si hoc dixisset, quòd sit cum his post consummationem seculi alius: existens in statu præcedenti suam inanitionem, quando à patre positi fuerint omnes inimici Christi subsellium pedū suorum. Post hæc (cum tradiderit filius regnum Deo, & patri) patre dicēte illis. Ecce ego vobiscū sum. Vtrum verò omnibus diebus vsque ad hoc tempus, an simpliciter omnibus diebus absque vocula, vsque, & an nō omnibus, sed omni dicet, potest qui velit considerare. Nunc enim quę proposita sunt, nos nō permittunt vsque adeo ab oratione digredi. Sanè Heracleon ipse enarrans, postea descendit in Capharnaum, alterius cuiusdam dispensa-

A dispensationis principium inquit declarari, voce, descẽdit, nõ
ociosè dicta. Et inquit Capharnao significare hæc externa
mundi, hæc materialia, ad quæ descendit. Et quia non aptus
(inquit) esset locus, nihil in ea ciuitate vel fecisse, vel loqu-
tus fuisse dicitur. Quamobrem si in reliquis euangelistis scri-
ptum fuisset, nihil in Capharnao dominũ nostrum vel fecisse,
vel dixisse, fortasse dubitassemus recipere ipsius interpreta-
tionem. Nunc autem Matthæus quidem dominum nostrum,
relicta Nazareth, profectum habitasse Capharnaum ciuitatẽ
maritimam, & exinde initiũ prædicandi fecisse inquit, dicen-
Matt. 4. tem: Respicite: instat enim regnum cœlorum. Marcus verò:
Postquam tentasset dominum diabolus, postquam traditus
Mar. 1. fuisset Ioannes in carcerem, nobis annunciat dominum ad-
uenisse in Galilæam prædicantẽ euangelium Dei: ingrediun-
tur etiam Capharnaum post electionem quatuor piscatorum
ad functionem muneris apostolici, statimq; sabbatis docuit
in synagoga, & obstupescebant super doctrina illius. Quin e-
tiam actionem quãdam eum fecisse in Capharnao scribit: sta-
Mar. 1. tim enim inquit: Erat in synagoga eorum homo spiritui im-
mundo obnoxius, & exclamauit, dicens: Ah quid rei nobis
tecum est Iesu Nazarene? venisti ad perdendũ nos? Noui te,
quis sis, nimirum ille filius Dei, & increpauit illum Iesus di-
cens: Obmutesce, & exi ab homine. Et cum discerpsisset eũ
spiritus immundus, exclamassetque voce magna, exiit ab eo.
B Et obstupuerunt omnes. Et socrus Simonis liberatur in Ca-
pharnao à febri. Ad hæc Marcus inquit, vesperi curatos fuis-
se omnes malè habentes, & qui à dæmonijs agitabantur.
Luc. 4. Quin etiam Lucas similia cũ Marco loquitur de Capharnao,
dicens: Et venit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibiq; do-
cebat illos sabbatis. Et stupebant super doctrina eius, quia
cum potestate coniunctus erat sermo ipsius. Et in synagoga
erat homo habens spiritum dæmonis immundi, & exclama-
uit voce magna dicens. Eia, quid tibi nobiscum est Iesu Na-
zarene? venisti ad perdendum nos? scio te, quis sis, sanctus
ille Dei. Et increpauit illum Iesus dicens, obmutesce, & exi
ab eo. Et cum proiecisset illum, dæmonium in medium exiit
ab illo, nihilque illi nocuit, & postea narrat, quomodo surgẽs
dominus è synagoga ingressus est in domum Simonis, & cũ
increpasset febrim in socru ipsius, liberauit eam à morbo.
Post quam liberatam, occidente, inquit, sole omnes, qui ha-
bebant infirmos variis morbis, ducebant illos ad eum, at il-
le singulis manus imponens sanabat eos. Exibant autem dæ-
monia à multis clamantia, ac dicentia. Tu es ille filius Dei,
& increpans non sinebat ea loqui, quòd sciebant ipsum esse
Christum. Hæc autẽ omnia docuimus ex his, quæ Seruator,
vel dixit, vel fecit in Capharnao, vt redargueremus Heracleo-
nis interpretationem, dicentis. Hanc ob causam Iesus dici-
tur neque fecisse aliquid in ea, aut loquutus fuisse. Aut enim
considerationes duas vrbi Capharnao tribuat etiam ipse, &
C doceat, & persuadeat qualésnam sint, aut hoc facere non va-
lens, dicere cesset Seruatorem frustra in locum aduenisse. At
nos (Deo dante) cum peruenerimus ad hunc textum, cona-
bimur manifestare, non vanum fuisse illius accessum, etiam si
ex lectione fermè appareat eum ad aliqua loca profectum ni-
Matt. 7. hil fecisse. Præterea verò Matthæus ingrediente domino in
Capharnaum, inquit, Centurionem ad ipsum accessisse dicen-
tem, famulus meus decũbit domi paralyticus, ac grauiter dis-
cruciatur. Et post alia, quæ dominus de ipso dicit, audisse, va-
de, & sicut credidisti, fiat tibi, & de Petri socru consona aliis
duobus etiam ipse docuit. Proinde honorificum, & Christi
studioso decorum arbitror esse, colligere ex quatuor euan-
gelijs omnia, quæ de Capharnao sunt scripta, sermonésque in
ea habitos, & opera domini, & quoties ad ipsam accessit, &
vt aliquando quidem descendisse ad ipsam dicitur, aliquando
verò ingressus fuisse, & vnde. Hæc enim inter se collata non
sinent nos aberrare in his, quæ ad intelligentiam ciuitatis Ca-
pharnai pertinent. Cæterùm etiam si ægrotantes illi curen-
tur, & aliæ virtutes illic fiãt, inde tamen incipit dominus præ-
dicare, quòd instat regnum cœlorum: id quod videtur signũ
esse (vt principio subostendimus) loci cuiusdam humilioris,
qui fortasse consolationis locus efficitur per Iesum dãtem illi
solamen ex his, quæ illic docuit, fecit in loco, qui est consola-
tionis ager: scimus enim etiam locorum nomina eiusdem no-
minis esse cum rebus per Iesum factis. Quemadmodum Ger- D
gesa vrbs (vbi rogauerunt eum locorum illorum ciues, vt è Ioan. 8.
finibus suis discederet) interpretatione est habitatio eiicien-
tiũ, rursum de Capharnao hæc etiam obseruauimus: in ea nõ
solùm prædicare dominum incepisse, instat cœlorũ regnum,
verùm (vt tres euangelistæ tradunt) primas illic etiam virtu-
tes edidisse. Quorum nullus in his paradoxis, quæ primùm
facta fuisse scripsit in Capharnao, imitatus est in notãdo pri-
mo miraculo discipulum Ioannem dicentem: Hoc initium
signorum edidit Iesus in Cana Galilææ. Neque enim erat ini- Ioan. 2.
tium signorum illud, quod editum fuit in Capharnao, eò
quòd præcedens, ac præcipuũ signorum filij Dei sit ἡ εὐφροσύνη (hoc est exhilaratio illa, quæ mœrorem omnem aufert;
accessione rerum honestarum, & pulchrarum) λόγῳ & filio
Dei non sic per curationem declarante propriam pulchritu-
dinem, dum curat ægre affectos, quantum in exhilarandis
his sobrio poculo, qui, quia sani sint, indulgere valent con-
uiuio publico. Et proximum erat pascha Iudæorum: Sapien- Ioan. 2.
tissimi Ioannis diligentiam mecum reputans, quærebam,
quid sibi velit additamentum Iudæorum. Quæ enim alia gẽs
habet paschatis solennitatem? Quocirca cum sufficeret di-
cere, in propinquo erat pascha, vide, ne fortè pascha Iudæo-
rum dicatur ad differentiam paschatis diuini: quandoqui-
dem alterum est pascha humanum (nempe eorum, qui non
celebrant illud ex voluntate scripturæ) alterum verò diui- E
num: verum scilicet, quod spiritu, & veritate perficitur ab
his, qui Deum spiritu, & veritate adorant. Audiamus igitur
domini de paschate legem sancientis verba, quando etiam
primum nominatum fuit in scriptura, & loquutus est domi-
nus ad Mosen, & Aaron in terra Ægypti dicẽs. Decima men-
sis huius tollat vnusquisque agnũ per familias, & domos suas
& post pauca, in quibus nondum pascha nominatim dictum
fuerat, subiungit, Sic autem illum comedetis, renes vestri
circuncincti erunt, & calceamenta vestra in pedibus vestris,
& baculi in manibus vestris, & comedetis ipsum cum festi-
natione, pascha est enim domini, nec dicit pascha est ve-
strum. Et paulò post sic nominat solennitatem: & erit, si di-
xerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? dicetis ad eos,
victima est pascha domini, quoniam protexit domos filiorũ
Israel. Rursúmque post pauca, locutus est autẽ dominus ad
Mosen, & Aaron dicens: Hæc est lex paschatis, alienigena ex Exod. 12.
eo non comedet, & rursus post pauca. Si accesserit ad vos
proselytus, & fecerit pascha domini, circũcidetis omne ipsius
masculinum. Cæterùm illud obseruandum est, quòd in legis
sanctione nullibi dicatur pascha vestrum, sed in his, quæ cita-
uimus, semel tantùm pascha, absque vllo additamento, & ter,
pascha domini. Vt verò confirmemus, hoc sic se habere de
differentia paschatis domini, & paschatis Iudæorum, videa-
mus quæ in Esaia hũc in modum sunt scripta, Nouilunia ve-
stra, & sabbata, & diẽ magnam non tolero, ieiuniũ, & segni- F
tiẽ, & nouilunia vestra, & festiuitates vestras odit anima mea.
Minimè enim ad seipsum propriè pertinere inquit dominus,
quæ à peccatoribus perficiuntur, non nouilunia, non sabba-
ta, non diem magnam, non ieiunium, non festiuitates. Rur-
sum in legislatione exodi hæc dicuntur. Dixit autem Moses
ad eos, Hoc est verbum, quod locutus est dominus. Sabbata Exod. 16.
requies sancta erunt domino, & post pauca. Dixit autem
Moses, comedite, hodie enim sunt sabbata domino. Et in
Numeris. Ante has victimas, quæ offeruntur in singulis festi-
uitatibus: perinde quasi singuli dies festi sint iuxta legem en-
delechismi, id est iugis oblationis: hæc scripta sunt, & locu-
tus est dominus ad Mosen: Renuncia filiis Israel, & loqueris
ad eos dicens: Dona mea, munera mea, oblationes meas in o-
dorem suauitatis perseuerabitis offerre mihi in festiuitatibus
meis, & dices eis, Hæ sunt primitiæ, quos offeretis domino,
suas enim festiuitates, & dona ipsius, & munera ipsius, quæ
exposita sunt in scriptura offeretis: non quæ sunt eorum qui
legem accipiunt. His quiddã simile scriptum est in Exodo de
populo quem dñs non peccantẽ suum esse cum dixisset, rur-
sus eundem, quia vitulum conflasset, abdicans, Mosis populũ
nominauit. Ad Pharaonem (inquit) dices: Hęc dicit dominus
Deus, dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto: si
verò nolueris dimittere populũ meũ, ecce ego emittã in te, &

G in seruos tuos,& in populum tuum,& in domos tuas muscas caninas, & in terram in qua sunt, in ea emittam, & glorificabo in die illa terram Gesem,in qua populus meus inest, eatenus vt in illa non sit musca canina, vt scias quoniam ego sum Dominus:Dominus vniuersæ terræ. Et dabo differentiam,ponámque differentiam inter populum meum:ad Mosen autem locutus est Dominus,dicens:Vade,descende celeriter:impiè enim gessit populus tuus, quos eduxisti ex terra Ægypti,quamobrem vt populus non peccans, populus Dei est:peccans non item, ita & festiuitates cum Domini anima eas prosequitur odio,peccantium sunt festiuitates:cum verò eas Dominus sancit,Domini esse dicuntur. Verùm festiuitatum vna est etiam pascha, quod in euangelij proposita scriptura,non Domini,sed Iudæorum pascha dicitur.Rursus alibi inquit:Hæ sunt Domini festiuitates, quas ipsas vocabitis sanctas.Ex Domini itaque voce non licet his quæ docuimus, contradicere.Verùm ex epistola ad Corinthios probabiliter
1. Cor. 5. aliquis quærat,cur apostolus scribat: Etenim pascha vestrum pro nobis immolatus est Christus, non pascha Domini immolatus est Christus:ad quæ dicendum est,vel apostolum dixisse simplicius,pascha nostrum immolatum,quod pro nobis immolatum fuit,vel omnem eam festiuitatem,quę re vera sit Domini,quarum vna est pascha,non in hoc seculo,neque super terram,sed in futuro,& in cœlis, instante cœlorũ regno,
H celebratum iri. Quo de festiuitatibus illis vnus duodecim
Osee 9. prophetarum inquit,Quid facietis in diebus celebritatis, & in diebus festiuitatis Domini?Et in epistola ad Hebręos Paulus,Accessistis ad montem Sion,& ad ciuitatem Dei viuentis
Heb. 12. Hierusalem supercœlestem,& ad myriadas angelorum:nempe ad celebritatem, & ecclesiam primogenitorum scriptorũ in cœlis. Et in epistola ad Collossenses. Non igitur iudicet a-
Col. 2. liquis vos in cibo,aut in potu,aut in parte diei festi,aut in nouilunio,vel sabbatis,quæ sunt vmbra futurorum. Porrò autẽ manifestare,quonam pacto festiuitates(quarum vmbra apud Iudæos corporalis erat) perfectionémque filij Dei percepturi simus in supercœlestibus,sub illam veram legem, primùm puerorum more instructi apud curatores,& œconomos,donec aderit ea temporis plenitudo,quæ illic est,officium est illius sapientiæ, quæ in mysterio abscondita fuit, prorsúsque eius est sapientiæ contueri,quæ de cibis lege sanciuntur,quæ nota sunt eorum,quæ nutritura sunt,fortémque reddiitura animam nostram. At verò aliquem temere imaginatum fuisse tantarum intelligentiarum pelagus,volentémq; seruare,quomodo cultus præsentis loci specimen,atque vmbra sit supercœlestium,volentémque intelligere victimas, & ouem, præcedere,ac superare erit apostolum, qui prudentiam quidem nostram exigere voluit à dogmatibus de lege terrenis,parum tamen ostendit quomodo futura sint hæc.Sin verò etiam fe-
I stiuitates,quarum vna est pascha, ad futurum seculum reducuntur,adhuc magis considerandum est,quomodo etiã nunc pascha nostrum immolatus sit Christus, & in posterum immolabitur. Cæterùm ad hanc dogmatum nostrorũ perplexitatem pauca sunt nobis addenda, quæ tractatu egerent præcipui,ac magni libri, quæque omnino requirerent mysticam in lege existentem rationem, & præsertim rerum earum rationem,quæ sunt in festiuitatibus, atque etiam magis præcipuè eorum,quæ ad pascha pertinent. Quocirca Iudæorum pascha,ouis est,quæ immolatur,quam singuli sibi sumũt per domos familiarium, & perficitur cum pluribus myriadibus agnorum,& hœdorum occisis, iuxta porportionem numeri domorum populi. Nostrum verò pascha pro nobis immolatus est Christus. Rursus illi azyma habent, cessare facientes de domibus suis fermentum, nos festiuitates agimus non in fermento vetere,neque in fermento malitiæ,& nequitiæ,sed in azymis synceritatis,& veritatis. An verò præter illa duo, quæ diximus,sit quoddam tertium pascha Domini,& festiuitas azymorum,accuratius examinandum est,eò quòd illa exemplo,& vmbrę rerum supercœlestium seruiant,nec tantùm cibi,& vasa,& nouilunia,& sabbata,sed etiã festiuitates vmbræ sint futurorum. Primum igitur apostolo dicente, pascha nostrum immolatus est Christus, de hisce dubitabit aliquis, dicens,Si ouis apud Iudæos figura erat immolationis Christi, vel oportuisse vnam,non plures oues immolari,quemadmodum vnus est Christus, vel cum multæ immolarentur oues, K
multos etiam(vt ita loquar)immolandos fuisse Christos, cõsequenter figuræ. Vt autem hoc præmittamus,quærendum Exo. 12.
est,quomodo ouis,quæ immolatur,contineat Christi imaginem,cum hæc immoletur ab iis,qui seruant legem, Christus interimatur ab his,qui eam transgrediuntur. Inquirẽdum est etiam,quomodo de Christo illud interpretandum sit:Edent carnes hac nocte assas igni,& azyma edent cum intybis. Et illud:Non comedetis ex eo crudum, neque elixatum aqua: sed tantùm assa igni:caput cum pedibus & intestinis comedetis,nec relinquetis ex eis vsque mane, & os non comminuetis ex eis. Quærendum est insuper,quomodo Ioannes videatur vti hoc euangelij dicto,perinde quasi referatur ad œconomiam Seruatoris, & ad illud tempus, quando sine lege iubentur ouem comedentes os non conterere. Dicit autem sic, Venerunt ergo milites,& primi quidem fregerunt crura, & alterius qui cum eo crucifixus erat: ad Iesum autem cũ venissent,vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura:sed vnus militum lancea latus eius fodit. Et continuò effluxit sanguis & aqua.Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Et ille scit quòd vera dicat,vt & vos credatis. Facta sunt enim hæc,vt scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Quin alia innumera sunt præter hæc ad lectionem apostoli examinanda,& de paschate,& de azymis. Examinanda autem,vt antea diximus, scriptione ac- L
curata longissimi libri. Nunc autem veluti per compendium hæc in medium afferentes,quæ apparent dubia propter propositam lectionem,sic soluere tentabimus. Illud etiam memoria repetentes,Hic est ille agnus Dei, qui tollit peccatum mundi,quoniam & in paschate ex agnis,inquit,& hœdis sumetis. Videtur etiam Ioannes euangelista cum Paulo cõsen- Ioan. 6.
tiens similia dubia habere his,quæ à nobis indagata sunt. Dicendum autem est ad hoc,si sermo factus est caro, & inquit Dominus:Nisi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius sanguinem,non habebitis vitam in vobis,& qui manducat meam carnem,& bibit meum sanguinem,habet vitam æternam,&ego resuscitabo eum in nouissimo die,caro enim mea verè est cibus,& sanguis meus verus est potus:qui manducat meam carnem,& bibit meum sanguinem, in me manet,& ego in illo:fortasse hanc esse carnem agni tollẽtis peccatum mundi,&hunc esse sanguinem,de quo ponere necesse sit super duo liminaria, & super vtrunque postem in his domibus,in quibus comedimus pascha. Atq; ex huius agni carnibus comedere oportet in mundi tempore, quod est nox, assas verò carnes esse manducandas cum pane & azymis:
Ioan. 6. quandoquidem Dei sermo non tantùm est caro. Inquit igitur:Ego sum panis vitæ:& hic est panis qui de cœlo descendit,vt qui ex ipso comederit:non pereat: ego sum panis qui de cœlo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ. Nec sanè ignorandũ est, omnem cibũ abusiuè panẽ dici,quemadmodum de Mose scriptum est in Deuterono- M
mio. Quadraginta diebus panem non comedit,& aquam nõ Deut. 9.
bibit,pro eo quod est,neque siccum,neque humidum gustauit cibum. Quod idcirco obseruaui,quia dicat Ioãnes in suo euangelio:Et panis etiam quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Cæterùm in intybis comedimus carnes agni, & azyma,vel cum nos pœnitet peccatorum nostrorum,& affligimur ea tristitia,quæ ex Deo est,quæque operatur nobis pœnitentiam,pœnitere nesciam in salutem,vel cum ob vexationes,& tormenta quærentes enutrimur ab ipsis veritatis speculationibus. Non comedẽda est igitur agni caro cruda, perinde ac faciunt literæ serui,more animantium ratione carentium,& sæuientium contra eos,qui idcirco ratione verè vtũtur,quia velint intelligere spiritualia, id quod ratione caret ferarum agrestium immutantes. Sed elaborandum est transmutanti cruditatem scripturæ ad coctionem, ne in aliquid humidius,& aquosius,& dissolutũ transmutet ea quæ scripta sunt:quod faciunt prurientes auribus, & à veritate quidem auertẽtes se ipsos ad remissam, & flaccidam viuendi rationẽ sua instituta transmutãtes. Nos verò feruẽti spiritu,& igniris sermonibus à Deo datis (quales Hieremias sumpserat ab eo qui sibi dicebat: Ecce ego dedi sermones meos in os tuum Hier. 5.
ignem) assas faciemus agni carnes:ita vt qui illas participent, dicant:

A dicant: Cor nostrum ardens erat, loquente in nobis Christo, & illud, quàm reserabat nobis scripturas. Quod si ad hãc rem opus erit nos quærere, vt assemus agni carnes igne, in mediũ afferenda erit confessio, vbi in sermonibus de passione Dei Hieremias dicit, Et factum est vt ignis comburens, & ardens in ossibus meis: & resoluar, & sustinere non possum. Incipiẽdum autem est, dum comedimus, à capite, hoc est à supremis & primariis dogmatibus de rebus supercœlestibus, & desinẽdum in pedes: nimirum in vltimas disciplinas, quærentes de vltima natura in entibus: vel de rebus materialibus, vel terrestribus, vel malis spiritibus & impuris dæmonibus. Nam fieri potest, vt sermo de ipsis diuersis existens ab illis sublimibus reconditus in mysteriis scripturæ, per pedes agni nominatus sit. Quin ab intestinis, & interioribus, & abstrusis non recedendum est. Sed ad scripturam totam perinde atque ad vnũ corpus accedamus oportet. Nec collacerandæ, discindendæque sunt, tum constantissimæ, tum fortissimæ harmoniæ totius compositionis ipsius, id quod fecerunt, qui quantum in ipsis est, vnius vnitatem spiritus, in omnibus scripturis existẽtem, collacerãt. Et sanè hæc prædicta ex agno prophetia, vna sola nocte tenebrarum, quę sunt in pręsenti vita, nos nutriat: tanquam enim exoriente die rerum post pręsentem vitá futurarum: sic nos nihil reliquum facere debemus de cibo solũ

Hier. 20.

B nobis in pręsentia vtili. Cum enim nox præterierit, ac superuenerit postea dies, azymum habentes haudquaquam ex veteribus, & ex his quę inferoè fermentant, panem comedimus nobis eousque profuturum, donec post azymum fuerit nobis datum manna: hoc est angelicus ille, & non humanus cibus. Ab vnoquoque igitur nostrum immoletur ouis in omni domo familię nostrę. Facile etiam factu sit, vt aliquis transgressor sit legis non mactans ouem, alio vniuersum seruante mandatum, mactante, & coquente, & os eius non confringẽte. Et sic, vt quàm breuissimè dicam, consonè apostolicę intelligentię, & euangelico agno designetur Christus esse immolatum pascha. Neque enim existimandum est historica historicorum esse figuras, & corporalia corporalium, sed corporalia spiritualium, & historica rerum quę mente percipiũtur: vt ascendamus oratione ad tertium etiam pascha perficiendũ in myriadibus angelorum: nimirum conuentu omnium celeberrimo & perfectissimo, atque ἐν μακαριωτάτῃ, hoc est beatissimo exitu, de quo disserere non est nunc necessarium: cum etiam hęc latius & copiosius, quàm lectio exigat, disputauerimus. Verùm, non imperuestigatum sinendum est, quomodo in propinquo erat pascha Iudæorum, quando erat Dominus simul cum matre, & fratribus, & discipulis in Capharnao. Atque in euangelio quidem secundum Matthæum dimissus à diabolo, cum aduenissent, ministratẽntque illi angeli, audissẽtque Ioannem traditum fuisse, secessit in Galilæam, & relicta Nazara profectus habitauit in Capharnao. Deinde

Ioan. 12.

C cum incepisset prædicationem, elegissẽtque quatuor piscatores apostolos, docuissẽtque in synagogis totius Galilęæ, sanassẽtque sibi allatos, in montem ascendit. Dicitque beatitudines, & quæ his sunt proxima. Cum verò finisset illam doctrinam, descendisset de monte, denuò Capharnaum ingreditur, indéque ingressus nauim, transit ad locum Gergessenorum, è quorum finibus rogatus decedere, cum nauim conscendisset, traiecit, & venit in ciuitatem suam, vbi quibusdã sanitate reddita circumibat ciuitates omnes, & vicos, docens in synagogis eorum. Aliáque quamplurima postea fiunt, antequam adnotet Matthæus paschatis tempus. Quin etiam apud alios euangelistas, postquam diuersatus fuisset in Capharnao Dominus, non inuenitur, quòd dicatur pascha esse in propinquo, quorum consilium seruare poterit, qui cogitarit quæ in superioribus de Capharnao disseruerimus, nempe dum ibi diuersaretur, in propinquo esse Iudæorum pascha, maximè quoniá in paschate Iudæorum inueniuntur in templu vendẽtes boues, & oues, & columbas: propter quæ etiam nõ additur, Domini, sed Iudæorum esse pascha. Vt enim domus patris facta est domus mercatus apud eos qui ipsam non sanctificabant: sic etiam pascha Domini factum est humanum, & Iudaicum pascha apud eos qui illud abiectius & corporalius elegerint. Cæterùm alias commodius videre erit, etiam quæ ad paschatis tempus pertinent, quod circa vernum æquinoctium contingit, & siquid aliud quæstio, de qua agitur, postulat expo- D nendum. Sanè Heracleon hæc magna, inquit, est festiuitas: figura enim passionis Seruatoris erat, quando non solùm interficiebatur ouis, verùm etiam comesa præberet requiem, & immolata quidem passionem Seruatoris in mundo significabat: comesa verò requiem futuram in nuptiis. Apposuimus autem verba ipsius, vt cum viderimus virum hunc tãtis in rebus nullo apparatu versantem, sed contemptim, & sine firmitate, magis ipsum despiciamus.

TOMVS VNDECIMVS.

Et ascendit Hierosolymam Iesus, & reperit in templo eos qui vendebant boues, & oues, & columbas, & mensarios sedentes: & cum fecisset flagellum è funiculis, omnes eiecit è templo: oues simul, ac boues, et mensariorum æs effudit, & mensas subuertit, & his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, nec facite domum patris mei domum mercatus. Recordati verò sunt discipuli eius scriptum esse, Zelus domus tuæ comedit me.

E

NOTANDVM quidem est Ioannem scribere secundũ Iesu opus fuisse repertos ab ipso vendentes oues, & boues, & columbas in templo, cum cæteri ferè in fine, vicinum illud faciant dispensationi illi, quæ erat tempore passionis, & Matthæus quidem sic. Cum intrasset Iesus Hierosolyma, commota est vniuersa ciuitas dicens, quis est hic? Turbæ autẽ dicebant. Hic est Iesus ille propheta à Nazareth Galilææ: & intrauit Iesus in tẽplum, & eiecit omnes vendentes, & ementes in templo, mensásque mensariorum, & cathedras vendẽtium columbas subuertit, & dicit eis: Scriptũ est, domus mea, domus precationis vocabitur: at vos facitis illã latronũ speluncam. At Marcus: Et veniũt Hierosolyma ingressúsque Iesus in templum, cœpit eiicere eos qui vendebant & emebant in templo: & mensas argentariorũ, sellásq́; vendentium colũbas subuertit: nec permittebat, vt quisquã deportaret vas per templum: & docebat dicens illis: Nónne scriptum est, domus mea, domus precationis vocabitur omnibus gẽtibus? Vos autem fecistis eam latronum speluncam. Lucas verò: Et vt appropinquauit videns ciuitatem, fleuit super illa, dicens: O si cognouisses & tu. Et quidem hoc die tuo, quæ ad pacem tuã pertinent, curares: nũc autem occultata sunt à filiis tuis, quia superuenient tibi dies, cum circundabunt te inimici tui vallo, & cingent te, & coangustabunt te vndique, & solo æqua- F bunt te, & filios tuos qui in te sunt. Et non relinquẽt in te lapidem super lapidem, eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Et ingressus in templum, cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes, dicens illis: Scriptum est, domus mea, domus precationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Præterea hoc etiam obseruandum est, quòd his quæ dicta sunt apud tres euangelistas in ascensu Domini ad Hierosolyma, in quo hæc fecit in templo, similia scripserit Ioannes post multa fuisse facta, nempe post alterum ipsius aduentum ad Hierosolyma à præsenti diuersum. Sunt autem hunc in modum cõsideranda: atque in primis quæ à Matthæo traduntur. Cum appropinquassent Hierosolymis, & venissent Bethphage ad mõtem oliuarum, tunc Iesus misit duos discipulos dicens eis: Ite in vicum, qui è regione vestri est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, soluite, & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicetis: Dominus his opus habet, & cõfestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt impleretur quod dictum est per prophetã dicentem: Dicite filiæ Sion: ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam, & pullum filium subiugis. Profecti autem discipuli, fecerũt sicut præceperat illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & insedit illis. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cædebãt ramos de arboribus,

Matth. 21.

Marc. 13.

Luc. 19.

Matt. 21.

G & sternebant in via. Porrò turbæ quæ præcedebant, & sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filii Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis. Deinde verò hæc sequuntur: Et cum intrasset ipse Hierosolyma, cõmota est vniuersa ciuitas: quæ in superioribus citauimus.

Marc. 11. Nunc verò verba Marci consideremus. Et cũ appropinquant Hierosolymis ad Bethphage, & Bethaniam iuxta montem oliuarum emittit duos è discipulis suis, & dicit illis: Abite in vicum qui è regione vestri est: & statim ingredientes in illum, inuenietis pullum alligatum, super quem nullus hominũ sedit: soluite eum, & adducite. Et si quis vobis dixerit cur facitis hoc, dicite quòd Dominus eo opus habet: & continuo illum mittet huc. Abierunt autem, & inuenerunt pullum alligatum iuxta ianuam foris in biuio, & soluunt illum. Et nonnulli eorum qui illic stabant, dicebant illis: Quid facitis soluentes pullum? At illi dixerunt eis, quemadmodum præceperat Iesus: & sinebant illos: & adduxerunt pullum ad Iesum, & iniecerunt illi vestimenta sua, seditque super illum. Multi verò vestimenta sua sternebant in viã. Et qui præcedebant, quique sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Benedictum quod venit regnũ nomine Domini patris nostri Dauid, Hosanna in altissimis. Et ingressus est Hierosolymam, & in templum Dominus, & cũ circunspexisset omnia, iámque tempus esset vespertinum,

H egressus est Bethaniam cum duodecim: & postero die, cum exisset Bethania, esuriit. Et ingressus in templum, cœpit eiicere vendentes, & quæ sequuntur hunc in modum à Luca narrata. Et euenit cum appropinquasset ad Bethphage, & Bethania iuxta montem, qui vocatur oliuarum, misit duos discipu-

Luc. 19. lorum suorum dicens: Abite in castellum, quod est ex aduerso, in quod introeuntes inuenietis pullum alligatum, in quo nemo hominum vnquam sedit, soluite, & adducite: & si quis vos interrogauerit, quare soluitis? Sic dicetis eis, quia Dominus eo opus habet. Abierunt autem qui missi erant, & inuenerunt sicut dixerat. Soluentibus autem illis pullum, dixerũt Domini eius ipsis: Quare soluitis pullũ? At illi dixerunt: Quia Dominus eo opus habet. Et duxerunt illum ad Iesum: iniectisque vestimentis suis super pullũ, imposuerunt Iesum. Proficiscente autem illo, substernebant vestimenta sua in via. Et cum appropinquaret iam ad descensum montis oliuarum, cœperunt omnis multitudo discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus dicentes. Benedictus rex, qui venit in nomine Domini. Pax in cœlo, & gloria in altissimis. Et quidam pharisæorum è turba dixerunt illi. Magister increpa discipulos tuos: quibus re-

Ioan. 2. spondens ipse ait, Dico vobis, si hi tacuerint, lapides clamabunt. Et vt appropinquauit intuitus ciuitatem fleuit super illa, & quæ sequuntur à nobis posita. Atque Ioannes post illud:

I Ascendit Iesus Hierosolymam, & reperit in templo vendentes oues, & boues, pluribus interiectis alterum Domini enarrans ad Hierosolymam ascensum (post eam cœnam, quę Bethaniæ fuit, ante sex dies paschatis, in qua Martha ministrabat

Ioan. 12. Lazaro accumbẽte) hæc inquit. Postero die turba multa, quæ venerat ad diẽ festum, cum audisset, quòd veniret Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerũt obuiam ei, & clamabant. Osanna benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israelis. Nactus autem Iesus asellum insedit ei, sicut scriptum est, Ne metue filia Sion: ecce rex tuus

Zach. 9. venit, sedens super pullum asinæ. Porrò hæc me necessariò fecisse reor, etiam si quàmplurima euangelistarum verba citarim, vt ostenderem dissonantiam, quæ est in textu. Tribus quidem in vno, eodémque Domini ad Hierosolymam aduentu dicentibus ea, quæ multi existimant eadem esse cum his, quæ Ioannes etiam scripserit, Ioanne verò hæc, quę exposuimus, referente facta fuisse in duobus Domini ascensibus ad Hierosolymam, atque diuersis, distantibúsque actionibus: enarrante etiam Dominum interim ad diuersa loca profectum fuisse. Itaque meum est iudicium minimè ostendi posse apparentem dissonantiam, consonam existere his, qui in hisce rebus, nihil, præter historiam admittunt, quòd siquis nos rectè non exposuisse retur, contra hanc nostram intelligentiam prudẽter scribat. Cæterùm postulantes ab eo, qui dat omni petenti, & omni conanti acutè quærere, itémq; eum pulsantes, vt nobis aperiantur, scientiæ clauibus, occulta scripturę, iuxta vires nobis suppeditatas exponemus, quæ nos monent ad bonam concordiã, cũ primis vidẽtes Ioannis textum incipiente ab illis verbis. Et ascendit Iesus Hierosolymã. K

Est igitur Hierosolyma, vt ipse Dominus docet in euangelio secundum Matthęum, ciuitas regis magni non in cõualle, vel infernè alicubi posita, sed in alto monte ædificata, ac montes in circuitu eius, cuius participatio eius in idipsum. Et illuc ascenderunt tribus Domini testimonium Israeli. Vocatur etiã hæc ciuitas Hierusalem, ad quam nullus eorum, qui manent in terris, ascendit, neque ingreditur, sed quælibet anima, quæ naturalem habet celsitudinem, vimq; acutè intelligendi, perspiciendique intelligibilia, huius ciuitatis est ciuis. Fieri etiam potest, vt in peccato sit etiam Hierosolymita: quòd possint etiam optimo ingenio præditi peccare (ni celerius post peccatum redeant) perdentes aptitudinem illam, & futuri in vna earum ciuitatum, quæ alienæ sunt à Iudæa, non solùm aduenæ, verùm etiam in ea nomen suum daturi. Ascẽdit igitur Iesus Hierosolymam, postquàm opem tulisset his, qui erant in Cana Galilææ: ac deinde Capharnaum descendit, facturus Hierosolymis, quæ sunt scripta. Reperit ergo in tẽplo (quod & domus patris Seruatoris esse dicitur) hoc est in ecclesia, vel in annunciatione ecclesiastici, & sani sermonis, quosdam, qui domum patris, domum mercatus facerent. Ac semper aliquos reperit Iesus in templo. Quando enim in ea, quæ dici- L tur ecclesia, quæ est domus Dei viuentis, columna, & firmamentum veritatis, non sunt aliqui mensarij sedentes, quibus opus sit plagis ex flagello è funiculis à Iesu facto? Rursus quãdo non sunt argentarij, quibus sit opus illorum æs effundi, ac mensas ipsorum subuerti? Quando item non sunt, qui mercatorum more vendunt boues, quos oportuit seruare ad aratrum, vt iniectis ad ipsum manibus, nec ad posteriora conuersi, regno Dei sint apti? Sed quando non sunt præferentes mammonam iniquitatis ouibus, quarum causa efficitur, vt ipsi honore honestentur? Sunt etiam complures, qui syncenitatem, & puritatem priuatam omni amaritudine, & bili spernant, etiam lucri infelicis causa prodentes diligentiam eorum, qui tropicè columbæ dicuntur. Cum igitur reperit Seruator in templo (quod est domus patris) vendentes boues, & oues, & columbas, & mensarios sedentes, expellit illos (vsus flagello è funiculis à se facto) vnà cum ouibus, bobúsque venalibus, ipsorum etiam pecunias congregatas effundens, tanquam indignas, quæ simul tenerentur, & ipsorum inutilitatem ostendens. Subuertit etiam (quæ in auarorum erant animis) mensas, dicens his, qui columbas vendebant. Auferte ista hinc, ne post hac in templo Dei vendantur. Arbitror verò ego Iesum ipsum edidisse signa, per ea, quæ dixit, profundius, vt nos intelligeremus significari per hæc, quòd non amplius in posterum perficiendus esset cultus à sacerdotibus in templo illo, iuxta cultus sub sensum cadentes: neque legem seruari posse amplius constanter, saltem vt volebant corporales Iudæi. M

Neque enim expellente Iesu boues, & oues, iubentéque inde auferri columbas, futurum erat, vt in multum temporis immolarentur boues, & oues, & columbæ, iuxta Iudæorum morem. Sic Iesu effundente nomismata, quæ figurabant homines corporales non habentes Dei formas, & impressiones, legis constitutio, quæ veneranda esse videbatur, propter occidentem literam dissoluenda, effundendáque erat, & aduenienre Iesu, atque vtente aduersus populum flagellis, transferendum erat sacerdotium ad eos, qui ex gentibus credidissent in Deum per Christum à Iudæis, à quibus etiam auferendum regnum Dei dandum erat genti facienti fructus eius. Fieri verò etiam potest, vt naturaliter Dei templum sit anima rationi obtemperans: corpore superior propter ingenitam sibi rationem existens, ad quam è Capharnao infernè posita (nimium in humilioribus) ascendit Iesus: in qua reperiuntur terreni (antequàm à Iesu erudiatur, castigetúrque) & fatui, & bestiales motus, atque ea, quæ nos (cum non sint) in bonis ducimus, quæ expelluntur à Iesu, ratione contexta ex dogmatibus demonstratiuis, & obiurgatoriis, ne anima domus patris sui sit amplius domus mercatus, sed recipiat

Dei

A Dei cultum, qui peragitur iuxta cœlestes, spiritualesque leges, tùm pro sua, tùm pro plurium salute. Motuum sanè terrenorum nota est bos, cum sit agricultor, fatuorum, & bestialium ouis, quoniam præ omnibus brutis, seruile est animal: leuium verò, & instabilium cogitationum columba, eorũ verò, quæ in bonis ducimus, numismata. Quòd si quis expositione hac offenditur, quia pura sint animalia, quæ in scripturam fuêre assumpta, dicendum est dubiæ fidei futuram scripturam secundum contingentem historiam, si narraret ingressa fuisse alia animalia etiam ad mercaturam, præter ea, quæ immolabantur, quòd dici non posset aliorũ animalium gregem, præterquàm purorum, fuisse in templo Dei. Quapropter euangelista, iudicio meo, vsus est re illa, quam mercatores fecere, qui aduenerant temporibus Iudaicarum festiuitatum, induxerántque animalia hæc in templi vestibulum exterius. Porrò cui curæ est accuratior inquisitio, cõsiderabit, an iuxta dignitatem præsentis vitæ erat, vt Iesus rem talem auderet facere: extrudere videlicet mercatorum multitudinem, qui ad diem festum ascenderãt, distributuri boues ditioribus, & tanto populo oues mactandas per domos familiarum, quæ multorum millium complerẽt numerum: atque eos, qui in rebus talibus
B gloriantes producturi in medium erãt columbas, quas multi empturi erãt, ceu in cõuentu celeberrimo conuiuaturi. Considerabit hic etiam, an numulariorum erat, nõ accusare Iesum contumeliosè propter suas ipsorum effusas pecunias, & mensas subuersas. Quis autem flagello è funiculis verberatus expulsúsque ab eo, qui penes eos habebatur vilis, hunc adortus non inclamasset, totis viribus sese vlciscens? Cum præsertim tantam haberet multitudinem eorum, qui sibi æquè contumeliam fieri credebant, fauentem sibi aduersum Iesum? Insuper consideremus Dei filium funiculos sumentem, sibique flagellum texentẽ ad extrudendũ è templo, an nõ repræsentet præter audaciã, & temeritatem, inordinatum etiam quiddam. At verò vnum relinquitur defensionis suffugium contra hæc volẽti etiam historiam seruare. Vis quædam Iesu diuinior, qui poterat, cum vellet inflammatum inimicorum animum extinguere, & multa hominum millia superare gratia diuina, & cogitationes tumultuantium dissipare. Dominus enim dissipat consilia gẽtium, & spernit cogitationes populorum, consilium autem Domini in sempiternum præstat, adeò vt historia præsentis loci (si tamen hæc facta fuit) ostẽdat nullis quãtumlibet admirabiliter ab ipso factis, atque inuitantibus ad fidem eos, qui viderunt, virtutem nunc editam minorẽ fuisse: quam etiam maiorem pronunciare possumus, quàm quod in
C Cana Galilææ sit aqua in vinum mutata, nimirum quòd illic inanimem materiam mutauerit, hoc verò in loco tot myriadum ingenia, præstantissimásque animæ partes subiugarit. Cæterùm obseruandum est matrem Iesu dici adesse nuptiis, vocatúmque fuisse Iesum cum discipulis suis, neminem verò præter Iesum numerari Hierosolymam ascendisse. Viderique discipulos etiam adfuisse, quandoquidem recordati sunt scriptum esse, Zelus domus tuæ comedit me. Ac fortasse in singulis discipulis erat Iesus Hierosolymam ascendens, quo circa non dictum est: ascendit Iesus Hierosolymam, & discipuli eius: quemadmodum descendit Capharnaum ipse & mater eius, & fratres, & discipuli eius. Sed iam cognata huic loco (nimirum quòd eiecti fuerint è templo, qui illud facerẽt domum mercatus) apud cæteros posita consideranda sunt. Ac sanè videamus in primis, quæ sunt apud Matthæum, dicentem: Ingresso Domino Hierosolymam, cõmotam fuisse vniuersam ciuitatem, dicentem: Quis est hic? narrantémque ante hæc de asina & pullo sumptis iussu Domini à duob' discipulis ab eo missis à Bethphage. Et inuentis in vico è regione
Matt. 21. ipsius existente. Vbi & à duobus discipulis soluitur asina antea alligata: iussis si quis quid illis dixisset respondere: Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Narrat etiam Matthæus per hæc impleri prophetiam factam, dicentem: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam, & pullum filium subiugis, quam apud Zachariam inuenimus: & inquit profectos discipulos, cum fecissent quæ illis iussisset Iesus, asinam adduxisse, & pullum, atque imposuisse super eos vestimenta sua: Dominúmque illis (nimirum asinæ, & pullo) insedisse: tùm scilicet, cum turba strauit vestimenta

Orig. tom. 2.

in via, & alij ab arboribus resectos ramos in via sternerent, D præcedentibus, ac sequentibus turbis, quæ clamarent, Osanna fili ô Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in altissimis. Verumtamen postquam ingressus est horum gratia Hierosolymam, commota est vniuersa ciuitas dicens: Quis est hic? Et turbæ videlicet, quæ præcedebant, & sequebantur, responderunt interrogantibus, dicentes: Hic est ille Iesus propheta: ille à Nazareth Galilææ: & intrauit Iesus in templum Dei, & eiecit omnes vendentes, & ementes in templo, mensásque mensariorum, & cathedras vendentium columbas subuertit, & dicit eis, scriptum est, domus mea, domus precationis vocabitur, at vos facitis illam speluncam latronum. Interrogemus igitur eos, qui nihil vltra historiam propositum fuisse tentur Matthæo euangelium scribenti, quid illud erat perurgens vt mitterentur duo discipuli in vicum, qui erat è regione Bethphage, asinam alligatam repertam, & pullum cum ea soluturi, & adducturi ad eum. Quid autem scriptione dignum fecit Iesus asinæ insidens, & pullo, & ingressus ciuitatem? Cur autem prophetans Zacharias quæ de Christo postea euenerunt: gaude valde filia Sion (inquit) annuncia filia Hierusalem. Ecce rex tuus venit tibi iustus, & seruans, mansuetus, & ascendens super subiugum, & pullum nouum? Nam si prophetia hæc tan- E
tum prædicit id, quod Euangelistæ corporaliter repræsen- Zach. 9.
tant, consequentiam prophetiæ seruent nobis, literæ insisten-
tes, sic habentem. Excindam currus Ephraim, & equum ex Zach. 9.
Hierusalem, & excindetur arcus bellicus, & multitudo: & pax ex gentibus, & imperabit aquis vsque ad mare, & à fluuiis vsque ad exitus terræ. Et quæ sequuntur. Sciendum est etiam Matthæum non protulisse textum, prout iacet apud prophetam, pro eo nanque quod erat, exulta vehementer filia Sion, annuncia filia Hierusalem, fecit. Dicite filiæ Sion, abbreuians illud, quod propheta dixerat, tacuit, & iustus, & seruans ipse, cum dixisset, vt positum est, mansuetus, & ascendens. Et pro eo quod erat, super subiugũ, & pullum nouum, inscripsit, super asinam, & pullum filium subiugis. Quin Iudæi quoque prophetiæ seriem cum his, quæ de Iesu scripta sunt, conferentes, non vulgariter nos vrgent: petẽtes, quomodo Iesus exciderit currus ex Ephraim, & equum ex Hierusalem, exciderítque arcum bellicosum, ac fecerit quæ sequuntur. Sed hactenus quidem de prophetia, quòd si longitudinem viæ prætendent, nihil dignum inuenientes œconomia filij Dei in sermone de asina, & pullo, primùm, quidem, qui quindecim stadiis vtuntur existentibus parua distantia, non admodum consentaneam defensione viæ afferent, deinde verò causam nobis dicãt, quomodo ad viam tàm breuem duobus iumentis opus habeat, insedit enim, inquit, illis. Præterea illud etiã, si quis vobis aliquid dixerit, dicite quòd Dominus his opus habet: statímque dimittet eos, nõ arbitror di- F
gnum esse diuinitate filij Dei: vt dicamus tali naturę fatẽdum esse sibi opus esse asina soluta à vinculis, & pullo cum ea veniẽte. Magnum enim omne sit oportet, dignúmque bonitate eius, quo filius Dei opus habeat. Ad hęc verò plurima turba vestimenta sua sternens in via (tolerante hęc Iesu, & non increpante) vt perspicuum est ex his, quę alij narrant (nimirum si hi tacuerint, lapides clamabũt) haud scio, an non ostendant stolidam causam ipsius (si nihil aliud ex his declaratur) qui ob hęc lętatur. Iam ramos ab arboribus excisos in via sterni asinis pertrãseuntibus, & impedimenta anteponi iniuria potius afficientis, quàm excogitata laus videri potest. Cęterùm his similia, de quibus dubitauimus eorũ causa, qui è templo eiecti fuêre ab ipso, atq; etiam maiora hoc in loco dicenda sunt. In Euangelio enim Ioannis ementes eiicit, dicente Mattheo, omnes eum eiecisse tum vendentes, tum ementes in templo. Longè autem maior, vt probabile est, ementium, quàm vendentium erat numerus. Notemus etiam, an nõ supra dignitatem Iesu erat, qui putabatur filius esse fabri, omnes è templo eiicere vendentes, & emẽtes, nisi fortè, vt etiam illic diximus, potentia diuiniore subegit omnes: qui acerbiora apud alios Euangelistas, quàm apud Ioannem, audiunt. Nam narrante Ioanne illis dictum fuisse à Iesu, nolite facere domum patris mei, domũ mercatus, apud alios redarguuntur fecisse domum precationis speluncam latronum, nequeunte domo pa-

s

G tris fieri spelunca latronum, sed eousque à peccatoribus ad-
ducta, vt ipsa fiat mercatus domus. Non tantùm verò (preca-
tionis omnino patris domus cum sit) neglecta lartones etiam
suscipiet, domus illorum nun existens, sed etiam spelunca ef-
ficietur, res minimè facta à diligentia architectonica, & ra-
tionis compote. Atque hæc quidem videre, quomodo se ha-
1.Cor.2. beant, mente, atque intelligẽtia vera data his, qui dicunt: Nos
autem mentem Christi habemus, vt videamus, quę à Deo do-
Principale nata sunt nobis, esse credimus supra captum nostrum. Neque
anima. enim ea animæ para præstantissima, principatum quam vo-
Cantic.1. camus, in nobis est pura: sed nec oculi quidẽ puri sunt, quales
oportet esse oculos pulchrę sponsæ Christi, de quibus inquit,
sponsus: oculi tui columbarum: fortasse innuens vim acutæ
intelligentiæ, quam habent spirituales, propterea quòd etiam
super Dominum, atque super singulos ipsum habentes, spiri-
tus sanctus, sicut columba aduenit: attamen sic etiam affecti
non tardabimus contrectantes dictos vitæ sermones, pericu-
lum facere percipiendi vim ipsorum diffluentem in eum, qui
cum fide tetigerit. Est igitur Iesus Dei sermo, qui ingreditur
in animam, quæ vocatur Hierosolyma: vectus asina, quam di-
scipuli à vinculis soluerunt, vectus inquam asina, hoc est lite-
ris veteris instrumenti simplicibus, quas explanarunt, illos
soluentes discipuli duo: altero ad animę medelam reducente
ea, quæ scripta sunt, eiúsque gratia per allegorias illa tractan-
te, altero futura, eáque vera bona per ea, quæ in vmbra posita
Allegoria. erant, edocente. Sed vehitur etiam nouo pullo, hoc est nouo
instrumento. In vtrisque enim inuenire licet veritatis sermo-
H nem nos purificantem, expellentémque cogitationes omnes
in nobis vendentes & ementes. Solus autem ad Hierosoly-
mam, animam non venit: sed neque cum paucis quibusdam:
multa enim sint in nobis oportet præcedẽtia sermonem nos
perficientem, aliáque quamplurima ipsum sequentia, nimi-
rum omnia ipsum laudantia, & glorificantia: propriúmque
ornamentum, ac vestem ipsi supponentia, quo vehicula ipsius
terram non tangant, habentia eum, qui è cœlo descendit, in
se requiescẽtem. Vt autem magis sint supra terram ipsum ve-
hentes, nimirum scripturarum sermones, noui & veteres, ex-
cindantur rami de arboribus oportet, vt ascendant super ea,
quæ rationi conuenienter sunt exposita. Cæterùm præceden-
tes ipsum, ac sequentes turbæ declarare possunt angelicas co-
operationes: aliquibus quidem præparãtibus illi viam in ani-
mabus nostris, quibus ipsi honestẽtur, aliquibus verò aduen-
tum ipsius intra nos sequentibus. Qua de re sæpius cum dis-
seruerimus, nũc ad hoc testibus non egemus. Ac fortasse non
ab re assimilaui asinæ voces, quæ circunsteterunt sermonem
ducentes ipsum ad animam. Nam & animal est asina onera
gestans, & multũ ponderis, onúsque graue, declaratur ex scri-
ptura, præsertim veteris instrumenti, vt perspicuum est inspi-
I cienti, quæ apud Iudæos fiunt. Sed non sic pullus, vt asina, ge-
stat onera, quamuis enim graue sit omne onus literæ non va-
lentibus id, quod spiritus habet, sursum tẽdens, ac leuissimum
capere, minus tamẽ oneris habet instrumentũ nouum, quàm
vetus. Proinde quosdam noui, qui asinam quidem alligatam,
esse interpretarentur ex circũcisione credentes, quos à multis
vinculis soluissent hi: qui sincerè per filium Dei spiritualiter
edocti fuere, pullum verò gentiles: qui antequam Iesu sermo-
nem susciperent, extra omne impositum iugum existentes,
nullo coërcebãtur freno, sed soluti erant, ac voluptatis aman-
tes. Quamuis autem hi non dissetuerint de pręcedentibus, &
sequentibus turbis, non improbabile tamen fuerit dicere prę-
Typus Iu- cedentes esse Mosen, & prophetas: sequentes verò sanctos
dæorum & apostolos: de quibus omnibus, quam ingrediantur Hieroso-
Gentium. lymam, & in quam domum habentem multos vendentes, &
ementes expulsos à filio Dei, quantum ad hunc sermonem
spectat, quærendum est. Ac fortassis hæc est illa quæ sursum
est Hierusalem, ad quam ascendet dominus, more aurigæ re-
geos, tum ex circuncisione, tum ex gentibus credentes præ-
cedentibus ipsis, ac sequentibus vel prophetis, & apostolis,
vel ministrantibus ipsi angelis (nam possunt sic declarari ex
præcedentibus, & sequentibus ipsum, vt nunc dicitur,) quæ
habebat ante ascensum ipsius eos spiritus, qui spirituales astu-
Eph.6. tiæ in cœlestibus dicuntur. Vel Chananæos, & Chettæos, &
Amorræos, & hostes populi, & omnino alienos, cum illic

etiam aliquo modo impleri posset prophetia dicens: terra K
vestra deserta, ciuitates vestræ igni succensæ, ipsam regionem
vestram alieni deuorãt: hi enim sunt, qui cœlestem patris do-
mum, Hierusalem sanctam, domum precationis inquinantes, *Esa.1.*
speluncam etiam fecerunt latronum. non aliorum, quàm sui
ipsorum, qui argentum habent adulteratum, dantes acceden-
tibus obolos, & collyba, vilia, & contemptibilia nomismata.
Hi sunt, qui dum cum animabus luctãtur, preciosiora ab illis
auferunt, deprædantúrque pręstantiora, vt dent ea, quæ nul-
lius sunt precij. Attamen profecti discipuli, inueniunt asinam
alligatam, & non habentem Iesum, propter impositum legi
velamen, & soluunt. Quin inuenitur, & pullus cum ea: quo-
niam vtraque ante Iesum perierant: dico autem tam eos, qui
ex circuncisione, quàm eos, qui ex gentibus postea credide-
runt. Verùm enimuero dicere quomodo mox rursus hi mit-
tuntur, postquam insidens asinæ dominus Hierosolymam
ascendit, dici non potest sine periculo, res alioqui mystica, &
mutationi sanctorum in angelos coniuncta, mittendos in fu-
turo seculo, perinde atque illi administratorij spiritus, qui
mittuntur in ministerium eorum, qui hæreditatem sortiẽtur
vitæ æternæ propter hæc. Quòd si asina & pullus, literæ ve- *Hebr.1.*
teres, & nouæ sunt, quibus sermo ille Dei vehitur, haud ad-
modum difficile fuerit ostendere, postquam insederit super
illis sermo, & postquam ingressus fuerit Hierosolymã, quo-
modo remittantur non manentes inter eos, qui eiecerunt à se
cogitationes omnes vendentes, & emẽtes. Arbitror verò ego
non frustra etiam vicum, eúmque sine nomine esse locum L
hunc, vbi alligata asina erat, & pullus. Vicus enim comparan-
tione totius ornatus, qui est in cœlo, vniuersa est terra, vbi est
alligata asina, & pullus: & vicus contentus vocari absque ad-
iectione alterius nominis. A Bethphage verò Matthæus in-
quit missos fuisse, qui assumerent asinam, & pullum. Sanè hęc
Bethphage locus est, quem (si interpreteris) vocare possis do-
mum maxillarum sacram. Et hæc quidem habuimus, quæ
differeremus pro virili de his, quæ sunt apud Matthæum, ple-
niorem, atque accuratiorem sermonem habituri, nacti com-
modiorem occasionem interpretãdi Euangelium à Matthęo *Confert D.*
traditum. At Marcus, & Lucas pullum alligatum, super quem *Marcũ cum*
nullus hominum sedisset, repertum dicunt iuxta Domini ius- *D.Luca.*
sionem à duobus discipulis: quem solutum ad Dominum du-
xerint. Addit autem Marcus repertum pullum alligatum ad
ianuam foris in biuio, sed quis foris erat nisi gentiles? extranei
à testamentis, & alieni à promissione Dei? In biuio non sub
tecto, domóue acquiescentes, proptis peccatis vincti, & so-
luti à prædicta duplici scientia familiarium Iesu. Vincula verò
alligatæ asinæ, & peccata facta circa sanam doctrinam redar-
guta ab ipso, qui erat ianua vitæ (respectũ illius ianuæ vitæ)
non erant intra ianuam, sed foris. Nam fortassis intra ianuam
fieri nequit vinculum vinositatis. Steterunt autem, vt Marcus
scribit, quidam apud alligatum pullum, nimirum qui ligaue-
runt ipsum, vt Lucas scribit: dixerúntque pulli Domini ad di- M
scipulos: cur pullum soluitis? Domini enim qui subiecerant,
& ligauerãt peccatorem, iniqui, & exleges sunt, qui respicere
nequeunt in verum dominum liberantem pullum à vinculis
ipsorum. Quoniam ergo inquiunt discipuli: Dominus illo
opus habet, nihil valentibus prauis dominis respondere, du-
cunt ad Iesum pullum nudum, & substernunt proprium or-
namentum, vt iniectis vestimentis discipulorum, insidens Ie-
sus quiescat. Cætera ex his, quæ dicta sunt apud Matthæum
non admodum obscura erunt. Nempe quónam pacto veniũt
Hierosolyma, & ingressus templum cœperit eiicere vẽdentes
& emẽtes è templo: vel vt appropinquauit intuitus ciuitatem
fleuit super illam, cumq; ingressus esset templũ, cœpit eiicere
vendentes. In aliquibus etenim habentibus in se templum,
eiicit omnes vendentes, & ementes in tẽplo, in aliis verò non
admodum parentibus sermoni Dei, tantũ facit initiũ eiicien-
di vendentes, & ementes. Præter hos verò sunt etiam tertij,
in quibus cœpit eiicere tantũ vendentes non etiam ementes.
Verùm apud Ioannem omnes eiiciuntur flagello ex funicu-
lis plicato vno cum ouibus, & bobus. Inspice verò diligen-
ter an alterationes rerum scriptarum, dissonantiæque dissolui *Conciliatio*
possint tropo anagogico: nimirum vnoquoq; Euãgelistarum *anagogica*
diuersas actiones τοῦ λόγου, hoc est filij Dei, describente in *præcedetiũ*
diuersis

A diuersis animarum moribus: non eadem, sed similia quædam perficientes. Quin differentia etiam illa, quæ videtur esse de ascensionibus domini ad Hierosolymam apud Ioannem, qui Euãgelium, quod in manibus habemus, aliter quàm tres, scripsit, vt exposuimus in verbis ipsorum, sic solum seruari potest, Ioanne similia asserente, & dicente: excisis ab arboribus ramis, vel frõdibus ex agris, & stratis in via, ramos palmarum multam turbam, quæ venerat ad diem festum, accepisse, & processisse obuiam ei clamãtem: benedictus qui venit in nomine domini, & rex ille Israelis. Cæterùm ab ipso Iesu inquit Ioannes repertum asellum, super quem sedit Christus: maius quiddam nobis ob oculos ponens per hunc asellum sic tropicè dictum: qui beneficium maius accepit non ab homini-
Ioan. 12. bus, neque per homines, sed per Iesum Christum. Quin ne Ioannes quidem ipse protulit prophetiam iisdem verbis, sed
Zach. 9. pro ea dixit. Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ: pro eo, quod est: ascendens super sobiugalem, & pullum nouum. Illud verò noli timere filia Sion, haud quaquam dictum est. Verùtamen cum exposuerint omnes propheticum sermonem, videamus, an non necessariò
Discrimen inter filiam Sio & Hierusalem. gaudendum sit filiæ Sion: atque hac præstantiori filiæ Hierusalem, non solùm valde gaudere, verùm etiam prædicare necesse sit regem suum aduenientem, iustum, & seruantem, & mansuetum, eo quòd super subiugalem, & pullum nouum ascenderit. Quisquis igitur ipsum receperit, non in posterum formidabit diuersæ sectæ homines, eloquentiæ viribus arma-
B tos, qui currus Ephraim dicuntur, & à Deo excindi: quique multos lædunt, Hierusalem habitare, & intendere volentes sanæ doctrinæ. Non formidabit etiam equum fallacem ad salutem, hoc est, desiderium insanum, & rebus sub sensum cadentibus familiare. Adhæc gaudere dignum est, eo quòd ab eo excindatur arcus bellicus, qui vehitur super subiugalem, & pullum nouum, non valentibus amplius inimici igni-tis sagittis aduersus eum, qui receperit Iesum in suum templum. Erit autem in Hierusalem multitudo ex gentibus cum pace, Seruatoris aduentu, imperatoris aquis, vt conterat capita draconum in aqua, & vt calceetur vndę maris à nobis perue-
Mar. 11. nientibus, vsque ad exitus fluuiorum omnium, qui sunt super terram. Cæterùm quod Marcus de pullo scribens à domino dictum fuisse inquit: Super quem nemo vnquam hominum sedit, innuere mihi videtur, quòd hi, qui postea crediderunt, nunquam rationi antea se ipsos subdidissent, quàm Iesus inter ipsos adueniret. Nam fortassis hominum nemo vnquam insederat pullo, cum alioqui ex feris, vel ex his potestatibus, quæ à ratione alienæ erant, aliquæ insedissent. Quandoquidem diuitiæ aduersariarum potentiarum etiam apud Esaiam prophetam super asinos, & camelos ferri dicantur in tribula-
Esa. 30. tione, & angustia. Leo, & catulus leonis, inde etiam volantia genimina viperarum, ferentium super asinos, & camelos di-
C uitias suas. Proinde rursum interrogandi sunt, qui nudæ literæ sunt intenti, an non iudicio suo frustra scriptum fuisse videatur, super quem nemo vnquam hominũ sedit. Quis enim, pręter hominem, super pullos asinorum sedet? & nos quidem
Heracleon hæreticus. sic. Videamus verò quæ Heracleon dicat inquiens: Domini ascensum ad Hierosolymam, significare ascensum à materialibus ad animalem locum, imaginem existentem Hierosolymæ. Illud etiam inuenit in templo, non dictum fuisse existimans de locis supernis, ne intelligeremus vocationem solam, sine spiritus ope adiuuari à domino, existimat enim templum esse sancta sanctorum, in quæ solus summus pontifex ingrediebatur, quò etiam proficisci spirituales arbitror illum dicere: vestibulum verò (vbi etiam leuitæ erant) arbitratur notam esse earum animarum, quæ inueniuntur in salute extra pleroma. Adhæc inuentos in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & sedentes mensarios, dici exposuit pro his, qui nihil gratiæ tribuunt, sed mercatura, putant, & lucrum, ingressum extraneorum in templum: victimas proprij lucri, & auaritiæ causa ad cultum Dei suppeditantes. Quin enim Iesum è funiculis fecisse flagellũ, non ab alio illud accepisse, suo more pronunciat: flagellum imaginẽ esse dicens potentiæ, & actionis spiritus sancti, efflantis, & expellentis malos, & inquit flagellum, linum, sindonem, & cætera talia, imaginem esse potentiæ, & operationis spiritus sancti: postea sibi assumit, quod

scriptum nõ est: nimirum quòd flagellum ad lignum ligatum D
erat: quod lignum interpretatus est figuram esse crucis, & inquit, hoc ligno consumptos, & deletos aleatores, mercatores, omnémque malitiam. Nec scio quomodo nugãs dicat flagellum ex hisce duabus rebus paratum fuisse, quęrens quomodo à Iesu factum fuerit illud. Neque enim ex pelle, inquit, mortua illud fecit, vt ecclesiam præpararet nõ amplius speluncam latronum, & mercatorum, sed domum patris sui. Dicendum est etiam id, quod maximè est necessarium de diuinitate ex hoc contextu ipsi Heracleoni. Nam si templum, quod Hie- *Idem Deus*
rosolymis erat, domum proprij patris dicit esse Iesus, factúm- *& patrum*
que fuerat templum illud ad gloriam eius, qui cœlum, ter- *& Christi.*
rámque creauit, quomodo non statim edocemur, non putare filium Dei alicuius alterius filium esse, quàm eius, qui cœlum, terrámque condidit? Ad hanc ergo domum patris Iesu, tanquam existẽtem domum precationis, etiam Christi Apostoli (vt in illorum actis inuenimus) ab angelo iubentur profecti
stare, & loqui populo omnia hæc vitæ verba. Quin etiam per *Act. 5.*
portam speciosam illic precaturi, veluti ad domũ precationis proficiscũtur: haudquaquã hæc facturi, nisi ipsum eundẽ cum eo nouissent Deum, qui adorabatur ab his, qui templũ illud
Deo consecrarant. Quocirca obedientes Deo, magis quàm *Act. 5.*
hominibus Petrus, & Apostoli dicunt. Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem vos interemistis suspensum in ligno: non enim ab alio Deo sciunt excitum Iesum è mortuis,
nisi à Deo patrum: quem Christus glorificans, Abraham, & *Matt. 22.*
Isaac, & Iacob Deum dicit esse, non mortuorum, sed viuen-
tium. Atque etiam quomodo discipuli, si domus non fuisset E
eiusdem Dei cum Deo Christi, recordati fuissent verborum illorum: zelus domus tuæ comedit me, quæ dicuntur in psalmo sexagesimo octauo. Sic enim ponitur in propheta, comedit, tempore præsenti, & non comedet tempore futuro. Dili-
git autem eximiè Christus domum Dei in vnoquoque no- *Psal. 68.*
strum, nolens ipsam fieri domum mercatus: neque volens, vt domus precationis spelũca fiat latronum: quippe qui Dei zelantis sit filius, si candido animo tales scripturarum voces audimus, à rebus humanis per metaphoram desumptas, ad demonstrandum, quòd Deus nolit alieni quicquam à volontate sua admisceri animæ, omnium quidem hominum, sed pręcipuè eorum, qui admittere volunt diuinissimam fidem. Attamen sciendum est, psalmum octauum, & sexagesimum habentem, zelus domus tuæ comedit, & post pauca: Dederunt in escam meam fel, & in siti potauerunt me aceto (quæ vtraque in Euangeliis sunt scripta) ex persona Christi dici, nullam personæ loquentis ostendentem mutationem. Valde etiam inobseruãter Heracleon illud, zelus domus tuæ comedit me, dici putat ex persona earum potentiarum, quæ eiectæ fuerũt, & consumptæ à Seruatore, non valens seriem prophetiæ seruare: nam nobis intelligentibus hæc ex eiectarum, & cõsumptarum potentiarum persona dici, consequẽs est iudicio suo, vt ab illis etiam dicãtur verba illa: Dederunt in escam meam
fel, quæ in eodem scripta sunt psalmo: sed (vt probabile est) F
illum turbauit vox, comedit (perinde quasi à Christo dici non posset) non videntem morem scripturarum hominum affectus Deo, & Christo tribuentium.

TOMVS DVODECIMVS.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quòd ista facias? Respondit Iesus, & dixit eis: destruite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud.



ORPORIS amantes, ac rerum, sensibilium, omne iam mihi videntur innui Iudæi: qui ægrè ferentes expulsos fuisse à Iesu, qui domum patris faciebant domum mercatus, rebus ab ipso gestis signum postulãt, ex quo signo filius Dei, quem illi non recipiunt, videatur hæc decenter facere. Sed coniungens Seruator sermonem de corpore suo, perinde quasi loqueretur de templo illo, interrogantibus, quod signum ostendis, quòd hæc facias, respondet: Destruite tem-

G plum hoc, & in tribus diebus erigam illud. Nam etiam si vel
alia decem signorum millia potuisset ostendere, certè ad il-
lud: quòd hæc facias, nullum aliud ostendere poterat: proin-
de mentionem templi fecit, pro signis à templo diuersis. At-
tamen vtraque tum templum, tum corpus Iesu iuxta vnam
intelligentiam, figura mihi esse videntur ecclesiæ, eò quod
hæc ædificata sit ex viuentibus lapidibus: facta domus spiri-
Figura ecclesia. tualis in sacerdotium sanctum, super ædificata supra funda-
mentum Apostolorum & prophetarum, & Iesu Christi, qui
est lapis angularis, re vera templum existens. Si verò propter
illud, vos estis corpus Christi, & membra ex parte videatur
iunctura, & conueoientia lapidum templi destrui, dissipari-
que (vt in primo, & vigesimo scriptum est psalmo) Christi
Ephe. 2. ossa ab insidiis, quæ sunt in persequutionibus, & tribulatio-
nibus, & ab his, qui bellum inferunt vnitati templi ob perse-
quutiones, erigetur templum, & suscitabitur corpus tertia die
post diem malitiæ in ipso instantem, atque post diem con-
summationis hac posteriorem. Tertia enim in cœlo nouo, &
terra noua instabit dies: quando ossa hæc nempe domus Is-
raël in magna dominica excitabuntur morte deuicta, adeò vt
facta resurrectio Christi à crucis passione, contineat myste-
rium resurrectionis totius corporis Christi. Vt autem corpus
illud Iesu sensibus obnoxium, cruci affixum est, sepultúmque,
& postea excitum, sic totum sanctorum Christi corpus cum
Christo cruci affixum est, & nunc non amplius viuit. Vnus-
quisque enim illorum perinde atque Paulus, in nulla re alia
H gloriatur, præterquam in cruce domini nostri Iesu Christi:
Gal. 6. per quem ipse mundo crucifixus est, & mundus illi. Quam-
Rom. 6. obrem non tantum vnà cum Christo cruci fuit affixus vnus-
quisque, ac mundo, sed etiam vnà cum Christo sepelitur, se-
pulti enim sumus vnà cum Christo, inquit Paulus, addens e-
tiam (veluti ad quempiam resurrectionis arrabonem peruc-
nisset) & cum ipso surreximus. Postea in quadam nouitate
vitæ ambulat: tanquam qui beata illa, & perfecta resurrectio-
ne nondum resurrexerit: Vel igitur nunc quidem crucifixus
fuit, postea verò sepelitur, vel nunc sepelitur sublatus etiam è
cruce, aliquando (quatenus sepultus nunc fuit) resuscitatu-
Resurrectionis mysterium. rus: Cæterum magnum est resurrectionis nostræ mysterium,
prorsúsque contemplatu difficile: quod cum in aliis scriptu-
rarum locis, tum verò etiam apud Ezechielem his verbis an-
Ezec. 37. nunciatur. Et facta est super me manus domini, & eduxit me
in spiritu domini, & posuit me in medio campi, qui erat ple-
nus ossibus hominum, & circunduxit me per ea in gyrum: e-
rant autem multa valde super faciem campi, siccáque vehe-
menter: & dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis, & dices
eis, ossa arida audite verbum domini, & post pauca. Et locu-
tus est ad me dominus dicens, fili hominis ossa hæc, domus
est vniuersa Israël, & ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra, periit
I spes nostra, abscissi sumus. Quibus enim ossibus dicitur, audi-
te verbum domini, tanquam quæ sentiant verbum domini,
tanquámque quæ sint domus Israël, nisi Christi corpori? de
quo dicebat dominus, dissipata sunt ossa mea? cum alioqui
ossa ipsius dissipata non fuerint? ac ne vno quidem ex ipsis
contritum? Proinde cum efficitur resurrectio hęc veri, & per-
fectioris corporis Christi, tunc membra Christi (nimirum os-
Ephe. 4. sa ea, quæ in præsentia futuri comparatione sunt arida) con-
iungentur: os scilicet ad os suum, & iunctura ad iuncturam,
nemine qui priuatus sit iunctura, occursuro in virum perfe-
ctum, in mensuram ætatis plenitudinis corporis Christi: &
tunc membra multa vnum erunt corpus, cum omnia corpo-
ris membra (quæ multa sunt) fient vnius corporis. At vsum
pedis, manúsque, atque oculi, ac denique auditus, & olfactus,
complentibus singulatim quidem caput, singulatim verò pe-
des, & cætera membra, tum imbecilliora, tum abiectiora, ac
1. Cor. 12. ea, quæ putantur indecora, & decora, solius Dei est facere:
qui simul temperabit corpus, etiam magis, quàm nunc, co-
piosiorem honorem addens ei, cui deerit, ne dissidium sit in
corpore, sed inuicem alia pro aliis sollicitudinem eandem
gerant membra. Et siue patitur vnum membrum, simul pa-
tientur omnia membra, siue glorificatur vnum membrum,
simul gaudebunt omnia membra. Hæc sunt à me dicta (nec
præter institutum) de templo, déque ex ipso expulsis, de quo
Psal. 68. Seruator dicit. Zelus domus tuæ comedit me: atque etiam
de Iudæis petentibus signum sibi ostendi, ac denique de do- K
mini ad ipsos responsione coniungentis sermonem templi
sermoni proprij corporis, & dicentis. Destruite templum
hoc, & in tribus diebus erigam illud. Ab hoc enim templo,
quod est corpus Christi, expellantur hæc oportet, quæ ratio-
nis capacia non sunt, & quæ mercaturam exercent, vt non in
posterum sit domus mercaturam exercentium. Destrui etiam
hoc templum ab his, qui insidiantur sermoni Dei, necesse est,
cúmque dirutum fuerit, tertia, quàm prædiximus, die excitari.
Quando etiam discipuli eius recordabuntur, quæ dixerit fi-
lius Dei, antequam destrueretur templum, perfecta tunc cum
cognitione, fide etiam ipsorum: & credent sermoni, quem
dixerit Iesus. Quin vnusquisque, qui erit huiusmodi (Iesu il-
lum purificante) cum deposuerit, quæ aliena sunt à ratione,
ac vendentia, propter inhabitantis in se filij Dei zelum de-
struetur, vt à Iesu erigatur: non tertia die, quod ad proposi-
tam lectionem attinet (nec enim scriptum est, destruite tem-
plum hoc, & ego tertia die illud erigam) sed in tribus diebus.
Erigitur autem templi erectio (postquam destructum fuerit)
prima, & secunda die, & perficitur in totis tribus diebus.
Quamobrem, & facta est resurrectio, siquidem vnà cum *Rom. 6.*
Christo crucifixi sumus, vnáque cum ipso sepulti. Et quoniam
non satis est ad integram resurrectionem illud verbum, con- *1. Cor. 15.*
surreximus omnes in Christo, addidit, viuificabimur, vnus-
quisque autem in suo ordine: primitiæ Christus, deinde qui
sunt Christi in aduentu eius: postremo finis. Resurrectionis L
etiam illud est, prima die in paradiso esse Dei, resurrectionis
item, quando apparens ne me tangas, inquit, nondum enim
ascendi ad patrem meum. Et perfecta est resurrectio, cum va-
dit ad patrem. Quoniam verò quidam confunduntur, cum
venerint ad locum de patre, & filio adducentes illud. Inue-
nimur autem & falsi testes Dei, quod testati fuerimus aduer-
sus Deum, quod excitauerit Christum, quem non excitauit
(& his similia declarantia alium esse eum, qui excitatus fuit)
& illud, destruite templum hoc, & in tribus diebus ego eri-
gam illud, existimantes ex his ostendi, numero non differre *Distinctas*
filium à patre, sed vnitum substantia, atque etiam vtrosque *esse perso-*
subiecto existentes propter quasdam intelligentias diuersos, *nas patris*
non propter hypostasin dici patrem, & filium, illis responde- *& filij.*
re debemus: in primis quidem ea verba, quæ præcipuè a- *Ioan. 5.*
struant alium esse filium à patre, & quòd necessariò filius sit
patris filius, & pater filij sit pater, tum verò non absurdum es-
se, eum, qui fateatur se nihil posse facere, nisi quod viderit
patrem facientem, quique dicat quicquid pater facit, simili-
ter etiam filius facit) corpus, quod mortuum erat, excitasse:
patre hoc illi donante: qui pater præcipuè dicendus est Chri-
stum excitasse è mortuis. Sanè Heracleon in tribus inquit,
pro eo quod est, in tertia, non perscrutatus (quamuis notarit
voculam, tribus) quomodo in tribus diebus peragatur resur- M
rectio. Atque etiam præterea tertiam diem appellat spiritua-
lem, in qua declarari putant ecclesiæ resurrectionem. His con
sequens est, vt prima dies terrestris, secunda animalis dicatur,
non facta ecclesiæ resurrectione in ipsis. Videntur equidem,
quę scripta sunt in Euangelio secundum Matthæum, & Mar-
cum à falsis testibus, in fine Euangelij accusantibus domi-
num nostrum Iesum Christum, relationem habere ad illud,
destruite templum hoc, & ego in tribus diebus erigam illud.
Ille enim de templo corporis sui dicebat, quæ illi suspicantes
de eo templo dici, quod ex lapidibus ædificatum fuerat, quæ
hic dicta sunt, dixerunt accusantes: hic dixit: Possum destrue- *Matt. 26.*
re templum Dei, & in triduo illud ædificare. Vel vt Marcus,
nos audiuimus hunc dicentem, ego diruam templum hoc *Mar. 14.*
manu factum, & tribus diebus aliud non manu factum ex- *Matt. 26.*
struam, quando & summus sacerdos surgens dixit: Nihil re-
spondes? cur isti aduersum te testificantur? At Iesus tacebat,
vel vt Matthæus inquit, & surgens summus sacerdos in me-
dium interrogabat Iesum dicens. Non respondes quic-
quam? cur isti aduersum te dicunt testimonia? At ille tace-
bat, neque quicquam respondebat. Arbitror verò necessariò
etiam hæc citata fuisse relationem habentia ad eum textum,
qui est præ manibus. Dixerunt ergo Iudæi, quadraginta &
sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus die-
bus eriges illud? Quomodo quadraginta & sex annis extru-
ctum

A ctum fuisse Iudæi dicant templum boe, si historiam sequa-
Quot annis mur, dicere non possumus. Nam in tertio regum scriptum
templum est, quod preparauerint lapides, & ligoa tribus annis. In quar-
extructum. to autem anno, mense secundo, regnante rege Solomone su-
per Israel, mandauit rex, & tullunt lapides grandes, lapides
pretiosos pro fundamėto domus, atque lapides impolitos, &
sculpserunt eos filij Salomoois, & filij Hiram: iecerúntque
eos pro fundatione in quarto anno, & fundauerunt domum
domini in mense Nisan (is est secuodus meosis.) Vndecimo
autem anno in mense Baal, qui est mensis octauus, perfecta
est domus per omnes partes suas, & iuxta cunctam dispositio-
nem suam. Vt ergo etiam præparationem eius cum tempore
structuræ annumeremus, vndecim annorum numerus non
completur ad structuram templi. Quamobrem quomodo
Iudęi dicunt quadragiota, & sex annis ædificatum fuisse tem-
plum hoc? Nisi fortè quis, qui vrgeretur, contenderet osten-
dere tempus quadraginta & sex annorum compleri ab eo
tempore, quo Dauid inquit ad Nathan propheram: consu-
2. *Reg.* 7. lens de ædificatione templi. En ego habito in domo cedrina,
1. *Para.* 22. & arca Dei manet in medio tentorij. Nam etiam si prohibi-
tus fuit, ceu vir sanguinum ipsum ædificare, at saltem videtur
se exercuisse circa colligendam materiam templi. Inquit er-
1. *Paral.* 28 go in primo Paralipomenon libro rex Dauid cunctę congre-
gationi. Solomon filius meus, io quem feliciter complacuit
B sibi dominus, iuuenis est, & delicatus: opúsque magnum est,
quoniam non homini, sed domino Deo ædificar. Præparaui
ergo illi pro viribus meis ad domum Dei mei construendam,
aurum, argentum, æs, & ferrum, ligoa, lapides Soem, & pleni-
tudinis: lapidésque sumptuosos, & varios, & omnem lapi-
dem pretiosum, & parium, & marmor, vt complacerem in
domo Dei mei: est etiam mihi, quod acquisiui, aurum, & ar-
gentum: & ecce dedi in domum Dei mei in altitudinem: ex
tot præparaui in domum sanctorum tria millia taleotorum
auri ex Supbir, & septem millia talentorum argenti probati,
vt incrustetur ex ipsis domus Dei per manus artificum. Re-
gnauit enim Dauid annis septem in Hebron, & tria supra tri-
ginta in Hierusalem. Quare si poterit quis ostendere princi-
pium præparationis templi fuisse (colligente eo materiam
conuenientem à tempore quinti anni regni sui) poterit, si v-
geatur, dicere de quadraginta sea anois. Alius verò quispiam
dicet templum, quod ostenditur noo esse illud à Solomone
extructum (nam euersum fuit captiuitatis temporibus) sed
quod Esdra ædificaoerit: de quo non possumus aperiè osten-
dere orationem vera narraotem de quadraginta, & sex annis.
Apparet etiam apud Maccabaica multam inconstantiam, &
confusionem fuisse circa templum, & circa populum. Et haud
scio, an tunc reædificatum fuerit tot annis. Sanè Heracleon
C (ne inspecta quidem historia) Solomonem inquit quadragin
ta, & sex annis ædificasse templum, existens imaginem Ser-
uatoris: & numerum senarium ad materiam, hoc est ad plas-
ma, refert: de numero quadragenario inquiens. Quaterna-
rius numerus est, qui oon implicatur cum flatu, & illud se-
men, quod est cum flatu. Tu verò vide, num possis accipere
per quadragenarium numerum quatuor elementa mundi,
quę ponuntur in angulis templi, per senarium verò, hominem
sexta die factum.

At ille dicebat de templo corporis sui, cum ergo surrexit è mortuis, recordati sunt discipuli eius, quòd hoc dixisset illis, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixerat Iesus.


N illud, quòd Iesus corpus suum vocanit tem-
plum, quæsitu dignum est, simpliciter ne hoc
accipiendum sit, an contendendum sit singu-
la, quæ de templo scribuntur, referre ad ser-
monem de corpore Iesu, videlicet quod ipse
ex virgine sumpsit, vel ad ecclesiam, quæ ipsa etiam corpus
Ephe. 5. Christi dicitur: & ob quam nos etiam membra ipsius Christi
apud apostolum nominamur. Atque molestiis quidem sesp-
sum liberans aliquis, & desperando singula referre se posse,
quæ de templo dicuntur, ad corpus (vtrolibet modo se ha-
beat) ad intelligentiam simpliciorem confugiet dicens: idcir-
co corpus vtroque modo intellectum, téplum nuncupatum

fuisse, quod quemadmodum templum illud gloriam Dei ha- D
bebat in seipsu habitantem, ita imago, & gloria Dei existens
primogenitus omnis creaturæ repræsentans corpus suum, vel
ecclesiam templum Dei rationabiliter fuerit dictum. Nos ve-
rò videntes quidem difficile esse de singulis rebus templi dis-
serere, quæ io Regum tertio dicuntur, longéque maius ora- 3. *Reg.* 7.
tione nostra, alioqui etiam ad præsentem scriptionem non *&* 8.
pertinens, differimus. Imò in talibus, pręsertim quia supra na-
turam sit humanam, & iuxta Dei sapientiam, proprietatem
scripturæ Dei afflatu proditæ, repræseotare, postulantes sa-
pientiam, nobis ob oculos repræsentantem sapientiam illam
in mysterio reconditam, quam nullus principum cognouit,
& deprehendentes nos ipsos eximij spiritus sapientia egere,
ad intelligendum talia, vt sacerdotem decet, quàm paucissi-
mis poterimus describere huius loci intelligentiam tentabi-
mus, edocti à Petro ecclesiam corpus esse, & domum Dei ex 1. *Pet.* 4.
lapidibus viuentibus ædificatam: domum spiritualem in sa- *Structura*
cerdotium sanctum, ita vt Dauidis filius sit hanc ob causam *templi ec-*
Christi figura, ædificans templum: qui post bella (pace altis- *clesiastici.*
sima facta) ædificat ad gloriam Dei templum, in terrestri Hie-
rusalem, ne posterum cultus Dei perficiatur in tentorio sub-
inde mutabili, singulas res templi ad ecclesiam referre tenta-
bimus. Forsassis enim si inimici omnes subsellium fiant pe- *Psal.* 109.
dum Christi, & vltimus inimicus, nempe mors, aboleatur, 1. *Cor.* 15.
perfectissima pax erit quando Christus erit Solomon, quem E
si interpreteris, est pacificus. Impleta in ipsum prophetia,
quæ dicit: cum his, qui odio habebant pacem, eram pacifi-
cus. Ac tunc vnusquisque viuens lapis pro dignitate præsen-
tis vitæ erit templi lapis, alter quidem in fundamento aposto-
lus, vel propheta portans superimpositos: alter verò post eos,
qui sunt in fundamento, portans quidem & ipse ab aposto-
lis, alios sed ipse etiam portans infirmiores cum Apostolis:
atque etiam alter quidem lapis erit penitissimus, vbi arca, &
Cherubin est, & propitiatorium: alter verò lapis vestibuli, &
alius adhuc extra vestibulum leuitarum, & sacerdotum lapis
altaris, in quo offeruntur fructuum oblationes. Porrò harum
rerum œconomia, & ministerium concrederet sanctis virtu-
tibus, nempe angelis Dei, quarum aliquæ quidem sunt domi-
nationes, vel throni, vel principatus, vel potestates, aliquæ ve-
rò his subiectæ: quarum figuram gerunt sexcenti illi supra tria
millia præfecti, præfecti principes constituti super opera So-
lomonis: & septuaginta chiliades gestaotium onera, & octo-
ginta chiliades lapicidum in monte facientes operas: & præ-
parantes lapides, & ligna. Et obseruandum: quod qui inscri- *Opera Salo*
buntur gestare onera, numeri septenarij sint cognati. Rursum *monis in*
lapicidæ, & scalpeores lapides, vt conuenienter sint in tem- *structura*
plo, octonario numero sunt similes. At perfecti illi sexcenti *templi.*
existentes, numeri senarij perfectioni, vt qui in seipsum mul- F
tiplicetur, coniunguntur. Iam verò præparationes lapidum,
qui tolluntur, & aptaotur ad structuram, tribus annis perfe-
ctæ, ostendere mihi videntur solum tempus interualli cogna-
ti triadi, quæ sempiterna est. Quæ omnia quidem erunt, cum
pax perfecta fuerit post annos quadringẽtos, & triginta œco-
nomiæ rerum factarum, dum egrederetur ex Ægypto. Et
post annos triginta testamenti ad Abraam: vt sint ad Abraam
vsque ad principium ædificationis templi sabbatici, hoc est
septenarij, numeri duo: nempe septingentesimus, & septua-
gesimus: quando etiam mandabit rex noster Christus septua-
ginta chiliadibus, humeris onera gestantium, ne obuios, &
vulgares tollaot lapides, ad domus fundamentum: sed lapi-
des grandes, pretiosos, non scalptos: qui non à quibusuis ar-
tificibus scalpantur, sed à Solomonis filiis: nam hoc in Re-
gum tertio scriptum inuenimus. Tunc etiam propter multam
pacem Tyri rex Hiram coadiouat ædificationem templi, da- 3. *Reg.* 5.
tis suis ipsius filiis, Solomonis filiis, vt scalpant grandes, & pre-
tiosos lapides sanctæ domus, etiam in quarto anno, sedentes
ad fundationem domus Dei: cæterum octogenario numero
annorum completur domus, octano meose octaui anni à
fundatione. Nihil autem absurdi erit existimantibus præter
historiam declarari per hæc aliud nihil, in medio sermone
verba adhibere, quibus pudore perfundaotur, & flectantur
ad quærendum in his, ceu literis spiritus, sensum spiritu di-
gnum. An regum filij vacabant scalptioni grandium, & pre-

G tiosorum lapidum, sumpta arte à regia generositate, & nobilitate aliena? An etiam numerus homeris onera gestantium, & lapicidarum, & præfectorum, ac postremo temporis præparationis lapidum, rerúmque similium vulgariter inscriptus est? Scilicet Deo ædificari necesse erat dumum sanctam, quæ in pace construebatur, sine malleo, & securi, & quouis ferri instrumento, vt turbulentum nihil sequeretur in templo Dei. Proinde rursus contra hos, qui literæ seruiunt, *Quæstio.* quæstionem moueo. Quî fieri poterat, vt chiliades octoginta lapicidarum cum essent, ædificaretur domus Dei lapidibus duris, candidis, neque malleo, neque securi, seu aliquo ferri instrumento audito in domo ipsius, dum ipsa ædificaretur? *Lapides viuentes.* Vide verò, ne forte viuentes lapicidis lapides, sine strepitu secti, & tumultu excindantur alicubi extra templum, vt parati veniant ad structuræ locum conuenientem. Quin as- *3. Reg. 6.* census quidam est circa domum Dei non habens angulos, sed flexiones rectarum linearum. Scriptum est enim. Et ascensus flectuosus erat ad medium thalamum: & à medio vsque ad tertium laqueare. Flexuosum enim esse necesse erat in Dei templo ascensum ipsum: linea obliqua ascensu ipso imitante circulum æquissimum. Iam verò vt domus hæc sit firma, ædificantur illi quàm pulcherrimè, vincula quinque per totam domum vnius cubiti altitudine: vt innuatur debere nos ascendere in sublime à rebus sensibilibus ad eos sensus, quos diuinos vocant: conuiendi, ac contemplandi causa res eas,
H quæ animo cernuntur. Porrò beatiorum lapidum locus ille *2. Para. 5.* esse videtur, qui vocatur Dabir Vbi arca testamenti domini erat, & chirographum (vt ita dicam) Dei: nempe tabulæ scriptæ digito ipsius. At tota domus inauratur. Totam enim inquit domum auro circunquaque aurauit vsque ad perfe- *2. Para. 5.* ctionem domus. Præterea duo Cherubin in Dabir erant, quod propriè interpretari non potuerunt, qui res Hebraicas in Græcum transtulerunt. Abusiuè autem quidam hunc locum dixerunt templum, quod honorabilius templo existeret. Cęterum quę in domo sunt, sunt tota aurea, in signum, quod mens omninò perfecta accuratam discretionem habeat rerum, quæ mente percipiuntur, quæ quoniam omninò peruia, & cognoscibilia non sunt, fabricatur velamen aulæ, penitissimis, non retectis leuitarum, & sacerdotum complutibus. *Mentis perfectio.* Quæsitu autem dignum est, quomodo tanquam rex dicatur Solomon ædificare templum, & Hiram tanquam architectus: quem accitum recepit Solomon filium coniugis viduæ *Quæstio de Hyram.* ex Tyro, & patre Tyrio, & è tribu Neptalim: faber ærarius, & plenus sapientia, & agnitione ad faciendum omne opus ex ære, qui cum adductus fuisset ad regem Solomonem, fecit omnia opera. Proinde inspicito, an forte Solomon accipi possit in primogenitum omnis creaturæ, Hiram verò in hominem, quem hic primogenitus assumpsit ab hominum congregatione: sonat enim Tyrij (si eos interpretemur) con-
I tinentes, hominem natura genus continentem, qui impletus omni arte, & scientia, & agnitione, adductus est (cooperans primogenito omnis creaturæ) vt ædificet templum, in quo struuntur etiam portulæ prominentes, vt splendores lucis Dei capi possint, & vt ecclesia: quid enim oportet me singula recensere?) rationem habens spiritualis domus, & templi Dei, inueniatur corpus Christi. Vt enim prædixi, sapientia egemus ea, quæ in mysterio est recondita, & quæ soli illi est perceptibilis, qui dicere potest. Nos autem Christi mentem tenemus, vt singula quæ dicta sunt, spiritualiter interpretemur iuxta illius voluntatem, qui disposuit, vt hæc scriberentur. Alioqui etiam singula hæc exponere non est præsentis lectionis. Quamobrem sufficiant hæc ad videndum, quomodo ille dicebat de templo corporis sui. Cęterùm dignum est, vt post hæc inspiciamus, an facile factu sit, vt hęc, quæ historia refert facta fuisse in templo, euenerint aliquando, seu euentura sint circa domum spiritualem. Videtur verò nos vtrinque vrgere ratio: nam siue dicamus fieri posse, vt hæc fiant, vel quadam ratione facta fuisse in domo spirituali, grauate admittent, qui audiunt, talium honorum transmutationem: primum quidem, quia illis sic Iubeat, deinde quòd dissentaneum sit honorum transmutationem futurã esse. Sin verò volẽtes immutabilia seruare, quæ semel sanctis data fuerunt bona, non accommodabimus, quæ historia narrat, quid-

dam hæreticis simile videbimur hac in re facere: enarratio- K nis scripturarum consonantiam non seruantibus à principio vsque ad finem. Nisi tragicè tamen, atque Iudæorum more, promissiones eas, quæ apud Prophetas, & præsertim Esaiam scriptæ sunt, intellecturi sumus: nos fuisse templum necesse est, & captiuatum fuisse populum, sed rediturum ad Iudæam, & Hierusalem, atque lapidibus pretiosis Hierusalem ipsam ædificandam. Haud scio autem, an temporum periodis lon- *De Hierusalē mysticè fabrica & ornatu.* gis reuolutis similia fieri possint, veluti in peius. Habent autem promissiones apud Esaiam hunc in modum: En ego pręparo tibi carbunculum lapidem tuum: & fundamenta tua Saphyrum, & ponam propugnacula tua Iaspin: & portas *Esa. 54.* tuas lapides Christalli, & luricam murorum tuorum lapides electos: & omnes filios tuos à Deo doctos: & in pace multa filij tui: & in iustitia ædificaberis. Et paulò post ad ipsam Hierusalem: Et gloria Libani ad te veniet in Cyparisso, & pino, & cedro vnà cum glorificantibus locum sanctum meum. *Esa. 60.* Et ibunt ad te timentes filij eorum, qui te humiliauerunt, & irritauerunt te, & vocaberis ciuitas Domini, Syon, sancti Israelis, pro eo quòd fueris derelicta, & odio habita, nec esset, qui tibi opem ferret. Et ponam te exultationem sempiternam: iocunditatem generationum generationibus, & suges lac gentium: & regum diuitias comedes: & cognosces quòd ego Dominus seruans te, & eruens te Deus Israel: pro ære afferam tibi aurum, & ferro adducam tibi argentum: pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum: & dabo principes tuos in L pace, & episcopos tuos in iustitia. Iniquitas non audietur vltra in terra tua, neque contritio, & miseria in terminis tuis: sed vocabuntur salutare muri tui, & portæ tuæ sculptura. Sol non erit tibi vltra in lucem diei, neque ortus Lunæ lumen præbebit tibi noctu: sed erit tibi Christus lux sempiterna, & Deus gloria tua: non enim occidet tibi Sol, & Luna tua non deficiet: erit enim Dominus tibi lux sempiterna, & complebuntur dies luctus tui. Hæc etiam apertè de futuro seculo Prophetat filiis Israël in captiuitate de gentibus, ad quos missus est ille, qui dicebat: ego non sum missus, nisi ad oues perditas domus Israel. Quòd si captiui existentes hæc in patria sua recipient, quando etiam proselyti ad ipsos venient per Christum, & ad ipsos diffugient, secundum quod dicitur: ecce proselyti ad te venient per me, & ad te diffugient, perspicuum est, quòd captiui qui in templo fuere aliquando, etiam ad illud rursus redibunt reædificandi, pretiosissimi lapides facti. Nam vincens quispiam in Apocalypsi apud Ioannem, promissionem habet, vt sit columna in Dei *Apoc. 2.* templo: extra non exiturus. Cæterùm hæc omnia à me dicta sunt, vt breuem saltem intelligentiam habeamus rerum templi, & domus Dei, & ecclesiæ, & Hierusalem, de quibus singulatim dicere non est præsentis temporis. At ac- M curatissimam, diligentémque, vel ad vulgarem vsque inquisitionem, circa hæc faciant hi necesse est, qui non defatigantur legendo prophetias, quærere in eis spiritualem sensum. Sed hactenus de templo corporis sui. Verùm enimuerò quoniam simulátque surrexit è mortuis recordati sunt discipuli eiùs quod hoc dixerit, & crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus, intelligendum est, quòd ad *Simplex verborũ de templo corporis explanatio.* textum attinet, discipulos, postquam dominus è mortuis resuscitasset, intellexisse quæ de templo dicta fuerant, referri ad passionem eius, & resurrectionem: repetentes quòd verba illa, in tribus diebus erigam illud, resurrectionem declarabant, quando etiam crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixerat Iesus: cum antea dicti non fuerint credidisse scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus. Nam fides propriè illius est, qui tota anima admittit illud, quod creditur in baptisma. Quòd autem ad superiorem intelligentiam attinet, quoniam prædicta fuit nobis resurrectio totius corporis Domini è mortuis, sciamus oportet, quod admoniti discipuli per effectus scripturæ, quam antea, quando erant in vita, accuratè non intelligebant, sub aspectum factæ, & manifestatæ, admonitique quorum cœlestium exempla erant, & vmbra, rebus illis crediderunt, quibus antea non crediderant, atque sermoni Iesu, quem ante resurrectionem, sic volente illo, qui loquebatur, non intellexerunt. Quî enim fieri potest, vt propriè quis credere scripturæ dicatur, non contemplans sensum

A ſenſum ſpiritus ſancti, qui in ipſa eſt, quem credi mauult Deus, quàm literæ voluntatem : iuxta hanc intelligentiam nullus ex his, qui ſecundum carnem ambulant, credere dicendus eſt rebus ſpiritualibus legis, quarum principium ne imaginatur quidem. Verùm beatiores inquiunt, qui non viderunt, & crediderunt, his, qui viderunt, & crediderunt, qui exponunt quod in fine euangelij Ioannis dicit dominus ad Thomam : beati qui non viderunt, & crediderunt. Sed non beatiores inquit eos, qui non viderunt, & crediderunt his, *Ioan. 20.* qui viderunt, & crediderunt: alioqui iuxta hanc intelligentiam, apoſtolis poſteriores beatiores ſunt apoſtolis ipſis, quod eſt fatuiſſimum omnium. Proinde mente videat oportet, quæ creduntur, qui beatus futurus eſt, perinde atque apoſtoli, illud audire valens : beati oculi veſtri quia vident, & aures veſtræ quia audiunt. Et illud, multi prophetæ, & iuſti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt. Amabile tamen etiam eſt minutem accipere beatitudinem dicētem: beati qui non viderunt, & crediderunt. Quomodo enim non beatiores oculi, qui à Ieſu beatificantur ob res viſas his, qui non peruenerunt ad talium rerum viſionem? Simeon igitur contentus ſumpſit le in vlnas ſalutare Dei, illúdque contemplatus dixit. Nunc dimittis ſeruum tuum domine, ſecundum verbum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei ſalutare *Luc. 2.* tuum. Quocirca contendamus neceſſe eſt aperire oculos, B iuxta Solomonem, vt impleamur panibus. Inquit enim : Aperi oculos, vt repleare panibus. Sed hactenus de eo, quod dicitur : crediderunt ſcripturæ, & ſermoni quem dixit Ieſus: vt ex his, quæ de fide exquiſiuimus, perfectionem fidei dari nobis comprehēdamus in magna reſurrectione totius corporis Chriſti : nempe ſanctæ ipſius eccleſiæ. Nam quod de cognitione eſt dictum, nunc cognoſco ex parte, id etiā con- *1. Cor. 13.* ſequenter de quouis bono dici arbitror, quorum vnum eſt etiam fides. Quamobrem cognoſco nunc ex parte, cum verò venerit perfectio fidei, deſtruetur quod ex parte eſt, fide ea, quæ per formam ſubſiſtit longè præcellente illa fide, quæ per ſpeculum (vt ita loquar) eſt, & in ænigmate, perinde atque præſens cognitio.

Cum autem eſſet Hieroſolymis in paſcha in die feſto multi crediderunt in nomine eius, videntes quæ faciebat, ſigna. Ipſe verò Ieſus non credebat ſeipſum illis, eò quod ipſe cognoſceret omnes, nec opus haberet, vt teſtificaretur quis de homine. Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.



QVÆRAT aliquis quomodo ſeipſum non crederet Ieſus his, de quibus teſtatum fuerat, C quòd crederent, ad quod dicendum eſt, non his, qui credunt in ipſum, non ſe credere Ieſum, ſed his qui credunt in nomine eius. Dif- *Credere in Ieſum & in nomen eius nō planè idem.* fert enim credere in ipſum, ab eo, quod eſt, credere in nomine ipſius. Itaque qui per fidem non eſt iudicandus, non iudicatur eò quòd credat in ipſum, non eò quòd credat in nomine ipſius. Inquit enim dominus, qui credit in me, non iudicatur, at non item qui credit in nomine meo non iudicatur. Nec tamen inquit, qui credit in me iam iudicatus eſt. Fortaſſis enim qui credit in nomine ipſius, credit quidem, quare indignus eſt, qui iam iudicatus ſit, ſed minor eo eſt, qui credit in ipſum. Quam ob cauſam credenti in nomine ipſius, ſeipſum non credit Ieſus. Ipſum igitur potius quàm ſuum nomen habeamus neceſſe eſt: ne in nomine eius virtutes facientes audiamus, quæ ab ipſo dicta audierunt, qui gloriabantur in nomine ipſius. Sed confidamus imitatores *Mat. 7.* facti Pauli dicere : omnia poſſum in Ieſu Chriſto me coro- *Phil. 4.* borante. Illud autem obſeruandum eſt, quòd ſuperius quidem dicat propè eſſe paſcha Iudæorum, hic verò non in paſchate Iudæorum, ſed in paſchate Hieroſolymis erat Ieſus. Et illic quidem quando Iudæorum dicitur paſcha, non dictum eſt dies feſtus, hic verò ſcriptum fuiſſe Ieſum eſſe in die feſto : Hierolymis enim exiſtens Chriſtus in paſchate erat, & in die feſto multis credentibus etiam in nomine ipſius. Ac profectò illud etiam obſeruandum eſt, multos dici credere non in ipſum, ſed in nomine ipſius : qui verò in D illum credunt, hi ſunt, qui ambulant per viam arctam, atque anguſtam, ducentem ad vitam, quæ à quàm pauciſſimis inuenitur. Fieri attamen poteſt, vt multi ex his, qui in nomine ipſius credunt, recumbant cum Abraam, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum. Quoniam multi ab oriente, & occiden- *Matt. 7.* te venient, & recumbent cum Abraam, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum : quæ domus eſt patris, in qua manſiones multæ ſunt. Atque etiam hoc obſeruandum eſt, multos creden- *Mat. 8.* tes in nomine ipſius, non quemadmodum Andreas, & Petrus, & Nathanael, & Philippus, credere, ſed teſtimonio Ioannis patere dicentis : ecce agnus ille Dei, vel Chriſto ab Andrea reperto, vel ipſi Ieſu dicenti ad Philippum, ſequere *Ioā. 1. et 14* me. Vel Philippo dicenti, quem ſcripſit Moſes, & prophetæ inuenimus, Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. Hi autem crediderunt in nomine eius, videntes ipſius ſigna, quæ faciebat. Etiam ſigna credentibus non in ipſum, ſed in nomine eius, non credebat Ieſus ſeipſum eis, omnes agnoſcens, & non *Ioan. 2.* opus habens, vt quis teſtificaretur de homine : eò quòd agnoſceret ſingulatim, quid eſſet in vnoquoque homine. Hæc verba : non enim opus habebant vt aliquis teſtificaretur de homine, opportune vtenda ſunt ad demonſtrandum, quòd filius Dei à ſeipſo videre ſingulas res humanum valeat, nullóque omnino teſtimonio cuiuſquam eū egere. Cæterum verba illa, non opus habebat vt quis teſtificaretur de homine, diſtinguēda ſunt ab illis : Non opus habet vt quis teſtetur de E aliquo. Nam ſi hanc vocem, homine, ſumamus de quouis, *Filius Dei* qui ſit ad imaginem Dei, vel de omni rationis compote, non *omniſcius* opus habebit Chriſtus, vt quis de ipſo teſtetur (de quocun- *& præſci-* que tandem diſceris rationis compote) à ſeipſo cognoſcens *omnium.* omnes iuxta facultatem à patre ſibi traditam. Sin verò hanc vocem, hominis, obſeruauerimus de mortali animante rationis compote, alius dicturus eſt Chriſtum ipſum opus habere, vt quis teſtetur de his, quæ ſunt ſupra hominem, vt qui hæc perinde atque humana cognoſcere nō ſufficiat. Alius autem quiſpiam inquit eum, qui ſeipſum inaniuit, non opus habere, vt quis teſtetur de homine, ſed opus habere, vt quis teſtetur de his, quæ præſtantiores ſunt hominibus. Quin hoc etiam quærendum eſt, quot ſigna ipſius multi videntes, crediderunt in eum. Non enim ſcriptum eſt ſigna feciſſe Hieroſolymis: niſi fortaſſe facta ſigna ſcripta non fuerunt. Proinde conſidera, an inter ſigna reputari poſſit, quòd fecerit è funiculis flagellum: omnes è tēplo eiiciendo, tùm oues, tùm boues: atque argentariorum æs effundendo, & menſas ſubuertendo. Ad eos profectò, qui ſuſpicantur de ſolis hominibus, non opus habere ipſum teſtibus, dicere oportet duo euangeliſtam illi attribuiſſe. Alterum, quòd agnoſcat omnes, alterum, quòd opus nō habeat, vt quis teſtetur de homine. Nam ſi omnes agnoſcebat, etiam omnes, qui eſſent extra hæc cor- F pora, agnoſcebat, atque quid eſſet in homine: quippe qui maior exiſteret his, qui in prophetando manifeſtant, & iudicant occulta cordis omnia, quæ ſpiritus illis ſuggerit in apertum ducentes. Cæterùm illud: agnoſcebat quid eſſet in homine, ſumi etiam poteſt de virtutibus malis, vel bonis operantibus in hominibus. Nam ſi dederit quis locum diabolo, ingreditur in illum Satanas (quemadmodum dedit Iudas : cum iam diabolus miſiſſet in cor eius, vt traderet eum, quā ob cauſam poſt bucellam intrauit in illum Satanas, ſin Deo locum de- *Ioan. 13.* derit, beatus fit. Beatus enim, cuius eſt illi retributio à Deo, & aſcenſio in corde eius à Deo. Quare agnoſcis ô fili Dei (omnia agnoſcens) quid ſit in homine. Sed cū iam ſatis ſcriptionis ſumpſerit duodecimus tomus, hic finiemus ſermonem.

DECIMVSTERTIVS TOMVS.



TIBI quidem Dei amātiſſime, ac piiſſime Am- *Huic videtur alium* broſi non videbatur fortaſſe ſcindendus ſer- *fuiſſe tomo-* mo Samaritidis, ita vt illius pars eſſet in duo- *rū Origenis* decimo tomo, & reliqua quæ reſtabant in ter- *in Ioānem* tiodecimo. Sed quoniam videbamus, duode- *numerum.* cimum commentariorum tomum ſatis ſcriptionum accepiſſe, viſum eſt nobis deſinere in ſermonem Samaritidis, vbi lo-

G quebamt ipsa de puteo, quemadmodum Iacob illud dederit,
& ipse ex eo hiberit, & filij eius, & pecora eius, tertiumdeci-
mum tomum incœpturis, vbi dominus ad ipsam respondet.

*Respondit Iesus & dixit illi: omnis, qui biberit ex aqua hac, si-
tiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quàm ego illi
dedero, fiet fons in eo aqua salientis in
vitam æternam.*

HOc respondet secūdò Iesus ad Samaritidem:
primum quidem dicens, si scires donum Dei,
& quis est, qui dicit tibi, da mihi, quod bibam,
tu fortassis ab eo petiisses, & dedisset tibi aquā
viuam: & nunc quando admonens ipsam vt
peteret aquam viuam, dicit, quæ recensuimus, & ad primam
quidem responsionem nihil loquitur Samaritis, sed addubi-
tat de comparatione aquarum, post secundam verò domini
Ioan.4. responsionem admittens, quæ ab ipso dicta fuerant. Da mihi
hanc (inquit) aquam. Fortassis enim dogma est, neminem do-
Dei dona num diuinum accipere præter petentem illud: quam ob rem
precib⁹ im- Seruatorem ipsum, pater ipse admonet per psalmum vt pe-
petranda. tat sibi donari, docente nos ipso ac dicente: Dominus dixit
Psal.2. ad me, filius meus es tu, postula à me, & dabo tibi gentes hæ-
Matt.7. reditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Dicit
H etiam Seruator: Petite & dabitur vobis, omnis enim qui pe-
tit, accipit. Patet quidē Samaritis vt petat aquam à Iesu, ima-
go existens (vt prædiximus) eorum, qui ab ecclesiæ decretis
dissidentes, sunt in diuinis scripturis exercitati, quando audit
de comparatione vtrarúmque aquarum. Et vide ex his, quæ
passa fuerat, quomodo bibens ex puteo, quem ipsa existima-
bat profundum, nec refocillaretur, nec à siti liberaretur.
Ioan.4. Proinde videamus, quid ex illis verbis significetur. Omnis
Fames & qui biberit ex hac aqua finet iterum. Porrò vocis sitiendi, &
sitis corpo- vocis esuriendi ad sensum humilem, & corporalem, attinet,
ralis & duæ sunt significationes, alteram cum vacui cibo egemus, il-
mystica. lum quod appetimus humido destituti, alteram cum sæpe
pauperes, & qui sunt in egestate rerum necessariarum dicunt
(etiam si satiati fuerint) se esurire vel sitire. Primæ quidem te-
stimonium habes in Exodo, quando egentes cibis decima
nona die, mense secundo, cum egressi fuissent Iudæi è terra
Ægypti, murmurauit vniuersa congregatio filiorum Israel
aduersus Mosen, & Aaron, & dixerunt ad ipsos filij Israel.
Exod.16. Vtinam periissemus percussi à domino in terra Ægypti, quā-
do sedebamus super lebetes carnium, & quando comedeba-
mus panes ad saturitatem, cur eduxit nos ad hanc solitudi-
nem, vt interficeret fame cunctam hanc cōgregationem? Di-
xit autem dominus ad Mosen: Ecce ego pluo vobis panes è
cœlo, & egredietur populus, & colligent singulis diebus, vt
tentem an ambulaturi sint in lege mea nec ne. Esurientibus
I enim & egentibus necessario cibo, magnā murmurationem
faciebant ipsorum sermones, quia aqua egentes, & sitientes
murmurabāt aduersus Mosen: dicentes quid bibemus? quādo
clamauit Moses ad dominum, & dominus ostendit illi lignū,
Exod.17. & proiecit illud in aquam, & dulcis facta est aqua, & paulo
Rom.12. post cum venissent in Raphidim, scriptum est populum si-
1.Cor.4. tisse illic propter aquam, illic murmurasse populum aduer-
sus Mosen. Porrò secundæ significationis exemplum apud
Paulum reperias dicentem. Vsque ad horam præsentem, &
esurimus, & sitimus, & nudi sumus. Primo modo sitire, &
esurire necessariò contingit sanis corporibus: altero modo
his, qui sunt pauperes. Igitur quærendum etiam est ex his ver-
bis, omnis qui biberit ea aqua hac sitiet iterum, quali signi-
ficatu vocabulū sitiet dicatur. Atque in primis quidem etiā si
quòd ad sensum humilem, & corporalem attinet, apertè de-
claretur, quòd quamuis satietur ad præsens is, qui biberit,
mox tamen subtracto potu eandem passionem sit perpessu-
rus, hoc est rursum sititurus siti, quam à principio habuerat,
restiturus, quamobrem illud etiam subiūgit: qui autem bibe-
rit ex aqua, quam ego illi dabo, fiet in eo fons aquæ salientis
ad vitam æternam. quē fontem in seipso qui habet quomo-
do sitire poterit? præcipuè tamē ac principaliter horum ver-
borum intelligentia talis erit: qui participat (inquit) profun-
ditatem humanæ sapientiæ prudentésque rationes receptis,
intelligentiísque profundissime haustis, & iudicio suo inuen- K
tis, tamen rursum secundo cogitans denuo dubitauit de his
in quibus requieuerat, atque etiam rerum, quæ quæruntur
apprehensionem formans, perceptam à se profunditatem e-
loqui non poterit. Quare etiam si correptus aliquis veri si-
militudine eorum, quæ dicuntur, cōdescenderit, eandem ta-
men dubitationem in se existentem postea inueniet, quam
etiam habebat, antequàm illa disceret. At verò mea (inquit
Christus) ratio est, vt fons vitalis potionis fiat in eo, qui rece- Fons aquæ
perit, quæ à me promittuntur: tantáque beneficia in eo col- salientis in
laturus sum, qui sumpserit aquam meam, vt fons salientium vitā æter-
aquarum inuentor omnium, quæ quæruntur, scaturiat in ip- nam.
so, intelligentia saliente, & fortassis transuolante consequen-
ter huic aquæ, facilè mobili: ipso actu saliendi, & transilien-
di, ferente ipsum in sublime, nimirum ad vitam æternam. Vt
autem in cantico canticorum de sponso disserens Solomon. Cant.2.
Ecce (inquit) iste venit saliens super montes, transiliens col-
les, nam hoc pacto super generosiores, diuinioresque animas
montes dictas salit sponsus, transilit verò deteriores dictas
colleis. Sic hoc in loco fons factus in eo, qui biberit ex aqua,
aquam dat Iesus, salit ad vitam æternam, fortassis etiam sali-
turus vltra vitam æternam, nempe ad patrem existentem su-
pra vitam æternam. Est enim Christus vita: proinde qui ma-
ior est Christo, vita etiam est maior. Cæterùm tunc fontem
in seipso existentem aquæ salientis ad vitam æternam habe-
bit, qui biberit ex aqua, quam dat Iesus, quando promissio L
completur hominis, cui promittitur beatitudo, eò quòd esu-
rierit, & sitierit iustitiam, inquit enim filius Dei. Beati qui e- Matt.5.
suriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabūtur. Et for-
tassis quoniam esurire, & sitire iustitiam satiari est, siquis io-
stitiam, antequam satietur, fecerit, is famem, & sitim inge-
nerer in se oportet, vt saturetur, illud dicturus. Quemadmo- Psal.41.
dum desiderat ceruus ad fonteis aquarū, ita desiderat anima
mea ad te Deus. Sitiuit anima ad Deum: nempe ad illum fon-
tem, ad illum viuentem, quando veniam, & videbor coram
facie tua? Vt ergo sitiamus, bonum est è fonte Iacob vt in
primis bibamus: illum, non perinde atque Samaritis, dicen-
tes puteum. Nam Seruator ad illius respondens sermonem,
ne nunc quidem ex puteo inquit aquam esse, sed simpliciter
inquit, omnis qui biberit ex aqua hac sitiet iterum. quod si
bibenti ex illo fonte nulla prouenisset vtilitas, haudquaquam
sessurus fuerat apud fontem Iesus, neque dicturus Samaritidi:
da mihi quod bibam. proinde obseruandum est, quemadmo-
dum petenti à se aquam Samaritidi nō alibi promiserit Iesus
illam se daturum, quàm apud fontem, dicens illi. Vade ad vo
candum virum tuum, & veni huc. Adhuc autem inspiciamus, Ioan.4.
num quia qui biberit ea fonte Iacob, sitiat iterum, qui verò
biberit ea aqua, quā dat Iesus, fontem in seipso habeat aquæ
salientis ad vitam æternam, innui possit diuersam esse vtilita-
tem eorum, qui cum ipsa veritate cōsuetudinem habuere, ha-
biturique sunt, ab ea vtilitate, quam nobis oriri existimamus M
ex scripturis, etiam si accuratè intellectæ fuerint, præsertim
cum quædam ex principalioribus, diuinioribúsque Dei my-
steriis nec capere potuerit scriptura, quædam etiam nec vox
humana: nam quædam significationes diuinæ cum sint, lin-
gua est humana. sunt namq; etiam multa, quæ fecit Iesus, quæ Ioan.21.
singulatim si scribantur, nec ipsum arbitror mundum captu-
rum qui scriberētur libros: quin & quæ loquuta sunt septem
illa tonitrua scripturus Ioannes prohibetur. & Paulus se au-
disse inquit indicibilia verba, nō quę non liceret alicui loqui, 2.Cor.12.
licebat enim ad angelos ea loqui, ad homines non licebat, o-
mnia quidem licent, at non omnia expediunt. Sin verò audi-
uit ineffabilia verba, quæ fas non esset ad hominem loqui, ar-
bitror ego vniuersæ cognitionis elementa quædam minima,
breuissimásque introductiones esse vniuersas scripturas, etiā
si accuratè intellectæ fuerint. Quamobrem vide, num fons
Iacob, ex quo bibebat aliquando Iacob, sed nunc non bibit, Allegoria.
atq; etiam bibebant filij sui, sed nunc potum habēt illo prio-
ri potu præstantiorem (quin biberunt etiam peccora eorum)
possit esse vniuersa scriptura, aqua verò Iesu, illud esse possit,
quod est supra ea, quæ scripta sunt: non omnibus autem scru-
tari licet, quæ sint superiora his, quæ scripta sunt, nisi qui assi-
milatus fuerit ipsis: ne obiurgetur audiens: Te difficiliora ne
quæras:

A quæras:& te fortiora ne vestiga. Quòd si dicimus aliqua esse
Apoc. 10. supra ea, quæ scripta sunt, non hoc dicimus ea posse mul-
tis esse nota, sed Ioanni, qui audiens, scribere etiam qualia es-
sent ea tonitruum verba non permittitur, eúmque ea didicis-
set, ea non scribit, vt pareat mundo. verebatur enim ne ipsum
quidem mundum capturum, qui scriberentur, libros. Quin e-
tiam, quæ Paulus didicit, sunt supra ea, quæ scripta sunt: quã-
doquidem homines ea loquuti sunt, & quę oculus non vidit,
sunt supra ea, quæ scripta sunt: & quę auris non audiuit, scribi
non possunt. Quin quæ in cor hominis nõ ascenderunt fon-
te Iacob sunt maiora: quippe quæ à fonte aquæ salientis ad
vitam æternam manifestantur his, qui cor hominis non am-
1. Cor. 2. plius habent, sed dicere valent: nos autem mẽtem Christi ha-
bemus, vt videamus, quæ à Deo donata sunt nobis: quæ etiã
loquimur non in sermonibus, quos humana sapientia docet,
sed quos docet spiritus sanctus: & inspice an fieri possit, vt hu-
mana sapientia non loquatur falsa dogmata, sed quæ verita-
tem confirment. & ad homines posteriores perueniant, quæ
Scripturæ verò spiritus edocet, sint fortasse fons aquæ salientis ad vitã
sunt intro- æternam. introductiones ergo sunt scripturæ, à quibus acco-
ductiones ratè intellectis, & nunc nominatis fons Iacob, ascendendum
ad omnem est ad Iesum, vt nobis largiatur fontem aquæ salientis ad vitã
veritatem. æternam. Cæterùm nõ similiter omnis haurit è fonte Iacob:
nam etiam si bibebat Iacob, & filij eius & pecora eius, atque
etiam Samaritis illa venit ad fontem ipsum, & haurit, vide ne
B aliter & prudenter biberit Iacob cum filiis, aliter, & simpli-
cius, moréque magis pecuino biberint pecora eius: rursus bi-
berit etiam aliter quàm Iacob, & filij, & pecora eius, Samari-
tis illa: qui enim docti sunt in scripturis, bibunt sicut Iacob, &
filij eius, rudiores verò, & simpliciores, qui dicũtur oues Chri
sti, bibunt perinde atque oues Iacob, tùm aliqui laudantes
scripturas, & quædã constituentes malè dicta prætextu, quòd
eas intellexerint, non secus bibunt, atque bibebat Samaritis
Ioan. 4. illa, antequàm crederet in Iesum. Dicit ad illum mulier, Do-
mine da mihi hanc aquam ne sitiam, neque veniam huc ad
hauriendum.] Iam secundò prædicat mulier dominum Ser-
uatorem. primùm cum dicit domine neque haustorium ha-
bes, & puteus altus est, quãdo etiam interrogat, vnde habeat
aquam & num maior sit Iacob, qui putabatur esse pater eius,
& nunc etiam, quando petit aquam illam, quæ in bibente fit
fons aquę salientis ad vitam æternam: & si quidem verum est
illud, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam, perspi-
cuum est, eò quòd dixerit. Da mihi hanc aquam, accepisse vi-
uentem aquam, ne in posterum egeret sitiens, neque veniret
ad fontẽ Iacob hauriẽdi causa, sed posset sine aqua Iacob an-
gelicè videre veritatem supra hominem existẽtem: nam neq;
angeli egent fonte Iacob, vt bibant, sed vnusquisque ipsorum
in seipso fontem habet aquæ salientis ad vitã æternam, osten-
tem ac retectum ab ipso sermone dei filio, atq; sapientia ipsa:
C neque enim facile factu est, vt aquam, quæ à filio Dei datur,
diuersam existẽtem ab aqua fontis Iacob accipiat aliquis, qui
se non diligentissimè exercuerit veniendo, & inde hauriẽdo,
eò quòd sitiat, perinde atque ille, qui petit hanc aquam fre-
quẽter inter multos magnos homines, vt qui diutius exerciti
Ioan. 4. fuerint hauriendo è fonte Iacob, dicit illi. Vade, voca virum
Lex tollar tuum, & veni huc, respondit mulier, & dixit, non habeo vi-
maritus. rum.] Diximus etiam in superioribus hũc virum, esse legem,
quæ princeps sit animæ, nam habet vnusquisq; instituta quæ-
dam, ac mores, sub quibus tanquàm sub lege viuit, cui vnus-
Rom. 7. quisque seipsum subiecerit. Nunc verò etiam illud apostoli
ex epistola ad Romanos ad hanc rem testimonium adduce-
mus dicentes. An ignoratis fratres, scientibus enim legem
loquor, quòd lex tantisper dominatur homini, quo ad vixe-
rit? vixerit autem quis? nempe lex (communiter intelligen-
tibus nobis legem) nam mulier obnoxia viro, viuenti viro
obligata est legi, tanquam si diceret viuenti viro, qui vir est
lex: mox rursum, inquit, quòd si mortuus fuerit vir, liberata
est à lege viri, veluti liberata est mulier à lege mortua: nec am
plius opera mulieris erga virũ exercet. deinde inquit, proinde
viuente viro, adultera vocabitur, si se iunxerit alteri viro, sin
autem mortuus fuerit vir, libera est à lege viri, vt non sit adul-
tera, si iuncta fuerit alteri viro, nimirum ei legi, quæ est ex spi-
ritu: mortuo autem viro mortua esse mulier aliquo modo di-
citur etiam viro, adeò vt nos hunc in modum exponamus D
illud. Itaque fratres vos quoque mortificati estis legi per cor- *Rom. 7.*
pus Christi, vt iungeremini alteri, nimirum ei, qui ex mortuis
surrexit, vt fructificemus Deo. Si igitur lex est vir, & Samari-
tis habet virum aliquem, quia seipsam iuxta intelligentiam
sanorum verborum subiecerit legi alicui (iuxta quam vult vi- *Christus al*
uere vnusquisque ab ecclesiæ decretis dissidens) & si vult e- *ter animæ*
tiam hoc in loco diuinus sermo animam manifestari eccle- *maritus.*
siæ decretis dissentientem, quæ sibi ipsi præfecerit legem
principem, vt spreto viro, ceu non legitimo, quærat alterum
nuptura alteri viro, nimirum sermoni filio Dei, qui resusci-
tatus est ex mortuis nõ mutandus, neque moriturus, sed sem-
piternus, manens, & regnans omnésque inimicos subiiciens *Rom. 6.*
(Christus enim excitatus à mortuis nõ amplius moritur, mors
illi vltra non dominabitur, quod enim mortuus est, peccato
mortuus est semel, quòd verò viuit, viuit per Deum, in dex-
tera eius sedens, donec omnes inimici eius positi fuerint sub-
sellium pedum ipsi.) Si hæc inquam ita se habent, vbi nam
debebat Iesus manifestare eum, qui putabatur esse Samariti-
dis, virum non esse illius, nisi apud fontem Iacob, si à seipsa
mulier non negasset virum? hanc ob causam dicit illi Iesus,
vade, & voca virum tuum, & veni huc. Iam verò veluti non-
nihil habens aquæ salientis ad vitam æternam, eò quòd dixis-
set, da mihi hanc aquam, nec fallere quiret, qui prædixerat,
si tu petisses ab eo, dedisset tibi aquam viuam, respondit mu- E
lier, condemnans seipsam, quòd cum huiusmodi viro consue *Ioan. 4.*
tudinem habuisset, & dicit, non habeo virum. Dicit illi Ie-
sus. Bene dixisti, non habeo virum, nam quinque viros ha-
buisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. hoc verè dixi-
sti.] arbitror quòd omnis anima, quæ introducitur ad eam,
quæ est per scripturas, pietatem in Christo, Incipiens ab his
rebus, quæ sensibus sunt obnoxiæ, & quæ corporeæ vocan-
tur, habeat priores quinque viros: vno quoque sensu virũ ali- *De quin-*
quem faciente, postea verò quàm habita consuetudine cũ his *que sensib⁹*
quæ sensu percipiuntur, emergere quis volens, & conuersus *allegoria.*
ad ea, quæ animo cernuntur, impegerit in sermonem spiri-
tualem non sanum, prætextu allegoriæ, hic post quinque vi-
ros ad sextum pergit, dato (vt ita dicam) repudij libello quin-
que primis, & decernens cum sexto habitare: verùm cum ad-
uenerit sermo domini, disseruerítque nobiscum, negantes il-
lum virum, dicimus, non habeo virum: quando etiam laudat
nos dominus dicens, bene dixisti, non habeo virum. Illud ve-
rò, hoc verè dixisti, veluti obiurgatoriũ est, perinde quasi mu-
lier in superioribus non vera dixerit. Ac fortasse verũ non e-
rat Iudæos cum Samaritanis commercium non habere ipso
Iesu (vt in superioribus diximus) commercium habente cum
Samaritanis, vt illis esset adiumento. Ac ne illud quidem verũ
est, neque haustorium habes, & puteus altus est. Fortassis etiã
neque illud, quò Iacob ex puteo biberit, & filij eius, & peco- F
ra eius. Nam si Iacob, & filij eius, & pecora eius non simili-
ter biberunt, vt mulier Samaritis, existimátque illa similem se
omninò potum, atque eundem bibisse cum Iacob, & filiis e-
ius, & pecoribus eius, perspicuũ est falsa eam dixisse. Sed iam *Heracleo-*
videamus quid Heracleon hoc in loco sentiat: inquit autem *nis corrupta*
fontem illum, imbecillem, & temporariam, & deficientem *expositio.*
fuisse vitam, illiúsque gloriam, mũdana enim (inquit) erat: &
existimat se demonstrationem afferre per fontem significari
vitam mundanam eò, quòd pecora Iacob ex eo biberint, &
siquidem imbecillem, & temporariam, & deficientem acce-
pisset cognitionem eam, quæ est ex parte, nempe cognitionẽ
è scripturis prouenientem, comparatione verborum indicibi-
lium, & quæ ad hominẽ eloqui non est fas, omnẽ scilicet præ-
sentem cognitionem, quę per speculum est, & per ænigma, & *1. Cor. 13.*
quæ destruitur, cum venerit illud, quod perfectum est, haud-
quaquam illud reprehendissemus: sin verò isthuc agit, vt re-
prehendat vetera, reprehendendus est ipse. Porrò quòd ait a-
quam dat Seruator, ex spiritu esse, & ex ipsius potentia, vera
narrat. quin hæc verba, non sitiet in æternũ, iisdem penè ver-
bis interpretatus est sic dicens: Vita æterna est vita ipsius, &
quæ nunquam corrumpitur (sicut prima illa aqua, quæ est ex
puteo) sed manens, nequit enim auferri donũ, & gratia Ser-
uatoris nostri, quæ neque cõsumitur, neque corrũpitur, in eo,
qui particeps ipsius fuerit. Porrò autem cum primam viam

G corruptibilem dederit, siquidem eam corruptibilem vitam dixit, quę est secundum literam, quærens, & inueniens oblatione velaminis vitam eam, quę est ea spiritu, rectè dixit: sin verò corruptibilem dicens, accusat vitam veterum, perspicuú est eum hoc facere, tanquam qui non videat bona illa vmbrã habere futurorum illorum. Cęterùm non inscitè interpretatus est vocem salientis aquę, dicens eos, qui è supernis illam abundanter suppeditatam participarẽt, vicissim etiam ea scaturire, quę sibi suppeditata fuerint. Sed & Samaritidem laudat, vt quæ suæ ipsius naturæ fidem ostenderit æqualem, & constantem: non motam ob ea, quæ illi dicebat Seruator, cui etiam nos annuimus, si propositum laudat, nihil de natura veluti excellenti innuens, sin verò ad naturale opificium refert, quòd Seruatori obtemperarit Samaritis, quasi hoc non omnibus insit, subuertenda est illius oratio. Nescio verò quomodo Heracleon, quòd scriptum etiam non est, assumens, dixerit in hoc dictum. Da mihi hanc aquam, breui, à sermone Dei filio stimulatam mulierem odio habuisse etiam locum illius putei, qui dicebatur Iacob, præterea in illud, Da mihi aquam hanc, vt non sitiam, neque veniam huc ad hauriédum, inquit, mulierem hæc dicere ostendentem labore hauriri, & cũ difficultate parari aquam illam ad irrigandum non aptam, neq; nutrientem. Vnde enim potest ostendere aquam Iacob irrigationi aptam non esse, nec nutrientem? Adhuc in hæc duo

1. Cor. 3.

Heb. 10.

H verba dicit illi, inquit Heracleon: scilicet tale quid dicens, si vis accipere hanc aquam, vade, voca virum tuum: & existimat virum, quem Samaritidis esse Seruator dicit pleroma Samaritidis esse, vt profecta cum illo ad Seruatorem, reportare ab ipso potentiam, & vnionem, & commixtionem ad pleroma suum posset, cum Christus non diceret, inquit Heracleon, mulieri de homine mundano, vt vocaret quoniã non ignorabat eã legitimum virũ non habere: cæterùm manifestè hoc in loco vrgetur dicens, quòd mulieri Seruator dixerit. Vade voca virum tuum, & veni huc, significans maritum, quem ea pleromate habebat: nam si hoc sic se habebat, oportuerat virũ dicendo, modum etiam, quo vocandus erat, dicere, vt cum ipso ad Seruatorem pergeret. Sed quoniam (vt Heracleon inquit) iuxta intelligentiam spiritualem ignorabat virum suum, secũdum verò simplicem intelligẽtiam erubescebat dicere, quòd mœchum haberet non virum, quomodo non frustra imperabit dicens, Vade voca virum tuum, & veni huc? Deinde ad illud, verè dixisti quoniam virum non habeo, inquit: quoniam in mundo virum non habebat Samaritis viro suo existente in Æone. Atque nos quidem legimus, quinque enim viros habuisti, apud Heracleonem verò inuenimus, sex viros habuisti: interpretarúrque per viros sex, vniuersam malitiam materialem declarari, cui complicata fuerat, cuiq; approximarat præter rationem fornicans, contumeliis affecta, & separata, & derelicta ab ipsis: sed ipsi Heracleoni dicendum est: si fornicata est spiritualis, peccasse spiritualem, si verè peccauit spiritualis,

Hæc valẽtinianorũ deliria exponit et refutat Hireneus libr. 1. & 2.

Heracleon aliter legebat, quam in nostris exemplaribus.

I arborem bonam non fuisse spiritualem, iuxta enim euangelium: Non potest arbor bona malos fructus ferre: proinde apertè illis perire, quæ finxerunt: quòd si fieri nequit, vt arbor bona malos ferat fructus, & arbor bona est Samaritis, quia sit spiritualis, consequens illi est dicere, quòd aut fornicatio eius non sit peccatum, aut quòd hęc non est fornicata: dicit ad cũ mulier. Domine video te esse prophetã. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis Hierosolymæ locum esse, vbi oporteat adorare.] Tertiò iam Samaritis Seruatorem nostrum Dominum prædicat, quando etiam scriptum est vltimò hoc eam illi dixisse: attamen nõdum credit eum esse prophetis præstantiorem, neque quem prophetę prędixerint, sed prophetam aliquem. Sententia etiam ab ecclesię decretis dissentiens eorum, qui versantur in scripturis, quinque illis viris in apertum sibi productis, cúmque illis eo, quem ipsa post illos occuparat, quique existimabatur vir esse, λόγον, & sermonem filium Dei, qui illos manifestarat, non valens à principio cernere, prophetam esse inquit: ceu diuinum quempiã, cúmque habentem homine quid maius: haud tamen tantũ, quantum erat: quam ob causam inquit, veluti quæ sustulisset aliquo modo oculos, & se existimaret in visione fuisse, video te esse prophetam. Sanè quòd ad illud attinet, patres nostri, & quæ sequuntur, agnoscenda est Samaritanorum cum iudæis

Matt. 7.

Ioan. 4.

De montibus Garizim & Gebal.

differentia, de loco, quem illi rebantur sanctum: nam Samaritani montem sanctum existimantes eum, qui vocatur Garizim, Deum ibi adorant: cuius meminit Moses in Deuteronomio sic dicens, & præcepit Moses populo in die illa dicẽs. Hi stabunt ad benedicendum populum in monte Garizim, cum transierint Iordanem Symeon, Leui, Iudas, Isachar, Ioseph, & Beniamin: & hi stabunt in execratione in monte Gelal: Rubim, Gad, Asser, Zabulon, Dein & Nephtalim. Iudæi autem Syon montem diuinum esse rati, propriúmque Dei delubrum esse locum, electum à patre vniuersorum: & hanc ob causam dicunt, in ipso ædificatum fuisse templum à Salomone: omnémque Leuiticum, sacerdotalémque cultum illic perfici, quas suspiciones vtraque gens sequẽs, existimauit patres in hoc, vel illo monte adorasse Deum. Quòd si vsque in hodiernum diem contenderent aliquando Iudęi cum Samaritanis, addubitabit vterq; ad alterum. Dicétque sanè Samaritanus Iudæo, præsentem mulieris scriptum sermonem. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, ostendens Gariaim, vos autem dicitis Hierosolymę locum esse, vbi oporteat adorare. Sed quoniam Iudæi gerunt imaginem eorum, qui sanæ sunt opinionis, Samaritæ autem eorum, qui ab ecclesiæ decretis dissident, beatificant consequenter Samaritæ, Garizim: qui mons interpretatur discissio, vel diuisio, cum etiam separatio, & diuisio iuxta historiam decem tribuum, quæ diuisæ fuerunt à reliquis duabus, facta fuerit temporibus Hie- L roboam, qui, & ipse interpretatur diuisio populi, Iudęi autem Syon: quem si interpreteris, sonat specula, sed probabile est dubitaturum aliquem, quare benedictiones fiant in monte Gariaim apud Mosen: ad quod dicendum est, quorũam vox Gariaim discissionem, & diuisionem significat, discissionis quidem significatum sumendum esse, cum scinditur populus à Hieroboan, habitátque Samariam Rex, diuisionis verò vocem, sumendam esse in bonam partem: quia appositè sapientes vtantur diuisione in vnaquaque propositione disputabili: necessaria existente diuisione ad cognitionem veritatis. Quocirca quia nondũ venit hora illa dicta à Domino, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymæ adorabunt patrem, fugiendus est mons Samaritanorũ, & interim in Syon, vbi est Hierosolyma, Deus adorandus, quæ Hierosolyma ciuitas regis magni dicitur à Christo. Sed quænam alia ciuitas erit regis magni, & vera Hierosolyma, nisi ecclesia ex viuis lapidibus ædificata? Vbi est sacerdotium sanctum, vbi spirituales offeruntur hostiæ Deo à spiritualibus, & ab his, qui spiritualem intellexerint legem. Cum enimuero audierit plenitudo illa temporis, adhæc cum quis nequaquam in carne, sed in spiritu fuerit, nec amplius in figura, sed totus in veritate, & taliter instructus, vt seipsum similem reddat eorum adoratorum, quos Deus quærit, tunc non censendum est verã adorationem, perfectúmque Dei cultum Hierosolymis perfectum iri. Bis autem scriptum est, venit hora. Sed primùm M cum non addiderit euangelista, & nunc est: secundò inquit: sed venit hora, & nunc est. Ac, mea quidem sententia, prima lectio declarat futuram adorationem extra corpora propter perfectionem: altera profectum, eorum qui perficiuntur in hac vita, quoad licet humanæ naturæ, quamobrem licet adorare patrem, & spiritu, & veritate, quando non solùm venit hora, verùm etiam venit hora, & nunc est: & quando Hierosolymis esse existimamur propter eos, qui eo vsque tantum ascenderunt. Quando ergo scriptum est, venit hora, & nunc est, non amplius dicitur, neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem, vt dictum est: attamen falsa opinatur Samaritis hæc dicens: non aliter quàm cum putabat fontem Iacob dici puteum. Illic etenim inquit.

Deut. 27

Samaritæ imago hereticorum.

3. Reg. 12.

Matt. 5.

Ioan. 4.

Num tu maior es patre nostro Iacob? qui dedit nobis hunc puteum? & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius.

Hic autem, & patres vestri in monte hoc adorauerunt. Cæterùm in his verbis inquit Heracleon honestè Samaritidem fassam fuisse, quæ sibi Iesus dixisset: solius enim prophetę (inquit Heracleon) est omnia cernere: vtrobique mentiens: cum etiam angeli huiusmodi cernere queant, & propheta non videat omnia. Ea

1. Cor. 13.

patre

A parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus : etiam ſi prophetemus,vel agnoſcamus : deinde Samaritidem laudat, tanquàm quæ decenter naturæ ſuæ fecerit,quæ neque mentita ſit,neque continuò faſſa fuerit turpitudinem ſuam,perſuaſamq́;,Ieſum prophetam eſſe,ipſam inquit interrogare eum, oſtendentem ſimul etiam cauſam,per quam fornicata fuerit: nimirum quòd propter ignorantiam Dei,& diuini cultus: vt quæ neglexerit etiam omnia ſibi ad præſentem vitam neceſſaria. quam alioquin ignorantiam hac in vita ſemper habuiſſet:neque enim(inquit)veniſſet hæc ad puteum , qui erat extra vrbem.Sed neſcio quomodo exiſtimauerint oſtendi cauſam fornicandi , vel ignorantiam diuini cultus cauſam fuiſſe delictorum:ſed hoc videtur extemporaliter dixiſſe abſq; vlla veriſimilitudine:hiſque addit eam volentem diſcere,quomodo,Deum adorans,& illi grata,liberaretur à fornicatione,illud dixiſſe:Patres noſtri in hoc monte adorauerũt:& ea,quæ ſequuntur.Sed facilè admodum redarguuntur hæc dicta,vnde enim liquet,eam diſcere velle, quo pacto Deo grata liberaretur à fornicatione? Dicit illi Ieſus,crede mihi mulier , venit hora quando,neque in hoc monte, neque Hieroſolymis adorabitis patrem. Quando viſus eſt Heracleon aptiſſimè in hæc præcedentibus obſeruaſſe non dictum fuiſſe illi , mulier

Ad Heracleonem nota.

B crede mihi,nunc autem hoc illi adiunctum fuiſſe , tunc non inſcitam obſeruationem obſeruauit,cum dixiſſet, per montẽ intelligi diabolum,vel mundum eius:quandoquidẽ pars vna eſt,inquit,diabolus totius materiæ , mundus verò vniuerſus malitiæ mons,deſertus,& habitatio ferarum,quem adorabũt omnes ante legem,& gentiles. Per Hieroſolymam verò intelligi dicit creationem,vel creatorem, quem adorabant Iudæi:quin rurſum exiſtimauit montem eſſe creationem,quam gentiles adorarent,Hieroſolymam autem creatorem , quem Iudæi colerent. Vos ergo,inquit,veluti ſpirituales,neq; creationem,neque mundi opificem adorabitis , ſed patrem veritatis:ac illam ſanè adiuuat,inquit, tanquam iam fidelem , & quæ annumeretur adorantibus cum in veritate. At verò nos per hoc dictum,neque in monte hoc, declarari exiſtimamus illud,quod Dei cultum appellant hi , qui ab eccleſiæ decretis di[illegible]dent , exiſtens in imaginatione ſermonum , qui ſunt cognoſcibiles,& qui exiſtimantur alti,per illud verò:neq; Hieroſolymis,regulam eccleſiæ iuxta multos declarari exiſtimamus,quam etiam ipſam,ſanctus,& perfectus tranſcẽdet,acutius,& apertius,& diuinius adorans patrem. Vt enim(quod & Iudæi fatebuntur) angeli Hieroſolymis non adorant patrem,eò quòd longè melius patrem adorent quàm Hieroſolymis,etiam ſic qui affectu id habent,vt pares ſint angelis,neque Hieroſolymis patrem adorabunt , ſed longè melius his, qui ſunt Hieroſolymis:etiam ſi propter eos , qui Hieroſolymis habitant, conſuetudinem habent cum Iudæis Hieroſolymæ degentibus,facti Iudęi,vt Iudęos lucrifaciant. Sed Hieroſolyma mihi conſideretur, vt antea oſtendimus,atque etiã ſimiliter Iudæi. Quando verò neque in monte hoc, neque Hieroſolymis quis adorat,quia venerit iam hora , is filius factus,patrem cum fiducia adorat:quam ob cauſam non dictũ eſt,neque Hieroſolymis adorabitis Deum,ſed neque Hieroſolymis adorabitis patrem.

Regula Eccleſiæ.

QVARTVSDECIMVS TOMVS.

Vos adoratis,quod neſcitis:nos adoramus,quod ſcimus,quoniam ſalus ex Iudæis eſt.

PEr voculam , Vos, quod ad expoſitionem attinet,intelliguntur Samaritani,quantum verò ad Anagogen,illi qui in ſcripturis diuerſa à nobis ſentiunt:ſic per voculam,nos,quantum ad propoſitum,intelliguntur Iudæi, quantum ad allegoriam,ipſe Dei ſermo,ipſe Dei filius,& qui in ipſum transformantur,ſalutem habentes à ſcriptis Iudaicis: nam manifeſtatum nunc myſterium manifeſtum eſt per ſcripturas propheticas,& per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vide verò an non impropriè, & præter conſequentiam verborum Heracleon diſſeruerit,exponens illud, vos, pro eo quod eſt, vos Iudæi,& gentiles,quale autem eſt,vt ad Samaritidem dicatur vos Iudæi?vel ad Samaritidem vos gentiles? ſed profectò neſciunt,qui ab eccleſiæ decretis diſſident, quod adorãt, figmentum eſſe non veritatem,fabulam,non myſteria, at verò qui creatorem adorat,præſertim iuxta Iudæum occultum, & iuxta ſermones Iudaicos ſpirituales nouit,quod adorat,ſed longè melius eſt ipſius Heracleonis dicta in medium apponere,quæ ab eo libro ſumpſit,qui prædicatio Petri inſcriptus eſt:inſiſteréque etiam ad ea , diſquirentes ſit nec ne genuinus liber,an nothus, an mixtus:quam ob cauſam libẽter hęc diſferimus:tantùm illud notantes,librum ipſum docere,perinde quaſi Petrus docuerit non oportere gentilium more adorare: materialia laudantium,atque ſeruientium lignis,& lapidibus, neque Iudæorum more Deum colentium,quãdoquidem, & ipſi hi ſoli , Deum ſcire exiſtimari ipſum ignorant : ſeruientes angelis,& menſi,& lunæ:vnde quærамus neceſſe eſt, cui cultum corporalem exhibeant Iudæi , nam illis propoſitum fuiſſe offerre victimas creatori vniuerſi perſpicuum eſt. Proinde operæ precium eſt videre,quòd in apoſtolorũ actis ſcriptum eſt. Conuertit ſe Deus,& tradidit eos ad colendam militiam cœli:neſcio autem,quomodo Seruatore palam dicente ſalutem ex Iudæis eſſe,qui ab eccleſiæ decretis , diſſident, negent Deum Abraam,& Iſaac,& Iacob:qui fuere patres Iudæorum,prætetea ſi implet Seruator legem,& vt impleantur, quæ ſcripta ſunt in prophetis, hæc, & hæc fiunt tempore aduentus Domini,quomodo non liquet , quo nam pacto ſalus E ex Iudæis fiat?idem enim Deus iudæorum,& gentium : quãdoquidem vnus eſt Deus,qui iuſtificabit circumciſionem ex fide,& præputium per fidem, non enim deſtruimus legẽ per fidem,ſed ſtabilimus legem per fidem.

D

Prædicatio Petri liber hodie editus Græcè & Latinè nomine clementis Romani.

Act. 7.

Matt. 5.

Rom. 3.

Venit hora,& nunc eſt,quando veri adoratores adorabunt patrem ſpiritu,& veritate.



QVi minimè ſe profitentur adorare patrem,hos ne nominare quidem oportet adoratores Dei : ſed ex omnibus profitentibus ſe adorare mundi opificem,ſi quidam non amplius ſint in carne,ſed in ſpiritu:ſpiritu,quia ambulent,deſideria carnis non perficientes:Et aliqui non in ſpiritu ſint,ſed in carne,& ſecũdum carnem militent , tunc dicendum eſt veros adoratores eſſe eos, qui patrem adorant ſpiritu, non carne : veritate, non figuris: non veros verò,eos qui ſic ſe non habent. Ille etiam qui non particeps fuerit,ſpiritus viuificantis , quique ſpiritualia legis non ſequens à litera occidente in ſeruitutem redactus fuerit, hic verus non erit adorator:nec ſpiritu adorabit patrem.Imò hic ipſe,totus figuris,& rebus corporeis addictus,cum ſe maximè aſſequi exiſtimauerit,tunc figura,& non veritate Deum adorat,& idcirco verus adorator eſſe non valens: fortaſſe cõ- F ceſſum eſt,aliquando conueniẽter rationi, vt verus adorator, ſpiritu,& veritate adorans,quædam faciat,quæ figura ſint, vt quos figura interierit ſumma diſpenſatione ab ea liberatos ad veritatem adducat:id quod Timotheo Paulum feciſſe appaset,fortaſſis autem in Cenchris, & Hieroſolymis veluti in apoſtolorum Actis ſcriptum eſt , obſeruandum verò eſt veros adoratores nõ ſolùm in futura hora,verùm etiam in præſenti adorare patrem ſpiritu,& veritate. Sed qui ſpiritu adorãt ſpiritum,quem acceperunt ſpiritum adorantes,in arrabone ſpiritus nunc adorant:tũc ſpiritu patrem adoraturi, cum totum perceperint ſpiritum. Quòd ſi is,qui videt per ſpeculum,non videt verum,vti hæc optimè callentes oſtẽdunt his imaginariè videntibus,& per ſpeculum adorat Deum vid

ẽtque: Paulus nunc per ſpeculum,ſuique ſimiles,perſpicuum eſt Paulum ſic adorare Deum,quemadmodum videt,atq; etiam per ſpeculum adorare Deum: cum verò venerit hora poſt inſtãtem futura,tunc erit adoratio in veritate,quæ facie ad faciem, nõ amplius per ſpeculum videtur:Sanè ea verba: nos adoramus, Heracleon eſſe refert eum,qui eſt in Æone , & qui cum ipſo venerunt:nam hi inquit nouerunt,quem adorant,ſecundum veritatem adorantes. Quin illud etiam, ſalus ex Iudæis eſt, quoniam in Iudæa genitus eſt,inquit,non inter ipſos:quia in omnes ipſos animi propenſionem non habuerit , & quoniam ex illa gente egreſſa eſt ſalus,& ſermo in orbem terrarum: iuxta intelligentiam verò ſpiritualem ex Iudæis narrat

Act. 16. & 21.

1. Cor. 13.

Æones Valentinianorum.

G factam fuisse salutem, quoniam hi similitudines esse existimantur eorum, qui sunt in pleromate: sed ostenderet necesse erat ipse, eiúsque sequaces, quomodo vnusquisque sit similitudo eorum, qui sunt in pleromate, modò non sola voce hoc dicant, sed verè hoc sentiat: prȩterea enarrans illud, in spiritu, & veritate adorari Deum, priores adoratores, inquit, carne, & errore adorauerunt eum, qui pater non erat, quare eadem etiam ratione decepti fuere omnes, qui adorarunt mundi opificem: subiungítque Heracleon eos seruisse creaturæ, non ei, qui in veritate creator erat, qui est Christus, quandoquidem omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Etenim pater taleis quærit, qui ipsum adorarent: si quærit pater, per filium quærit, qui venit ad quærendum, & seruandum quod perierat: quos purificans, & erudiens ratione, & sanis dogmatibus præparat esse veros adoratores. *Ioan. 1.* Periisse autem Heracleon (inquit) in profunda materia erroris rem familiarem patri, quæ quæritur, vt à familiaribus adoretur, itaq; hunc quidem sermonem si intellexisset de nomm perditione, & de filio, qui à patre deciderit, saltem admisissemus ipsius enarrationem: sed nescio quid tandé apertè doceant de perditione spiritualis naturæ qui ipsum sequuntur fabulantes, & nihil apertum nos docentes de seculis, vel temporibus, quæ fuere ante ipsam perditionem: neque enim manifestare valent rationem suam: hanc ob causam prætermisimus ipsos H sponte, tantùm dubij.

Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum spiritu, & veritate adorare.

CVm multi multa de Deo, déq; eius essentia enunciarint, adeo vt quidam illum corporeę, & tenuis, & cœlestis naturæ dixerint, alij incorporeæ, rursum alij Deũ has naturas transcendere dixerint potentia, & excellẽtia essentiæ suæ, operæpreciom est vt videamus an à scripturis diuinis habeamos causas ad dicendum aliquid de Dei essentia. *De essentia dei.* Atque hoc quidem in loco dicitur quasi essentia eius esse spiritus. Spiritus est Deus, inquit, in lege verò ignis dicitur. Scriptum est enim: Deus noster ignis consumens est apud Ioanné verò lux. *Heb. 13.* Deus enim inquit lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. *Deut. 4.* Si ergo simplicius hæc intellexerimus, nihil prȩter lexim perscrutantes, *1. Ioan. 1.* occasionem habebimus dicendi Deum esse corpus, cum interim, quæ nos sequantur absurda hoc dicentes vulgarium non sit cernere: quia pauci disseruerint de corporum natura, & maximè de his corporibus, quæ ornantur ratione, & prouidentia: *Deum non esse corpus.* quanquam generali sermone dicãt prouidentem, & prospicientem eiusdem essentiæ esse cum his, quibus prospicitur: perfectum tamen, & diuersum ab eo, cui prospicitur. Admiserunt autem, quȩ repugnabant rationi ipsorum absurda, qui volunt Deum esse corpus, quia non valerent contra eos, qui euidenter, & rationabiliter pugnabant, resistere: *I* *Quinta essentia.* quȩ dico excipiendn eos, qui quintam naturam corporum, præter elementa esse dicunt, quod si omne corpus materiale, naturam habet propria ratione sine qualitate existens, vertibilem autem, & alterabilem, & per omnia mutabilem, & qualitates capientem, quas illi mundi opifex imprimere voluerit, etiam necesse est Deum materialem existentem, vertibilem esse, & alterabilem, & mutabilem, & illos quidem non pudet dicere Deum corruptibilem esse, corpus cum sit, sed corpus spirituale, & cœleste, præcipuè secundum principatum ipsius: corruptibilísque cum sit, iccirco eum non corrumpi, quòd non habeat corrumpentem. At nos eò quod non videamus consequentia, si corpus eum dixerimus, & per scripturam tale corpus, nempe spiritum, & ignem consumentem, & lucem, quæ necessariò hanc opinionem sequantur, absurda non admittentes, erubescamus veluti fatui dicentes contra aperta, & euidentia. Omnis enim ignis opus habens vt alatur, corruptibilis est, & omnis spiritus (si simpliciter intelligamus spiritum) corpus cum sit, accipit, quod ad suam naturam attinet, mutationem in rem crassiorem: *Spiritũ hic vocat ventum.* ergo his fiet, vt vel seruantes verba, tot absorda, & inexplicabilia de Deo admittamus, vel eadem via incedendum est, quemadmodum etiam in pluribus faciemus: exquirendúmque, quid K innui, & declarari possit cum Deus, dicitur spiritus, vel ignis, vel lux. *Membra in des allegorice.* Ac principiò dicendum est vt oculos, & palpebras, & aures, & manus, & brachia, & atque etiam alas, & pedes, scripta de Deo inuenientes, transmutamus quæ scripta fuerint in allegoriam, spretis his, qui Deo similem hominibus formam attribuunt, hócque iure facimus, sic etiam nobis idem faciendum esse, in prædictis nominibus: ac profectò id liquet ex re, quæ videtur nobis magis in vsu esse. Deus enim lux est secundum Ioannem, & tenebræ in eo non sunt vllæ: *1. Ioan. 1.* quomodo autem lux ipse intelligendus sit pro virili cordatius consideremus: duplicitur lux dicitur tùm corporaliter, tùm spiritualiter, hoc est, quæ mente cernitur, & *Lux duplex.* vt scripturæ dicerent, quæ sub visum non cadit, seu vt gentiles, incorporea, *2. Cor. 4.* & corporalis sanè lucis manifestum exemplum est illud his, qui hanc scripturam accipiunt: omnibus autem filiis Israel erat lux in omnibus, in quibus versabantur. *Exod. 9.* Spiritualis verò exemplum est apud quendam prophetam ex duodecim. *Os. 10.* Seminate vobis ipsis iustitiam, vindemiate fructum vitæ, illuminate vobis ipsis lumen cognitionis. Rursus similiter per comparationem, & proportionem bifariam dicentur tenebræ: quarum, quæ communius dicuntur, *Tenebræ duplices.* exemplum est illud, & vocauit Deus lucem, diem, & tenebras vocauit noctem: *Gen. 1.* tenebrarum verò intelligibilium hoc est exemplum: populus qui sedebat in tenebris, L & vmbra mortis, vidit lucem magnam. *Tenebræ intelligibiles.* His sic habentibus dignum est cernere, quid nobis conueniat intelligere de Deo, cum lux dicitur, in qua nullæ sunt tenebræ. Vtrum Deus lux est illuminans corporeos oculos, an intelligibiles? *Esa. 9.* de quibus, & propheta dicit. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, *Psal. 12.* existimo autem apertum cuicunque esse nos haudquaquam dicturos, Deum solis officium facere, si alij cedat munus illustrandi eorum oculos, qui dormituri non sunt in morte: ergo illuminat Deus eorum mentem, quos dignos iudicat propria illuminatione: quòd si mentis est illustrator, iuxta illud, quod dicitur, Dominus illuminatio mea, *Psal. 26.* necesse est ipsum, qui mente cernitur, qui sub visum non cadit, qui est expers corporis, ipsius mentis, quæ sub visum non cadit, lucem esse corpore carentem, quòd Deus ignis consumens dictus nequaquam corporalis ignis esse videatur, qui consumat corpora veluti ligna, fœnum, stipulam, sed si cernantur in nobis ligna, fœnum, stipula, sit Deus noster ignis, talis materiæ consumptor, *1. Cor. 3.* qui dicitur ignis cnnsumeus: decéiqoe profectò, Dominum talia consumere, deleréque peiora: quo facto dolores arbitror, laborésque otiri nullo corporeo tactu circa principatus, & parteis animæ præstantissimas, vbi structura fuerit digna, quæ consumetur. *Deus lux trãslatione ab hac luce sumpta.* Lux ergo Deus nominatur, translatione sumpta à luce corporea ad inuisibilem, & incorpoream lucem, sic dictus propter vim illuminandi oculos intelligibiles. M Appellatur etiam ignis consumens consideratione habita ab eo igne, qui est corporeus, & consumptor talis materiæ. Simile quiddam mihi videtur esse Deus, cum spiritus dicitur, quoniam enim viuificatione eam, quæ media est, & quæ communiori vocabulo vita appellatur, dicta etiam corporalis flatus vitæ spiritus nostri, videntes viuificamur à spiritu: inde sumptum fuisse arbitror, vt Deus ducens nos ad vitam veram spiritus dicatur. Spiritus enim, more sacræ scripturæ, dicitur id, quod viuificat, non ea viuificatione, quæ est media, sed diuiniori: *Spiritus quid in scriptura.* etenim litera occidit, & ingenerat mortem, non eam, quæ est separatio corporis ab anima, sed mortem, quæ animam à Deo, & Domino suo, & sancto spiritu separat. Vide igitur, ne fortè illud: Auferes spiritum ab eis, & deficient: & illud Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ, melius exponeremus de diuino spiritu: *Mors duplex.* existimantes, quòd qui priuatur diuino spiritu, terrenus efficiatur, cum contrà qui aptum seipsum fecerit ad susceptionem ipsius, & eum acceperit, renouetur, & denuo creetur. *Psal. 103.* Huiusmodi quiddam est illud: insufflauit in faciem eius flatum vitæ, & factus est homo in animam viuentem: *Gen. 1.* adeò, vt & inspirationem, & flatum vitæ, & vitam animæ spiritaliter intelligamus. *Leuit. 26.* Quoniam autem vis prædicta *2. Cor. 16.*

A cta nacta animam sancti, quasi domunculam aptam, seipsam *2 Cor. 6.* exhibet ad permanendum, vt ita loquar, in ea, & propter hoc illud scriptum esse etiam existimãdum est: Inhabitabo in eis, & deambulabo inter ipsos, & ero illis Deus, & ipsi erũt mihi populus: multa sanè exercitatione egemus, vt perfecti, & *Hebr. 5.* exercitati in his, quæ Paulus vocat sensuria, diiudicare possimus bona, & mala: vera, & falsa: videtéque intelligibilia, quò diligentius, & vt Deo magis est decens, iuxta vireis humanæ naturæ, intelligere possimus, quomodo Deus sit lux, quomodo *3 Reg. 19.* ignis, quomodo spiritus. Quin in Regũ tertio, talia quædam de Deo suggerit Domini spiritus, ad Heliam factus: dixit enim: Egredietur cras, & stabit coram Domino in monte, & ecce præteribit Dominus, & ventus magnus, fortis, diffindens monteis, & confringens petras coram Domino, at Dominus non est in vento: in alijs verò exemplaribus inuenimus, in spiritu Domini post ventum illum commotio solùm: in commotione Dominus, & post cõmotionem ignis, neque in igne Dominus, post ignem autem, vox auræ tenuis, & fortassè in quantis oporteat nos versari pro cognoscendo, atque apprehendendo Domino, declaratur per hæc verba, quæ non est præsentis temporis enarrare. decuit autem nos *Matt. 11.* aliqua de Deo dicere, quísnam sit, vel de filio (nam patrem nemo agnouit, nisi filius) vt etiam nos, reuelante filio, agnoscamus, quõnã pacto Deus sit spiritus, & cõtendamus Deum adorare spiritu viuificante, non litera occidente, eúmque co-B lere veritate, non amplius figuris, & exemplaribus, perinde atque angeli, qui nõ exemplaribus, & vmbra cœlestium, Deo *Heb. 7.* deseruiũt, sed rebus intelligibilibus, & supercœlestibus: summum illum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech pro orantium, atque egentium salute, habentes ducem cultus mystici, atque ineffabilis visionis. Sanè in ea verba: Deus est spiritus, inquit Heracleon, immaculata, & pura, & inuisibilis est diuina ipsius natura. Sed hæc cum dixerit, haud scio, an docuerit nos, quomodo Deus sit spiritus. Illud etiam, adorantes oportet adorare spiritu, & veritate, tatus se declarare, inquit, pro dignitate eius, qui adoratur spiritualiter, non carnaliter. etenim ipsi eiusdem naturę cum patre existentes, sunt spiritus, qui secundum veritatem, & non secundum errorem *Rom. 12.* adorant, quemadmodum & Apostolus docet, dicens: Rationabilem cultum, talem Dei cultum. Sed annotabimus, an *Heracleonis impietas.* non valde sit impium dicere: Quòd adorantes Deum spiritu, & veritate, eiusdem sint essentiæ cum ingenita illa, & vndequaque beata natura, quos paulò ante dixerat Heracleon lapsos fuisse, cum Samaritidem diceret spiritualis existentem naturæ, meretricatam fuisse. Quòd si Heracleon, ac sui sequaces admiserint spiritualem naturam, quæ sit eiusdem essentiæ cum diuina, & vndequaque beata natura, vt ipsi tra-C dunt meretricari, pruphana, & impia, & irreligiosa de Deo sequuntur rationem ipsorum. ac ne sine periculo quidem conferri possunt hæc inter se, atque imaginari, pręsertim cum *Matt. 19.* audiamus Seruatorem dicentem: quare qui misit me maior me est, nec tolerantem admittere oblatam sibi boni appellationem: propriam, & veram, & perfectam, sed gratiosè admodum referentem eam ad patrem, cum increpatione illius, qui volebat glorificare filium, omnibus, quæ facta sunt, antecellentem cum spiritu sancto, non comparatione, sed exuberanti excellentia: quanta enim est doxologia filij antecellentis thronos, dominationes, principatus, potestates, atq; omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, verùm etiam in futuro? Dicit ei mulier.

Scio Messiam venturum esse, qui dicitur Christus, cúmque venerit ille, annunciabit nobis omnia.

Moses lex vbi mẽtionem faciat de Christo. D I O N V M est, vt videamus, quònam pacto Samaritis nihil plus admittens, quàm quinq; Mosis libros, Christi aduẽtum expectat, veluti tantùm à lege nunciatum: ac profectò consentaneum est, eam futurum huius aduẽtum sperasse ex benedictione, quam Iudæ Iacob dedit, dicens: Iuda, te lau-*Gen. 49.* dabunt fratres tui: manus tuæ in ceruice hostium tuorum: Genu flectent tibi filij patris tui, & post pauca: non deficiet dux de Iuda, & princeps de fœmoribus eius, donec venerint

reposita illi, & ipse expectatio gentium. quin verisimile est D Samaritanos ex prophetiis Balaam idem sperasse: & ex hac præsertim. Egredietur homo ex semine eius, & dominabi-*Num. 24.* tur gentibus multis, & exaltabitur regnum Gog, & regnum eius augebitur: Deus ducet eum ex Ægypto: gloria eius veluti gloria vnicornis: deuorabit genteis inimicorum suorum, & crassities illorum medulla priuabit, & iaculis suis inimicum impetet: decumbens requieuit, vt leo, & vt catulus leonis: quis excitabit eum? benedicentes te, benedicentur, & execrantes te, execrati sint. Quin in sequentibus etiam, in-*Num. 24.* quit ipse Balaam: apparebo illis, & non nunc beatificabo: & non approximat, exurget astrum ex Iacob, & exurget homo ex Israel, & vulnerabit. Duces Moab, & captiuos ducet omneis filios Seth, & erit Edom hæreditas: & erit hæreditas Esau inimicus eius, & Israël fecit in fortitudine, & excitabitur ex Iacob, & perdet seruatum ex vrbe. Inspicies verò num fortè Samaritanis quoque complaceat, vt Mosis benedictio *Deut. 33.* ad Iudam, referatur ad Christum, sic habens: Exaudi Domine vocem Iuda, & ad populum eius, quæso, venias: manus eius simul iudicant eum, & adiutor sibi ab inimicis eius eris. Sed quoniam gloriantur Samaritani de Patriarcha Ioseph, *Gen. 49.* inspicio num fortè aliqui benedictionem Iacob ad Ioseph, & benedictionem Mosis accipiant dici de Christi aduentu. *Deut. 33.* poterit autem quisquis voluerit ex ipsa scriptura sumere verba: quin Seruator ipse sciens Mosen multa de Messiæ prophetia scripsisse, ad Iudæos inquit: Si Mosi crederetis, crederetis etiam mihi, de me enim ille scripsit quamobrem quamplurima inuenire licet scripta in lege tùm typice aper-E tè, tùm obscurè, quæ referantur ad Christum. Apertiora verò *Ioan. 5.* alia, & manifestiora præter hæc, ego in præsentia non video. Messias quidem lingua Hebræorum dicitur, quod septuaginta interpretati sunt, Christus, Aquilas verò vnctus. Intuendum, & illud cum venerit ille, renunciabit vobis omnem veritatem. Verum ex traditione id dixerit Samaritis, an *Epiphaniũ lib. 1. Panarij consule.* ex lege: nec sanè ignorandum est, vt Iesus seipsum non solùm esse ex Iudęis Messiam dicebat, & demonstrabat, sic Dositheum etiam quendam extitisse ex Samaritanis, qui seipsum diceret Messiam prophetatum, à quo vsque nunc Dositheni sunt, libros Dosithei circũferentes, & fabulas quasdam enarrantes de eo, perinde quasi ille non perierit, sed alicubi in hac vita degat, & hæc quidem, quòd ad lectionis seriem attinet. Quin etiam diuersæ sectæ mulier apud fontem Iacob, quem puteum putabat, quem mente suspicatur esse perfectiorem, λόγον, id est sermonem, hunc Christum nominans inquit. Cũ venerit ille, annũciabit nobis omnia, præsens autẽ cum esset ille, qui, & expectabatur, & sperabatur: ille ego F sum: qui tecum loquor, inquit. Sed vide quid Heracleon dicat. inquit enim: expectabat ecclesia Christum, & persuasa *Ioan. 5.* erat de eo, quòd solus ille omnia nouit.

Dicit illud Iesus, ego sum, qui loquor tecum, & interim venerunt discipuli eius, mirabantúrque quod cum muliere loqueretur: nemo tamen dixit, quid quæris, aut cur loqueris cum ea?

I N Q V I R E R E debemus sicubi Christus euãgelizauit seipsum, locáque inter se conferre, velut: Ego sum qui de me ipso testimonium fero, & testatur de me, qui misit me, pater. Et illud: Si crederetis Mosi, crederetis etiam mi-*Ioan. 5.* hi, de me enim ille scripsit, & si quid horum simile dictum est in aliquo Euangelio. Veruntamen quod ad lectionis seriem attinet, ab ipso hinc discimus, quòd mansuetus, quòd *Matt. 11.* mitis, & humilis corde sit, talibus de rebus disserere nõ spernens cum muliere aquam gerente, & ob multam paupertatem ex vrbe egressa, ac laborante in haurienda aqua. Ac profectò mirantur discipuli superuenientes, qui præuiderant magnitudinem diuinitatis in ipso, mirantúrque, quomodo tantus cum muliere loqueretur, sed nos iactantia, ac superbia ducti simplices despicimus, obliti illud singulatim ad quemuis hominem pertinere: Faciamus hominem ad imaginem, *Gen. 1.* & similitudinem nostram: & memoria non repetentes fingentem in vtero, & fingentem singulatim corda hominum

G omnium,& intelligentem in omnia opera eorum,non agno-
Psal.33. scimus,quòd abiectorum,& paruulorum Deus auxiliator,&
Apostola susceptor infirmorum, succurrens desperantibus, & eos, qui
Samaritana. deplorati sunt seruans. Vtitur autem hac muliere veluti apo-
stola ad eos,qui erant in vrbe, in tantùm eam sermonibus in-
flammans, vt dimissa hydria sua mulier, abierit in ciuitatem,
dixeritque hominibus: Venite, & videte hominem, qui di-
xit mihi omnia,quæcunque feci:an hic est ille Christus? tunc
ex vrbe exierunt,& venerunt ad ipsum.]Mulierem hanc non
post habens apertissimè, seipsum ostendit sermo Dei filius,
adeò vt cum venissent apostoli, mirarentur, si cum hac fœ-
mella,& quæ facilè decipi posset, dignaretur colloqui sermo
filius Dei. Attamen omnia præclarè fieri à sermone persuasi
discipuli,non increpant Iesum,nec dubitant de disputatione
eius cum Samaritide, vel de Samaritidis collocutione cum
Iesu: fortassis verò etiam obstupuerant de multa bonitate fi-
lij Dei condescendentis, animæ spernenti Syon, & spem in
montem Samariæ habenti: quam ob causam scriptum est:
mirabantur, quòd cum muliere loqueretur. Heracleon verò
in ea verba,Ego sum qui loquor tibi,inquit, Samaritidi, quo-
niam persuasa fuerat, Christum, cum venisset, omnia illi an-
nunciaturũ,dicere Iesum hęc verba:quem tu expectas.loquit
H etiam Heracleon, venerunt ad eum discipuli, quorum causa
venerat in Samariam. at quónam pacto discipulorum causa
in Samariam venerat,qui cum illo prius fuerant?

Reliquit,inquit,mulier hydriam suam, & ciuitatem adijt,
& hominibus ait: agite,videte virum,qui dixit
mihi omnia,quæcunque feci: an hic
est ille Christus?

ON frustra reor scripsisse euangelistam de di-
missione hydriæ,quod reliquerit illam mulier
profecta ad vrbem,ostẽdens (quod ad textum
quidem attinet)studium maius, quàm pro Sa-
Litera sensus. maritide, vt quæ reliquerit hydriam, non sic
cordi habẽs corporeũ, & humile officium, vt multorum vti-
litatem: humanitate enim mota est,quæ voluit ciuibus euan-
gelizare Christum:ipsi testimonium dans,quòd omnia,quæ-
cunque fecisset,sibi dixerit:inuitat autem ipsos ad videndum
hominem,habentem rationem,ac sermonem, longè homine
præstantiorem. id enim quotidie de eo nostris oculis aspe-
ctabile erat,homo erat: quãobrẽ obliuiscamur & nos necesse
est rerum corporalium, hisque omissis festinemus ad com-
Allegoria. municãdam aliis,quam participauerimus,vtilitatem. Ad hoc
nanque inuitat euangelista laudem scribens mulieris pruden-
ti lectori:sed ad altiorem intelligentiam intendendus est ani-
mus, quæ nam scilicet sit hydria, quam relinquit Samaritis,
quæ aliquo modo acceperat Iesu sermones, & fortasse vas
aquæ nobilitatæ ob profunditatem doctrinæ,his rebus, quas
antea curabat,spretis,reponit apud eum,qui vase longè præ-
I stantior est, cum sumpsisset ex illa aqua, quæ iam in se facta
fuerat principium fontis aquæ. quomodo enim si non parti-
ceps talis aquæ fuisset, quomodo inquam humanè Christum
ciuibus prædicasset, admirans eum sibi omnia,quęcunque fe-
cisset,renunciantem, nisi particeps facta fuisset aquæ salutaris
per ea verba,quæ audierat? Rebecca sanè, & ipsa hydriam
habens super humeros,antequam Abrahæ filius finẽ loquen-
di faceret,in cogitatione egrediebatur virgo specie peruenu-
sta: quæ quoniam non perinde, atque Samaritis hæc hauri-
ret, descendit ad fontem, & implet hydriam, eique ascen-
Gene.24. denti accurrens Abrahæ filius dixit: Potum præbe mihi quæ-
so, nempe pauculum aquæ ex hydria tua. Quoniam igitur
filius erat Abraham, contentus fuit vel tantulum aquæ ex
hydria Rebeccæ sumere: & festinauit Rebecca, & deposuit
hydriam super humeros suos: potum illi præbens, donec
cessaret à bibendo. quoniam igitur laudabilis erat Rebeccæ
hydria, non relinquitur à Rebecca, sed Samaritidis hydria
relinquitur, hora existente sexta. Hoc igitur in loco mulier
annunciat Christum,in fine verò euangeliorum, resurrectio-
Matt.28. nem Seruatoris enarrat apostolis mulier, ante omnes ipsum
Luc.24. conspicata. Sed neque huic, tanquam quæ renunciarit per-
fectionem fidei, gratiæ à Samaritanis habentur dicentibus,
non amplius propter loquelam tuam credimus: ipsi enim K
audiuimus hunc esse verè Seruatorem mundi,neque illi con-
ceduntur primitiæ tangendi Christum, dicentem ei: Noli *Ioan.20.*
me tangere:quia Thomas auditurus erat,affer digitum tuum
huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in
latus meum. Omnia autem erant, quæ fecit mulier, consue-
tudo cum quinque viris, & post hos condescẽsio ad sextum,
qui legimus vir non erat, quem cum negasset, hydriámque
reliquisset,honestè in septimum requiescit,quæ etiam in cau-
sa fuit, vt illi è ciuitate exirent, & venirent ad Iesum. Ma-
gna autem obseruatione Iesum rogant Samaritani in sequen-
tibus, non vt maneat in ciuitate, sed apud ipsos, hoc est, vt
sit in principatu eorum, animæ parte præstantissima: nam
fortasse nequibat Iesus in ciuitate eorum manere, quando-
quidem etiam ipsi ex ciuitate exierant, optimè facientes, &
venerant ad eum. Quòd autem huiuscemodi quædam in-
nuantur,causas nobis præbente Euangelista accuratissimè ad
sensum anagogicum, hoc est ad sublimiorem intelligen- *Sensus ana-*
tiam, ex his verbis diiudicandum est. Primùm quidem scri- *gogicus.*
ptum est: exierunt ex ciuitate, & venerunt ad eum, & post
pauca, ex ciuitate autem illa multi Samaritanorum credi-
derunt in eum, propter sermonem mulieris, quæ testifica-
batur dicens: Iesus dixit mihi omnia, quæcunque feci. vt
ergo venerunt ad eum Samaritæ, rogauerunt eum, vt ma-
neret apud ipsos. Igitur prius, cum ex ciuitate ad eum ve-
nissent, etiam denuò venerunt ad eum,Samaritæ, adhuc exi- L
stentem apud fontem Iacob, nec enim inde discesserat, &
rogauerunt eum, vt maneret apud ipsos: Nec scriptum est
postea,quòd ingressus sit ciuitatem, sed mansit ibi duos dies.
Quin etiam in sequentibus non dictum est, post duos verò
dies exiuit ex ciuitate, sed scriptum est, exiuit inde: quan-
tum enim ad intelligentiam pertinet, omnis œconomia vti-
litatis erga Samaritanos facta est apud fontem Iacob. Porrò *Ad Hera-*
Heracleon hydriam esse existimat dispositionem, & notio- *cleonis nu-*
nem susceptiuam vitæ, atque etiam eius potentiæ, quæ à *gas reuerti-*
Seruatore est: quam relinquens inquit apud ipsum, hoc est *tur.*
habens apud Seruatorem tale vas, in quo ad sumendam vi-
uam aquam venerat, reuersa est in mundum, nuncians voce
præsentiam,& aduentum Christi:per spiritum enim,& à spi-
ritu anima ad Seruatorem adducitur. Igitur considera, lau-
dabilis ne esse possit hæc hydria,quæ omninò relinquitur.di-
misit enim,inquit,hydriam suam mulier: non enim additur,
quòd dimiserit eam apud Seruatorem. Sed quomodo non
absurdum erit eam,quæ deseruisset,dispositionem, & notio-
nem susceptiuam vitæ, & potentiæ, à Seruatore manantem,
& vas, in quo venerat, vt acciperet aquam viuam, abisse in
mundum sine his, vt euangelizaret voce Christi aduentum,
& præsentiam? quomodo etiam hæc spiritualis post tot ser-
mones persuasa clarè non est de Christo,sed,inquit,an hic ille
Christus? quin & illud, exierunt è ciuitate,exposuit pro pri- M
ma eorum conuersione, quæ mundana erat, & venerunt per
fidem,inquit, ad Seruatorem. sed ei respondendum est quo-
modo manet duos dies? apud ipsos? non enim obseruauit
quod nos proposuimus,scriptum scilicet non esse, cum duos
dies in ciuitate mansisse.

QVINTVSDECIMVS TOMVS.

Interim rogabant eum discipuli dicentes,
Rabbi,comede.

OST œconomiam potus, & post doctrinam
diuersitatis aquarum, consequens erat inscri-
bi, quæ ad cibum pertinebant. Samaritis ita-
que cum rogaretur potum, dubitat propter
eum, qui petierat, neque enim poterat dare
Iesu dignum illo potum, num se iussam aquam porrigere,
vellet Iesus beneficio afficere per hunc potum. Decebat
igitur à Samaritide. * Porrò discipuli, qui ciuitatem
adierant, vt cibos emerent, cum eos apud homines di-
uersæ sectæ ex animi sententia inuenissent, nempe ser-
mones quosdam conuenientes, dicunt illi, comede, tem-
pus illud idoneum rati, vt Iesus comederet, in quo mu-
lier

A lier ciuitatem petierat, venturique erant ad eum Samaritani, cum alioqui cibum coram vllo hospite illi non apposuissent. Ac fortassis futurum erat, vti Samaritis conturbaretur, si vidisset discipulos magistro apponere volentes cibaria, quæ vel in Samaria emissent, vel emisse verisimile esset: neque meritò coram Samaritanis volentibus suam ipsorum derelinquere ciuitatem dixissent, Rabbi, comede, ideo bene additum est, interim rogabant eum discipuli, dicẽtes: Rabbi, manduca: sed quam ob causam scriptum sit, rogabant ipsum, & non dicebãt illi, dignum est cernere: simplicius enim scriptum fuisset: interim dicebant ei discipuli: Rabbi, comede: proinde rogare, vt comedat, & supplicare eum, & precari, fortassis aliquid innuit ante supplicationem, atque etiam interdum post supplicationem. Vide verò, ne fortè vereantur discipuli, ne sermo Dei filius propriis alitus sit, vel fortificatus cibis, & ideo orent eum, comedere inuentos cibos. His enim quæ inueniunt discipuli, semper nutrire λόγον volunt, vt fortificatus, & validus, & corroboratus, diutius assideat ipsum nutrientibus: vicissim nutriens apponentes illi cibos. Hanc ob causam iubet stare ad ostium, & pulsare, vt si quis ostium aperuerit, ingrediatur ad eum, & cœnet cum illo, vt postea conuiuator possit vicissim conuiuio excipi à λόγῳ, qui apud

Apoc. 3.

B illum cœnauerit. Sanè Heracleon, inquit, discipulos voluisse cum Iesu communicare, quæ emissent, atque à Samaria attulissent. At ipse dixit eis.

Ego cibum habeo comedere, quem vos nescitis.

Quo cibo indi eant, vel non indigeant.

ID quod sibi sufficit, non eget cibo, proinde quod cibo eget, non sibi sufficit. Hinc perspicuum est comedentem comedere, non quia non egeat, sed quia egeat: & valde egeat, & corpora quidẽ, quia natura fluxibilia sunt, nutriũtur cibo replente locum eorum, quæ defluunt, sed quæ ipso corpore præstantiora sunt, nutriuntur intelligentiis incorporeis, & sermonibus, actionibusque sanis: non quòd ad non esse dissoluerentur, nisi nutrirentur, neque enim corpora hæc, quæ non nutriuntur, ad non esse dissoluuntur, sed quòd quæ excellentioris sunt naturæ, quàm corpora, perdant esse talia, si talibus non nutriantur. Vt autem corpora, quæ cibo egent, non his aluntur cibis, qui à qualitatibus procedunt, neque eadem ciborum quantitas omnibus sufficit, sic etiam intelligamus oportet de his, quæ sunt meliora & præstantiora corporibus: inter hæc enim aliqua copiosiore, aliqua minore cibo egent, tanquam quæ eandem mensuram non capiant. sed neque qualitas sermonum, & conceptuum in cõtemplatione, qui sunt actiones his conuenientes, eadem congruit omnibus animabus. Quin etiam

De anima & corporis cibo.

C holus, & cibus solidus non eodem tempore nos nutriunt, qui ex ipsis fructum aliquem percepturi sunt: nam infantes recẽtnati, vt inquit Petrus, lac doli nesciunt, idque animi, non corporis desiderant: idque etiam desideret, si quis infantiam Corinthiorũ habet, ad quos inquit Paulus, Lactis vos potu alui, & non cibo: infirmus verò, eò quòd nõ credat, holera comedit, ac profectò melius est aliquando holera cum pace comedere, quàm vitulum cum inimicitia, & odio: perfectorum verò est solidus cibus, nempe eorum, qui per lectionem exercitata habent sensoria ad cognoscẽdum tùm bonum, tùm malum, est etiam quidam cibus mortificus, quem discimus ex quarto Regũ, dicẽtibus quibusdam ad Helisęum: Mors est in lebete, ô homo Dei: quin etiam est alius earum animarũ, quæ rationis non sunt compotes, cibus herbarius, & alius fœnum, & stipula: quæ significantur per ea Psaltæ verba: Dominus pascet me, & nihil mihi deerit, in locum herbæ virentis accubare me fecit: super aquam refocillationem præbentem nutriuit me. Atque etiam Esaias ait: Leo vt bos paleas comedit: quin etiam fœnum iumentis in domo Rebeccę Abrahæ filiæ apponũt. Quòd si quis rationabilior fuerit, & hanc etiam ob causam intelligibilis homo panem intelligibilem manducat, quemadmodum scriptum est in Psalmis. Panis cõsolidat cor hominis, & vino intelligibili non alius, quàm homo oblectatur, sed ratione ascendamus necesse est à rationibus, & ab hominibus vsque ad ipsos angelos, quãdoquidem etiam ipsi nutriuntur sibi omnino non sufficientes, panem igitur angelo-

1 Pet. 2.
1 Cor. 3.
Rom. 14.
4. Reg. 4.
Psal. 23.
Esa. 11.
Gen. 24.

rum manducauit homo, beatúsque sanè Abraam, qui tribus D illis, qui sibi apparuerunt, apponere potuit azyma subcinericia. Sed rursus eò redeat, vnde defluxerat oratio: nimirum ad sermonem de cibo Christi, quem discipuli non nouerunt: verè enim dicit Iesus: Ego habeo cibum manducare, quem vos nescitis, quod enim agebat Iesus, voluntatem patris, à quo missus fuerat, faciens, & perficiens illius opus, hoc discipuli non norant. Verùm, vt apertius intelligantur ea verba, ego habeo cibum manducare, quem vos nescitis, loquatur Paulus: Corinthiis lacte opus habentibus, non solido cibo, qui etiam lac biberant, non cibum, eò quòd cibi participes esse non possent, his inquam loquatur Paulus, ego habeo cibum manducare, quem vos nescitis: sempérque profectò qui præstat deterioribus, hísque, qui videre nequeant ea, quæ vident præstantiores, dicet: ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Nec sanè absurdum erit, si dixerimus non solùm homines, & angelos indigere cibis intelligibilibus, verùm etiam ipsum Dei Christum: nanque ipse etiam (vt ita dicam) semper instruitur à patre, qui nullius eget sibi sufficiens. Sumit autem cibos vulgus discentium à discipulis Iesu, qui iubentur turbis apponere, Iesu verò discipuli ab ipso Iesu: veruntamen interdum etiam à sanctis angelis: at filius Dei à solo patre cibos sumit, absque vllo mediatore. Itidem non absurdum erit, spiritum sanctum nutriri, dicere. Proinde inquirenda est lectio E scripturæ, quæ nos hoc edoceat, totius autem mysterium vocationis, & electionis, cibi sunt illius magnæ cœnæ. Homo enim (inquit) fecit cœnam magnam, cœnæq; tempore iussit, qui vocarent inuitatos: relegendæq; sunt, omnino ex Euangeliis parabolæ, quæ de cœnis loquuntur. Quin etiam per Esaiam promissiones habemus comedendi, & bibẽdi dicentem: Ecce serui mei comedunt, vos autem esurietis: ecce serui mei bibunt, vos autem sitietis. Ad hæc ipsum hominem posuit Deus apud Genesin in paradiso deliciarum, datis illi legibus, vt quædam comederet, quædam non comederet: mansurúsque erat immortalis homo, si ex omni ligno paradisi comedisset, præterquam è ligno cognoscendi bonum, & malum. Vide quæ in primo, & vigesimo Psalmis dicũtur de his, qui adorarunt, eò quòd comederint. Comederunt enim, inquit, homines, & adorauerunt terram, propterea non interficiet Dominus fame animam iustam: sed quando iniusti effi- F cimur, immittet famem super terram: nõ famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbi Dei: quanto igitur magis proficimus, tãto meliora, ac plura comedimus, donec fortasse perueniamus ad id, vt eundem cibum comedamus cum filio Dei, quem in præsentia discipuli non norant. Hoc in loco nihil dixit Heracleon.

Genes. 18.
Ioan. 4.
Matt. 22.
Luc. 14.
Esa. 26.
Gen. 2.
Psal. 21.
Amos 8.

Dicebant igitur discipuli inter se, num aliquis attulit illi aliquid ad edendum?

ETIAM si carnaliter tetur Heracleon hæc à discipulis disci, tanquam qui adhuc humi repant, Samaritidem imitantes dicẽtem, neque haustorium habes, & puteus altus est: dignum est, vti cernamus, num fortè aliquid diuinius videntes discipuli dicant inter se, num quis attulit illi, quod edat? fortassis enim rebantur potentiam aliquam angelicam attulisse illi, quod ederet, & fortassis idcirco docebãtur maiorem esse illum cibum, quem manducare habebat, qui erat, vt faceret voluntatem eius, qui eum miserat, perficerétque opus illius. Dicit illi Iesus, meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, patris, & perficiam illius opus.] Decens cibus filio Dei, quando efficit voluntatem paternam: hoc velle in seipso faciens, quod est & in patre: ita vt voluntas Dei sit in filij voluntate immutabili à voluntate patris: ne sint amplius duæ voluntates sed voluntas: quæ vna voluntas autor est filio Dei dicendi: ego, & pater vnum sumus: & hanc ob voluntatem qui vidit filium, vidit etiam eum, qui misit ipsum. Ac decens profectò est, vt hunc in modum effici voluntatem patris à filio intelligamus: à qua voluntate omnia, quæ sunt extra volentem, bene facta fuerunt: quando non opus est, vt curiosi in indaganda volũtate existimemus hoc esse facere voluntatem illius, qui misit ipsum, dum ipse filius aliqua, quæ sunt extra,

Ioan. 4.
Ioan. 4.
Cibus filij Dei.
Ioan. 5.

G facit. Illud enim (dico autem illud, quod extra volentem) factum seorsum à volnntate prædicta, non est tota voluntas patris: cum alioqui tota voluntas patris à filio sit effecta, cum velle Dei natum in filio faciat hæc, quæ velit voluntas Dei: solo filio faciéte totam patris voluntatem à parte perceptam: quam etiam ob causam imago ipsius est: id quod etiam de spiritu sancto considerandum est. Cæterùm reliqui sancti nihil quidem facient preter voluntatem Dei, atque omnia profectò, quæ facient, facient secundum voluotatem Dei, haud tamen vt tota Dei voluntas imprimatur io eis. Qoin hoc sanctum pre illo sancto plus, atque expressius percipiet ex voluntate paterna, comparatione alterius, quo sancto rursus aliud sanctum excellentius percipiet. At omnem, vniuersámque Dei voluntatem ille faciet, qui dixit, Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, post hæc igitur aliquantò de Deo inquit gratiosè admodum. Nihil potest filius accipere à seipso, nisi viderit patrem aliquid facientem, qoæ enim pater facit, ea similiter filius facit: pater diligit filium, & omnia illi ostendit, quæ ipse facit, & fortassis hanc ob causam imago est Dei inuisibilis, etenim voluntas, quæ in ipso est, imago est veræ diuinitatis, imago etiam existens bonitatis patris, inquit: cur me vocas bonum, & sanè voluntas hæc cibus est filij Dei, atque illi proprius, ideo cibus est, quod voluntas est, quòd autem voluntas sit, quæ pertinet ad dispositionem, declarat, qui subiungitur, contextus. Secuodò dicens, post H executionem voluntatis perfici opus Dei. Sed diutius considerandus est hic contextus, vt intelligamus boc dictum, nempè perficiam opus ipsius. Atque aliquis quidem simpliciter dicet iniunctum opus illius esse, qui iussit. Veluti si, verbi gratia, diceremus eos, qui fabricant, quique terram arant, dicere se perficere opus illius, qui eos sumpsisset ad aliquod opus obeundum, dum perficerent illud, cuius gratia assumpti fuerant: alius verò dicturus est, si perficiatur opus Dei à Christo, liquere, boc imperfectum fuisse, antequàm perficeretur. Sed quomodo imperfectum erat opus existens Dei? rursúsque quomodo perficitur Dei voluntas ab eo, qui dixit, Qui misit me, maior me est, sed perfectio operis perfectio erat naturæ illius, quæ rationis est compos. Ad hanc enim naturam, quæ rationis est compos, imperfecta cum esset, perficiendam venit Sermo Dei filius factus caro, num ergo creatum est imperfectum opus, & mittitur Seruator ad illud imperfectum perficiendum? sed quomodo noo est absurdum, si diaerimus patrem rei imperfectæ auctorem fuisse, Seruatorem verò eam imperfectam, creatámque imperfectam perfecisse? Igitur meo iudicio profundius aliquod mysterium hoc in loco repositum est: nam fortassis id, quod rationis est capax, tùm cum in paradiso positum fuit imperfectum omninò non I erat. Alioquin qui posuisset Deus rem imperfectam in paradiso, quæ operaretur, & custodiret eum? Nec enim consentaneum est, vti imperfectus is dicatur, qui operari possit lignum vitæ, & omnia, quæ plantauerat Deus, & postea Deus cum inde extruserit: proinde vide, ne fortè perfectus cum esset homo, imperfectus sit factus ob inobedientiam, eguerítque aliquo, qui ipsum ab hac imperfectione liberaret? & hanc ob causam missus fuerit Seruator? primùm quidem, vt faceret voluntatem eius, qui misit ipsum, operarius illius etiam hoc loco factus, deinde verò, vt perficeret opus Dei, & vnusquisque factus perfectus assuesceret solido cibo, ac cum sapientia consuetudinem baberet, perfectorum autem est solidus cibus, nempe eorum, qui per lectionem sensoria exercitata habent ad diiudicandum, tùm bonum, tùm malum: Sapientiam, inquit, sapientiam loquimur inter perfectos: & cum vnusquisque nostrum, qui opus Dei sumus, perfectus factus fuerit, dicet: bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: posthac reposita est mihi corona iustitiæ, nec solus homo lapsus est, cum perfectus esset, ad imperfectum, sed filij etiam Dei, qui cum vidissent filias hominum pulchras esse, acceperunt sibi ex omnibus, quas elegissent: generatim omnes, qui deseruerunt propriam habitationem, & non seruauerunt suum ipsorum principium. Nec dicens principium, principatum dico, qui comparatur potestati, sed principium dico, quod fini opponitur, quódque cum primo coniunctum est, vt quemadmodum homini principium existendi in paradiso fuit, finis verò propter transgressionem fortassis in inferno deorsum, vel io aliquo loco simili: ita singulis prolapsis datum sit proprium quoddam principium, cęterum K perficiens Iesus opus Dei, dico autem quicquid rationis est capax, non tantum hominem, vno, eodémque modo ipsum perficit: si quidem ea, quæ beatiora sunt, parentia sermoni, & rationi, non egentia labore, solo sermone, & ratione perficiuntur, alia verò non credentia sermoni, & rationi, laboribus egent, vt post labores, rationibus postea aliquando adducta, his perficiantur. Veruntamen hæc vtraque, scilicet patris sui voluntatem facere, qui misit illum, & opus illius perficere, vnus, & proprius cibus Iesu sunt. Heracleon per hæc verba, meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, Seruatorem inquit enarrare discipulis id, cibum suum esse: quod loquebatur cum muliere: dicens patris voluntatem: quæ ipsius cibus, & requies, & potentia erat, sanè patris voluntatem esse dicebat, vt homines patrem cognoscerent, & seruarentur: quæ res erat opus Seruatoris: qui ipsius causa rei Samariam missus fuerat, hoc est in mundum. Ipsum ergo cibum Iesu, interpretatus est colloquium cum Samaritide: id quod existimo apertè cuicunque videri, tùm abiectè, tùm coactè interpretatum fuisse, quomodo autem voluntas patris sit cibus Seruatoris, quomodo etiam voluntas patris sit requies, apertè non ostendit. Loquitur enim alicubi Dominus, perinde quasi non omnis voluntas patris sit illius requies. Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, veruntamen non quod ego volo, sed quod tu. Sed vnde etiam habet, L quòd potentia Seruatoris sit Dei voluntas? Nonne vos dicitis, quòd adhuc menses sunt quatuor, & messis venit? ecce dico vobis: leuate oculos vestros, & videte regiones iam albas esse ad messem: Contra eos, qui existimant simplicius hæc dicta fuisse dubia mouenda sunt, vt persuasum habeant, spiritualia, & nuda rebus sub sensum cadentibus, & corporalibus, Seruatorem sæpius loquutum fuisse, si enim tempus, quando Iesus hęc loquebatur, ante messem mensium quatuor spatio erat, perspicuum est byemem fuisse (messis enim incipit fieri circa mensem qui apud hebræos Nisan appellatur, quando agitur pascha, adeò vt aliquoties azyma faciant Iudęi ex nouo frumento) sed esto illo mense non esse messem, sed in mense post illum proximè sequente, qui apud eos appellatur etiam hoc tempore illius mensis, qui byems summa est. Cum igitur ostenderimus, cum hęc diceret Iesus, tempus non fuisse messis, nec existentis, nec proximæ fini, demonstratum nobis erit id, de quo agitur. Obseruandum itaque est post œconomiam, quæ facta fuit in Cana Galilææ circa mutationem aquæ in vinum, descendisse dici Dominum Capharnaum, cúmque ipso matrem eius, & fratres, & discipulos: vbi M mansérit non multos dies: fuisséque in propinquo pascha Iudæorum, & Hierosolymam ascendisse Iesum, cum omnes in templo inuentos vendentes boues, & oues, & columbas, & cętera, quę scripta sunt, facto flagello è funiculis, eiecit è templo, dictísque quibusdam ad Nicodemum, postea venisse ipsum, & discipulos eius in terram Iudæam, & illic commoratum fuisse cum eis, & baptizasse, quantum igitur temporis ponemus eum in Iudæa consumpsisse baptizantem post pascha? non enim apertè scriptum est: & apparet eò quòd cognouerint Pharisæi, Iesum pluries discipulos facere, & baptizare, quàm Ioannes, Iesum Iudæam reliquisse, profectúmque in Galilæam, cum oporteret eum transire per Samariam, venisse ad fontem Iacob, vbi inquit hæc verba: nónne vos dicitis, quòd adhuc quatuor sunt menses, & messis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones iam albas esse ad messem. Quòd si quis existimat plurimum mensium tempus consumpsisse Iesum post pascha io Iudæa baptizantem cum discipulis suis, adeo vt iam instaret tempus, quod erat ante quartum mensem messis: adiungendum est illi, quòd duos dies cum mansisset illic apud Samaritanos, post hos exierit in Galilæam: scriptúmque esse, quod (perinde quasi nuper paschate facto, rebúsque quas ipse egerat Hierosolymis) cum venisset in Galilæam, exceperint illum Galilæi, qui viderant quæcunque Hierosolymis fecisset in die festo. Venerant enim etiam ipsi ad diem festum, sed probabile est aliquem ad hæc dicturum, nihil obstare plurimum

Marginal notes:

Spiritus S. totā patris voluntatē facit &c. — *Ioan. 5.* — *Col. 1. & 2.* — *Heb. 1.* — *De operib. Dei & earū perfectione.* — *Matt. 14.* — *Gen. 2.* — *Christus hominem per inobedientiā imperfectū perficit.* — *Heb. 5.* — *2. Tim. 6.* — *Gen. 6.* — *Iudæ. 1.* — *ἀρχὴ non principatū sed principiū significat in B. Iudæ canonica.* — *Heracleonis interpretatio.* — *Matt. 26.* — *Ioan. 2.* — *Ioan. 3.* — *Ioan. 4.*

A mum temporis eum in Iudæa commoratum venisse ad fontem Iacob, abeuntem io Galilæam, quando diait adhuc quatuor menses sunt ad messem, nec quicquam absurdi esse Galilæos eum excepisse proptet ea, quæ in præcedentibus mensibus ipse Hierosolymis egisset: sed respondeodum est illis quod profectus in Galilæam venerit Canam ciuitatem Galilææ, vbi antea fecerat ex aqua vinum, vbi etiam Reguli filium ægrotantem io Capharnao curauit, patri ipsius dicens: filius tuus viuit: & postea, hic erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam, quando paralyticum octo, & triginta anoos habentem se in iufirmitate curauit. *Ioan. 5.* An verò hic dies festus, paschatis erat, non additur enim nomen eius. Vrget autem sequens historia, & maximè quòd post pauca subiungitur, proximus erat dies festus Iudæorum Scenopegia. His igitur diutius examinatis, consequens est dispicienti profundius sensum scripturarum quærere, quid cogitans Iesus discipulis dixerit.

Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones albas esse iam ad messem.

B QVEMAOMODVM autem dicebamus aquas accuratè examinantes io sermone Samaritidis, ita hoc etiam loco faciemus. quis enim iam oon sit fassurus dictum hoc: Leuate oculos vestros, & videte regiones albas esse ad messem, spirituale esse, oudúmque his rebus, quæ sensu percipiuntur? cui consequens etiam erit, vti dicant discipuli post quatuor menses futuram messem colligentium fructus, quantum ad suum intellectum in messem, quæ ostendebatur à Iesu, existimamus ergo in his discipulorum verbis, quatuor menses sunt, & messis venit, talem ioesse sensum. Complures discipulorum τῦ λόγυ, hoc est filij Dei, considerantes difficiliorem esse veritatem, quàm quæ ab humana natura percipi facilè possit, cum disserucrunt de ea vita, quæ est altera à præsenti, defatigati in apprehendendo fioe earum rerum, quæ in præsenti vita quæruntur, veritatem se apprehensuros existimant, cum quatuor elementa transcenderint: cum quibus cognationem habent, proinde dicuot discipuli, messem, quæ iuxta Domini vocem est cunsummatio curantium, & conuehentium opera veritatis, fieri post instantem quateroitatem. *Allegoria.* Porò mensium nomen conuenienter sermoni corporeo de messe somptum est. Nec enim dicere oportebat, nònne vos dicitis, quòd adhuc quatuor dies sunt, & messis venit, vel adhuc quatuor aoni, & messis venit: idque potissimum, quoniam filius Dei vulgum, & corpori deditos velit latere: C & mysticum celans, & id quod simplicius est, ostendens, vt aperti esse existimentur sermones à Seruatore prolati: vel fortassis discipulorum voluotas dicentium, adhuc sunt quatuor menses, & messis venit, talis est. Quatoor sunt sphæræ quatuor elementorum, quæ subiectæ suot naturæ cœlesti, in medio quidem, & maximè infernè sphæra est terræ: circa hanc est sphæra aquæ: tertia est aëris, quarta ignis: post quam sphæra lunæ, & cæterarum. *Sphæra quatuor elementorum.* Notemus etiam, ne fortè discipuli existiment, eos veritatem percepturos, qui hinc instructi discesserint, & prope puriorem essentiam peruenerint, quaodo possit quis ooo corruptus peccato ignis etiam sphæram transire, quæ qoidem ignis sphæra materia est vniuersi in * Hanc opinionem, ceu oon sanam, redarguens sermo ille caro factus ad eos, qui talia credunt, inquit: Nónne vos dicitis, quòd quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones iam albas ad messem.] Facile factu non esse certè nobis videtur, oon de spiritus messe cum in his disserere, quandoqoidem, sententia eorum, qui simplicios exponunt vera loquentes discipulos obiurgat Dominus existimantes, vt hi putant, post quartum mensem veosuram messem, quam io superioribus proposuimus, non admodum posse post quartum mensem consistere: Alioquin discipulorum etiam opinionem ferè corrigens, inquit. Nónne vos hoc dicitis? at ego hoc dico. Ac hæc quomodo absurdom ooo est allegoricè palam in omoibus non explicate hoc dictum, Leuate oculos vestros, & hoc, Videte regiones iam albas ad messem esse, io eo verò, quod ante hoc positum est, nempe: Noo ne vos dicitis, quòd adhoc menses quatuor sunt, & messis veoit, idem faciendum non censere? D Attamen Heracleon, noo secus atque multi, literæ assidet, ratus eam anagogicum sensum oon recipere: inquit ergo, Iesum loqui de messe eorum, quæ generantur, perinde quasi hæc messis, spatium quatuor mensium determinatum habeat, quam ipse dicebat iam instare. *Heracleon non recipiebat anagogicum sensum legis.* Nec scio, quo pacto etiam messem interpretatus sit de anima credeotium, dicens eos iam maturos, & paratos ad messem esse, atque etiam idoneos, qui inducantur in horreum, hoc est per fidem in quietem, si tamen siot parati, nec enim omnes parati sunt: nam animarum aliquæ paratæ fuerant, inquit, aliquæ erant se præparaturæ, oempe illæ animæ: & aliquæ quidem iam seminantur: aliquæ verò seminandæ suot: hæc quidem ille. Sed nescio an ipse ostendere possit, quomodo discipuli eleuantes oculos videre possint animas iam idoneas existeotes (vt putat) vt in horreum inducaomr, quin etiam quomodo de animabus verum est hoc: Alius qui seminat, & alius est, qui metit. Et illud, Ego misi vos ad metendum, quod vos noo laborastis. Quomodo etiam fieri potest, vt illud de anima iotelligatur, Alij laborauerunt, & vos in laborem illorum introistis? qoamobrem per messem oos iotelligimus messem fructus, qui colligitur in vitam æternam, iusta perfectionem rationis, quæ in notionibus nostris, seminis instar, ingenita, multo labore perficitur. *Messis fructus.* E Cæterùm quomodo ab alio seminatur, & ab alio metitur, in sequentibus disseremus. Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte iam loca alba esse ad messem. *Ioan. 4.* In multis scripturæ locis positum est hoc dictum: Leuate oculos vestros, diuina nos oratione admoneote vti attollamus, eleuemúsque tùm sensus, tùm vim videodi infernè iacentem, & pronam, nec erigere se valentem, vt perfectè sublimia contempletur, quemadmodum in Esaia. Leuate oculos vestros, & videte, quis vobis hæc omnia ostendit. Seruator etiam beatitudines dicturus, eleuatis oculis ad discipulos inquit, beati hi, & hi, nullus eoim discipulus germanus Iesu, iacet infernè, quemadmodum neque ille, qui in Abrahæ sinibus requiescebat: *Matt. 5.* ex quo qui io domioatu diues fuerat, cum eleuasset oculos, vidit Abraam, & Lazarum in huius sinibus. *Luc. 16.* Ad hæc mulier illa contracta, nec caput erigere omniuò valens, cum à Iesu erecta fuisset, contractionem, atque infirmitatem erigendi sese deponit, vt eleoet oculos. *Luc. 13.* Nec vllus profectò est, qui perturbationibus obnoxius, & carni adhærens, vel rebus materialibus commistus, mandatum seruauerit dicens. Leuate oculos vestros, quamobrem ne loca quidem visurus est iste, etiam si iam alba siot ad messem. F Præterea nullus, qui operatur opera carnis, leuauit oculos. Porrò alba suot ad messem iam loca, quando adest Dei sermo aperiens, & illustrans omnia scripturæ loca, quæ plena sunt, adueoiente Iesu: fortassis etiam omnia, quæ sensu percipiuntur, vel ad ipsum vsque cœlum, atque vsque ad ea, quæ in ipso sunt, alba sunt loca parata iam ad messem, eleuantibus oculos: palàm vniuscuiusque rei ratione illis ob oculos exhibita, qui receperunt, eò quòd transformentur ad eandem imagioem à gloria in gloriam, similitudinem oculorum, qui vidrrunt quomodo singula, quæ facta fueraot, bona essent. Hoc enim dictum, vidit Deus singillatim, qoæ creata sunt, bona esse, tale est. Inspexit Deus cuiusque rei rationes, easque vidit bonas esse propter rationes, quibus vnumquodque creatum erat, quòd si quis sic non iotelligit hoc dictum, & vidit Deus, quòd bonum esset, enarret nobis, quomodo in his verbis educant aquæ, reptilia animarum, quæ victuræ siot, & volatilia alata super terram io firmamento cœli, seruetur, Deum vidisse, quòd bonum esset, idque potissimum, quòd fecerit Deus cete magna: *Gen. 1.* sed ratio vniuscuiusqoe harum rerum deo perspecta res booa est. idem censendum est de illis verbis. Educat terra aoimam viuentem iuxta geous, quadrupeda, & reptilia, & feras terræ, *Gen. 1.* quibus subiungitur etiam: vidit Deus, quod bonum est, quomodo enim feræ, & reptilia bonum sunt, nisi ratio earum bonum est? quę à oobis dicuntur propter illud: Leuate ocu-

G los vestros, & videre loca iam alba esse ad messem filio Dei, qui discipulis aderat, auditores monente, vt eleuarent oculos ad loca scripturæ, & ad loca rationis, singulis entibus innatæ, ingenitæque, vt albedinem, splendorémque lucis veritatis, quæ vbique est, aliquis videat, omnia enim coràm intelligentibus, teste Solomone, erectáque bis, qui sensum distribuere volunt.

TOMVS SEXTVSDECIMVS.

Qui seminat mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, vt qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.

Messis quot modis dicatur.

VOT modis in scriptura messis dicatur, & in quot significationibus ponatur, dicere oportet: idque necessariò apponendum reor, vt possimus, significatione huius nominis nobis pro viribus perspecta, ex pluribus, videre, in qua nam ponendum sit: dicemus ergo. Doctrinam Domini, qui in euangelio Matthæi, cum accessissent discipuli ad eum dicentes. Edissere nobis parabolam zizaniorum agri, de hoc nomine post alia dicit: Messis est finis seculi, messores angeli sunt. At verò etiam alio in loco de multitudine credentium, & opus habentium doctrina, quæ illis ma-
Matt. 13. *Luc. 10.*
H nifestet ea, quæ credunt, Seruator inquit noster: Messis quidem multa, operarij autem pauci, obsecrate ergo Dominum messis, vt emittat operarios in messem suam. Ad hæc apostolus semen quidem nominat benignitatem, quam exhibent homines proximo suo in præsenti vita, vel peccatum eorum, messem verò ea, quæ vnicuique mentò reposita sunt, vel ob præclarè facta, vel ob peccata, quæ in præsenti vita quisque egerit, sic dicens. Quicquid enim seminauerit homo, hoc etiam metet, quoniam qui in carne seminat, de carne messurus est corruptionem: at qui spiritu, è spiritu metet vitam æternam. In aliqua verò simili significatione arbitror etiam prophetam, qui in Psalmis circumfertur, dixisse. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Ponitur etiam hoc nomen frequenter, vt loqui consueuimus, quemadmodum in libro Ruth hisce verbis. Veneruntque Bethlehem, cum messis ordeacea inciperet. Expositis itaque in præsentia quinque significationibus messia, manifestum est hoc in loco, messem non accipi, vt loqui consueuimus, sed ne pro fine quidem, & consummatione, neque enim hoc modo loqui consueuimus: Qui seminat mercedem accipit, & con-
Gal. 5. *Psal. 125.* *Ruth. 1.*
I gregat fructum in vitam æternam. Neque de messoribus angelis consentaneum est nos hoc in loco intelligere admonitionem de metendo, sed ne cum hoc quidem dicto, Qui seminat in carne, de carne messurus est corruptionem, & qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam, fieri potest, vt intelligamus hæc verba conuenire posse, qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: iuxta enim apostolica dicta idem est, qui seminat, & metit, siue in carne, siue in spiritu, & ob hoc etiam congregans, vel corruptionem, vel vitam æternam: in præsentibus verò alius est, qui seminat, alius qui metit. In psalmis etiam idem similiter seminat, & idem metit, iuxta dictum, quod proposuimus ab apostolico differens ratione sacratiore, & occultiore: nam dictum apostolicum simplicius prolatum est, non docens de diuersa natura seminum, vnde sumantur. At quod è psalmis proposuimus, declarare mihi videtur animarum nobilium descensum, quæ venerint in hanc vitam, cum salutaribus seminibus, quæque inuitæ ferè venerint suspirantes, sed redierint cum exultatione, eò quòd egregiè laborauerint, & auxerint, & multiplicarint semina, cum quibus venerant. Alius autem est, qui seminat, & alius, qui metit in præsenti orationis contextu, dicérque profectò Heracleon, & secum fortassis sentiens alius etiam ecclesiasticus, propter hanc expositionem, hæc verba dicta fuisse in ea significatione, qua dictum est, Messis quidem multa, sed operarij pauci, eò quod essent parati ad messem, & idonei, qui
Descensus animarũ in corpora. *Luc. 17.*

inducerentur in horreum, hoc est in requiem per fidem: essentque idonei ad salutem, & ad susceptionem verbi Dei, secundum Heracleonem quidem, quia tales erant fuerint, & talem habuerint naturam: secundum ecclesiasticum verò, propter quandam diligentem præparationem eius partis animæ, præstantissima est, paratæ, & promptæ ad perfectionem, vt etiam metantur, sed dicendum est his, qui hunc in modum exposuerunt, an velint admittere, nunquam factam fuisse ante Seruatoris nostri aduentum messem similem illi messi, quæ sic sperabatur à temporibus euangelicæ prædicationis. Nam si, quia erat messis multa, multi crediderunt (quantum paucis existentibus operariis apostolis comparatione multitudinis suscipientium verbum Dei) vel (quia non vidit regiones iam esse albas ad messem) nullus ante corporalem Seruatoris nostri aduentum credidit, neque etiam fuit aliquis operarius credentium, quod est absurdissimum dictu, si Abraam, & Moses, & prophetæ, nec operariorum, nec eorum, qui metunt, habeant locum, vel si etiam antea fuere operatij, fuitque messis, nihil admirabile videbitur Seruatorem annunciare eleuantibus oculos, vt videant regiones iam albas esse ad messem. Ex his clarè perspici potest, nihil eorum, quæ supra diximus, hoc in loco intelligi de voce messis. Sed neque, quod apud apostolum alio loco considerauimus, hic congruit, dicentem, Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Quæramus igitur septimam significationem conuenien-
Heracleonis sententia. *2. Cor. 9.*
L tem his, quæ supra disseruimus in illud. Nónne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? & in hoc, Ecce dico vobis, Leuate oculos vestros, & videte regiones iam albas esse ad messem sitque messis nobis ratio, siue oratio aperta, de perspicuitate scripturarum (veluti quomodo omnia, quæ fecit Deus, sint valde bona) quam messem qui metit, duos fructus metendi habet: alterum quòd accipit mercedem: alterum, quòd colligit fructum in vitam æternam, & arbitror per eas promissiones, quæ postea futuræ sunt (iuxta id, quod scriptum est, Ecce Dominus, & merces eius in manu eius, vt reddat vnicuique secundum ea, quæ gesserit) dictum fuisse, mercedem accepit, propter punientem autem ex ipsa cognitione vtilitatem, quæ ex se secundum naturam in mente inest (etiam in rationali natura, ceu egregium quiddam, & insigne existens) etiam præter promissiones, quæ aliæ sunt ab ipsis scriptum fuisse, qui colligit fructum in vitam æternam: quæ res beneficium quoddam, & commodum τοῦ ἡγεμονικοῦ, siue mentis principalis, ostendit: quemadmodum in tertio Stromaton libro exposuimus, enarrantes dictum illud: Pater tuus, qui in abscondito videt, reddet tibi in manifesto. Heracleon dici existimat,
Ioan. 4. *Principale mentis.* *Matt. 6.*
M qui metit, mercedem accipit, quoniam Seruator seipsum dicat messorem, mercedémque Domini nostri esse existimat eorum, qui metunt salutem, & restitutionem, eò quòd ipse in eis requiescat: in his verò verbis, fructum colligit in vitam æternam, fructum dictum fuisse existimat, vel quia id, quod colligitur, fructus sit vitæ æternæ, vel quia ipsa collectio vita etiam æterna est. At reor hoc in loco coactam esse illius interpretationem, dicentis Seruatorem accipere mercedem, & confundentis mercedem, & collectionem fructus in vnum, manifestè duas res scriptura in medio ponente, vt supra ostendimus. Quamobrem si assequuti fuimus eleuationem oculorum apostolicorum, visionémque regionum, iam ad messem albarum, eodem modo accuratè inquiramus oportet, quid sit hoc dictum. Vt qui seminat, simul gaudeat, & qui metit: existimo igitur cum in omni arte, & scientia, quæ pluribus speculationibus constet, seminare, qui principia inueniat: quæ alij assumentes, curiosiúsque ea examinantes, vicissímque aliis tradentes inuenta sua, auctores sunt posteris, ex his, quæ inuenerint (non valentibus principia inuenire, & sequentia coniungere, & summam manum artibus, & scientiis imponere) vt plenum fructum percipiant: non secus, atque in messe, huiusmodi artibus, & scientiis completis. Quòd si hoc verum est in artibus, & quibusdam scientiis, quanto magis in ea arte, quæ ars est artium, & scientia scientiarum, conspicere id licet? Inuenta enim à maioribus curiosius cum indagassent
Allegoria.

A posteri, occasionem successoribus suis, qoi hæc inuenta cum diligentia adiisseot, tradiderunt, vt voum veritatis corpus cum sapientia coniungerent, igitur completo toto opere artis artium, qui seminat, simul gaudet, & qui metit, Deo vicissim in vnum finem omnes congregante. *Seminãtes Moses & propheta.* Proinde vide, an seminantes sint Moses, & prophetæ, qui scripserunt ea, quæ pertinent ad nostram admonitionem, io quos fineis seculorũ deuenerunt, *Eph. 3.* quique prædicauerunt aduentum Christi: qui *Messores apostoli.* messoeruot autem sint apostoli, qoi Christum receperunt, videruntque gloriam eius, cõsonam propheticis, & rationabilibus de ipso seminibus: quæ demessa fuere à seculis, propter *Semen mysterij cælestis.* accuratam indaginem, & intelligentiam mysterij, absconditi quidem à seculis, sed retecti in nouissimis temporibus, quod io aliis ætatibus non innotuit filiis hominum, quemadmodũ reuelatum est nunc sanctis eius apostolis, & prophetis, semen verò sit vniuersa illa ratio illius mysterij siue arcani consilij, quod temporibus æternis tacitum, nunc per reoelationem, & per scripturas propheticas, atque per aduentum domini nostri Iesu Christi innotuit, quando lux illa vera regiones fecit (illis illucescendo) iam albas esse ad messem. Secundum hanc igitur rationem regiooes, in quibus cõtecta fuere semina legis, ac prophetarum sunt scripturæ, qoæ albæ non erãt, quòd oon recepissent præsentiam, & aduentum sermonis fi-
B lij Dei. Tales verò fiunt his, qui edocti fuerint à filio Dei, quique illi paruerint dicenti. Attollite oculos vestros, & videre regionea iam albas esse ad messem. Attollamus igitur etiam nos, ceo germani Christi discipuli oculos, & regiones à Mose, cæterisq; prophetis seminatas intueamur, vt videamus ipsarum albedinem: quo etiam modo iam eas metere libeat, & congregare ipsarum fructum in vitam æternam: sperantes etiam mercedem à domino vicorum, & largitore seminum. Itaque seminantem simul, & metentem gaudere, cum aufugerit dolor, & mœror, & suspirium, in futuro seculo, fatebi- *Matt. 8.* tur quidem, quisquis legerit futurum, vt multi ab oriente, & occidente veniant, & accumbant cum Abraam, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum: iam verò omnẽ seminantem cum omni metente gaudere si quis ambigat admittere, consideret, quòd aliquo modo messis fuit transformatio Iesu, qui visus est in gloria, nõ solùm metentibus, Petro, Iacob, & Ioan- *Matt. 17.* ni, qui cum ipso ascenderant, verum etiã seminatoribus Mosi, & Heliæ: cum ipsis enim pariter gaudẽt videntes gloriam filij Dei, quam à patre illustratam, illustrantémque videntes antea nõ viderat Moses, & Helias, vt nunc vident simul cum *Ioan. 4.* sanctis apostolis: perinde aotem, qoasi vniuersale sit hoc dictum, sumimus. Ille, qui metit mercedem, accipit, & congregat fructum in vitam æternam, vt qui seminat simul gaudeat, & qui metit, eò quòd in sequentibus plures dicantur esse, qui metunt, & plures, qui laborauerint, nimirum in seminando. *Ioan. 4.* Dicitur enim veluti ad multos messores: Ego misi vos ad
C metendum, quod vos non laborastis: & quasi multi sint, qui in semine laborauerint, similiter dicitur, alij laborauerũt, & vos in laborem eorum introistis: proinde æquinalet vniuersali hæc propositio: ille qui metit mercedem accipit: & sensus talis est. Omnis qoi metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, vt omnis, qui seminat, simul gaudeat, & omnis, qui metit. Hæc autem aliqui quidem promptè admittent non ambigentes, quin manifestata sint sanctis apostolis in aduẽtu Christi, qui eis illustrauit omnem scripturam luce cognitionis, quæ occultata fuerant ipsi Mosi, & prophetis, alij verò verebuntur admittere, non auden- *Obiectio de iis quæ prophetæ non sunt assecuti.* tes dicere Mosen virum tantùm, & prophetas, adhuc agentes in humanis, non assequutos fuisse, quæ apostoli intellexisseot: præsertim cum hæc in scripturis sint seminata, quas ipse Moses, ac prophetæ administrauerint. Sed illi primi hoc dicto vtentur, Multi prophetæ, & iusti cupierunt videre, quæ *Luc. 11.* vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non *Eph. 3.* audierunt: & hoc etiam: Ecce plusquàm Solomon hoc in loco: & illo etiam: In aliis ætatibus non innotuit filiis hominum, quemadmodum reuelatum est nunc sanctis apostolis eius, & prophetis, vt sint gentes cohæredes, & eiusdem corporis consortésque promissionis in Christo. Adducent etiam *Dan. 8.* hi illud, quod Daniel post visionem scripsit. Surrexi, & non *Esa. 29.* erat, qui intelligeret, & illud Esaiæ: Sermones huius libri sunt

velut liber hominis signatus: quem ipsum si dederint homi- D ni oescienti literas dicentes, lege, dicet nescio literas: & dabuot illum homini scienti literas, & dicet, noo possum legere, eò quòd signatus sit. Rursus alij hæc omnia hac sententia destruent: Sapiens intelliget, quæ ex ore suo prodibunt, & in labiis suis gestat sapientiam: dicentes, Mosen, & vnumquenque prophetarum intellexisse, quæ ipsi administrauerint, non tamen vt aliis etiam traderent, reuelaréntque mysteria: apostolos verò, vt qui tempore reuelationis extiterint, dicere: state, & tenete traditiones, quas edocti fuistis: & illud. *2. Thes. 2.* Quæ audisti à me per multos testes, hęc propone hominibus *2. Tim. 2.* fidelibus, qui idonei erunt alios etiam docere: dicentémq;, si desiderarũt multi prophetæ, & iusti videre, quæ viderunt, & audierunt apostoli à Seruatore loquente, non omninò de- *2. Cor. 12.* siderasse scripturas legis, & prophetarũ, sed his maiora: nempe quæ Seruator apostolis enunciasset, præter spiritualia legis, & abstrusa prophetarum, de quorum numero illud erat: Audiui arcana verba, quæ non licet ad hominem loqui: & similia his, quæ dicuntur à paracleto. Præterea verò etiam in his, contextum consideremus, quemadmodum quẽdam esse metentem, qui mercedem accipiat, & congreget fructum in vitam æternam, narrat euangelista dicens.

Qui seminat simul gaudeat, & qui metit.



AM si, vt qoi seminat, simul gaudeat, etiam E qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, fortassis qui seminat participans mercedem cum metente, & collectionem fructus, qui conuehitur, in vitã æternam, simul com metente gaudebit. At alius dicturus est, omnia legalia, & prophetica Mosen, ac prophetas accuratè intellexisse, iuxta spiritualem intelligentiam, &, vt oportebat, rectè, & coosideratè, scripta seminata esse. Quoniam autem, si sermonem sapientem audierit sapiens, laudabit eum, & ad ipsum addet: apostolis scilicet rerum magis reconditarum, & *Maior doctrina lux in apostolis quam in prophetis.* profundarum, vsi seminibus, quæ Moses, & prophetæ distribuissent, eò peruenerunt, vt assequerentur visiones veritatis multò copiosiores, nimirũ Iesu illorum oculos attollente, & illucescente illorũ mentibus, quæ copiosiores visiones, messis regionum albarum erant. Cæterùm non quia fuerint abiectiores prophetæ, ac Moses, à principio non viderunt omnia, quæ apostoli in adoentu Christi: sed quia veluti expectabant temporis plenitudinem: quo quidẽ tempore cum eximij illius Iesu Christi aduentu reuelanda erant etiam excellentiora his, quæ vnquam vel dicta, vel scripta fuerint in mundo, ab eo, qui non rapinã arbitratus est se Deo æqualem *Phil. 2.* esse, sed seipsum exinaniuit, forma serui accepta. In hoc enim sermo verax est, quòd.

Alius est, qui seminat, alius qui metit. F



IVS secundùm exemplum ab artibus, & scientiis sumptum ioterpretemur præsentia, clarum est: quòd verus sit sermo: Alius est, qui seminat, alius est, qui metit, siue eo quod seminarit Moses, & prophetę, viderũt regiones albas esse, qui leuauerunt oculos iuxta præceptum domini nostri Iesu Christi, qui eis præceperat, vt viderent, quomodo regiones iam albæ essent ad Messem, etiam sic manifestum est, quonã pacto alius sit, qui seminat, alius qui metit. Considera verò num alius, & alius iccirco dicatur, eò quòd illi iustificentur quidem tali vitæ instituto, hi verò alio, præter aliud: adeò vt alterum legalem, alterum euangelicum dicamus. Attamen simul gaudent, vno fine vtriusque reposito ab vno Deo per vnum Christum in sancto spiritu: At Heracleon sic enarrauit *Heracleon hæreticus.* hæc verba: vt qui seminat simul gaodeat, & qui metit, gaudet quidem, inquit, qui seminat, & quoniã seminat, & quòd species quædam seminum ipsius congregantur, spem eandem etiam de cæteris habens, qui verò metit, similiter aliquid metit: sed primus quidem qui seminat, incœpit: secundus verò est ille, qui metit, non enim eodem tempore poterant vtrique incipere: opus enim erat, vt primùm seminaretur, tùm

G meteretur: itaq; cessante à satione satore, tùm messor metet: in præsentia equidem vtrique proprium opus operátes simul gaudent, commune gaudium seminũ, perfectionem rati, præ-
Ioan.4. terea in eo dicto: In hoc est sermo verus, quod alius est, qui seminat, & alius qui metit, inquit. Alter quidem supra locum filius hominis seminat, sed Seruator cum sit, & ipse filius hominis, metit, & messores congregat, nempe eos, quos discipuli rentur angelos: vnumquemque ad suam ipsius animam. Non admodũ autem clarè exposuit, qui sint duo filij hominis, quorum alter seminat, alter etiam metit.

Ego misi vos ad metendum, quod vos non laborastis, alij autem laborauerunt, & vos in eorum laborem introistis:



HAVD est difficile videre ex his, quæ supra diximus, quomodo miserit Iesus discipulos ad metendum illud, in quod ipsi non laborarint, sed maiores sui: cum enim laborarit Moses, & prophetæ vt percipere quirent intelligentiam mysteriorum, quorum vestigia in suis ipsorum scriptis reliquerunt, in Mosis, ac prophetarum laborem introiere apostoli, à Iesu edocti, metentes, & congregantes, in horrea suę ipsorum animæ sensum in illis reconditum. Ac semper certè sermo ille, & filius Dei maiorum labores clariores facit his,
H qui germanè discere cupiunt, etiam si non æquè laborent, atque hi, qui seminarunt. est & hoc quoque considerandum inter omnia, quæ de alijs metentibus dicuntur: num quando angelis ad satus hominum ordinatis, cooperatores perfectionis eorum, qui seminati fuerunt apostoli, in aliorum laborem ingrediantur: metentes, & fructus in his, qui adiuuabantur,
De angelorum ministerio, quod animabus præstant. inuenientes, quos Iesu aduentus paratos ad messem, etiã ante quatuor menses, qui separabantur, fecerat. Quòd si hæc ita se habeot, dignum est, vt inspiciamus, num ministerium angelorum, quod impendunt animas in corporibus seminãdo, laboriosum sit, quippe qui duo quædam cõgregent, quæ natura sunt contraria, in vnum temperamentum, & in tempore ordinato, quique incipiant vniuscuiusque œconomiam facere, & ad perfectionem producant hominem antes plasmatum. Sed dicet aliquis contrarium his esse, quòd Deus
Psal.118. dicatur hominem plasmare tùm hoc dicto: Manus tuæ fe-
Hier.1. cerunt me, & plasmauerunt me: tùm illo, Antequàm formarem te in ventre, noui te, & antequam de vulua exires, sanctificaui te, adquod respondendum est: quòd quemad-
Gal. 3. modum lex per angelos ordinata & dictus sermo per an-
Heb. 2. gelos fuit stabilis (cum alioquin perspicuum sit cum à Deo dictum fuisse) ita etiam cõtingere in generatione, vt per an-
Iob.14. gelos mediatores Deum plasmare dicamus. Sed haud scio, an
Psal.118. huic nodo soluendo tale quid adduci possit: nẽpe quòd Iob,
Hier.1. & Dauid, partis Dei cum essent, dicentes, Manus tuæ fecerũt
I me, & plasmauerunt me, à Deo plasmati fuerint: Hieremias etiam audiens, Antequàm formarem te in vtero, noui te, ceu partis Dei futurus, ab ipso formatus fuerit, alij verò aliorum existentes partes, ab his formantur, quibus forte obtingunt,
Gen 1. & laboriosius profectò interpretabitur hęc oratio: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, hoc dicente Deo de omnibus hominibus, & de opere antegresso:
Gen.11. quod deinde opus, & à cæteris fit, secundum propriam partem, ad quos fit sermo: Deo bis dicente. Faciamus hominem: quibus etiam inquit in confusione linguarũ. Venite, & descẽdentes confundamus illic illorum linguam, hæc autem non definientes dicimus, cum alioquin hæc multa egeant examinatione, vt inueniatur hoc, an illo modo res se habeat, atta-
Deut.32. men non est parui pendenda hæc interpretatio: vnusquisque homo pars est alicuius: iuxta illud. Quando diuidebat altissimus gentes, & quando seminabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum angelorũ Dei: factúsq; est pars domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius: Quòd si omninò vnusquisq; alicuius est pars, quia Deus disseminarit filios Adam, vnusquisq; quidem angelorum laborat circa suam partem, disponens, quæ ad ipsam pertinẽt.
Matt.18. Sed in aduentu Seruatoris assumunt captiuitati, vt obediant
Mar. 16. Christo ex omnium parte per ministrãtes euangelio apostolos, & euangelistas, & doctores, à Christo: adducuntúrque, K
vt sint gentes hæredes Christi: vide igitur, ne fortè propter hoc dici possit, apostolis post paulò audimus. Ite docete omnes gentes, illud: Alij laborauerunt, & vos in laborem illorum introiitis, quòd si sancti angeli reliquas partes, præter electam, sortiti fuerint, & ordinati sunt ad sationem animarum, nihil absurdi consequitur, seminantem simul gaudere, & metẽtem post messem. Verum Heracleon inquit, neque per ipsos, neque ab ipsis, intelligit autem apostolos, seminata fuisse hæc semina: qui laborauerunt, inquit, sunt angeli, quibus hæc cura credita est: per quos veluti mediatores seminata sunt, & nutrita. Porrò in hoc dictum, vos in laborem eorũ introistis hæc protulit: non idem est labor seminantium, & metentiũ illi enim in frigore, & aqua, & labore, terram fodientes seminant, & per totam hyemem sarrientes satagunt, & syluas extirpantes, qui verò in fructum paratum ingressi fuerint, læti metunt. Cæterùm prudens lector conferens, quæ nos diximus, cum his, quæ dixit Heracleon, videre poterit, vtrius expositiones sint probabiliores.

TOMVS DECIMVSSEPTIMVS.

Ex vrbe autem illa multi Samaritanorum crediderunt propter sermonem mulieris testantis, eum dixisse omnia quæcunque fecisset.

L



CVM hydriam reliquisset, abiissétque in ciuitatem Samaritis, vt annunciaret, quæ à Seruatore audierat, cúmque venirẽt ad dominum credentes sermoni mulieris, interim Seruator discipulis loquens verba fecit superius dicta, ob- *Redit ad historiam de Samaritana & eius populari-*
secrantibus discipulis, vt comedat: postquàm autem dicta *bus.*
fuissent ad discipulos, quæ pro virili indagauimus, resumit scriptura narrationem de his, qui venerant è ciuitate ad ipsum, & de his, qui crediderant per testimonium mulieris dicentis eum dixisse sibi omnia, quæcunque fecisset. Quòd si memores sumus eorum, quæ superius diximus de Samaria, & de Samaritide, & de fonte Iacob, non difficile est videre quonam pacto qui assequuti fuerint sanam doctrinam, cum antea occupati fuissent in doctrinis ab ecclesiæ decretis dissidentibus, relinquunt veluti dogmatum ciuitatem, & egressi ex ea in vacuum, aliquo modo credunt, cum vna quæpiam mulier antea perceperit apud fontem Iacob salutarem doctrinam, & reliquerit prædictam hydriam inuitatura alios, vt similiter tuerentur. Sanè Heracleon interpretatus est ex vrbe, pro è mundo: illud verò propter sermonem mulieris, hoc est, inquit, propter spiritualem ecclesiam, notátque illud, multi, quasi multi sint animales, vnam verò natura electionis, asserit esse incorruptam, & vniformem, & singu- M
larem: quibus nos institimus in superioribus pro virili.

Vt ergo venerunt ad eum Samaritani, rogabant eum, vt apud ipsos maneret, & mansit illic duos dies, & multò plures crediderunt propter sermonem suum.



NON inscitè quis conferet hoc dictũ: In viam *Matt.10.*
gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum non ingrediemini, cum hoc contex- *Soluit quandam antinomiam.*
tu: rogatus enim Seruator, vt maneret apud Samaritanos, mansit illic duos dies, qui dixerat, in viam gentium non ingrediemini: vnde perspicuum est, discipulos eius cum ipso ciuitatem ingressos non fuisse. Ad quod dicendum est, quòd ire in viam gentium, sit recipere aliquod dogma gentile, alienum ab Israele Dei, & ambulare in illo: ingredi verò in ciuitatem Samaritanorum, sit adhærere alicui scientiæ, falsò nominatæ, eorum, qui se dicunt adhibere mentem legalibus, vel propheticis, vel euangelicis, vel apostolicis sermonibus. Relinquentibus autem Samaritanis propriam vrbem, & venientibus ad Iesum apud fontem Iacob, licet Iesu admittenti eorum, qui crediderant, propositum, manere apud ipsos rogantes. Arbitrórque Ioannem cum iudicio non fecisse, rogabant eum Samaritani, vt Samariam

A mariam ingrederetur, vel vt ingrederetur ciuitatem: non enim idem est manere apud credentem, & ingredi in ciuitatem ipsius. Quin lectio sequens non inquit, mansisse cum in ciuitate illa duos dies, vel quòd manserit in Samaria, sed mansit illic, hoc est penes eos, qui rogatant. *Christus apud quos maneat.* Manet enim Iesus apud eos, qui rogant, & præcipuè cum rogantes eum egrediuntur ex vrbe sua, & veniunt ad Iesum, Abraam veluti imitati parentem, Deo dicente: Egredere de terra tua, & de *Gen. 12.* cognatione tua, & domo patris tui. Mansit autem duos dies penes eos, à quibus rogatus fuerat (nondum enim capiebant tertium illius diem) quoniam miraculorum aliquid capere non poterant, perinde atque conciues Canæ Galileæ tertia *Principia & incrementa fides.* die cum Iesu cœnantes in nuptiis. principium igitur, quòd multi crediderunt, ex Samaria sermo fuit mulieris testificantis, dixisse sibi Iesum omnia quæcunque fecisset: incrementum verò, & multiplicatio eorum, qui multò plures crediderunt, non amplius propter sermonem mulieris, sed propter sermonem eius, quòd non æquè ipse sermo, seu filius Dei agnoscatur, cum aliquis de ipso testificatur, atque cum ipse à se ipso illustrat, & erudit percipientem discipulum. At Heracleon in hæc loca hæc loquit apud ipsos mansit, & non in ipsis: & duos dies, videlicet præsens seculum, & futurum tempus nuptiarum, vel tempus ante passionem suam, & post passionem suam, quod tempus apud ipsos cum degisset, &

B multò plures proprio sermone conuertisset ad fidem, separatus est ab illis: ad quam ipsius apparentem obseruationem (scilicet quòd apud ipsos, & non in ipsis, scriptum fuerit) dicendum est, quòd illud dictum: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, simile sit huic, apud ipsos *Mat. 28.* mansit: non enim dixit in vobis sum. Præterea dicens duos dies esse: vel hoc præsens seculum, & futurum, vel tempus ante passionem, & post passionem, neque superuenientia secula post futurum seculum considerauit (de quibus inquit a*Eph. 2.* postolus: vt ostenderet in superuenturis seculis) neque perspexit, quòd Iesus non solùm ante passionem, verùm etiam post passionem conuersatur cum his, qui ad ipsum veniunt, & postea separatur: semper enim cum discipulis est, nunquã *Gal. 2.* ab eis discedens: adeò vt etiam dicant: Viuo autem non amplius ego, sed viuit in me Christus.

Mulieri autem dicebant: non amplius propter loquelam tuam credimus, ipsi enim audiuimus, & scimus quòd hic est verè Seruator mundi.

NEGANT fidem eam, quam habebant propter loquelam mulieris, eo quòd hac præstantiorem inuenissent, audito Seruatore ipso, adeò vt agnouerint hunc esse verè Seruatorem

C mũdi. Ac certè melius est, propriis oculis cernere τὸν λόγον, id est filium Dei, ipsúmque audire docẽtem, sine instrumentis, & citra docentes visa imprimentem, τῷ ἡγεμονικῷ, hoc est animæ principatui, inuenienti veritatis figuras manifestò, quàm non videntes ipsum, neq; ab illius illustratos potentia, doctrinam percipere de illo per ministros, qui illum viderint. Difficillimum enim factu est, vt affectionem eandem, quę in principatu animæ illius, qui viderit, efficitur, patiatur ille, qui edocetur ab eo, qui ipsam viderit, vnde etiam longe melius est per speciem ambulare, quàm per fidẽ. *2. Cor. 5.* Hanc ob causam aliqui per speciem ambulãtes in præcipuis dicentur esse charismatibus, nempe in sermone sapientiæ per spiritum Dei, & in sermone scientiæ iuxta eundem spiritum, qui verò per fidem ambulant (etiam si donum sit fides, iuxta illud, alij autem fides in eodem spiritu) in ordine priorũ sunt *1. Cor. 12.* vltimi. Cæterũ inquirendum oportet quando, & quomodo dicat Paulus: per fidem enim ambulamus, nõ per speciem: quomodo enim vt multi tentur per fidẽ, & non per speciem am*2. Cor. 9.* bulat, qui grauissimè dicit: Nónne sum liber? nónne sum apostolus? nónne dominum nostrum Iesum Christum vidi? nónne opus meum vos estis in domino? proinde videamus, quo*Ambulare per fidẽ & speciem* modo intelligẽdum sit illud, per fidẽ enim ambulamus, non per speciem, reassumentes ex superioribus ipsum sic habens. *2. Cor. 5.* At Deus, qui vos in hoc ipsum parauit, Deus est: qui etiã de-

D dit arrabonem spiritus, itaque bono animo simus semper, & scientes, quòd cum domi sumus in corpore, peregrinamur à domino (per fidem enim ambulamus, non per speciem, scilicet cum domi existentes in corpore, peregrinamur à domino) confidentes, magis probamus peregre abesse à corpore, & pręsentes adesse apud dominum. His sic dictis intelligendi causa, quid sit præsens esse in corpore, & peregrinari à domino, itémque quid sit peregre abesse à corpore, & præsens adesse ad dominum, nos ipsos interrogemus, quid de apostolo dicturi simus, vtrũ ne quòd domi existens in corpore peregre absit à domino, an quòd peregre agẽs à corpore præsens adsit apud dominum? Sed perspicuum est id, nam quoniam qui in carne sunt Deo placere non possunt, & sancti non sunt in carne, sed in spiritu (quandoquidem Dei spiritus habitat in ipsis) Paulus neque in carne, neque in corpore erat, nam verè *1. Cor. 7.* dicit: opinor autem quòd & ego spiritum Dei habeam, sed neque in carne, neque in corpore habitabat: cum iis, qui corpus inhabitat, per fidem ambulet, non per speciem. Ac vide num apostolicę diligentiæ possit esse, vt esse in carne, & habitare in corpore, non idem esse dicamus. *Esse in carne & habitare in corpore differunt.* Etenim qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Rursus qui habitant in corpore, peregre quidem absunt à domino, veruntamen per fidẽ ambulant, etiam si nondum perceperint per speciem: & eos quidem in carne arbitror esse, qui secundum carnem militãt, corpus verò inhabitare, & peregre abesse à domino eos esse, E qui sensus scripturæ non intelligentes, corpore toti sunt ipsi scripturę addicti: alioquin quomodo non peregre abest à domino (si dominus spiritus est) qui nondum percipit spiritum viuificantem, & sensum scripturę spiritualem? attamen per fidem, qui huiusmodi est, ambulat peregre cum absit illa à corpore, & tendat ad dominum, qui spiritualia spiritualibus cõferens, factus spiritualis omnia diiudicat, ipse à nullo diiudicatus. Hæc quanquam à nobis per digressionem in apostolica verba dicta videtur, maximè tamen necessaria sunt ad differentiam sermonis Samaritanorum, non amplius propter loquelam mulieris credentium, sed quia viderunt, & audierunt hũc esse Seruatorẽ mundi. Nec mirum sanè debet esse, quosdam per fidem ambulare, non per speciem, quosdam per speciem, id quod maius est, quàm ambulare per fidẽ. Porrò Heracleon simplius cum exposuisset hoc dictum: non amplius propter loquelam tuam credimus, abesse inquit vocabulum, solam, pręterea in illud, ipsi enim audiuimus & vidimus hunc esse Seruatorem mundi, inquit, homines ab hominibus primum instructi Seruatori credunt, at simulátque in sermones eius inciderint, non amplius propter solum humanum testimonium, sed propter ipsam veritatem credunt.

Post duos verò dies exiit inde in Galilaam, ipse enim Iesus testatus est prophetam in propria patria honorem non habere. F

VALDE inconsequens videtur oratio: quid enim commune habet hoc dictum: ipse enim Iesus testatus est prophetam in propria patria honorem non habere, ad illud quòd exierit ipse post duos dies à Samaritanis, apud quos manserat, & in Galilæam abierit? nam si in patria ipsius fuisset Samaria illícque contemptus fuisset, & hanc ob causam non cõmoratus vltra duos dies, consequenter dictum fuisset, ipse enim Iesus testatus est prophetam in propria patria non habere honorem, quin etiam si scriptum fuisset, post duos autem dies exiit in Galilæam, nec profectus est ad suam patriã, ipse enim Iesus testatus est prophetã in propria patria honorem nõ habere, etiam hoc modo locum habiturum fuerat id quod dicitur. Et fortassis voluntas cõtextus talis est, sed Ioannes, ceu sermone rudis, obscurè scripsit, quod mente cõceperat, etenim in aliquem Galilææ locum receperunt eum Galilæi, qui viderant omnia, quæcunque Hierosolymis fecisset in die festo: quod non est dictũ ab euangelista, qui scripsit post hoc, Iesum profectum fuisse Canam Galileæ. tetigat autẽ sese euangelista, nec dubitat de re proposita. Cum ergo prædixisset, quonam pacto reliquit Iudæam, proficisceretúrq; in Galilæam dominus, cúmque narrasset, quę dicuntur propè locum

G quem dedit Iacob Iosepho apud fontem Iacub, quoniam o-
portebat enim transire per Samariam, & quomodo mansisset
apud Samaritanos duos dies, assignat accessum illius in Gali-
læam: quanquam interim non pauca fuissent dicta. Verum
quoniam in superioribus Iudæam prædiximus notā esse me-
lioris cuiusdam rei, quia in sublimi posita esset, deterioris de-
terioris verò rei Galilæam, & hac ratione Deum humani ge-
neris amantem eos, qui visitatione egeāt, quique sint inferio-
res, non despicere, hanc ob causam illis celeriter relictis, affu-
turus erat Galilæis, qui illum promptè receperant, & Reguli
Ioan. 4. filium curaturus, cum hæc in Galilæa fecisset, instante Iudæo-
rum festo Hierosolymam ascendit: solennitatem meliorem,
festiuiorémque suo ipsius aduentu facturus. Sed videamus
quid sit: ipse enim Iesus testatus est, prophetam in propria
Act. 7. patria honorem non habere: atque ex Iesu dignitate hoc te-
stificantis, quæramus huius contextus intelligentiam. Patria
igitur prophetarum in Iudæa erat, manifestúmque est hono-
Heb. 11. rem illis habitum non fuisse apud Iudæos, qui fuere lapidati,
secti, tentati, in occisione gladij pereuntes, vt probro essent,
circumeuntes in velleribus ouium, in pellibus caprinis, post
habiti, tribulati, malis vexationibus. Ac profecto Iudæis con-
uitiaturis, qui coram eis dicebat: Quem prophetarū non sunt
persequuti patres vestri? qui etiam occiderunt eos, qui de ad-
uentu iusti prædixissent: qui etiam postremò prophetam om-
H nibus eminentiorem cum spreuissent, tolle, tolle, crucifige
eum, dixerunt. Honorati autem sunt in mea patria prophetæ,
& is etiam, qui à deo excitatus est, iuxta ea, quę de ipso à Mo-
Deut. 8. se dicta sunt: Prophetam suscitabit vobis dominus deus no-
ster è fratribus vestris mei similem ipsum audietis: patria, e-
nim ipsius in gentibus inest, quæ lapsu Israelis salutem rece-
Luc. 4. perunt, in aliis etiam scriptum est: Nullus propheta acceptus
est in patria & in domo sua, vtiléque profecto fuerit contex-
tu his testimoniis cognato in vnum collecto, videre quando,
& quo in loco Seruator hoc dixerit. Libet autem admirari
veritatem enunciationis Seruatoris, quæ non tantum ad san-
ctos prophetas, spretos à familiaribus, & ad ipsum Dominum
pertinuit, sed ad eos etiam, qui aliqua sapientia claruerint, qui
adeò contemptui ciuibus fuere habiti, vt vel ad mortem du-
cerentur, quæ libet ex Græcorum historia colligere de his, qui
in philosophiæ, & astronomiæ, vel in quibusuis tandem vo-
lueris disciplinis consenuerunt. Proinde conuitiantium sunt
etiam hæ voces: nónne hic est fabri filius? nónne mater eius
Matt. 13. dicitur Maria, & fratres eius sunt apud nos? vnde ergo huic
hæc omnia? Atque etiam, quod summa admiratione dignum
est, contigit hoc in prophetis, vt quod in eius erat viuum, nō
honorarint ciues, quod mortuum verò esset, fouerint, ædifi-
cantes ipsorum monumenta, & ornantes: ædificantur autem
prophetarum monumenta, & ornantur, cum relicto qui spi-
ritu viuificante latente in sensibus literarum ipsarum, fouet &
I ornat literam occidentem, pulchritudinem prophetiæ ratus
positam esse in nuda literarum intelligētia, quod quidem fa-
cere solēt tum pharisæi, tum scribæ, quibus væh dicitur à do-
mino, quorum alteri nempe nudæ literæ cognomento dicti
sunt literatij, siue scribæ: pharisæi verò, eo quòd diuisi sunt,
perdiderintque diuinam vnitatem, nam pharisæi, si interpre-
teris, iidem sunt, atque diuisi.

Cum ergo venit in Galilaam, receperunt eum Galilai, vt qui vidissent omnia, qua Iesus Hierosolymis fecisset in die festo.

Cur Galilæi honorificè christū susceperint DIgnum est, vt videamus causam, propter quam
receperint Galilæi Seruatorem in Galilæam pro-
fectum, num tanta sit vt in stuporem, admiratio-
némque Seruatoris coniecti illum excipiant, præ-
terea ad quæ referendum sit hoc dictum, perinde quasi mul-
ta essent, quæ Hierosolymis fecisset Iesus, cū omnia vidissent,
quæ fecisset Iesus Hierosolymis in die festo. Sed ne superius
quidem quicquam inuenimus, nisi quòd inuenerit in templo
vendentes boues, & columbas, & mensarios sedentes, fa-
ctóque è funiculis flagello omneis è templo eiecerit, tum o-
Ioan. 4. ues, tum boues, & mensariorum æs effuderit, & mensas sub-
uerterit, & columbas vendentibus dixerit: tollite hinc ista, nec
facite domum patris mei domum mercatus: quid ergo in his K
tanti est, vt horum gratia, moti Galilæi Dominum reciperent?
quos, quia hunc recipiant testatur Euangelista, Hierosolymā
cum venissent, vidisse omnia, quæ illic Iesus fecerat? Ad quod
respondendum est, si memores sumus eorum, quę diximus in
eum locum, quæ declarabant non minorem potentiam Ser-
uatoris apparuisse in eiiciendis illis, quàm cum operabatur, vt
cæci visum reciperent, surdi audirent, claudi ambularent, Ga- Matt. 11.
lilæos fortasse, cum vidissent, quod nūquam rati fuissent, per-
culsos diuinitate Iesu, ipsum in Galilæam aduentantem exce-
pisse, nimirum cum omnia vidissent quæ Hierosolymis fecis-
set. Quæ sanè omnia hæc fuere: oues, & boues, flagello è fu-
niculis facto, è templo eiectos fuisse, æráque argentariorum
effusa, mensásque subuersas: dictúmque cum potestate fuisse
vendentibus columbas, tollite hinc ista, nec facite domū pa-
tris mei domum mercatus. Opinor verò non isthæc tantùm, Ioan. 2.
tùm ab ipso facta, sed alia etiam signa, eò quòd his inferatur.
Cum autem esset Hierosolymis in die festo paschatis, multi
crediderunt in nomine ipsius, videntes ipsius signa, quę fecis-
set: propter quę etiam Nicodemus, inquit, magister scimus te
à Deo venisse magistrum: nemo enim potest hæc signa face- Ioan. 3.
re quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Attamen potes (Ga-
lilæus si es) diem festum agere, Hierosolyma profectus, vbi tē-
plum est Dei, & videre omnia, quæ illic fecerit Iesus: ac præ- L
cipuè quonam pacto flagello è funiculis à se facto, omneis
eiiciat, qui boues, oues, & columbas vendant: ipsasq; oues, &
boues, & cætera. Festiuitas enim quę Hierosolymis agebatur,
initium Galilæis fuit ad excipiendum Dominum venientem
ad ipsos: alioquin nisi vidissent, quæ fecisset in die festo non
recepturi erant ipsum sed ne ipse quidē adeò studiose ad eos
accessisset nisi antea præparati fuissent ad eum bono animo
excipiēdum, cum relinqueret eos, penes quos rogabatur ma-
nere: equidem qui Iesum exceperint, iidem etiam receperint
eum, qui ipsum misit, inquit enim: Qui me recipit, recipit eū Luc. 9.
qui me misit. Principio igitur videndum est, hoc est intelligē-
dum, quæ opera Hierosolymis fecerit Iesus, quonam pacto
expurgat templū, illud restituens, vt sit domus patris, nec am-
plius domus mercatus: vt postquam hæc considerauerimus,
sermonem filium Dei, qui hæc operatus sit, recipiamus: sum-
múmque arbitror, vt qui non viderit opera omnia, quę Hiero-
solymis operatus sit Iesus, non suscipiat Iesum, vel neque ac-
cedet Iesus ad eos, qui antea non ascenderit ad diem festum,
nec contemplati fuerint, quæcunq; Hierosolymis fecerit.

Venit ergo rursus Canam Galilaa, vbi fecerat ex aqua vinum.


QVÆ CVNQVE percepimus de ciuitate Cana, su-
perius diximus, sed non frustra bis Iesus Canam M
proficiscitur, proinde vide, ne fortè significet hoc, Saluatoris
duos in mundum Seruatoris nostri aduentus: se- duo in mundo aduentus.
mel quidem, vt conuiuas exhilaret, secundò verò, vt morti
proximum non Regis, sed Reguli cuiusdam filium curaret, &
fortassis Regulus erat Abraam, vel Iacob, quorum filium po-
pulum existentem, cum plenitudo gentium intrauerit, serua-
bit in fine. Possunt etiam filij Dei aduentus esse duo in ani-
ma, prior quidem vinum suppeditans ex aqua factum ad iu-
cunditatem conuiuatorum, alter omnem relictam infirmita-
tem, & quicquid mortem minatur, auferens. Nihil autem mi-
rum est, Iesum multa pro salute multorum facere, quādoqui-
dem multa eorum, quæ gessit, latent: quorum figuræ sunt re-
liqui inscripti loci: bis Canam hanc proficiscitur, sibi ipsi sta-
biliens possessionem eorum, qui ex hac terra in patrem per
ipsum crederent.

Explicit Tomus decimus septimus.

TOMVS DECIMVSOCTAVVS.

Et erat quidam Regulus cuius filius infirmabatur in Capharnao, & catera. Et credidit ipse, & domus eius tota.

Non

A NON admodum vsitatum inuenimus apud Iudęos Reguli nomen, vnde neque quantum ad historiã cogitatione assequimur, quis sit iste Regulus, & cuius Regis sit cognominis. *Quis iste regulus.* Itaq; simplicior existimabit Regulum hunc hominem esse aliquem Herodis Regis. Rursus alter huic similis dictutus est è Cæsaris domo hũc fuisse Regulum, tum temporis aliquid in Iudæa exigentem, tractantémve, neque enim aperte inuenitur, quòd fuerit Iudæus, quoniam non sequitur indigenam eum fuisse illorum locorum, eo quòd filius suus in Capharnao ęgrotabat. Ostẽditur autem illius dignitas etiam ex hoc, quòd illi descendẽti occurrisse dicuntur serui, dicentes filium ipsius viuere, plurium enim numero serui dicuntur. Habeat igitur historia vt iubet, elegantiúsque se habeat Reguli filius iuxta Seruatoris vocem hora septima liberatus à febri, domúsq; eius tota credat. At age pro virili nostra vestigemus, cuius rei nota esse possit hic Regulus & filius eius. *Matt. 5.* Magnum igitur Regem (cuius ciuitas vera Hierosolyma sunt) & Regem regnantiũ peregre profectum ad regionem longinquam accipiendi sibi regni causa, & redeundi, & veniente m Regem, alium neminem scimus, nisi dicentem: *Psal. 2.* Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Syon mõtem sanctum eius, diuulgabo pręceptum Domini, huius diẽ qui viderint & lętati fuerint, omnes sunt Reguli, & qui credũt in patrem per ipsum, B Regni illius sunt cognomines, quorum vnum quendam quęrimus, & ipsius filiũ qui ęgrotarit, & cętera, quę de hoc scribũtur. Diximus autem in superioribus omnem populum filium esse Abrahę, *Ioan. 8.* quemadmodum etiam ipsi gloriantes fatentur: Nos semen Abrahę sumus, & nemini seruimus vnquam, & illud: nũ tu maior patre nostro Abraam, qui mortuus est? periode enim quasi populos gloriaretur in ipso magis, quàm in cęteris patribus, iisque etiam, qui post ipsum extitissent, inquit Seruator: *Luc. 3.* Ne cœperitis dicere patrem habemus Abraam, vel ne cogiteris dicere, patrem habemus Abraam, nam potest deus de lapidibus his suscitare semen Abrahę. *Esa. 51.* Quin Hesaias quoque ad populum inquit: Inspicite in Abraam patrem vestrum, & in Saram quę vos peperit, & quid opus est exemplis sermonem producere, manifestum cum sit quòd ipse Abraam sit primus pater populi, propter quod singulariter etiam nominatur pater? *Abrahã regulus.* Suspicamur igitur Regulum esse Abraam, eius verò filiũ (qui etiam mortuus in Capharnao ęgrotauit) Israeliticum genus quod ægrotauerat in dei cultu, & obseruatione diuinarum legum & etiam deo vt moreretur, feruentibus (vt ita loquar) inimici sagittis, feruefactũ fuerat, vnde etiam feruere, id est febricitare dicitur. Apparet autem sanctis, qui antea ex hac vita emigrarint, curam esse de populo, quemadmodũ in Machabæorum gestis scriptum est: post quàm plurimos annos ab obitu Hieremiæ. Hic est Hieremias dei propheta qui multum orat pro populo. *2. Macc. 15.* Vide ergo num exponere possimus, C quòd Abraam Regulus quispiam existens, ægrotante sibi filio, eóque morituro dominum rogat pro filij laborantis sanatione profectus ad ipsum, & obsecrans, vt descendat, & curet suum filium iam moriturum. Illud verò, quod ad ipsum dicitur, nisi signa, & prodigia videritis, relationem habet ad multitudinem filiorum eius, & fortassis ad ipsum etiam, vt enim Ioannes Christi aduentum expectans expectabat signũ datum, vt per eum agnosceret eum, qui prophetabatur, signũ verò erat, super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est filius dei, sic etiam sancti, qui antea è vita decesserant, expectantes Christi aduentum in corpore à signis, & prodigiis eum manifestandum expectabant, per hæc credentes in eum qui sperabatur, obsecrat autem vt Dominus celeriter descendat ad suum ipsius filium ægrotantem, sollicitus existens, ne mors præoccuparet victum infirmum, febrimque sermone expellit Christus, renuncians patri filium periclitantem viuere, per illud: vade filius tuus viuit. Habet etiam hic Regulus non solum filium, verũ etiam seruos, quorũ nota erant vernæ Abrahæ, & hi quos argento emerat (forma quædam credentium abiectio, & humilior) *Gene. 14.* hi consuetudinem habentes cum filio febricitante, vident illius salutem, occurrúntque patri vitam sanitati annunciantes, cúmque lætum reddentes illo verbo, filius tuus viuit, qui antea non cogitarant filium domini viuere. Non frustra autem hora septima relinquit eum febris, nam numerus nota est quietis. D Capharnaum sanè (hoc est in consolationis agro) est ille filius qui ægrotat, & curatur (nempe genus quoddam ęgrotantium quidem, sed qui non omnino sint sine fructibus) créditque perfectissimè pater, agnita filij salute, Christo credẽs cum tota domo sua. Quomodo autem descendens Iesus à Iudæa in Galilæam hoc signum secundum fecerit in sequentibus indagabimus pro virili, cum ad contextum peruenerimus. *Anagogica expositio* Considerandum etiam est, num potentiæ alicuius ex his, qui huic seculo imperant, imago sit Regulus, num etiã filius eius imago sit eorum, qui existunt sub potestate, seu populi præstantis, & vt ita dicam, veluti electionis apud ipsum, num etiã infirmitas eius sit affectus prauus, præter principis propositum, & ciuitas Capharnaum sit imago loci mansionis sibi subditorum. Existimo enim aliquos ex principibus obstupefactos propter potentiam, & diuinitatem Iesu, confugisse ad eum, & orasse pro sibi subditis. Alioquin cur quæso homines pœnitentiam recipiunt, ex infidelitatéq; ad fidem transeunt, idẽ verò in potẽtiis dicere veremur? *Caue.* Vel nobis dicat aliquis causam, cur homines carnem & sanguinẽ induti confugere possint (mutati) ad Deum per Christum, eos verò qui puriori natura vtantur, idem non posse, sed omnes incapaces esse credendi in Seruatorem, miniméque obstupescere propter prodigiosas virtutes, quas ipse fecerit. At ego reor etiam circa eas potentias (principatus quos vocãt) aliquid factum fuisse, E immutatas in melius in Christi aduentu, adeò vt quædam integræ vrbes, vel etiã gentes, commodiúsque multi habuerint, quæ ad Christum pertinent, & profecto iuxta hanc intelligẽtiam nihil absurdi erit, vt ad Regulum dicatur, nisi signa & prodigia videritis non credetis. Potest autem & de potentia Dei Regulus obsecrare profectus ad ipsum, vt descendat ad locum infirmitatis filij, & medeatur ægrotanti, sed non omnino descendisse opus est ad filium Reguli febricitantem, sufficit enim illud: filius tuus viuit, dictum ad salutem filij, quippe cum efficax sit sermo efficiénsque eorum omnium, quę velit loquens. *Absurda Heracleonis interpretatio.* Videtur autem Heracleon dicere Regulum mundi opificem (quòd & ipse imperiũ haberet in subditos sibi) sed quòd paruum & temporarium esset ipsius Regnum, nominatum fuisse Regulum, veluti paruum quendam Regem, ordinatum à Rege vniuersali, filiũ verò eius in vrbe Capharnao existentem interpretatur illum esse qui sit in humiliori parte medietatis iuxta mare, hoc est in ea parte, quæ coniuncta est materiæ, inquítque, quòd seruus ipsius homo, infirmus existens, hoc est, non secundum naturam se habens, in ignorantia & peccatis fuerit: deinde quod dicitur à Iudæa in Galilæã, exposuit pro eo quod est à superna Iudæa, nescio quomodo autem motus in ea verba, erat enim moriturus, existimet subuerti eorum opinionem, qui animam immortalem ponunt, eodem coniicis existimans tum animam, tum corpus, & interire in gehenna, nec immortalem esse existimat Heracleon animam, sed apte habentem ad salutem, ipsam esse dicens corruptibile illud, quod induit incorruptibilitatem, F & mortale, quod induit immortalitatẽ, cum mors ipsius animæ, absorpta fuerit in victoriam. *Heracleon animas mortales facit.* Ad hæc, illud etiam, nisi signa, & prodigia videritis, nõ credetis, dici (inquit) proprie ad talem personam, quæ per opera, & per sensum naturã habeat obediendi, non autem credẽdi per rationem, *1. Cor. 15.* hoc etiam: Descende priusquam moriatur filius meus, dictum fuisse putat, eo, quòd mors, quam lex infert (nempe lege interficiẽte propter peccata) sit finis. antequam igitur (inquit) perfecte moriatur filius propter peccata, eget pater solo Seruatore, vt opẽ filio ferat, hoc est tali naturę, pręterea verba illa, filius tuus viuit interpretatus est dicta fuisse à Seruatore propter modestiam, quoniam non dixerit volo, neque ostenderit seipsum præstitisse illi vitam. Dicit etiã quòd cùm descẽdisset ad infirmum, liberassétque eum ab infirmitate (hoc est à peccatis) ac viuificasset propter remissionem dixerit, filius tuus viuit, additque huic dicto credidit homo, quòd facilis ad credendum sit etiam mundi opifex, quódque possit Seruator etiam non præsens curare, seruósque Reguli interpretatus est angelos opificis mundi renũciantes illis verbis filius tuus viuit, quod commode & probe haberet, non amplius agens à se aliena, & hanc ob causam existimat seruos renuociare Re-

G gulo, quæ ad salutem filij pertinebant, primósque existimat angelos videre actiones hominum in mundo, an fortiter & sinecre vitam degant ab eo tempore, quo Christus aduenit. Ad hæc per horam septimam dicit designari naturam sanati, demum credidit ipse, & domus eius tota, interpretatus est dici de angelico ordine, déque hominibus ipsi effectori mundi coniunctioribus. Inquit etiam inquiri de quibusdam angelis, vtrum seruabuntur necne, nempe de his, qui descenderunt ad filias hominum, quinetiam virorum effectoris mundi perdictionem declarari existimat hoc dicto: Filij regni exibunt in tenebras exteriores. Esaiámque de his prophetare illud: Filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, quos filios alienos & semen nequam, & iniustum appellat, visémque quæ fecerit spinas, & hæ quidem sunt commentationes Heracleonis, quas & audacius & magis impie dictas oportuerat multo apparatu demonstrari, si quidem veræ erãt. Sed nescio quomodo etiam de animæ immortalitate dubitat, cũ non exposuerit, quot sint ex mortis voce significationes. Verum enim significatum oportebat cum consideratione & diligentia videre, & an iuxta omnes significationes, anima sit mortalis, necne: Nam si ea eo quòd peccare potest anima, quæ peccat, ipsa moritur, etiam nos eandem hoc modo mortalem dicimus, quòd si vniuersalem dissolutionem, & demolitionem eius, mortem existimat, nos non admittemus, ne a-

Gen. 6. *Matt. 8.* *Esa. 1.*

Quatenus anima immortalis: et quatenus moriatur.

H nimo quidem dispicere valentes substantiam mortalem transeuntem in immortale, & naturã incorruptibilem in id, quod est incorruptibile, hoc enim est perinde ac si diceremus transire aliquid à corpore in rem incorpoream, perinde quasi subiectum aliquod commune sit naturæ corporum, & rerum incorporearum, quod manet, quemadmodum manere dicunt materiale, hisce in rebus clarissime qualitatibus transeuntibus in incorruptibilitatem, cæterum non idem est corruptibilem naturam induere incorruptionem, & corruptibilem naturam transire in incorruptionem. Eadem etiam, & de natura mortali dicenda sunt, quę non immutatur in immortalitatem, sed eam induit, præterea quandoquidem animalem animam existimauit per opera & sensum credere, non autem per rationem, interrogemus eum de Paulo, cuius naturæ erat. nam si naturæ spiritualis, quomodo per prodigiosam apparitionem credidit? quod si non aliter, quàm per apparitionem prodigiosam credere poterat, cõsequitur iuxta illorum opinionem etiam ipsum animalem fuisse. Sed quomodo non impiũ est, & præter euidentem rationem de mundi opifice, quòd ante mundi opificem angeli eius viderint sanum, & sincerum modum viuendi eorum, qui propter potentiam Seruatoris meliores facti fuerint contra scripturam dicentem: Num occultabitur homo in locis latentibus, & ego non videbo eum? & Dominus scrutans renes & corda, & dominus cognoscens cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Quomodo etiam seruat illud, qui videt omnia ante ortum ipsorum, si natura sanati designatur ab horæ numero, sit natura medicamé-

Act. 9.

I ti facta numero, qui accommodatus est ad quietem. Quod verò scriptum est propter corruptionem eorum, qui sunt animales in fine eorum, quæ exposuimus ab eo dicta fuisse, æquiuocatio vtcotis est, & introducentis quartam naturam, quod ipse non approbat. Hoc autem rursus secundum signum fecit Iesus, veniens à Iudæa in Galilæã, hic contextu, est ambiguus, habet enim talem significationem, quasi Iesus duo signa fecerit, cum veniret à Iudæa in Galilæam, quorum signum de filio Reguli sit secundum, & quòd duo signa cum sint, quæ fecerit Iesus in Galilæa, secundum fecerit veniens à Iudæa in Galilæam, estque hoc receptum, & verum, neque enim cum proficisceretur à Iudæa in Galilæam primum fecit, sed primum fecit, quando mutauit aquam in vinum, factúmque est postera die, fuitque etiam in causa, vt Andreas frater Symonis Petri interrogãs, vbi maneret circa decimam diei horam, apud dominum maneret, scriptum est enim: Postridie voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Sed vide num intelligere possimus œconomiam, eo quòd notarit etiã euangelista hoc secundum signũ factum fuisse cum descenderet Dominus à Iudæa in Galilæam. Diximus autem in superioribus, duos Seruatoris nostri aduentus in Canam accipi posse pro duobus ipsius super terram aduentibus, quæ quidem terra,

Ioan. 4.

Ioan. 2.

quia facta sit possessio eius, qui accepit potestatem omnem, K ita in terra, quemadmodum in cœlo, idcirco χαρὰ appellata est. Primo itaque aduentu nos post lauactum cum ipso conuiuantes exhilarat, etiam donans, vt bibamus è vino potentię suæ, quod quidem aqua erat, quando hauriebatur antea, sed vinum facta est, quando immutauit illam Iesus. Etenim vere ante Iesum scriptura erat aqua, simul autem atq; venit Iesus, facta est nobis vinum: Secundo verò aduentu liberat à febri tempore iudicij, quod illi à deo concreditum fuit, vt iudicet, liberans à febri, & perfectè sanans Reguli filium, siue Abrahæ, siue principis alicuius, qui Regulus nominetur, & hæc quidem veluti prætereundo superiores expositiones, quarum quoniam memores nos esse oportet, dicendum est fieri posse, vt omnis creatura duplicem illius aduentum hunc ad se consideret, proinde inspicies, num principalis dicendus sit hac ratione primus, sequens verò secundus, adeo vt in principali exhilarentur hi, qui eum receperint: in secundo verò liberentur ab omni morbo, & ab igneis inimici sagittis hi, qui noluerant antea de eius vino bibere: Et primum quidem miraculum indiuisum est, nam Canæ est, & qui aquam vertit in vinum, & qui bibunt. Secundum verò miraculum quandam veluti separationem habet, nam filius Reguli ægrotans non erat vbi Iesus: nõ enim erat in Cana, sed in Capharnao, & sermo quidem potentiæ à Cana egreditur, nam filius tuus viuit, L in Cana dictum est, opus verò sermonis efficitur in Capharnao, illic enim ægrotus Reguli filius sermone curatus est hora septima: inuenimúsque hunc à Iesu curatum, qui non putabatur illi adesse, atque etiam Centurionis seruum. Etenim (procul ab illo cum esset) non proficiscitur dominus ad domum Centurionis, qui dixit: Domine non sum idoneus, vt sub tectum meum intres, sed tantum dic verbum, & sanabitur puer meus, propter quod inquit ad ipsum. Vade, & vt credidisti, fiat tibi. Obseruauimus autem vtrosque ęgrotanteis in Capharnao fuisse, scilicet Reguli filium, & Cẽturionis seruũ. Quin socrus etiã Petri prostrata, febri laborabat in Capharnao, cuius manus cum attigisset prostratam sanauit, adeo vt erecta ministraret illi, & hi quidem die existente curati fuere in Capharnao (nam Reguli filius hora septima, Centurionis seruus, & Petri socrus ante vesperam) vespera verò facta iuxta Matthæum attulerunt illi in Capharnao multos à dęmone vexatos, spiritúsque eiecit sermone, omneísque malè habentes curauit, Tardius ergo quidam, celerius alij curantur è Iesu, sed qui curantur serò, vel tardius, ceu inferiores existentes curantur: quippe qui à dæmone vexentur, magísque malè habeant, quàm hi, qui in die curati fuerunt. Proinde contendẽdum nobis est, vt congregemus loca, vbi inuenti fuere, qui curatione egebant, notandúmque est, quibus in locis alia facta fuerint signa, & vbi sint ægrotantes, veluti in Samaria signum erat, quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir, propterea cum obstupuisset mulier, dixit: video te prophetam esse, ciuibúsq; dicit: M

Matt. 28.

Matth. 8.

Agite videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci, númquid hic est Christus?



BSERVANDA sunt etiam verba ipsius, vbi & quamobrem, & propter quæ facta dicũtur. Huiuscemodi námque solis obseruationibus, & indagationibus, inuenies Lydios lapides, breui laborum tuorum fructus mãducaturus. Præterea huic dicto, hoc rursus secundum signum fecit Iesus, hoc etiam addendum est, nullibi prodigia sola nominari, sed sicubi scribantur, ascribi etiam signa, quemadmodum in his verbis nisi signa, & videritis, non credetis, frequenter verò signa sine prodigiis inueniri, quemadmodum etiam hoc in loco. Proinde quærendum est habeant, necne differentiam aliquam inter se prodigia & signa, & arbitror ea facta, quæ superant opinionem, quæque prodigiosa sunt, eo quòd ipsam opinionem, & consuetudinem transcenderint, sintque admiranda, & supra hominem, prodigia nominari, quæ verò aliquid innuant præterea quæ fiunt, signa dici. Quam etiam ob causam nomen

Quid interfit inter signa & prodigia.

A nomen signi inuenitur in his, quæ nõ sunt præter opinionem *Gen. 17.* (veluti signum nominatur à Deo in his, circumcidetur vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, & erit in signum testamenti inter me & vos.) Nullibi autem sola prodigia nominata sunt, quoniam non est aliquid paradoxon in scriptura, quòd non sit signum, & nota alterius rei, præter id, quod sensibiliter fit, quoniam si fuisset prodigiosi aliquid factum alterius rei non index, scriptum fuisset, hoc prodigium fecisse Iesum, vel Mosen (vt ita dicam) vel aliquem sanctorum, quando igitur edocemur à scriptura oportere quærere, cuius signum sit id, quod factum est, dicitur, hoc autem rursus secũdum signum fecit Iesus, quando autem Regulo ceu probro datur, quòd crediturus non sit absque visione prodigiorum, non amplius dicitur, nisi signa videritis, non credetis, non enim signa facta inuitant ad credendum, in quantum signa sunt, si contingat, vt signum non sit etiam prodigium, sed dicitur nisi signa, & prodigia videritis non credetis, vobis quidem credentibus propter prodigium, nobis autem præter hoc etiam honorem illi deferentibus propter illud, cuius illud est signum. Quæres autem in septuagesimoseptimo psalmo, *Psal. 76.* sicut disposuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos, vtrum subiecto nec ne differant signa, & prodigia, an eadem in quantum signa B sunt, facta sint in Ægypto, cum ipsa etiam Ægyptus ad intelligibilia quædam reducatur, in quantum autem prodigia facta sint in campo Taneos, cum alioqui in prodigia, in quantum prodigia, neque campus Taneos, in quantum est campus Taneos, allegoriam capiant, quin etiam prodigia in quorum signa sunt, sensu anagogico egent, & campus Taneos, in quãtum est Ægyptus. Cæterùm hoc in loco finiemus etiam decimum octauum tomum continentem explanationem eorũ, quæ sunt à principio vsque ad septimum iter Iesu, *Profectiões Christi.* nam primum Bethara proficiscitur cum baptizatur apud Iordanem, secundo profectus Canam Galilææ ex aqua vinum fecit, tertiò Capharnaum descendit, & congruit, vt vbi sint ægroti, descendat. Quartò Hierosolymam redit, quintò commoratur cum discipulis in terra Iudęa, sextò in Samaria apud fontem docuit, quę pro viribus indagauimus, septimò denuo proficiscitur Canam Galilææ, in sequentibus verò Deo dante, differemus de his, quæ ab ipso facta sunt Hierosolymis in die festo Iudæorum.

TOMVS DECIMVSNONVS.

Respondit Iesus, neque me scitis, neque patrem meum: si me sciretis, & patrem meum sciretis.

C SI oratio dicens, & me scitis, vnde sim, & ea, quæ dicit, neque me scitis, neque patrem meum, ad eosdem diceretur, palàm videretur contrarium esse, quod dicitur, nunc verò illud, me nostis, ad quosdam dicitur Hierosolymitas, qui dixerunt, num verè cognouerunt principes hunc esse illum Christum? sed hunc scimus, vnde sit, at Christus cum venerit, nullus agnoscet vnde sit, hoc verò, neque me scitis, & quod sequitur, ad pharisæos dicitur, qui dixerunt illi, tu testificaris de te ipso, testimonium tuum non est verum. *Ioan. 8.* Veruntamen Hierosolymitis etiam per superiora, & pharisæis per præsentia, quæ nunc examinamus, *Ioan. 7.* inquit, quòd patrẽ non norint: Hierosolymitis per illa, à me ipso non veni, sed est verax, qui me misit, quem vos non nostis: ego noui eum, quia ab ipso sum, & ille me misit, pharisæis verò per hæc, neque me scitis, neque patrem meum, si me sciretis, & patrem meum sciretis. Ac certè meritò quis quæreret quomodo Hierosolymitæ, ad quos inquit, & me scitis, non norint patrem, si verum est illud, si me sciretis, & patrem meum sciretis. Adauget autem loci difficultatem Ioannes in epistola catholica hæc dicens: qui negat patrem, negat etiam filium: omnis enim, qui negat filium, is ne patrem quidem habet: quod si qui negat patrem, is negat etiam filium, & qui filium fatetur, is etiam patrem habet, perspicuum est, Hierosolymitas (quod ad coniecturam attinet) negantes patrem (eo quòd patrem non agnoscãt) negare etiam filium: proinde si filium negant, quomodo verum est, & me D scitis? Rursus si hi filium norunt propter illud, & me scitis (quoniam qui fatetur filium, habet etiam patrem) fatẽtur patrem, quòd si fatẽtur patrem, quonam pacto verum est illud, sed est verax, qui me misit pater, quem vos nescitis? quibus respondendum est aliquando Seruatorem de se ipso veluti ho- *Distinctio duarũ naturarum Christi.* mine disserere, aliquando de diuiniori natura, eáque vnita ingenitæ patris naturæ, cum enim dicit, nunc autẽ quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis loquutus sum, hoc loquitur sciens, non Deum, sed hominem quæri ad mortem: Cum verò inquit, ego & pater vnum sumus, ego sum veritas *Ioan. 5.* & vita, ego sum resurrectio, & his similia, nõ docet de eo homine qui quærebatur. *Ioan. 14.* Isto igitur modo de his etiã, quæ à nobis in præsentia quęruntur, vt similiter soluantur, considerandum est, illud enim, & me scitis, & vnde sim, scitis, de se ipso *Ioan. 11.* homine disputat, hoc verò neque me scitis, neque patrem meũ, de diuinitate. Illis enim verbis, & me scitis, & vnde sim, scitis, hæc proposita sunt: Dicebant autem ex Hierosolymi- *Ioan. 7.* tis, nónne hic est, quem quærunt interficere? & ecce cum fiducia loquitur, nec quicquam illi dicũt. Num verè cognouerunt principes hunc esse Christum? sed hunc scimus vnde sit, at Christus cũ venerit nemo agnoscet, vnde sit, his verò, neq; scitis, neq; patrem meum, hæc sunt proposita. Dixerunt ergo *Ioan. 7.* ei pharisæi, tu de te ipso testificaris? testimonium tuum nõ est verum, respondit Iesus & dixit illis: Etiam si ego testificor de E me ipso, testimonium meum verum est, quia noui vnde veni, & quò vado, vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quẽquam, atque etiam si iudico ego, iudicium meum verum est, quòd solus non sum, sed ego, & qui misit me, pater. Ex his ergo perspicuum est à Hierosolymitis dictũ fuisse, hunc scimus vnde sit, hoc referẽtibus ad ortum ipsius in Bethleem, sciebántque hunc esse, cuius mater dicebatur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioannes, & Symon Iudas, quam ob caussam assentitur etiam his, qui dixerãt, scimus vnde sit, per hæc verba, & me scitis, & vnde sim scitis. At pharisæis de diuiniori natura disserens, & vt aliquis diceret, in quãtum est primogenitus omnis creaturæ, hæc dixit: Si ego testificor de me *Ioan. 7.* ipso, testimonium meum verum est, quia scio vnde veni, & quò vado, quamobrem interrogantibus eum contra hæc, & dicentibus: vbi est pater tuus, respondet, vt aliquis diceret alius existens ab eo, qui dicit, & me scitis, & inquit, neque me scitis, neque patrem meum. Cæterùm ruditatis phari- *Ioan. 8.* sæorum erat, vel non intelligere Iesum de Deo vniuersorum loqui, dum diceret, testificatur de me, qui misit me, pater, vel si intellexerant de Deo hæc dici, existimare Deum esse in loco, & idcirco respondere, vbi est pater tuus. Verum scire oportet, quòd hinc manifestè ostendi putent hæretici F Deum, qui seruiebant Iudæi, non esse patrem Christi, nam *Confutatio hæreseos negantis Deũ legis esse patre Christi.* si Pharisæi seruientibus mundi effectori, loquiuntur, dicebat Seruator, neque me scitis, neque patrem meum scitis, manifestum est Pharisæos non nosse patrem Iesu alterum existentem à mundi effectore, sed ne Hierosolymitæ quidem, inquiunt, eum norant, quibus suprà dixerat: Sed est verax, qui misit me, pater, quæ dicunt, quia non legerunt scripturas diuinas, neque obseruarunt consuetudinem locutionis ipsarum, quamuis intelligere quis possit, quæ ad Deum pertinẽt, à patribus edoctus huic soli seruiendum esse, si viuat is non bene, hunc non habere cognitionem Dei. Si quisquam igitur alius nouit, quæ ad mundi effectorem pertinent, & quæ ad cultum sacerdotalem, perspicuum certè est inter hos fuisse filios Heli sacerdotis, qui nutriti fuere in Dei cultu. Attamen eo quod peccauerint, scripta sunt hæc de illis in primo Regum, & filij Heli, filij pestilentes non agnouerunt *1. Reg. 3.* Dominum, & respondentibus illis, hęc ad mundi effectorem pertinere, quæremus quamobrem de filiis Heli dictum sit, non cognouerũt Dominum, vtrum propter rationes de Deo mundi fabricatore, an propter malitiã ipsorũ, sed liquet pro- *Malitiam causã esse cur quidã dominũ nõ agnoscant.* pter malitiã, eos dici nõ agnouisse dominũ, quã rem non solũ in filiis Leui inuenire licet, verũ etiã in aliis, qui cũ regnarint in Israel, & Iudæa, peccatores fuere. Isto igitur modò pharisæi patrem non norunt, cum non viuerent ex sentẽtia patris. Cum autem diuersæ sint significationes agnoscẽdi Deum, diuersum quoq; est agnoscere Deũ, & credere nudè in Deum,

G vt liquet ex eo. Scimus autem quòd quæcunque lex loquitur
Rom 3. his, hæc loquatur, qui sunt sub lege. An non perspicuum est
etiam prophetas, quorum verba, vt in alijs ostendimus, lex
dicuntur, dictum est igitur in Psalmis: vacate & agnoscito
quòd ego sum Deus, quis autem non fatebitur se credere hęc
scripta fuisse populo credenti in mundi opificem, quem
agnoscere non valeat, qui non vacarit, purificaritque mentem,
dignis hoc munere habitis his, qui oculis diuinioribus
Deum considerant, videntque, quia cor mundum fecerint,
Matt. 5. quemadmodum testatur Dominus dicens: Beati mundo cor-
Mat. 11. de, quia ipsi Deum videbunt. Simul etiam in eo dicto: nemo
agnouit patrem, nisi filius, dicturi sumus, nõ idem esse agno-
Genes. 15. scere patrem, & illi credere. Vnde illud dictum: nemo agno-
uit patrem, nisi filius, non pugnat cum hoc, credidit Abra-
ham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam. Quòd si quis
existimet nos vim facere, qui dicamus non idem esse crede-
re, quod agnoscere, contingeréque aliquando, vt aliquis cre-
dat, qui non habeat cognitionem rei ab ipso creditæ, Iesum
Ioan. 8. audiat dicentem ad eos, qui in ipsum crediderant, Iudæos, si
1. Reg. 2. manseritis in sermone meo, agnoscetis veritatem, & veritas
vos liberabit. Obserua enim, quòd ante ea verba, si manseri-
tis in sermone meo, agnoscetis veritatem, scriptum sit, dice-
bat igitur Iesus ad eos, qui crediderant illi, Iudæos, & quod
H quæ dixerit erant, si manseritis in sermone meo, agnosceris
Cognoscere veritatem. Multa autem est differentia inter cognoscere con-
& credere iunctim cum credere, & inter credere solùm, alij enim per
differunt. spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo cogniti-
nis, alij fides in eodem spiritu. Et hæc quidem vt ostendere-
1. Cor. 12. mus aliud esse agnoscere Deum, ab eo, quod est credere in
Deum. Hoc verò (quod ad accuratam interpretationem at-
tinet) his, quæ diximus, addemus: meritò aliquem dicturum
ad Pharisæos, quibus inquit Iesus, neque me scitis, neque pa-
trem meum, sed neque in patrem meum creditis cum ei, qui
à patre missus fuerat, non crediderint, & qui negat filium, is
ne patrẽ omninò quidem habeat: omninòque inquam, quia
neque secundum fidem, neque secundum cognitionem. Vi-
de verò an non alio etiam modo scriptura dicat eos, qui ali-
cui rei commixti, vnitique fuerint, illam agnoscere, cui com-
mixti fuerint, communicauerintque, ante talem verò vnio-
nem & communionem, etiam si rationes aliqua de re asse-
Gene. 2. quantur, non agnoscere illam. Hinc Adam cum diceret de
Gen. 4. Eua, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, non
agnoscebat coniugem, cum verò illi adhæsit, tùm dictum est
illud: agnouit autem Adam Euam coniugem suam. Quòd si
quis irrideat, quòd de Dei cognitione tractantes, acceperi-
mus illud exemplum, cognouit autem Adam cõiugem suam,
primum quidem illud is notet: hoc mysterium magnum est,
deinde autem apponat, & conferat, quod dicitur apud Apo-
stolum de mare & fœmina (nam eadem dictione vtitur de
homine, & de domino) qui adhæret inquiẽs meretrici, vnum
est corpus, & qui adhæret domino vnus est spiritus: itaq; qui
1 Cor. 6. adhæret meretrici, meretricẽ agnoscat, qui adhæret coniugi,
coniugẽ agnoscat, imò, potius quàm hoc, qui adhæret domi-
I no, & sanctè, agnoscat dominũ. Quòd si hæc ita se habẽt, Pha
risæi nõ norant, neq; patrẽ, neq; filium, veriúsq; est sermo di-
cens: neque me scitis, neque patrem meum. Si verò isto mo-
do non exponamus, dico autem secundo vltimam intelli-
gentiam, verbum agnoscere, pro eo, quod est commisceri, &
Gal. 4. vniri, exponat aliquis illud. Nunc autem agnoscentes Deum,
2 Tim. 2. magis autem agniti à Deo, & illud, agnouit dominus eos, qui
Dei agni- sunt eius, iudicio enim meo, agnouit dominus eos, qui sunt
tio qualis. eius, commixtus illis, & suam ipsius diuinitatem illis partici-
pans, assuméosque ipsos, vt Euangelica lectio habet, in sua ip-
sius manu: quippe cum in manibus sint patris, qui credide-
runt in Seruatorem: quamobrem etiam non rapientur, ni ab
ipsa cadant elongantes se à manu Dei, nullus enim eas rapit
Ioan. 8. de manu patris. Posthæc inquires in illud dictum: neque me
nostis, neque patrem meum, cum sit aliquis, qui agnoscat
Deum, & patrem non cognoscat: nam si alia illius notio est,
in quantum pater, alia in quantum Deus, fortassis aliquis co-
gnoscat Deum, nullam patris cognitionem habẽs, nisi quia sit
ipse Deus. Loquit igitur Seruator post resurrectionem Mariæ:
Ioan. 20. Vade ad fratres meos, & dic illis: vado ad patrem meum, &
patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum. Ac pro- K
fectò gratificando illis, qui ab ecclesiæ decretis dissident, di-
cere possumus: Mosen & Prophetas, patrem Christi non
agnouisse: quæ res fortassis est vera, quòd omnino non agno-
uit patrem, quia filius agnoscit patrem, seruus dominum, &
quemadmodum impiè non diceremus filium non agnouisse
dominum, quia filius cum sit, non tentatur à patre domino,
ita seruantes eundem Deum, nihil absurdi admittemus di-
centes decere, vt filius agnoscat patrem, seruus dominum,
quia neque seruus agnoscat patrem, neque filius dominum,
cum innumeræ igitur precationes in Psalmis sint scriptæ, &
prophetis, atque etiam lege, non admodum inuenimus ali-
quem, qui Deum patrem appellet. Siquidem precationes
Deo fundentes, non dicunt pater fortassis, quoniam non
agnouerunt patrem, fundunt autem illi preces velut Deo, &
domino, expectantes eum, qui effondit spiritum adoptionis,
non minus super illos, quàm super credẽtes per eũ in Deum,
post ipsius aduentum: nisi fortè Intelligibilem aduentum
Christi ipsi habuerunt, factique perfecti habuerunt aliquan-
do adoptionis spiritum, clàm autem, & non manifestè omni-
bus dicebant, vel scribebant Deum, & patrem, ne præoccu-
parent gratiam toti mundo per Iesum effusam, omnes inuo-
cantem ad filiorum adoptionem, vt enarraret Dei nomẽ fra-
tribus suis, patrémque in ecclesiæ medio laudaret, secundum L
quod scriptum est, narrabo nomen tuum fratribus meis, in
medio ecclesiæ laudabo te. Quòd ipse quidem sit Deus pro-
phetarum, mundique procreator, multis ex locis videre possu-
mus, sed in præsenti sufficiat, cõcionem Stephani ex Actis ad
populum hunc in modum dicentis, videre. Viri fratres & pa- *Act. 7.*
tres audite: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cum
esset in Mesopotamia, antequam habitaret in Chara, dixitque *Gen. 12.*
ad eũ, egredere è terra tua, & cognatione tua, & quæ sequun-
tur: per totam enim orationem istam citra cõtradictionem cernere
licet prophetarum Deum patrem esse Christi Iesu. Idem cer-
nere etiam licet ex Apostolo epistola ad Romanos, in his: *Rom. 1.*
Paulus seruus Iesu Christi, vocatus ad munus Apostolicum,
segregatus in Euãgelium Dei, quod ante promiserat per pro-
phetas suos in scripturis sanctis de filio suo genito ex semine
Dauid secundum carnem, declarato filio Dei cum potentia,
propter spiritum sanctificãtem ex eo, quòd resurrexit à mor-
tuis Iesus Christus dominus noster, per quem accepimus gra-
tiam, & Apostolici muneris functionem, vt obediatur fidei
in omnibus gentibus, pro nomine eius, in quibus estis & vos
vocati Iesu Christi, omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei vo-
catis sanctis, gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & domi-
no Iesu Christo. Ex his enim palàm didicimus mundi pro-
creatorem, Deum prophetarum, & patrem Christi, Deum & M
patrem nostrum. Pharisæi igitur non solùm cognitionẽ non
habebant patris Christi, qui legem dedit, quatenus pater est,
seu quatenus Deus, sed ne citra controuersiam quidem ipsi
credebant, quatenus pater erat Iesu, & Deus ipsius, atque
etiam fortasse, quatenus Deus erat, qui omnia creauerat.
Sed ne Iesum quidem norant, & bene Seruator eos redar-
guit dicens: neque me scitis, neque patrem meum scitis. Insu- *Ioan. 7.*
per hæc quæro, vtrum hoc proloquium, si patrem meum sci-
retis, & me sciretis, idem valeat cum illo, si me sciretis, & pa-
trem meum sciretis, an non? & arbitror hæc inter se nõ æqui-
pollere, eò quòd qui patrem agnoscit, ascendat à cognitione
filij ad cognitionem patris, nec alio modo videatur pater,
quàm visione filij, qui enim vidit me (inquit) vidit patrem, qui
misit me: nec tamen dixisset, qui vidit patrem, vidit me, quo- *Matt. 11.*
niam qui sermonẽ Dei videt, videt Deum, ascẽdens à filio ad
patrẽ: fieri enim nequit, vt videat quis Deũ nõ habẽs ducem
λόγον, seu sermonẽ, & filiũ Dei, & qui cognouit sapientiã quã
creauit Deus ante secula ad opera sua, à cognitione sapientiæ
ascẽdit ad ipsius sapiẽtię patrẽ: fieri etiã nequit, vt sine huius sa
piẽtiæ ductu intelligatur sapiẽtiæ Deus, quod idẽ de veritate
dices. Non enim intelligit aliquis Deum, vel videt ipsum, &
postea veritatẽ, sed antea veritatẽ, vt isto modo veniat ad cõ-
templandam essentiã, vel essentia superiorem potentiam, &
naturam Dei. Ac profectò fortasse quemadmodũ grados qui-
dam erãt in templo, per quos ingrediebatur aliquis in sancta
sanctorum, ita omnes gradus nostri vnigenitus est filius Dei,
& sicut

A & sicut primus graduum vnigenitus est in rebus inferis, itémque secundus primo superior, & sic deinceps vsque ad supremum, sic omnes gradus sunt Seruator: cuius humanitas gradus inferior veluti primus est, per quam gradiétes emetimur omnem graduum viam, & deinceps ea, quæ ipse est, ita vt ascendamus per ipsum, qui angelus est, & cæteræ potentiæ. Quin etiam propter cōsiderationes de ipso (quandoquidem aliud est via, & aliud ostium) primum pergamus per viam necesse est, vt postea isto modo perueniamus ad ostium, & ad
Ioan. 10. vtendum eo, præcipuè in quantum est pastor, vt quis etiam eo vt rege frui possit iuuaríq; ab ipso, primo gradu, ceu agno, vt in primis tollat peccatum nostrum, ac postea purificati comedamus ipsius carnem, nempe verum cibum: cúmque quis diligentius perscrutatus fuerit his proxima, perceperítque il-
Ioan. 7. lud, audiet: si me sciretis, & patré meum sciretis, & quoniam me scitis, & patrem meum scitis.

Hæc verba loquutus est in gazophylacio docens in templo, & nullus eum apprehendit, quòd nondum venerat eius hora.

B NISI aliqua esset vtilitas, eò quòd prædicta enūciata fuére, ac dicta à Seruatore in téplo, haudquaquam additurus fuerat Euangelista his, quæ dixerat Iesus, hæc verba loquutus est in gazophylacio docens in templo, & frequenter vbi additur, hæc verba loquutus est in tali loco, si indagaueris, inuenies, quòd sit illi additamento consentaneum: vt igitur intelligatur aliquid, quare à Iesu dicta fuerint hæc verba in gazophylacio, apponamus ea, quæ à Luca, & Marco didicimus,
Luc. 21. qui mentionem gazophylacij fecerunt, & hæc quidem Lucæ sunt verba. Cúmque respexisset in diuites munera sua in gazophylacium mittētes, vidit pauperculam quandam viduam mittentem minuta duo, & dixit: Verè dico vobis hanc pauperem viduam plusquam omnes misisse, nam omnes hi ex eo quod sibi redundat, miserunt in dona Dei, hæc autem ex penuria sua vniuersam substantiam, quam habebat, misit. Marci
Mar. 12. verò verba sic se habent: & cum sederet Iesus ex aduerso gazophylacij, spectabat quomodo multitudo mitteret æs in gazophylacium: & multi diuites mittebant multa: & venit quædam vidua pauper, misítque minuta duo, qui est quadrans: vocatísque ad se discipulis suis, dicit illis: amen dico vobis, vidua hæc pauper plus misit, quàm omnes qui miserunt in gazophylacium: nam omnes ex eo, quod illis supererat, miserunt, at hæc è penuria sua omnia, quæcunque habebat, misit totam substantiam suam. Quid autem ego velim obseruans additionem verborum, nempe quòd gazophylacium erat in
C templo, pro intelligentia contextus Ioannis, quo de agitur, iam dicemus, siue templum Dei, & quæ in templo sunt, sensu anagogico exponimus, siue spiritualem sermonem, huic consequenter, gazophylacium etiam, quod in templo erat dili-
Allegoria de gazophylacio. genter considerabimus. Quod quidem gazophylacium locus cum sit numismatum quæ offeruntur ad honorem Dei, & ad dispensationem requiei pauperum: quid aliud sunt numismata, quàm diuini sermones imaginem magni regis impressam habentes? qui considerantur à mensariis probatis: gnaris diuidendi probata ab improbatis, quæ mentiuntur se esse probata, & seruantibus illud Iesu mandatum. Estote probi trapezitæ: & Pauli doctrinam dicentis: omnia probantes, quod
1 Thes. 5. bonum est tenete, ab omni specie mala abstinere vos. Vnusquisque autem inferat ad ædificationem ecclesiæ ferens ad gazophylacium, quod mente cernitur, quæcunque potest ad honorem Dei, & vtilitatem cōmunem: Quoniam verò communitas duobus modis iuuatur, verbis, & operibus, quæ iustus agit, pulchrè hæc etiam opera referuntur ad gazophylacium, quod mente cernitur. Sed quoniam non æquales, ac ne omninò quidem similes omnibus sunt vires in hac vita (quādoquidem dedit paterfamiliâs vni quinque taléta, alteri duo, & alij vnum, vnicuique secundum propriam potentiam) animatus huius sermo laudat, quos laudat respiciens ad potentiam mittentium in illud, quod interpretati sumus gazophylacium: non respiciens ad solam quantitatem rerum, quæ offeruntur, quam etiam ob causam scripta sunt, quæ ex Luca &

Orig. tom. 2.

Marco apposuimus: & quoniam est aliquis, qui plura potest, D
pauciora quidem faciens, quàm pro potentia in se existenti, sed plura comparatione eorū, qui minus possunt, magis laudantur hi, qui totis viribus suis fecerūt pauciora, quàm hi, qui plura intulerint ex potentia, quæ ferre valeat longè copiosiora. Pariter etiam docetur his dictis is, qui spiritualiter hæc cōsiderauit, quòd, qui putantur præcellere, extollere se non debeant contra eos, qui iudicio hominum sunt tenuiores: non enim certus est fidelis, existimans se meliora, & copiosiora facere, conferens seipsum cum minima agentibus, quòd omnia, quæ potuit, fecit, vel quòd per sermonem, & filium Dei non poterant exigi ab eo omnia, quæ reddidit: Respexit ergo ad eos diuites Iesus, qui munera sua mittebant in gazophylacium: & intuitus pauperculam viduam, minuta duo mittentem (fortassis cogitantem simplicius de rebus diuinis contemplatione, & actione) & consequenter his viuentem, dixit: verè dicam vobis, viduam hanc pauperem plus quàm omnes misisse: quod dixit despiciés quodammodo diuites: qui multò copiosiora ferre in commune valentes (quod ad potētiam attinet) ex eo, quod illis redundabat, mittebant in munera Dei partem minimam eorum quæ inferre poterāt. Considera etiam viduæ penurias, & quòd vim sibi inferens, omnem E
quam habebat substātiam tulerit in templum in gazophylacium, offerens omnem potentiam suam Deo. Semper igitur Iesus, iuxta Lucam, respiciens in diuites mittētes munera sua in gazophylacium, videt etiam pauperculam mulierem mittentem minuta duo. Iuxta Marcum verò, cum sederit ex aduerso gazophylacij videt, quónam modo omnis populus mittit pro viribus suis æs spirituale in gazophylacium: & (tāquam qui solus videre possit diuites) videt, quænam tandem mittat in illud pro viribus suis etiam anima paupercula, & egena: quæ quia, quod potest, mittit, quæ multis diuitibus iustificatur eorū: Nec alloquitur Iesus veluti vulgares, sed (quemadmodum Marcus inquit) discipulos suos. Etenim nunc vocatis ad se discipulis suis, dicit illis illud, edocens eos, vt videant, non quemadmodum homo, sed quemadmodum videt Deus (homo enim videt in facie, Deus verò in corde:)
Amen dico vobis, viduam hāc pauperem plus omnibus mi- *Mar. 12.*
sisse, qui mittunt in gazophylacium, & quæ sequuntur. Sed quid nam quæso putas me velle hoc longo hyperbato, cum propositum sit narrare hæc verba, quæ loquutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo? nisi ostendere, quòd omnibus inferētibus in gazophylacium templi, quæ in communi alimento futura essent egentibus, necesse sit, vt Iesus magis, quàm omnes, inferat quæ vtilitati sint futura? nempe verba vitæ æternæ, & doctrinæ de Deo, & de seipso? Ac splen- F
didius profectò quouis numismate illud erat. Ego sum lux mundi, quod dictum fuit in gazophylacio, & illud: Si me sci- *Ioan. 8.*
retis, & patrem meum sciretis, sed & omnia quæ sunt in illo *Sermones Christi auro & argento potiores.*
loco, splēdida sunt. Atque aurum sanè omne, cæterorum qui in gazophylacio ferebant, quæ habebant, arena erat pauca in comparatione verborum Iesu. Sapientia siquidem erat quippe omnis eius sermo, de qua dicitur: omne aurum coram sapientia,
est pauca arena, & ceu cœnum reputabitur argentum coram *Sap. 7.*
ea, & hæc certè considerabunt, quotquot edocti sunt audire
sapientiam illam, quæ annunciatur inter perfectos, in myste- *Sap. 7.*
rio abscondita, quam prædestinat Deus ante secula ad iusto- *1 Cor. 2.*
rum suorum gloriam. Considerabunt hoc etiam, qui dispicere valent sapientiam Dei longè excellentiorem sapientia huius seculi, vel principum seculi huius, qui destruuntur, ceu qui vtantur propriis prophetis, & tueantur qualescunque sermones alios, præter veritatem, nam cæteræ sapientiæ, quæ veluti aurum reputantur harena, sunt parua coram sapientia, quam
creauit Deus principium viarum suarum ad opera sua, argen- *Prou. 8.*
túmque splendida, & eloquens multorum oratio, ceu cœnum reputabitur coram castis sermonibus Domini, qui igniti sunt, & purgati, & probati septuplum, quia processerunt ab illo sermone, qui erat in principio apud Deum. Cæterùm testimonia ex libro, qui inscribitur sapientia, aliâs apposuimus, vt videremus vim dicti illius, hæc verba loquutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo: obseruetur enim expositio de pauperibus, déque vidua paupercula, vt explicata est, & si quis imitator est Christi, veniat ad templū Dei, quod

u ij

G niente cernitur, & non est in loeo, mente iter faciens, & sequens spiritum, à quo manu duci ipse ad templum ipsum potest, afferátque probata numismata, nempe verba vitæ æternæ ad Gazophilacium, & opera huiuscemodi verbis consona. Atque vtinam aliquis nostrum oon sit illa vidua, quæ ferte plus nil valet duobus minutis, neque diues afferens ex eo solo, quod redundat, sed omneis diuitias Deo dedicet. Cæterum nnn omnia, quæ hahebat, verba loquutus est Iesus in Gazophylacio docens, sed tot, quot capiebat Gazophylacium, nam ne mundum quidem ipsum totum arbitror capere Dei verbum. Attamen tot verba in Gazophylacio loquens, & docens Iesus in templo, nondum ab vllo tenetur, verba nanque ipsius fortiora erant ipsum apprehendere volentibus: & certè quandiu loquitur, tam diu nemo illi insidias struentium apprehendere eum valent, sed si tacuerit, tunc
Ioan. 19. tenetur, vnde interrogatus à Pilato, & flagellatus (quòd vellet pro mundo pati) tacet, alioquin si loquutus fuisset, non crucifigendus ex infirmitate, quoniam non est infirmitas in his, quæ sermo fibus Dei loquitur, cúmque existeret in Gazophylacio, nondum instabat hora, qua prehenderetur, sed neque oportebat eum prehendi in templo, torrentem esse necesse erat locum, vbi volebat Iesus prehendi, & vbi poterat prehendi. Quin etiam tempus, quo capiendus erat, mini-
Ioan. 18. mè diurnum esse oportebat. Nam Iudas cum accepisset cohortem, & à principibus sacerdotum, ac pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus ac armis, cæterum de hoc dicto, nondum venerat hora eius, in superioribus disser-
H uimus pluribus verbis, quibus etiam in præsentia vteris.

Rursus ergo dixit illis, ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini, quò ego vado, vos non potestis venire.



ET hæc in Gazophylacio in templo cum loqueretur, addidit superioribus: oec solum hæc, sed alia multò plura vsque ad eum contextum, antequam Abraham fieret, ego sum: post hunc autem sermonem eum lapides tulissent Iudæi, vt lapidarent eum, Iesus abscondit se, & exiuit è templo, quando præteriens vidit cæcum à natiuitate, de quo sciemus, Deo dante, cum ad locum peruenerimus, hæc autem loquitur, vt eueniat id, quod subiungitur, hæc eo loquente, crediderunt in eum nimirum pauperes, qui ad Gazophylacium ve-
Ioan. 8. nerant, inde accepturi, quæ possent, & quæ sibi distributa fuissent. Itaque multi crediderunt in eum, sed non multi agnouerunt eum, quoniam ex his, qui crediderunt in eum manentes in sermone eius, verè facti discipuli eius agnoscunt veritatem, sed non multi ex his, qui crediderunt in eum, manent in sermone eius, ac ne multi quidem verè efficiuntur il-
I lius discipuli, proinde ne multi quidem agnoscunt verita-
Loquitur de exaltatione in cruce. tem, & veritate liberi non redduntur, admodum enim pauci capiunt veritatem, sed quinam agnituri sunt eum, nisi exaltantes eum? vt etiam ipse docet dicens, cum exaltaueritis fi-
Ioan. 8. lium hominis, tunc agnoscetis, quòd ipse sum, nullus autem eum exaltat, qui lacte alitur præparans seipsum ad susceptionem cibi solidi, quamobrem talis dicit: iudicaui me nihil scire
1. Cor. 2. inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, penes quem etiam sermonis minister in infirmitate versatur, vt inquit Paulus talibus, ego in infirmitate, & in timore, & in tremore multo versatus sum apud vos. Inquit igitur illi Dei sermo, ille Dei filius, rursum docere iocipiens io Gazophylacio in templo.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.



QVÆRO propter hoc dictum, hæc eo loquente multi crediderunt io eum, oúmquid ad omneis præsentes dixerit, ego vado, & quæretis me, & in
In peccato qui moriuntur. peccato vestro moriemini, an potius ad eos, quos (quia nó credidissent) nouerat in peccato suo morituros, non valentes ponè ipsum sequi (non valentes autem, eo quòd nollent) nam si volentes non poterant haudquaquam illis rationabiliter diceretur, in peccato vestro moriemini. At verò aliquis contra hoc dicturus est. Si hæc dicebat permanentibus K
in fide, quomodo talibus dicit, quæretis me? nam quærere Iesum sæpenumero est bonum, quòd idem ferè sit, quod quærere sermonem, & veritatem, & sapientiam. Sed respondebis hoc verbũ quærere, dici aliquando de his, qui insidias struunt: quemadmodum in illo dicto, quærebant eum prehendere, & nemo in eum iniecit manus, quòd nondum venisset hora eius, & in hoc: Ioan. 7.

Noui vos Abraham semen esse, sed quæritis me interficere, quod sermo meus non capit in vobis, denique etiam in hoc, nunc autem quæritis me interficere hominem, qui loquutus sum veritatem vobis, quam audiui à patre.



QVAM etiam ob causam dicitur illud eum non bene quærentibus, & quæretis me, quod contrarium non est ei dicto: omnis qui quærit inuenit. Ac certè, differentiæ semper sunt *Quærentium*
quærentium Iesum, cum omnes non sincerè, *Christum*
& pro sua ipsorum salute, & vt ab eo iuuentur, quærant eum. *differentia.*
Sunt enim aliqui innumeris argutuentis, quæ ab honesto deflexerunt, quærentes Iesum, quamobrem soli rectè quærentes eum, pacem inuenerunt, qui etiam propriè dicentur ipsum quærere in principio existentem sermonem, sermonem apud Deum, vt ipsos adducat ad patrem. Assistens autem ille λόγος, id est ratio, & filius Dei, & ootiones suggerens, oisi admissus fuerit, minatur se abiturum, & dicit: ego vado, eum no- L
bis postea (si abeuntem quæsierimus) non inuenturis, sed in peccato nostro morituris. Nouit autem à quo discedit, & apud quem manet, nondum inuentus, vt in tempore quæsitus inueniatur, quibus profectò isto modo habentibus eum, nec adhuc illum videntibus dicitur illud: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum, hoc est Christum deducere, vel quis descendet in abyssum, hoc est Christum ex mortuis Rom. 10.
reducere. Sed quid dicit scriptura? admodum prope te est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Proinde bis etiam benignè Seruator ostendit, quæ ad regnum Dei pertinent, ne quærant illud extra seipsos, neque dicant: ecce hic, vel ecce illic: Inquit enim: Regnum Dei intra vos, & quamdiu quidem seruamus animę nostrę ingenita veritatis semina eiúsque *Quandiu*
principia, nunquam à nobis discedit ille λόγος, id est ratio, *Christus*
& filius Dei. Quòd si malitiæ dissolutione corrupti fuerimus, *apud nos*
tunc nobis dicturus est ab eo, non inuenturis illum, etiam si *maneat.*
quæramus maximè, sed in peccato nostro morituris, deprehensis in eo, & assumptis ab his, qui ordinati sunt, vt repetant animam, iuxta dicentem, insipiens, nocte hac animam abs te tuam repetunt. Sed ne hoc quidem dictum, in peccato vestro moriemini, absque indagine prætereundum est. Nam Luc. 12.
sic communiter accipiatur, perspicuum est peccatores in pec Ioan. 8.
cato suo morituros, iustos verò in sua iustitia: sin verò mo- M
riemini, accipiatur de morte, quæ est inimica Christi, vt is pereat, qui ad mortem peccauit, perspicuum est, nondum periisse eos, quibus hæc dicebantur. Quæres etiam, quonam pacto, qui non crediderant se viuere in infirmitate, morituri sint aliquando, præsertim cum aliquis in horum defensione sit responsurus, incredulitatem in illo tempore nondum fuisse peccatum ad mortem: & idcirco illos, penes quos loquebatur Seruator, ad mortem non peccasse, viuebant illi tamen in infirmitate animæ suæ, erátque infirmitas illa ad mortem, propterea videus illus miserè ægrotantes, atque de illorum salute desperans dicebat, ego vado, & quæretis me, & io peccato vestro moriemini. Dicamus igitur, quòd infirmitas illa illis ad mortem erat tanquam à Iesu edocti differentiam in- Ioan. 8.
firmitatis: infirmabatur nanque Lazarus, sed nouerat medicus, infirmitatem huius oon esse ad mortem, quamobrem, inquit, infirmitas hæc ooo est ad mortem. Hanc ob causam si suscipiamus infirmitates ipsorum ægrotantium, adhibeamus Act. 2.
animum, ne quando ad mortem ægrotemus, morbo facto immedicabili, eum adhuc spes esse posset. Pariter etiam apertius erit hoc dictum: quò ego vado, vos non potestis venire, quòd subiungitur verbis illis, & in peccato vestro moriemini: Quando enim moritur quis in suu ipsius peccato, quò vadit Ioan. 8.
Iesus, ooo potest abire, nullus enim mortuus sequi potest

Iesum

A Iesum, quandoquidem mortui non te laudabunt domine, neque omnes qui descendunt in infernum, sed nos viuentes laudabimus dominum. Ad hæc huic dicto, in peccato vestro
Ezec. 18. moriemini, illud Ezechielis adiunges hunc in modum se ha-
Mors animæ peccatum. bens: Anima peccans ipsa morietur, mors enim animæ peccatum, non omne tamé meo iudicio, sed illud quod dicit Ioannes ad mortem, qui pariter etiam distinguit peccatum ali-
Ioan. 5. quod mortem esse animæ, & item aliquod infirmitatem esse eius, fortassis etiam tertio modo peccatum aliquod damnum
Matt. 6. est animæ, quod scilicet ex eo liquet: Quid vtilitatis habebit
1. Cor. 5. homo si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detri-
Ioan. 8. mentum patiatur? & ex eo: Si cuius opus exustum fuerit, damnum habebit. Atque in peccato quidem morientibus inquit: vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini, quò ego vado, vos non potestis venire: ad Petrum verò, quò ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea, licet enim discipulis Iesu esse præparatis nunc ad sequendum Christum, abeuntem ad patrem, sequuturis alioquin postea (cum diligentia, & arte iter facientibus) præceptorem, & sermonem Dei. Cæterum propter ea, quæ à nobis de fine considerata sunt, credibile est aliquem notaturum illud: quò ego vado vos non potestis venire, dicturúmque ad hoc, licere nunc quidem istis nó posse (sed futurum vt in posterum possint hi etiam) quandoquidem si est quoddam præsens secu-
B lum, aliud etiam sit futurum, ad quos dictum est, non potestis venire in præsenti seculo. Verum multum superest temporis ad consummationem seculi, in quo venire non possunt eò, vbi est Iesus, nimirum vbi est veritas, vbi est sapientia, vbi est sermo Dei filius, hoc enim est, vbi est Iesus. Noui autem quosdam, qui non solum in hoc seculo, verumetiam in futuro à proprio peccato detineantur, veluti istos de quibus filius
Matt. 12. inquit Dei: Qui blasphemauerit in spiritum sanctum, non
Blasphemi in spiritum sanctum. habet remissionem, neque in præsenti seculo, neque in futuro: nec tamen sequitur, non habet remissionem in futuro seculo, ergo nec insuper venturis seculis. Sanè Heracleon exponens dictionem Gazophylacij, nihil dixit in eam. In hoc autem dictum, quò ego vado vos non potestis venire, inquit, quomodo qui in ignorantia, & in infidelitate sunt, & in peccatis, incorruptibiles fieri possunt? neque hac in re sibi ipsi consentiens: Nam si in ignorantia, & in incredulitate, & in peccatis existentes, fieri non possunt incorruptibiles, quomodo Apostoli, qui aliquando fuere in ignorantia, & in incredulitate, & in peccatis facti sunt incorruptibiles? proinde possunt, qui in incredulitate, & in ignorantia, & in peccatis sunt, fieri incorruptibiles, si immutentur, faciléque etiam factu est eos mutari. Dicebant ergo Iudæi.

Nunquid seipsum interfecturus est, quod dicit: quò ego vado, vos non potestis venire.

C DIGNVM quæsitu est, vndenam moti Iudæi ad illud dictum, quò ego vado, vos non potestis venire, dicant, nunquid interfecturus est seipsum, quòd dicit: quò ego vado, vos non potestis venire? Vt verò etiam detur simplicius eos dixisse, nunquid interfecturus est seipsum, quomodo qui poterant seipsos interficere, etiam si non interficiant seipsos, neque vadant eò quò vadit, qui seipsum interficit, eò abire non possunt quò recedit, qui seipsum interficit? Itaque respondeant oportet ad hæc quæsita, qui diligentius, & profundius intelligunt, quæ à Iudæis dicuntur in Euangeliis, clarum esse Iudæos multa secundum quasdam traditiones occultas, & separatas loqui, tanquá qui alia cognouerint præter ea quæ publica erant & trita: Cum autem viderimus ex appositione dictorum illa, tunc quæremus, num etiam hoc ab ipsis de Ser-
Matt. 12. uatore dicatur, videntibus quiddam profundius: Quoniam verò secundum separatas, minimé que vulgares rationes, vel sermones dicebant eum, qui sine dolo erat, in principe dæmoniorum Beelzebul eiicere dæmonia, omnino de dæmonibus, déque eorum principis Beelzebul nomine nonnulla didicerant, quæ haud ita ponuntur in libris, qui circunferuntur: etiam testimonio Seruatoris (falsis existentibus sermonibus de Beelzebul) Si ergo præsidio Beelzebul eiicio, dæ-

monia, filij vestri cuius præsidio eiiciunt? Cum enim admisis- D
set esse quendam Beelzebul, & qui illius præsidio dæmonia eiiceret, dissidium veluti quoddam Sathanæ operari, eò quòd secum ipse dissideret, hæc inquit. Atque illi quidam errabant dicentes per Beelzebul Seruatorem dæmonia eiicere, perceperant tamen esse quendam Beelzebul principem dæmoniorum: Quin etiam cum dicunt de Iesu, quòd ipse
sit Ioannes, qui à mortuis resurrexit, vel vnus aliquis prophe- Mar. 6.
tarum, talia de Seruatore cogitant: dogma omninò haben- Matt. 16.
tes de anima, vt antea accuratè exquisiuimus de Ioanne tra- Matt. 14.
ctantes. Proinde probabile est, eos alia innumera, vel ex traditione, vel ex occultis libris scire, præ multis. Videamus igitur etiam in hoc, nunquid interfecturus est seipsum, an facile factu sit, Iudæos non intellexisse quicquam communius, vel simplicius perinde quasi ipse seipsum é vita educeret, vel laqueo, vel gladio, vel qualicunque tandem via eorum, qui hinc seipsos liberant: & maximè quoniam existimant ipsum interfectum, eò abiturum, quò difficillimum factu sit eos proficisci, & nisi circa nomina superstitiosi simus, sed intueamur res, non inuenientes vti aliis nominibus de rebus, fortas-
se diuinius (vt ita dicam) aliquo modo se interfecit domi- De animabus & iis
nus, quam rem sic ostendemus, quia omnium animæ, qui ab qui illas è
hoc corpore discedunt (repetentibus quibusdam eas ad hoc corporibus
ordinatis) assumantur, vbi probabile est esse huic muneri migrantes
obeundo ordinatos, qui ipsis animabus sint præstantiores: repetunt.
Illud enim insipiens, hac nocte repetunt abs te animam Luc. 12.
tuam, tale qui declarat. Quòd si quis dicat, hoc dici posse de
malis, non de viris præstantioribus, déque his, qui probe vi- E
xerint, illud notet, an non dominus de seipso singulare quiddam præ omnibus, qui in corpus aduenerint, de seipso dicat: Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam à meipso: & habeo potestatem ponendi eam, & iterum habeo potestatem sumendi eam. Consideremus enim quid sibi velit, qui relinquit corpus, & exit sine via ferente ad mortem: scilicet exiens sine viis violentis, vel sine morbis: rursúsque cum voluerit, rediens, vtéńsque instrumento corpore, quod reliquerat. Ac decens profectò est de Iesu anima isto modo dicere mortem fuisse: ipsúmque ostendere volentem discipulis nobilitatem discessus hinc sui, dixisse: Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam à meipso. Hoc enim
neque Moses, neque Patriarcharum aliquis, neque prophe- Psal. 87.
tarum, ac Apostolorum quidem aliquis dixit præter Iesum. Proinde hoc considerato, manifestum esse illud potest, quod in septimo & octogesimo psalmo dictum est hoc modo, ex persona Seruatoris: In mortuis liber. notans autem Euangeliorum scripta de discessu hinc suo, inuenies in illis non dissonantem intelligentiam scriptorum de exitu suo: nam si mortuus fuisset perinde ac illi latrones qui cum eo crucifixi
fuere, & quorum milites fregerunt damnatorum crura, haud Ioan. 9.
quaquam dicere possemus animam à semetipso Iesum po- F
suisse, sed aliqua via morientium. At nunc Iesus voce valida cum clamasset, emisit spiritum: cúmque etiam, quasi Rex,
reliquisset corpus, & cum potentia operatus fuisset, quæ iu- Luc. 23.
dicabat consentaneum esse facere, statim velum templi scissum est à sursum vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & egressi è monumentis post resurrectionem eius, ingressi in sanctam ciuitatem apparuerunt multis: ita vt Centurio, & qui cum illi erant, seruantes Iesum, viso terræmotu, & quæ fiebant, valde timue-
runt, dicentes: vere filius Dei erat hic. Fortassis igitur vt in Matt. 27.
traditionibus de Christo erat eum nasciturum in Bethleem, proditurúmque ex tribu Iuda, iuxta sanas intelligentias propheticorum sermonum, sic de morte ipsius etiam erat, quòd Christus seipsum liberaturus esset modo quo diximus, & certe probabile est eos intellexisse eum, qui sic proditurus esset abiturum in locum, quò ne hi quidem hæc intelligentes proficisci possent: adeò vt non simpliciter illud dixerint (sed iuxta quandam traditionem) nunquid interfecturus est seipsum, quia dicit, quò ego vado, vos non potestis venire: Quòd si etiam hæc loquuntur Iudæi, ambiguè hæc loquuntur. Nam dicere, nunquid interfecturus est seipsum, tale quiddam est, nec sanè mirum est eos de Christo ambi-

G gere, quando etiam in superioribus cum turbæ audissent ser-
mones Iesu, dicerent: hic est verè propheta ille: alij, hic est
Ioan. 7. ille Christus: quidam autem dicebant: númnam ex Galilæa
Christus venit? nónne scriptura dicit, quòd ex semine Da-
uid, & de Bethleem castello vbi erat Dauid, Christus ve-
niet: quando etiam dissensio orta est in turba propter eum:
sed paulo post illa scriptum est, respondisse ministros, nun-
quam isto modo loquutus est homo: adeò vt pharisæi admi-
rantes sermonem eius dixerint, num vos etiam decepti estis?
num aliquis ex principibus, vel ex Pharisæis in eum credidit?
An non turba hæc quæ non agnoscit legem, execrabiles
sunt? quando etiam cum dixisset Nicodemus, num lex no-
stra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoue-
rit quid faciat: responderunt, num & tu Galilæus es? scruta-
Ioan. 7. re, & vide quod à Galilæa propheta non egreditur, neque
surgit. Sed quomodo simplicius poterant intelligere futu-
Ioan. 8. rum, vt seipsum interficeret, audientes eum dicentem: Ego
sum lux mundi, qui sequitur me, nequaquam ambulauerit in
Ioan. 8. tenebris, sed habebit lumen vitæ: ad quem Pharisæi dixe-
runt: tu de te ipso testificaris, testimonium tuum non est ve-
rum: respondit Iesus & dixit eis: etiam si ego testimonium
perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio
vnde venio, & quò vado. Vos secundum carnem iudicatis,
ego non iudico quenquam. Portò etiam si iudicem ego, iu-
H dicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui
misit me, pater. Quin & in lege vestra scriptum est, quòd
duorum hominum testimonium verum est: ego sum is, qui
testimonium fero de meipso, & testimonium fert de me, qui
Ioan. 8. misit me, pater. Cur verò verisimile erat, quòd se ipsum in-
terfecturus esset post tot verba tā magnificè à se hunc in mo-
dum dicta: neque me scitis, neque patrem meum, si me sci-
retis, etiam patrem meum sciretis? Credibile enim est eos
(perinde atque hæc verba) intellexisse illud. Ego vado, &
quæretis me, & in peccato vestro moriemini, quò ego vado,
Potestatis eò vos non potestis venire. Valde etiam ostenditur potestas
Christi ar- eius tùm in eo, quòd libera potestate & voluntate ipse mo-
gumenta. riatur relicto corpore, tum etiam in hoc dicto: Ego vado,
& fortassis, quia dixit ego vado, subiungitur, & quæretis
me. Verisimile enim est, eos, qui forte fortuna adessent, il-
lum hunc in modum è vita discedentem quærere, sed eò
quòd perirent in peccatis suis, neque post hæc omnia pude-
facti, vt non ambiguè de ipso dicerent: nunquid interfe-
cturus est seipsum, quia dicit, quò ipse abit non posse nos il-
lum sequi? Existimo etiam, quòd malignius nominantes il-
lud, quod erat in traditione de morte Christi, qui ad eos
venerat, & non glorificantes eum, è vita isto modo disce-
dentem, dixerunt: Nunquid seipsum interfecturus est? Li-
cebat quidem ambiguè dicere, sed cum consensu eius glo-
riæ, quæ erat penes mortem eius, & quasi hunc in modum
I dicere: nunquid anima eius, quando ipse vult exibit dereli-
cto corpore? & hanc ob causam inquit, quò ego vado, eò
vos non potestis venire? Simul etiam obseruabis (quia dis-
seruimus quomodo è vita discesserit) illud: & ascendens
Iesus Hierosolymam, assumpsit duodecim seorsum, & in via
Matt. 20. dixit illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius homi-
Christus nis tradetur principibus sacerdotum, & Pharisæis & scribis,
mortis suæ & condemnabunt eum morti, & tradetur gentibus con-
præscius. spuendus, & flagellandus, & crucifigendus, & tertia die re-
Mar. 19. surget. Quòd si quis respondeat illud: ab eo tempore cœpit
ostendere discipulis suis, quod oporteret eum Hierosoly-
mam proficisci, & multa pati à principibus sacerdotum &
Pharisæis & scribis, & interfici, & illud: futurum est, vt fi-
lius hominis tradatur in manus hominum, & occident eum,
& tertia die resurget, dices, quòd interfecerunt eum omnes
dicentes: Crucifige crucifige eum, & hi qui rei fuerunt mor-
Ioan. 19. tis ipsius: etiam si præoccupans milites venienteis, vt fran-
Gen. 4. gerent crura eius, cum clamasset voce valida, expirauerit.
Hinc etiam illud adiunges: omnis inueniens me occidet
me: & illud omnis qui interfecerit Caim septuplo vindi-
cabitur. Quomodo enim omnis inueniens eum, occidet
eum, si vnus anticipauerit interficere eum: vel quomodo
omnis, qui interfecerit Caim, septuplum punietur, cum
multi non interfecerint eum? nam veluti de multitudine di-
cta est vox omnis. Fortassis etiam humanius cum intellexis- K
set Petrus, quæ dicta sunt à Seruatore, inquit: propitius esto
tibi Domine, non erit hoc tibi. At verò Seruator increpans Matt. 16.
eum, quasi non bene intellexerit, quod dictum fuerat inquit:
vade retro me Satana, scandalum mihi es, quoniam non sa-
pis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Vide verò, an non Ephe. 5.
etiam, quod apud Paulum dicitur: seipsum tradidit pro no-
bis ostiam Deo, sit tale: sic igitur solum seruare poteris sum-
mum sacerdotem in seculum secundum ordinem Melchi-
sedech, & agnum Dei tollentem peccatum mundi oblatum
ostiam Deo, non ab impiis, sed piis pontificibus. Hæc qui-
dem nos tradidimus pro viribus explorantes propositum di-
centium, nunquid interfecturus est seipsum, quia dicit, quò
ego vado eò vos non potestis venire, postquam audiuissent
taleis tantósque sermones, quos superius dixerat Iesus. Credi-
bile autem est, quīdā offensos hac interpretatione tanquam
coacta, existimare eos simplicius dixisse, nunquid interfectu-
rus est seipsum, perinde quasi Iesus interfecturus esset seip-
sum, & futurus in loco eorum, qui sibi ipsis manus intulerint,
& ob hoc sunt puniendi: Iudæis non valentibus ob hoc illò
ire, propterea quòd obnoxij non essent illi peccato de seipsis.
At verò hi norent num possint Iudæi subcogitare, Iesum hæc
dixisse condemnantem seipsum, veluti profecturum ad lo-
cum supplicij, quò non poterant illi proficisci, quantum atti-
net ad hanc intelligentiam: quasi Iesus melior ac præstantior L
esset: vel consequens erit dicere, Iesum, si loquebatur hoc co-
gitans, & volens seipsum interficere, melius putare seipsum
interficere, quàm non se interficere. Heracleon sanè, perin-
de quasi hoc dictum fuerit simplicius, nunquid interfecturus
est seipsum, inquit, quod malignè cogitantes Iudæi hæc lo-
querentur, seipsos etiam ostendentes ipso Seruatore maio-
res: & existimantes se quidem profecturos ad Deum in re-
quiem sempiternam, Seruatorem autem ad corruptionem,
& ad mortem vi sibi ipsi illata, quò seipsos non existimabant
profecturos: & iisdem verbis inquit, Iudæos existimare, Ser-
uatorem dicere: ego mihi ipsi vi illata, ad corruptionem pro-
fecturus sum, quò vos non potestis venire. Sed haud scio,
quónam pacto cum dixisset Iesus, ego sum lux mundi, & quæ
sequuntur, possit dicere, ego (mihi ipsi vi illata) profecturus
sum ad corruptionem. Sin verò dicat aliquis, Seruatorem
hoc non dixisse, sed hoc Iudæos subcogitasse, dicet scilicet
Iudæos cogitasse de eo, quòd corrumpuntur, qui sibi ipsis
mortem consciscunt, & nihilominus Iesum hæc facturum, e-
tiamsi futurum crederet, vt corrumperetur, & puniretur, id
quod erat modis omnibus fatuum.

Et dicebat illis. vos ex infernis estis, ego è supernis sum: vos ex hoc mundo estis, ego non sum ex hoc mundo.

IN superioribus etiam dixit, qui de terra est, de M
terra loquitur, qui è cœlo venit supra omnes
est, & quod vidit & audiuit hoc testatur. Si igi-
tur qui de terra est, de terra loquitur, & qui è
cœlo venit, quod vidit & audiuit hoc testatur,
quæres vtrum idē sit esse è terra, & esse ex infernis, an diuer- Ioan. 3.
sum. Simul autem obseruabis quod illic non dixerit, qui est è
cœlo etiam cœlo loquitur: nam fortassis Seruator non erat è
cœlo. Non erat, præsertim in quantū est primogenitus omnis
creaturæ, quod enim attinet ad vocē, è cœlo, secundus homo
est è cœlo: quemadmodum alicubi Paulus dicit: primus ho- 1. Cor. 15.
mo è terra terrenus, secundus homo è cœlo. Atque etiam
hoc in loco notabis vtrum tandem idem dicat dicendo, vos
ex infernis estis, & vos ex mundo estis, an diuersum sit, esse è
terra, ab eo quod est esse ex hoc mundo. Similiter etiam in his
verbis quæres: ego è supernis sum, & ego nō sum ex hoc mun-
do. Dignum enim est, vt inspiciamus, quid sit ex supernis esse,
& quid sit non esse ex hoc mundo. Vide igitur, an qui assum-
psit ortum à materia & corporibus, eò quòd meliora relique-
rit, sit è terra: qui quatenus est è terra, de terra loquitur, altius
aliquid intueri vel dicere non valens: qui idem etiam ex in-
fernis est: nam alia est consideratio esse ex infernis, alia esse
è terra: vox enim infernè consideratur in quodam veluti lo-
co, itidem in dogmatibus, & in discursu mentis: omnisque
profectò

A profectò talibus dogmatibus & discursu mentis vtens, quæ sunt ex infernis, ex infernis est. Atque etiam hic mundus visibilis, materialis existens, propter eos, qui materiali vita e-

Mundi visibilis loca.

gent, loca quidem habet diuersa: quæ sanè omnia comparatione rerum immaterialium & inuisibilium, & corpore carentium, infernè sunt: non in loco, sed comparatione rerum inuisibilium. Quantum autem ad hunc mundum attinet, inquiratur inter loca mundi, num quædam sint loca infernè, quædam supernè: terræ enim proxima infernè sunt, cœlestia verò supernè, adeò vt hac ratione, qui ex infernis sit, is etiam sit ex hoc mundo. At verò qui ex hoc mundo sit, non omnino sit ex infernis. Vide enim, an municeps corporum aliquo pacto sit ex hoc mundo, non tamen ex infernis localiter: veruntamen ipse etiam ex infernis est, cōparatione rerum, quæ mente percipiuntur: etenim omnis municeps eorum quæ videntur, quæque pertranseunt, & quæ sunt temporalia, ex infernis est, etiam si comparatione locorum sit ex supernis: licétque profectò cuicunque, qui ex infernis, & ex hoc mundo, & è terra fuerit, immutari, & fieri è supernis, nec amplius ex hoc mundo esse, alij etiam licet, ex hoc seculo cum sit, fieri è cœlo, dicente discipulis Seruatore: ex mundo eratis, & ego vos è mundo elegi, nec amplius ex hoc mundo estis: quandoquidem enim venit Seruator quærere & seruare quod perierat, venit eos translaturus ad superna, qui infernè erant, & adscripti ciues inter eos, qui infernè erant: Quin etiam ipse est, qui descendit in inferiores partes terræ,

Ioan. 8.

Selecti è mundo apostoli & fideles.

Eph. 4.

B propter eos, qui erant in infimis partibus terræ: Quin etiam ascendit super omnes cœlos, viam præparans volentibus, atque etiam his, qui ipsius discipuli sincerè fuerint, ad ea, quæ sunt super omne cœlum, hoc est ad ea, quæ sunt extra corpora. Quòd si cupis à scriptura discere quis sit ex infernis, itémque quis sit è supernis, audi illud: Vbi fuerit thesaurus vester, illic erit & cor vestrum, & illud: Si quis thesauros recondiderit in terra, ex ipso quòd recondit thesauros in terra, ex infernis efficitur, siu verò thesauros reconiderit in cœlis, nascitur è supernis, & assumit imaginem supercœlestis. Atque etiam alius cum penetrarit omnes cœlos, in fine inuenietur beatissimo. Sunt autem vtriusque opera, qualia dixi. ita vt dicamus opera carnis facere eum, qui ex infernis est, fructū verò spiritus facere eum, qui est è supernis. Atque rursus amorem erga hunc mundum facere hominem ex hoc mundo existentem, quoniam secundum Ioannem, qui habet amorem Dei, ille non est ex hoc mundo, qui autem non diligit mundum, nec ea quidem quæ in mundo sunt diligit, sed dicit: Mihi absit gloriari, nisi in cruce domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo, & cœpit diligere dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex tota mente sua, eo quòd non prematur talis amor ab amore mundi, & ab his, quæ sunt in mundo. Fieri enim nequit, vt simul existat amor erga mundum

Matt. 6.

Ioan. 4.

Gal. 4.

C cum amore erga Deum, quemadmodum fieri nequit, vt simul existant lux & tenebræ, Christus & Belial. Item fieri nequit, vt idem templum sit templum Dei & templum idolorum. Iam quasi differāt inter se loca, quæ infernè sunt superlatiuè dicitur: posuerunt me in lacu infimo, & illud: Qui descendit ad infimas partes terræ, hic etiā est qui ascendit quocirca coram Christo procident omnes descendentes ad inferiores partes terræ in infernum, quoniā verum est illud: Non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Quòd si contrà quis obiiciat, ipsum etiā descendere ad inferiores partes terræ, obseruabis dictum esse de descendentibus verbum, procident: namque ex his qui coram Christo caduut, quíque genu flectunt in nomine Iesu, quidam antea, quidam post, coram eo cadent: & fortassis qui sunt super terram antè cadent, & ante alios subiicientur: malorum namque est vltimò subiici: quam ob causam vltimus etiam inimicus aboletur, nempe mors. Postea quæres num quemadmodum locorum quæ sunt infernè, ita etiam eorum quæ sunt supernè, sit differentia: idque præsertim, quoniam regni cœlorum hæreditas nobis obtingat, qui cœli omnes hæreditate nobis obtingentes, cum sint supernè, non similiter tamen habent illud supernè. Quin etiam si notaueris intelligibilem descensum animæ propter malitiam & praua

Psal. 87.

Eph. 4.

1. Cor. 15.

dogmata, & intelligibilem ipsius ascensum, non paruam D inuenies differentiam: latius enim considerabis intelligibiliter descendentes. Simul etiam vide, an sacratiori modo, & non localiter intelligas de anima Iesu, qui ascendit super omneis cœlos. Nam intelligibilis ascensus illius animæ vltra etiam omneis cœlos transiliit, iámque (vt ita dicam) ad ipsum peruenit Deum. Veruntamen est alius mundus præter hunc visibilem & sensibilem mundum, constantem è cœlo & terra, vel è cœlis & terra, in quo sunt quæ videntur: & hoc totum est alius mundus inaspectabilis, mundus qui non videtur, mundus intelligibilis, cuius visione & pulchritudine fruentur qui puro sunt corde, quò huius mundi intelligibilis visione antea bene parati, penetrent vel ad ipsum Deum videndum, quatenus videri natura potest Deus. Insuper etiam quæres, an iuxta aliquam significationem possit primogenitus omnis creaturæ esse mundus, & præsertim in quantum est sapientia multiformis: eo enim quòd sint in sapientia omnes rei cuiuscūque rationes, iuxta quas facta sunt omnia quæ facta fuere à Deo, vt inquit propheta: omnia in sapientia fecisti. in ipso etiam mūdus fuerit tantò picturatior, ornatior, atque etiam præstantior mūdo sensibili, quantò ratio mundi nuda ab omni materia præstat hoc mundo materiato, non propter materiam, sed participatione illius λόγου, id est, illius filij Dei, qui est vera ratio & paticipatione sapientiæ, quæ mundum & ornamentum afferunt materię omniū, quæ mundo insignita fuerint. Ac vide num possit anima esse

Eph. 3.

Mūdus sensibilis & intelligibilis.

E Iesu, quæ dicit: Ego sum ex hoc mundo, conuersans in illo toto mundo, omnémque eum perlustrans, manúque ducens ad eum eos qui didicissent nihil infernè habere mundum illum intelligibilem, quemadmodum neque iste, siquis accuratè perpendat, quicquam supernè habet, alioquin quomodo mundus iste habere aliquid supernè potest, cuius cōditio est deiectio? neque enim oscitanter legendum est illud, ante deiectionem mundi: cum sancti conuenienter, & studiose nomen hoc τῆς καταβολῆς, hoc est deiectionis propter talem intelligentiam finxerint. Alioquin dicere poterant πρὸ κτίσεως, hoc est, ante conditionem mundi, nec vti deiectionis vocabulo. Totus itaque mundus, & quæ in ipso sunt, in deiectione sunt, at verò extra deiectionem totius mundi existunt germani Iesu discipuli, quos è mundo elegerat, vt non amplius essent è mundo, tollentes crucem suam & sequentes eum.

Dixi ergo vobis quòd moriemini in peccatis vestris, nisi enim credideritis, quòd ego sum, moriemini in peccatis vestris.

QVANDO dixit illis, moriemini in peccatis vestris, nisi quando dixit, quæretis me, & in peccatis vestris moriemini? Quid verò est in causa, vt homines moriantur in peccatis suis, nisi non credere Iesum esse Christum? ipse enim inquit, nisi credideritis quòd ego ipse sum, moriemini in peccatis vestris? F quòd si quis non credit Iesum esse Christum, moritur in peccatis suis, scilicet qui non moritur in peccatis suis is Christo credidit. At verò qui moritur in peccatis suis, etiam si dicat se Christo credere, quantum ad veritatem ipsi non credidit, nam etiam si dicatur fides, sed sit sine operibus, huiusmodi fides mortua est, vt legimus in epistola, quæ Iacobi nomine circumfertur: quis igitur putas est credens? nisi ille, qui eò peruenit, vt non cadat (quantum ad hæc verba pertinet) in ea peccata, quæ sunt ad mortem, eò quòd affectus sit secundum rationem, & coaluerit cum ea? Quantum verò ad illa verba (omnis qui credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est) vt non peccet in vllo eorum, quæ fiunt præter rectam rationem? Insuper memoria repetens ea, quæ est primogenitus omnis creaturæ, considerabis quid sit. Nisi credideritis, quòd ego sum, moriemini in peccatis vestris. Verbi gratia, qui credit quid sit iustitia, iniuriam non inferet, & qui crediderit in sapientiam, quòd satis exploratè perceperit, cognoueritque eam, is nec fatuum aliquid loquetur, nec faciet. Ad hæc qui crediderit λόγῳ, id est rationi & filio Dei, qui erat in principio apud Deum, dum illius cognitione fruitur, nihil a ratio-

Incredulitate homines moriūtur in suis peccatis.

Ioan. 8.

G ne alienum facturus est: sic qui credit, quòd ipse est pax no- *Psal. 38.* stra, handquaquam quidpiam operabitur dissidij, aut belli. Quin etiam, quandoquidem Christus est non solum Dei sapientia, verum etiam Dei potentia, qui credit illi, in quãtum potentia Dei est, haudquaquam erit impotens ad præclara. Proinde necessariò eum considerantes patientiam, & fortitudinem, propter illud, & nunc quæ est patientia mea, nónne dominus etiam fortitudo mea, & substantia mea dominus, dicemus. Quòd si credimus ad labores non credimus illi, in quantum est patientia, & si infirmamur, non credimus ei, in quantum est robur: quòd si collegeris cæteras Christi considerationes, non difficulter inuenies ex his, quæ diximus, quonam pacto qui non credit Christo, moriatur in peccatis suis. Nam qui fuerit in his, quæ contraria sunt considerationi earum rerum, quæ est Christus, in suis peccatis moritur.

Dicebant ergo illi, tu quis es?

Ioan. 8. ONSEQVENS erat, vt andientes quæ à Iesu dicebantur cum multa potestate, interrogarent: quis esset talia loquens, videbatur enim esse aliquis homine maior, & natura quædam diuinior, Seruator dicẽs: Nisi credideritis, quòd ego sum, moriemini in peccatis vestris. Illud ergo, tu quis es? H veluti postulantium est responsum, ego sum Christus: vel e- *Deut. 18.* go sum ille propheta, vel ego sum Helias, vel ego sum angelus Dei: neque enim, nisi vnus ex his esset, ac similis eis, proferret talia verba gemina.

TOMVS VIGESIMVS.

IGESIMVM tomum in euangelium à Ioanne traditum cõmentaturi, Dei amantissime atque in domino exercitatissime Ambrosi, decẽtissimè precamur è plenitudine filij Dei (in quẽ *Col. 2.* propenso animo fuit omnis plenitudo diuinitatis habitare) accipere sensus plenos, & vt ita dicã, solidos, nihílque vacui habentes, vt euãgelium quod à nobis examinatur, manifesterur. Nihil nobis omittẽtibus eorum, quæ indaginem requirant, quæque committi debeãt commentationibus, neque item exuberantibus, vbi nõ sit opus, ac ne peruertentibus quidem Seruatoris nostri Iesu mentem. Atque vtinam deus nobis mittat suum ipsius verbum, quod seipsum ostendat, vt profunditatem ipsius, donante patre videre possimus.

Noui quod Abrahæ semen estis, sed quæritis me interficere, quoniam sermo meus locum non habet in vobis.

I IC contextus, noui quòd Abrahæ semen estis, videtur non considerantibus quid significet, vox, semẽ, & quid significet vox, filius, pugnare cum illo contextu, qui mox inferendus est, quíque ad eosdem dicitur nempe si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Vt ergo hæc considerentur, videamus in primis corporaliter filij, & seminis differen- *Differẽtia inter filiũ & semen.* tiam. At certè perspicuum est, quòd semen illius, cuius est semen, rationes in seipso contineat, adhuc pausantes & reconditas, filium verò exoriri & subsistere (mutato semine, & operante in materiam sibi appositã à muliere, & ex nutrimentis collectis) formatum, & ad ortum diligenter præparatum. Quòd si aliquid alicuius est proprie filius, quòd ad corporalia attinet, ex semine ortum est, cum tamen si aliquid est semen, non continuò sit filius. Hæc cũ præfari fuerimus, si quidem corporaliter intelligendus esset ille cõtextus, noui quòd Abrahæ semen estis, illud omnino videretur sequi, vt hi, quibus loquebatur, essent filij Abrahæ (concesso quòd semen sit *Filij Abrahæ qui.* etiam filius, & non dato iuxta accuratam intelligẽtiam.) Sed quoniam ex moribus, & operibus iudicantur filij Abrahæ, vide ne fortè designandi sint, qui sunt semen Abrahæ, ex rationibus quibusdam seminalibus, insitis, vt opinor, quibusdam animis, & quemadmodum quod ad corpus attinet, non omnes homines semen sunt Abrahæ, ita iuxta ea, quæ nunc explicuimus, qui nam sint semen Abrahæ, ne homines qui- K dem omnes aduenerunt ad hanc hominũ vitam cum rationibus omnino seminalibus ingenitis suis animabus, quorũ causam propter magna iudicia, eáque dictu difficilia (quæ videntur ab his, qui mentem Christi perceperunt vt videant quæ à Deo sibi donata sunt) pauci comprehendere possunt, qui diligentius cõmentati sunt, quæ ortum præcedant, quæque sint in ortu cuiuscunq;. Ac profecto huiusmodi perturbãt quemlibet. Qui etenim hęc proposuerit non adhibita diligentia, in periculum seipsum conijcit, quandoquidẽ dicere atque explicare talia (vt maximè vera dicantur) periculosum sit, & certè periculosum est, propterea quòd opus sit dispensatori mysteriorum Dei, tempus quærere proferendi talia dogmata absq; molestia auditoris, nam vt temporis rationem habeat, nedum inspiciat is necesse est, ne vel parcior, quàm res postulet in loquendo sit, vel redundans (id quòd virij gignitur præter rectam rationem) sed diligentius etiã perpẽdat oportet, vtrum conserui sint, quibus traduntur talia, an serui cuiuspiam alterius, qui diuersus sit à domino dominantium. Quòd autem necessario perpendenda sint hæc omnia à dispensatore my- *1. Cor. 4.* steriorum Dei, docet scriptura dicens: Quis nam est fidelis *Luc. 12.* dispensator, ac prudens, quem præficiat dominus famulitio suo, vt det in tempore demensum conseruis suis. Non omnes ergo homines semen sunt Abrahæ, neq; enim suis animis ingenitas habent rationes, quæ valeant, si excolantur, facere fi- L lios Abrahæ. Quærat igitur aliquis ad hæc, dicens: fieri quidẽ posse, vt vituperatione sit dignus, qui genitus semen Abrahæ non etiam filius ipsius fiat, sed quo pacto iure incusaretur nõ faciens opera Abrahæ, qui ne principio quidem habet, vt sit semen Abrahæ, à quo proficiscitur esse filios Abrahæ? ad quę respondebimus (historia tanquam scala vtentes, & vestigia veritatis huius loci quærentes in literis) si cum non esset quis Abrahæ filius, nullius iusti semen esset, etiam culpa vacare peccans posset, quippe qui nullam honesti causam à seminibus haberet. At nunc vt in seminibus corporalibus alter quidem complurium iustorum semen est, alter verò pauciorum (vt perspicuum erit ex his, quę dicemur) ita etiam esse dicendum analogon in seminibus mysticis. Abraam vigesimus genitus est à protoplasto (nam decem generationes sunt ab Adam vsque ad Noe, & decem à Noe vsque ad Abraam) fue- *Gen. 11.* rúnque fratres Abrahæ Nachor, & Arram (namque hos treis filios habuit Thara) atque Nachor quidem, & Arram non erant semen Abrahæ, sed ne ipse quidem Abraam semen erat Abrahæ, sed erant hi tres semen iustorum, cum quæratur adhuc inter nepotes Adam, in quibus annumerãdus sit Abraam ipse, veluti Seth, quem excitauit dominus pro Abel, & Enos, qui sperauit inuocare nomen domini Dei, & Enoch, qui placuit Deo, post quam genuit Mathusala annis trecentis, & Noe, de quo dictum est, vir iustus & integer erat suo seculo M Noe, Deo placuit Noe, & Sem, cuius primi apparet domi- *Gen. 9.* num Deum in Genescos libro vocatum fuisse Deum vt hisce verbis clarum est: Laudandus dominus Deus Sem. Cæterum præter hos iustos, hi quoque Tharæ tres filij, semen erant reliquorum. Proinde quod diximus de semine Abrahæ, idem censendum est etiam de semine Sem, Noe, & superiorum iustorum quorum proprietas Abraam, Nachor, & Arram in ortum venientes seminaliter sumpsisse in communi videntur, & Abraam quidem iustorum omnium se præcedentium rationes seminales, quas in seipso habebat, cum excoluisset, his etiam addidit sanctam suam qualitatem, nempe eam, quæ erat in proprio semine, cuius participes esse possent, qui post ipsum vocarentur semen Abrahæ. At verò Arram minimam sui ipsius, paternorúmq; in seipso seminum curam fecisse videtur. vnde in rerum naturam producere Loth spirantem saltem aliquantum salutis potuit. Porrò Nachor vtrisque fratribus inferior fuisse videtur, quamobrem licet ei, qui non sit semen Abrahæ, esse semen Noe eo quòd domino genitus sit iuxta diluuij historiam) à Noe, per successionem, quòd si hoc, etiam semen Enoch, omninóque etiã semen Enos, & Seth. Incertum autem est nobis in multis posteris Noe, quis nam *Posteritas Noe obscura.* sit semen Sem, quis semen Cham, quísque sit semen Iaphet, & sic deinceps, cum nullus sit tamen, qui omnino sit seminis iustorum expers. Inspicio autem, num fortè facile factu sit,

vt qui

A vt qui non sit semen Abrahæ, habeátque occasiones, quas habuit Abraam ex prioribus seminibus, talis fieri possit, vt similis sit Abrahæ, etiam si alioquin semen illius non sit. Vt enim Abraham nõ ex semine Abrahæ existens, sed ex eorum quos suprà recensuimus, factus est Abraham, sic facile factu est, vt quis alter fiat Abraham, si coluerit meliora sibi ingenita semina, nec omnino erit ex semine Abrahæ, sed ipse etiam idoneus erit seminare, tanquam Abraham. interpretamur autem hæc omnia referentes, quæ dicuntur, nõ ad corpora, nec ad homines, sed ad quædam intelligibilia & ad rationes pluteis, vel pauciores, participant diuersimodè descendentes, vel venientes in lucem, fortassis aliquo etiam modo ascendentes. Inspicies etiam, num ad talia semina, atque etiam ad semina eorum, qui accipiebant in seipsos ipsa, quæ sua nominabantur, *Psal. 125.* illud referri possit: Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Consideret enim, qui potest, quarundam animarum iter venientium in ortum cum fletu, & semina ferentium vel plurium iustorum vel pauciorum, atque iniustorum similiter. Is etiam intuens veluti agricolas pro seminibus, quæ habeant sollicitos cõsideret, quomodo hæc quidem excolant (nempe semina præstantia) illa verò non quidem seminent, quando quidem venient etiam cum prauis seminibus, qualem enim fletum probabile est hos plorare, de quibus inquit sermo: Euntes ibant & flebant mittentes semina sua? ac profectò bona spes est in euntibus, ac flentibus, *B* mittentibus semina sua. Hi namq; tanquam omnino venientes venient in exultatione portantes manipulos suos, & fortassis etiam alij venerunt, de quibus illud dici posset: Euntes ibant & ridebãt, mittentes semina sua, quos illud sequetur, venientes autem venient cum ploratu portantes manipulos suos, de quibus dici posset, geniti sunt veluti gramen domorum, quod antequam euelleretur exaruit, cuius non impleuit messor manum suam, & sinum suum, qui manipulos colligit, & non dixerunt prætereuntes, benedictio domini super vos, & vide, num hac ratione sacratius, & profundiùs dixerit Seruator noster: *Luc. 6.* Beati qui nunc flent, quoniam ridebunt, & illud: Væh vobis qui nunc ridetis, quoniam plorabitis & flebitis. Atque sanè, quanto quis est seminis maiorum iustorum, tanto plures iustitiæ fert rationes, adeò vt propter hoc scriptum sit: Semen Abraham serui eius, filij *Psal. 104.* Iacob electi eius, propter hoc etiam aliquo modo de Ioanne *Luc. 7.* illud dictum est: Maior inter natos mulierum Ioanne Baptista nemo est, ad quæ loca cum perueneris, adhibe animum, num rationem habeat, deleri à Deo quædam semina, ne mala multiplicentur super terram, dum hi seminant qui nullas occasiones habent à melioribus progenitoribus excolendi præstantia semina. Hanc enim ob causam diluuium fit, vt deleatur Caym semen, posteris ipsius alioquin habere nõ valentibus aliquid, quod excolerent, nisi semina ab Adam *C* prouenientia. Quòd verò diluuium seminis Caym delendi causa factum fuerit, sapientiæ liber Solomoni inscriptus, his verbis docet. Recedens autem ab ipsa (nempe sapientia) iniustus in ira sua periit, *Sap. 10.* cum animis fratricidis, per quem inundatam terram rursus seruauit sapientia, vili ligno iustum gubernans. Quin etiam idem mihi videtur docere de Sodomis Solomon, eos cum sua ipsorum terra incendio periisse memorans, quorum etiam nũ malitiæ testimonio fumosum restat solum, & plantæ intempestiuum fructum ferentes. At certè Dei boni officium fuit Sodomorum terram delere, & quicquid relictum ex ea fuisset humiditatis, arefaciendo ne *Gen. 19.* in posterũ oriretur vitis Sodomorum, neque malleolus Gomorræ, neque vua iræ, neque botrus amaritudinis, ac ne vinum quidem, furor draconum, & venenum aspidum insa*Psal. 7*tiabile. Simile quiddam dices etiam de Ægyptiis, de quibus dictum est: Occidit in grandine vineam eorum, & moros eorum in pruina. Boni enim Dei est interficere vineas Ægyptiorum, & moros impiorum. Hæc adiuncta institutæ disputationi de seminibus Abrahæ, vel alicuius iusti sint nobis dicta, vt ostenderemus quomodo Seruator eis dixerit, noui, *Ioan 8.* quòd semen Abrahæ estis: Et si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Cæterum de filiis Abrahæ opera Abrahæ facientibus commodius, Deo dante, differemus, cum ad explorationem illius contextus peruenerimus. Ei ergo, qui fuerit Abrahæ semen, licet etiam fieri, si diligentiam adhibeat, *D* eius filius quemadmodũ factu facillimum est, vt nulla diligẽtia, nulláq; cultura adhibita, hoc etiam perdat, quod semen erat. Porrò hi, ad quos erat sermo, nondũ erãt deplorare spei, sciente Iesu eos, etiamnum Abrahæ semen esse, ac vidẽte eos nondũ amisisse facultatem eã, qua fieri poterant, Abrahę filij, *Iudæi non amiserant facultatem vt filij Dei fierent.* tanquam enim facile factu esset, vt præter quàm quòd semen essent Abrahę, etiã filij efficerẽtur, inquit ad eos: Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Vt autem sunt quidam, semen Abrahæ, sic alij existentes semen, non sunt semen dicẽte Daniele semen Chanaan, & non Iuda, *Dan. 13.* sic alij aliorum sunt, & nũ sunt, dicente sapientia: *Sap. 12.* Semen execratione deuotũ ab initio. Quin etiam his addemus, quòd vt in rebus corporalibus vnum interdum semen operari valens magis proficit, quàm multa semina, sic cernere etiam liceat in seminibus spiritualibus. Id autem quod dico ex his, quæ mox dicentur, liquebit. Quoniã enim qui seminat, rationes à maioribus acceptas in seipso habet, & ingenitas aliquando quidẽ præualet eius ratio idq; quod gignitur, æditur seminanti simile, aliquãdo verò ratio fratris eius qui seminauit, vel patris, vel auũculi, adde etiam aui præualet, quam ob causam, qui in lucem æduntur, oriuntur his vel illis similes. Cernere verò etiam est rationem coniugis, vel fratris eius, vel aui eius præualere iuxta concussiones, quæ sunt in mixtionibus, dũ simul omnes, eoúsq; concurrunt, quoad præualeat aliqua ratio seminalis. Hæc igitur *E* transferantur ad animam seminibus intelligibilibus plenam, *De semine intelligibili et nõ intelligibili.* quæ venerint à quibusdam, qui patres eius dicuntur, & veluti seminales quædam patrũ rationes perficiantur, propter multam mobilitatẽ, agilitatémq;, & in tensionem ad tales imaginationes eius partis animæ, quæ præstantissima est, quæ si excolantur, erit aliquis filius hic quidẽ Abrahæ, Noe nihilominus etiam filius, ille verò Noe, nõ ita tamen vt etiam Abrahæ sit filius. Rursus alius Chanaan, & item alius alicuius iustorũ, vel iniustorum. Attamen nec cũ similibus, iisdem seminibus venimus omnes, nec etiã vacuus salutaribus, & sanctis seminibus venit quispiam. Nisi forte hac in re quis nos refellat, præsidium à Deo proueniens adducens in medium, quod ne de pessimis quidem desperat, qui nullus seminibus optimis in *Matt. 3.* vitã venerint, & sanè ex hoc dicto refellere nos quis potest. Potẽs est Deus ex hisce lapidibus suscitare filios Abrahæ. Cæterum omnia, quæ diximus de semine Abrahæ, déq; his, qui similitudinem cum hoc habent, iure admittemus, si admittamus iuxta corporalem intelligentiam dictum fuisse illud. *Matt. 15.* Nõ sum missus, nisi ad oues quæ perierant, domus Israel, & illud: Ne in Israele quidem tantum fidei inueni, & quæ his similia dicta sunt. *Mat. 8.* Videntur autem hi ad quos est sermo non capere sermonem, qui præ præstantia magnitudinis suæ, quæ supra ipsos erat, non habebat locum in eis, quandoquidem semen Abrahæ adhuc tantum erant. Quòd si Abrahæ semen cum essent, addidissent, illud Abrahæ semen excolere, vt magnum *F* fieret & augeretur, accreuisset illud certè ad incrementũ, magnitudinémque seminis Abrahæ, atque percepissent Iesu sermonem. Et hactenus quidem dices, sermonem non capere in eos, qui non eo vsque profecerunt, vt semen Abrahæ cum essent, fierent etiam eius filij. Hi etiam interficere volunt sermonem, velutique ipsum conterere, magnitudinem non capientes eius. Proinde aliquos semper est cernere non capientes sermonem, quòd breuiora sunt eorum vasa, volentes interficere vnitatem sermonis, quasi cum ipsum interfecerint; capere possint contritionem eius, & diuidere eum in his, in *Psal. 21.* quibus fuerit. Hic sanè sermo veluti ad suos interfectores inquit, dispersérunt vndequaque ossa mea. Itaque si ex nobis aliquis semen est Abrahæ, & adhuc in se locum non habet sermo Dei, ne quæso quærat interficere sermonem, sed ex semine Abrahæ immutatus in filiũ Abrabæ sermooem, hactenus non perceptum capere poterit.

TOMVS VIGESIMVSSEPTIMVS.

Ego quæ vidi apud patrem meum, loquor, & vos quod vidistis apud patrem vestrum facitis.

G VT homioes quosdam dicimus ab ioitio ipsosmet filij dei spectatores fuisse (de quibus Lu-
Luc 1. cas ioquit : Sicuti tradiderunt nobis hi, qui ab initio sibimet spectatores, ac ministri fuere sermonis) sic Seruatorem etiam dicemus ipsummet spectatorem esse eorum, qui sunt apud patrem, & haoc etiam ob causam dictum illud fuisse : oemo agnouit patrem
Matt. 11. nisi filius, cum homines quibus filius reuelat, non sint autoptæ, hoc est per se spectatores. Ac etiam præseos contextus. Ego quæ vidi apud patrem meũ loquor, palàm declarat Seruatorem autoptam esse eorum quæ sunt io patre. Sed quærens, num aliquaodo futurum sit, vt angeli ipsi visuri sint, quę suot apud patrem, nullo mediatore, ac ministro intercedente, videores ea : oam quando viso quis filio viderit patrem, qui misit illum, per filium videt patrem, cum verò videt aliquis patrem, perinde atque filius, atque videbit filium apud patrẽ is, quasi noo aliter, ac filius autoptes, ac per se spectator patris, & eorum quę patris sunt, erit noo amplius mediãte imagine patris, cõsiderãs res patris. Et saoè reor hoc esse finis, cum tradiderit Regnum Deo patri, & quãdo Deus
1. Cor. 15. erit omoia in omnibus. Itaque seruator, quæ vidit apud patrem loquitur. Iudæi verò, qui crediderunt ei, non viderunt apud patrem sed audierunt à patre, vt quæ audierint faciant,
H hanc ob causam inquit ad eos Dominus : Vos igitur quæ audiuistis à patre facite. Sed quærat aliquis, quando Iudæi qui
Ioan. 2. Domino crediderant, à patre audierint, ad quod qui simpliciter intellexerit hæc verba, quæ vos audiuistis à patre facitis, dicet eos audiuisse à patre, eo quod pater per Mosen, & prophetas sanxerit, quæ in lege, & prophetis scripta sunt facienda, quo testimonio quisquis cõtra eos, qui ab ecclesiæ decretis dissident, vsus fuerit, is docebit oon alium esse Deum, qui hanc dederit legem, & prophetas, quàm Christi patrem. At verò alius his etiam verbis vtens : omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me, nõ quòd patrem quis viderit, nisi qui est apud patrem, hic vidit patrem, dictutus est ex animabus, quæ corpora induant quasdam esse, quæ antequam oriantur, edoctæ fuerint apud patrem, atq; ab eo audierint, quæ etiam veniant ad Seruatorem, atque ex earum numero fuisse hos Iudæos, quos sibi cum credidissent, interrogat, alloquitúrq; Dominus dicens Vos igitur, quæ audiuistis à patre facite. Dicet etiam hos esse qui vocẽtur semen Abrahæ, Rursum huic alius
Ioan. 8. contradiceret dicens, hæc quidem verba, omnis qui audiuit à patre & didicit, veoit ad me, osteodere, quòd qui à patre audierit, & ab ipso didicerit, veniat omnino ad Seruatorem, illa verò, vos igitur quæ audiuistis à patre facite, dicta ad Iudæos quærentes interficere filium Dei (quibus etiam, taoquã qui non essent filij Abrahæ dicitur, si filij Abrahę essetis opera Abrahæ faceretis) docere hos, noodum habere fructus veniendi ad Seruatorem. At verò ad huoc sic cootradiceotem
I respondebit alius : non idem esse omnis qui audit à patre, & didicit cum his verbis, vos igitur quę audiuistis à patre facite, illum naoque preterquam quòd à patre audierit & didicerit, etiam venire ad Seruatorem, hos verò qui audierint quidem,
Confutat non omnino didicerint etiam, oondum esse Abrahæ filios.
valentinia- Sed interrogeotur à oobis, qui oaturas iotroducunt, quíque
nos de physi- io hoc cootextu, sermo meus locum non habet in vobis, iux-
cis & choi- ta Heracleonem, explicant eum idcirco locum in eis non ha-
cis. bere, quia sint natura, vel animo inhabiles, quomodo inhabiles natura à patre audierunt? Sed vtrum tandem hi erãt oues Christi, an ab ipso alieni? quòd si erant alieni qoomodo audierunt à patre, palàm vt putant dicente ad alienos : propter hoc vos non auditis quòd non sitis ex ouibus meis? Nisi forte cum vrgeaotur, in aliud absurdum seipsos coniiciunt, dicẽtes à patre quidem audisse alienos, hoc verò ipsos non audire à Seruatore, sed si familiares erant Seruatoris, & beatæ illius naturæ, quomodo quærebant eum interficere? & quomodo Seruatoris sermo oon habebat locum in eis? Responderunt & dixerunt ei, pater nõster Abraam est. Vidẽtur hi abiectius
Ioan. 8. longè respondere, quàm dixerit Domious, declarantes quis ipsorum esset pater, si quidem Iesus ad eum refereos dixerat: vos igitur facite quæ audiuistis à patre, hi verò abiectius, patrem gentium, patrem suum fatentur dicentes : pater noster Abraam est. Quòd si quis eos defeodens, tanquam qui beoe respoonderint dicet, Iesu dicente, facite quæ audiuistis à patre, K
& voculam patris referent ad deum eos dicere, pater noster Abraam est, ceu modestos, & volentes sibi tribuere, quòd filij dei essent, perspicuum est hoc etiam à Seruatore corrigi, ceu falso dictum his verbis : Si filij Abrahæ estis, facite opera Abrahæ. Neque verò absurde præter hæc quærat etiam aliquis, quomodo Seruator (qui eis ne filiis quidem esse Abra- *Ioan. 8.*
hæ cuncedebat) dicere posset, vos igitur quæ audiuistis à patre facite, relata voce patris ad Deum : nam qui Abrahæ filius non est, qualicunque modo virtutem posterorum Abrahæ imitando, is vituperabilis periode atq; hi, ad quos est sermo, multo magis non erit filius Dei. Proinde vide, an etiam ad hoc dicere possimus (quooiam oon dictum fuit, facite igitur etiam vos, quæ audiuistis à patre vestro, vel à patre nostro, sed à patre) quòd licet aliquis sit pater, non continuò tamen pater etiam sit eorum, qui non sunt filij Abrahæ, oec formati à semine Abrahæ in filiis Abrahæ, vel hæc verba (indefinitè dicta) quę audiuistis à patre, sumi possuot pro eo, quod est à patre meo, vt declarant illa verba, quæ ego vidi apud patrem loquor, quæ idem valent, ac si dicas, apud patrem meum. Verũ
eoim verò edocemur etiam io sequẽtibus, quorumnam deus *Ioan. 8.*
sit pater, per hæc quæ loquitur Seruator : Si Deus pater vester
esset, diligeretis vtique me. Ac profectò liquet, qui filiũ quæ- L
rant interficere illum ooo diligere, & non diligentes eum, filios Dei oon esse, vode perspicuum efficitur hæc verba, faci- *De fide &*
te quæ audiuistis à patre, noo minus valere, ac si dictum fuis- *operibus*
set à patre vestro, dicit illis Iesus : si filij Abrahæ estis facite o- *Abraha.*
pera Abrahæ. Respoodeaot, qui ex his quæ gessit Abraam, e-
legerũt vnum quoddam opus (nempe credidit Abraam deo, *Ioan. 8.*
& imputatum est illi ad iustitiam) & hoc existimant esse, ad quod referantur hæc verba, facite opera Abrahæ, vt etiam cõ-
cedatur illis, fidem esse opus, quod mioime concederent, qui *Gen. 15.*
auctoritatem illam admittũt, fides sioe operibus mortua est, *Rom. 4.*
neque hi qui intelligunt melius esse iustificari ex fide, quàm ex operibus legis, & dicaot, quare non dictum singulariter, si
filij Abrahæ estis opus facite Abrahæ, sed numero plurium, *An fides*
facite opera Abrahæ, quod meo iudicio periode valet, ac si *sit opus.*
dictum fuisset, omnia opera Abrahę facite. Sin verò idem est : *Iac. 2.*
ac si diceremus omnia opera Abrahæ facite, & neque corpo- *Rom. 4.*
raliter adhærere ancillæ debetis, qui vxorem habet, neque
defuncti coniugi aliam ad senectutem coniugem superindu- *Gen. 16.*
cere, iuxta Seruatoris ioterpretatiooem, voleotis eum decla- *Gen. 15.*
rari Abrahæ filium, qui Abrahæ opera fecerit, palàm hinc discimus necesse nobis esse, vt allegoricè iotelligentes omnem Abrahæ historiam, singula, quæ ipse corporaliter fecit, spiritualiter à nobis fiant, incipiẽtes ab eo dicto : Egredere de ter-
ra tua, & de cognatiooe tua, & de domo patris tui, & veni in *Gen. 12.*
terram quam monstrauero tibi, id quod sanè dictum est noo
soli Abrahę, verum etiam cuicunque, qui ipsius filius sit futu- M
rus, est enim quædam vniuscuiusque nostrum terra, atq; quædam ante diuinum responsum non bona cognatio, & postremo quædam domus patris oostri, antequam perueniat sermo Dei ad nos, quæ omnia oobis propter sermonem Dei damnanda sunt, & omittenda, si Seruatorem audimus diceotem : si filij estis Abrahæ, opera facite Abrahę, sic eoim peruenimus (quia reliquerimus terram nostrã) ad eã terram, quam nobis osteodet dominus, nempe ad terram verè booam, veréque multam, quam à Domino Deo dari par est his, qui quod iu-
bet in illo dicto : egredere de terra tua, peregerint. Quio etiã *Allegoria*
tanquam qui reliquerimus cognatiooem nõ bonam, erimus *de historia*
in gentem magnam, eámque maiorem quàm homioum, tan- *Abrahã.*
quámque qui despeximus domum patris nostri illaudabilem benedicemur. Magnificato nomine oostro, & ad tantam beoedictiooem perueoientes, vt vel nobis quoque benedicentes à Domino benedicantur, nobísque maledicentes, diris deuoueantur, atque etiam omnes familiæ terræ in nobis benedicantur, quando etiam nobis sermo ille dicetur : Egressus est
Abraam, quemadmodum loquutus ei fuerat dominus. Existi- *Gen. 12.*
mo autem futurum, vt in principio, & aliquandiu, Loth nos sequatur, cuius nota illud fuit. Ambulauit cum eo Loth, & re-
deuntes io Chanaan pertransibimus regionem, vsque ad lo- *Gen. 12.*
cum Sichem : sic ascensione cogitationis proficieotes, donec perueniamus ad quercum altam. Videbitur etiam nobis dominus

A minus deus, qui visus est Abrahę, ac promittet circa quercum altam semini intelligibili animæ nostræ dare terram. Porrò ad eum, qui hæc verba considerauerit, facite opera Abrahæ, pertinet quoque aram ædificare Domino; Domino inquam, qui nobis quoque apparet, vbi est quercus alta: posteáque recedere à loco altæ quercus, quasi ad montem, & à monte ad Orientem Bethel (quod si interpreteris, est domus Dei) vbi figet tentorium suum: Bethel quidem tanquam ad mare, Angæ verò tanquam ad Orientem, si interpreteris enim Angæ, sonat festiuitates, atque is profectò ceu proficiens post hæc rursum domino ædificabit aram: iam etiam inuocare valens in nomine Domini, per ordinémque inde soluens, qui futurus est filius Abrahæ, factus aliquo modo ducendi exercitus peritior, intelligénsque, ad quot bella seipsum præparare oponeat, castrametabitur in solitudine, postea cum famem ortam in terra sentiet, in Ægyptum descendet, illic habitaturus (ne aduersum quoque se præualeat fames, quæ super terram præualuerit) descendétque in Ægyptum cum coniuge sua eleganti forma, pactis quibusdam cum ipsa constitutis, quò se mansuetè Ægyptij illius causa vtantur, sintque illi in Ægypto oues, & vituli, & asini, & serui, & ancillæ, & muli, & cameli, de quibus singuli alicuius sapientis, & qui profunda scripturæ doctè penetrare possit, officium erit dicere: & certe generatim omnem Abrahæ historiam explorantes, & quæcunque B de ipso sunt scripta, quæ vnum dicunt, & aliud innuunt, spirituales spiritualiter omnia facere conabimur. Vide verò an non apertè ex his, quæ in hoc loco indagauimus constet, sapientis cuiusdam esse, & omni virtute ornati, fieri Abrahæ filius. Quid enim opus est dicere, quanta opus sit sapientia, vt Abrahæ opera consideremus? quantáque opus sit potentia, vt ea faciamus? Sed quali sapientia, qualique potētia egemus,

1. Cor. 1.

nisi Christi, qui est Dei potentia, & Dei sapientia? Cum ergo scriptum sit, si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, consequenter huic dixeris, si filij Isaac estis, facite opera Isaac: similitérque de Iacob, & de singulis sanctis patribus. Contrà, singuli peccantes generatim quidem filij sunt diaboli (quoniam qui facit peccatum ex diabolo natus est) priuatè verò vel Caym, vel Cham, vel Pharaonis, vel Nabuchodonosor, vel alicuius impiorum. Consequenter etiam his dices, vnumquenque ex hac vita migrantem proficisci ad suos patres: omnibus enim hominibus decedentibus è vita, non soli Abraamo dici censendum est: Tu autem ad patres tuos ibis, etiam si nō omnibus hominibus addatur illud, cum pace. At verò perfectis, hisque, qui spiritualiter longæui fuerint, illud etiam additur, in senectute bona: quandoquidem canicies hominibus est prudentia, & corona gloriationis, & senectus, & gloria: veris ac diuinis senibus canicies illæ sunt, quę mente cernuntur, ipsos ornantes. Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem loquutus sum vobis, quam audiui à Deo.] Ie- C sum qui quærunt interficere (quoniam Deus nō interficitur) etiam si interficiant, hominem interficient. Quòd si quærunt interficere, & nondum interficiant, insidias illi veluti homini struunt, non Deum esse existimantes, cui struuntur insidiæ. Nam nullus existimans Deum esse, cui struuntur insidiæ, insidias illi strueret. Cernere verò licet quosdam aliquo modo

Qui quærūt christum interficere.

semper sermoni dei struentes insidias, quoniam interficere quærunt eum, & delere, tanquàm hominem ipsum (hoc est, humanum & mortalem) esse existimantes: qui vel humaniorem ipsius partem, & quod videtur, inuadunt, sed vt corpus etiam sermonis interficiant, perspicuum est eos amplius ali-

Matt. 5. & 10.

quid facere non posse. Quamobrem non est nobis timendū ab his, qui occidunt corpus, nihil reliqui postea quod faciant habentes: neque timendum est ab his, qui occidunt corpus, animam verò Sermonis interficere non valent, sed timendus est Dei Sermo, qui potest & corpus & animam perdere & delere, siue in gehenna, siue quò ei lubitum fuerit: cum eiusmodi sit quispiam sermo, vt corpus & animam habeat, quæ perdantur, quia sint perditione digna: quam sermonem sibi

2. Thes. 2. Antichristū perdet christus.

aduersarium Dominus Iesus conficiet spiritu oris sui, & abolebit claritate aduentus sui efferentem se aduersum omnem, qui dicitur deus, aut numen. Et sanè hi, ad quos est sermo, quærunt interficere hominem, qui veritatem loquutus est, quam audiuit, & accepit à patre. Etiam si simpliciter locum hunc interpretemur, apertè Seruator docuit, quòd is, quem D quærebant Iudæi, vt morti traderent, Deus non erat, sed ho-

Deū mori dicere nefas.

mo, qui etiam interfectus est. Nam Deum dicere mori nephas est: & hanc ob causam verbum illud, quod erat in prin-

Ioan. 1.

cipio apud Deum, quod etiam Deus verbum erat, non mortuum fuit. Sed quęres quoniam scriptum sit, verbum caro factum est, vtrum tandem verbum caro factum eo, quòd factū sit caro, factum etiam sit homo, aut non sit factum homo: nam si factum est homo, potest ipsum quæri, vt interficiatur. Quod si nō fuerit factum homo, verbum etiam caro factum non interfectum, restitutum est, sintque singula ipsius restituta ad hoc, quod erat antequam fieret caro. Hoc Abraā non fecit, quod nullo modo Abrahæ facile factu erat, si non fecit Abraam, idque postea contigit, destruere atque abrogare videtur hunc contextum, hoc Abraam non fecit: quibusdam ad hoc dicturis, frustra dici, hoc Abraam non fecit, si id nullo modo fieri poterat ętate Abrahæ: non enim natus erat Abrahę tempore Iesus. Sed dicerem ego (quoniam veluti in laudem dici Abrahæ opinor hęc verba, hoc Abraam non fecit) iuxta doctrinam seruatoris, docentis, ac dicentis, Abraam pater vester exultauit vt videret diem meum, & vidit & gauisus est, fuisse Abrahę tempore hominem, qui veritatem, quam à Deo audisset, loqueretur: quem tamen Abraam ipse interficiendum non curarit: Et obserua, quòd homo, qui tro- E picè intelligitur in Iesu, nunquam non aduenerit in hanc vitam: & post tempora historię sui ipsius, & antea. Hanc ob

Heb. 6.

causam fieri nō posse existimo, vt qui semel illuminatus fuerit, quique donum cœleste gustauerit particeps factus spiritus sancti, gustaueritque bona Dei verba, ac virtutes futuri seculi, si exciderit, denuo reponetur per pœnitentiam ab integro crucifigens sibimet ipsi filium Dei, & infamans, vel ante crucifigens, vel denuo crucifigens filium Dei, infamánsque, siue antequā corporalis Seruatoris nostri aduentus historiis mandaretur, siue post. Non enim qui nunc post illuminationem, cęteráq; Dei in se beneficia peccat, filium dei crucifigit propter peccata, ad quę recurrit, nihil perficiens illius actionis, quę communius dicitur corporalis ad crucifigendum filium, Dei, non idem etiam antea fieret, & qui peccat post quàm audierit diuina verba, antea crucifixerat filium dei. Quòd si

Acta Pauli liber apocryphus.

cui placet admittere, quod in actis Pauli scriptum est tanquā à Seruatore dictum, denuo debeo crucifigi, existentem isto modo etiam ante accessum, quando eadem causa est dicenti, iam debeo crucifigi, quamobrem enim non etiam antea cru-

Gal. 2.

cifixus est, vt crucifigendus est denuo? Vide verò, an non tantum sanctorum, qui post Christi aduentum fuere, sit

Gal. 2.

vox illa, cum Christo crucifixus sum, sed ęquè ad priores etiam pertineat, ne differre dicamus sanctos, qui post Christi aduentum fuere, à Moyse, & patriarchis. Vox illa quoque: viuo ego, non amplius ego, sed viuit in me Chri- F stus, æquè etiam dicatur non solum de sanctis, qui post Christi aduentum fuere, verùm etiam de his, qui antea. Obser-

Matth. 22.

uo etiam, & hoc dictum Seruatoris: Deus Abraam, & Deus Isaacb, & Deus Iacob, Deus autem non est mortuo-

Rom. 6.

rum, sed viuentium, num forte Abraam, & Isaacb, & Iacob, propter hoc sint viuentes, quoniam, & ipsi cum Christo consepulti, resurrexerunt: non tamen corporalis sepulturę Iesu, vel corporalis resurrectionis eius instar. Hęc hactenus de eo quod est: Abraam hoc non fecit. Quid autem hoc est aliud, nisi quęrere interficere hominem, qui veritatem loquutus fuerit, quam à deo audierit. Tradimus enim, & docemus, nunquam defuisse sanctis spiritualem

Ioan. 8.

Anagoge.

Iesu aduentum, atque dispensationem. Quòd si hæc (perinde atque in aliis considerauimus) ad sensum anagogicum reduxeris, alius hæc omnia huius loci similiter explanare tentabit, ad mysticum Abraam ea referens, omissa vulgari explanandi consuetudine, quęrens horum singulorum consequentiam. Vos facitis opera patris vestri. Quòd ad dictum hoc attinet, clarum non est, quem patrem Iudęorum, qui sibi crediderant, quique nondum agnouerant veritatem, velit dicere, ad hoc enim hęc omnia loquitur: quòd nisi post pau-

Ioan. 8.

ca intulisset vos à patre diabolo estis, & desideria patris vestri, vultis facere, ne nunc quidem agnosceremus (saltim apertè) consilium loquentis. Nec mirum profectò, si ad eos Iu-

G dæos,qoi ei crediderant, nec tameo tantum temporis in sermone eius permanserant, vt verè ipsius facti discipuli agnoscerent veritatem,vt ab ea liberarentur,dixerit. Vos facitis opera patris vestri:& illud etiam,quod in sequentibus subiungitur:vos ex patre diabolo estis. Quamuis enim inbumanum hoc dictum videatur ad eus qui ei crediderant, quiq; aliquo modo ab eo edocti fuerant,non tamen eo vsque, vt verè discipuli Christi dicerentur, attamen necesse est consideremus illud à Ioanne in catholica epistola dictum de filus dei, déque filus Diaboli: Qui committit peccatum ex diabolo est, *1. Ioan. 3.* quoniam ab initio diabolus peccat. Ad hoc apparuit filius Dei,vt dissoluat opera diaboli, omnis qui natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet,& non potest peccare eo,quòd ex deo natus est. In hoc manifesti sunt filij dei,& filij diaboli,omnis qui non facit iustitiam, non est ex deo,& qui non diligit fratrem suum. Quibus verbis sic habentibus, considera, an non apertè dictum sit:omnis qui committit peccatum ex diabolo est. Proinde in quantum,peccatum committimus,nondum exuimus ortum ex diabolo, etiam si credere in Iesum existimemur, & consequens est hoc dici à Iesu Iudæis,qui ei crediderant: Vos facitis opera patris vestri,relationem habeote voce patris, ad diabolum,propter illud:vos ex patre diabolo estis. Quòd si
H omnis qui committit peccatum est ex diabolo,omnis qui nõ est ex diabolo,non cõmmittit peccatum. Quin etiam si ad hoc apparoit filius dei,vt soluat opera diaboli,quatenus nondum soluit in nobis opera diaboli, quia huic non exhibuerimus nos ipsos soluenti opera diaboli, nondum deposuimus esse filij diaboli: quia ab operibus agnoscimur cuius filij simus,ex quibus etiam perspicuum est,non propter opificium, aliquem diaboli filium esse, neque quia sic creatus fuerit filius quispiam in hominibus dici dei: imò manifestum est, quòd qui aliquãdo fuerit diaboli filius,effici possit filius dei. Id quod etiam Matthæus hunc in modum manifestat Seruatorem dixisse scribeos,Audistis dictum esse: Diliges proximũ tuum,& odio habebis inimicum tuum. At ego dico vobis: diligite inimicos vestros,& orate pro persequentibus vos, vt sitis filij patris vestri,qui in cœlis est. Orate enim vt orantes pro persequentibus vos,& inimicos vestros amore prosequẽtes,filij efficiamini patris cœlestis, si quis antea ex vobis non fuerit illius filius. Quoniam autem manifesti sunt filij dei,& filij diaboli, propter id quod superius dictum est de diaboli filiis nempe qui committit peccatum ex diabolo est,De filiis verò Dei:omnis qui natus est ex deo,peccatum non committit,quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare,eo quòd ex deo natus est, perspicuum est hominem omnem,qui compleuerit rationem,vel filium Dei, vel filiũ diaboli esse. Aut enim committit peccatum, aut nõ committit: cum nihil sit inter committere peccatum, & non committe-

Contra Manichæos qui opificium propter dei opificium aliquẽ diaboli filium esse dicebãt

Matt. 5.

1. Ioan. 3.

Filij dei nõ peccãt, scilicet ad mortem.

I re peccatum:& siquidem peccatum committit, diaboli est: sin verò peccatum non committit,ex Deo natus est. Coniuncta sunt autem enunciationi horum de filiis Dei & filiis diaboli,quæ in epistola ipsa dicuntur de bis,qui sunt in filio Dei, *1. Ioan. 3.* déque his,qui non viderunt eum:omnis enim(inquit)qui in eo manet non peccat, & omnis qui peccat,nõ vidit eum:igitur si omnis,qui in illo manet non peccat,qui peccat nõ ma- *1. Ioan. 3.* net in filio:& si omnis qui peccat, non vidit filium, qoi vidit filium non peccat. Pariter hoc etiam notabis quid sibi velit Ioannes dicens:omnis qui peccat noo vidit filium: quasi his verbis vidit ipsum,innuens semper aliquos esse posse, qui videant filium dei, quíque ex ipsius visione participent potentiam nunquam peccandi: præterea dices hæc verba, vos facitis opera patris vestri, aliquando quidem dici ad filios diaboli, aliquando verò ad filios Dei: Qui peccata nanque committunt, opera patris sui diaboli committunt, at verò qui præclare se gerunt, opera faciunt patris sui dei. Sed probabile est futurum, vt aliquis ex his moueatur,cogitans an faciendo bona & mala seorsum, idem propter bona filius dei, & propter mala filius diaboli esse possit. Sed hoc præterquam quod absurdissimũ est,non innuitur ex dictis. Enunciat nanque Ioannes,quòd vnusquisque, qui ex Deo natus est, peccatum non faciat(quòd semen illius in seipso habeat)nec posse hunc peccare, eo quòd ex deo natus sit. Omnis igitur, qui ex deo natus est, peccatum non com K
mittit: nec tamen scriptum est, quòd omnis natus ex diabolo, iustitiam non committit: sed qui committit peccatum, ex diabolo est. Rursus non quemadmodum dictum est de eo qui committit peccatum, ex diabolo est, ita scriptum est, qui committit iustitiam, ex Deo est. Et adhibe animum ad differentias propositionum, quonam pacto cum omni diligentia à Ioanne dictæ fuerint, adeò vt miretur aliquis, quomodo irreprehensibiliter, & vt quidam dicerent, dialecticè,illis vsus fuerit: cúmque similia afferret de bis qui sunt ex diabolo, déque his, qui sunt ex Deo, similiter extulisset si fecisset: quemadmodum qui peccatum committit ex diabolo est,ita qui iustitiam cõmittit ex Deo est. Vel si(quemadmodum scripserat:omnis qui natus est ex Deo, peccatum non committit)fecisset: omnis qui natus est ex diabolo, iustitiam non committit. An non etiam sapientissimè admodum posuit verbum est, & vocabulum genitus? verbum est (dictum de eo qui ex diabolo est)non ponens de his, qui ex Deo sunt,& vocabulum,genitus,scriptum de his,qui sunt ex Deo, non ponens de his, qui sunt ex diabolo: extulit enim eum,qui ex Deo est,vocabulum genitus,ponens de eo:quod si etiam de diabolo posuisset,peius quiddam ostensurus erat, quàm si dixisset,est ex diabolo. Atque etiam si posuisset verbum est,de eo qui est ex Deo, quemadmodum posuit de eo, L
qui ex diabolo est,minus ostensurus fuerat de eo,qui ex Deo natus est:cum longe melius sit genitum fuisse ex Deo,quàm ex Deo esse. Sed dicet aliquis quasdam creaturas esse ex deo, quæ omnino genitæ non sint ex Deo, hásque omnino inferiores esse omnibus,quæ à Deo dicantur genita esse. Ac certè cum perueneris ad differentiam illam, quæ est inter esse ex diabolo,& inter genitum esse ex Deo, quæres num fortè aliquis sit,qui etiam ex diabolo sit natus:cum omnino qui sic ex diabolo, non continuò etiam natus sit ex diabolo: cum si sit aliquis ex Deo,non omnino sit etiam natus ex Deo. Proinde formatur, delineatúrque qui natus est ex deo, si peccatum non committat,eo quòd semen dei in ipso maneat, & à potentia dei in se existente ingenita vim habeat in posterum non peccandi. Dicitur etiam in extremo huius epistolę: omnis qui natus est ex deo,non peccat,sed qui genitus est ex Deo,seruat seipsum,& malus ille non tangit eum. Qui seipsum non seruat ne malo illo tangatur,nõ genitus est ex Deo, & omnis,quem tangit malus ille non genitus est ex deo,tangit autem malus ille eos,qui seipsos non seruant. Quoniam verò nullo facto interuallo ad eos, de rebus Abraam hoc infertur. facite vos opera patris vestri, quærebamus num fortè propter primum Abrahæ datum mandatum, hoc scriptum sit. Primum nanque diuinum mandatum ad eum sic habet: Egredere de terra tua de, cognatione tua & de domo patris tui, & vade ad terram, quam ostendam tibi. Exiuit ergo Abraam de domo patris sui, quod non fecisse conuincuntur M
hi qui reprehenduntur, eo quòd non bene dixerint: Pater noster Abraam est. Nam si filij Abrahæ faciunt opera Abrahæ, & primum opus exire de terra sua, & de domo patris sui, & proficisci ad eam terram, quam illi ostendit deus (& hanc ob causam hi,ad quos est sermo, reprehenduntur tanquam qui non sint filij Abrahæ)liquet eos idcirco reprehendi,quia non exierint è domo patris sui: tanquã adhuc ad malum patrem diabolum pertinentes:atque adhuc patris illius opera faciens. His à nobis hunc in contextum dictis palàm opinor eos conuictos, qui hinc ostendi existimant filios diaboli ex creatione esse.

Contra Manichæos qui malos à diabolo genitos dicebant.

Quæstio de quibusdam creaturis.

1. Ioan. 5.

Gene. 12.

Ioan. 8.

TOMVS VIGEGIMVS SECVNDVS.

Dixerunt ergo illi, nos ex stupro non sumus nati, sed vnum patrem habemus Deum.

QVÆRO

A QVÆRO num fortè Iudæi illi, qui dicuntur Domino credidisse, redarguti, quòd non sint filij Abrahã, acerbius respondeãt illi, rectè innuẽtes, Seruatorem ex stupro natũ fuisse: hoc suspicãtes, vt probabile est, quòd admissus non fuerit celebris, atque diuulgatus illius ortus ex virgine. Admodum enim præter rationem, atque præter rem, de qua agitur, videntur mihi hæc verba ipsi effutisse, cum neque ad superiora, neque consequenter posterioribus dictum fuisse possit, ac ne simpliciter quidem intelligi illud: Nos ex stupro non sumus nati quod ipsi dixerunt. Quin etiam quoniam patrem suum dicebat Deum Seruator, neminem hominem patrem sui ipsius confitens, probabile est ipsos illi dicto, nos ex stupro non sumus nati, subiungere, rursum inimici facti, illud: Vnum patrem habemus Deum, tanquam si dicerent: nos potius, quàm tu habemus vnum patrem Deum, qui te ortum dicis ex virgine, cum natus sis ex fornicatione: qui etiam dicis te vnum solum patrem habere Deum, quia iactes te natum ex virgine, fatentibus alioqui nobis Deum patrem, non tamen negãtibus hominem etiam nos habere patrem. Sed dicet aliquis hęc sic intellecta non posse esse verba eorum Iudæorum, qui illi crediderant, ad quod dicendum est: Quòd cum principio dictum fuisset illis illud: si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & agnosceris veritatẽ, perinde ac possent manere in sermone Iesu, & non manere, non difficillimum factu B esse, quosdã redarguros nõ mansisse in sermone ipsius, cumq; non mansissent, acerbius & repugnanter illud dixisse: Nos ex stupro nõ sumus nati, vnũ patrem habemus Deum. Videntur mihi contentiosius quoque respondisse. Cum enim antea dixissent, semen Abrahæ sumus, & quasi hoc manifestius per illud, pater noster Abraham est, confessi fuissent, atque audiuissent ad illud, si pater vester Abraham esset, opera Abrahæ faceretis, maiorem Abrahamo suum ipsorum patrem fatẽtur, dicentes: vnũ patrem habemus Deum: Ac fortassis, eò quòd aliqui homines sint ex diabolo, alij verò orti ex Deo, omnes rectè diceremus, qui geniti ex Deo † essent, ex stupro ortos fuisse. Non enim ex sponsa, sed ex meretrice materia gignit, vel creat diabolus eos, qui ab ipso sunt: qui etiam immodicè affecti, & affixi rebus corporalibus adglutinantur meretrici materiæ facti cum ipsa vnum corpus: cum hi, qui ex Deo fuerint geniti, à meretrice materià recedant, etiam adglutinentur domino, vniti sermoni illi, qui in principio erat apud Deum, & sapientiæ ipsius, quam creauit principium viarum suarum ad opera sua: vt sint cum ipsa vnus spiritus. Qui enim adglutinatur meretrici vnum est corpus, qui verò adglutinatur domino, vnus spiritus est.

Iudæi tege re volebat virginitatẽ D. Mariæ.

nõ. videtur desiderari.

1 Cor. 6.

Dixit illis Iesus: si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me: ego enim ex Deo exiui, & venio.

C QVONIAM qui naturas introducunt, vtuntur hoc textu, enarrantes ipsum, ac si dixisset Iesus: tãquam agnitum vobis ac fratrem agnouisseris me, atque veluti propriũ dilexisseris me, si Deus pater vester esset, mouenda sunt contra ipsos dubia, hunc in modum. Erat quando Paulus oderat Iesum, cumq; oderat, cũ depopularetur & persequeretur ecclesiam Dei, veraq; narrans dicebat illi primũ Dei oraculũ: Saul, Saul quid me persequeris? cum ergo verè dixerit illud: si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me, perspicuum est quoque illud, quod cum hoc conuertitur, rectum esse: si me nõ diligeretis, nequaquã Deus pater vester esset. Ergo Deus pater non est eorum, qui non diligunt Iesum, cumq; tempus fuerit, quo Paulus non diligebat Iesum, sequitur quoque tempus fuisse, quo Deus pater Pauli non erat: non ergo natura Paulus erat Dei filius, sed postea factus est Dei filius: quando etiam rectè assumeremus id, quod sequitur illud, quod præcedit coniunctum, dicens: Atqui, ô Paule, Deus pater est tuus, diligis ergo Iesum. Quin etiam ante tempora fidei Pauli, cum verum esset illud: si Deus pater vester esset, diligeretis vtiq; me, rectè assumere posset Iesus, dicens: Atqui, ô Paule me non diligis, non ergo pater tuus Deus est. Quãdo autẽ Deus efficitur alicuius pater, nisi quãdo aliquis seruauerit mandata? quibus (cũ antea non esset aliquis filius patris cœlestis) efficitur ipsius filius, D quando etiã pater ducens hunc ad regenerationẽ pater ipsius efficitur, & habetur ipsius pater. His adiungere possumus, quę in euangelio secundum Matthæum scripta sunt hunc in modum: Audistis dictum esse, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, at ego dico vobis: diligite inimicos vestros, & orate pro his, qui vos persequuntur, vt sitis filij patris, qui in cœlis est. Adhibe autem animum ad illud, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est, ostendens quòd qui antea non est filius illius patris, qui est in cœlis, deinde illius efficiatur filius: cumq; diligẽter obseruaueris illud, vestri (quod additur vocabulo patris, sic enim scriptum est: vt sitis filij patris vestri) quæres, vtrum simplicius illud dictũ sit, an peccantibus exemplaribus additũ sit illud, vestri. Nihil enim quæsissemus, si scriptum fuisset, vt sitis filij patris illius qui in cœlis est: & præsertim quoniã videntur hæc repugnare: vt aliquis sit filius nõ simpliciter patris illius qui est in cœlis, sed sui patris: nam E si est pater ipsius, non efficitur postea filius ipsius. Sin verò ipsius filius efficitur, non erat antea ipsius pater. Illud simul obseruabis (eò quòd ex his qui censentur credere, quidam serui Dei, rursum alij dicantur filij Dei) an fortè non qualecunque mandatum, sed quædam per excellentiam præclarè acta faciant aliquem, qui ea obierit, effici filium Dei. Quamobrem cum in Matthæo multa sint dicta, illud obserua, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est, quod subiũgitur illis verbis: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & orate pro his, qui vos persequuntur. Elucet enim similitudo erga Deum, atque imitatio ipsius diligentis omnia entia, & nihil abominantis eorum, quæ fecit, & omnibus parcentis: quandoquidem ipsius domini animatum amantis, sunt omnia in eo, qui diligit inimicos suos, & precatur pro his, qui persequuntur eum: Alioquin quomodo conuenienter subiungeretur illud: vt filij sitis patris vestri, qui in cœlis est, illis verbis: dictum est, ne committes adulterium: at ego dico vobis, quicunque aspexerit mulierẽ ad cõcupiscendam eam, iam adulterium cõmisit in corde suo cum ea, atque illis de perditione vnius membrorum, ne totũ corpus cõiiciatur in gehennam? Quin etiam si subiungeretur, post illud, dictum est antiquis, F & post illud: Non peierabis, sed persolues domino iuramenta tua: at ego dico vobis, ne iuretis omnino, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est, multum profectò offendiculi ex se fecisset: nunc autem vt ille pater cœlestis exoriri solem facit super malos & bonos, sic vnusquisq; filiorum Dei dilectionem in semetipso, veluti solem habemus, hanc exoriri facit etiam super malos, cum suos ipsius dilexerit inimicos. Ac rursum quemadmodum pluit Deus super iustos & iniustos, ita sanctus (veluti pluuiam quandam) demittit precationem super eos, qui deorsum degunt, eò quòd illum persequebantur, pro talibus etiam orans. Hæc in illud quod mihi explanandum incidit, si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me. Videamus verò & illud. Ex Deo exiui, & venio, cum quo conferre illud Michææ vtile videtur sic habens: Audite populi sermones, & attendat terra, & omnes qui in ea sunt, & erit dominus testis contra vos. dominus inquam de domo sancta sua. Ecce egreditur dominus de loco suo, & descẽdet, & calcabit super excelsa terræ, & cõmouebuntur mõtes sub illo, & valles liquescent, sicut cera à facie ignis, & sicut aqua, quæ descendens per præceps defertur. Et vide an fortè æquipolleat illud: exiui à Deo, cum illo: Dominus egreditur de loco suo, quoniã quando filius in patre est, antequã seipsum inaniat, veluti locus ipsius est Deus. & si quis consideret ipsum existentem in principali illa Dei forma, videbit nondum egressum à Deo filiũ ipsius, & dominũ nondum egredientẽ de loco suo, cum verò cũ hoc statu cõtulerit statũ illius, qui seipsum inaniuit, ex eò quòd formã serui assumpserit, intelliget quomodo filius Dei exierit, & venerit ad nos, ac veluti extra eũ, qui misit illũ, factus fuerit, etiam si alio modo nõ dimiserit illum solum pater, sed est cum ipso, qui etiam est in filio, quemadmodum filius est in patre. Sin verò non consideraueris alio modo esse filium in patre, quàm erat antequam exiret à Deo, videbitur repugnare, egressum esse à Deo, & egressum à Deo esse adhuc in Deo. Cæterùm alij illud, exiui à Deo, exposuerunt pro eo quod est, genitus sum ex Deo: quos sequitur filium dicere

Contra delirũ de duabus naturis

Act. 9.

Matt. 6.

Matt. 5. & 6.

Ioan. 8.

Mich. 1.

Ioan. 14.

G ex substantia genitum fuisse patris veluti diminuti, & carentis, substantia filij, quam ante habebat, quando generauit filium: tanquam si consideraret aliquis hoc etiam in prægnantibus. Consequitur autem illos dicere, patrem & filium corpus esse, ac patrem diuidi: quæ dogmata hominum sunt eorum, qui ne per somnium quidem rerum quæ animo cernuntur, & incorpoream naturā (quæ propriè est substantia) imaginati sunt: vnde etiam perspicuum est hos in corporali loco patrem esse daturos, & filium immutato loco, ex loco ad hanc vitam deuenisse, nec mutasse statum ex statu, vt nos interpretati sumus. Neque enim à memetipso veni, sed ille me misit. Hæc arbitror dici perinde, quasi à semetipsis veniant quidam, nō missi à patre doctrinam, vel prophetiam promittentes: At de talibus quidem hominibus docemur à Hieremia, apud quem scriptum est: Non mittebam prophetas, & ipsi currebant. An verò potentiæ etiā aliquæ non missæ à patre venerint ad homines, notabis: & an aliquæ inter ipsas egressæ sint à Deo, & idcirco peccarint, quia missæ nō fuerint ab ipso. Nec prætereundus est locus absque indagine de sermone animæ. Nam fortassis Iesu anima in sua ipsius perfectione existēs, in Deo, & in plenitudine erat: & inde egressa, quia missa fuerat à patre, assumpsit corpus ex Maria: aliæ verò
H non sic exierunt à Deo: hoc est non à Deo missæ, neque à diuina voluntate præmissæ.

Caute. *Natura incorporea propriè substantia.* *Ioan. 8.* *Hier. 23.* *De angelis & anima.*

Quare dicta mea non agnoscitis? quia non potestis audire sermonem meum.

VOS, inquit, non posse sermonem meum audire, in causa est, quòd dicta mea non agnoscans. Vnde primum comparanda nobis est vis audiendi diuinum sermonem, vt deinde omnia Iesu dicta agnoscere possimus: licet enim illi, qui antea non valebat audire sermones Iesu, postea eò peruenire, vt possit audire illos, quoniam quàm diu non medicauerit alicuius auditum sermo, ac filius Dei dicens mutuo adaperire, non potest ille audire. Simul atque autem solutum fuerit vinculum, quod occasionem præbebat surditatis, tunc audire quis potest Iesum, quando etiam cognoscere potest ipsius dicta. Alioquin dicant nobis illi, qui existimant hisce verbis constitui dogma de naturis, vtrum poterant illi (quibus medicatus est postea) muti adhuc existentes, audire, an non? sed cum liqueat eos non potuisse, perspicuum est licere immutari ab impotentia audiendi sermones Iesu, ad audiendum illos, & non propter naturam incurabiliter habentem, quando non potest aliquis audire: sunt
I hæc potissimum dicenda his, qui ab ecclesiæ decretis dissident, gaudentes allegoriis, & sanationum historiam reducentibus ad curationem animæ, quam Iesus liberat ab omni morbo, & ab omni mollitie. Arbitror verò ego vocabulum audire, positum nunc esse pro intelligere, quæ dicuntur. Vocabulum verò agnoscere, pro eo, qui percipiens assentitur, illustratus luce cognoscendi ea. Sanè Heracleon suspicatur causam reddi, cur ipsi audire non possint Iesu sermones, neque illius dicta cognoscere, per illud vos ex patre diabolo estis, istisque verbis, inquit: Quare autem non potestis audire sermonem meum? an quoniam ex patre diabolo estis, pro eo quod estis ex essentia diaboli? manifestans de cætero naturam ipsorum, cum prædixisset ipsos neque Abraham esse filios, haud enim odio prosequerentur illum, neque Dei, ex quo non diligebant illum. Cæterum si illud: vos ex patre diabolo estis exposuisset, vt in superioribus exposuimus nos, & dixisset: quia adhuc ex diabolo estis, non potestis audire sermonē meum: admisissemus etiam illius enarrationem: nunc autem apertè dicit quosdam homines esse ὁμουσίους, hoc est eiusdem substantiæ cum diabolo: qui alterius est substantiæ (vt existimant illius etiam sectatores) ab his, quos vocant animales, vel spirituales.

Mar. 7. *Audire pro intelligere.*

TOMVS VIGESIMVSTERTIVS.

Vos ex illo patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere illius diaboli.

AMBIGVVS est contextus, proinde quoque
K duplex ex eo elici potest sensus. alter, vt sit quasi diabolus habeat patrem, ex quo patre (quantum ad cōtextum attinet) ostendātur hi esse, ad quos est sermo: Alter (qui etiam melior est) vos ex hoc patre estis, de quo prædicatur diabolus. Atque ambiguus quidem futurus erat hic cōtextus, si etiam omisso primo articulo, dictū fuisset ex patre, & non ex illo patre, attamē apertius apparuisset voluntas contextus, & quidē qui faueret credenti esse aliquem diaboli patrē, cuius filios videatur dicere hos, ad quos est sermo, verbis quæ subiungūtur vsurus est, sic se habentibus: Cum loquitur mendaciū, ex propriis loquitur, quoniam mendax est & pater suus † dicētque mendacium esse diabolum, diuersum verò ab hoc esse mendacij patrē, sed nō rectè hoc diceretur: nā magis cōueniet mendacium contrario dicentis: Ego sum veritas. dico autē contrario Christi, cui mēdax est pater, qui diabolus est. Sed cōsentaneū est aliquē offensum iri, eò quòd dixerimus Antichristum esse mendaciū, vituperabilem non amplius futurū, si hypostasi, & essentia nil aliud sit mendaciū, contra quem cum attuleris in mediū illud: perditio factus es, & non eris in seculū (quod in Ezechiele dictū est de quodam, qui propter vitiū immutatus fuerat, vt esset ipsa perditio) tu similiter etiā proferes aliquem non esse natura mendaciū, ex creatione, sed ex mutatione, & proprio proposito talem factū fuisse, & sic, vt nouè dicā, naturatū. Quamobrem non fugiens quis ceu absurdum dicere: Antichristum mendacium esse, dicet omnibus etiā cōgruere mentiētibus hoc dictū: Cum loquitur mendaciū, ex propriis loquitur. Cum enim mendaciū (quod in singulis mētientibus
L inest) loquitur, ex propriis mendaciis loquitur. Quinetiam si referas hæc verba: mēdax est & pater eius, ad vnumquenque proferentem mēdacium ex suo ipsius ore, dicásque hunc esse patrem eius mēdacij quod loquitur, huiusmodi sanè assignatio absurda non erit. Sed dicta hæc sunto veluti adiacentia amphiboliæ contextus nobis expositi: sequitur.

eius, scilicet mendacij. *Ioan. 10. & 19.* *Ezech. 26.* *Mendaciū nō ex creatione, sed ex mutatione.*

Et desideria patris vestri vultis facere.

ENARRANTES illa verba: vos opera patris vestri facite, antevertimus etiā in hoc disserere, frequenter alioqui colligentes, quæ nobis vtilia visa fuerāt ad enarrationē. Proinde sine causa nunc hoc in loco nō immorabimur, nisi quod si ortus fuerit aliquis ex diabolo (eò quòd cōmittat peccatū) & hunc ab illo ortū non aboleuerit, hunc nō vnum, sed plura desideria talis patris, velle facere. Cumq; desideria, quæ sunt in omnibus filiis diaboli, nascuntur à desideriis, quę sunt in diabolo, perspicuum est desideria illius esse prudentiā materiæ, & corruptionis, quas propriè inimicas dixerit aliquis esse aduersus Deum: Atq; cædes quidem, & iniustitias, & auaritiam, si quis dicat illius esse desideria, quæ generēt desideria
M his similia in filiis eius, non dissentanea loquitur: atque etiam generaliter dicere immūditia naturæ illi purissimè contrarias existentes, esse illius desideria, à quibus desideria ingenerētur diaboli filiis, ad res immundas, non grauatè admittēdum est, dicere etiā fornicationem, vel adulteriū, vel amorem obscœnum in pueros, vel mollitiem esse illius desideriū, facilè quis etiā admiserit: Quòd si dubitet quis, quónam pacto hæc desideria in hominibus oriantur desideriis quæ sunt in illo, quantum ad verba attinet, veluti quiddam vniuersale doceatur de desideriis, quæ sunt in hominibus, quòd velint homines desideria patris sui facere, quia omnia, quæ præter legem desiderant, antea fuerint desideriū patris sui, tale enim est, quod dicitur: desideria patris vestri vultis facere, ad hunc dicendum est, diabolum desiderare vt corrumpatur, verbi gratia: hic puer, illa adulteriū cōmittat, hi fornicentur, & hæc desiderando ingenerare his qui valent illi obsequi, desiderium faciēdi, quæ ille cupiat effici: vt hac ratione dicat aliquis diabolum cōmittentem fornicationem, aut adulterium, prius fornicari, & prius adulterium committere, quàm hominem. Idem etiam dices de omni peccato, verbi gratia: diabolus argentum non desiderat, at amat argēti cupidos facere, faceréq; homines rerum materialium affectibus obnoxios: quod ipsius desiderium

Desideria diaboli quæ.

facere

A facere volunt hi, qui argentū non aliter quàm volūtate amāt. Quamobrem omnia quæ acturi sumus, inspiciamus oportet, & examinemus, ne forte quod facere volumus, si ex desideriis diaboli: vt cū viderimus diaboli desideria, desinamus velle ea facere: scientes omnem, qui diaboli desideria facere voluerit, ex Deo patre haudquaquam esse posse, sed factū fuisse diaboli filium, atq; etiam formatum, & factum ad imaginem mali patris, eo quòd velit peioris desideria facere, à quo proficiscūtur, formanturq; terrestris illius imagines. Primus enim

1. Cor. 15. terrenus ille (eo quòd primus delapsus fuerit à rebus melioribus, & desiderauerit alteram vitam, præter vitam præstantiorem) dignus factus fuit, vt esset principium nō creaturæ, non

Gen. 1. operis, sed figmenti domini: factus vt illuderetur ab angelis eius. Nostra verò principalis substantia in ea parte est, quæ ad similitudinem est creatoris. Altera verò ex culpa in figmēto, quòd è puluere terræ est sumptum. Atque equidem si obliti veluti substantiæ melioris, quæ in nobis est: ei figmento, quod est è puluere, subdiderimus nos ipsos, pars etiam præstantior imaginem terreni sumet, sin verò intelligentes quod factum est ad imaginem, & quod sumptum est è puluere terræ, inclinauerimus ad hunc, ad cuius imaginem facti sumus, erimus etiam ad similitudinem Dei: omni affectione erga materiam, & erga corpora, atque etiam erga aliquem eorum, qui sunt ad similitudinem, abolita. Quoniam autem, ἐπιθυμία, hoc est desiderium indifferens est in scripturis diuinis non agno-

B scentibus accuratam vocabulorum significationem, à gentibus qui diligenter disseruere traditam (qui τὸ ἀστεῖον hoc est) quid industrium, studiosúmque est nominent βούλημα, hoc est voluntatem: eam deffinientes appetitum rationi consentaneum, quod verò malum est ἐπιθυμία, hoc est desiderium, quod dicunt esse appetitum à ratione alienum, vel vehementem appetitum dicendum est: omnem naturam genitam desideria patris sui velle facere: quemadmodum etiam omnis natura facit opera patris sui: in primis quidē illius patris sancti, ingeniti existentis, qui est Deus, illius verò in primis mali patris, qui ex nullo est patre: quippe in quo nullus pater effecerit, vt subsisteret prauitas, sed auersio à Deo genuerit eam. Quod igitur nunc examinatum à nobis est, nempe vos desideria patris vestri vultis facere, perspicuum est ad diabolum referri, cum superius dictū sit: vos ex patre diabolo estis, & subiungatur, ille homicida erat ab initio. Quin etiam ad vnumquenque, siue is fuerit ex diabolo, siue ex Deo rectè dicetur: vos desideria patris vestri vultis facere. Dicuntur

βούλημα & ἐπιθυμία quomodo differunt.

Desideria Dei. enim etiam Dei quædam esse desideria, isto modo sic dictis voluntatibus ipsius. vnde in 18. psalmo dictum est: Iudicia Domini vera, simúlque iusta desideria, super aurum, & lapidem preciosum multū. Quòd si legas desiderabilia super super aurum, & lapidem preciosum multum, vt quædam ha-

C bent exemplaria, dices desiderabilia digna esse, vt aliquis desideret ea, sicut laudabilia vt laudentur, & diligibilia vt diligantur. Vt igitur laudabilia, magis à Deo laudantur, benedicta vt benedicantur, & diligibilia vt diligantur. Vt igitur benedicta magis à Deo benedicuntur, & diligibilia magis à Deo diliguntur, sic etiam desiderabilia, rationabilibus multò à Deo desiderantur. Candidius, & in bonam (vt diximus superius) partem accipientes ἐπιθυμίαν, hoc est desi-

Luc. 22. derium, dicente etiam Seruatore: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Quòd verò

Desiderij vocabulū in malam parte sumptum. etiam in malam partem sumatur desiderium, etiam si sufficere potest præsens contextus quem nunc tractamus, nihilominus tamen ille etiam addendus est: Qui inspexerit in mulierem ad desiderandum eam, iam adulterium in corde suo

Matt. 5. cum ea commisit. Porrò qui desiderat, non omnino id quod abest desiderat, quemadmodum neq; qui vult, is omnino absentia vult: hoc autem præmunimus, propter desideria Dei, & perfectorum desideria. quisquis ergo alicuius filius fuerit, is etiam patris sui desideria vult facere, suiq; patris opera facit, omninóque in potestate nostra qui sumus homines, vel Dei, vel diaboli sumus opera: & quæ facere volumus, vel desiderium est patris nostri boni cœlestis, vel diaboli, qui est inimicus illi: & siquidem facimus opera Dei, volumúsque eius desideria facere, filij sumus dei: sin, quæ diaboli sunt agimus, volētes quæ ille desiderat facere, ex patre diabolo sumus: quam-

obrem inspiciamus non solùm, quæ agimus, verū etiam quæ D volumus. Vt enim aliquis sit diaboli filius, sufficit vel solùm velle illius desideria facere: & fortassis etiā hac de causa post illud, vos facitis opera patris vestri, dictum est, vos desideria patris vestri vultis facere: vt hinc discamus nos esse diaboli filios, si vel solùm velimus facere quæ diabolus desiderat. At aptissimè quis ad hæc diceret: sufficere etiam vt simus filij Dei, velle desideria illius facere, etiam si opera illius non faciamus, sed dicendum est, quòd necesse sit ei qui velit desideria Dei facere, vt etiā faciat opera Dei: non enim solùm velle, verum etiam operari (vt inquit Paulus) ex Deo est, cum hoc *Phil. 2.* bonum velle sequatur omnino operatio, veluti sua (vt ita di- *Rom. 8.* cam) coniunx. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum: nec Deus omnino bonū velle imperfectum sinet, qui facit omnia opera valde bona. Quin ne excogitari quidem potest bonum velle, non coniuncta in tali voluntate operatione bona, bono velle: sanè operatio, velle coniuncta est, etiam si plerunque rationi conuenienter impediatur à prouidentia, quando pro aliqua vniuersali vtilitate, vel pro qualicunque vtilitate, opus est interrumpi opus malum, secundum voluntatem. sed in hæc inquit Heracleon: Hi, ad *Heracleonis impietas.* quos est sermo, ex substantia diaboli erant, perinde quasi diaboli substantia diuersa sit ab essentia sanctorum angelorum rationis cōpote. Ac mihi simile quiddam in hoc passus fuisse videtur atque ille, qui diuersam essentiam dicit esse oculi sani, & oculi perperam videntis: & alteram esse essentiam audi- E tus viciati, alteram auditus sani. Vt enim in his non essentia diuersa, sed causa quædam contigit, vt auditus oculúsque viciarentur, sic cuiuscunque natura apti ad assequendam rationem essentia assecutiua, eadem est, siue rationem admittat, siue eam renuat. Quòd enim in nobis hominibus differat vis illa quæ assequutiua est ab ea quæ non assequitur, haud equidem dicere queam, etiam si post dictorum intelligētiam, alter quidem ea laudans acquiescat dicto, alter verò illud renuat. At frequenter diximus si concessum fuerit essentias esse diuersas, miniméque rerum præstantium capacem diabolum esse, futurū esse, vt ille à nobis defendatur, perinde quasi prauitatis non sit auctor, notam alioquin inusturi ei, qui illum creauit, quíque ipsi essentiam est largitus: id quod omnium absurdissimum est. Manifesta autem erit absurditas intuenti humanarum animarū essentiam, & inspicienti quòd quemadmodum fieri nequit, vt corpora humana magis, quàm alia humana corpora sint alterius, & alterius essentiæ, ita fieri non posse, vt animæ magis quàm aliæ animæ, & res ad intellectum *Animæ sunt eiusdē essentiæ & naturæ.* spectans magis, quàm res ad intellectum spectans, & vis cogitandi magis, quàm vis cogitandi, sit alterius essentiæ. Idem dices etiam de eo, quod rationis est compos, & de potētiis, quæ sunt in animo: nempe de potentia memoriæ, & de potētia sic imaginandi. Si enim homo præ alio homine alterius est substantiæ, alterius quoq; generis necesse est esse animæ potentias, & genere (vt ita dicam) differre memoriæ potentiā à memoriæ potētia, & discurrendi potentiā à potentia discurrēdi. F Sed certis agamus: exemplo vtētes eorū quæ similiter intelligunt & discurrunt: ita vt vnus spiritualis, alter terrestris (vt illi loquuntur) similiter assentiantur, vel assensionē inhibeant aut abnuāt: vtrum hæc similitudo fuit in diuersis essentiis, an potius passio similis fuit, quoniā id cui cōtingit passio erat eiusdem essentiæ? Atq; equidem si dixerint easdē figuras imaginationū, & assensionū, & recordationū, & discursuum factas fuisse in his quæ essentia differāt, alienū est à ratione, sin verò dicent eos qui sunt eiusdem essentiæ, quandam & aliam in se habere essentiam particularem ab illis diuersam, fatuum erit. Ostendant præter has potentias alteram quandam essentiam esse non intelligētem, neque cōsiderantem, neq; reminiscentem, neque imaginātem esse in his quos spirituales appellant, & in his quos terrestres, meliorem potentia intelligendi, atque cogitandi, vel similem, vel peiorem: neque enim dicturi *Similitudo.* sunt meliorem, sed consentaneum est eos dicturos, quemadmodum contingit, vt ex eodem sigillo similiter imprimatur dissimilis essentia, puta auri, argenti, stanni, plumbi, & ceræ, sic facile factu esse, vt ex iisdē imaginationibus imprimantur figuræ in diuersas essentias habentibus, & imaginantibus simile etiam de discursu, de intelligentia & reminiscentia di-

G ćturi. At vide, ne fortè (etiam si admodum persuasibilis hæc videatur orano) corripere magis, ac decipere sic collata possit, quam persuadere illi qui eseioplum accurate annotarit. Ac de imagine illud quidem possum ostendere, quod figura in auro, qua ratione figura est, similis illi figuræ quæ in argento proprietatem ostendat, cur facta sit potius in auro, quam impressa sit in argento, vel in cæteris materiis. Quare vicissim nobis ostendant illi proprietatem eius, quod amisit maiorem figuram, vel minorem, vel infimam, ac tentent saltim nugari, ac circumloqui diuersam essentiam figurarum suscipientium similiter impressionem: quod cum non eshibuerint, enunciabunt quidem, sed non demonstrabunt. Hactenus de Heracleone, qui exposuit ex parte diabolo, pro eo quod est, ex substantia patris diaboli: Qui rursus in hoc dictum, desideria patris vestri vultis facere, disputat dicens: diabolum non habere voluntatem, sed desideria: cuius dicti absurditas apparet ex se, dum omnibus in confesso est, illum mala velle. Colliges etiam tu ipse (etiam si præsentia non sit nobis ad manus, quod in medium adducamus) an alicubi in scriptura positum sit vocabulum, velle, de diabolo. Inquit etiam post hæc Heracleon, hæc dicta fuisse, non ad terrenos natura existentes diaboli filios, sed ad eos qui sunt animales, factos diaboli filios positione; ex quibus possunt quidam natura & positione filij Dei esse. Inquit præterea hos fieri diaboli, eò quòd dilexerint faciántque diaboli desideria, cum natura huiusmodi non sint. Disputat etiam vocabulum filiorum trifa-

Heracleonis peruersa interpretatio. *An diabolus præter desiderium habeat etiā voluntatē.* *De filiis diaboli.* *Positio hic significat adoptionem.*

H riam intelligi debere: primum natura, alterum voluntate, tertium dignitate. Natura inquiens, illud est, quod genitum est à quodam genito, quod etiam propriè filius vocatur: Voluntate verò, cum quis voluntatem faciens alicuius, animi sui iudicio filius, cuius facit voluntatem, vocatur. Postremò dignitate, iuxta quod dicuntur quidam gehennæ filij, & tenebrarum, & iniquitatis, & serpentium & viperarum progenies. Non enim generant hæc inquit talia quædam sua ipsorum natura, cum potius corrumpant consumántque eos, qui in se coniecti fuerint: sed quoniam effecerint illorum opera, eorum filij vocantur. Hanc autem differentiam cum dederit; cúmque ne taurulum quidem suam narrationem ex scripturis confirmarit, respondebimus illi, si non natura, sed dignitate vocantur gehennæ filij, & tenebrarum, & iniquitatis, nam hæc corrumpunt, consumunt, magis confirmant, quomodo Paulus hoc inquit: Natura eramus filij iræ, sicut & cæteri? alioquin dicant nobis iram illam, cuius nos natura filij eramus non consumere, & ex se maximè non corrumpere. Rursum inquit diaboli filios à Iesu hos dici, non quòd diabolus generet, sed quòd diaboli opera facientes assimilati fuerint ipsi. At verò quantò melius est idcirco eos diaboli filios ha-

Ephe. 1. *Matt. 23. & 3.* *Ephe. 2.*

I beri, quia illi assimiles sint faciendo opera eius, non per essentiam, neque per creationem, in qua nulla sunt opera?

TOMVS VIGESIMVSQVARTVS

Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo.

Homicidarum differentia.

QVONIAM GENERATIM homicida est ille, qui quomodocunque interfecerit hominem, qui etiam est indifferens, iuxta id quod etiam fecit Phinees, qui Israelitam interfecit fornicantem, & Madianitam, & Dauid etiam absque vituperatione dicetur homicida, qui in nomine Domini Dei virtutum, coram acie Israëlis interfecit Goliath, quærendum est, quæ nam sit hominis vera vita, & rursum quæ sit huius mors veræ vitæ contraria: vt intelligamus, quis nam sit vituperabilis homicida. Et quantum quidem ad historiam pertinet, dices, Adam & Euam tàm diu interfectos non fuisse, quàm diu non peccauerunt, mox verò periisse in ea die qua de ligno vetito comederunt, nullo alio interficiente eos, quā homicida illo diabolo: quando Euam decepit per serpentem, & Eua dedit viro de ligno, & comedit vir: Quantum verò ad profundiora dogmata, si consideraueris dictum illud: non moriar sed viuam, & enarrabo opera domini: & illud à Seruatore dictum ad Sadducæos occultissimè his, qui

Num. 25. *1. Reg. 17.* *Vera vita vel mors.* *Gen. 3.* *Psal. 117*

quod dictum erat, intelligere quirent, in Euāgelio à Matthæo K tradito de resurrectione mortuorum: An non legistis, quod dictum est vobis à Deo, qui ait: ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus non est Deus mortuorum, sed viuentium: & in Euangelio à Luca tradito: Quòd verò resurgant mortui etiam Moses ostendit iuxta rubum, cum dicit, dominum Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob: Deus autem non est mortuorum, sed viuentium, omnes enim viuunt illi. Ad hæc etiam in Euangelio secundum Marcum de mortuis, qui resuscitentur. Non legistis in libro Mosi, quomodo in rubo loquutus sit illi Deus dicens: ego ille Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob? non est Deus mortuorum, sed Deus viuentium, si hęc inquam consideraueris, videbis, si viuit, quia ex mortuis resurrexerit Abraham, & Isaac, & Iacob, hos fuisse mortuos antequàm viuerent. Videbis etiam neminem propriè dici mortuum, qui ante non vixerit. Inspice verò etiam hoc: In Adam omnes moriuntur, & in Christo omnes viuificabuntur. Quibus verbis neque mors media significatur hoc dicto, in Adam omnes moriuntur, neque indifferens vita (quæ neque bonum per se est, neque malum) in illo: In Christo omnes viuificabuntur, & videbis vitam hominis, qui est ad imaginem: cuius vita considerata, intelliges quonam pacto homicida ille interfecerit viuētem hominem, rectè dicendus homicida, non quia vnum quempiam priuatim interfecerit, sed propter vniuersum genus à se interfectū: vnde in Adam omnes moriuntur. Hoc verò homicidium operatus est, cum incœpisset ab initio: per huius homicidium

Matt. 22. *Luc. 20.* *Mar. 12.* *Exod. 3.* *Rom. 5.*

L vnusquisque rem ipsam considerans, suúmque ipsius corpus, & cui accommodatum sit, hoc dicturus est, seipsum dicens miserum, eò quòd in Adam perierit, infelix ego homo, quis me liberabit ex hoc corpore morti obnoxio? Videns etiam quonam pacto dictum sit illud: In puluerem mortis deduxisti me, & illud: Humiliasti nos in loco afflictionis, & illud: Corpus nostrum humile. Est etiam occultius quiddam, propter quod homicida ille ab initio princeps sit, huius mundi inquam, hoc est terrestris loci, vbi sunt homines, quos interfecit. Atque homicida quidem interfecit nos, nos verò Dei gratia consepulti sumus Christo, & consurreximus illi, conformes facti resurrectioni eius, & in nouitate vitæ ambulantes. At verò homicida ille princeps est interfectorum, itémque mortuorum: nullius viuentis valens princeps esse. Quòd si latius consideraueris, quæ scripta sunt de mortuis, veluti hoc: in hoc enim Christus, & mortuus est & resurrexit, vt mortuorum ac viuentium sit princeps, videbis quomodo per mortem Iesu ne mortuorum quidem amplius sit ille princeps. Mortuus est enim Iesus, vt mortuis etiam dominetur; atque quàm diu viuit homo, non gerit imaginem terreni, sed

Rom. 6. *Psal. 20.* *Psal. 43.* *Philip. 3.* *Rom. 6.* *Rom. 14.*

M cum moritur interficitúrque ab homicida illo, tùm perdit dei imaginem, tùm recipit imaginē terreni & mortificatur: mortuus enim est terrenus, quomodo viuus est supercœlestis. & Deus non est Deus mortuorum, sed viuentium: ergo, si quidem consurreximus, in nouitate vitæ ambulantes, Deus est noster: quod si adhuc inter mortuos sumus, cum Deus non sit mortuorum, ne nostri quidem erit Deus. Cæterum institutæ disputationi de eo quod est, qui erat homicida ab initio, proximum est vt videamus aliquos quidē mortuos esse, sed non in alio præterquàm in Christo: qui etiam primum resurrecturi sunt, de quibus in epistola sic ad Corinthios dicitur: Clanget tuba, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. In epistola verò ad Thessalonicenses. Hoc enim vobis dicimus in verbo domini, quòd nos qui viuemus, & reliqui erimus, in aduētu domini nequaquam præueniemus eos, qui dormiunt: quoniam ipse dominus cum hortatu, & voce archangeli, ac tuba Dei, descēdet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primum, deinde nos qui viuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum domini in aëra, & sic semper cum domino erimus. Itaque arbitror perfectos, & qui nequaquam amplius peccata committant, viuentes esse in Christo, mortuos verò in Christo eos esse, qui affecti quidem sint secundum eam fidem quæ est in Christo, quique deliberant optimè viuere, haud tamen illud assequuti iam fuerint, vel propter ignorantiam accuratæ & veræ rationis de iustitia, vel propter infirmitatem iudicio-

1. Cor. 15. *1. Thes. 4.* *Qui in Christo viuant & qui sint mortui.*

rum,

A tum, quæ victa fuerunt à carne concupiscente aduersus spiritum. Ac profectò bis coosequens est, Paulum sibimetipsi conscium iam præclarè se gessisse, dicere illud, nos viuentes. Cæterum, quos diximus mortuos, hi maximè indigent resurrectione, cum ne viuentes quidem rapi possint in nubibus in occursum domini in aëra, antequam primùm resurgant mortui in Christo: quo circa scriptum est: mortui in Christo resurgent primùm, deinde oos, qoi viuemos, & quæ sequuotur. Inspicies autem, oum etiam propter homicidium suum effecerit, vt esseot ea, quæ non erant super terram maledictam, propter opera eiecti à paradiso delitiarum Adam. Veruntamen factus fuit homicida hic ab initio rerum existeotium, qui opinor factus priocipium figmenti domini inuidit his, quæ creata fuere vt essent: sic inuidia mors iotroiuit io mundum, semper homines diabolo occidente, io quibus viueoribus vitam inuenerit, donec omoibus inimicis positis sub pe-
1. Cor. 15. Ioan. 8. des filij Dei, vlomus hostis mors abolebitur. Videamus verò etiam de hoc: Io veritate non stetit. Atqoe omnis quidem ac solus ille, qoi recta firmiter habet dogmata, & propter firmitatem dogmatum perpetuò constantis est seotentię, nullo infortunio, nullo corpotali prætextu concussus, is stetit in veritate: qui verò etiam num appetitu, vehementiore rerum venerearum, vel qualicunque culpa coocuritur, ita vt aliquantulum dimoueatur ab hooesto, is meritò non stetisse existimetur in veritate. Sed hæc oratio peruenit ad eas naturas, quę
B sunt extra carnem & sanguinem, est enim etiam illarum vita necessariò dicendum eas, quæ præclarè se gesserint, stare in veritate? sin verò aliquis hunc in modum oon vixerit, is ooo stetit io veritate. Sed obseruo, ne fortè vnum quiddam & vniforme sit, stare in veritate, varium verò ac multiplex, non stare in ea: quibusdam conantibus in ea stare, sed id assequi non valentibus, quòd pedes habeaot tremebundos, vt ita dicam, & vacillantes, alus verò, etiam si hoc modo affecti non fuerint, in periculo tamen constitutis, ne idem sibi contingat,
Luc. 20. qualis erat, qui dicit: Mei autem penè moti sunt pedes: rur-
Exod. 33. súmque etiam aliis in ea labentibus, de quibus dici opinor: Qui ceciderit super petram conteretur. Ad hoc stare in veri-
Stare in veritate. tate Dominus adhortans Mosen, dixit ad eum: Ecce locus apud me, & stabis super petram: nam si petra Christus erat, Christusque inquit: Ego sum veritas, fortassis hoc dictum, Stabis super petram, idem est atque hoc: Stabis supra verita-
1. Cor. 10. tem: id quod vix post multa tandem contingit alicui. Vnde ad id etiam vsque temporis, quo dicta fuere hæc verba Mosi, ecce locus apud me est, & stabis supra petram, Moses non steterat supra petram. Quòd si quis diligentius inspexerit naturam humanam nō facile valentem se mundare à falsis dogmatibus, is visurus est, quemadmodum omnis homo est men-
Rom. 4. dax, ita etiam nullum hominem stare in veritate: nam si ali-
C quis noo est amplius mendax, aut stat io veritate, huiusmodi sanè non est homo: adeò vt Deus illi suíque similibus dicat: ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Nec illud de eo subiungetur. Vos autem sicut homines moriemini. Quòd si quisqoam alius non stetit in veritate, profectò is fuit diabolus, qui ab initio fuit homicida: & causa sanè cur ipse non steterit in veritate, dicta est hunc in modum: Veritas Dei in eo noo est. Hanc autem ob causam non est in eo veritas, qooniam deceptus est, falsáque opinatur: ipséque à seipso deceptus est peior his cæteris deceptis habitus, quòd illi quidem decipiuntur ab hoc, ipse autem sibi fabricator, & auctor est deceptionis. Sed dignum quæsitu est, quomodo veritas non dicatur in eo esse: vtrúmne tandem, quia nullum dogma verum habet, sed quæcunque opioatur falsa sint, an potius qui particeps Christo non est vt sunt participes Christi dicentis: ego sum veritas (qui enim participes sunt illius, illius sunt participes, in quantum est veritas, & idcirco veritas in eis est.) Rursum tertio addubitabitur hoc in loco quibusdam annotaturis, num dicere oporteat oon esse veritatem in eo, qui qualecunque meodacium opinatur, etiam si cum multis veris ipsum opinetur. Vt enim falsa est complexio ex innumeris, quæ valde vera sint, & vno mendacio constans, sic in eo qui cum multis veris vnum mendacium opinatur, talis fermè est complexio & copulatio, vt in illo dicamus veritatem non esse. Ostendo autem cum multis veris vnum menda-

cium suspicantem, & tria videbuntur habere rationem: ali- D quo quidem dicturo propter hoc dictum fuisse: in veritate non stetit, quoniam particeps noo sit Christi (quippe cui etiam inferat bellum) altero autem, qooniam nil verè cogitet, sed mentitus sit, propter quod etiam diabolus sit, & malus, & peior quocunque cadente, quooiam fortassis in multis sit etiam aliquid veri admixtum illis multis, quibus falluotur, in hoc verò nihil sit verum. Atque etiam tertius patrocinabitur reliquo: dicens fieri non posse, vt aliquod animal rationis compos ita de omnibus falsa opinetur, vt de re oulla (saltem imbecilliter) cogitet verum. Nam omnino saltem hoc diabolus dogma verum habet, quòd se ipsum rationis compotem esse intelligit: quódque talis etiam homo est, itidémque angelus, quódque corpus est tale, & quale corpus: & aliud quiddam à corpore diuersum. Sed vt demum non dicat, nec coosideret, ac saltem satis sunt prima, vt verum esse non possit de eo, quod nihil veri cogitat. Atque nos quidem hoc dictum, in veritate noo stetit, iotelligimos noo taoquam ostendentes oaturam talem, neqoe docentes fieri non posse, vt ipse stet in veritate, Heracleon verò in hæc inquit Heracleon
hoc. Natura ipsius ex veritate non est, sed ex eo, quod con- naturā ac-
trarium est veritati: nimirum ex errore, & ignoraotia. Quo cusat nō a-
circa inquit, neque stare io veritate, neque veritatem in seipso postasiam.
habere potest, ex natura sua proprium habens mendacium: naturaliter aliquando non valens dicere veritatem, dico autem, quod non solùm ipse mendax est, verum etiam pater ip- E sius, priuatim patet ipsius expooens, oaturam ipsios: quandoquidem ex errore & falsitate constat. Quæ omnia diabolum liberant omni vituperatiooe, & culpa, & accusatiooe. Nullus enim iure vel vituperaret, vel inculparet, vel accusaret non oatum aptum natura ad præstantiuta: Quamobrem infelix potius, quàm vituperabilis est diabolus, iudicio Heracleoois. Sciendum verò est, quemadmodum diabolus in veritate non stetit. quoniam oon est veritas in eo, sic etiam, qui sint ex patre diabolo, in veritate non stare, quoniam veritas oon sit in ipsis: cuiusmodi sunt omnes etiam num peccantes, etiam si Christi se dicant esse: omnis, enim qui committit peccatum, ex diabolo est.

Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quoniam mendax est & pater eius.



VONIAM exponentes illud, vos ex patre diabolo estis, memores huius dicti anticipauimus dicere, quę nobis tum in hunc textum succurreroot, quærentes quid sit mendacium. & quid sit pater eius, expendenda quoque nunc suot cum illis, quæ à nobis dicentur: & arbitror ego omnem De spiritu
spiritum malum & fallacem, mendacium esse: cúmque vnus- mendacij.
quisque horum loquitur, ex propriis loquitur, noo ex his, F
quæ Dei sunt: horúmque mendax pater diabolus est. Vnde verò moti fuerimus, vt diceremus omnem malum spiritum meodacium esse, nunc in medium adducemus. Scriptum est in tertio Regum. Sic dixit Micheas vocatus ab Achab prophetandi causa, vtrum sibi conduceret ire ad bellum, an non.
Vidi Deum Israëlis sedentem in solio suo, & omnis exerci- 3. Reg. 22.
tus cœli stabat iuxta eum ad dexteram eius, & ad sinistram eius, dixítque dominus, quis decipiet Achab Regem Israel, & ascendet, & cadet in Rammoth Galaad? cúmque alius aliud diceret, egrediebatur spiritus quidam, & stans coram domino ait: ego decipiam eum: dixítque ad eum dominus, qua in re? is dixit egrediar, & ero spiritus mendacij in ore o-
mnium prophetarū eius. Et in secuodo Paralipomenon. Ipse 2. Para. 18.
Micheas ad Achab, & Iosaphath inquit: Audite verbum domini. Vidi dominum sedentem in solio suo, & omnis potentia cœli stabat ad dexteram eius, & ad sinistram eius, & dixit dominus: quis decipiet Achab Regem Israël? & ascendet, & corruet in Ramoth Gaalad? cúmque alius aliud dixisset, egressus est spiritus, & stetit coram domioo, & dixit: ego decipiam eum: & dixit dominus, qua in re? & dixit: egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Apertè igitur ex his declaratur, quòd est aliquis spiritus mendax, ac spiritus etiam similes, spiritus esse menda-

G ces: quippe qui à patre suo meodace, acceperint esse spiritus meudaces, propter mendacium, & propter vitium: non quia propter essentiam, & naturam sint tales. Atque spiritus quidem sanctus, vel angelicus spiritus cum loquitur, non ex propriis loquitur, sed loquitur à sermone veritatis, & sapientiæ: id quod etiam manifestat Ioannis Euangelium, in qoo de paracleto docens Seruator inquit: de meo accipiet, & annunciabit vobis, qui verò ex propriis loquitur, mendacium loquitur. Ex propriis enim loquutus est etiam ille in tertio regum spiritus mendax decipiens Achab: Veruntamen obsetua vocabulũ, mendax, similiter positum fuisse de diabolo, qui mendacium genuit, & de homine. Atque hoc quidem in loco dicitur de homine & de diabulo, mendax est, & pater eius, in Psalmis verò de homine solum: & illud. Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Verum hæc omnia in medium adduximus, vt quoad fieri potest, fugiamus esse homines, festinantes filij dei effici, quoniam quam diu homines sumus, mendaces sumus, sicut & pater mendacij mendax est. Simile est autem participare oos vnum, & nomen eius, & participare rem ab ipso nomine significatam. Nos dico (si manserimus homines) & diabolum, qui mendax est dictus.

Spiritus esse mendaces suo scilicet nõ natura vitio.

Ioan 14.

Psal. 115.

TOMVS VIGESIMVSQVINTVS.

H *Ego autem, quia veritatem dico, non creditis mihi.*



SI memores sumus, ad quos loquitur (nempe ad eos, qui crediderant ei, Iudæos, qui promissionem acceperant, si permansissent in sermone Iesu tùm verè discipulos eius futuros, & agnituros veritatem liberantem eos) dubitabimus quomodo talibus dicat: ego autem quia veritatem dico vobis, non creditis. Proinde vide, ne fortè iuxta vnam considerationem fieri possit, vt quis illi credat, & iuxta aliam considerationem illi non credat: verbi gratia. Qui credunt in Iesum crucifixum tempore Pontij Pilati in Iudæa, non credunt autem in eum, qui natus est ex Maria virgine, hi in eum credunt, & in eum non credunt. Rursúmque qui credunt in Iesum qui fecit in Iudæa signa & prodigia quæ scripta sunt, nõ credunt autem in Iesum filium eius, qui fecit cœlum & terram, in deum credunt, & non credunt. Ac rursus qui credunt in patrem Iesu Christi, non credunt autem in opificem factorémque huius vniuersi, hi in eum credunt, & non credũt. Atque equidem qui credunt in factorem cœli & terræ, non credunt autem in patrem Iesu crucifixi tempore Pontij Pilati, in deum credũt, & non credunt. Ne igitur statim sit contrarietas (perinde quasi qui hoc scribit huiusmodi Euangelium, non itidem hoc perspexerit) dices, quòd dicens eis qui

Qui credũt simul & non credũt vbi summatim hæreses suo cũ tẽpore grassantes retexit.

I crediderant ei Iudæis, ego autem quia veritatem dico vobis, non creditis mihi, secundum vnam considerationem credentibus, secundum aliam considerationem nõ credentibus hæc dixerit: & certe consentaneum est credidisse quidẽ eos iuxta apparentiam propter prodigia, & non credidisse dictis ipsius profundioribus. Proinde hoc dictum, quia veritatem dico non creditis mihi, conuenit cum illo: Agnoscetis veritatem: quod perinde est, ac si non agnoscerent veritatem, tanquàm si diceret: quatenus prodigia facio creditis mihi, quatenus autem veritatem dico non creditis mihi. Hoc nunc in multis cernere possis admirantibus quidem Iesum, eum illius historiæ intendunt, haud ita verò credentibus, simul atque profundior ac maior, quàm pro captu ipsorum explicata fuerit illis ratio, sed suspicantibus illam esse falsam. Quocirca intendamus, ne forte nobis etiam dicat sermo dei filius, quia veritatem dico non creditis mihi: Quis ex vobis arguit me de peccato, sermo dei filius, cum apertè voluntatem suam ob oculos posuisset, ita vt ne vnus quidem audientium contradicere posset, etiam hæc dicit, visum perstringens eorum, qui sibi non assentiebantur: si non ostenditis ea, quæ dicuntur peccata esse, iam iure à vobis exigo consensum. Magnam autem fiduciam habet Seruatoris oratio in hoc dicto, nullo homine cum ea confideotia quæ nascitur ex ooo peccasse, dicere valente, quis ex vobis arguit me de peccato, sed solo do- K mino nostro dicere hæc valente ad omnes qui vnqnam illum cognouerunt, qui peccatum non fecit, per omnia tentatus iuxta similitudinem absque peccato. Quòd autem dixit quis ex vobis, sic intelligo, vt id ad non præsentes tantùm, sed ad vniuersum genus dictum sit, tanquam si sic explanaretur: Quis ex vestro genere, vel quis, qualiscunque tandem sit ille homo, arguere poterit me de peccato? at certè nemo. Propter autem hoc dictum: imitatores mei estote, & ego Christi, omni modo conteodẽdum nobis est, vt iuxta vires humanæ naturæ talem recipiamus fiduciam mundæ conscientiæ erga omnes homines, vt dicamus in futurum, ac post fidei principium ad singulos nos agnoscentes, quis ex vobis arguet me de peccato, etiam si factu facile non est, vt hoc dicamus, cum compleuimus rationem? Cæterum non ad homines tantum Seruator dixit hoc, sed etiam ad diabolũ, atque ad potentias subiectas illi, nihil valentes quòd ipse peccaret, ipsi obiicere, & hoc sanè consequens est illi: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam, & nihil in me inuenit. Possumus verò etiam oos ex multa diligentia per aliquod tempus fiduciam recipere ad dicendum diabolo quærenti aduersum nos occasionem, cum animam efflamus, quis ex vobis arguit me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?] Dignum est vt videamus, quid innuatur ex hac interrogatione: at hoc videbimus: etiam si illi, ad quos erat sermo non responderint proferẽtes conueniens responsum: respon- L dere enim posset aliquis, hanc ob causam nõ credimus, quoniam non videbimus quonam pacto illud, quod dicit, sit veritas, non videmus autem eò quòd nondum mundati sint in nobis illi oculi, qui vim perspiciendæ veritatis natura habẽt. Et quoniam tales sumus, non sumus ex deo, quod si nondum ex deo sumus, etiam oculi vim perspiciendæ veritatis habentes mundi non sunt, vel quia cooperti sint, vel quia sint crassi, vel quia sint turbidi propter vitium. Ac considerantes diligenter quidem quid sit propriè credere (iuxta illud dictum, omnis qui credit quòd Iesus Christus est, ex deo genitus est) scientésque quantum absimus ab hoc credendi modo, hæc respondeamus: obsecrantes medicum oculorum animæ, vt sua ipsius tum sapientia tum amore, quo genus humanum prosequitur, omnia faciat, quo aperiantur oculi nostri adhuc clausi ab ignominia nostra propter vitium, iuxta illud, cooperuit nos ignominia nostra: & confitentibus nobis exaudientur causæ cur nondum credamus, & quasi male affectis atque medico egentibus opem ferens dominus cooperabitur nobis ad percipiendum donum credendi. Tertio loco apud Paulum posito, dum recenset dona: nimirum post donum sapientiæ, & post donum scientiæ, quibus subiungit: Alij fides per eundem spiritum, de quo dono, & alibi inquit, à deo nobis donatum est, non solum vt in ipsum credamus, verum etiam vt pro ipso patiamur. Atque equidem si quis efficaciam credendi notarit, videbit manifestò non vulgare M esse donum, quòd quis credat nulli alij, preterquàm soli verò: præsertim cum plura dogmata, eáque varia diuulgẽtur à multis vera se docere promittentibus. Hoc enim iam probati etiam numularij officium est, quem si quis perfectum nominarit, haud aberrabit: eum etiam in Hebræorum epistola scriptum sit: Perfectorum est solidus cibus, nempe horum, qui propter assuetudinem sensus habent exercitatos ad discretionem boni pariter & mali.

Christus fiducia plenus.

Heb. 4.

Ioan. 8.

Ephes. 4.

Ioan. 13.

Denum fides.

1. Ioan. 5.

Hier. 3.

1. Cor. 12.

Philip. 1.

Heb. 5.

Qui ex deo est, verba dei audit, propterea vos non auditis, quia ex deo non estis.



QVi diuersarum naturarum introducunt commentum, quíque dicunt filios dei natura tales existere, eósque solum capaces esse verborum dei propter cognationem quam cum deo habent, ex hoc etiam loco existimant se probare quod proposuerint: hoc contextu, quem mordicus etiam tenent in suam opinionem trahentes rudes, & sine iudicio, nec valẽtes respõdere ad probabilitatem volũtatis cõtextus, neq; videntes eius solutionem hunc in modũ se habẽtem: si palàm est

Contra hæresim de duabus naturis.

A est quotquot receperunt lucem veram, quæ illuminat omné hominem venientem in mundum, non quia sint ex Deo, recepisse eam (nam si eò quòd essent ex Deo, recepissent illam, haud quaquam de eis scriptum fuisset: quotquot autem receperunt eum, dedit eis credentibus in nomen eius potestatem vt filij Dei fierent) liquere etiam eos qui nõ sunt ex Deo, potestatem non habere aliquo pacto filios Dei fieri, antequàm acceperint veram lucem. Immò qui acceperint, ne filij quidé Dei adhuc sunt, sed potestatem accipiunt filios Dei fieri, & tunc ex Deo geniti, etiam verba Dei audiunt: non amplius tantum simpliciter credentes, sed iam acutius res diuini cultus intelligentes. Porrò qui huiusmodi esse non cõtenderint, nec filij Dei fiunt, nec sunt ex eo: & hanc ob causam, neque audiunt verba ipsius, neque intelligunt voluntatem illorum, sed manent in statu præcedẽti filios Dei: nempe in statu eorũ qui tantùm crediderunt, serui Dei, eò quòd acceperint seruitutis spiritum in timore, nec contenderint eò procedere & proficere, vt etiam adoptionis filiorum spiritum acciperent, per quem clamant illũ habentes, Abba pater: quòd enim generatim nullus homo ab initio sit filius dei, palàm est tum ex hoc dicto, eramus natura filij iræ (id quod Paulus etiam de se ipso dixit) tùm ex eo: dico autem vobis, Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus vos, vt sitis filij patris vestri cœlestis: nam si Paulus natura filius iræ erat, quis non fi-
[Ioan. 1. Rom. 8. Eph. 2. Matt. 5.]

B lius iræ antequàm accipiat potestatem filium Dei fieri, & antequàm filius Dei efficiatur, superior est Paulo, quatenus ad creationem attinet? Quòd si non aliter efficitur aliquis filius patris cœlestis, nisi diligendo suos ipsos inimicos, & orando pro persequentibus se, perspicuum est nullum hominem, eò quòd natura sit ex Deo, verba Dei audire, sed quia acceperit potestatem, vt filius Dei efficiatur, eáque vtatur commodè, & eò quòd dilexerit inimicos, & orauerit pro se lædentibus, factus filius patris cœlestis, tunc ex Deo, & verba Dei audire, intelligens ea, & scientiam illorũ recipiens: quæ res non propria est seruis, sed his qui sunt Dei filij, qui omné quidem ortum destruxerunt, sed ortum à Deo receperunt, duce spiritu adoptionis. Pariter illud etiam diligenter cõsiderandum est, quomodo accipi opus sit hoc dictum, verba Dei audit: cui simile est illud: Oues meæ vocem meam audiunt. Nam si vocabulum audiendi de nudo sumamus consensu, etiam animales ad tépus credentes ex Deo erunt: de quibus Seruator inquit quosdam esse qui ad tempus credant. Rursum si verbum audiendi sumamus pro eo, quod est seruare mandata, perspicuum est, vel in vno peccantem, non futurum filium Dei: quod quidé non premit, qui dicimus ex mutatione vnũquenque filium Dei fieri, sed illos, qui neque seipsos, neque iisdem disciplinis imbutos facile ostendere possunt ἀναμαρτήτους, hoc est impeccabiles. Quòd si audire sumamus pro eo quod est intelligere & cõsiderare ostendant aliquem omnes hunc
[Quomodo quis filius efficiatur filius Dei. Ioan. 10. Matt. 13. Impeccabiles.]

C in modum noui testamenti sermones audientem: vt illum dicamus filium Dei, si expositio illius in sacris literis in versionem non recipiat: nos enim etiam in his magnum quendam & admirandum imaginantes esse eum qui iam filius Dei effectus est, non inscitè indicauimus quis nam sit ille, qui ex Deo est, explanãtes illud, qui est ex Deo, verba Dei audit. Vide verò paradoxon quod ex cõtrariis emergit, scilicet quòd aliquis filius Dei, alio sit magis filius Dei, & quòd alius filius Dei sit magis alio in duplo filius Dei: quod quomodo ex contrario ostendatur, sic proponemus. In Euangelio à Matthæo tradito secunda comminatio ad pharisæos & scribas sic se habet. Væh vobis scribæ & Pharisæi, hypocritæ, quia obitis mare & terram, vt faciatis vnum proselytum, & cum fuerit factus, facitis illum filium gehẽnæ, duplo magis quàm vos estis: igitur hac ratione, neque quidam natura sunt filij gehẽnæ, neq; gehennæ filij ex æquo sunt illius filij, si alius duplo magis quàm alius est gehẽnæ filius. Quòd si alius duplò magis quàm alius est gehennæ filius, cur nõ etiam perditionis, & mortis, & tenebrarum, & cæterorum, quorũ qui variè peccant, sunt filij? Quòd si in his sic se res habet, cur non etiam filij lucis alij duplò magis quàm alij erunt, & filij vitæ, & filij sapientiæ, atque etiam hunc in modum filij Dei? quòd si duplo alius magis quàm alius efficitur filius Dei, cur non etiam multipliciter, & tantò multipliciter, quantò multipliciter dignum est cõside-
[Paradoxũ. Mat. 23.]

D rare esse primogenitum totius creaturæ filium Dei super omnes, qui sunt filij Dei, & non amplius habent spiritum seruitutis in timore, sed acceperunt spiritum adoptionis. Fortassis igitur plura cum sint verba Dei, non solum quæ scripta sunt, verum etiã ineffabilia, & quæ homini dicere nefas est, & ea de quibus loquit Ioannes, nec ipse opinor mundus caperet eos qui scriberentur libros, quilibet qualicunq; verba Dei audiens & intelligens iam ex Deo est: & quãtò plura verba Dei audierit, tantò magis efficitur ex Deo: vt iam re vera aliquis qui audierit omnia verba Dei nostri, nominetur filius Dei, si hoc apparuerit in aliquo qui accipiat spiritum perfectæ adoptionis, & eximiè nascitur filius Dei, & omninò, & totaliter, & totus. Candidius autem sunt intelligendæ illæ voculæ, totaliter & totus, vt respondeant totis dogmatibus, toti cognitioni & totis mysteriis, adeò vt totus & totaliter dicat se genitum ex Deo, qui nouerit omnia mysteria, & omné cognitionem, feliciter etiam gestis, quæ sunt perfectæ dilectionis. Vide verò an is consequenter huic dicto, Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, possit dicere, & ex parte sumus filij Dei: & rursum cũ venerit quod perfectum est, abolebitur quod ex parte est, & illud: cum venerit vt perfectè efficiamur filij Dei, non amplius ex parte efficietur aliquis filius Dei. Nec hoc sinatur intactum, num fieri possit, vt aliquis ex parte sit filios præstãtioris partis, nempe diuinæ, & ex parte sit alterius partis contrariæ, an potius hoc impossibile sit
[Rom. 8. 1. Cor. 12. Ioan. 21. Totaliter & totus. 1. Cor. 13.]

E sic se habere: Similiter inquires, quomodo multi vnius patris dicantur filij, verum propter proauos & propter successores illorum, an propter talem considerationé. At verò, cum acceperimus potestaté vt efficiamur filij Dei, omnia faciamus vt simus ex Deo, & verba eius audiamos vt proficiamus etiam, quia simus ex Deo, proficiamus etiam, quia audimus verba Dei. Plura ex his verbis semper manifestantes, donec omnia perceperimus verba Dei, quę vel nunc vel in posterum percipere possunt hi, qui spiritu adoptionis digni habiti fuerint. Quoties autem verba quæ à Deo dicuntur, nõ audimus (hoc est ea non intelligimus) toties consentaneũ est nos redargui, perinde quasi non simus ex Deo: nam propter hoc nõ audit qui non audit verba Dei, quoniam ex Deo nõ est, & ex Deo non est propter seipsum, etiam si aliquãdo acceperit potestatem fieri filius Dei, possitque diligendo inimicos, & orando pro his à quibus læditur, fieri filius patris cœlestis.
[Ioan. 1.]

TOMVS VIGESIMVSSEXTVS.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: nonne bene dicimus nos, quòd Samaritanus es, & dæmonium habes?

F CONSENTANAVM est propter id quod tacetur, quòd frequenter inter se hæc quidam de Seruatore dicerent, Samaritanum illum appellantes tanquam qui res Iudaicas adulteraret, non secus atque Samaritani: non enim cõmercium habent Iudæi cum Samaritanis, in multis dogmatibus ab illis dissidentes. Sed profectò quæsitu dignum est, quomodo Samaritanis futurum seculum negantibus, & ne animæ quidem permanentiam admittentibus, ausi fuerint Seruatorem dicere Samaritanum, qui quàm plurima docuerat & de resurrectione & de iudicio. At fortassis hoc dicunt illum mordentes, perinde quasi eadem quæ illi decreta poneret. Verisimile est etiam aliquos existimasse cũ non ex affectu de futuro seculo, de resurrectione, de iudicio docere, sed Samariticè affectum (perinde ac nihil reliquum foret post hanc vitam) simulationis causa propter opinioné quam habebant Iudæi (& vt illis placeret) de resurrectione, déque æterna vita verba facere. Quin dæmonium quoque eum habere dicebant propter ipsius sermones, qui hominum captum trãscendebant, quibus patrem suum dicebat Deum, séque è cœlo descendisse, quódque esset panis vitæ longè melior mãna, adeò qui ex hoc pane comederet, victurus esset in æternum, aliáq; innumera, quibus Euangelia repleta sunt. Potest etiã propter suspitionem eorum circa Beelzebul dictum fuisse, tu dæmonium habes, quãdoquidem in Beelzebul principe dæmoniorum existimabant eum eiicere dæmonia, tanquam qui in se
[Cur Iudæi Christum Samaritanum appellarint. Ioan. 4. Samaritanorum errores. Ioan. 6. Mat. 12.]

G habetet Beelzebul. Atque inimici quidem dicẽtes ipsum habere dæmonium illi videtint: nos verò illi credamus dicẽti: ego dæmonium non habeo: neq; enim potest dęmonium cęcorum oculos aperire, vel hæc signa facere quæ scripta sunt, quorum etiam vestigia & reliquiæ vel vsque in præsens fiunt in ecclesiis in nomine domini. Præterea quærat aliquis, cur respondentibus Iudæis (non illis qui crediderant ei) duóque crimina ei impingentibus, nempe Samaritanos es tu, & dæmonium habes, ad alterum respondet, dicens: ego dæmonium non habeo. Et vide an ad hoc applicari possit illud illius parabolæ, quæ est apud Euangelium Lucæ: nempe de eo, qui cum descenderet à Hierusalem in Hierico, incidit in latrones, quem cum sacerdos & Leuita prætériissent, Samaritanus iter faciẽs venit ad eum, & viso eo misericordia motus est, & cum accessisset, obligauit vulnera eius infundens oleũ & vinũ. Nam si poterit quis de hac parabola disputans ostendere ad nullum alium, præterquàm ad solum Seruatorem referri posse quæ de Samaritano dicuntur, qui semimortuum & delapsum in latrones curauit, is ostendet etiam, quare Seruator non negarit se Samaritanum. At verò alius, quia differant apud Paulum Iudæi ab his qui sunt sub lege, considerans, & sensu anagogico pro his qui sunt sub lege, Samaritanos intelligens, inueniénsque Seruatorem magis quàm Paulum omnibus omnia factum fuisse, vt omnes lucrifaceret, dicet, eò quòd factus sit sub lege his qui sub lege erant, veluti

Miracula in Ecclesiis fiebãt tempore Origenis, & Irenæi lib. 4. & 5. fatetur.

Luc. 10.

Cur se Samaritanũ non negarit tres causæ.

H etiam Samaritanum fuisse factum: & idcirco non negasse etiam se Samaritanum fuisse. Rursus aliquis tertius interpretationem Samaritani intelligens significantis custodem, dicturus est quamuis alia consideratione dixerint Iudæi Iesum Samaritanũ, ipsum tamen significatione nominis perspecta, illud se esse non negasse: sciẽtem se custodem animarum hominum, de quo etiam dictum est: ecce non dormitabis neq; dormiet qui custodit Israel, & custodiẽs paruulos dominus. Hebræi etiam Somer dicunt custodem: sicq; tradunt Samaritanos primùm appellatos fuisse, quòd missi fuerint ab Assyriorum Rege ad custodiã terræ Israel, post captiuitatẽ Israelis, qui diuersus erat à Iuda: qui etiam Israel propter peccata multa in captiuitatem deductus fuit Assyriorum.

3. Reg. 17.

Respondit Iesus: ego dæmonium non habeo, sed honoro patrem meum, & vos ignominia affecistis me: ego non quæro gloriam meam, est qui quærit & iudicat.

Psal. 1.

SI lignum iuxta decursus aquarũ plantatum huiusmodi est, vt fructum suum in tempore afferat, ita vt ne folium quidem eius defluat, sed cuncta quæcunque fecerit, felicem habeant successum, quid existimandum est de Seruatore nostro Iesu, nisi quòd (cum sit lignum vitæ quatenus est

I sapientia) fructificeat etiam, vt sapientia sit lignum vitæ omnibus recipientibus eam? sed folia præter fructus talia habẽs, vt ne vnum quidem ex ipsis defluat: hanc ob causam nullum Iesu verbum (præsertim quod habitum dignum fuerit scriptione à sanctis ipsius discipulis) vulgariter intelligendũ est. Quin etiam omnis diligentia adhibenda est nobis, his etiam quæ existimantur aperta, non desperantes in eius sermone, etiam si extẽporaneus & simplex esse credatur, inueniri semper aliquid illius ore sacro dignum à recte quęrentibus: quòd si aliquando non inueniamus, nos incusandi sumus, non illius sermo, tanquàm qui non spiret ex plenitudine dogmata plena veritatis & sapientiæ, quæ mihi dicta sunt volenti inquirere de eo: ego dæmonium non habeo, per quod omnes euangelium legentes rem docemur, quam, antequam euangelium legeremus, non noueramus: quæ qualis nã sit, consideranda est. Conuenit iuxta scripturas, peccantes multa facere præter rationem, non ob aliud nisi quia facti fuerint capaces operationis mali spiritus, vel voluntatis immundi dæmonis. Non dubitarunt igitur vel ea, quæ existimantur esse leuia peccata dæmonibus tribuere illi, qui dixerũt repentinam iram similitérque detractionem dæmonium esse. Consentaneum verò est dæmoniis in nobis imaginationes imprimentibus, in nósque operantibus innumera alia nos iuxta illorũ voluntatem facere. Et vt inter homines nullus est absque sordibus,

Ioan. 8.

Dæmones multa in dęmoniacis peccata exercent.

& nullus iustus super terram qui faciat bonum & non pec- K cet, sic etiam nullus est semper à dæmoniis mundus, & perpetuo factus incapax operationis horum. Quocirca allegoricè interpretantes curationes in euangelio positas, in quibus sunt etiam dæmonum expulsiones, dicemus Iesum ab illis omnibus semper dæmonas expellere, qui propterea quòd curati fuerint à filio Dei, non amplius admittunt dæmonum operationes. Quamobrem solius Iesu vocem esse reor (qui solus expoliauit principatus, & potestates ostentauit palam, & triumphans eas in ligno trophæum aduersus omnem potentiam contrariam statuit crucem) ita dicere: ego dæmonium neque habui, neque habeo, ac ne habiturus quidem sum, quemadmodum illud etiam dixit: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Possimus quidem etiam nos proferre, & dicere, dæmonium non habeo, sed refellemur perinde, atque hi, qui cum negauerint se insanire, ipsis factis conuincuntur mentitos fuisse. An nõ manifestum argumentum nos insanire, quando statum habentes insanientium clamamus, excandescentia, & ita accensi, vel cum rabie agitati, & tanquam hinnientes, proprias etiam coniuges instar equorum equarum amore insanientium conscendimus, post tergum eiicientes quicquid Deus dixerit de sedandis affectibus? Quin etiam qui abiecti, & obscuri à mœrore detineamur: propriáque generositate eorum, qui rationis sunt compotes, amissa, obliuiscimur ne vnũ quidem pas- L serem absque Deo in laqueum cadere, iustáque esse quarumlibet rerum, quæ hominibus cõtingunt, iudicia, quid dicturi sumus, nisi nos hæc pati, quia vicerit nos diabolus, & quia etiam animæ partem præstantissimam (principatum quam vocant) offuscarit turbidaritque? Quin etiam timores rerum non timendarum, gaudiáque elata de rebus nihili, quorum sunt actiones? non dæmonum? qui impleuerunt eos, qui cum veritate dicere nequeunt, ego dæmonium non habeo. Sed cõsentaneum est futuros aliquos, qui sanctos patriarchas, vel seruum illũ sacrum, vel admirandos prophetas, vel potentissimos Seruatoris nostri Iesu apostolos, in hanc disputationem afferentes, nos refutẽt, quasi hi perinde atq; Iesus dicturi sint: Ego dæmonium nõ habeo. ad quos dicere licet: num hi aliquando peccarint, an falsum est illud: Omnes peccauerunt, ac destituuntur gloria Dei? num etiam verum non est illud: Nullus mundus à sorde? an non dictum est cum consideratione, non est iustus super terram, qui faciat bonum, & non peccet? An non perspicuum est omnes scripturas veras esse? Igitur non semper neq; ab initio poterant hi dicere, ac ne hi quidem, qui trãsennt ad vitam virtute constantẽ: ego dæmoniũ non habeo, sed solius hominis, qui consideratur in Seruatore vox est illa, ab initio: qui etiam hanc ob causam propriissimè, & perfectissime solus patrem honorauit. Nullus enim honorans aliquid eorum quę honorantur à Deo, honorat spernentẽ quæ ille honoret, Alioquin quomodo dicendus est aliquis M honorare patrem, qui ne à principio quidẽ spiritum adoptionis perceperit? Nam nullus habet adoptionis spiritum peccans. Qui enim ex Deo genitus est, nõ peccat. Præterea quomodo honorat quis patrem, honorans gloriam quæ est ab hominibus, vel argentum, vel terrenas diuitias, vel generatim, quæ sunt propria materiei, & interitus? Itaq; perspicuum est, quomodo Seruatoris vox illa sit, ego honoro patrẽ, quam pro virili contendere nos etiam debemus dicere, tribuentes Deo & patri honorem, nec vlli alij tribuentes ipsum, constante nobis conscientia in spiritu sancto. Ac pulchrè profecto cum aduenisset temporis plenitudo, missus à Deo vt ex muliere nasceretur, fieretque sub lege, quasi qui esset sub lege dicente: honora patrem tuum, & matrem tuam vt bene sit tibi, nullum alium habens patrẽ nisi Deum cœlestem, inquit: sed ego honoro patrem meum. Dicemus verò etiã nos hanc vocem, si cõsiderauerimus regenerationis lauacrum, lotíque in eo, vt efficiamur filij Dei, non amplius vocabimus patrem super terrã, eò quòd facti fuerimus filij patris cœlestis, fratrésque dicentis: Vado ad patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Quamobrem perspicuum est, quòd propriissimè & perfectissimè dicente Iesu: Ego dæmonium non habeo, sed ego honoro patrem meum, vnusquisque nostrum imitator eius, quoad fieri potest, & omnia

Eph. 2.

Ioan. 14.

Dęmoniaci spirituales.

An apostoli & prophetæ immunes à peccatis.

Rom. 3.

Iob. 25.

Eccl. 7.

1. Ioan. 3.

Gal. 4.

Exod. 19.

Eph. 6.

Ioan. 20.

potens

A potens in Christo Iesu eũ corrobnrãte dicturus etiã est: Ego dæmoniũ non habeo, sed cohonesto patrẽ meum. Cæterũm quis inter mortuos versans, in sepulchrísq; habitans dicere poterit: ego dæmoniũ nõ habeo? vel quis quippiam aliud honorãs præter Deum, verbúmq; ipsius, ac præter id quod à verbo præcipitur (cum sit necesse honorẽ illi tribuere) & alteri honorem tribuens, decenter honorẽ se illi tribuere existimans, *Ioan. 8.* dicturus est tanquam Iesu discipulus: sed honoro patrem meum? cui dicto proximum est hoc, & vos ignominia afficitis me, quod dictum est ad eos, qui illum contemptui hahabebant, quíq; illi dicebãt, Nonne bene dicimus nos, quòd Samaritanus es tu, & dæmonium habes? existimantes, quod male dixerant, se bene dixisse: male enim cogitantes enunciatum Seruatorem Samaritanum, & dæmonium habẽtem. Nec verò existimandum est illis solis tunc dictum fuisse, vos ignominia me afficitis, sed his etiam, qui perpetuo Christum, qui est iustitia, ignominia afficiunt per ea, quæ iniustè agunt, atque etiam his qui ignominia potentiam Dei afficiunt, quæ est Seruator (Christus enim est Dei potentia,) ex his, quæ ef- *1. Cor. 1.* ficiunt in debilitate, & infirmitate, Quin etiã cuicunq; sper- *Psal. 119.* nenti Dei sapientiam dicetur, vos ignominia me afficitis: quandoquidem Christus etiam est sapiẽtia, atque etiam pax. Quòd si quispiam est ex ipso, is pacem etiã cum hominibus omnibus habeat oportet, adeò vt dicat propheticum illud: B Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, opus etiam est, *Phil. 4.* vt recipiat pacem superantem omnem Dei intelligentiam, córque custodientem sensus eius, qui eam receperit. Quòd si quis bellandi cupidus mordeat etiam, incusétque ac deuoret proximum, sitque etiam plenus perturbationibus, causa seditionis existentis in suo ipsius animæ principatu, huic e- *Eph. 2.* tiam dicetur: vos ignominia me afficitis, Christus enim pax nostra est. Rursus quoniam qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, luxque est ille qui dixit, ego sum lux mundi, perspicuum est, quòd qui male agit ignominia lucem afficiẽs, *Ioan. 8.* ignominia etiam Christum afficiat: auditurus etiam, & vos ignominia me afficitis, & quid opus est in longum protrahere sermonem, explicantem, & ostendentem, qui nam sint qui à Iesu redarguantur, & qui sint qui audiant ab ipso, vos ignominia me afficitis, cũ manifesti sint ex his quæ explicuimus, *Ioan. 8.* & ex his quæ his consequenter coniungi possunt? Post hæc videamus quid sit. Ego non quæro gloriam meã: est qui quærit & iudicat.] Quærit Deus (qui nobis suum ipsius filium dedit) in singulis, qui eum receperint, gloriam Christi, quam quidem inueniet in his, qui sui curam egerint, quique diligẽ- *Ingenita* ter excolunt natura sibi ingenitas ad virtutem causas. Alio- *ad virtutẽ* quin hanc non inuenturus in his, qui huiusmodi non fuerint, *seminaria.* & non inueniens iudicat eos, in quibus non inuenit gloriam *Rom. 2.* filij sui, ad quos dicet, per vos nomen meum male audit inter *Ioan. 6.* gentes. Addubitabit etiam aliquis propter hoc, est qui quæ- C rit & iudicat, num ad Deum referri hoc opus sit, cum palàm dixerit Seruator: pater neminem iudicat, sed omne iudicium dedit filio suo, vt omnes honorent filium sicut honorat pa- *Ioan. 5.* trem. At vide, an ad hoc vti possis eo dicto, non possum ego facere à me ipso quicquam, sicut audio, iudico, & iudicium meum verum est, quoniam nõ quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Nam si, vt audit à patre Seruator, sic iudicat, quærens non suam, sed patris, qui eum misit, gloriam, & hanc ob causam iustum est eius iudicium, fortassis iudiciũ quod iudicat, qui à patre audit, nõ est audientis, sed magis propriè eius, qui dicit audienti. Sin verò etiam dicit iudicium meum iustum est, audi eum in ipso euãgelio di- *Ioan. 16.* centem: Omnia mea tua sunt. Nam si verum est, quod à Seruatore dictum est: omnia mea tua sunt, perspicuum est iudicium etiam ipsum, de quo inquit, meum iudiciũ iustum est, patris esse iudicium, quòd si patris est iudicium, potest solui *Ioan. 8.* dubium huius dicti: Ego autem non quæro gloriam meam, est qui quærit, & iudicat. Habet autem quandam modestiæ *Ioan. 8.* emphasim conuenientem Seruatori quod dicitur: Ego non quæro gloriam meam, neque enim admodum decebat illum, vt gloriam exigeret & ob hoc iudicaret eos, qui illi illam non reddidissent: sed oportebat, vti pater, qui gloriam filio dederat, exigeret eam ab his, qui eum illa priuabant, iudicarétque eos: propter hãc fortassis etiam Seruator imitator patris cum esset, gloriam Dei quærit ab his, qui didicerunt quæ sunt Dei: D & nisi inuenerit in aliquibus patris gloriam, iudicabit illos, tanquam qui potestatem acceperit faciẽdi iudicium, quoniã filius hominis est. Heracleon sanè in illud: est qui quærit & iu- *Inepta Heracleonis interpretatio.* dicat, qui me vindicat (inquit) est minister ad hoc ordinatus qui non temere gladium portat vindex Regis. Moses autem est hic quemadmodũ superius illis dixit Iesus dicens, in quẽ vos sperauistis, postea subiungit: qui iudicat & punit est Moses, hoc est ipse legislator. Postea dubiũ contra seipsum mouet Heracleon dicẽs: Quomodo igitur dicit, omne iudicium sibi traditum fuisse? & existimás se soluere obiectionem, hæc inquit: Pulchrè dicit, nam Moses tanquam minister, voluntatem Christi faciens iudicat, quemadmodum apparet etiam in hominibus euenire: Quomodo verò alij tanquam inferiori Seruatore (nempe vt ipse putat demiurgo, & mundi effectori) iudicium tribuat, neq; sic ostendere potest, cum apertè sit scriptum: Neque enim pater iudicat quenquam, sed omne *Ioan. 5.* iudicium dedit filio, & illud: Potestatem dedit ipsi iudicium faciendi, quoniam filius hominis est.

TOMVS VIGESIMVSSEPTIMVS.

Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.

E



QVEMADMODVM est quædam vita, *Vita quædam indifferens, quædam bona.* quæ nobis est indifferens, neque bonum, neque malum existẽs (iuxta quam etiam impios, & animalia bruta viuere dicimus) altera, quæ non est indifferens, non malum, sed bonum *Col. 3.* existens (de qua inquit Paulus: vita nostra abscõdita est cum Christo in Deo, & ipse dominus noster de ipso: Ego sum vita) ita mortẽ eam, quæ contraria sit indifferenti vitæ, indifferentem dixeris: illam vero, quæ est inimica dicenti, ego sum *Mors duplex.* veritas malam quandam, & asperam mortem: qua qui moritur, est in morte, de qua scriptum est: vltimus inimicus abolebitur, nempe mors. Ac profectò de hac morte censendum est *1. Cor. 15.* apostolum hæc loqui: propter hoc quẽadmodum per vnum *Rom. 5.* hominem peccatum intrauit in mundum, etiã per peccatum mors, & sic in omnes homines pertransiit, eò quòd omnes peccauerunt. Vsque ad legem enim peccatum erat in mũdo, peccatum enim non imputatur non existente lege, sed regnauit mors ab Adam vsque ad Mosen, etiam in eos, qui peccarunt ad similitudinem transgressionis Adam, & post pauca: etenim si per vnius delictum mors regnauit per vnum, moltò magis hi, qui exuberantiam gratiæ & iustitię accipiunt per vitam, regnabunt auctore vno Iesu Christo. Quæ nam enim est mors, quę per peccatum introiit in mundum, nisi vltimus inimicus Christo abolendus? & quæ nam mors illa est quæ in omneis homines peruasit, eò quòd omnes peccauerint, nisi F hæc? quæ etiam regnauit ab Adam vsque ad Moysen. Moses *Moses lex.* autẽ hoc est lex, fuit vsq; ad Seruatoris nostri Iesu Christi aduentum. Ac profectò regnauit vnius delicto per vnũ, quo vsque qui exuberantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt per vitam, regnẽt autore vno Iesu Christo. Hanc igitur mortẽ non videbit in ęternum, qui sermonem vnigeniti & primogeniti omnis creaturæ seruauerit, natura aptũ ad prohibẽdum, vt mors non videatur. Sic igitur intelligendum est, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternũ, perinde ac si hęc loquens, quia donasset lucem audientibus, diceret illis: si quis meam hãc seruauerit lucẽ, tenebras non videbit in æternum. Nam fieri non potest, vt tenebræ oriãtur illi qui seruat hanc lucem, atqui hanc lucem qui perdiderit futurum est vt mox talis videat tenebras. Isto igitur modo vita facta est in sermone qui in principio erat apud deum. Quocirca prin- *Prouer. 8.* cipium (hoc est sapientia quæ dicit, Dominus creauit me initium viarum suarum ad opera eius) de sermone in seipsa existente, in quo facta est vita, docebit & dicet: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum: pariter enim seruat quis sermonem, & vitam in ipso factã, ab ipsóq; inseparabilem, quæ etiam vita lux est hominũ lucẽs in *Ioan. 1.* tenebris, & ab ipsis non apprehensa. Si igitur veluti percun- *Psal. 88.* ctans propheta dicat: Quis est homo, qui viuet, & nõ vide-

G bit mortem? respondebimus à Seruatore nostro edocti, & dicemus. Ille homo viuet, & non videbit mortem, qui seruat *In æternū.* sermonem dicétis: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem nō videbit in æternum. Hoc in loco pariter quæro num fortè vocabulum, in æternum, intelligendum sit communiter, vt totum sit huiusmodi: Si quis sermonem meum seruauerit in æternum, mortem non videbit in æternum. Videtur enim aliquis tam diu non videre mortem, quàm diu sermonem seruat Iesu, simul enim atque quis eum perdiderit, mortem etiam vidit. Quòd si recurrere quis potest ad profundiores rationes, & considerare, quomodo dicatur ab homi- *Rom. 7.* ne, & in puluerē mortis adduxisti me, & à Paulo, quis me liberabit ex corpore hoc mortali? videbit etiam quomodo quam diu seruatus fuerit sermo, tandiu mors visa non fuerit ab eo, qui ipsum seruarit, & quomodo, cum quis ægrè attendens obseruationi sermonis, & circa eius custodiam negligēs factus, cum cessarit custodire, tunc mortem viderit, non apud alium quàm apud seipsum. Ac profectò dogma, legémque sempiternam censendum est hoc esse, perpetuo dicendū esse his, qui receperint sermonem. Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Vt autem (vt ita dicam) diutius visæ tenebræ aciem illius, qui viderit obtundūt, sic mors conspecta ab eo qui sermonem non seruauerit, interimit & mortificat, excæcátque faciem contemplationi as-
H suetam, adeò vt opus habeat eo, qui cæcorum oculos aperit. Ac profectò existimo idcirco cæcos (quorū nota fuerunt cæ- *Matth. 11.* ci, qui in euangelio scribuntur) amisisse oculos, eo quòd (sermonem cum non seruassent) mortem conspexerint.

Dixerunt ei Iudæi, nunc cognouimus, quòd dæmonium habes.

De peccati ortu. Complvres, hique sapientes omne genus peccati (cuius vna etiam species est peccatum in sermone) non aliunde oriri existimant, quàm à prauis iudiciis: At verò qui scripturis sacris tanquam diuinis crediderunt, sic disputant de hominibus præter rationem operantibus, tanquam absque dæmoniis, vel qualibuscunq; potentiis contrariis peccata non perficiantur: Quāobrem Iudæi etiam existimabant Iesum iuxta dæmonis operationem dixisse: Amen amen dico vobis, Si quis sermonem meum seruauerit mortem non videbit in æternum. Quod passi sunt, quia nec sermonem seruauerunt, nec vim dicti viderunt. Nam mortem quandam sciēs Iesus inimicam esse rationi, qua moriantur peccantes, & hanc in æternum non videri, diceret ab eo, qui sermonem ipsius seruauerit, illi de cōmuni morte dictum esse existimantes, aberrare arbitrati sunt (cum mortuus fuisset Abraam, cæterique prophetæ) dicentē, neminem in æternum mori, qui mandata sua seruarit.

I *Abraam mortuus est, & propheta, & tu dicis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum. Num tu maior es patre nostro Abrahamo qui mortuus est, & propheta mortui sunt. Quem teipsum facis?*

Etiam si iuxta simpliciorem intelligentiam videtur apertum esse id, quod Iudæi suspicati fuerant, respondentes ad Seruatoris sermonem, de Abraam, cæterisque prophetis, perinde quasi illi mortui fuissent, nihilominus non sinenda est disputatio inexplorata, cum collatione ostendente superiora similia. Vtrum existimabant Seruatorem cum nulla ratione dixisse, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum, & hanc ob causam manifestum quiddam ad ipsius sermonem responderunt, an potius, sicut consideramus, non de communi morte ipsum loquutum fuisse opinabantur? & animo cogitantes Abraam, & prophetas aliquādo spiritualiter mortuos fuisse, sermone illius sperto (vt qui ne eum quidem talem esse, qualem loquens se promittebat, existimarent) inquiunt: nunc cognouimus quòd dæmonium habes? Simile verò etiam in aliis ipsius sermonibus pluribus *Ioan. 4.* verbis in superioribus exquisiuimus, veluti in Samaritide, quando cum dixisset ei Iesus, da mihi quod bibam, post alia K talia addidit: Si scires donum dei, & quis sit qui dicit tibi, da mihi quod bibam, tu vtique petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Et dicit illi mulier: Domine neque haustorium habes, & puteus profundus est, vnde ergo habes illam aquam viuam? & rursus, Domine da mihi istam aquam viuam, vt nō sitiam, neque veniam huc ad hauriendum. Haud enim probabile est, Samaritidem illi respondere de aqua sub sensum cadente, vel ab ipso petere corporalem aquam, ne in posterū sitiret, vel ne veniret ad hauriendum ex fonte Iacob sub sen- *Ioan. 6.* sum cadente. Quin etiam dicente Domino, panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita (quando pugnabant inter se Iudæi dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandū?) ostendimus non adeo stupidos fuisse, qui audiebant, vt opinarentur Iesum hæc loquentem inuitare auditores, vt accederent comesturi carnem ipsius, consentaneúmque certè est Iudæos dixisse in præsenti contextu, quem nunc examinamus, hæc verba: Abraam mortuus est, & prophetæ, quoniam didicissent, quomodo per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omneis homines mors peruasit, eò quòd omnes peccauerunt. Consentaneum verò etiam est, eos vidisse mortem *Rom. 5.* regnasse in eos, qui peccarunt ad similitudinem transgressionis Adæ, habuisséque sermonem de morte, quæ per peccatū in omneis homines peruasit, eò quòd omnes peccauerunt: de L his autem edocti, Iesu sermones non nouerunt, quia, quæ sequuntur, non admiserunt: nimirum quòd non sicut delictum ita & donum. Sed ne ratiocinari quidem poterant, quòd si *Ibid.* vnius delicto multi periēre, multo magis gratia dei, & donum per gratiam, quæ fuit vnius hominis Iesu Christi in multos exuberauit. Non intellexerunt etiam, quomodo donum non est simile morti, quæ fuit per vnum qui peccauit: neque enim eruditi fuerant aliquando donum ex multis delictis fuisse ad iustificationem, sed ne viderant quidem etiam, quod exuberantiam gratiæ, & doni accipientes per vitam, regnabunt au- *Gen. 25.* ctore vno Iesu Christo. Atque Abrahæ quidem, & prophetarum mortem versabant animo, audiētes quòd etiam Samuel (quasi per mortem sub terra existens) à phytonissa excitatus fuisset quę Deos cum existimaret inferne sub terram esse, di- *1. Reg. 28.* cebat: ego vidi Deos ascendentes è terra. At verò vitam A- *Matt. 22.* brahæ, & prophetarum non apprehenderunt, ac ne apprehēderunt quidem Deum Abrahæ, & Isaac, & Iacob, Deum nō esse ipsorum mortuorum, sed viuentium: ac veluti suspicantes mortuos esse prophetas, fabricabantur illorum sepulchra: Hanc etiam ob causam miseri habiti. Etiam igitur si Abraam mortuus fuerit, reuixit in posterum non visurus mortem. Ab eo enim tempore, quo vidit Iesu diem, exultauit, & gauisus est. Atque etiam ob hāc causam arbitror Seruatorē docentē Abraam viuere, cum dixisset Abraam mortuus est, mox intulisse: Abraam pater vester exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est. Quod si nolit aliquis res Abrahæ sic se habere, dicat nobis: Vtrum qui vidit aliquando Seruatoris nostri diem, & hanc ob causam exultauit, & gauisus est, di- M gnatus tali visione, tanquam ipsa dignus, postea priuatus fuit ea re, quam viderat? Nam si vtrumque horum absurdum est, cum Abraam vidit Iesu diem, cum ipso pariter videre, audiuit etiam sermonem ipsius, & seruauit, nec amplius mortem vidit. Nec rectè Iudæi dicebant, Abraam mortuus est, perinde quasi mors Abrahæ in causa esset, vt etiam Christus morere- *Viuunt* tur. Simile etiam de prophetis dices. Nam si deus non est *Abraham* mortuorum, sed viuentium, & vt est Abraam, Isaac, & Iacob *& prophe-* deus, sic etiam est cæterorum prophetarum deus, viuunt etiā *tæ.* prophetæ, vt qui seruarunt etiam sermonem filij dei, quando sermo factus est ad Oseam, vel sermo factus est ad Hieremiā, vel sermo factus est ad Esaiam. Nec enim alius ad aliquem *Osee. 1.* horum factus est, prętetquam sermo ille, qui erat in principio apud deum, filius ipsius dei sermo, quem (si quis alius) prophetæ in primis seruauerunt, qui etiam ex quo acceperūt sermonem, mortem amplius non viderunt. Similiter igitur falsum est, quod dixerunt Iudæi: Nunc cognouimus, quòd dæmonium habes, & Abraam mortuus est, & prophetæ Neque enim agnouerāt dæmonium habere eum, qui imperabat dæmoniis (nullus enim cognoscit, quod non est) neq; Abraam,

A & prophetæ in morte amplius erant,quando dicebant Iudęi
Abraam mortuus est,& prophetæ.Deinde quærimus,cur idem,
dem,cum dixisset Seruator de quocunque,qui sermonem ip-
sius seruat,mortem non videbit in æternum, idque exigeret,
vti Iudæi post illa verba,quę antea examinauimus(consequē-
ter his verbis,mortem non videbit in æternum)dicerent. Et
tu dicis,si quis sermonem meum seruauerit,mortem non vi-
debit in æternum,illi non hoc faciant,sed respondeant quod
Seruator non dixerit.Neque enim dixerat Seruator : Si quis
sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æter-
num,quod isti proferant tanquam à Domino nostro dictum.
Videre & gustare mortē differunt. Et vide an quia differentia sit inter videre mortem, & gusta-
re mortem, à cæteris pariter euangelistis dictum fuerit, eos
qui prope Iesu essent non gustaturos mortem , quoad
vsque vidissent filium hominis venientem in regno suo.
Matt.16. Matthæus quidem sic habet : Amen dico vobis, sunt qui-
dam hic stantēs, qui non gustabunt mortem, donec vide-
Marc. 9. rint filium hominis venientem in regno suo. Marcus verò:
Gen.9. Amen dico vobis, Sunt quidam inter eos qui hic stant, qui
non gustabunt mortem , donec viderint Regnum Dei ve-
nisse cum potentia.At Lucas sic: Verè sunt quidam hic stan-
Sap.7. tes,qui non gustabunt mortem, donec videant filium homi-
nis in gloria sua. Vt enim in corpore diuersi sunt sensus, gu-
stus,& visus sic iuxta sensus,qui a Salomone diuini dicuntur,
alia erit animæ potentia,quæ vim videndi habet, & contem-
B plandi,alia quæ gustandi , & adipiscendi qualitatem eorum
ciborum,qui animo percipiuntur,& quoniam quatenus do-
minus panis est viuus , qui è cœlo descendit , sub gustum ca-
dit,nutriens animam (cadens etiam sub visum , quatenus sa-
pientia est,cuius pulchritudinis amatorem se esse fatetur ille,
qui dicit: Amator factus sum illius pulchritudinis , nobis etiā
Psal.33. illud præcipiens amabis eam,& seruabis)hanc ob causam in
psalmis dictum est:gustate & videte, quòd suauis est Domi-
nus: & vt Dominus sub gustum,& sub visum cadit , sic etiam
aduersaria eius mors,sub gustum & sub visum cadit. Mortem
Matt.16. sub gustum cadere illud docet:Sunt quidam hic stantes , qui
non gustabunt mortem,& quæ sequuntur . Quòd verò sub
visum etiam cadat,illud:Siquis sermonem meum seruauerit,
mortem non videbit in æternum. Proinde gustat mortem,
nec solùm gustat,verum etiam morte , veluti cibo expletur,
qui contraria verbis vitæ æternæ profert. Promissio etiam est
neminem stantem in loco,qui mente cernitur,(quem demō-
Luc. 9. strat Iesus)gustaturum mortem. Obserua enim tres euangeli-
stas dixisse pariter. Sunt quidam hic stantes,vel sunt quidam,
qui hic steterunt,de quibus scripserunt , quòd gustaturi non
essent mortem,donec vidissent filium hominis venientem in
regnu suo , vel in gloria sua , vel donec vidissent regnum dei
aduenisse cum potentia,& quoniam quasi fieri possit , vt qui
stat,cadat,dictum est,qui stare se existimat,videat ne cadat.
Hanc ob causam obserua nō de omnibus, sed de quibusdam
C scriptum fuisse: Amen dico vobis,sunt quidam hic stantes.
Atque stans quidem aliquis , non gustat mortem (nimirum
seruans illud stare) qui verò sermonem perceperit & seruat,
mortem non videbit. Quamobrem si differentia quædam est
1. Ioan.1. gustandi mortem, & videndi mortem , Iudæi veluti audito-
res parum intelligentes, confundentésq; domini sermonem,
2. Cor.11. pro eo quod est,non videbit mortem,dixerunt,non gustabit
mortem: verbo delapsi in sensum deteriorem: Quæres etiam
Ioan.10. nunquid quemadmodum dicimus videre mortem,& gustare
mortem,ita etiam sit in cæteris sensibus , vel audire mortem,
vel adorare mortem , vel tangere mortem : & si manus apo-
stolorum contrectauerunt de verbo vitæ , nunquid manus
pseudoapostolorum,& operariorum dolosorum,qui transfi-
gurantur in angelos iustitiæ, contrectauerint de verbo mor-
tis:& si oues Christi audiunt vocem eius,nunquid etiam quæ
non sunt eius oues,(ad quos dicitur , vos non estis ex ouibus
Psal.37. meis)audiant vocem mortis?Proinde vide,ne fortè etiam sit
Ioan.11. odor mortis in his vibicibus,quæ ex peccato proueniunt (de
quibus dictum est: Fœtuerunt,& corruptæ sunt vibices meę)
& odor mortis in Lazaro , antequam à mortuis resurgeret:
quem nolentes adorare apostoli dicebant Seruatori: Domi-
2.Cor. 2. ne iam fœtet, quatriduanus enim est. At verò quod ad mor-
tis odorem attinet , qui mente cernitur , & odorem vi-
tæ , apostolicum illud obseruemus necesse est . Christi bo- D
nus odor sumus in omni loco,in his qui seruantur , & in his
qui pereunt : istis quidem odor mortis in mortem , illis verò
odor vitæ in vitam,bonus enim odor Christi sunt , & haud-
quaquam malus odor,homines qui sunt in Christo. Verum
enimuero quoniam,vt corporalis bonus odor animalia quę-
dam perimere dicitur , sic etiam propter præcedens vitium,
bonus Christi odor his,qui sunt ex morte,fit in mortem ipso-
rum,cum interim his qui sunt ex vita,fiat in vitam. Hæc no-
bis visa sunt esse adiacentia disputationi de gustando mortē,
vel de videndo,vel non videndo mortem. Posthæc non vi- *Christus*
dentes,quantum præstaret & patriarchis,& prophetis , ac ne *sanctorum*
Messiam quidem esse credentes talia,tantáque docētem, ad- *maximus.*
dubitant dicētes: Num tu maior es patre nostro Abraam,qui
mortuus est?]Nō vident autem, quod qui genitus est ex vir-
gine,non solum Abrahamo ipso,verum etiam quocunque ex *Ioan. 5.*
mulieribus genitu sit maior,itémq; omnibus prophetis, pro-
phetatus ab ipsis,atque omnibus qui mortui fuerint, quia ip-
sos viuificauerit: Nec hoc,quia seipsum talem fecerit,sed quia
isthuc à patre acceperit. Vt enim pater vitam habet in semet-
ipso,sic dedit etiam filio , vt vitam habeat in semetipso , filio
non valente à seipso facere quicquàm,nec quęrente volunta-
tem suam facere,sed eius,qui misit illum. Dicūt etiam,quem
tu teipsum facis?]quippe qui non viderant vocem eius: quo-
niam non seipsum fecerat Iesus,quod est. Quam ob causam E
etiam videtur mihi ad hoc respondere docens , quis ipsum
fecisset id, quod erat : Si ego glorifico meipsum , gloria mea
nulla est,est pater qui me glorificat.Sed hæc hoc in loco finē
sumant , cum tomus septimus & vigesimus explanationum
in euangelium à Ioanne traditum circumscriptionem suffi-
cientem acceperit,vt(deo nobis velante)quæ restant , consi-
deremus in sequenti tomo,prosequentes ab illis verbis. Re-
spondit Iesus,si ego glorifico meipsum,gloria mea nihil est.

TOMVS VIGEGIMVS OCTAVVS.



Senarius numerus perfectus. Q V I naturas numerorum inuestigarunt , primum
quidem senarium definiuerunt perfectum , cum
ex suis ipsius constet partibus , ex compositione
dupları ab vnitate, vnius & duorum, quod est tria,
numerus primus , & in quem ex iis duplicatio , dico autem
duo , multiplicatus enim duo in tria , fecit ipsum ses : se-
cundum autem perfectum dicunt esse viginti & octo , con-
stantem ex composito duplicatorum ac vnitate , donec
fiat primus numerus ex eo , in quem terminauit duplicatio: *Act.7.*
nam quatuor est ille,qui ab vnitate est duplicatus,in eo quod
est,vnum duo,quatuor † Hanc ob causam Mosen
reor in omni scientia & disciplina Ægyptiorum eruditum,
disponere facilius exstructionem tabernaculi domini:cubito-
rum enim octo & viginti,longitudine sunt aulæ, oportebát-
que sanè, vt tabernaculum testimonij quod in domini gloriā
construebatur,cum præcipuis numeris haberet etiam vigesi- F
mumoctauum:ad quem,Sacer Ambrosi,quia peruenimus(e-
rit hic enim tomus explanationū in euangelium à Ioanne tra-
ditum,Deo largionte,vigesimusoctauus)Deum in primis in-
uocantes perfectum,ac perfectionem suppeditantem,aucto-
re summo sacerdote,nostro (nēpe Iesu Christo) vt nobis det
inueniendi intelligentiam,veritatémque rerum exquirenda-
rum,dispositionémq, earū: sic pergemus ad ea quæ sequūtur.

Dicit Iesus tollite lapidem.



Q V O N I A M hoc in loco superimpositum spelun- *Ioan.11.*
cæ lapidem non ipse Iesus tollit,sed dicit , tollite *Historiam*
lapidem,in Genesi verò,vbi lapis erat ingens su- *de Lazaro*
per ore putei,& vbi congregabantur omnes gre- *resuscitato*
ges,& reuoluebant lapidem ab ore putei , & collecti potum *explanare*
præbebant ouibus,& rursum restituebant lapidem super ore *incipit.*
putei in locū suum,& vbi (quia nondum hoc factum fuisset, *Gen. 29.*
propterea quòd nondum congregata fuissent iumēta) Iacob
intuitus Rachaelem filiā Labam fratris matris suæ,& oues La-
bam fratris matris suæ,cum accessisset ipse reuoluit lapidē ab

G ore putei, & potú præbuit ouibus Labá fratris matris suę, volumus virosq; lapides inter se cõferre, vt quod cõsentaneũ est rationi cooſideremus: nempe quare hoc in loco noo ipse Iesus sustuleris à spelunca lapidē, sed diaerit tollite hũc lapidē: In Genesi verò ipse Iacob reuoluerit lapidem ab ore puteι. Et animũ adhibe an dicere possimus, nõ oportuisse vt Iesus tangeret lapidē speluncæ superimpositũ, quoniam spelunca monumentũ erat, sed præcipere tantũ his, qui muneri obeundo præerant, vt tollerent lapidem: iustum verò esse, vt ipse Iacob hunc superpositũ ori putei, & obstantē quominus oues biberent (à quibus futurũ erat, vt adiuuarentur nobilia, & pars Iacob) acciperet, cúmque ad hunc lapidem accessisset, reuolueret eũ ab ore putei, vt potum daret ouibus Labam fratris matris suæ. Ac profectò opus erat, vt ad puteum ipse accederet Iacob, extra speluncã verò staret Iesus. Vide verò, an inspicere possis, quamobrē superpositus spelũcæ lapis non reuoluatur, sed tollatur, à puteo autē non omnino tollatur, sed reuoluatur. Oportebat quidē omnino à monumēto lapidem tolli, nec rursum volui, alterũ verò reuolui tantũ à puteo: superius

Increduli dei gloriã nõ vident. enim dictum est quòd † gloriam dei, & cõsiderantes magnitudinem eius fidei, quæ est ad iustitiam, credamus. Quòd si aliquis ex eorũ numero, qui se credidisse existimant, nondũ gloriam dei vidit, is dicat se argui nõ credidisse, eò quòd nõdum vidit gloriã dei: mentiri etenim ille non nouit, qui non solum vni Marthæ, verum etiam cuicunq; dicit: si credideris,

H videbis gloriã dei. Sustulerunt ergo lapidē: vt lapis speluncæ impositus, tardius tolleretur, soror defuncti fecit, quæ veluti his, quibus iusserat Iesus dicens, tollite lapidem, obstitit, cum dixisset: iam fœtet, quadriduanus enim est. Et sanè ni coercita fuisset Marthæ infidelitas, dicente illi Iesu: nónne dixi tibi, quòd si credideris, videbis gloriã dei, haudquaquam qui audierãt, tollite lapidem, sustulissent lapidē. Agè enim, ponatur cũ diceret Iesus, tollite lapidē, defuncti sororē nec respõdisse nec dixisse, iam fœtet quatriduanus enim est: quid sequuturũ fuerat, quia scriptum fuisset, dicit Iesus, tollite lapidem, nisi sustulerunt igitur lapidem? Nunc autem quæ dicuntur à sorore defuncti, inter hoc dictũ tollite lapidē, & inter illud, sustulerunt igitur lapidē, impedimento fuere, quo minus tolleretur lapis. Ac ne principio quidē etiam si sero, sublatũ fuisset, nisi respondens Iesus ad illius incredulitatē dixisset, nõne dixi tibi, quòd si credideris, videbis gloriam dei? quamobrem bonũ est, si cum quid cuique iusserit dominus, is nihil interposuerit inter eius iussionē, & operis impletionē: opinórque sanè cõ-

Psal. 32. uenire vt tali dicatur, vt imitator Christi fiat. Vt enim Christo dixit Deus, & facta sunt, mandauit, & creata sunt, sic fideli cũ dixit Christus, fidelis fecit, cum Christus mandat, ille mandatũ impleuit nihil moræ interponens, vel sibi damnificus erit inobedientia, quia intercedat tempus inter imperiũ & imperij expletionē. Existimare enim debemus, tēpus illud, quod interponunt aliqui, postea mandata facientes, tēpus esse inobe-

Matth. 21. dientiæ præcepti. Hanc etiam ob causam qui iubetur à patre

I in euangelij parabola proficisci in agrum & operari, quia nõ confestim fecit, sed quando præsentia motus abiit, non fecit voluntatem patris per id tempus quod intercessit, antequam

Eccl. 5. pœnitētia moueretur. Quo circa memores simus necesse est illius dicti: ne percuncteris reuerti ad Dominũ, neq; differas de die in diē. & illius: ne dixeris rediens redi, & cras dabo tibi, cum possis beneficiũ conferre. Itaq; necessario nobis existimandum est accusationē esse Marthæ, quòd tardius scriptũ fuerit sustulerunt igitur lapidem: cum alioquin res postularet, cum dixisset Iesus, tollite lapidem, deinceps sequeretur, tulerunt ergo lapidem. At Iesus sustulit oculos sursum,

Ioan. 11. & dixit quæ scripta sunt. De oculis Iesu, déque eorum ha-

De oculis christi eorúmque habitu. bitu erga quosdam, diligens obseruatio, inquisitióque est adhibenda. Verbi gratia: in euangelio Lucæ dicturus beatitudines, hísque coniunctam doctrinam, eleuatis oculis in

Luc. 6. discipulos suos dicebat. Nunc autem cum sustulisset oculos suos sursum, dixit: à primo namque dicto monemur discipulos suos infernè non esse, quam ob causam eleuantur magistri oculi in eos in quos dignum erat, vt suos ipse oculos attolleret. Hoc autem, quod nunc tractamus, edocemur Iesum intelligentiam humanam transtulisse à consuetudine, quam habebat cum his qui infernè degebant: eámque in sublime eleuasse & exaltasse, eneheos eam per precatio- K

nem ad patrem super omnia existentem. Quin etiam Paulus cum sui similibus (quandoquidem imitator Christi est) *Ephes. 5.* exemplo, & imitatione precationis Christi precaturus, necessario attollere debet oculos animæ sursum, eósque abducere à rebus præsentibus nempe à memoria, à considerationibus atque cogitationibus, sicque deo dicere precationis verba magna eáque cœlestia, de rebus magnis, déque supercœlestibus. Verum si quis opposuerit publicanum, *Luc. 18.*

qui ne oculos quidem attollere voluerit, quíque percusserit pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori, huic est respondendum: quemadmodum neque omnibus, neque semper assumendus est dolor qui est secundum deum, quíque operatur pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam, sed ei soli, & omni, qui dignum aliquid tali dolore commiserit, ob cúmque dolorem resipuerit (usque sanè assumendus est cum mensura, & non exuberans, ne exuberantiori dolore absorbeatur à Sathana) ita fortassis non cõuenit, vt velint omnes semper attollere oculos, vt etiã non cõuenit sem-

per stare procul. Cęterùm vnusquisq; seipsum de rebus huiu- *1. Cor. 11.* scemodi iudicet probétq; homo, & sic nõ solum ex illo pane comedat, & ex calice bibat, verũ etiam oculos eleuet supernè eos attollens, precémque fundat subiiciens seipsum deo, humiliánsq; illi. Quòd si existimamus quomodocunque viuēti licere, perinde atq; publicano, nolle oculos ad cœlum leuare, commodè dicemus volenti leuare oculos suos, itidem ei stãdum esse procul à templo, quod quale aliud erit, nisi ecclesia L

dei viuētis? quæ etiam à Paulo dicitur domus dei, dum dicit: Quòd si tardius venero, vt noris quomodo oporteat te in domo dei versari, quæ est ecclesia dei viuētis: columna, & basis veritatis. Vt igitur nõ decet omnem vti illo pane, & bibere ex illo calice, & esse procul à domo dei & ab ecclesia, sic nõ decet omnem nolle eleuare oculos. Peccat autem aliquis, si cum deceat eum leuare oculos, non leuat eos. Rursúmque itidem peccat, si cum cum dedeceat leuare oculos, eos leuat. Atq; publicanus quidē in euãgelio nec oculos leuare volebat, decēter faciens, quos iure leuaret discipulus Iesu assistens, cui etiã mandatũ datur dicens: Attollite oculos vestros, & contēplamini regiones, quoniã albæ iã sunt ad messem. Quin pro- *Qui leuent oculos ad Deum.*

pheta quoq; inquit: Leuate in altũ oculos vestros, & in psalmo cxxii, qui graduũ est cantus quartus, tanquã qui decenter leuauerit oculos suos ad deũ inquit propheta: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlo. Ecce sicut oculi seruorum ad manus dominorũ suorũ, & sicut oculi ancillæ ad manus dominæ suæ, ita oculi nostri ad dominũ deum nostrum, donec *Psal. 122.*

misereatur nostri. Quòd si apertius etiã docere opus est, quē quidē deceat imitari Iesum supernè oculos attollentem, dum etiã ipse attollit oculos suos, rursus quē dedeceat non solũ instar publicani procul à templo stare, verũ etiam nolle oculos M

attollere, in mediũ adducemus ex Daniele, quæ scripta sunt *Dan. 13.*

de iniquis senibus amatoribus Susannæ, hunc in modũ se habentia. & auerterunt mentē suã, & declinarũt oculos suos, ne in cœlũ suspicerent, neque memores essent iudiciorũ iustorũ. Adducemus etiã in medium, quæ de Susanna scribuntur hoc modo dicta: at illa flens suspexit in cœlũ, quoniam cor eius fidebat domino. Obserua enim in istis, quòd qui auertãt mentē suam, declinarent oculos suos, ne in cœlũ suspicerēt, ea verò, quæ domino fidebat, cõsequenter fiduciæ, quam habebat in domino, suspexerit in cœlũ. Decebat enim precaturã ob fiduciã temperantiæ suspicere in cœlũ, supernéq; oculos attollere, seniores verò decebat nolle oculos leuare, atq; etiã procul perinde ac publicanus stare, verberaréque pectora sua, & *1. Tim. 2.*

dicere: deus propitius esto nobis peccatoribus, si supponatur postquã auerterēt mentē suam, declinauerántq; oculos suos, ne suspicerēt in cœlũ, neque recordarētur iustorũ iudiciorũ, eos resipuisse, atq; post dolũ intentatũ mulieris, impotes facti factos precari. Cęterũ erigētis oculos sursum, eósq; decenter erigentis in cœlũ, officiũ quoq; erit sustollere manus sanctas, pręsertim quãdo absq; ira & disceptationibus emittit precē. Sic enim nostris etiã oculis sursum per cogitationē & contēplationē erectis, atque etiã manibus ipsis erectis per actiones *Exod. 17.*

sustollētes atq; exaltantes, animã Moseos more, ita sustollētia manus vt etiã diceret, eleuatio manuũ mearũ sacrificium vespertinum,

A spertinum, Amalecitæ, & omnes inuisibiles inimici vincētur, Israelitæ verò, nempe cogitationes nostræ vincent. Hactenus de eo, quod est, sustulit oculos Iesus sursum, & dixit, in quem locum diximus, quæ nobis sunt visa conducere.

Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me: Ego autem sciebam, quòd semper me audis, sed propter turbam, quæ circumstat, dixi, vt credant quòd tu me miseris.

SI orantibus viris probis, & in carne viuentibus, nec secundum carnem militātibus: tale quiddam promisit Deus, pro eorum prece, adhuc loquēte te dicam, ecce adsum, quid cēsendum est de Seruatore, & Domino? nónne hoc, antequam loquaris tu, ego dicam, adsum? simul enim sustulit oculos sursum, & dixit: Quid dixit? si fieri potest, vt coniectemus in talibus consequenter huic dicto, antequam loquaris tu, ego dicam, ecce adsum, vt maius sit, quod dicitur ad Seruatorem, quàm quòd scriptum fuerit in promissione, quæ est ad sanctos (nempe adhuc te loquente, ego dicam, adsum) quid, inquam, dixit? proposuerat Seruator precari, sed præoccupante illius precationem illo, qui ei dixerat, antequam loquaris tu, ego dicam, adsum, pro precatione, quam animo conceperat dicturus erat patri, qui præoccuparat preces, gratias agit: & (perinde quasi exauditus

De precum exauditione.

B fuisset) propterea, quæ animo tantùm conceperant, non tamen protulerat, precando, inquit:

Pater, gratias ago tibi, quòd me audisti.

PRECATVRVS ergo erat pro Lazari resurrectione, & præoccupans illius precationem solus ille bonus Deus, & pater audiuit, quæ dicenda erant in precatione, pro quibus in frequenti auditorio circumstantis ipsum turbæ, precum vice remittit gratiarum actionē Seruator, duo pariter faciens, & gratias agens pro his, quæ de Lazaro assequutus fuerat, & circumstantem sibi turbam confirmans. Volebat enim Iesus vt hi admitterēt se à Deo missum, ad hanc vitam aduenisse. Agnouit autem se exauditum, quoniam spiritu norat Lazari animam remissam ab animarum loco, corpori eius restitutam. Nec enim censendum est quòd Lazari anima adesset corpori post suum excessum, & quòd quasi celeriter præsens cum clamasset Iesus, dixistìque, Lazare prodi foras, cōiuncta corpori fuerit. Alioquin si quis hoc de Lazari anima suspicatur, absurditatémque admittat de anima à corpore liberata, perinde quasi mortuo assideat, dicat quomodo auditus fuerit Iesus à patre, manente adhuc mortuo Lazari corpore, & anima quidē separata (aliquis eorum, qui hoc asserunt, diceret) assidente autē corpori.

De animorū à corporibus discessu & regressu.

Locus animarum.

C Vt enim hoc concedatur haudquaquā dicturi essemus, Iesum exauditū fuisse: auditurum ꝙ anima habitabat in corpore. Simile opinor factū fuisse, quādo archisynagogi suscitauit filiā, precibus etiam pro hoc habitis. Petiit enim, vt rediret anima, inhabitarétque corpus rursum. Cæterùm an simile sit necne, quod attinet ad viduæ filiū qui efferebatur, inquires tu ipse, vt inuenias consequētiam locorum omnium: nec enim alioquin tales digressiones decet nos facere. fortasse verò cognorat etiam Iesus, talis, tantusq́; , Lazari animā ipsam, vel adductam ab his, quibus hoc opus obeundum præceptum fuit, vel ab ipsa paterna voluntate, quæ Iesum exaudierat: qui cum vidisset ipsam egredientem per locum, vnde ablatus erat lapis, dixit: pater gratias ago tibi, ꝙ audisti me. Sed quoniā antehac alia etiam innumera fuerat cōsequutus, hanc ob causam non propter Lazarum modo, sed etiam propter alia priora gratias agit dicens, propter Lazarum quidem, pater gratias ago tibi, quòd audisti me, propter priora verò:

Matt. 9. Luc. 7.

Ego autem noram quòd semper me audis: id quod totum dixi, inquit, turbæ circumstantis causa, vt credant quòd tu me miseris.

SED de hoc contextu ac Lazari resurrectione hactenus quidem. Cæterùm sensus huius loci anagogicus, ex his, quæ explicuimus, haud est difficilis. Petiit enim Iesus, vt qui peccauerat post amicitiam, quam erga se habuerat, mor-

Anagoge.

Orig. tom. 2.

tuus factus Deo, diuina virtute rediret denuò ad vitā, votiq́; D compos factus est, viditque in huiuscemodi homine vitales motus, quibus gratias agit patri. Circa huiuscemodi autem mortuum stabat turba nondum credentium Iesum à Deo missum fuisse, nec sermonem hunc diuinitùs ad homines accessisse. Atque vtinam hæc turba circumstans miretur quòd aliquis adeò fœtidus factus ob peccata ad mortem, mortuúsque virtuti denuò ad vitam redierit, cúmque mirata fuerit, credat sermoni ipsam aliquando viuificaturo, quòd diuinitus ad homines aduenerit.

TOMVS VIGESIMVSNONVS.

Hæc cum dixisset Iesus, voce magna clamauit: Lazare veni foras. Et prodijt qui mortuus fuerat, manus & pedes habens reuinctos fascijs funereis: & facies illius sudario erat obuincta. Dicit eis Iesus: soluite eum, & sinite abire.

PRECATVRVS Iesus cum sustulisset oculos exauditus fuit, & precum loco gratias egit, quia diligenter perspexisset Lazari animam corpus ingressam fuisse, egentem superuentura sibi (ob E iussionem Iesu) strenuitate, & vigore ad exeundum è monumento. Quocirca postquam patri gratias egisset, voce magna clamauit robur impositura in Lazaro, magna voce opus habente, quia nondum acumine præditus esset audiendi clamorem inuitantem se extra monumentum. Atque hoc sanè opus dignum Iesu esse dicendum est, vt non solùm pro mortui vita oret, verùm etiam si in illo insonet, vocétque illum in monumento existentem, & in spelunca ad prodeundum foras. Sed notemus necesse est aliquos etiamnum Lazaros esse, qui post contractam cum Iesu amicitiam infirmati sunt, & periere: qui etiam in monumento, & in mortuorum loco manserunt cum mortuis mortui, & postea oratione Iesu, qui illos è monumento ad prodeundum foras voce sua magna vocauit, viuificati: cui qui paret, egreditur, vinculis mortificatione dignis ob priora peccata circundatus: & faciem etiamnum obuinctam habens, neque videns, neque ambulare valens, neque aliquid operari propter mortificationis vincula, donec Iesus iusserit soluentibus eum: (penes quos etiam facultas esset sinendi eum abire) & sanè quisquis dicere valet. An experimentum quæritis in me loquentis Christi, is reuera talis fieri, vt sibi Christus voce magna cū clamauerit dicat: Lazare prodi foras. sibi F inquam, qui postquam mortuus fuit, innocauit quidem, sed nō acutè, & idcirco etiā opus habebat Iesu clamore. Proinde cogita eam qui à Christo recessit, ad gentilē relapsus vitā, post acceptam veritatis cognitionem, & postquā illuminatus fuerit, gustaueritq́; donum supercœleste, particeps factus spiritus sancti, atq; gustauerit bonū Dei verbum, virtutesq́; futuri seculi: Cogita inquā talem in inferno esse cum vmbris, & mortuis, in loco ac regione mortuorū & monumētis. Simul atq; igitur peruenerit Iesus ad huiuscemodi hominis monumētū, & extra illud stans pro tali orauerit, & exauditus fuerit, postulans illius voci, illius sermonibus innasci robur, voce magna clamat illum quem sic adamabat, ad ea quæ procul adsunt à gentiliū vita, & à monumento atq; spelunca eorum vocans: quādo Iesu sectatori licet agnoscere, quonam pacto talis propter Iesu quidem vocē prodeat, sed adhuc suorū peccatorum spiris ligatus, & strictus, atq; ob pœnitentiam quidem, atque quia audierit Iesus vocem, viuens, sed nec pedibus (quia nondum liberatus sit peccati vinculis) liberis ingredi, nec res eximias liberè operari valens, manus & pedes reuinctos habens vinculis mortuorum sepulchralibus. Ac talis profectò præter in se existentem mortificationem, præter vincula etiam manuum & pedum, faciem quoque ignorantia coopertam & obuinctam habet. Deinde, quoniam non tātum voluit Iesus hunc viuere, nec amplius in monumento manere, extra monumētum cum venisset Lazarus ligatam (vt superius dictum est) faciem habens, atque impeditus, quatenus ligatus erat, è monumento prodire, dicit illis, qui huic muneri obeundo

Allegorica interpretatio.

2. Cor. 13.

Heb 7.

Peccantes post acceptā veritatis cognitionem.

G idonei erant Iesus, soluite eum & finite abire: existimo quòd
non approbans rationem conuersionis postquam peccaue-
rat, nec adhuc valens iuxta illam viuere, quòd detinerentur
animæ illius potentiæ (nempe eundi, operandi, & contem-
plandi) talis prodiit è monumento: adhuc manus, & pedes
reuinctos habens fasciis sepulchralibus, faciémque suam su-
dario obuinctam. Sed postquam dicente Iesu Christo tan-
quam Domino, soluite eum, & finite abire (his, qui soluere il-
lum poterant) ob iussionem Iesu solutus fuit pedibus & ma-
nibus, ac deposuit quod impositum faciei suæ opetimentum
fuerat, instituit iter tale, vt etiam ipse eò perueniat, vt sit vnus
ex accumbentibus cum Iesu. Iam propter illud prodiit, qui
mortuus fuerat, vinctos habens pedes & manus fasciis fune-
Differētia inter eos qui vinctos habēt pedes & manus. reis, dicendum est differentiam esse inter eos, qui vinctos ha-
bent pedes & manus: nec idem esse cœpisse ligari mortifica-
tionem (nunc nanque κειρίαι vincula mortuorum signifi-
cant) & ligatum fuisse iudicio Domini, qui ingressus vt vide-
ret accumbentes, cum audisset non habentem vestem nuptia-
Matt. 22. lem de eo dixit: ligatis illius pedibus & manibus, eiicite eum
in tenebras exteriores. Insuper hoc in loco est nonnihil quod
egeat inquisitione, nempe dum dicitur: Lazari faciem suda-
rio obuinctam fuisse, & valamen impositū faciei Mosis, cum
populum alloqueretur. Impositum nanque Lazari faciei su-
H darium regebat illius mortificatas visiones: At verò Mosis
Exod. 34. velamen per œconomiam faciei illius impositum erat, ob il-
los ex populo, qui gloriam vultus eius intueri non poterant.
Sed quæ res de eo qui non indutus erat veste nuptiali, de
quo dictum est: ligatis illius manibus & pedibus, eiicite eum
in tenebras exteriores, verum perpetuo maneat vinctus, &
tenebris exterioribus (non enim additur vocabulum illud,
in seculum, vel in secula) an aliquando soluendus sit? non
enim apparet ex his quæ de ipso dicuntur, scriptum fuisse de
futura eius liberatione: nec mihi tutum esse videtur de ali-
quo pronunciare, quod assequutus non fueris, præsertim cum
literis non sit id expressum. Quæres præterea, eò quòd dicat
Iesus ipsis, soluite eum, quinam sint hi ipsi quibus dixit: ne-
que enim discipulis, neque circumstanti turbæ, ac ne Iudæis
quidem qui cum Maria erant, quique eam consolabantur,
scriptum est eum dixisse. Sed fortasse aliquis propter con-
Matt. 4. textum illum: Accesserunt angeli, & ministrabant ei, & pro-
pter sensum anagogicum huius loci suspicabitur illis etiam
Ioan. 11. dictum videri posse: Soluite eum, & finite abire. Adhuc quę-
ro, an impleuerit Iesus hoc dictum: sed vado vt suscitem
Ioan. 11. eum, quod illi subiungitur, Lazarus amicus noster dormit.
itaque inspicio, an fortè expletum fuerit hoc dictum: ego va-
Ioan. 11. do vt à somno excitem eum, cum Iesus voce magna clamans,
dixit: Lazare prodi foras: nam vox magna & clamor, non
absurdè dicetur excitasse eum. Inspicio etiam, an possis
enunciare in hoc magis impletum fuisse illud: Ego vado vt
I à somno excitem eum, quàm cum pater audita Iesu preca-
tione, Lazari animam fecit ad corpus eius redire, quod in
monumēto repositum erat. Dicturus est aliquis patrem (cum
audiuisset orantem filium) Lazari animam ex mortuis exci-
tasse, Iesum verò voce magna cum clamasset, ac dixisset, La-
zare prodi foras, id, quod antea promiserat, implesse: sed va-
do vt suscitem eum. Atque hoc quidem qui astruit, differen
Ioan. 11. dicens hoc dictum: Lazarus amicus noster dormit, ab hoc,
Lazarus mortuus est, dicet ad vocabulum, dormit. Iesum pro-
misisse: vado vt suscitem eum ex mortuis. At verò qui soluit,
apparentem esse in his differentiam, & dans Lazari ex mor-
tuis resurrectionem commune opus fuisse, tùm filij precan-
tis, tùm patris exaudiētis, vtetur testimonio Domini ad Mar-
Ioan. 11. tham, dicentis: Ego sum resurrectio & vita: addétque illud
etiam: vt enim pater suscitat mortuos & viuificat, sic etiam
filius, quos vult, viuificat: multi igitur ex Iudæis qui venerant
ad Mariam, cum vidissent quæ fecisset Iesus, crediderunt in
Ioan. 11. eum: Quemnam eorum, qui demersi admodum fuere vitio,
tanquam mortificatione, & fœtore, quique summa mutatio-
ne facta deposuerunt (imperio & cooperatione filij Dei)
non solùm multum fœtorem ex peccato contractum, verum
etiam vincula vires animæ detinentia (nempe vires eundi, &
operandi, atque etiā præterea vim contemplandi) quem nam
inquam non mouerūt hæc ad credendum, atque etiā ad verè

credendum prædicationi Iesu? Perculsi enim qui gloriabātur K
se multa diligentia adhibita exercere in verbo Dei, plenitudi-
nem verò eius non perceperant, crediderunt: præsertimque
credituri erant, quòd propter mortuum, & omnino despera-
tum, quem & ipsi deploratum habebant, ad Mariam venerāt
officij gratia: plorātem ob fratris casum, quorum etiam causa
potius, quam eius qui mortuus fuerat, cū venissent ad defun- *Ioan. 11.*
cti speluncam, sustulit oculos sursum, & dixit: Pater, gratias
ago tibi, quod audisti me: Ego autem noueram quòd semper
me audis. Quod enim horū gratia magis quàm Lazari huius-
cemodi gratiarū actionem reddiderit, perspicuum est ex his
verbis: nempe propter circumstantem turbam: vt multi Iu-
dæorum, qui ad Mariam venerant, quique viderunt, quæ fe-
cisset Iesus, in ipsum crederent. Sed audi etiam de his, verum
non tantùm corporaliter.

Quidam autem ex eis abierunt ad Pharisæos, & dixe-
runt illis, quæ fecisset Iesus.

NON nihil ambigui habet hic contextus. Vtrum *Qui essent quidā*
qui inde ad Pharisæos concesserant, dixerántque *erga Chri-*
ipsis, quæ fecisset Iesus, essent ex ea Iudæorū mul- *stum.*
titudine, qui crediderant in eum, conspectis his
quæ fecisset, hoc agentes, vt etiā eos flecterent, qui hostili ani-
mo erga Iesum erāt affecti, nunciātes, quæ Lazaro euenissent, L
an alij (præter illos multos qui crediderant) ceu ædito mira-
culo non moti ad credendum in Iesum: imò potius quantum
in seipsis erat Pharisæos, atq; zelum malum in seipsis existen-
tem, excitantes cōtra Iesum per ea quæ de Lazaro nunciabāt,
id quod videtur magis mihi significare voluisse Euangelista.
Quo circa subiungitur: Collegerūt igitur Pharisæi, & quæ se-
quuntur. Multos igitur dicēs, intellexit eos, qui cōspectis his,
quæ circa Lazarum egerat, crediderant: quemadmodum pau-
ciores dixit esse, qui huiusmodi nō essent, dicens: Quidam ex
ipsis abierunt, & quæ sequuntur. Adhibe verò animum his,
quæ dicturus sum, nempe an huius approbationem moue-
re nos possit, quod dictum non fuerit: Multi igitur ex Iu-
dæis, nempe hi, qui venerant ad Mariam, & viderant quæ
fecisset Iesus, crediderunt in eum, sed scriptum sit: Multi
igitur ex illis Iudæis, qui venerant ad Mariā, & viderant, quæ
fecisset Iesus, crediderunt in eum. Moueor præsertim ob ana-
gogen, num fortè omnes οἱ θεασάμενοι τουτέστι θεωρήσαν- *Anagoge.*
τες, καὶ συνιέντος, hoc est, qui viderant, & contemplati
fuerant, & intellexerant, quæ fecisset Iesus, crediderint in
eum, cum contra de his, qui abierunt ad Pharisæos, & dixe-
runt illis, quæ fecisset Iesus, non dicatur, quòd viderint, &
contemplati fuerint. Et fortasse quia laudi datur his, qui cre- M
diderunt, vocabulum videndi, seu contemplandi, hi qui abie- *Contēplari*
runt ad Pharisæos, non habent vocabulum videndi seu con- *& videre.*
templandi. Quandoquidem si etiam hi, qui in eum credi-
derunt, contemplati fuissent, scriptum esset: quosdam ex his
ad Pharisæos concessisse, dixisséque ipsis, quæ contemplati
fuissent, fecisse Iesum vel se contemplatos fuisse, quod fe-
cisset Iesus, nunc autem vocabulum contemplandi haudqua-
quam dictum est de hisce, sed de his, qui crediderant, & ve-
nerant etiam ad Mariam, & viderant, quæ fecisset Iesus: pro-
pter quos etiam opinor eum dixisse, sed propter circumstan-
tem turbā dixi, vt credant, quòd tu me miseris.] Pariter etiam
huc mentem adhibe, num possis eos solos, qui ad Mariam
venerint, quique contēplati fuerint, quę fecisset Iesus, quique
in ipsum crediderint, dicere (quia multi essent) fuisse turbam,
circum Iesum stantē, cuius causa dixit illud: Pater, gratias ago
tibi, quoniam audisti me, ego autem sciebam, quod semper
me audis.] Nam si hæc dixit turbæ circumstantis causa, vt cre-
derent, quòd pater illum misisset, & propter hoc loquens di-
xit, vt turba circumstans credat, haudquaquam ad patrem lo-
quuturus fuerat, perinde atq; aliquis homo futurorum igna-
rus (si futurū erat, vt aliquis ex ipsis non crederet) propter tur-
bam circūstantem dixi, vt credant, quòd tu me misisti. Proin-
de vide, ne fortè qui venerant ad Mariam, & cōtemplati fue-
rant, quæ fecerat, & crediderant in eū, soli sint turba circum-
stans Iesum, cæteros verò neque contemplatos fuisse, quæ fe-
cerat Iesus, neque circa eum stetisse.

Collegerunt

A *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, ac dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa edit, si permiserimus eum sic, omnes credent in eum, venientque Romani, & tollent, tum locum nostrum, tum gentem.*



Qvod attinet ad contextum, Pharisæi, & Pontifices videbant facillimum factu esse, vt ob magnitudinem prodigiorum, ac virtutum quas fecisset Iesus, totus Iudæorum populus traduceretur ad credendum in eum, & traductus despiceret cultum illius loci corporalem, tum leuiticum, tum sacerdotalem: adeò vt res huiuscemodi, prætextus fieret (quia non fouerent Iudæi locum) vt Romani haberent (causa Seruatoris) tum locum dictum (quod ab illis plurimi fiebat) tum gentem Iudæorum totam, nolentium omnino seruare confessionem quòd essent Iudæi ipsi. Deinde quoniam cultum diuinum & locum, & gentis multitudinem omnibus præferebant, quæ præ his maioris esse momenti censebantur, hanc ob causam consilium agitant contra Iesum, ne sinant eum viuere. Arbitrórque eos simili modo dixisse: Hic homo tanquam ad destruendam gloriam eius: Nec enim credebant his quæ superius dixerat (nempe quòd esset ipse Deus) cum lapidare eum voluerunt, tanquam pro blasphemia dicentes illis: Tu homo cum sis, facis teipsum Deum, quando etiam sua benignitate respondit docés, omnem ad quem sermo Dei factus est, dici Deum à Deo cum non valeat solui, vel dissolui scriptura prophetica, quæ hoc enunciat. Licet etiam ex his, quæ pharisæi & pontifices dixerunt, considerare illorum apertam malitiam, & cæcam: Apertam quidem, quoniam attestabantur illi eum multa fecisse signa, posséque huic, qui tot signa egerat, insidias strui, perinde quasi sui causa nihil posset contra factas sibi insidias: id quod ipsum etiam nihilominus cæcitatis erat, cum eiusdem esset, qui multa fecisset miracula, insidias etiam superare nolentium eum sic dimittere: Nisi fortè credebant eum facere miracula, & ita suspicabantur ea non fieri virtute diuina, ita vt hanc ob causam, omnia ipse non posset, neque se eripere ex illorum insidiis. Atque illi quidem cogitabant non dimittere eum, existimantes futurum, vt hac ob causam impedimento essent credentibus in eum, & Romanis qui ablaturi erant ab eis, tum locum, tum gentem. Verum quia dominus dissipat consilia gentium, & reprobat cogitationes populorum, nihilominus etiam si non dimiserunt eum, & omnes gentes seruierunt ei, & Romani venientes tulerunt illorum locum. Alioquin vbi diuinum, quod illi vocant templum? Atque etiam tulere gentem, ablatis illis è loco vix concedentes illis stare, vbi vellent, & in dispersione. Quòd si audere necesse est in sensum anagogicum horum verborum, dicemus horum qui ex circuncisione sunt, locum gentes accepisse, quia illorum lapsu salus venerit gentibus, quo ipsis Iudæi æmularentur, & pro gentibus Romanos fuisse dictum, hoc est pro subditis, eos qui rerum potiebantur: proinde gens à gentibus ablata fuit: Qui enim populus non erat, factus est populus, & qui ex Israel erant, non amplius sunt Israelis, quique semen erant, eò non peruenerunt, vt filij fierent, quarum rerum causa multa fuere Iesu miracula. Et quia diruisit illum pater superiorem factum pontificum & pharisæorum, qui concilium aduersus eum collegerant consilio. At verò pontifices, & totus Iudæorum corporalis cultus, pharisæique, & tota legis doctrina, iuxta literam insidias molitur veritati Iesu, vultque figuram subsistere, veritatis manifestationem impediens, & non secus ac caro, etiam hanc ob causam concupiscit aduersus spiritum. Sed fortior cum sit spiritus concupiscés aduersus carnem, & verus Seruator nostri principatus sacerdotij, spiritualisque illius doctrina pontificum, pharisæorúmque concilium aduersus eum insidias struentium dissoluit. Hæc autem etiam nunc fieri censendum est, vt est cernere in his, qui spiritualem Christi doctrinam per conspirationem Iudaicam dissoluere volunt.

Ioan. 11. *Ioan. 8.* B *Ioan. 10.* *Pharisæorũ malitia.* *Psal. 32.* C *Rom. 11.* *Gal. 5.*

D

Vnus autem quispiam ex eis, nomine Caiaphas, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec perpenditis expedire nobis, vt vnus homo moriatur pro populo, ac non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, vaticinatus est Iesum moriturum esse pro gente: & non tantum pro gente, sed vt etiam filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.



Caiaphas igitur pōtifex, cum esset anni illius, prophetauit quidem Iesum moriturum pro gente, & non pro gente tantum, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum, haud tamen propheta erat: Quòd si Balaam prophetauit, quæ in Numerorũ libro sunt scripta, dicens: Verbum quod immiserit Deus in os meum, hoc loquar, & quæ sunt ab eo loco, ex Mesopotamia accersiuit me, & quæ sequuntur, perspicuum est quòd propheta non erat: Augurem enim fuisse scriptum est: Atque si aliquis quidem propheta est, prophetat, sin verò quis prophetat, non continuò etiam est propheta. Tanquam si de re alia quapiam meliorem dicerem: si quis est iustus, ius etiam persequitur, ac si quis ius persequitur, nō tamen statim iustus est: id quod intelliges notás dictum illud, iuste, quod iustum est, persequeris, quandoquidem hæc vocula iuste, non frustra præposita fuerit illis voculis: quod iustum est, persequeris. Facillimũ enim factu esse reor, vt ius quis persequatur, sed non iustè. Etenim qui faciũt opus aliquod ex se bonum, vt ab hominibus glorificentur (verbi gratia in pauperes benefici) rem quidem iustam fecerũt, haud tamen ex habitu Iustitiæ, sed ob vanam gloriam. Ac mea quidem sententia iuxta comparationem dicti huius: iuste ius persequeris, diceret etiam hoc: modestè id quod modestum est persequeris, & viriliter id quod virile est persequeris, & sapienter id, quod sapiens est, persequeris: ac deinde similiter in cæteris virtutibus. Hæc autem diximus, vt conferremus cum propheta augurem, qui similis illi cum sit, non tamen est propheta. Hanc etiam ob causam continenter in prophetis à prophetis dici arbitror: dicit Hieremias propheta, & si quid his est simile. Porrò qui nominum vim tenent inquiunt, non continuò si quis quid fecerit quod ad medicinam spectet, vel rem quampiam quæ ad sanitatem conducat, illum medicum esse, neque si quis quid fecerit quod ad artem ædificandi pertineat, domorum fabricatorem esse. Insuper ex his quæ de Caiapha scripta sunt, qui de Seruatore prophetauit, dicere possumus: animam quoque prauam suscipere prophetandi munus. Accusatur enim ab Euangelistis Caiaphæ prauitas, qui erat pontifex anni illius, quando Seruator noster, dum pro hominibus pateretur, perfecit œconomiam. Matthæus etenim inquit: Tunc profectus vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotes dixit: quid vultis mihi dare, & ego vobis illum tradam? at illi constituerunt ei triginta argenteos, & paulò post inquit: Iudas vnus ex duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis, & fustibus à pontificibus, & senioribus populi. Atque in his quidem pontificibus intelligimus etiam inesse Caiapham, quod de illo testatum sit eum pontificem esse anni illius. Apertè autem post hæc Matthæus inquit: At illi comprehensum Iesum abduxerunt ad Caiapham pontificem, vbi scribæ, & seniores conuenerant: post pauca etiam infert. Pontifices autem, & concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt morti eum traderent, & non inueniebant, etiam cum multi falsi testes accessissent: postremò autem aduenerunt duo falsi testes & dixerunt: hic dixit, possum destruere templũ Dei, & in triduo ædificare illud. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: nihil respondes? cur isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat. Et respondens princeps sacerdotum dixit illi: adiuro te per Deum, vt dicas nobis an tu sis Christus filius Dei, dicit illi Iesus, tu dixisti: Veruntamen dico vobis, iam hinc videbitis filium hominis sedentem à dextera potentiæ, & venientem in nubibus cœli. Tunc princeps sacerdotum disrupit vestimenta sua, dicens: proloquutus est blasphemiam, quid insuper egemus testibus? Ecce nunc audistis blas-

Non omnes qui prophetant vero sunt propheta. *Num. 24.* *Num. 23.* *Deut. 16.* E *Matt. 6.* *Ex habitu iustitia aliquid facere.* *Simile.* *Matt. 26.* F

G phemlam eius, quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: reus est mortis, deinde rursum post alia: & cum accusaretur à principibus sacerdotũ & senioribus nihil respon- *Matt.27.* dit, rursúmque post pauca. Principes autem sacerdotum & *Matt.28.* seniores, persuaserunt multitudini vt peterent Barrabam, Iesum verò perderent. Postea post resurrectionem Seruatoris, abeuntibus Maria Magdalena & altera Maria, ecce quidam ex custodia venerunt in ciuitatem, ac nunciarunt principibus sacerdotum omnia quæ acciderant: & congregatis cum senioribus, consilio capto, pecuniam numerosam dederunt militibus dicentes: Dicite, discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus: & si hoc auditum fuerit sub præside, nos persuadebimus ei, & securos vos faciemus.

Luc.22. At Lucas scripsit quòd egressus fuerit Sathanas in Iudam, cui cognomen erat Iscariotes, qui erat ex numero duodecim, abiitque & locutus est cum principibus sacerdotum, ac magistratibus, quomodo eum traderet illis. Deinde post pauca dixit, inquit, Iesus iis, qui venerant ad se principibus sacerdotum, ac magistratibus templi & senioribus: Quasi ad latronem existis cum gladiis & fustibus, & post pauca. Comprehensum autem eum duxerunt, & induxerunt in domum principis sacerdotum. & adhuc post pauca: Stabant autem principes sacerdotum, & scribæ accusantes eum. Rursúmque post pauca: Vt illuxit, conuenerunt seniores populi, principes sacerdotum & scribæ duxerúntque illum in concilium *Mar.14.* suum. Porrò Marcus inquit: Iudas vnus ex numero duode- H cim accessit ad summos sacerdotes, vt proderet eum illis: hoc autem illi audito gauisi sunt & polliciti sunt ei pecuniam se daturos. & post pauca: Adhuc loquente Iesu accedit Iudas, qui erat vnus è duodecim, & cum illo turba multa, cum gladiis & fustibus à summis sacerdotibus & scribis & senioribus, & post pauca: Abduxerunt Iesum ad summum sacerdotem Caipham, & conueniunt ad illum omnes summi sacerdotes & seniores & scribæ, deinde rursum post pauca: & surgens summus sacerdos interrogauit Iesum dicens: non respondes quicquam? quid isti aduersum te testificantur? At ille tacebat, neque quicquam respondebat. Rursum summus sacerdos interrogabat eum dicens: Es tu ille Christus filius illius benedicti? At Iesus respondens dicit illi: tu dixisti, ego sum, & videbitis filium hominis sedentem à dextera potentiæ, & venientem cum nubibus cœli. At summus sacerdos di- *Mar.15.* laceratis vestibus suis dicit: Quid præterea opus habemus testibus? Deinde post pauca: Et diluculo consilio inito summi sacerdotes cum senioribus & scribis ac toto consessu, vinctum Iesum abduxerunt in aulam, tradiderúntque Pilato, Deinde post pauca; accusabant eum sacerdotes de multis: ipse verò nihil respondit. Ioannes etiam inquit. Ducunt Iesum à Caipha in prætorium. Hæc autem diutius exposuimus, vt multis omnium Euangelistarum testimoniis ostendere- I mus dissolutionem vitiositatis Caiaphæ, & quòd aduersum Iesum contendens nihilominus prophetarit. Atque quòd prophetarit, manifestè docuit nos Ioannes. Sed quæres, an qui prophetat, is omnino à spiritu sancto prophetet, etiam si aliquibus non videatur hoc dictum quæstionem postulare. Verum quomodo non est hoc quæsitu dignum, si Dauid post *Sap.1.* peccatum in Vriam commissum, timens ne ab se auferretur *Psal.51.* spiritus sanctus inquit: Spiritum sanctum tuum ne auferas à me? Quòd si quis etiam admittat illud, spiritus disciplinæ effugiet dolosum & recedet à prauis consiliis, apertè videbitur ostendere spiritum sanctum animam fugere, etiam si in ea *1.Cor.12.* xnte dolus, & peccatum habitauerit. Sic autem quæsitu dignum est illud de spiritu sancto, an in peccatrice quoque anima esse possit, vt aliquis dicturus sit, in ipsis quoque peccatoribus esse spiritum sanctum: quando quidem nemine valente dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto, multi tamen peccatores affecti inueniantur erga Iesum, tanquam erga dominum. Ac forte, quoniam qui peccant, postquam ipsum acceperint, non assequituri sunt remissionem, hanc ob causam dicitur cuidam lapso in spiritum sanctum: om- *Matt.12.* ne peccatum, & blasphemia remittetur filiis hominum: At verò de his, qui post acceptum spiritum sanctum peccauerint, illud: Qui verò in spiritum sanctum blasphe- *Matt.12.* miam dixerit, non habet remissionem neque in hoc seculo, neque in futuro. Blasphemat enim operibus, & sermoni- K bus peccati in præsens, in spiritum sanctum, qui peccat spiritu sancto præsente in eius anima. Sic enim dicet aliquis dictum illud fuisse, quod in epistola ad Hebræos hunc in modum scriptum est. Difficile factu est, vt qui semel illu- *Hebr.6.* minati fuerint, gustauerintque donum supercœleste, parti- *De peccato in spiritum sanctum.* cipésque facti fuerint spiritus sancti, & donum dei verbum degustarint, potentiásque futuri seculi, prolapsíque fuerint, ab integro renouari ad pœnitentiam: crucifigentes sibimet ipsis filium dei, & infamantes. Attende enim his verbis. Participes facti spiritus sancti, ex aduerso, quòd Caiaphas, etiam si prophetarit, nihilominus non habuerit in se spiritum sanctum, dici posset illud: Nondum erat spiritus, quòd non- *Ioan.7.* dum esset Iesus glorificatus. Quòd si ne in Apostolis quidem erat spiritus, antequàm glorificaretur Iesus, quanto magis non erat in Caiapha? proinde cum surrexisset Seruator in- *Ioan.20.* sufflauit discipulis, & dicit illis: accipite spiritum sanctum, & quæ sequuntur. Atque audacter quidem addet aliquis ad illud, Quòd non ex spiritu sancto prophetauerit Caiaphas, quæ dicenda sunt. Similiter igitur dicet iste, malos etiam spiritus posse testimonium præbere Iesu, & prophetare de eo non secus, atque ille, qui dixit. Noui te quis sis: nempe ille *Mar.1.* sanctus dei, & vt illi qui rogabant eum, vt præciperet illis in abyssum abire, & dicentes: venisti ad perdendum nos. Quin in Apostolorum quoque actis hæc scripta sunt. Contigit vt *Act.16.* euntibus nobis ad precationem puella quædam spiritum pythonis habens nobis occurreret, quæ quæstum magnum L præstabat dominis suis diuinando: hæc subsequuta Paulum, ad nos clamabat dicens: isti homines serui dei excelsissimi sunt, qui annunciant nobis viam salutis. Proinde qui his te- *Quid differt prophetia à diuinatoris spiritus oratione.* stimoniis vtitur, dicet nihil distare à prophetia orationem spiritus diuinatoris, testimonium præbens Apostolis, & admonens audientes, vt viam salutis, quæ annunciabatur, crederent. Quoniam autem in medium adduximus, quæ dixit Balaam, adhibe mentem, an de illo quoque dici possit, diuinitus eum non fuisse loquutum, sed ab angelo. Stetit enim *Num.22.* inquit angelus dei in via, dum transiret ipse, ascendítque Ba- *De Balaam pseudopropheta.* laam super Asinam suam, & duo sui pueri secum. Vidénsque asina angelum domini stantem è regione in via, gladiúmque districtum in manu eius, declinauit asina de via, & iuit in campum. At Balaam verberauit asinam virga, vt rediret in viam. Stetit autem angelus in angusta semita vinearum, erátque ex vtraque parte maceria. Denique post pauca. Videns asina angelum dei, succubuit sub Balaam. Deinde post pauca, & dixit angelus dei illi: cur iam ter verberasti asinam tuam? En ego egressus sum, vt te impedirem: aberrat enim via tua coram me: & videns me asina declinauit iam ter: quæ si non declinasset coram me, te interfecto ipsam incolumem seruassem, & dixit Balaam angelo: Domine peccaui, quoniam M non noui, quòd tu aduersum me in via stares: quòd si tibi displicet, reuertar. aitque angelus domini ad Balaam, vade cum viris illis, & verbum quod loquutus fuero ad te, loqueris. Obserua enim, quòd angelus sit, qui dicit verbum, quod loquutus fuero ad te, loqueris, verùm dices, paulo pòst, deum ipsi Balaam apparuisse, dixisséque illi Balaam. Septem aras paraui, & imposui in vnaquaque vitulum, & arietem, & quòd dominus sermonem indidit ori Balaam, & dixit: Reuersus ad Balaam sic loqueris. At verò tu attende, quomodo vtraq; vera sunt, & quod ab angelo dicitur (nempe quod ego ad te dixero, loqueris) & quod scriptura pronunciat, indidit deus sermonem ori Balaam, & dixit: cæterum verò transfiximus hæc verba, factus est spiritus dñi in ipso, quod neque ea, neque his simile quicquam in cæterorum editionibus inuenerimus. Rursúmque è diuerso post pauca. Occurrit inquit deus Balaam, & indidit sermonẽ in ore eius, & dixit. Reuertere ad Balaam, & hæc loqueris. In hæc autem omnia audens aliquis, dicet: de Saule etiam dictum fuisse spiritus malus suffocabat eum. Quin etiam cum exisset spiritus *1.Reg.18. & 19.* mendax factus est in ore omnium prophetarum Achab di- cente domino: Quis decipiet Achab? & exeunte spiritu men- *3.Reg.vlt.* daci, & dicente: ego decipiam eum. Atque hæc quidem his in locis examinata sunt, cum alioquin valeat vnusquisque à semetipso consequenter his testimoniis, quæ in medium protulimus

A protulimus considerare quomodo prophetauerit Caiaphas. Vide verò an fortè hæc etiam dicenda sunt de prophetia eius, quoniam non sanctus erat, etiam si prophetarit, non tamen ex afflatu spiritus sancti propbetasse Caiapham. Vt autem quæsitu dignum est, quomodo prophetauerit Caiaphas, sic etiam in primo Regum quæres, quomodo prophetarint nuncij Saulis missi ad Dauidem, & post ipsos Saul. Scriptum est enim, & nunciatum est Sauli hisce verbis: Ecce Dauid est in Nauoth in Rama, & misit Saul nuncios qui adducerent Dauidem, & viderunt cuneum prophetarum, & *1.Reg.19.* Samuëlem stantem antistitem super eos: factúsque est spiritus Dei super nuncios Saulis, vt & ipsi prophetarent; nunciatúmque est Sauli, & misit alios nuncios, qui etiam ipsi prophetarunt: & escanduit ira Saul, concessitque etiam ipse in Ramà, & venit vsque ad puteum magnum, & ad viam quæ est in Soccoth Ophèm, & interrogans ait: Vbi est Samuel & Dauid? & dixerunt, ecce in Nauoth Ramà: & concedunt illinc in Nauoth Ramà: factúsque est spiritus domini super eum, & eundo ibat, atque prophetabat donec cùm venisset in Nauoth in Ramà, exutis vestimentis suis prophetauit coram Samuele, & procidit nudus tota illa die & tota nocte. Hinc dicitur, num & Saul inter prophetas? hæc verò necessariò apposita fuisse reor, vt clareret peccatores quoq; prophetare: & vtrū ex spiritu sancto, an ex alia potentia non men- *Saul prophetans.*

B tiente (quantum ad testificandum veritati attinet) hi prophetent. Rursúmque in primo Regum inueniuntur idolorum vates, ostendentes de arca, denuntiantésque Palæstinis, quòd si bucculæ lactentes in viam ambulauerint Iesu Bethsamitæ, sciant sibi àdeo factam fuisse plagam. Ac ne illud qui- *1.Reg.28.* dem de muliere habente spiritum pythonis, déque Samuele in his locis reticendum est: ex quibus didicit Saul futurum, vt postero die cum filiis interficeretur: quorum locorum acutatam intelligentiam is visurus est, qui disserere potest de diuersis potentiis, tùm bonis, tùm malis, atque de his etiam, quæ inter has mediæ sunt, si quæ sunt. *Potentiæ bonæ, malæ, et mediæ.* Rursus qui velit Caipham prophetasse vi potentiæ malæ, dicturus est, nil mirum esse, si mala potentia hæc dixerit, quandoquidem inueniatur diabolus non omnino ignorare Iesum dictum fuisse in his, quæ ab Euangelistis sunt scripta, filium Dei esse: cum ipse loqueretur ad dominum: dicet etiam malitiam quandam innatam esse prophetandi de Seruatore in potentia hęc operante: quippe cui scopus esset non fideles facere auditores, sed summos sacerdotes, pharisæósque, qui conuenerant in concilium aduersus Iesum, irritare, vt ipsum interficerent: quæ operatio non erat ex spiritu sancto. Vide verò, an non concitare velit auditores siue Caiaphas, siue is, qui illi vim prophetandi suppeditabat, ad interficiendum Iesum hisce verbis.

C

Vos nescitis, neque cogitatis quicquam, quia expedit nobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.



V TRVM qui dicit, expedit nobis, quæ verba sunt prophetię ipsius pars, vera narrat, an mentitur? si vera narrat seruatur Caiaphas cum his, qui in concilio aduersus Iesum contendunt, quia mortuus est Iesus pro populo: consequunturque omnes hi vtilitatem: Si verò absurdum est dicere Caiapham, eósque qui concilio aderant aduersus Iesum seruari, assequutósque eos fuisse vtilitatem, quia mortuus fuerit Iesus, perspicuum est non dici spiritum sanctum talia operatum *Hier.2.* fuisse: spiritus enim sanctus non mentitur. Qui verò velit Caiapham atque potentiam in ipso operantem vera narrare dicendo, expedit nobis, vt vnus homo moriatur pro popu- *1.Tim.4.* lo, profundius intelliget hoc dictum: expedit nobis propter rationem finis, vtetúrque eo testimonio, vt per gratiam Dei, vel sine Deo pro omni gustaret mortem: & notabit illud pro omni, & illud sine Deo, pro omni. Vtetur pariter etiam *Ioan.1.* illo: Qui est Seruator omnium hominum præsertim fidelium, & illo: Hic est ille agnus Dei qui aufert peccatum mundi, propriè intelligens auferri peccatum mundi, non partis eius. Cæterum qui verum esse dicit: Expedit nobis vt

vnus homo moriatur, dicet totum præsentem locum ve- *D* ram prophetiam esse, incipientem ab illo: vos nescitis quicquam. Nihil enim norant summi sacerdotes & pharisæi nescientes Iesum veritatem esse, sapientiam, iustitiam & pacem: Ipse enim est pax nostra. Quin etiam non cogitabant hi nihil scientes, quonam pacto conduceret illis, vt vnus homo moreretur pro populo. Iesus enim qui mortuus est, homo est: quo circa ipse etiam inquit, nunc autem quæritis me interficere hominem, qui loquutus sum veritatem: & quoniam homo est ille, qui mortuus est (non erat autem homo veritas, sapientia, pax, & iustitia, & de quo scriptum est, Deus erat sermo) non mortuus est ille Deus sermo, & veri- *Col.1.* tas, & sapientia & iustitia: Si quidem imago inuisibilis Dei primogenitus omnis creaturæ incapax est mortis. Pro populo autem moritur hic homo omnibus animantibus purior, qui peccata nostra tulit & infirmitates, quia posset vniuersum totius mundi peccatum in se receptum soluere & consumere & delere, quoniam peccatum non fecit, neque inuentus est in ore eius dolus, neque agnouit pecca- *Christus pro suo populo mortuus.* tum. Hanc etiam ob causam opinor Paulum dixisse: Deus *2.Cor.5.* fecit eum peccatum, qui non nouit peccatum, vt nos efficeremur iustitia Dei per illum: peccatum enim dixit, ipsum fecit, qui peccatum non nouit, quia cum ipse nihil peccati commisisset, omnium in se peccata recepit: & si audacius lo-

E qui audendum est magis quàm cæteri sui Apostoli, purgamentum mundi factus fuerit, reiectamentáque omnium dicentium: quasi purgamenta mundi facti sumus, omnium reiectamenta vsque nunc. Quòd autem frequenter inualescentibus rebus quibusdam asperis, veluti peste, vel fame, vel nocuis ventorum agitationibus, in hominum genere, soluantur hæc, abolito (verbi gratia) spiritu illo malo, qui hæc operabatur eò quòd aliquis seipsum pro communi salute dedit, multorum auctorum narrant historiæ tùm Græcorum tum barbarorum: hanc nostram intelligentiam, neque respuentium, neque reprobantium, quæ veræ sint, nec ne, non est præsentis temporis accuratè exquirere. *Sophocles in Antigone & Plutarchus in Alexandro magno.* Veruntamen nullibi gentium, nullis historiis aliquando mandatum est, ac ne mandari quidem potest, fuisse aliquem qui se reciperet pro toto mundo mortem obiturum, vt totus mundus purgaretur illius sanctitate: alioquin perdendus, ni pro eo lemando mortem oppeteret, quippe quòd solius sit Iesu posse omnium peccati onus in se recipere per crucem pro omnibus sine Deo, atque in gentibus suis viribus illud portare. Calluit *Esa.53.* enim hic solus ferre languorem, vt inquit Esaias propheta dicens: Homo in plaga existens, & sciens ferre languorem. Atque hic sanè peccata nostra accepit, & ægrè affectus est propter iniquitates nostras, in séque facta est punitio quæ nobis debebatur, vt pacem recipiamus dum erudimur castigati: *F*

Isto nanque modo hoc intelligo: eruditio pacis super eum, *Esa.53.* fortasse autem quia liuore eius sanati sumus (liuore ex cruce illi obueniente) sanati dicemus: Mihi absit gloriari, nisi in *Philip.2.* cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Traditus est à patre propter peccata nostra hic Iesus, qui etiam propterea ad occisionem ductus est, vt agnus coram tondente mutus. Huius in humilitate (qua humilem præbuit seipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis) iudicium sublatum est, sic enim hoc intelligo: In humilitate iudicium eius sublatum est, perinde ac diceret in humilitate eius, iudicium sublatum est, & fuit hic propter iniquitates populi Dei ductus ad mortem. Mortuus est igitur hic homo pro populo, & propter hunc non tota gens periit. Ac vide num populi nomen referre possis ad eos qui sunt ex circuncisione, gentis verò ad cæteros. Mortuus etenim est hic homo non tantum pro populo, sed etiam ne tota gens pereat: tanquàm si dixisset, ne qui vocantur gens inter Iudæos, & omnes gentiles pereant: His proximum est:

Hoc à semetipso non dixit.

G *Vnde hæc prophetia.*

HOc dicto nos discere opinor, quædam nos homines à nubismetipsis proferre, nullo spiritu nos ad id impellente: alia verò veluti insonante, ac suggerente nobis spiritu quopiam quæ dicamus, etiam si omninò à nobis non abstinent. & inconsequenter affecti erga ipsa quæ dicimus, videamur illa assequi. Contingit autem, vt assequentes ea quæ dicimus, non assequamur voluntatem, & consilium eorum quæ dicuntur: quemadmodum nunc Caiaphas pontifex, qui nec à semetipso loquutus est, nec sensum loquutus est, vt prophetiam, quia prophetiã eorũ, quę loquebatur, non intellexit.

Tit. 1. Quin apud Paulum etiam sunt quidam legis doctores, neque intelligentes quæ dicunt, neque de quibus affirmant. At verò sapiẽs non est huiusmodi, de quo loquitur in prouerbiis Salomon ille: Sapiens intelliget, quæ ex ore suo prodibunt, & in labiis suis portabit agnitionem. Ac meũ profectò est iudiciũ, casum aliquoties in causa esse prophetandi, vt nunc Caiaphæ in causa fuit, quod pontifex esset anni illius quo moriturus erat Iesus, non tantum pro populo, sed ne tota gens pereat. Cum enim alij quoque Pontifices essent (vt perspicuum est ea his quæ in medium protulimus) nullus prophetat nisi Pontifex anni illius quo passurus erat Iesus, summus Pontifex.

1. Reg. 19. Itidem casus fecit nuncios Saulis ad Dauidem missos ipsúmque Saulem, prophetare: ferè enim quia quæsierunt Dauid

H obuenit vt prophetarent: sed eo modo quo scriptum est:

Num. 22. 23. & 24. Quin & Balaam ni recepisses dilationem, dixisset: Ea Mesopotamia accersiuit me, & quæ sequuntur, ni vidisset Israelem castrametatum fuisse: & semper aliam partem exercitus videns ex nouitate rei conspectæ mouebatur ad dicendum pro Israele. Moriturus ergo erat Iesus pro gente, quæ diuersa erat à filiis Dei dispersis, vt perspicuum est hoc dicto: futurum erat, vt Iesus moreretur non tantum pro gente, sed etiam vt filios Dei qui dispersi erant, congregaret in vnum.

Filij dei dispersi qui nam. Qui nam verò alij præter gentes filij Dei dispersi essent, nunc tempus est quærere: de quibus, qui naturas introducunt, dicturi sunt illos qui iudicio eorum sunt spirituales filios esse Dei, spiritualiter non diiudicantes omnia.

Contra Valentinianos Hoc enim dicere consequens est eos qui naturas esse existimant, intelligentes hoc

1. Cor. 2. vocabulum spirituale, præter voluntatem Apostoli dicentis: Spiritualis omnia diiudicat, & ipse à nullo diiudicatur, qui-

1. Cor. 2. bus verbis efficitur, vt qui omnia non diiudicet, vel non sit spiritualis, vel nondum sit spiritualis. Quin si quis diiudicatur ab aliquo, quoniam spiritualis à nullo diiudicatur, vel non est spiritualis, vel nondum spiritualis. Vide verò, an non melius dicendum sit effici aliquem spiritualem, qui antea non esset, qui propriè iam filius etiam Dei est. Qui nam igitur sint qui dicuntur filij, si non sunt hi, qui spirituales sunt iudicio eorum, qui naturas introducunt, tempus est considerare: & vide

I an filios Dei dispersos alios à gentibus intelligere possis eos esse qui iam iusti erant in Deo cum hæc tum dicerentur: siue patriarchas, qui iam antea è vita excesserant, vel prophetas, vel quosdam alios Dei electos, siue etiam eos, qui per id temporis sani erant: quasi enim aliqui sani essent non ægrotantes, inquit, non opus habent qui sani sunt medico, sed ægrè affecti: & quasi essent etiam aliqui iusti, dicit: Non veni vocare

Matt. 9. iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Moriturus itaque Iesus erat pro gente, vt non periret, pro filiis verò Dei qui in dispersione erant, vt congregarentur in vnum sermonem, fie-

Ioan. 10. rentque vnus grex, vnus pastor: quando mea sententia, Ser-

Ioan. 17. uatoris precatio implebitur dicentis: vt ego & tu vnum sumus, vt & ipsi vnum sint. Sin verò de Israelis non natura, sed genere altius aliquid dicendum sit (de quo cum in dispersio-

Exod. 4. ne esset scriptum, est primogenitus meus filius Israel) notabis: quasi hi sint filij Dei dispersi, pro quibus moriturus sit Iesus, vt eos in vnum congregaret.

TOMVS TRIGESIMVSPRIMVS

Ab illo ergo die consultarunt vnà, vt interficerent eum pontifices & Pharisæi.

QVI concilium collegerant, & considerauerant K quid facere deberent (cum Caiaphas Pontifex, quæ superius exposuimus dixisset, & huius sermonibus fuissent incitati) consultarunt, vnà vt interficerent dominum. Quo circa quæres quo spiritu prophetarit Iesum moriturum pro gente: & vtrum sanctus spiritus hac etiam in re operatus sit, auctórque fuerit consilij aduersus Iesum, an ille quidem non fuerit, sed alius spiritus, valens in impio etiam loqui, sibique similes aduersum Iesum mouere: nihilominus vide etiam tu in Iesum, vt pro viribus superius exquisiuimus. Atque omnino qui respondere voluerit spiritum sanctum auctorem videri fuisse, vt pontifices & Pharisæi moti ex sermonibus Caiaphæ vnà consultarent interficere Iesum, dicet non alienum esse tale opus à sanctitate, quoniam ne Iesus quidem rem se indignam fecerit in ruinam, & resurrectionem multarum gentium, quæ erant in Israel veniens, & dicens: Ego in iudicium in hunc mundum veni, vt non videntes videant, & videntes cæci fiant. Vt enim opus habemus sermone sapientię, quo defendamus quomodo rem se indignam ille non fecerit, qui se huic mundo accessisse in iudicium fatetur, sic etiam in hoc, vt ostendamus Pontifices & Pharisæos ex Caiaphæ verbis vnà consultasse vt interficerent Iesum. Atque de eo quidem, quod est in iudicium ego in hunc mundum veni, in explanationibus illius loci pro viribus disseruimus, nunc verò, quòd attinet ad id quo de agitur, hæc dicentur, nempe quòd quemadmodum sacram L scripturarum intelligentiam (ob eorum vtilitatem dictam, qui ex ea iuuari quærunt) calumniantur hi, qui eam in deteriorem partem intelligunt, quo ansam habere videãtur impiam, confirmandi doctrinam eorum qui loquuntur in altitudinem iniustitiam, sic pontifices etiam & Pharisæi non rectè intelligentes factam à Caiapha de Seruatore nostro veram prophetiam (nempe quod expediret nobis, vt vnus homo moreretur pro populo & tota gens non periret) sed aliam intelligentiam esse rati in voluntate consilij Caiaphæ, ab illo die vnà consultarunt, vt Iesum interficerent. Hæc autem dico sequens hanc intelligentiam, vt spiritus sanctus sit ille, qui prophetarit in Caiapha: non omnino confirmans hoc ita se habere, sed lectoribus iudicium relinquens, vtrũ admitti oporteat de Caiapha, quòd quasi repente spiritu sancto sit motus.

Cui spiritui prophetia Caiaphæ tribuenda. *Luc. 2.* *Ioan. 9.* *Dubiũ relinquit spiritu ne sancto an maligno locutus sit per Caiapham*

Iesus ergo iam non propalàm ambulabat inter Iudæos, sed abiit illinc in regionem deserto vicinam, in ciuitatem, quæ dicitur Ephraim, ibique versabatur cum discipulis suis.

De confessione veritatis & periculis.

HÆc & his similia scripta fuisse censeo, volente Iesu nos aduertere, ne iracundius ac inconsideratius insiliamus in certamen mortis, pro veritate testimonium præbituri. Etenim honestum quidem est, si inciderit certamen pro confitendo Iesum confessionem non differre, neque tardare mortem pro veritate M oppetere. At non minus quàm hoc honestum est, tali tantæque tentationi occasionem non dare, sed omnimodo vitare eam, non solum quia tantæ rei exitus incertus sit nobis, verùm etiam, ne nos occasio simus, vt magis peccatores, magísque impij euadant illi, qui nondum sanguinem nostrum quidem re ipsa effudisse rei sunt facti, si quæ in nobis sunt facientes, declinauerimus eos, qui insidias nobis vel ad mortem vsque, moliuntur, sed puniendi alioquin maiori, grauiori quo pœna nostri causa, si nostri amantes rebus illorum posthabitis, exposuerimus nosipsos interficiendo, nulla nos necessitate vrgente. Nam si etiam qui alicui occasio peccati factus fuerit, is pœnas dabit ob ea quæ sui causa peccauerint aliqui homines, quomodo non etiam pœnas daturus est, qui cum declinandi facultatem habeat, ne proditor ille Christiani sit hominis, & insidiator cultus diuini erga Iesum, non declinauerit, imò potius concitauerit? etiam si quod ad promptitudinem attinet, fortitudinémque hac in re honore ac laude sit dignus apud Deum, quem piè colit, apúdque Seruatorem, quem confessus fuerit. Porrò quòd nostri causa hæc scripta fuerint, quo Iesum haberemus exemplar, cuius in huiuscemodi rebus imitatores essemus, docet scriptura dicens:

Quærebant

A *Quærebant igitur eum comprehendere, & nullus in eum coniecit manum, quòd nondum venisset hora eius.*



T enim iuxta hunc textum nullus in eum cõiecit manum (præsentem, & non fugientem) quia nondum venisset hora eius, sic etiam si non secessit ad tempus, quòd nondum instaret hora, cum haudquaquam detenturi fuerant: Attamen nullus in eum coniecit manum. Quocirca intelligendum est non tantum illud, si persequuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite ad aliam, & ea quæ sequuntur, sed etiam hoc, quòd quando vnà consultauerunt Pontifices & Pharisæi vt Iesum interficerent, id quòd rationi erat maximè consentaneum, Seruator non amplius propalàm ambulabat inter Iudæos: sed neq; in vrbem secessit turbis plenam, sed in quandam vrbem seorsum positam. Scriptum est enim: Iesus igitur non propalàm ambulabat inter Iudæos, sed abiit illinc in locum deserto proximum, nempe in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem. Nec sanè solus eò concessit, verùm ne vllam occasionem se quærentibus daret, discipulos etiam secum assumpsit, illicque versabatur cum discipulis. Tale quiddam est, quod in Euangelium à Matthæo tradito scriptum est: quando audiens Ioannem traditum esse, secessit in Galilæam, relictáque Nazareth profectus habitauit Capharnaum ciuitatem B maritimam in montibus Zabulon & Nephthalim: & cum tempus appeteret, vt comprehenderetur, obseruauit, ne vltra illud pateretur: neque in Hierosolymis inueniretur vel in templo, vbi frequenter docuit, neque in vllo alio simili loco: exiuit enim cum discipulis suis trans torrentem Cedron vbi erat hortus, in quem intrauit ipse & discipuli eius. Sic autem secessit per id temporis & in publico non ambulabat, vt Põtifices & Pharisæi volentes illum comprehẽdere egerent Iuda: propterea quod discipulus ipsius cum esset, probè sciret loca secessus illius.

De fuga in persecutione.
Matt. 10.
Matt. 4.
ὑπερ[illegible]

Quocirca tunc Iudas cum accepisset cohortem, & ex principibus sacerdotum ac Pharisæis ministros, illuc venit cum laternis & facibus & armis.



ÆTERNUM in hoc loco Euangelij declaratur, quòd si quidem voluisset capi, haudquaquam detentus fuisset: detentus autem fuit, cum humilem præbuit seipsum, factus obediens detinentibus eum, vel vsque ad crucem: Quando igitur exiuit, & dicit his, qui ad hortum venerant, quem quæritis? & responderunt ipsi, Iesum illum Nazarenum, cum illis dixisset, ego sum, virtute sua diuina abiere retro, humique ceciderunt. Deinde post hoc cum voluisset re- C cipere dispẽsationem atque œconomiam per passionem rursum interrogauit eos, quem quæritis? at illi dixerunt, Iesum Nazarenum. Et post pauca: Cohors & tribunus militum & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum volentem & ligauerunt ipsum se præbẽtem vinculis. Nam si pati noluisset, rursum dixisset, ego sum, & abiissent hi, rursum cum essent retro, omnésque humi prostrati fuissent. Vt autẽ talibus rebus docet nos secedere in persequutionibus, & in insidiis quæ aduersum nos struũtur, sic etiam alibi reperias cum secedere ab his, quæ bona mundus ducit, vt hanc ob causam doceat nos mundi dignitates fugere, excellentiásque in ipso existentes. Iesus enim cum aliquando cognouisset futurum, vt venirent, & raperent eum, vt illum Regem facerent, secessit in montem, sed nõ cum discipulis sed solus, ne his occasionem quidem præbens (tanquàm ipsum amantibus & volentibus cum cæteris ipsum facere Regem) vt iam mũdanè ipsorum etiam Rex esset. Hæc quidem in textum, & in doctrinam, quæ est ex euangelica litera, de secessu. At verò in anagogen talia dicuntur: Iesum olim propalàm inter iudæos obambulasse, quando sermo Dei per prophetas inter eos versabatur: Iesu enim erat propalã vox illa: hæc dicit dominus, sed nunc non amplius Iesus inter Iudæos propalam obambulat, sed inde abiit, nec est Dei sermo inter Iudęos: indéque digressus nempe à Iudæis, venit in locum deserto vicinum, de quo dicitur:

Ioan. 18.
Ioan 6.
Christus nõ amplius inter Iudæos.

multi filij desertæ magisque eius, quæ virum habet, & ad quã D dicitur: Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis. Est autem deserto vicina ciuitas Ephraim ad quam venit Iesus, non amplius propalam obambulans inter Iudæos. Sonat autem Ephraim (si interpreteris) fertilitas: fuitq; Ephraim frater Manasse, hoc est populi natu grãdioris, maximéque obliuioni tradi. Simulátque enim derelictus est populus obliuioni traditus, orta est ex gentibus fertilitas: nẽpe cum flumina quidem, quæ fuere in Israele, vertit in desertum, & venas aquarum illic existentium, in loca siticulosa. Et terram eorum frugiferam in sterile solum, propter incolarum vitiositatem, gentium verò desertum vertit in stagna aquarum, terrámque eorum siticulosam, in venas aquarum: ibi collocauit famelicos, & extruxerunt vrbem celebrem, nempe ecclesiam, vbi seminauit agros iuxta semen, quod cecidit in terram bonã facientem fructum cẽtesimum & plantauit vineas, cuius palmites erant discipuli domini, qui etiam fecerunt fructum copiosum, & benedixit eis, & multiplicati sunt valde. Quin etiam ne hos quidem, qui à ratione alieniores erãt, paruos esse cogitauit ille, qui homines & iumenta seruat. Scriptum est enim, & iumenta eorum non minuit. Ac Iudæi quidem imminuti sunt, & afflicti fuere propter tribulationem & propter mala & propter dolorem, effuditque Deus contemptum in principes propter Abraam: & errare E fecit eos per vastitatem in viam, & non in via. Deus igitur, post Iudæos, populum gentilem pauperem exemit ex mendacitate, tractauitque familias velut oues, quos videbũt mox angeli & lætabuntur, & omnis iniquitas obturabit os suum. His in psalmo sexto supra centesimo prophetatis, subiungitur, quisquis igitur sapit custodiet hæc & intelliget: benefico enim existente domino in gentileis, sapiens hæc custodiet intelligens beneficia domini. Iesus igitur non amplius in publico obambulabat inter Iudæos, sed inde abiit in locum totius orbis ecclesiæ deserto vicinum, nempe in vrbem Ephraim, quæ dicitur frugifera ciuitas, illicque versabatur cum discipulis. Estque ad hunc vsque diem Iesus cum discipulis in vrbe quam vocant Ephraim deserto vicinam, nam adest fertilitati, & in orto sanè huius Ephraim dicet illius genitor dominus noster frumenti erogator (qui seipsum humilem præbuit factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis) auxit me Deus in terra afflictionis meæ.

Gal. 4.

Instabat autem pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierosolymam è regione ante pascha, vt purificarent se. Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur inter se in templo stantes: Quid videtur vobis, quòd non venerit ad diem festum.

F



ON idem censendum est esse Pascha domini, & Pascha Iudæorum. Nam Pascha secundum legem, ad dominum pertinet, ad eos verò qui sunt exleges, Pascha Iudæorum. Quocirca animaduertendũ est quando dicitur Pascha domini, & alij dies, & quando non domini, sed eorum qui redarguuntur ob peccata. Verbi gratia, in Exodo post alia scriptum est de paschate in primo præcepto: Et comedetis illud festinanter. Pascha est enim domini. Et in secundo: Si dixerint ad vos filij vestri, qui nam cultus est vobis iste? respondete, victima est pascha domini, quoniam protexit domus filiorum Israel in Ægypto. In Esaia verò non sui ipsius, sed peccatorum loquitur dominus esse nouilunia, & sabbata, & ieiuniũ, & ferias, & festiuitates, quòd si festiuitates, liquet etiã quòd pascha, cum hæc vna sit inter festiuitates. Scriptum est autem hunc in modum: Nouilunia vestra, & sabbata vestra, & diem magnum non tolero: ieiunium, & ferias, & nouilunia vestra, & festiuitates vestras odit anima mea. Quin in vno ex duodecim prophetis scriptum est. Odi ac detestor festiuitates vestras: & iuxta expositam eloquutionem, Pascha non domini, sed Iudæorum erat: dictúmque est Iudæorum Pascha, quòd in ipso insidias molirẽtur Seruatori nostro. Opinor etiam illis prophetiçè dictum fuisse: odi atque abominatus sum festiuitates vestras: opus enim non congruens festiuitati Dei, sed scelestum in ipso Paschate fecerunt, interfecto Iesu. Verũtamen

Quid sit inter pascha domini & Iudæorum.
Exod. 12.
Esa. 1.

G men ante hoc Pascbs Iudæorum, mulri ascenderût ex regio- *Purificatio Iudaica.* oe, vt se purificarent. Præoccupans autem dicerem, multos non consideraſſe, quomodo purificarent ſeipſos, propterea quòd exiſtimantes ſuum ipſorum Paſcha cultum præſtare Deo, tantũ abfuit vt ſe purificarent, vt etiam ſceleſtiores fierent quàm erant antequàm ſanctificarent ſeipſos. Dixerunt enim Pilato, qui Ieſum illi tradiderunt, Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam, propter quos ille dixit Seruatori: Nunquid ego Iudæus ſum? gens tua & põtifices tui tradiderunt te mihi. Ac ſanè qui dicebant ſe aſcendiſſe, vt purifica- *Mat. 27.* rentur, clamauerunt dicentes Pilato: Hunc ne dimiſeris, ſed *Luc. 23.* Barabam: erat autem Barabas latro, & rurſum reſponderunt *Ioan. 19.* Iudæi: Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit. Et rurſus Iudæi clamauerunt ad Pilatum dicentes. Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: nam quiſquis ſe regẽ facit, contradicit Cæſari. Ac rurſus clamauerunt Iudæi tolle, tolle, crucifige eum. Ac ſanè qui aſcenderant ante Paſcha ſeipſos purificaturi dicant in eodem Paſchate. non habemus regem niſi Cæſarem. Cæterum quod diſcipulis Seruator dixerat prophetans ac dicens: venit hora cũ quiſquis vos interfecerit, videatur cultum præſtare Deo, in ſeipſo cum incœpiſſet impletum eſt. Qui nãque dignum eſſe cenſuerunt vt moreretur, qui que aſcenderant Hieroſolymã ante Paſcha, vt ſe purificarent, videbantur cultum præſtare H Deo. At verò purificatio vera non ante paſcha, ſed in ipſo Paſchate erat tum ſcilicet quando Ieſus mortuus eſt pro his qui purificabantur, velut agnus ille Dei, & tulit peccata mundi. Ac profectò Ieſum quærebant hi Iudæi non vt adiuuarentur, ſed vt eum interficerent, quibus dixerat: Nunc verò quæritis interficere me hominem qui veritatẽ locutus ſum vobis quam audiui à Deo, & ſanè in templo ipſo ſtãtes colloquebantur inter ſe de Ieſu: Quid videtur vobis quòd non venerit ad diem feſtum? At non vbi hi ſtabant diem feſtum agebat Ieſus, ſed in cœnaculo magno ſcopis purgato & mun- *Luc. 22.* dato, vbi deſiderio deſiderauerat Paſcha manducare cum diſcipulis antequàm pateretur. Dices igitur eos etiãnum in tẽplo ſtare quærentes Ieſum, innixos veluti ſacris ſcripturis: ſed quia quærentes ignorent eum qui venit, huic quidem maledicere, diuerſum verò ab hoc cõfiteri Chriſtum. Adhibe verò mentem, an dicere poſſis, alios quoque Iudæos eſſe qui aſcendãt Hieroſolymam, veniãntque ad vrbem Dei ex regione quæ eſt extra Hieroſolymam, veniãntque vt purificati diẽ *1. Cor. 5.* feſtum tum agere, poſſint cũ Paſcha immolatus fuerit Chriſtus, non fermento veteri, neque fermento malitiæ & verſutiæ, ſed in panibus fermento carentibus, hoc eſt ſynceritate & veritate. Huiuſmodique ſanè quærent Ieſum in templo ſcripturarum ſtantes, & inter ſe dubitantes, an venturus ſit Ieſus ad diem feſtum.

I

Dederant autem Pharisæi & pontifices mandatum, vt si quis cognouisset vbi esset, indicaret, vt comprehenderent eum.

De secessu in persecutione. VIDE vt dictus eſt ſeceſſiſſe, quo nos etiã diſcamus in tempore idem facere. Ac profectò attende, neque Pontifices neq; Phariſæos noſſe vbi ſit Ieſus: & quòd neſcientis, dent mandatum, vt ſi quis agnouerit vbi ſit indicet illis, vt comprehendant eum. Atque etiam aliter dices, quòd qui Ieſu inſidias moliuntur, neſciunt vbi ſit, quam ob cauſam alia dant mandata à mãdatis Dei, docentes doctrinas, hominúmque mandata. Et ſunt ipſorum mandata, quæ Phariſæi præbent & pontifices corporalium Iudæorum aduerſus Ieſum. Volunt enim quoſdam indicari ſibi Ieſum, vt illum mancipium acceptum prodant, & dices, omnem curioſè perſcrutantem Chriſtianiſmum quo ſubuertat illud & accuſet, Phariſæum quendam eſſe, & non bonum põtificem: rerum ratione carentium dantem mãdata, quibus exiſtimat ſe docere Ieſum, vt ipſum ſibi indicatũ comprehendat, & contumeliis affectum occidat. Verum cum ſatis inſcriptionis acceperit primus & trigeſimus tomus explanationum in Euangelium à Ioanne traditum, hoc in loco finiemus orationem, in ſecũdo & trigeſimo quæ ſequuntur, proſequuturi, Deo dante.

TOMVS TRIGESIMVS SECVNDVS.

K

DEO nobis per Ieſum Chriſtum iter ex animi ſententia largiẽte, gradimur per Euangelij ſancti viam magnam, eámque viuentem, vt ad ipſius etiam finem perueniamus, ſi per eam à nobis agnitam ambulauerimus, atque vtinam cũ nunc veluti ſecundam & trigeſimam ſtationem, in his quæ dicentur ingredi conemur, nobis columna illa lucidæ nubis Ieſu, quæ nos præcedat cum opus erit, rurſúſque ſtet cũ opportebit, donec ô Ambroſi homo ſacer idémque frater, totum copioſis commentationibus explanauerimus Euangelium, non ſuccumbentes ob longitudinem viæ prolixæ, neq; defatigati ob noſtram infirmitatem, ſed conantes incedere per veſtigia columnæ veritatis. Vtrum autẽ velit Deus, mentem noſtram iter perficere ſcripturæ totius Euangelij à Ioanne traditi explanationibus an non, ipſe nouit. Tantum domi exiſtentes in corpore, & ab ipſo peregrinantes, vt præſentes adſimus apud dominum, extra Euangelium non eamus, vt operibus, ſermonibúſque beatitudines ferentibus, in Paradiſo deliciarum Dei fruamur.

Et cœna facta cum diabolus iam immisisset in cor Iuda Simonis Iscariota, vt proderet eum, sciens Iesus omnia dedisse sibi patrem in manus, séque à Deo exisse, & ad Deum abire surgit à cœna, & ponit vestimenta, cúmque accepisset linteum præcinxit se, deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo præcinctus erat. *Ioan. 13.* L

IN Homiliis, quas in Lucam ædidimus, parabolis inter ſe collatis, inquiſiuimus quid in diuinis ſcripturis ſignificaret prandium, quidque rurſus in his ſignificet cœna, dicatur ergo etiã nunc, quòd prandium ſit illi primus cibus qui *Exempli vera huius locus.* lis, qui introducuntur, conuenit, atque etiam antequàm finiatur dies ſpiritualis, qui in hac vita obtingit, cœnam verò eſſe vltimum illum cibum, qui rationabiliter apponitur his, qui plus profecerunt, niſi dicat etiam aliquis, prandium eſſe in- *Prandiũ et cœnam mysticè quid significent.* telligentiam literarum antiquarum, cœnam verò myſteria, quæ in nouo teſtamento ſunt recondita. Hæc autem in prooemio dicta mihi fuere exquirenti, quomodo facta cœna ſurgit Ieſus, & miſſa aqua in peluim, cœpit lauare pedes diſcipulorum, arbitror enim ego, eos qui cum Ieſu cœnãt, cibum cum ipſo percipientes, in vltimo huius vitæ die, purificatione quidem aliqua opus habere, cũ tamen non opus habeant, vt primæ partes corporis animæ (vt ita loquar) illorũ lauentur ſed vt aliquis diceret, illa illis tãtum lauanda ſint, quæ ſunt vltima, & extrema, & quæ in terra neceſſariò verſantur, hánc- M que purificationem primum quidem à nullo, præterquàm à ſolo Ieſu fieri poſſe, deinde verò etiam à diſcipulis ſuis, quibus dixit: debetis & vos mutuò lauare pedes, exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ſic & vos faciatis. Quin Euangeliſta etiam videtur mihi, excitans mentem noſtram ad intelligentiam ſpiritualem præſentis loci, nõ obſeruaſſe hoc in loco corporalem lauandi conſequentiam & ordinem: quandoquidem qui opus habent lauari ante cœnam, antéque cœnæ accubitum pedes lauent, ſed id temporis cum ſermone conſumpſiſſet, ſcripſiſſe Ieſum, qui iam accubuerat cœnandi cauſa, à cœna ſurrexiſſe, vt diſcipulorum, qui iam cœnarant, magiſter & dominus inciperet pedes lauare: nãmque ante cœnam loti erant, & facti mũdi loti, pro- *Esa. 1.* pter illud, lauamini, mundi eſtote, auferte vitia ab animabus veſtris, coram oculis veſtris, & quæ ſequuntur: poſt quod lauacrum ſecunda etiam aqua egebant ad ſolos pedes, hoc eſt ad eas ſolas partes, quæ infimæ ſunt. Nam alioquin facile *Animæ sordium ablutio.* factu non eſt, vt anima nihil ſordium contrahat, ne in extremis quidem partibus, & quæ infimæ ſunt, etiam ſi quo ad homines perfectus quis eſſe videatur, atque multi quidem etiã poſt baptiſmum peccatorũ puluere caput replent, vel ea quæ ſunt paulo inferiora, qui verò germanè ipſius Ieſu diſcipuli fuerint, adeò vt eò perueniant, vt etiam cũ eo ipſo cœnent,

ſolos

A solos pedes habent, qui egeant lauari ἀπὸ τῦ λόγου, hoc est
à filio Dei, & ratione, & certè qui videt diuersitates peccato-
rum, quíque peccata considerat (quantum ad accuratam, &
constantem rationem) quæ nec peccata existimantur esse a-
pud multos, is visurus est quæ nam sint illa, ob quæ opus ha-
beant pedes lauari à Iesu. Sin verò talia sunt pedum inquina-
menta, quid facturi sumus nos, qui nunquam ad cœnandum
cum Iesu peruenimus? quíque non pedes tantum habemus
inquinatos? dicente Iesu Petro tùm nescienti, sed agnituro
postea mysterium lauationis pedum qui à Iesu mūdantur; ni-
si lauero te, nō habebis partem mecum, quod quem sensum
habeant inquires, verúmne hunc: Nisi lauero te, nullam om-
nino bonam partem habiturus es, an illum, ne mecum qui-
dem præceptore ac domino, habiturus es partem, nisi lauero
te. Sed cum me inferioribus, inter quos sunt ij, qui post ba-
ptismum nec cœnarunt mecum, nec pedes habuerunt à me
lotos, vel si cœnarūt, à me tamen loti non fuerunt, illud au-
Apoc. 3. tem noto: ego sto ad ostium & pulso, si quis mihi aperuerit
ostium, ingrediar ad eum, & cœnabo cū eo, & ipse mecum,
Luc. 11. ne fortè Iesus cum vllo non prādeat: neque enim eget intro-
3. Reg. 10. ductione & primis disciplinis, neque prādet aliquis cum eo,
Mat. 12. sed qui cum illo comedit, tātùm cœnat. Plusquam enim So-
lomon, inquit, hoc in loco, de quo scriptum est, & erat pran-
dium Solomonis hoc, quod in Regum tertio recensitum est.
B Ausim etiam hoc dicere tanquam consequens hoc dicto, ni-
si lauero te, non habebis partem mecum, Iesum Iudæ pedes
nō lauisse: nimirum quòd illi iam diabolus immisisset in cor,
vt Iesum traderet præceptorem & dominum, cum inuenisset
eum non indutum omnem Dei armaturam, nec habentem fi-
Eph. 6. dei scutum, quo valet quis omnes mali illius sagittas ignitas
extinguere, intelligo enim iaculo petitum, sicut scriptura hac
de re in septimo psalmo docet, ferience diabolo, qui veluti
sagittarius sagittas ignitas confecit iis, qui omni custodia cor
suum non seruant. Est autem psalmi cōtextus talis: Nisi con-
uersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit
& parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ar-
dentes effecit. Ecce parturiit iniustitiam, concepit laborem
& peperit iniquitatem: Atque omnis quidem fatebitur, ecce
parturiit iniustitiam, concepit laborem, & peperit iniquita-
tem, referri posse ad diabolum, ad quorum etiam verborum
similitudinem, non existimare dictum fuisse illud, nisi con-
uersi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit
& parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, absurdum
est. Nam vasa mortis nemo alius arcu suo quem tetendit, pa-
rauit, nisi ille cuius inuidia mors intrauit in orbem. Ex iis
igitur sagittis quas ardētes cōfecerat diabolus, immisit in cor
Iudæ Symonis Iscariotis, iam sic in cœna saucij, vt etiam illi
placeret celeriter cōuiuatorem prodere. quoniam cœnæ hu-
Ioan. 12. ius cibus, vinúmque, quod in ipsa erat, cor non poterat (dia-
boli enim erat sagitta saucium) penetrare. Nec apertè in his
C apparet quis esset ille, à quo cœna fiebat, vt in superioribus:
Ioan. 13. fecerunt illic, inquit, cœnam illi, & Martha ministrabat, esát-
que Lazarus vnus ex recumbentibus cum ipso, atque de Iu-
da quidem scriptum est, cum iam diabolus immisisset in cor
Iudæ Symonis Iscariotæ, vt proderet eum. Sed huic conse-
quenter dices de singulis cor à diabolo saucium habentibus:
cum iam misisset diabolus in cor illius vt fornicaretur, & in
cor illius vt fraudaret, & vt perditæ opinionis admittat ido-
latriam alicuius ex his, qui videntur esse in dignitate: & isto
modo in cæteris peccatis etiam dices, quæ diabolus mittit in
cor, quod nō habet fidei scutum, quo fidei scuto non vnam,
aut duas, sed omnes mali sagittas extinguere quis potest. Ap-
propinquante igitur œconomia passionis, in qua proditurus
eū erat Iudas Symon Iscariotes à diabolo saucius est factus.

Cœna iam facta, sciens Iesus omnia sibi dedisse patrem
in manus, séque à Deo exisse, & ad Deum
abire, surgit à cœna.



GITVR quæ antea non erant in manibus Ie-
Psal. 119. su, dantur à patre in manu illius, nec aliqua qui-
Pater om- dem & aliqua non, sed omnia, quæ spiritualiter
nia dedit Dauid videns inquit: Dixit dominus domino
filio. meo, sede ad dexteram meam, donec inimicos tuos subdam

scabellum pedibus tuis. Etenim inimici Iesu pars quædam D
omnium erant, quos nouerat Iesus, quātum ad præscientiam
sibi datos fuisse à patre. Vt autem videamus apertiùs, quòd
scit omnia sibi dedisse patrem in manus, inspiciamus hoc di-
ctum. Quemadmodum omnes in Adam moriuntur, sic e- 1. Cor. 15.
tiam in Christo omnes viuificabuntur, nam quamuis dederit
illi omnia pater in manus, atque in Christo sint omnes viui-
ficandi, non confunditur tamen iustitia Dei, quin distribu-
tio fiat ex dignitate vniuscuiusque, quod declaratur ex his,
quæ mox huic dicto, sic in Christo omnes viuificabuntur,
subiungūtur, nempe vnusquisque autem in suo ordine. Rur-
súsque variè ipsos considerabis ordines eorum, qui in Christo 1. Cor. 15.
sunt viuificandi, quando impletur illud: omnia dedit ei pa-
ter in manus, illud notans, primitiæ Christus. Deinde hi qui 1. Cor. 15.
sunt Christi, id aduentu eius. Deinde finis, qui finis cum
Christo in aduētu eius instabit, cum tradiderit regnum Deo
& patri, prius omni principatu & potestate ac virtute aboli-
tis. Mouet autem me, vt credam principatum omnem & po-
testatem omnem & virtutem omnem quę destruuntur, ea es-
se, aduersus quæ nobis sit pugna, eò quòd his quæ Paulus di- 1. Cor. 15.
xit, mox subiungatur: Oportet enim eum regnare, donec
posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Deinde nouissimus
hostis aboleatur mors, quod profecto cum hoc dicto, omnia
dedit illi pater in manus eius, conuenit, id quod apertius ex-
ponens Paulus inquit: cum dicat omnia illi subiecta esse, pa- 1. Cor. 15.
lam est excipiendum eum, qui subiecit illi omnia. Sin verò E
omnia subiecta fuere, præter eum qui subiecit illi omnia,
perspicuum est quòd & is de quo scriptum, eoram domino
omnipotente collum fregit, erit ex his qui subducuntur illi vi-
ctus vt cedet sermoni filio Dei, & vt subdatur imagini Dei,
& sit subsellium Christi pedum, œconomiam igitur aspiciens
ad bonum finem iam tendentem, propter illud, cum iam im-
misisset diabolus in cor Iudę Symonis Iscariotis, vt eum pro-
deret, nouerat omnia sibi patrem dedisse, dedisséque in ma-
nus omnia capientes, vt omnia essent illi mancipia. Vel om-
nia dedisse sibi patrem in manus nouerat, hoc est in actiones
suas, & rectè facta, nam pater, inquit, meus ad hoc vsque tem-
poris operatur, & ego operor. Cæterum propter illa, quæ, Ioan. 5.
à Deo exierant facta extra Deum, & extra eum, qui voluis-
set principaliter exire à patre, exiuit à Deo Iesus, vt quæ exie-
rant, venirent in manus via, & ordine Iesu, disponerentur
ad Deum ire sequentia Iesum: & quia sequerentur Iesum fu-
tura apud Deum, ex quo dictū est Petro, quò ego vado, non Ioan. vlt.
potes me nunc sequi, sequeris autem postea, adhuc enim ha-
bebat Petrus, quod non permitteret illum sequi λόγον, & fi-
lium Dei. An vero simile sit, an potius iuxta quandam iustā
analogiam, & rationem illud, quod dicendum est singulis il-
lis omnibus, quæ pater filio dedit in ipsius manus (singulis
enim omnibus dicetur illud. Sequeris autē me postea) con-
siderare te oportet: verum si simul non sequantur, cum dici- F
tur, sequeris autē me postea, vos postea singulis, qui sequuti
fuerint, conueniens, non ad idem tempus refertur, id quod
etiam mihi considera de his, quæ destruuntur, siue cum de-
struxerit omnem principatum, siue omnem potestatem,
siue omnem virtutem, & generatim donec posuerit omnes
inimicos sub pedes suos, atq; vltimus hostis abolebitur mors. Ioan. 13.
Sciens igitur Iesus omnia dedisse sibi patrem in manus, séque
à Deo exisse, & ad patrem abire, & sciens valde, ob quæ mo-
ti sumus, vt exposuerimus in mediū adducentes opinionem
nostram, in hoc dictum, à Deo exiuit, & ad Deum vadit, sur-
git inquit à cœna, quod pariter considerabimus cum sequen-
tibus: & vide, an possis in his dicere, summopere quidem
illum oblectatum fuisse cœnādo cum discipulis suis, afflictim
verò, & necessario, propter discipulos, à cœna surgere, ea-
tenúsque, à cœnando eum cessare, quatenus pedes mundet
discipulorum non valentium habere partem secum, nisi ipsis
illorum pedes lauerit. Sed consideremus diligenter quid di-
catur post hæc verba.

Surgit à cœna: ponit vestimenta, cúmque accepisset
linteum, præcinxit se.

G DICAMVS etiam in hoc contextu ad eos qui nolunt à verbis ascendere, & mente cósiderare animæ cibos in his verbis positos. Quid obstabat quo minus iodutus ipse discipulorum pedes lauaret? An verò nisi aliquo modo viderimus, vt dignũ est ipsius Iesu vestimenta quibus circundabatur cœnans, cum discipulis exhilarans, considerabimus qood ornamentum circa se habebat caro factus, filius dei sermo, hoc autem formatum in quadam textura, & tela dictionum ad dictiones, & vocũ ad voces deponit, fitq; nudior cum figura seruili, quod declaratur per illud, cum accepisset linteum præcinxit se, vt & nó omnino nudus esset, & cum lauisset, tela ad id accommodatiote discipulorum abstergeret pedes. Et video his, quomodo magnus & glorificatus sermo factus caro seipsum minuat, vt lauet pedes discipulorum, mittit enim, inquit, aquam in peluim.

Gen. 18.

Atque Abraam equidem cum respexisset oculis suis vidit, & ecce tres viri steterunt iuxta eum, quos cum vidisset occurrit eis de ostio tabernaculi, & incuruauit se versus terram & dixit: Amabo Domine si hanc gratiam à te impetrare possum, ne quæso prætereas seruum tuum.

Gen. 43.

Non ipse accipit aquam, non promittit se pedes eorum (qui veluti hospites aduenerant) lauare, sed inquit: Sumatur quæso aqua, & lauentur pedes vestri. Sed ne Ioseph quidem aquam attulit, vt lauaret vodecim fratrum pedes, sed homo de domo Ioseph eduxit ad eos Symeon, & tulit aquàm vt lauaret pedes suns: at verò ille, qui dixit: Ego veni, non tanquam qui recumbit, sed tanquam qui ministrat, quique dicebat iustè, discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, ipse mittit aquam in peluim: norat enim neminem sic posse lauare pedes discipulorum, qui venerant ad pelum appositũ sibi à Iesu.

Matt. 11.

H Deinde quæro, cur taodem non scriptum sit, lauit pedes discipulorum, sed dictum fuerit, cœpit lauare pedes discipulorum. Sed fortasse consuerudo talis est scripturarum, iuxta quam non iure (comparatione consuetodinis multorum) præponi videtur illud, cœpit quidem lauare pedes discipulorum Iesus, haud tamen cessauit, cum tum lauisset illorum pedes, lauans etiam postea atque complens ipsum lauare, quoniam inquinati fuerant, iuxta illud: omnes vos offendemini causa mea nocte hac, & iuxta illud quod Petro est dictum: Non cantabit gallus, donec ter abnegaris me.

Matt. 26.

Cum enim hęc peccata commissa fuerunt, tunc opus habuerunt discipulorũ pedes inquinati, vt rursum lauarentur: quos lauare cœpit quãdo surgit à cœna, ac lauare compleuit cum eos mundasset non amplius inquinandos. Hunc etiam in modum cœpit extergere pedes discipulorum, illos complens abstergere, cum compleuit etiam lauare.

Venit ergo ad Symonem Petrum, & dicit ei ille: Domine tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nunc nescis, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Nequaquã lauerit pedes meos in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habes partem mecum. Dicit ei Symon Petrus: Domine non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, nihil opus habet, præterquam pedes lauare, sed est mundus totus, & vos mundi estis, sed non omnes, sciebat enim, quis nam esset proditor ipsius.

I

HIS, quæ nunc à Petro sunt dicta opportunè vtemur, exempli causa sic vbi opus fuerit, propterea quòd facilè factu sit, vt aliquis propter imprudẽtiam optimo proposito dicat, quæ sibi minime sint vtilia: Nam si Petru vtile erat ad habendam partem cum Iesu, vt sui pedes lauarentur ab ipso, & Petrus nesciens vtile hoc esse, prius quidem veluti addubitans dixit verecũdè: Domine tu mihi lauas pedes? ac denuo, non lauabis mihi pedes in æternum, & quæ Petrus dicebat, prohibebant Iesum cò cũ euehere, vt haberet partem secum: perspicuum est etiam si sano proposito, & veoerando ad præceptorem hoc dixerit, oocenter sibi dixisse. Itaque hac specie peccatorum vita eorum repleta est, qui dum ad fidem veniunt, res quidem proponũt sibi præstantes, propter ignorantiam tamen quæ in contrariũ ducunt, dicunt vel etiam faciunt. Atque huiusmodi profectò sunt qui dicunt, ne tetigeris, neque gustaueris, neque contrectaueris de omnibus quæ sunt in corruptionem, & abusum

Colos. 2.

omnium, iuxta quandam doctrinam vtpote humanam diuina longe inferiorem. K

Quid autem dicere oporter de his qui in hæresibus fluctuant, quique omni vento circumferuntur per versutiam hominum diuulgantium salutaria esse quæ perniciem afferunt, ac tanquam in honorem Iesu falsa de ipso opinantium. Petrum itaque sæpenumero scriptura talem notauit feruentiorem ad promittendum, quæ sibi videbantur meliora quemadmodum etiam in eo, quod dixit absque vlla examioatione, ac veluti spernẽs prophetiam Iesu de discipulis dicentis: omnes vos offendemini mea causa nocte hac, & causam ostendentis in eo, quod ait: scriptum est enim, percutiam pastorem, & dispergẽtur oues gregis.

Petrus ad promittendum promptus.

Absque vlla enim examioatione, & quasi spernens enũciationem Iesu, dixit ad hoc, etiam si omnes offendantur tua causa, ego tamen nunquam offendar: id quod tum temporis temerarium existẽs in animo ipsius, etiam in causa fuit, vt grauiore præ cæteris lapsu peccarit ipse, Ipse Iesum ter negando ante galli cantũ. Hanc ob causam talem sui ipsius temeritaté printé diligẽtius enim perspexisset, postea factus est fortissimus, atque ad quidquid accidisset æquanimiter ferendum paratissimus.

Matth. 26.
Zach. 12.

Quod declaratur ex eo, quòd Paulo dicente illi coram omnibus: Si tu Iudæus cum sis gentiliter viuis, & non Iudaice, quomodo gentes cogis Iudæorum more viuere, & quæ sequuntur, hic cum fortitudine tacuit, & patientissimè quod illo io loco cum ratione factum fuerat non docuit, qua de re accommodatius quis in epistola ad Galatas disputabit.

Gal. 2.

L Quin in appstolorum quoque actis, constantia ipsius ad eandem imagioem transformati, patebit singula obseruantibus, & mentem adhibentibus. Igitur hoc etiam in loco, Iesu, qui à cœna surrexerat, & posuerat vestimenta, quique præcinxerat se eo linteo quod acceperat, quique posuerat aquam in peluim, atque inceperat lauare pedes discipulorum, & abstergere linteo quo erat pręcinctus, cum omoes exhibuissent pedes consequẽter opinioni, quàm iam ante de Iesu conceperant, videntes quòd talis ooo sine causa, nec vt multi dicerent, grauare volens discipulos, lauat ipsorum pedes: sed vtile aliquid perficiens, quod expectabant in posterum cognoscendũ, considerantes ne forte hæc agerentur symbolum existens alicuius rei, solus Petrus, id quod in promptu erat & apertum intuitus, nullo alio consilio adhibito, veluti honorans Iesum, oon præbuit illi suos pedes lauandos, sed primum quidem tẽtauit illum pudore perfundere dicens: Domine tu mihi lauas pedes? Deinde cum debuisset parere dicenti, quod ego facio, tu nescis nunc, scies autem postea, inquit: non mihi lauabis pedes in æternũ, alioquin etiam cum cæteri discipuli commisissent seipsos Iesu fidei, de re nulla illis contradicentes, hic ex his, quæ dicit (etiam si rectè se verba facere putabat) non solùm Iesum incusat, tãquam qui sine causa discipulorum pedes lauare inceperit, verum etiam cõdiscipulos.

Ablutio pedũ Symbolum absconsæ rei.

Nam si ipse, opinione sua, dum prohibere vellet, officiosum se præbuit, illis idipsum non considerantibus, etiam illos accusauit, qui præter officium pedes suos lauandos Iesu præbuissent. Atque equidem si cogitasset, rei quæ cum ratiooe efficitur, non contradicendum, cogitassetque rationabile esse id quod fiebat, dum lauarentur discipulorum pedes à Iesu, haudquaquam repugnasset facto. M

Quãobrem apparet sine iudicio eum cogitasse voluotatem Iesu de lauandis pedibus discipulorum, rationi coosentaneam nõ fuisse: quod si opus est scripturam perscrutari vsq; ad ea, quæ minima esse putantur, quæret aliquis. Cur tandem cum in numerandis apostolis primum locum obtineat Petrus (fortassis quia cæteris honorabilior, quoniam etiam verè omnium vltimus Iudas, ob malum affectum in vltimum locum proiectus iacet) cum Iesus incepisset lauare pedes discipulorum, & abstergere linteo quo erat præcinctus, non à Petro inceperit, sed ab illo? Ad quod respondẽdum est: Vt medicus plurimis infirmis subministrans iuxta artem medicinæ, initium medẽdi facit ab his qui vrgentur, quique peius affecti sunt, sic discipulorum sordidos pedes lauantem, incœpisse à magis sordidis atque eqoidem fortassis ad Petrum postremò venit, quia minus cæteris indigeret vt sibi lauarentur pedes: fortassis etiã status pedum suorum, qui proxime accedebat ad mũdiciem, effecit, vt contradicere cogitaret. Porrò si examinemus quod dixit Iesus (nempe qui lotus est, nihil opus habet pręterquam pedes

Honoratissimus Apostolorum Petrus, minimus Iudas.

Ioan. 13.

A pedes lauare,sed est mundus totus,& vos mundi estis,sed nō omnes)fortasse talem suggerit intelligentiam, perinde quasi discipuli lotos haberent pedes à Iesu, & quòd non amplius opus haberent pręter illam lauationem, vt lauarētur illotum peder:quódque Petrus etiam mundus existeret,antequam illius pedes lauaret Iesus. Quòd si contra hæc quærat aliquis, cur cum dixisset,qui lotus est,non opus habet vt lauetur, sed est mundus totus,lauet tamen Iesus peder discipulorum, qui alioquin opus non habebant sibi eos lauari, huic illud dicendum est omni habenti dabitur & ad iicietur, vnde habentibus discipulis munditiem,Iesum,vt adiiceret munditiei illorum,illorum pedes etiam lauare, illos alioqui non lauaturus, ni loti fuissent, atque omnino mundi: ita tamen vt dicamus neminem ex his,qui isto modo sunt mūdi(etiam si perfectus sit inter homines)absque munditia(vt ita loquar)Iesu mundum reputandum esse. & hæc quidem vltimo expono, quæ succurrerunt post priora superius dicta,seruantibus nobis ordinem eorum quę in mentē venerunt,& intelligentiam:verbi gratia,cum prius conspexerimos sordidatos pedes discipulorum,egisse vt à Iesu lauarentur,nunc idcirco illum illotum pedes lauisse dicimus, quia essent comparatione hominum mundi,sed nō etiam apud Deum. Nec enim sine Iesu aliquis fit apud Deum mundus,etiam si coram se existimetur aliquis aliqua diligentia seipsum mundum fecisse,iam in his, qui hominum comparatione mundi sunt facti, quique loti sunt Iesu baptismo,quique etiam ab ipso lotos pedes habent, inhabitare potest etiam spiritus sanctus,virtusq; ex alto ceu vestimentum. Atque Petrus quidem non considerans rationem voluntatis Iesu,qui inceperat lauare pedes discipulorum, & abstergere linteo quo erat præcinctus,dicit illi: Domine tu mihi lauas peder? Dubitatiue, & veluti pudore illum afficere volens,hoc dicens.

Cur loti discipuli cū essent mūdi

Matt.25.

Qua ratione mundi discipuli.

B

At verò Iesus respondit, & dixit illi: Quod ego facio,tu nunc nescis,scies autem postea.

DOCENS mysterium hoc esse. Sed quid erat illud quod faciebat Iesus lauando pedes discipulorum? An operabatur lauando ipsorū peder,& abstergēdo linteo quo erat pręcinctus, ipsos speciosos?cum futurum esset, vt apostoli bona euangelizarent? Nam quando lauit peder discipulorum Iesus,tunc opinor illud propheticè dictum de apostolis suis completum fuisse: Quàm speciosi sunt pedes euangelizantiū bona. Quòd si pedes discipulorum lauans pulchros eos facit, quid dicturi sumus ingenerari à vera pulchritudine, his qui toti sunt baptizati à Iesu spiritu sancto & igni? proinde pedes euangelizantiū bona pulchri facti fuerāt, vt loti & mundati & abstersi Christi manibus, incedere possent per sanctā viam,atque iter facere per illum qui dixit:Ego sum via. Solus enim, & omnis cuius pedes lauerit Iesus, viam perambulat hanc viuentem,& ad patrē ducentem. Nec capit hæc via pedes inquinatos,& peder qui nondum sint mūdi. Atque Moses quidem opus habebat soluere calciamentum ex pedibus suis,quoniam is locus ad quem peruenerat, & in quo stabat, terra sancta erat:similiter Iesus Naue filius. At verò Iesu discipuli,vt per hanc viuentem animatámque viam perambulent, tantùm sunt contenti non habere calceos in via, quia hoc illis præcepit Iesus. Sed enim ad hanc ipsam viam conficiendam opus habebant lauari à Iesu, qui deposuit vestimenta: fortassis vt mundos illorum pedes existentes, mundiores faceret. Fortassis etiam,vt immunditiam, quam in pedibus suis habebant discipuli,in suum ipsius reciperet corpus, mediante linteo eo quo solo præcinctus erat: Fert ipse nanque infirmitates nostras. Vide igitur quòd lauaturus pedes discipulorum nullum aliud tempus elegerit,nisi quando iam diabolus immisisset in cor Symonis Iudæ Iscariotis vt proderet eum, & quando facienda erat pro hominibus œconomia: ante hanc etenim nō opportunum erat discipulos habere pedes à Iesu lotos, quis enim loturus fuerat pedum illorum sordes intra hoc tempus vsque ad passionem? Sed ne tempore quidem passionis. Neque enim alius erat Iesus, qui illotum lauaret pedes,ac ne post œconomiam quidem. Iam enim aderat hora

Ablutio pedum mysteriū euangelizationum.

Esa.52.

Speciosi pedes euangelizantium.

Ioan.10.

Exo.3.

C

Iosua 1.

Matt.10.

Es.53.

spiritus sancti ad discipulos venturi iam factos mundos,& lotos habentes pedes eósque promptos,& pulchros ad euangelizandum in spiritu sancto bona. Tale igitur illud est:quod ego facio,tu nūc nescis,scies autem postea. Quòd ego lauem pedes vestros,nota est,quòd animarum vestrarum purificentur gressus,vt sint pulchri,euangelizatoris vobis bona,& mūdis pedibus ingressuris in hominum animas. Hoc autem mysterium tu nunc nescis, quia nondum percipis cognitionem eius opportunius in te futuram, simulatq; ego lauero pedes tuos,postea cognosces, dū hoc intelliges illuminatus cognitione non parua,neque facilè contemnenda. Cæterùm hæc loquente Iesu Petro, discipulus respondet responsum non peritum, sed sententiam proficiscentem quidem ab affectu, & erga Iesum honoris & reuerentiæ plenam,sed tamen quæ falleretur. Quocirca quoniam vtilis Petro non erat eius responsio,non sinit eam ille veram esse, qui nocua vtilitati ducentis,& verè euentura prohibet,pro sua bonitate. Atq; Petrus quidem inquit,non lauabis mihi pedes in æternū, enunciauitque cum Iesus illius peder lauare decreuisset, nunquam futurum vt lauaretur ab ipso,ac ne hoc quidem vllo vnquam seculo futurum,sed ille,qui videbat Petro cōducibilius esse, vt hac in re mentiretur quàm vt vera diceret, vtilitatem ostēdit in eo quòd non opus erat vt qui hoc dixisset, vera loqueretur,dicens:nisi lauero te,non habebis partem mecúm. Atque equidem si Petrus,qui enunciarat, non lauabis mihi pedes in æternum,vera dicés, hac in re non habiturus erat cum Iesu partem(alioqui habiturus mentiens) eò quòd temerariè præueniens locutus fuisset, quid aliud agere opus erat, nisi mentiri?ne hoc, quod verum Petrus diceret, impedimento ipsi Petro esset,quò minus haberet partem cum Iesu, qui ostendit illum mendacem lauando pedes eius? Scriptum est enim,omnis homo mendax. Opportune autem vtemur hoc dicto ad eos, qui audacius, ac sine delectu id se facturos dicunt,quod minime illis conducat, præsertim si desistere nolint ab eo,quod male promiserint,ostendentes enim illis,qui nullatenus habituri sint partem cum Iesu,si vocem temerariā in promittendo seruauerint,futurum verò, vt bonam spem habere possint,si quod prius dixerant,spreuerint,abducemus eos à persistendo in his,quæ male iudicassent,etiam si aliquādo cum iuramento tale fiat,propter multam temeritatem.
Dicemúsque,vt prohibetur Petrus,qui dixit: non lauabis mihi pedes in æternum,persistere in eo,quod dixerat, vt habeat partem cum Iesu,sic tu,qui peccasti propter temeritatem,atque etiam hoc promisisti,nullo delectu melius facturus sis,si desistens à permanendo in hoc,quod male iudicasti, ad hoc agendum,quod magis est consentaneum,transeas. Qui autē hoc dictum obseruauerunt, quod ego facio, tu nunc nescis, scies autem postea,& illud,nisi lauero te, non habes partem mecum,nolentes illud,huicque similia ad mores referre, pudefacti admittant talem euangelicarum disputationum formam,vel nolentes ostendant,qui consentaneum esset si propter venerationem(vt isti dicturi sunt)qua Iesum prosequebatur Petrus dicebat,non lauabis mihi pedes in æternū, Petrum à magistro audire,sic non habiturum se partem cum filio dei,perinde ac maximo peccato obnoxium,quòd sui pedes ab ipso loti non fuissent. Nam dicere,si hoc delictū commiseris,non habebis partem mecum, locum habet (id quod dicitur de peccatis apertis) At verò dicere,nisi lauero te, non habes partem mecum, haudquaquam est consentaneum, si (quod nephas est dictu)magister videtur respondisse, quod absurdissimum,discipulo Petro ipsum honoranti,& prębere nolenti pedes suos lauandos ab eo,qui statuerat lauare pedes ipsius mansuetissimè. Hanc ob causam præbeamus pedes nostros Iesu etiamdum surgenti à cœna, & ponenti vestiméta, & linteum accipienti,& præcingenti se, & mittenti aquam in peluim,& incipienti lauare pedes nostros,non secus,atque si essemus sui discipuli,& extergere linteo, quo præcingitur nostri causa,factus in medio nostri, tanquam qui ministrat. Nam nisi hoc fecerimus non habebimus partem cum eo,neque erunt pulchri peder nostri:præsertim cū æmulemur charismata meliora,volentes inter eos annumerari,qui bona euangelizant. Cæterum quando liberior est Petrus in loquendo importunè rogatus pedes suos prębere Iesu,cum audisset,

D

Ablutio pedū cuius rei nota.

E

Rom.3.

Temere de futuris affirmātes et promittentes.

Ioan.13.

F

1.Cor.14.

G nisi lauero te, non habes partem mecum, inconsultas petitionis eius vult superare, non tantum solos pedes à Iesu lauandos exhibens, verum etiam manus, quas nō amplius Iesus lauari volebat, cum panem comederent, despiciens eos, qui di- *Matth. 15.* cerent: Discipuli tui non abluunt manus, cum panem edunt? Exhibuit etiam, præter manus, caput, quod non amplius volebat Iesus lauari: quippe quia in eo imago, & gloria dei iam esset: sufficit enim nobis, si eò peruenerimus, vt occasionem habeamus æque ac discipuli, præbendi illi pedes, quos solos lauat & abstergit: quòd qui lotus sit, non opus habeat lauari, sed sit mundus totus, quòd si quis non est mundus, totus is se non lauit. Sed quærat aliquis, si lotus non opus habet lauari, sed est mundus, & erant discipuli Iesu mundi (tanquam loti) quomodo mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum Iesus? cæterū hac de re cum supra disseruerimus ex parte anticipantes, nunc etiam hęc illis addemus, nimirum hæc verba: Opus habemus: posita esse de rebus necessariis, sine quibus aliquis viuere non potest, vt si dicamus in rebus corporalibus hominem nō pluribus opus habere, sed his so- *1. Tim. 6.* lum, quæ dicit Apostolus: habentes cibum, & operimentum his contenti sumus, quæ verò ad diuitias, & delicias conferūt ex abundanti mollibus, & delicatis superesse non tanquàm necessaria, & sine quibus non possint viuere, sed tanquàm su- H perflua. Sic igitur, & diuinioribus opus quidem nobis est introducentibus ad vitam, hísque, quæ faciūt in eo nos esse, qui dicit, ego sum vita, quæ verò sunt supra hæc, de quibus dici- *Ioan. 10.* tur: Deliciare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, & quæcunque considerantur propter paradisum deliciarum, & propter diuitias, & propter gloriam, quæ sunt in sinistra sa- *Psal. 37.* pientiæ iuxta dicentem, Longitudo vitæ, & anni vitæ in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ, & gloria, supra necessitatē esse dicentur. Ac fortasse tale est, cum alicuius, qui lotus fuerit, lauantur pedes à tali magistro, ac Seruatore: Nam donum *Prou. 3.* Dei excellit necessitatem, quemadmodum etiam esse in gloria solis, vel lunæ, vel astrorum, in sacra mortuorum resurrectione, atque qui mundus est quidem, & lotus, opus non habet, vt lauetur, sed lauatur propter illud, quod superius assi- *1. Cor. 15.* gnauimus: nimirum quòd omni habēti dabitur, & adiicietur (vt etiam inquit Ioannes) mundus mundetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc, cęterùm illud, vos mundi estis, refer- *Matth. 15.* tur ad vndecim, cui subiungitur illud, Non omnes, propter *Apo. 21.* Iscariotem. Nouerat enim eum, à quo tradebatur, non esse mundum: primùm quidem, quòd pauperes illi nō essent cu- *Cur Iudas non mūdus* ræ, fur cum esset, & quòd marsupium habens, quæ immittebantur, auferret: deinde quòd cœna facta cum iam diabolus immisisset in cor ipsius Iudæ Simonis Iscariotæ, vt proderet Iesum, non reputet ferientem. Quocirca loti vndecim etiam mundiores facti fuere, cum illorum pedes lauisset Iesus, & *Apo. 21.* Iudas non mundus (sordidos enim inquit sordescat adhuc) factus est sordidior, & immundior, quando post bucellam in- I trauit in illum Sathanas.

Postquàm ergo lauit pedes eorum, recepitisque vestibus suis iterum accubuit, dixit eis. Vos vocatis me magistrum, ac dominum, & benè dicitis, sum etenim. si ergo laui pedes vestros Dominus, & magister, vos quoque debetis inuicem alij aliorum lauare pedes: exemplū enim prabui vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, vos quoque faciatis.

PRobabile est eos, qui considerassent magnitudinem potentiæ Iesu, quíque intellexissent, quid factum fuisset à Iesu, qui lauauit pedes discipulorum, vt vltimas, ac viles ipsorum partes, ac corpora humi versantia, quorum nota erant illa corpora, mundaret, admiratos opus è leuatione proueniens, haudquaquam ausuros fuisse rem talem etiam ipsos facere, tenuiores se esse existimantes, quàm qui possent lauare pedes interiores, & occulti hominis, vel eorum, qui hæc amplectuntur Dei dogmata, nisi Iesus per ea, quæ exposita sunt, ad hoc adhortatus fuisset eos, figura cœnantis reassumpta, quando docturus erat ea, quæ dicuntur ad eos qui iam cœnarant. Atque summa quidem austeritate, orationésque ad admonendum maximè accommodata (quo agnoscerent quod actum fuerat) dictum est: Scitis quid fecerim vobis?] Scitis autem verbum per interrogationem legendum est, vt ostendat rei gestæ magnitu- K dinem, vel imperantis modo, cognoscite, ad excitandum illorum intelligentiam, qua illum cognoscerent perpendentes, quid gestum fuisset. Summa autem magistri autoritate, summáque animi intentione persuadendi illos, dictum est. Vos vocatis me magistrum, ac Dominum, & bene dicitis, sum etenim, si ergo ego laui pedes vestros magister, & Dominus, & vos debetis alij aliorum lauare pedes.] Lauit quidem Iesus discipulorum pedes, quatenus eorum magister, pedésque seruorū, quatenus Dominus erat. Doctrina enim purgatur puluis, qui ex terra, rebúsque mundanis contractus non ad aliquid pertingit, quàm ad extremas, infimásque partes discipulorum. Dominatione verò principatum, & potestatem habētis, abiiciuntur ea, quæ pedes inquinant eorum, qui adhuc vel vulgare, ac qualecunque inquinamentum suscipiunt, quia e- *Ioan. 10.* tiam non habeant spiritum seruitutis. Nec vllus cordatus est *Matt. 9.* dicturus est Iesum, quatenus ostium, vel quatenus pastor, vel quatenus medicus est, discipulorum, & seruorum, lauare pedes. Ego vero arbitror quoniam discipulorum pedes necessi- *Ibid.* tatem recipiunt, vt à magistro lauentur, nondum percepisse quod illis esset satis: Sed etiam non procul abesse ab illo dicto: Sufficit discipulo, si sit similis præceptori ipsius. Atq; hic profectò finis est magistri erga discipulum (quatenus magister est) facere discipulum sui similem, ne in posterum egeat L magistro: sed vt etiā ipse sit magister, quo alios egeat, vt enim finis medici (quo egent qui male habent nō qui validi sunt) *Matt. 10.* est sanare male habentes ab ægritudine sua, ne in posterum opera eius egeant, sic finis magistri est discipulo acquirere illud, quod ἀρκετόν, hoc est, sufficiēs dicitur, vt cum discipulus id habuerit, quod sibi sufficit, sit similis præceptori ipsius. At verò quod ad Seruatorem nostrum attinet existētem Dominum, cernere est eum ex se longè plus existere, quàm alij Domini: nolentes, discipulos esse sicut magistros suos, vel seruos, sicut dominos. Talis igitur est ille filius paternæ bonitatis, & charitatis eius. Dominus enim cū sit, operatus est, vt sint serui *Rom. 8.* sicut eorum Dominus, quando scilicet non amplius habebūt spiritum seruitutis iterum in timore, sed accipient spiritum adoptionis, per quem clamabunt Abba pater. Attamen, antequàm fiant sicut magister, & Dominus, opus habent periode ac discipuli indigi, vt sui lauentur pedes, & quasi adhuc seruitutis spiritum in timorem habentes. At verò simulatque aliquis ex his habens, quæ discipulo sufficiant, vt sit sicut magister eius, & seruus sicut Dominus, eò peruenerit, vt sit sicut magister suus, & Dominus suus, tunc imitari poterit eum, qui lauit pedes discipulorum, discipulorúmq; pedes lauare, sicut magister, quem Deus in ecclesia ordinauerit post apostolos, *Ephes. 4.* qui in ea primum sortiti sunt locum, ac post prophetas, qui secundum. Sin vero dictum hoc, fratri tuo seruies, referri po- M test ad eos, quibus magis deest, Et illud: Esto dominus fratris *Gen. 28.* tui, ad eos qui Iacob instar sunt præstantiores, perspicuum est *Gen. 28.* seruum qui factus fuerit sicut Dominus, lauare pedes eorum qui seruiunt doctrinæ, quam penes se habet, quoniam nō existimo dictum hoc: Vos vocatis me magistrum & Dominum, & bene dicitis, sum etenim, nihil omnino habere profundū, *Ioan. 13.* ac supra multorum intelligentiam, quandoquidem non omnibus qui dicunt Domine, Domine, dictum fuerit à Iesu: *Mat. 7.* Vos vocatis me Dominum, ac magistrum, & bene dicitis. Neque enim bene dicunt illi, qui in die illa dicturi *Luc. 13.* sunt: Domine nonne nomine tuo edimus, & nomine tuo bibimus, & nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? proinde dicet illis Iesus: discedite à me, nunquam vos noui, quia operarij estis iniquitatis. Quæ verba (nempe discedite à me) non illis dixit, qui bene dicunt, Domine Domine. Quin etiam hoc dictum: Non quisquis mihi dicit, Domine, Domine, intrabit regnum cœlorū, palàm docet non omnem dicentem Domine, Domine, testimonium habiturum ab ipso, sicut nunc apostoli, quibus dixit: bene dicitis, sum etenim. Verè enim vitium non amplius eis dominabatur, sed λόγος id est ratio: & vt generatim dicam, Dominus, hoc est vniuersa animata & viuens virtus. Quin etiam si nullus potest dicere, Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto, & consideremus quid sit dicere hoc in lo- *1. Cor. 12.* co: Dominus Iesus. Qui dicit, Dominus Iesus in spiritu sancto

A sancto, bene dicit: an verò qui bene dicit, is omnino dicat *Ioan. 13.* etiam in spiritu sancto, tu quæres, propter illud: Et bene *Ioan. 7.* dicitis, quod nunc examinatur cum illo dicto. Nondum erat spiritus datus, quia nõdum esset Iesus glorificatus. Illiua itaque, qui sincere, & ex animo seruit filio Dei, officium est bene dicere, Dominus Iesus, cum ad discipulum æquè pertineat huius instar dicere, magister, ad quem ipse respondeat, sum etenim id, quod alioquin dicturus non fuerat Iesus seruienti peccato, & discipulo mendaciorũ. Contingit *Vidua quędam connumerata in ordinẽ ecclesiasticum.* attamen sanctum quuque opus habere, vt sibi lauentur pedes: quoniam reqoiritur etiam à vidua, quæ connumeratur in honorem ecclesiasticum, an inter alia, sanctorum quoque pedes lauerit. Nam ridiculum existimo affigi literæ, viduámque hæc omnia (vt ita dicam) habentẽ, quæ sanctam delineat viduam, hácque vna re carẽtem, nõ cõiungi *Tit. 2.* honori ecclesiastico, cum ipsa frequẽter mediãtibus ancillis, & vernis prudẽter egerit tempore, qoo abũdabat: habebátque opportuna, quibus beneficiũ conferret hospitibus, atque etiam his, vt generatim dicam, qui opus habebant, *Tit. 2.* vt ab ea perciperent aliquid officij humani. Nec mireris si tibi exponendum sit anagogico sensu hoc dictũ, si sanctorum pedes lauit, cum anus iubesntur pari ratioue cũ presbyteris honesta docere. Vide verò, an oõ etiam operosum sit cuilibet discipulo volenti implere mãdatum dicens, &

B vos debetis alij aliorũ lauare pedes, si velit corporales, ac sensibiles fratrum pedes lauare, oen opus debitu, vt fideles in quouis vitæ genere existentes hoc faciant. siue qui vidẽtur esse in sublimitate ecclesiastica episcopi, & presbyteri, siue in quibusdã aliis mundanis dignitatibus. Adeò vt hác ob causam Dominus qooque veniat ad lauandos serui credentis pedes, & parentes filij, qui mos quidẽ erat, sed nunc non fit, nisi supra modũ rarissimè, & apud admodum simplices, rusticioresq;. præter hæc autẽ meminisse debemus eorum, qoæ disseruimus in hoc contextu: nisi lauero te, nõ habes partem mecum, atque etiam illud, scitis quid fecerim vobis? Decet enim Iesum dedisse nobis exemplum de *Ioan. 13.* lauandis pedibus principalibus, quod respondet his, quæ *Ioan. 13.* tropicè dicta fuerunt à sponsa in Cantico Canticorũ, dum *Cant. 6.* dicit, Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Attẽde autẽ huic dicto, vt quemadmodum ego feci, ita vos etiam faciatis. Cum hæc pariter examinans, nisi lauero te, oon habes partem mecum, Verùm si quispiam contra hęc dicat, quãuis per allegoriam dicantur, nihilominus iuxta contextũ facta fuisse, moralitérque etiã intelligenda esse hæc verba, si igitur ego laui pedes vestros Magister, & Dominus, & vos debetis alij aliorum lauare pedes, exem-

C plum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Ad huiusmodi respoodendõ est, ergo quoniã iuxta textum factum est, quod Petro dicenti, noo lauabis mihi pedes in æternom, dictũ fuit, nẽpe nisi lauero te, non habes partem mecum, etiam nos, ob reuerentiam pedes suos lauandos non præbentibus, dicemus, audebimúsque talibus dicere, nisi lauero te, nõ habes partem mecũ, quòd si hoc in loco tibi oõ persuadet, quod dixi, perpende, quid dicere te oporteat contra dubitationem, an omninò iuxta textũ hæc sint seruanda, atque quod huic quidem aliquãdo conueniat lauare pedes illius discipuli Iesu, aliquando suos ab ipso lauandos præbere, vt illi ob charitatẽ, & comitatem beneficiũ conferat, hic se exhibeat, etiam ipse fateor: sin verò dicemus, vnumquemque non conscium sibi hoc fecisse, sanctorúmque isto modo pedes non lauisse, debitum quoddam mandatum nõ persoluisse, nempe debetis alij aliorum lauare pedes, tempus est dicendi, omnes aliqno modo huius mandati debitores esse.

Amen amen dico vobis, non est seruus maior Domino suo, neque legatus maior est eo, qui legauit ipsum: si hæc nouistis: beati estis, si feceritis ea: non de omnibus vobis loquor. Ego scio quos elegerim, sed vt impleretur scriptura. Qui edit mecum panem, sustulit aduersum me calcaneum suum.

ADhuc, & hæc cohęrere mihi videntur, vt sciamus ad mores reducere, quæ dicuntur de lauatione pedum. Hæc enim verba, si hæc nouistis beati estis, si feceritis ea, cum nihil autea præscriptum sit quod agere debeamus, præterquàm de lotione pedum, ad illa, habent relationem. Cæterùm præsentis loci doctrinas scire, nempe quomodo discipulorom, qui iam lauerant, pedes inquinentur, & quonam pacto lauentur, verè opus est virorum beatorum, hoc enim tale, tantúmque nomen (nempe beatum) consentaneũ non est dicere, adesse quibusdam vulgaribus: adeò vt vel seruo lauãti pedes Domini videatur hanc ob causam beati nomen obtingere, etiã si adulator, & hypocrita fuerit: cũ, vt nos explicauimos, lauare pedes discipulorũ Iesu magni cuiusdã sit, & Iesum in se habentis, & omnino beati: sed sciamos necesse est similia huic textui inesse in euangelio à Matthæo tradito. Sic enim habet: Nõ est discipolus supra præceptorem, neque seruus supra Dominũ suum, sufficit discipulo, vt sit similis præceptoris ipsius, & vt seruus similis Domini ipsius. Lucas verò sic habet: Nõ est discipulus supra pręceptorẽ suũ: perfectus autẽ omnis erit similis præceptoris ipsius: Huic proximũ est, vt quęramus, ad quẽ referemus id, quod in fine dicitur. Nõ de omnibus vobis dico. Atqoe aliquis quidẽ dicet, dictum hoc referri ad illud. beati estis, si feceritis ea, neqoe enim beatus Iudas. At ego non existimo rectè hoc dictũ eò referri ad illud dictũ, beati estis, si feceritis ea. Hoc enim totũ, & de Iuda, & de quouis, quãuis prauissimus sit, verũ est. Beatus es, quisquis hæc feceris, tanquàm, si dicerem intemperanti (etiamsi nõ auditurus sit, quæ dicuntur, neque temperantia vsurus) beatus es, si temperatè vixeris, & sapientiã spernenti, etiam si ingrediatur hoc propositum, beatus es tu, si sapientiam, & disciplinam susceperis. Proinde vide, ne forte hæc verba, non de omnibus vobis dico, referenda sint ad illud, nõ est seruus maior Domino suo. Quoniam enim quisquis peccatum committit, seruus est peccati, committebat autem peccatũ Iudas, & maximè cum diabolus immisisset in cor eius. vt Seruatorẽ proderet, seruus erat Iudas peccati. Seruus autẽ peccati cũ esset, non erat Dei seruus: istóque modo, ne Iesu quidem amplius apostolus erat, iam enim factus erat diaboli: qui in cor eius immiserat, vt Seruatorem proderet: idcirco negãs Seruator eũ esse seruũ suũ, & apostolum, cum dixisset, nõ est seruus maior Domino suo, neque apostolus maior eo, qoi misit ipsum, addidit, nõ de omnibus vobis dico. Post hoc videamus hoc dictum, ego scio, quos elegerim, quod simplicius tale est. Scio qualis sit vnusquisque eorum, quos elegi: Quãobrẽ scio etiã, qualis sit Iudas, nec me clã est, quę diabolus iam immiserit in cor eius aduersum me. Atque talẽ habet intelligentiã propter quandã consuetudinẽ scripturæ, cũ vtitur vocabulo, scio, atque illi similibus: cuiusmodi etiã est, agnoui, Seruatorẽ alicubi dicẽte futurũ, vt dicat dicturis, Domine oõne nomine tuo prophetauimus, & nomine tuo dæmonia eiecimus, nunquã noui vos: & illud oescio, vnde sitis, quod simplicius si intelligatur, videbimur infra dignitatem Saluatoris cogitare. Proinde vide, ne fortè, quoniã cognouit Dominus, qui sunt eius, nõ agnoscat etiã, qui nõ sint eius, & quomodo de quibusdã inquit, nunquã noui vos, sic dicat etiã de Iuda, si non est ipsius, nunquã agnoui te, quod si cum esset Iesu Iudas, & postea lapsus fuit, dicturus certè est illi Iesus, nõ noui te, vnde sis. Vnde etiãnum, quia immiserit diabolus in cor eius hęc aduersus Iesum, nescit illum Iesus, quãobrẽ dixit: Nũc ego scio omnes pręsentes, sed ego scio, quos elegerim: tanquã diceret, electos meos. Nõ de omnibus autẽ pręsentibus inquã, ego scio quos elegerim: vtque hoc eueniat, quod euenit, vnus ex vobis est causa, qoi me est proditurus: vt impleatur scriptura dicẽs, Qui mãducat panẽ meũ, sustulit cõtra me calcaneũ suũ: trãslatũ autẽ est πτερνισμὸν, dictũ hoc, à psalmo quadragesimo sic habẽs. Homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit aduersum me supplãtationem, quod dictũ Seruator de Iuda, ac seipsu dictũ fuisse inquit. In quo quęres quomodo homo pacis Iudas fuerit, & quomodo Seruator in enim

Nõ omnes esse beatos. D — *Mat. 10.* — *Luc. 6.* — E — *Iudas seruum peccati.* — *Mat. 7.* — F — *2. Tim. 2.* — *Psal. 40.*

G ſperanerit. His verbis ergo declarari arbitror Iudā aliquan-
do ſyncere credidiſſe: Neq; enim, ni aliquādu fuiſſet filius
pacis, miſiſſet eū Dominus cū cæteris apoſtolis: eique di-
xiſſet (nam duodecim ſcriptum eſt eum dixiſſe) Dicite pax
Luc. 10. huic domui, & ſi illic fuerit filius pacis, requieſcet ſuper
illū pax veſtra, ſin minus, ad vos reuertetur pax veſtra. Pro-
inde vide poſt quanta diabolus immiſerit hæc in cor eius
aduerſum Seruatorem, & quia dictus eſt paulò ante fur eſ-
ſe, non opinor, quòd marſupium ei concreditum fuiſſet, ſi
à principio fur fuiſſet, ſed dignus cum eſſet, cui illud cre-
deretur, (etiam ſi eum præſciuiſſet lapſurum Ieſus) illius illi
cura credita fuit, fuitque tantus homo pacis Chriſti, vt in
eo velut bono apoſtolo bonam ſpem habuerit aliquando
Ieſus: conſidera enim illud, in quem ſperaui. Proinde meū
eſt iudicium, ſermones eum occultos, & firmiſſimos, ac
maximè nutrientes, quos à Ieſu accepiſſet, apoſtolis com-
Pſal. 40. municaſſe, de quibus dixit, qui edebat panes meos. Cæte-
rùm pro magnificauit aduerſum me ſupplantationem, fe-
cit euangeliſta, ſuſtulit aduerſum me calcaneum ſuum, vt
idem valeat, magnificauit quod ſuſtulit: quòd ſi contextus
hic: ſuſtulit aduerſum me calcaneum ſuum, & magnifica-
uit aduerſum me ſupplantationem ſuam, neceſſariò nobis
explanandus ſit: dicemus, hoc fieri à calce intendente pla-
H gas alicui: cuiuſmodi etiā erat Iudas Dei filium decipiens,
manducánſque cum Ieſu eius panem, cum immerſam bu-
cellam, (accipiente Ieſu, ac Iudæ Simoni Iſcariotæ porri-
gente) ſuſtulit Iudas aduerſus præceptorem calcaneum ſuū,
quando poſt bucellam intrauit Sathanas in Iudam. An ve-
rò illud, Iniquitas calcanei mei circundabit me, vnà exa-
minatum cum eo, Suſtulit contra me calcaneum ſuum,
referri ad Iudam poſſit, qui fuit in parte habitus poſſeſſio
eius, & apoſtolus, dictus verò calcaneum tropicè, quòd
ipſe vltimùm proditor fuerit, tu ipſe etiam conſiderabis.

Nunc dico vobis, vt cum factum fuerit, credatis, quia ego ſum.


Elationem habent hæc verba ad id, quod ſupe-
rius eſt dictum, non de omnibus vobis dico.
Scio quos elegerim, ſed vt impleatur ſcriptura,
qui manducat panem meum, ſuſtulit aduerſum
me calcaneum ſuum, hoc enim futurum, vt ſcriptura im-
pleretur de eo, qui ſuſtulit aduerſum me calcaneum ſuū,
Quæſtio qui eſt ille, qui manducat panem meum. Nunc dico vobis,
de diſcipu- & dico, antequam fiat, vt cum factū fuerit, quod prophe-
lorū fide. tatū in ſcriptura futurū eſt, vt impleatur, credatis me eſſe
I eū, de quo hæc prophetata ſunt: propter eū, qui cum man-
ducaret panem meum, ſuſtulit aduerſum me calcaneu ſuū:
Sed quærat aliquis, quomodo dictū ſit diſcipulis, quorum
lauerat pedes Ieſus, perinde quaſi nōdum credidiſſent ip-
ſum eſſe Chriſtū: Nunc dico vobis antequàm fiat, vt cum
factum fuerit, credatis me eſſe Chriſtum prophetatum. At
vide num poſſimus canentes accuſare tales, tantóſque Ieſu
diſcipulos, quaſi qui nondum credidiſſent, conſiliū etiam
Prou. 1. ſeruare dicentis: vt credatis, quia ego ſum: Qui recipit ſa-
pientia theoremata, interdum per prima, quibus iam ſa-
piens eſt, percipit poſteriora, in quibus antea oon erat ſa-
piens, ſapientiorque erit: quemadmodū illud etiā dicitur:
Sapiens qui hęc audierit, ſapiētior erit. Vt igitur ſi ſapienti
dicerentur quędā, & ſubiūgeretur, hæc faciūt ſapientem,
non omnino ſapientē conſideraremus ex non ſapiente, ſed
ex ſapiente ſapientiorē, tanquàm profectu ſuccedente, &
tendente ad perfectionē, ſic mihi conſidera credentē poſ-
ſe magis credentem fieri, apoſtoli enim cum aliquando ad
Dominū acceſſiſſent non ſeipſos incuſantes tanquàm non
credētes, dixerūt illi: Domine adauge nobis fidē: ſiquidem
Luc. 17. in vocabulo, adauge, apertè oſtēditur fidem habuiſſe apo-
Incremē- ſtolos capientem additamentum. Quamobrem ſi hæc in-
ta fidei. telleximus, mihi conſidera additamenta rerū fidem faciē-
tium poſt quædam, quæ antea fidem fecerant, addidiſſe fi-
dei, adeò vt diſcipuli præter ea, quæ habebant fidem faciē-
tia, etiam hoc aſſumpſerint, vt viderent ſcripturam dicen-
Pſal. 40. tem, Qui manducat panem meum, ſuſtulit contra me cal-
caneum ſuum, impletam ob oculos ponente eo, qui pro-

phetabatur ſe eſſe, de quo talia prædicta fuerant: vidéque K
vt intelligas hinc vocabulum, vt credatis. Perinde ac ſit: vt
operemini, permanentes in credulitate, nullam cauſam ha-
bentes qua mutemini: ac certe niſi magnitudine magna fi-
des eſſet aut multitudine multa, haudquaquā dixiſſet Pau- 1. Cor. 13
lus, etiā ſi habuero omnem fidem. Vt enim perfectus & o-
mnes habens virtutes, cum ſingulatim vnamquanque vir-
tutem perfectam perceperit, perfectam habet ſapientiā &
perfectam modeſtiam, atque etiam ſic pietatē & cæteras,
ſic aliquis diceret perfectū in virtute credendi, eū omnem
habere fidem. Hæc autem dico, tanquàm ſapientia, mode-
ſtia, pietas, cæteræque virtutes imperfectæ, non poſſint à
nobis propriè nominari, ſed abuſiuè, cùm etiam perfectus
qui efficitur in vnaquaque virtute, nominetur æquiuocè
cū eo, qui eſt virtutę perfecta. Nam hunc in modū ſapiens
dicitur, qui in quibuſdam quidem offendit, vt obiurgatio-
ne egeat, haud tamen odit obiurgantęs, imò vero diligit,
iuxta quod ſcriptū eſt, Argue ſapientē, & diliget te, huc e-
tiā in modu ſapiens dicitur ille, qui capax cū ſit aliorū ſpe-
culationū ſapientiæ, nondū quæ reſtant, habet, iuxta quod
dicitur illud etiam, Da ſapienti occaſionem, & ſapientior
erit. At enim huc deuenimus oſtendentes contingere, vt
qui iam credit, diſcat aliqua rurſum crediturus, & addita-
mentum eorū, quæ didicerit, addere fidei. Sin vero videre
volumus quiſnā ſit, qui omnē habeat fidē, ſumamus (exē- L
pli gratia) breuiter quæ credentem ſeruant, dum credūtur: Omnē ha-
ſintque (vt ita loquar) numero centū, & dicamus eū quidē, bens fidē.
qui hæc centū, quæ prædiximus ſine vlla hæſitatione acci-
pit, ſingulis ipſis conſtanter credens, omnē habere fidem,
deficientem verò in aliquo numero rerū earū, quæ ſeruāt,
dū credūtur, vel minus firmū exiſtentē erga ea, quæ credū-
tur, eo magis abeſſe ab habendo omnē fidem, quo plures
numeri ſibi credēti defuerint: quóque magis abfuerit à fir-
mitate eorū, quę credūtur, ſiue omniū, ſiue aliquorū (vt in-
terim demus aliquē aliquibus conſtanter credere poſſe,
aliquibus vero credere, ſed non conſtanter) attamē omniu
conſenſu, dederis difficillimū demonſtratu eſſe, vt cui vnus
defuerit numerus, nihil habeat firmitatis: eo quod non ę-
quali diſtātia diſtet à firmitate erga ea quæ creduntur vnuſ-
quiſque eorū, qui ſunt (vt ita loquar iuxta ſcripturā) exigua
fide prędití, & qui nondū receperūt firmitatē erga ea, quæ
creduntur. His vero conſequens eſt, propter illud, Iuxta fi- Matt. 8.
dem tuam fiat tibi, & illud. Fides tua te ſeruauit, vnūquē-
que habere retributionē, quæ eſt in iuſto iudicio Dei iuxta
proportionem talis, & talis fidei, & ſalutis: Quandoquidē
in hac eſt eorū, qui ſeruantur, differētia: Adeo vt illud, Qua
menſura metiemini, eadem menſura dabitur & vobis, per-
tingat etiam ad menſuras fidei, & ad menſuras retributio-
nis, & ſalutis, quæ eſt a Deo: Hanc rationem qui cōſidera- Matt. 7.
rit diligenter, videbit quomodo meritò dicatur omnibus 1. Cor. 4.
iudicare non valentibus: Nolite iudicare, ne iudicemini, &
illud, Ne iudicetis quicquā ante tēpus, donec venerit Do-
minus: Rurſus in hac, quoniam dixi, exempli grati, acentū
oumero exiſtentibus his, quę ſeruant dum creduntur, his
centū firmiter credentem, omnem habere fidem, non ha-
bentem verò fidem erga aliqua eorum centum, vel variē
affectum firmitate erga ea, quę creduntur, non habere o-
mnem fidem, explanationis gratia caponemus talia. Ante De deo
omnia credito vnum eſſe Deum, qui omnia condidit, & quæ ſunt
perfecit: quique omnia fecit, vt eſſent ea re non exiſtente, credenda.
quin etiam credamus neceſſe eſt Ieſum Chriſtum eſſe Do-
minum, & omni veritati, quę de ipſo dicitur, tùm iuxta il-
lius diuinitatem, tùm iuxta illius humanitatem, in ſpiritū
etiam ſanctū credendi neceſſitatē habemus, & quòd liberi
arbitrij cū ſimus, punimur ob ea, quę peccamus, honore-
mur verò ob rectè facta. Age igitur ponamus, ſi quis ſe cre-
dere in Ieſum putās, non credat vnū eſſe Deum legis, & e-
uangelij, cuius gloriā cœli, tanquàm ab ipſo facti, enarrāt,
& firmamentū annunciant opera manuu ſuarū, tanquàm
earum opus: Huic profectò maximum deerit fidei caput. Pſal. 18.
Vel rurſus ſi quis credat Ieſum ſub Pontio Pilato præſide
cruci affixū, ſacram rem quandam, & ſalutarem mudo at-
tuliſſe, non itē credens eū ex virgine, & ſancto ſpiritu or-
tum

A ium assumpsisse, sed ex Ioseph, & Maria, huic etiam deerūt *Christum hypostasin non sumpsit.* maximè necessaria, ad habendam omnem fidem: Rursus è regione si quis diuinitatem illius admittat, humanitatéque eius offensus nihil humani circa eum factum fuisse credat, vel hypostasin sumpsisse, huic quoque non vulgaria deerunt ad omnem fidem. E contrario denuò si quis humanas de eo res admittat, spreta hypostasi vnigeniti, & primogeniti omnis creaturæ, haudquaquam is dicere poterit omnem se habere fidem. Sicque per ordinem considera: Vt videamus quanta res sit absque vllo defectu, & constâter habere fidem adeò potentem, quando est in hominis anima, vt vel montes (qualescunque sint illi) transferre possit: *1. Cor. 13.* cum omnes quidem homines loco dimouere valeant môtes, quos Iesus ostenderit: sin verò quædam defuerint perfectæ fidei, desit etiam potentia transferendi montes. Ac profectò tali in huiusmodi rebus vtar exemplo: vt enim tales, tótque habentes vires, primum nauim deducunt in mare: Sin verò, vel vnus cooperarius, vel vires alicuius rei his defuerint, non deducitur nauis: *Ioan. 13.* Sic verbi gratia, sunt multi transferentes montes, omnis fides, in qua qui fuerit imperfectus, quòd minus habuerit omnem fidem, aberit à potentia transferendi montes. Proinde vide, an non vtiliter hæc indagata fuerint propter discipulos, ad quos (cum lauisset Iesus eorum pedes) vt suspicari posses negligēs lector, quasi ad nondum credentes, dixit. Nunc dico vobis, priusquàm fiat, vt cum factū fuerit, credatis, quia ego sum, B Pariter verò etiam explicata oratio, quanta res sit virtus omnem continens fidem, ostendit. Et quod rarò inueniatur: ostendit præterea, quàm procul abit quiuis nostrum, vt habeat illam omnem fidem, qua montes transferat. Cęterùm non contemnenda res est, quæ nos ad credendum inducit (iuxta ea, quę nunc sunt proposita) quòd prophetę vaticinati antea fuerint, quæ ad Iesu pertinēt, & quòd iuxta sermonem illorum seruatori respònderint, quæ ab ipsis prædicta fuerint.

Amen amen dico vobis, qui recipit, quemcunque misero, me recipit: Qui autem me recipit, recipit eum, qui misit me.

Christi quos mittat à nobis excipiendos. Mittit Iesus nō solū sanctos, verū etiā, & sanctos, & angelos. Nominâturq; huius, quos mittit (eo quòd ab ipso mittātur) apostoli, hoc est missi. Iā verò horū apostolorū alij sunt homines, alij virtute præstantiores: Nec enim à vero aberrauimus apostoli nomen his angelis etiam ponentes, de quibus scriptu est, quod omnes sint administratorij spiritus, qui in ministeriū emittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis: Nam si παρὰ τὸ ἀποςέλλεσθαι ἀπόςολοι (hoc est à mittēdo, missi) *Heb. 1.* omnésq; ab eo, qui fecit angelos suos spiritus, & ministros suos ignis flammā, in ministerium mittuntur administra- C torij spiritus, hi etiam apostoli, hoc est missi dicentur eius, à quo mittuntur: Atque vnusquisque profectò qui mittitur ab aliquo, apostolus, hoc est missus, est illius, qui misit: Iuxta quod in superioribus est dictum post ea verba, Non est seruus maior Domino suo, neque apostolus maior eo, qui misit ipsum. Hanc ob causam nō aberrabit à verò, qui *Ioan 1.* Ioannem etiam dixerit Dei apostolum propter illud: Erat *Esa. 6.* homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Quin Esaias quoque apostolus erit, propter illud, Quem mittā, & quis ibit ad hunc populum? Quando respondit dicens, en ego sum, mitte me. Sed quid de hisce dico, quando & in Epistola ad Hebræos talis, tâtúsque Seruator noster dictus sit *Ex Heb. 3. & 4.* apostolus à patre? Scriptum est enim: Habentes igitur pôtificem Magnum, & apostolum Iesum Christum. Quamobrem Si seruator aliquē miserit, qui aliquorum salutē administrarit, is, qui mittitur, apostolus est Iesu Christi. Verùm vt apostolus, apostolus est eius, qui misit, sic quibus*1. Cor. 9.*dam solis, ad quos mittitur, est apostolus: Hanc rem consi*Apostoli quorundā gentium.*derās Paulus dicebat, etiam si alijs non sim apostolus, vobis sum tamen: Nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino: proinde licet alicui esse apostolo Iesu Christi ad vnum solum misso: si, Dei prouidentia, vel soli sermonem is administrauerit. Quæ quidem diximus, vt rursus videamus eorum, qui Iesu Christi apostoli fuerunt habiti, D excellentiam. Dexteras enim societatis mihi, & Barnabæ *Gal. 2.* inquit, dederunt, vt nos in gentes, ipsi verò in circuncisionem. Igitur Paulus gētibus solis erat apostolus, Petrus toti circuncisioni. Quòd si ex nobis habitus fuerit aliquis di*1. Cor. 4.*gnus, vt ostendit apostolus, eundi ad aliquem, vel ad paulò plures, apostolus is efficitur, nec ex tollatur factus apostolus, illius dicti memor Quod superest autē, illud requiritur in dispensatoribus, vt fidus aliquis inueniatur. Non enim si quæritur aliquid, illud omninò inuenitur. Cæterū propter hoc dictum, qui recipit, si quem misero, diximus quoscūque cōtigerit à Iesu mitti, hos esse apostolos, etiam si nō nominentur apostoli, vt consueuimus. Diximus etiā contingere, vt aliqua præstantiora, quā natura sit hominū, mittantur à Iesu. Præterea, qui recipit, quem miserit Iesus, Iesum eo misso recipit, qui autem Iesum recipit, patrem recipit: Igitur qui recipit, quem Iesus miserit, Iesu patrem recipit, qui misit ipsum. potest etiā hæc oratio talis esse, qui recipit, quem ego misero, me recipis eò vsque pertingens, vt me recipiat, qui verò me non recipis per aliquem meū apostolum, sed me recipit, non ab hominibus, neque per homines administratū, sed ad animas aduenientem eorū, qui seipsos diligenter præparauerunt ad mei receptionem, hi patrē, qui me misit, recipiunt: ita vt non solus ego Christus futurus sim in ipso, sed ipse quoque pater. Possumus E autem ex his repugnantia etiam considerare: Qui nanque recipit, quem miserit filius mali, ille Antichristum recipit: qui recipit filium mali, & admittit sermonem Christo cōtrarium, fingentem se esse veritatem, falsóque promittentē se esse iustitiam, is ipsum recipit malum Quamobrē attendamus, vt tanquàm boni numularij, eorū quidem, quæ vera sunt, ministrum probemus, falsa verò administrantem reprobemus. Atque hoc quidem in loco, qui recipit, inquit, si quem misero, me recipit: qui autem me recipit recipit eum qui me misit: & qui videt me, videt eum, qui misit me. At verò non dictum est, qui credit in vos, credit in me neque, qui videt vos, videt me: Vt enim recipiamus suos, ipsius apostolos vult quidē ille, non tamen vt in illos credamus: quamobrē recipiamus eos, qui à sermone mittuntur: ipsúmque Dei sermonem, haudquaquam tamē recipiamus apostolum Antichristi, sermonémque falsum:

Cum hæc dixisset, in turbatus est spiritu, & testificatus est, & dixit, amen amen dico vobis, quòd vnus ex vobis me proditurus est.

Superius dixerat, nunc anima mea turbata est: Nunc verò hæc cum dixisset Iesus, turbatus est spiritu: Et quæro hunc in locum talia: Cur nam scilicet dictum non fuerit, spiritus Iesu turbatus est, perinde atque, nunc anima mea turbata est, vel cur hoc dictum Nunc anima mea turbata est ad similitudinem il- F lius dicti: Turbatus est spiritu, pronunciatum non fuerit: *Ioan. 12.* Quæ quærere ausus sum, quòd mediocriter per totā scri*Differentia spiritus & animæ.*pturā diligenter obseruauerim spiritus, & animæ differentiam. Mediúmque quiddā viderim esse animā, capacēque virtutis, & vitij: Spiritū verò hominis, qui in ipso est, mala recipere minimè posse: quippe cū res optimæ, fructus dicantur esse spiritus, & spiritus hominis, non spiritus sancti: vt arbitraretur aliquis. Nam ad distinctionem huius spiritus hominis, opera carnis nuncupantur ea omnia, quę sunt vituperabilia: Quoniam nullū est carnis opus laudabile. *Gal. 6.* Hactenus autē semel inueni spiritū hominis mali dictum à Deo. Hunc enim in modum scriptū est in Deuteronomio. Noluit Sion rex piè agens præterire per ipsum, quòd indu*Deut. 2.*rauerat Dominus Deus spiritum eius: & occupauit cor eius, vt traderetur in manus tuas, vt in die hac, quæ quidem accommodatius in Deuteronomio examinabuntur. Nūc propositum est nobis dicere, quomodo, quæ superius diximus, loquutus Iesus turbatus fuerit: & cur turbatus non fuerit in anima, neque propter animā, neque à spiritu, sed spiritu. Ne igitur, quid obseruauimus de spiritu prætereat: dicendū est, vbi nunc dicitur, anima mea turbata est, illam turbationis affectionem fuisse animæ: vbi verò dicitur Iesus, turbatus est spiritu, affectionē humanā fuisse venientē

G ad Dominum ſpiritus. Vt enim ſanctus viuit ſpiritu, auſpi-
Rom. 8. cante in vita actionem omnem, & votum, & laudem ad
Deum, ſic quicquid fecerit, id facit ſpiritu, atque etiã ſi pa-
titur, ſpiritu patitur, quod ſi ſanctus ſic ſe habet, quãtò ma-
gis dicenda ſunt hæc de Ieſu ſanctorũ principe? cuius ſpi-
ritus hominis, qui in eo eſt, dum ipſum totum hominẽ aſ-
ſumeret, cõcuſſit cætera in ipſo humana? hũcque in mo-
dum turbatus eſt ſpiritu, vt teſtaretur, & diceret cum diui-
no quaſi iuramento illud. Amen dico vobis, quòd vnus
ex vobis me proditurus eſt. cum enim ſpiritus vidiſſet id,
quod immiſſum fuerat à diabolo in cor Iudæ Simonis Iſca
riotæ, nimirum vt præceptorem proderet, futurum præui-
dens, turbatus eſt: & quoniam perturbatio illa ex cogni-
tione eſt orta, quæ erat per ſpiritũ, qui etiam ſpiritus per-
turbabatur, dictus eſt Ieſus turbatus fuiſſe ſpiritu, fortaſſe
verò iuxta vnam intelligentiam, nempe illam, quæ dicit,
caro eſt infirma, caro etiam perturbata eſt, hæc autem ca-
ro erat Ieſus, iuxta illud, quod à Gabriele Mariæ dictum
eſt: Ecce concipies in vtero, & vocabis nomen eius Ieſum:
Luc. 1. Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur. Cæterùm
notabis in his, quæ indagauimus, quò vox, teſtatus eſt, re-
feratur ad ea verba: Vnus ex vobis me proditurus eſt. Hoc
etenim dictum diſcipulis, & prophetatũ de Iuda, qui vnus
erat ex eis, teſtimonium erat æquiuocè (opinor) cum illa
H ſignificatione, quæ à teſtando, & moriendo pro Dei cultu
deducitur. Nec enim eandem ſignificationem fuiſſe reor
per vocem teſtatus eſt, quando declaratur verbum illud, à
Martyr. quo ὁ μάρτυς hoc eſt teſtis Dei, & Chriſti ſui, figuratus eſt,
& nũc quãdo refertur ad hęc verba, vnus ex vobis me pro-
diturus eſt, quod refertur ad Iudam, ne forte hoc oſtendat
eum ab ordine apoſtolico decidiſſe, in quo fuit & ipſe ſu-
blimatus, quòd aliquando ęquè affectus fuerit, atque alij
Gen. 3. apoſtoli. Sic enim ego intelligo, & illud. En Adam factus
eſt, quaſi vnus ex nobis: quoniam ne illic quidem dictum
fuerit, quaſi nos, vel quaſi ego: ſed propter vnum, qui ceci-
dit à beatitudine, quaſi vnus ex nobis, quoniam vnus ce-
cidit: concinere videtur cum his verſibus illud, Vos autem
Pſal. 82. quaſi homines moriemini: & illud, Quaſi vnus de princi-
pibus cadetis. Plures enim cũ eſſent principes, vnus ruit,
cuius ruinam ferè imitantes peccatores, illius ruina ruũt:
vt enim ille in diuinitate exiſtens ruit: ſic, & quibus ſermo
ille inquit: Ego dixi, Dii eſtis, & filij excelſi omnes. Cũ au-
tem ceciderint à beatitudine, cum principaliter non eſſent
homines, moriũtur quaſi homines, & quaſi vnus ex prin-
cipibus, cadunt. Exiſtimo verò etiam cum admiratione di-
cta fuiſſe hæc verba tali ſenſu. Qui me proditurus eſt, non
eſt alienus à diſcipulis meis, ac ne vnus quidem ex multis,
I & vulgaribus diſcipulis, ſed vnus ex illorum apoſtolorum
Matt. 27. numero, quos ego mihi honorandũ delegerã. Atque mul-
ti quidem, qui Ieſum condemnarunt, dicũt crucifige, cru-
cifige eum, & tolle hũc è terra: At eum tradere opus illius
fuit, qui vidit, & cognouit eum, talium enim, tãtarúmque
diſciplinarum, quas ſeorſim cum apoſtolis audierat, cum
ſciret eum præceptorem, ac Dominum cum agnouiſſet,
prodens eum, magnitudinem illius, quam norat, prodidit,
cum nullus, qui magnitudinem illius non vidiſſet, acturus
fuiſſet hoc. Nam prodens proderet ille quidem magnum,
at non in quantum eſt magnus, cum Ieſum non noſſet in
quantum magnum. At verò, hic qui didicerat, quomodo
ſit magnus, auditor factus magnitudinis ſapientiæ, quę eſt
in eo, & rationis, & gratiæ, & prodidit eum, & prodidit
totam, quam nouit, magnitudinem. Hanc ob cauſam con-
ducebat illi natum non fuiſſe, ſiue regenerationis ortu (vt
profundius quis intelligeret) ſiue hoc communiori ortu,
de quo ortu moleſtiis ſe eximere quis volens, cum inqui-
ſierit etiam, quod quicquid vtile eſt, vtile ſit ei, qui eſt, &
conſiderans quod ei, qui non ſit, nihil conferat, & vtile ſit,
ad ſecundam expoſitionem cum deuenerit, illam magis
ſuſcipiet.

Aſpiciebant ſeſe mutuò diſcipuli dubitantes, de quonam diceret.

EQuidem ſi aperta fuiſſet Iudę malitia Ieſu diſci- K
pulis, agnitus etiam fuiſſet ille, qui magiſtrum *Apoſtoli*
proditurus eſſet, dicente Seruatore, vnus veſtru *nihil de*
me proditurus eſt, at nunc intuentur ſeſe mu- *Iuda ma-*
tuo diſcipuli, dubitantes de quo diceret. Iudas etenim ex *le ſuſpi-*
his, quæ antea recte egerat, perſuaſerat apoſtolis, vt nihil *cati ſunt.*
de illo ſuſpicarentur mali. Fortaſſe verò nondum Iudas Si-
mon Iſcariotes prorſus à malitia dependebat, etiam ſi dia-
bolus immiſiſſet in cor illius, vt proderet Ieſum, reliquis
etiamnum exiſtentibus in ipſo boni propoſiti, quibus cũ
perſpexiſſet, Ieſum condemnatum, quando ligatum eum
abduxerũt, & tradiderunt Pilato præſidi, pœnitudine du-
ctus retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & *Matth. 2.*
ſenioribus dicẽs, peccaui tradens ſanguinem innocentem,
quando, & dicẽtibus illis, quid ad nos? tu videris, proiectis *Matt. 27.*
argenteis, argenti ipſe cupidus abiens laqueo ſe ſuſpendit,
ne videre quidem expectans iudicij finem de Ieſu apud
Pontium Pilatũ, neque hic ſyncere à peccato reſipuit, ne-
que fuit huius malitia ad aliquid boni impos: ſiquidem e-
nim ſyncere reſipuiſſet, atque perinde ac latro ille, qui di-
xit, Memẽto mei Domine, dũ veneris in regnũ tuũ: feciſſet, *Luc. 23.*
quæ ad ipſum pertinebãt, vt Ieſum placatum redderet ob
proditionẽ, quæ iã præceſſerat, quod ſi omninò expuliſſet
ab anima ſua boni notionẽ, haudquaquã reſipuiſſet vidẽs
Ieſum condemnatũ, imò illũ accuſans addidiſſet ſermones L
ſimiles proditioni. quinetiã fruens, ceu argẽti cupidus ar-
genteis triginta, quos acceperat preciũ appreciati, neque
voluiſſet argẽteos proiicere, neque retuliſſet eos principi-
bus ſacerdotũ, & ſenioribus, neque corã illis ipſis peccatũ
ſuũ faſſus fuiſſet ſeipſum accuſans, & magiſtrũ laudans di-
cendo, peccaui tradẽs ſanguinẽ iuſtũ. Quinetiã præfocare
ſeipſum laqueo nemo alius feciſſet, præter illũ, qui in cor *Act. 11.*
ſuũ miſiſſet, vt proderet Seruatorẽ. Ac profectò in vtriſque *An Iudas*
dedit Iudas locũ diabolo. Cæterũ hæc pro viribus accura- *natura ſa*
tè inquiſiui, ſimul quidẽ oſtendens his, qui Iudã exiſtima- *lutis ca-*
bant ſalutis non capacẽ eſſe natura, talẽ nõ eſſe, ſimul etiã *pax.*
exponens, quomodo meritò intuerentur ſeſe mutuò apo-
ſtoli ob Domini ſermonẽ, dubitãtes de quonã diceret: ſed
ſufficiat ad oſtendendũ eum corruiſſe, cũ ſanctus eſſet, aſ-
ferre in mediũ lectionẽ propheticã ex Pſalmo quadrage- *Pſal. 40.*
ſimo ſic habẽtẽ. Homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui ede-
bat panes meos mecũ, magnificauit ſuper me ſupplanta-
tionẽ. Quin etiã illud. Si inimicus meus conuitiis me in- *Pſal. 54.*
ceſſiſſet, ſuſtinuiſſem vtique, declarar eũ a principio inimi-
cũ nõ fuiſſe: illud etiam, Si is, qui me oderat, aduerſum me
mala locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo, pa- M
làm oſtendit hunc aliquando dilexiſſe Ieſum: eo vſque etiã
amãdo peruenientẽ, vt eſſet Ieſu vnanimis. Iuxta illud, To *Pſal. 54.*
autẽ homo vnanimis, dux meus, & neceſſarius meus. Alio
qui ſexcenta alia inuenias, ex quibus intelliges meritò di-
ſcipulos ſeſe mutuò reſpexiſſe, dubitãtes de quonam dice-
ret. Porrò Lucas ſcripſit, cũ dixiſſet Ieſus: veruntamen ecce *Luc. 22.*
manus me tradẽtis eſt mecũ in mẽſa, & filius quidem ho-
minis vadit iuxta id, quod ſibi diffinitũ fuit: verũtamẽ veh
homini illi, per quem traditur, diſcipulos cœpiſſe inter ſe
quęrere, quis nã eſſet hoc facturus. Quærebãt enim inter
ſe, de quo diceret. Iam verò ſecundũ Lucã non apparet v-
nũquenque ſe ſuſpectũ habere, perinde atque apud Mat- *Matt. 26.*
thæũ, & Marcũ, qui palàm hoc oſtẽdũt. Inquit enim Mat- *Marc. 10.*
thæus. Et valde mœſti cœperunt dicere: nunquid ego ſum
Domine? At Marcus, cœperũt mœſti eſſe, & dicere illi ſin-
gulatim, nũquid ego? Et alius, nũquid ego? Secũ enim repe
rebãt, opinor, ſe homines eſſe, & propoſitum adhuc profi-
cientiũ mutabile eſſe: capáxque volẽdi repugnãtia his, quę
antea propoſuiſſet: fortaſſis etiã edocti, cõtra quæ ſit no-
bis lucta, propter incertũ rerum humanarum exitum, ve-
rentur, ne quãdoque victi admittant proditionẽ de magi-
ſtro: nãque Petrus propoſitũ quidẽ habebat, cũ confirma-
tus dicebat: Etiã ſi omnes offendãtur in te cauſa, ego tamen
nũquã offendar, nõ negãdi Ieſum, at victus propter timo-
rẽ ſpiritus, ante galli cãtũ ter eũ negauit. Iſtiuſmodi igitur
tationib⁹ edocemur, vt qui exiſtimat ſe ſtare, videat ne ca- *1. Cor. 10.*
dat, atque etiã ne glorietis de die craſtino, quando neſcis
quid

A quid superuectura pariat dies, fortasse verò etiam illud (in-
Prou. 17. tuebitur sese mutuó discipuli) præter id, quod simpliciter intelligitur, tale quiddã declarat, quod vnusquisq; iuxta vires humanæ naturæ in propositum alterius intueretur, addubitans an possit anima, quæ talia peregerit, & sic affecta erga veracem magistrum, qui verè testatus fuerit dicendo. Amen amen dico vobis, quòd vnus ex vobis me proditurus est, in tantum immutari, & obliuisci doctrinarum ma-
Ioan. 13. gistri, vt ad Deum tradẽdum peruenirent, emphasin enim habet dictio de discipulo, dicens dubitantes de quo diceret, non enim habebant copiam cogitandi, cui competeret, quod prædictum fuerat: sed de hoc dubitabant, nihil apertum, vel cogitare, vel dicere inuenientes.

Erat autem vnus ex discipulis Iesu recumbens in sinu ipsius, quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, vt sciscitaretur, quis esset, de quo loqueretur, Itaque cum recubuisset ille super pectus Iesu, dicit ei, Domine quis est? Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctam offulam porrexero. Et cum intinxisset offulam, dedit illi Simonis Iscariotę, & post offulam ingressus in eum Sathanas. Dicit igitur ei Iesus, quod facis, fac ocyus, Hoc autem nemo discumbentium intelligebat, ad quid ei dixisset, quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, dixisse ei Iesum, Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis vt aliquid daret.

Ioan. 21. ILle qui in sinu Iesu erat recumbens, vnus ex di-
B scipulis, quem diligebat Iesus, videtur esse Ioannes, qui Euangelium scripsit, quod in fine Euangelij scriptũ sit hunc in modum: Conuersus Petrus videt illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit, Domine quis est ille tui proditor? Hunc cum vidisset Petrus, dicit Iesus: Domine hic autem quid? Dicit ei Iesus, Si eum velim manere, donec veniam, quid tua? Tu me sequere: exiit ergo sermo ille inter fratres, quòd discipul⁹ ille non moreretur, & non dixerat ei Iesus, non moritur, sed si velim eum manere, donec veniam, quid tua? quòd autem
Ioan. 21. discipulus iste qui scripsit euangelium, sit Ioannes, liquet ex his, quæ subiunguntur. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. obserua autem in vtriusque euangelij locis, quonam pacto Petrus quàm plurimum sibi fidens, interdum accumbens annuat Ioanni dicens, quis est, de quo proditore Iesus loquitur, aliquando verò eum intuitus sequentem, veluti illius, plusquam cæterorum curam habens, dicat Iesu de eo: Domine hic autẽ quid? finem Ioannes dicere volens, perinde atque suum agnouerat: nempe quòd cum senuisset, futurum erat, vt manus suas extenderet, & alius eum cingeret, & duceret, quo non vellet, & si verba, quæ locutus est Iesus, spiritus sunt, & non litera, in quibus omnibus vita est, & nusquam mors
C & discipulus, quem diligebat Iesus, ipsum imitans, vitam etiam scribit: intelligendum est illud, Erat recũbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, pro dignitate honoris, quem conueniens est filio Dei dare, & ei, quem ipse dilexerit, accipere: & existimo, quòd quamuis symbolicè recumberet tùm temporis Ioannes in sinu Iesu hoc munere dignatus, ceu præcipuo amore magistri habitus dignus, hoc symbolicum denotare, Ioannem, addictum in sermonem filium Dei propensum, & illi multum fauentem, in rebusque secretioribus acquiescentem, recubuisse in sinibus sermonis filij Dei, perinde atque ipse Dei sermo est in sinibus patris, iuxta illud, Vnigenit⁹, qui est in sinu patris, ipse nobis enar-
Ioan. 1. rauit, quin nisi abiectius intelligamus hoc dictum. Euenit
Luc. 16. autẽ, vt moreretur mendicus Lazarus, & deduceretur ab ã-
De sinu Abrahæ. gelis in sinum Abrahæ: tale quiddam de sinu Abraam etiam considerabimus: quod hunc in modum enarrabimus nos defendentes contra dubitationem ex ignorantia scripturæ ducta ab eo, qui spernere voluit enarrationem de diuite, & paupere. Nã si recumbebat (inquit) Lazarus in sinu Abrahæ, & ante illum alius, etiam alio iusto de vita decedente, mendicus assurget. Sed qui de hisce dubitat, non vidit sinum Abrahæ, nec facilimè factu esse vidit, vt innumeri in sinu Abrahæ vnà conquiescant, participes rerum illius rectarum. Sin verò locutio alium pro sinus nomenclatura in medium proferre opus fuerit ex scriptura, agè examine- D
mus, quonam pacto dixerit Dominus Mosi, Rursus infer manum in sinum tuum: & intulit manum suam in sinum suum, cúmque exeruisset eã è sinu suo, erat manus eius leprosa, velut nix, & dixit insere manum tuam in sinũ tuum, & inseruit manum suam in sinum suum, & cum exeruisset eam è sinu suo, rursum restituta est in colorem carnis suæ. Atque difficile quidem est, ac supra captum nostrum videre, cuius rei nota possit esse hoc signum. Quoniã non oportet, vt quærentes dolore afficiamur, quod nobis succurrit tradentes ad iudicandum lectori dicemus. Manum plerũ- *Exod. 4.*
que operationum notã esse, sinum verò Mosis duas poten- *Manus operationũ symbolũ.*
tias habere, priorem quidem facientẽ iuxta literæ sensa operãtis actionẽ leprosam, veluti nix: quantũ ad Hæbræorũ vocem, posteriorẽ verò ostendentẽ institutũ vitæ syncerũ, iuxta spiritualem legem restitutam ad voluntatem naturę, & rationis: & obserua, quod his subiungatur. Nisi credi- *Allegoria de duplici scripturæ sensu.*
derint tibi, neque exaudierint vocem primi signi, credent tamen voci posterioris signi. Nam qui non crediderint interpretationi literæ, is ob animi præstantiam credit spirituali legis enarrationi, quòd si quis his duobus signis non crediderit, nimirum priori, quia leprosam facit actionem: secundo, quia eam restituit in naturam suam, aqua huic efficitur sanguis: scriptum est enim, Et erit, si nõ duobus his signis crediderint, neque audierint vocem tuam: accipies *Exod. 4.*
de aquis fluminis, & effundes in siccam humum, eritque a- E
qua illa, quam de flumine acceperis: sanguis in siccam humum. Et mentem adhibe, quòd in hoc signo non amplius dicatur, si credent, vel si non credent tibi. Innuitur enim, quòd non credenti duobus signis, aqua de flumine sumpta fiat sanguis, nequeunti propter infidelitatem frui ratione potabili. Sed redeamus vnde aberrarat oratio, cum plura quæ præsens locus postulet, de sinu Iesu assumpserimus. Cumque didicerimus eum, quem amat Iesus, recumbere in sinu Iesu, nihil non agamus, quò præcipuo ipsius amore digni iudicemur, hunc enim in modum recumbemus etiã ipsi in sinu Iesu. At annuit dilecto discipulo Simõ Petrus, nec annuisse contẽtus, inquit illi: sciscitare, quis nam sit ille, de quo loquitur: Quamobrem quoniã annuere in Pro- *Prou. 6.*
uerbiis assumitur in calumniam, nam malus annuit oculo, annuit & pede, docetque nutibus digitorũ, corde peruerso mala machinans: & qui annuit oculis, cum dolo aggregat viris mœrores, dicendum est malum non esse annuere, sed oculo annuere: hoc est oculo transuersa tueri, & non rectè videre: & annuere cum dolo, vituperabile etiam est ei: At amantem annuere, Petri officium esse. Et huic consequuntur nutui dicere condiscipulo, tãquàm maiorem erga magistrum libertatẽ habenti, vt sciscitaretur, de quo loqueretur. Volebat enim fortassis mysterium, quod erat in proditione, qua Iesum Iudas prodit, nosse, quod vt discat Pe- F
trus, Ioannes, qui prius recubuerat in sinu Iesu, superascẽdit, & recubuit super pectus: & fortassis non recũbenti super pectus, sed perseueranti in sinu recumbere haudquaquam reddidisset Iesus, quem Petrus, & Ioannes desiderabant, sermonem. Quamuis igitur antea recũberet in sinu Iesu, deinde verò recubuerit supra pectus Iesu, notatur tamen germanus Iesu discipulus in fine euangelij, non quia in sinu, sed quia supra pectus recubuerit, quasi hoc vltimũ cellentius sit, ac præstantius, scriptum est enim:

Conuersus Petrus vidit discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit, Domine quis est, qui tradet te? non enim scriptũ est, qui recubuit in sinu Iesu. Ille inquit est, cui ego offulam intinctam porrexero: Dixit igitur hoc Iesus: cumque intinxisset offulam, eam sumit, & porrigit Iudæ Simonis Iscariotæ.

STatim etiam post offulam intrauit in illum Sathanas, qui neque antea valuerat intrare, neque etiam mox cum misisset in illius cor, vt eũ proderet. Necesse enim erat, opinor, ob dationem offulę, vt Iesus reacciperet donum ab indigno, quod se habere credebat: quandoquidem ab eo, qui non habet, & id,

G quod videtur habere, auferetur ab eo: priuatus ergo Iudas
veluti indignus ab excellentiori, qui precatus fuerat pacē,
recepit ingressum Sathanæ in se. exempli autem gratia, vt
intelligatur quomodo Iudæ quidem dederit Dominus of-
fulam, ille autē tunc illud à se repulerit, quod in se eximiū
habebat, & fortasse pacem reuertētem ab eo, qui audiuit,
Luc. 10. & non admisit dicentem, Si manserit illic filius pacis, pax
vestra super illum requiescet, sin minus, pax vestra ad vos
reuertetur, in medium adducemus, quæ in secundam ad
1. Cor. 8. Corinthios epistolam hunc in modum sunt scripta. Vestra
copia illorum inopiæ succurrat, vt & illorum copia vestræ
inopiæ, si enim consideraueris retributionem in hisce te-
bus rerum terrenarum ad spiritualia, scire poteris, quomo-
do ei, qui indignos erat pane, distribuerit offulam, vt per
eam à Iuda auferret pacē, tanquàm indigno, qui amplius
Psal. 40. audiret: Et enim homo pacis meæ: nam sordidus sordescat
Apo. 21. adhuc, qua ablata, ille qui obseruabat occasionē ingrediē-
di in animam illius, & in datorem sibi ingrediendi locum,
in Iudam ingressus est: Pariter obserua Sathanam antea
non ingressum fuisse in Iudam, sed tantùm misisse in cor e-
H ius, vt magistrum proderet, iuxta ea verò, quæ nunc accu-
Sathā co- ratè exquisiuimos, post offulam introisse in eum. Quam-
rrumpere obrem caueamus & nos, ne quādo diabolus in cor nostrū
conatur in faciat qualēcunque sagittā sui ipsius ignitam: Nā si iecerit,
cor homi- mox etiam obseruat tempus ingrediendi. Sed quærat ali-
num. quis, quare scriptum nō fuerit: Ille est, cui ego offulam de-
dero, sed cum adiectione hac, intingā. Intingam enim, in-
quit, & porrigam offulam: & cū intinxisset buccellam, su-
mit, & dat Iudæ Simoni Iscariotę. In similibus autem locis
mentem adhibe, an possis dicere syncerum panem non es-
se tinctum, sed ex se esse τροφιμον, hoc est, nutriens, illud
verò, quod Iudæ dabatur, non fuisse panem, sed offulam, &
non offulam absque immersione, sed tinctā, & immersam
ab eo, qui poterat ab anima ipsius auellere omnem tinctu-
ram à ratione aliquantulum infusam, vt post offulam in-
Matt 26. grederetur in illum Sathanas. At ego adhuc quærerē, quod
Mar. 14. in Matthæo scribitur huic loco affine sic habens. Qui in-
Luc. 12. tinxit mecum manum in catino, hic me proditurus est. Itē
illud, quod scribit Marcus. Intingens mecum in catino.
Rursus etiam quod Lucas, etiam si non dicat, intinxit, sed
tantùm, Veruntamen en manus me prodentis est mecum
I in mensa. Atque verus quidem hisce de rebus sermo inue-
Iudæ inci niatur apud eos, qui me longè sapientia præstant. Ego au-
uilitas & tem coniector, ne fortè impudētia Iudæ appareat hac quo-
irreueren- que in re non honorāris magistrum in conuiuio, dum vnà
tia erga comederet: neque deferentis illi, dum in catino immerge-
magistrū. ret, vt cæteri deferebant. Hanc ob causam, cum nemo illo-
rum immergeret cum Iesu, ipse æqualitatem volens cum
illo habere, cum ipso immergebat, cum cedere debuisset
excellentiæ ipsius. Quamobrem hoc fortasse proximum
est illud. Veruntamen, en manus me prodentis mecum est
in mensa. Ac profectò quisquis vrbanè aliquando iuuenes
admonuerit, vt senioribus in conuiuiis deferāt, hoc dicto
Iuuenes vtetur, ne manum comprimant duorum. Scriptum est e-
vereātur nim, & hoc quoque: Ne comprimas cum eo in catino. Cę-
seniores. terùm non ignorantes propter opinionem curiosæ quæ-
stionis, & persuadere auditori non valentis, à desensione
procul esse apud eos, qui hæc audiunt: hæc ausi sumus, me-
lius esse rati omnia explorare, quàm aliquid, quod scriptū
sit, præterire intactum.

Cum verò ingressus fuisset Sathanas in Iudam, dicit illi Iesus, quod facis, fac ocyus.

SEd cui dicat, dubium est. Nam vel Iudæ, vel Sa-
thanæ potest dixisse Dominus, quod facis, fac
ocyus, inuitans vel antagonistam ad pugnam,
vel proditorem ad subministrandum dispensa-
tioni, quæ toti orbi salutifera futura erat: Quam non am-
plius retardare, sed pro viribus accelerare volebat: non vt
quidam existimant malè intelligentes, quomodo dixerit
Mat. 26. Dominus, Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, sed
confidentissimè ad certamen (vt ita loquar) exutus. Proin-
de arbitror vigesimum etiam Psalmum ex persona Serua- K
toris prophetatum in tempore passionis diabolo totis vi-
ribus aduersus eum contendente: Quos intuitus aduersum
se armatos, atque ad pugnam paratos, (quando astiterunt Psal. 2.
Reges terræ, & principes vna conuenerunt aduersus Do- Psal. 26.
minum, & aduersus Christum eius) inquit, Dominus Lux
mea, & salus mea, à quo-nam metuam? Dominus obtento
scuto protegit vitam meam, à quo expauescam? Dum ap-
propinquant super me, vt deuorent carnes meas tribulan-
tes me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderūt: Si aciē
struant aduersum me castra, non timebit cor meum: Si in-
surgat aduersum me prælium, hac re nitar. Veruntamen
quod dixit Iesus, siue Iudæ, siue Sathanæ, quod facis, fac o-
cyus, nemo agnouit discumbentium, ad quid dixerit, qui-
dam enim putabant, quòd instaret Paschatis dies festus,
Iesum dixisse habenti marsupium expensarū, & eorum;
quæ dabantur in vsum pauperum, vt erueret ea, quibus o-
pus haberēt ad diem festum: vel vt ex his, quę collecta fue-
rant, daret pauperibus. At Iesus non hoc dixerat, sed vidēs L
& Sathanam ingressum, & Iudam admittentem eum, om-
nésque aduersus se insidias, ad certamen veluti cautus, &
ad strennè se gerendum pro salute hominum aduersum
malum, & diabolū, hoc dixit: Quod facis, fac ocyus. Cum Ioan. 13.
accepisset ergo ille offulam, exiuit continuò, erátque nox.
Dixerat quidem Seruator Iudæ, quod facis, fac ocyus, at
proditor hac vna in re magistro nunc paret, sumpta nan-
que offula, non moratur, sed vt scriptum est, exiuit conti-
nuò, vt faceret ocyus proditionis opus, iuxta visionē Iesu:
& verè exiuit: Nec enim tantùm iuxta simpliciorem sen- Ioan. 3.
sum exiuit ex domo, in qua cœna fiebat, sed etiam exiuit à Exire à
Iesu: Non secus atque illud: Exierunt à nobis. Arbitrórque Iesu.
Sathanam in Iudam ingressum post offulam ferre non po- 1. Co. 10.
tuisse, vt esset in eodē loco cum Iesu: Neque enim vlla cō-
uenietia est Christo ad Belial. Quæro insuper, nisi id curio-
sum est, quare tandē huic voci, cum accepisset offulam nō
addatur, & comedisset? sed inspicies etiā tu ipse, huic enim
verbo accipiendi, comedēdi verbum addunt euangelistæ,
cum volunt, veluti in panis benedictione scriptum est, di- Mat. 26.
xisse Iesum discipulis: accipite & comedite. An igitur ac-
ceptam offulam non comederit Iudas, etiam si quæ dictu-
ri sumus, conuenire non videantur cum superioribus, ex-
planabimus in præsenti loco, iudicante lectore, vtrum o-
porteat admittere quæ dicuntur. Cū intinxisset, inquit Ie-
sus offulam, & dimisisset eam, licet in catino, ne vacet vox,
accipit, deinde dicitur, dat Iudæ Simonis Iscariotæ, & post M
offulā, tunc ingressus est in illū Sathanas. Post offulā igitur
fortasse à Iuda non comestā, anticipante Sathana, qui in-
gressus fuerat in Iudam, offulæ vsum, ne Iudas adiumentū
perciperet ex data à Iesu offula, (habebat enim hæc qui-
dem vim adiuuandi ea vsurum, sed acceperat iam semel in
suum cor Iudas, vt magistrum proderet) timēs ne telum in
Iudā emissum aberraret, si Iudas vsus offula fuisset antici-
pans, mox atque Iudas sumit offulam, ingressus est in illū,
tū scilicet cū dixisset illi Seruator, quod facis fac ocyus, ac-
cepissetque offulā Iudas, ingressus est statim. Proinde haud
absurdū in præsenti loco diceretur, quòd vt qui panē Do- 1. Cor. 11.
mini comedit, vel calicē eius indignè bibit, in iudiciū mā- Euchari-
ducat & bibit, vna virtute præstantiori operante bonū, in stia.
bono affectu supposito, panem & calicem, in affectu verò
malo, operante condemnationem: sic offulam à Iesu datā An offula
eiusdem generis fuisse cum ea, quam Iesus dedit cæteris a- data Iu-
postolis, dum diceret, accipite, & comedite, sed illis quidē dæ fuerit
ad salutē, Iudæ verò ad condemnationē, ita vt post offulā Euchari-
ingrederetur in illū Sathanas. Cæterū consideretur hic pa- stia.
nis, & hoc poculū à simplicioribꝰ iuxta cōmunē intelli-
gentiam de gratiarū actione: At qui altius hæc intelligere
didicerint, considerent hoc dictū fuisse iuxta diuiniorem
promissionē etiam de λόγῳ & verbo veritatis alimentū v- Logos ve-
berius præstante, tāquam si exemplo dicerē: panem, quòd ritatis a-
ad corpus attinet, alimentū vberrimum præstantē febrim limētum.
subiectā augere, cū contra bonā corporis habitudinē ad sa- præstat.
nitatē reducat. Quam ob causam plerunque sermo verus
ægrotāti animę, & nō indigēti tali cibo datus illā cōteret,

illi

A illi vt peius se habeat, causa existens. Atque etiam sic sequitur, vt vera dicere periculosum sit: hoc autem mihi dictum est propter offulam, quam intinctam dedit Iudæ Iesus Simonis Iscariotæ, mouimúsque rationem in vtranque partem, siue necesse sit dicere, Iudam acceptam offulam, comedisse, siue Sathana, qui in ipsum ingressus fuerat, prohibitum fuisse: sin verò perpēdere etiam illud oportet: Erat autem nox, tanquam non temere assignatum ab euangelista, dicendum est: symbolicè tunc noctem fuisse sub Iesum cadentem quæ imago existeret noctis factæ in anima Iudæ, quando quæ ferebantur super abyssum, illæ tenebræ (nempe Sathanas) ingressæ sunt in eũ. Vocauit enim deus tenebras noctem. Quare noctis, inquit Paulus, non sumus filij neque tenebrarum, dicens: Ergo fratres nõ sumus noctis, neque tenebrarum filij. Et illud: nos qui diei filij sumus, sobrij simus. Quamobrem nox non erat his, quorum pedes lauerat Iesus, sed dies, eáque splendidissima, vt qui iã mũdati essent, abiecissentque sordes, quas in pedibus animæ suæ habebant: excellentiori etiam modo. Nox non erat recumbenti in sinu Iesu, quòd Iesus amore, quo illum prosequebatur, cũctas soluisset tenebras. Ac ne Petro quidem nox erat confitenti id, quod sibi cœlestis ille pater reuelarat, nempe tu es ille Christus, ille filius dei viuentis, B cui tamen neganti, nox confestim fuit: etiam nunc igitur cum egressus est Iudas, sumpta offula, mox sibi ingresso nox fuit. Nec enim illic ille vir aderat, cui nomen est oriēs, scilicet reliquerat, dum egrederetur iustitiæ solem. Ac Iesum quidem persequebatur Iudas tenebrarum plenus, sed tenebræ, & qui ipsas receperat non apprehenderunt eos, qui persequebantur lucem. Quocirca cum dixisset tanquã iustitiæ sermonem, peccaui tradens sanguinem iustũ, profectus laqueo se præfocauit, Sathana nimirum, qui in ipso erat, eum vsque ad laqueum adducente, & in hoc ipsum præfocante, quãdo & animam eius diabolus attigit, quippe qui talis non esset, vt de eo diceretur à domino, quod de Iob est dictum ad diabolum: at illius animam ne attingas.

Nox symbolice. *Gen. 1.* *1. Thess. 5* *Filij lucis qui.* *Mat. 16.* *Mat. 26.* *Iob. 2.*

Cum ergo exisset Iesus dicit: nunc glorificatus est filius hominis, & deus glorificatus est per eum, & deus glorificabit eum per se. Et continuo glorificabit eum.

Nunc glorificari cœpit, filius hominis post gloriam, quæ ob signa & prodigia contigerat, & post gloriam transfigurationis, cum Iudas, Sathana in ipsum ingresso, à loco vbi erat Iesus, exiuit. Quocirca dixit dominus: Nunc glorificatus est filius hominis. C Præterea illud etiam: si ego exaltatus à terra fuero, omnia traham ad meipsum, dictum est à Seruatore significante, quali morte glorificaturus esset deum, glorificauit enim etiam moriēdo deum. Hanc ob causam, quoniam initium dispensationis morituri Iesu perficiebatur, egresso post offulam Iudæ, vt contra Iesum negotiaretur, dictum est: Nunc glorificatus est filius hominis, deinde quoniam non liceat glorificari Christum, non glorificato per ipsum patre, propterea his verbis, nunc glorificatus est filius hominis, adduntur hæc, & deus glorificatus est per ipsum. Veruntamen gloria contingēs ob mortem pro hominibus non pertinebat ad vnigenitum, qui natura mori aptus non erat, neque ad sapientiam, & pietatem, & quæcunque alia esse dicuntur in Iesu diuiniora, sed ad hominem, qui erat etiam filius hominis, genitus ex semine Dauid secundum carnem. Quocirca superius quidem dixit: Nunc glorificatus est filius hominis. Nunc etiam, opinor, Deus exaltauit factum obediētem vsque ad mortem, mortem autem crucis. Nam illud verbum, quod erat in principio apud deum, deus, non recipit exaltari. Cæterùm exaltatio filij hominis sibi facta glorificantis deum per suam ipsius mortem, hæc fuit, vt non amplius ipse aliud esset à verbo, sed idem cum ipso. Nam, si qui adhæret domino, vnus est spiritus, vt de hoc, & de spiritu non amplius dicatur, quod duo sint, quomodo non magis diceremus id, quod de Iesu est humanum, factum fuisse vnum cũ verbo exaltato quidem illo, qui nõ rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed verbo manente in sua altitudine, vel etiam restituto ad id, vbi erat prius, apud deum. deus verbũ D existens, & homo? Altera verò glorificatio Iesu, deum per mortem suam glorificãtis tunc fuit, cum expoliatos principatus, ac potestates ostentauit palàm triumphãs de illis per lignum, pacificatis per sanguinem crucis eius, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis. In his enim omnibus glorificatus est filius hominis, deo etiam glorificato. Cæterum, quoniam qui glorificatur, ab aliquo glorificatur, quæres in his verbis, glorificatus est filius hominis, à quo glorificatus fuerit, similiter etiam in his facies: Deus glorificatus est per eum. Pro quorum verborum explanatione diligēter adhibeamus animum ad primum dictum, scilicet nunc glorificatus est filius hominis, item ad secundum, & deus glorificatus est per eum, & ad tertium, glorificabit eum per se, demum ad quartum, & continuo glorificabit eum. Nisi fortè quis dicat recipere coniunctionem coniuncti in finiente, vt coniunctum incipiat ab illis verbis, & deus glorificatus est per eum, & desinat in ea, & continuo glorificabit eum. Verum attendamus necesse est gloriæ vocabulo, quod apud nullos gentiles de re media ponitur, ex quo diffiniunt, gloriam esse laudem à multis proficiscētem. Perspicuum verò est alia de re hoc nomen, etiam poni ex eo, quod hunc in modum in Exodo dictũ sit: & gloria domini repletum est tentorium. Nec poterat Moses ingredi in tentorium testimonij, quòd obumbrasset illud E nubes, & gloria domini plenum fuit tentorium. In tertio etiam Regum hunc in modum est scriptum: Euenit, cum egrederētur sacerdotes è sanctuario, vt nubes repleret domum domini, & non poterant sacerdotes stare coram nube ad ministrandum, quòd replesset gloria domini domũ. Quin de Mosis gloria scripta etiam sunt talia in Exodo: Vt autem descendit Moses de monte, duæque tabulæ testamenti in manibus erant Mosis: cúmque è monte descenderet Moses, non norat glorificatum fuisse aspectum cutis vultus sui, dum deus sibi loqueretur. Viditque Aaron, & omnes filij Israel Mosen, & erat glorificatus aspectus cutis vultus sui, & timuerunt ei appropinquare. Hæc gloriæ significatio in euangelio etiam Lucæ his verbis declaratur. Et facta est, dum oraret, species vultus eius alia, & vestitus eius candidus, ac refulgens: Et ecce duo viri loquebantur cum eo, qui erant Moses & Helias: qui visi in maiestate narrabant excessum eius, quem completurus erat Hierosolymis. Vide verò in quibus etiam Paulus nomen gloriæ assumat, alicubi enim dicit: Si administratio mortis in literis deformata in saxis, fuit in gloria, adeò vt non possent intendere filij in faciem Mosis, propter gloriã vultus eius, F quę aboletur, cur non potius administratio spiritus erit in gloria? Nã si administratio condēnationis in gloria est, multo magis excellit administratio iustitiæ in gloria: quãdoquidem ne glorificatũ quidem est in hac parte propter eminentem gloriam: si enim quod aboletur in gloria fuit, multo magis, id, quod manet, est in gloria. Alibi verò: At nos omnes retecta facie gloriã Domini in speculo repræsentãtes ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriã: tanquam à domini spiritu. Rursúmque post pauca, si adhuc velatũ est euangeliũ nostrum, in his velatum est, qui pereunt: in quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorũ: ne illucesceret illis euangeliũ gloriæ Christi, qui est imago dei, & iterũ post pauca: deus, qui iussit è tenebris lucē illucescere, qui luxit in cordibus nostris ad illuminationē cognitionis gloriæ dei, in facie Iesu Christi. Quorũ singula quãuis accurate enarrare nõ postulet proposita enarratio textus euangelici, tamen paucis hæc dicēda sunt. Quantũ ad sensum humilem, & corporalem attinet, diuinior quædam manifestatio in tentorio, & in templo completo facta fuit, & in facie Mosis, qui cum diuina natura conuersatus fuerat: quantũ verò ad Anagogen, & altiorem intelligentiã, ea quæ de deo accuratè agnoscuntur, quęque acie mētis dispiciuntur, apte propter excellētiam puritatis dicentur esse gloria dei conspecta. Quoniam mēs mundificata, & quæ materialia cuncta transcenderit, vt accuratè intueatur visionē dei, ob ea, quæ intueatur, deificatur. Dicēdũ est etiã eiusmodi esse glorificari faciē eius, qui

Deus carne passus. *Phil. 2.* *Ioan. 1.* *Vnũ sunt hypostasi filius dei & Mariæ, nõ autem essentia.* *Col. 2.* *Iesus à quo glorificatus.* *Gloria.* *Exod. 40* *3. Reg. 8.* *Exod. 33.* *Luc. 9.* *2. Cor. 4.* *Expositio verborũ Apostoli de gloria vtriusque testamenti.*

G deũ intuitus fuerit,& cum ipso conuersatus, quique cùm huiusmodi visione consuetudinẽ habuerit, vt tropicè glorificata fuisse Mosis facies intelligatur, quia mẽs illius deificata fuerit. In hanc sententiam Paulus quoque dicebat: Nos autem retecta facie gloriã domini in speculo repræsentantes, ad eandem imaginem transformamur. Vt autẽ nocturnæ lucis splendor exoriente sole offuscatur, sic Mosis gloriæ, tenebras offudit gloria, quæ est in Christo, cum alioquin excellentia, quæ est in Christo, comparationem non habeat, qua agnoscens patrem Christus, longe magis glorificatus fuit, quàm fuerit Moses ex his, quæ à se cognita fuere, & quæ glorificauerunt faciem animæ eius. Idcirco gloria in Mose existens dicta est destrui, à supereminẽti gloria, quæ est in Christo. Verùm enimuero cum hæc pro virili paucis disseruerimus in his, quæ in medium protulimus, redeamus ad illud, nunc glorificatus est filius hominis, & deus glorificatus est per ipsum. Agnoscens patrem filius glorificatus est ipsa patris agnitione, quæ maximum bonum, & tale, vt filius glorificetur in perfecta cognitione existens, qua agnoscit patrem. Arbitror verò etiam quo seipsum agnoscens (quæ ipsa res non procul à priori abest) glorificatus sit, eo quod seipsum agnouerit, an verò etiam vniuersorum cognitio magnitudinem gloriæ ipsius compleat, quæ sunt occulta, quæque aperta cognoscẽtis, quæ res. Et vide ne fortè hanc glorificationem filius hominis

Mens deificatur.
Quo sensu efficimur consortes diuinæ naturæ.
2.Pet.1.
2.Cor.4.

H habeat, quia vnitus sit sapientiæ, cum ipse sit αὐτοσοφία, vel vt vocant αὐτολόγος, hoc est sapiẽtia ipsa, vel filius ipse. Hac enim gloria, qua glorificatus est filius hominis, à patre, qui hoc illi donauit, glorificatus fuit. Multáque cum sint gloriam omnem hominis quæ compleant, his omnibus præstans est Deus, qui non simpliciter à filio, dum cognoscitur, glorificatur, sed per filium glorificatur, iuxta quod audax quidem facinus, supráque captum nostrum nosmetipsos permittere horum inquisitioni, sed tamẽ audendum est suggerere, quod hoc in loco in quæstionẽ adduci possit. Quæro autem, an liceat glorificari Deum, prçterque glorificari per filium, vt assignauimus. Et dicendum est necessario eum, quando in sua est specula, propter suam ipsius cognitionem, ac suam ipsius contemplationem maiorem contemplatione illa quæ est in filio, vt opus est, talia de Deo cogitare, oblectari indicibili quadam hilaritate, & iocunditate, & gaudio, in seipso libenter acquiescẽtem, & gaudentem. Quibus vocabulis ego quidem vtor non tanquàm propriè conuenientibus Deo, sed indigus indicibilium (vt ita loquar) verborum, quæ solus ipse vnigenitus filius eius cum ipso propria locutione effari potest, vel cogitare de eo. Cæterùm quoniam in hunc locum

Christus est

I deuenimus, vbi Deus per Christum glorificatur, appositè quæremus, quomodo etiam per spiritum sanctum glorificetur, & per omnes, à quibus conspecta fuerit, vel conspiciatur gloria Domini. Atque arbitror ego quidem totius gloriæ Dei splẽdorem esse filium (vt à Paulo traditum est dicente: qui cum sit splendor gloriæ) peruenire tamẽ particulares splendores ab hoc splendore totius gloriæ ad reliquam naturam rationis capacem. Alioqui non arbitror percipere aliquem posse omnem splendorem totius gloriæ dei, nisi filium dei. Nunc autem quando œconomia, & mysterium passionis filij hominis pro omnibus fit non sine deo, (quam ob causam deus illum superexaltauit) glorificatus est. inquit, filius hominis, non solus (deus enim per ipsum etiam glorificatus est) ad huius loci similitudinem exponere quis poterit illud: nemo agnouit filium, nisi pater. Et illud: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Quatenus enim filius non erat mundo agnitus (in mundo enim erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eũ non cognouit) nondum glorificatus erat per mundum, etiam si quòd per mundum glorificatus nondum esset, dãnum non erat Christi non glorificati, sed mundi, Christũ non glorificantis. Cum verò pater cœlestis reuelauit his, qui è mundo erant, Iesu cognitionem, tunc glorificatus est filius hominis per illos, qui eum cognouerunt. Et per eandem gloriam qua glorificatus fuit inter eos, qui eum co-

Deus quomodo per spiritum sanctum glorificetur.
Heb.1.
Luc.10.
Mat.16.
Ioan.1.
Cognoscẽtes Christum eundem glorificant.

gnouerunt, acquisiuit gloriam cognoscẽtibus ipsum. Qui K enim retecta facie gloriam Domini repræsentant, ad illius imaginem transformantur. Vide verò, vnde à gloria dicat, & vbi ad gloriam, nimirum à gloria glorificati, ad gloriam glorificãtium. Cum igitur venit ad œconomiam, a qua & mundo illucescere, atque etiam cognitus glorificari debebat, propter gloriam glorificantium eum, nunc dixit, glorificatus est filius hominis: & quoniam nemo cognouit patrem, nisi filius, & cui filius reuelauerit, reuelaturusque erat patrem filius ex œconomia: hanc ob causam etiã pater per filium glorificatus est. Vel illud, & Deus glorificatus est per ipsum, examinabis simul cum illo dicto: Qui vidit me, vidit patrem, qui misit me. Videtur enim in sermone existenti Deo, & imagine inuisibilis Dei pater, qui ipsum genuit: cum is qui inspexerit in imagine inuisibilis Dei, statim inspicere etiam possit in patre, qui est primum exemplar. Adhæc hunc in modũ apertius etiam interpretari potest hic locus. Cum enim per sanctos, quorum videntur bona opera splendidissima coram hominibus, glorificetur nomen patris in cœlis (quẽadmodum etiam nomen Dei per quosdam blasphematur inter gentes) in quo nam perinde glorificatus est pater, atque in Iesu? quandoquidem peccatum non fecit, nec inuentus fuit dolus in ore eius, neque cognouit peccatum. Talis igitur cum esset filius, glorificatus est, & deus glorificatus per ipsum est, L quòd si deus glorificat⁹ est per ipsum, deus illi vicissim donat, quod maius est re illa, quam fecit filius hominis. Maius est enim, quod filius hominis glorificatus fuerit per Deum, inferior per præstantiorẽ, quàm quod inferior glorificauerit deum præstantiorem: iuxta illud. Pater qui misit me, maior me est. Atque profecto longè excellentior gloria est in filio, quando glorificat ipsum pater, quam sit in patre, quando glorificatus fuerit per filium. Dicebátque profecto, vt maior vicissim rependens gloriam, qua glorificarat eum filius, gratificaretur filio glorificando eum in se patre. Deinde quoniam hæc iam futura erant (dico autẽ glorificari filium hominis per deum) idcirco subiungit, & continuo glorificabit eum. Nec verò ignoramus hæc longe inferiora esse his, quç præsens requirat locus, quẽ nunc examinamus reuelante deo, & præsente existente verbo suo ad demonstrandum gloriam dei: quare veluti parui & lõge abiectiores, quàm dignitas sermonum exigat, gratias deo agamus pro his, quæ exposuimus: quæ longe sunt maiora nostra dignitate.

Oeconomiam appellant Theologi Græci dispensationem carnis, siue incarnationem.
Mat.5.
Rom.2.
Esa.53.
2.Cor.5.

Filioli adhuc paulisper vobiscum sum. Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, quò abeo, vos non potestis venire, & vobis dico nunc.



Vm collegeris voces ex euangeliis, quç dicũ- M tur à Seruatore nostro, tanquam à patre ad filios, confidito dicere Seruatorem esse aliquorum patrem. Inquit enim paralytico, confide fili, remittuntur tibi peccata. Fœminæ verò fluxu sanguinis laboranti, filia fides tua te saluã fecit. Nũc etiam discipulis, inquit: Filioli, ostẽdente, opinor, Iesu nõnullum blandientis affectum, simulque docente apostolos etiam cum animo pusillos esse. Sin verò quærat aliquis, num paralyticus dictus filius honorabilior sit illis, quibus filius dei dixit filioli, is sciat eum, qui sit filiolus, esse etiam omnino filium, propter quod nec paralyticus dictus prohibitus est esse etiam filiolus, quemadmodum etiam necesse non est, vt paralyticus nuncupatus filius honorabilior sit his quos filius dei dixit filiolos. Proinde sciamus necesse est, non vt in hominibus euenit, vt qui filius alicuius fuerit, is illius postea esse frater non possit, ita euenire in Iesu vt aliquis ex filio immutari non possit, vt sit illius frater. Quamobrem hi, quibus dixit, filioli, post Seruatoris resurrectionem (tãquam immutato Iesu ex resurrectione) fratres illius efficiuntur, qui antea illis dixerat filioli (vnde & scriptũ est: Vade ad fratres meos, & dic illis: Ascendo ad patrẽ meũ, & patrẽ vestrũ, deũ meũ & deũ vestrũ.) Et fortasse quẽadmodũ licet etiã ex seruo Iesu immutari, nã serui erant etiã discipuli, antequã fierent filij, vt ex hoc di-

Seruator aliquorũ Pater.
Mat.9.
Quos Christus filiolos, seruos & fratres appellet.
Ioan.20.

A ἁcto perſpicuum eſt: Vos vocatis me magiſtrum & dominom, & bene dicitis, ſum etenim. (*Ioan. 13.*) & ex illo: Noo eſt ſeruus maior domino ſuo, quod ſcriptum eſt ante hæc verba: Filioli adhuc pauliſper vobiſcum ſum. Inſpicies verò an ſeruus efficiatur primùm diſcipulus, deinde filiolus: poſtremo frater Chriſti, & filius dei. Inſpicies etiam, an diſcipulus inter hos dicendus ſit, qui percepturus ſit (eò quod ſeipſum exhibuerit ſermonis ſcientiam) addiſcens à tali, tantoque præceptore ſapientiam dei. (*Ioan. 13.*) Cæterum hoc dictum: adhuc pauliſper vobiſcum ſum, iuxta ſimpliciorem quidẽ ſenſum, quod ad cõtextum attinet, apertum eſt (quoniam iam futurus noo erat amplius cum diſcipulis) primũ quidem comprehenſus à cohorte & Centurione, & à Iudaicis miniſtris, (*Ioan. 18. & 19.*) qui eum ligatum abduxerunt ad Annam primũ, poſtea verò Pilato traditus, & deinceps ad crucem condemnatus, ac demum factis tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ. Iuxta profundiorem verò ſenſum quæres, an forte non fuerit cum illis pauliſper, non eò quòd illis non adfuerit ſecundum carnem, & eò quòd deſcenderit cum anima ſua ad inferos (huius enim rei cauſa non prohibebatur eſſe etiam cum diſcipulis ille qui dixerat: (*Matt. 18.*) Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, etiam ego ſum in medio eorum: (*Matt. 28.*) & ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi) ſed quia illud impleretur: (*Matt. 26.*) B omnes vos offendemini mea cauſa in nocte hac, ſcriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Idcirco enim non amplius futurus erat cum illis, quia cum dignis eſt ſolis. (*Ioan. 1. Christus suis adest.*) Cæterum contra hoc obiciet aliquis illud: In medio veſtrum ſtat, quem vos neſcitis, dicens eum cum his etiam eſſe, à quibus non cognoſcatur. Proinde vide, ne forte idem non ſit eſſe cum aliquo, quod in promiſſione tanquam dignis datur, & ſtare in medio non agnoſcentium eum. Cum enim ſit in promiſſione illud: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ego etiam in medio eorum ſum. Et illud: Ecce ego vobiſcũ ſum vſque ad conſummationem ſeculi, non eiuſmodi eſt illud: In medio veſtri ſtat, quem vos neſcitis, Proinde qui dixerat, ecce ego vobiſcum ſum, in præſenti contextu inquit: Adhuc pauliſper vobiſcum ſum. Et qui dicit: Pauliſper vobiſcum ſum, haudquaquam præſenti ſenſibiliter Iudæ (in cuius cor immiſerat diabolus, vt proderet Seruatorem) dixit tecum ſum. Non amplius enim erat cum ipſo, cum intinctam offulam ipſi porrigeret. Quando verò poſt offulam ingreſſus eſt in Iudam Sathanas, multò minus erat cum illo Ieſus, abducẽte procul ſeipſum à Seruatore (quæ enim conuenientia Chriſti cum Belial?) Quamuis attamen pauliſper cum filiolis futurus eſſet Ieſus, ipſorum pater, ſciamus oportet illud, pauliſper, magnum eſſe. Nam etiam ſi cum illis noo erat Ieſus, nihilominus quæſituri eC rant Ieſum: quemadmodum Petrus poſt negationem amarè fleuit, quærens (opinor) Ieſum. Nunc igitur illud:

(*Ex capite 16. Ioan.*) *Filioli adhuc pauliſper vobiſcum ſum, puſillum, & non videbitis me, & iterum puſillum, & videbitis me: quando dicentibus diſcipulis, quid eſt hoc, quod dicit puſillum? Neſcimus quid loquatur. Cum intellexiſſet ergo Ieſus qui vellent eum interrogare, dixit illis: De hoc quæritis inter vos, quod dixi. Puſillum, & non videbitis me, & iterum puſillum, & videbitis me: Amen amen dico vobis, plorabitis, & lamentabimini vos, mundus autem gaudebit, vos autem mœrore afficiemini, ſed mœror veſter vertetur in gaudium.*

ILlo enim puſillo tempore, quo non videbant eum, quærebant Ieſum. Quocirca plorabãt, & lamentabãtur ſed mœrore commutato illis in gaudium, implebatur tunc illud: Ruſus puſillum & videbitis me. In quibus perſcrutaberis, eum pauliſper, & viſurus eum poſt hoc puſillum tempus, poſtea viſurus ſit ipſum omnino non multum, conſiderantibus nobis illud: Ruſum puſillum, & non videbitis me. (*Quærere Ieſum quid ſit.*) Cæterum quærere Ieſum, eſt quærere ſermonem, ſapientiam, & potentiam dei, quæ omnia eſt Chriſtus. Quærunt verò quidem eum ex his, qui ſigna vidẽtũt, quique cum ipſo videre ſumpſerunt ab eo panem, & coD mederunt, habẽtibus illis quærendi cauſam, eò quod nutriti fuerint à λόγῳ & filio dei. (*Ioan. 6.*) Quæritis enim me, inquit, nõ quia ſigna vidiſtis, ſed quia comediſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. (*Ioan. 8.*) Deinde quoniam antea Iudæis dixerat: Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Et quò ego vado, vos non poteſtis venire, ad illud referens id, de quo agimus, inquit. Et ſicut dixi Iudæis, quò ego abeo, vos non poteſtis venire, ita etiam dico nunc. Vt enim illis, inquit, hoc dixi, ſic etiam vobis. Sed vobis etiam hoc dico, non de multo tempore. (*Ioan. 13.*) Sic enim ego intelligo illud: Etiã vobis dico nunc (quæ non idem ſonant, ac ſi dixiſſet, & vobis dico, abſque additione vocabuli nunc.) Iudæi enim, quos præuiderat morituros in peccato ſuo, ire non poterant, nec ad breue tempus, quò abibat Ieſus: at verò diſcipuli poſt illud puſillum tempus, in quo non amplius futurus erat cum eis, propterea, quæ ſuperius diximus, poterãt ſequi ſermonem abeuntem ad ſuas ipſius diſpenſationes. (*Iudæi eo quo Chriſtus perrexit ire non poterant.*) Et niſi his verbis, quò ego vado, vos non poteſtis venire, præpoſita fuiſſent hæc, ſicut dixi Iudæis, ſimplicius exiſtimaſſemus hæc etiam dicta fuiſſe, referentes verbum nunc ad id temporis, quo anima Ieſu è vita decedebat. Cæterum ſi Iudæi perituri erant, & Ieſus periturus, deſcenſuruſq; ad inferos, quomodo ire non poterant, quò Ieſus abibat? Sed dicet aliquis, quòd in paradiſo Dei etiã futurus erat Ieſus, ad quem, qui in peccatis ſuis moriebantur, proficiſci non poterant: (*Ioan. 8.*) E Diſcipulos verò Ieſu cum tunc ire non poſſent, poſtea potuiſſe: Idcirco Iudæis in peccato ſuo morientibus dictum fuiſſe: Quò ego abeo, vos non poteſtis venire. (*Ioan. 13.*) Diſcipulis verò: Quo ego abeo, vos non poteſtis venire nũc. Eloquutionis enim talis eſt ordo: Sicut dixi Iudæis, etiam vobis dico: quò ego vado, vos non poteſtis venire nunc. (*Mat. 12.*) Quanquàm ſic etiam non paruum quæſtionis habet hic locus, propter hoc: Filius hominis aget in corde terræ tres dies & tres noctes. Nam quomodo tres dies & tres noctes egit in corde terræ, qui ſimulatque cum deceſſiſſet è vita, futurus erat in paradiſo Dei? Iuxta illud: Hodie mecum eris in paradiſo. Sic autem perturbauit hoc dictum nonnullos, ceu abſonum, vt ſuſpicati auſi fuerint, hæc verba, hodie mecum eris in paradiſo Dei, addita fuiſſe euangelio ab aliquibus illud adulterantibus. At verò nos iuxta ſimpliciorem quidem ſenſum intelligimus, eum fortaſſe, antequàm abiret in cor terræ, vt vocant, teſtituiſſe in paradiſo (*Luc. 24.*) Dei dicentem ſibi. Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum, iuxta vero profundiorem ſenſum dicimus. Plerunque vocabulum, hodie, in ſcriptura extendere præſens tempus in totum ſeculum. (*Mat. 28.*) vt in illud. Diuulgatum eſt hoc verbũ apud Iudæos vſque hodie: (*Gen. 19.*) & hic eſt pater Moabitarum vſque in hodiernam diem: Et hodie ſi vocem eius audieritis, ne recedatis à Domino. F Itaque oranti latroni, vt ſui memoria habeatur in regno Dei, promittit Chriſtus in vocabulo, hodie, ſe facturum, vt latro ipſe ſecum ſit in regno Dei in præſenti ſeculo ante futurum. Sed hoc per interuallum ſit dictum in id, quo de agimus. At vero diſcipulis volentibus ſequi Ieſum (non vt ſimpliciores tentur corporaliter, ſed vt ſignificat illud. (*Mat. 10.*) Qui non tulerit crucẽ ſuã, & me ſubſequutus fuerit, nõ eſt dignus meus eſſe diſcipulus) inquit nunc Dominus: quo ego abeo, vos non poteſtis nunc ſequi. Nam etiam ſi ſequi volebant verbum Dei filium, & confiteri eum non offenſi cauſa ipſius, nondũ poterant tamen hoc facere. (*Ioan. 7.*) Nõdum enim erat ſpiritus, quod nondũ eſſet Ieſus glorificatus. (*1. Cor. 12.*) Et nullus poteſt dicere Dominꝰ Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto. Cæterũ abit λόγος, id eſt, filius Dei pergens ad ſua itinera, quem quidem ſequitur, qui λόγον, hoc eſt rationẽ ſequitur: non poteſt vero ſequi, qui ſeipſum non preparauerit pro dignitate illius ad ſuum ipſius patrem adducentis eos, qui nihil non agunt, vt poſſint illum ſequi: & ſequuntur eum, donec, vt Chriſto dignum eſt, dicant: Adhæſit anima mea poſt te. (*Pſal. 62.*) Verùm cum ſecundus & trigeſimus tomus explanationum in euangelium à Ioanne traditum ſufficientem ſcriptionem acceperit, illius ſermonem hic finiemus.

Lector amice, scito me in hoc libro vertendo summa vsum esse fide ac diligentia, vt nihil prorsus sit immutatũ ab eo quod scribit author. Scito præterea me nihil inuenisse in hoc libro, quod videatur decretis sanctæ matris ecclesiæ aduersari, nam si inuenißem, aut librum non vertissem, aut locum signassem suspectum. Tamen omnia iudicio subiecta esse velim sanctißimæ matris ecclesiæ, & quilibet cautè, & cum iudicio legat.

SEQVVNTVR NONNVLLAE HOMILIAE ADAMANTII ORIGENIS, QVAS EX

variis locis in vnum recollegimus. Illę autem inscribuntur Homiliæ in diuersos.

In illo tempore, cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de spiritu sancto. Et reliqua.

Matthæi. Cap. I. Homilia I.



Cur ex virgine viro desponsata nasci voluit Christus.

QVæ fuit necessitas vt desponsata esset Maria Ioseph, nisi propterea quatenus hoc sacramentum diabolo celaretur, & ille malignus fraudis cõmenta aduersus desponsatam virginem nulla penitus inueniret? Vel ideo fuerat desponsata Ioseph, vt nato infanti, vel ipsi Mariæ curã videretur gerere Ioseph, siue in Ægyptum transiens, siue inde denuo veniens. Ideo desponsata fuit Ioseph, non tamen in concupiscentia iun- H cta. Mater, inquit, eius. Mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta. Mater eius. Cuius eius? Mater dei vnigeniti domini & regis omnium, plasmatoris & creatoris cunctorum. Illius qui in excelsis sine matre, & in terra est sine patre. Ipsius qui in cœlis secundum deitatem in sinu est patris, & in terris secundum corporis susceptionem, in sinu est matris. O magnæ admirationis gratia. O inenarrabilis suauitas. O ineffabile, magnumq́; sacramentum. Ipsa eademq́; virgo, ipsa & mater domini, ipsa & genitrix, ipsa eius ancilla, plasmatio eius, ipsa quæ genuit. Quis vnquã ista audiuit? quis vidit talia? & quis cogitare potuit, vt mater virgo esset, & intacta generaret, quæ & virgo per- *Exod. 3.* mansit, & genuit? Sicut enim quondam rubus cõburi vi- *Dan. 3.* debatur, & ignis eum non tangebat: & sicut tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis: vel quemadmo- *Dan. 14.* dum Danieli intra lacum leonum incluso, claustris non apertis allatum est prandium ab Abacuc: ita & hæc virgo sancta genuit deum, sed intacta permansit, mater effecta est, sed virginitatem non amisit: genuit infantem. & vt dictum est, virgo permansit. Virgo ergo genuit, & virgo per- I mansit. Mater filij facta est, & castitatis sigillum non perdidit. Quare? quia non homo iste tantum qui videbatur, sed vnigenitus erat deus qui in carne aduenerat. Nec subito carnaliter genitus est, sed perfecta deitas in corpora venit. Ergo integer iste & indiuisus de[us] in humano adueniẽs vel genitus est corpore: quiq́; deus & dominus, figurã serui suscepit. Non enim pars vnigeniti venit in corpore, nec se ipse diuisit vt dimidius esset apud patrem, & dimidius esset in virgine, sed totus apud patrem, totus in virgine, totus in sinu patris, totus in humano corpore: non relinquens superiora venit quærere terrena, quæ in cœlis sunt conseruans, & quæ in terra sunt saluans, vbique omnipotens, in sanctis suis indiuisus, hic sanctus vnigenitus deus. Si enim hoc verbum humanum & corporale immissum in aures plurimorum non diuiditur per singulos, vt pars in alio, & pars sit iterum in alio, sed in omnibus integrum & plenum habetur, vt in vnoquoque totum sit: quanto magis verbum vnigenitus vbique totus est & in cœlo, & in terra, & apud patrem, & in virgine, & nõ diuiditur (vt dictum est) neque scinditur, neque in partes efficitur, sed totum totus tenet, totum implet, totum illustrat, & possidet? Huius itaque vnigeniti dei dicitur hæc

Totus deus natus, non dimidiatus.

mater virgo Maria, digna dei, immaculata sancti immaculati, vna vnius, vnica vnici. Nec enim alter vnigenitus super terram venit, aut alia virgo vnigenitum genuit. In omnibus his quæ dicta sunt desponsata legitur mater eius Maria, Et ait: Inuenta est in vtero habens. Cui inuenta, aut à quo inuenta est? Primo ab angelis custodientibus eam, protegentibus eam, conseruantibus eam, L vel eius beatissimam animam, ad honorem illius qui ab ipsa generandus erat. Dehinc inuenta non cõgrue putatur ab ipso beato Ioseph sancto & iusto, qui pene licẽtia maritali licet eam non contingeret, futuræ tamen vt putabatur vxoris omnia nouerat. Ioseph autem vir eius, inquit, cum esset homo iustus, & nollet eam traducere.] Virũ eum appellauit contra Iudæorum prauitatem vt aduersus virginem non sæuirent. Propterea & desponsata fuit ipsi Ioseph, vt suprà dictum est. Si enim non fuisset desponsata Ioseph, omnium bonorum increduli & inimici Iudæi lapidibus eam occidissent. Ideo virum eius hic cum Euangelista appellauit. Ioseph vir eius cum esset homo iustus. Iustus autem in verbo, iustus in facto, iustus in lege, iustus in cõsummatione, iustus in iudicio gratiæ. Iustus itaque cum fuisset, & nollet eam traducere, voluit occulte eam dimittere.] Noluit eam traducere, noluit eam accipere, noluit eam diffamare, sed voluit eam occulte dimittere. Occulte à se dimittere volebat, sicut mansuetus, sicut pius, sicut misericors. Talis ergo cum esset Ioseph, cogitabat eam occulte dimittere. Hæc, inquit, eo cogitante.] Quærendum est nobis, nunquid cogitauerit vt occulte eam dimitteret: & si cogitabat vt eam dimitteret, & si ita suspitionem in eam habebat, quomodo iustus erat. Si ergo non est suspicatus, vel tale aliquid cogitauit, cur eã dimittere volebat, vt im- M maculatam & sanctam vellet dimittere: iniustum enim & hoc erat. Sed simplicitatem sensus audi huius orationis. Iustus erat Ioseph, & illa virgo immaculata erat: sed ideo eam dimittere volebat, quoniam virtutem mysterij, & sacramentum quoddam magnificũ in eadem cognoscebat, cui approximare se indignum existimabat. Ergo humiliãs se ante tantam & tam ineffabilem rem, quærebat se longe facere. Sicut & beatus Petrus domino se humiliatus aiebat: Recede à me domine, quoniam ego peccator sum: vel *Luc. 5.* sicut ille Centurio ad eundem dominum mittens dicebat: *Matth. 8.* Non sum dignus vt intres sub tectum meum, quia neque meipsum dignum existimaui ad te venire: vel sicut sancta *Luc. 1.* Elizabet ad ipsam beatam Mariam locuta est dicẽs: Et vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Sic & Ioseph iuste humilians sese in omnibus cauebat, & timebat sibimetipsi tantæ sanctitatis coniunctionem adhibere. Idcirco occulte volebat eam dimittere, dimittam eam dicens, & à me longe faciam eam, & à cognitione mea. Maior est enim eius dignitas, superexcellit eius sanctitas, nec meæ congruit indignitati. Ideo volebat occulte dimittere eam. Hæc ergo eo cogitante, angelus domini per visum apparuit illi dicens: Quid dubitas ò Ioseph? quid imprudenter

Ioseph quàm iustus.

Quæstio.

A ter cogitas? quare irrationabiliter meditaris? Deus est enim qui generatur, virgo quæ generat. Huius generationis minister es, & non largitor: seruus, & non dominus: mancipium, & non plasmator. Propterea ministra, serua, custodi, fer curam, intende & huic qui nascitur, & huic quæ generat. Etenim si tibi vxor nominatur, si desponsata tibi esse dicitur, non tamen tibi vxor est, sed dei vnigeniti electa mater est. Propterea Ioseph fili Dauid qui has promissiones accepit, cui ista fidelia data sunt testamenta, Ioseph fili Dauid, non tantum secundum carnem, sed & secundũ spiritum, Ioseph fili Dauid. Si enim filius Dauid, iste & hæres eius tanquam filius patris. Ideo in hæreditatem accipe eã quæ illi promissa sunt testamenta fidelia. Ioseph fili Dauid ne timueris accipere Mariam coniugem tuam.] Ne timueris, ne trepidaueris, ne conturberis: sed securus & intrepidus accipe eam secundum legis præceptum vxorem tibi nominatam, sed secundum nuptiarum cõsuetudinem, & coniunctionem longe alienam. Accipe ergo eam sicut commẽdatum cœlestem thesaurum, deitatis diuitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam. Accipe eam sicut vnigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum dei, sicut creatoris omnium propria, sicut regis cœlestis sponsi domum immaculatam. Ita ergo Ioseph fili Dauid, ne timeas accipere eam tibi commendatam, tuæ religiositati creditam. Serua, fer curam, attende, *Mat. 2.* fugiens ab Herode duc in Ægyptum: iterum remearurus B post Herodis mortem, deduc in terram Israel. Ne timueris accipere Mariam coniugem tuam. Coniugem audiens, ne expauescas, non conturberis nec tu, neque quisquam sequentium vsque in consummationem seculi. Coniugem eam dico propterea vt diabolo virginitatem eius occultẽ, & vt Iudæorum prauitatem excludam atque deiiciam, vt legis instituta non destruam. Et in consequentibus demõstrabo quod ista nec tua coniunx secundum consuetudinẽ coniugij habeatur, nec iste qui generatur, tuus filius esse credatur. Quod enim ex ea nascetur de spiritu sancto est.] Quis scilicet cooperator huius natiuitatis spiritus sanctus est. Nam vnigenitus filius qui ante secula ineffabiliter ex solo patre natus est, iam seculi propinquante fine in volũtate patris in humano corpore sancto cooperante spiritu *Esa. 9.* inter homines venit. Iste est de quo scriptura pronunciauit dicens: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Patris etenim vnigenitus filius ex virgine generatus est, vt *Gen. 3.* *1. Tim. 2.* illam virginem priorem Euam quæ ceciderat iterum renouaret atque erigeret, & qui per prauam voluntatẽ filij effecti fuerant diaboli, per adoptionem gratiæ filios efficeret dei. Pariet, inquit, filium, & vocabis nomẽ eius Iesum.] C Virgo generat, & tu hunc genitum vocabis Iesum, quod *Nomen Iesu.* interpretatur saluator. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.] Vocabis, ait, nomen eius, hoc quod ante fuit, quod ante secula nominatũ est. Non tu ei nomen pones, nec ex te ei vocabulum constitues, sed nomina & voca exultando Iesum, id est saluatorem. Saluatorem eum esse testare, neq; ex tempore cœpisse saluare, sed iam antiquissimũ saluatorẽ. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Duo enim per hoc verbum præclara designantur, quod & deus fuerit, & domin⁹ pri⁹ ante incarnationem Christus, & quod populus eius ab i- *Duo nomina Iesu designantur.* pso saluandus, iam tunc annunciabatur. Et ideo dictũ est: Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum, vt vere deus: Dei enim virtutis est à peccato saluare, vel peccata dimittere. Iste ergo filius dei habens populum suuum, ipsum venit (vt dictum est) à peccatis liberare atque saluare, siue ex Iudæis, siue ex gentibus, de quo iam ipse per prophetam fuerat locutus, dicẽs: Dominus dixit ad me, filius *Psal. 2.* meus es tu, ego hodie genui te. Pete à me, & dabo tibi gẽtes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ. Ipse saluabit populum suum à peccatis eorum: sanguine videlicet suo cunctos redimẽs, morte sua de mortis eos liberans potestate. Ipse saluabit, hoc est, erit saluator omnium hominum fidelium atque credentium. Hoc autem totum factum est.] Quia totum hoc, per vnigeniti descensionẽ. Hoc de ista domini incarnatione. Hoc de angeli ad virginem destinatione. Hoc de ipsius virginis desponsatione, vel castitate. Hoc enim totum factum est ad totius D mundi salutem. Hoc totum factum est, vt vnum completetur, vt vnum consummaretur. Quid illud? Quod virgo genuit, quod virgo permansit, quod mater fuit, & intacta virgo perseuerauit. Ecce virgo in vtero accipiet.] Audite quid dicit omnes filiæ Euæ: Audite omnes vos quæ hæreditatẽ doloris & tristitiæ post illã & ex illius cõdẽnatione suscepistis. Vos quæ in tristitia generatis filios vel magis vos quę cõcupiscentiã corruptibilẽ nõ timuistis, audite, & lętamini, audite, & consolamini. Audite quod virgo in vtero *Esa. 7.* accipiet: non ex desiderio partum concipiens, quæ neque persuasione serpentis decepta est, neque eius afflatibus venenosis infecta: sed virgo in vtero accipiet prædicationẽ angeli suscipiens, prophetarum testimonia assumens. Virgo in vtero accipiet, vt deum digonanter incarnatum ad mundi pariat salutem. Ecce, inquit. Hoc ipsum quod dicit: Ecce, admirantis est tanti mysterij magnitudinem, vt omnes velut de somno suscitans ad hoc dictum euigilet: Ecce virgo, dicit, in vtero accipiet, & pariet filium. Ad colligandum fortem armatum, ad conculcandum serpentis impij caput, ad conterendas vires eius, ad prædam eius diripiendam, atque captiuitatem sui populi conuertendam. Pariet filium ad denuo reparandum Adam, ad inobedientiam E- E uæ per Mariæ obedientiam excludendam, ad erigendum iacentium genus quod per mulieris temerariam credulitatem fuerat ante deiectum. Et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum deus.) Vocant nomen eius prius angeli, psallentes in eius generatione atque gaudentes sicut deum omnium & regem pacis ad homines venientem. Deinde Apostoli vnigeniti dei *Emmanuel.* dominationem atque virtutem omnibus gentibus prædicantes: adhuc & sancti martyres contra ignes & gladios vsque ad mortem resistentes. Deinde cuncti credẽtes: hoc ipsum nomen vsque ad consummationem seculi memorantes atque laudantes. Et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum deus. Qui vocabunt, nisi iusti? quorum vocabitur interea nomen nouum, non sicut prius in figuris, & in imaginibus, sed facie ad faciem apparentem nobiscum deus. Abrahæ patri credentiũ *Quot annis Christus in terra apparuit.* tribus horis temporis, licet non per ipsam ineffabilem deitatis substantiam, sed potius per angelicam speciem à meridie visus est: nobis triginta tribus annis in terra apparuit, & cum hominibus conuersari dignatus est. Iacob etiam breui tempore per angelum nihilominus apparuit collu- *Baruc. 3.* ctans cum eo, quique se ab eo superari permisit, vt hunc mundicordem merito benediceret, atque Israel nominaret: nobiscum deus amplius magis pro nobis magnifi- F cum certamen adimplens, vsque ad mortem accedens, vt morte sua mortem occideret, & benedictionem atque immortalitatem mundo corde populo condonaret, qui fiducialiter dicit nobiscum deus: per Euangelistarum & Apostolorum prædicationẽ, per sui sancti corporis & sanguinis sacramentum, per gloriosę crucis signaculum: per ista ergo omnia nobiscum deus, & ad nos atque in nobis, sicut ipse ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Qui *Mat. 28.* cum patre & spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum.

In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et reliqua. Ioannis Cap. 1. Homilia II.

VOx spiritalis aquilæ auditum pulsat ecclesiæ. Exterior sensus transeuntem accipiat sonitum; interior animus manentem penetret intellectum. Vox altiuoli volatilis non aerem corporeum, vel æthera, vel totius sensibilis mundi ambitum super volitantis, sed omnem theoriam vltra omnia quæ sunt, & quæ non sunt citiuolis intimæ theologiæ pennis clarissimæ supernæque contemplationis

G obtutibus transcendentis. Dico enim quæ sunt, quæ siue humanum, siue angelicum nō omnino fugiunt sensum. *Iohannē.* Quæ verò non sunt, quę profectò omnes intelligentiæ vires relinquunt: cum post deum sint, vt eorum numerum quæ ab vna omnium causa condita sunt non excedant. Superuolat itaque beatus Ioannes Theologus non solum quæ intelligi ac dici possunt, verum etiam ea quę superāt omnem intellectum & significationē superuehitur, extraque omnia ineffabili mentis volatu in arcana vnius omnium principij exaltatur, incomprehensibilemque ipsius principij & verbi, hoc est patris & filij vnicam supersubstantialitatem pure dignoscens euangelium inchoat dicens: In principio erat verbum. O beate Ioannes non immerito vocaris Ioannes. Hebræum nomen est. Latine vero, cui donatum est. Cui enim theologorum donatū est, quod tibi donatum est? abdita videlicet summi boni penetrare mysteria, & ea quæ tibi reuelata & declarata sunt, humanis mētibus ac sensibus intimare? Dic quęso cui talis ac tanta donata est gratia? Fortassis quis dicet, summo vertici apostolorū, Petro dico, qui domino interrogāti quē se existimaret esse, respondit: Tu es Christus filius dei viui. *Mat. 16.* Sed non temere (vt opinor) quis dixerit plus in typo fidei & actionis, quàm scientiæ & contemplationis Petrū talia dixisse. *Petri & Ioannis comparatio.* Quare? Ea scilicet ratione qua Petrus in forma actionis ac fidei potitur: Ioannes autem contēplationis atque scientiæ typum imitatur. *Ioan. 13.* Vnus siquidem recūbebat super pectus dominicum, quod est contemplationis sacramentum, alter sæpe titubat quasi trepidæ actionis symbolum. *Actio & contemplatio.* Actio nanque mandatorum diuinorum priusquàm perueniat in habitum, H puras aliquando discernit species virtutum, aliquando fallitur eius iudicium carnalium cogitationum nebulis obumbratum. Intimæ vero theoriæ acies postquàm semel veritatis perspexerit vultum, nequaquàm repercutitur, nunquam fallitur, nulla caligine obcæcatur in perpetuum. Ambo tamen currunt ad monumentum. Monumentum Christi est diuina scriptura, in qua diuinitatis eius mysteria densitate literæ veluti quadam muniūtur petra. *Ioan. 20. Luc. 24.* Sed Ioannes præcurrit citius Petro. Acutius nāque atque velocius intima diuinorum apicum penetrat secreta virtus contemplationis penitus purificatæ, quàm actionis adhuc purificandæ. Veruntamē primo intrat Petrus in monumentum, deinde Ioannes, ac sic ambo currunt, ambo intrant. Petrus siquidem fidei est symbolum, Ioannes signat intellectum. Ac per hoc quoniam scriptum est: Nisi credideritis, non intelligetis: *Esa. 7.* necessario præcedit fides in monumentum sanctæ scripturæ: deinde sequens intrat intellectus, cui per fidem præparatur aditus. *Fides præcedit intelligentiam.* Petrus quidem Christum deum, & hominem iam factum in temporibus cognoscens & dicens: Tu es Christus filius dei viui, I altissime volauit: sed Ioannes altius illo, qui eundem Christum deum de Deo ante omnia tempora gēitum intellexit dicens: In principio erat verbum. Nemo nos existimet Petro Ioannem præferre. Quis hoc fecerit? Quis esset altior Apostolorum illo qui est & dicitur vertex eorū. Non præferimus Petro Ioannem, sed conferimus actioni contemplationem: purgandum adhuc animum, perfecte purgato: ascendenti adhuc virtuti ad incommutabilem habitum peruenientem iam virtutem. Nō enim nunc cōsideramus apostolicarum personarum dignitatem, sed inuestigamus pulcherrimam diuinorum mysteriorum differentiam. Petrus itaque (hoc est actio virtutum) dei filium mirabili & ineffabili modo carne circunscriptum per virtutem fidei & actionis conspicatur: Ioannes verò, hoc est altissima veritatis contemplatio, dei verbum per se ante carnem absolutum & infinitum in principio suo, hoc est in patre, miratur. Petrus æterna simul ac temporalia in Christo vnum facta diuina reuelatione introductus inspicit: Ioannes sola eius æterna in notitiam fidelium animarum introducit. Spiritale igitur petaurum, citiuolum, deiuidum, Ioannem dico theologum, omnem visibilem & inuisibilem creaturam superat, omnem intellectum penetrat, & deificatus in deum intrat se deificantem. *2. Co. 12.* O beate Paule raptus es (vt ipse asseris) in tertium cœlum, & paradisum: sed non es raptus super omne cœlum, & paradisum. K Ioannes omne cœlum conditum, omnémque creatū paradisum, hoc est omnem humanam, angelicámque trāsgreditur naturam: in tertium cœlum raptus. O vas electionis & magister gentium, audisti verba quæ non licet homini loqui. Ioannes intimæ veritatis inspector vltra omne cœlū in paradiso paradisorū, hoc est in causa omniū audiuit vnū verbum per quod facta sunt omnia, & licuit ei illud verbum dicere, hominibúsque prædicare quantum hominib^9^ prædicare potest, ac fiducialiter clamat: In principio erat verbum. Non ergo Ioānes erat homo, sed plusquam homo, quando & seipsum & omnia quæ sunt superauit, & ineffabili sapientiæ virtute purissimoq; mentis acumine subuectus in ea quæ superiora sunt secreta, videlicet vnius essentiæ in tribus substantiis, & trium substantiarum in vna essentia, ingressus est. *Trin.* Non enim aliter potuit ascendere in deum, nisi prius fieret deus. Vt enim radius oculorum nostrorū species rerum sensibilium colorésque non prius potest sentire quam se solaribus radiis immisceat, vnúmque cum ipsis, & in ipsis fiat: ita animus sanctorum puram rerum spiritualium, omnémque intellectū superantium cogitationem non sufficit accipere, nisi prius incomprehensibilem veritatis participationem dignus efficiatur habere. Sanctus itaque theologus in deum transmutatus, veritatis particeps, domini verbum subsistere in deo principio, hoc est deum filium in deo patre pronunciat. In principio, inquit, erat verbum.] Intuere cœlum apertum, hoc est summæ ac sanctæ trinitatis & vnitatis reuelatum mundo mysterium. L Animaduerte angelum diuinum super filium hominis ascendentem, *Ioan. 1.* nobis videlicet annunciantem ipsum esse ante omnia in principio verbū, ac mox descendentem super eundem filium hominis, clamantémque: Et verbum caro factum est. Descendit Euangelizans deum verum hominem factum supernaturaliter inter omnia ex virgine: ascendit proclamans Ioannes verbum superessentialiter genitum ex patre, ante & vltra omnia. In principio, inquit, erat verbum. Et notandū quod in hoc loco non temporis sed substantiæ significationem beatus Euangelista insinuat per hanc vocem quæ est, erat. Nam & positiuum eius, id est sum, inæqualiter duplicem continet intellectum, aliquando temporales motus secūdum aliorum verborum analogiam declarat. Tale est ergo quod ait: In principio erat verbum, ac si aperte diceret, in patre subsistit filius. Qui enim sapiēs dixerit filium in patre temporaliter vnquam substitisse? *De diuinitate verbi.* Illic enim sola cogitatur æternitas, vbi sola intelligitur immutabilis veritas. Et ne quis existimaret ita in principio verbum subsistere, vt nulla substantiarum differentia intelligatur inesse, continuo subiunxit: Et verbum erat apud deum: hoc est, & fili^9^ subsistit cum patre in vnitate essentiæ, & substantiali distinctione. *Personas intelligit voce substantiarū.* Et iterum ne talis serperet venenosa contagio in quenquam, verbum non solummodo inquit cum patre esse, & in deo esse. Non autem ipsum verbum substantialiter, & coæternaliter subsistere ait deo patri. M Hic nanque error per verbum perfidos inuasit Arianos. *Ariani posteriores fuerunt Origene.* Ideo protinus adiecit: Et deus erat verbum. Videns item quod non defuturi essent qui dicerent, non de vno eodémque Euangelistam scripsisse: In principio erat verbum, sed aliud verbū in principio voluit, aliud deus erat verbum, hæreticam opinionem destituens, consequenter adiungit: Hoc erat in principio apud deum: ac si diceret, hoc verbum quod deus est, apud deum ipsum est, & non aliud, quod erat in principio. Sed significantius ex græcorum exemplaribus potest intelligi, in eis enim οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεὸν scribitur: & potest referri ad vtrunque, ad verbum videlicet, & deum. Hæc quippe duo nomina θεὸς & λόγος deus & verbum, apud græcos masculini generis. Ac per hoc ita potest intelligi. Et deus erat verbum, hic erat in principio apud deum: tanquam si luce clarius dixerit: Hic deus verbum apud deum, hic est de quo dixi: In principio erat verbū: Omnia per ipsum facta sunt, *Ioan. 1.* per ipsum deum verbum, vel per ipsum verbum domini omnia facta sunt. Et quid est, per ipsum omnia facta sunt, nisi eo nascente

ante

A ante omnia ex patre, omnia cum ipso, & per ipsum omnia facta sunt? Nam ipsius ex patre generatio ipsa est causarum omnium conditio, omniumque quæ ex causis in genera & species procedunt operatio, & effectus: per generationem quippe de verbi ex deo principio facta sunt omnia. Audi diuinum & ineffabile paradoxum, irreserabile secretum, inuisibile profundum, incomprehensibile mysterium. Per non factum sed genitum, omnia facta sed non genita. Principium ex quo omnia, pater est: Principium per quod omnia, filius est: patre loquente verbum suum, hoc est patre gignente suam sapientiam, omnia fiũt. Propheta ait: Omnia in sapientia fecisti, & alibi personã patris introducens. Eructauit cor meum. Et quid eructauit cor suum? Ipse exponit: Verbum bonum dico, verbum bonum loquor, filium bonum gigno. Cor patris est sua propria substantia, de qua genita est filij propria substantia. Præcedit pater verbum non natura, sed causa. Audi ipsum filium dicentẽ: Pater maior me est. Substãtia eius causa est meæ substãtiæ. Pater, inquit, præcedit filiũ causaliter, præcedit filius omnia quæ per ipsũ facta sunt, naturaliter: & inchoauit in ipso esse ante tẽpora non in tẽpore, sed cum tẽporibus. Tẽpus siquidẽ inter cætera quę facta sunt factum est, non ante factũ, non prælatũ, sed cõcreatũ. Et quę enim cõsequẽtia verbi qđ locutũ est us altissimus nõ enĩ in vanũ locut⁹ est pater, non infructuose, non sine magno effectu.

Paradoxum.

Psal. 104

Psal. 44.

Ioan. 14.

B Nã & homines inter ipsos loquentes in auribus audientiũ efficiũt. Tria itaq; credere & intelligere debem⁹, patrẽ loquentẽ, filiũ gẽitũ, & ea quæ efficiũtur per verbu pater loquitur, verbũ gignitur, omnia efficiũtur. Audi prophetam: Quia ipse dixit, & facta sũt: hoc est verbu suũ genuit, per quę facta sunt oĩa. Et ne forte existimares totũ quæ sunt, quædã quidã per ipsũ dei verbũ facta esse, quædã verò extra ipsum aut facta esse existãtia per seipsa, ita vt nõ omnia quę sunt ad vnũ principiũ referãtur, cõclusione toti⁹ prædictæ theologiæ subdit: Et sine ipso factum est nihil: hoc est nihil extra ipsum est factum, quia ipse ambit omnia intra se, comprehendẽs omnia, & nihil ei coæternum vel consubstantiale intelligitur, vel coessentiale præter suum patrem, & suum spiritum, à patre per ipsum procedentem. Et hoc facilius in græco datur intelligi: vbi enim Latini ponunt sine ipso, ibi Græci χωρὶς αὐτοῦ, hoc est, extra ipsum. Similiter & ipse dominus discipulis suis dixit: Extra me nihil potestis facere. Qui per vos, inquit, extra me non potuistis fieri, quid extra me facere potestis? Nam & ibi non χωρὶς, hoc est non sine, sed extra, græci scribunt, facilius propterea dixi, quia dum quis audiuit sine ipso, potest putare sine ipsius consilio, vel adiutorio: ac per hoc non totum, non omnia illi distribuit: audiens verò extra, nihil omnino relinquit quod in ipso & per ipsum factum non sit. Quod factum est in ipso vita erat.]

Psal. 148

Verbi opera.

Ioan. 15.

C Postquam remotissima oratione, & intellectu beatissimus Euangelista diuina reuelauit mysteria, deum verbum videlicet in deo loquentem, & in ambobus intelligentiam sancti spiritus diuinæ scripturæ contemplatoribus relinquẽs: vt enim qui loquitur, in verbo quod loquitur necessario spiritum proflat: ita deus pater, & filium suum gignit, & spiritum suum per genitum filium producit: & postquam per dei filium omnia facta esse, & nihil extra ipsum subsistere astruxit, veluti ab altero primordio suæ theologiæ seriem dirεxit dicens: Quod factũ est in ipso vita erat. Prędixit enim: Omnia per ipsum facta sunt: ac veluti à quopiam interrogatus de iis quæ per deum verbũ facta sunt, quomodo & in ipso quę per ipsum facta sunt, respõdet & ait: Quod factũ est in ipso vita erat. Quę sentẽtia dupliciter pnũciatus. Potest enim subdistingui, quod factum est: ac deinde subiungi, in ipso vita erat. Potest etiam sic: Quod factum est in ipso, ac deinde subinferri, vita erat. Ac per hoc in duabus pronunciationibus duos speculamur intellectus. Non enim eadem theoria est quę dicit, quod factum est locis temporibusque discretum generibus, formis, numeris distinctum, sensibilibus intelligibilibusque substantiis seu compactum, seu segregatũ, hoc totum in ipso vita erat: & ea quę declarat, Quod factum est in ipso, non aliud erat nisi vita: vt sit sensus: Omnia quę per ipsum facta sunt, in ipso vita sunt, & vnũ sunt. D Erant enim, hoc est in ipso subsistunt causaliter priusquam sint in semetipsis effectiue. Aliter enim sub ipso sunt ea quæ per ipsum facta sunt, & in ipso viuunt incommutabiliter, & vita sunt, in quo neque fuerunt omnia temporalibus interuallis, seu localibus nec futura sunt, sed solummodo super omnia tempora & loca vnum sunt in ipso, & visibiliter subsistunt visibilia, inuisibilia, corporalia, incorporalia, rationabilia, irrationabilia, & simpliciter cælum, terra, abyssus, & quæcunque in eis sunt in ipso viuunt, & vita sunt, & æternaliter subsistunt, & quę nobis omni motu vitali carere videntur, & in verbo viuunt. Sed si quæris quomodo, & qua ratione omnia quæ per ipsum verbum facta sunt, in ipso vitaliter & vniformiter & causaliter subsistunt, accipe paradigmata ex creaturarum natura, disce factorem in iis quæ in ipso, & per ipsum facta sunt. Inuisibilia enim eius (vt ait Apostolus) per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Conspicare quomodo omnium rerum quas mundi huius sensibilis globositas comprehendit, causæ simul & vniformiter in isto sole, qui maximum mundi luminare vocitatur, subsistunt. Inde nanque formę omnium corporum procedunt: inde distantia colorum, pulchritudo, & cætera quæ de sensibili natura prædicari possunt. Considera multiplicem & infinitam seminum virtutem, quomodo numerositas herbarum, fructuum, animarum in singulis seminibus simul continentur, quomodo ex eis surgit formarum pulchra & innumerabilis multiplicitas.

Distinctio varium creat intellectum.

Quo pacto omnia in filio.

Simili hoc docet.

Rom. 1

E Intuere interioribus oculis quomodo multiplices regulæ in arte artificis vnum sunt, & in animo disponentis viuũt, quomodo infinitus linearum numerus in vno puncto vnum subsistit. Ex huiusmodi naturalia perspice exemplo, ex quibus veluti physicæ theoriæ pennis vltra omnia subuectus, diuina gratia adiutus & illuminatus, poteris arcana verbi mentis acie inspicere, & quantum datur humanis argumentationibus deum suum quærentibus videre quomodo omnia quæ per verbum sunt facta in ipso viuunt, & vita sunt. In ipso enim vt os loquitur diuinum, viuimus, mouemur, & sumus: & vt ait magnus Dionysius Areopagita, esse omnium est superessentia & diuinitas. Et vita erat lux hominum.] Dei filium quem ô beate Theologe prius vocasti verbum, nunc vitam nominas & lucem: nec immerito mutasti appellationes, vbi distantes nobis insinuares significationes. Verbum siquidem dei filium nominasti, quia per ipsum locutus est pater omnia. Quoniam ipse dixit & facta sunt. Lucem verò, & vitam, quoniam idem filius lux est & vita omnium quæ per ipsum facta. Et quid illuminat? Non aliud nisi seipsum & patrem suum. Lux itaque est, & seipsum illuminat, seipsum mundo declarat, seipsum se ignorantibus manifestat. Lux

Act. 17.

Dionysius Areopagita.

Psal. 148

F diuinæ cognitionis de mundo recessit, cum homo deum deseruit. Dupliciter ergo lux æterna se ipsam mundo declarat, per scripturam videlicet, & creaturam. Non enim aliter in nobis diuina cognitio renouatur, nisi per diuinæ scripturæ apices, & creaturæ species. Eloquia disce diuina, & in animo tuo eorum concipe intellectum, in quo cognosces verbum sensu corporeo. Formas, ac pulchritudines perspice sensibilium, & in eis intelliges dei verbum. Et his omnibus nihil aliud tibi veritas declarabit præter ipsum qui cuncta fecit, extra quem nihil contemplaturus es, quia ipse omnia in omnibus quæ sunt, ipse est quicquid est. Vt enim nullum bonum substantiale, ita nulla essentia præter ipsum est vel substantia. Et vita erat lux hominum.] Quasi specialiter, ac propriè lux hominum dicitur, quia in homine non solum hominibus, verũ etiam angelis, omnique creaturæ diuinæ cognitionis participẽ fieri valenti seipsum declarauit. Non enim per angelum angelis, neque per angelum hominibus, sed per hominem hominibus & angelis, non phantasia, sed in ipsa vera humanitate, quam totam tibi in vnitatem substantiæ suscepit, apparuit, suámque cognitionem omnibus cognoscentibus se præstitit. Lux itaque hominum est dominus noster Iesus Christus, qui humana natura omni rationali & intellectuali creaturæ seipsum manifestauit, suæque

Christus per scripturam se mundo declarat.

Vita & lux hominum.

G diuinitatis qua patri est æqualis abdita reseruauit mysteria. *Eph. 5.* Et lux in tenebris lucet.] Audi Apostolum. Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. *Esa. 9.* Audi Esaiá. *Mat. 4* Sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Lux in tenebris lucet. Totum genus humanum merito originalis peccati in tenebris erat, non exteriorum oculorum quibus sensibilium formæ coloresque sentiuntur, sed interiorum quibus intelligibilium species & pulchritudines discernuntur, non in tenebris huius caliginosi aeris, sed in tenebris ignorantiæ veritatis: non in absentia lucis quæ mundum corporeum illuminat. Post cuius ortum ex virgine lux in tenebris lucet, in cordibus scilicet se cognoscétium. *Duo ordines hominũ.* Quoniam verò totum genus humanum in duas veluti partes diuiditur: in eos videlicet quorum corda cognitione veritatis illuminata sunt, & in eos qui adhuc in obscurissimis impietatis atque perfidiæ tenebris permanent: Euangelista subiunxit. Et tenebræ eam non comprehenderunt.] Ac si euidenter diceret, lux in tenebris fidelium animarum lucet, & magis ac magis lucet, à fide inchoans, a spe trahens. Imperitorum vero cordium perfidia & ignorantia lucem verbi dei in carne fulgentis non comprehenderunt. Obscuratum est enim (vt ait Apostolus) insipiens cor eorum, & sapientes se esse dicentes, stulti facti sunt. *Rom. 1.* sed iste sensus moralis est. H Physica verò horum verborum theoria talis est: lux humana & si non peccaret, suis propriis viribus lucere non posset. Non enim naturaliter lux est, sed particeps lucis. Capax siquidem sapientiæ est non ipsa sapientia, cuius participatione sapiens fieri potest. Sicut ergo aer iste per semetipsum nó lucet, sed tenebratum vocabulo nuncupatur, capax tamen solaris luminis est: ita nostra natura dum per seipsam consideratur, quædam tenebrosa substantia est capax ac particeps lucis sapientiæ, & quemadmodum præfatus aer dum solares radios participat, non dicitur per se lucere, sed solis splendor dicitur in eo apparere, ita vt naturalem suam obscuritatem non perdat, & lucem superuenientem in se recipiat: ita rationabilis nostræ naturæ pars dum præsentiam dei verbi possidet, non per se res intelligibiles & deũ suum, sed per insitum sibi diuinum lumen cognoscit. *Matt. 10.* Audi ipsum verbum. Non vos, inquit, estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Hac vna sententia voluit nos docere id ipsum in cæteris intelligere, hac semper in aure cordis nostri ineffabili modo sonare: Non vos estis qui lucetis, sed spiritus patris vestri qui lucet in vobis. Hoc enim meum in vobis lucere, vobis manifestat quod ego sum lux intelligibilis mundi: hoc est rationalis & intellectualis naturę. Non vos estis qui intelligitis me, sed ego ipse in vobis per spiritum meũ meipsum intelligo: quia vos non estis substantialis lux, sed participatio per se subsistentis luminis. Lux itaque in tenebris I lucet, quia dei verbum vita & lux hominum in nostra natura, quæ per se inuestigata & considerata informis quædam tenebrositas reperitur, lucere non desinit. nec ea quãuis delinquentem deserere voluit, nec vnquam deserit formans eam per naturam continendo, reformánsque per gratiam deificando: & quoniam ipse lux est omni creaturæ incomprehensibilis, tenebræ eam non comprehenderunt. Superat itaque deus omnem sensum & intellectum, & solus habet immortalitatem, cuius lux per excellétiam tenebræ nominatur, quoniam à nulla creatura quid vel quale sit comprehenditur. Fuit homo missus à deo, cui nomen erat Ioannes.] *Diuina scriptura instar mundi.* Ecce aquilam de sublimissimo vertice montis theologiæ leui volatu descendentem in profundissimam vallem historiæ, de cœlo vtique spiritalis mundi pennas altissimæ contemplationis relaxantem. Diuina siquidem scriptura mundus quidam est intelligibilis, suis quatuor partibus veluti quatuor elementis constitutus: cuius terra est veluti in medio imoque instar centri historia: circa quam aquarum similitudine abyssus circũfunditur moralis intelligentiæ, quæ à Græcis Ethica solet appellari: circa quas, historiam dico & Ethicam, veluti duas præfati mundi inferiores partes, aer ille naturalis scientiæ circumuoluitur. Quam naturalem dico scientiam, Græci vocant Physicam. Extra autem omnia & vltra, æ- K thereus ille igneus ardor Empyrei cœli, hoc est supernæ contemplationis diuinæ naturæ, quam Græci theologiam nominant, circunglobatur: vltra quam nullus ingreditur intellectus. Magnus itaque theologus (Ioannem dico) in primordio Euangelij sui excellentissima theologiæ cacumina tangens, cœlique cœlorum spiritualium secreta penetrans, vltra omnem historiam, & ethicam ascendens & physicam, ad ea quæ paulo antè incarnationem verbi facta sunt, scilicet ad historiam narrandam veluti in quandam terram suum intelligibilem deflectit volatum, & ait: Fuit homo missus à deo, cui nomen Ioannes. Ioannem consequenter in suam introducit theologiam. Abyssus abyssum inuocat. *Psal. 41.* diuinorum mysteriorum Euangelista præcursoris narrat historiam: ille cui donatum est verbum in principio cognoscere, illum cui donatum est verbum incarnatum præire, commemorat. Fuit, inquit, homo. Non dixit simpliciter, fuit missus à deo, sed fuit homo, vt discerneret hominem solius humanitatis participem qui præcurrit, *Ioannis Baptistæ & Christi comparatio.* ab homine diuinitate & humanitate coadunato & compacto, qui post me venit: vt segregaret vocem transeuntem, à verbo semper & incommutabiliter manante, vt insinuaret matutinam stellam in ortu regis cœlorum apparentem, & declararet solem iustitiæ permanentem. Testem ab eo discernit, de quo testimonium perhibet, missum ab eo qui mittit, lucernam lucubrantem à luce clarissima mundum implente, totius generis humani te- L nebras mortis & delictorum demoliente. Præcursor itaq; domini fuit homo, non deus. Dominus autem cuius præcursor erat, homo similiter & deus fuit. Præcursor homo fuit transiturus in deum per gratiá qua præcucurrit. Deus erat per naturá, accepturus hominé per humilitaté, & nostræ salutis & redéptionis voluntaté. Homo erat missus. A quo? A deo verbo. Quæ præcucurrit missio eius? Præcursor *Matth. 3.* clamãs præmisit vocem: Vox clamantis in deserto nouũ præparat domini aduentum. Cui nomé erat Ioánes. Cui donatum est vt regi regum fiat præcursor, incarnati verbi manifestator, & in spiritalé fęlicitatem baptizator, æterni luminis voce & martyrio testator. Hic venit in testimoniũ vt testimonium perhiberet, Christi videlicet. Audi testimonium: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et iterum: Qui post me venit, ante me factus est. Quod euidentius in græco legitur ἔμπροσθέν μου γέγονεν, hoc est coram me, ante conspectum meum factus est. Ac si aperte diceret: qui in ordine temporum post natiuitatem meam natus est in carne, ante conspectum meum dum adhuc essem in visceribus meæ matris sterilis, prophetico visu vidi illum coram me conceptum, & hominem factũ in vtero virginis. Non erat ille lux, sed vt testimonium M perhiberet de lumine.] A superioribus subaudi, ac sic intellige: Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Præcursor luminis non erat ille lux. Quare ergo lucerna ardens, astrúmque vocitatur matutinum? Lu- *Ioan. 5.* cerna ardens erat, sed non proprio igne ardebat succensus, non propria luce lucebat. Stella erat matutina, sed non à seipso proprium lumen accepit, gratia ipsius quem præcurrebat in eo ardebat & splendebat. Non erat ille lux, sed vt particeps luminis: suum non erat, quod in se & per se fulgebat. Vt enim superius diximus, nulla rationalis & intellectualis creatura per seipsam substantialiter lux est, sed participatio vnius ac veri luminis substantialis, quod vbicunque in omnibúsque intelligibiliter lucet. Propterea subditur. Erat autem lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.] Veram lucem dicit dei filium per se subsistentem ante omnia secula genitum: veram lucem dicit eundem filium hominem ex hominibus propter homines factum. Ipse est lux vera qui de seipso ait: Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ æternæ. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominé venientem in hunc mundum. Et quid est veniétem in mundum? Et quis est omnis homo veniens in hunc mundum? Et vnde venit in mundum? Et in quem mundum venit?

Si de

A Si de his quæ de occultis naturæ finibus in hunc mundum per generationem locis temporibúsque veniunt, acceperis: qualis illuminatio est in hac vita nascentibus vt moriantur, crescentibus vt corrumpantur, compositis vt soluantur, de quietudine silentis naturæ in inquietudinem tumultuantis miseriæ cadentibus: dic quæso qualis est lux spiritalis & vera, procreatis in vita transitoria & falsa? Nunquid mundus iste alienatus à vero lumine conueniens habitationi? nunquid non regio vmbræ mortis, & lachrymarum vallis, & ignorantiæ profundum, & terrena habitatio humanum animum grauans, & ex veri luminis contuitu interiores oculos eliminans non immerito dicitur? Non ergo de his qui de occultis seminum causis in species corporeas procedunt, debemus intelligere, Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: sed de his qui spiritaliter per generationem gratiæ quæ datur in baptismate in mundum veniunt inuisibilem, qui natiuitatem quæ secundum corruptibile corpus est spernentes, natiuitatem quæ est secundum spiritum eligunt, mundum qui deorsum est calcantes; vmbras ignorantiæ & mortis deserentes, lucem sapientiæ & vitæ appetentes, filij hominum esse desinentes, filij Dei fieri incohantes, mundum vitiorum postponentes, & in semetipsis destruentes, mundum virtutum ante oculos mentis constituentes, & in eum totis viribus ascendere inhiantes. Eos itaque vera lux illuminat qui in mundum virtutum veniunt, non eos qui in mundum vitiorum ruunt. In mundo erat.] In hoc loco mundum appellat non solum generaliter sensibilem naturam, verumetiam specialiter rationalis creaturæ quæ in homine est, substantiam. In his siquidem omnibus, & (vt simpliciter dicam) in vniuersitate conditarum verbum lux vera erat: idem subsistit, & semper erat, quia nunquam in omnibus subsistere desistit. Vt enim qui loquitur, dum loqui cessat vox eius esse desinit, & euanescit: sic cœlestis pater si verbum suum loqui cessauerit, effectus verbi, hoc est verbo vniuersitas condita non subsistet. Vniuersitatis nanque conditæ substitutio est & permansio, Dei patris locutio, hoc est, æterna & incommutabilis sui verbi generatio. Potest etiam non irrationabiliter de hoc mundo solummodo sensibili hæc sententia intelligi, quæ ait: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Ne forte quis putaret Manichææ hæresis consors mundum corporeis sensibus succumbentem à diabolo fuisse creatum, & nõ à creatore omnium visibilium & inuisibilium, Theologus subnectit, In mundo erat, hoc

Mundus hic qualis

Deus per verbum omnia creauit et conseruat

C est in mundo subsistit ille qui continet omnia. Et mundus per ipsum factus est.] Non enim in alienis operibus vniuersitatis conditor habitabat, sed in suis quæ fecit. Animaduertere debemus beatum Euangelistam quater mundum nominasse, tres tamen mundos oportet nos intelligere. Quorum primus, qui absolute solis inuisibilibus & spiritalibus virtutum impletur substãtijs, in quem quicunque venerit, plenam veræ lucis possidet participationem. Secundus qui præfato ponitur e diuerso, quoniam absolute, ex visibilibus & corporalibus constituitur naturis: & quamuis vniuersitatis infimam obtineat proportionem, in eo tamen erat verbum, & per verbum factus est, & est primus gradus ad cognitionem veritatis ascendere per sensum volentibus. Species nanque visibilium ratiocinantem attrahit animum. Tertius mundus est qui ratione medietatis, & superiorem spiritalium, & inferiorem corporalium in seipso copulat, & de duobus vnum facit: & in homine solo intelligitur, in quo omnis creatura adunatur. Corpore enim constat & anima. Corpus de hoc mundo, & animam de altero mundo colligẽs, vnum facit ornatum & corpus. Quæ de compagine vna conglobantur, omnem mundanum hominis conficiũt ornatum, ideóque homo dicitur omnis. Omnis nanque creaturæ in ipso velut in officina quadam cõflatur. Hinc & ipse Dominus prædicaturis discipulis præcepit. Prędicate Euangelium omni creaturæ. Iste igitur mũdus, hoc est homo creatorem suum non cognouit: neque per legis scriptę sym-

Mundi tres.

Homo microcosmus

Mar. 16.

Mat. 28.

bola, neq; per visibilia creaturæ paradigmata deum suum D voluit cognoscere, carnalium cogitationum vinculis detentus. Et mundus eum non cognouit.] Non cognouit deum verbum, neque ante inhumanationem eius per se sola diuinitate nudum, nec post inhumanationem sola incarnatione vestitum: inuisibilem ignorabat, visibilem negabat: noluit quærentem sequi, noluit audire vocantem, noluit colere deificantem, noluit recipere recipientem. In propria venit.] In ea videlicet quæ per ipsum facta sunt, ac per hoc propria illius sunt non immerito. Et sui eum non receperũt.] Sui sunt omnes homines, quos voluit redimere, & redemit. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, credentibus in nomine eius.] Iam diuiditur non humanitas rationabilis mundi, sed volũtas, segregãtur receptores incarnationis à respuentibus eam: fideles credunt aduentum verbi, & libenter recipiũt dominum suum: impij negãt, & contumaciter renuunt, Iudæi per inuidiam, Pagani per ignorantiam. Recipientibus dedit eis potestatem filios dei fieri, non recipientibus dat adhuc spatium recipiendi. A nullo enim aufertur possibilitas credendi dei filium, & possibilitas essendi dei filiũ. Hoc enim in arbitrio hominis, & cooperatione gratię cõstitutum est. Quibus dedit potestatem filios dei fieri? Recipientibus se videlicet, & credentibus in nomĩe eius. Multi E recipiunt Christum, sed non credunt in nomine vnigeniti qui filium dei cõsubstantialem [illegible] negant, hoc est patri consubstantialem [illegible] eum affirmant, hoc est essentiam quæ pater est. Ac per hoc non prodest eis Christũ recipere, dum conantur eius veritatem negare. Qui verò recipiunt Christũ verum deum & verum hominẽ, & hoc firmissime credunt, eis possibilitas data est filios Dei fieri. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt.] Neque ex sanguinibus, inquit, hoc est non corporalibus procreationibus, qui adoptionem filiorum dei merito fidei adipiscuntur, sed à Deo patre per spiritum sanctum in cohæreditatem Christi, hoc est in coæqualitatem vnigeniti dei filij nati sunt. Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri. Duplex introducitur sexus, ex quo in carne nascentium carnaliter numerositas propagatur. Carnis quidem nomine fœmineum, viri verò Euangelista masculinum significat habitum. Et ne forte dicas, impossibile videtur mortales fieri immortales, corruptibiles corruptione carere, puros homines dei filios esse, temporales, æternitates possidere: ex his quæ maiora sunt accipe argumentũ, quo rei de qua dubitas possis fidem accommodare. Et verbum caro factum est.] Si itaque quod plus est procul dubio F præcessit, cur incredibile videtur quod minus est posse cõsequi? Si filius Dei factus est homo (quod nemo eorum qui eum recipiunt, ambigit) quid mirum, si homo credens in filium Dei filius Dei futurus sit? Ad hoc siquidem verbum in carnem descendit, vt in ipsum caro, id est homo credens per carnem in verbum ascendat, vt per naturalem filium vnigenitum multi filij efficiantur adoptiui. Nõ propter seipsum verbum caro factum est, sed propter nos, qui non nisi per verbi carnem potuissemus in dei filios transmutari. Solus descendit, vt cum multis ascenderet: de hominibus facit deos, qui de deo facit hominem. Et habitauit in nobis.] Id est, naturam nostram possedit, vt suæ naturæ participes faceret nos. Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.] Vbi vidisti beate Theologe gloriam incarnati verbi? gloriam inhumanati filij Dei quomodo vidisti? qualibus oculis perspexisti? Corporalibus (vt opinor) in monte, transformationis tempore. Tũc enim tertius aderas testis diuinæ glorificationis, præsens eras (vt existimo) in Hierusalẽ, & audisti vocem patris filiũ suum glorificantem & dicentem: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Audisti turbas insanium glorificantium, & Osanna filio Dauid dicentium. Quid dicam de gloria resurrectionis? vidisti eum resurgentem à mortuis, dum ad te cæterósque tuos cõdiscipulos clausis intrauit ianuis. Vidisti gloriam eius ascendẽtis ad patrem, quomodo ab an-

Liberum arbitriũ.

Græca voces hic videntur tantum deesse.

Filij Dei per adoptionem.

Matt. 17.

Ioan. 17.

Ioan. 20.

Act. 2.

G gelis est assumptus iu cœlum: & super hęc omnia altissimo
mentis euntuitu contemplatus ea, illud dico verbum in
principio suo apud patrem suum, vbi gloriam eius vidi-
sti. Quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.]
Duplex huius periodi intellectus est: Potest enim de hu-
manitate ac diuinitate incarnati verbi accipi, ita vt pleni-
tudo gratiæ referatur ad bumanitatem: plenitudo verò
veritatis, ad diuinitatem. Verbum quippe incarnatum do-
Ephes. 5. minus noster Iesus Christus plenitudinem gratiæ secun-
dum bumanitatem accepit: quoniam caput est ecclesiæ, &
primogenitus est creaturæ vniuersæ, hoc est totius vni-
uersaliter bumanitatis, quæ in ipso, & per ipsum sanata &
restituta est. In Christo dico, quoniam maximum & prin-
cipale exemplum gratiæ qua nullis pręcedentibus meritis
homo efficitur deus, ipse est, & in ipso primordialiter ma-
nifestatum est. Per ipsum verò, quoniam de plenitudine
diuinitatis eius nos omnes accepimus gratiam deificatio-
nis per gratiam fidei qua in eum credimus, & actionem
qua mãdata eius costodimus. Potest etiam plenitudo gra-
tiæ Cbristi de spiritu sancto intelligi. Spiritus nanque san-
ctus quoniam distributor est & operator dunationũ gra-
tiæ, gratia solet appellari: cuius spiritus septiformis opera-
tio humanitatem Christi impleuit: & in quo requieuit, si-
Esa. 11. cut ait propheta: Et requiescet super eum spiritus Domini,
H spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitu-
dinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus
timoris domini. Si ergo de Christo per seipsum vis accipe-
re quod dictum est plenum gratiæ, de plenitudine deifica-
tionis & sanctificationis secundum humanitatem cogno-
sce. Deificationis dico quia homo & Deus in vnitatem v-
nius substantiæ adunati sunt. Sanctificationis verò quia
non solum de spiritu sancto conceptus, verum etiam ple-
nitudine donationum eius repletus est, & veluti in sum-
mitate mystici ecclesiæ candelabri gratiarum lampades in
ipso & de ipso fulsere. Si verò plenitudinem gratiæ & ve-
ritatis incarnationem verbi de nouo testamento mauis
intelligere, sicut idem Euangelista paulo pòst videtur
Ioan. 1. sensisse (ait enim, Lex per Moysen data est, gratia autem
& veritas per Iesum Christum facta est) non incongrue
pronunciabis plenitudinem gratiæ esse noui testamenti
Col. 1. & per Christum donatam, & legalium symbolorum verita-
2. tem in ipso esse impletam, sicut ait Apostolus, In quo ple-
nitudo diuinitatis corporaliter habitat: Plenitudinem vi-
delicet diuinitatis mysticos legalium vmbrarum intelle-
ctus appellans, quos Christus in carnem veniens in seipso
I corporaliter, boc est veraciter, babitasse & docuit & ma-
nifestauit: quoniam ipse est fons & plenitudo gratiarum,
veritas symbolorum legalium, finis & propbeticarum vi-
sionum. Cui est gloria cum patre & spiritu sancto per om-
nia secula seculorum, Amen.

In illo tempore, angelus domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Et reliqua. Matthæi Cap. 2.

Homilia III.

ANgelus domini per somnium apparuit Ioseph.
Qualis angelus? Ille ipse qui & ad Mariam desti-
natus fuerat Gabriel, ille annunciare venit qui
ad Zachariam in templo locutus est, ipse & nũc
Luc. 1. per somnium ostendit se Ioseph sanctus angelus Gabriel.
Ipsi enim iniunctum fuerat & commendatum generatio-
nis dominicæ sacramentum. Propterea & digne Gabriel
appellatus est, quod interpretatur fortitudo Dei. Illius nã-
que incarnationis sacramentum commendatum habebat,
qui veniebat ad debellandas potestates aereas. Iste etiam
angelus ad illos bene vigilantes pastores venit, & domini
generationem eisdem annũciauit. Angelus, inquit, domini
stetit iuxta illos, & gloria dei circumfulsit illos. Iste ergo
beatus & sanctus angelus, & nunc Ioseph apparuit per
somnium dicens, Surge & accipe puerum, non tuum pue-
rum, sed hunc puerum cui prius pater testimonium per-
Luc. 2. hibuit dicens, Hic puer meus dilectus est, in quo bene cõ-
placuit animæ meæ, & ea quæ sequuntur. Hunc dicit pue- K
rum accipe, per quem reges regnant, & potentes scribunt
iustitiam, per quem sapientes magnificantur, & principes Mat. 3.
possident terram. Hunc puerum accipe & matrem eius.
Non in huic puero pater, sed hæc sola virgo huic puero
mater. Non indiget patre super terram. Incorruptibilem
enim habet patrem in caelis. Non indiget matre in cœ-
lis, immaculatam & castam habet matrem in terra banc
multum beatam virginem Mariam. Sine matre & sine pa-
tre similis filio Dei vt ait quidam: ita vt intelligatur filius
Dei sine patre plenus super terram, sine matre in cœlis. Si-
ne patre secundum corpus, sine matre secundum deita- Heb. 7.
tem. Sine patre in sinu virginis, in nouissimo tempore:
sine matre in sinu patris ante omnia secula. Accipe pue-
rum & matrem eius.] Ante generationem coniugem
eam appellauit Iosepb, post generationem matrem eam
dicit poeti. Et quare ante generationem coniugem di-
xit? Propterea vt diabolo occultaret vtrãque, vel impiis
Iudæis: & postmodum perfecto sacramento, atque gene-
rato vnigenito ex ipsa virgine, post laudem quoque ange-
lorum atque pastorum, post adorationẽ Magorum, post
circuncisionem factam secundum legem, iam nec erat ne-
cesse vt coniunx diceretur, sed mater huius qui natus est Mat. 2.
pueri vocatur. Idcirco & in Aegyptum fugere mandauit, Luc. 2.
& iterum ad terram Israel reuerti, sicut dictum est ad Io-
seph. Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptũ.
O Iosepb fuge ab Herode, à simili fuge diabolo, cui virgi-
nitas Mariæ occulta est. Sed hic qui in ea natus est, non L
occultus fuit. Audiuit enim angelos præconantes, pa-
stores laudantes, Magos adorantes, stellam superfulgẽ-
tem, & plura alia signa: & hunc promissum & magnum
considerans omni virtute interficere perquirebat. Fuge
nunc in Aegyptum ait. Quare in Aegyptum? propter
multitudinem quæ ibi est idolorum, abominationúmque
multarum. Fuge in Aegyptum propterea vt destruantur
manufacta eorum, vt confringantur & pereant idola ip-
sorum: propterea vt dæmones turbentur, & regum fa-
bricæ in idolis destruantur, vt fiat in aduentu Domini
fugitiuorum seruorum atque malorum interitus. Fuge in
Aegyptum vt adimpleas quæ dicta sunt: Ecce dominus se- Es. 19.
det in nube pusilla, & veniet in Aegyptum & commoue-
buntur omnia manufacta Aegypti, Ecce dominus sedet
in nube pusilla, carnalem animam non habente, nec
aliquam peccati grauedinem. Nubes enim in aera eleua-
tur, atque leuitate sui in alta dirigitur, quia peccatum non Esa. 53.
fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Fuge in Aegyptũ, M
vt fugiant de Aegypto qui ibi sunt dæmones, vt appro-
pient ibidem angeli sancti qui Deum consequuntur, qui
sanctis iunguntur, vt pro multitudine templorum atque
abominationum multarum multitudo exuberet ecclesia-
rum, pro idolorum turbis turbæ abundẽt fidelium atque
colentium dominum, pro vitiis & erroribus multis multa
castitas, multáque sanctitas superabundet, multáque vir-
ginitas. Fuge in Aegyptum, vt hi qui in nomine Christi
persecutionem patiuntur, qui tribulationes tolerant, qui
iniurias perferunt, fortiter stent, & viriliter prælientur,
veritatem teneant, fidem non derelinquant, ecclesiam
non deserant, sed semper meminerint, quia & Dominus
à peccatoribus persecutionem perpessus est, quoniam ab
iniustis contumeliatus est, & ab ipsis de loco in locum
fugit, & ab ipsa sua infantia, ab initio pene introitus sui
in hunc mundum. Fugit enim Dominus de loco in lo-
cum, non mortem timens nec interfectionem formidans,
sed mysterium & consummationem passionis propter
multorum salutem expectans. Sæpius enim à volenti-
bus eum lapidare per medium eorum transiit. Sed post
hæc tamen omnia vel cætera sentiens Herodes quod de- Luc. 4.
lusus sit à Magis: deridere volens, derisus est: spernendo Ioan. 8.
sanctos, spretus remansit, & subdolis cogitationi-
bus fraudis suæ atque articulis suis superatus atque con-
fusus expauit: Sentiens quod delusus sit à Magis. De-
lusa est eius animi peruersitas à sancta iustitia, sicut
scriptum

A scriptum est: Dominus dissipat consilia gentium, reprobat *Psal. 32.* autem cogitationes populorum, & reprobat cōsilia principum. Consilium verò domini manet in æternum, cogitationes cordis eius in generatione & generationem. Hæc conuenienter, vel de Herode, vel de similibus eius dicta à sanctis prophetis atque conscripta sunt. Destructum est ergo consilium Herodis, vt multorum proficeret salus, & is qui ex virgine natus est, totum redimeret mundum. Hi ergo beati magi per somnium admoniti, Herode relicto ad patria per aliam profecti sunt viam: per illam viā per quam & desiderantes videre venerant Christum. Ipse eis via fuit Christus, qui & desiderantibus visus est, & remeantibus inhærere vel comitari dignatus est. Ipsi quoque annunciauerunt cunctis, nomenque sanctum vnigeniti prædicantes ad suam prouinciam perrexerunt. Quibus ita gestis sentiens Herodes quod delusus sit ab istis magis, iratus factus est nimis, vtpote quem auctor omnium scelerum diabolus possidebat, inerat illi furor serpentinus, horribilisque draconum & spirituum immundorum insania. Idcirco, vt dictum est, iratus est nimis. Multa in furore suo cogitans, diuersa considerans, intra semetipsum dicebat: En ego qui domui prouincias, occupaui vrbes, inuitos mihi subieci populos, alia voluntaria, alia necessitate ad meū B conuerti obsequium, qui terrui hostes, deuici aduersas gētes, in quibuscunque volui meis impietatibus satisfeci, furorique meo obsecundatus sum, nec quicquam mihi contra quod volui resisturum putaui: Ecce nunc meipsum videor circumuenisse, deludor nunc à magis, & ab alienigenis velut nullus irrideor: decidi à potentia mea, à miseris hominibus illudendus deueni. Hæc dicens impalluit, furiosusq; tremor per totam eius cucurrit mentem: Frendebat dētibus, nubilo tenebricabatur aspectus: Igneus oculis eius sese turbo infuderat, suisque gemitibus intra semetipsum impius torquebatur. Nec immerito dicit scriptura, quia ira regis vt rugitus leonis. Ergo irat⁹ factus est nimis, quo nefando furore excæcatus animus eius deum contemnit, iustitiam abigit, misericordiam spernit, pietatem relinquit, vno tantum (vt dixi) furori sese totum dedit. Iratus ergo frendebat nimis. Et vt impleret sibi exitiabilem *Infanticidium Herodis.* causam, misit impius statim, & occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius. Consummauit miser iniquitatis suæ furiosæ commenta, totúmque quod male cogitauerat, in sui pœnam adimpleuit. Multi multas iniquitates facere festinauerunt, iste autem nequissimus Herodes in pestifero ambitu cordis sui omnium facinorum crimina supergressus est. A deo discessit, cui⁹ nec reuerentiam vnquam habuit, maiestatem diuinam offendere non curauit, innocentes, lactentes, & immaculatos C ab omni crimine interficere festinauit, dolorem parentibus piis, luctusque multiplices cruentus ingessit. Misit & occidit omnes pueros. Quare occidit? Propterea vt post Magorum illusionem sicut putabat puerum inter istorum neces perderet. Sic & antea iniquus fecerat Pharao, qui & ipse vniuersos paruulos in flumine necari mandauit: Moysen enim quærebat occidere, propter quem infantes iussit occidi. Etsi ad exercitum suum alia loquebatur, vt ne multitudo cresceret filiorum Israel, ideo debere necari in- *Exod. 1.* fantes: tamen in corde Moysen maxime interficere cogitabat. Ita & iste nunc malignissimus Herodes propter vnius ad cuius festinabat pueri necem cunctos ante prouectum ætatis occidit infantes. Saul etiam impius quondam innocentem persecutus est Dauid, quem & interficere modis omnibus festinabat. Quo fugiēte culpæ vilis ira commo- *1. Reg. 22* tus, sacerdotes pios, senes etiam & iuuenes, paruulos & lactentes, omnes pariter interimi sine mora præcepit. Sic & Achab rex irreligiosus Heliam sanctum quærens occidere, & minime inueniens, innumerabiles populos interemit, sicut refert Abdias sanctissimus. Ita & extremus He- *Act. 12.* rodes, de quo in Actibus apost. commemoratum est: Petro de carcere ab angelo educto custodes innocentes & innoxios occidi mandauit. His ergo similibus supradictis omnibus peiora nunc augmenta adnectens sceleris sui ex-

aggerauit malitiam iu misertimus Herodes. Magos se de- D ludentes apprehendere quærens, nec potens, vt eos mo- *Matt. 2.* re canum si fieri contigerit, dentibus discerpsisset suis, & nullo modo repetiens malitia (vt dictum est) canum rabidorum ad alios lacerandos conuersus est, vt suæ satisfaceret iracundiæ. Vel iterum sicut canis insanus saxo percussus, dum percutientem sequi non præualet ad ipsum furore conuertitur lapidem, quem pedibus dentibusque dissipare perquirit: non aliter Herodes sua præcipitatus iracundia, solitóque insanæ suę mentis furore in infantium cæde versatus & concitatus est. Misit & occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius: non solum quia occidit, sed violenter occidi mandauit. Mortem enim ipsam quam intulit, cum cruciatibus pœnarum iniecit. A bimatu & infra omnes occidi iussit infantes: vt audierat tempus à magis. Misit ergo in Bethleem, misit impie, scelerate, crudeliter, indignos, impios, crudelitatis suæ socios, & ministros feritatis suæ, impietatis horribiles apparitores. Misit in Bethleem quasi aduersarios, & contra se repugnantes hostes. Misit quasi contra expugnatores (vt dixi) imperij sui. misit quasi contra fortem exercitum, quasi contra pugnatores & præliatores idoneos. Circundant missi illam omnem continuo regio- *Ioan. 6.* nem: viuentem quærentes panem vnigenitum de cœlo venientem, descendentem de supernis, hunc quærebant in Bethleem in domo panis, sic enim interpretatur Bethleem, E domus vel ciuitas panis. Ergo in panis domo viuentē quærebant panem, non ad vitam sibi, sed potius ad mortem, non ad salutem, sed ad interfectionem. Irrumpentes itaque in ciuitatem crudelissimi hostes feralia secum præcepta portantes percutiebant paruulos in manibus hærentes misererorum parentum, percussique crudeliter paruuli iactabātur in sinibus matrum, quibusque matres dilaceratis crinibus oscula quantum poterant morientibus paruulis infigebant. De complexu iterum miserorum patrum alij plangentes rapti infantes collidebantur in terram, hastisque & gladiis fundebantur. Nec alter alterum de parentibus poterat consolari, quia omnibus proprius atque consimilis inerat luctus: in omnibus pene domibus oc- *Exod. 1.* cisi paruuli, volutabantur in sanguine. Sicut in Ægypto quondam vt superius dictum est, sub Pharaone impio gestum est, ita & hic turba crudelium hostium turbam innocentum necauit infantum, in illorum morte sibi maximum interitum inferens: & sic sibi satis hostilis gladius fecit. Sed per suam dexteram prius se crudelis occidit hostis, vulnera aliis infigendo ipse suam animam vulnerauit, inferendo temporalem mortem se æterna morte dānauit. Fletus ergo parentum, vel filiorum vndique reso- F nabat, terrore gladiorū omnis regio turbabatur. Parentes dolore nimio exanimes pene remanserant, artubusque omnibus resolutis, in cruore adhuc trementium suorum iacebant paruulorum. Nec iam se quisquam consolari valebat, sed omne eis hoc erat grande solatium, si paruula corpora suorum infantum complecti quantum vellent, vel sepelire liceret. Cupiebant parentes pro filiis mori, libenterque se & suppliciter cruentis vulneribus offerebant, petebant mortem pro filiis, sed non erat qui audiret, non erat qui annueret. Nulla ibi misericordia, nulla apud hostes pietas fuit: diuitum vel pauperum, seruorum atque liberorum, ciuium vel peregrinorum paruuli passim proiiciebantur occisi, nulli vt dictum est exhibita misericordia est, in singulis domibus bini & terni inueniebantur occisi. In plateis quoque omnibus luctus & fletus & vlulatus vndique sonabat. Nec erat (vt diximus) qui lugentem consolaretur parentem, quia omnibus par inerat luctus & dolor. Simile est hoc, vt sentire valemus, ad futurum iudicij diem, vbi omnes venient, & vnusquisque sibi timebit, nec alium poterit consolari, aut à sua culpa liberare. Ita gestum est in ista Bethleem, sicut iam ante ab Hieremia sancto propheta fuerat dictum: Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus, Rachel *Hier. 31.* plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

G Hanc ergo historiam primo præcinuit spiritus sanctus, qnia pro domino gerenda esset, vt audientes qui habitant Hierusalem, vel in Bethleem, & proximis locis, sememorarentur propheticorum dictorum, & in tribulatione sua cuncta forti animo tolerarent, quia dominus istos, de quibus prælocutus est per Prophetam, elegerat infantes: quique paruuli & ad memoriam æternæ laudis à beato Euangelista in sancto euangelio conscribuntur, horum & memoria semper vt dignum est in ecclesiis celebratur secundum integrum ordinem sanctorum, vt primorum martyrum pro domino occisorũ, & vt ipsa Bethleem primitias domino martyrum in qua natus est ipse Saluator obtulisse videatur. Sed adhuc primitiæ vedebantur ea Iudæis, necnon etiam ex gentibus, quique postmodum ad similitudinem istorum paruulorum innocentes pro domino pati habent, velut & ipsi paruuli necdum habentes scientiam plenam in rebus seculi, neque astutiam aliquam: quibus Apostolus scribens dicebat: Velut infantibus lac vobis potum dedi: & velut innocentes infantes in nullo curam circa seculum habentes, sed omnia quasi contemnentes atque negligentes, paratique pro Domini charitate ad mortem ire. Tales videntur qui ex gentibus credunt velut innocentes, & intellectu ipsius puritatis fortes in passione. Imago ergo fuerunt gentium isti sancti infantes qui pro Domino sunt occisi. Bene ergo & secundum voluntatem Dei eorum memoriam sancti patres celebrari mandauerũt sempiternam in ecclesiis velut pro Dño morientium, velut pro Iudæis & gẽtibus crediturus, vel etiã ꝑ ipsis parẽtibus quorũ parẽtes præ nimio dolore (vt diximus) percutiebantur, vt eis intercessio filiorũ apud Deum plurimum profuisset. Considerantes, & in memoriam reuocantes parentes antiquorum sermones prophetarum sanctorum, suos mitigarunt exinde (vt dixi) dolores. Ideóq; hi beati & sancti infantes in æternum sociati sunt in numero omnium sanctorum atque beatorum. Rachel, inquit, plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Cõsideremus & hoc, Ioseph & Bẽiamin mater cũ esset Rachel, quomodo plorauit Iudę filios, id est quos dixit suos affines ex Liæ sororis progenie venientes? Quomodo ergo plorauit ea Iudæ generatione occisos filios? Sed hoc vt ego arbitror, non magnam habet quæstionẽ. Rachel enim in via quæ dicitur Hippodromi in terra Cabrati introeuntibus Bethleem sepulta est, sicut narrat Iacob Ioseph filio suo. Dixit eam propheta quasi plorantem filios cũ Iudæ qui mortui sunt in Bethleẽ filiis. Duas nũc rationes habet hoc verbũ, vnam quã aliquãti dixerunt ad Beniamin pertinentem filium Rachel affinitate Iudæ generationis coniunctum, qui Iudæ filij pro Domino nec mortui sunt. Plorauit ergo Rachel filios quasi nihil passos in aduentu vel pro aduentu Domini, & quasi non essent existimauit ad illos qui pro Domino mortui sunt, & martirij tulerunt coronam. Ita ergo antiqui dixerunt. Est & alia ratio. Ipsa Rachel plorare dicitur, hoc est genus Beniamin affinitatem ipsam generationis Iudæ habens. Extendit enim & illuc suam crudelitatem Herodes, sine misericordia omnes affines Iudæ & Bẽiamin filios interficiẽs. Prius in Bethleem interficit omnes, postmodum misit in circuitu regionum sine misericordia manus, nullúmque viuum dereliquit infantem: ideóque plorare dicitur Rachel, hoc est generatio Bẽiamin. Vel propterea adhuc nominat Rachel, omnium nostrum pietatem per illam demonstrans circa filios vel proximos, in nomine Rachel vniuersas pias matres (vt dixi) significans. Matres enim infantes suos maiori diligunt affectu quàm patres: propterea cum aliquid infantibus contigerit, plus rabescunt illæ quæ eos genuerunt matres, quam qui illos fecerunt patres. Idcirco nunc maior & multiplex & nimium prolixus earum quę genuerunt effectus est luctus. Quidam enim infantes nimis paruuli, & nuper nati ad mortem oblati sunt: aliquanti paulo maiores amplectentes vbera matrum diripiebãtur occidendi: Alij in conspectu parentum repentes iam vel ludentes, gladiis sine misericordia necabantur, vt superius memoratum est. ideóque omnium horum occisorum matres per Rachel piæ matris nomen demonstrantur, miserabiliter plorantis, & nimis lugentis. Hi ergo cum iniuste vel impie occiderentur, in pace, in quiete multa, pro nomine Domini passi de hoc mundo sublati sunt, in ecclesia æterna per secula in Christo mansuri. Eorum verò parentes pro ipsorum merito passionis dignam mercedis accipient retributionem à iusto æterno Domino Deo. Venit K ergo vt supra dictum est Dominus in Ægyptum, vt exinde omnes dęmonum exercitus fugaret, & omnia idola comminueret, & omnem ritum vel diuersa mala & opera acta inde euelleret, & fidei & castitatis fundamentum ibidem collocaret, & illud quod scriptum est ibi adimpleretur, & vbi abundauerit delictum superabũdaret & gratia. Ibi enim sustinuit Dominus quamdiu Herodes impius & crudelis defunctus esset: & exinde ad terram Israel remeare festinauit, quo patris præceptum illic perficeret, vt legis & prophetarum testificationes ibi adimpleret, vbi & prophetatæ & vaticinatæ sunt: illuc ergo reuertens Dominus vt populum Israel illuminaret, vt seculum saluaret, vt ecclesiam solidaret, vt cunctos se diligentes in vita æterna & in regno cœlorum sibi cohęredes faceret. Qui cum Deo patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Margin notes: Innocentium, qui primitiæ martyrũ fuerũt, memoria in ecclesia retinetur. — 1. Cor. 3. — Hier. 31. — Gen. 30. — Gen. 41. — Rom. 5.

L

In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Demoliuntur enim facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes. Et reliqua. Matthæi 6.

Homilia 1181



Vperabundanter & digne Dominus cõsequenter orationis ieiunium commendauit. Conueniens & cõsequens orationis ieiunium: & procurat oratio ieiunium, vel iterum ieiunium orationem. Ideo Apostolus in quodam loco hoc significans ait: Vacate ieiunio & orationi. Qualis anima erit quæ sic voluntati carnis coniungitur vt alacri denotione ieiunet & oret? & quomodo quæ propter deum vtraque adimplet, proficit? Ideo cum ieiunatis (ait Dominus) nõ propter humanam laudem, nec propter vanam placendi cuiquam cupiditatem, quæ pręterit, sed cum ieiunatis ex dilectione Dei ieiunate, propter regnum cœlorum ieiunate. Cum autem ieiunatis, per sanctorum viam pergite, ipsius Domini vestigia sequimini. Sic & Moyses ieiunium magnificans dicit: ieiunaui quadraginta diebus & quadraginta noctibus, panem non manducaui, & aquam non bibi. Sic & Helias per ęquale ieiunium & tempus, illam magnificam vidit visionem Dei. Sic & Daniel ieionãs gloriatur, & dicit: Ego Daniel fui ieiunans per tres hebdomadas dierum, panem desideriorum non manducaui, vinum non bibi, & caro non introiuit in os meum. Sic illi tres pueri delitiosam contemnentes mensam, legumina in ieiunio sumebant, & ita flammam fornacis cincti virtute fidei extinxerunt. Sic & illi beati duodecim apostoli assũmpto ipso post resurrectionem, euãgelij prædicationẽ ieiunantes commendarunt mundo. Cum autem ieiunatis charissimi ad spiritualia conuertimini, ad cœlestia eleuamini. Cum autem ieiunatis dæmones vincitis, omnémque classem illam malignam retrorsum conuincitis, mala desideria effugatis. Quando alacriter ieiunatis, quando instanter & syncere à malis abstinetis, tunc non eritis hypocritæ tristes, simulatores, hominibus mentientes, similes illis hominibus qui exterminant facies suas vt pareat hominibus ieiunantes. Duo itaque mala faciunt: vnum quod tristes facies suas ostendunt, quia non voluntate ieiunant, propterea non habent mercedem. Hilarem enim datorem diligit Deus. Aliud autem quod coram hominibus, quod non sunt, esse fingunt, & humanam laudem lucrari quærunt, atque se videntes scandalizant, sibique æternum iudicium præparant. Tales erant Iudæi, tales & nunc sunt innumerabiles hæretici, qui super alia infidelitatis & irreligiositatis

Margin notes: 1. Cor. 7. — M — Ieiunium prophetarum — Dan. 9. — Dan 1. — Act. 1. — Hypocritarum ieiunium.

A & irreligiositatis ostendunt & adduut & hoc, vt extermi-nent facies suas, vt dum ieiunant, colorent pallore vultus & oculos suos, vt visi admirentur quasi veraces, & vt perspecti diligantur velut pro ieiunio laborantes, honorentur etiam velut discipuli domini, beatificētur quoque velut hunc mundum contemnentes. Ideo exterminant facies suas isti hypocritæ, & isti increduli, isti spe inanes, qui iam acceperunt mercedem suam, illam breuissimam ab hominibus laudem, istam temporalem à mortalibus adulationem. Sed super terram hanc acceperunt mercedem: de cœlis autem magnum eos expectat iudicium, sicut deo & hominibus mentientes. Attendite ô charissimi ecclesiæ filij, vt nullus quod non est, se esse fingat, sed in veritate deo seruiat, sed alacriter eius legem perficiat, sed eius diligentissime mandata custodiat, propterea vt æternæ vitæ mercedā ab ipso domino percipere mereatur. extermināt, enim facies suas. Bene dicit quòd exterminant hoc est immaculatas maculāt, incoinquinatas coinquinant, mundas sordidant: propterea digna illos exterminatio in hoc seculo expectat. Tales sunt aliquæ mulieres, quæ album, & nigrū, & rubicundū super facies suas inducunt, quasi sapientiores plasmatore suo, tanquā non bene illū fecerit vultū, tanquā non prudenter istā faciē cōstituerit. Huius creantis opus volunt emendare, & componere non erubescunt,

Quæ mulieres facies suas pingunt.

B & post fabricatoris manus super addere nō verētur: mortis coloribus viuentes suas facies liniunt, & de viuentibus in mortē transmutant, ideo vt imprudentiū faciant euolare corda, vt minus cautorū subuertant animas, vt multā perditionem sibimet parent. Ista ergo omnia religiosæ credētes animæ fugere & abominari debent. Tu verò cum ieiunas, ait dominus, tu deum timens, tu fidem seruans, tu religiositatem adimplens, tu ergo cum ieiunas, quod sumpturus eras distribue pauperibus, cum ieiunas frange esurienti panem tuum, pauperem & sine tecto induc in domum tuam. Si videris eum nudum, vesti, & domesticos seminis tui ne despicias. Tunc erumpet tua domus pauperibus, quando tu sic ieiunas. Quando enim ieiunas ô amice, depone omnem maliciam, omnem zelum, omnem furorem, omnem iniquitatem, omnem iracundiam, omnem superbiam, omnem litem, omne maledictum. Cum ieiunas, non manducabis carnem, hoc est non manducabis carnem humanam, impie agendo. Non bibas vinum, non bibas sanguinem per crudelitatem. Non spires siceram, hoc est non spires adulationem, nec bilinguis sis in perditionem animæ. Cum ieiunas, sicut marcescit venter tuus, sic efficiatur os tuum, sed plus marceat tum cor tuum. Anima tua sit ab omni mala cogitatione seposita. Attende ne concipias dolores concupiscentiæ: sed omnia hæc mala deponens, omnia indigna expellens, sic sanctum & deo placens ieiu-

Ieiunium & abstinentia à peccatis.

C nium ieiunabis. Hilari animo & lympido corde ieiuna, & non tristi vultu. Cum ieiunas (ait) vnge caput tuum, & faciem tuam laua, vt non videaris hominibus ieiunans, sed angelis & omnibus sanctis. Omnes occasiones abiice vt non videaris hominibus ieiunare. Et faciem tuam laua, vt non sit sordidus aspectus tuus: & caput tuum vnge, vt non indecorus videaris, vt non cognoscant videntes quod ieiunes, & dicant: Ecce ille Christianus vide quàm tristis est, quia ieiunat. Vnge ergo caput tuum. Caput tuum Christus est, ait Apostolus. Hoc ergo caput tuum vnge, & hoc decora omni tempore, & maxime in tempore ieiunij vnge per singularem charitatem, vnge & compone per pauperum miserationem, peregrinorum eleemosynas: per ista ergo vnge caput tuum dominum tuum Christum, vt dicat tibi, quando fecisti vni ex his pusillis, mihi fecisti. Ita ergo vnge caput tuum. Sed & faciem tuam laua. Omnis corporis gloria & decor facies est, id est aspectus & vultus. Sic & omnium credentium unum corpus, aspectus, & gloria est ecclesia, & sanctitas altaris. Hanc itaque laua, hoc est orna & exalta, honora & glorifica, & hoc fac ad gloriam & exaltationem capitis huius corporis, quod est Christus, qui est caput ecclesiæ. Etenim vere qui ecclesiam exaltant, vel altare honorificant sanctum, ad gloriam domini hoc faciunt. Ita ergo faciem tuam laua, hoc est visionem ani-

1.Cor.11. *Eph.5.*

D mæ, aspectum cordis tui laua, munda ab omni contaminatione, ab omni caligine, ab omni erroris obscuritate, ab omni infidelitate. Ablue cor tuum Hierusalem vt salua sis, ait quidam: Lauamini, mundi estote, auferte iniquitates ab animabus vestris, à conspectu oculorum meorum. Hāc faciem & hunc aspectum lauemus ô dilectissimi, lympidam & sine offensione animæ nostræ faciem omni tempore conseruemus in conspectu dei, vt simus lympidi & sine offensa ante dominum in sempiternum. Hæc itaque omnia facite, vt pater vester qui videt in occulto, reddat vobis in manifesto, in illa manifestatione de qua dicit Daniel: Et tunc prudentes fulgebunt sicut luminaria cœli. Et iterum: Iusti atque alij plures sicut stellæ in æternum. Sequitur adhuc: Nolite thesaurizare vobis thesaurum in terra, vbi ærugo & tinea exterminant, & vbi effodiunt fures & furantur: Nihil in terra firmum, nihil stabile, nihil tutū: omnia infirma, omnia caduca, omnia temporalia & transitoria. Vita pertransit, iuuentus senescit, honor aufertur, diuitiæ fugiunt velut aliquis fugitiuus, diuertentes ab alio ad alium transeunt, meretricio more amorem fingētes, & nulli fidem seruantes. Ideo nolite thesaurizare vobis thesauros super terram, vbi nihil fidele, vbi inimicitię propter pecuniā, vbi zelus & iracundia pro cupiditatibus, vbi frater fratri inuidet ditiorem videns, alius alium circumuenire per zelum quærit, vbi qui habet & possidet thesauros, adhuc inhiat, & accumulat ad rapinam, & pauper vs-

Esa.1. *Dan.12.* *Dehortatio à cultu mammonæ.*

E que ad mortem tolerat necessitatem. Nolite thesaurizare vobis thesaurum super terram. Transiet enim ista terra & iste qui in ea est thesaurus: & antequam terra pertranseat, antea isti pertranseunt thesauri, aut qui thesaurizat moritur. Quid adiuuerunt Pharaonem illi plures thesauri Ægyptij? Nōnne repente in maris profundo absorptus est? Quid adiuuerunt Nabuchodonosor regem totius pariter orbis diuitiæ congregatæ, & in Babyloniam translatæ? Nōnne elisus est de throno gloriæ suæ, & de medio hominum subito separatus est, atque cum feris agrestibus deputatus, & septem annis habitare præceptus est? Etenim tūc ille consilium audiens beatissimi Danielis, peccata sua eleemosynis ex parte redemit. Quid adiuuit Balthasar filium eius quod ipse post patrem suum innumerabiles terrenas congregauit diuitias? Nonne percussus statim in eadem nocte periit? Quid dicemus de aliis multis qui illi similantur, de quo in Euangelio scriptum est, quòd horrea sua destruens maiora ædificare quærebat sibimetipsi dicens: Habes multa bona multis thesaurisata annis? Propterea ista qui colebat relictis aliis ablatus est, & illa quæ remanserunt ad alios sine dubio transierunt. Nolite thesaurizare vobis thesaurum super terrā, hoc est, nolite defodere sensus vestros cum diuitiis in terra. Nolite recondere cor vestrum cum pecunia in perditionem, quia multa pericula in thesauris sunt, multa offendicula in humanis diuitiis, aliquanta abintro, deforis fures defodiunt mānsiones, latrones obsident in solitudinibus & in desertis, aliquando plu-

Dan.4. *Dan.5.* *Luc.12.*

F res vndique circumueniunt volentes modis omnibus irrumpere. Alij præparant flammas, & immittunt incendia, videntes illos thesauros habentes omni consilio eos deprędari excogitant. Propterea super terram nō vobis thesaurum perennem thesaurizetis ô charissimi. Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo, vbi thesaurizauerunt sibi beati omnes deū diligentes. Ibi thesaurizauit sibi Abraham per hospitalitatem, Iob per egenorum miserationem. Illic thesaurizauit sibi Samuel per iusta iudicia, ita Dauid omnésque sancti: quorum vestigia sequentes & vos omnes thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea exterminant. Ærugo exterminat, id est diuersorum inuidia, & insatiabilis cogitatio. Neque fures effodiunt, & furantur. Illi nequissimi dæmones, & male articulosi, qui innumerabilium corda effodiunt. Isti multos & magnos thesauros furantur, isti effoderunt per auiditatem cor Esau. Isti furati sunt ei præclaras thesaurorum primitias cum benedictionum donis. Isti effoderunt per auaritiam Iudæ cor, & huic apostolatus magnum furati sunt thesaurum. Propter quid? quia non thesaurizauit sibi in

Iob.31. *Thesauri in cœlo.*

G cœlo, vbi isti supradicti sures non effodiunt nec furantur, *Mat.26.* sed super terram thesaurizauit, propter pulchritudinem *Act.1.* argenti totius vitæ dominum vendidit. Isti effodiunt & nunc multorum corda, aliquantorum per superbiam & cupiditatem, aliorum quoque per ciborum auiditatem vel cætera carnis desideria, quos omnes cœlestibus regnis furantur ideo quia non in cœlis thesaurizăt sibi. Labore nimio & dolore quæramus, & nunc poterimus inuenire quem quærimus &c.

In illo tempore, cum descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Ecce leprosus veniens adorabat eum dicens. Domine, si vis, potes me mundare. Et reliqua. Matthæi VIII. Homilia V.

DEscendente Iesu de monte secutæ sunt turbæ multæ. Docente verò domino in monte discipuli erant cum ipso, quibus datum erat cœlestis doctrinæ nosse secreta, per quæ salutis scientia brutorum corda salirent, cæcorúmque oculis per mundanæ delectationis tenebras caligantibus lucem patefacerent veritatis. *Matt 5.* Vnde & dominus ad eos: Vos estis (inquit) sal terræ, vos estis & lumina mundi. Nunc verò descendéte eo de monte turbæ secutæ sunt eum. In montem scilicet ascendere nequaquam poterant, quia quos delictorum sarcina deprimit, ad mysteriorum sublimia nisi abiecto o- H nere scandere minime valent. Idcirco & filij Israel primitus in montem ascendere non poterant ad obuiandum deo, quia Ægyptiaca grauati conuersatione præpediebantur, sed solus Moyses ascenderat, & pauci cum eo seniorũ *Exod.18.* Israel. Veluti denique tunc cum domino discipuli in montem ascenderunt, sic & modo fideles animæ deum timentes, & dominum diligentes, regna cœlestia desiderantes, dominum semper sequentes post dominum in illum cœlestem montem ascenderunt audientes Apostolum dicentem: *Col.3.* Quæ sursum sunt sapite, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera dei sedens. Descendente nunc domino, hoc est inclinante se ad infirmitatem, & impotentiam cæterorum, misertus imperfectioni eorum, vel infirmitati, secutæ sunt eum turbæ multæ, quidã propter charitatem, plerique propter doctrinã, nonnulli propter administrationem & curationem. Et ecce homo leprosus vnus ex illis qui curam quærebant, qui leuamen desiderabant, adorabat eum dicens: Domine, si vis potes me mundare. Deorsum currens rogas ô homo, & in monte nihil dicis. Quare sic? Quia tempus, & tempora omni rei sub cœlo. Tempus doctrinæ, & tempus curationis. In monte docuit, illuminauit, monuit, animas curauit, corda I sanauit. Propterea ergo illa maiora ego tentare nolui, illa summa tradere passus sum. Ipsis ergo ab illo completis deorsum eo de monte ad curandum, sicuti de cœlestibus montibus ad saluandos carnales descendente, venit ad eũ homo leprosus adorans eum. Antequàm peteret, adorare cœpit: antequam rogaret, culturam ostendit. Adorauit eum. Pro hoc ipso deum & dominum eum innocans adorabat eum. *Matt.2.* Sicut enim illi beati Magi prius procidentes adorauerunt eum, & ita demum ei munera obtulerunt: eodem modo & nunc iste cadens adorabat, & sic supplices obtulit postulationes, dicens, Domine tu qui digne adoraris, & merito coleris, te ego vt dominum adoro: ideóque & dominum dico, opera prius contestans, & sic verba loquens: Per te enim omnia facta sunt. Tu ergo domine si vis potes me mundare. Voluisti vt hæc immondissima lepra super me veniret, siue propter mea peccata, vt correptus pœniterem, seu propter tuam prouidentiam, vt mirabiliter me mundans magnificeris: omnia dispensanter & prouidenter facis, & salutem largiter tribuis. Siue ergo hanc lepram propter mea peccata portaui, dimittens culpas meas munda me, siue propter prouidentiam tuam, mirabiliter me mũda, vt ab hominibus magnificeris: Domine si vis potes me mũdare, Voluntate tua opus est, quia & opera voluntati tuæ obediunt, ideóque si vis potes me mũdare. Non dubitans fallor, nec dicens sic vt ille qui filij salutem deprecabatur, Si quid potes, adiuua nos: sed scio K quia omnia potes, idcirco nõ potentiã peto, nec fortitudinem quæro: homines enim scio deficiẽtes: sed tantum voluntatem tuam deprecor: & sequens virtus statim hanc gratiam implebit: Domine si vis, potes me mundare: mihi ad beneficium, tibi ad laudem, videntibus ad miraculum & proficiendi doctrinam. Domine si vis, potes me mundare. Tu qui prius (ait) Naaman principem Syriæ per Helisæum in Iordane tingens lepra mundasti, & modo si vis potes me mundare. *4.Reg.5.* Cui respõdens dominus ait: Confidens profiteris quia ego possum, & si volo fit, ideo volo mundare. Magnifice credis, magnifice & mundaris, plenissime confiteris, plenissime lætificaris. Volo mundare. Non dubitasti credere, non tardo sanare. Non distulisti confessionem, nõ differam te mundare: Volo mundare, vt magnam gratiam tibi ostendam, manum ad te porrigo. Extẽdens itaque manum Iesus tetigit eum, dicens. *Contactus leprosi* Et quid est quod tetigit eũ? cũ lex prohibuisset leprosum tangere. Propter hoc tetigit, vt ostenderet quia omnia munda mundis, quia aliorum alij non adhærẽt inquinamẽta, neque extranea immunditia immaculatos coinquinat. Sed ad hæc propter quid tetigit? vt humilitatẽ demostraret, & nos doceret nullum spernere, aut horrere, vel contemptibilẽ ducere propter corporis læsionẽ, aut maculationem, quæ à deo immittitur, pro qua ipse sit redditurus rationem. Extendens ergo manum eius, tetigit eum Medicus (ait) sum cœlestis, corpora cũ animabus curare possum: *Cælestis medicus Christus.* propterea omnes tango nõ vt infirmitas mihi adhæreat, sed vt ab iis qui eam habent expellã. Sol enim, ait, incomparabilis sum, & luna iustitiæ. L Ideo omnibus appropinquo, & omnibus meis splendoribus ad salutẽ radio, ipse verò sicut fui permaneo in singularis meæ sanctitatis pulchritudine. Extendẽs manũ tetigit eũ. Nõ sperno legem sed curo vulnus: nec destruo mandatũ, sed fugo atque mundo leprã. Ideoque cum extendo manu mox effugit: nec contaminatio meæ virtuti proximare, vel resistere meæ potentiæ poterit. Dico ergo: Volo mundare: & me manum ad tangendum extendente, effugit ilico lepra: & inuenta est manus domini non lepram, sed mundũ tetigisse corpus. Cõsideremus & nos nunc dilectissimi fratres, vt nullus peccati lepras in sua habeat anima, aut contaminationes delictorum in suo detineat corde. Sed & si habet, instanter adorãs dominũ dicat ad eum: Domine si vis, potes me mundare. *De peccati lepra animas inficiente.* Tu illũ prius multa delicta cõmittentem mundasti Manassem, & innumerabilibus aliis à seculo peccantibus misertus. Tu ergo si vis potes me mundare. Et dominus mox misericordiæ porrigens manũ dicit, Volo mũdare. Et Iesus ait illi mundato a lepra. Huic cui misertus est M credenti domino, qui confisus est in virtute eius, huic ergo dixit Iesus. Credidisti, saluus es: sperasti, mundus effectus es. Noli obliuisci qualis fueris, qualis factus sis. Non cesses gratias referre, non taceas confiteri. Charissimi hoc & nos debemus facere quando à domino de aliquo periculo liberamur, vel ab aliquo dolore saluamur, siue infirmitatis, seu vulneris, siue de qualibet necessitate. Non efficiamur ingrati, & relinquamus liberatorem nostrum, sed alacriter gratiarum actiones ei reddamus, sed & munera secundum substantiam nostram ad honorificandũ eum exhibeamus. Hoc enim & illi mandauit dominus, Vade (ait) ad sacerdotes, & offer munus tuum. Dixit ergo ei Iesus, Vade, nemini dixeris. Et quare hoc domine dicet nemini? Propter meam humilitatem, propter meam dulcedinem. Et vos doceamini quando aliquid boni facitis, non gloriari, aut extolli vel inaniter placere velle in conspectu, sicut consuetudo est aliquantis, *Contemptus manæ gloriæ.* qui cum quid boni fecerint seu ieiunauerint, seu in pauperum eleemosynis, largitatibus, necnon & in altaris honore, cultúque sanctorum: Etenim ipsi ante homines volunt gloriari, & sibi placere, ante dominum mercedem perdentes. Vide nemini dixeris. Te enim tacente, hoc mirabiliter clamabit. Te enim os non aperiente, omnis virtus tui corporis iubilabit. Hesterno immundus, hodie mundus, ante pusillum horribilis, & nunc decorus. Vide ergo nemini dixeris, sed vade ostende te sacerdoti. Ambulante te ad templum videntes mirabuntur, & sacerdos

A dos vidēs expauescet, quoniam secundum legem semel & bis ab eo inclusus, & ostēdens teipsum, mūdari non potuisti. Vade ergo ostēde te sacerdoti, vt vidēs cognoscat quia nō per legis cōsuetudinem mūdatus es, sed per gratię operationē: non propter terrenorū sacerdotū imaginē, sed per cœlestē sūmi sacerdotis splēdorē. Vade ostēde sacerdoti teipsum. Sacerdoti te ostēde à sūmo sacerdote missus, à summo sacerdote dei patris mundatus. Sed non videaris in cōspectu domini inanis, non videaris ad sacerdotē manu vacua venire. Non venias in cōspectu sancti templi infructuosus, sed offer munus tuum. Ad illum enim hoc tunc dictum nos admonet omnes loquens, vt & nos dona & munera nostra non teneamus apud nos, sed reddamus gratias deo, maxime cum de aliqua liberamur tribulatione.

Ioan.5. Offer, inquit, munus tuum. Quare? vt omnes qui vident portare & offerre, credant his mirabilibus, & magnificent deum qui misertus est tui, & infidelibus per hoc increpatio, & testimonium duritiæ cordis ipsorum fiet. Sic & illū

Ioan.9. xxxviij. annis iacentem in infirmitate erigens à languore iussit portare grabbatum suum, & ire in domum suam, vt hunc ipsum lectus portatus ab eo per mediam ciuitatem clamaret saluantem se inuocando & laudando. Sic & illū cæcum in natatoria Siloe misit, vt videntes ambulare illuc eundem cæcum, & iterum remeantem mirati & obstupescentes crederent huic talia mirabilia facienti. Post hæc

B quæ superius dicta sunt: Cum introisset Capernaum ciuitatem Galilææ:] Sic cognominata est Capernaum. in qua sæpius dominus virtutis suæ magnificentiam demonstrauit. Ingrediente eo Capernaum. Capernaum nanque interpretatur ager, vel villa cōsolationis. Cum ager quod in eo

Capernaū aliquid agatur, vel villa à circunuallatione limitis, hoc est munitione custodiæ nomen acceperit, congrue dispensatione carnis illo ingressus asseritur dominus, quò per deitatis portam circundando attrahens ad credulitatē incredulos, & sanitatis miraculum erat actutus. Accessit Centurio externus generatione, sed mente domesticus, militū princeps, sed plus angelorum gaudium. Accessit ad eum Centurio] Increpatio nanque illorum ostenditur ascen-

4.Reg.1. dentium quondam ad Heliam in Carmelo quinquagenariorum, qui manentes in infidelitate, cœlesti sunt igne cōsumpti. Iste verò ex infideli particeps fidei factus, in sinum ilico deportatus est Abrahæ. Accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet paralyticus in domo, & male torquetur.] Multi illo tempore pro diuersis rogabant infirmitatibus, nullus tamen pro seruo nisi iste solus: & hoc ei ad argumentum beatitudinis, & coronam gloriæ erat. Quid enim in mentis abdito dignum voluens Centurio iste aiebat? Mihi hic seruus est, & ego creatoris. Iste me super terram, & ego magnum in

C cœlis habeo dominum. Si ergo eius non misereor, quomodo mei ille miserebitur? Si ego huic non subuenio, quomodo mihi ille subueniet? Sic debent omnes qui famulos & famulas habent cogitare, sic misereri & condolere eis, supplicare & curam habere de seruis, vel de ancillis suis, sicut ille beatus Centurio fecit: Puer, inquit, meus iacet in domo. Non in vna hac re tantum miserabilis quod iacet, sed & in alia quod paralyticus, tertia quod male torquetur, omnia enim ista dolorem congeminant, & iacentem, & paralyticum, & dure detentum. Ideo vt suæ animæ angustias demonstraret, & dominum commoueret, quatenus & illius cruciatus demonstraret, & domini beneuolentiam inuitaret: Puer meus, inquit, iacet in domo: Et huc quare non attulisti eum? Ideo, ait, quia non opus est ostēdere illi omnia videnti, non opus est in conspectu offerre eius, cuius potentia non terminatur, nec includitur, neque excluditur. Iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Quid ergo vis & cupis seu desideras? Non multum loquor ait. Scio enim quia ad omnia præscientem respondeo. Ideóque iste cognoscens corda respondens dixit: Ego

Gen.18. & 19. veniam & curabo eum.] Ego ad Abraham veniens senilē Saræ sanaui vterum, in senectute eis Isaac filium donans: ego & nunc veniens ad te curabo eum. Et quomodo promittis domine aduentum tuum huic? nec quærit, nec perit, sciens quod non acceptabile sit ei vt venias in domum D eius. Ob hoc, vt & vos præualeatis, & eius fidei similes sitis, vel cognoscatis quid iste sit, vel qualis in eo fidei thesaurus habeatur occultus. Iam enim & primitus Abraham *Gen.24.* tentaui, non pro hoc vt cognoscerem quem ante sciebam, sed vt vos similes ei in omni tentatione fortissimi inueniamini. Et Iob ita probaui: non propter hoc probaui vt cognoscerem, quem iustum testificatus sum, sed vt vobis spē & fiduciam demonstrarem. Idcirco & huic dico. Ego veniam, & curabo, vt ipse magnam fidem suam proferens dicat: Domine terruisti me, conturbasti, interfecisti fortitudinem animæ meæ in hoc verbo. Nō sum dignus appropinquatione, aspectu, vel non sum dignus accessu, vel introitu tuo. Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.] Moyses ille primus magnus tuus cōfabulator, mi- *Exod.3.* rabilis tuorum narrator operum, fidelis in tota domo tua, nimium se humiliauit dicens: Non sum dignus ante hesternum & tertium diem. Quanto magis ego dicam: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum? Alienigena sum, gentilis miles gladio accinctus, sanguinem fundens, ad prælium exiens, & ob hoc non sum dignus vt intres sub tectum meum: Sed tantum dic verbo, sed tantum veni verbo: verbum aspectus tuus est, opúsque est consummatum. Quamobrem dic verbo, ostende absens corpore quod præsens spiritu consumare potes: vbique indeficiens præsentia, vbiq; præsens tuus aspectus. Idcirco ego accessu & introitu tuo indignus sum, & iste infirmus verbi tui E visitatione indiget. Et hac de causa dic verbo, & sanabitur puer meus. Sed & hoc nullum nostrum pertranseat sicut pusillū aliquid, quod dixit iste Centurio: Non sum dignus vt sub tectum meum intres. Intrat & nunc dominus sub tectum credentium duplici figura vel more. Nunc enim quando sancti & deo acceptabiles ecclesiarum antistites *Dominus quo modo subeat tecta fidelium* sub tectum tuum intrant, tunc ibidē per eos dominus ingreditur. Et tu sic existimes tāquam dominum suscipiens. Et aliud: quando sanctum cibum illúdque incorruptū accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem domini, tūc dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti. Sed adhuc quid adiicit ille Centurio in sequentibus? Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, & habeo sub me milites, & dico huic vade, & vadit: & alij veni, & venit: & seruo meo fac hoc, & facit. O prudentia intellectus animæ, O munditia cordis. Primus omnium manifestę veritatis confessionem reuelauit, & noui testamenti mysterium declarauit, & ecclesiæ in sese monstrauit imaginem, primitiæq; ex gentibus domino credentibus factus est. E- F go, ait, homo sub potestate regis vel principis, indignus ego habeo sub potestate mea milites & seruos: & tu habes sanctos sub potestate tua angelos sicut milites, & sanctos omnes seruos. Ego mando vnicuique & secundum pręceptum meum facit, & tu mandas quod & statim completur. Quod enim mandas & dicis, fit, & sine mora perficitur. Omnis enim creatura seruit tibi: & ideo dic verbo, & perficietur velociter, & saluabitur hic puer meus. O fides viri, O confidentia militis, O charissime amice veritatis, te admiratur dominus, & tuam indeficientem magnificat fidem, quomodo de tenebris gentium processit lumen tantum, qualiter de errore deum non cognoscentium tanta manifestata est iustitia, & ex ore stultorum idolis seruientium tam lympida effulsit fides. Audiens ergo dominus admirabatur eum. Et quod deus vnigenitus miratur quātam sit, aut quale, inenarrabile & inæstimabile, percipe sensum charissime, quod deo nihil est mirabile, nec aurum nec diuitiæ, nec regna, nec principatus: ista omnia sunt in conspectu eius tanquam vmbra & sicut nihil, vel flos decidens. Nihil ergo mirabile in conspectu dei magnum, vel preciosum, nisi tantum vna fides: hanc miratur honorificans, hanc acceptabilem sibi existimat. Ideóque cōuertēs se ad sequētes turbas ait: Amen dico vobis, hoc est,

A & nondum robusti: ideóque timemus, ideóque trepidamus. Necdum vidimus crucem, necdum nos confirmauit passio domini, & resurrectio, nó ascēsio in cœlos, nec promissi descensio sancti spiritus paracleti: propterea fragilitate nutamus, propterea & sæpius audiuimus à domino increpationem pusillæ fidei. Supportamus, toleramus libenter, volūtarie sustinemus. Vnde & núc dicit Dominus: Quare turbati estis pusillæ fidei? Cur nó habetis fortitudinem? Cur non habetis confidētiam, & fiduciam apud me tenetis? Et si mors irrueret, nónne eam debuistis cōstantissime sustinere? Ad omne enim quicquid euenerit fortitudo necessaria est, ad omne periculum vel tribulationem vsque ad exitum animæ. Similiter & circa delitias, & diuitias, & terrenos honores, animi fortitudo tenenda est, vt neque extollaris ô homo, neque in superbiam erigaris, nó despicias inimicos, nec humilē spernas, neque obliuiscaris dominū, neque derelinquas creatorē, nec existas ingratus. Si ergo in necessitate, & in periculis fortitudo necessaria est, vt viriliter cū fide toleres vniuersa: multo magis circa delitias, vt dictum est. & luxurias fortitudo necessaria est, ne in decipulam incidas diaboli. Quare turbati estis pusillæ fidei? Si potētem me super terrā cognouistis, quare nó creditis quod & in mari potens sim. Si deum me vere esse & creatorem omnium suscepistis, quare nó creditis quòd
B ea quæ à me facta sunt in mea habeam potestatem? Quare ergo dubitastis pusillæ fidei? qui pusillum credit, arguetur: & qui nihil credit, contemnetur. Fragiles in fide corripiētur, alieni omnino à fide punientur. Tales fuerunt Iudæi & Pagani, ideo in malis suis euanuerunt: tales hæretici, ideóque in die iudicij damnabuntur. Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est trāquillitas magna.] Scriptum fuit: Et exurrexit tanquam dormiens dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos in posteriora. Et nunc surgens imperauit ventis & mari,
Psal. 17. & facta est tranquillitas magna. Imperauit ventis & mari sicut creator, sicut suis, vt potens, vt dominus imperauit ventis & mari. Primitus ante discipulos, vt audientes firmarentur in fide, & potentia diuinitatis occulta, imperabat & comminabatur ei, magis autem regebat & placabat illud, secundum quod quidam ait. Imperauit ergo ventis & mari, & facta est tranquillitas. De magno vēro, & tempestate magna mari conturbato & tumēti, facta est tranquillitas magna. Decet hunc magnum magna & miranda facere, ideo paulo ante magna accinctus potentia magnifice conturbauit profundum maris: & nunc iterum in eo ipso ostendens suæ magnificentiam maiestatis, tranquil-
C litatem magnam fieri iussit. Hoc ideo, vt nimium conturbati apostoli magnifice exhilarati lætarentur. Dedit enim
Patientia & tolerantia. per hæc omnia nobis figuram dominus. & doctrinæ imaginem, vt & nos in omni conturbatione, & cōtumelia patientiam teneamus, stabiles simus, fidem non deseramus. Et si omnis iste múdus tāquam mare ebulliat, atque in furorem consurgat, & si omnes venti & vertigines dęmonū vndique sæuiāt, & si omnes (vt diximus) tempestates maris, id est omnes principatus, & potestates mundi concitētur, & in tumore iracundiæ spument, vt surgāt super sanctos, & si adhuc vsque ad cœlos sese extullant, vt tempestates maris, malignitates, & dolos, & fremitus concitent aduersus aliquem vestrum, nolite timere, nolite turbari, nolite contremiscere, concitantes aduersus aliquem ve-
Ecclesia nauicula. strum nolite deficere. Omnes enim quotquot in fidei nauicula cum domino nauigatis, omnes quotquot in hac nimirum sanctæ ecclesiæ nauicula cum domino per hunc vndosum supernatatis mundum, et ipse dominus pio dormiat somno, vestram patientiam & tolerantiam expectās, vel impiorum pœnitentiam & conuersionem sustinens, alacriter accedite ad eum orationibus instātes, atque cum
Psal. 43. propheta dicētes: Exurge, quare obdormis domine? exurge, & ne repellas in finem. Et iterum: Exurge domine adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum. Et ipse surgens imperat ventis, id est aeris dæmonum spiritibus: ipsi enim maris tempestates commouēt; hoc est amaros concitant & elatos fluctus, huius principes mundi, ad perse-
cutiones omnibus sanctis immittendas, ad cōtumelias fidelibus ingerēdas. Omnibus dominus imperat, omnibus D comminatur, omnia mitigat, facitque trāquillitatem magnam circa opus & spiritum, pacem ecclesiæ, & serenitatem mundo. Scitis nanque quomodo sæpius consilia infidelium commota sunt aduersus veram & firmam ecclesiā, aliquoties hæreticorum, aliquoties paganorum, quam cōminantes & cōterentes huius principes mundi per omnia perdere se ecclesiæ filios arbitrantes. Sed surgēs Dominus increpauit ventos dęmonum, & omnes euanescere fecit audaces aduersarios fidei, magnámque pacem & trāquillitatem dedit ecclesiæ suæ. Homines autem illi in nauicula mirati sunt.] Qui homines? scilicet hanc habētes nauiculam, & ei intendentes nauiculæ. Non putes hic apostolos significatos: nusquam enim inuenimus pręter honorē dictos discipulos, sed semper aut apostuli, aut discipuli nominantur. Mirabantur ergo hi homines, hi qui cum eo nauigabant, hi quorum erat nauicula, hi qui in eadem nauicula sese transferebant. Hi mirabantur, & admiratione dignum fuit, mare ac profundum commotum mitigari, eiúsque elatos deplacari fluctus, ventos furentes compesci. Mirabantur ergo dicentes: Qualis est iste, quia vēti & mare obediunt ei.] Non interrogantes dicunt qualis est iste: sed asserentes quia iste talis est cui venti & mare obediūt. E
Qualis est iste, hoc est quantus, quàm fortis, quam potēs, *Exod. 14.*
quam magnus. Qualis est iste, maior Moyse, potētior He- *4. Reg. 2.*
lia. Illi enim ambo, quorum vnus ligno mari percusso cū labore discedit, alius ictu melotæ Iordanem transiit. Iste verò vno verbo mandat illis qui non habent verba, & obediunt ei qui nó habent auditum, & obtemperant ei. Hi qui prudentiæ & intellectus expertes sunt, inclinantur iubenti. Quibus neque loquela, neq; (vt diximus) sermo, obediūt. In eadem autem substantia in qua sunt, & sua natura mouentur, & eius iussioni deseruiunt, ad confusionem mortalium, ad condemnationem corruptibilium. Iubet mari, & non contemnit: dicit ventis & tempestatibus, & mox compescuntur: iubet & omni creaturæ, & nó supergreditur iussionem eius: & vnum hominum genus & vnum quod secundum similitudinem dei honoratum est, cui verbum & prudētia data est, hi soli homines resistūt, hi tātum inobediētes sunt, hi soli contemnūt. Ideóque & hi in iudicio damnabuntur, & à iustitia punientur, velut deteriores mutis animalibus, vel iis quæ sine spiritu & anima sunt in isto mundo. Mirabātur ergo illi quia mare cōpescitur, & venti mitigati sunt: admiremur & nos quando F benignitates & beneuolētias ostēdit circa nos dn̄s quādo nos de periculis saluare dignatur, quando de tumultibus nos liberat, quando ab inimicis insequentibus eruit nos. Miremur, & mirantes gratias agamus, grati obediamus, obedientes timeamus, timentes diligamus, vt æternæ charitatis ab eodem hæredes efficiamur. Mirabantur dicētes: Qualis est iste. Sicut homo videtur, & sicut deus potētiam ostendit, sicut vnus carnalium putatur esse, & super omnia carnalia, magna ostendit mirabilia. Dormit sicut homo, & imperat mari & ventis sicut deus. In nauicula sedet, & omnem creaturam iussione inclinat vbi vult Iesus Christus Dominus noster, qui cum patre & spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis. Matthæi 15. Homilia Septima.

Mira res ô Euāgelista: Et ecce mulier. Caput peccati, arma diaboli, expulsio paradisi, delicti mater, corruptio legis antiquæ. Et ecce mulier veniebat ad Dominum Iesum. Mulier Chananæa, mulier alienigena, de gentibus nouella plantatio. Mirum *De gentibus nouella plantatio.* negotium: Iudæi fugiunt, Chananæa sequitur, domestici derelinquunt, alienigena hæret, iungere & proximare cupit. Et ecce mulier de finibus illis egressa clamabat dicens: Miserere mei Domine fili Dauid. Mulier hæc Euangelista efficitur. Probauit enim diuini consi-

G lij sacramentum, quando & diuinam virtutem obsecratur, & carnis naturam confitetur, dicens: Miserere mei domine fili Dauid. Cōsidera pulchram mulieris mentem, vide quid dicat: Non est bonum inquit, in actibus meis, non mihi de conuersatione iustitia: ad misericordiam tuā confugio, vbi nō cedit, nec requirit locus saluandi. Et quomodo ausa est mulier legis ignara, tam iniqua, sic abrupte accedere ad fontem salutis? Non petiit Iacobum, non rogauit Ioannem, non accessit ad Petrum, sed hos intermittens quid dicit? Non est mihi necessarius fideiussor. Suscepit in se pœnitentiæ patrocinium, & sola cucurrit ad dominum, tenet eum in voce, & dicit: Miserere mei domine fili Dauid. Ideo descendisti, ideo carnem suscepisti, vt ego loquar ad te, & cum fiducia petam. Cherubin aspectum eius tremunt in cœlo, & in terra mulier non formidat: Angeli metuunt in excelsis, & mulier non erubescit in terris. Instat opportune, & vocē suam exaggerat dicens: Miserere mei fili Dauid. Non habeo opus sponsore, per me accedo, per me obsecro miserere mei. Quid tibi opus est? Misericordiam quæro. Quid pateris? Dolorem quem nō suffero. Quid habes? Filia mea captiua tenetur. Quid illi est? Male à dæmonio vexatur. Et quid nunc? Miserere mei domine, pignus meum consumitur, & par corporis mei violatur. Opinio iniqua exit de filia mea. Noli me vereri peccatricem, & miseram, quoniam tu es deus qui secreta considerss. Filia mea male à dæmonio vexatur. Quid desideras? Vt liberetur de plaga. Mirabilis luctus concludit
H viscerum meum, & animam meam perturbat sæua tempestas, Quid faciam, nescio: patitur misera, nec sentit tormenta, nec mortem scit timere, nec vitā sperare: Miserere mei. Iacet confusa, & causam tormenti ignorat. Me aspice domine, me exaudi cū fiducia peto, vide diuturna vulnera mea. Illa patitur, & ego deficio: passio eius pauorē cunctis incutit, cunctis sum spectaculum. Quid faciam, aut quò vadā, nescio. Non possum ab illa diuelli, non potest sola derelinqui: non enim de foris venit, sed intus est expugnator, in se habet hostem inclusum & gladium. Nauis est quæ de se concutit tempestatem, non inuenio nomen passionis eius. Miserere mei domine fili Dauid. Vtinā defuncta fuisset filia mea priusquàm sic viueret. Si enim mortua fuisset, & sepulta, transacto iam tempore oblita fuissem, nec meminissem vulneris, aut doloris. Nunc verò cadauer est semper in domo mea, casa mea sepulchrum eius, augetur quotidie vulnus meum, augescit & opprobrium, quoniam video oculis meis toruum aspectum torqueri, manu crinis vittas dissolui & dilacerari, spumas ex ore diffundi, dari voces & mugitum horrendum, sæuire intus inuisibilem inimicum, & pugnam manifestam. Miserere mei domine, quoniam filia mea erat, & facta est dæmonis esca. Non audeo illi proximare, non ausa sum contingere, prohibet me pauor, expellit ipsa passio dura. Miserere mei fili Dauid.

I Qui ex vobis patres fuerunt, adiuuēt verba mea: quæ matres, lachryment vnà mecum, quia non sufficio exponere dolorē quem mulier ista sustinet. Miserere mei fili Dauid. O prudentia fœminæ, non iuit ad homines seductores, nō secuta est vates fallaces, non quæsiuit inanes ligaturas, aut ad falsa confugit præsidia, sed omnem relinquens diaboli cultum venit ad dominum Iesum omnium saluatorem, & dicit: Miserere mei domine fili Dauid, filia mea male vexatur. Vidisti sensum mulieris, probasti sapientiam eius, sed vide aliud nouum & inexpertum negotium: petit & obsecrat, & lamentum suum produxit in clamorem, & amator omnium deus non respondit ei verbum. Tacet fons vitæ, & pius medicus continet medicinam, & abnegat curam. Quid est hoc? nescio. Si non quærentes contemnis, quare non suscipis pulsantem mulierem? O sapiētia medici. Dominus, inquit, non respondit ei verbum: quapropter, nisi vt detegeret sapientiæ eius veritatem? Propterea dicunt ei discipuli: Dimitte eam, quia clamat post nos. Sed omnipotens deus vitam mulieris, virtutémque pēsabat. Et quid ait? Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Nihil proficiunt nec ipsi apostoli suggerentes: velox medicus differt magis curam, & exulcerat vulnus, & potestatem suam arte quadam excusat, vt latentia panderet sacramenta. K Non sum (inquit) missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Hic modo considerate sermonem, & ad verba mea dirigite intellectum, quoniam profundam volo comparationem exponere. Non sum (inquit) missus nisi ad oues perditas Israel. Quid est hoc verbum? Quæ est ista excusatio tua? Nunquid ideo te corpore velasti, vt vnum tantummodo angulum liberares? & integrum relinquens orbem, Pontum & Asiam, Ægyptum & Ciliciam & Cappadociam, & reliquas nationes, & de Israel tantummodo curans relinquis terram desertam, nationes despectas, & solis Iudæis factus es liberator? Non vides iniuriam patris tui in falsis simulacris, & dæmonum cærimoniis exercere? An non etiam hoc prophetę vulgarunt? Quid dicit affinis tuus Dauid? Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem terminos terræ. Quid Esaias qui oculis suis respexit? exurget virga de radice Iesse, qui dominabitur omnibus gentibus, & in eum fines terræ sperabūt. Quid Iacob patriarcha dixit? Non deficiet princeps de Iuda, & dux de femoribꝰ eius, donec veniat dominator omnium cui destinatum est dominium, & hic est expectatio gentium. Quid enim Zacharias propheta? Propter nos (inquit) claudentur portæ æreæ, quoniam ab ortu solis vsque ad occasum gloriabuntur nomen domini in omni loco, & effundentur libamina ante ipsum. Dauid ipse quid iterum dixit? Omnes gentes plaudite manibus, iubilate deo in voce exultationis, quoniā deus excelsus, terribilis, L rex magnus super omnem terram. Denique quando natus es in carne quos vocasti? Nonne Magos? Nunquid venisti vocare prophetas, qui ipsam salutem gentibus cecinerunt? Apostolos etiam cum mitteres, quid eis mandasti? Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Et nunc misera hæc mulier acris doloris stimulis coarctata rogat te, & obsecrat pro filia sua vt eam à funesta passione absoluas: modo dicis: Nō sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Venit ad te Centurio rogans pro puero, & dixisti: Ego veniēs curabo eum. Pendenti latroni paradisum reserasti: Paralytico imperasti, dicens: Surge, tolle lectum tuum & ambula. Lazarus vocatus de monumento rediuiuus surrexit: varia quoque languorum genera verbo sanasti: Latronem liberasti, Meretricem virginibus prætulisti, & solam miseram hanc mulierem Chananæam despicis deprecantem. Quid est hoc verbum, miraculum inauditum? Nunc intendite vt sciatis quale compendium incipit reuelare. Quando liberatus est Israel à plagis Ægyptiorum, & à Pharaonis exercitu, transiuit populus per desertum, præcepit dominus in lege Iudæis, vt non communicarent Chananæis, nec conuenirent cum eis, quoniam sine lege erant idola colentes. M Præcepit etiam dominus in lege Iudæis, vt non mercarentur cum eis, nec connubia in semine eorum miscerent, ne per hoc à suis legitimis priuarentur, & profanis idolorum cultibus iungerentur. Aspice & considera & intende quæ dico, quia adhuc in textura est tela. Mulier ista Chananæa de gente immunda, quibus non licebat communicare cū eis. Quid ergo? Sub lege venerat dominus vt adimpleret, non vt solueret legem. Igitur si ad momentum audisset mulierem, dicere haberent Iudæi: Ideo te non audimus, nec sequimur, quoniam soluis legem. Præcepit omnis lex abstinere à Chananæis, propter hoc tacet dominus, propter hoc non respondit mulieri. Vide quomodo legem conseruat, vt Iudæos confundat dicens: Quisnam vestrum arguet me de peccato? Ecce non respicio ad mulierem Chananæam, ecce clamat sine causa, obsecrat, & non exauditur. Ecce quomodo teneo legis formam: ne dicatis, quoniam præteristi legem ideo nō credimus in te. Ergo non ex me, sed ex vobis est error. Obmutescite itaque propter obseruantiam legis, ecce populus quem non cognouimus seruire festinat. Nolite itaque argumento his occasionibus vti. Ecce à non cognoscentibus me cognitus sum, & à cognitis ignoratus. Ecce alienigenæ obsecundant, & domestici refugiunt. Hæc est itaque prima causa, qua distulerit dominus respondere

Perstringit saeculi sui mores.

Silentium Christi.

Christum ad gentes quoque missum.

Psal. 2. *Esa. 11.* *Gen. 49.* *Psal. 46.* *Matt. 2.* *Mat. 28.* *Matt 8.* *Mat. 9.* *Ioan. 11.* *Deut. 7.*

Iudæis cū Chananæis mercatum prohibitum.

Mat. 5. *Ioan. 8.*

Prima causa cur Chananæę non responderit dominus.

A spondere mulieri. Propterea perstitit domino in clamure dicens: Adiuua me domine.] Ad hoc tamen ipse respondit: Non licet tollere panem filiorum, & mittere canibus.] Qui sunt filij? Iudæi quos confundit, dicens quia fuerunt filij, & facti sunt canes, de quibus Paulus dicit: *Phil. 3.* Videte canes, videte maloa operarios, videte interfectores. Nos verò qui velut canes eramus de gentibus, facti sumus *Gal. 3.* filij eorum radice, quos ita exhortatur Paulus. Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Excusat ergo Iudæos quum dicit: Non licet tollere panem filiorum & mittere canibus. Sed quid respondit mulier? Etiam domine potes, si velis. O mulier violenta: Dominus dicit: Non licet: & illa dicit: Etiam domine potes si velis. Oblita verecundia, & intermisso pudore conatur vincere dominum. Dominus dicit: Nun licet tollere panem filiorum & mittere canibus: & illa respondet: Etiam domine sum quod dicis, canem me vocas, canis sum, cognosco nomen meum, confundis me, sed non recedam à te. Canis sum, sequar te quasi canis, vt porrigas mihi aliquid. Non quæro panem filiorum, da mihi vel micas quas catuli manducant, quæ cadunt de mensa dominorũ suorum. O certamen pietatis, O prudentia fœminæ. Canis *Certamen pietatis.* sum domine, sum etenim. Itaque nutri me velut canem, quia non possum relinquere mensam domini. Sed quia B canem me appellas, saltem porrige mihi micas. Dixisti causam meam, distulisti petitiones meas, & manifestasti conditionem meam: adiuua me nunc, quoniam catelli edunt de mensa dominorum suorum. O mulier accepisti *Altera causa cur tacuerit dominus.* subito laudem, & inuenta es electis electior: idcirco tacet dominus. Ideo distulit & protraxit vt mentem tuam penderet, & viuam de te produceret vocem. Si enim statim vt cœpisti petere, accepisses, recessisses, & nemo fidem tuã probasset, nullúsque mentis tuæ cognouisset arcanum. Nunc autem quia intelligis dei virtutem, & sic te pure cognoscis vt dicas, etiam catelli edunt de mensa dominorum suorum, laudo te, & ego tibi dico: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.

Homilia de Epiphania domini, quam multi putant esse Adamantij Origenis, licet non plene stilum eiusdem redoleat. Idcirco sicut inter eius opera comperta est, ita inter eadem reponere curauimus. Et est octaua.

Phil. 2. HOdie verus sol ortus est mundo. Hodie In tenebris seculi nomen exortum est. Deus factus est homo, vt homo fieret deus. Formam dominus serui accepit, vt seruus verteretur in do- C minum. Hodie cœlorum habitator & conditor habitauit in terris, vt homo colonus terræ migraret in cœlum. O *De Christi natiuitate.* dies omni sole lucidior. O tempus à cunctis seculis expectatius. Quod præstolabantur angeli, quod Cherubim & Seraphim & cœlorum mysteria nesciebant, hoc in nostro tempore reuelatum est. Quod illi videbant per speculum & per imaginem, nos cernimus in veritate. Qui loquebatur in Israelitico populo per Esaiam, Hieremiam, & cæteros prophetas, nunc nobis per filium loquitur. Vide- *1. Cor. 13* te quid sit inter Vetus testamentum & Nouum. In illo lo- *Heb. 1.* quebatur per nubilum, nobis loquitur per serenum: Ibi *Exod. 3.* deus uidebatur in rubo, hic de virgine deus nascitur. Ibi ignis erat populi peccata consumens, hic homo est populi peccata dimittens, immo dominus ignoscens seruis suis. *Luc. 2.* Nemo enim potest peccata dimittere nisi solus deus. Siue *Matth. 3.* hodie natus est dominus Iesus, siue hodie baptizatus, diuersa quippe opinio fertur in mundo, & pro traditionum varietate sententia est nobis, illud constat ad liquidũ quòd siue hodie natus ex virgine est, siue renatus in baptismo, & natiuitas carnis & spiritus nobis proficit. Vtrunque mysterium meum est, vtrunque vtilitas mea est. Dei filius non habebat necessarium vt nasceretur & baptizaretur: neque enim peccatum fecerat quod ei remitteretur in baptismo, sed illius humilitas nostra sublimitas est: illius crux, nostra victoria est: illius patibulum, noster triumphus. Gaudẽtes

leuemus hoc signum, in humeris nostris victoriatũ vexil- D la portemus. Immortale lauacrum portemus in frontibus nostris. Cum dæmones viderint, contremiscent. Qui aurata capitolia non timent, crucem timent. Qui contemnunt scepta regalia, & purpuras Cæsarum & dapes, Christiani sordes & ieiunia pertimescunt. Denique in Ezechiele propheta cum omnes quos missus fuerat angelus occidisset, & tot erfectio cœpisset à sanctis, illi tantummodo sospites reseruantur, quos T tau literæ, id est crucis pictura signauerat. Exultemus itaque fratres charissimi, & ad crucis similitudinem sanctas in cœlum leuemus manus: cum sic nos dæmones armatos viderint, opprimentur. Quando Moyses erectas habebat manus, vincebatur Amalech. Si paulu- *Exod. 17* lum illæ conciderant, inualescebat. Antennæ nauium, velorum cornua, sub figura nostræ crucis volitant. Aues quoque ipsæ quando in sublimiora obuoluuntur & pendent per aera extensis alis, imitantur crucem. Sed & trophæa ipsa, & victoriæ triumphorum ornatæ cruces sunt: Quas nõ solum in frontibus, sed & in animabus quoque nostris habere debemus, vt cum sic fuerimus armati, calcemus su- *Psal. 90.* per aspidem & basiliscum in Christo Iesu: cui est gloria cum deo patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Cum venerit filius hominis in maiestate sua & omnes angeli eius cum eo, tunc sedebit in sede maiestatis suæ. Et reliqua, Matthæi XXV. E

Homilia Nona.

EVangelicus quidem sermo videtur esse manifestus, quasi exhortans homines ad dandum & largiendum, & auertens ab omni inhumanitate & parcitate. Videamus tamen quid quærere in eo oportet propter illos qui aliud nihil arbitrantur in eo nisi exhortationem humanitatis. Certe secundum *De aduentu Christi glorioso.* gloriosum Christi aduentum fore credit omnis ecclesia, quando & filius dei qui assumptus est in gloria, sic cum gloria huc reuertetur in specie sua & pulchritudine sua, vt corpus eius sit quale fuit cum transformatus esset in monte discipulis tribus coassistentibus ei, vt iam non tribus, nec aliis paucis, sed vniuersis gentibus congregatis ante eum appareat. Et sedebit super sedem gloriæ suæ, & tunc *Act. 1.* segregabit bonos & malos.] Quantum ergo pertinet ad simplicem textum, nec qui à dextris consistunt alia causa laudantur, & in præparatum regnum vocantur, nisi propter humanitatem solam: nec qui sunt à sinistris alia causa confunduntur & deputantur in ignem, nisi propter inhumanitatẽ. Quid ergo si isti qui humani fuerunt, circa virtutes cæteras negligentes fuerũt, consequentur talia hæc pro- F missa? aut illi qui non fuerunt humani, si alias impleuerunt virtutes, maledicti erunt omnino, & igne sunt condemnãdi, & hoc cum ipso diabolo? Vides ergo quod necessariam habet sapientiam sermo. Item tractandum est vtrum in loco futurus est saluatoris aduentus in gloria, an alteram expositionem debemus exquirere. Quis enim locus ille erit, vt accipiat omnes angelos venientes cum Christo in vno aspectu, & omnes gentes illic congregatas? Et de sede gloriæ eius quid est dicendum? Putas corporale aliquod subsellium erit? an etiam hoc opus interpretationem habet subtiliorem? Propterea qui vult omnia rationabiliter intelligere, multam sapientiã inueniet & in istis. Et periculosum quidem est de huiusmodi rebus exponere, sed ne propter intellectus difficultatem plenius tacẽtes derelinquamus eos qui mouentur in his ad fluctuãdũ: pauca de multis secũdum quod possibile est, exponamus. Existimo ergo quoniam erit tempus aduentus Christi, quin imo tãta manifestatio futura est Christi & diuinitatis eius, vt non solũ nullus iustorũ, sed nec aliquis peccatorum ignoret Christũ secundũ quod est, quando & peccatores cognoscent in cõ- *Iudicium extremũ.* spectu suo sua delicta, & iusti manifeste videbunt semina iustitiæ suæ ad qualem eos perduxerunt finem: & hoc est quod dictum est: Congregabuntur ante eum omnes gẽtes. Cognoscẽt Christũ secundũ quod est, nec ipsi quod

G videntur cognoscere palam eum cognoscunt: sed in fidem intrant homines in conspectu eius quando cognitionem eius accipiunt per fidem, sicut scriptum est: Intrate in conspectu eius in exultatione. Quin magis recte dicuntur omnes gentes ante eum congregandæ & constituendæ, quando palam omnibus tam bonis quam malis, tam fidelibus quàm infidelibus fuerit factus manifestus ante oculos mentis eorum, iam non fidei aut diligentiæ alicuius inquisitione repertus, sed ipsius suæ diuinitatis manifestatione probatus. Non enim in aliquo quidem loco apparebit filius dei cum venerit in gloria sua, & in altero nõ apparebit, sed sicut in se secundum comparationem fulguris exeuntis aduentum suum voluit demonstrare, dicens: Si dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in domo, nolite credere. Sicut enim fulgur egreditur ab oriente, & apparet vsque in occidentem, sic cum venerit filius hominis in gloria sua. Propter quod vbique futurus est, ipse in conspectu omnium erit vbique, & omnes vbique erunt in conspectu ipsius, & sic constituetur ante sede gloriæ eius, hoc est ante regnum eius, & potestatem dominationis eius. Sedes autem eius, aut certe quidam perfectiores dicuntur sanctorum, de quibus scriptum est: Quoniam illic sederunt sedes in iudicio: aut quædam virtutes angelicæ, de quibus dicitur: Siue sedes, siue dominationes. Ergo rex seculorum deus verbum, qui & in forma factus est hominis, sedebit super huiusmodi sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ad eum omnes gentes iam non dispersæ in

Matt. 24.

Eph. 1.

H dogmatibus falsis, & multis de eo, & sic erunt ante eum: vt non localiter audiamus iustos ea dicturos quæ sunt dicturi. Quandiu ergo confusi sunt iniqui, nec se cognoscentes, nec Christum in erroribus tenebricati tenentur, & iusti quandiu per speculum & in ænigmate vident, & ex parte seipsos cognoscunt, non secundum quod vere sunt, tandiu non sunt segregari boni à malis. Cum autem propter manifestationem filij dei, omnes ad intellectum venerint suum, tunc saluator segregabit bonos à malis. Oues autem dicti sunt qui saluantur propter mansuetudinẽ quam didicerunt ab eo qui dixit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Et propter hoc vsque ad occisionẽ parati fuerunt venire imitantes Christum, quia sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce: & non simpliciter sine voce, sed coram tondente, id est coram auferente quæ sunt ipsius & dispiciente. Hœdi autem dicuntur mali, qui aspera & dura saxa male ascendunt, & per præcipitia eorum incedunt. Sic intelligi mihi videtur, & sanctos à dextris, qui dextera opera operati sunt, & plenius sunt conuersi ad iustitiã quæ semper à dextris est dei. Propterea secundum dignitates actuum suorum dextrorum à dextris consistunt, & accepetunt mercedem suorum dextrorum dexteram regis, in qua gloria & requies est. Qui autem ob peruersitatem vitæ

1. Cor. 13

Matt. 11.

Es. 53.

I seipsos separauerunt à dextris, propter opera sua pessima & sinistra ceciderunt in sinistram: id est in tristitiam tormentorum damnati quòd à sinistris consistunt. Et dicet ad eos qui sunt à dextris, inuitans eos ad se, Venite: vt quicquid minus fuerat eis, cum perfectius vniti fuerint Christo consequantur audientes Venite, & facientes. Tale est quidem & quod dicit apud Lucam: Auferte talentum ab eo, & date ei qui habet decem. Ei autem qui non habet, & hoc quod videtur habere auferetur ab eo. Vocat autem illos addito: Benedicti patris mei: vt eminentia benedictionis eorum manifestetur, qui benedicti sunt à domino qui fecit cœlum & terram: & forsitan quia sunt aliqui benedicti inferiores, qui quidem benedicti sunt non autem patris. Accipite regnum quod vobis paratũ est ab origine mundi.] Quod in latino habet constitutionem, in græco habet depositionem mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare & c.] Videtur mihi per hæc quia vnius iustitiæ species remuneratur: sicut existimant multi. Absurdum est enim nihil aliud intelligere virtutis in eo qui ita remuneratur, nisi tantum communicationem humanitatis. Non autem hoc dicimus vt negligentius studeamus humanitati, cum sit omnibus fidelibus

Luc. 19.

Benedicti à domino.

præcipue obseruanda: sed vt omnibus adiuti superna gratia virtutibus æqualiter aut pene æqualiter studeamus, vt propterea ex omnibus omnem benedictionem percipiamus in cœlestibus in Christo Iesu. Necesse est enim, vt qui studiosus est det cibum & potum, & vestimentum Christo esurienti & sitienti & algenti in sanctis, vt hoc modo & peregrinum colligat, & infirmum visitet, & eat ad eum in carcerem. Vere autem siue secundum simpliciora facta intelligamus, siue secundum spiritualia, certum est quoniã siue hoc siue illo modo quis faciat opus bonũ, & nutriat animas spiritalibus cibis, siue qualemcunque speciem boni operis quis fuerit operatus ꝓpter deũ, Christo esurienti & sitienti dat cibũ & potũ: siue quæ fecimus sanctis qui sunt diuites meritis, pauperes rebus, siue in quibuslibet qui meritis pauperes sunt, & si fuerint diuites rebus, siue in qualibuscunque causis mandatũ Christi quis fecerit, Christum cibat & potat, qui fidelium iustitiam & veritatem manducat & bibit. Item Christo algenti teximus vestimentum, accipientes sapientiæ textuitam à deo, vt per doctrinam aliquos doceamus, & induamus eos viscera misericordiæ, castitatem, mansuetudinem, humilitatem, cæterásque virtutes. Quæ omnes virtutes spiritualia sunt vestimenta eorum qui audiunt doctrinam docentium eas, secundum eum qui dicit: Induite vos viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, & c. magis autem & ipsum Christum qui super hæc omnia fidelibus est, secundum eum qui dicit. Induite dominũ Iesum. Cum ergo huiusmodi vestimentis vestiuerimus vnum de mini- K

Col. 3.

Indumẽtum spirituale.

mis in Christo credentibus, ipsum dominum videmur vestisse, vt ne quantum ad nos est nudum sit verbum dei in mundo. Sed & peregrinum dei filium construxium debemus induere, & domesticos corporis eius peregrinos in mundo ab omnibus actibus: sicut & ipse de se & de discipulis suis dixit: Et isti non sunt de hoc mundo, sicut & ego non sum de hoc mundo. Et quærit Christus cum suis animam vbi succedat. Quando ergo præparamus cor nostrum diuersis virtutibus ad receptaculum eius, vel illorũ qui sunt ipsius, ipsum peregrinantem suscipimus in domũ pectoris nostri, facientes cœnaculum magnum, mundatũ & ornatum ad susceptionem Christi peregrinantis in mũdo, cæterorúmque discipulorum ipsius. Quorum enim verbum suscipimus, ipsos suscepisse videmur in nobis, & ipsum Christum cuius baiulant verbum. Item in infirmitatis hominibus siue à fide, siue ab aliquo opere bono, aut scandalum patientibus, Christus infirmatur & scandalum patitur, sicut ipse dixit ad Petrum quæ carnis sunt sapientem, scandalum mihi es. Sed & omnes discipuli eius dilecti simul cum tabulis infirmantur, & scandalum patiuntur dicentes: Quis infirmatur, & nos non infirmamur? Quis scandalizatur & non vrimur nos? Et si discipuli confir- L

Ioan. 7.

Luc. 22.

Matt. 16.

2. Cor. 11.

mantur infirmis, quanto magis ipse saluator & creator ipsorum? Nam quem maior misericordia tenet hominum infirmorũ, grauius constringit infirmitas talis. Cũ ergo vnum fratrem infirmatorum visitauerimus aut per doctrinam, aut per increpationem aut per consolationem: aut per cibos, aut per errorem iudicij, aut opera alicuius bona faciens, & cum fecerimus melioratum in Christo, ipsum Christum visitauimus infirmum, & cæteros discipulos talibus passionibus coinfirmantes refrigerauimus, sicut Paulus ad Philemonem dicit: Gaudium enim magnum habuimus & consolationem in charitate tua, quia viscera sanctorum requieuerunt per te frater. Et ne putes blasphemiam infirmum dicere Christum. Ipse enim in infirmitate est crucifixus propter misericordiam, & ipse infirmitates nostras tulit, & omnes nos ipsius. Deinde omne quod hic est, carcer est Christi, & eorum qui sunt ipsius: propterea eamus ad eos qui in domo vinculorum istorum habentur, & quasi in carcere sunt in hoc mundo degentes, quasi in carcere naturæ necessitate constricti. Cum ergo abierimus ad tales, & omne opus bonũ fecerim⁹ in eis, visitauim⁹ eos in carcere, & Christũ in eis. Videamus autem nisi generaliter hæc intellecta, & ad simplicem humanitatem exhortãtur, & ad omnia laudabilia M

Visitare fratres Christum.

Philem. 1

Es. 53.

A dabilia facta, vt benedictionem domini dicentis: Venite benedicti patris mei, consequi valeamus digne. Nó autem iusti obliti eorum quæ egerunt, tunc responderunt ei dicentes: Domine quando te vidimus esuriétem &c. sed humilitatis causa laude benefactorum suorum indignos se proclamantes. Ipse autem volens eis ostendere suam passionem, in suis eam pronunciat esse, in quibus fuerunt fratres eius, dicens: Amen dico vobis, ex eo quod fecistis vni minimorum fratrū meorum, mihi fecistis. Videamus núc quid dicit iustis: Venite benedicti patris mei: iniustis autē: Discedite à me. Cum fuissent vtique, intelligimus impletum in eis quod dictum est: Omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo. Nam propinqui sunt verbo qui seruant dei mandatum: vocantur adhuc vt magis propinqui efficiantur, audientes: Venite benedicti patris mei. Longe autem ab eo sunt, & si videantur assistere ei qui nó faciunt mandata eius: propter hoc tolletur ab eis quòd sibi videātur assistere, audientes: Imò discedite à me maledicti in ignem æternum: vt qui modo vel vidétur esse ante eū, postea non videantur. Propter quod & nos debemus cōseruare ne audiamus & ipsi quasi elongantes nosipsos à domino: Discedite à me: & omnia faciamus vt dicat ad nos:

B Venite benedicti patris mei. Cōsiderandum est autē quoniam in sanctis non solum dictum est benedicti, sed cum additamento patris mei, non qualemcunque honorē habentes: id est benedicti non alicuius alterius nisi dei patris. E contra autem quibus dicitur maledicti, non dicitur maledicti patris mei. Nam benedictionis quidem minister est, maledictionis autem vnusquisq; sibi est autor, qui maledictionis dignam operationem habemus. Qui autē recedunt à Iesu, decidunt in ignem æternum, qui alterius generis est ab hoc igne quem habemus in vsu. *Ignis æternus.* Nullus enim ignis inter homines est æternus, sed nec multi tēporis: extinguitur enim cito. Aeternus autem est ignis de quo dicit Esaias in fine prophetiæ suæ: Vermis eorū non morietur, & ignis non extinguitur. *Esa. vlt.* A plerisque conscientia accipitur peccatorum quæ torqueat in suppliciis constitutos, quia vitio suo atque peccato tanto caruerūt bono, iuxta illud quod dicitur: Versatus sum in miseriis dum infigitur spina, & in Prouerbiis: Tinea ossium, cor intelligens, & iterum: Sicut tinea vestimentum, & vermis lignum, sic excruciat mœror cor viri. *Psal. 31. Prou. 25.* Ita duntaxat, vt non negent præuaricatorum & deum negantium ęterna supplicia, dicēte domino: Ligate ei manus & pedes, & mittite eum in tenebras exte-

C riores, ibi erit fletus & stridor dentium. Si manus audiuimus & pedes, & tenebras exteriores, quæ oculorum pœna est lumen dei non videntium, & fletum qui vtique & ipse ad oculos pertinet, & stridorem dentium, miror quosdam aereum corpus, & paulatim in auras tenues dissoluēdum post resurrectionem introducere, quia dominus potétia maiestatis suæ ad apostolos ingressus est ianuis clausis: qui certe & ante resurrectionem pendulo super mare ambulauit incessu, & hoc ipsum apostolo præbuit Petro, vt qui fide ambulauit, infidelitate postea mergeretur. Cui dictum est, quare dubitasti modicæ fidei? *Mat. 22. Aereum corpus atque hic error affectus est Origen. Mat. 14. Ioan. 6.* Ignis quoque iuxtà id accipiendus quod & vermis, qui tam diu habeat materiam, qua vorax flāma pascatur. Si quis igitur habeat in conscientia sua zizania quæ inimicus homo dormiente patrefamiliâs superseminauit, hæc ignis exuret, hæc deuorabit incendium, & omnium sanctorum oculis eorū supplicia monstrabuntur, qui pro auro & argento & lapide pretioso ædificarunt super fundamētum domini fœnum, stipulam, lignum ignis pabulum sempiternum. *Matt. 13. 1. Cor. 3.* Porrò qui volunt aliquando supplicia finiri, & licet post multa tempora, tamen terminum habere tormenta, his vtūtur testimoniis. *Etiā hic error affectus fuit Origen.* Cum intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus fiet. Et iterum: Conclusit deus omnia sub peccato, vt omnibus misereatur. Et in alio loco dicitur, vel loquitur sanctus: Iram domini sustinebo, quia peccaui ei, donec iustificet causam meā, & auferat iudiciū meum & educat in lucem. Et rursum: Benedico te domine quoniam iratus es mihi, auertisti faciem tuam à me, & misertus es mei. *Rom. 11. Mich. 7. Psal. 59. Osea 14. Psal. 30.*

Orig. Tom. 2.

D Dominus loquitur ad peccatorem: Cū ira furoris mei rursum sanabo. Et hoc est quod alio loco dicitur: Quàm grādis multitudo bonitatis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te. Hęc autem replicāt affirmare cupientes post cruciatus atque tormenta futura refrigeria, quæ abscondenda sunt ab his quibus timor est vtilis, vt dū supplicia formidant, peccare desistant. Quod nos dei solius debemus scientiæ derelinquere, cuius non solum misericordiæ, sed & tormenta in pondere sunt, nouit quem, quomodo, & quādo debeat iudicare: solúmque dicamus quod humanæ cōuenit fragilitati: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Et sicut diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerūt in corde suo nō est deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum, & tamē Christianorum, quorum probāda sunt atque purganda in igne opera, moderatam arbitramur & mixtam clementiæ sententiā iudicis. *Purgatorium Christianorū.* De quo igne dicitur in Iob: Deuorabit eū ignis qui non succēditur. *Iob. 20.* Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennę. Ignis nāque corporeus, vt esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis: qui cū necesse est vt seruetur, per cōgesta ligna nutritur, nec valeret nisi succensus esset, nisi refotus subsistere. At contra gehēnę ignis cū sit corporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurit, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione nō indiget, & ardore non caret. *Ignis gehennæ corporeus.*

E Omnipotentis ergo dei iustitia futurorum pręscia ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. *Mat. 25.* Sciendū verò est quòd omnes reprobi, qui anima simul & carne peccauerunt, illic in anima pariter & carne crucientur. Cúmque hoc ita sit, considerandum est quoniam regnum quidem non aliis pręparatum dicit à constitutione mūdi, nisi iustis, & ideo reddet eis illud rex eorum Christus. Ignē autem æternum nō illis quibus dicitur: Discedite à me maligni, paratum ostendit, sicut regnum iustis, sed diabolo & angelis eius: quia quantum ad se homines non ad perditionem creauit, sed ad vitam & gaudium.

Maria stabat ad monumentum foris plorans. Et reliqua. Ioannis vigesimo. Homilia de Maria Magdalena, numero Decima.

IN præsenti solennitate locuturi auribus vestræ charitatis dilectissimi, amor venit ad memoriā, quomodo beata Maria Magdalene dominum nostrum super omnia diligendo, discipulis fugientibus, eum ad mortem euntem sequebatur, ac veri amoris igne succensa, nimio ardens desiderio indesinenter plorans à monumento non recedebat. F Maria enim (vt ait euangelista) stabat ad monumentum foris plorans. Audiuimus fratres Mariam ad monumentū foris stantē. Audiuimus & plorantem: videamus si possumus cur staret, videamus & cur ploraret. Prosit nobis & illius stare, prosit & illius plorare. Amor faciebat eam stare, & dolor cogebat eam plorare. Stabat & circunspiciebat, si forte videret quem diligebat. Plorabat verò, quia sublatum existimabat quem quærebat. Dolor renouatus erat, quia prius doluerat defunctum, & nunc dolebat sublatum. Et iste dolor maior erat, quia nullam consolationem habebat. Prima fuit causa doloris quia viuum perdiderat: sed de hoc dolore aliquantulum consolationem habebat, quia mortuum se retinere credebat. Nunc autem de isto dolore consolari non poterat, quia corpus defuncti non inueniebat. Metuebat ne amor magistri sui in pectore suo frigesceret, si corpus eius non inueniret, quo viso recalesceret. Venerat autem Maria ad monumentum, deferens, secum aromata & vnguenta quæ parauerat, vt sicut antea pedes viuentis vnguento pretioso vnxerat, sic & nunc totum corpus defuncti & vnguento vngeret, & aromatibus condiret: & sicut prius ad pedes eius lachrymas fuderat, fleuerat prius, & lachrymis suis pedes eius rigauerat pro morte animæ suæ, veniebat nunc ad mo- *Luc. 7.*

G numentũ lachrymis rigare pro morte magistri sui. Quom autem non inuenisset corpus in monumento, labor vngendi periit, sed dolor lugendi creuit, defuit obsequio qui non defuit dolori, defuit quem condiret: sed non defuit quem ploraret, eóque magis plorabat quo magis ille deerat. Plorabat enim vehementer Maria, quoniam additus erat dolor super dolorem eius, duósque dolores eximios vno gestabat in corde: quos mitigare lachrymis volebat, sed non valebat. Et ideo tota posita in dolore, méte & corpore deficiebat, & quid ageret ignorabat. Quid enim mulier ista poterat agere nisi plorare, quæ & intolerabilé habebat dolorem, & nullũ inueniebat cõsolatorem? Petrus quidem & Ioannes venerant cum ea ad monumétum, sed non inuento corpore abierunt ad semetipsos: Maria autẽ
Ioan. 20. stabat ad monumentum foris plorans, & quasi desperãdo sperans, & sperando perseuerans. Petrus & Ioãnes timuerunt, & ideo non steterunt. Maria autem nõ timebat, quia nihil suspicabatur sibi superesse quod timere deberet. Perdiderat enim magistrũ suum, quem ita singulariter diligebat, vt præter ipsum nihil posset diligere, nihil posset sperare. Perdiderat vitam animæ suæ, & iam sibi melius arbitrabatur fore mori quàm viuere, quia forsitan inueniret moriens, quem inuenire non poterat viuens, sine quo ta-
H men viuere non valebat. Fortis est vt mors dilectio. Quid
Cant. 8. enim aliud faceret mors in Maria? Facta erat exanimis, facta insensibilis, sentiẽs nõ sentiebat, videns nõ videbat, audiens non audiebat: sed neque ibi erat vbi erat, quia tota ibi erat vbi magister erat, de quo tamẽ vbi esset nesciebat. Quærebat eum & non inueniebat, & ideo stabat ad monumentum & plorabat, tota lachrymabilis, tota miserabilis. O Maria quid spei, quid consilij, aut quid cordis erat
Magdalena constantia. tibi, vt sola stares ad monumentum discipulis abeũtibus? Tu ante illos venisti, & cum illis redisti, & post illos remansisti. Cur hoc fecisti? Sapiebas plus illis, aut diligebas plus quàm illi: quia non timebas vt illi? Certe nihil modo sapiebat Maria nisi diligere, & pro dilecto dolere. Oblita erat timere, oblita erat gaudere, oblita erat seipsam, oblita erat denique omnia præter illum quem diligebat super omnia: & quod mirabile est, sic erat oblita vt etiam ipsũ non cognosceret. Credite mihi, si ipsum cognosceret, in monumento eum non quæreret: & si verba illius corde retineret, non de mortuo doleret, sed de viuente gauderet, nec de sublato ploraret, sed de resurgente exultaret. Dixerat enim Iesus quod sic moreretur, & quod die tertia resurgeret: sed, pro dolor, nimius dolor cor illius repleuerat, & memoriam horum verborum deleuerat, sensus nullus in ea remanserat, omne consilium in ea perierat, spes omnis defecerat, solummodo flere supererat.

I Flebat ergo quia flere poterat, & dum fleret inclinauit se & prospexit in monumentum, & vidit duos angelos in albis sedentes, vnum ad pedes, & vnum ad caput, qui dicunt ei: Mulier quid ploras? O Maria, ecce magnam consulationem inuenisti, & forsitan melius tibi contigit quam sperasti. Nam tu quærebas vnum, & duos inuenisti. Quærebas mortuum, & viuentes reperisti. Reperisti eos qui de te curam videntur habere, & qui volunt dolorem tuum lenire: ille verò quem quæris, dolorem tuum negligere, lachrymas tuas non videtur respi-
Matt. 7. cere. Vocas eum, & non audit: oras, & non exaudit: quæris illum, & non inuenis: pulsas, & non aperit: tu sequeris illum, sed fugit. Heu quid est hoc? Heu quã magna mutatio! Heu quomodo mutatum est in contrarium? Iste enim est Iesus qui modo recessit à te. Et quomodo? Forte nescis
Luc. 10. an diligat te. Olim te diligebat, olim à pharisæo te defendebat, & à sorore tua diligenter excusabat. Olim laudabat te, quando vnguẽto pedes ipsius vngebas, lachrymis rigabas, & capillis tergebas dolorem tuum mulcebat, peccata
Ioan. 11. dimittebat. Olim quærebat te cum non adesses, vocabat te cum abesses: mandabat tibi per sororem tuam vt ad se venires. Magister adest, & vocat te. O quàm cito surrexit Maria vt audiuit, quã sollicite venit, & solito more cecidit ad pedes tuos. O bone Iesu. Tu quoq; cũ vidisti eã lachrymantẽ lachrymatus es. O quã pie consolando eam dixisti:
K Vbi posuistis eũ? Denique pro dilectione eius quæ multũ dilexit te, fratrẽ eius Lazarũ suscitasti, & plãctum huius dilectricis tuæ in gaudiũ conuertisti: & ô dulcissime magister, quid post hęc peccauit in te hęc discipula tua, aut in quo postea offendit dulcedinẽ cordis tui hęc amatrix tui, quia sic recedis ab ea? Nos post hęc nullũ aliud peccatũ de ea audiuimus, nisi quia quando sepultus fuisti ante omnes valde mane venit ad monumentum tuum, ferens vnguenta quibus vngeret corpus tuũ: & cũ non inuenisset te in monumẽto, cucurrit & nũciauit hæc discipulis tuis. Illi venerũt, viderunt & abierũt: hæc autẽ stat & plorat. Si hoc peccatum est, negare nõ possumus quin ipsa hoc faciat: si autẽ peccatum non est, sed est amor tui, & desiderium quod habet de te, quare sic recedis ab ea & abscondis te, tu qui diligis omnes diligentes te, & qui inueniris ab omnibus quęrẽtibus te? Tu enim dicis, Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilauerit ad me inueniet me. Ergo mulier ista quę valde mane vigilat ad te, quare nõ inuenit te? Quare nõ consolaris lachrymas quas fundit pro te domino suo, sicut consolatus es lachrymas quas fudit pro fratre suo? Si enim solito more eam diligis, quot desiderium eius tamdiu protrahis? O verax magister & fidelis, recordare testimonij *Luc. 10.*
quod olim reddidisti Marthę sorori eius. Dixisti enim: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Vere L
optimam partem elegit Maria, quia elegit stare ad pedes tuos, & audire sermones tuos. Vere optimam partem elegit, quia te elegit. Sed quomodo verum est, Quæ non auferetur ab ea, si tu es ablatus ab ea? Quod si ab ea non est ablata optima pars quam elegit, vt quid plorat? aut quid quærit? Certe Maria nihil aliud quærit nisi quod elegit: & *Iob. 7.*
propter hoc solum plorare non desinit, quia quod elegit nunc perdidit. Ergo ô custos hominum, aut tu partem quã elegit custodi in ea, aut ego nescio quomodo verum est, Quæ nõ auferetur ab ea. Nisi & hoc ita intelligatur, quod licet tu sis ablatus ab oculis eius, tamen non es ablatus à corde eius. Sed ô Maria quid iam amplius moraris? quid turbaris? quid ploras? Ecce habes angelos, sufficiat tibi angelorũ visio: quia forsitan ille quẽ quæris, quẽ ploras, sentit aliquid in te propter quod non vult videri a te. Pone iã finẽ dolori tuo, sit modus lachrymis tuis. Recordare quid *Luc. 23.*
ipse dixerit tibi & alijs mulieribus, Nolite flere super me. Ergo quid est hoc quod facis? Ipse prohibuit flere, & tamẽ tu non desinis flere. Timeo ne plorando ipsum offendas, pro quo sic incessanter ploras. Nam si ipse amaret lachrymas tuas, non posset forsitan vt olim, tenere lachrymas suas. Nunc audi consilium meum. Sufficiat tibi angelorum consolatio, mane cum illis, interroga illos, & forte sciunt quid factum sit de eo quem quæris & quem ploras. Ego M
certe credo quod ipsi ad hoc venerunt, vt testimonium de ipso perhiberent: & credo quod ille quem ploras, misit eos pro se & pro te, vt annuncient resurrectionem suam, & consolẽtur deplorationem tuam. Dicunt enim ei: Mulier quid ploras? quæ est causa tanti doloris tui? Non abscondas a nobis lachrymas tuas, aperi nobis animum tuũ, & nos indicabimus tibi desiderium tuum. Maria nimio dolore confecta, tota in excessu mentis posita: nullam recipit consolationem, & ad nullum tendit consolatorem: sed intra se cogitat dicens: Proh dolor, qualis est ista consolatio, qualis est ista visitatio? Onerosi mihi sunt omnes consolatores, grauant me & non consolantur. Ego autem quæro creatorem, & ideo mihi grauis est ad videndum omnis creatura. Nolo angelos videre, nolo cum angelis manere, quia possunt dolorem augere, & non possunt penitus delere. Si cœperint mihi multa narrare, & si voluero illis ad omnia respondere, timeo ne amorem meum magis impediant quàm expediant. Denique ego non quæro angelos, sed eum qui fecit me & angelos. Non quæro angelos, sed meum & angelorum dominum. Tulerunt Dominum meum: ipsum solum quæram, ipse solus me potest consolari. Sed nescio vbi posuerunt eum. Circumspicio si viderem illum, & non video: vellem inuenire locum in quo positus est, & non inuenio. Heu me miseram, quid agam? quò ibo? quò enim abiit dilectus meus?

A lectus meus? Quæsiui eũ in monumẽto, & nõ inueni: vocaui eũ, & nõ respõdit mihi. Heu me vbi eũ quærã, vbi eũ inueniam? Surgam certe, & circuibo omnia loca quę potero, non dabo somnum oculis meis, non dabo requiem pedibus meis donec inueniam illum quem diligit anima mea. Effundite lachrymas oculi mei, plorate & nolite deficere. Ambulate pedes mei, discurrite, & nolite quiescere. Heu heu quò abijt gaudium meum, vbi latet amor meus? vbi est dulcedo mea? Cur dereliquisti me salus mea? O dolores, ô angustiæ intolerabiles. Angustiæ sunt mihi vndique, & quid eligam ignoro. Si iuxta monumentũ maneo, ego illum non inuenio: si à monumẽto recessero, nescio infęlix quò vadam, nescio vbi eum quæram. Discedere à monumento, mors mihi est: stare ad monumentum irremediabilis dolor est. Melius autem mihi sepulchrum domini mei custodire quàm ab eo longius ire. Si enim lõgius abiero, forte quum rediero ipsum sublatum inueniam, & sepulchrum destructum. Stabo igitur & hic moriar, vt saltem iuxta sepulchrum domini mei sepeliar. O quàm beatum corpus meum, si fuerit sepultum prope magistrum meum. O quàm fęlix anima mea, quæ egrediens de vase fragili corporis mei, mox poterit ingredi in gloriosum sepulchrum domini mei. Corpus meum semper fuit animæ meæ labor & dolor, sepulchrum domini mei erit mihi requies & honor. Hoc ergo sepulchrum non deseram, quia
B ita mori erit consolatio mea, & in morte mea erit requies mea. Viuens iuxta illud manebo, moriens illi adhærebo: nec viua nec mortua ab illo separabor. Heu me infælicem. Quare hæc tunc ego non prospexi, quando dominũ meũ sepeliri conspexi? quare cum eo non steti? quare monumentum tunc perseuranter non custodiui? Nunc certe non plorarem sublatum, quoniam aut prohibuissem, aut sublatores subsecuta fuissem. Sed proh dolor ego volui obseruare legem, & dimisi dominum legis. Legi obediui, & eum cui lex obedit non custodiui: quamuis cum Christo manere non fuisset legem trãsgredi, sed adimplere. Pascha enim ab isto defuncto non contaminatur, sed renouatur. Mortuus iste non polluit mundos, sed mundat immũdos. Sanat omnes tangentes se, & illuminat ad se accedentes. Sed quid recolo dolorem meum? Abij, redij, monumẽtum apertum inueni, ipsum autem quem quærebã non inueni. Stabo itaque & expectabo, si forte alicubi appareat. Sed quomodo stabo sola? Abierunt discipuli, & me solam plorantem reliquerunt. Nusquam apparet qui mecum doleat, nusquam apparet qui mecum magistrum requirat. Apparuerunt angeli, sed nescio pro qua causa apparuerunt. Si me consolari deberent, causam pro qua ploro non ignorarent: si enim non ignorant pro qua ploro, cur dicunt mihi, quid ploras? An ideo interrogant vt me plorare prohibeant? Quæso non mihi suadeant, non hoc moneant, alio-

Passim alludit ad centones canticorũ Salomonis.

C quin interficiant. Quid plura? Ego illis non obediam, & dum viuo plorare non desinam, donec dominum meum inueniam. Sed quid faciam vt illum inueniam? Quò me vertam? ad quem ibo, à quo consilium petam? Quem percontabor? Quis mei miserebitur? Quis me consolabitur? Quis indicabit mihi quem diligit anima mea, vbi positus sit, vbi cubet in meridie, vbi quiescat? Quæso munciate illi quia amore lãgueo, & dolore deficio, nec est dolor sicut dolor meus. Reuertere dilecte mi, reuertere dilecte votorum meorum. O amabilis, ô desiderabilis, redde mihi lętitiam salutaris præsentiæ tuę. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. O spes mea, ne confundas me ab expectatione mea. Demonstra mihi faciem tuam, & sufficit animę meæ. Dum Maria sic doleret & sic fleret, cum hęc dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & nesciebat quia Iesus est. Dixit ei Iesus: Mulier, quid ploras? & quẽ quæris? O desiderium animę suę cur interrogas eam quid ploras, & quem quæris? Ipsa paulo ante coram oculis suis cum magno dolore cordis sui viderat spem suam suspendi in ligno, & tu nunc dicis, Quid ploras? Ipsa die tertia viderat manus tuas, quibus sæpe benedicta fuerat, pedes tuos quos deosculata fuerat, & quos lachrymis rigauerat,

Cant. 5.

Iesu & Magdalenę colloquium.

cruce clauis affigi, & tu dolor eius nunc dicis, quid ploras? D
Viderat te expirantem spiritum suum, videlicet spiritũ tuũ, & tu dicis, quid ploras? Nunc insuper corpus tuum sublatum existimat, ad quod vngendum, vt se quoquo modo consolaretur, veniebat, & tu dicis, quid ploras? quem quęris? Tu scis quia te solum quærit, te solum diligit, pro te omnia contemnit, & tu dicis, quid quæris? Dulcis magister ad quid quæso prouocas spiritum huius mulieris? ad quid commoues animam eius? Tota pendet in te, tota manet in te, tota sperat de te, & tota desperat de se. Ita quærit te, vt quærens nihil quærat, nihil cogitet præter te. Ideoque forsitan non cognoscit te, quia non est in sese, sed propter te est extra se. Quur ergo dicis quid ploras? quem quæris? An putas quod ipse dicat, te ploro, te quæro, nisi tu prius inspiraueris & dixeris in corde eius, ego sum quem ploras & quem quæris? An putas quod ipsa cognoscat te, quamdiu volueris celare te? At illa existimans quia hortulanus esset, dixit ad eum: Domine, si tu sustulisti illum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. O dolor miserabilis, amor inenarrabilis. Mulier ista, quia densa nube doloris obtecta non videbat solem, qui mane surgens radiabat per fenestras eius, & per aures corporis sui, iam intrabat domum cordis sui: sed quoniam amore languebat, isto languore sic oculi cordis eius caligabant, vt non videret quem videbat: videbat enim Iesum, sed nesciebat si esset Iesus. O Maria si quæris Iesum, cur non cognoscis Iesum? Et si cognoscis Iesum, quid quęris Iesum? Ecce Iesus venit ad te, & quem quęris quęrit a te Mulier quid ploras? Et tu eum hortulanum existimas, vt ipsum non cognoscas. Etenim Iesus est & hortulanus, quia ipse seminat omne semen bonum in horto animæ tuæ, & in cordibus fidelium suorum. Ipse omne holus plantat bonum, & rigat in animabus sanctorum, ipse est Iesus qui tecum loquitur. Sed forsitan eum ideo non cognoscis, quia tecum loquitur: mortuum tu quæris, & ideo viuentem non agnoscis. Nõne in veritate comperi hanc esse causam pro qua à te recedebat, & pro qua tibi nõ apparebat? Cur enim tibi appareret quẽ nõ quęrebas? Tu certe quęrebas qđ nõ erat, & nõ quærebas qđ erat. Tu quærebas Iesũ, & nõ quærebas Iesũ. Ideoq; vidẽdo Iesum, nesciebas Iesum. O pie & dulcis magister, non possum omnino excusare hanc discipulã tuam, non possum libere defendere hunc errorem eius, & tamen errabat, quia talem te requirebat qualem te viderat, & qualem in monumento positum reliquerat. Viderat quippe defunctum corpus tuum de cruce deponi, & in monumento reponi: tantúsque dolor inuaserat eam de morte tua, vt non posset sperare de vita tua: & tantus dolor inuaserat eam de sepultura tua, vt nihil posset cogitare de resurrectione tua. Denique Ioseph posuit in monumento F
corpus tuum, Maria sepeliuit ibi pariter spiritum suum, & ita indissolubiliter iunxit, & quodammodo vniuit eum cum corpore tuo, vt facilius posset separare animam se viuificantem à viuificato corpore suo, quam spiritum suum te diligentem à defuncto corpore tuo. Spiritus enim Mariæ magis erat in corpore tuo quàm in corpore suo: cúmque requirebat corpus tuum, requirebat pariter spiritum suum: & vbi perdidit corpus tuum, perdidit cum eo spiritum suum. Quid igitur mirum si sensum non habebat quæ spiritum amiserat? Quid mirum si te nesciebat, quæ non habebat spiritum quo scire debebat? Redde ei itaque spiritum suum quem habet in se corpus tuum, & mox recuperabit sensum suum, & relinquet errorem suum. Sed quomodo errabat quæ sic pro te dolebat, & sic te amabat? Certe si errabat, indubitanter dico quod ipsa errare se ignorabat, & sic error non procedebat ab errore, sed ab amore & dolore. Igitur misericors & iuste iudex, amor quem habebat in te, & dolor quem habebat pro te, excuset eam apud te, si forte erret de te: nec attendas ad mulieris errorem, sed ad discipulæ amorem, quæ non pro errore, sed pro dolore & amore plorabat, & dixit tibi, Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollã. O quam scienter nescit, & quàm docte errat. Angelus da-

E (margin, beside "set Iesus. O Maria si quæris Iesum")

Iesus quã rectè hortulano similis.

Mat. 27. Luc. 23.

A ORIGENIS ADAMANTII D

PRESBYTERI PRÆFATIO IN EXPLANATIONEM

sancti Pauli ad Romanos, diuo Hieronymo translatore.

Causa difficultatis epistolæ ad Romanos.

QVod cæteris apostoli Pauli epistolis difficilior putatur ad intelligendum hæc quæ ad Romanos scripta est, duabus mihi videtur fieri ex causis. Vna quod elocutionibus interdum confusis & minus explicitis vtitur. Alia, quod quæstiones in ea plurimas mouet, & eas præcipue quibus innitentes hæretici astruere solent, quod vniuscuiusque gestorum causa non ad propositum debeat, sed ad naturæ diuersitatem referri: & ex paucis huius epistolæ sermonibus totius scripturæ sensum qui arbitrij libertatem concessam à deo homini docet conantur euertere. Propter quod deprecantes prius deum qui docet hominem scientiam, & qui dat per spiritum verbum sapientiæ, quique illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vt dignos nos facere dignetur intelligere parabolas & obscuros sermones dictáque sapientium & ænigmata, ita demum explanationis Pauli ad Rom. contingemus exordium, præmittentes hæc quæ ab studiosis obseruari solent, quòd videtur Apostolus in
B hac epistola perfectior fuisse quam in cæteris. Etenim cum
1. Cor. 9. primam ad Corinthios scriberet, erat quidem in magnis profectibus, aliquid tamen de seculo vt nutabundus eloquitur, cum dicit: Sed macero corpus meum & seruituti subiicio, ne forte cũ aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar. *Apostolum paulum profecisse.* Sed & ad Philippenses scribens quiddam in se minus adhuc esse illius quam postea assecutus est perfectionis ostendit, *Phil. 3.* cum dicit conformari se morti Christi, si quomodo occurrat in resurrectionem quæ est à mortuis. Non enim diceret si quomodo, si ea iam res indubitata videretur. Sed in consequentibus eiusdem epistolæ hæc eadem
Ibidem. ostendit cum: Nõ quod iam consecutus sim, aut iam perfectus sim, sequor autem vt comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo. Fratres ego me ipse non arbitror apprehendisse. Quod si quis putat per humilitatem dictũ, videat in cõsequentibus quam magna de profectibus suis memoret cum dicit: Vnum autem ea quidem quæ retro sunt obliuiscens, & ad ea quæ in ante sunt me extendens, secundum propositum sequor ad palmam supernæ voca-
Duplex perfectio. tionis dei in Christo Iesu: & post hoc dicit: Quicunque ergo perfecti sumus hoc sentiamus. In quo ostendit duplicẽ esse perfectionem: vnam quæ est in expletione virtutum, secundum quam dicit quod non sit perfectus: & aliam cum ita quis proficit vt decidere non possit, neque retrorsum aspicere: secundum quam dicebat: Quicunque ergo
C perfecti sumus hoc sentiamus. Quomodo ergo docebitur perfectior iam secundam ad Corinthios scripsisse quàm primam? Ex his sine dubio quæ in scripta referuntur, cum
2. Cor. 4. dicit: Tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur sed non exaporiamur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus. Semper mors Iesu in corpore nostro manifestatur. qui ergo mortẽ Iesu in corpore suo circunferebat nũquã in eo cõcupiscebat caro aduersus spiritũ, sed erat ei subiecta, vt pote mor-
Gal. 6. tificata ad similitudinẽ mortis Christi. Quod si dicat nobis aliquis hæc verisimilia nõ videri, quia nõ multũ temporis inter primã epistolã fuerit ac secundã, potest ex eo euidentius noscere, quod in prima epistola eiectum eum qui fue-
2. Cor. 6. rat incesti scelere pollutus, & traditum Satanæ in interitũ carnis, vt spiritus saluus fieret, in secunda iam reuocat, & ecclesiæ membris associat. Quod vtique non faceret, nisi processu temporis dignos in eo fructus pœnitentiæ peruidisset, & quod iam caro interitum quem designarat Apostolus suscepisset, peccato scilicet & vitiis mortua, vt ita demum viueret deo. Cum ergo tantum spatij fuerit quo peccator incestus salutem spiritus laudabili carnis interitu recepit, quomodo nõ putandum est multo vel ociore cur-

su Apostolum quæ perfecta sunt assecutum? Sed in illis quidem iste eius fuerit profectus: quantum autem sublimior & eminentior sit ad Romanos scribens, ex ipsius epistolæ sermonibus colligamus, in qua dicit: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? *Rom. 8.* Sicut scriptum est: Quia propter te morte afficimur tota die, existimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superuincimus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors neque vita, neque angustia, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque alia vlla creatura, poterit nos separare a charitate dei, quę est in Christo Iesu domino nostro. Veritatẽ dico in Christo, & in spiritu sancto. *Rom. 9.* Nunquid videtur eadem sublimitate mentis dixisse: *1. Cor. 9.* Macero corpus meum & seruituti subiicio, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar: qua & hic dicit, quia in his omnibus superamus, &c: Certus sum enim quia neque mors, neq; vita, neq; angustia, neque principatus, & cętera quę scripsit, poterit nos separare à charitate dei. His igitur nobis prout potuimus de sensu eius in hac epistola E iam perfectiore conceptis, etiam illud haud absurde admonebimus, quod videtur hanc epistolam de Corintho scribere, & aliis quidem pluribus indiciis, euidentius tamen ex eo quod dicit. Commendo autem vobis Phœben *Rom. 16.* sororem nostram ministram ecclesiæ quæ est Cenchris. Cenchris enim dicitur locus Corintho vicinus, imò portus ipsius Corinthi. Et ex hoc ergo appatet de Corintho scripta, & ex eo quod dicit: Salutat vos Caius hospes me⁹. De quo Caio scribens Corinthiis commemorat dicens: Gratias ago deo meo quod neminem vestrum baptizaui *1 Co. 1.* nisi Crispum & Caium. Simile & deinde datur indicium vbi dicit: Salutat vos Erastus ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως arcarius ciuitatis. De quo Erasto ad Timotheum secundam *2. Tim. 4* scribens dixit: Erastus remansit Corinthi. Ex quibus omnibus colligi certissima videntur indicia, quod de Corintho scripta sit. *Loci communes obscuriores in hac epistola.* Illud sanè non parũ cedit ad intelligentiæ difficultatem, quod multa de lege Moysi in hac eadem connectuntur epistola, de vocatione gentium, de Israel secundũ carnẽ, & de Israel qui non est secundũ carnẽ, de circumcisione carnis & cordis, de lege spiritali, lege literæ, de lege carnis, & lege membrorum de lege mentis, & de lege peccati, de interiore & exteriore homine: quæ singula prædixisse sufficiat: in his enim cõtinentia haberi videtur epi- F stolę. nunc iam prout viam nobis dominus aperire dignatur, ad explanationem ipsius quantocyus properemus.

Prima nobis quæstio de nomine ipsius Pauli videtur *Act. 9.* exurgere, cur is qui Saulus dictus est in Actibus apostolorum, nunc Paulus dicatur. *De Sauli & Pauli nominibus.* Inuenimus in scripturis diuinis quibusdam veterum commutata vocabula, vt ex Abram vocatus sit Abraham, ex Sarai Sara, & ex Iacob Israel. In euangelijs quoque ex Simone Petrus, & filij Zebedæi filij *Gen. 17.* tonitrui nuncupati sunt. *Gen. 35.* Sed hæc ex præcepto dei legimus facta, nusquam verò erga Paulum inuenimus tale quid *Mar. 3.* gestum. *Act. 18.* De qua re quibusdam visum est, quod Pauli proconsulis, quem apud Cyprum Christi fidei subiecerat, vocabulum sibi Apostolus sumpserit, vt sicut reges solent deuictis (verbi gratia) Parthis Parthici, & Gotthis Gotthici nominari, ita & Apostolus subiugato Paulo Paulus fuerit appellatus. Quod ne nos quidem vsquequaque euacuandum putamus. Tamen quia nulla talis in scripturis diuinis consuetudo deprehenditur, magis ex his quæ in exemplo nostris sunt, absolutionem quæramus. Inuenimus igitur in scripturis aliquantos binis, alios etiam ternis viros esse nominibus, vt Salomonem, eundemque Ididia dici, *Plura nomina habentes.* Sedechiam, eundémque Ioachim, Oziam, eundém-

G que Azariam: Aliósque plurimos in Regum vel Iudicum libris, binis nominibus inuenies vocitatos. Sed nec euāgelia quidem hunc euodem tenuunt mutem. Nam & Matthæus ipse refert de se, quod cum transiret Iesus, inuenit *Luc. 9.* quendam sedentem ad telonium nomine Matthæum: Lu- *Matt. 10.* cas verò de eodem dicit: quia cum transitet Iesus, quendā vidit publicanum nomine Leui, & dixit ei, sequere me. Sed & idem Matthæus in cathalogo apostolorum dicit post multos, Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi, & Lebbæus, & Simon Chananæus. Marcus verò ita refert. Matthæus publicanus, & Thomas, & Iacobus Alphæi, & Thaddæus. Hunc eundem quem Matthæus Lebbæum, Marcus Thaddæum posuit: Lucas verò ita posuit: Mat- *Luc. 6.* thæus, Thomas, Iacobus, & Iudas Iacobi. Igitur eundem quem Matthæus Lebbæum, & Marcus Thaddeum dixit, Lucas Iudam Iacobi scripsit. Certum est autem euangelistas non errasse in nominibus apostolorum: sed quia mo- K ris erat binis vel ternis nominibus vti Hæbræos, vnius eiusdemque viri diuersa singuli nominum vocabula posuere. Secundum ergo hanc consuetudinē videtur nobis Paulus duplici vsus esse vocabulo: & donec quidem gēti propriæ ministrabat Saulus esse vocatus, quod magis appellationi patriæ vernaculum videbatur. Paulum autem appellatum esse cum Græcis & gentibus leges ac præcepta conscribit. Nam & hoc ipsum quod scriptura dicit: Saulus au- *Act. 13.* tem qui & Paulus, euidenter non ei tunc primum Pauli nomen ostendit impositum, sed veteris appellationis id fuisse designat. Hæc ab ipso auctore operis omissa, nos quia id dictionis initiū videbatur exposcere, puto quod non inconuenienter præmisimus. Cætera iam de explanationum corpore, quibus poterimus compendiis exequemur.

INCIPIT LIBER PRIMVS

EXPLANATIONVM ORIGENIS IN EPISTOLAM PAVLI

Apostoli ad Romanos, secundum Hieronymi orthodoxi egregiique doctoris translationem ex Græco in Latinum. Cap. 1.

H *Rom. 8.* *Paulus cur seruus* PAVLVS seruus Iesu Christi.] De Paulo iam diximus, requiramus nūc cur seruus dicatur is qui alibi scribit: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis, in quo clamamus abba pater. Et iterum: Quia autem estis filij, misit deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem abba pater. Itaque iam non est seruus sed filius. Quomodo ergo cum etiam his quibus prædicabat, dicat quia iam nō est seruus sed filius, ipse se seruum profitetur? Siue id secundum illam humilitatem dictum putemus, quam dominus *Mat. 11.* docuit dicens: Discite à me quia mitis sum, & humilis cor- *1. Cor. 9.* de, non errabimus. Neque enim per hoc læderetur veritas libertatis in Paulo. Dicit enim & ipse: Nam cum liber sim ab omnibus hominibus, me seruum feci. Seruit ergo Christo, non in spiritu seruitutis, sed in spiritu adoptionis, quia omni libertate nobilior est seruitus Christi. Siue qua imi- *Ioan. 13.* tatur eius pronunciatum qui dixerat: Ecce ego sum in me- *Phil. 2.* dio vestrum, non sicut discumbens, sed sicut ministrans, & eius qui semetipsum exinaniuit formā serui accipiens, vt sicut iis qui in lege sunt, fit & ipse sub lege, & iis qui sine lege sunt, efficitur etiam ipse sine lege. ita & ipse pro iis qui adhuc serui sunt, & nondum per spiritum adoptionis in libertatem perducti filiorum, seruus efficiatur, contrarium non videbitur. Ad hoc potest etiam illud addi, I quod ad Corinthios scribens idem Apostolus: & de nuptiis vel castitate præcipiens, tanquam alieno nomine quædam de libertate ac seruitute interserit dicens: Seruus vocatus es, nihil cures, sed si potes liber fieri, magis vtere. *1. Cor. 7.* Qui enim in domino vocatus est seruus, libertus est domini: Similiter & qui liber vocatus est, seruus est Christi. Precio empti estis, nolite serui fieri hominū. Quæ vtique nonnullis contra rationem videntur inserta. Quid enim ad nuptiarū vel castitatis præcepta cōmemoratio seruitutis ac libertatis assuminur? Sed nos sensum Pauli ita intelligimus, quod seruum dicat eum qui iugali conditione cōstrictus est: quia mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir eius: & vir non habet potestatem corporis sui, sed eius mulier. Propter quod & in aliis dicit de eis, quia *Rom. 7.* non est seruituti subiectus frater vel soror, in talibus scilicet, quod in aliis eos seruituti sciret esse subiectos. Est ergo *1. Cor. 7.* seruus vocatus qui in coniugio positus venit ad Christū, cui dicitur: Seruus vocatus es, nihil ad te attineat: sed & si potes liber fieri, magis vtere: quod in cōiugibus alteri cōtinentiæ libertas, alteri generat periculum castitatis. Non enim debent nisi ex consensu ad tempus vacare orationi, & iterū in idipsum esse reuertēdum, ne eos tentet Satanas propter incontinentiam suam. Is ergo qui pro nexu coniugij seruus vocatus est, libertus est domini. Libertus enim neque ex integro liber, neque ex integro seruus est appellatus: si in cæteris virtutibus liber fuerit, si fidei, patientiæ, misericordiæ, iustitiæ tenuerit libertatem, libertus domini appellatur, vtpote qui pro actione virtutis liber sit, & pro L coniugali necessitate sit seruus. Liber verò est qui sine vxore per puritatē continentiæ venit ad Christū, qui tamē seruus Christi efficitur, dum ex integro virtutibus seruit. Pau- *Paulum* lus ergo (sicut quidā tradunt) cū vxore vocatus est: de qua *quidam* dicit ad Philippenses scribēs: Rogo te etiam germana cō- *coniugatū* par, adiuua illas quæ cum ipsa sunt. Ex cōsensu igitur liber *faciunt, a-* effectus seruū se nominat Christi. Si verò (vt aliis videtur) *lii nō itē.* sine vxore, nihilominus qui liber vocatus est, seruus est *Philip. 4.* Christi. Quid est autē seruū esse Christi? quid est seruū esse verbi dei: sapientiæ, iustitiæ, veritatis, & omniū omnino virtutum, quæ Christus est? Sed & illud (si videtur) in hoc loco addimus, quod sicut sciētia quæ nūc datur sanctis, est per speculū in ænigmate, & prophetia & vt cętera dona spiritus sancti ita & libertas quæ nunc sanctis præstatur, nō- *1. Co. 13.* dū plena libertas est, sed velut per speculū & in ænigmate: & ideo sancti seruos se esse dicunt ad cōparationē illius libertatis quę facie ad faciē tribuitur. Quomodo etenim potest in carne quis positus adipisci integram libertatem, vt in nullo iam seruiat carni? Sicut nec adoptionem filiorum quis in corpore positus habere ex integro potest. Atque vtinam hoc saltem obtineri possit in vita mortalium, vt seruus quis Christi ex integro fiat, nō carni, non sanguini, nō vanæ gloriæ, non cupiditati, non auaritiæ, non iracundiæ, non inuidiæ, sed qui soli Christo, id est omnibus simul virtutibus seruiat. Hæc de eo quod scriptum est, Paulus ser- M uus Iesu Christi. Vocatus Apostolus.] Hoc nomen, id est vocatus, quia ad omnes pertinet qui in Christo credunt, generale potest videri: sed vnusquisque secundum id quod in eo præuidet & eligit deus, aut apostolus vocatur, aut propheta, aut magister, aut liber ob vxore, aut seruus in cōiuge, & pro diuersitate gratiæ complerur illud quod scriptum est: Multi vocati, pauci electi. Sciendum tamen est *Matt. 22.* quod possibile est aliquem esse vocatum apostolum, aut *Mat. 26.* vocatum prophetam, aut vocatū magistrum, & si neglexe- *& 27.* rit vocationis suæ gratiam, decidere ex ea: sicut & Iudas qui etiam Apostolus vocatus est, & negligens vocationis suæ gratiam ex apostolo factus est prædo proditor. Et fuit quidem vocatus apostolus, sed non fuit electus apostolus. Sed & ille propheta qui in tertio Regnorum libro refertur prophetasse de Hieroboam, vocatus propheta fuit: si *Act. 1.* autem electus fuerit, ipsi discutite, quoniam quidem pro- *3. Reg. 13.* hibitus panem manducare in Israel, manducauit, & reuertendo captus est à leone. Sunt & multi vocati magistri per omnes ecclesias dei, & vocati ministri, sed nescio qui in his

magistri

A magistri electi sint, & ministri electi. Sic & quosdam puto vocatos quidem vt putentur pati pro Christo, non tamen electos, id est vocatos martyres: vt sunt illi qui post tormentorum agones & carcerem, non vsque ad finem in confessionis tolerantia perdurarunt. Est & vocata virgo, sed non electa, quæ scilicet virgo sancta non fuerit corpore & spiritu. Et est vocatus pastor, sed non electus, qui præest gregi quidem, & lacte eius vtitur, & lanis eius operitur,
Matth. 6. sed infirmum non requirit, & claudū non colligit, & fortem circumscribit in laborem. Ita est & vocatus abstinens, sed nō electus, scilicet qui ieiunat tristis, & exterminat faciem suam vt hominibus placeat. Sed & per singulos gratiarum gradus similiter inuenies multos quidem vocatos, paucos autem electos. Segregatus in Euangelium dei.]

In Paulo non sola generalis vocatio ad Apostolatū designatur, sed electio protinus secundum dei præscientiam subsecuta per hoc quod segregatus dicitur in Euangelium dei. sicut alibi ipse de se dicit. Cum autem complacuit deo qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per
Gal. 1. gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me. Quod tamen hæretici ad calumniam vocant, dicentes eum segregatum esse ab vtero matris suæ ob hoc quod in eo naturæ bonitas erat, sicut econtrario de his qui malæ naturæ sunt, dicitur in Psalmis, quia segregati sunt peccatores ex vte-
B ro. Nos autem dicimus quod neque Paulus fortuito, aut
Cur Paulus segregatus ab vtero ad Euangelij præconiū. naturali differentia electus est, sed electionis suæ causas in semetipso dedit ei, qui scit omnia antequam fiant: neque peccatores qui separantur à ventre, iudicij iniquitate separantur. Denique statim in consequentibus vide quid de eis dicat sermo diuinus. Scriptū est enim: Segregati sunt peccatores ab vtero, errauerunt à ventre, locuti sunt falsa. Si intelligamus quomodo statim vt de ventre matris procedunt peccatores, errauerūt vel locuti sunt falsa, pariter intelligimus quod iusti separantur à ventre. Ergo & Paulus
Gal. 1. quod segregatus in euangelium dicitur, & segregatus à vētre matris suæ, causas in eo & merita quibus in hoc segregari debuerit, vidit ille quem non latet mens. Præuidit enim quod abundantius quàm cæteri omnes laboraturus
2. Cor. 11. esset in euangelio, quod in fame & siti, in frigore & nuditate, periculis latronum, periculis fluminū, periculis ma-
1. Cor. 9. ris, prædicaturus esset euangelium Christi, sciens quod væ esset sibi si non euangelizaret, & quod maceraturus esset corpus suum, & seruituti subiecturus, ne forte cum aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur. Hæc ergo & his similia & alia multa in eo de ventre matris præuidēs iesoa pro his segregauit eum in euangelium. Si enim (vt hæretici putant) vel sortis incerto, vel naturæ melioris prærogatiua fuisset electus, nunquam vtique timuisset, ne si minus corporis sui frena tenuisset, euenire posset vt reprobus fieret,
C vel væ sibi esset futurum si euangelizare cessaret. Denique
Rom. 8. & ipse in consequentibus latius disserens ait: Quia quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, euidenter ostendens quod eos quos præsciuit deus tales futuros vt Christo se in passionibus conformarent, ipsos etiam conformes ac similes imaginis eius prædestina-
Præscientia præcedit prædestinationē uit & gloriæ. Præcedit ergo præscientia dei, per quā noscuntur qui in se labores & virtutes habituri sint, & ita prædestinatio sequitur: nec tamen rursus prædestinationis causa putabitur præscientia. Quod enim apud homines vniuscuiusque meritū pēsatur ex præteritis gestis, hoc apud deum iudicante ea futuris, & valde impius est qui in hoc non credit deo, vt quod nos in præteritis videmus, hoc ille videat in futuris. Segregatus in euangelium dei, inquit. In
Mar. 1. aliis locis scripturæ euangelium Christi esse dicuntur, sicut & Marcus euangelista scribit: Initium Euangelij Iesu Christi, sicut scriptum est in Esaia propheta: Verum quoniam Christus verbum est, &: in principio erat apud deum, & deus erat verbum, vnum atque idem dicit euangelium dei & euangelium Christi, vel quia ipse dominus
Ioan. 1. dicit: Ego & pater vnum sumus. Et iterum dicit ad
Ioan. 17. patrem: Omnia mea tua sunt, & tua mea, & glorifi-
Gal. 2. catus sum in his. Ergo & euangelium patris euangelium filij est. Sed & Paulus dicit: Euangelium meū quod prædico inter gentes. Quod fortassis vt hæres Christi dicit D & tanquam in Euangelio cohæres, quia & alibi etiam plu-
2. Cor. 4. rimorum dicit esse Euangelium sicut ad Galatas: Sed & si velatum est Euangelium nostrum, id est omnium qui cohæredes sumus Christi. Verum & secundum hoc quod ipse prædicator eius est, recte suum dicit esse Paulus Euangelium.

Quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo.] Verū simpliciter accipi debeat euangeliū per scripturas propheticas à deo repromissum ad distinctionē alterius Euāgelij quod æternū dicit Ioānes in Apocalypsi, Quod tunc reuelandum est cum vmbra transierit, & veritas venerit, & cum mors fuerit absorpta, & æternitas restituta, considerato etiam tu qui legis. Cui æterno Euangelio conuenire videbuntur etiam illi æterni anni de quibus Propheta dicit: Et annos æternos in mente habui. Eisque adiungi potest & ille liber vitæ, in quo sanctorum nomina scripta dicuntur. Sed & illi libri qui apud Danielem
Dan. 7. cum iudicium consedisset, aperti sunt, vel qui apud Eze-
Apo. 6. chielem prophetam deintus & deforis dicuntur inscripti omnia quæque non atramento, sed spiritu dei viui scripta memorantur. De quibus quamuis periculosum videatur chartulis committere, tamen non otiose prætereunda sunt dicta sapientium & ænigmata, sed subtili admodum mentis acie (in quantum res patitur) velut per quoddam speculum contemplanda: ne forte is qui verbum caro factus E apparuit positus in carne, sicut apostolus dicit: Quia ma-
1. Tim. 3. nifestatus est in carne, iustificatus in spiritu, apparuit ange-
Es. 61. lis: hoc quod apparuit angelis, non eis absque euangelio apparuit: sicut nec nobis quidem hominibus ad quos missum se dicit euangelizare pauperibus, dimittere captiuos in remissionem, & annunciare annum domini acceptum. Si ergo eum apparuit nobis omnibus hominibus non sine euangelio apparuit, consequentia videtur ostendere quod etiam angelico ordini non sine euangelio apparuerit, illo fortassis quod æternum euangelium à Ioanne memoratū supra edocuimus. Si verò etiam in reliquis cœlestibus or-
Apo. 10 dinibus tale aliquid gestum esse ab eo suspicandum sit, in ea qua singuli quique sunt forma apparuit eis, annuncians
Col. 1. pacem, quoniam quidem per sanguinem crucis suæ pacificauit non solum quæ in terra, sed quæ in cœlis sunt, etiam tu apud temetipsum discutito. Quod promisit per prophetas suos in scripturis sanctis. Quæ de Christo prædicta sunt per prophetas, hæc etiam de Euangelio prædicta esse sentiendum est, quamuis Marcus euangelista distinctionē facere videatur Christi & Euangelij, cum dicit: Qui dimiserit patrem & matrem &c. propter me vel propter Euangelium. Quod & si propriè Euangelij promissiones requirendæ sunt, in prophetis abundanter inuenies, vt est illud: F
Mar. 8. Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.
Psal. 68. &: Quàm speciosi pedes euangelizantium bona. Ad hoc
Esa. 52. respicit &: Ad omnem terram exiuit sonus eorum, & in fi-
Psal. 18. nes orbis terræ verba eorū. & Velociter currit sermo eius:
147. Sed &: Ecce ego mitto pastores multos, & venatores mul-
Hier. 16. tos, & capient eos super omnem montem, & super omnē collem. Per Hieremiam promittitur, quod nūc Paulus dicit de Euangelio, quia promisit deus per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo. Quod filius secundum carnem ex semine Dauid factus.] Factus est autem sine dubio id quod prius non erat secundum carnem. Secundum verò spiritum erat prius, & non erat prius, quādo non erat. Obseruandum est enim, quia non dicit, prædestinatus est filius dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, sed qui destinatus est filius dei in virtute. Et nemo putet nos de hoc sermone curiosius quàm res patitur perscrutari. Quamuis enim in latinis codicibus & exemplaribus prædestinatus soleat inueniri, tamen quod interpretationis veritas habet
Destinare & prædestinare. destinatus scriptum est nō prædestinatus. Destinator enim ille qui est, prædestinatur verò ille qui nondum est. Sicut de his quibus dicit apostolus: Quos autem præsciit, illos
Rom. 8. & prædestinauit. Præsciri ergo & prædestinari possunt illi qui nondum sunt. Ille autem qui est, & semper est, non prædestinatur, sed destinatur. Hæc dicta sint à nobis pro-

G pter eos qui in vnigenitum filium dei impietatem loquũtur, & ignorantes differentiam destinati & prędestinati: putant eum inter eos qui cum ante non fuerint prędestinati sunt, esse numerandum: qui nunquam prædestinatus est vt esset filius, sed semper fuit sicut & pater. Qui ergo semper est, destinatur vt diximus, non prædestinatur. Qui autem prædestinatur, nondum erat tunc cum prædestinaretur, sed cœpit ex tempore. Necessaria igitur distinctione Apostolus vtitur, eum qui ex semine Dauid secũdum carnem est factus, prædestinatum dicens: eum verò quem filium dei in virtute secũdum spiritum sanctificationis nominat, destinatum. Etenim cum dixisset filium dei, non superfluo addidit in virtute, indicans per hoc quod substantia filius sit secundum spiritum sanctificationis. Christus enim Dei virtus & Dei sapientia dicitur, qui & vapor virtutis Dei, & manatio gloriæ omnipotentis purissima, & splendor lucis æternæ, & imago bonitatis dei appellatur. Sed requiritur si id quod de semine Dauid, secundum carnem est, quod verò in virtute destinatur secundum spiritum sanctificationis, filius Dei & in substantia dei est, quomodo accipiendum est de anima Iesu quæ hic nequaquam cum carne & spiritu sanctificationis vel diuinæ virtutis substantia nominatur? De qua alibi ipse saluator dicit, quia tristis est anima mea vsque ad mortem: & Nũc anima mea turbata est: quam & à semetipso posuit, imò qua vsque ad infernum descendit, de qua & dicitur: Non derelinques animam meam in inferno. H Certum est enim quia hæc non de semine Dauid generata sit. Dicit enim, quia quod factum est ex semine Dauid, secũdum carnem est. Quia ergo neque in eo quod secundum carnem est, videtur annumerari, neque in eo vbi descẽdit, de qua & dicitur: Non derelinques animam meam in inferno: Destinatur filius dei in virtute secundum spiritum sanctificationis.] Puto quod consuetudine sua Apostolus vsus etiã in hoc loco, sciens mediam semper esse animam inter spiritum & carnem, & aut iungere se carni, & effici vnum cum carne: aut sociare se spiritui, & esse vnum cum spiritu: ex quo siquidem cum carne sit carnales homines fiant: si verò cum spiritu, spiritales, & idcirco extrinsecus eam non nominat, sed carnem tãtum vel spiritum: scit enim alteri horum necessario animam cohærere, sicut & in his ad quos dicit: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: & qui se iungit meretrici vnum corpus est: Meretricem hic carnem uel corpus vocans: Qui autem iungit se domino vnus spiritus est. Ita ergo etiam nunc sciens de anima Iesu, quia sociata domino, & cohærens ei, vnus cum ipso factus sit spiritus sanctificationis, non eam nominauit extrinsecus ne solueret Iesum. Quod deus coniunxit homo non separet. Sanctificationis verò spiritus dicitur secundum hoc quod pręber omnibus I sanctitatem, sicut alibi de eo scriptum est: Qui factus est sapientia nobis à deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Verum occurrunt nobis quædam quæstiones acerbissime commouẽtes, quomodo videatur Christus descẽdere ex semine Dauid, quem constat nõ esse ex Ioseph natum, in quem Ioseph series ex Dauid descendentis generationis adducitur. Quibus occurrere quamuis molestum sit secundum literę rationem, tamen respondetur à nostris quod Maria desponsata erat Ioseph, antequam conuenirent, & inuenta est in vtero habens de spiritu sancto. Secundum legem sine dubio contribuli suo & cognato coniuncta est. Et quamuis dicatur ad eam ab angelo, quia & cognato coniuncta est. Et quamuis dicatur ad eam ab angelo, quia & Elizabet cognata tua ipsa etiam pariet filium in senectute sua: Elizabet autem ex filiabus Aaron esse dicitur, tamen affirmabitur à nostris quod cognationis nomen non solum ad contribules, sed ad omnes qui sunt ex genere Israel, inter se inuicem possit aptari competenter, sicut & idem apostolus de omnibus simul dicit: Qui sunt cognati mei secundum carnem. Hæc quidem & alia similiter respondentur: verum quam sint valida aduersum assertiones eorum, qui nos de scripturarum testimoniis perurgent, probato qui legit. Nobis tamen hæc intelligenda secundum spiritalem vel allegoricam rationem magis videntur, secundum quod nihil obest etiam quod Ioseph K pater Christi dicitur, cum omnino sit pater eius. Quia & in generationibus à Matthæo refertur quod Iosaphat genuerit Ioram, & Ioram genuerit Oziam. In quarto autem Regnorum libro scriptũ est, quod Ioram genuerit Ochoziam, & Ochozias genuerit Ioas, & Ioas genuerit Amasiam, Amasias verò genuerit Azariam, ipsum qui interdum Ozias nominatur, & Azarias Ioatham. Hic ergo Ozias, qui & Azarias, cum in tertio Regnorum libro dicatur Amasiæ esse filius, à Matthæo filius Ioræ scribitur, tribus in medio generationibus prætermissis. Cuius rei dissertio, certum est quod non secundum historiam, sed secundum spiritalem intelligentiam constet, quæ non est nobis nunc in transitu pulsanda: in suo enim loco iungetur. Interim sufficit nobis ad eos qui aduersantur respondere, quod sicut Iesus Ioseph filius esse dicitur, ex quo non est generatus, & Ozias genitus ex Ioram, ex quo non est genitus, ita ex semine Dauid secũdum carnem Christus potest accipi, vt quicquid rationis vel assertionis in Ioram protulerunt, & in Ioseph, hoc & in Dauid suscipiendum dicamus. Ex resurrectione mortuorum, Iesu Christi domini nostri.] Quomodo quidem is qui secundum carnem factus esse dicitur ex semine Dauid, filius dei in resurrectione mortuorum, difficile nõ est aduertere ei qui legerit illud quod scriptum est: Decebat enim eum per quem omnia, & in quo omnia, multos filios in gloriam adducentem, auctorem salutis eorum per passiones consummare. Finis autem L passionum Christi, resurrectio. Et quia post resurrectionẽ vltra iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur, & iterum dicitur: Quia etsi agnouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus, ideo omne quod est in Christo, iam nunc filius dei est. Quomodo autem & ad eum qui filius dei est destinatus in virtute hoc referatur, coarctat intelligentiam nostram, nisi quod per indissolubilem vnitatem verbi, & carnis, omnia quæ carnis sunt ascribuntur & verbo, quomodo & quę verbi sunt prædicantur in carne: Iesum verò & Christum, & dominũ inuenimus sæpe ad vtramque naturam referri, vt est illud: Vnus dominus noster Iesus Christus, per quem omnia. Et iterum: Si cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Primitiuus ergo vel primogenitus ex mortuis dicitur Christus. Sed requirẽdum nobis est, si solus primogenitus vel primitiuus ex mortuis, & non habet aliquos secum etiam in primatu participes, de quibus dicit apostolus: Quia suscitauit nos cum Christo, simúlque fecit sedere in cœlestibus. Ne forte ergo & isti quos dicit excitatos esse cum Christo, & cũ eo sedere in cœlestibus, & ipsi primogeniti sunt, vel primitiui ex mortuis: sicut & illi fuerũt, qui cum illo suscitati esse dicuntur, cum monumenta aperta sunt, & multa sanctorum corpora qui dormierant surrexerunt, & ingressi sunt in sanctam ciuitatem. Et de his talibus fortassis dicit Apostolus esse ecclesiam illam pri- M mitiuorum, quam ascriptam memorat in cœlis.

Per quem accepimus gratiam & apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius.] Per Christum se dicit accepisse gratiam & apostolatum, vtpote mediatorem dei & hominum. Gratiam & apostolatum. Gratia ad laborum patientiam referenda est: Apostolatus ad prædicationis auctoritatem, quia & ipse Christus apostolus dicitur, id est missus à patre: quippe qui ad euangelizandum pauperibus missum se dicit: Omnia ergo quæ sunt, dat etiam discipulis suis. Gratia dicitur diffusa in labiis eius: dat & apostolis suam gratiam, cum qua laborãtes dicant: Abundantius verò quàm omnes illi laboraui: Non autem ego, sed gratia dei mecum. Et quia de ipso dictum est: Habentes igitur pontificem & apostolum confessionis nostræ Christum, dat discipulis suis apostolatus dignationem, vt & ipsi efficiãtur apostoli dei. Non enim gentes quæ erant alienæ a testamento dei, & conuersatione Israel, credere poterant euangelio, nisi per gratiam quæ apostolis fuerat data, per quam prædicantibus apostolis in fidem obedire dicitur: & in omnem terram de nomine Christi sonus gratiæ eorum commemoratur exisse, ita

Marginal notes (left column): *Ebionitas perstringit qui male sentiebant de diuinitate Christi.* — 1.Cor.1. — *De anima Christi dubitatur.* — Mat.26. — Ioan.12. — Psal.16. — *Anima nõ ex traduce.* — *Anima media inter spiritũ & carnẽ.* — Rom.8. — 1.Cor.6. — 1.Cor.1. — *Qui Christus ex semine dauid cum modo ex Ioseph.* — Matth.1. — Luc.1. — Rom.9.

Marginal notes (right column): Mat.1. — Heb.2. — Rom.6. — 2.Cor.5. — *Communicatio idiomatum et nominum officij.* — 1 Co.8. — 1.Cor.2. — Eph.2. — Matt 27. — *Gratia Apostolatus.* — Heb.3. — Esa.61. — Psal.44. — 1.Cor.15 — Heb.3. — Eph.2. — Psal.18. — Rom.10.

A ita vt ad eos qui Romæ sunt perueniret, ad quos ait Apo-
stolus: In quibus estis & vos vocati Iesu Christi.] Paulus
vocatus Apostolus dicitur, & Romani vocati, non tamen
Apostoli, sed vocati sancti in obedientiam fidei. De diuer-
sitate autem vocatorum iam superius diximus. Omnibus
qui sunt Romæ dilectis dei, gratia vobis & pax à deo patre
nostro, & domino Iesu Christo.] Benedictio hęc pacis &
gratiæ quæ datur dilectis Dei ad quos scribit apostolus
Paulus, puto quod non sit minor quàm fuit benedictio
Noe in Sem & Iapheth, quæ per spiritum impleta est erga
Gen. 9. eos, qui fuerunt benedicti. Similiter & ea in qua benedi-
ctus est Abrahã à Melchisedech, & Iacob à patre suo Isaaci
Gen. 14. 27. 49. & duodecim patriarchæ qua benedicuntur à patre suo Is-
rael, vel benedictio Moysi qui benedixit tribus Israel. Non
Deut. 33. ergo his omnibus inferiorem dico hanc apostoli benedi-
ctionem, qua benedixit ecclesias Christi. Ait enim & ipse
de se: Puto enim quia & ego spiritum dei habeo. In spiritu
1. Cor. 7. ergo dei scribit Apostolus, & in spiritu benedixit. Per ip-
sum ergo spiritum benedictiones capient hi qui benedi-
cuntur ab Apostolo: si tamen digni inueniãtur super quos
veniat benedictio eius. Alioquin fiet illud in eo quod scri-
Mat. 10. ptum est: Si fuerit ibi filius pacis, pax vestra veniet super
eum. Sin autem, pax vestra ad vos reuertetur. Quod scri-
ptum est ergo de pace, hoc de gratia fiet, quia gratiam si-
B mul coniungit cum pace. Sciẽdum verò est, quia hæc apo-
stoli consuetudo scribendi non erga omnes ab eo seruatur
Salutatio nes episto larũ Pau li confert. ecclesias. Nã ad Corinthios quidem in prima & secunda,
& ad Galatas, & ad Ephesios, & ad Philippenses similiter
scribit. Ad Colossenses verò: Gratia vobis & pax à deo pa-
tre nostro, dicit: & nõ addidit & domino nostro Iesu Chri-
sto. Ad Thessalonicenses verò prima ita habet: Gratia vo-
bis & pax, & nihil vltra. In secunda verò: Gratia vobis, &
pax à deo nostro, & domino Iesu Christo. Ad Timotheum
prima & secunda: Gratia, misericordia, & pax à deo patre,
& Christo Iesu Domino nostro. Ad Titum verò: Gratia
& pax à Deo patre & Iesu Christo saluatore nostro. Et
quamuis curiosior videatur huiuscemodi obseruatio, ta-
men qui nihil otiosum credit in scripturis esse diuinis, e-
tiam horum differentias & diuersitates non inanes puta-
bit. Primum quidem gratias ago deo meo per Iesum Chri-
stum pro omnibus vobis, quoniam fides vestra annuncia-
tur in vniuerso mundo.] Quoniam ad quosdam scribens
Apostolus, dicit pro omnibus semper gratias agere sicut &
nunc ad Romanos: ad alios verò scribens gratias quidem
agere, sed non addidit pro omnibus: obseruans inuenies
quod vbi dicit pro omnibus se gratias agere, culpas ali-
C quas graues, aut probra non exaggeret, vbi autem aliquos
vel arguit, vel notat, non addidit gratiarum actionẽ, quod
pro omnibus gratias agat, sicut ad Corinthios, & ad Co-
Gal. 1. lossenses. Ad Galatas verò omnino non ponit gratiarum
actionem, quod eos miratur tam cito transferri ab eo qui
vocauit eos in aliud euãgelium. Prima ergo vox incipit ad
gratiarum actionẽ. Agere autẽ deo gratias, hoc est, sacrifi-
Per Christum sacrificium deo offertur. cium laudis offerre, & ideo addidit: Per Iesum Christum,
velut per pontificem magnum. Oportet enim scire eũ qui
vult offerre sacrificiũ deo, quod per manus pontificis de-
bet offerre. Sed & hoc quod dixit: Deo meo, nõ est otiose
accipiendũ. Non enim vox ista potest esse nisi sanctorum,
quorũ deus dicitur, sicut deus Abrahã, vel Isaac vel Iacob.
Exod. 3. Non potest dominum deũ suum dicere is cui deus venter
est, aut cui auaritia deus est, aut cui gloria seculi, & pompa
Quẽ quisque deum habeat. mundi, aut potentia rerum caducarum deus est. Quicquid
enim vnusquisque supra cætera colit, hoc illi deus est. Sed
videamus quid est pro quo Apostolus gratias agit de suo.
Quoniã (inquit) fides vestra annunciatur in vniuerso mun-
Fides Romanorũ passim celebrata. do.] Si in vniuerso mundo simpliciter accipiamus, hoc vi-
detur designare quod dicimus in multis locis mundi, hoc
est terræ huius, eorum qui Romæ sunt fides & religio prę-
dicatur. Si verò in hoc loco vt etiam in nonnullis mundus
designatur qui è cœlo constat & terra, atque omnibus quę
Luc. 15. in eis sunt, potest etiam illud intelligi, quòd virtutes de
quibus dicit quia gaudium habeant super vno peccatore
pœnitentiã agente, multo magis de conuersione quoque

& fide Romanorum lætentur, nunciantibus sibi angelis D
illis qui ascendunt & descendũt ad filium hominis. Et ipsi
enim mirãtur de conuersione gẽtium, & quod in omnem
terram exiuit sonus Apostolorum Christi Iesu. Denique &
agones ipsorum spectãtes in hoc mundo lætantur, sicut &
Apostolus dicit: Quia spectaculum facti sumus huic mun- *1. Cor. 4.*
do & angelis & hominibus. Potest tamen & ita intelligi, *Fidei vnitas.*
quod fides ista quã Romani habent, ipsa eadémque sit &
non alia quę in vniuerso mundo annunciatur & creditur,
quæ non solum in terra, sed etiã in cœlis prędicatur: quia
Iesus pacificauit per sanguinem suũ non solũ quæ in terris *Col. 1.*
sunt, sed & quæ in cœlis, & in nomine eius genu flectunt *Phil. 2.*
non solum terrestria, sed & cœlestia & inferna. Et hoc est
in vniuerso mundo fidem prędicari, per quã omnis mun-
dus sit subditus deo. Obseruandum est sanè quia ad hoc
quod dixit: Primum quidem, non reddidit verbi gratia vt
diceret, secundo autem, sed vt prædiximus de loquutioni-
bus minus finitis: nisi fortè videatur in eo reddi cum dicit:
Nolo autem vos ignorare fratres. Testis enim mihi est *Deus testis sanctorum.*
deus, cui seruio in spiritu meo in euangelio filij eius.] Deus
testis est sanctis suis, quia & ipsi testes sunt dei, secundum
quod dicit propheta: Eritis mihi testes, & ego testis, dicit
Dominus. Sed & saluator ad discipulos dicit: Eritis mihi
testes in Hierusalem, & in Samaria, & in omnibus finibus *Act. 1.*
terræ: secundum illud quod scriptum est: Qui confessus *Mat. 10.*
fuerit me, & ego confitebor eum corã patre meo. Videa- E
mus autem quid est quod dicit: Cui seruio in spiritu meo.
Seruire in spiritu simile mihi videtur esse, imò & amplius
aliquid quàm adorare in spiritu, sicut & ipse dominus di-
cebat ad Samaritanam mulierem: Venit hora, & nunc est *Ioan. 4.*
quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu &
veritate. Sed & Paulus non solum adorat in spiritu, verum
& deseruit in spiritu. Nam adorare quis potest & sine affe-
ctu: deseruire verò eius est, quem constringit affectus.
Deseruit ergo Apostolus domino, non in corpore neque
in anima, sed in meliore sui parte, in spiritu. Hæc enim *1. Thess. vlt.*
tria esse in homine designat ad Thessalonicenses scribens
cum dicit: Vt integrum corpus nostrũ & anima & spiritus *Dan. 3.*
in die domini nostri Iesu Christi seruetur. Et Daniel dicit:
Laudate spiritus & animæ iustorum dominum. Aposto-
lus ergo vbique spiritum præfert, & repudiat carnem, vel
quæ carnis sunt. Denique & legis ipsius spiritum laudat:
literam verò tãquam carnem spernit cum dicit: Litera oc-
cidit, spiritus verò viuificat. Sed & cum dicit: Etenim in *2. Cor. 3.*
quo infirmabatur lex per carnem, Deus filium suum mit-
tens in similitudine carnis peccati: carnem legis, sine du-
bio literam legis dicit. Per literam nanque infirmabatur *Exod. 16*
lex, vt non posset impleri: Quis enim impleret vel de sab- F
bato quod scriptum est: Non te mouebis de loco tuo in
die sabbatorum? Quomodo enim fieri poterat vt se aliquis
penitus non moueret de loco suo in die sabbatorum? vel
de legibus lepræ in stamine, vel in pariete, vel in pellicula
exortæ? & multa alia in quibus secundum literam tãquam
secundum carnem infirmata est lex. Propterea ergo Apo- *Rom. 7.*
stolus dicit, quia lex spiritalis est. Qui igitur legem intelli- *Rom. 8.*
git spiritalem, hic spiritu seruit Deo. Vnde & ad alios di-
cit: Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, hoc
est secundum literam quæ occidit. Si autem spiritu actus
carnis mortificaueritis, viuetis. Requirendum sanè est, si
& patres antiqui & patriarchæ vel prophetæ, qui etiam
ipsi fuerunt perfecti in spiritu, Deo serui esse credẽdi sunt:
qui & Abraham desiderauit vt videret diem domini, & *Ioan. 8.*
vidit & gauisus est: & Moyses & Helias apparuerunt in *Mat. 17.*
gloria cum Iesu colloquentes in monte. In quo ostendi- *1. The. 5.*
tur legem & prophetas cum euangelijs consonare, & *Paulus quantoꝑe desiderauerit Romanã ecclesiam cernere et alloqui.*
in eadem gloria spiritalis aspectus atque intelligentiæ
refulgere. Quomodo sine intermissione memoriam vestri
facio semper in orationibus meis, obsecrans si quo modo
tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate
Dei veniẽdi ad vos.] Quod sine intermissione pro his qui-
bus scribit orare se dicit, mãdati sui memor complet ope-
re quod sermone præcipit. Quod autem dicit obsecrare
se si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeat,

G vt voluntate dei veniat ad Romanos, considerādum quod Apostolus ad dei opus sanctum, & opus Euangelij proficiscens expectat donec obsecrationibus impetraret non solum prosperum sibi iter fieri, sed & in voluntate dei prosperum fieri. Vode & multo magis nobis quibus non est vel operis tanta, vel meriti conscientia, cum aliquid agere disponimus, à Deo itineris prosperitas postulanda est. Puto tamen quod etiam hoc voluit intelligi Apostolus, quia oon semper prosperitas itineris dei voluntate perficitur. *Num. 22* Denique & Balaam iter habuit prosperum eundi ad Balach, vt malediceret populo Israel, sed non fuit illa ex voluntate diuina prosperitas. Et multi in rebus seculi prosperis vtuntur successibus, & exultant in prosperitatibus suis, sed nun est talis prosperitas ex voluntate dei, nisi cum tale est opus itineris oostri, quale hic designat Apostolus.

Desidero enim videre vos, vt aliquid impartiat vobis gratiæ spiritalis ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis per eam quæ inuicem est fidem vestram atque meam.] Primo omnium discere debemus esse apostolicū, desiderare fratres, sed non aliam ob causam nisi vt vel cōferamus eis aliquid dooi spiritalis si possuoous: vel si non possumus, ipsi vt capiamus ab eis. Siue hoc enim non est probabile desiderium circum eundi fratres. Quod autem dicit: Vt aliquod tradam vobis donum spiritale, videtur indicare esse aliquid quod donum quidem sit, non tameo spiritale. Nam donum fidei sine dubio spiritale est, & do-
H num sapientiæ & scientiæ, & virginitatis similiter. Vbi autem dicit de nuptiis & de virginitate loquens:
1. Cor. 7. Sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic,
Prou. 19. alius autem sic: Donum quidem dicit esse nuptias, quoniā sicut scriptum est: A Deo aptatur mulier viro: sed nō istud donum spiritale. Possunt & alia multa donum Dei dici, vt diuitiæ & fortitudo corporis, vt formæ decor, vt regnum terrestre. A Deo enim etiam hæc donantur, sicut & Da-
Dan. 2. niel dicit: Quia ipse facit reges & commutat, sed non sunt hæc dona spiritalia. Beati sunt ergo illi quibus spiritalem gratiam tradere vult Apostolus ad confirmationem fidei, vt vltra iam non sint paruuli, neque circumferantur omni vento doctrinæ. Quod cum fit à Paulo, & ipse consulationem capit, opus suum firmum & stabile videns: & illi consolantur, quia apostolicæ gratiæ participes fiunt.

Nolo autem vos ignorare fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc, vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris gentibus: Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. Ita quod in me est, promptum est & vobis qoi Romæ estis, eoangelizare.) Est quidem & hyperbaton in hoc
I loco, & loquutionis defectio: sed hyperbaton modo hoc
Ordinatio hyperbati possumus reddere. Nolo autem vos ignorare fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, vt aliquem fructum habere in vobis, sicut & in cæteris gentibus Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipieotibus, & prohibitus sum vsque adhuc. Defectio verò elocutionis hoc modo adimplebitur. In eo vbi dicit: Et in cæteris gentibus Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus, videtur deesse quibus: vt ea qoæ subsequuntur sic legantur, quibus debitor sum, & sit talis consequentia. Sicut fructum habeo in cæteris gentibus Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus, quibus debitor sum: ita quod in me est promptus sum etiam vobis qui Romæ estis euangelizare. Nunquam enim apud vllam gentem erubui euangelium meum prædicare, quia virtus dei est in eo ad salutem omni credenti, Iudęo primū & Græco: quia in euangelio Dei iustitia reuelatur, quę obtecta prius velabatur in lege. Reuelatur autem in his qui ex fide Veteris testamenti ad fidem nouam Euangelij veniunt, sicut in propheta dictum est: quia iustus etiam si in lege adhuc sit, Deo credens, & famulo eius Moysi, ex fide viuit: & cum de Euangelio venit, ex fide legis in fide Christi dirigitur: ita ex fide in fidem proficit. Hæc quantum ad consequentiam verborum ipsius Apostoli pertinet dicta sint. Huc autem quod spectat ad intelligentiam requiramus. Quod ait: Quia sæpe proposui venire ad vos: charitatem suam quam erga Romanos habebat, innotuit. Quod verò addidit: Et prohibitus sum vsque adhuc, si quidem K
putetur à deo prohibitus, ostenditur per hoc etiam id curę esse deo, quo vnusquisque apostolorum vel debeat ire vel non debeat, & quod dispēsatione quadam alios prohibeat quidem, aliis sinat prædicare verbum dei, sicut & alibi dicit: Et cum tētaremus ire in Bithyniam: prohibuit nos spi- *Act. 16.*
ritus Iesu. In euāgeliis à saluatore dicitur: Vobis datum est *Mat. 13.*
oosse mysterium regni dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non audiant. Si verò: Prohibitus sum vsque adhuc, ad illum referatur de quo alibi ipse dicit: Quia impediuit nos satanas: competenter *1. Thess. 2*
ostendit se in orationibus sine intermissione certare, vt deuictis satanæ impedimentis, prosperum iter eius fiat in voluntate dei eos videre qui Romæ sunt. Desiderat enim, & in orationibus obsecrare non cessat, fructum aliquem capere ex ipsis, sicut ex cæteris gentibus. Vnde velut multarum diuitiarum cupidus Paulus, ex multis rationabilibus possessionibus reditus desiderat congregare: congregat fructus ex Græcis, congregat ex Barbaris, congregat ex sapientibus aliquid etiam ex insipientibus colligit, dum aliis tanquam perfectis sapiētiam loquitur, aliis tanquam insipiētibus nihil aliud se scire dicit, nisi Christum Iesum & hunc crucifixum, dum alios ex lege & prophetis docet, alios signis & virtutibus suadet. Verum hos omnes fructus affert Paulus, quia tāquam pal- *1. Cor. 2.*
mes bonus permanet in vite vera quæ Christus est: quem frequentius pater purgat agricola, & ideo fructum pluri- L
mum affert. Purgat autem eum in laboribus, in tribulationibus, in persecutionibus. Sunt enim alij palmites, qui in vite quidem permanent, fructum verò non ferunt, sed sunt aridi: Ex quibus sunt illi, nomine quidem permanent in Christo, operibus autem & actibus infructuosi inueniuntur & aridi, qui dicuntur excidi, & in ignem mitti. Si- *Mat. 3.*
cut enim primus Adam quædam vitis fuit, & radix huma- *& 7.*
ni generis, quę attulit quosdam quidem palmites fructuosos, vt Seth, Enos, & reliquos vsque ad Noe: alios autem infructuosos & inutiles, vt Cain, & omnem quæ ex ipso procreata est stirpem: ita & in Christo, qui est nouissimus Adam, sunt quidam palmites fructuosi, velut in vite vera fructificantes: quidam verò aridi & à patre agricola excidendi. Sed & illud obseruādum est, quod singulari numero Apostolus bonorum nominat fructum, sicut & alibi: *Gal. 5.*
Fructus autem spiritus, gaudium, charitas, & pax: Opera autem quæ exprobrat, pluraliter profert. Quod si quis obiiciat illud quod in psalmo scriptum est: Labores fructuū *Psal. 128*
tuorum manducabis, pro bono & pluraliter dictum: sciē- *Matt. 13.*
dum est quod sicut is qui margaritas negotiatur plures, inueniens vnam preciosam, vendidit omnes & emit illam M
vnam: ita quis à pluribus fructibus incipiēs, ad vnum perfectionis tendere debet fructum. Requirendum nunc est, quomodo Apostolus Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipiētibus debitor est. Quid enim ab ipsis acceperat, vnde eis debitor fieret. Arbitror quidem diuersis gentibus inde eum effectum esse debitorem, quod omnium gentium linguis eloquia accepit per gratiam spiritus sancti, sicut & ipse dicit: Omnium vestrum magis linguis loquor. Quia *1. Cor. 14*
ergo linguarum notitiam non pro se, sed pro his quibus prædicandum est accipit, debitor omnibus illis efficitur, quorum accepit à deo linguę notitiam. Sapientibus autem efficitur debitor per hoc quod accepit sapientiam in mysterio absconditam, quam perfectis & sapientibus loquetetur. Quomodo autem & insipientibus? In quo patientiæ *1. Cor. 1.*
gratiam & longanimitatis accepit. Summæ etenim patiē- *& 2.*
tiæ est ferre insipientium motus. Gratissime autem addidit in consequentibus: Ita quod in me est promptus sum & vobis euangelizare. Promptum se esse testatur, qood & a- *1. Cor. 9.*
libi dicit: Si volens hoc ago, mercedem habeo. Promptua enim quis est prudentibus loqui. De iosipientibus verò sciendum est illud, quod dicit: Si autem inuito dispensatio ista credita est mihi, & væ mihi est si noo euangelizauero. Noo enim erubesco euangelium. Virtus enim dei est in salutem omni credenti.] Multa quidem probra aduersus euangelium in initio prædicationis exorta sunt, sed

Paulus

A Paulus patiētiā didicerat à ꝓphetis dicētibus: Nolite vinci opprobriis eorum, neque cedatis persecutionibus eorum: & sciebat quia euangelium prædicaret non in suasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus. Definiens ergo quid sit euangelium pronunciat. Virtus enim (inquit) dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco.] Quod dixit: Virtus est dei in salutem, videtur ostendere quia sit aliqua virtus dei quæ non sit ad salutem, sed ad perditionem. Scit quippe & in propheta scriptum esse: Et erit hæc virtus mea magna. Et iterum in psalmis dicitur: In virtute tua disperde illos. Et ideo hic dicit: Virtus Dei in salutem. Vidēdum est ergo ne forte propter istas virtutum dei differentias dextra & sinistra in Deo appelletur, vt virtus in salutem dextra eius, & virt⁹ in qua disperdit, sinistra dicatur. Sed & illud aduertendum est, ne forte quia Christus virtus Dei dicatur, & Euangelium virtus dei, Christus sicut & alia multa, ita etiam Euangelium intelligi debeat, & forte quod æternum dicitur Euangeliū de ipso dici sentiendum sit. Omni (inquit) credenti, Iudęo primum & Græco.] Græci enim duabus appellationibus omne hominum censuerant genus, id est vel Græcum dicentes esse vnumquenque, vel Barbarum: & distinctio eorum talis fuerat, vt omnis qui Græcus nō esset, Barbarus haberetur. Sed multo veriore distinctione vtitur Paulus, Iudæos primum dicens, & postmodum Gręcos, postremum verò Barbaros.

Euangelium quā efficax.

Psal. 146

Psal. 54.

Græci vel Barbari homines olim dicti.

B Cum enim Græci, quia ipsi legibus vtebantur, omnes reliquos tanquam sine legibus viuentes, Barbaros appellauerint, merito Iudæi etiam ipsis Græcis ab Apostolo præferuntur, quia & ante ipsos legibus viuere cœperunt, & leges eorum à deo & nō ab hominibus promulgatę sunt. Iustitia enim dei in Euangelio reuelatur ex fide in fidem. Iustitia enim dei in Euangelio reuelatur per id quod à salute nullus excipitur, siue Iudæus, siue Græcus, siue Barbarus veniat. Omnibus enim æque Saluator dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Iustitia enim dei in eo reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptū est: Iustus autem ex fide viuit.] Iam superius diximus, quia & prior populus in fide erat, quia crediderat deo & Moysi famulo eius, ex qua fide nunc ad fidem Euangelij transit. Quod autem dicit ex testimonio Abacuc prophetæ, quia iustus ex fide in ea viuit, siue is qui in Euāgelius est, vt etiam legi credat & prophetis: alterum enim sine altero integritaté non habet vitæ. Reuelatur enim ira dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem dei in iniquitate detinent: quia quod notum est dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit.] De ira dei plenius à nobis in aliis locis dictum est: pauca tamen etiam in præsenti dicetur. Igitur ira Dei nunc reuelari dicitur non in parte aliqua, sed in omnem impietatem & iniquitatem, nec tamen in omnes homines: sed in illos

Iudęi minus, Barbari quā Græci.

Matt. 11

Aba. 1.

Ira dei quomodo reuelatur.

C solos qui veritatem dei in iniquitate detinent, quibus etiā dicit manifestum esse id quod notum est Dei, ostendēs esse aliquid dei quod notum sit, & aliquid eius quod ignotum sit. Dicit ergo reuelari iram Dei his qui veritatem in iniquitate detinent. Quæ reuelantur de obscuris & reconditis ad notiam proferuntur. Quia ergo & hic non ignorātibus veritatem, sed tenentibus eam, licet male tenentibus, ira dei de cœlo dicitur reuelari, videtur ꝗ ratione & scientia iram dei manifestatā dicat esse his quibus veritas nota est, licet eam in iniquitate detineant. Quod quidem, vt ex consequentibus declaratur, de sapientibus huius mūdi, & eruditis, vel philosophis dici intelligitur: qui cum veritatem dei & iustitiam cognouissent, non sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis conuersi ad idola, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, quia commutauerunt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. In quibus etiā ostendit Apostolus, quod ea quidem quæ ad sapientes seculi de veritatis scientia peruenerunt, deo reuelante peruenerunt: sed dum aut vanæ gloriæ student, aut adulantur erroribus vetustis, aut metu principum refrenantur, damnationis suæ ipsi iudices fiunt. A quibus veritas quam deo re-

Deo reuelante philosophis ad veritatis aliquā sciētiā peruenerunt.

D uelante cognouerant, aut exclusa libertate contegitur, aut gestorum iniquitate denegatur. Ita ergo dei ira videtur interdum virtus ipsa quæ præest pœnarum ministris, & quæ supplicia infert peccatoribus dici: sicut significari existimo in eo quod refertur, quia ira dei cōmouerat Dauid vt iuberet Ioab numerare pópulum. Sed & ministri eius significantur ac socij, in eo quod dicitur: Immisit in eos irā furoris sui, tribulationem & iram per angelos malos. Interdum etiam ipsius conscientiæ cum delinquimus vltorea vindices stimuli iræ appellantur, sicut idē apostolus dicit: Recōdis tibi iram ipse in die iræ. & alibi: Inter se inuicē cogitationibus accusantibus, aut etiā defendentibus, in die cum iudicabit deus occulta hominū. Sed & tribulationis, vel tētationis afflictio ira dei nominatur, sicut Iob dicit: Ira autem domini est in corpore meo. Cur autem de cœlo nunc ira reuelari dicitur? forsitan ad distinctionem alterius iræ, quæ non est de cœlo, vt est illud: Furor draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Aut forte quod ipsi aduersum quos sermo dirigitur, non in ignorantia, sed in scientia veritatis peccare dicuntur, ideo in eos pœna de cœlo dirigitur: inde enim pœnarum magister accipit potestatem. Vel certe quia spiritales nequitiæ aduersum quas nobis certamen est, in cœlestibus esse dicuntur, consequenter in eos qui ab his superantur, ita dei de cœlo dicitur iaculari: velut si dica-

2. Reg. 24

Psal. 178

Rom. 2.

Iob. 6.

Deut. 32.

E mus quia ignita in eos tela inde vibrantur, & vulnera qui in peccato currunt inde suscipiunt: hi verò qui totius veritatis expertes sunt, vel qui nihil habent commune cum cœlo & luce, iram vel vitiorum suorum, passionū, vel dæmonū, quibus se sponte subdiderunt, perferunt. In omnem impietatem hominum, & iniquitatem, qui veritatem dei in iniquitate detinēt.] Impietas in deū peccare est, iniquitas in homines. In deū ergo & homines peccāt, qui veritaté in iniquitate detinent. Quam veritaté agnouisse credendi sunt homines naturalibus, & à deo animæ insitis rationibus. Quibus tamen id prudentiæ concessum est, vt quod notum est dei, id est quod agnosci de deo potest per coniecturam creaturæ, ex his quæ videri possunt inuisibilia eius agnoscerent. Hoc ex pacto iustum erit iudicium dei etiam erga eos qui ante aduētum Christi, cum potuerint deum agnoscere, ab eius cultu declinantes ad imagines hominū adorandas & animalium diuerterūt. Vt enim breuiter & omnium vnum collecta definitione dicamus, adorare alium quépiam præter patrē & filiū & spiritum sanctū, impietatis est crimē. Quia quod notū est dei, manifestū est in illis: Deus enim illis manifestauit.] Iam vt & superius diximus, quia notū est dei hoc quod ex huius mūdi consequētiis vel rationibus assequi possunt, sicut & ipse Apostolus ex consequentibus indicat, dicens inuisibilia eius per ea quæ facta sunt contemplari: ignotū autem

Discrimē inter impietatem & iniquitatem.

Impietas.

F dei intelligendum est ratio substantiæ eius, vel naturæ: cuiusq; sit proprietas, puto quod non solum nos homines, sed & omnem lateat creaturā: aut si aliquando tantus erit naturæ rationabilis profectus, vt in hanc quoque possit peruenire notitiam, dei est nosse. Tale enim aliquid mihi sperandum videtur ex his quæ à saluatore dicuntur: quia nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Non enim adderet: Et cui voluerit filius reuelare, nisi sciret aliquos esse quib⁹ reuelare vellet. Inuisibilia enim ipsius à creatura mūdi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, & sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles: quia cum cognouissēt deum, non sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerūt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorū. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt, & mutauerūt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis hominis corruptibilis, & volucrū, & quadrupedū, & serpentiū.] Penè iā in superioribus de his omnibus dictum est. Diximus enim hæc quāuis ad omnes homines quibus inest ratio naturalis, maxime tamen spectare ad sapientes huius mundi, & eos qui philosophi nominantur, quibus præcipue creaturas mūdi & omnia quæ in eo facta sūt, discutere disciplina est, & per

Dei nōta & ignota

Matt. 11.

Inuisibilia quæ. Col. 1. Potentia sine. Virtus dei & diuinitas.

G hæc quæ videntur, ea quæ non videntur ratione colligere. Sciendum tamen est quod hic inuisibilia quæ nominat, de creaturis dicit: de quibus & in alio loco idem Apostolus dicit: quia omnia per ipsum, id est per Iesum Christum facta sunt, siue quæ in cœlo, siue quæ in terra, visibilia & inuisibilia. Et ideo præter ea quæ inuisibilia dixit, addit. Et sempiterna eius virtus ac diuinitas. Virtus ergo dei quæ sempiterna est, ac diuinitas quæ nihilominus sempiterna est, ea coniecturis agnoscitur creaturæ. Virtus est qua regit omnia, diuinitas qua replet vniuersa. Ex hoc ergo inexcusabiles fiunt: quia cum manifestante deo cognouerunt deum, non vt dignum est coluerunt deum, aut gratias egerunt, sed per cogitationum suarum vanitatem dum formas & imagines requirunt in deo, in semetipsis imaginem dei perdiderunt, & qui iactare se in luce sapientiæ videbantur, in profundas stultitiæ tenebras deuoluti sunt. Quid enim tam terrum, tam obscurum, támque tenebrosum, quam gloriam dei ad corporalem & incorruptibilem humanæ formæ effigiem vertere, vt moris est iis qui simulachra venerantur, & diuinæ maiestatis eminentiam volucribus, & quadrupedibus, & serpentibus exæquare? Propter quod tradidit illos deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, quia commutauerunt veritatem

H dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in secula, Amen.] Quæ singula quamuis iuxta ecclesiæ fidem consequenter explanari videantur, quod præcedentibus causis culparū iure & merito deserātur à deo hi qui veritatē quā deo reuelante cognoscūt in iniquitate detenant, & per hoc quod deserūtur, traduntur in desideriis cordis sui: quorū desideria cordis hæc erant, vt immunditia & cōtumeliis afficerēt corpora sua in semetipsis: & quali iudicio erga diuinitatis vsi sunt rationē, dum dei incorruptibilis gloriā ad fœdas & indignas deducunt hominum vel animaliū formas, tali etiam erga semetipsos vtantur vice, vt rationabiles homines viuant more irrationabiliū beluarū: Requiramus tamē ab his qui deum bonū negant etiam iustū esse iudicē, quid respondeant de his quæ dicit Apostolus, quod tradidit eos deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt cōtomeliis afficiant corpora sua. Videbitur enim in hoc non solum ipsorū ratio, quæ penitus excluditur, sed & nostra responsio coarctari. Quomodo enim iustum erit eum qui traditur, quāuis pro peccatis tradatur, tamen ad concupiscētias tradi, & ad hoc tradi, vt immunditiis & concupiscētiis afficiat corpus suū? sicut enim huic qui (verbi causa) tenebris traditur ad pœnā, imputari non potest quod in obscuro sit, & qui igni traditur culpari pro hoc ipso non potest cur vratur: ita his qui desideriis & immunditiis traduntur

Cōtra Valentinianos qui eundē deum & iustum & bonū esse negabant.

I vt contumeliis efficiant corpora sua, non digne videbitur imputari, si in desideriis & immunditiis positi, corpora sua contumeliis maculent. Marcion ergo, & omnes qui de schola eius velut serpentiū germina pullularunt, horū absolutiones ne extremo quidem digito attingere audebūt: quippe qui propter huiuscemodi quæstiones vetus instrumentum sicubi forte in eo tale aliquid legerāt, abiecerunt. Sed quid eis profuit cum similibus nihilominus noui instrumenti quæstionibus præferantur? Nos tamen qui vnū bonū deum & iustū legis & prophetarū & euangeliorum patrē Christi fatemur, eisdē explanationibus & in nouo & in veteri vtimur testamēto, inuocantes eum qui posuit in Sion lapidem offensionis, & petrā scādali, vt ipse nobis per spiritum sanctū suum offensionē & scādalū lectionis apostolicæ, per quem dubiæ mentes offendi videntur, aperiat. Frequenter in scripturis inuenimus, & à nobis sæpe dissertum est, quod homo spiritus & corpus & anima esse dicatur: verū cū dicitur, quia caro cōcupiscit aduersus spiritū, spirit⁹ autem aduersus carnē, media procul dubio ponitur anima quæ vel desideriis spiritus acquiescat: vel ad carnis concupiscentias inclinetur. Et si quidē se iunxerit carni, vnū cum ea corpus in libidine & cōcupiscentiis eius efficitur: si verò se sociauerit spiritui, vnus cū ea spiritus erit. Idcirco denique de his quorū se animæ ex integro cum car-

Marcionitæ cur vetus testamentū reiecerint.

Gal. 6. Anima media inter carnē & spiritū.

K ne iunxerant, dicit dominus in scripturis: Iam non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt: De his autem quorū anima fuerat spiritu sociata, Apostolus dicit: Vos autē non estis in carne, sed in spiritu. Sunt præterea (sicut in multis scripturæ locis inuenimus) etiā vtriusque partis vel vtriusque viæ fautores quidā & adiutores angeli. Nam carnis cōcupiscentiæ aduersus spiritum fauet diabolus & angeli eius, & omnes spiritales nequitiæ in cœlestibus, cunctique aduersus quos hominibus luctamen est, principatus & potestates, & mundi huius rectores tenebrarum. E contrario verò spiritui aduersus carnem decertanti, animámque humanam quæ media est ad se reuocare conanti, fauent angeli hominum omnes illi, de quibus ait dominus: Quia angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cœlis est: & de quibus apostolus ad Hebræos ait: Nónne omnes sunt ministri spiritus ad ministeriū missi propter eos qui hæreditatem capiūt salutis? Fauet & ipse dominus, qui etiam animam suam posuit pro ouibus suis. Sed vtraque parte fauoris disciplina seruatur. Non enim vi res agitur, neque necessitate in alteram partem anima declinatur: alioquin nec culpa eius, nec virtus posset asscribi, nec boni electio præmium, nec declinatio mali supplicium mereretur: sed seruatur ei in omnibus libertas arbitrij, vt in quodcunque voluerit ipsa declinet, sicut scriptū est: Ecce posui ante faciem tuam vitam & mortē, & ignē

Gen. 6. Rom. 8.

Matt. 18. Heb. 1.

Ioan. 10.

L & aquam. Vita ergo Christus est, & mors nouissimus inimicus, qui est diabolus. Habet ergo in arbitrio suo anima si velit eligere vitam Christum, aut in mortem ad diabolū declinare, Quod si agnoscens anima deum Christum vitā suam amplexata non fuerit, nec sicut Deum magnificauerit, aut gratias egerit, sed euanuerit in cogitationibus suis, & mutauerit gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrū, & quadrupedum & serpentium, & his motibus declinauerit ad carnē, atque eos qui carnis desideriis fauent: derelinquetur sine dubio & deseretur ab eis qui eam fauore suo vt spiritui iungeretur animabāt: & cōcedent eā, vel tradēt desideriis cordis sui, quibus carni sociatur & adhæret. Neque enim obsistentē eam ac reluctantē, ad ea quæ refugit ac respuit reuocabūt. Cuius rei imaginem si adhuc videtur obscura, tali quadā specie manifestiorē planiorémque reddemus. Ponam⁹ esse aliquod domiciliū, in quo cum corpore & spiritu velut cum duobus cōsiliariis habitet anima, pro foribus verò huius domicilij astare pietatē, omnésque cum ea virtutes: ex alia verò parte impietatem, omnesq; luxuriarū ac libidinū formas expectare animæ nutū, quē ex duobus pro foribus obseruātibus introduci ad se desideret, quē repellit: Nónne si spiritui obtēperans, & meliori vsa cōsiliario pietatis & pudicitiæ ad se reuocauerit chorū, ille alius spiritus repudiat⁹ discedet? Si verò carnis vsa cōsiliariis impietatis

Liberum arbitriū. Deut. 30. 1. Cor. 15

Simile sumptum ex Prodico Hercule, vel litera Pythagoræ.

M ad se & libidinis introduxerit turmā, omnis illa sanctitatis & pietatis corona cui malorū anima conciliū præposuit, ista cū indignatione recedet, & membrū Christi, & templū spiritus sancti relinquēs, eā in desideriis cordis sui permittet: vt ignominia & cōtumeliis afficiat corpus suum in semetipsa, quæ commutauit veritatē dei in mendaciū, & introducens ad se impietatis & infidelitatis principem, colit & seruit creaturæ potius quā creatori, qui est benedictus in secula. Quibus sanè ex causis anima humana tāti discriminis tam ancipitē subeat statū, non est præsentis loci discutere. Eorū ergo est cōtumeliis afficere corpora sua, qui deseruiūt simulacris: & eorū colere creaturā, qui dereliquerint creatorē. Nos autē qui nullā creaturā sed patrē & filiū & spiritum sanctū colimus & adoramus, sicut non erram⁹ in cultu, ita nec in actibus quidem & in cōuersatione peccemus, neque imitemur eos qui contumeliis afficiunt corpora sua in semetipsis: sed aspicientes quod dicit apostolus: An nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi? & iterum: Quia corpus vestrum templum est spiritus sancti: vt membra Christi & templum spiritus sancti corpora nostra in omni sanctitate & puritate seruemus, quo non solum angelorum digna ingressibus fiāt, verum etiam inhabitatione spiritus sancti, & māsione patris & filij, q̄ dicit

1. Cor. 6.

A de eo qui in mandatis suis permanet : Ego & pater venie- *Ioan. 14.* mus & mansionem apud eos faciemus. Propterea tradidit illos deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali vsu fœminæ exarserunt in desideriis suis inuicem masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probauerunt deum habere in notitia, tradidit illos deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repleti omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui faciunt illa, sed etiam qui consentiunt facientibus. Propterea inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas: in quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas. Eadem enim agis quę iudicas.] Ter inuenimus ab apostolo positum: Tradidit illos deus: & primę quidem traditionis causas dedit, quia cum cognouissent deum, non sicut deum magnificauerunt, aut gratias egeruot, vsque Et serpentium. Propterea, inquit, tradidit illos deus, vsque Corpora sua. Secundę traditionis cū videtur præmittere cum dicit, quia cōmu-

Ter Paulus vtitur locutione tradendi in reprobū sensum.

B tauerunt veritatem dei in mendaciū, vsque Creatori. Propter hoc (ait) tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Quæ tamen secunda traditio, grauioribus flagitiis videtur obnoxia. Etenim fœminæ eorum, inquit, immutauerunt, vsque Quæ est contra naturam. Similiter & masculi. Tertiæ quoque traditionis causas videtur dare cum dicit: Et sicut non probauerū deum habere in notitia, tradidit illos deus in reprobum sensum, vt faciant eā quæ non conueniunt, repleti omni iniquitate, malitia, cæterisque sceleribus quæ consequenter enumerat. Verum distinctiones istæ causarum non mihi videntur satis cōgruere ad ea quę singulis quibusque obiecta sunt crimina. Quomodo enim turpioribus flagitiis traditur is qui creaturæ seruit, magis quàm ille qui gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imagis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium mutauit? Aut quomodo supra vtrunque horum, vel examini cuidam tradūtur malorum hi qui non probauerū deum habere in notitia? Vnde magis mihi videntur omnes hæ causę quę traditionibus sin-

C gulis præferuntur, in vnum coaceruandæ, & rursum traditionis species in vnū: vt (verbi causa) dicamus ita. Quoniam quidem homines mutauerunt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis hominum & volucrū & quadrupedum & serpentium, & quia commutauerunt veritatem dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius quàm creatori, nec probauerunt deū habere in notitia: propter hęc omnia tradidit illos deus in desideria cordis eorum, & in immunditiam vt contumeliis afficiant corpora sua, & tradidit eos in passiones ignominiæ, vt fœminę eorum immutarent naturalem vsum in eū qui contra naturam est, similiter autem & masculi. Sed & tradidit illos deus in reprobum sensum, vt faciant ea quę non conueniunt: quia erant repleti omni iniquitate, malitia, nequitia & auaritia, plenique erant inuidia, homicidiis, cōtentione, dolo, & cæteris quę scripta sunt malis: quique cum cognouissent iustitiam dei hāc esse, vt qui talia agunt digni sint morte, non solum qui faciunt illa, sed & qui consentiunt facientibus. Et ideo pro his omnibus malis inexcusabiles erunt, dum alios in his quę ipsi agunt sceleribus & iudicant & condemnant. De se enim pronūciat quis, cum de his quę ipse committit, alium punit. Arbitror autem sufficere ea quæ de traditionis specie supra dicta sunt, quomodo deus tradere dicatur eos, quorum actus & animum à se declinantem, & indulgentem vitiis, abhorrescit & deserit, & eadem repetere superfluum pu-

Seipsos quisque cōdemnant.

to. Duo sunt sanè quę in hoc loco indicari reor, quorum D alterum designari videtur ex altero. Certum namque est, quod si quem tradiderit deus vel in desideria cordis sui, vel in passiones ignominię, vel in reprobum sensum, continuo tanquam in terra pessima & reproba, omnis illa in eo qui traditur seges criminum surgat: & rursum si quis cognouerit deum, & non sicut deum magnificet, aut gratias agat, sed sit talis qualem per singula apostolicus sermo descripsit, dubium non est huiuscemodi animam derelictam esse à deo, & traditam. Neque enim possibile est cum his malis habitaculum esse deo, aut hæc mala inde procedere vbi habitat deus. Verum quia in his tribus vniuersas impietatis species enumerasse videtur apostolus, vel eorum qui idola colunt, vel eorum qui creaturæ deseruiunt potius quàm creatori, sed & eorum qui non probauerunt deum habere in notitia: in quorum primo titulo promiscui pagani, in alio sapientes eorum & philosophi designātur: puto quod in hoc tertio indicentur hæretici, vel creatorem deum negantes, vel diuersas blasphemias in excelsum loquentes. Igitur singuli quique horum quos supra diximus in cultu diuinitatis errare, talibus malorum titulis designantur: Nos qui videmur in ecclesia fidem rectam tenere, consideremus nosmetipsos, & omni circumspectione pensemus, ne forte solo ab his veri cultus nomine separati, rebus eis atque actibus sociemur. Certum est enim, quia (verbi causa) repletus iniquitate, malitia, nequitia, auaritia, non probatur deum habere in noti- E tia, & est de numero eorum quos tradidit deus in reprobū sensum. Et iterum quorū fœminæ vel masculi relicto naturali vsu accenduntur in eum vsum qui contra naturam est, certum est, quia ex illorum numero sunt qui seruiunt creaturæ potius quàm creatori: & quos tradidit Deus in passiones ignominiæ, sed & si qui immunditia & contumeliis afficiant corpora sua, ex illis qui commutauerunt gloriam incorruptibilis dei: nisi quia grauiore sacrilegio is qui iam fidelis est, Christi templum, quam profanus adhuc templum contaminat idolorum. Non est sane prætereundum, ne istum quidem apostolicum sermonem in quo dicitur: Quoniam commutauerunt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis hominis, non solum eos qui idola colunt arguere: sed inter Anthropomorphitas intelligendi sunt, computati, qui in ecclesia positi imaginem corpoream hominis, dei esse imaginem dicunt, ignorantes illud quod in Genesi scriptum est, ad imaginem dei factum esse hominem: de quo homine sentiendum sit & ab Apostolo interpretari cum dicit: Deponentes vete- F rem hominem cum actibus suis, & induentes nouum hominem qui secundum deum creatus est. Audis quia nouū hominem dicit secundum deum creatum. Hunc autem eundem nouum hominem, alibi interiorem vocat hominem. Corruptibilem verò hunc, cuius hic imaginem respuit, exteriorem nominat cum dicit: Nam etsi is qui foris est homo noster corrumpatur, sed is qui intus est renouatur. Et vt planius eius sententiam sciant isti qui de imagine dei errant, audiant quem dicat esse apostolus hominem, qui ad imaginem dei creatus est, cum ad Colossenses hoc modo scribit: Nolite mentiri, inquit, spoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, qui renouatur in agnitione secundum imaginem eius qui creauit eum. Ex quibus euidenter ostendit, quod interior homo qui per agnitionem renouatur, ipse ad imaginem Dei creatus est. Qui autem exteriorem hominem, id est corporeum & corruptibilem ad imaginem dei esse dicūt, cum his apostolo sociantur qui commutauerunt gloriam Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Verum oportuit ne hæc quidem in explanatione apostolici sermonis omitti, vt & in hoc capitulo apostoli sicut & in cæteris plurimis Anthropomorphitæ, id est qui corporei hominis imaginem, dei esse imaginem dicunt, conuictos se, & confutatos esse cognoscerent. Sed nos iam in hac continentiam primi voluminis concludamus.

Pagani, philosophi et hæretici.

Anthropomorphitæ. *Gen. 1.* *Col. 3.* *Imago dei in animo.* *2. Co. 4.* *Colo. 3.* *Homo externus & internus, vetus & nouus.* *2. Cor. 4.*

G LIBER II. CAP. II.

Iudicium Dei.

SCimus autem quoniam iudiciũ Dei est secundũ veritatẽ in eos qui talia agunt.] Iudicium quidem Dei secundum veritatem, nõ solum in eos qui hęc agunt quæ superius enumerata sunt, verum in omnes quicunque modo boni quidã maliue gesserunt, expectãdũ est & credendũ. Sed illud quid est, quod in hoc loco videtur ostendi, quia solius Dei sit secundum veritatem iudicium? Sunt enim quędam quę committuntur opere quidem malo, animo autem nõ malo: vt si quis, verbi causa, homicidium non voluntate commiserit. Et alia fiunt opere quidem bono, sed animo non bono: vt si quis misericordiam non pro mãdato dei in bono, sed vt laudetur ab hominibus faciat. Alia verò sunt in quibus siue in bono siue in malo animus cum corpore cõcordat. Et quia corda hominum noscere solius Dei est, & mentis secreta dignoscere, idcirco ipse solus est qui secundum veritatem potest habere iudicium. Sed requiritur, si ergo eis quorum remissæ sunt iniquitates per baptismi gratiam, vel quorum tecta sunt per pœnitentiam peccata, vel quibus imputandum non est peccatum per martyrij gloriam, videatur secundum veritatem deus seruare iudicium: Veritas quippe iudicij hoc postulat, vt malus mala, & bonus recipiat bona: & quamuis dona & largitio Dei nequaquam curiositatem discutientis admittant, tamen etiam in hoc quanta sit iudicij eius veritas ostendamus.

Operũ varietas.

Psal. 32.

Tribus modis remißio peccatorum acquiritur.

H

Communis professio est bonum non debere puniri, sed consequi bona. Si quis ergo sit, verbi gratia, qui egerit aliquando mala, certum est quia malus erat tunc cum agebat mala. Is verò si præteritorum pœnitens mentem suam corrigat ad bona, & agat bene, loquatur bene benéque cogitet, bene velit, qui hæc agit, non tibi videtur bonus, & merito recipere bona? Similiter & si ex bono quis conuertatur ad malum, non iam bonus quod fuit, & non est, sed malus iudicabitur quod est. Actus enim siue boni siue mali prætereunt, sed secundum sui qualitatem agentis mentem imaginantur & formant, eámque vel bonam relinquũt vel malam, seu pœnæ, seu premiis destinandã. Erit ergo iniquum vel bonam mentem pro malis gestis puniri, vel malã pro bonis actibus munerari. Verũ vt adhuc planius fiat quod dicimus, addamus etiã hęc: Ponamus esse animã in qua habitet impietas, iniustitia, stultitia, luxuria,

I

& multitudo omnis malorũ, quibus scilicet ministram se famulãque subdiderit. Quod si in semetipsam regressa hæc anima, pietati rursus & virtutibus mẽtis suæ ianuã pãdat, nonne ingressa pietas impietatem continuo depellet? similiter & iustitia iniustitiã trudet, & sapiẽtia stultitiã, & sobrietas luxuriam fugabit? atque ita depulsis habitatoribus barbaris ex semetipsa, ciuile & legitimum virtutibus præbebit hospitium? Quomodo ergo iam plenam virtutibus animam iustum erit de his arguere quæ gesserit cum nondum esset amica virtutum, & de impietate piã, de iniustitia iustam, de luxuria sobriam condemnare? Hoc ergo modo in his quorum etiã remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, credendus est deus secũdum veritatem seruare iudicium. Existimas autem hoc ô homo omnis qui iudicas eos qui talia agunt, & facis illa, quia tu effugies iudicium dei?] Si omnia quę lex loquitur his qui in lege sunt loquitur: & quę euangelium, vel nunc apostolus loquitur, non principibus seculi, nec regibus mũdi, sed ecclesiarum rectoribus & principibus loquitur, his videlicet qui iudicant, eos qui intus sunt, id est episcopis, vel presbyteris & diaconibus: his ergo dicit ne existiment se effugere iudiciũ dei, si ea committant ipsi de quibus alios iudicant & condemnãt. Et ideo oportet vnumquenque de sua prius conscientia iudicare, & tunc eius quem iudicat gesta discutere, quod si fieret, omnis penitus adeundi honoris ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se iudicandos potius quam iudicaturos hi qui præesse volunt populis, cogitarent. Nemo ergo existimet quod possit effugere iudicium Dei, sicut &

Psal. 32.

propheta dicit: Quò ibo à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Et quia hæc ad eos maxime dicuntur qui pręsunt iudicus populorum, idcirco & alibi dicit, quod de domo domini incipiet iudicium: & item alibi dominus dicit: In his qui approximant mihi sanctificabor: Sicut in Nadab & Abiud gestum est, cum alienum ignem, id est non sacrum diuinis altaribus obtulerunt: Incipit ergo iudicium à filiis prius. Flagellat enim deus omnem quem in numerum recipit filiorum. Verum vt ego existimo, nec si posset quis, deberet velle effugere iudicium dei. Nõ venire enim ad iudicium dei, hoc est ad emendationem, vel sanitatem, & remedium non peruenire. Aut diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te adducit?] Diuitias bonitatis dei ille agnoscere potest qui considerat quanta in terris mala quotidie homines gerant, & quomodo pene omnes declinantes & simul inutiles facti, latam & & spatiosam perditionis ambulant viam, angusto vitæ itinere neglecto, & his omnibus deum producentem solem suum quotidie, & pluuias ministrantem: si quis consideret quãti in deum quotidie blasphemant, & in cœlum extendut linguas suas. Iam quid de fraudibus, de vitiis, de scelere, de sacrilegiis, & piaculis dicam? Quibus tamen omnibus in hoc loco illi videntur in scelere pręstare, qui alios iudicantes ipsi committunt quæ in cæteris puniunt. Si quis ergo hanc bonitatem dei & sustentationem eius & patientiam contemnit, ignorat quod per hæc ad pœnitentiam prouocatur. Sustentatio verò à patientia hoc videtur differre, quod qui infirmitate magis quàm proposito delinquunt, sustentari dicuntur: qui verò pertinaci mente velut exultant in delictis suis, ferri patienter dicendi sunt. Sed sicut omnia in mensura fecit deus, & pondere & numero, ita etiam patientiæ eius certa mensura est: quam mensurã credendum est esse consumptam vel ab his qui diluuio perierunt, vel ab his qui in Sodomis cœlesti igne vastati sunt. Vnde & de Amorrhæis dicitur: Nondum enim repleta sunt peccata Amorrhæorum vsque nunc. Fert ergo deus patiẽter, & expectat vniuscuiusque pœnitentiam. Sed non nos dissoluat hoc & tardos ad conuersionem faciat, quia rursus patientiæ eius & sustentationis certa mensura est. Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die irę & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius.] Cor durum in scripturis dici videtur, cum mens humana velut quodam frigore iniquitatis obstricta signaculum imaginis diuinę nõ recipit. Hoc idem alibi cor crassum appellatur, sicut cum dicit: Incrassatum est cor populi huius: Contrarium verò est duro molle, quod in scripturis cor carneum nominatur, & subtile, vel tenue: quod apostolus spiritalem hominem vocat, eum qui examinat omnia. Igitur cum scit quæ bona sunt, & non agit bona, per duritiam cordis contemptum omnium bonorum habere credẽdus est. Crassitudo verò cordis est, vbi subtilis & spiritalis intelligentiæ non recipitur sensus: & ita cor impœnitens effectum thesaurizat sibiipsi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, dum opus bonum non agitur per duritiam, intellectus verò bonus per crassitudinem cordis excluditur. De ira autem dei & superius quãtum res pati potuit, & in aliis locis sæpe dissertũ est. Quod verò dicit, Thesaurizas tibiipsi irã in die iræ, considerandũ est. Thesaurus appellatur quo diuersi generis opes & diuitiæ congregantur. Huius in scripturis significãtiam triplicem legimus. Dicitur enim in euãgelio, thesaurus esse quidã in terris, in quo prohibet dominus thesaurizari: & alius thesaurus in cœlo, in quo iubet fideles quosq; opes suas recondere: & hic nũc apostolus dicit iræ thesauros. Omnes ergo homines per hęc quæ agunt in hoc mundo, in vno aliquo ex istis tribus congregant thesauros. Aut enim infidelis est quis & iniquus, & per duritiam cordis & cor impœnitens in thesauro iræ actus suos recondit. Aut terrenus est, & de terra sapit, ac de terra loquitur, & cum ei attulerit ager fructus vberes, destruit horrea sua, & maiora ædificat & thesaurizat in terra. Et ille quidem durus, hic autem stultus appellatur. Dicitur

enim

Marginalia (right column): K *Psal. 138.* — *Qui bonitatem dei agnoscãt. Matt. 7.* — L — *Genes. 15* — *Cor durũ & crassũ* M *Deut. 32.* — *Thesaurizare sibi iram. Mat. 6.* — *Thesauri hominum*

A enim ad eum: Stulte hac nocte repetent abs te animam *Luc. 12.* tuam, & ea quæ parasti, cuius erunt? Aut sapiens est in deum diues, & in terris ambulans conuersationem habet in cœlis, atque omnia quæ agit digna sunt regno cœlorũ. Iste talis diuitiarum suarum thesauros condit in cœlis. Ita ergo vniuscuiusque thesauri possessor & cõditor potest alius quidem carnalis, alius verò animalis homo, alius autẽ *Dies iræ.* spiritalis appellari. Nunc autem videamus qui est dies iræ, quem hic apostolus nominat, qui tamen facilius dignoscitur, si de eo quid etiam reliquę scripturæ indicent requiramus: Quæ ergo ad pręsens exempla occurrere poterunt, *Amos 5.* aptabimus, & ex his qui sit dies iræ monstrabitur. Scriptũ est enim in Amos propheta: Væ his qui desiderant diem domini. Vt quid vobis dies domini? & hæc est tenebræ, & non lux, Quemadmodum si effugiat homo à facie leonis, & occurrat ei vrsus, & intret in domum suam, & extendat manus suas ad parietem, & mordeat eum serpens. Nonne tenebræ, & non lux sunt dies domini, & caligo quæ nõ resplendet? Sed & Iohel dicit ad sacerdotes, & eos qui altari deseruiũt. Clamate ad dominum sine cessatione: Heu me heu me in diem, quia prope est dies domini, & sicut miseria ex miseria veniet, & post pauca. Tuba canite in Sion, prædicate in mõte sancto meo, & confundãtur omnes qui habitant super terram, quia adest dies domini, quia prope B est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & nebulæ. Sicut matutinum effundetur super mõtes populus multos & fortis. Similis ei non fuit à seculo, & post ipsum non erit vsque in annos seculi seculorom. Ante ipsum ignis cõsumẽs, & post ipsum flamma accensa. Sicut paradisus delitiarũ est terra ante faciem eius, & post tergum eius caput exterminij, & nullus est qui euadat eum. Sicut aspectus equorũ facies eorũ, & sicut equites ita sequẽtur. Sicut vox curruũ super vertices montium insilient. Sed & omnia in consequentibus de eadem scribit vsque ad eum locum vbi dicit: Et dominus dabit vocem suam ante faciẽ virtutis suę, quia ingens est valde multitudo castrorum eius, & valida opera verborũ eius. Propter quod magna est dies domini, magna & nobilis valde, & quis erit idoneus ei? Sophonias verò ita dicit: Reuertemini à facie domini dei, quoniam prope est dies domini, & præparauit dominus victimam suam, sanctificauit vocatos suos. Et post pauca: Prope est dies domini magna, prope est, & velox nimis. Vox diei domini amara, & dura posita est & valida. Dies iræ, dies illa, dies angustię, & necessitatis, dies acerbitatis & perditionis, dies tenebrarũ & caliginis, dies nubis & nebulæ, dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas, & super muros excelsos. Et affligã homines, & ambulabũt sicut cæci, quoniã domino peccauerunt, & effundam sanguinem eorũ sicut puluerem & carnes eorum sicut stercora. Aurum eorum & argentũ C eorũ non poterit liberare eos in die irę domini. In igne *Esa. 13.* ęmulationis consumetur omnis terra, quoniã consummationem & festinationem faciet super omnes qui habitant terram. Esaias quoque similiter memorat: Ecce enim dies domini veniet insanabilis furoris & iræ, ponere orbẽ terræ desertum, & peccatores perdere ex eo. Et post pauca: Cœlum enim furore accendetur, & terra mouebitur à fũdamentis suis propter furorẽ iræ domini Sabbaoth in die qua superuenerit furor eius. His tot & talibus de die iræ testimoniis congregatis, puto quod vltra locus hic expositione non egeat. Euidenter enim in his omnibus dies irę, & vindictæ, dies iudicij designatur. Inde denique ad diem iræ addit apostolus: Et reuelationis. Sic enim dicit: In die *Matth. 10.* iræ & reuelationis iusti iudicij dei. Reuelanda namque esse *Reuelatio iusti iudicij dei.* omnia, etiam in euangelio designatur cum dicitur: Nihil occultum quod non manifestetur, nec opertum quod non reueletur. Sed & apostolus in consequentibus huius epistolæ dicit: Cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus in die cum iudicabit deus occulta hominum. In quo vtique ostendit occulta hominum reuelanda non nisi *1. Cor. 4.* in die qua iudicaturus est deus, sicut ad Corinthios euidentius dicit: Nolite ante tempus iudicare vsquequo veniat domin*, qui illuminabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Quæ vtique omnia de hac eadem die dici intelliguntur, in qua tenebræ & mœror, & D tristitia futura dicitur, propter eos qui multis peccatorum *Esa. 62.* vulneribus confossi ignis remediis indigebunt. Quo in tẽpore dicetur ad sanctos: Perge populus meus, intra in promptuaria tua, claude ostium tuum, occultare paulisper donec transeat furor iræ meæ. In quibus sermonibus quãtæ diuitiæ bonitatis dei occultentur propter eos qui patientiam eius bonitatẽmque contemnunt, manifestare non opus est. Requiritur sane à quibusdam cur dies hic de quo superius bibliothecas propheticas mouimus, in fine mundi statutus sit, vt omnes qui ab initio seculi vsque ad finem ipsius defuncti sunt, ad hunc vltimum diem iudicandi reseruentur. Cuius rei interiores causas certum est secretio- *Cur dies iudicij in fine mundi huius sit futurus.* ribus mysteriis contegi: Mysterium verò regis abscondere bonum est. Tamẽ explanationis gratia dicemus in quãtum possibile est paginis verba committere. Multi sunt qui ex hac vita abeuntes vel bonorum, vel malorum post se quædam semina reliquerũt, ex quibus qui supersunt homines occasiones vel salutis vel perditionis accipiunt: Ver- *Hæreses Philosophorum.* bi gratia dixerim, vt sunt omnes qui prauas sectas & alienas à deo inter philosophos condiderunt, vel qui magica sacrilegia, aut qui errores astrorum, & decreta finxerunt: certe qui apud nos auctores hæreticorum & prauorum dogmatum libris æditis extitere, vel etiam qui schismata in ecclesiis, scandala, ac dissensiones operati sunt: econtra- E rio apostolicarum literarum opus profectũsque per has vniuersæ ecclesiæ, & conuersio ad deum, atque emendatio totius mundi: quorum omnium causæ non nisi cum ipsi* mundi fine claudentur: & ideo non esset iustum iudicium dei, donec de his singulis vel profectus, vel impedimenta penderet. Quod & apostolus significare videtur cum di- *1. Tim. 5.* cit: Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quorundam autem & subsequuntur. Iam verò si etiam extra corpus positi vel sancti, qui cum Christo sunt, agunt aliquid, & laborant pro nobis ad similitudinem angelorum, qui salutis nostrę ministeria procurant vel rursum, peccatores etiam ipsi extra corpus positi agunt aliquid secundum propositum mentis suæ, angelorum nihilominus ad similitudinem sinistrorum, cum qui- *Matt. 25.* bus & in æternum ignem mittendi dicuntur à Christo: habeatur hoc quoque inter occulta dei, nec chartulæ committenda mysteria. Sufficiant ista de die iræ & reuelationis. Nunc requiramus de iusto Iudicio dei, in quo reddet *Manichæi post Origenem hanc tenuerunt opinionẽ.* vnicuique secundum opera sua. Et primo quidem excludantur hæretici, qui dicunt animarum naturas bonas vel malas: & audiant quia non pro natura vnicuique deus, sed pro operibus suis reddit. Secundo in loco ędificentur fideles, ne putent sibi hoc solum sufficere posse quod credunt, sed sciant iustum iudicium dei reddere vnicuique secundũ F opera sua. Videbuntur nequaquam pro hoc sermone excludi posse gentiles: si forte & ipsi boni aliquid operentur, & emendatius agant. Sed & illud quod in Ezechiele scri- *Ezec. 18.* ptum est, huic sentẽtiæ videtur aduersari, dicit enim: Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secũdum omnes iniquitates quas facit iniquus, omnes iusticię eius quas fecit, non cõmemorabuntur: in lapsu eius quo lapsus est, & in peccatis suis quæ peccauit, in ipsis morietur. Dicent enim: Si nihil ex iusticia iusti cum lapsus fuerit memorabitur, quomodo vnicuique reddet secundum opera sua? Sed videamus ne forte absolutionem sui in se, ipse sermo diuinus inueniat, si obseruemus quomodo scriptũ est quod dicit: Cum auersus fuerit iustus à iusticia sua, sed addidit: Et fecerit omnem impietatem secundum omnes iniquitates quas facit iniquus. In quo videtur latentur huiusmodi inseruisse intellectum, vt si forte non secundum omnes iniquitates quas facit iniquus fecerit iustus, non omnes iusticiæ eius de memoria auferantur. Si verò omnes iniquitates fecerit quas iniquus agit, tunc demum omnes iusticiæ in lapsu eius de memoria subtrahuntur. Hæc quãuis occultauerit in scripturis spiritus sanctus propter hos qui diuitias bonitatis & patientiæ eius contemnunt non tamen penitus abstulit: quia & thesaurus in agro ab- *Mat. 13.* sconditus non quidem ab omnibus inuenitur, nec facile

G dirripiatur & pereat: inuenitur tamen à prudentibus, qui possunt ire & vendere omnia quæ habent, & emere agrũ illum. Et hæc ergo quamuis abscondita sunt in scripturis sicut scriptũ est: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te: tamen inueniũtur ab his qui non solum iustum, sed etiam bonum esse deũ legis & prophetarũ testimoniis ex his quę in scripturarum mysterio sunt occultata defendunt. Ex quibus necessitas exigit pauca patefacere gratia exponendi Apostolicum sermonem, quo ait iusti iudicij dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua. His quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus, vitam æternam: his autem qui ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, obtemperãt autem iniquitati, ira, & indignatio, & tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci. Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. Non enim personarum acceptio est apud deum.] Quærentibus, inquit, gloriam & honorem & incorruptionem pro boni operis patientia, vita æterna dabitur, non solum Iudæis, quibus credita vidẽtur eloquia Dei, sed etiam Græcis, quia iustum est iudicium Dei, & non tantum Iudæorum Deus est, sed & gentium. His verò qui per contentionem mentis, & animi prauitatem veritati non credunt, sed iniquitatem se-
H quuntur, redditur, & indignatio, tribulatio, & angustia, non solum gentili, sed & Iudæo, quia non est personarum acceptio apud deum. Hæc quidem quãtum ad sermonum ordinem spectat, sed nunc quæ ad interiorem sensum pertinent requiramus. His, inquit, qui per patientiam boni operis.] Quod dicit patientiam boni operis, ostendit laborem quendam & agones imminere his qui bonum opus facere volunt: Luctamẽ est enim, sicut & idem Apostolus dicit, non aduersus carnem & sanguinẽ, sed aduersus principatum & potestatem, & mundi huius rectorem, quæ omnia bono operi aduersantur: & ideo patientia necessaria est, quia scriptum est: In vestra patientia acquiretis animas vestras. Videamus autem quod dicit opus bonum. Dominus in euangelio de ea muliere quæ alabastrum vnguenti pretiosi effudit super caput eius pronunciat, quod bonum opus operata est in me, designans quod qui verbo dei vnguentum superfuderit, id est, qui opera cum verbo sociauerit, ille opus bonum operetur. Odoratus nanque efficitur omni vnguentorum suauitate repletus sermo, cũ fuerit vt oportet actibus exornatus. Nunc quidem gloriam & incorruptionẽ requiramus. Multis in locis scripturæ san-
I ctæ de gloria scribitur. Nam in Exodo de Moyse dicitur, quia cum descenderet de mõte glorificatus sit vultus eius. Hoc retexens Apostolus ad Corinthios dicit. Quod si ministerium mortis in literis formatum in lapidibus, factum est in gloria, ita vt non possent filij Israel intendere in faciem Moysi propter gloriã vultus eius qui aboletur, quãto magis ministerium spiritus erit in gloria? Si enim in ministerio damnationis gloria est, quãto magis abũdabit ministerium iusticiæ in gloria? Et post pauca addit: Nos autem omnes reuelata facie gloriam domini speculantes in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam tandam à domini spiritu. Est ergo quædam gloria secundum Apostolum quæ nõ glorificatur, vt illa quæ in vultu Moysi fuit, quæ dicitur esse destructa, quæ legis litera intelligi potest, habẽs quidem gloriam præceptorum, sed quæ glorificari non posset. Est & alia gloria, quæ permanet & glorificatur in Christo. Cum enim ascẽdisset in montem cum Petro, & Iacobo, & Ioanne, transformatus in gloria esse scribitur. Et tunc apparuerũt, inquit, Moyses & Helias loquentes cum eo. Per quod ostẽditur, quia legis & prophetarum gloria tunc apparuit, cum Christus fuisset transformatus in gloria, vt illius gloria illuminata prophetia & lex amoto velamine literæ intelligatur in spiritu. Verum quia & in Exodo dicitur gloria dei replesse tabernaculum testimonij, & iterum in dedicatione templi nihilominus descendisse gloriam dei, & replesse domum fumo, caligine, & nube, in quo vtiq; ipsa adesse dei præsentia designatur: illa in his putanda est Dei gloria, de qua Apostolus scribẽs K ad Hebræos dicit de filio, quia sit splendor gloriæ, & imago expressa substantiæ eius. Per quę hoc declaratur, ipsum fontem gloriæ patrem dici, ex quo splendor gloriæ filius generatur, cuius participatione omnes creaturæ gloriam habere dicuntur: sicut de his qui ex resurrectione sunt, scribitur: Alia gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. Stella a stella differt in gloria. Hanc ergo gloriam quæ ex resurrectione est qui requirunt, & honorem, & incorruptionem, illud sine dubio inuenient quod scriptum est. Seminatur corpus in ignominia, surget in gloria: seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Et idem inquisitor huius gloriæ & honoris & incorruptionis per patientiam boni operis vitam consequitur ęternam. Verum quia de gloria (vt potuimus) discussimus, videamus quid & honor indicet: quia qui ad æternam vitam festinant, nõ solum gloriam, sed & honorem quęrunt. Scriptum est, quia homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Quęrit ergo illum honorem antequam comparetur iumentis insipiẽtibus, id est illum quem habebat in paradiso anteqnã peccaret, honorem quo dei vocem merebatur audire, honorem quo paradisi fructibus à ligno vitæ fruebatur. Sed & illud quod dicit Apostolus, Reddite omnibus debita, cui honorem, honorẽ, ad hoc mihi respicere videtur. Ego L enim sic intelligo, honorem debitũ reddi, si quod debetur iustitiæ reddatur, & nihil ex eius parte iniusticiæ concedatur: similiter & veritati si quę sua sunt ita reddãtur, vt nihil ex eius partibus mendacio relinquatur. Sapientiæ quoque & innocẽtiæ bonitatique, si ita reddamus quæ sua sunt, vt nihil ex eorum bonis, vel stulticiæ, vel calliditati, vel malitię permittam. Cũ enim (verbi gratia) in iudicãdo vel personam potẽtis acceperis, vel pro amici gratia quę sunt vera suppresseris, nõ reddidisti honorẽ debitum iustitiæ, nec veritati, sed dehonorasti iusticiam, & fecisti contumeliam veritati: & cum Christus sit iusticia, & sanctificatio, & veritas, eris similis illis qui Christum colaphis ceciderunt, & qui in faciem eius conspuerunt, & qui in calamo caput eius percutientes, vertici eius imposuerunt spineam coronam. Quia autem honorem qui his omnibus virtutibus ab homine debetur in euangelio edocemur, dicẽte domino, vt omnes honorificent filium sicut honorificant patrẽm: honorificat ergo patrem & filium, qui honorem dignum & studium defert sapientiæ, & iustitiæ, & veritati, omnibúsque his quæ esse dicũtur Christo. Hoc ergo modo quęrunt gloriam & honorem & incorruptionem, qui festinãt M ad æternam vitam. Sed & incorruptio quid indicet, cito sciemus, si quod ei contrarium est discutiamus. Incorruptio contrarium habet corruptionem. Corruptio duobus modis accidere dicitur, corporaliter & spiritaliter. Corporaliter accidit, cum euenerit illud quod scriptum est: Si quis templum dei corruperit, corrumpet illum Deus. Spiritaliter, cum illud acciderit, quod nihilominus Apostolus dicit: Vereor autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, corrumpantur sensus vestri à simplicitate fidei, quę est in Christo Iesu. Si quis ergo ab his quæ supra diximus, manserit corpore & spiritu incorruptus, iste incorruptionem quærere dicitur, quo scilicet ab obseruantiæ incorruptionem, illam quę ex resurrectione est incorruptionem consequi mereatur. Quid autem datur hęc requirentibus videamus: Vita (inquit) æterna: Illa de qua Saluator docet, cum dicitur: Hęc est autem vita ęterna, vt cognoscant te solum verum deum, & quem misisti Iesum Christum. Per quod ostendit in agnitione Dei & Christi Iesu vitæ ęternæ manere substantiam. Agnitio verò dei quomodo haberi possit, docemur in psalmis cum dicit: Vacate & agnoscite quoniam ego sum Deus. His autem qui ex contentione, & qui diffidunt quidem veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio, tribulatio, & angustia.] Qui simpliciter hęc accipit, sufficere credit ad intellectũ, secũdũ ea quę supra dicta sunt, reddere deum vnicuique secundum opera sua: id est sicut illis qui per patientiam boni operis credũt, vel quærunt gloriã, & incorruptionem, vitam reddit ęternam:

Psal. 31.
Quibus vitã largiatur deus, & quos morte mulctet.
Ephes. 6.
Luc. 21.
Mat. 26.
Bonum opus.
Exod. 34.
2. Cor. 3.
Gloria.
Matt. 17.
Exod. 40
2. Par. 7.
Heb. 1.
1. Cor. 15
Honor.
Psal. 49.
Rom. 13.
1. Cor. 1.
Ioan. 5.
Incorruptio quid.
1. Cor. 3.
2. Cor. 11
Ioan. 17.
Psal. 46.
Pœna malorum affectuũ & operum.

A nam: ita & istis qui ex contentione diffidunt quidem veritati, obtemperant autem iniquitati, iram, & indignationem, tribulationem & angustiam reddat. Sed qui in Apostolicis literis, per quas Christus loquitur, iota vnum, aut vnum apicem non credit otiosum, asseuerabit non per errorem Apostolo contigisse, vt tali locutione vteretur dicens: Qui reddet his quidem qui per patientiam boni operis gloriam, & honorem quærunt, vitam æternam: his verò qui ex contẽtione obtẽperant iniquitati: & non dixit iram & indignationẽ, vt & hoc referatur ad reddet quod superius dixerat: sed ita, ira, & indignatio, tribulatio, & angustia. Vnde qui spiritalis est, & intelligit quid spiritus loquatur in Paulo, dicit non hæc Apostolum imperitia, sed per diuinam peritiam conscripsisse: scilicet vt per hæc ostenderet ea quidem quæ secundum patientiam boni operis quærentibus gloriam & incorruptionem reddenda sunt, per deum reddi, id est vitam æternam: ea verò quæ consequuntur eos qui per contentionem diffidunt quidẽ veritati, obtemperant verò iniquitati, non à deo dari, cuius dona vtique permanentia, & ipso digna sunt: sed ex consequentia gestorum suorum in his qui operantur malum, ira, & indignatio, tribulatio, & angustia erit, secundum ea quæ thesaurizauerunt sibiipsi. Nam vtique sicut ibi vitam æternam casu accusatiuo protulerat, ita & hic iram, & in-

Mat. 5.

B dignationem, tribulationemque & angustiam casu accusatiuo protulisset, si id ad reddentis dei personam referre voluisset. Quod & in aliis scripturæ locis similiter intelligitur designari, sicut in primo libro Regnorum, vbi dicit dominus: Glorificantes me glorificabo, spernentes me spernentur. In quo euidenter ostenditur dicere dominus eos qui glorificandi sunt, per se glorificandos: de his verò qui spernendi sunt non retulisse ad se, sed absolute dixisse, quia spernentur. Si enim vt bona per semetipsum præstat, ita & mala per semetipsum retribueret deus, consequens erat, vt quomodo dixit, Glorificantes me glorificabo, ita diceret: Et spernentes me spernam. Sed & in alio loco per prophetã simile quid videtur ostẽdi in eo, quod hi qui eũt in ignem, non à deo, sed à semetipsis eum inueniant accensum, sicut dicit Esaias: Ite in lumine ignis vestri, & in flamma quam accendistis. Et vt adhuc planior horum fiat dissertio, addentur etiam hæc: Si quis contra præceptum medici sumptis malorum ciborum succis, & corporis turbata temperie, vel febres, vel quoslibet huiuscemodi incurrerit morbos, certum est quòd non per medicum sed per intemperantiam suam pestem languoris acceperit: Si verò medici præcepta custodiens in sospitate perduret, vtique per medicum dicetur habere gratiam sanitatis. Hoc ergo modo consequenter videtur deus ipse per se reddere vnicuique secundum opera sua quæ bona sunt: mala autem

1. Reg. 2.

Simile.

C venire intelligentur non à deo, sed ex pessimis intemperantiæ succis, & cruda prauitate gestorum. Verum & hoc ipsum quod dixit: Qui ex contentione diffidunt quidem veritati, obtemperant autem iniquitati, indiscussum non omittamus. In his enim singulis languores quidam animi ab Apostolo designantur, quorum medelam nullus inueniet nisi prius morborum cognouerit causas: & ideo in scripturis diuinis ægritudines animæ numerantur, & remedia describuntur, vt hi qui se apostolicis subdiderint disciplulis, ex his quæ scripta sunt agnitis languoribus suis, curati possint dicere: Lauda anima mea dominum, qui sanat omnes languores tuos. Vnus ergo ex cæteris animæ languor, & quidem pessimus, contentio intelligenda est, per quam omne opus prauum geritur. Per hanc hæreses nascuntur, per hanc schismata & omnia scandala in ecclesiis generantur, dum hi qui apud semetipsos prudentes sunt, & in conspectu suo sapientes, quicquid libuerit pro lege defendunt: & inde fit vt diffidatur quidem veritati, obtemperetur autem iniquitati. Diffidere porro pro non credere, vel non obtemperare, solet in scripturis sanctis inueniri, sicut & in hoc loco, quod forte aptius latinus interpretari potuisset, si dixisset: qui non obediunt veritati, sed obediunt iniquitati. Omnis ergo qui alienum à veritate iter ingreditur, nec sequitur eum qui dixit: Ego sum veri-

Diffidere veritati, obtemperare iniquitati.

Psal. 146

Contentio quantum mali sit.

Ioan. 14.

tas, diffidit veritati, & inobediẽs est ei. Sic non solũ in actibus, sed & in sensibus, & in fide errãt, quod maxime ex cõtẽtione contingit, sed & qui sapiẽtiæ obsistunt, & iusticiæ, & sanctificationi: Christo diffidut. quia sicut veritas est ita & sapientia, ita & sanctificatio est. Non obtemperare autem Christo qui iusticia est, hoc est obtemperare iniquitati, & his actibus quos sine dubio consequuntur illa quæ scripta sunt, ira, & indignatio, tribulatio, & angustia. De ira sæpe iam diximus quod interdum peccati conscientia animæ inuritur cruciatus, ira appelletur. Indignatio autem ipsius iræ tumor, qui dictis significatur, & per singula quæque commotio. Vt si (verbi gratia) vulnus aliquod pessimum iram ponamus: huius autem tumor & distentio, indignatio vulneris appelletur. Tribulatio verò quàm subsequitur angustia, non est similis putanda illi tribulationi, de qua dicit Apostolus, quia tribulatio patientiam operatur. Illa enim talis tribulatio angustiam non habet subsequentem, sicut & ipse Apostolus dicit: Tribulationẽ patimur, sed non angustiamur. Imò verò non solum nullam angustiam tribulatio illa sanctorum, sed latitudinem habet: Denique sic dicit iustus: In tribulatione dilatasti me. Huius latitudinis & Apostolus cõscius sibi ad Corinthios scribit: Non angustiamini in me, sed angustiamini in visceribus vestris. Et addidit, Dilatamini & vos. Idcirco

D

Ira & indignatio.

2. Cor. 6.

Ibid.

E ergo deus de sanctis suis quos dilatari nouit, & habere intra cordis sui domicilium spacia longe latéque diffusa, dicit, Habitabo in eis, & inambulabo. Hoc munus à deo inter cætera sapientiæ munera accepit & Salomõ, sicut scriptum est. Et dedit (inquit) dominus Salomoni prudentiam multam valde, & latitudinem cordis. In hac ergo sanctorũ cordis latitudine non solum habitat, sed & inambulat deus. In peccatorum verò cordibus vbi angustiæ sunt, quia locum dedere diabolo ingrediẽdi, ingreditur quidem diabolus, sed non vt habitet, neque vt inambulet, angustiæ enim sunt: sed vt lateat tanquam in cauerna, est enim serpẽs. Sic ergo in se infœlix anima quam pessimus hic anguis obsederit, serpentino frigore rigens attrahitur, & coarctatur, atque in omnes angustias cogitur: illa verò quæ obtemperat veritati, instar cœli dilatatur, atque diffunditur, & solis iusticiæ illustratur radiis, & aula sapientiæ ac veritatis efficitur. Cur tamen ira & indignatio Iudæo primum, & Græco? Quia gloria & honor ipsi primum. Prius enim illis credita sunt eloquia dei, & ipsi dicũt: Beati sumus Israel, quia quæ placent deo, nobis nota sunt. Et ideo secundum euangelij sententiam: Seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit, digne plagis vapulabit multis, hic est Iudæus. Qui autem non cognouit Græcus, id est gentilis, vapulabit paucis. Interest enim cognouisse deum: & cognouisse voluntatem dei: quia cognosci deus à creatura

Leuit. 26

3. Reg. 4.

Luc. 12.

Rom. 1.

F mundi per ea quæ facta sunt etiam gentilibus potuit, & sempiterna eius virtus ac diuinitas: voluntas verò non nisi ex lege cognoscitur & prophetis. Verum quoniam & ad pœnam & ad præmium Iudæos præfert & Græcus postponit Apostolus, requirendum est, quos hic Græcos, quos Iudæos velit intelligi. Si illos dicit Iudæos qui adhuc sub lege sunt, & ad Christum non veniunt, & Christianos græcos, id est qui ex gentibus credunt, videtur contra totius mysterij venire sententiam. Quomodo enim illi primi dicentur de quibus dictum est: Ecce erũt primi nouissimi: & ad quos iterum dicit: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: & iterum, cum accessisset ad ficulneam Saluator in qua non inuenit fructum, dixit: Quia nunquam ex te fructus nascetur: & duo populi in vtero Rebeccæ designabantur, ex quibus dicitur, quia maior seruiet minori, & minor accepit benedictionem primatus? Sed & alia secundum hoc innumera in scripturis inuenies. Si verò Iudæos nos, id est Christianos appellat & eos qui ex omni genere crediderunt, quos ipse dicit in occulto Iudæos, restat vt Græcos gentiles illos dicat, qui nondum crediderer. Sed quomodo Apostolus tantam spem gentibus nondum credentibus ponit, cum ecclesiastica regula videatur obsistere, quæ statuit vt nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ possit introire in regnum cœlorum? Et ite-

Iudæi & Græci qui

Matt 23.

Matt. 23.

Mat. 21.

Gen. 25.

Ioan. 3.

G rum Petrus in Actibus apostolorum de Christo pronunciat dicens: *Act. 4.* Neque enim est aliud vllum nomen sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri. Quomodo ergo hic gentes gloriæ & honoris & pacis secundo post Iudæos loco participes facit? Sed videamus ne forte illa quæ solet bonitas & dulcedo dei abscondi in scripturis sanctis, aliquid etiam hic moliatur occultum. *Tres bonorum ordines.* Tres mihi hoc in loco ordines fecisse videtur Apostolus, primo enim dicit de his qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, quod ipsis reddidit deus vitam æternam: Patientiam autem boni operis in illis esse certum est, qui agones, & certamina perferunt pietatis. Quod supra diximus & exposuimus euidéter de Christianis dici, apud quos martyres fuerint. Probatur autem etiã per hoc quod dominus dicit ad apostolos, quia tribulationem habebitis in hoc mundo, & mundus gratulabitur, vos autem lugebitis. Et addidit post pauca: In patiẽtia vestra acquiretis animas vestras. *Luc. 21.* Christianorum ergo est pressuram pati in hoc seculo, & lugere quorum est vita æterna. Et vis scire quod nullius est vita æterna, nisi eius qui credat in Christum? Audi saluatoris ipsius vocem euidenter in euangeliis designantem: *Ioan. 17.* Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum deum, & quem misisti Iesum Christum: Omnis enim qui non agnouit patrem solum verum deum, & filium eius Iesum Christum, alienus H est ab æternitate vitæ: Hæc enim ipsa agnitio & fides designatur vita esse æterna. *Ioan. 14.* Est igitur primus hic Christianorum locus, quibus per patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærẽtibus vita æterna redditur, illa sine dubio quæ dicit: Ego sum via, veritas, & vita. In Christo autem qui vita æterna est, bonorum omnis plenitudo. Secundo in loco ponuntur hi qui ex contentione, & qui diffidunt quidem veritati, obtemperant autem iniquitati, quibus ita & indignatio, tribulatio & angustia imminet, id est omni animæ operanti malum, Iudæo primum & Græco. His autem iisdem etiam bonorum retributio. Tertio in loco pari cum distinctione promittitur cum dicit: Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. Quod vt ego capere possum de Iudæis & gentibus dicit vtrisque nondum credentibus. Potest enim fieri, vt vel ex his qui in lege sunt, si quis persuasione quidem communitus Christo non credit, operetur tamen quod bonum est, iusticiam teneat, misericordiã diligat, castitatem & continentiam seruet, modestiam lenitatémque custodiat, atque omne bonum operetur. *Ethnicorum quorundam virtutes.* Hic etiamsi vitam non habet æternam, quia credens soli vero deo, non credidit & filio eius Iesu Christo quem misit, tamen gloria operum eius & pax & honor poterit non perire. Sed & Græcus, id est gentilis, qui cum legem non habeat, ipse sibi est lex, ostendens opus legis in corde suo, & naturali ratione immotus, sicut videmus nõnullos in gẽti I bus, vel iustitiã teneat, vel castitaté seruet, vel prudentiã, tẽperantiã, modestiámque custodiat: iste licet alienus a vita videatur æterna, quia non credit Christo, & intrare non *Ioan. 3.* possit in regnum cœlorum, quia renatus non est ex aqua & spiritu, videtur quòd per hæc quæ dicuntur ab apostolo, bonorum operum gloriam & honorem, & pacem perdere penitus non possit. Si enim secundum ea quæ in superioribus disseruimus videtur Apostolus cõdemnare gẽtiles, ex eo quod naturali intelligentia cum cognouissent deum, non sicut deum magnificauerunt: quomodo non putamus quòd etiam collaudare eos possit, & debeat, si qui in his cognoscentes deum, sicut deum magnificent? *2. Cor. 5.* Dubitari igitur non puto quod is qui pro malo opere cõdemnari metuisset, idem si operatur bonum remuneratione boni operis dignus haberetur. Vide dicente Apostolo, quia omnes nos stare oportet ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisq; propria corporis, prout gessit siue bonũ siue malũ. Inde deniq; est quod & in hoc loco subiungit: Nõ enim personarũ acceptio est apud deum. Quod si tibi adhuc dubium videtur, audi & Petrum quid in Actibus apostolorum pronunciet, cum ad gentilem Cornelium fuisset ingressus. *Act. 10.* Compertum (inquit) habeo quod deus personarum acceptor non est, sed in omni loco & in omni K gente qui facit voluntatem eius, acceptus est ei. Sed obiici nobis potest illud quod deus in euangelio dicit: *Ioan. 5.* Omnis qui credit in me non iudicabitur. Qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti filij dei. Sed videamus quomodo non iudicamur qui credimus in Christo, vt sciamus quomodo & ille iam iudicatus sit qui non credit. Nunquid nam putamus qui crediderit in Christo, & post hoc homicidium vel adulterium commiserit, aut falsũ testimoniũ dixerit, aut aliquid huiusmodi gesserit, quæ nonnunquam videmus admittere etiam fideles, quia pro his iam non iudicabitur qui credidit in Christo? Certum est hæc omnia venire ad iudicium, & ideo sic intelligendus est domini sermo quem dicit. Qui credit in me non iudicabitur: quia secundum hoc quod credit non iudicabitur quasi incredulus, & infidelis: de actibus verò suis sine dubio iudicabitur. Ita ergo & ille iam iudicatus est qui non credidit, secundum hoc quod non credidit: & sicut credenti si extrinsecus peccati aliquid cõmiserit salua fide iudicium manet, ita & non credenti si quid boni operis gesserit excepta infidelitate remuneratio non peribit. Nisi forte quis aliquid graue & intolerabile velit obiicere, vt dicat eum qui peccat cõputandum nõ esse inter credẽtes: quia si credat quis non peccet: si verò peccat, ex hoc ipso arguatur quod non credat. Sed hęc quam dura sit sen- L tentia nulli ambiguum puto. *Nullum sine peccato.* Quotus enim quisque inuenietur in terris, qui ita vitam suam libret, vt in nullo penitus delinquat? Sed & Ioannes apostolus in epistola sua euidenter etiam opinionẽ huiusmodi notat cũ dicit. *1. Ioan. 1.* Si quis dicit quia peccatum non habet, hic mendax est, & veritas *1. Ioan. 2.* in eo non est. Si autem confiteamur peccata nostra, habemus aduocatum apud patrem Iesum iustũ, qui exorat pro peccatis nostris. Hæc ergo à nobis in hoc loco prout potuimus discussa sunt considerantibus etiam illud quod dicit Apostolus: An Iudæorũ deus tantũ? Nonne & gẽtium? *Rom. 3.* Imò & gentiũ: vt per hæc euidentior fiat explanatio quomodo Iudæi primo, deinde Græci ponuntur ab Apostolo. Sed tamen in arbitrio legentis sit probare quæ dicta sunt. Nos autem plura adduximus in tractatũ, ne quid de apostoli sensu indiscussum relinquere videremur. Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabũtur. Nõ enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur.] Cum dicat Apostolus eos qui sine lege peccauerunt sine lege perituros, requiritur verũ de sola Moysi lege intelligendũ sit, an & de lege Christi, vel etiã de quacunque humana lege sub qua vnumquẽque mortaliũ viuere cõtingit, quod secundũ ipsam iudicari possit, qui in ea *Quæstio de legibus.* peccat: an qui extra Moysi legem est, etiam si sub aliqua lege viua, velut extra legem positus cum peccauerit pereat. Nam & ipse Paulus Apostulus cũ dixit se his qui sine lege *1. Cor. 9.* sunt quasi sine lege esse, & addidit. Cũ vtique sine lege non M essem, sed in lege essẽ Christi: ostẽdit se in lege Moysi quidẽ non esse tamẽ esse sub lege. Sed & humanæ (vt diximus) leges, si ad hoc ipsum reputari debeãt, nũ video. Naturalis verò lex quæ communiter omnibus hominibus inest, cõsiderandum est si non omnes pene faciat in lege peccare, sicut in consequentibus dicit. Cum enim gentes quæ legẽ nõ habent naturaliter quæ legis sunt faciunt, hi legem nõ habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Nisi eos forte dicamus extra legem positos, qui neque scriptis legibus, neque conscientiæ, & cogitationibus proprijs reprehendẽtibus se, & arguẽtibus patent. Qui autem dicis: Quotquot in lege peccauerunt per legem iudicabuntur? Vtique qui in lege Christi est, per legem Christi: & qui in lege Moysi, per legem Moysi iudicabitur: neque qui sub lege Christi est quamuis etiam legi Moysi subditus videatur, iudicari tamen secundum eam putandus est, cur non sit circuncisus, vel cur sabbatũ non seruet. Quod & si iuxta legẽ Moysi putandus est iudicari, *Rom. 7.* secundum hoc quod lex spiritalis est, iudicabitur. Hoc est enim non auditorem legis, sed factorem iustificari. Quod verò grauiori sententia percuti videtur is qui sine lege

A peccauerit, quoniam periturus pronunciatur, cum vtique & miseratione aliqua dignus videatur, qui adiutorio non vsus est legis, videamus ne quid secretum (vt in cæteris docuimus) diuinæ bonitatis hic lateat, quam semper abscondit timentibus se. Fortassis enim ob hoc propensiorẽ curam pro his qui pereunt inesse ipse dominus in euangelio ostendit, cum dicit, quia venit filius hominis quærere, & saluare quod perierat, & iterum dicit: Non sum missus ni-

Matt. 15 si ad oues quæ perierunt domus Israel. Et Dauid dicit: Er-

Psa. 118. raui sicut ouis perdita, require seruum tuum. Sed & in e-

Luc. 15. uangelio mna, quæ perierat, mundata domo inuenitur à muliere: & gaudet pater super filio iuniore pœnitente, qui mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Qui iunior filius (vt ego arbitror) etiam ipsam naturalem legem iam fregerat: hoc enim videtur indicari in eo, quod consumpserit partem paternæ substantiæ quæ ei

Ezech. 34. contingebat, viuendo luxuriose. Sed & in Ezechiele propheta pastoribus imputatur, quia infirmum non colliga-

Hominem perire sua pte culpa. uerint, & quod perierat non quæsierint: & post pauca ipse dominus dicit: Et quod periit, inquit, ego requiram. Veruntamen obseruandum est quod in his omnibus nusquam deus aliquem dicitur perdidisse, sed vnusquisque ex se pati hoc quod perit. Et in hoc ipso ait. Sine lege peribũt,

Luc. 19. &: Venit filius hominis quærere quod perierat: non quod

B perdiderat: & ad oues perditas domus Israel, non quas per-

Ioan. 10. diderat. Et cum ipse dominus dixit: Omnes (inquit) quos dedisti mihi seruaui, & nullus ex eis periit: non dixit nullũ

1. Cor. 1. ex eis perdidi. Sanè sicubi deus perdere dicitur, pro bono magis inuenies dictum, sicut cum dicit: Perdam sapientiã sapientium, & intellectum prudentium reprobabo. Quod

De Iudæis aũt dicit, quia quotquot in lege peccauerũt per legem iudicabuntur, intuere ne forte secundum vindictas has quæ in lege scriptę sunt, quibus agebantur iudicia, vbi lapidari,

Heb. 7. vel in ignem tradi, vel ciuitatem refugij adire, vel alia huiusmodi pati iubebantur, ita sit & iudicium futurum: quoniam quidem typo, & vmbræ cœlestium deseruire dicuntur hi qui sub lege sunt, ne forte simili quadam ratione agatur etiam futurum iudicium in eos qui præuaricati fuerint legem. Cum ergo diuersas in scripturis dici claruerit leges, si quis in tantum omnes has refugerit, vt etiam naturalis illa lex, quæ nulli ferè deest, vel per duritiam, vel per crassitudinem cordis obliterata in eo videatur & abolita, de isto potest videri dictum quod sine lege pereat: Iudicandus verò per legem dicatur is qui sub lege viuit, quia & Apostolus contestatur omnem circuncidentem se quia debitor sit vniuersæ legi faciendæ. Cum enim gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddẽte eis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationũ

C accusantium, aut etiam defendentium in die cum iudicabit deus occulta hominum secundum euangelium meum per Iesum Christum.] Certum est quod gentes quæ legẽ non habent, naturaliter quę legis sunt facere non per sabbatis vel neomeniis dicantur vel sacrificiis quæ in lege

Qualex scripta in cordibus. scripta sunt. Non enim hæc lex in cordibus gentium dicitur scripta, sed hoc est quod sentire naturaliter possunt: verbigratia, ne homicidium, ne adulterium faciant, ne furentur, ne falsum testimonium dicant: vt honorent patrẽ & matrem, & horum similia, fortassis & quod deus vnus creator sit omnium, scriptum est in cordibus gentium. Magis tamen mihi videntur hæc quæ in corde scripta dicuntur cum euangelicis legibus conuenire, vbi cuncta ad naturalem referuntur æquitatem. Quid enim ita naturalibus sensibus proximum, quam vt quæ nolunt sibi fieri homines, hæc ne faciant alijs? Legi verò Moysi concordare, lex naturalis secundum spiritum, non secundum literam potest. Nam quæ erit in hoc intelligentia naturalis, verbi gratia, vt octaua die quis circuncidat infantem, aut cum lino simul ne lana texatur, vel ne quis in die nouorum fermentatum aliquid edat? Quæ cum aliquoties obiecissemus Iudæis, & vrgeremus vt si quid in his vtilitatis esset

Matt. 7. ostenderent, scimus eos hoc solum respõdere solitos, quia ita visum sit legislatori. Nos verò qui hæc omnia spirita- D liter intelligenda sentimus, idcirco non auditores, sed factores legis iustificandos credimus, non legis secundũ literam, quæ vtique pro sui impossibilitate non potest habere factorem, sed secundum spiritum, per quem solum lex impleri poterit. Hoc est ergo opus legis, quod etiã gentes Apostolus dicit implere naturaliter posse. Cum enim agunt quæ legis sunt, scripta videtur lex in cordibus eorũ a deo, non atramẽto, sed spiritu dei viui. Quod autẽ dicit in cordibus, non est putandũ quia in mẽbro corporis quod cor *Cor rationalis animæ virtus* appellatur lex scripta dicatur. Vnde enim caro aut tantos prudentiæ sensus posset emittere, aut tanta memoriæ receptacula continere? Sed sciendum est rationalẽ animæ virtutem cor solere nominari. Testimonio sanè conscientiæ vti Apostolus dicit eos, qui descriptam continent in cordibus legem. Vnde necessarium videtur discutere, quid i- *Conscientia quid.* stud sit quod conscientiam Apostolus vocat: vtrum ne alia sit aliqua substantia, quàm cor, vel anima. Hæc enim & alibi dicitur quia reprehendat non reprehendatur, & *1. Ioan. 3* iudicet hominem non ipsa iudicetur, sicut ait Ioannes: *2. Cor. 1.* Si conscientia (inquit) non reprehendat nos, fiduciam habemus ad deum. Et iterũ ipse Paulus alibi dicit: Quia gloriatio nostra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ. Quia ergo tantam eius video libertatem, quod in bonis quidem gestis gaudeat semper, & exultet, in malis verò non arguatur, sed ipsam animam cui cohæret reprehendat & arguat, E arbitror quod ipse sit spiritus, qui ab Apostolo esse cum anima dicitur, secundum quod in superioribus edocuimus, velut pædagogus ei quidam sociatus, & rector, vt eam de melioribus moneat, vel de culpis castiget & arguat: de qua etiam dicit Apostolus: quia nemo scit hominum quę sunt *1. Cor. 2.* hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est: & ipse sit conscientiæ spiritus, de quo dicit: Ille spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro. Et forte hic ipse spiritus est, qui cohęret animabus iustorum, qui sibi in omnibus obedientes fuerint, & ideo scriptum est: Laudate spiritus & animæ iustorum dominum. Si verò inobediens ei anima & con- *Dan. 3.* tumax fuerit, diuidetur ab ea post excessum, & separabitur. Et propter hoc puto dictum esse in euangelio de malo iudice, quia diuidet eum dominus, & partem eius cum *Matt. 24.* infidelibus ponet. Ipse fortassis est spiritus, de quo scriptũ est, quod incorruptibilis est spiritus in hominibus. Et secundũ ea quæ superius diximus, quia diuidetur ac separabitur ab anima peccatrice: vt illa cum infidelibus accipiat partem, potest similiter his aptari & illud quod dictũ est: Erũt duo in agro, vnus assumetur & vnus relinquetur: & duæ ad molã, vna assumetur, & vna relinquetur. Hæc de eo quod scriptũ est, Testimoniũ reddente conscientia. Nunc F videamus quod sequitur: Et inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die cum iudicabit Deus occulta hominum secundum euangeliũ meum per Iesum Christum.] Rectum iudicium dei quis dubitet esse, vbi accusatores & defẽsores adhibẽtur, & testes? Et quidem de hoc iusto iudicio dei nos homines exemplũ capiamus, nec putemus vnquam sine accusante, & defendente, & testibus iustum haberi posse iudicium. Deinde vidẽdum est, quomodo in illa die cum iudicabit deus occulta hominum, cogitationes vel accusabunt animam, vel defendent, non vtique illæ cogitationes quæ tunc erunt, sed istæ quæ nunc sunt in nobis. Cum enim siue bona, siue mala cogitamus, velut in cæteris ita in corde nostro tam bonarum quàm malarum cogitationum notæ quædam & signacula relinquuntur: quę in occulto tũc pectoris posita in illa die reuelari dicuntur à nullo alio nisi ab eo qui solus potest occulta hominum scire: quarum signorum, vel quarum notarum causas non latere deũ etiam nostra conscientia contestabitur. Quod tamen iudicium secundum euangelium Pauli (hoc est quod Paulus annunciat) per Iesum Christũ fiet. Pater enim neminem iudicat, sed omne *Ioan. 5.* iudicium dedit filio. Marcion tamen & omnes qui diuersis figmentis varias introducunt animarum naturas, hoc ex loco apertissime confutãtur, cum à Paulo dicitur deus *Marcionis figmenta.* occulta hominũ iudicare per Iesum Christũ, & ostẽditur

G vnumquenque non naturæ priuilegio, sed propriis cogitationibus accusatum, vel excusatum, conscientiæ suæ testimonio iudicandum. Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in deo, & cognoscis voluntatem eius, & probas vtiliora instructus per legem, & confidis teipsum ducem esse cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium committis: qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis deum dehonoras. Nomen enim dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est.] Quemadmodum in scripturis propheticis obseruauimus, non solum dicentis personam latenter & subito commutari, verum & eorum ad quos sermo, vel de quibus sermo fit: verbi gratia, vt nunc ex patris persona, nunc ex filij vel spiritus sancti, nunc etiam ex persona prophetæ aut aliorum quotumlibet aliqua dicantur, & nunc quidem sermo ad Israeliticam gentem, nunc ad exteras nationes, aut ad reges, & ad mille alios dirigatur: ita mihi videtur etiam hoc modo ad Romanos scripta esse epistola, vt interdum & dicentis persona mutetur, & aliquando quidem Paulus spiritalis loquatur, sicut in multis epistolæ locis, aliquando verò Paulus carnalis, sicut (verbi gratia) cum dicit: Ego autem carnalis sum venundatus sub peccato, vt ostendemus cum ad ipsum locum domino

Mutatio personæ in sacris scripturis.

Paulus spiritalis & carnalis.

Rom. 7.

H dirigente venerimus. Interdum verò fit & eorum personæ ad quos sermo est, commutatio, ita vt nunc ad omnē Romanorum dicatur ecclesiam: Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annūciatur in vniuerso mundo. In aliis verò non ad omnem ecclesiam, sed ad omnem qui iudicat alium, & ipse facit ea quæ in aliis condemnat, & est inexcusabilis. Nunc autem neque ad ecclesiam, neque ad eum qui iudicat fit sermo hic in quo dicit: Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & cætera, vsque ad eum locum, Et iudicabit quod ex natura est præputium legem perficiens, te qui per literam & circumcisionem præuaricator es legis. Sicut in scripturis propheticis vigilanter oportet intendere eum qui vult intelligentiam eorum quę scripta sunt capere, vel dicentium, vel ad quos, vel de quibus sermo fit personis: ita nunc in Epistola ad Romanos agendum mihi videtur. Sed videamus iam quæ sunt quæ dicit Apostolus ad eum qui cognominatus est Iudæus. Primo nanque hoc obseruandum est, quod non dixit de eo, si autem tu Iudæus es, sed si Iudæus cognominari: quia non idem est, esse Iudęū, & cognominari: quia non idem est, esse Iudæum, & cognominari Iudæum. Ipse etenim Paulus docet in consequentibus, quàm vere Iudæus sit ille qui in occulto circūcisus est circuncisione cordis, qui spiritu, non literis legem custodit, cuius laus non ex hominibus, sed ex deo est. Qui

Rom. 1.

Apostolus ad Iudæos.

I autem in manifesto in carne circumcisus est, legem ad hoc obseruans vt videatur ab hominibus, iste non est vere, sed cognominatur Iudæus. De his enim & ipse Apostolus dicit: Videte concisionem: nos enim sumus circūcisio, qui spiritu deo seruimus. Sed & Ioannes in Apocalypsi de quibusdam ita dicit: Qui dicunt se Iudæos & non sunt: quos etiam de synagoga satanæ esse pronunciat. Sciendum tamen est, quod iste qui in occulto & vere Iudæus est, ab illo Iuda vocabulum trahat, de quo scriptum est: Iuda te laudabunt fratres tui, manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum. Catulus leonis Iuda, & cætera quę in Saluatorem dominum prophetata sunt. Igitur si claruit de differentiis personarum, & quis vere Iudæus sit, quis autem solo nomine cognominetur, videamus quæ ad hunc qui se iactat esse Iudęum & non est, sermo apostolicus dicat. Tu inquit qui Iudæus cognominaris, & omnem tibi requiem in legis litera collocas, & gloriaris in deo tanquam qui portio eius sis, & cui concessum sit scire voluntatem dei, & velut probandi gnarus iactas te scire posse & discernere quę sint vtiliora, & differentia, ita vt non solū quæ sint bona scias, verumetiam quæ sint meliora & vtiliora discernas, confi-

Phil. 3.

Apoc. 3.

Gen. 49.

dis quoque quod dux possis esse cęcorum, nimirum ex illis es ducibus de quibus dicebat dominus: Cęci sunt duces cæcorum. Si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Confidit ergo ducem se esse cæcorum, lumen eorum quoque qui in tenebris sunt. Sed & ad istos nihilominus dominus dicit. Si autem lux quæ in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ sunt? Confidunt tamen quod eruditores sint insipientium, & magistri infantium, tanquam qui ex legis litera formā scientiæ & veritatis acceperint. Et quia hæc profitentur quidem, non tamen vere tenent, dicit ad eos Apostolus. Qui ergo doces alium, teipsum non doces: & qui prædicas non furandum, tu aduentum & præsentiam Christi quæ in vniuerso mundo effulsit furaris: qui dicis non mœchandum, in synagogam populi dei adulterium committis, sermonem doctrinæ prauum & adulterinum ei superducens: & collocas eam cum legis litera quæ foris est, cum scriptum de ea legas, quia omnis gloria filiæ regis ab extrinsecus: & ad quam legis per prophetam nihilominus dictum. Nisi occulte audieritis, plorabit anima vestra. Qui ergo negas mœchandum, tam graue adulteriū committis, vt adulterinum sensum introducas ad eam de qua dictum legis à deo: Ego te mihi desponsabo in fide & misericordia. Qui abominaris idola sacrilegium committis, verum templum dei quod est Christus Iesus violas? Solutiti enim templum dei quod in tribus diebus resuscitatū est iis qui credunt. Sed & qui ex lege & prophetis sermonem Christum pronunciantem furatur & occultat, ne populus audiat & credat, sacrilegium committit, & vere dei templum violat. Idem quoque hic qui cognominatur Iudæus, & gloriatur in litera legis Moysi, præuaricator legis arguitur cum non credit Christo. Si enim crederet vtique huic, de quo Moyses scripsit. Propter istos ergo tales qui dicuntur Iudæi & non sunt, nomen Dei blasphematur inter gentes, non solum pro operibus eorum pessimis, sed & propter humilem & deiectam intelligentiam, quàm habent in lege & prophetis. Ridicula namque etiam gentibus ipsis legis literam sequentes dicunt: Ne tetigeris, ne gustaueris, ne contaminaueris: quæ sunt omnia in corruptionem secundum mandata & doctrinas hominum. Verum hęc Apostolus quidem ad eum qui nomine non opere Iudæus est, dicit: pertinere tamen etiam ad omnem hominem possunt, in quo nomen tantum religionis & pietatis est, opera autem & scientia & fides deest: & ideo maiori cura hæc in nobis ipsis quàm in his qui ad fidem Christi non veniunt discutere debemus, ne quis nostrum qui per fidem Christi & circumcisionem in baptismo datam verus Iudæus effectus est, & in lege Christi requiescit, gloriatur quoque se idolorum errore depulso agnouisse deum, & eius sibi innotuisse voluntatem: scit enim probare quid bonum, & beneplacitum est, & perfectū, & eousque peruenit, vt esse dux & doctor ecclesiæ ad illuminandos eos qui in scientia cæci sunt, & instruendos paruulos in Christo: ne is inquam talis alios quidē velit docere districtius, & de his quos instruit summam disciplinam castitatis exigere, ipse verò intemperantiæ vitio & cupiditatis vrgeatur, nonnunquam etiam flammis occultæ libidinis æstuet. Ad huiusmodi ergo hominem Apostolicus hic sermo cōpetenter aptatur dicens ei: Tu qui doces alium teipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchādum, mœcharis. Quod si etiā, vt nunnūquam fieri solet, munera oblata deo & stipem in vsus pauperum datam, ad propria lucra conuerterit, recte ei dicitur: Qui abominaris idola, sacrilegium facis. Si verò etiam aperta incurrat opprobria, & de auaritia eius, atque iniquis iudiciis, & temulentia publicam iam teneat notam, dehonoratur Deus in actibus: & cum doctor ecclesię talis esse populis innotuerit, nomen Dei blasphematur in gentibus: Certi sunt enim magistris similes esse discipulos. Possunt tamen hæc eadem tertio loco etiam hæreticis aptari: & ipsi enim cognominantur Christiani, & nonnulli eorum etiam legerenus per quam instructi doctores se esse cæcorum, & magistros infantium profitentur, probantes vtiliora quæ latere ab ecclesiasticis dicunt. Sed isti quoniam furantur

K *Διαφέροντα. præstabiliora*

Matt. 15.

Osee. 2.

Ioan. 2.

L

Col. 2.

M

Doctores alios non seipsos.

De hæreticis.

A furantur verba Dei, & intellectum eorum peruersa expositione surripiunt, & adulterinum fidei sensum ad sponsam Christi ecclesiam in regios thalamos inducunt, rectè de his dicitur: Qui prędicas non furandum furaris: qui dicis non mœchandum mœcharis: & qui abominātur idola, sacrilegium committunt, pretiosa vasa de templo dei, id est veræ fidei margaritas de scripturis sanctis furantes: per quos nomen Dei blasphematur inter gentes, dum casta & honesta ecclesiæ dogmata corruptis ac turpibus maculantur hæreticæ prauitatis erroribus. Ex illis enim & infanticidij, & incesti, cæterorúmque similium scelerum probra ad inuidiam sanctæ religionis exorta sunt. Sciendum tamen est, hæc Apostolorum per ironiam dicere ad Iudæos. Neq; enim qui vere requiescit in lege, & gloriatur in deo, & probat vtiliora, hæc quæ enumerata sunt facere credendus est. Testimonium sanè quod posuit, id est, Nomen dei enim per vos blasphematur inter gentes, de Esaia sumptum est. Circumcisio quidem prodest si legem custodias, si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisione reputabitur, & iudicabit id quod ex natura est pręputium legem consummās, te qui per literam & circūcisionem pręuaricator es legis? Non enim qui in manifesto Iudęus est, neque in manifesto B est in carne circumcisio, sed qui in abscōdito Iudęus est, & circumcisio cordis in spiritu nō litera, cuius laus nō ex hominibus est, sed ex deo.] Quæ sit circumcisio quā prodesse dicit Apostolus, vel quæ lex prosit si custodiatur, diligentius requirēdum videtur, vt cum hęc intellexerimus, possimus & nos circumcidi. Quippe si prodest circumcisio, secundum verbum Apostoli dicētis: Quia circumcisio prodest si legē custodias, ipse Apostolus in cōsequentibus docet quia non illa quæ in manifesto est in carne circūcisio, sed circumcisio cordis per spiritum non per literam facta, laudem habet non ab hominibus, sed ex deo, & alibi dicit: Videte circumcisionem: nos enim sumus circumcisio, qui in spiritu deo seruimus, non in carne confidimus. Hæc vt opinor est circumcisio quam prodesse dicit Apostolus, si legem custodias, non legem literæ, cuius vtique circumcisionem in carne non recipis, sed legem spiritus secūdum quam circumcideris corde. Litera enim occidit, spiritus autem viuificat, quia & lex dei non refertur attramēto scripta, sed digito Dei, qui est spiritus eius, & non in tabolis lapideis, sed in tabolis cordis.

Quando prosit esse circumcisum.

Verum potest nobis obijci, quia si Apostolus circumcisionem prodesse dicit, quæ vtique alia non intelligitur esse quàm animæ purgatio, & abiectio vitiorum: quomodo addit adhuc, ita demum prodesse huiusmodi circumcisionem si legem custodias, cum hæc ipsa circumcisio non nisi ex legis obseruantia fieri videatur.

Questio de Circūcisione.

C Sed intuere ne forte abscindere vitia, & cessare à malis circumcisionem significet: agere autem quæ bona sunt, & efficere quæ perfecta sunt, custodire sit legem. Neque enim in eo perfectio est si cessetur à malis, sed in eo si agantur bona, sicut in Psalmo euidentius perdocemur, cum dicit: Declina à malo, & non hic stetit, sed addidit, Et fac bonum. Similiter ergo & Apostolus, vtpote in his imbutus, ita demum dicit, prodesse circumcisionem & abiectionem malorum, si custodias legem bonorum. Neque enim perfectus quis esse potest si nihil egerit mali, sed si aliquid egerit boni. Vnde & ipsa circumcisio quæ fiebat in carne, non absque huius intelligentiæ quam nunc exponimus significabatur imagine. Denique octaua die paruulis dabatur, qui nihil vtique adhuc operis egerint. Quod si quis nobis obiiciat quod in principio libri Iob de laude eius positum est, vbi dicit: Et erat Iob homo verax sine querela, iustus dei cultor abstinens se ab omni re mala: cùr præcedente boni operis laude, in vltimo mali continentia numeretur? Illud quoque arbitror indicari quod sæpe fieri solet, quia plurimi hominum agant quidem quæ bona sunt, misceatur tamen aliquid & operis mali: pauci verò sicut Iob, qui ita & veraces & irreprehensibiles, ita iusti sint, & cultores dei, vt hæc omnia agētes abstineāt se ab omni re mala. Si ergo (inquit)

Psal. 37. *Gen. 8.* *Luc. 2.* *Iob. 1.*

D pręuaricator sis legis, sicut supra exposuimus, non agendo quæ bona sunt, circumcisio tua præputium facta est, dum & hoc tibi quod abstinere à malo visus es, opera fidei & iustitiæ non agenti ad infidelitatem reputatur. Neq; enim possibile est alicui carnalem circūcisionem rursum in præputium verti, cum vtique abscissa præputij caro vltra redire non possit. Dignius ergo & euidentius intelligitur, quod continentia mali operis, quę per circumcisionem significatur, si opera fidei non habeat, ad immunditiam reputatur. Sed & si in ecclesia per baptismi gratiam circumciditur, si post hæc præuaricator sit legis Christi, circūcisio baptismi ad infidelitatis et pręputium reputabitur: quia & fides sine operibus mortua dicitur, & mali villici pars cum infidelibus ponitur. Si autem pręputium iusticias legis custodiat, nónne iudicabit id quod ex natura est pręputium legē perficiens, te qui per literam & circumcisionē præuaricator es legis? Superius diximus quod duos Iudæos, & duas circumcisiones discutiat Apostolus, & nunc commemoret: videtur ergo in pręsenti loco præputium dicere gētes, quæ in præputio carnis ad fidem Christi venerūt: quas legem spiritalem seruantes componit & comparat Iudęis, qui per literam & circumcisionem carnis præuaricatores sunt legis, quos & iudicandos ab his dicit in quibus non carnis circumcisio, sed legis obseruatio est. Possumus autem ex comparatione etiam nostros in ecclesia commo- E nere, verbi causa, si dicamus in præputio adhuc esse catechuminos, aut etiam gentiles, & circumcisos esse fideles per gratiam baptismi. Si ergo catechuminus qui nondum per gratiam lauacri circumcisus est, legem Christi seruet, iustitias & mandata custodiat, nónne ex comparatione iudicat eum, qui fidelis dicitur & præcepta non seruat, ac legem Christi, & mandata contemnit? Denique & ipse dominus dicebat: Regina Austri surget in iudicio cū viris generationis huius, & condemnabit eos, quia venit à finibus terræ audire sapientiā Salomonis. Hæc quidē ad instruendam ecclesiā nobis dicta sint. Verum considera si possit in hoc loco & ille intellectus admitti, vt dicatur etiā post aduentum Christi carnalis circumcisio quæ ex lege obseruabatur, prodesse aliquid custodientibus legem, secundū hoc quod in initio fidei nostræ adhuc à credentibus obseruabatur: vt in Actibus Apostolorum ducetur vel Petrus in discretione ciborum, vel Paulus in sacrificiis purificationis fecisse: si forte etiā hic huiusmodi circumcisionē proposuisse videatur Apostolus, quam prodesse dicit ita si etiā lex seruetur: si minus, circumcisionem hanc in præputium vertēdam, hoc est nihil profuturam: imò etiam in aliis ha- F bere iudicium eum qui per circumcisionem carnis videatur legis obseruantiam profiteri, & præuaricando legem iudicari ab eo qui non susceperit quidem circumcisionem carnis, iusticias tamen seruauerit legis. Si ergo & hic sensus recipi debeat, vide etiam tu qui legis, quoniam quidem ipse Apostolus profitetur se Iudæis fieri Iudæum, & his qui sine lege sunt quasi sine lege fit, & omnibus omnia fit, vt omnes lucrifaciat, ne forte propterea hic videatur indulgere Iudæis ea, quæ ad Galatas scribens his qui ex gentibus crediderunt non indulget, dicit enim: quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Nihil ergo prodest circumcisio his qui ex ea putant aliquid iustificationis assumi: prodest autem his, qui putant sibi ad Christum non esse veniendum, si eis circumcidere filios vetaretur. Erant enim nonnulli in initiis qui circumcisionem veluti insigne vernaculum gentis suæ nimio amore seruarent: & impediri videbantur a fide, si eis vetaretur quo carere non poterant. Ergo videtur Apostolus ad huiusmodi homines dicere, ne eis fidei ianuam claudat, quia circumcisio prodest si legem custodias: Si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. Econtrario autem si credentes ex gentibus ad circumcisionem cogerentur, fidei Christi & præuaricationi verbi fieri videretur iniuria. Sed & illud obseruandum est, quod cum dixerit: Circumcisio quidem prodest si legem custodias: non addidit, si autem non custodias, sicut consequens videbatur, sed ait: Si autem præuaricator sis legis. In quo ostendit

Matt. 12. *Act. 10.* *Act. 21.* *1. Cor. 9.* *Gal. 5.*

Quibus prosit circuncisio quibus nō

G aliud esse non custodire legem, aliud præuaricari legem.
Non custodire legē, & præuaricari legem. Nam & Paulus ipse non semper legem custodit, nunquam
tamen præuaricator est legis. Propterea in consequenti-
bus dicit: Si autem præputium iusticiam legis custodiat,
nonne iudicabit quod ex natura est præputiu legem per-
ficiens, te qui per literam & circuncisionem præuaricator
es legis? Custodit ergo legem is, qui eam secundum literā
obseruat: & is præuaricatur eam, qui spiritalem eius non
tenet sensum. Iusticiæ verò legis, moralis est locus. Lex e-
nim generale vocabulum est: iusticiæ verò pars legis est.
Continet enim lex iusticias, & iudicia & mandata, & iu-
stificationes, aliásque quamplurimas species. Si ergo præ-
putium nō ait ipsam legem, sed si iusticias legis custodiat,
intantum præfertur circumcisioni præuaricanti legem,
vt etiam iudicet eam, & bene addidit, legem perficiens. Il-
le enim qui secundum literam viuit, custodire dicitur le-
gem: iste verò qui secundum spiritum, perficere, perfectio
Mat. 5. autem legis in Christo est, qui dixit: Non veni soluere le-
gē, sed adimplere. Adimplere autē legē, est perficere legē.
Custodit ergo legem carnalis Iudæus, perficit autem spiri-
talis, & qui in occulto Iudæus est. In quo ille quidem præ-
uaricator legis, hic autem iudex præuaricatoris efficitur.
Præuaricator autem carnalis Iudęus, quia lex ipsa infirma-
tur per carnem. Nisi enim infirma fuisset secundum carnē,
non vtique diceretur: Nam quod impossibile erat legi, in
quo infirmabatur per carnem. Per spiritum autē infirma-
ri legē nunquā inuenies scriptū, & ideo qui in carne sunt
deo placere nō possunt: Qui autē per spiritū actus carnis
Rom. 7. H mortificauerint, nō solū viuēt, sed iudices erūt non tātum
hominū, sed & angelorū: quia illius laus ab hominibus est
huius à deo. Hæc quidē dicta sint à nobis ad explanationē
sermonis Apostolici, quē disserere proposuimus. Non ta-
men importunum videbitur etiam circumcisionis ipsius
generalem discutere rationem, quādoquidem de ea locus
ipse commonuit. Repetamus igitur, & in medium profe-
De circūcisionis sacramēto. ramus, si qua in lege de ea, vel in scripturis cæteris conti-
nentur. Inuenimus in Genesi scriptum primo de circum-
cisione mandatum, cum responsa darentur ad Abraham
hoc modo: Et dixit Deus ad Abraham: Tu autem testamē-
Gen. 17. tum meum seruabis, & omne semen tuum post te in gene-
rationes suas. Et hoc testamentum quod disposui inter me
& vos, & inter me & inter semen tuum post te in genera-
tione sanctorum. Circuncidetur omne masculinum ve-
strum, & circumcidetis carnem præputij vestri, & erit in
signum testamenti inter me & vos, & puer octaua die cir-
cumcidetur in vobis, omnis masculus in generationibus
vestris, vernaculus & pęcunia emptus ab omnibus filiis
alienigenarum, qui non est ex semine tuo, circumcisione
circumcidetur vernaculus domus tuæ, & pecunia compa-
ratus à te, & erit testamentum meum super carnem ve-
stram testamentum æternum: & incircuncisus masculus
qui non fuerit circuncisus in carne præputij sui die octa-
I ua, exterminabitur anima illa de genere suo, quia testa-
mentum meum dissipauit. Non nos tamen latere debet,
quod in aliis exemplaribus nō habet positum octaua die,
in hoc duntaxat loco. Item in Leuitico scriptum est: Et lo-
Leuit. 12. cutus est dominus ad Moysen dicens: Loquere filiis Israel
& dices ad eos. Mulier quęcunque susceperit semen & pe-
pererit masculū, immunda erit septem diebus, secundum
diem purgationis immunda erit, & die octaua circumci-
det carnem præputij eius, & triginta tribus diebus sedebit
in sanguine suo immunda. Hæc quidem de lege Moysi te-
Ioan. 7. stimonia posuimus: Saluator verò in euāgelio ait, circum-
cisionem accipere hominem in sabbato, & non solui legē
Moysi, & dicit eam ex patribus esse, & ante Moysen datā.
Quidam circuncisi post aduētum Christi. Cuius sententiæ auctoritate simul & regalis præcepti gra-
uitate permoti, etiam post aduentum Iesu suasi sunt qui-
dam circumcidi, cum essent ex gentibus. Alij verò horre-
scentes pondus præcepti, refugerunt penitus etiam ab ip-
sis legibus in quibus hæc scripta videbantur, ita vt puta-
Marcioni ta scilicet rent hæc non esse boni dei mandata, nec eius quæ domi-
nus & saluator noster prædicare venisset. Et ideo mihi vi-
detur diligentior in talibus locis adhibenda discussio, si sit

aliquid in huiusmodi mandato vtilitatis etiam secundum K
literam: & si sit, quibus vtile sit, vel quem ad finem tendat
eius vtilitas, aut si aliquid vtilius figuraliter indicetur. Igi-
tur repetētes ea quæ ex lege protulimus testimonia, discu-
tiamus attentius, vtrum nec soli Iudæorum genti videatur
huiusmodi imminere mandatum, an & omnes qui ex gen-
tibus crediderunt, æqua sorte constringat. Intueamur er- *Circumcisio an sit omnibus præcepta.*
go illud quod ad Abraham defertur oraculum, quo iussus
est circumcisionis testamenta seruare. Tu, inquit, & semen
tuum post te per generationes suas inter me & semetipsos,
vt circumcidatur omne masculinū eorum, & circumcidāt
carnem præputij sui, vt sit signum testamenti inter me &
ipsos, & omnis masculus octaua die circumcidatur. Quos
sanè etiam ex alienigenis, id est qui minime ex Abraham *Genes. 17*
stirpe ducuntur, circumcidi velit, manifeste pronunciat.
Ait nanque: Vernaculus tuus, & pecunia emptus ab om-
nibus filiis alienigenis qui non est ex semine tuo, circum-
cisione circumcidatur. Nusquam fecit proselyti, id est, ad-
uenæ mentionem, sed vernaculum seruum profecto gen-
tis illius domi natum, vel etiam precio mercatum circum-
cidi iubet, non liberum, non hospitem constringit, non
aduenam. Perscrutemur nunc etiam Leuitici legem, quo-
modo etiam Moysi præcipiat Deus: Loquere filiis Israel,
& dices ad eos. Mulier si susceperit semen, & pepererit *Leuit. 12.*
masculum, & post aliquanta. Octaua, inquit, die circum-
cidet carnem præputij eius. Intuere & hic quemadmodū
de lege circumcisionis tātum ad filios Israel Moyses loqui
videtur, vt alienigenarum nulla sit mentio. Si enim credi-
mus per diuinum spiritum scripta esse quæ inferuntur in L
lege, vtiq; nō frustra aut addi aliquid putandū est, aut sile-
ri: & ideo cum in quibusdam mandatis dicitur: Loquere
ad filios Israel & dices ad eos, in quibusdam verò additur,
vt non solum filiis Israel, sed & proselytis, id est aduenis
loquatur, necessaria vtique obseruanda distinctio est. Quia *Exod. 29*
sicut in his locis vbi dicitur: loquere ad Aaron, & alibi: ad *Num. 18*
filios Aaron, & alibi, loquere ad Leuitas, & dices ad eos,
certum est non subiacere reliquos filios Israel his legibus,
quæ vel filiis Aaron, vel Leuitis, vel ipsi Aaron promul-
gatæ sunt: ita etiam quæ filiis Israel iubentur, nec alienige-
næ memoria vlla fit, non est putandum commune in his
esse mandatum, vel communem fieri legem, vbi appella-
tionis habetur exceptio. Pauca tamē ad horū probationē
testimonia adhibeamus ex pluribus, per quod necessariam
esse vel adiectionē vel exceptionē huiusmodi nominū cō-
probemus. In primis Leuitici patribus ad solos filios Israel *Leuit. 22*
fertur huiusmodi lex: Loquere, inquit dominus, filiis Israel
& dices ad eos: Homo ex vobis si offerat dona deo ex pe-
coribus, & cætera, & iterum: Et locutus est dominus ad
Moysen dicens: Loquere filiis Israel. Anima si peccauerit
non voluntate & cætera. Hæc & huiusmodi quis dubitet
quod ad solos filios Israel mandantur? Alia verò non ipsis,
sed Aaron, vel filiis eius, vt dicit in consequentibus. Et lo- M
cutus est dominus ad Moysen dicens: Præcipe Aaron & *Leuit. 6.*
filiis eius dicens: Hæc est lex holocaustorum &c. & rursum
Locutus est dominus ad Moysen dicens: Loquere Aaron
& filiis eius dicens: Hæc est lex peccati, in loco quo iugu-
lauerint holocaustum, ibi iugulabūt pro peccato in con-
spectu domini. Et iterum ad Aaron: Vinum, inquit, & sice- *Leuit. 10.*
ram non biberis tu & filij tui tecum cum introieritis in ta-
bernaculum testimonij. Alia autē neque Aarō, neque filiis
Israel mandantur, sed senioribus Israel hoc modo. Loque-
re, inquit ad seniores Israel dicēs: Accipite, inquit, hircum
ex capris pro peccato &c. Nunquid dubitatur quod hæc *Leuit. 9.*
lex solis senioribus filiorum Israel præcipitur? Sed & de
mundis & immūdis animalibus specialis nihilominus lex
filiis Israel dari videtur. Ita nanque scriptum est: Et locutus
est dominus ad Moysen & Aaron dicens: Loquimini filiis
Israel dicentes ad eos, Hæc sunt animalia quę manducabi- *Leuit. 11.*
tis, & reliqua. Sic ergo etiam de circumcisione, vel in his *Conclusio de iis qui obligantur ad circuncisionē*
quæ in Leuitico continentur, non alius quisquam circun-
cisionis lege constringitur, nisi sit vel ex Abraham origi-
nem trahens, vel vernaculus eorum, aut precio emptus.
Vis autem videre, quia sicubi vult etiam alienigenas vna
eadémque

A eademque lege connecti, significanter ostendit? Audi *Leuit. 17.* quod scriptum sit: Et locutus est, inquit, dominus ad Moysen dicens: Loquere ad Aaron, & ad filios eius, & ad omnes filios Israel, & dices ad eos: Homo ex filiis Israel, vel ex aduenis qui fuerint in vobis, quicunque manducauerit omnẽ sanguinẽ, statuã animã meã super animã illam quæ manducauerit sanguinẽ, & disperdã eum de populo suo, quia anima omnis carnis sanguis illius est: & ego dedi vobis illum, vt ex ipso supra altare propitietur pro animabus vestris, quia sanguis pro anima expiabit. Propterea dixi filiis Israel: Omnis anima ex vobis non mãducabit sanguinem, & aduena quicunque fuerit ea vobis non manducabit sanguinẽ. Vides ergo hanc de obseruatione sanguinis legẽ quæ cõmuniter & filiis Israel, & aduenis data est, ob- *Deut. 28.* seruari etiã à nobis q ex gẽtibus per Iesũ Christũ credim' deo. Nos enim proselytos & aduenas scriptura nominare *Abstinebant Christiani esu sanguinis* consueuit, cum dicit aduena quidem in te ascendet super te sursum, tu autem descendens deorsum. Ipse erit tibi caput, tu autem eris eius cauda. Ideo ergo legem de obseruatione sanguinis communem cum filiis Israel etiam gentiũ *Act. 15.* suscepit ecclesia. Hęc nanque intelligẽs in lege scripta, tũc beatũ illud apostolorũ concilium decernebat, dogmata & decreta gentibus scribẽs, vt abstinerent se non solũ ab his quæ idolis immolantur, & à fornicatione, sed à sanguine,
B & à suffocato. Verũ fortasse requires, si vt de sanguinis obseruantia claruit, ita etiam de suffocato doceatur, vtrũ cõmunis filiis Israel cum aduenis data sit lex, quia etiam de hoc obseruare gentes apostolorum statuta decernũt: Audi quam obseruanter etiam super hoc in dei legibus cautum sit. Homo, homo, inquit, ex filiis Israel, & ex aduenis qui sunt in vobis, quicunque venatus fuerit feram aut auem quæ manducatur, effundat sanguinẽ eius, & cooperiat terra, quia anima omnis carnis sanguis ipsius est. Vide ergo quã obseruanter legislator in quo mandatũ cõmune vult esse, cõiungit aduenas filiis Israel: in quo specialia dat præcepta, à quibus ea velit obseruari distinguit. Verũ quoniã *Leuit. 17.* inter illa quæ de Leuitico superius protulimus, etiam hoc scriptum refertur: Homo homo ex filiis Israel, vel ex aduenis qui sunt in eis, quicunque fecerit holocaustum aut sacrificium, & ad ostium tabernaculi testimonij non adduxerit facere illud domino, exterminabitur homo ille de populo suo: & per hoc videtur etiam aduenæ & de sacrificiis iniungi, & ecclesia ex gentibus offerendis obnoxia fieri: etiam hæc diligentius verba, & syllabæ (vt ita dicam) obseruandæ sunt legis. Ait enim, si fuerit holocaustum vel sacrificium, vt adhibeat illud ad ostium tabernaculi testimonij. Lex non vt faciat iubet, sed si forte fecerit, quomodo facere debeat docet. Certum est enim nec dubitari
C potest, quod dum Hierosolymis templum constaret, & religio in patribus tradita vigeret, plurimi etiam gentiũ veniebant adorare & offerre sacrificia. Sed hoc quoniã in loco vno tantũmodo fieri præceptũ est, de quo etiam hic mandat, vt ad ostium tabernaculi iugulanda victima deducatur, tandiu potuit legitime fieri quãdiu status loci permãsit incolumis? Denique & saluator ad illos decẽ leprosos *Luc. 17.* quos mundauerat: Ite inquit, & ostendite vos sacerdoti: & offerte pro vobis hostias sicut præcepit Moyses. Ex quibus cum vnus regressus fuit ad saluatorẽ gratias agẽs, ait dominus, Nõnne decẽ purgati sunt? vbi sunt illi nouẽ? Non est inuentus qui redderet, & gratias ageret deo, nisi hic alienigena? Ita ergo cõstante tẽpli statu, etiã alienigenis offerẽdi sacrificia moris fuit: nunc verò quid exposcitur ab aduenis quod exhibere ne propriis quidẽ cultoribus licet? Hæc autem omnia dicta sunt à nobis, vt ostẽderemus quanta sit in lege distinctio mandatorũ, & præcipue vt de circũcisionis præcepto doceremus, quod nõ aliis quã his qui ex Abrahã genus ducũt, vernaculisq; eorũ vel pretio emptis esset in- *Gentes liberæ à circumcisione & similibus legibus.* iunctũ: liberos verò esse ab huiuscemodi legibus eos, qui per Christũ deo ex gentibus credunt. Quod tamen idcirco interim absq; vllius allegoriæ adiectione discussimus, nequa (vt solet) his qui sunt ex circumcisione, obstrepẽdi aduersum veritatem resideret occasio. Sed adhuc validũ aduersum nos leuare poterunt telum, confirmantes etiam

D proselytos per legem circumcisioni obnoxios fieri, ex his quæ in exodo scripta sunt hoc modo: Si verò quis accesse- *Exod. 12.* rit ad vos proselytus, & fecerit pascha domino, circumcides ei omne masculinum, & tunc accedet facere illud, & erit sicut indigena. Omnis incircumcisus non edet ex eo. Lex vna erit indigenæ & aduenę q aduenerit ad vos. Quæ quamuis arguta videatur obiectio, tamen admiranda legislatoris vbique cautela succurrit. Considera enim quod & hic non dicit: quia aduena qui venerit ad vos faciat pascha domino & circuncidatur: sed obseruantissima moderatione decernit dicens: Si accesserit ad vos, & fecerit pascha. Nec dubitari enim de hoc potest, quod si quis cum Iudæis Iudaicum pascha fecerit, & circuncidi debeat, vnũ hoc interim, quo retundantur contradicentes, legislatoris cautela prospexit. Est & illud præterea ad quod mutire nõ poterunt. Pascha quod lex fieri pręcipit, in loco illo quem elegit dominus deus, id est Hierosolymis celebrandũ est. In illo etenim templo tantum offerri sacrificia decernuntur. Recuperent ergo prius statum templi, & tunc de cir- *Matt. 24.* cumcisione contendant: Si verò ibi secundum sententiam saluatoris non remãsit lapis super lapidem, qui non sit destructus, superflua est de circumcisione causatio. In tantũ *Exod. 4.* autem circumcisio vernaculum ipsius & nullius alterius gentis insigne est, vt nusquam alius quis in historiis veterũ
E pro hac referatur correptus, nisi filius Moysi, cuius mater *Iudæis nõ gentibus præscriptã circũcisionem.* Sephora vim angeli comminantis exitium filij circumcisione compescuit. Ex his ergo omnibus ostenditur Israel ille qui secundum carnem, aut solus circumcisioni carnis obnoxius: liber autem & alienus ab ea populus proselytus qui aduenit ad eam, qui ascendit & factus est sursum: ille autem descendit & factus est deorsum: & per misericordiam Christi factus est iste populus in capite, & ille in cauda. Facti sũt enim nouissimi primi, & primi nouissimi. Et *Deut. 28.* ob hoc iudicat id quod ex natura est præputium legẽ per- *Matt. 22.* ficiens, illos qui per literã & circũcisionẽ præuaricatores sunt legis. Non enim purificat animã hæc quæ in manifesto fit in carne circumcisio, sed illa quæ in occulto est circũcisio cordis, ipsa purificat mentẽ, & vitiorũ maculas abscindit. Hactenus nobis de circũcisione carnali pro visib' *Rom. 7.* dictum sit. Age iam secundũ eum qui dixit, quia lex spiritalis est: & qui de his quæ referũtur in lege, dicit quod per allegoriã dicta sint: quid etiã allegoricis legibus de ea sentiendũ sit videamus. Scio multorũ de hoc ferri dicta vel scripta, sed & nos quæ dominus dederit ad ea quæ ab aliis commodè composita videntur addemus. Circuncidere est *De circũcisione allegoria.* ex genitali membro, per quod successio humani generis & carnalis propago ministratur, amputare aliquam partem.
F Per hoc ergo indicari figuraliter reor, amputãdam esse ab anima siqua illi ex consortio carnis adhæret impuritas, si quis eam libidinis malesuadæ sensus obtexit. Idcirco igitur non aliis ista defectio, sed genitalibus membris infligitur, vt clareat quod huiusmodi vitia animæ non ex propria substantia, sed ex genuino motu, & incentiuo carnis adueniunt. Quod autem octaua die circũcisio datur, illud designari arbitror, quod pręsenti quidẽ seculo septimana deputata est, octauus autem dies futuri seculi mysteriũ tenet. Il- *Luc. 20.* lorum ergo est circũcisio spiritalis, qui futuro seculo militant, in quo neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli dei, & eorũ qui seipsos castrauerunt propter regnũ dei, & quorũ in terris ambulantiũ in cœlis est conuersatio, quique prospiciunt non ea quæ videntur, sed quę nõ vidẽtur, & sciũt quia quæ vidẽtur tẽporalia sunt, quę autẽ non videntur æterna. Verũ (vt superius memorauimus) dictum est & ab aliis quod circumcisio spiritalis sit, omnem immũditiã, cogitationẽ, atque impuros sensus abscindere à corde & abiicere. Sed occurritur huiuscemodi æditioni- *Ezec. 44.* bus ex his quæ apud Ezechielẽ scripta referũtur, vbi dicit dominus: Omnis filius alienigena incircumcisus corde, & incircumcisus carne, non introibit in sancta mea ex omnibus filiis alienigenarum qui sunt in medio domus Israel. Euidenter etenim duas circumcisiones hoc in loco ostẽdit sermo ꝓpheticus dicẽs: Incircũcisus corde, & incircõcisus *Duæ circũcisiones* carne. Vnde cogimur secundũ allegoricas leges vtriusque

G circuncisionis formas ac species assignare, quáuis hoc possit nobis etiam in illis quas supra exposuimus rationibus subiici. Sed interim videamus nunc quæ possit duarú circuncisionum secundum allegoriam figura seruari: & videamus ne forte referri queat ad duo generalia peccata, in quibus incircumcisum esse non expedit, id est in fide, & in operibus: vt sit circumcisus corde qui habet fidem, & circuncisus carne qui opera non habet. Alterum nanque sine altero reprobatur, quia & fides sine operibus mortua dicitur, & ex operibus sine fide nemo apud deum iustificatur. Sic ergo vt ego arbitror, dictum propheticum conuenienter aptabitur fidelium populo, quibus dicitur: Omnis alienigena qui est in vobis in medio domus Israel circumcisus corde, & incircúcisus carne, non introibit in sancta mea. Hoc est nimirú quod & dominus in euangelio dicit: Qui credit in me mádata mea custodit, & iterú: Qui audit verba mea & facit ea, & iterú: Quid autẽ dicitis mihi, domine domine, & nó facitis quæ dico? Vides ergo vbique fidẽ cú operibus iungi, & opera sociari cú fide. Cordis ista circúcisio: nihil sordidú, nihil indignú sentire de fide. Carnis circúcisio est, nihil immundú, nihil cótaminatum in opere gestisque cómittere. Qui enim in altero horum incircúcisus fuerit & immundus, dei vocibus ingredi prohibetur in sancta. Ingreditur tamen & alienigena in sancta quò non li-

Iaco. 2. *Ezec. 44* *Ioan. 14.* *Matt. 7.* *Fidei & operũ coniunctio.*

H ceat ingredi secundú legẽ literæ nisi solis sacerdotibus. Datur verò nunc & alienigenis vt ingrediantur, vt sint fidei & actuum circuncisione purgati. Si quis autem ad nos superiores quæstiones reuocare contendat, & iterum nobis replicet hoc quod scriptú est de alienigena, quod ab eo volente ingredi in sancta, nó solú cordis circúcisio, sed & carnis exigitur: huic ita moleste persistẽti, obuertimus & nos illud quod Hieremias propheta dicit: Ecce incircumcisæ sunt aures vestræ. Ostendat nobis iste carnalis circúcisionis exactor aurium circumcisionem sensibilem & corporalem si potest: sed certú est quod nullo pacto hoc facere queat. Reuertitur ergo ad allegorias necessitate cópulsus, & dicit circúcidi aures, cú secundú Salomonis monita nó recipiunt auditioné vaná, & cum oppilantur ne audiát iudicium sanguinis, & cum sepiútur spinis ne audiant obtrectationé, sed vt soli verbo dei pateant, & his quæ ad ædificationẽ dicuntur. Sit ergo talis & illa cordis, qualis & hęc auriú circúcisio, quæ cõmuniter videtur exposita. Hoc autẽ modo & incircúcisus labiis dicitur, qui non circúciderit blasphemiá, scurrilitatem, turpiloquiú de ore suo, qui non posuerit custodiam ori suo, & ostium circumstantiæ labiis suis, qui non etiam à verbo otioso circuncidesit os suum. Deniq; vbi dicit Moyses ad dominú: Prouide domine aliú quẽ mittas, ego autẽ tardæ linguæ, & gracili voce ego sum: ipsi in Hebræis exẽplaribus habere se dicunt: Ego

Hier. 6. *Aurium circúcisio.* *Labiorum circũcisio.* *Exod. 6.* *Exod. 4.*

I autẽ incircumcisus sum labiis. Quod si hoc modo, quo superius diximus, potest quis incircúcisus videri auribus, & incircuncisus labiis, cur non & simili forma incircumcisus præputio carnis suæ dicatur is qui erga naturalem coitus motum immoderatius & intemperantius effluit? Circúcisus verò habeatur, si qui in huiuscemodi negotio legitimis & quantú posteritati sufficit vtatur officiis? Verú quoniá de circúcisionis ratione tractamus, etiá illud his adiúgere non absurdum videtur, quod Iesus filius Naue ex præcepto domini filios Israel secundo circúcidisse cultris saxeis memoratur: quod vtique quantum ad literá spectat impossibile factum videtur. Semel in carne præputij circumcisis, quid inuenire possit secunda circumcisio quod auferat? Iesus verò noster qui vere post Moysen filios Israel in terrá sanctá fluentẽ lac & mel, terrá repromissionis inducit, euidẽs est quomodo nó semel sed secúdo circúcidat credentiú populú. Prima nanque est eius circumcisio, qua ab eis vel idolorú cultú, vel cómenta philosophicæ persuasionis excidit. Secunda verò vtitur circúcisione, cum ab eis veteris hominis cósuetudinẽ, & passiones ac vitia carnis abscidit: & tunc cópletur quod in Iesu Naue scriptú est: Hodie abstuli à vobis opprobria Ægypti. Opprobria nanque Ægypti secum circúfert, si quis in ecclesia positus, & sub Iesu duce militans Ægyptios mores & motus animi barbaros

Iosue 5. *Ibid.* *Opprobria Ægyptiaca.*

seruet. Marcion sanè cui per allegoriam placet nihil intelligi, quomodo exponat quod dicit apostolus, circumcisione prodesse, omnino non inueniet. Sed de singulis quidẽ quæ inferuntur nullatenus reddere poterit rationem: aduersari cum quadá irrisione notare deum legis qui circúcisionem dederit solet non solu ipse, sed & omnes hæretici qui verus testamentú repudiant, vnà cum gentilibus, qui omnes aduersum deũ legis talia quædá, vel fœda obtrectatione congeminát. Stoici aiunt: indicet aliquid mysticú circuncisio, & figurá teneat allegoriæ: ita ne oportuit vt cú pœna & periculo paruulorú, cum cruciatib⁹ teneræ & adhuc innocentis partis, in facie figurarũ species, & legis ænigmata conderentur? Sic non habebat legislator vbi formas mysticas poneret, nisi in decurtatione verecundorum locorum? & dei omnipotentis lex æternique testamenti signaculum non potuit nisi obscœnis membrorum partibus collocari? Ita ne bonus est deus iste qui natum hominem statim in primis nouæ lucis auspiciis præceperit vulnerari? Et si, vt vobis videtur, ipse est & animæ creator & corporis: aut superfluo se plasmasse partem illam corporis notat quam postmodum mandat abscindi, vt per miserorum supplicia proprium emẽdet errorẽ: aut quod necessario & vtiliter fecit, non recte mádat auferri. Tum præterea si cura est deo plurimos ad cultum sanę religionis adduci, maximú ex circuncisione obstaculũ nascitur. Cum eo enim

K

Calumnię hæreticorum & Stoicorũ.

L quod supplicium vnusquisque declinat, tum etiá irrisionẽ turpitudinis refugit: vnde magis impedimentum hoc religionis quam insigne dicendum est. Hęc & multa his similia vel gentiles aduersum legislatorẽ, vel hæretici perstrepunt, quibus respondere necessarium puto, sed primo gẽtibus. Nemo sapiens ea in aliis notat, quæ apud se honesta ducit & magna: etenim circúcisio apud vos ô gentiles ita magni habetur, vt nó passim vulgo ignobili, sed solis sacerdotibus, & his qui inter ipsos electioribus studiis máncipati fuerint, credatur. Nam apud Ægyptios qui in superstitionibus vestris & vetustissimi habentur & eruditissimi, à quibus prope omnes reliqui ritum sacrorum & cæremonias mutuati sunt, apud hos, inquá, nullus aut Geometriæ studebat, aut Astronomiæ, quæ apud illos pręcipua ducitur, nullus certe Astrologiæ & Geneseos, qua nihil diuinius putant, secreta rimabatur, nisi circúcisione suscepta. Sacerdos apud eos, aruspex, aut quorúlibet sacrorú minister, vel vt illi appellát ꝓpheta omnis circumcisus est. Literas quoque sacerdotales veterú Ægyptiorũ quas Hieroglyphicas appellant nemo discebat nisi circumcisus. Omnis hierophantes, omnis vates, omnis cœli (vt putant) inferniq; mistes & conscius apud eos esse non creditur, nisi fuerit circúcisus. Hoc igitur apud nos turpe & obscœnú iudicatis, quod apud vos ita honestum habetur & magnú, vt cœle-

Marcionita secũda Valentinianus etc. *Respondet ad calumnias ethnicorum de circũcisione. Eadẽ ferè Iosephus cõtra Appionẽ.* *Apud Ægyptios qui circũcidebãtur* *Literę Hieroglyphica.*

M stiú infernorúmque secreta non nisi per huiuscemodi insignia enunciari vobis posse credatis? Quod si apud vos per tot & in tantis secretorú vestrorú caussis quæ ministra circúcisione peragútur, necessariú erit rationẽ quæri, & talẽ quæ contemni non debeat, ne cum eo cuncta pariter subruátur, cur non id etiam apud nos fieri posse speretis? Verum si replicetis historias vestras, inuenietis non solú Ægyptiorum sacerdotes & hierophantas vsos esse circumcisione, sed & Arabas & Æthiopas, & Phœnices, aliósque quorum studia gratia huiuscemodi superstitionis nobilitata vigent. Hæc sufficienter dicta sint aduersum gentiles, quibus de legis nostræ mysteriis loquendum apertius non erat. Nunc iam nobis ad eos sermo dirigatur, qui Christo quidem credút, sed legem non recipiunt & prophetas. Fatemini sine dubio verú esse quod scriptú est in epistola Petri: Quia redempti sumus non corruptibili precio argenti & auri, sed precioso sanguine vnigeniti. Si ergo precio empti sumus, vt etiam Paulus adstipulatur, ab aliquo sine dubio empti sumus, cuius eramus serui, qui & preciú poposcit quod voluit vt de potestate dimittat quos tenebat. Tenebat autem nos diabolus, cui distracti fueramus peccatis nostris. Poposcit ergo precium nostrum sanguinẽ Christi. Verum donec Iesu sanguis daretur, qui tam preciosus fuit vt solus pro omnium redẽptione sufficeret, necessariú fuit

Hierophanta. *Quinam populi circuncidebantur.* *Nunc respondet Marcionitis & Valentinianis.* *1. Pet. 1.*

A fult eos qui instruebantur in lege, vnumquéque pro se ve-
lut ad imitationem quãdam futuræ redemptionis sangui-
nem suum dare, & propterea nos pro quibus completu est
precium sanguinis Christi, nõ necesse habemus pro nobis
ipsis precium id est sanguinem circumcisionis offerre. Si
verò culpabile vobis videtur quod Deus legis inferri iubet
Luc. 2. infantibus vulnera, & sanguinem fundi: hoc etiã in Chri-
sto factum culpatis, qui & octaua die circumcisus est, &
vulnera passionis excepit, & cũ crucis pœna sanguinẽ suũ
fudit. Quod verò circuncisionis horrore difficilis vobis ad
religionem videtur ascensus, difficilior multo videtur in-
gressus ad euangelium vobis, in quo non partem exiguam
corporis, sed ipsam quis animam ponere iubetur. Sed exẽ-
pla martyrum secundum vos prohibebant homines acce-
dere ad fidẽ. An eo magis creditur firma religio, quod ni-
Circumcisionis no-ta absque alio my-sterio vti-lis. hil remissum, nihil delicatum pollicetur aut molle. Quod
& si nihil aliud sacramenti figuraliter circuncisio teneret,
quid esset absurdi, si ad discretionem cæterarum gentium
populus qui sub lege Dei instituebatur, proprium aliquod
gestaret insigne? & si necessaria visa est partis alicuius am-
putatio, quid tã conueniens fuit quam eam inuenire quæ
videbatur obscœna, & illa auferre quorũ diminutio nihil
ad officiũ corporis impediret? Quod verò dicũt: quia si ne-
cessaria non erat illa pars mẽbri, nec à creatore oo debuit:
B si necessaria facta, non debet auferri: interrogemus eos &
nus, si necessariam dicant filiorũ procreatione. Necessariã
Cœlibatus ecclesiæ. sine dubio respondebunt. Erunt ergo culpabiles, qui con-
tinentiæ & virginitatis obtentu, necessarius naturæ officiũ
Luc. 20. non ministrant: & erunt cogendi ad nuptias, qui secundũ
euangelij leges semetipsos castrauerunt propter regnum
Dei, habentes exempli huius auctorem cum multos alios
Christus exempli de cœlibatu auctor. sanctorum, tum etiam ipsum dominum Iesum. In summa
verò dicendum est quod sicut multa necessaria erant ba-
ptismata ante baptismum Christi, & multæ purificationes
antequam purificatio per spiritum sanctũ fieret, & multæ
hostiæ antequã vna hostia agnus immaculat⁹ semetipsum
patri offerret hostiã Christus: ita etiam multis circũcisio-
nibus opus fuit vsquequo vna in Christo circũcisio in o-
mnibus traderetur: & multorum sanguinis effusio præces-
sit, vsquequo per vnius sanguinem omniũ redẽptio fieret.
Hęc quidem nobis ad pręsens occurrere de circumcisionis
ratione potuerunt: quæ tamen ea lege dicta sint à nobis, vt
si quis melius & rationabilius dixerit, illa magis quam hęc
nostra teneantur. Verum post excessum iusto fortitan lar-
C giorem ad apostoli conclusionẽ capituli reuertamur. Igi-
tur quoniam frequens est apostoli ille tractatus, quo per
Duo homines. singula quæque binos homines esse designat: quorum al-
terum exteriorẽ nominare, alterũ interiorẽ solet: eorúmq;
alterum secundum carnem esse, alterum secundum spiritũ
dicit: opinor ea illis institutis quæ in Genesi scripta sunt, v-
Gen. 9. bi alius ad imaginem Dei factus, alius de limo terrę factus
refertur: & hos ipsos nũc alium in manifesto, alium in oc-
culto Iudæum vocat: Sciendum est quod horũ vterque in
quibusdã dissonis, in nonnullis verò cõmunibus vtitur in-
stitutis. Nã sunt quędam quæ ab interiore homine initium
sumũt, & vsque ad exteriorem perueniũt. Alia verò ab ex-
teriore homine inchoata perueniũt vsque ad interiorem.
Quod autem dico tale est. Si castitas ab interiore homine
sumat exordiũ, peruenit vsque ad exteriorẽ. Neque enim
fieri potest, vt si ante quis nõ mœchetur in corde, mœcha-
ri possit in corpore. Sed non continuo si quis ab exterioris
hominis incipiat castitare, peruenit etiam ad interiorẽ cõ-
tinentiam. Secundũ hæc ergo circuncisio interioris homi-
nis allegoricis legibus intelligatur, cũ iam neque ille con-
cupiscit in corde, neque exterior iste concupiscentiam mi-
nistrat in corpore: vt circũcisus dicatur in carne ille, quem
apostolus dicit iam non esse in carne, sed in spiritu, & qui
actus carnis per spiritum mortificat. Verum quoniam qui
circũcisus est aliquam carnem perditam dedit, aliquã ser-
uauit incolumẽ, in eo quod perditam dedit, illam carnem
Esa. 40. significari puto de qua scriptum est: Omnis caro fœnum,
& omnis gloria eius quasi flos fœni. Caro autem quę ser-
uatur, & incolumis permanet, puto quod formam teneat

illius carnis de qua dicitur: Quia omnis caro videbit sal- D
uatorem Dei. Sed opus est auribus quæ audire possint quę
sit caro quæ pereat, & quæ sit caro quę videbit saluatorẽ
dei: quę post depositionẽ carnis pręputij salua permaneat,
cum illa vt flos fœni deciderit. Quod qui intellexerit, in-
ueniet ingentium mysteriorum formas circumcisionis ra-
tione præmissa: & inueniet eum qui in occulto Iudęus est,
& qui interiore homine circumcisus, tantum præstare &
eminentiorem esse illo qui secundum carnem Iudæus est,
quantum præstat & eminet Iudas ille quem collaudant
fratres sui, & qui dormiuit vt leo, & vt catulus leonis su-
scitatus est, illo Iuda qui ex femoribus Iacob secundum
carnem natus est.

CAPVT III.



QVid ergo amplius Iudæo? aut quæ vtilitas cir-
cumcisionis? Multum per omnem modum.
Primum quidem quia credita sunt illis eloquia
Dei. Quid enim si quidam illorum non credi-
derunt? nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacua-
bit? Absit. Est autem Deus verax, omnis autem homo mẽ- De circumcisionis vsu.
dax: sicut scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis, &
vincas cum iudicaris.} In hac epistola Paulus velut ar-
biter quidam inter Iudæos residens, & Græcos, id est eos E
qui ex gentibus credunt, vtrosque ad fidem Christi ita e-
uocat & inuitat, vt neque Iudæos offendat penitus de-
struendo Iudaicos ritus, neque gentibus iniiciat despera-
tionem confirmando obseruantiam legis & literæ: & siue
de repromissionibus memoret, siue de pœnis, ad vtrunque
populum diuidit verbum. Vt, verbi gratia, cum dicit: His
autem qui ex contentione sunt, & qui diffidunt quidem
veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribu-
latio & angustia in omnem animam hominis operantis
malũ, Iudæo primũ & Græcu. Ista de pœnis. De promissio-
nibus verò subiungit: Gloria autẽ & honor & pax omni o-
peranti bonũ, Iudæo primũ & Græco. Rursum de gẽtibus
dicere videtur: Quicunque enim sine lege peccauerũt, sine
lege peribunt. Et iterum de circũcisis: Et quotquot in le-
ge peccauerunt, per legem iudicabuntur. Rursum vero
gentes subleuans dicit: Cum enim gentes quæ legem non
habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, hi legem non Pauli de Iudæis et gentibus iudicia.
habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scri-
ptum in cordibus suis, &c. Et iterum sermonem conuer-
tit ad Iudæos dicens: Si autem tu Iudæus cognominaris,
& requiescis in lege, & reliqua vsque ad eum locum vbi F
dicit: Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gen-
tes Et ne videretur nimius esse increpationibus Iudæorũ,
dicit: Circumcisio prodest si legem custodias. Sed iterum
ne erigeret eos qui nimiam in circumcisione ponunt glo-
riam, addidit: Si autem præuaricator sis legis, circumcisio
tua præputium facta est. Vt autem paululum & eorum qui
ex gentibus credunt animos alleuaret, subiungit: Si autem
præputium legis iustitias custodiat, nónne præputium il-
lius in circumcisionem reputabitur? Atque vt validius e-
rigeret animos gentium, & sciret posse se si legem perfe-
ctius obseruarent etiam meliores effici Iudęis, dicit: Et iu-
dicabit id quod ex natura est præputium legem perficiẽs,
te qui per literam & circumcisionem pręuaricator es le-
gis. Verum quoniam sciebat multas in lege & prophetis
esse repromissiones ad Iudæos, ne possent desperare gen-
tes tanquam quæ nihil societatis in conscriptis repromis-
sionibus habeant, docet eos qui secundum mysticam ra-
tionem etiam ipsi Iudęi fiant & habeant circumcisionem.
Propterea dicit: Non enim qui in manifesto Iudæus est,
neque quæ manifeste in carne est circũcisio, sed qui in oc-
culto Iudæus est circumcisione cordis in spiritu non lite-
ra, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Verum
quoniam in his omnibus superiorem quodãmodo causam
gentium fecerat, rursum velut querelis eorum qui ex cir-
cũcisione sunt occurrens, proponens sibi ipse quæ in præ-
senti capitulo continentur dicit. Quid ergo amplius est
Iudæo? aut quæ vtilitas circumcisionis? Multũ per omnem

G modum. Si ergo, inquit, is qui in manifesto Iudæus est, &
quæ manifeste in carne est circumcisio non reputatur, sed
qui in occulto Iudæus est, & circūcisio cordis quæ fit in spi-
ritu, ipsa est vera circumcisio: dices mihi: Quid amplius est
Iudæis qui hac appellatione cēsentur? vel quæ incorporali
circumcisione habetur vtilitas? Ad hæc videtur in vtroque
populo minus iustus arbiter resedisse pronuncians quid
amplius habeat Iudæus & ea quæ in carne est circumcisio,
& dicit eos habere amplius multum per omnem modum.
Quid autem multo sit amplius subiungit. Primo inquit,
Iudæorum prærogatiua. quia credita sunt illis eloquia dei. Quamuis enim & gēti-
bus nunc credātur eloquia dei, sed illis aīt primo sunt cre-
dita. Requiro tamen quid est quod dicitur primis eis cre-
dita esse eloquia dei, vtrū ne de literis hoc dicat & libris,
Tit. 1. an de sensu & intelligentia legis? Videmus enim pluri-
mos Iudæorum ab infantia vsque ad senectutem semper
discentes & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes:
& quomodo videbitur verum esse quod dicitur, quia am-
plius aliquid habeant in eo quòd primis eis eloquia Dei
credita sunt, in quibus non intelligunt neque quæ loquū-
tur, neque de quibus affirmant. Si verò sapiens ille dicitur
qui intelligit secundum Salomonem quæ ex proprio ore
sunt, & qui in labiis portat intellectum: de Moyse & pro-
H phetis cæterisque horum similibus hæc intelligenda sunt
dici, quibus credita sunt eloquia Dei: quia & ipsos Iudæos
fuisse, & habuisse circumcisionem, nō potest dubitari. Sed
& si quis apud eos sapiens & intelligens auditor & mira-
bilis cōsiliarius fuit, quos auferre dicitur dominus ab Hie-
rusalem offensus impietatibus populi. Sic enim dicit E-
saias: Ecce dominator dominus sabaoth auferet ab Hieru-
Esa. 3. salem & à Iuda. & post aliquanta: Et prophetam inquit, &
æstimatorem, & senatorem, & quinquagenarium, & mi-
rabilem consiliarium, & sapientem architectum, & pru-
dentem auditorem. His ergo talibus existimādum est pri-
mis credita esse diuina, & his fatendum est fuisse amplius
multum per omnem modum: sed & si qui alij his similes
3. Reg. 19 fuerunt, sicut in Regnorum libris scriptum apostolus me-
Rom. 11. morauit: Reliqui mihi septem milia virorum qui non cur-
Phil. 3. uauerunt genua sua ante Baal. Sed & ipsi apostoli Christi
& ipse vas electionis Paulus ex Iudæis & ex circumcisio-
ne veniens amplius habebat his quos docebat ex gentibus
per omnem modum. Credita nanque eis sunt eloquia dei.
Sed & hoc ipsum quod dicit, quia credita sunt illis eloquia
dei, considerandum est, quia non dixerit literas esse credi-
tas, sed eloquia dei. Vnde via nobis datur intelligendi,
I quòd his qui legunt & non intelligunt, & qui legunt &
non credunt litera sola sit credita, illa de qua dicit aposto-
2. Cor. 3. lus, quia litera occidit: Eloquia autem dei illis sint credita,
Ioan. 5. qui intelligentes & credentes his quæ Moyses scripsit cre-
dunt & Christo: sicut & dominus dicit: quòd si credidisse-
tis & ipsi Moysi, crederetis vtique & mihi: de me enim ille
scripsit. Sed istud habeat amplius Iudæus in literis, habeat
aliquid & in eloquiis dei. Nunquid penitus relinquuntur
ij qui ex gentibus veniunt ad Christum? an & ipsis est vbi
Mat. 8. habeant aliquid amplius? Audi dominum dicentem ad
Centurionem ex gentibus credentem. Amen dico vobis,
nec in Israel tantam fidem inueni. Vide ergo vbi venitur
ad fidem quantum amplius habeant gentes: de quibus in
Ibid. alio loco dominus dicit: Quia venient ab oriente & occi-
dente, & à quatuor ventis terræ, & recumbent cum Abra-
ham Isaac & Iacob in regno dei, filij autem regni eiicien-
tur in tenebras exteriores. Vbi ergo ad leges venitur & li-
teras, habent Iudæi amplius multum per omnem modum:
Vbi verò venitur ad fidem (vt ex comparatione dixerim)
habent gentes multum per omnem modum. Requirendū
sanè est si etiam Samaritis dicendum est primis credita es-
se eloquia dei, quoniam quidem etiā apud ipsos lex Moysi
seruari videtur. Sed illis ego ne ipsam quidem literam quæ
occidere dicitur, creditam dixerim. Dicit enim de eis pro-
Amos 6. pheta: Væ his qui spernunt montem Sion, & confidunt
in montem Samariæ: ipsi quippe se alienos à literis dei fa-
ciunt repudiantes prophetas. Sed & hæreticis qui iniqui-
tatem loquuntur in excelsum, & qui impietate sua diuidūt
vnitatem deitatis, & qui legem ab euangelijs separant, nō K
dixerim credita esse eloquia dei pro eo quod diuina apud *Hæreticis*
eos volumina relegi videntur: sed quia nihil in his sentiunt *non credi-*
spiritale, nihil deo dignum, solam apud eos quæ occidit *ta eloquia*
haberi literam dixerim. Verum si forte Iudæi nollent reci- *Dei.*
pere apostoli nostri sententiam, quæ dicit quia litera legis
occidit: & iniuriam putent legi fieri, si secundum literam
sperni videatur: reuertamur ad ipsum Moysen, & videa- *Exod. 32*
mus quàm magnificauerit literam legis: qui cū accepisset
tabulas lapideas inscriptas digito dei, tantum honoris de-
tulit literæ legis, vt proiiceret de manibus suis tabulas, &
comminueret quidem digito dei scriptas, nec tamen pro
hoc impietatis culpa notatus sit. Vides ergo quia non solū
Paulus spernit literam legis, sed multo ante cum Moyses
spreuit, & abiecit, & contriuit literas legis. hoc sine dubio
iam tunc designans, quòd honor & virtus legis non esset
in literis, sed in spiritu. Sed & dominus in euangelio cum
dicit, ad Iudæos loquens: Auferetur à vobis regnum dei, & *Mat. 21.*
dabitur genti facienti fructum eius: puto quod sensum le-
gis dixerit, qui ablatus est à Iudæis, manentibus apud illos
solis literis legis, & datus est gētibus qui possint per fidem
fructum spiritus facere. Quæ cum ita sint, cur tam ignaui
& desides sumus, vt non tandem abiecta omni malitia,
cum simplicitate & puritate cordis, ad suscipienda dei e-
loquia properemus, & ad capiendum de eis sensum Chri- L
sti: quippe cū audiamus in his esse regnū Dei. Certe vnus-
quisque pro viribus capiat eloquia dei, quæ sunt sapientia
quam apostolus loquitur inter perfectos. Qui verò ad hāc
idoneus nōdū est, suscipiat eloquia dei in quibus agnoscat
nihil amplius quam Christum Iesum, & hunc crucifixum.
Qui nec hoc potest, in eo suscipiat eloquia dei, vt lacte v- *1. Cor. 2.*
tatur, & non cibo forti. Si verò adhuc infirmatur in fide,
eloquia dei in holeribus sumat. Tantum est vt omnes cō- *Psal. 19.*
muniter nouerimus eloquia dei esse eloquia casta, & ar-
gētum igne examinatum, terræ purgatū septuplum: id est
vt in castitate & sanctitate cordis & corporis diuina ser-
uemus eloquia. Credita sunt ergo primis illis quibus supra
diximus eloquia dei, sed quidā (vt dicit) nō crediderūt siue
deo siue eloquiis dei. Vides quia qui non credunt, ipsi sunt
secūdum carnem, de quibus & alibi dixit. Animalis homo
non percipit quæ sunt spiritus dei: Stultitia est enim illi.
Sed horum incredulitas non euacuat fidem dei. Fidem dei *1. Cor. 2.*
vel eam intelligimus quam fidem habet deus cū his qui-
bus credit eloquia sua, vel eam fidem qua credunt deo ij
qui ab eo eloquia diuina suscipiunt. Commonemur ergo
vt incredulitas eorum qui vel non accedunt ad fidem, vel
decidunt ex ea, si forte irrideant nos opera fidei agentes, M
vel cum ieiunamus, vel cum misericordias facimus, vel cū
custodiis & legi dei operam damus, vel etiam cū pro mar-
tyrio Christi tormenta sufferimus, meminerimus semper
quia infidelitas eorum fidem dei quæ in nobis est non eua-
cuat. Post hæc quod sequitur, minus quidem cōposite vi-
detur adiunctum: dicit enim. Fiat autem deus verax, omnis
autem homo mendax, sicut scriptum est: Vt iustificeris in *Rom. 1.*
sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Tamen tali qua- *Psal. 51.*
dam circumflexione superioribus id aptare tentabimus.
Licet, inquit, non crediderint quidam Iudæorum, de infi-
delitate tamen eorū dicendum est, quòd Deus quidem so-
lus sit verax, omnis autem homo sit mendax: qui etiam si
quid iustū est, necesse est tamē vt in aliquo à veritate deci-
dat, quā in omnibus seruare humanæ naturæ penè impos-
sibile est. Quia ergo omnis homo mendax est, propterea *Rom. 3.*
Iudæorū quidam vt homines mendaces non crediderunt.
Nam quia omnis homo mendax est, necessario in die illa
cū ad iudicium venerit dominus cū hominibus, solus ipse
iustificabitur in verbis suis. Ipsius enim verba in omnibus
vera, quia verba sunt veritatis. Quod autem dominus
ad iudicium veniat cū hominibus, propheta dicit: Venite *Mich. 7.*
& diiudicemur dicit dominus: & ipse dominus ad iu-
diciū veniet cum senioribus populi, & iterum: Memēto tu
& iudicemus, dicit dominus. Hæc autē introduxit aposto-
lus obseruans illam obiectionem quam sibi in alio loco
proponit ibidē: Si autem iniustitia nostra iustitiam dei cō-
mendat.

A mendax. De qua cum ad locum eius ventum fuerit requiremus. Nunc ergo videamus quid est quod dicit: Fiat autẽ deus verax, omnis autem homo mẽdax. ita enim in græcis exemplaribus habetur. Nam Latini sit pro fiat legunt. *Hæc ab interprete intersecta.* Primo ergo hoc sciendum est, quia quod dixit fiat, non imperatiuo modo dicit. Stultum est enim si putetur imperandũ esse deo vt verax fiat. Sed vt cum dicimus: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra: vel vt iterũ dicimus: Fiat pax in virtute tua, non imperantes sed optantes, immo potius pronunciatores, &c. quia non potest pax fieri nisi in virtute dei: ita & hic velut prooũciantis sermo accipiendus est: *Matt. 6. Pro optatiuo imperatiuum.* Erat autem deus verax, omnis autem homo mẽdax. Sed & hoc sciendum est, quòd sermo iste, id est omnis homo mẽdax, de psalmo cxv. assumptus est vbi dicit: Ego autem dixi in excessu meo, omnis homo mendax. *Psal. 115* Verum ad euidẽtius illuminãdum apostoli sensum, ne videatur legentibus onerosum si psalmi ipsius continẽtiam, vnde assumit testimoniũ, breuiter exponamus. *Digressio de Psalmi sententia.* Videtur ergo mihi talẽ quendam propheta nunciare sensum. Cum multa sint, inquit, apud homines dogmata, & multi de veritatis inquisitione philosophẽtur, cùmque oporteret in his omnibus quæstionibus præcedere filium deualij quidẽ qui non prius credẽtes quæsierunt noo inuenerũt: ego autẽ qui credidi antequã quærerẽ, idcirco quod quærebã inueni, & non solũ **B** inueni, sed & locutus sum, & annunciaui populis quã inueneram veritatem: Nec tamen inuẽta veritate elatus sum in sapientia, neque inflatus in sciẽtia mea: sed eo magis humiliatus sum, cum agnoui & intellexi dominum esse qui docet omnem scientiã. Deinde considerans quę homines & quanta vel inter philosophos, vel inter cæteros barbaros de veritate locuti sunt, & quia multo labore multa discentes, nil inuenerint, quia non crediderunt antequã quærerent, considerans omnia eorum vel dicta, vel scripta, & in excessu mentis effectus, id est stupore cordis attonitus, quod omnia illa philosophorum volumina quæ splendida & præfulgida videbantur oratione composita, procul à veritate consisterent: in excessu & in stupore mentis effectus dixi: Omnis homo mendax. Ego verò cui hæc ostenderat deus, ingratus non fui, sed cognoui & quæsiui apud memetipsum, quid pro hoc quod mihi dominus præstat scientiam veritatis, domino rependerem muneris: intellexi tamẽ quod natura illa æterna, & omnium domina, nullius indiget. Vnum ergo inueni solum, quod me offerre oporteret deo, id est vt crederem de eo quod nunquam possit ab homine aliquid accipere sed semper dare, & ideo dixi: Calicẽ salutaris accipiã: velut si responderet dicenti: Potes calicem bibere, quẽ ego bibiturus sum? & diceret: Possum domine, Sic ergo ait: Calicem passionis tuæ libẽter & tota voluntate suscipiam: & vt calicis tui, id est passionis gratiam ad finem vsque cõseruem, non meis viribus **C** agam, sed nomẽ domini inuocabo. Preciosa est enim apud te mors, quæ pro deitate & veritate suscipitur. Secundum hoc igitur etiã in apostolicis dictis accipiendũ est: Omnis homo mẽdax, siue qui in legis litera sine fide confidunt, siue is qui in quibuslibet dogmatib⁹ & literis gloriatur. Sed obiicitur nobis: Si omnis homo mendax est, ipse Paulus homo est, erit ergo mendax. *obiectio.* Sed & Dauid qui hæc dixit, homo fuit, si omnis homo mendax est, erit & ipse mẽdax: hoc ipsum falsum quod dicit: omnis homo mendax, quia mendacem se necessario cum cæteris hominibus ipse pronunciat: & si mendax est, vtique non erit verum quod à mendace dicitur: quia omnis homo sit mẽdax. Videtur ergo sermo eius incurrisse in syllogismum qui dicitur Aporus, id est dubius, qui & falsus appellatur. *Syllogismus.* Sed si redeamus ad interiorem scripturæ intellectum, inueniemus quòd omnes prophetæ vel apostoli ex illis sint ad quos sermo fit, sicut scriptum est: Et factum est verbum domini ad illum vel illum prophetam, hos ergo ad quos sermo dei fit, dñs in euangelio non homines pronũciat esse, sed deos. Sic enim dicit: Quid si illos dicit deos ad quos sermo dei factus sit, & non potest solui scriptura: *Ioan. 10.* quia ergo & ad Dauid tanquam prophetã, & ad Paulũ tanquam apostolũ sermo dei factus est, sine dubio non erãt homines sed dij ad quos sermo dei factus est. **D** Igitur quia non erãt homines sed dij, verum est quod de cæteris hominibus pronunciat, ad quos sermo dei non factus est: quia omnis homo mẽdax sit. Sed & quod sequitur nihilominus de Psal. 50. assumptum est, id est, Vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas cum iudicaris. *Psal. 50. cuius subiicit expositionem.* Est autem in psalmo integer sensus hoc modo positus. Tibi soli peccaui & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas cum iudicaris. Et quoniã grandis excessus est vt ab imo psalmi repetamus, breuitatis causa hunc tantummodo quem in medio posuimus, discutiamus sermonem: in quo statim in primo hæc difficilis videtur explanatio. Si enim historiam sequamur quæ in prætitulatione psalmi scripta est, vbi refertur peremptо Vria Cetheo vxorem eius accepisse Dauid, quomodo ergo dicit: Tibi soli peccaui: cum vtique & in ipsum Vriam peccauerit, & in propinquos eius: sed & in ipsam Bersabee atque omnem domum eius, cui intulisse maculam videtur adulterij? *2. Reg. 12.* Sed est sciendum, quòd non semper prætitulationis historiam psalmi continẽtia sequitur, vt in plurimis psalmis qui obseruat inueniet. Et vt exempli causa dixerim, xvij. psalmi prætitulatio. In finem inquit puero domini Dauid, qui locutus est verba Cantici huius in die qua liberauit eum dominus de manu omnium inimicorũ suorum & de manu Saul, & dixit. Continentia verò psalmi **E** longe aliud quam prętitulatio cõtinet. Quæ enim fundamenta montium cõmota sunt, aut quando tremefacta est terra, cum pugnaret Dauid aduersum inimicos suos? Aut vbi refertur caligo sub pedibus domini fuisse? vel vbi indicatur ascendisse super Cherubim & volasse, vel super pennas ventorum, & cætera pene omnia, quæ à prætitulationis historia omnimode discrepant? Hoc ergo modo & in quinquagesimo psalmo, quod secundum historiam non conueniunt, videndum est ne forte mulieris in prætitulatione per figuram idcirco facta sit mentio, vt sub hac appellatione intelligatur aliqua talis mulier, vel qualis describitur illa fortis quæ duplices chlamydes fecit viro suo: vel certe his contraria, vt fuerunt illæ quæ dicuntur declinasse cor Salomonis vt ædificaret aras gentium & idola. Quæ vtique in allegoriam sumptæ, non sunt ex diuina sapientia, sed ex illis quæ sunt ei cõtrariæ, id est alienæ à deo sectæ. Talis ergo & hæc Vrię vxor Cethei viri alieni ab Israel intelligi potest, quam positus in superioribus Dauid inspexerit lauantem immunditias suas in aquis, & sordes suas diluere volentem, eámque desiderauit, & acceperit. Sed quia non fuit voluntas domini alienas à veritate dei sectas introducere in domum Dauid, prima eius natiuitas & primus fructus extinguitur, vt secunda progenie rex de alienigena sapiens nasceretur. Sed longum est horum figuras & ænigmata persequi. Illud tamen quod ad rem pertinet, breuiter prosequemur. **F** Cum, inquit, multa subtilitas sit in varietate sectarum, & qui sensus secundum deum sit, qui verò alienus à deo in tractatibus & disputationibus sapientium, nullius sit scire vel iudicare, nisi solius dei, qui solus potest comprehendere sapientes in astutia sua: ideo tibi soli peccaui, & malum coram te feci, quia cæteri omnes, vtpote animales homines, me qui spiritalis sum etiam si erraui diiudicare non possunt: quia spiritalis iudicat omnia, ipse verò à nemine iudicatur. Sed quia addit Paulus spiritalis, & dicit: Qui autem iudicat me dominus est: *1. Co. 4.* hoc sciens & Dauid quod solus dominus est qui spiritalem diiudicat, idcirco dicit: Tibi soli peccaui, à quo solum possũ diiudicari, Nam humana dies diiudicare non potest spiritalem. Sed & quod sequitur ad hunc respicit sensum: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Iudicatur namque deus in disputationibus sapientium, dum alij hoc modo, alij alio, & diuerse singuli de deo sentiunt: Ipse verò vincit eos qui de se iudicant, cum errãtibus cunctis suam de se quomodo vel qualiter credendus ac venerandus sit reuelat ipse sententiam. Sed sufficiat hucusque spatia secũdi voluminis esse producta. Nescio quo pacto dum piget omittere aliqua explanationi necessaria suggerimus, euoluimurã breuitate, quã si res pateretur, lectoris fastidio consulentes, magnopere seruare cuperemus,

G

LIBER TERTIVS.



SI autem iniquitas nostra Dei iustitiam commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus deus qui infert iram? Secundum hominem dico. Absit. Alioquin quomodo iudicabit deus mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloria eius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor? & non sicut blasphemamur, & sicut dicunt nos quidam dicere: Faciamus mala vt veniant bona? Quorum damnatio iusta est.] Multum fortassis inconsequens videbitur ordo dicendi, per omnem penè textum huius epistolæ ab apostolo Paulo digestus, dum eius sermo nunc aduersum gentes dirigitur, nunc pro gentibus temperatur, & rursum aduersum Iudæos, & iterum de Iudæis, aut etiam pro Iudæis ponitur, & ex ipsis alios quidem laude dicit dignos, alios vituperat. Qui rursum sensuum varietates extra lineas propositæ actionis putabitur abduxisse, veluti cum exclamatiu nectitur cum ait: Sit autem deus verax, omnis autem homo mendax. Vel etiam ea quæ consequenter adiungit cum dicit: Si autem iniquitas nostra dei iustitiam commendat, & reliqua, vt per hoc de excessu in excessu videatur elapsus. Sed qui credimus ei dicenti, quia idoneos nos fecit ministros noui testamenti non literæ sed spiritu, sensum eius multo celsiorem quàm humanæ artis ratio habere creditur, inuenimus. Per omnem namque huius epistolę textum docere volt quę fuerit vel ante aduentum rursum ex incredulitate Israel salus gentibus conferatur: & rursum quod neque ex integro gentes, nisi quę crediderint, veniant ad salutem, neque ex integro abiiciatur Israel, sed reliquię credentium saluę fiant. Et ideo confusus vt dixi videtur ordo dicendi, dum diuersitates credentium & non credentium partis vtriusque prosequitur. In quibus necessario sermonem conuertit ad deum, vt in his omnibus assumptionum repulsionúmque differentiis, vera quidem & iusta doceat esse iudicia Dei, multum autem in hominibus abundare mendacij: & ideo dicit: Sit autem Deus verax, omnis autem homo mendax, Sicut scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, de quibus prout potuimus in superioribus diximus. Ad hoc ergo nunc videns posse sibi contrario verisimiliter obiici: quia si vt Deus verax sit, mendacem esse omnem hominem necesse est, & iustitia Dei per hominum iniustitiam commendatur, iniustus videbitur Deus, qui iram hominibus inferat, cum per hominum iniustitiam suam iustitiam videat approbari: Si enim nostra hoc est hominum iniustitia Dei iustitiam commendat, non vtique pœna digni homines videbuntur, per quos iustitia Dei probabilior habetur & clarior: Sed absit inquit, vt hoc ita recipiamus, iniquum Deum videri qui inducat iram aduersum homines. Quomodo enim iniustus putabitur qui iudicat mundum, cum in ipso nomine iudicij ostendatur, nihil sine iudicio facere? Vbi autem iudicium est, constat esse iustitiam. A iustitia namque & iudex & iudicium nominatur. Si ergo vt isti, inquit, nos affirmare confingunt, veritas Dei in meo mendacio abundauit, superfluo ego tanquam peccator iudicor. Sed illud magis videbitur in quo blasphemant nos, qui quasi hoc videamur dicere, vt sit veritas Dei in hominum mendacio magis ostenditur, & iustitia eius per hominum iniustitiam comprobatur: Faciamus ergo nos mala, vt ex malis eueniant bona: & mentiamur nos, vt ex nostro mendacio Dei veritas clarescat. Sed hæc quidem de nobis confingunt blasphemantes nos, quod quasi ex ipsius assertionis consequentia hęc dici vel consequi videantur. Quod ratio dogmatis nostri omnino non recipit, qui iustum & verum intelligimus iudicem Deum. Sciendum sanè est, quod in quibusdam etiam grecis exemplaribus sic inuenitur: Nunquid iniquus Deus qui infert iram aduersum homines? Et magis secundum hunc sensum videbuntur conuenire quę diximus. Secundum hoc verò quod in latinis exemplaribus, & nonnullis græcorum Inuenimus: Nunquid iniquus deus qui infert iram? Secundum hominem dico: Absit: ita intelligendum videtur hoc quod dicitur, iniquus Deus qui infert iram, pro eo quod iniustitia nostra iustitiam Dei commendat, K
non secundum deum, neque secundum sapientiam dei dicitur, sed secundum hominem. & secundum hoc quod dicitur: Omnis homo mendax. Hæc autem diximus ipsum adhoc ordinem sermonum & dictorum consequentia pertractantes, vt diuisio ipsa verborum apertiorem nobis faceret intelligendi viam. Nunc verò iam qualis in his sermonibus habeatur sensus secundum dignationem apostolicam requiramus. Omnis disciplina ex propriis, & ex aduersis, vel contrariis constat. Verbi gratia: Medicinæ scientia non solum sanitatis, sed & languoris profitetur cognitionem: & quamuis sanitatis studium gerat, non potest tamen nescire quæ languoris sunt. Similiter & prudentia per boni & mali scientiam constat. Temperantia quę eligenda & quæ cauenda sint nouit: & fortitudo non ignorat quæ ad formidinem spectant. Ita & iustitia. Si scire volumus quid est iustitia, necesse est nos scire & quid est iniustitia. Cum autem plenam scientiam iniustitiæ ceperimus, ex ipsa quæ sit etiam iustitia cognoscemus: Cum enim claruerit quid sit iniustum, consequenter quid etiam iustum sit apparebit. Et quoniam in deo est iustitia, cuius natura humano sensui inaccessa est: iniustitia verò in nobis hominibus vel etiam vnaquaque rationabili creatura habetur, ex hac nostra iniustitia quę nobis nota est, illa quę nobis vel inaccessa est, vel incomprehensibilis dei iustitia cognoscitur, & commendatur, & velut ex contrario contrarium proditur. Notat igitur apostolus L
Paulus iniuriam eorum, qui inconsequenter obiiciunt quæstionem, putantes iniquum esse deum qui iram in hominibus inducat, pro eo quod iustitia eius ex nostra iniustitia commendetur: ignorantes hoc non peccatorum nostrorum beneficio, sed ipsius rationis fieri consequentia, vt contraria ex contrariis approbentur. Ideo ergo sicut dicit apostolus: Si autem iniustitia nostra dei iustitiam commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus deus qui infert iram? Secundum hominem dico. Absit. Alioquin quomodo iudicabit deus mundum? Non ergo in hoc iniquus approbatur deus, si disciplinæ ratione contraria ex contrariis approbat, & ex iniustitia iustitiam commendat: sed cum omni consequentia digne merito, quia inimica est quæ aduersatur iniustitia iustitiæ, sicut inimica & aduersa est vita morti, & lux tenebris. Et ideo dicitur deus in quo est iustitia, inferre iram hominibus in quibus habitat iniustitia. Istæ enim sibi naturaliter aduersantur. Et quomodo etiam ex hoc ipso iniustus videbitur deus, qui aduersatur iniustitiæ? Et idcirco fortassis non dixit apostolus, quia nos homines iniusti commendamus iustitiam dei: sed ait: Si iniustitia nostra dei iustitiam commendat: vt ostenderet non deum hominibus, sed iustitiam iniustitiæ esse contrariam: induci autem hominibus iram pro eo quod in semetipsis locum iniustitiæ dederint. M
Non ergo iniustus videbitur deus qui est iustitia, cum irascitur aduersum iniustitiam, cui eum non decet esse propitium: sed peruenit ira hæc etiam in homines, qui se ministros iniustitiæ, cui deus irascitur, præbuerunt, Neque enim in vllo potest subsistere iniustitia & iustitia: sed sicut iustitiæ effectus est iusti rectique operis, qui primo in deo, tum etiam in his qui imitantur eum inuenitur: ita & iniustitiæ effectus est iniusti prauique operis, qui primo in diabolo, tum etiam in his qui eum volunt imitari deprehenditur. Et ideo digne eis ira meretur inferri, quamuis ex iniustitia eorum velut ex contrario videatur dei claruisse iustitia. Poterant namque sicut receperunt in se effectum iniusti prauique operis, multo magis iusti rectiq; recipere. Iuste igitur à deo ira super omnes homines induci dicitur. Illi enim in quibus ira non habet locum, iam non homines, sed supra homines appellandi sunt. Et propterea fortassis idem apostolus Paulus de omnibus hominibus pronunciat dicens: Quia eramus natura filij iræ sicut & cæteri. Non enim dixit eramus filij iræ, sed addidit: Eramus natura filij irę sicut & cæteri. Omnes enim homines natura filij iræ effecti sunt ex eo quòd erant dij, & filij excelsi, & per hoc homines appellati sunt. Attende enim diligentius quomodo dicit: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes: & addidit omnes vos. Quę adiectio omne simul sub hoc titulo humanum significat

Dispositio contextus Pauli.

Rom. 3.

2. Cor. 3.

H

Scopus epistolæ.

Psal. 115.

Psal. 50.

Paul. occurrit obiectioni.

I

Interpretis verba.

Disciplinæ ex quibus constat.

Accommodatio.

Ephes. 2.

A significat genus connexum. Denique in consequentibus dicit: Vos autem vt homines moriemini. Vnde & illud *Gen. 6.* quod scriptum est: Et recogitauit deus quia fecit hominé super terram, & pœnituit in corde suo, & dixit deus: Deleã hominem quem feci à facie terræ: non solu pro excidio diluuij dictum puto, sed aliquid ex hoc etiam sub mysterio de futuris prædictũ: vt eo modo sentiatur quod dictũ est: Deleam hominem, quo & per prophetam dicit deus: Ecce enim deleo sicut nubẽ iniquitates tuas: vt videatur delens eũ secundũ hoc quòd homo est, post hæc facere eũ deum *1. Cor. 15* tunc cũ erit deus omnia in omnibus. Ad hunc autẽ sensum etiam illud applicari potest, quod in Genesi dicitur: Tẽpus omnis hominis venit in cõspectu meo: vt non solũ de illo tũc diluuij tẽpore dictũ putetur, sed & mysterio baptismi: *1. Pet. 3.* quemadmodum dicit apostolus Petrus, quia sicut tunc ex diluuio saluos factus est Noe, ita & nunc simili forma per baptismũ salui fiant credẽtes. Et ita potest hoc quod dicit, tẽpus omnis hominis aduenisse, intelligi ad salutẽ, vt per gratiã baptismi credẽtes intelligãtur ex hominibus in superiorẽ ordinẽ cõmutandi, cũ dies resurrectionis aduenerit, vbi sancti quique erunt sicut angeli dei. Hæc de eo quod dictum est: Nunquid iniquus deus qui infert iram, vel aduersum homines, vt in quibusdam exemplaribus legi diximus, vel vt nos habemus, secũdum hominem dico? *1. Ioan. 8* absit. Hæc prout occurrere nobis potuit, dicta sint. Quod B autem ait, Alioquin quomodo iudicabit deus mundum, in hoc loco mundum homines qui in hoc mundo sunt dicit, sicut & alibi legimus, quia omnis mundus in maligno positus est: quod vtique homines qui in hoc mundo habitãt, in malitia esse positos ostendit. Post hoc iã videamus quomodo dictum sit: Si enim veritas dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius.] Multæ sunt in hoc mundo *Varietas religionũ & opinionum Philosophicarum.* religionum species, multæ philosophorum sectæ, multa dogmata falsis assertionibus tradita, & argumentis conscripta mendacibus, quorum autores falso licet sapientiæ nomine, non tamen exiguæ aut contemptæ autoritatis viri habentur: ex quorum prærogatiua falsa pro veris recepta sunt, vt vniuersum pene mundum mendacibus contra religionem opinionibus occuparint, ita vt in errorem inducerẽtur si dici potest etiam electi. Quia ergo veritas dei & sapientia eius & verbum eius adueniens, arguit & confutauit omne mendacium, atque omnes falsorum dogmatum assertiones fide veritatis excussit, per vnumquodque mendacium quod prius ab hominibus fuerat assertum abundauit veritas dei surreptitias verisimilitudines arguendo, & in singulis quibusque dogmatibus tradendo simplicem fidei veritatem: & hoc modo Apostolus dicit veritatem dei in hominum mendacio abundasse. Verum vt adhuc manifestius fiat quod dicimus aliqua exempli causa C proferamus. Erat in hominibus dogma, quod summum *Dogma Epicureorum de voluptate & prouidentia.* bonum pronunciaret esse voluptatem: in quo & illud cõsequenter asseritur, non esse prouidentiam, quippe si non ex legibus, sed ex voluptate viuendum sit: & hæc lauto satis ornatoque sermone, & argumentis validissimis per innumera volumina digeruntur. Sed intuere nunc quomodo is qui veritatem dei defendit, & qui secundum Chri*1. Cor. 1.* stum, qui est dei veritas & dei sapientia, philosophus est, *Ioan. 17.* docet hominea summum bonum esse æternam vitam: hãc autem esse æternam vitam, vt cognoscant homines vnum solum verum deum, & filium eius Iesum Christũ: & quomodo cum omni fiducia prouidentiam dei asserat, quæ di*Mat. 10.* cit: Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex ipsis non *Mat. 5.* cadit in terra sine patris voluntate? & quia ipse solem suũ oriri iubet super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Per hæc autem singula dum illa falsæ scientiæ dogmata confutantur, in hominum mendacio abundat ve*Peripateticorum dogma.* ritas dei. Sunt item alij qui dicant tres esse species boni: vnam erga animam, aliam erga corpora, tertiam extrinsecus. Quæ singula si conducibiliter habeãtur, ex ipsis summum bonum constare confirmant. Isti etiam dei prouidẽtiam resecantes, vsque ad lunæ eam globum superuenire *Stoicos perstringit.* contendunt: infra verò, hoc est ad homines, eam non descendere. Sunt item alij qui inuisibile & incorporeum nihil dicant esse, sed omnia quæ sunt corporibus assignant, D vnde patrem omnium deum corpus esse dixerunt. Verum quia vrgebat eos rationis suæ consequentia, qua constat omne corpus esse corruptibile, vt si etiam deum corpus esse asserant, sine dubio & corruptibilem fateantur, verterunt stropham verbi, & dixerunt natura quidem eum esse corruptibilem, nec tamen corrumpi pro eo quod non sit aliquid ipso superius, à quo corrumpi possit aut solui. Sunt & alia innumera hominum figmenta dialecticis argutiis & sophismatum fraude composita. Quæ cum singula per ecclesiasticos viros & diuina sapientia eruditos veritas dei conuincit, & argumentorum decipulas redarguit, in hominum mendacio dei veritas dicitur abundare, & non solum abundare, sed abundare ad gloriam eius. Quod hoc modo intelligendum puto: Si doctor ecclesiæ simplices quosque auditores doceat, & nondum falsis dogmatibus occupatos, atque his de singulis quibusque rationem diuinæ veritatis aperiat, in huiuscemodi doctrina dei veritas videbitur abundare. Si verò ad omnes sermo sit qui obsistunt veritati, qui sanæ doctrinæ sermonibus contradicunt, & contradicentes confutentur & conuincantur, ita vt errorũ tenebris derelictis ad lucem veritatis accedant, tunc non solum abundabit veritas dei, sed & ad gloriam eius abundabit. Glorificatur enim deus per eum qui de errore mendacij ereptus lumen veritatis aspexit. Hæc ergo qui ita intellexerit, non vtique dicet illud quod in consequen- E tibus stulta obiectione profertur: Quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor? sed aduertet merito se iudicandũ, si permaneat in mendacio hominum: & qui secundum ea quæ supra exposuimus ex dei veritate conuictus errasse se sentit, ab errore conuersus, deum verum agnita veritate glorificat, nec blasphemat vltra eos qui prædicant veritatem tanquam dicentes: Faciamus mala vt veniant bona, sciens in hoc verbo iustam esse blasphemantis damnationem. Obseruandum quoque est, quod eos qui veritatem dei prædicant, non tam maledici quod ad homines, sed blasphemari, quod ad deum pertinet, posuit. Quid ergo? præcellimus eos? nequaquam. Causati enim sumus Iudęos & Gręcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est. Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Sepulchrum patens est guttur eorum, & linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes *Paulus velut arbiter inter Iudæos et gentes.* eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor dei ante oculos eorum.] Prædiximus iam quod in hac epistola Paulus velut arbiter quidam inter eos qui ex circuncisione crediderunt & eos qui ex gentibus, tempe- F ret sermonem semper & libret, vt nunc hos, nunc illos in quibusdam videatur arguere, & rursum singulas partes certa spe promissionis animet. Quia ergo visus fuerat in superioribus dicere, quoniam si præputium iustitias legis custodiat, iudicabit eum qui in circumcisione præuaricator est legis: vt rursum eos quos humiliauerat alleuaret addidit: Quid ergo amplius est Iudæo? aut quæ vtilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primo quidem, quia credita sunt illis eloquia dei. Post hęc cũ lus consequenter quasi quædam fuisset prosecutus addidit nunc & dicit, Quid ergo tenemus amplius? Causati enim sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse. Quod si omnes sub peccato sunt, ergo non erit elationis causa vni aduersum alium, cum vterque non ex sua iustitia, sed ex dei *Rom. 1.* misericordia veniat ad salutẽ. Probauit ergo Græcos quidem, id est gentiles esse sub peccato cum ait. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt: & mutauerunt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpẽtium, propter quod tradidit eos deus in reprobũ sensum, & reliqua, Iudæos verò cum dicit. Si autem tu Iudæus cognominatis, & requiescis in lege, & reliqua. Quibus addidit, Qui ergo doces alium, teipsum non doces: qui prædi-

G cas non furandum, furaris, &c. Post hæc ergo dicit: Quia causati sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse. Post hæc verò, vt ei moris est, de scripturis sanctis vult affirmare quod dixerat: simul & doctoribus ecclesiæ præbet exemplū, vt ea quæ loquuntur ad populum non proprijs præsumpta sententijs, sed diuinis munita testimonijs proferant. Si enim ipse tantus ac talis apostolus auctoritatem dictorum suorum sufficere posse non credit, nisi doceat in lege & prophetis scripta esse quæ dicit: quanto magis nos minimi hoc obseruare debemus, vt non nostras cum docemus, sed sancti spiritus sententias proferamus? Illud etiā necessario ducimus admonendum, quod in nullis exemplaribus latinorum ea quæ subsequuntur testimonia in tredecimo Psalmo consequenter ex integro posita inueniuntur: In Græcis autem pene omnibus non amplius in tredecimo Psalmo, quàm vsque ad illum versiculum scriptum est: Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Sed & quod dixit apostolus: Sicut scriptum est quia, nō est iustus quisquā, non est intelligens, non est requirens deū, nō eisdē sermonibus in Psalmo, sed alij permutantur alij assumūtur, alij relinquūtur. Quod à studiosis quibusq; si obseruetur diligentius, puto dari in hoc apostolicā auctoritatē, vt cum scripturæ testimonijs vtendū fuerit, sensum magis ex ea quàm verba capiamus. Hoc enim in euangelijs factū frequenter inuenies. In tredecimo igitur Psalmo ita scriptum est. Dominus de cœlo respexit super filios hominū,

H vt videret si est intelligens, aut requirens deū. Sed in quinquagesimosecundo Psalmo ita dicit. Deus de cœlo respexit super filios hominum, vt videret si est intelligens, aut requirens deum. Et videtur idem seruari sensus etiam in eo quod apostolus posuit: Non est intelligens, non est requirens deum. Et quod dixit: non est iustus quisquam, puto quòd ex eo sumpserit quod scriptum est: Non est qui faciat bonitatem, non est vsque ad vnum qui faciat: in quo etiam si sermo conuerti videtur, sensus tamen vnus idemque seruatur. Quod verò in consequētibus dicitur. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebāt, in secundo Psalmo reperies. Post hoc: Venenum aspidum sub labiis eorum, quod & ipsum ex quodā psalmo assumptū immutatis, vt supra diximus, sermonibus puto. Quod autem sequitur: Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, ex ix Psalmo videtur acceptum. Tum deinde:

Prou. 6. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, vel in Esaia inuenies, vel in Prouerbiis. Sed & Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non quidem ad integrum recordor vbi scriptum sit, suspicor tamen in vno prophetarum inueniri posse. In psalmis tamen scriptum est: Non est timor dei ante oculos eorum.

Psal. 13. Hæc autem omnia testimonia videtur congregare voluisse ob hoc, vt ostenderet: quia quod causatur Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, non tam suam quàm san-

I ctæ scripturæ sententiam pronunciet. Sed relinquamus quidem hoc ipsum sub peccato esse, sine exceptione enim sermo eius omnes, siue Iudæi sint, siue gentiles, videtur inuoluere. Sed occurrit nobis alia ipsius sententia, qua dicit:

Rom. 4. Vbi autem nō est lex, nec præuaricatio. Apud Iudæos quidem legem Moysi esse manifestum est, apud gentiles verò legem naturæ esse confirmat, quo testimonio conscientiæ arguat delinquentem. Vbi ergo quærimus hominem in quo non sit lex, & qui per hoc non videatur esse in præuaricatione peccati? Quia & ipse Paulus de semetipso dicit: Ego autem viuebam sine lege aliquando. Quando Paulus

Rom. 7. *Sine lege viuere.* sine lege vixit, qui rursum de semetipso dicit: Circuncisionem accepi octaui diei Hebræus ex Hebræis? Quomodo ergo verum erit eum aliquando sine lege vixisse, qui octaua natiuitatis suę signum circumcisionis ex lege suscepit? Vnde constat tunc fieri hominem sub lege, quando ad id ætatis venerit, vt eligere possit, & discernere quid sit lex: nec prius legis illius extrinsecus iugum suscipere, quam internæ, & naturalis legis habere inciperet firmitatem. Denique in eo vbi dixit: Ego autem viuebam sine lege aliquando, addidit: Sed vbi venit mandatum, peccatum reuixit. In quo hoc est quod ostendit, quia in pueritia prius quā discretionem quis habeat boni & mali, sine lege esse K dicitur. Quin etiā si peccat, quia lex in eo non est, peccatū ei non imputabitur. Cū verò discretionē boni malique acceperit, venisse ei dicitur lex, & dedisse mandata. Vbi autē inest vis mandati, hoc est conscientia redarguens, peccatū quod prius in eo mortuū erat dicitur reuixisse. Et hoc ergo iā tēpore si quis subdat se legi Moysi, vt eam secūdū literā obseruet, efficitur in manifesto Iudæus. Si verò secundum spiritum eam sequatur, efficitur in occulto Iudæus. Hæc pro eo quod dictum est: Causati enim sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse. Scilicet omnes intelligatur de illis dictum, quos vel naturali, vel scripta lege ne peccent constat edoceri. Nam & de gentibus sub peccato factis eodem modo intelligimus quo supra diximus: cum cœperint naturaliter quæ legis sunt facere, & ipsi sibi esse lex, cum redarguuntur à cōscientia in his quæ contra legē facere videntur. Propter quod & consequenter mihi videntur sensisse ij, qui legem naturæ legem dei dicunt: legē autem scriptam positione legem esse appellant. Si ergo Paulus de lege scripta hoc est de lege Moysi diceret, peccatum autem non imputabatur cum lex non esse videba-

Gen. 4. tur, nec Cain reputatum esset peccatum, nec illis qui dilu-

Gen. 19. uio perierunt, nec illis quos in Sodomis ignis absumpsit. Sed quoniam videmus illis nō solum reputata esse peccata, sed & vltionem in eos datam, ostenditur ex his de naturali lege Paulum dicere, quæ accepta prima ætate pueritiæ, in omnibus hominibus inest: & per hoc rectissime dicit: Causati enim sumus Iudæos & Græcos omnes sub

L peccato esse. Vnde non mihi videtur quendam ex sapientibus contra rationem definisse, quod in omni mortalium genere, cum ad id ætatis ventum fuerit vbi discretionem recti prauique ingressus naturalis legis excipiat, primo omnium malitiā suscitari, posthæc iā eruditionibus, institutis, monitis, paulatim eam depelli, & ad virtutem transiri. Consona namque his etiam Paulus mihi sensisse videtur in eo quod dicit: Sed vbi venit mandatum, peccatum

Dictum philosophi cuiusdam de lege natura.

Rom. 7. reuixit. Sed & Saluator cum dicit in Euangelio: Nisi venis-

Ioan. 17. sem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo, videbitur secundum hanc dixisse rationem, quod virtus ex quæ replere dicitur mundum, ad vnumquemque hominem veniat, & loquatur in corde eius, ac mali bonique iudicium doceat. Ideo ergo Paulus scriptum esse dicit, quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens deū:

Psal. 142 omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Sicut & alibi propheta dicit. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quod fortassis contrarium videatur aliis scripturis, quæ nonnullis testimonium perhibent qua-

Ezech. 16. si iustis: in tantum, vt etiam ad Hierusalem de Sodomis

M dicatur, quia iustificata est Sodoma ex te. Sed intuere diligentius cautelam scripturæ diuinæ, quomodo non dixit: iustificata est Sodoma, sed vt quoniam tu scelera multa commitis, & talia sunt quæ agis, vt omnes supergrediaris in magnitudine peccatorum, ad comparationem scelerum tuorum iam Sodoma iustificata est. Et hic ergo quod dixit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, nō hoc sentire voluit, quia non iustificabitur omnis viuens, sed in conspectu tuo, hoc est dei non iustificabitur. Quamuis enim quis iustus, quamuis sanctus sit, non solum inter homines, sed & in supernis atque eminentioribus creaturis, ad comparationem dei certum est eum iustificari non

In conspectu dei neminem iustificari.

Apoc. 5. posse. Denique & in Apocalypsi Ioannis, vbi liber signatus offertur in conspectu vetusti dierum, & quæritur ex omni tribu, lingua & populis, qui eum possit aperire, nullus inuentus est nisi solus agnus de tribu Iuda, qui iustificatus est in conspectu dei: & ipse solus librum meruit aperire, quia solus ipse est qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit: Solus ergo Saluator noster dominus Iesus Christus iustificatur in conspectu patris, quia quæcunque facit pater, hæc & filius facit similiter. Omnis autem creatura ex comparatione inferiorū iustificatus. Vt si verbi causa dicamus, ad comparationē reliqui populi iusta fuit Maria soror Moysi: & rursum ad comparationem Mariæ iustus

Iustificatio comparatiua.

A ctus erat Aaron: & iterum ad comparationem Aarō, iustus erat Moyses. Beatus tamen est qui ex comparatione meliorum iustus appellatur, & non ex comparatione pessimorū, sicut Sodoma, quæ ex cōparatione Hierusalem iustificata memoratur. Vnde & ego vereor ne ex nobis qui videmur esse in ecclesia dei, & legi eius operam dare, ac præceptis euangelicis deseruire, inueniantur aliqui infidelium iustificādi. Vt verbi causa dicam, si nos libidini & impudicitiæ seruiamus, & gentilis qui alienus est à fide Christi, custodiat castitatē, ille gentilis iustificatur ex nobis. Similiter & si nos auaritia, rapacitate, superbia, & cęteris huiusmodi malis inuoluamur, abstineat autē ab his omnibus gētilis, & ij qui legem dei nesciunt, illi iustificabuntur ex nobis, & nos ex illorum comparatione damnabimur. Quin potius operam demus, vt sicut fide præcedimus gētes, ita actibus & operibus præcellamus, ne mala nostra fiāt aliena bona, & illorum temperantia nostrā redarguat intemperantiā. Potest adhuc & alio modo explanari quod dixit: Non est iustus quisquam, vel quod ait: Non iustificabitur *Sic Solon beatum ne minem dixit ante mortem.* in conspectu tuo omnis viuens: quia donec quis viuit in corpore, iustificari non potest nec pronūciari iustus, sed cū exierit de corpore & de vitæ huius agone discesserit, sicut & scriptura dicit: Ne beatificaueris hominem ante mortem, quia nescis quæ erunt eius nouissima. Et iterum dicit *Ecclef. 4.* Ecclesiastes: Et laudaui homines defunctos qui iam mor-B tui sunt, magis quàm viuos qui adhuc viuunt: sed melior super vtrosque qui nōdum natus est. Habes adhuc & aliā scripturæ sententiā quæ dicit: quia quicunque ille minimus est in regno dei, maior sit eo qui in corpore est, etiam si Ioannes ille sit, quo maior inter natos mulierū non fuit. Non *Matt. 11.* est ergo iustus quisquam, & addidit: Non est intelligens. Et reuera cum Apostolus ipse ex parte se dicat agnoscere, & ex parte intelligere, quis erit qui dicatur intelligens? *1. Cor. 13.* Quantumcunque enim quis intellexerit, in speculo & ænigmate videbitur intelligere: quia post depositionē terreni corporis reuelabitur facię ad faciem intelligere: nūc verò vt ait scriptura: corruptibile corpus aggrauat animā, & demergit terrena habitatio sensum multa cogitantem. Vnde fit vt non sit intelligens quis nec requirens deum. Dum enim corporis sollicitudinibus occupamur, & quæ hominum sunt quærimus, deum quærere, vel quæ dei sunt cogitare non possumus. [Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.] Mihi videtur quod non dicitur declinas- *Declinasse à recta via.* se nisi is qui aliquando in via recta stetit. Vnde apparet primum illud naturæ rationabilis opus, quod à deo factū est fuisse rectum, & in via recta creatoris ipsius munere collocatū. Sed quia ab hac ad læuum peccati iter detursit, meC rito nunc dicitur declinasse: sicut exemplū est primus ho- *Gen. 3.* mo Adam, qui de paradisi via recta male suasus fraude serpentis ad prauas & tortuosas mortalis vitæ semitas declinauit. Consequenter ergo omnes qui ex ipsius successione in hunc mundū veniunt declinauerūt, & simul cū ipso inutiles facti sunt. Propter hoc puto & dominum in euāgelijs dare mandatum, vt cum omnia præcepta fecerimus, meminerimus tamen quid simus & dicamus: Serui inuti- *Luc. 17.* les sumus, quod debuimus facere fecimus. Donec enim quis hoc facit tantū quod debet, id est ea quæ præcepta sūt inutilis seruus est. Si autem addas aliquid præceptis, tunc *Inutiles & boni serui dei, qui nā sint* non iam inutilis seruus eris, sed dicetur ad te: Euge serue bone & fidelis. Quid autem est quod addatur præceptis, & supra debitum fiat, Paulus apostolus dicit. De virginibus autem pręceptum domini non habeo, consilium autē do tanquam misericordiam consecutus à deo. Hoc opus *1. Cor. 7.* super præceptum est. Qui ergo complens præceptis addiderit etiam hoc, vt virginitatem custodiat, non iam inutilis seruus, sed seruus bonus & fidelis vocabitur. Et iterū *Virginitas.* præceptū est, vt qui euangelium annunciant, de euangelio viuant: Paulus tamen dicit, quia nullo horum vsus sum: & ideo non inutilis erat seruus, sed fidelis & prudens. Om- *1. Cor. 9.* nes ergo declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Quibus addidit: [Non est qui faciat bonitatem, non est vsque ad vnum.] Grauis sententia, & quæ difficile astrui possit. Quo modo enim videtur fieri posse, nullū omnino, nullū vsque ad vnum, vel in Iudæis, vel in Græcis inueniri potuisse qui D faceret bonitatem? Si in eis credimus quod nullus fuerit qui vel hospitem aliquando receperit, vel esurienti panem dederit, vel nudum texerit, vel innocentem de manibus potentis eripuit, vel tale aliquid boni operis egerit, non mihi videtur tam incredibilem sermonem voluisse asserere Paulus apostolus. Sed hoc modo intelligendū puto, quod neget quenquam fecisse bonitatem. Verbi gratia, velut si quis fundamenta iaciat domus, & vnum aut duos parietes extruat, aliquid etiam materię congerat, nunquid dicetur fecisse domum, quamuis operatus videatur in domo? Sed ille dicitur domum fecisse, qui totius ędificij ad perfectum singula quæque membra produxerit. Ita arbitror & hic apostolum dicere neminem fecisse bonitatem, hoc est a nul- *Nullus perfecte bonū egit.* lo eam ad perfectum & ad integrum consummatam. Si autem requiramus qui sit vere bonus, & qui perfectam fecerit bonitatē, illum inueniemus solum qui dicit: Ego sum pastor bonus. Et iterum: Pastor bonus animam suam po- *Ioan. 10.* nit pro ouibus suis. Post hæc de quinto vt supra diximus psalmo dicit. Sepulchrum patēs est guttur eorum. Diuersa *Psal. 5.* in his (vt mihi videtur) humani generis peccata describit. Omne sepulchrum immunditiam defuncti cadaueris con- *Sepulchra aperta vel clausa quid significent.* tegit: vnde & dominus dicebat in euangelio de scribis & pharisæis, quod essent sepulchra dealbata, quæ foris quidē speciosa videntur hominibus, intus autem plena sunt omni immunditia. Videtur autem Paulus in hoc loco maius aliquid in istis de quibus sermo est, ostendere criminis: cū *Matt. 23.* eos sepulchrum non tectum neque coopertum, sed patens E appellat. Clausa enim sepulchra dicuntur, quos aliquantulum pudor cohibet palam delinquere, & proferre ad publicum crimina sua. Patens verò sepulchrum dicuntur ij qui immunditias suas & impuritates in propatulo habent: quibus assiduitas & vsus scelerum, quod est in malis vltimum, etiam commissorum verecundiam sustulit: vt iam non aperiant os suum, & proferant verbum dei viuū, sed aperiant guttur suum, & proferant verbum mortuum, verbum diaboli, non de corde, sed de sepulchro: Si quando videris ergo hominem lasciuo ore impudica verba iactātem, aut tumido & furibundo contumelias & maledicta proferentem, non dubites de hoc dicere, quia sepulchrum patens est guttur eius. De abundantia enim cordis os loquitur. Ad hæc additur: [Linguis suis dolose agebant.] Dolus est, cum aliud quis lingua loquitur, & aliud volutat in *Matt. 12.* corde. Quod crimē nescio si vel iustos quosque & electos relinquat immunes, sed puto quod alius plus, alius autem minus, nemo tamē sit ab hoc ad perfectum purus, nisi ille solus de quo scriptum est: Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Nam & si inueniatur quis dili- F gens & cautus, potest fortassis in grauioribus obseruare: quomodo autem inuenias, qui in hæc vel præ verecūdia, vel præ negligentia non incurrat? Interdum & per obliuionem omittuntur quæ curanda fuerant, & ne appareat culpa, excusantur aliter quæ gesta sunt. Vnde & Petrus sciens istas esse diuersitates doli, in epistola sua scribit di- *1. Pet. 2.* cens. Deponentes ergo omnem dolum, & simulationem, & inuidiam, & obtrectationem, quasi modo geniti infantes rationabile & sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem. [Venenum aspidum sub labiis eorum.] Morsus serpentis veneno corpus interimit: morsus verbi venenati fraude animam necat. Potest accipi hoc & de his qui calumniarum commentis circumueniunt homines: potest & de his, qui per hæreticam doctrinam veneno diaboli infectam, animas decipiunt simplicium: quorum & amaritudine plenū est os & maledictione. De veneno quidem aspidum, non dixit plena esse labia. In illo enim vitio plures fortassis inueniantur, non tamen plures qui plene, & ad integrum veneni illius virus exerceant. Maledictio- *Maledictio & amarulentia.* ne autem & amaritudine repleri os, valde multorum est. Quis enim ita emendatioris est, quem non maledicendi consuetudo sollicitet? non dicam aduersum eos qui maledicto digni sunt, sed aduersum eos quos dominus non maledixit, id est iustos & innocentes viros, promptū hoc & procliue vitium est fragilitatis humanę erga subiectos

G præcipue & inferiores: ita vt iam appellationem hanc non
maledictiuam putent. Et ideo plenum est os eorum, &
tanquam de pleno oris vasculo indesinenter dicitur fluere
maledictio. Huic tamen & amaritudo coniungitur, quia
ea iracundiæ felle depromitur. Per iracundiam enim ac
Rom. 12. furorem ad maledicendum lingua compellitur. Et ideo di-
Heb. 12. cit idem Apostolus: Benedicite & nolite maledicere. Et a-
libi: Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impe-
diat. Additur in consequentibus: [Veloces pedes eorum
ad effundendum sanguinem.] Quod tamen crimen non
fortassis pluribus aptari posse videbitur eorum de quibus
dixit: Causati enim sumus Iudæos & Græcos omnes sub
peccato esse: nisi forte ita intelligamus, quia non corpora-
liter tantum sanguis effunditur eorum quorum corpora
trucidantur, sed & hi qui quolibet scandalo animam a deo
Viri sanguinum. separant, viri sanguinum nominantur. Sicut enim homici-
da dicitur ille qui corpus ab anima separat, per quam vi-
uificatur: ita multo etiam verius ille homicida dicendus
est, qui animam à vera vita separat, qui est deus. Pedes au-
tem hoc in loco illos intellige de quibus dicit Propheta:
Psal. 73. Mihi autem pene moti sunt pedes: hoc est consilium quo
agimus iter vitæ, [Contritio & infœlicitas in viis eorum,
& viam pacis non cognouerunt.] Contritionem hic dicit
non illam qua spiritus peccatis contribulatur pro pœnitē-
Psal. 50. tia, vnde dicitur in psalmis: Cor contritum & humiliatum
Contritio iugi domini. deus non spernit: sed illam dicit contritionem qua pecca-
tores dicuntur conterere iugum domini, & proiicere à cer-
H uicibus suis. Similiter & infœlicitas, vel sicut alibi legitur
miseria accipienda est, qua miser homo effectus est & infe-
lix, qui cum in honore esset non intellexit, sed comparatus
est iumentis insipientibus & similis factus est eis. [Et viam
pacis non cognouerunt.] Pax nostra Christus est. Via ergo
pacis, via Christi est. Sed & si accipiamus quod peccato-
res dum vitiorum bellis semper vrgentur, viam pacis igno
Psal. 118 rant, recte intelligimus: Dicit enim Propheta ad dominū:
Pax multa diligentibus nomen tuum, & non est illis scan-
dalum. Sed & ille populus qui de Aegypto ductus est per
viam pacis incessit, vt ad terram promissionis veniret, &
habitaret in Hierusalem, quæ interpretatur visio pacis, si-
Psal. 75. cut & propheta dicit. Factus est in pace locus eius, & ha-
bitatio eius in Sion. Plenius autem viam pacis agnoscit,
qui ad cœlestis Hierusalem habitaculum tendit, vt ad san-
ctam ciuitatem dei viuentis ascendat. Post hæc addidit.
[Non est timor dei ante oculos eorum.] Si quis sit qui sem
per de timore dei cogitet, quid ei placeat requirat, quidve
Timor dei displiceat, huic timor dei esse ante oculos dicitur. Sed pe-
ritus debet esse & ex lege domini diligenter eruditus, ne
forte illic timeat timorem, vbi necessarius non erit timor.
Ponendus est ergo semper timor dei ante oculos: non istos
oculos carnis, neque enim visibile aliquid, aut corporeum
quæritur: sed dicit de oculis mentis, quibus timoris dei &
I intellectus & doctrina perspicitur, per quam (sicut supe-
rius diximus) intelligas quid timendum sit, aut quid non
sit timendum. Qui deum timet, potestates seculi non ti-
Eph. 5. met. Et quid dico de potestatibus seculi? nec illos princi-
patus, & potestates, & mundi huius rectores, neque spi-
ritalia nequitiæ in cœlestibus timet. Et vt ipsius Pauli au-
toritate firmemus, audi quomodo dicit de humanis po-
Rom 13. testatibus: Vis inquit non timere potestatem? fac quod
bonum est, & habebis laudem ex ea. Et Propheta
dicit: Dominus mihi adiutor est, non timebo quid
faciat mihi homo. De aduersis verò potestatibus spi-
rituum idem Propheta sensisse mihi videtur, vbi dicit.
Multi qui debellant me de excelso, per diem timebunt, &
iterum. Si consistant castra aduersum me, non timebit cor
meum. Opus ergo grande est & magnificum semper ha-
bere ante oculos cordis timorem dei: illum timorem, qui
repleuit virgam quæ surrexerit de radice Iesse, & florem
Esa. 11. qui de radice eius surrexit. De quo dicitur: Et repleuit eum
spiritus timoris domini. In tantum autem perfectum red-
dit hominem dei timor, vt cui sit nihil desit, vt propheta
dicat, quia nihil deest timentibus eum. Hæc prout potui-
mus singulis quibusque quæ à Paulo assumpta fuerant ap-
tauimus, quomodo conuenire viderentur his de quibus K
dicit: Causati enim sumus Iudæos & Græcos omnes sub
peccato esse. Quæ tamen ita puto debere intelligi, non vt
in singulis hominibus omnia hæc fuisse arguantur, sed a-
liud in alio, ita tamen vt in omnibus impleretur vniuersi-
tas ista vitiorum.

Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his
qui in lege sunt loquitur, vt omne os obstruatur, & subdi-
tus fiat omnis mundus deo, quia ex operibus legis non iu-
stificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim co-
gnitio peccati.] Præfati sumus in principiis, apostolum in *Lex peccati.*
hac epistola de pluribus legibus tractaturum, quarum di-
scretio & distinctio nisi per loca singula habeatur, confun-
dere poterit sensum legentis. Igitur etiam in præsenti loco
quod dicit: Scimus autem quoniam quæcunque lex loqui-
tur, his qui in lege sunt loquitur, diligentius requirere de-
bemus quæ sit lex quæ loquatur ad eos qui in lege sunt, &
per hoc quod ad eos loquitur omni eos excusatione denu-
det, ne peccatorum suorum possint inuenire perfugia, hoc
enim est quod dicit: Vt omne os obstruatur, & subditus
fiat omnis mundus deo. Quod si velimus de lege Moysi
intelligere, quæ illis sine dubio solis loquitur, quos ex ma-
tris vtero circumciderit & docuerit, quomodo consequēs
videbitur quod per hanc legem, quæ vnam tantummodo
institutis suis contingit gentem, omne os obstruatur, &
omnis per eam mundus deo teneatur obnoxius. Quid e-
nim commune ad hanc legem gentes omnes, quid totus ha-
bere mundus credendus est? Quomodo autem & agnitio L
peccati per legem Moysi fieri dicitur, cum inueniantur
plurimi & ante eam agnouisse peccatum suum: Cain de-
nique cum peccasset ita ait: Maius est peccatum meum
quàm vt remitti possit. Sed & patriarchæ cum ad Ioseph *Gen. 4.*
descendissent in Ægyptum, & simulata ab eo confutatio-
ne vrgerentur, ita ad alterutrum dicunt: In peccatis sumus *Genes. 42*
pro fratre nostro, quia despeximus tribulationem eius ani-
mæ cum rogaret nos, & non exaudiuimus eum, propter
hoc venit super nos tribulatio hæc. Sed & Iob quem ante
legem fuisse constat, ita dicit: Quod & si peccaui inuitus, *Iob. 31.*
si occultaui peccatum meum, aut confusus sum multitudi-
ne populi, quo minus annunciarem delictum meum. Qui
omnes euidenter docentur agnouisse peccatum suum. Ex
his ergo colligitur apostolum Paulum non de lege Moysi
dicere, quæ lex his qui in lege sunt loquitur, sed de naturali
lege quæ scripta est in cordibus hominum. Hæc ergo lex *Lex natura eadem cum decalogo.*
quæcunque dicit, his qui in lege sunt dicit. In lege autem
sunt hi qui id ætatis agunt, quo discretionem boni mali-
que iam capiunt. Sine lege verò illi sunt quibus nondum
huiusmodi discretionis sensus aduenit, secundum quod &
Paulus dicit: Ego autem viuebam sine lege aliquando. Se- *Rom. 7.*
cundum hanc ergo legem naturalem consequenter Aposto-
lus dixisse videbatur omne os obstruendum, & omnem
mundum obnoxium dei iudicio futurum. Huius enim le- M
gis quæ naturaliter hominibus inest, nullus est ex-
pers, neque Iudæorum neque gentium: & ideo conse-
quenter dictum videtur etiam illud quòd iustificetur deus
in verbis suis, & vincat cum iudicatur. Vt verbi causa dica-
mus: si requiratur quid deus homini contulerit, & quid ho-
mo ex his quæ à deo accepit operatus sit, iudicari cum ho-
minibus deus videbitur: & inuenitur quidem deus dedisse
homini omnes affectus, omnésque motus quibus ad vir-
tutem niti possit & progredi: insuper etiam vim rationis
inseruisse, qua agnosceret quid deberet agere, quid cauere.
Hæc ergo inuenimus deus communiter omnibus homini-
bus præstitisse. Sed si his acceptis homo neglexit iter vir-
tutis incedere, cui ex deo nihil defuit, inuenitur ipse de-
fuisse iis quæ à deo data sunt sibi. Merito ergo dicitur in ta-
li iudicio deus vincere & iustificari in verbis suis. Hæc ergo
lex naturalis loquitur omnibus qui in lege sunt: ex cuius
præceptis soli mihi immunes fieri videntur infantes, qui-
bus nondum inest prauus rectúsque iudicium. Sed his si etiā *De infantibus & dementibus.*
illi sociandi sunt qui quacunque ex causa dementes fiunt,
video. Exceptis verò his nullus hominum mihi effugere
videtur hanc legem. Considerandum est autem ne forte
non

A non solum homines, sed & angelos, & omnem quæcunque illa est rationabilē creaturam lex ista cōstringat. Si enim recte à sapientibus definitum est, legem esse quæ dicat & quod agi debeat, & quod agi non debeat vetet, quomodo non huiusmodi lex etiam supernis & cœlestibus ordinibus inserta videbitur? Quibus vtique & obseruandi quiddam, & quiddam cauēdi disciplina est: & nisi hac lege tenerentur, nunquā de eis diceret scriptura diuina. Angelos quoque qui non seruauerunt principatum suum, sed derelinquerunt proprium domicilium, Deus ad iudicium magni diei æternis vinculis in tartarum constrictos sub caligine reseruauit. Vnde constat inesse his legem: qua non obseruata passi sunt hæc quæ superius scriptura testata est. Sed & Paulus cū dicit: Aut nescitis quia angelos iudicabimus? quid aliud nisi sub lege scit esse positos eos quos prouūciat ad iudiciū deducēdos? Sed si quis nobis occurrat ex eo quod supra diximus deū esse cum hominibus iudicandum, quasi etiam ipsum dicere videamur esse sub lege, audi quanta de hoc cautela in apostoli literis inuenitur, qui Christum non in lege esse, sed plenitudinem esse legis commemorat: & sicut ipse est iustitia ex qua omnes iusti fiunt, & ipse est veritas ex qua omnes in veritate cōsistunt, & ipse est vita ex qua omnes viuunt, ita & ipse est lex, ex qua omnes in lege sunt. Venit ergo ad iudicium, nō tanquam qui in lege sit, sed tanquam qui lex sit. Ego autē

Legis definitio. *Iud. 1.* *1. Cor. 6.* *Christus nō est sub lege, sed nomothe-ta.*

B puto quòd ij qui iam perfecti sunt, & domino coniuncti vnus spiritus cum ipso effecti sunt, nec ipsi in lege sunt, sed magis ipsi sunt lex. Sicut & alibi idem Apostolus dicit: Quia iusto lex non est posita. Iterum. Quæcunque lex loquitur iis qui in lege sūt loquitur, vt omne os obstruatur, secundum ea quæ supra diximus: vt subditus fiat, vel vt alibi legimus, obnoxius fiat omnis mundus deo, quod & magis cum Græcis exemplaribus conuenit. Sed requiramus, omnem mundum hic quid appellauerit. Nunquidnā putabitur omnis mundus ita terrenus hic debere intelligi locus, vt & arbores & lapides & herbæ ac semina & paleæ quæ in ipso sunt, pariter nominatæ sint? Partes enim mundi hæc esse singula videntur. Non arbitror ita quempiam ineptum inueniri vt hęc possit asserere. Restat igitur vt omnem mundum omne rationabile animal dicat: & sicut omne quod irrationabile est, excipitur ab hac sensu, ita nulla mihi videtur ab hac conditione rationabilis creatura secerni. Omnis ergo mundus obnoxius fit deo per hoc quod legem naturalem inseruit omnibus: de quibus & in alio loco dicit: Quia in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorū. Quod vtique si faciat, complesse videbitur legem: si non faciat, esse obnoxius legi: per legē autem consequenter & deo. Si cui ve-

1. Tim. 1. *Rom. 3.* *Omnis mundus.* *Phil. 2.*

C rò de solis hominibus hoc videbitur dictū, quod & legem naturalem ipsis inesse dixerit, & de solis ipsis scriptū accipiatur, Vt omne os obstruatur, & obnoxius fiat omnis mundus deo, vtetur occasione subsequentis sermonis, quo dicit: Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Quod vtique dictum videtur de his tantū qui in carne sunt positi. Sed qui priorem sensum magis tenere volunt, obseruabunt diligentius quomodo Apostolus dixerit ex operibus legis non iustificari carnem: quia ad eos qui in carne sunt opera legis spectant, ad eos verò qui in spiritu sunt, id est superiores ordines cœlestium ministeriorum, sensus pertinet legis. Ex operibus igitur legis quod nō iustificabitur omnis caro in cōspectu eius, hoc modo intelligendum puto, quia omnis qui caro est, & secundū carnem viuit nō potest iustificari ex lege dei. Sicut & alibi dicit idē Apostolus: Quia qui in carne sunt, deo placere nō possūt. Item alibi: Quia sapientia carnis inimica est deo, legi enim dei non est subiecta, nec enim potest, & Propheta dicit, omnis caro fœnum. Et in euangelio scriptū est: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. De his ergo dicit, quia ex lege Dei non iustificabitur omnis caro coram ipso. Sed & hoc quod addidit coram ipso, non otiose prætereat, sicut iam frequentius admonuimus, quia aliud est coram deo iustificari, aliud coram hominibus: hoc est, ad comparationem aliorum hominū potest alius homo qui

Opera legis nō iustificāt. *Rom. 8.* *Esa. 40.* *Ioan. 6.*

D emendatius vixerit, iustus videri: ad cōparationem autem dei, non solū homo non iustificabitur, sed & sicut Iob dicit: Stellæ non sunt mundæ corā ipso: quæ vtique corā nobis mūdæ habentur sanè, ad cōparationem verò dei mūdę esse non possunt [Per legē enim cognitio peccati.] Videamus quomodo per legem fit agnitio peccati. Cum per legem discimus quid agendum sit, quid cauendum, simul & quid peccatum sit, & quid non sit agnoscimus. Non ergo vt hæretici deum legis accusant, mala radix est lex, & mala arbor per quam peccati venit agnitio: quia non dixit ex lege agnitio peccati, sed per legem, vt scias non per ipsam ortum, sed per ipsam agnitum esse peccatum. Vt verbi gratia, si diceremus per artem medicinæ datur agnitio languoris, nunquidnam videbitur tibi causa langoris esse medicina, quia per ipsam qualitas languoris agnoscitur? Sed sicut cōstat bonam esse medicinā quæ ęgritudinis intelligentiā præstat, qua possit vitare quæ velit, ita & lex bona est per quam deprehenditur & agnoscitur peccatū. Seruat autem vt puto huiusmodi expositio etiā illius explanationis consequētiam, quam supra ædidimus de eo quod scriptum est: Causati enim sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptū est: Quia nō est iustus quisquam, non est intelligēs, non est requirens deum. *Iob. 25.*

Nunc autem sine lege iustitia dei manifestata est, testificata à lege & prophetis. Iustitia autem dei per fidem Iesu

E Christi in omnes & super oēs qui credūt in eū. Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.] Quod astruximus in superioribus, dicentes non de lege Moysi dictum, quia quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur: putabit aliquis non tam verè quàm violenter asserū, cum videat nunc nomen legis non ad naturæ, sed ad Moysi legem referri: & dicet quòd in pręsenti loco iustitia Dei pronūcietur ab Apostolo manifestari per legem, & nō solum per legem, sed & per prophetas, vt sine vlla ambiguitate de lege Moysi intelligātur dicta esse quæ scripta sunt: ex qua lege iustitia Dei per fidē Christi Iesu manifestetur in omnes qui credunt, siue ex Iudæis, siue ex gentibus venientes: qui tamen non ex operibus iustificentur, sed ex gratia dei, in redemptionem eis effecto ipso Iesu Christo. Hæc quidem dicet is qui sensum Apostolo in his quæ supra exposuimus violenter à nobis accusabit inflexum. Sed illud est quod constanter possumus affirmare: quia sicut nos qui hæc asserimus, putant in hoc sermone Apostoli quem nunc proposuimus, nihil inuenire posse quo astruamus hęc non de Moysi, sed de naturæ lege conscripta: ita nec illi quidem inuenire aliquid poterunt, quomodo quæ superius dicta sunt ad Moysi potius quàm ad naturæ legem respicere videantur: & ideo si-

F cut illis non idcirco priora stabunt, quia videntur posteriora constare, ita nec nobis quidem poterunt prima turbari, si secunda non eodem currere tramite videātur. Quid igitur? contraria sibi scribere dicemus apostolum? & hæc erit egregij explanatoris assertio? quod accidere illis solet qui in diuersos sectarum sensus vnum fidei dogma dirūpunt, & illa tātum de scripturis diuinis testimonia explorant, quibus proprium dogma constituāt: earum verò quæ è diuerso veniunt scripturæ diuinæ sententiarum absolutiones ne extremo (vt aiunt) digito contingunt. Sed qui fideliter & integre sacrorum voluminum colligit sensum, debet ostendere quomodo ea quæ videntur esse contraria, non sunt vere contraria. Tentabimus ergo etiam in præsenti loco ostendere quomodo priori expositioni nostræ hæc subsequens non repugnet. Sæpe diximus, & euidētius in pręfatione diximus, quod ita Apostolus in hac epistola multarum legum faciat mentionem, vt cum de vna ad alteram transit, deprehendi nisi ab intento satis lectore vix possit. Dixerat in superioribus, quia per legē agnitio peccati est: & quia sensit possibile responderi, ergo si ex lege naturali agnitio peccati est, potest ex ipsa & agnitio esse iustitiæ, secundum illam scilicet quam supra medicinæ artis imaginem dedimus: vt quemadmodum per illam languor agnoscitur vt sanitas inueniatur, ita etiam per legem

G naturæ si potest agnitio fieri peccati, similiter possit & iustitiæ fieri. Hoc ergo cum vidisset posse sibi obiici, postquam dixit, Per legem enim agnitio peccati, Nunc autem ait, sine lege iustitia dei manifestata est. Tale est ergo quod dicit: Nam sicut per legem agnitio peccati, ita & manifestatio iustitiæ dei per legem fit, sed sine lege manifestatur iustitia dei. Poterat enim naturæ lex arguere peccati naturam, & notitiam eius ostendere: iustitia autem supergreditur dei, & satis eminet hoc quodcunque mens humana solis naturalibus sensibus potest rimari. Neque enim sufficit ad intelligendum & considerandum non quancumque humanam, sed ipsam dei iustitiam & iudicia quæ ex ipsa
Rom.11. descendunt, de quibus dicitur quia sunt abyssus multa: & quia tam profunda sit iustitia dei & iudicia, vt Apostolus dicat: Quam inscrutabilia sunt iudicia eius. Sed & sapientia ita ad homines loquitur, quasi non possit iustitia dei naturæ solius motibus sciri, sed per doctrinæ studium quæ-
Psal.2. ri, & ideo dicit: Discite iustitiam qui iudicatis terram. Quamobrem ad dei iustitiam cognoscendam nihil prorsus opitulabitur lex naturæ, etiamsi videatur sentire aliquid de humana iustitia. Illa enim lex potest sentire, quia inter homines iustum sit, vt quod ipse quis pati non vult hoc ne proximo facias. Nunquid naturaliter potest sentiri de illa iustitia quæ dicit: Videte ne faciatis iustitiam vestrã coram hominibus, &: Vt nesciat sinistra tua quid faciat
Matt.6. dextra tua? Hanc & huiusmodi iustitiam dictare non
H potest lex naturę, & ideo dicit Apostolus: Nunc autem sine lege naturæ scilicet, iustitia dei manifestata est, testimonium habens legis Moysi & prophetarum: in quibus sanctus spiritus multa per figuras & ænigmata de iustitia dei scripserat. Et nolo miteris quod vnũ vocabulum legis secundo in eodem loco positum diuersa significet. Inuenimus hanc esse scripturæ consuetudinem
Ioan.4. & in aliis locis: vt ibi, Nónne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt vt veniat messis? eleuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt ad messem. Nónne & hoc loco messis secundo nominata, primo ad corporalem messem refertur, secundo ad spiritalem? Et iterum in euangelio cum dicit ad Samaritanam mulierem saluator, Da mihi bibere. & post responsum eius iterum dicit ad eam, Si scires quis est qui dicit tibi da mihi bibere, tu vtique pe-
Ioan.4. tisses eum, & dedisset tibi aquam viuam. Et iterum addidit ad eam: Omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego do ei, non sitiet in æternum. Vides quomodo & bibere ex aqua nũc quidem corporaliter, nunc autem spiritaliter in vno eodemque acci-
Ioan.9. pitur loco? Est & illic similiter positum, vbi cæcus à natiuitate curatur. Post hoc dicit saluator: In iudiciũ ego veni in hunc mundum vt qui non vident videant, & qui vidẽt, cæci fiant. Nónne etiam hic & videre & non videre nunc
I corporaliter, nunc spiritaliter intelligitur? Ita ergo etiam in hoc loco Apostolus cum sine lege dicit iustitiam dei manifestari, naturalis lex intelligitur: Cum verò dicit: Testificata à lege & prophetis, Moysi legem designat. Quod si adhuc tibi minus planum putatur esse quod diximus, addemus etiam hæc si tibi videtur, quod eadem lex sit de qua dicitur: Nunc autem sine lege iustitia dei manifestata est, quæ est & illa de qua ait, Testificata à lege & prophetis. Hæc quidem quæ sine lege manifestata est non accipit testimonium legis: si autem accipit testimonium legis, non ergo sine lege manifestata est. Quod cum insolubile sit, nec aliqua possit ratione conuelli, dicendum est iustitiam quidem dei manifestari à Christo Iesu, præbente ei testimonium non lege naturæ quæ adhuc est vtique exigua & parua, sed lege Moysi, non ea quę secundũ literam, sed quę
Rom.7. secundum spiritum est, de qua idem dicit apostolus: Quia lex spiritalis est, Similiter autem & prophetæ per eum qui in ipsis locutus est spiritum dei. Est præterea & illa apud Apostolum de hoc sermone, si quis diligentius obseruet,
Hæc sunt interpretu. mira distinctio. Mos est apud Græcos nominibus ἄρθρα præponi, quæ apud nos possunt articuli nominari. Si quando igitur Moysi legẽ nominat, solitum nomini præmittit articulum: si quãdo verò naturalem vult intelligi, sine articulo nominat legem. In hoc ergo loco vbi dicit, Nunc K autem sine lege iustitia dei manifestata est, articulũ nõ habet: in sequẽti verò vbi dicit: Testificata à lege & prophetis, secũdo in loco legem cum articulo posuit. Si ergo sufficienter patuit de legis appellatione diuersitas, videamus nunc quę iusticia sine naturali lege manifestetur. Idẽ Apo- *1.Cor.1.* stolus Paulus dicit de Christo, quia factus est nobis sapiẽtia a deo & iustitia, & sanctificatio & redẽptio. Hæc ergo iustitia dei quæ est Christus, manifestatur sine lege quidẽ naturali, non tamen sine lege Moysi vel prophetarum: Dat enim ei testimoniũ lex, sicut & ipse dicit: Scrutamini scri- *Ioan.5.* pturas, ipsę sunt quę testimonium reddunt de me. Nam lex quidem naturalis potest occasiooes præbere, & intellectũ dare (vt diximus) vel ad ea quæ inter homines agi æquitas poscit vel ad hoc ipsum, vt esse sentiãt deũ: De Christo autẽ quòd sit filius dei, seotire naturaliter quis potest? Ideo ergo sine lege iustitia dei quæ est Christus manifestata est, testificata ea lege Moysi, & prophetis. Verum priusquàm ad cõsequentia properemus, omittenda nõ videtur ne hæc quidem obseruatio, quòd in peccato quidẽ agnitionẽ posuit, in iustitia verò manifestationẽ. Omne enim quod manifestatur lux est: & si quod manifestatur lux est, peccatũ quod lux non est nõ manifestatur, sed agnoscitur. Ego sic accipio *Mat.10.* & illud: Nihil occultum quod nõ manifestetur: nec opertum quod nõ reueletur. Sed ad propositũ reuertamur. Lex *Iustitia dei.* ergo & prophetę testes sunt iustitię dei: quæ iustitia per fi- L de Christi manifestatur in omnes credẽtes, in quibus nulla est distinctio, verũ ex Iudæis an ex gentibus credãt, Vide autem quia manifestat, de iustitia dei non vnã posuit causam tantummodo fidei, sed legẽ posuit & prophetas: quia neque fides sola sine lege & prophetis manifestat iustitiã dei, neque rursus lex prophetæ sine fide: alterũ ergo hæret ex altero, vt fit ea vtroque perfectio. Nulla, inquit, distinctio est inter Iudęos & Gręcos, & cũ constet ex æquo omnes sub peccato factos esse, sicut supra claruit, & nũc iustitiam dei, legis & prophetarũ testimoniis fultã, per fidẽ Iesu Christi ex æquo omnibus datam: ex eo quod omnes sub peccato facti fuerant, alieni sine dubio effecti sunt etiam à gloria dei, quod eam nec capere vllo genere poterant nec mereri. Quomodo enim peccator auderet dare gloriam *Psal.49.* deo, ad quẽ propheta dicit? Peccatori autẽ dixit deus: Quare tu enarras iustitias meas? & iterũ alia scriptura dicit: Nõ est speciosa laus dei in ore peccatoris. Idcirco iustitia dei per fidẽ Iesu Christi ad omnes perueniens qui credunt siue Iudæi siue Gręci, purgatus eos à prioribus sceleribus iustificat, & capaces facit gloriæ dei: & hoc non ex meritis eorũ, nec pro operibus facit, sed gratis gloriã pręstat. (Per redemptionẽ, inquit, quæ est in Christo Iesu.) Videamus at- *Redẽptio quæ est in Christo.* tentius quid sibi velit redẽptio quę est in Christo Iesu. Redẽptio dicitur quod datur hostibus pro his quos in captiuitate detinent, vt eos restituant pristinę libertati. Detine- M batur ergo apud hostes humani generis captiuitas peccato tanquã bello superata, venit filius dei qui factus est nobis non solum sapientia deo, & iustitia, & sanctificatio, sed & *1.Cor.1.* redẽptio: & semetipsum dedit redemptionẽ, id est, semetipsum hostibus tradidit ac sitientibus eis suũ sanguinẽ fudit: & hæc est credentibus facta redemptio, sicut & Petrus *1.Pet.1.* in Epistola sua scribit dicens: Quia nõ corruptibili argento vel auro redempti estis, sed precioso sanguine vnigeniti filij dei. Hoc fortassis & Salomõ sub mysterio designabat dicens: Redẽptio animæ viri propriæ diuitiæ eius. Si enim *Prou.13.* requiras quæ sunt animæ propriæ diuitię, inuenies sapien- *Diuitiæ animæ.* tiam diuitias eius esse, & iustitiam, & sanctificationẽ: Hæc autem Christum esse dicit Apostolus: Christus ergo est animæ diuitiæ, & ideo ipse est redemptio eius. Nam corporales diuitiæ pernicies magis animæ quàm redemptio eius esse credendæ sunt, nisi ad bonum opus conuersæ iustitiæ & misericordiæ fiant, & ex corporalibus diuitiis ad animæ diuitias transferantur. Quem proposuit deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorũ, in sustentatione dei ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tẽpore, vt sit ipse iustus & iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi.]

A Christi.] Cum multa nos & admiranda docuisset sanctus *Iustificatio fidei.* Apostolus de domino nostro Iesu Christo, quę per mysterium de eo dicuntur, hoc in loco eminentius aliquid protulit, quod non facile in aliis scripturæ locis arbitror inueniri. Nam cū superius dixisset, quod pro omni genere humano redemptionem semetipsum dedisset, vt eos qui in peccatorū captiuitate tenebantur redimeret, dum sine dolo pro omnibus mortem gustat: nunc addidit aliquid sublimius & dicit: quia posuit eum deus propitiationē per fidē in sanguine ipsius: quo scilicet per hostiā sui corporis propicium hominib⁹ faceret deū, & per hoc ostenderet iustitiā suam, dum eis remitteret præcedentia delicta, quę pessimis tyrānis seruiendo cōtraxerant eo tempore, quo sustinebat & patiebatur deus hæc fieri. Sed ad hoc patiebatur, vt post hæc idē in hoc tēpore ostenderet iustitiā suā. In cōsummatione etenim seculi, in nouissimo tēpore manifestauit deus iustitiā suam, & redēptionem dedit eum quē propitiatorē fecit: ne forte si prius propitiatorē misisset, non tam multos humani generis repropitiasset deo, quā in his tēporibus quibus iam mūdus repletus videtur hominib⁹. Deus enim iustus est, & iustus iustificare non poterat iniustos: ideo interuentū voluit esse propitiatoris, vt per eius fidē iustificarentur, quia per opera propria iustificari non poterant. Hęc quātū ad sermonis ipsius explanationē spe-

B ctāt præmissa sint, vt apostolica lectio euidētior fiat. Nūc autē vt nobis motus est, quid interior sēsus apostoli sermonis cōtineat requiramus, & primo omniū quomodo dictū sit, Quē proposuit deus propitiatoriū siue propitiatorē per fidē in sanguine eius. Certū est in omnibus pene locis apostoli sensū ex legis & prophetarū manare thesauris. Inquiramus ergo vbi appellationē propitiatorij put erit inue-

Exod. 25 *De propitiatorio.* nire, & vnde hoc nomē assumpserit. Memini in Exodo loquentē ad Moysen & pręcipientē quę oporteat eū facere, primo quidē mādare arcā & vectes eius atq; anulos per atcæ latera fieri, post hæc: Et facies, inquit, propitiatoriū ex auro puro, duobus cubitis & semis lōgitudinē eius, & vnū cubitū & semis latitudinem eius: & facies duo Cherubim aurea tornata, & superpones ea per singula latera propitiatorij: & facies vt Cherubim duo sint ex duobus lateribus eius extendētia alas suas, & obūbrantia super propitiatoriū: & facies eorū cōtra se super propitiatoriū erūt: & facies Cherubim, & impones propitiatoriū super arcā, & in arcā mittes testimonia quæ dabo tibi, & innotescā tibi inde: & loquar ad te desursū super propitiatoriū inter mediū duorum Cherubim quæ sunt super arcā testamēti secundū opera q̃ præcipiā tibi ad filios Israel. Euidēter apparet quod nomē *Propitiatorium ad Christum refertur.* propitiatorij apostolus in his locis inuentū, in suis nūc literis posuit, de quo nobis sermo est. Et videtur propitiatoriū hoc de quo scriptū est in Exodo, ad nullū nisi ad saluatorē dominū retulisse cum dicit, quia hūc posuit deus propi-

C tiatoriū per fidē. Quomodo huius sanè veri propiciatorij forma & figura fuerit illud q in Exodo describitur ex auro *Aurum purū quid significat.* purissimo factū, operę præciū est inuestigare. Et primo quidem cōsiderandū est, quibus in locis aurū quod in opere assumitur, aurū purū dicatur: quibus verò in locis aurū tātūmodo sine vlla adiectione ponatur. Quod ego in pluribus obseruās, deprehēdisse mihi videor, quod sicubi cum *Es. 53.* adiectione aurū purū dicitur, indicet sanctā illā & puram Iesu animā quæ peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: & ipsi conueniant mēsuræ istæ lōgitudinis ac latitudinis propiciatorij. Hæc quāuis explanare sit arduū, & aptare illi animæ sanctæ singula quæque quæ de propitiatorio referuntur, primo ergo videamus quod dicit longitudinem propitiatorij, neque duos solum cubitos habuisse, qui numerus sociandis generandisque aptari corporibus solet: neque tres integros, qui numerus excedere appellationem creaturæ consueuit, & naturæ incorporeæ consectari. Duos ergo cubitos & dimidium longitudi-*1. Tim. 2* nem dicit propitiatorij, & vnum ac dimidium latitudinē. Quod si audere in talibus fas est, quoniā dicit idē apostol⁹ de Christo quod dei & hominū mediator est, videtur mihi in deū & hominē media hæc esse anima, quæ inferius quidem sit à trinitatis natura minus aliquid habens, nec tamē

D cum inde insita sit, duali numero qui in corpore positis deputatur, absque eximia & præcellēti virtute suarū eminētia misceatur. Hoc enim ostēditur, quòd mensurā eius supra duos habere aliquid designauit, licet minus tribus: sed *Matt. 1.* & quod latitudo eius vnum & dimidiū memoratur cubitū *Luc 1.* habere. Propterea quidem de monade hac singulari quid *& 2.* fastius describitur, non tamen ex toto in dualem numerū, qui interdum etiā pro immūdis ponitur, recuisse. Quāuis *1. Tim. 2.* enim carnem naturæ nostræ susciperet, ex incontaminata tamen virgine assumpta, & casta sancti spiritus operatione formata est. Propterea ergo & apostolus de mediatore dis-*Matt. 7.* serens, euidenti distinctione signauit dicens: Mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Quo scilicet mediatorem non ad deitatem Christi, sed ad humanitatem quæ est eius anima referendū doceret. Longitudo ergo ponitur eius & latitudo. Longitudo illud significat quod tendit ad deū, trinitatiq; sociatur: Latitudo quod inter homines, qui latā spatiosāmque viā incedere soleant, cōuersatur: & ideo mediatoris rectè nomine nūcupatur, quia vt diximus anima hæc sancta media quidē fuit inter diuinitatē trinitatis & fragilitatē humanitatis. Hæc ergo intelligi potest propitiatoriū secundū ea quæ supra diximus, cui superponi dicuntur duo Cherubim, vnus ex latere hoc, & vnus ex late-

E re altero. Cuius ergo formā duo ista Cherubim habere existimāda sunt? Cherubim enim in nostrā linguā interpretatū plenitudinē scientiarū significat. Vbi ergo dicimus plenitudinē scientiarum, nisi in eo de quo dicit Apostolus: In quo sunt omnes thęsauri sapientiæ & scientiæ absconditi? De verbo dei vtique hæc dicit Apostolus. Sed & de spiritu sancto similia scribit cum dicit: Nobis autē reuelauit deus *Col. 2.* per spiritū suū. Spiritus enim omnia scrutatur, etiā alta dei. Significat igitur vt ego arbitror in isto propitiatorio, hoc est in anima Iesu, verbū dei qui est vnigenitus filius, & spiritū eius sanctū semper habitare: & hoc est quod indicant *1. Cor. 2.* duo cherubim propitiatorio superposita. Sed & illud obserua, quod non dixit Cherubim vnū ex latere dextro & Cherubim aliud ex latere sinistro, sed ait Cherubim vnum ex latere hoc & Cherubim aliud ex latere altero: vt ostēderet in illo propitiatorio, hoc est in anima Christi, sinistrū nihil fuisse. Sunt autē & pennata duo hæc Cherubim: & non solū pēnata, sed & alas suas pādentia. Si quis sanctorū summū habere à deo testimonium meruit, dictū est quod deus esset cum eo, sicut ad Iesum Naue dicitur: Et deus erat cum ipso, sicut fuit cū Mose famulo eius. Sicubi verò pol-*Ios. 1.* licitatio maioris à deo muneris datur, dicitur: Et ero in eis *Leuit. 26* & ambulabo inter eos. Nullā verò inter hominesita beatā, & ita excelsam reperies animā nisi hanc solam, in qua tantū latitudinis, tantū capacitatis inuenit verbū dei, & spiritus sanctus, vt non solū habitare, sed & alas expādere, & nouo sacramenti ritu aliquando etiā volitare dicatur. Faciem quoque contra se inuicem super hanc beatā animam

F Cherubim vtraque habere dicuntur, per quod consors ei & cōsonus à filio dei & à spiritu sancto diuinitatis sensus infunditur. Vbi autē superponitur hæc anima deo plena, in qua complacuit habitare omnem plenitudinē deitatis? Super arcā (inquit) testamēti. Potest arca testamēti sancta eius caro, in qua beata hæc anima collocatur, intelligi, habens *Arca testamenti carnē eius designat.* in se testimonia dei, quę intelliguntur Christi quas in carne pertulit passiones, diuinis olim prædicata testimoniis. Possunt etiam virtutes cœlestes intelligi arca dei, quæ & ipsæ capaces quidē dei sunt verbi & spiritus sancti, sed prę ponitur eis aīa Iesu, & ipsę quodāmodo mediatricē gratiā diuinæ largitionis accipiūt. Post hæc: Et innotescā tibi (inquit) inde, & loquar ad te desuper de propitiatorio. Non solū Moysi, sed vnicuiq; sanctorū qui famulus dei est, nō aliūde innotescit deus, nec aliūde cognoscitur, nisi de propitiatorio isto q supra exposuimus, & de medio Cherubī. Hoc & Habacuc propheta significat vbi dicit: In medio duorū anima-*Abac. 3.* liū cognosceris, dū appropinquāt anni cognosceris, & cū affuerit tēpus ostēderis. Nemo enī scit patrē nisi fili⁹, & cui voluerit filius reuelare. Sed & Paul⁹ dicit: Quod nobis re-*Matt. 11.* uelauit deus per spiritū suū. Propterea ergo dicit q innote-*1. Cor. 2.* scam tibi inde, & loquar tibi desuper propitiatorio inter duo

G Cherubim quæ sunt super arcã testamẽti. Puto autẽ quod nõ importune ea quæ de Exodo assumpsimus explanata sint, vt euidẽs fieret sẽsus quomodo apostolus in præsenti loco propitiatorij nomẽ assumpserit cum dicit: Quẽ proposuit deus propitiatoriũ per fidẽ. Sed & hoc ipsum quod dixit Proposuit, magis de anima Iesu quam de deitate eius dictũ sentietur. Proposuit enim intelligitur quasi prius posuit, hoc est, priusquam esset. Quod enim est ponitur, quod nõdum est, proponitur: Non ergo conuenit de eo qui semper erat, id est de verbo dei, dici quia propositus est: sed de anima eius, quę licet inseparabilis à verbo dei, creata tamen est, & vnigeniti deitate posterior: nec inconuenienter videbitur de ea dictum, quod antequam esset proposita est, & præordinata vt esset propitiatorium. Quia ergo secundum ea quæ suprà exposuimus Iesum Christum proposuit deus propitiatorium per fidem in sanguine eius, necessarium videtur requirere de diuinis legibus quæ sit propitiatio quę per sanguinẽ fiat, vt ex his colligere possimus, quomodo etiam per sanguinẽ Iesu propitiatio facta sit. Scriptum est in Leuitico post pontificis hostiam: Quod si omnis synagoga Israel ignorauerit & latuerit sermo ab oculis eius, & fecerit vnum de mandatis domini quæ non fiet, & deliquerit, & innotuerit eis peccatum quod peccauerunt, adducet Synagoga vitulum ex bobus pro peccato, & post pauca: Et inferet sacerdos qui vnctus est ex sanguine vituli in tabernaculum testimonij, & post pauca iterum: Et faciet (inquit) vitulum quemadmodum fecit vitulum pro peccato, & repropitiabit pro his sacerdos, & remittetur eis. Per sanguinem vetũ repropitiat sacerdos pro omni synagoga vt remittatur eis. Requiramus nunc singula quæque nomina quę de saluatore scripta sunt, & in singulis appellationib⁹ quæ sint quæ designentur diligentius contemplemur. Inuenies igitur quoniam quidem in ipso complacuit habitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter, esse ipsum & propitiatorium & pontificem, & hostiã quæ offertur pro populo. Et quidem de propitiatorio iam satis dictum: sed & de pontifice euidenter Dauid in Psalmo, & Apostolus Paulus ad Hebræos scribit: Quod autem sit & hostia, testatur Ioannes dicens: Hic est agnus qui tollit peccata mundi: Secũdum hoc ergo quod hostia est, profusione sanguinis sui propitiatio efficitur in eo quod dat remissionem precedẽtium delictorum. Quæ tamen propitiatio ad vnumquenque credentium per viam fidei venit. Nisi enim daret remissionem precedentium delictorum, propitiatio nõ probaretur effecta. Cum verò remissio peccatorum tribuatur certũ est propitiationem effusione sacri sanguinis adimpletã. Absque sanguinis enim effusione (sicut apostolus dicit) non fit remissio peccatorum. Verũ ne Paulus tibi solus proposuisse propitiationis nomen videatur in Christo, audi quomodo & Ioãnes cõsona de hoc sẽsu loquatur cũ dicit: Filioli mei, hæc scribo vobis vt non peccetis, sed & si quis peccauerit aduocatũ habemus apud patrẽ Iesum Christũ iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non solum autem pro nostris, sed & pro vniuerso mundo. Vno igitur eodẽmque sensu apostoli propitiatorium vel propitiationem, vel vt in latinis codicibus frequentius inuenitur, propitiatorem nominant Christum. Sed nihil interest siue propitiator, siue propitiatorium, siue propitiatio, siue etiam exoratio scriptu sit, cum apud Græcos vno semper eodẽmque sermone proferatur. Nisi forte videatur quibusdam propitiatio ipsa eius diuina substãtia: Propitiator verò cum dispẽsationes in hominibus explet intelligi. Sed & quod dixit Ioannes, quia ipse est exoratio siue propitiatio pro peccatis nostris, & non solũ pro nostris, sed & pro vniuerso mundo, quædam nobis intulisse videtur augmẽta mysterij, vt ostendat Iesum propitiatorem esse non solũ credentium, verũ & totius mundi, non tamen prius mundi & tunc nostrum, sed prius nostrum, & ita demũ totius mũdi. Quamuis enim vniuersa creatura gratiã redemptoris expectet, vnusquisque tamẽ veniet in suo ordine ad salutem. Hoc indicari arbitror & in Leuitico, vbi repropitiationis hostię per põtificem mandantur offerri. Nec tamen in his sacrificiorum cõfusus ordo proponitur: sed primo quidem dicit quæ sit propitiatio, & qualis hostia, si sacerdos peccauerit, offeratur. Secundo si omnis synagoga deliquerit per ignorantiam, cuiusmodi victimis placetur deus. Tertio si princeps peccauerit, quo ordine purificandus sit scribitur. Quarto si anima vna peccauerit, etiam de hoc qui sit expiandi ritus exponitur. Quæ singula mystico intellectu per figuram Christi propitiationem non solum pro peccatis nostris, sed pro vniuerso mundo certis quibúsque ordinibus & modis causisque designant: si quis tamen hæc secundum illam reuelationẽ, quę Moysi in monte demõstrata esse dicitur, sancto spiritu illuminatus aspiciat. Fit ergo per repropitiationem sanguinis Christi remissio præcedentium delictorum in sustentatione dei ad ostẽsionem iustitiæ suæ. Sustentatio dei est, vbi peccator non statim punitur vt peccat, sed secundum quod ibidẽ Apostolus dixit, per patientiam dei adducitur ad pœnitentiam: & in hoc ostendere dicitur iustitiam suam deus. Bene autem addidit, in hoc tempore. Præsentis enim seculi tempore in sustentatione est iustitia dei, futuri verò in retributionem. Iustum nanque apud deum visum est, vt quia futurum seculum ad iudicium statuerat, præsens sustentationi & patientiæ deputaret. Nam si puniret in hoc tempore peccatorem, iustum non videtur iterum ad iudicium quem punierat euocare. Si verò sustentet & patiatur in præsenti seculo, rectè erit iustus iudex in futuro. Iustificat ergo eum qui ex fide est, sicut & de Abraham scriptum est, quia credidit Abraham deo, & reputatum est ei ad iustitiã. Quod L
si Abraham credidit, & ex fide iustificatus est, consequens *Rom. 4.*
sine dubio erit, vt & nunc qui credidit deo per fidem Iesu Christi iustificetur cum fideli Abraham. Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Operum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.] Iterum ac sæpius commonem⁹ eos qui scripta Pauli diligentius aduertere cupiunt, distinctionem illã quam supra diximus obseruare tenacius, quo nunc circumcisionis causam, nunc præputij, id est Iudæorum vel gentilium discreto semper tramite prosequatur. Si enim paululum quid fugerit legentem, cõtinuo angusta hac intelligentiæ semita perturbabitur. Igitur cum superius ostendisset apostolus quid esset amplius Iudæo, aut quæ vtilitas circũcisionis: & docuisset quia primis credita sunt illis eloquia dei, & per hæc visus fuisset extollere eorum iactantiam qua aduersus gentiles erigi solent: & rursum contra hæc in sequentibus obiecisset iustitiam dei per fidem Iesu Christi esse in omnes qui credunt, neque habere aliquam distinctionem, sed omnes deliquisse Iudæos & Græcos, & egere gloria dei, & iustificari per gratiam ac redemptionem quæ est in Christo Iesu: ipsũmque esse propitiatorium per fidem, & iustificari ab eo qui ex fide est: nunc iam velut conclusionem assertionum suarum ponẽs
in hoc loco dicit: Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per M
quam legem? operum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Et dicit sufficere solius fidei iustificationẽ, ita vt credẽs quis tantũmodo iustificetur, etiã si nihil ab eo operis fuerit expletũ. Imminet igitur nobis qui integrã esse scripturã apostoli conamur asserere, & ordine suo cuncta constare, vt requiramus quis sine operibus sola fide iustificatus sit. Quantum igitur ad exemplum pertinet, sufficere arbitror illum latronem qui cum Christo crucifixus clamauit ei de cruce: Domine Iesu memento mei cum veneris in regnum tuum. Nec aliud quicquam describitur boni operis eius in euangeliis, sed pro hac sola fide ait ei Ie-
sus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. A- *Luc. 23.*
ptemus nunc si videtur huius latronis verba causæ apostoli Pauli, & dicamus ad Iudæum: Vbi est ergo gloriatio tua? Certũ quia exclusa est, exclusa autem non per legem operum, sed per legem fidei. Per fidem enim iustificatus est hic latro sine operibus legis: quia super hoc dominus non requisiuit quid prius operatus esset, nec expectauit quid operis cum credidisset expleret, sed sola confessione iustificatum comitẽmque sibi paradisum ingressurus assumpsit. Sed & mulier illa quæ in euãgelio secũ-

dum

Leuit. 4. (margin, beside "tificis hostiam: Quod si omnis synagoga Israel")
Ioan. 1. (margin, beside "Ioannes dicens: Hic est agnus")
1. Ioan. 2 (margin, beside "Filioli mei, hæc scribo vobis")

A dú Lucā refertur, quia cū cognouisset quod Iesus recubuit
Luc. 7. in domo pharisæi, attulit vas vnguēti, & stans retro ad pe-
des eius ac flēs, lachrymis lauit pedes eius, & capillis capi-
tis sui detersit, & osculabatur atque vngebat vnguēto. Vi-
dens autem pharisæus qui eū vocauerat, dixit intra semet-
ipsum: Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis est
mulier quæ tangit pedes eius, quia peccatrix est. Iesus autē
dixit ad eū parabolam quingentorū vel quinquaginta de-
nariorū, & ex nullo legis opere sed pro sola fide ait ad eam:
Luc. 7. Remittuntur tibi peccata tua. Et iterū: Fides tua te saluam
fecit, vade in pace. Sed & in multis euangelij locis hoc ser-
mone vsum legimus saluatorem, vt credentis fidem causam
dicat esse salutis eius. Ex quibus omnibus claret quòd re-
ctè arbitratur apostolus iustificari hominem per fidem si-
ne operibus legis. Sed fortassis hæc aliquis audiēs resolua-
tur, & bene agendi negligentiam capiat, siquidem ad iusti-
ficandum fides sola sufficiat. Ad quem dicemus: quia post
iustificationem si iniuste quis agat, sine dubio iustificatio-
nis gratiam spreuit. Neque ob hoc quis accipit veniā pec-
catorum, vt rursum sibi putet peccandi licentiam datā. In-
dulgentia nanque non futurorum, sed præteritorum cri-
minum datur. Igitur vt ad propositum redeamus, iustifica-
tur homo per fidem, cui ad iustificandum nihil conferunt
opera. Vbi verò fides non est quæ credentē iustificet, etiam
si opera quis habeat ex lege, tamen quia non sunt ędificata
B supra fundamentū fidei, quamuis videātur esse bona opera
operatorē suū iustificare nō possunt, si eis deest fides, quæ
est signaculū eorum qui iustificantur à deo, sicut supra di-
ximus, quia credidit Abraham deo, & reputatum est ei ad
iustitiam: tantum est, vt is qui iustificatur per gratiā fidei,
dicat secundū Paulū, quia gratia dei quæ data est mihi, ina-
nis non fuit. Excluditur ergo omnis gloriatio quæ ex legis
operibus venit. Et vt adhuc manifestius fiat quod dicimus,
exemplū dabimus ex his quæ in euangelio scripta sunt, vbi
ascendit pharisæus & publicanus ad templum dei: & stans
(inquit) pharisæus in medio dicebat: Deus, gratias ago ti-
bi, quoniā non sum sicut cæteri homines raptores, iniusti,
adulteri, sicut publicanus iste: ieiuno bis in sabbato, deci-
mas do omnium quæ possideo, & reliqua. Et hæc fortassis
vere dixerit, sed secundum domini sententiam iactantiæ
morbo corruptus non descendit iustificatus de tēplo. Ta-
lis ergo gloriatio quæ veniebat ex operibus legis, quia non
habet humilitatē crucis Christi. In qua qui gloriatur audi
quid dicit: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini
nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est,
Gal. 6. & ego mundo. Vides apostolum non gloriantem super iu-
C stitia sua, neque super castitate, neque super sapientia, neq;
super cæteris virtutibus vel actibus suis, sed apertissime
pronūciantem & dicentem, Qui gloriatur in domino glo-
rietur. Et sic exclusa est Iudaica gloriatio, nō per legē ope-
rum, sed per legem fidei: quæ est in Christo Iesu, in cuius
cruce gloriatur Apostolus. Quis enim rectè vel super ca-
stitate sua gloriabitur, cū scriptum legat, quia si quis aspe-
xerit mulierem ad concupiscendū eam, iam mœchatus est
Prou. 20. eam in corde suo? Vnde & propheta dicit: Quomodo glo-
riabitur quis castū se habere cor? Aut quis gloriabitur su-
per sapientia, cum scriptū videat, quia mundus per sapien-
tiam non cognouit deum? & ideo placuit deo per stultitiā
prædicationis saluos facere credentes, & iterū: Quæ stulta
sunt mūdi, elegit Deus, vt confundat sapiētes. Quis autem
vel super iustitia sua gloriabitur, cum audiat deū per pro-
phetam dicentē: Quia omnis iustitia vestra sicut pannus
mulieris menstruatæ? Sola igitur iusta gloriatio est in fide
crucis Christi, quæ excludit omnem illam gloriationem,
quæ descendit ex operibus legis. Hæc autem à nobis dicta
sunt pro eo quòd tanquam interrogans dixit apostolus:
Vbi est ergo gloriatio tua? Et ad hęc sibi ipse respondit: Ex-
clusa est. Et rursum quasi interroget ait: Per quam legem?
operū? Et respondit sibiipsi: Non, sed per legem fidei. Ar-
bitror enim iustificari hominem per fidem sine operibus
legis. De his superius dixit. Quod verò etiam in præsenti
loco duarum legum facit iterum mentionem, & dicit le-
gem operum & legem dei, considera etiam ipse qui legis,

vtrum ad legem Moysi & legem naturalem sermo hic de- D
beat inclinari: an ad legem literæ & legem spiritus? quia
lex literæ occidit: & mortem operatur: Lex autem spiritus
liberat à lege peccati & mortis. Vnde & conuenienter in
consequentibus ponit. An Iudæorum Deus tantum? Nón-
ne & gentium? Imò & gentium. Quoniam quidem vnus
Deus qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium
per fidem.] His quidem qui alium volunt esse Iudæorum
deū, & alium gentiū, id est alium legis, & aliū euangelio-
rū, satis de hoc angusta & arcta respōsio ab apostolo Pau-
lo præstatur: satis ostendit sententiam suam, cū non solum
vnū dicat esse deum Iudæorū & gentiū, sed & addat quod
idem atque ipse sit qui iustificat circumcisionem ex fide,
& præputium per fidem. Quod & si circūcisionem per al-
legoriam suscipere voluerint, ita vt sanctos & spiritales
quosque ab eo circumcisionem dicant esse appellatos, sta-
tim in consequentibus inuenient obiicere. Si enim circū-
cisionem sanctos velut illi nominant spiritales appellauit,
consequens est vt præputium peccatores dixerit, quos ille
animales vocat. Et quomodo conueniet, vt bonus Deus
pariter spiritales animalésque iustificet? Illis ergo in his a-
postoli sermonibus nodus inextricabilis erit. Secundū nos
verò qui circumcisionem eos qui ex Iudæis crediderūt, &
præputium eos nihilominus qui ad fidem ex gentibus vo-
cati sunt, dicimus, plana erit & facilis expositio. Idē enim E
ipse Deus ex vtroque populo credentes non circumcisio-
nis aut præputij priuilegio, sed solius fidei contemplatio-
ne iustificat. Superest & vnius syllabæ differentia, in qua
variasse videtur apostolus. Non nos otiose prætereat quid
dicit, quod circumcisionem iustificet ex fide, & non per fi-
dem: pręputium verò per fidem, & non ex fide. Non enim
mihi videtur superflua apud deum haberi ista præpositio-
num commutatio, quia inuenimus ab eo & in alijs locis,
non vt libet, sed obseruanter hæc posita, & necessario dif-
ferentiam distinctionis huius esse seruatam, sicut cum de
Deo loquens dicit: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in
ipso sunt omnia: & iterum alibi dicit: Sicut enim mulier ex Rom. 11.
viro, sic & vir per mulierem, omnia autem ex Deo. Tale 1.Cor. 11
est & quod ad Corinthios scribit: Alij quidem per spiritū 1.Cor. 12
datur sermo sapientiæ secundum eundem spiritum, alij fi-
des in eodem spiritu. Et non solus Paulus apostolus ha-
rum distinctionum obseruantias tenet, sed & Ioannes, qui
quū de verbo Dei dicat, quia omnia per ipsum facta sunt,
vitam non per ipsum, sed in ipso factam esse testatur di-
cens: Quod factum est in ipso vita erat. Et quoniam mul-
tum est vt ea quæ nunc exempli causa protulimus expo-
nantur, sensum eorum pro captu nostro breuiter colliga- F
mus. Cum dicitur ex ipso, principale aliquid huius prępo-
sitionis indicio videtur ostendi. Cum verò per illum dici-
tur, sequentis causæ, id est eius quæ post principale est in-
telligentia, designatur. Vt verbi gratia dicamus quod ait:
Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia: Ex ipso primæ
creationis omnium, & quod hoc ipsum quod sunt ex Deo
esse cœperunt, significantiam dedit. Per ipsum, quod ea
quæ prius facta fuerant reguntur & dispensantur per eum
à quo subsistendi initium trahunt. In ipso, quod hi qui iam
correcti & emendati sunt, in ipsius perfectione consistūt.
Sic ergo hæc plenissimæ rationis tenere differentias edo-
cemur, vt quod subsistimus ex Deo habere dicamur: quod
dispensamur & regimur, per ipsum fieri designetur: quod
verò in summa perfectionis cōsistimus, in ipso esse decla-
retur. Potest & in præsenti loco talis quædam obseruari
differentia, vt circumcisio quæ velut primo loco & ordi-
ne iustificatur, ex fide, & non per fidem iustificāda memo-
retur: Pręputium verò quod in secundo loco ad iustifica-
tionem trahitur, non ex fide, sed per fidem iustificandum
dicatur. Puto autem quod & in ea differentia quam supra
diximus: Sicut enim mulier ex viro ita & vir per mulierē,
plenius ista designentur. Primo etenim loco vir est, ex quo
descendere mulier dicitur, & non per virum. Secundo ve-
rò in loco per mulierem vir: quia mulier ministrare quo-
dammodo videtur autori viro, & ideo per mulierem vir
dicitur nasci & non ex muliere.

G Sed fortassis occurrat aliquis huic de muliere & viro ex-
positioni nostrę, & obiciat illud quod dicit apostolus de
Gal. 4. Christo: Factum ex muliere, factum sub lege: & non dixit
factum per mulierem. Cui hoc modo respondendum pu-
to. De omni quidem homine cóueniet dici quod per mu-
lierem factus sit, quoniam quidem priusquam per mulie-
rem nasceretur ex viro accepit exordium: Christus verò
qui non ex semine viri caruis suæ sumpsit originem, meri-
to ex muliere factus dicitur. Ipsi nanque, id est mulieri, &
ipsa principalis origo carnis eius ascribitur, & rectè non
per mulierem, sed ex muliere factus ab apostolo memora-
tur. Iustificabit ergo vnus atque idem Deus circumcisioné
ex fide, & prępucium per fidem. Quod si requirat aliquis
curiosius, ij qui ex fide iustificantur per quem iustificétur,
& rursum ij qui per fidem iustificantur ex quo iustificétur:
licet fortassis multa in hoc curiositas videatur, tamen con-
uenienter dicere possumus, quod qui ex fide iustificantur,
initio ea fide sumpto, per adimpletionem bonorum operú
consummantur. & qui per fidem iustificantur, à bonis ope-
ribus exorsi per fidem summá perfectionis accipiunt. Ita
vtrunque sibi adhærens alterum ex altero consummatur.
Et propterea puto apostolú statim in consequentibus po-
suisse: Legem ergo euacuamus per fidem? Absit, sed legem
statuimus.] Quoniam in superioribus ad fidem cuncta vi-
sus est reuocare, ipse sibi quod ab alio aliquo proponi pos-
H set obtendit & dicit: si per fidem iustificatur homo, & non
ex operibus legis circumcisionem ex fide iustificat, & prę-
putium per fidem, legem ergo Moysi ô Paule destrues per
fidem: Sed ad hoc ipse respondens dicit: Absit, imò legem
statuimus, hoc est confirmamus. Sed operępretium est, vi-
dere quomodo legem se confirmare pronunciet, qui in su-
perioribus dixerit, quia non iustificetur homo ex operibus
legis. Saluator in euangeliis dicit: quia Moyses de me scri-
Ioan. 5. psit: Qui ergo non credit Christo, de quo Moyses scripsit
in lege, destruit legem: qui autem credit Christo, de quo
Moyses scripsit, legé cófirmat per fidé, quia credit in Chri-
stum. Fidere autem dicimus in patrem & filium & spiri-
tum sanctum, qui integram substantiam, plenam, perfectá,
qui nihil diuersum nil discrepans aut extraneum in trini-
tate profitetur. Nam Marcion qui alium deum dicit legis,
alium patrem Christi, per fidem suam non statuit neque
confirmat, sed destruit legem. Hoc & Ebion facit, hoc &
omnes qui in fide catholica aliquid corruptionis interse-
runt. Ego etiam illud conuenienter adiiciam, quod omnis
qui credens Christo bene agit, & continet se ab omni ma-
cula peccati, hic legé Dei rectè viuendo confirmat: Qui
I verò præceps peccatorum vitiis agitur, & sine vllo pœni-
tendi retinaculo assiduitate scelerum maculatur, hic etiam
si credere Christo videatur, per fidem suam non statuit, sed
destruit legem. Sed & illa nequaquam nobis prætereunda
videtur obiectio, quá proferre quis potest, & dicere quod
contraria sibi scribere videatur apostolus, cum in præsenti
quidem loco dicit, non destruit legem sed confirmat: in se-
cunda vero ad Corinthios ita scribit: Quod si ministerium
2. Cor. 3. mortis in literis formatum in lapidibus factum est in glo-
ria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi
propter gloriam vultus eius quæ destruitur, quomodo nó
magis ministerium spiritus erit in gloria: Et paulo post: Si
enim quod destruitur per gloriam est, multo magis quod
manet, in gloria est. Dici ergo potest, quod gloria vultus
Moysi destruitur, & hoc quod dicit: Si enim quod destrui-
tur per gloriam, contraria videri huic sententiæ quo pro-
nunciat: non destruimus legem per fidem, sed statuimus &
confirmamus. Sed inde possumus hoc modo quod inten-
tatur absoluere. Non est idem quod dicit: Legem destrui-
mus, & lex destruitur. Paulus ergo in præsenti loco hoc
pronunciat, quod legem ipse non destruat. Nam & ipsi de-
struitur lex per eam quæ supereminet gloriam, non per
Paulum, neque per alium aliquem sanctorum destruitur.
Vnde & ipse dominus dicebat: Non veni soluere legé, sed
Mat. 5. adimplere. Nullus ergo sanctorum, nec ipse dominus de-
struit legem sed gloria eius temporalis & pertransiens à
gloria ęterna & permanente destruitur & superatur. Vnde
vide quàm caute & perspicaciter apostolicæ legendæ sint K
literæ. Non dixit, neque enim glorificatum est quod glo-
riosum est: & siluit: alioquin falsum videretur: Quomodo
enim quod gloriosum est non esset glorificatum? Sed ad-
didit: Propter eam quæ supereminet gloriam: vt ostende-
ret non à quocunque destrui gloriam Moysi, id est legis,
sed vt diximus ex comparatione maioris gloriæ quæ in
Christo est, obtegi & obscurari eam gloriam quæ in lege
est, & ideo dicit: Si enim quod destruitur per gloriam est,
multo magis quod manet, in gloria est. Manere quæ Chri-
sti sunt dicit, destrui quæ Moysi sunt: sed destrui non per
hominem, sed ex comparatione (vt diximus) supereminé-
tis gloriæ. Quoniam quidem lex pædagogus noster fuit in
Christo donec veniret plenitudo temporum: & sicut dici-
mus necessarium esse opus pædagogi, donec paruulus est
is qui sub pædagogo est, destrui autem & non esse neces-
sarium officium pædagogi, cum ad perfectionem venerit
is qui sub pædagogo fuit: ita dicimus destrui iá opus legis
vbi aduenit plenitudo temporis, & filius qui aliquádo ni-
hil differebat à seruo, hęres factus est paternæ substantiæ.
Quod autem hæc debeant intelligi quę destruenda appel-
lat apostolus, consuetudinem eius super hoc vocabulo e-
tiá in aliis disce, vbi dicit: Ex parte scimus & ex parte pro-
phetamus. Cum autem venerit quod perfectú est, destruen-
tur ea quę ex parte sunt. Et in hoc loco scientia Pauli vel L
prophetia destrui dicitur absque iniuria apostolicæ gratię:
quo scilicet intelligamus ad comparationem perfectorú
vacare, & otiosa esse ea quæ imperfecta sunt. Ita ergo in
præsenti sermone Paulus quidem legem non destruit sed
confirmat. Gloria autem Christi cum reuelata fuerit,
eam gloriam quę apparuit in Moyse, & ex qua glorifi-
catus fuerat, ipsa comparatione sui qua supereminet &
confutat & arguit & ostendit nec gloriam confitendam.
Tale est & quod alibi dicitur: Illum oportet crescere, me Ioan. 3.
autem minui: & quod ipse Paulus dicit: Cum autem fa- 1. Cor. 13
ctus sum vir destruxi quæ erant paruuli. Hoc osten-
dit & similitudo pædagogi, cuius opus destruitur & ces-
sat, cum ad ætatem perfectam venerit paruulus. Propterea
ergo cautissime dixit apostolus: Legem ergo destruimus
per fidem? Absit, &, non dixit: Lex ergo destruitur per fi-
dem: sed legem ergo destruimus? Et rursus in sequentibus.
Non, sed legem statuimus. Nam etsi destruitur lex, non per
fidem destruitur, sed per supereminentem gloriam. Per fi-
dem autem nó solum non destruitur lex, sed statuitur per
apostolos & confirmatur: quia Christum quem lex & pro
phetæ venturum prædixerunt, isti prædicant iam venisse:
& confirmatio vtique prophetiæ vel legis est, cum quæ M
prædicta fuerant, monstrantur expleta.

LIBER IIII CAPVT IIII.



Vid ergo dicemus inuenisse Abraham
patrem nostrum secundum carnem?
Si enim Abraham ex operibus iustifi-
catus est, habet gloriam, sed non apud Gen. 15.
deum. Quid enim scriptura dicit? Cre-
didit Abraham deo, & reputatum est
illi ad iustitiam. Ei auté qui operatur,
merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum
debitum. Ei verò qui non operatur, credit autem in eum
qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Si-
cut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus acce- Psal. 31.
pto fert iustitiam sine operibus. Beati quorú remissæ sunt
iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui
non imputabit dominus peccatum.] Cum superius duas
proposuerit leges, quarum vnam operum, aliam fidei no-
minauit, per quam legem fidei excludi gloriationem dicit
eorum qui in legis operibus gloriantur, & pronunciauerit
fide iustificari hominem sine operibus legis: consequenter
nunc vt hæc de scripturis asseueraret, Abrahæ producit
exemplum, & dicit quia Abraham si ex operibus iustifica-
tus est, habet mercedem, sed non apud Deum. Quod qui-
dem non sine arte dialectica disserit.

Nam

A Nam si iustificatus non habet gloriam apud deum, Abra-
ham autem constat habere gloriam apud deum, ergo non
ex operibus, sed ex fide iustificatus est Abraham, vt neces-
sario habeat apud deum gloriam: Sic enim scriptura pro-
nunciat, quia credidit Abraham deo, & reputatum est illi
ad iustitiam. Quod si deus reputauit illi ad iustitiam, sine
dubio & gloria eius apud deum est. Propterea ergo apo-
stolus testimonio huic quod assumpsit ex lib. Geneseos ad-
iungit & proprium sermonem, & dicit quia ei qui opera-
tur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secun-
dum debitum: Ei verò qui non operatur, credit autem in
eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iusticiã.
Per omnem itaque hunc locum apostolus hoc videtur o-
stendere, quod duæ quædam sint iustificationes, quarum
vnam ex operibus nominat, aliã verò ex fide. Et illam qui-
dem quæ ex operibus est, dicit habere gloriam, sed in se-
metipsa, & non apud deum: illam verò quæ ex fide est, ha-
bere gloriam apud deum, vtpote apud inspicientem cor-
da hominum, & scientem quis est qui credit in occulto, &
quis est qui non credit. Et ideo merito apud solum deum
habet gloriam, qui affectum fidei eius præuidet in occul-
tis: qui verò iustificationem ex operibus spetat, potest fie-
ri vt opera eius etiam ab hominibus comprobentur. Palã
namque est, & videri oculis potest quicquid opere manife-
B stum est: & si fides in occulto est, opera autem palam sunt,
conueniet in hoc assumi illud quod scriptum est, quia oc-
culta sunt domino deo tuo, quæ manifesta sunt vobis & fi-
liis vestris. Sed & illud his aptare conueniet quod scriptũ
est, quia iustus ex fide mea viuet. Competenter igitur dici-
mus, quia eorum qui secundum interiorem hominem cir-
cunciduntur, & qui in occulto Iudæi sunt spiritu non lit-
tera, laus & gloria non apud homines, sed apud deum est.
Qui verò ex operibus iustificãtur, quoniam palam sunt &
manifesta opera eorum, potest esse gloria eorum vel apud
sanctos quosque & iustos qui accipiunt à deo potestatem
de humanis operibus visibilibus iudicandi, vel etiam apud
angelos, cæterásque virtutum cœlestium potestates. qui v-
tique glorificare eum cuius opera probauerunt possunt.
Occulta verò cordis quoniam solius dei est noscere: ipse e-
nim præuidet quis in vnoquoque fidei habitat affectus, &
ideo qui ex fide iustificatur, apud solum deum habet glo-
riam qui occultorum & fidei solus inspector est: igitur A-
braham si ex operibus (inquit) iustificatus est, habet quidẽ
gloriam ex operibus venientem, sed non illam quæ apud
deum est: certum autẽ est Abrahã apud solum deum ha-
bere gloriam: consequens ergo est vt non ex operibus, sed
ex fide iustificatus sit. Non autẽ putes quod si quis habeat
talem fidem ex qua iustificatus habeat gloriam apud deũ,
possit simul cum ea habere & iniustitiam: Nulla enim pars
est fidei simul cum infidelitate, nulla iustitiæ cum iniqui-
C tate communio, sicut nec luci cum tenebris potest esse so-
cietas. Si enim qui credit quod Iesus est Christus, ex deo
natus est, & qui ex deo natus est, non peccat: manifestũ est
quia qui credit Iesu Christo non peccat: quod si peccat,
certum est quia nõ credit ei. Indicium igitur fidei veræ est
vbi non delinquitur, sicut econtra vbi delinquitur infide-
litatis indicium est. Propterea ergo & in alio loco scriptu-
ræ dicitur de Abraham, quod ex operibus fidei iustificatus
sit: quia certum est eum qui vere credit, opus fidei & iusti-
tiæ operari, & totius bonitatis, & capacem fieri vtriusque
gloriæ, tam eius quæ apud deum est in occulto, quã etiam
eius quæ palam est, & non solum apud deum est. His ita
pro viribus explanatis, etiam illud prætereundum minime
videtur, quod patrem nostrum secundũ carnẽ nominauit
Abraham. Gentiũ etenim pater Abraham secundũ fidẽ nõ
secũdũ carnẽ videtur. Nam ipsius quidẽ apostoli potest
& secundum carnẽ dici: ex genere enim Israelitico etiam
secundum carnem patrem nominat Abraham: cæteræ ve-
rò gentes in spiritu eum patrem, non in carne nominabũt:
nisi vtpote in locis ita angustis ad allegoricæ intelligen-
tiæ latitudinem conuertamur, vbi pater secũdum carnem
accipi potest is qui doctrinæ carnalis, id est legis, secundũ
literam prima elemẽta tradiderit, & magister in diuina le-

ge primæ institutionis extiterit. Quod autem magistri e- D
tiam patres appellentur, & apostolus Paulus dicit, quia in 1. Cor. 4.
Christo Iesu per euangelium ego vos genui. Sed & tu le-
gis, ex diuinis voluminibus ipse tibi testimonia in hoc as-
piciẽntia congregato. Additur in consequentibus: Credi-
dit Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiã. Hic ser-
mo ex libris Genesis sumitur, ex eo loco vbi non Abram,
sed Abraham dicit ad deum: quoniam non dedisti mihi
semen, hic vernaculus meus hæreditabit me. Et dixit do-
minus ad eum: Non erit hæres tuus iste, sed qui exierit de
te hic erit hæres tuus. Et eduxit (inquit) foras, & dixit ad Gen. 15.
eum: Respice ad cœlum & numera stellas si potueris dinu-
merare eas, & ait ad eum: Sic erit semen tuum, & credidit
deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Latius loca ipsa exẽ-
pli de libro Genesis repetiuimus, vt quæ iustificationis hu-
ius causa fuerit nosceremus. Vnde & acrius intẽdendũ est,
an ob hoc solum quod dandum sibi credidit filium, & ex
eo progeniem ad multitudinem siderum propagandã, di-
citur quia reputata est fides eius ad iustitiã: an pro hoc &
pro omnibus quæ iam ante crediderat. Neque enim putã-
dum quod absque fide fuerit illud vt exiret de terra sua, &
de cognatione patris sui, & veniret in terram quam ei de-
monstrauerat deus: vel illud cum separato à se Lot, dicit ad Gen. 14.
eum dominus: Aspice oculis tuis, & vide ex hoc loco in
quo stas, & intuere ad Septentrionem, & Meridianum, & E
ad Occidentem, atque ad Orientem, quia omnem terram
hanc quam vides tibi dabo eam, & semini tuo in æternũ.
Sed & illud quis dicat absque fide factum, quod veniẽs A-
braham habitauit apud quercum Mambre in Ebron, & æ-
dificauit ibi altare domino? Quomodo autem & illud nõ
erat fidei opus cum Melchisedec benedixit Abrahã & ait:
Benedictus Abraham deo excelso qui creauit cœlũ & ter-
ram, & benedictus deus excelsus, qui tradidit inimicos e-
ius in manibus eius? Ex quibus omnibus colligitur, quod
in his singulis fides quidem fuerit Abrahæ, sed ex parte. In
eo autem vbi dicitur, quia fides ei reputata est ad iustitiã,
fides perfecta declaratur. Sicut enim scientiam & prophe-
tiam ex parte dicit esse apostolus, & rursum dicit esse per-
fectam, in eo cum scribit: Ex parte scimus & ex parte pro- 1. Cor. 13.
phetamus, cum venerit autem quod perfectũ est, destruẽ-
tur ea q̃ ex parte sunt: ita & fidẽ possumus intelligere esse
aliquando ex parte, & aliquando perfectam. Vt autẽ quod
dicimus aliis adhuc scripturæ sanctæ testimoniis munia-
tur, audi in euangelio ad dominum dicẽtes apostolos: Do-
mine auge nobis fidem. Nõne per hæc euidenter osten-
dunt habere se quidem fidem, sed talem quæ egeat aug-
mento? Sed & ipse apostolus Paulus cum dicit: Si habeã 1. Cor. 13
omnem fidem, ita vt montes transferam, omnem eum di-
cit, ex partib⁹ totam docet esse compositam. Neque enim
omne potest nominari, vbi aut qualitatis, aut quantitatis F
diuersitas est. Videtur ergo etiam in præsenti loco cum fi-
des multæ Abrahæ præcesserint per singula quæque quæ
ex parte superius memorauimus, in hoc nunc vniuersa fi-
des eius esse collecta, & ita ei ad iustitiam reputata. Iam
sane considerabis, si vt de fide dictum est, quia reputatum
est ei ad iustitiam, ita & de aliis virtutibus dici possit, quia
(verbi gratia) misericordia vnicuique reputari potest ad
iustitiam, aut sapientia, aut scientia, aut mãsuetudo, & hu-
militas, vel certe si omni credenti fides ad iustitiam repu-
tetur. Sed ad scripturas redeo, non omnibus credentibus
inuenio quod fides ad iustitiam reputetur. Denique scri- Exod. 14.
ptum est de filiis Israel, quia crediderunt deo & famulo e-
ius Moysi, nec tamen additur quod de Abraham scriptum
est, quia reputatum est illis ad iustitiam: ob hoc arbitror,
quod non illis erat, sicut in Abraham docuimus, ex mul-
tis partibus fidei in vnum coaceruata perfectio, quæ me-
reretur ad iustitiam reputari. Quod autem dicit: Ei verò
qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam,
sed secundum debitum: credentis autem in eum qui iustifi-
cat impiũ, reputatur fides ad iustitiam: videtur ostendere,
quasi in fide quidem gratia sit iustificantis, in opere verò iu-
stitia tribuentis. Sed ego cum considero sermonis eminẽ-
tiam, quod dicit operanti secũdum debitum reddi, vix mi-

G hi suadeo quod possit vllum opus esse, quod ex debito remunerationē dei deposcat, cum etiā hoc ipsum quod agere aliquid possumus, vel cogitare, vel proloqui, ipsius dono & largitione faciamus, quod ergo erit debitū illius, cuius gratia nos præcessit? Et ideo videndum magis est, ne forte quod dixit: Ei autē qui operatur merces secundū debitum reputabitur, sinistri magis operis intelligendū sit debitum. Debita enim peccata dici in diuinis voluminibus frequēter inuenies, vt ipse dn̄s in oratione nos docuit dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. (*Matt. 6.*) Et iterum cū dicit ipse dominus: Cuidam patrifamiliās erant duo debitores, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta: & hoc de peccatis dici ipse interpretatus est. (*Mat. 7.*) Ne forte ergo & in hoc loco mercedem operis quę secundum debitum redditur, ad hūc sensum quem supra diximus: Apostolus traxerit, de his qui ita operantur sicut & Cain operatus est terram: & sicut alibi dicit: Discedite à me operarij iniquitatis: (*Rom. 6.*) quibus vtiq; qua si debita pœna pro mercede iniquitatis exoluitur. Vnde idē apostolus in alio loco: Stipēdia (inquit) peccati mors, Et non addidit vt similiter diceret: Stipendia autem iustitiæ vita æterna, sed ait: Gratia autem dei vita æterna: vt stipendium quod vtique debito & mercedi simile est, retributionem pœnæ esse doceret & mortis, vitam verò æter-H nam soli gratiæ consignaret. Secundum hunc sensum & illud quod in euangelio scribitur: (*Luc. 6.*) Qua mensura mēsi fueritis, eadem remetietur vobis, de iniustris operibus accipiendum puto. Neque enim gratiæ suæ mensuram statuit Deus, cum scriptum sit: Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Si ergo hæc putantur rectè discussa, consequenter vtique ea quæ cohærent videbuntur intelligenda: vt operanti quidem opera iniquitatis, merces secundum peccati debitum rependatur: credenti verò in eum qui iustificat impium, fides ad iustitiam reputetur: si quidem bene meminerimus superiora, in quibus ostendimus non ei qui ex parte, sed qui ex integro, & qui perfectè credit, fidem posse ad iustitiam reputari: quæ fides tanta est vt iustificet etiam eum qui impius fuerit, vt vltra iam non sit impius, sicut ille latro qui pendebat in cruce & blasphemabat, sed sit sicut ille qui confitebatur & dicebat: Domine Iesu memento mei cum veneris in regnum tuum. (*Luc. 23.*) Post hæc velut ad firmationem sermonis sui quem dixerat: Ei autem qui non operatur, credit autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides ad iustitiam assumit testimonium de psalmis, & dicit: Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui deus accepto fert iustitiam sine operibus: Beati quorū remissæ sunt iniquitates, & reliqua vsque ad peccatum: vi-I dens per hos sermones cōsequenter approbari posse quod reputetur homini iustitia sine operibus. Vnde mihi videtur hoc intellexisse apostol[9], quia impossibile sit in homine, cui iam per ætatem discernendi de bono & malo inest intellectus, neque iniustitiam inesse, neque iustitiam: quod si ita est, sine altero è duobus inueniri anima non potest: & cum esse desierit à malis, quod iam inueniatur in bonis: in malis autem nō est illa anima, cuius remissæ sunt iniquitates, & cuius tecta sunt peccata, & cui nō imputabit dominus peccatum, conueniens ergo vt sit in bonis. Competēter igitur ad remissionem iniquitatum & obtectionē peccatorum, & aliquid quod non imputat dominus peccatū, dicit apostolus quod homini iustitia reputetur, licet nondum opera iustitiæ egerit, sed pro eo tantum quod credidit eum, qui iustificat impium. Initium nanque, iustificari à deo, fides est quæ credit in iustificantem. Et hæc fides cum iustificata fuerit, tanquam radix imbre suscepto hæret in animæ solo, vt cum per legem dei excoli cœperit, surgant in ea rami qui fructus operum ferant. Non ergo ex operibus radix iustitiæ, sed ex radice iustitiæ fructus operum crescit, illa scilicet radice iustitiæ, qua deus accepto fert iustitiam sine operibus. Vnde propterea puto & Dauid trigesimo psalmo, quem superscripsit: Intellectus Dauid, dedisse istud initium, admonens per ipsam superscriptionem altiorem debere requiri intellectum in his quæ dicturus erat, quia beati quorum remittuntur iniquitates: de quibus prout potuimus diximus, cum de psalmis per ordinē dictaremus. Sed promouet nos ordinis ipsius dif- K ferentia, quod primo dixit, Beati quorum remissę sunt iniquitates: Secundo, Quorum tecta sunt peccata: Tertio, cui non imputabit dominus peccatum. Et vide si forte potest iste ordo in anima vna eademq; intelligi: vt quia initium est conuersionis animæ mala derelinquere, pro hoc iniquitatum remissionem mereatur accipere: cum autem cœperit bona facere, velut singula quæque quæ pręcesserunt mala bonis recentibus obtegens, & abundantiorem numerum bonorum introducens quàm prius fuerat malorum, tegere peccata dicatur: Vbi verò iam ad perfectum venerit, ita vt omnis de ea malitiæ radix penitus amputetur, eousque vt nullum in ea vestigium possit inueniri nequitiæ, vbi iam summa perfectæ beatitudinis promittatur, tum nullum possit dominus imputare peccatum. Iniquitas sane à peccato hanc habet differentiam, quod iniquitas in his dicitur, quæ contra legem committuntur: vnde & græcus sermo ἀνομίαν, appellat iniquitatem, hoc est quod committuntur: Peccatum verò etiam illud dici potest, si contra quam natura docet, & conscientia arguit, delinquatur

Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an etiam in pręputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiā. Quomodo ergo reputata est? In circū- L cisione, an in pręputio? Non in circumcisione, sed in pręputio: & signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ est in pręputio, vt sit pater omnium credentium per pręputium, vt reputetur & illis ad iustitiam, & sit pater circumcisionis non his tātum qui sunt ex circumcisione, sed & illis qui sectantur vestigia eius quæ est in præputio fidei patris nostri Abrahæ.] Cum dixisset superius, quia credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam: & huiuscemodi fides quid haberet beatitudinis ostēdisset ex his quę in trigesimoseptimo scripta sunt psalmo, quia ita credenti non reputaret dominus peccatum: proponit interrogationem ex cuius responsione doceatur, & ex ipsa temporum ratione, quod beatitudo iustificationis Abrahæ non in circumcisione, sed adhuc in pręputio posito data est. Quod si Abraham cum esset adhuc in pręputio ex fide iustificatus est, potest & omnis qui credit Deo iustificari per fidem, etiam si sit in pręputio, & pertinere etiam ad ipsum hæc beatitudo quę dicit: Beatus cui non imputauit dominus peccatum: Ostendit ergo quia non cuilibet dominus nō imputet peccatum, sed ei qui crediderit propter fidem suam peccata non reputet. Sicut enim Abrahæ reputata est fides ad iustitiam, ita & omni credēti cum fides ad iustitiam reputatur, peccata vtique non imputan- M tur: Neque enim de iustis dicit, quia reputetur eis fides ad iustitiam. Quod si ita putetur, quid videbitur gratiæ iusto reputari iustitiam ad iustitiam? Sed vtique illi dicit fidem reputatam esse ad iustitiam, qui antequam haberet hanc fidem, iustitiam non habebat: & iste vtique beat[9], cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus, & cui non imputatur peccatum, cui etiam remissæ sunt iniquitates, & obtecta si qua antea fuerant peccata. Simul autem & edocet nos diligentius intendere lectioni, cum tam vigilanter ea quæ scripta sunt de Abraham, quia reputata est ei fides ad iustitiam vult à nobis considerari etiam quando reputata sit: quo & temporis ratio in his quæ scripta sunt colligatur, vtrum ne in pręputio Abrahæ ista dicta sunt, an cum transiret iam ad circumcisionem, & ait: Quomodo ergo reputata est fides eius ad iustitiam? cum esset in circumcisione, an cum esset in pręputio? Si enim fuisset id temporis in circumcisione, videretur vtique à fidei huius gratia exclusum esse præputium. Nunc verò ostendit, quod in pręputio adhuc posito reputata est fides ad iustitiam, & ideo pronunciat, quia cum Abraham in pręputio positus per fidem iustificatus sit, hic dubio princeps & pater merito dicitur omnium credentium per pręputium. Quod verò post fidem quę fuit in pręputio accepit circūcisionem, consequenter causam qua circumcisio ei data fuerit, exponit. Vt esset (inquit) signaculū fidei eius quam

habuit

A habuit in præputio positus, vt per hoc pater fieret etiam eorum qui in circumcisione nascuntur: si tamen ad illam fidem pertineant quæ in præputio positum iustificauit Abraham. Efficitur ergo vtriusque generis pater, his qui sunt in præputio per fidem, & his qui sunt in circumcisione per carnem: & post circumcisionem generat primo Isaac, atque ab ipso auspicatur Ogdoadis initium, id est octaui diei in ipso consecrantur prima mysteria, & exinde incipit posteritas Abrahæ duplici currere sacramento. Sicut enim fides natura sui aliud esse intelligitur, & aliud iustitia quæ ei per fidem reputata est: ita & alia eius esse in præputio, alia in circumcisione posteritas. Nam eos qui incircumcisi sunt, ipsos esse lapides puto de quibus posse dicitur deus suscitare filios Abrahæ, in quibus & illud completur quod scriptum est: Quia benedicentur in te omnes tribus terræ. Sed repetamus adhuc quod dicit: Et signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei quæ est in præputio: ac profundam in his Pauli sapientiam contemplemur. Fortassis enim aliquibus eundem sermonem secundo dicere videatur, id est signaculum. Sed mihi vterque sermo multam inter se videtur habere differentiam. Signum

Matt.16. nanque dicitur, cum per hoc quod videtur aliud aliquid indicatur: sicut cum verbi gratia dicit dominus in euangelio: Generatio hæc signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ven-

B tre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ita & filium hominis oportet esse in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Hoc est ergo signum vbi Ionas videbatur, & Christus intelligebatur. Similiter & de ipso domino in euangelio dicitur: Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur. Contradicebatur enim signo in quo Christus venerat, quia aliud in eo videbatur, & aliud intelligebatur. Caro cernebatur, & deus credebatur. Sic ergo accepit & Abraham signum: & quod esset signum in consequentibus dicit: Circumcisionem, inquit: quæ circumcisio esset signaculum iustitiæ fidei quam habuit antequàm circuncideretur. Bene ergo circumcisionem signum appellauit in Abraham, quia & ipsa aliud videbatur & aliud intelligebatur: & ostendit quia iam tunc carnalis illa circumcisio signum erat spiritalis circumcisionis, quæ non in carne suscipitur, sed in corde. Quod verò dixit signaculum, ita intelligi puto. Signaculum dicitur cum alicui rei seruandæ pro tempore custodia imponitur, quod nemo alius nisi ipse qui impressit debeat resignare. Per istud ergo signaculum, vt exponit apostolus, iustitia fidei quam in præputio positus Abrahã accipere meruit, indicatur, & patet esse multarum gentium: quod tunc credimus resignandũ cum plenitudo gen-

C tium introierit, & omnis Israel saluabitur. Tunc enim fiet quod dicit apostolus, non solum gentium, sed etiam circumcisionis per fidem pater Abraham. Et adhuc apertius de signo & signaculo disseramus. Cum signum sit sicut diximus vbi indicatur aliquid per hoc quod videtur, signaculum verò vbi concluditur pro tempore aliquid & non patet, potest etiam ita intelligi, quod mysteria quæ in patriarchis & lege adumbrantur, huiusmodi erant quæ & signis indicanda essent, & signaculis obseruanda. Quod ergo signis indicanda erant his qui credebant ex gentibus, signum cepisse dicitur Abraham: quod verò his qui in circumcisione non erant credituri, obseruanda erant & obtegenda, signaculum dicitur accepisse. Quod signaculum illo vtique in tempore resignabitur, cum in nouissimis diebus postquam plenitudo (vt diximus) gentium introierit, omnis Israel saluus fiet. Idcirco denique ante Abrahã iustificatus in fide dum adhuc esset incircumcisus, & postea circumciditur, vt ostenderetur primo pater futurus multarum gentium, & postea eorum qui ex circumcisione credituri sunt. Neque enim hi qui secundum carnem nascuntur ex Abraham, filij Abraham dicendi sunt, nisi fidem & opera habeant Abrahæ. Inde denique & dominus in euangelio dicit ad Iudæos, qui se iactabant filios esse

Ioan.8. Abrahæ: Si filij Abrahæ essetis, opera vtique Abrahæ faceretis. Vis autem ex veteri scriptura perdoceri quod

filius quis dicitur non tantum eius de cuius carnali se- D
mine descendit, sed eius cuius actus imitatur & opera, audi Danielem quid dicat ad vnum ex illis senioribus quos arguit adulterij. Semen (inquit) Chanaan & non Iuda species seduxit te, & concupiscentia euertit cor Dan.13.
tuum. Vides eum qui carnaliter de genere Iuda descenderat, negari filium esse Iuda, sed Chanaan, eius scilicet cuius actus & opera sequabatur. Ita ergo & hi qui de Abrahæ semine secundum carnem genus ducunt, non dicuntur filij Abrahæ, si eius non habent fidem. Sic denique & propheta dicit ad eos. Pater tuus Amorrheus, & mater Ezech.16.
tua Cethea. Quibus vtique non eos necessitudo generis, sed morum similitudo iungebat. Vt esset ergo (inquit) pater omnium credentium per præputium, vt reputetur illi ad iustitiam, & pater circumcisionis non his tantum qui sunt ex circumcisione, sed & illis qui sequuntur vestigia eius quæ est in præputio fidei patris nostri Abrahæ. In quo euidenter ex vtroque populo (sicut superius diximus) pronunciat non carnis originem, sed nobilitatem fidei requirendam. De circumcisionis autem sacramento latius iam in superioribus diximus, sed & in aliis pluribus locis quæ pro re & pro tempore occurrere visa sunt ea posuimus. Sed diligentem lectorem, quem iota vnum aut apex de lege non præterierit, ne illud quidem latere debet: quia hoc quod apostolus dixit: Reputata est Abrahæ fides eius ad iustitiam, illo tempore cum de eo scriptum est, quia credi- E
dit deo & reputatum sit ei ad iustitiam, nondum Abraham vocabatur, sed Abram erat nomen eius: Adhuc enim incircumcisus manebat, vt interpretatur apostolus. De quo aliquibus forte videbitur error in exemplaribus haberi, quod facile Abraham pro Abram scribi potuerit. Sed quia hæc existimatio potius incerta est quàm firma approbatio, nos compendiosius respondeamus, quod obseruans apostolus sententiam dei qua dixit: Iam non Abram, sed Abrahã erit nomen tuum, appellauit nunc eum non vt in Gen.17.
loco Genesis scriptum est, sed vt de eo pronunciauerat deus. Quod enim diuinitus sancitur, obseruari in posterum conuenit. Hæc prout potuimus in locis tam arduis, & tam difficilibus probata si quis forte animi nostri studium consideret, amplecti poterit. Si verò infirmitatem sensus nostri notare velit, veniam petimus, & ei qui melius de his disserere vel explanare potuerit, libenter cedimus. Nos verò ad ea quæ sequuntur segni licet gressu conuertimus pedem. Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini eius vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei.] Hoc in loco mihi videtur de lege Moysi apostolus disputare, & asserere quod promissio quæ facta est ad Abraham vt hæreditatem mundi, id est terræ totius acciperet ipse vel semen eius, nõ F
ex Moysi lege constaret. Ante enim quàm Moyses legislator existeret, visus est (inquit) dominus Abrahæ, & dixit ad eum. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam tibi ostendero, & faciam Gen.12.
te in gentem magnam, & benedicam te, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus: & benedicam benedicentes te, & maledicam maledicentes te, & benedicentur in te omnes tribus terræ. Quod ergo dicit. Benedicentur in te omnes tribus terræ, hoc est hæredem factum esse totius mũdi. Quæ vtique promissio ad Abraham antea facta est, quàm per Moysen de legis obseruantia mandaretur. Sic ergo non est ex lege promissio Abrahæ neque semini eius vt hæres sit mundi, sed per iustitiam fidei. Et est ista iustitia fidei, de qua in superioribus dixit (vt sæpe iam diximus) quia credidit Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Nec immerito: legis enim obseruantia pœnam tantummodo effugit, fidei verò meritum spem repromissionis expectat & præceptum seruis ponitur, fides quæritur ab amicis. Sed & si secundum ea quæ in superioribus disseruimus, de lege naturali Paulus hoc dicere intelligatur, non erit contrarium rationibus superius redditis. Quamuis enim lex naturæ de bono & malo testimonium reddat secundum iudicium conscientiæ, tamen legi fidei non potest adæquari, quia deo credidit Abrahã, & iustificari meruit, atque amicus dei appellari. Si enim qui ex lege, hæredes

G sunt, exinanita est fides, abolita est promissio: lex enim irã operatur. Vbi autem non est lex, nec præuaricatio.] Si inquit non ex lege promissio data est Abrahæ vt hæres esset mundi, sed per fidem quæ ei ad iustitiam reputata est, consequens sine dubio erit, vt omnes qui sperant sibi à deo iustitiam reputandam, non per legem, sed per fidem sperent. Et vt hoc euidentius ostenderet addidit. Si (inquit) hi qui ex lege sunt, ipsi hæredes erunt repromissionis illius quam per fidem meruit Abraham, euacuabitur illud quod ea fide iustificatus est Abraham: cum vtique si ex lege futura esset hæreditas, oportuerit & Abraham legem prius implere, & ita hæreditatem iustitiæ promereri. Et vt ostendat nullo modo hoc ita fieri potuisse, dicit quod lex iram operatur. Vbi autem ira est, hæreditas non est, & addidit. Vbi autem non est lex, nec præuaricatio. Sed repetamus paululum, & videamus de qua lege ista dicantur. In superioribus quidem vbi dicit: Si enim qui ex lege hi hæredes sunt, exinanita est fides, & euacuata est promissio, potest & ad Moysi legem, & ad naturalem referri. Certum est enim quod si ex lege Moysi præstatur hæreditas, vt euacuetur illud quod scribitur, Abraham fidei credulitate meruisse: & rursum si ad naturalem legem conuertatur intelligẽtia hæc, dici potest, si sufficere potuisset lex naturalis ad fidem, superfluum videretur quod dictum est ad Abraham: Exi de terra tua,
H & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam ostendero tibi, vt quid enim exiret de terra sua, & de domo sua, si ei lex sufficeret naturalis, quam vtique & in terra sua positus habere & custodire potuisset? Sed nunc velut illa minus sufficiente iubetur legem fidei sequi, quasi nec hæres esse mundi ipse vel semen eius, nec amicus dei poterat appellari. Sic ergo potest ab vtraque lege subtractum, ad solam fidei legem respicere quod dicit: Si enim qui ex lege, sunt hæredes, exinanita est fides, & euacuata est promissio. Iam verò in hoc loco vbi dicit, Lex enim irã operatur, diligentius intuendum est, ad quam legem respicere videatur hic sermo: sed & illud quod sequitur, Vbi enim nõ est lex nec præuaricatio. Sed priusquã à nobis plenior explanatio requiratur, ad illa breuiter respondeamus, quæ de hoc loco Hæretici nobis solent obtendere. Aiunt enim: Ecce quomodo apostolus dicit quia lex Moysi iram operatur, vbi verò lex illa non fuerit ibi nec præuaricatio erit. Requiramus ergo ab eis, Si vbi lex est, & præuaricatio erit transgressæ legis: ergo vbi & fides est, transgressæ fidei præuaricatio erit. Si enim præuaricator efficitur qui declinat à fide, & si præuaricationi illi quę in lege est, lex ipsa in causa est: etiam præuaricationi huic quę in fide est, fides in causa esse creditur. Si verò absurdum est dicere quia fides in causa est vt quis præuaricetur à fide, & si non accessisset
I ad fidem præuaricator fidei non fuisset: ita absurdum erit præuaricationem legis ex eo accipere, quod susceperit quis obseruantiam legis. Sed & illud addemus, quid dicent nobis de his qui ante legem Moysi in præuaricatione facti sunt? Si enim nullus ante Moysen præuaricator extitit, nemo condemnatus est, nemo punitus, quid dicent de Sodomitis? quid de his qui in diluuio condemnati sunt? quid de
1.Tim.2. Cain? quid de ipso Adam? quid de Eua respondebunt? de qua apostolus dicit, Mulier autem seducta in præuaricatione facta est. Si sine lege Moysi non est præuaricatio, vnde Adam, vnde Eua, præuaricatores ab apostolo nominãtur? Verum vt etiam in superioribus sæpe iam diximus, diuersas in hac epistola leges apostolus introducit, & nunc de lege Moysi loquitur, nunc legem fidei nominat, sicut cum dicit: Vbi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Operum? Non, sed per legem fidei. Inducit præterea & alias leges, de quibus dicit: Condelector enim legi dei secũ-
Rom.7. dum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuũ me ducentem in lege peccati: & ita de vna ad alteram legem transit, vt nisi lector vigilans & intentus sit, deprehẽdere eum & sequi via possit. Videndum est ergo ne forte illa lex quæ est in membris meis, & captiuos nos ducit in legem peccati, ipsa sit lex quam apostolus iram dicit operari. Operatur enim sine dubio iram ei, quem captiuum duxerit in lege peccati. Vbi autem lex ista non fuerit, cer- K
tum est quod ibi nec præuaricatio erit. Qui verò sub ista lege fuerint, consequenter nec hæredes erunt. Quod si de lege Moysi commemorari quis velit, & dicere quia iram operatur, pro eo fortassis solo hoc poterit affirmare quod peccantem iose aut lapidari continuo, aut cremari ignibus iubet, vel si quod aliud peccantibus decernitur in lege supplicium: vt pœna ipsa quæ peccanti infertur ex lege, ira nunc ab apostolo nominata esse videatur. Similiter & de præuaricatione, vt non omnem præuaricationem generaliter in hoc loco astruat appellatã, sed eius qui in lege positus deliquerit: vt grauius delictum videatur eius qui per legem prohibetur & peccat, quàm eius qui nulla fuerit lege commonitus. Sed & illud videndum est, quod non dixit apostolus quod vbi lex fuerit ibi & præuaricatio, sed ait: Vbi autem non est lex, nec præuaricatio. In quo ostendit quod præuaricatio quidem esse omnino non possit, nisi lex fuerit, non tamen si lex sit, omni genere etiam præuaricatio erit. Potest enim fieri vt sit lex, & præuaricatio non sit: non potest tamen fieri vt præuaricatio sit, vbi lex non est. Non & si Moysi legem ponamus continuo omnes qui sub Moysi lege vixerunt in præuaricatione facti sunt. Alioquin simul & prophetas, & omnes iustos videmur inuoluere. Nisi forte dicat aliquis iustos & omnes & prophetas non tam sub lege quàm sub fi- L
de vixisse: Peccatores verò & iniustos legis vinculis fuisse constrictos, sicut & apostolus dicit, Quia iusto lex non est 1.Tim.1.
posita, sed iniustis & non subditis, impijs & peccatoribus, sceleſtis & profanis, patricidis & matricidis, homicidis, fornicatoribus, masculorum concubitoribus, plagiatoribus, mendacibus, periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur. Quod si talibus lex posita est, non tibi multo meliores illi videbuntur de quibus dicitur: Cum enim gẽtes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, huiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptũ in cordibus suis, testimonium reddente eis conscientia. Et statuamus ante oculos si videtur duos aliquos (verbi gratia) qui cum masculis non petierint concubitum muliebrem, vnum ex his præcepto legis prohibitum, cuius si metum nõ habuisset fortasse fecisset: & alium qui propriæ mentis iudicio huiuscemodi contagionem ne cogitationes quidem suas adire permiserit: nónne multo illum præferas qui nulla legis interminatione deterritus, immunem se à flagitij cõtaminatione seruauit? Similiter etiam de cęteris peccatis si habeatur examen. Et ideo siue Moysi lex intelligatur, siue etiam quę in nostris membris est, & iram operatur, non possunt qui ex M
ipsa sunt hęredes esse, sed illi qui sunt ex lege fidei: fidei autem illius, ex qua iustificatus est Abraham. Sed fortasse requirat aliquis, quomodo nõ & qui sub lege Moysi est, sub lege fidei esse videatur, cum scriptũ sit in Exodo: Credidit Exod.14.
autem populus deo & Moysi famulo eius: & iterum in e- Ioan.5.
uangelio dominus dicat: Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi: de me enim ille scripsit. Videbitur enim sicut de se dixit, quia qui credit in me, credit & in eum qui misit me: ita & de Moyse dicere, quod si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi. Ad quod respondebimus, quia illud quod dictũ est in deserto: Credidit populus deo, & Moysi famulo eius, narratio est, qua ostenditur quod ministerio Moysi quo signa & mirabilia ministrauit, populus credidit deo. In hoc verò vbi dicit: Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi, arguit infidelitatem eorũ qui dum ipsi non credũt, ostendunt se nec Moysi literis credere in quibus de aduentu Christi prophetali sermone comprehensum est.
Vbi verò dicit: Qui credit in eum qui misit me, spẽ creden- Ioan.12.
tium eleuat vsque ad deum patrem, vt sicut qui videt filiũ vidisse se sciat & patrẽ, ita cum credit filio, credidisse sciat & patri. Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est tantum, sed & ei qui ex fide est Abrahæ: qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est, quia patrem multarum gentium posui te: ante deum qui credidit, qui viuificat mortuos, & vocat ea quę non sunt, tanquam ea quę sunt.] In superioribus

A In superiorib⁹ distinctionem dedit mercedis & gratiæ, di-
cês mercedem rem debiti esse, gratiam autem nullius esse
debiti, sed beneuolentiæ beneficium. Et in præsenti ergo
loco ostendere volens deum hæreditatem promissionum
non ex debito, sed per gratiam dare, dicit quia hæreditas
à deo his qui credut non ea mercedis debito, sed fidei mu-
nere concedatur. Sicut enim (vt exempli causa dixerim)
hoc quod subsistamus non potest intelligi, quia ex operis
nostri mercede subsistamus, sed euidenter dei munus est
quod sumus, & gratia conditoris, qui esse nos voluit: ita
& si hæreditatem promissionum dei capiamus, diuinæ
gratię est, non alicuius debiti aut operis merces. Quod
si forte videatur hoc ipsum quod dicitur ex fide, non
esse gratis, quippe si offerenda sit fides prius ab homine,
& ita à deo gratia promerenda: audi quomodo in aliis
etiam de hoc idem Apostolus docet. Etenim vbi e-
numerat dona spiritus, quæ dicit secundum mensuram fi-
dei credentibus dari, ibi inter cætera etiam donū fidei asse-
rit per spiritum sanctū tribui. Post multa nanque ita etiam
de hoc dicit: Alij fides in eodem spiritu: vt ostendat quod
Cor.12. etiam fides per gratiam datur. Sed & alibi idem Apostolus
docet dicens, quia à deo vobis datum est non solum vt cre
datis in Christum, sed etiam vt patiamini pro illo. Inuenis
B hoc designari & in Euangeliis, vbi Apostoli intelligentes
quod ea quæ ex homine est fides, esse non potest perfecta,
Luc.17. ni addita fuerit etiam ea quæ ex deo est, dicunt ad Saluato-
rem: Auge nobis fidem. Ex quibus omnibus apertissime
cōprobatur quod hic dicit Apostolus: Ideo ex fide, vt se-
cundum gratiam firma sit promissio: quia etiam fides ipsa
qua credere videmur deo, dono in nobis gratię confirma-
tur. Hæc autem est gratia quam inuenire sicut thesaurum
Gen.6. magnum meretur si quis beatus est. Hanc inuenit Noe, &
Exod.33. ideo scriptum est de eo: Noe autem inuenit gratiam in cō-
spectu domini dei. Hanc inuenerat gratiam & Moyses, &
ideo dicebat ad deum: Si inueni gratiam in cōspectu tuo.
Inuenimus tamen aliquos sanctorum, non solum in con-
Gen.40. spectu domini dei inuenisse gratiam, sed etiam in conspe-
ctu hominum. Denique de beato Ioseph scriptum est: Et
inuenit Ioseph gratiam in conspectu domini sui. Sed ista
gratia quæ in conspectu hominum inuenitur, deo largiēte
conceditur. Sic enim scriptum est de eodem Ioseph, Et erat
dñs cum Ioseph, & infudit super eum misericordiā, & de-
dit illi gratiam in conspectu principis carceris. Amplius
Ester.2. adhuc aliquid de huiusmodi gratia in diuinis literis memo
ratur de beata Hester. Sic enim ait: quia erat Hester inue-
niens gratiam apud omnes qui videbāt eā. Paulo post di-
cit scriptura: Inuenit gratiam Hester super omnes cæteras
virgines, & imposuit ei rex diadema muliebre. Hoc autem
non arbitror importune & de scripturis sanctis requisiui-
mus ad confirmationem apostolici dicti, in quo de fide &
gratia disputat. Ait ergo: Ideo ea fide, vt secundum gratiam
C firma sit promissio. Sed & hoc notādum est quod ait: Ideo
ea fide, vt secundū gratiā firma sit promissio, quasi osten-
dere volens quod si ex lege esset, & non ea gratia promis-
sio, firma non esset, nunc autē idcirco firma sit, quia nō ea
lege, sed per gratiā. In quo ego puto q tale aliquid intelli-
gi velit, quia quæ ea lege sunt, extra nos sunt: quæ autē per
gratiā, intra nos habentur. Verbi causa, quæ in lege scripta
sunt, calamo & attramēto in membranis vel chartulis scri
pta sunt: quæ autē ex gratia descendunt, per spiritū dei in
2.Cor.3. corde nostro descripta sunt, sicut idē ipse Apostolus mini-
ster huius gratiæ in aliis designat, & dicit: Epistola nostra
vos estis, inscripta non attramento sed spiritu dei viui, non
in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Ideo vt
mihi videtur firmiora dicit ea quæ per gratiā, quā ea quæ
ea lege sunt: quia illa extra nos sunt, & hæc intra nos: & il-
la in fragili materia cōsistunt, ita vt facile possint exolesce-
re: hæc verò dei spiritu inscripta, & in animæ penetralibus
impressa, firmitatē perpetuitatis obtinēt. Talibus ergo li-
teris promissionis inscribitur anima quæ fidem suam deo
velut ceris obtulerit præparatis, vt in his dei gratia dignā-
ter possit inscribi. & ideo huiusmodi fides reputatur ad iu-
stitiam, quæ capax gratię cœlestis extiterit. Hoc autē cō-
tingit semini Abrahæ, non ei tantum quod ex lege est, sed D
ei quod ex fide est. Multo enim Abrahę nobilior ex fide est
quam ea carne successio, quia non ex carne, sed ea fide iu-
stificatus esse memoratur. Si enim non ea fide, sed ea semi-
ne danda successio est, conueniens erit & Ismaelis poste-
ritatem, & eos qui ea Cethura descendunt, ad promissio-
num sacramenta perduci. Quod vtique non recipitur,
sed sola legis ac fidei posteritas introducitur. Verum non
nos prætereat Apostoli in hoc loco nutabunda quędam &
ambigue prolata locutio. Quod enim dixit: Vt firma sit
promissio omni semini, non ei quod ex lege tantum, sed
& ei quod ex fide est: si ita intelligatur quasi aliud ea lege
semen & aliud ex fide dixerit, vt tanquam ab vtroque se-
mine promissio debeat expectari, inuenitur cōtraria dice-
re his quæ superius scripsit, cū ait: Nō enim hi qui ea lege,
hæredes sunt. Item alibi, arbitramur enim iustificari homi-
nem per fidem sine operibus legis. Et rursum. Si enim qui Rom.3.
ea lege hæredes sunt, euacuata est fides. Etenim si ea fide Ibid.
iustificatur homo sine operibus legis, & hęredes non fue-
rint hi qui ex lege sunt: quomodo non contrarium vide-
bitur quod in hoc loco dicit firmam esse promissionē per
gratiā, non ei tantū semini quod ex lege est sed & ei q ea
fide est? Et cū in superioribus eos qui ex lege sunt repulisse
videatur, hic eos quomodo exæquat his quos ex fide spe
rare gratiam dicit? Sed mihi videtur quod dicit: Omni se- E
mini, non ei quod ex lege est tantum, sed & ei quod ex fide
est: legem hic (sicut sæpe iam diximus) indicare naturalem
& hoc asserere, quod non his qui ex lege naturali solū ve-
niunt, firma sit promissio, sed & his qui ex fide legi addi-
derint naturali eam fidem quam habuit Abrahā pater no-
ster: vt non duos populos, vnum ex fide, & alium ea lege
indicare videatur, sed vnum atque eundem qui non solum
ex lege naturali qua omnes homines vtuntur, sed ex fide,
cuius Abraham auctor extitit, placeat deo. Quo scilicet o-
stendat, quod si quis habeat integra omnia quę lex edocet
naturalis, & in nullo eum peccati conscientia reprehēdat,
non tamen habeat etiam fidei gratiam, non posse eum iu-
stificari. Fides enim est, quæ ad iustitiam reputatur. Et hoc
modo habita distinctio reddit intelligentiam planiorem:
atque ea quæ contraria putantur, consona esse & sibi inui-
cem concordantia deprehendentur. De diuersitate autem
legum, quod in hac præcipue epistola Apostolus sæpe etiā
latenter & subito ab alia ad aliam legem sermonis ordinē
mutet, frequenter ostendimus, & eadem iterare superfluū
est. Bene autem non de Abraham dixit pater omnium, sed
ait pater omnium vestrum: id est non qui ex lege descen-
dimus, sed qui ea fide à lege succedimus. Et quia omnium
qui huiusmodi sunt pater est, merito promissionis diuinæ
sententiam in consequentibus posuit dicens: Sicut scriptū
est, quia patrem multarum gentium posui te, ante eum cui F
credidit deum. Si ergo pater futurus esse promittitur mul-
tarum gentium, non immerito pater & eorum qui ea gē-
tibus, & eorum qui ex circumcisione veniunt, nomina-
tur. Et rectè addidit ex sua interpretatione Apostolus, An-
te eum cui credidit deum: hoc est pater positus est multa-
rum gentium ante ipsum deum cui credidit, cuius promis
siones, & à quo signaculum fidei in circūcisione suscepit.
Quomodo ergo circumcisio patrem sibi proprie defēdit,
cum ipse deus qui eam circumcisionem dedit, multarum
eum gentium posuerit patrem? Quod si aliquis hoc ad Is-
maelis posteritatem voluerit & Cethuræ conuertere, oc-
currit ei quod scriptū est, quia benedicētur in te omnes tri-
bus terræ. Hoc etiam in Euangelio Baptista dicebat, quia
potens est deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.
Addidit autem in subsequentibus: Qui viuificat mortuos, Mat.3.
& vocat ea quæ non sunt, tāquā ea quæ sunt. Mortuos hic
secundū animæ peccatū intelligimus, quoniam anima, in-
quit, quæ peccat, morietur. Sicut enim in morte corporali
pereūt sensus, & nec quis vltra corp⁹, neq; auditū, neq; o-
doratū, aut gustū recipit, vel tactū: ita & qui spiritales sen-
sus in anima perdiderit, vt non videat deū, neq; audiat ver-
bum dei, neq; suauē odorē capiat Christi, neq; gustet bo-
nū dei verbū, neque manus eius pertractēt de verbo vitę,

G huiuſmodi homiues merito mortui appellãtur. Tales inuenit nos aduentus Chriſti, ſed viuificauit per gratiam ſuam, ſicut & alibi dicit idem Apoſtolus: Et nos cum mortui eſſemus delictis & peccatis noſtris, ſimul cum illo reſuſcitauit nos. *Eph.2.* Vis autem tibi & de ſcripturis propheticis approbari quod omnes qui idola colunt, & cõfidunt in eis, mortui ſunt? *Pſal.113* Audi Dauid quomodo dicit: Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient. Et poſt aliquanta. Similes, inquit, fiant eis qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Vides mortuos eſſe, & ſimiles ſimulacris effectos eos qui colunt ea, & qui confidunt in eis. Vnde diligẽtius intueamur ſi forte ſicut hi qui colunt idola & confidunt in eis, ſimiles eis fieri dicuntur: ita & hi qui verum deum colunt, & confidunt in eo, ſimiles ei fiant. Et hoc eſt fortaſſis, quod in initiis homo cum propoſitum fuiſſet vt ad imaginem & ſimilitudinem dei fieret, ad imaginem quidem factus eſt, ſimilitudo autẽ dilata eſt ob hoc vt prius confideret in deo, & ita fieret ſimilis ei, & ipſe audiret quia ſimilis ei fiet omnis qui confidit in eo. Hæc per exceſſum quendam ſociauimus his quæ de mortis genere diſſeruimus, vt manifeſtius fieret, quibus modis deus viuificat mortuos. Sed & quod in conſequentibus dicit: Et vocat quæ non ſunt, tan-
H quam ea quæ ſunt quomodo intelligi debeat, videamus. Frequenter & in aliis expoſuimus, quod deus ſolus eſt qui dicit: Ego ſum qui ſum: & vna eſt illa dei ſubſtantia quæ ſemper eſt: cui ſi quis ſe adiunxerit, vnus fit cum eo ſpiritus, & per illum qui ſemper eſt, etiam ipſe dicitur. Qui verò longe eſt ab eo, nec participium eius ſumit, nec eſſe quidem dicitur, ſicut eramus nos gentes priuſquam ad agnitionem veritatis diuinæ veniremus: & ideo dicitur deus vocare ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Inter eos enim qui ſunt, id eſt qui participationem habent eius qui eſt, Abraham, & Iſaac, & Iacob, & cæteri ſancti numerantur. Quod ſi gentes credendo in fidem veniunt Abrahę, cõſequenter pronunciat Apoſtolus quod deus vocauerit ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Poteſt tamen etiam illud aduerti, vt in hoc loco erga laudes dei Apoſtolus latius videatur effuſus, & initium primæ eius creaturæ cum admiratione memoraſſe, cum ex nihilo eſſe fecit vniuerſa, & ea quæ non erant, virtute potentiæ ſuæ tanquam quæ eſſent & ſubſiſterent euocauit: & ita ei in creando nihil fuiſſe difficile, vt cum nihil exiſterent, & omnia ſubito vocata ita fuiſſe tanquam quæ ſemper extiterint. *1.Cor.1.* Quod ſi quis nobis obiiciat illum Apoſtoli ſermonem, quem ad Corinthios ſcribit vbi dicit, quia contemptibilia mundi
I elegit deus quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtruantur, vt non glorietur omnis caro coram deo: & dicat ſecundum hanc expoſitionem non conuenire vt deſtrui dicantur quę ſunt, cum ea quæ non ſunt, vocata ſunt: dicemus ad hæc, quia in illo loco alios dixit eos qui ſunt, & alios in hoc capite in epiſtola ad Romanos. Declarauit enim ad Corinthios quia de his diceret quos ſupra enumerauerat. Dixit enim ſuperius: Videte enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes inter vos ſecundum carnem, nõ multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit deus vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit deus vt confundat fortia. Sicut ergo ſtulta mundi elegiſſe dicit deum, hoc eſt gentes, vt confunderet ſapientes ſine dubio Iudæos, & infirma mundi vt confundat fortia: eodem ordine in hoc loco dicit & de his quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtruat: & non eſſe gentes, eſſe autem Iudæos oſtendit, id eſt qui in lege erant, ſed legem non implebant, vt deſtruerentur, & iudicarentur illi qui non erant in lege, & Abrahæ fidei credulitatis merito iungerentur. Quod autem dixit: Vt confundat ſapientes, non quod vere ſapiẽtes eſſent, alioqui nunquam confunderet deus eos qui ſecũdum dei ſapientiam ſapientes ſunt: ſed illos dicit qui ſe putant eſſe ſapientes & non ſunt, ſicut & alibi dicit: Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſeculi? Nonne ſtultam fecit deus ſapientiam huius mundi? Huius mundi ergo penuriã ſenſus, ſed ſecundum illud quod dictum eſt: Qui volt ſapiens eſſe: ſtultus fiat in hoc mundo vt ſit ſapiens apud K deum: quia ſapientia huius mundi ſtultitia eſt apud deum. Qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarũ gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuũ ſicut ſtellæ cœli, & arena maris: & non infirmatus eſt à fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cum ferè cẽtum eſſet annorum, & emortuam vuluam Sarræ: in repromiſſione etiam dei non hæſitauit diffidentia: ſed confortatus eſt à fide, dans gloriam deo, & pleniſſime ſciens quia quæcunque promiſit deus potens eſt & facere. Ideo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.]

Videtur mihi quod dixit Apoſtolus contra ſpem, aſpexiſſe quod & in Geneſi refertur Abraham dixiſſe ad dominum, *Gen.15.* Dominator domine quid mihi dabis? Ego autem dimittor ſine filiis: hic autem filius manet vernaculæ meæ Damaſcus Eliezer: & addidit Abram: quoniam mihi non dediſti ſemen, hic vernaculus meus, hæres meus erit. Ex quibus vtique verbis Abraham de filiis ſuſcipiendis intelligitur deſperaſſe. Quod verò dixit: In ſpem credidit, datam rurſus ei ſpem opinor inde collegit vbi ſcriptum eſt: Et vox domini facta eſt ad eum dicens: non eſt hic hæres tuus, ſed qui exierit de te, ipſe erit hęres tuus. Eduxit autem eum foras & dixit illi: Reſpice ad cœlum, & numera ſtellas ſi poteris dinumerare eas: & ait ad eum: Sic erit ſemen tuum. Et credidit deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Ex L his ergo verbis deſperatio prius & poſtmodum data ei ſpes de promiſſionibus declaratur. Cui quia credidit, ſcribitur de eo hoc quod nunc proponit Apoſtolus, quia reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Merito autem & more ſibi ſolito vbi de fide tractat Apoſtolus, coniungit & ſpem, ſciens fidei ſpem inſeparabiliter cohærere, ſicut & in epiſtola ad Hebræos idem docet dicens: *Heb.11.* Eſt autem fides ſperandarum rerum ſubſtantia, indicium non apparentium. Et iterum *Rom.8.* in hac eadem ad Romanos epiſtola in poſterioribus dicit: Spe autem ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur non eſt ſpes. Quod enim videt quis quid ſperat? Si verò quod non videmus ſperamus, per patiẽtiam expectamus. Quod ſi ſpe ſalui facti ſumus, hoc idem eſt quod alibi dicit, quia per fidem ſaluati ſumus, &, Fides tua te ſaluam fecit, &, Secundum fidem tuam contingat tibi. *Mat.9.* Quæ vtique illis dicuntur qui credentes in Ieſu ſpem geſſerunt ab eo ſe poſſe curari: Sicut autem Abraham contra ſpem in ſpẽ credidit, ita omnes qui per fidem filij ſunt Abraham contra ſpem in ſpẽ credunt de ſingulis quibuſque quæ credunt, ſiue de reſurrectione mortuorũ, ſiue de hæreditate regni cœlorũ. Hæc enim quantum ad naturam humanam ſpectat, contra ſpem videntur: quantum autem ad potentiam dei, in ſpe credunturt: exemplo Abraham credentis quia quæcun- M que promiſit deus, potẽs eſt & facere: ſi tamen his qui credunt maneat fides, ſpes & charitas. Et puto quod prima ſalutis initia, & ipſa fundamenta fides eſt: Profectus verò & augmenta ædificij ſpes eſt: perfectio autem & culmen totius operis charitas: & ideo maior omnium dicitur charitas. Igitur Abraham contra ſpem in ſpẽ credidit, vt pater fieret multarum gentium quæ futuræ eſſent ſicut ſtellæ cœli, non ſolum multitudine, ſed & claritate. Cuique promittenti fideliter credens, non, inquit, infirmatus eſt fide. Quod dicit, non infirmatus eſt fide, oſtendere mihi videtur eſſe quandam infirmitatem in fide. Quod ſi eſt infirmitas, eſt ſine dubio & ſanitas, ſicut & in aliis oſtendit, cum dicit: Increpa illos acriter, vt ſani ſint in fide. *ad Tit.1.* Beatus ergo eſt qui non infirmatur in fide: Si verò quis infirmetur, curam eius deſcribit Apoſtolus cum dicit: *Rom.14.* infirmantem autem in fide aſſumite non in diſceptionibus cogitationum. Nam alius credit manducare ſe omnia: qui autem infirmus eſt, olera manducet. Per quod vtique deſignat verbi olera præbenda eſſe ei qui infirmatur in fide, ne plena fidei doctrina cunctantibus in ea & quodammodo ægrotantibus ingeratur. Sana autem fides dicitur quæ perfecta eſt, & cui nihil deeſt: & ipſa eſt quæ credit manducare omnia, id eſt quæ capere poteſt omnia: quã qui habet, ſpiritalis appellatur, & diiudicat omnia, & in nullo ſermone ſcandalizari poteſt. Vnde euidenter apparet eſſe augmenta quædã & profe-

A & profectus in fide, & aliquos habere partem fidei exiguam, alios magnam, alios verò habere omnem fidem:
1. Cor. 13 Vnde Apostolus dicebat: Si habeam omnem fidem ita vt montes transferã. Sed & in Euangelijs discipuli dicunt ad dominum, quasi quibus nondum plena inesset fides: Auge nobis fidem. Considera sane si secũdum ea quæ de fide dicimus, etiam de charitatis augmentis similiter possimus intelligere, ita vt dicamus & de charitate, sicut ille dixit: Si habeam omnem fidem, si habeam omnem charitatem: & illum habere omnem charitatem, qui omnia illa habuerit quæ propria charitatis sunt, sicut dicit Apostolus: Charitas patiens est, benigna est, non inflatur, non æmulatur, nõ ambitiosa est, non perperam agit, non irritatur, omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, & cætera his similia. Quæ si quis habeat, rectè mihi videtur dicere quod habeat omnem charitatem: quæ charitas sine dubio ex his singulis ab Apostolo suprà memoratis partibus cõstat. Similiter autem & de misericordia & pietate cæterisque virtutibus arbitror dici posse. Et forte per hæc singula sicut de fide dictũ est, quia fides reputata est ad iustitiam, aut pietas, aut misericordia. Sed videamus iam ea quæ cõsequuntur. Et non, inquit, infirmatus est fide, nec considerauit suum corpus emortuum, cum ferè centum annorum esset, & emortuam vuluam Sarræ, in repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide.

B Quantum quidem ad simplicem pertinet intellectu, euidentem protulit rationem, quod Abraham cum audiret sibi à Deo sobolem repromitti, non respexit ad emortuas centenarij corporis vires, de quo vtique nequaquam sperari poterat vlla successio: sed potentiam promittentis intuitus, nihil difficile esse credidit in his quę promittebat omnipotens: sed dedit, inquit, gloriam Deo, intelligens solius Dei esse munus, vbi humanæ fœcunditatis iura cessauerant. Merito igitur dedit gloriam Deo, qui naturæ fuerat desertus auxilio. Hęc, vt dixi, quantum ad simplicem intelligentiam pertinet sufficienter dicta videbuntur. Si verò quis obijciat nobis, quomodo poterit Abraham in centenario annorum numero positus emortui corporis dici, qui posteaquam suscepisset Isaac, & defuncta esset Sarra, quæ eum nonagenaria conceperat, & vixerat annis centum vigintiseptem, postea etiam quam annorum quadraginta factus Isaac accepit Rebeccam, post omnia ista
Gen. 24. scribitur: Et apponens Abraham accepit vxorẽ cui nomen Cethura, & peperit ei Zamram, & Iecsan, & Madã, & Madian, & Iesboch, & Sue: quomodo ergo videbitur emortui corporis, qui multo senior effectus quam tũc erat, vxorem

C acceperit, & sex liberos potuit procreare? Quas obiectiones vt decenter possimus excludere, expositiones emortui corporis illo transferimus, vt dicamus Abraham non infirmitate ætatis emortuum, sed secundum illam virtutem quam sancti in semetipsis primo implentes etiam cæteros habere monent, & dicunt: Mortificate membra vestra quę sunt super terram. Nam & absurdum puto si hoc bonum quod in se Paulus habuit: neq; enim alijs imperaret quod ipse non fecerat: si inquam hoc bonum quod Paulus habuit, Abraham tantum patriarcham, quem etiam suũ patrem dicit Apostolus, non credamus habuisse. Fuit ergo etiam in illo mortificatio ista membrorum: nõ incitabatur luxuria, non vrebatur libidine, sicut illi de quibus Aposto-
1. Cor. 7. lus dicit, Melius est nubere quàm vri. Hoc idem erat & in Sara, quia defecerunt Sarræ fieri muliebria. Non enim erat in illa lasciuia muliebris, aut incontinentiæ dissolutio, neque in vsum libidinis præcipitabantur inuiti: sed vbi audiunt tantam posteritatis spem, & sobolis suę gloriã cœlo & sideribus exæquandam, vbi hæc audiunt non aspiciunt ad propria bona, ad continentiæ gratiam, ad membrorum mortificationem, sed hęc omnia quæ sibi lucra ducebant arbitrantur detrimenta, vt Christum lucrifaciant. Sed fortassis errasse me credis, quod cum de posteritate Abraham & seminis eius dicerem, non debuerim de Christo dicere. Non erramus, sed cum Apostolo loquimur. Ipse enim hæc de Christo dicta esse interpretatur cum dicit. Scriptum est:
Gal. 3. tibi dabo terram hanc & semini tuo. Non dixit, & seminibus, tanquam in multis: sed semini tuo, tanquam in vno, D
qui est Christus. Vides ergo quomodo nos Apostolus docet sic dominum locutum esse ad Abraham, vt in semine suo Christum intelligeres debere sentiri: & ob hoc puto quod adiecerit Apostolus, & dixerit: Dans gloriam Deo. Non enim tantam gloriam Abraham potuisset efferre de natiuitate Isaac, quantam dare potuit gloriam Deo, si intellexit Christum de suo emortuo iam & vitijs desęcato corpore nasciturum. Sed & tu si mortifices mẽbra tua quæ sunt super terram, si abiecto omni feruore libidinis emortuum serues, & nullis obnoxium vitijs corpus, potes etiã tu fructus ex eo optimos generare, potes generare Isaac, quod est gaudiũ: & hic est primus spiritus fructus: potest semen tuum, & opera tua ascendere ad cœlum, & effici opera lucis, & stellarum fulgori splendorique conferri, vt cum dies resurrectionis affuerit, tanquam stella differas in claritate. Amplius adhuc dico: potes si tam purus mente, tam sanctus corpore, tam immaculatus actibus fueris, etiã ipsum generare Christum, secũdum illum qui dicebat, Fi- Gal. 4.
lioli mei quos iterũ parturio donec formetur Christus in vobis: & sicut ipse de se dominus dicit: Qui fecerit volun-
tatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & 1. Tim. 2.
mater est. Quæ ergo erit mater Iesu, nisi cuius vulua emortua est? vt ita demum parturiat filios castitatis, sicut & mulier de qua dicit Apostolus: Salua autem erit per filiorum generationem, si permanserit in fide & castitate. Vnde etiã E
pro his conuenienter additum puto: Et reputatum est ei ad iustitiam. Quomodo enim non ad iustitiam reputaretur ei, qui non solum in fide sed & in omnibus virtutibus perfectionem tenebat? Non est autem scriptum propter ipsum tantum, quod reputatum est ei ad iustitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitauit Iesum Christum dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.] Hoc in loco quod dicit, Non propter ipsum tantum, intelligendum est de ipso: & iterum quod dicit, Sed & propter nos, hoc est & de nobis. Manifestum namque est, quia hoc quod dicitur, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, non propterea Moyses scripsit vt Abrahã legeret, qui vtique olim fuerat defunctus: sed vt nos profectum fidei ex huiusmodi lectione pateremus, intelligentes quia si nos ita credamus Deo vt ille credidit, etiam nobis reputabitur fides ad iustitiam credentibus in eum qui suscitauit Iesum dominum nostrum à mortuis. Vellem sane requirere quid est quod in hoc loco apostolus deum nominans, qui credidit, & cui Abraham credidit, non dixit credentibus in deum excel- F
sum, vel credentibus in eum qui fecit cœlum & terram, vel in eum qui fecit angelos, cæterásque cœlestis gloriæ virtutes, sed ait, Qui suscitauit dominum Iesum à mortuis. Qua ergo de causa ad comparationem fidei Abrahæ titulus iste resurrectionis domini assumitur requiramus. Nunquid Abraham in eum crediderat qui suscitauit dominum Iesum à mortuis, cum Iesus tunc nondum fuisset resuscitatus à mortuis? Vellem ergo considerare qui visum sit Paulo promittenti nobis, quia sicut Abrahæ reputata est credenti fides ad iustitiam, ita & nobis reputabitur credentibus in eum qui suscitauit Iesum dominum nostrũ à mortuis. In quo ergo pro paruitate sensus mei illud aduerto, quod multo sit magnificentius in laudibus Dei resuscitasse Iesum dominum nostrum à mortuis, quàm fecisse cœlum & terram, creasse angelos, & cœlestes condidisse virtutes. Illud enim fuit facere quæ non erant, hoc autem reparare quod perierat. Illud fuit nondum detecta instituere, hoc autem deiecta restruere. Illud deniq; iussione, hoc passione perfectum est. Sed huius tanti támque magnifici mysterij in fide Abraham forma & imago præcesserat. Ille enim crediderat cum offerre vnicum iuberetur, quia & à mortuis eum suscitare potens esset Deus: crediderat etiam quod non illi tantũ Isaac res tunc gereretur, sed & semini eius qui est Christus, plena sacramẽti veritas seruaretur. Inde denique gaudens vnicũ offerebat, quia in eo nõ interitum posteritatis, sed reparationẽ mundi, & innouationem

G tutius creaturæ, quæ per resurrectionem domini restituta
Ioan.8. est, cogitabat: & idem dicit dominus de eo: Quia Abrahã pater vester exultauit vt videret diem meũ, & vidit, & gauisus est. Hic ergo competenter videbitur habita comparatio fidei Abraham & eorum qui credunt in eum qui suscitauit dominum Iesum: quia quod ille futurum credidit, à nobis creditur factum. Simul illud ostenditur, quod hæreticis non placet, quia deus cui credidit Abraham, & fidẽ eius dei iustitiam reputauit: ipse est qui & dominum Iesum resuscitauit à mortuis, nec relinquitur locus vt alius deus legis, alius domini nostri Iesu Christi pater intelligatur. Sed adhuc requiramus, cum sint quam plurima quæ Christus esse dicitur: nam & sapientia, & virtus, & iustitia, & verbum, & veritas, & vita ipse appellatur: cur potissimum de resurrectione eius in fide nunc apostolus faciat mẽtionem. Dicit in aliis idem apostolus, quia cum Christo coexcitauit nos deus, & simul cum ipso sedere fecit in cœlestibus. Hoc est ergo quod admonet. Si creditis Christum sur-
Eph.2. rexisse à mortuis, credite etiam vosmetipsos cum ipso pariter surrexisse: & si creditis quia sedet ad dexteram patris in cœlis, etiam vosmetipsos credite iam non in terrenis, sed
Rom.6. in cœlestibus collocatos: & si creditis vos Christo commortuos, credite quia & conuiuetis ei: & si creditis quia Christus mortuus est peccato, & viuit deo, etiam vos mortui estote peccato, & viuite deo. Et hoc est quod auctori-
Col.3. tate apostolica protestatur, & dicit. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dex-
H tera dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Quia qui hæc agit, hic se ostendit credere in eum qui suscitauit Iesum dominum nostrum à mortuis: & huic vere fides reputatur ad iustitiam. Neque enim possibile est vt habenti in se aliquid iniustitiæ possit iustitia reputari, etiã si credat in eum, qui suscitauit dominum Iesum à mortuis. Iniustitia nanque cum iustitia nihil potest habere commune, sicut nec lux cum tenebris, nec vita cum morte. Ita ergo & credentibus quidem Christo, nec tamẽ deponentibus veterem hominem cum actibus suis iniustis, fides reputari non potest ad iustitiam. Simili autem modo possumus dicere, quia sicut iniusto non potest iustitia reputari, ita nec impudico pudicitia, nec iniquo æquitas, nec auaro liberalitas, nec impio pietas reputari potest, donec vetusta vitiorum indumenta non abiicit & nouum se induat hominem, qui secundum deum creatus est, & renouatur in agnitione dei & imaginem eius qui creauit eum. Propterea enim & in sequentibus adiungit & dicit de domino Iesu: Qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram: vt ostendat quia ea pro quibus Christus traditus est, etiam nos abhorrere debeamus, & abiicere. Si enim propter peccata nostra traditum eum credimus, quomodo non alienum nobis & inimicum dicitur omne peccatum, pro quo redemptor no-
I ster traditus memoratur in mortem? Nam si in nobis aliqua rursum societas cum peccato aut amicitia fiat, ostendimus quod nihili ducamus mortem Christi Iesu, amplectentes & sequentes ea quæ ille expugnauit & vicit. Idque totum simul connectẽs apostolus tanquam corpus ipsum peccati, indumẽtum veteris hominis appellauit, quod deponendum suadet his qui credunt ei qui suscitauit dominum Iesum à mortuis, vt abiecto indumento iniustitiæ induant se dominum Iesum, quod est verum iustitiæ indumentum, vt merito credentibus fides ad iustitiam reputetur. Traditus est ergo propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Etenim si surreximus cũ Christo, qui est iustitia, & in nouitate vitæ ambulamus, & secundum iustitiam viuimus, surrexit nobis Christus ad iustificationem nostram. Si verò nondum deposuimus veterem hominẽ cum actibus suis, sed in iniustitia viuimus, audeo dicere quod nondum surrexit nobis Christus ad iustificationem, nec traditus est propter peccata nostra. Si enim hoc credo, quomodo illud amo, pro quo ille pertulit mortem? Si hoc credo, quod ille ad iustificationem meam surrexit, quomodo iniustitia placet? Iustificat ergo eos Christus tantummodo qui nouam vitam exemplo resur-

rectionis ipsius susceperunt, & vetusta iniustitiç atque ini- K
quitatis indumenta, velut causam mortis abiiciunt. Sed illud vellem requirere, si pro hoc solo dicit apostolus? quia non propter Abraham scriptum est sed propter nos, quod dixit: Credidit Abraham deo & reputatum est illi ad iustitiam: putas ne quod solus hic sermo ex omnibus quæ dicuntur de Abraham, non solum propter illum sed & propter nos scriptus est? An & alia aliqua videbuntur non solum propter illum sed & propter nos scripta? An certe omnia quæ dicuntur de ipso solo, sed & pro nobis dicuntur? Et non solum de Abraham, sed vide ne forte hæc eadẽ etiam de Isaac similiter accipienda sint, vt quę de ipso scripta sunt, non ipsum solum sed & nos aspiciant. Similiter & de Iacob, & cæteris patriarchis. Nam quæ ratio videbitur vt de Abraham quidem quæ scripta sunt, etiam ad nos pertinere dicantur, non autem simili forma etiam de Isaac, & de Iacob, & de Iuda, vel de Ioseph & cæteris? Quod si nihil rationis videbitur cur de vno patriarcha hoc ita accipi debeat, & non etiam de cæteris, consequens erit vt de omnibus quæ scripta sunt, nõ solum propter illos qui tunc erant, sed & propter nos conscripta videantur. In quo me præcipue suadet ita sentire ille euangelij sermo, in quo dominus & saluator noster ad eos qui sibi dixerunt, quia pa- Ioan.8.
ter noster Abraham est, respondit: Si semen Abrahæ essetis, opera vtique Abrahæ faceretis. Nunc autem quæritis me occidere, hominem qui veritatem locutus sum vobis, quam audiui à patre meo, hoc Abraham non L
fecit. Per quod vtique ostendit, quia qui faciunt opera Abrahæ isti sunt filij Abrahæ: & propter illos scripta sunt, quæ de Abraham scripta sunt. Hic autem iam sapiẽtis viri & à deo illuminati est intueri & perspicere quomodo vnumquodque opus quod de Abraham scribitur, in semetipso videtur expleri. Verbi gratia, quod dictum est ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de Gen.12.
domo patris tui, & veni ad terram quam tibi ostendam: quomodo & is qui de semine Abrahę esse ex operibus vult videri, his debeat obsequi, quæ vtique sunt non propter illum tantum scripta, sed & propter eos qui credunt in eum qui suscitauit Iesum Christum dominum nostrum à mortuis: & cum hæc impleuerit quomodo sperare etiam illud quod subiungitur debeat, id est: Et faciam te in gentẽ magnam, & benedicam te, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus, & benedicam benedicentes te, & maledicam maledicentes te, & benedicentur in te omnes tribus terræ, & iterum cum dicit scriptura, Abiit autem Abrahã secundum ea quæ locutus est ei dominus: quomodo etiam hoc non solum propter Abraham sed & propter nos scriptum videatur, vt ambulemus secundum omnia quę locutus est dominus. Sed & de Isaac, vel de cæteris quæ similiter scribuntur, quomodo etiam ad nos pertinere videan-
tur. Non est autem pręsentis temporis omnia nos adduce- M
re in mediũ, & singula quæque discutere, quo ordine etiã in nobis qui credimus in eum cui credidit Abraham, quæ de Abraham vel de cæteris sanctis in scripturis diuinis dicta vel facta sunt compleantur: sed in quantum præsentia operis necessitas patitur, aperuimus viã qua latius qui in scripturis exerceri desiderat, possit incedere. Hactenus de ratione fidei eius quæ ad iustitiã reputata est, & diuersarũ legum obseruantia, ac pręputij circumcisionisque diuersitate, disputationis sermo cucurrerit: nunc iam qualiter hi qui ex fide, & non ex operibus iustificati sunt, informentur ab apostolo, videamus.

CAPVT QVINTVM.

IVSTIFICATI igitur ex fide pacem habemus ad eum per dominum nostrũ Iesum Christum, per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum dei.] Apertissime enim per hæc quæ intelleast quid sit ex fide & non ex operibus iustificari, ad pacem dei quæ superat omnem mentem in qua & summa perfectionis consistit, inuitat. Sed vt diligentius sensum perspiciamus Apostoli, quid sibi velit pacis nomen, & eius

pacis

A pacis quæ per dominum nostrum Christum est, perquiramur. Pax dicitur vbi nemo dissidet, nemo discordat, vbi nihil hostile, nihil barbarũ geritur. Nos ergo qui aliquando fuimus inimici dei, sequẽtes hostem & tyrannum diabolum, nunc si illius arma proiecimus, & signum Christi & crucis eius vexilla suscepimus, pacem vtique habemus ad deum, sed per dominũ nostrum Iesum Christũ, qui nos per hostiam sanguinis sui reconciliauit deo, sicut scriptum est: Cum essemus inimici dei reconciliati sumus deo. Si quis ergo habet pacem ad deum, & reconciliatus est per sanguinem Christi, vltra nõ cogitat ea quæ inimica sunt deo. Vis autẽ audire quæ sunt ista quę inimica sunt deo? Paulus ipse te docet, qui ait: Sapientia carnis inimica est deo: legi enim dei non est subiecta. Si ergo carnaliter sapias, vel vitã tuam cupiditatibus carnis exponas, & affluentia delitiarum resoluas, aut si de legis intellectu carnaliter non spiritaliter sentias, & hæc assertionibus humana arte quæsitis, magis quã spiritali gratia & intellectu subtiliore delẽdas, per sapientiã carnis inimicus efficeris deo. Nec solus hæc Paulus in suis literis scribit: audi & Iacobum fratrẽ dñi similia
Iacob.4. protestantẽ, cum dicit: Qui voluerit amicus esse seculi hu-
1.Ioan.2 ius inimicus dei constituetur. Sed & Ioannes pari spiritu attestatur: Filioli nolite amare ea quæ in mũdo sunt: quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorũ, & superbia vitæ, quæ non est
B ea deo. Igitur in quo hæc sunt, non potest habere pacẽ ad deum, sed rursum inimicitias suscitat, illas pro quibus sol-
Ephe.2. uendis Christus aduenit, sicut & idem Apostolus dicit de Christo. Ipse est enim pax nostra qui fecit vtraque vnũ, & mediũ parietẽ sepis soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorũ in decretis euacuãs, vt duos cõderet in semetipso in vno nouo homine faciens pacẽ. Quod si Christus aduenit vt inimicitias solueret, pacẽ faceret, ac dissidentes nos propter sepem malitiæ quam peccando texuimus, recõciliaret deo peccati sepe resoluta: qui iterũ ad peccata conuertitur, sine dubio rursus inimicitias reparat, & sepẽ dissensionis intexit, & per hæc opus Christi soluit, & crucem passionis eius euacuat. Sed nos iustificati ex fide pacẽ habeamus ad deum per dñm nostrum Iesum Christũ. Habeamus pacẽ vt vltra non aduersetur caro spiritui, nec legi dei obsistatur à lege membrorũ. Non sit in nobis est & non: sed vnũ dicamus omnes, eadẽ sapiamus, nec intra nosmetipsos, nec extrinsecus ad inuicem habeatur vlla dissensio, & tunc pacẽ habemus ad deũ per dñm nostrũ Iesum Christum. Illud enim certissime sciendũ est, quia omnis in quo est malitiæ vitium, nunquam potest habere pacem. Dum enim semper cogitat quomodo lædat proximum suum, dum semper nocendi artes requirit, nunquam mens eius
C in pace consistit. Quod si requiras à me quomodo iustus potest habere pacem qui impugnatur à diabolo, qui tentationum bella sustẽtat, ego ipsum magis supra omnes cæteros habere dixerim pacem. Vide enim Apostolus quàm obseruanter scribat. Non dixit, iustificati igitur ex fide pacem habeamus, & siluit, sed adiungit, Pacem habeamus ad deum: sciens quia bellum contra diabolum pacem parat ad deum: & tunc magis in pacem dei venimus, quãdo aduersum diabolum persistimus contra peccata, & quã-
Iacob.4. do aduersum carnis vitia dimicamus. Denique & Iacobus apostolus ita dicit: Resistite diabolo, & fugiet à vobis: appropinquate deo, & appropinquabit vobis. Vides et ipsum ita sensisse, quod tunc appropiet deo quando resistit diabolo. Pacem habeamus ergo ad deum per dominum nostrum Iesum Christũ, & addidit: Per quem & accessum ha-
Ioan.10. bemus in gratiam istã in qua stamus. Quomodo accessum habemus ad gratiã per dñm nostrũ Iesu Christũ, ipse saluator dicit: Ego sũ ostiũ & nemo venit ad patrẽ nisi per me. Per ipsum ergo quia ostiũ est, accessũ habemus ad gratiã. Sed videamus quale est ostiũ, vt sciamus quales esse debeãt qui intrẽt per ipsũ, & accessum habeãt ad gratiã. Istud ostiũ veritas est, & per ostiũ veritatis non possunt introire mendaces. Et rursu istud ostium iustitia est, & per ostiũ iustitię non ingrediũtur iniusti. Istud ostiũ dicit: Discite à me quia mitis sũ & humilis corde. Per ostiũ ergo humilitatis & mã-

suetudinis: nec iracundus ingreditur, nec superbus. Si quis D
itaque est qui secundum apostoli verbum, per dominum Matt.11.
nostrum Iesum Christum, accessum vult habere in gratiã domini, in qua Paulus & si qui sunt similes ei, stare se dicit, oportet eum ab his omnibus quæ suprà memorauimus esse purgatum. Alioquin non patietur hoc ostium introire eos per se qui ea quæ à se aliena sunt gerunt, sed cõtinuo clauditur & transire per se non sinit dissimiles sibi. Hoc nimirum est quod & illis quinque insipientibus virginibus accidit, quæ quoniam oleum bonorum operum in vasculis suis non collegerãt, veniẽtes post moras, clausum ostiu inuenerunt. Nec enim poterãt insipiẽtes animæ per ostiũ introire sapientiæ, & accessum habere in gratiã istam. Bene autẽ apostolus Paulus in gratia stare se dicit, 1.Cor.15
qui & alibi dixit: Abundantius autẽ quã omnes illi laboraui: non autem ego, sed gratia dei mecum. Vnde si quis est 2.Cor.11
alius qui laboret abundantius, & qui glorietur in infirmitatibus, qui in periculis sæpe versetur, periculis maris, periculis latronum, periculis in falsis fratribus, & in his omnibus stet semper in fide, iste similiter stare dicitur in gratia. Sed & quod sequitur, Et gloriamur in spe gloriæ dei, quale sit videamus. Mouet me cur non dixerit gloriari se in gloria dei, sed in spe gloriæ dei: in quo deesse nonnihil aliquid elocutionis videtur, ita vt subaudiri debeat, in spe 2.Cor.4.
videndæ gloriæ dei. Edocet autem nos per hæc, sicut & alibi ipse dicit, quia quæ spetantur æterna sunt, quæ autem E
videntur temporalia. Nam vidisse dicitur & Moyses gloriam dei, vidisse dicitur & populus in cõsecratione domus domini gloriam dei Israel. Sed de huiusmodi gloria quæ videri potuit, ausus est Paulus qui erat mysteriorum dei gnarus pronunciare, quod illa gloria destruetur quæ etiã in vultu Moysi videbatur, hæc autem gloria quæ speratur, de qua dicit, In spe gloriæ dei nunquam destruetur. Est enim talis de qua idem Apostolus dicit loquens de Chri- Heb.1.
sto: Qui est (inquit) splendor gloriæ, & figura expressa Matt.5.
substantiæ eius. Huius ergo gloriæ videndę spem gerunt hi de quibus dictum est, Beati mundo corde quoniã ipsi deum videbunt: tunc cum iam aufugerit dolor & tristitia & gemitus, & cum ea quæ in speculo nunc viden- 2.Co.3.
tur & ænigmate, destruentur, & manebunt illa quæ sunt facie ad faciem. Quod si cui forte videbitur huic expositioni nostræ illud econtrario obiici posse, quod ipse Apostolus dicit: Nos autem reuelata facie gloriã domini speculãtes, eadem imagine reformemur a gloria in gloriã tãquã à dñi spiritu, & dicit: quomodo adhuc spẽ gloriæ gerit, qui reuelata iam facie speculari se dicit gloriã dñi, & à gloria in gloriã reformari? vide si possumus hoc modo soluere ꝙ obiectũ est. Differẽtias mihi videtur Apostolus o- F
stẽdere gloriarũ, & aliã fuisse gloriã quæ Moysi ministerio reuelata est, de qua iã in superioribus diximus: aliã fuisse ꝗ̃ in aduẽtu carnali saluatoris ministrata est, de qua dicit & Ioãnes in euãgelio: Et vidimus gloriã eius, gloriã tanquam vnigeniti à patre, plenũ gratiæ & veritatis. De qua gloria Ioan.1.
non possumus dicere quod ipsa sit quæ speratur. Illa verò gloria quæ sperãda est, de qua iã in præsẽti loco dicit Apostolus, Gloriari in spe gloriæ dei, potest ipsa intelligi de qua saluator dicit in euãgelio: Cũ venerit filius hominis in gloria patris & sanctorũ angelorũ. Quod autẽ dixit, patris & sanctorũ angelorũ, non ꝙ dei patris & angelorũ vnã esse gloriã dicat, sed hoc mihi videtur ostẽdere, quod istæ gloriæ quæ vel per Moysen prioribus, vel nobis per aduẽtum carnis Christi delatæ sunt, non fuerũt angelorum, sed hominum, hominibus enim ministratæ sunt, & fuerunt eius mensuræ quas capere homines possent. Illa verò in qua filius hominis ad iudiciũ mũdi venturus est gloria patris, tãta erit quæ a solis angelis capi possit. Si verò etiam sanctorũ aliqui capaces illius gloriæ extiterint, illi nimirum erunt de quibus dicitur: quia erũt sicut angeli dei. Et hoc modo rectè de futura gloria quæ sperãda est, dictũ videtur, quod filius hominis veniet in gloria patris & sanctorũ angelorũ Matt.22.
id est quam non iam homines terreni, sed sancti angeli capere merentur. Pro capacitate etenim mentium deus etiã dispensat magnitudines gloriarũ. Sed sicut istam gloriam

G quam vidiſſe ſe apoſtoli in euangeliis dicunt, gloriam tan-
quam vnigeniti a patre, plenum gratiæ & veritatis, nec
credere quis, nec capere potuit, nisi ex illa gloria quæ per
Ioan. 1. Moyſen in lege miniſtrata eſt, viam inuiſſet intelligētiæ,
ſicut conteſtatur ille qui dicebat ad Nathanael: Quē ſcri-
pſit Moyſes & prophetæ inuenimus Ieſum à Nazareth: in
2. Cor. 3. quo vtique oſtendit, quia ex lege & prophetis illuminati
huius gloriæ quæ erat tanquam vnigeniti à patre lumen a-
ſpexerint: Ita & quod Apoſtolus dicit, quia reuelata facie
gloriam domini ſpeculantes, eadem imagine transforma-
mur à gloria in gloriam tanquam à domini ſpiritu: intelli-
gi debet quod & qui iſtam gloriam vnigeniti reuelata fa-
cie, hoc eſt plenam fidei intelligentiæ contemplerur, eadē
imagine qua de lege venit ad euangelia, & ad carnalem ſal
uatoris aduentum, illuminato per fidem cordis intuitu, in
ſecundum nihilominus gloriæ aduentum, aciem mentis
1. Cor. 13 intendat, & à gloria præſenti ad futuram quę ſperatur glo-
riam transformetur. Vnde arbitror nec poſſe quempiam,
nec mereri futurę illius gloriæ fieri capacem, niſi iam hinc
vſum & meditationem quandam eius accipiat, ſecundum
quod Apoſtolus dicit in ſpeculo & in ænigmate contuen-
do, vt ex hac imagine meditationis aſſiduæ, quam in carne
poſitus de diuina gloria gerit, paratior ad capacitatem ve-
H rę illius gloriæ per virtutem ſancti ſpiritus transferatur.
Non ſolum autem ſed & gloriamur in tribulationibus,
ſcientes quia tribulatio patiētiam operatur, patientia ve-
rò probationem, probatio autem ſpem. Spes autem non
confundit, quia charitas dei diffuſa eſt in cordibus noſtris
per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.] Primus ſtatim
ſermo capituli huius ambiguitatis aliquid continet: non
enim habet in conſequentibus aliquid ad quod referri de-
beat quod dixit: Nō ſolum autem. Vnde vide ſi poſſumus
hoc modo ambiguitatem elocutionis abſoluere. Quoniā
in ſuperioribus multa nobis per dominum noſtrum Ieſum
Chriſtum præſtita eſſe perdocuit, vt quum dicit iuſtifica-
tos nos eſſe ex fide per dominum noſtrum Ieſum Chriſtū,
& per ipſum acceſſum habere in gratiam iſtam, per ipſum
etiam gloriari in ſpe gloriæ dei: ad hæc omnia quæ dicta
ſunt, referri debere puto, Non ſolum autem hæc: Non ſo-
lum autem quæ ſupra dixi, ſed & hoc quod gloriamur in
tribulationibus noſtris, per dominum noſtru Ieſum Chri-
ſtum habemus. Cæteris enim in tribulatione triſtantibus,
nos gratiæ ipſius virtute roborati, in tribulationibus glo-
riamur. Didicimus nanque nouam ex eruditione ipſius di-
ſciplinam, vt per tribulationes bonum patientiæ capiam⁹:
habentes verò patientię bonum probabiles iudicemur: &
per patientiam multarum tribulationum probati, ſpem fu
turæ à deo remunerationis habeamus. Quæ ſpes quia cer-
I ta & vera eſt, non confundit ſperantes. Fidem nanque &
ſpem conſequitur charitas dei, quæ eſt omnium maxima,
& non ſolum replet mentem noſtram, ſed & abundat ac
diffunditur in cordibus noſtris, pro eo quod non humana
à nobis arte quæritur, ſed per gratiam ſancti ſpiritus inun-
datur. Hęc ſecundum ſermonis ipſius vel literæ conſequē-
tiam ad apertionē apoſtolici eloquij explanata ſint. Nunc
iam quid interior ſenſus contineat requiramus. Et primo
videamus de gloriatione quid dixit: Gloriam in tribulatio
nibus noſtris. Sermo etiam gloriationis interdū laudabili-
ter in ſcripturis, interdū culpabiliter ponitur. Etenim quū
dicit Hieremias, Hæc dicit dominus: Non glorietur ſapiēs
in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, neque glorie-
tur diues in diuitiis ſuis ſed in hoc glorietur qui gloria-
Hier. 9. tur, intelligere & cognoſcere me quia ego ſum dominus
qui facio miſericordiam & iudicium & iuſticiam ſuper
terram: in vno eodemque capitulo gloriationem & lau-
dabiliter & culpabiliter poſuit. Nam ſi quis (inquit) glo-
riatur vel in ſapientia ſua, vel in fortitudine, vel in diuitiis,
culpabiliter gloriatur. Si quis verò in agnoſcēdo dominū
gloriatur, & in intellectu iudiciorū eius, & miſericordię &
iuſtitiæ, laudabiliter gloriatur. Cum ergo ſermo iſte ad v-
trunque reſpiciat, requirendum nobis eſt in quibus recta
gloriatio, & in quibus minus recta gloriatio ſit. Quod ita
demum poterimus agnoſcere, ſi naturas rerum cōpetenti
diſtinctione teneamus. Quod autem dicimus tale eſt: Om- K
nia quæ ſunt vel aguntur, aut bona ſunt, aut mala, aut in-
differentia. De quibus quāuis latior haberi debeat diſputa
tio, tamen quantū ad præſentē locū ſufficit perſtemus. Bo-
na illa certe eſt proprie dici quæ ad virtutes animi pertinēt,
& mala ea ſola definiri quæ ad malitiam ſpectant, & cōtra
legem dei aguntur: cætera verò indifferentia eſſe, id eſt ne-
que bona, nec quæ ad virtutem animi pertinent, neque
mala nominanda, vt ſunt diuitiæ, ſpecies corporis & for-
titudo vel proceritas, atq; ea quæ corporis vſibus ſeruiunt.
Si quis igitur diſtinctionem diuerſitatis huius ignorat, &
gloriatur in his quæ non ſunt vere bona, nec ad virtutē a-
nimi pertinēt, culpabiliter gloriatur. Paul⁹ verò qui in his
erat peritiſſimus, quum dixiſſet, quia gloriamur in tribula-
tionibus noſtris, ne forte putaretur in rebus indifferētibus
& mediis gloriari, reddit cōtinuo rationē, & oſtēdit quod
gloriatio ſua quam in tribulationibus habet, ad virtutes
animi pertineat. Dicit enim: quia tribulatio pro qua glo-
rior patiētiam operatur, patiētia verò probationē, proba-
tio verò ſpem, ſpes verò non confundit, quia charitas dei
diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritū ſanctum. Et in his
edocet quod per ſuccedētes ſibi virtutes gloriatio tribu-
lationū vſque ad ſancti ſpiritus cultū aſcēdat, ſicut & alibi
dicit: Qui gloriatur, in dño glorietur. Neque ergo in ſapiē L
tia propria, neque in fortitudine, neque in diuitiis, ſed in ſo- 1. Cor. 1.
lo deo conuenit gloriari. Sed fortaſſe dices: Nūquid nō ſa-
piētia ad virtutes animi ſpectat? & quur culpabile dicitur
in ſapientia gloriari? Vide ergo quàm aſtutus eſt ſcripturæ
ſermo, qui impolitus videtur & agreſtis. Non dixit, non
glorietur ſapiēs in ſapientia, & ſiluit, ſed ait: non glorietur
ſapiens in ſapientia ſua. Qui enim in ſua, & non in dei ſa-
piētia gloriatur, culpabiliter gloriatur, quia & alibi dicit
propheta. Væ iis qui ſapiētes ſunt apud ſemetipſos, & in cō-
ſpectu ſuo eruditi. Dei ergo ſapiētia eſt deū cognoſcere, &
intelligere miſericordiā eius & iudiciū & iuſtitiā quā fecit
ſuper terrā, in quo qui gloriatur, in domino gloriatur. Hu-
mana verò ſapiētia non poteſt ſcire & intelligere dominū,
neque agnoſcere iudicia & miſericordiam & iuſtitiā eius
quā fecit ſuper terrā, & ideo indifferēs eſt & media. Poteſt
enim fieri, vt ex hac humana ſapiētia eruditus quis ad intel
ligentiā diuinæ ſapientiæ paratior veniat, & in hac exerci-
tatus ad illā capacior fiat. Simili modo quis vtitur cæteris
quæ media eſſe diximus, fortitudine dūtaxat vel diuitiis:
quæ dum media ſunt, hoc eſt dū non in opere dei quis for-
tis eſt, neque in miſericordiis pauperū diues, gloriari ne-
que in fortitudine neque in diuitiis debet. Si verò iſta quę
media ſunt, ad animi virtutē & ad fructū boni operis cō-
uertāntur, gloriatione digna efficiūtur: ſicut rurſū ſi ad ma-
lum opus cōferantur, vt per diuitias quis opprimat paupe M
rem, & per fortitudinē proſternat infirmū, iā non hæc me-
dia, ſed mala eſſe putātur. Idcirco igitur natura ſui indiffe-
rētia & media dicūtur, quia & ad malū opus ſociata mala
dici poſſunt, & bonis operibus iūcta, bona appellari. Sine
hac verò inclinatione ad alterū è duobus quæ ea bona di-
cunt, imperiti & ignari rationabiliū definitionū appella-
tionūque credendi ſunt. Abuſiue tamen & fabrū dicimus
ſapientē & gubernatorē & architectū & mulierem texen-
di ſapientem nominamus. Quod ergo in præſenti capitu-
lo Apoſtolus dicit, quia tribulatio patientiam operatur, ſi
patientiam vnam eſſe ex animi virtutibus conſtat, tribula-
tio ſine dubio quæ virtutes animi parit, neque mala, neque
indifferēs, ſed bona appellāda eſt. Interim autē ſicut ſupra
diximus, patientia virtus animi dicenda eſt, vt per patien-
tiam dicat probationem noſtri fieri, & per probationem
ſpem dari: quæ vtique quoniam in deo ſita eſt, qui virtutū
omnium pater eſt, non confundit ſperantem. Simul enim
cum ſpe & charitatis abundantiam tenet, quæ primo loco
quia maior omnium eſt charitas, ſpiritui copulatur. Quod
ſi quis nobis occurrer, & dicat mediū eſſe & indifferēs tri-
bulationem, quoniam quidem inuenimus etiam malos &
impios tribulari: & nō cōtinuo quia tribulātur pro malis
actibus ſuis, virtus animi tribulatio eorū reputāda eſt: vide
ſi poſſumus hoc modo reſpondere, quod tribulatio quidē
proprie

A propriè sanctorum est, impiorum autem & iniustorum
tribulatio flagella appellantur. Denique in psalmo dicit:
Multæ tribulationes iustorum. De istis autem ait: Multa
Psal. 34. flagella peccatorum. Et fortassis propterea tribulatio &
angustia ad sanctos pertinent, quia ipsi sunt qui arctam
viam & angustam incedunt, & propterea tribulari dicun-
tur. Quod etiam in domino, qui vera est via quam sancti
incedunt, intellexisse apostolos arbitror, quum ad eũ dice-
rent: Turbæ te comprimunt & coarctant magister. Tribu-
lationes ergo iustorum, non solum eas debemus accipere
quæ extrinsecus veniunt ex istis rebus quas indifferentes
vel medias supra diximus, id est vel damnis vel languori-
bus, vel ex quolibet corporis circuitu: sed & in eo quod e-
tiam in requie positi semetipsos affligunt, & atterunt resi-
stendo voluntatibus suis, refrenando libidinem, coercen-
do licentiam, & omnia quæ ad bonum continentiæ per-
1. Cor. 9. tinent profligando, secundum hunc ipsum qui dixit: Ma-
cero corpus meum, & seruituti subiicio, ne forte cum aliis
prædicauero ipse reprobus efficiar. Et hoc modo iustorũ
tribulatio non potest indifferens dici, sed aperte bona, per
quam bona virtutis implentur. Iniusti verò etiam si tribu-
lentur, quod magis à scriptura flagella diximus appellari,
quoniam nihil in his ipsis flagellis & corruptionibus se-
cundum virtutem animi gerunt, nihil ad patientiam du-
cunt, nec probationem per patientiam sperant, idcirco in
illis non tribulatio quæ ad hæc bona peruenit, sed flagella
B vt scriptura voluit nominanda sunt, etiam abusiue aliquã-
2. Cor. 6. do & super iniustos dici tribulationis nomen inuenias. Vt
autem scias quia iustorum tribulatio non angustat animi
vigorem, sed potius dilatat, audi & ipse Paulus Corinthiis
scribens quomodo ista distinguat: dicit enim ita: In omni-
bus tribulationem patimur, sed non angustiamur: deiici-
mur, sed non perimus. Vides quoniam se tribulationem
pati non in vno, sed in omnibus dicit, hoc est & in his quæ
forinsecus accidunt, & ab aliis inferuntur, & in his quæ
ipse intra semetipsum pro corporis continẽtia, & optima-
rum institutionum laboribus perfert: & propterea dicit:
quia in omnibus tribulationem patimur, sed nõ angustia-
mur. Neque enim angustiari potest qui virtutibus dilata-
tur. Et vt adhuc quod dicimus hoc modo clarius fiat, ipse
Phil. 4. Paulus scribit in consequentibus: Scio humiliari, scio & a-
bũdare, & in omnibus, & ad omnia imbutus sum, & satu-
rari & esurire, & abũdare & penuriam pati. Igitur si verũ
illud quod superius dixi: In omnibus tribulationem patimur,
certũ est hoc ab eo indicari, quia & quũ penuriam patitur,
tribulatur, & quũ abũdet, nihilominus tribulatur. Tribu-
latur autem in penuria, quia deest: in abũdantia verò, quia
semetipsum refrenat, ne per abundantiam resoluatur, vel
ne minus competenter ea quæ videntur abundare dispen-
set. Sic & quum esurit, & quum saturatur, & quum per-
C sequutiones patitur, & quum in requie degit. Atque hoc
modo qui in his omnibus tribulatur, rectè in tribulatio-
nibus suis gloriatur: ex quibus sine dubio nascitur patien-
tia, quæ probabilis effecta pariat spem, quæ quum chari-
tati coniuncta sit, spiritu sancto consocietur. Quod autem
dixit: Charitas dei diffusa est in cordibus nostris, diligen-
tius considerandum est in quorum cordibus dei charitas
diffundatur. Ego puto quod in illorũ qui iam non habent
spiritum seruitutis iterum in timore, sed illorum in quibus
perfecta charitas foras mittit timorem, & quibus spiritus
adoptionis datur, qui clamet in cordibus eorum abba pa-
ter. Non est ergo cuiuscũque hominis nisi perfecti, & talis
qualis erat Paulus, in cuius corde diffundatur charitas dei
per spiritum sanctum. Sed & illud mihi considerandũ vi-
detur, vtrum ne hic charitatem illam dicat qua nos diligi-
mus deũ, an illã qua diligimur à deo, diffusam esse per spi-
ritum sanctum in cordibus nostris. Et si quidem illa chari-
tas qua deum diligimus intelligatur, sermo iste assertione
non indiget: Si verò quia dixit effusam esse dei charitatem
in cordibus nostris, ista potius intelligenda sit qua diligi-
mur à deo, certũ est quod velut summũ & maximũ donũ
sancti spiritus charitatem ponat, quod velut munere prius
suscepto à deo per hoc ipsum diligere possimus deũ, quòd
diligimur à deo. Nam & ipse Paulus nominat spiritũ cha- D
ritatis, & Deus charitas dicitur, & Christus filius charitatis
appellatur. Quod si & spiritus charitatis & filius charita-
tis inuenitur, certũ est quod ex vno paternæ deitatis fonte
& filius intelligendus est & spiritus sanctus, ea cuius abu-
dantia etiam sanctorum cordibus ad participationem ca-
piendam diuinæ naturæ, sicut Petrus apostolus edocuit, a- 2. Pet. 1.
bundantia charitatis infunditur: vt per istud sancti spiri-
tus donum compleatur ille sermo, quem dominus dixit:
Sicut tu pater in me & ego in te, vt & isti in nobis vnum Ioan. 17.
sint: diuinæ scilicet naturæ participes effecti, in abundan-
tia charitatis per spiritum sanctum ministratæ. Vt quid e-
nim Christus cum adhuc essemus infirmi secundum tem-
pus, pro impiis mortuus est? Vix enim pro iusto quis mori-
tur. Nam pro bono fortsitan quis audeat mori?] Plenius
volens virtutes charitatis ostendere quam infusam in cor-
dibus nostris dixerat per spiritu sanctum, quibus hoc cau-
sis intelligere debemus, exposuit. Edocemur nos quod Chri-
stus non pro piis, sed pro impiis mortuus est. Impij nan-
que eramus antequam conuerteremur ad deum: & Chri-
stus vtique mortem pro nobis antequam crederemus, ex-
cepit: quod proculdubio nõ fecisset, nisi nimiam erga nos
habuisset & abundantissimam charitatem, vel ipse domi-
nus noster Iesus Christus moriendo pro impiis, vel Deus
pater vnigenitum suum pro impiorum redemptione tra-
dendo. Cum enim vix aliquis pro iusto moriatur, & du-
E bitet vnusquisque mortem subire etiam si mortis iusta sit
causa, quantus est hic, & charitas eius erga nos quanta pẽ-
sanda est, qui secundum illud tempus quo passus est, pro
impiis & iniustis mortem perpeti non refugit? In quo vtri-
que summę illius diuinæ bonitatis indicium est. Nisi enim
esset hic ex illa veniens substantia, & illius patris filius, de
quo dictum est, quia nemo bonus nisi vnus deus pater, tã-
tam vtique erga nos bonitatem non potuisset ostendere.
Vnde quia ex hoc tantę bonitatis indicia ipse esse hic agno-
scitur bonus, pro hoc bono fortitan quis & audeat mori.
Cum enim cognouerit vnusquisque tantam erga se boni-
tatem Christi, charitatémque eius habuerit in corde diffu-
sam, non solum mori pro hoc bono, sed audacter mori de-
siderabit. Quod rebus ipsis & operibus sæpe videmus im-
pleri, cum hi in quorum cordibus abundanter diffusa est
charitas Christi, sponte etiam & cum omni audacitate se-
metipsos persecutoribus offerunt, & nomen Christi au-
diente mundo coram angelis & hominibus confitentur,
vt non solum iniuriam pati pro nomine eius, sed & mor-
tem pro hoc bono subire audeant: quamuis pro iusto quis
perferet? Est enim amor vitæ huius tantus, vt etiam cum
iusta causa mortis aduenerit, vix vnusquisque mortem pa-
tienter accipiat. Iusta autem causa mortis videtur cum na-
turæ legi defertur: & quamuis iustum sit conditioni mor-
F talitatis, vix tamen amplectitur animus naturæ legibus ce-
dere. Vix ergo pro iusto quis moritur. Nam pro bono au-
det quis mori, & audacter occumbit, præcipue si intelle-
xit, quia cum adhuc secũdum tempus impij essemus & in-
firmi, ipse prior pro nobis mortuus est: & quomodo non
qui hæc sibi ab illo præstita prius esse cognoscit, mortem
quam ille malis impendit, hic bono reddet? Arguitur au-
tem illorum error, qui hunc locum interpretandum puta-
runt, vt quod dixit, Vix enim pro iusto quis moritur, de
deo legis quem iustum non etiam bonum dicunt, intelligi
debere confirment, bonum autem Christum tãquam bo-
ni patris filium asseuerent. Sed quid agẽt? quia inuenimus
& in lege martyres multos: legant Machabæorum libros, 2. Mac. 6.
vbi cum omnia instãtia beata mater cũ septem filijs mar-
tyrium suscepit, quique non solum martyrium patiẽter ex-
cipiunt, verum & contumelias ingerunt in tyrannum: &
videant si verum est quod dicunt, quia vix pro iusto quis
moritur. Videant tres pueros in camino ignis ardentis
cum omni fiducia pro fidei libertate coniectos, & dicant
quia vix pro iusto quis moritur. Sola ergo mors est pro deo
quæ cum omni audacia suscipitur: omnis autem reliqua
mors vix toleratur, vix subitur etiam si iusta sit, & humanę
conditionis legi condescendat.

G Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam si dum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis secundum tempus mortuus est, multo magis nunc ergo iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum.] Cum dixisset in superioribus, quia Christus secundu tempus adhuc pro impiis mortuus est, nunc ostendere ex hoc vult Dei charitatis erga homines magnitudinem. Quia si erga impios & peccatores tanta extitit, vt pro salute horum vnicum filium daret, quanto magis erga conuersos, & emendatos, & vt ipse ait suo sanguine redemptos largior & diffusior erit? Non puto sanè quod otiosa sit apud Paulum varietas ista verborum, quod aliquando infirmos, aliquando impios, aliquãdo peccatores nominat, pro quibus Christum mortuum dicit: & quamuis imperitum se fateatur in sermone, non tamen arbitror quod in his ille per imperitiam, sed profundam scientiam variauerit. Per hæc nanque nomina omne peccati colligitur genus. Aut enim non ignorans deum quis & volens seruare mandatum vincitur fragilitate carnis, & illecebris præsentis vitæ decipitur, & infirmus appellatur: aut sciens volẽsque contemnit mandatũ, & odit disciplinam Dei, ac proiicit sermones eius post se, & peccator nominatur. Atque ita Paulus qui se imperitum (vt iam diximus) sermone profitetur, in tribus his diuersitatibus vniuersa pro quibus Christus prædicatur, & mortuus esse commemoratur,

H complexus est. Quod si interdum etiam ij qui sub lege sunt, & deum colere videntur, impij in scripturis diuinis nominantur, idcirco quod relinquentes deu patrum suorum deos gentium colunt. Quod verò Paulus se cum peccatoribus numerat, qui in alijs dicit: Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores, humilitatis eius est virtus. Imitatur enim illum qui cum peccatum non fecisset, peccatum pro nobis factus est: & cum Deus esset, inter homines conuersatus est. Commendat ergo suam charitatem in nobis, hic commendat vel confirmat intelligitur, vel amabilẽ facit pro beneficiis præstitis. Quod enim Christus cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est, spem nobis dat quod multo magis nos à peccato purgatos & iustificatos ab ira quæ imminet peccatoribus saluabit per ipsum: & qui alienos & inimicos ita dilexit, vt pro nobis ad mortem daret vnicum suum, multo magis suis effectis, & reconciliatis sibi, æternam salutem donabit. Quomodo autem Christus pro nobis mortuus sit, & quomodo cum sit agnus Dei, tulerit peccatum mundi, & infirmitates nostras portauerit, & pro nobis doluerit, sæpe à nobis dicta sunt in aliis locis: vbi adhibuimus & ea quę in secularibus historiis feruntur, quod etiã apud ipsos nonnulli pestilentias, vel turbines, aliaque his similia perhibentur morti se obiiciendo repulisse, & patriam vel gẽtem suam imminentis cladis excidio liberasse. Quæ qui-

I dem quam vere scripta sunt, vel quid rationis habeant, si vera sunt, Dei est nosse solius: Nullus tamen ipsorum de quibus ista narrantur, ne ficto quidem sermone totius mũdi peccata absoluisse perhibetur, nisi Iesus solus: qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se ęqualem deo, sed semetipsum exinaniuit, & secundum voluntatem patris forma serui suscepta, obtulit victimam pro vniuerso mundo, tradens sanguinem suum principi huius mundi, secundum sapientiam quam nemo principum huius mundi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam dominum maiestatis crucifixissent: nec sanguis ille quem sitierant non tam sitim quam vires eorum extingueret, regnũmque destrueret: nec accideret eis illud quod domi-

Ioan. 11. nus in euangelio dicit: Ecce nũc princeps huius mũdi iu-

Luc. 10. catus est, & illud: Ecce videbam Satanam sicut fulgur cadentem de cœlo. Multo ergo, inquit, magis iustificati nunc in sanguine eius, salui erimus ab ira per ipsum. In superioribus quidem dixerat: Iustificati igitur ex fide pacem habeamus ad deum. & nunc dicit: Multo magis nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Ex quo ostendit, quod neque fides nostra sine sanguine Christi, neque sanguis Christi nos sine fide nostra iustificat. Ex vtroque tamen multo magis sanguis Christi quàm fides

nostra iustificat. Et ideo mihi videtur cum in superioribus simpliciter dixerit iustificati ex fide, hic addidisse, multo magis ergo nunc iustificati in sanguine eius, vt doceret quia ab ira ventura etiam si fides nostra nos saluet, etiam si opera iustitiæ, super hæc tamen omnia multo magis sanguis Christi saluos nos faciat ab ira ventura. Ira verò dei quomodo intelligi debeat, in secunda à nobis psalmi expositione plenius dictũ est, & quomodo possit impleri quod scriptum est, vt salui efficiamur fugientes ab ira ventura & iram quidem fugientes, ita vt non nos comprehendat, sectantes verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem, & cætera his similia. Ista itaque est, cui traditur vnusquisque pro mensura & merito peccatorum, deo tamen secundum quod scriptum est in septuagesimoseptimo psalmo non accẽdente omnem iram suam. Quis enim sufferre posset si omnem aduersum peccatores accenderet dominus, cum terribile sit illud quod in Cantico Moysi pronunciatur, vbi dicit: Quia ignis accensus est ex furore meo, ardebit vsque ad inter- *Deut.*

num inferiorem: comedet terram & nascentia eius, conflagrabit fundamenta montium. Intuere ergo quia ignis ille qui de ira vel de furore domini accenditur, terram & infernum inferiorem comedit & opera terrena consumit: conflagrat etiam non excelsa montium, sed fundamenta, id est non sublimes animas, neque celestes sensus, sed humi atque in terram deiectos, vel etiam in profundum terræ vt sunt montium fundamenta demersos. Paululum er-

L go etiam de terra oportuit differi, vt apertius nosceretur, quibus nos malis Christi sanguis eripuit. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed & gloriamur in deo per dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.] Quod dicit Cum inimici essemus, reconciliati sumus deo, euidenter ostendit non esse aliquã substantiam, quæ secundum definitionem Marcionis, vel Valentini naturaliter inimica sit deo: alioquin si quod inimicum est, naturæ esset, & non voluntatis, reconciliationem vtique non haberet. Vbi autem ex inimico quis amicus efficitur, certum est quod dum ea opera agit quæ non amat Deus, inimicus est dei, & vnusquisque tam grauis efficitur, & tam odibilis inimicus, quantum multiplicauerit opera inimicitiis digna. Sũt ergo mensurę & gradus quidã in his peccatorum qualitate vel quantitate distincti, qui inimici sunt deo. Vnde & ille qui supra omnes peccauit, à *1. Cor.*

Paulo vltimus inimicos destruẽdus esse memoratur. Versa autem vice & ordine etiam eos qui reconciliati sunt per mortem filij eius, amicos haberi certũ est: & esse aliquem ita amicum, sicut Moyses amicus Dei appellatus est, esse quoque alios de quibus dicit saluator: Iam non dicam vos seruos, sed amicos. Credo autem esse adhuc magis familiares aliquos in cœlestibus amicos apud deum, vel illos qui semper vident faciem dei, vel eos qui semper astant in cõ- M

spectu altissimi: vt sicut suprà diximus esse quendam nouissimum inimicum: ita & ibi pro virtutũ meritis habeantur aliqui summi amici. Cum ergo ita hæc sint, nescio si is qui adhuc in his operibus est quæ odit Deus, & pro quibus inimicitiæ sunt inter deũ & homines, recõciliatus deo per sanguinẽ Christi merito dicatur. Quomodo enim reconciliatus est, qui causam inimicitiæ secũ gerit? Paulus ergo merito de se & sibi similibus dicit, quia cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per sanguinem filij eius. Grãdis pudor est, vbi talis reconciliatio facta est, vbi inimicitias inter deum & homines, non sermo peccatoris, sed sanguis intercessoris absoluit, iterũ nos conuerti ad inimicitias, & agere ea quæ odit ille, quem nobis nisi effusio sanguinis sacri recõciliauerat nemo. Plenius autem etiam ad Ephesios ipse Paulus scribens de ratione reconciliationis & inimicitia ac profusione sanguinis Christi commemorat: quæ si his iungamus aperire locum præsentis capitu- *Ephe.* 2.

li facilius possunt. Ait ergo ita: Propter quod memores estis vos, qui aliquando gentes in carne dicebamini pręputium ab ea quæ dicitur circũcisio in carne manu facta, quo-

niam

A niam eratis illo tempore sine Christo alienati à conuersatione Israel, & peregrini promissionis testamentorũ eius, spem non habentes, & sine deo in hoc mundo. Nunc autẽ in Christo Iesu vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra qui fecit vtraque vnum, & mediũ parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorum in decretis euacuans, vt duos cõderet in semetipso, in vno nouo homine faciens pacẽ, vt reconciliaret vtrosque in corpore deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso: & veniens euangelizauit pacem nobis qui longe, & pacem iis qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum vtrique in vno spiritu ad patrẽ. Sed præcipue in his illud ad patrem obseruа, quod Christus medium parietem maceriæ soluit in carne sua, id est inimicitiam, & quod reconciliauit vtrosq; in vno corpore deo per crucem, & quod interfecit inimicitiam in cruce. In quo non sine causa mihi Paulus secũdo videtur inimicitiam nominasse, & in vno quidem dixisse quod soluerit inimicitiam Christus in carne, in secundo verò interfecisse eam in cruce. Soluere nanque mihi videtur in his qui adhuc certamen gerunt aduersus peccatum, & repugnant ei pro viribus: interficere vero in his qui peccatum iam nequaquam omnino recipiunt, sed omni ex parte membra sua mortificauerunt peccato: Ex quibus erat & Gal. 2. B ille qui dicebat, Christo crucifixus sum, viuo autem iã non ego, viuit verò in me Christus. Hoc ergo modo ittã Christus occidit inimicitiam in carne sua, cum morte suscepta exemplum dedit hominibus vsque ad mortẽ resistere aduersum peccatum: & ita demũ resoluta inimicitia in carne sua, recõciliauit per sanguinem suum homines deo, eos duntaxat qui inuiolatum reconciliationis fœdus vltra non peccando custodiunt. Igitur mors eius mortem inimicitiæ dedit ei quæ erat inter nos & deum, & recõciliationis initium. Resurrectio autẽ ipsius & vita salutẽ credẽtibus cõ- Rom. 6. tulit, sicut & alibi apostolus dicit de Christo: ꝙ enim mortuus est peccato, mortuꝰ est semel, quod autẽ viuit, viuit deo. Peccato mortuus dicitur, non suo: neq; enim peccatũ fecit: sed ipsi peccato mortuꝰ, id est velut morte sua peccato intulit mortẽ. Viuere autẽ dicitur deo, vt & nos nõ nobis, neq; nostræ voluntati, sed deo viuamos, vt ita demũ in vita ipsius salui esse possimus, secundum eum qui dixit: Viuo autẽ iam non ego, viuit verò in me Christus. Quod verò vt similiter in superioribus posuit: Nõ solũ autẽ, sed & gloriamur in deo: & nihil addidit ad non solũ autẽ, similiter vt superiora intelligendũ est de his dictum quæ suprà cõprehensa sunt: id est, pro non solũ cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filij eius, & non solum C in vita ipsius salui erimus, sed & nunc gloriamur in deo, per dominũ nostrũ Iesum Christum, per quẽ recõciliationem accepimus. Non autẽ sine causa addidit nũc, cum potuisset dicere, per quem reconciliationem accepimus: sed vt ostenderet gloriationẽ nobis non solum in futuro, sed & in præsenti datam de agnitione dei, & emendatione vi- Tim. 4. tæ, & errorum correctione, sicut & in aliis item apostolus dicit: Spem habentes & præsentis vitæ & futuræ. Præsentis quod honestior & emendatior est, futuræ ꝙ æterna est.

LIBER QVINTVS.



Ropterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerũt. Vsque ad legem enim peccatũ in hoc mũdo. Peccatũ autẽ non imputabatur, cum lex non esset. Sed regnauit mors ab Adã vsq; ad Moysen, etiã in eos qui peccauerũt in similitudinẽ præuaricationis Adę qui est forma futuri.] Posteaquã edocuit differẽtiã fidei & legis & eorũ qui per fidẽ iustificantur, atq; eorũ qui promissiones quæ ad patres factæ fuerunt, nõ possunt sperare per legẽ: cũmq; aperuisset arcani secreta mysterij, quod cũ inimici essemus deo, per mortem filij eius reconciliati sumus, nunc & causas, vel cur inimici fuerimus, vel cur mor- D te filij dei indiguerit ista reconciliatio cõsequenter exponit: vt intuentes quãta nobis præstiterit Iesus, imò pro nobis quãta pertulerit, radicatiore erga eum fide, & inseparabili charitate teneamur. Ideo ergo licet non vsquequaque patefactum, indicat tamen nobis & alterius secreti rationem dicens: Propterea sicut per vnũ hominẽ mors introiuit in hunc mundũ & cętera. Sed priusquã ad explanationem totius capituli veniamus, pauca de eo qui videtur in consequẽtibus ipsius eloquij defectu, dicenda sunt. Vbi enim dicitur: Propterea sicut, necessariũ videtur quod addi debeat adimpletio quædã, vt dicatur, ita & illud vel illud, vt & ipse in nonnullis aliis locis scribit: verbi gratia, cum dicit. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Hic autem dum dixerit: Si- 1. Cor. 15. cut per vnum hominem peccatum introiuit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit: non retulit vt diceret, verbi causa, ita & per vnum hominem iustitia introiuit in hunc mundum, & per iustitiam vita, & sic in omnes homines vita pertransiit, in qua omnes viuificati sunt, hoc enim videbatur propositi eloquij sensus exposcere, secundum ea quæ in aliis ipse prosequitur. Neque enim multum differt illud quod alibi dicit: Sicut enim in Adam omnes moriuntur, & quod hic dicitur: Propterea sicut per vnum hominem peccatũ in hunc E mundũ introiuit, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Et iterum quod dixit: ita in Christo omnes viuificabuntur, nihil differt ab eo sensu, quẽ deesse elocutioni dixisse intellectui legẽtis relictũ. Sed mihi videtur Paulus qui dicit: quia sufficientia nostra ex deo est, qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti, & qui item dicit: An documentũ quæritis eius qui in me loquitur Christus? non per hæc defectu passus eloquij, sed prouspexisse aliquid vtilitatis, quo etiam si intelligi deberẽt ea quæ deesse elocutioni & subintelligenda diximus, tamen propter negligentiores quosque si forte resolui possent, si audirẽt quod sicut mors in omnes homines per peccatum, ita & in omnes homines pertransiit vita per Christum, cõsiderauit palàm hęc dici & publice non debere, simul & illud ostẽdens, quod etiã si per vnũ hominẽ iustitia introiuit in hunc mundum, & per iustitiã vita in omnes homines pertransiuit: tamen non hoc in pręsenti statim contingere, nec otiosis accidere, sed his qui multo labore & sudore potuerint quæ occulta sunt quærere, pulsare quę clausa sunt, desiderare quæ abscõdita sunt. Denique & in eo capitulo, quod pro similitudine horũ dictorũ in medio adduximꝰ, id est, Sicut enim in Adã omnes moriũtur, non dixit, ita & in Christo omnes viuificati sunt aut viuificantur, sed viuificabuntur, vt ostenderet quidem F præsens tempus esse laboris & operis, in quo per bonã cõuersationem merita cõquirantur, futurũ verò esse in quo viuificabuntur hi qui in præsenti vita Christo cõmoriuntur, sicut & alibi idem dicit apostolus: Si enim commori- 2. Tim. 2 mur, & conuiuemus. Et ideo etiã in pręsenti loco dissimulat exequi, & adimplere sermone ea quę sensu & cõsequentia videntur intelligi. Alius fortasse dicit, quia hoc quod videtur deesse in his quæ suprà diximus secundũ elocutionis ordinem, tarde quidem, sed in posterioribus redditur, vbi dicit: Sed non sicut delictum, ita & donatio. Si enim vnius delicto mortui sunt multi, multo magis gratia dei & donum gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abũdauit: & asserit ex his cõpleta esse quæ defuisse in superioribus videbantur: nec multum interesse quod ibi in omnes homines dixerit pertransisse peccatum, hic verò donum & gratiam Iesu Christi in plures abũdasse, cum & omnes homines plures esse intelligantur, & plures omnes intelligi non videatur absurdum, maxime cum in subsequentibus dicat apertius: Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ita & per vnius iustitiam in omnes homines ad iustificationem vitę. Et vt euidentius ostenderet omnes homines, & multos homines idem esse, addidit his. Sicut enim per inobediẽtiã vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti

A hunc mundum introiuit, & in hoc mūdo habitat, certum est alienos à morte & à peccato esse eos, qui per Christū, vel cum Christo mortui sunt huic mundo, & cum ipso resuscitati, cum ipso etiam in cœlestibus sedere meruerunt, conuersationem non in hoc mundo, sed in cœlis habētes. Vnde pari consequentia ostenditur, quod omnis homo primo de terra terrenus est, sicut idem apostolus alibi dicit, cum imagine terreni ambulat, & secundum imaginem terreni ambulat, carnem cogitat, & quæ carnis sunt sapit, & vix aliquando est vt conuertatur ad dominum, & spiritu dei agatur, atque effectus spiritalis fiat nouissimus Adā in spiritu viuificante. Require sane quoniam per vnū hominem in hunc mundum dicit introisse peccatum, & certum est quia hic mundum terrenum hunc appellat locum in quo homines habitant, si in nullo alio loco introiuit peccatū, neque in his locis inuenitur, vbi spiritualia nequitię in cœlestibus nominatur. Sed & illud apud temetipsum pertracta, vnde in hunc mundum introiuit peccatum, aut vbi erat priusquam huc introiret, aut si omnino erat, vel si fuit ante illud ad quem dicitur, Vsquequo inuentæ sunt iniquitates in te, & propter hoc proiicite in terram: (Mich. 1.) nobis autem de his non est tutum plura disserere, cum videamus apostolum via singulis hæc pertransisse sermonibus. Per vnum hominem peccatum introiuit in hunc mundum. Mundus autem (vt diximus) intelligendus vel locus in quo habitant homines, vel terrena & corporalis vita, in B qua mors habet locum. Cui mundo, hoc est terrenæ vitæ crucifixos se dicunt sancti, & mortuos. Et per peccatum, inquit, mors. Illa sine dubio mors de qua & propheta dicit, quia anima quæ peccat ipsa morietur: cuius mortis hanc corporalem mortem vmbram merito quis dixerit. Quocunque enim illa incesserit, hanc necesse est subsequi, velut vmbram corpus. Quod si obiiciat quis quia saluator peccatum non fecit, nec mors in eo fuit animæ per peccatum, & tamen mortem sustinuit corporalem: Respondebimus ei: quia saluator sicut cum ipse peccatum non fecerit, pro nostra tamen salute per assumptionem carnis ipse dicitur factus esse peccatum: ita & cum mortem istam nulli deberet, nec ei esset obnoxius, pro salute tamen oostra hanc velut vmbrā illius susceptæ dispensationis, quam suprà diximus, sponte non necessitate suscepit: sicut ipse dixit: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. (Ioan. 10.) Sed videamus quomodo in omnes homines pertransiit mors. In quo omnes inquit peccauerunt. Absoluta sentētia pronunciauit apostolus in omnes homines mortem pertransisse peccati in eo in quo omnes peccauerunt, sicut & alibi: Omnes enim peccauerunt, & egent gratia dei. Et ideo etiam si Abel illum iustum dixeris, non potest excusari. Omnes enim peccauerunt. (Rom. 3.) Cur enim post dies obtulit, & prius Cain obtulit hostiam ex primogenitis, & non ante ipsum, & non statim? Etiam si Enos dicas, qui sperauit inuocare nomen do- C mini. Sperauit, & cur non inuocat statim, sed dissimulat & moratur? Etiam si Enoch dicas, non scribitur placuisse vsquequo generaret Matusalem. Matusalem autem interpretatur emissio mortis. Ex quo ostenditur, quia mors ista quæ in omnes homines pertransiit etiam in ipsum transierit, sed vix aliquando sensit esse iotra se mortem, & conuersus ad dominum emisit eam à se, & abiecit per pœnitentiam: & ideo Matusalē dicitur genuisse, quod à se mortem quæ eum obsederat abiecisset. Recte ergo quod iam morti non esset obnoxius, sed abiecisset eam à se & effugasset, dicitur quod transtulerit illum deus, vt ne videret mortem. Sed & de Noe si requiras attētius, inuenies quod quingentesimo demum anno scribitur de eo, (Gen. 6.) quia Noe inuenit gratiam in conspectu domini dei, & quia iustus erat in generatione sua, & quia placuit deo: quod vtiq; si prius meruisset, nunquam id opinor scriptura diuina siluisset. Sed & si quis velit quod bibit vinum & inebriatus est ac nudatus, reputare, (Gen. 9.) inueniet ex his omnibus oon immerito ab apostolo dici: In quo omnes peccauerunt, etiam si euigilauit Noe à vino suo. Quid autem dicam & de Abrahā cui dicitur, (Gen. 12) Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui? Quod vtique non diceretur, si in domo D patris deo placere potuisset. Sed nō opus est cū ingenti periculo in his singulos quosq; enumerare sanctorū, cū sufficiat & apostoli sententia quæ mortem dicit in omnes homines pertransisse, & illius qui dicit: Nemo mundus à sorde, etiamsi vnius diei fuerit vita eius. (Iob. 15.) Sed ista mors peccati quæ in omnes pertrāsiit, cum venisset ad Iesum, & tentasset eum perforare aculeo suo, aculeus tum mortis repulsus est & confractus: vita enim erat, & mors necessario exterminabatur à vita: & tūc ad eam dicitur: Vbi est mors aculeus tuus? vbi est mors victoria tua? Ideirco enim quia omnes vicerat, hic dicitur ad eam, Vbi est mors victoria tua? (1. Cor. 15.) Sed & quod peccatum quidem non dicit in omnes homines, sed in mundum introisse: Mortem verò non in mundum, sed in omnes homines, & non introisse, sed pertransisse: non puto quod frustra hac diuersitate vsus sit Paulus. Arbitror quod mundum hic terrenos quosque, & in terrena conuersatione permanentes designet: homines verò eos dicat qui iam se incipiunt agnoscere, & scire quod ad imaginem dei facti sunt. In illos ergo qui mundus appellantur, id est terrenos, intrasse dicit peccatum, & nusquam eius exitū ponit. In eos verò quos iā homines vult intelligi dicit pertransisse peccatum: id est fuisse quidem, sed per pœnitentiam conuersionis depulsum esse, & pertransisse, nec vltra in eis stetisse. Vnde apparet, in literis Pauli ne vnā quidem syllabam vacuam sentiri debere mysteriis. Videa- E mus nunc quomodo dictū est: Vsque ad legem enim peccatum in hoc mundo. Peccatum autem non imputatur, cum lex non est. Hoc in loco secundum eam similitudinē quam suprà exposuimus, videtur mihi Paulus per alium aditum ingressus, & per alium egressus. Quis enim sequi potest eum per istum aditū quo pluribus videtur ingressus, vt de lege Moysi dicere intelligatur, quia vsque ad legem peccatum in hoc mundo: peccatum autem non imputabatur cum lex non esset? quasi ante legem peccatum non fuerit, & nemo peccauerit, nec peccatum fuerit illi peccatum, antequam lex Moysi daretur, cum legamus & Cain & Lamech reputatum esse peccatum, & ne per singulos immoremur in tantum pro peccatis hominum exacerbatum esse deum, vt diluuium mundo introduceret & diceret, Delebo omnem carnem quæ super terram est: & rursum Sodomitas igneus imber & sulphurea flamma vastauerit. Quomodo ergo vel in huiuscemodi peccatis dici potest non fuisse peccatum? vel in vindictis talibus negabitur reputatum esse peccatum? Et ideo occultiore aditu digressus nobis requirendus est Pauli in eo quod dicit, Vsque ad legem enim peccatum in hoc mundo: Peccatum autem non imputatur, cum lex non est. Inueniemus eum in posterioribus huius epistolæ dicentem hoc modo. Sine lege enim peccatum mortuum erat: ego autem viuebam sine lege aliquando. In quo vnus mihi atque idem sensus videtur vtriusque capituli. Quod enim hic deerat in ser- F mone, ibi adimpleuit. Vsque ad legem enim peccatum in hoc mundo, deest mortuum, quod ibi euidentius expressit. Si ergo etiam hic iungamus istum sermonem, & dicamus, vsque ad legem enim peccatum erat in hoc mundo mortuum, peccatum autem non imputatur cum lex non est, vide quàm integre stare poterit sensus. Sed & illud sæpe iam diximus, in hac epistola Paulum de multis quidem legibus, sed de naturali lege frequentius disputare, quod & in hoc loco præcipue deprehenditur. Vsque ad legem enim naturalem, quæ certo ætatis tempore vbi rationis capax esse quis cœperit, & iusti iniustique, æqui & iniqui habere discrimen, tunc peccatum quod prius intra hominem, velut mortuum habebatur, reuiuiscere dicitur, pro eo quod est cum intrinsecus lex quæ vetat, ratio ostēdat non esse facienda. Sed vt apertius intelligatur quod dicimus, euidenti vtamur exemplo. Scriptum est: Qui percusserit patrem vel matrem morte moriatur: & qui maledixerit patri aut matri morte moriatur. (Exod. 21.) Puer ergo paruulus quatuor ferè aut quinque annorum (sicut fieri solet) indignatus percutiat patrem aut matrem, quātum ad præceptum mandati spectat, mori debet. Sed quia lex in illo

G nondum est naturalis, quæ eum doceat non debere iniuriã facere patri aut matri, vel sciat in hoc crimen impietatis admitti: est quidem species peccati quod facit, matrem enim percutit, vel maledicit: sed mortuum est in eo peccatum, quia per absentiam naturalis legis, quæ in eo nondũ est, peccatum ei non potest reputari. Nondum est enim intra eum ratio tanta quæ eum doceat hoc quod facit, fieri non debere: & ideo etiam à parentibus non solum non reputatur ad culpam, sed ad gratiam iucunditatemque suscipitur. Et hoc modo consequenter (vt ego arbitror) intelligi potest quod apostolus dicit: Vsque ad legem enim peccatum in hoc mundo, vt subaudiatur mortuum. Peccatum
Rom. 7. autem non imputabatur, cum lex non esset. Conuenit e-
Phil. 3. nim secundum hanc expositionem etiam illud quod dicit Apostolus: Ego autem viuebam sine lege aliquando. Nam quomodo Paulus sine lege Moysi inuenitur aliquando vixisse, cum ipse de se dicat, quia Hebræus ex Hebræis sit, & octaua die circumcisus, statim à natiuitate in Moysi legis obseruantia fuerit? Sed constat eum aliquando, hoc est in puerili ætate, antequam rationis capax fieret, sine naturali lege vixisse. Nondum enim ei in illa ætate inerat iusti iniustique distinctio, nec recti prauique parebat examen.
Rom. 7. Quod de naturali lege dici in sequentibus euidenter ostẽdit, cum dicit: Sed vbi venit mandatum, peccatum reui-
H xit: ego autem mortuus sum. Per quod declarat illius ætatis peccata fuisse quidem, sed mortua habita, quia non reputabantur ad culpam. Vbi verò, inquit, cœpi scire quid agendum sit, quid cauendum, & mandatum legis intra me vigentis accipere: tunc in me reuixit peccatum, quod prius per absentiam legis mortuum videbatur. Et ego, inquit, mortuus sum: cœpit enim mihi iam reputari peccatum. Sed hæc Basilides non aduertens de lege naturali debere intelligi, ad ineptas & impias fabulas sermonem apostolicum traxit in Pythagoricum dogma: id est quod animæ in alia atque alia corpora transfundantur, ex hoc apostoli dicto conatur astruere. Dixit enim, inquit, apostolus, quia ego viuebam sine lege aliquãdo: hoc est antequam in istud corpus venirem, in eam speciem corporis vixi quæ sub lege non esset, pecudis scilicet vel auis. Sed non respexit ad id quod sequitur, id est: Sed vbi venit mandatum, peccatũ reuixit. Non enim dixit se venisse ad mandatum, sed aduenisse mandatum: & peccatum non dixit non fuisse in se, sed mortuum fuisse & reuixisse. In quo vtique ostendit quod de vna eademque vita sua vtrunque loqueretur. Verum Basilides & si qui cum ipso hoc sentiunt, in sua impietate relinquantur, nos autem Apostoli sensum secundum pietatem ecclesiastici dogmatis aduertamus. Sed & hoc ipsum quod dicit, Peccatum erat in hoc mundo, & nõ
I dixit in hominibus, cum vtique sint in mundo & pecudes & cætera animalia, & arbores, ex quibuscunque hic mundus constat, nec tamen in his creditur esse peccatum, quale si requiramus. Videtur mihi quod hic homines illos sentiat qui iam rationis capaces sunt, & naturalibus legibus parent: illam verò ætatem quæ nondum ad capacitatem rationis accessit, non tam homines quam mundum appellauerit, pro eo quod partes quidem mundi sint, nondum tamẽ in hoc venerint vt imaginem in se dei, ad quam homo factus esse dicitur, capacitate rationis expresserint. Sed & illud velim, nisi plus iusto curiosum videtur, inquirere: ne forte secundum eos qui Moysi legem in his intelligi volunt per hoc quod dicit: Peccatum autem non imputabatur cum lex non esset: videatur etiam diabolus & angeli eius absolui, si vbi lex non est, peccatum non reputatur. Et quomodo ante legem Moysi, vel serpens condemnatus est, vel inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum? Quomodo etiam quod Iudas apostolus in epistola catho-
Iud. 1. lica dicit, poterit explanari? Ait enim ita. Angelos quoque qui non seruauerunt principatum suum, sed dereliquerunt domicilium suum, in iudicium magni diei æternis vinculis constrictos sub caligine reseruauit. Ex quibus omnibus magis ac magis constat de ea lege hæc Apostolum dicere, quam vnusquisque hominum, siue etiam angelorum, diuina quadam dispensatione vel munere intra se naturaliter

gerit: cuius tanta vis est, & tanta potentia, vt etiam ange- K
los arguat, nec personam vllius dignitatis excipiat: & nisi a fecerit hoc quod superius apostolus Iudas dicit: vt angeli qui non seruauerunt principatum suum, sed dereliquerunt domicilium suum, ad iudicium magni diei æternis astricti vinculis seruarentur. Ipsa est lex quæ etiam diabolũ & angelos eius in ignem æternum, qui eis præparatus est, pertrahit. Et sicut certum est quia neque illi angeli æternis astricti vinculis ad iudicium seruarẽtur: neque isti in ignẽ æternum qui eis præparatus est mitterentur, nisi quia positam sibi a deo legem non seruauerunt: neque ad iudicium venirent, nisi contra legem aliquid commisissent: ita certum videtur quia si custodissent positam sibi legem, neque isti in ignem æternum, neque illi sub æterna caliginis vincula decidissent. Superest etiam illud, vt pro viribus discutiamus quomodo dictum sit: Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen etiã in eos qui nõ peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. Tertio nunc Apostolus de morte commemorat. Primo ait quod per peccatum mors introiuit in hunc mundum. Secundo, in omnes homines, inquit, mors pertransiit. Nunc verò: Regnauit, inquit, mors ab Adam vsque ad Moysen. Et sciẽs esse per hæc singula aliquas differentias, quando quidem introierit, & quando regnauerit, indicauit. Tunc, inquit introiuit, cum primus homo deliquit: & quomodo in- L
troierit dicit. Peccatum inquit. Et nunc regni eius tempus ab Adam vsque ad Moysen designat: quando autem pertransierit non ostendit. Videtur ergo mihi in his describere Apostolus velut tyranni alicuius ingressum, qui voluerit regnum legitimi regis inuadere, & primo quidem fauces ipsas & aditus regni occupauerit præuaricatione custodis: tunc deinde cunctorum animos ad se inclinare tentauerit, & maxima ex parte potuerit, & ita indebitum sibi vendicauerit regnum. Hoc ergo per tyrannidem regnante mittitur dux electus à rege legitimo Moyses, qui occupatos ab eo populos ad ciuilis imperij iura reuocaret, & in regis veri legibus edoceret. Ille tunc tyrannus, id est mors peccati, quæ per præuaricationem primi custodis irrepserat, regnabat super omnes illos qui ad eũ simili vt ille primus præuaricatione declinauerunt. Sed iste legitimi principis dux agit omnia quatenus aliquos ex peccati & mortis regno diripiat, & obtinuit tandem vt vnam gentem & si quis se huic voluisset sociare conuerteret: & ex præcepto regis primi sacrificia instituit, quibus certa solennitate oblatis diceret: Et remittetur ei peccatum. Et ita demum ex parte aliqua homines cœperunt de regno peccati mortisque liberari. Nam tyrannus ille qui dicitur mors, ab Adam qui primus præuaricatione sui ingressum ei dederat vt in omnes homines pertransiret, regnabat vsque ad Moysen M
iustum quem diximus ducem, qui missus à deo omniũ rege regnum eius cœpit infringere, & sub legem iusti principis reuocare. Regnauit ergo mors ab Adã vsq; ad Moysen, secundum eam speciem quam supra posuimus: non super omnes, sed in eos qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ. Nam introiuit quidem mors in mundum, & in omnes pertransiit, non tamen in omnes regnauit. Aliud est enim pertransire, & aliud regnare. Peccatum enim pertransiit etiam iustos, & leui quadã eos contagione perstrinxit. In præuaricatoribus verò, id est his qui se ei tota mente ac deuotione subiiciunt, regnum tenet, & omni potestate dominatur. Regnauit ergo mors ab Adam, qui primus transitum peccato in hoc mundo præuaricando patefecit, vsque ad Moysen, id est vsque ad legem. Per legem enim purificatio peccatorum cœpit aperiri, & ex parte aliqua tyrannidi eius obsisti per hostias, per expiationes varias, per sacrificia, per præcepta. Sed quoniam tanta eius erat dominatio quæ vires legis excederet, mittuntur in auxilium regis prophetæ. Sed & ipsi præuidentes supra vires suas esse tyranni potentiam, aduentum præsentiamque ipsius regis exorant, clamantes ad deum, Emitte lu- Psal. 42.
cem tuam & veritatem tuam: & iterum, Inclina cœ- 143.
los tuos, & descende: & rursum, Exurge domine fer opem nobis. Affuit ergo Iesus Christus filius dei, & in

A & in quo lex infirmabatur per carnem, deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne: & mundum quidem reconciliauit deo, cum autem principatus & potestates tyranni triumphans eas in semetipso. Verum in hæc per excessum quendam prolapsi videmur: sed ad propositu redeamus. Igitur mors peccati regnauit ab Adam vsque ad Moysen, id est vsque ad aduentum Christi. Moyses enim lex appellatur, & lex (sicut scriptum est) vsque ad Ioannis baptismũ habuit locum, ea quo cœpit Iesus regnum dei prædicare. Quod autem excepit certos quosque in quibus mors regnauerit, cum dicit, Regnauit mors in eos etiam qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ: non mihi videtur dici absq; mysterij alicuius indicatione. Forte ergo fuerunt aliqui vsque ad illud tempus, quo sub lege velut sub pædagogo homines habebantur, qui tale aliquid egerint quod Adam in paradiso egisse describitur, & contigisse ex ligno sciendi bonum & malum, & erubuisse nuditatem suam, atque ab habitatione paradisi decidisse. (Gen. 3.) Aut magis simpliciter accipiendum videtur similitudo præuaricationis Adæ absque aliqua discussione recipiẽda, vt hoc sermone omnes qui ex Adam præuaricatore nati sunt indicari videantur, & habere in semetipsis similitudinem præuaricationis eius non solũ ex semine, sed ex institutione suscepta. Omnes enim qui in hoc mundo nascuntur non solum nutriuntur à parentibus, sed & imbuuntur, & non solum sunt filij peccatorum, sed & discipuli. B Vbi verò ætas adoleuerit, & agendi quæ sentit libertas accesserit, ibi iam aut pergit quis in viam patrum suorum, sicut de nonnullis regibus scribitur, aut certe incedit in viã domini dei sui. Denique de Abel tale aliquid mihi indicari videtur in eo quod scriptum est: Obtulit autem post dies Abel hostiam deo ex primogenitis ouium, & ex adipibus earum. (Gen. 4.) Quod ergo dixit post dies, hoc ostẽdit, quia primis quidem vitæ suæ diebus paternæ præuaricationis institutionibus tenebatur: post illos verò dies vbi resipuit, vbi respexit ad deum naturæ lege commonitus, dicitur tunc obtulisse hostiam deo. Potest ergo vel hoc modo locus iste simpliciter exponi, vel occultatum in eo quod dicit in similitudinem præuaricationis Adæ sacramentum, & prope ineffabiliter reconditum, subtili quadam linea intelligentiæ colligi: vt si quis ponat mortem hanc quæ regnasse dicatur ab Adam vsque ad Moysen, id est vsque ad legis finẽ, & principium Christi, illam de qua in Propheta scribitur tanquam ex persona domini dicentis, De manu inferni eripiam eos & de morte liberabo eos. Aut certe quid sint excepti aliqui, & occultiore mysterio designati, qui ad similitudinem præuaricationis Adæ peccasse memorantur, in quos solos regnauerit mors. Si verò vt in nonnullis exemplaribus habetur, etiam in eos qui non peccauerunt in C similitudinem præuaricationis Adæ mors ista, id est quę in inferno animas detinebat, regnasse dicatur, intelligimus & sanctos quosque sub ista morte, etiam si non peccãdi at certe moriendi lege decidisse: Christum verò idcirco in infernum descẽdisse, non solum vt ipse non teneretur a morte, sed vt & eos qui inibi non tam præuaricationis, vt diximus crimine, quàm moriendi conditione habebantur, absolueret: sicut scriptum est: Quia multa corpora sanctorum dormientium surrexerunt cum illo, & ingressi sunt in sanctam ciuitatem. (Matt. 27.) In quo Prophetæ dicta complentur, qui ait de Christo. (Psal. 68.) Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Et hoc modo per resurrectionẽ suam mortis quidem iam regna destruxit, vnde & captiuitatem scribitur liberasse: ipsum verò inimicum & tyrannũ, cuius regna dissoluuntur, audi quando dicat Apostolus destruendũ. (1. Cor. 14) Nouissimus inquit, inimicus destruetur mors. Regnum verò mortis iam destructum est, & captiuitas quæ sub ea tenebatur abducta est. Sed quia ipse inimicus & tyrãnus adhuc in nouissimo & in fine seculi destruendus: idcirco etiã nũc videmus eum non tam regnare quàm latrocinari: & depulsum regno, per deserta & auia circumeuntem quærere sibi infidelium manum: & ideo clamabat Apostolus: (Rom 6.) Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediẽdum desideriis eius. Verum nos cõtenti perstrinxisse paucis ea quæ Apostolus obiecta esse voluit, sequentia requiramus. D Addidit post hæc: Qui est forma futuri. Quod quidem ambiguũ mihi videtur, vtrum ex eo tempore quo hæc scribebat Apostolus, Adam futuri forma dicitur, quod est seculi venturi: an a semetipso id est ab Adam futuri, vt in Christo accipiatur, quod tempus Apostolo hæc scribenti futurum non erat, sed præteritum: quamuis & in alio loco cum de Adam & Eua loqueretur idem Apostolus dixerit: Mysterium hoc magnum est: ego autem dico in Christo & ecclesia: (Eph 5.) in quo videtur hoc magis nobis ad intelligendum dedisse, quod forma futuri dicatur Adam in eo quod aduenit Christus ad ecclesiam sibi sociandam. Nescio sane quomodo quis possit & præuaricationem eius & peccatũ, & hoc quod mors per ipsum in omnes homines pertransiit, in forma Christi coaptare, nisi forte ex contrariis, vt idem Apostulus in superioribus exponit: cum dicit, Sicut enim per vnum hominem mors, ita & per vnum resurrectio mortuorum: & iterum, Sicut enim per inobediẽtiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obediẽtiam iusti constituentur multi. Si verò intelligamus Apostolum à suis temporibus quibus hæc scribebat, dixisse Adam futuri esse formam, ita magis intelligitur: quod sicut in hoc seculo mors regnauit per vnũ Adã, & mortale effectum est omne hominum genus: ita & in futuro seculo vita regnabit per Christum, & immortalitate donabitur omne hominum genus. E Similiter autem vt in hoc ambiguum diximus esse sermonem quo ait, Qui est forma futuri, inueniemus ad Colossenses ambigue scriptũ vbi dicit. (Collo. 2.) Nõ ergo vos iudicet quisquam in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniis, aut sabbatis, quæ sunt vmbra futurorum. Et item alibi idem Apostolus dicit: Vmbram enim habet lex bonorum futurorum. In quibus vtiq; similis disputatio est, verũ cibus & potus, & festi dies, neomeniæ, & sabbata, ita habeant vmbram futurorum, vt in aduentu Christi veritas vmbræ ipsius adimpleta sit, aut in futuro seculo sit implenda. Sed & totam legem quod dicit Apostolus vmbram habere futurorum bonorũ verum in aduẽtu Christi, an in futuro seculo vmbræ istius explenda sit veritas, incertũ est, quia in alio loco scribitur etiam de his quæ sub lege sunt quod formæ & vmbræ deseruiant cœlestium. Qui ergo vult astruere quod in aduẽtu Christi ista completa sint, cibi & potus rationes confirmabit expletas in eo, vbi Petrus per visionem vidit in linteo omne genus animalium deponi, & audiuit vocem: (Act. 10.) Quod deus mundauit tu ne commune dixeris: quod ad diuersos vtique hominum mores refertur: & poculũ dicet esse calicem noui testamenti: diem quoque festum probabit, vbi F pascha nostrum immolatus est Christus, & diem festũ celebramus non in fermento veteri, sed in azymis synceritatis & veritatis. Similiter & neomenias hoc est nouos menses fieri ostendet per Christum solem iustitiæ, & apostolos eius. Sed & sabbata obseruare docebit, non portãdo onera peccati, sed stando vnum quenque stabiliter in loco suo, non accendentem ignem: de quo per prophetam dicitur: Ite in lumine ignis vestri & flamma quam accendistis vobis. (Esa. 50.) Alius verò qui formas istas & vmbram legis ad futurũ seculum transfert, & ministeriorũ cœlestium has esse ducit imagines in illa cœlesti Hierusalem complendas, de cibo & potu conabitur assignare secundum ea quæ dominus dicit: (Luc. 22.) Donec bibam illud nouum vobiscum in regno patris mei. Sed & diem festum dicet secundum Prophetæ dictum: Quid facietis in die solennitatis, & in die festo domini? Neomeniam verò id est nouos menses in illis æternis annis requiret: de quibus dicit Propheta: Memoratus sum annos æternos, & meditatus sum, & iterũ in cantico Deuteronomij: Recordamini dies æternos, & de sabbato dicitur: (Psal. 77.) Relinquetur ergo sabbatismus populo dei. (Deut. 32.) Et astruet, qui sicut hæc singula formam futuri seculi tenẽt, ita potest etiam Adam de quo dicitur, Qui est forma futuri, conferri ad futuri seculi rationem: & propterea cum præmissum esset de his qui peccauerant: In similitudinem præuaricationis Adæ, additum est: Qui est forma futuri. Sed nos

G sicut delictum ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit, & non sicut per vnum peccatum, ita & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.]

Cum in superioribus dixisset Apostolus de Adam qui est forma futuri, videns quia requiri posset, quia si Adam forma Christi est, ergo & in eo quo peccauit necesse est vt formam Christi habuerit, & in eo quo regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen: hoc autem de Christo sentire videbatur absurdum, continuo subiungit: Sed non sicut delictum ita & donum: & incipit ex hoc sermone veluti semetipsum explanare quomodo formam Christi dixerit esse Adam. Si enim, inquit, vnius delicto multi mortui sunt, in Adam videlicet, multo magis gratia dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundabit: id est, si in vno peccante locum mors inueniens in plures potuit diffundi, multo magis gratia dei, quæ in Christo est, copiosius & latius abundabit, quam mors Adam in plures diffundatur: & intantum non est eadem delicti quæ & doni, vt cum iudicium habitum sit de Adam, & vno ipso delinquente condemnatio in omnes homines venerit, econtrario verò per Christum ex multis delictis quibus omne genus hominum tenebatur, iustificatio data sit in omnes:
H vt sicut mors per vnũ regnauerat in delictis, ita & per vnius obedientiam vita regnaret per iustitiam. Igitur non sine profunda arte dicendi Apostolus formam Christi esse Adã posuit, quæ sit per genus similis, per speciem contraria. Per genus nanque similis est forma in eo, quod sicut ab vno Adam in plures homines diffunditur, ita & ab vno Christo in plures homines diffundatur. Per speciem verò contraria, quod ex Adam præuaricatione cœpta peccatores constituti sunt multi, Christi verò obedientia iusti constituentur multi. Quia ergo quatenus forma Christi fuerit Adam, siue in similibus, siue in contrariis, secundum rationem eloquij ipsius explanatum est, nunc etiam quæ interior sensus Apostoli indicet in his, vel potius contegat videamus. Et quamuis periculosum videatur ea quæ occultius in Apostoli scriptis posita sunt patefacere, tamen qua ex parte possibile est indicia quædam ex his diuinæ bonitatis colligere non puto absurdum videri. Proposuit Apostolus ostendere quid humano generi intulerit primus Adam qui factus est in animam viuam, quid etiam secundus Adam qui est in spiritum viuificantem. Ex illius, inquit, præuaricatione peccatum apparuit, & per peccatum mors ingressa est in omnes homines, immo vt seruemus Pauli literis moderationẽ suam quam in præsenti loco tenuit, in multos homines mors pertransiit. Per obedientiam verò Chri-
I sti iustificatio, & per iustificationem vita multo magis in plures abũdabit. Et ostendere vult quod multo sit fortior vita quam mors, & iustitia quàm peccatum: & per hoc edocere quia si ita per peccatum mors regnare in omnibus potuit, accipiens ex vnius hominis inobedientia initium, quanto potentius & dignius per iustitiam vita regnabit, initium accipiens per vnius obediẽtiam Christi, Christus, inquam, ad hoc opus non conditionis necessitate, sed sola miseratione permotus accessit. In forma enim dei erat, & videns vnius hominis delicto mortem regnare per populos, creaturæ suæ non obliuiscitur, nec rapinam ducit esse se æqualem deo: hoc est non sibi magni aliquid deputat quod ipse quidem æqualis deo, & vnum cum patre est, opus verò suum depascitur mors vnius hominis ingressa delicto. Exinaniuit igitur seipsum de æqualitate & forma dei, & serui suscepit formam, & fit homo: ad quem tentãdum auderet quidem venire ille qui regnabat in omnibus, sed intrare non posset. Mortem tamen istam communem suscepit, cum illam peccati quæ regnabat in omnibus non receperit: vt sicut per hominem mors, ita & per hominem fieret resurrectio mortuorum: & sicut vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia dei & donum in gratia v-
1 Co. 2. nius hominis Iesu Christi in plures abundaret. Non autẽ absque profunda sapientia quã Paulus inter perfectos loquitur se dicit, in hoc loco sermones suos moderatus est & K
quod alibi omnes dixerat, hic multos vel plures appellauit, vbi comparationem diffusi in omnes homines peccati & mortis ab Adam facit, & iustificationis ac vitæ à Christo: & ne forte si absolute pronunciaret, quia pari ratione atque eodẽ ordine quo ab Adã in omnes homines mors dissoluta peccati est, etiã iustificatio & vita quę a Christo est, in omnes homines diffunditur, resoluerẽtur auditores, & segniores fierent erga obseruantiam, certi de securitate vitæ quæ in omnes homines per Christi gratiam traderetur. Et ideo imprimit sermonem, & non omnes homines (sicut solet in cæteris) ponit, sed multos, qui vnius delicto peccatores constituti sunt: & rursum in gratia dei donum per vnum hominem Iesum Christum, non in omnes, sed in plures asserit abundare: quo & negligentiores metu suspendat ac solicitos faciat, & perfectioribus diuinæ bonitatis secreta non claudat. Bene autem quia plures posuit ad quos donum gratię pertinet, quàm eos qui vnius delicto constituti sunt peccatores: in quo arbitror quidem aliquid & latentis esse [illegible] mysterij: quia & alibi mortem dicit regnasse ab Adam vsque ad Moysen, non in omnes, sed in eos tantum, qui secundum similitudinem præuaricationis Adæ peccauerunt. Tamen & simpliciore intellectu potest videri ideo plures dictos, quia quamuis qui ex Adam peccatores facti sunt, multi sint tamen qui per gratiam Christi viuificãtur, ideo plures dicti sint. quia etiam ille ipse ex quo in cæteros L
mors peccati diffusa est, additur numero eorum, eo quod cum omnibus quos ipse fecerat sub delicto etiam ipse saluetur, sicut de sapientia dicitur. Hæc, inquit, illum qui primus factus est patrem mundi cum solus esset creatus custodiuit, & liberauit eum de peccato suo. Quæ est autem hæc sapientia quę primum hominem liberauit de peccato suo, nisi Christus, qui est dei virtus & dei sapientia? Sic ergo plures Christus reducit ad vitam, quàm Adam duxit ad mortem: quia etiam ipsum Adam qui cæteris causa extitit mortis, Christus reuocauit ad vitã: vt verum sit illud quod in consequentibus scribit Apostolus, quia primus gratiam in omnes homines iustificatione vitæ: Homo autem est etiam Adam: ergo & in ipsum iustificatio vitæ perueniet. Sed dices fortasse: si vno peccãte in omnes homines mors pertransiit, & rursus vnius iustitia in omnes homines iustificatio vitæ peruenit, neque vt moreremur aliquid nobis gestum est, neque vt viuamus, sed est mortis quidem causa Adam, vitæ autem Christus. Diximus quidem iam & in superioribus, quod parentes non solum generant filios, sed & imbuunt: & qui nascuntur, non solum filij parentibus sed & discipuli fiunt, & non tam natura vrgentur in mortem peccati quàm discipulatu. Nam verbi causa si quis à deo recedens idola colat, nonne continuo etiam filios si genuerit docebit venerari & sacrificia offerre dæmoniis? M
Hoc secundum Adam facit, & in his regnat mors ab Adã, hoc est à natiuitate, vsque ad legis tempus: quod ad discretionem recti prauique operis veniens capax Christi gratię effici potest: & ibi relinquit Adam qui eum vel genuit, vel docuit in mortem, & sequitur Christum, qui eum & docet, & gignit ad vitam. Vis autem scire quia non solum natiuitatis sed & doctrinæ est, in quo mors regnauit ab Adã, disce hoc ex contrariis: etenim dominus Iesus Christus cũ venisset quæ perperam gesta fuerant emendare, pro eo quod in mortem generaret illa quæ ex Adam veniebat prima natiuitas introduxit secundam natiuitatem, quam regenerationem appellauit, per quam sine dubio vitium primæ natiuitatis aboleret: & sicut generationem, ita & doctrinæ substituit aliam doctrinam, mittens etenim ad- Mat. 18.
hoc opus discipulos suos, non dixit tantum: Ite baptizate omnes gentes, sed ait: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Sciẽs ergo vtrumque esse in culpa, vtrumque remedium dedit, vt generatio mortalis regeneratione baptismi mutaretur, & impietatem doctrina pietatis excluderet. Tunc ergo nihil peccantibus nobis mors regnauit in nobis: sicut rursum non otiosis nobis, & nihil agentibus vita regnabit in nobis. Sed initium quidem vitæ datur à Christo, non inuitis, sed cre-

A sed credentibus, & peruenitur ad perfectionem vitæ perfectione virtutum, sicut in mortem dudum præuaricationis similitudine, & vitiorum expletione peruentum est. Et quamuis tanquam prudens dispensator verbi Dei Apostolus Paulus occulta hæc in literis suis esse voluerit & obtecta, inseruit tamen nec siluit in eo vbi dicit: Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen in eos qui peccauerũt in similitudinem præuaricationis Adæ. Vides ne vt à peccato nullum Paulus excuset? Sed & peccati genus designat, similitudinem præuaricationis Adæ in vnoquoque constituens, licet vbi, quando, aut quomodo ab vnoquoque similitudo ista præuaricationis admissa sit, tutum non credidit apertius proloqui. Sed qui eruditus est ex lege domini, scit intelligere obscurum sermonem dictáque sapientiũ & ænigmata. Ideo etiam denique de salute quæ in Christo, occultius loquitur: & cum dixisset: Sicut enim in Adã

1.Cor.15. omnes moriuntur: non dixit, ita & in Christo omnes viuificantur, sed viuificabuntur. Et rursum cum dixisset: Sicut enim vnius peccato mors regnauit per vnum, ita & per vnius iustificationem non dixit regnat vita, sed regnabit vita per vnum Iesum Christum. Sciebat enim, vt dixi, scriptũ esse, quia fidelis spiritu celat negotia: & item alibi, Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te. Si enim interroges quando vita regnabit per Iesum Christum, & quando iustitia eius in omnes homines iustificationem vitæ efficiet, quãdo in omnes ista

B beatitudo perueniet? ipsius domini Iesu Christi sermonibus disce, quibus dicit ad discipulos. Audistis hæc omnia?

Ioan.13. Dicunt ei: etiam domine. Ait eis, Beati estis si feceritis ea. Tunc ergo beati erimus cum verbum Dei non solum audire & intelligere, sed & facere possimus. Quamuis enim promittatur exeundum esse quandoque de carcere, tamen designatur non inde exiri posse, nisi reddat vnusquisque etiam nouissimum quadrantem. Quod si etiam quadrantis (quæ est minima peccati pœna) pœna non remittitur, nisi in carcere vt per supplicia luatur: quomodo quis spe impunitatis resoluetur, aut donũ gratiæ peccandi libertatem præbibit? Igitur ex vno quidem Adam cœpit in hoc mundo regnare peccatũ, & regnauit in eos qui secuti sunt præuaricationis Adæ similitudinem, & ideo iudicium ex vno in condemnationem: & rursum per vnum dominum nostrũ Iesum Christũ gratia regnare cœpit per iustitiã, quæ & regnabit omnibus qui obediunt ei, & custodiũt verba eius, & per hæc ex multis delictis veniũt ad iustificationem vitæ. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis qui abũdantiam gratiæ & donationis iustitiæ accipientes erunt in vita, regnabũt per Iesum Christum.] Si esset sicut delictum ita & donum, dixisset vtique Apostolus, quia sicut vnius delicto mors regnauit per vnum, ita & per vnius iustitiam vita regnabit per vnum Iesum Christum.

C Nunc autem dicit quia mors quidem vnius delicto regnauit per vnum, omnes autem abundantiam gratiæ, & dona iustitiæ accipiunt, vt non solum vita nunc regnet in eis mors (quod & ipsum vtique non paruæ esset gratiæ) sed & alia duo eis cõferuntur bona: Vnu quod pro morte vita in eis regnat Christus Iesus: aliud, quod etiam ipsi regnabunt per vnum Iesum Christum. Cum ergo necessaria hęc in eos veniant bona, id est vt regnum mortis effugiant, & pro morte regnet in eis vita, immo vt & ipsi regnent in vita per vnum Iesum Christum: manifestũ est quomodo non sit ita delictũ sicut & donum: & quomodo dicatur, multo magis gratia dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abũdabit. Et illud: Gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Sed & hoc in præsenti quod dicit, Multo magis abundabit gratia & donum iustitię, accipitur in vita, regnabit per vnum Iesum Christum dominum nostrum. Quod ergo ait: Vnius delicto mors regnauit per vnum: ostendit quia per delictũ morti regnum datur: nec potest regnare in aliquo, nisi ius regni accipiat ex delicto. Per quod indicari videtur, quod cum libera à Deo creata sit anima, ipsa se in seruitutẽ redigat per delictũ, & velut chirographa immortalitatis suę, quę a creatore suo acceperat, morti tradat. Anima enim quæ peccat ipsa morietur. Ipsa denique anima clamat per prophetam dicens: D

In puluerem mortis deduxisti me. Quod vtique ei nisi ex delicto non potuisset accidere. Vnde euidenter apparet eã per delictum chirographa sui conscripsisse cum morte, vt & libertate immortalitatis amissa, iugum peccati, & regnũ mortis exciperet. Volens igitur Apostolus ostendere quãto maiora per Christum anima recipit quàm amiserat per Adam, frequentat istos sermones, vt dicat, multo magis & abundantia gratiæ, & donum iustitiæ regnabit per vnum Iesum Christum. Quę omnia vtique declarant multo abũdantiora esse dona quam damna. Sed require, isti quos dicit regnaturos in vita per Iesum Christum, super quos regnabunt? Videtur mihi quod sicut mortis regnum in eos ostendit fuisse quos sibi peccãdo fecit obnoxios: ita & eorum qui abundantiam & dona iustitiæ accipiunt, & per vnum Iesum Christum regnaturi dicuntur, regnum ostẽdat futurum super illos qui eis eruditionem regni Dei subditi fuerint, & vt ita dicã, qui sapientiæ, & iustitiæ, ac vitæ quæ in eis est, & super quam regnant, capaces fuerint inuenti. Vnde & non otiose videtur mihi Apostolus, qui in cæteris locis dixerat: Quia in omnes homines mors pertransiit: & iterum, In plures abũdauit: & iterum: Ex multis delictis in iustificationem: hoc in loco neque omnes, neque multos, neque plures posuisse: sciẽs ad paucos pertinere istius beatitudinis summam, qui abundantiam gratię, & dona iustitiæ accipientes in vita regnant per vnum Iesum Christum. E

Ipsius autem mortis hoc describitur regnum, quæ in aliis dicitur inimicus esse Christi vltimus vel nouissimus destruẽdus. Destruetur autem in eo vt vltra nõ regnet. Quod si nõ regnat, certum est iam nec delictum futurum esse, in quo solo mortis est regnum, tunc sine dubio eum ad eam dicetur: Vbi est mors aculeus tuus? Quoniam quidem vt 1.Cor.15

ipse Apostolus dicit, aculeus mortis peccatum est, virtus autem peccati lex: restat ergo tunc neque legem futuram, si quidem peccati virtus ipsa dicatur, vt peccati virtute sublata, merito possit & regnum mortis aboleri. Sed hæc in excessu nunc dicta sint: suis enim in locis opportunius requirentur. Velim tamen percontari, quando quidem mortem regnum vsque ad pręsentiam Christi, qui est vita, diximus tenuisse: venisse verò Christum dicit Apostolus non solum ad mortem destruendam, sed & ad illum ipsum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum: hoc est antequam illud fiat quod scriptum est, Deinde finis cum tradiderit regnum deo & patri: quis regnat? Si enim dicamus id quod consequens videtur, quia vita regnat morte destructa, potest nobis occurri: quomodo ergo peccatur, & manifestum est mortem regnare per peccatum? Si verò dicamus in quibusdam regnare Christum, hoc est vitam, & in quibusdam mortẽ: vbi inueniemus in quibus ita regnum sit vitæ, vt regnum mortis in eis non habeat potestatem, hoc est qui penitus absque peccato sint? quæ mihi F

videntur magis ad futurum pertinere regnum, & ibi hæc esse complenda dicitur: quia sit Deus omnia in omnibus.

Idcirco enim & in oratione dominica dicere docemur, Ibid.

Adueniat regnum tuum, quasi quod nondum aduenerit: & ipse dominus in initio prædicationis suæ non dicit: venit regnum cœlorum: sed appropinquauit regnum cœlorum. Præsens verò tempus non tam regni dixerim videri quàm belli, per quod bellum futurum regnum quæratur: quamuis hoc ipso belli tempore, quia iam ex aliqua parte regnum mortis infringitur, & paulatim destruitur, quod prius in omnes homines fuerat dilatatum, Christus regnare dicatur, secundum illud quod scriptum est: Oportet enim eũ regnare donec ponat omnes inimicos eius sub pedibus eius. Et item alibi dicit: Nunc autem necdum videmus subiecta esse omnia. Vnde apparet quia hoc quod dicit, Oportet eum regnare, pro regnũ parare posuerit. Certum est enim quia pugnandum est & alligandus est fortis, & sic vasa eius diripienda sunt. Et ideo etiam ipse saluator dicit: Non veni pacem mittere, sed gladium. Tamdiu verò pugnandum est ab his qui regnare volũt in vita per Iesum Christũ, donec nouissimus inimicus destruatur mors. Sed & de abundantia gratiæ, & donis iustitiæ sciendũ est, quia

G ad istud regnum quod diximus præparari per bellum, non
venit aliquis qui vnam gratiam consecutus est, hoc est, qui
in vno aliquo opere placuerit, sed abundantia gratię requi-
ritur, secundum eum qui dicit: Abundantius autem quam
omnes illi laboraui: non autem ego, sed gratia dei mecum.
Ibid. Similia quoque etiam iis quos imbuit precatur, cum dicit:
Gratia vobis & pax multiplicetur. Multiplicatur ergo
gratia & abundat, si & sermo noster semper in gratia sa-
le sit conditus, & opus nostrum cum gratia humilitatis
& simplicitatis fiat, & omnia quæ agimus ad gloriam dei
agamus. Similitèr etiam de dono iustitiæ accipiendum.
Nihil enim sine iustitia agere debet qui iustificatur à Chri-
Psal. 105 sto, secundum eum qui dicit: Beati qui custodiunt iudi-
cium & faciunt iustitiam in omni tempore: & secundum
Sap. 7. quod sapientia pronunciat dicens: Quia & si perfectus sit
quis in filiis hominum, si non adsit iustitia à deo in nihilū
reputabitur: & hoc modo qui habuerit abundātiam gra-
tiæ & dona iustitiæ, in vita regnabit per vnū Iesum Chri-
stum. Itaque sicut per vnius delictum in omnes homi-
nes in condemnationem, ita & per vnius iustitiam in om-
nes homines in iustificationem vitæ. Iam & superius dixi-
mus quod per delictum Adæ velut aditus quidam datus
H est, quo in omnes homines vel peccatu, vel mors peccati,
Ioan. 10. vel condēnatio perueniret. E contrario ergo Christus adi-
tum iustificationis aperuit, per quem vita ingrederetur ad
homines & ideo dicebat de semetipso. Ego sum ostiū, per
me si quis ingressus fuerit saluabitur. Sed de his iam in su
perioribus satis dictum. Illud tamen obseruandū est, quod
non dixit in omnes homines in cōdemnationem mortis,
sed tantùmodo in condemnationem, quo scilicet in omni
bus probet multo abundantius donum esse quam delictū.
Quomodo sane vel quæ condemnatio in omnes homines
venerit videndum est: & sufficere fortitan potest secundū
simplicem expositionem, vt dicamus condemnationem
esse delicti communem hāc mortem, quæ omnibus venit,
& veniet etiam si iusti videantur. Quod si forte aliquis ob
iiciat de Enoch & Helia qui translati sunt ne viderent mor-
tem, id quod modo excusabitur, quod non continuo falsa
videantur ea quæ de omnibus dicuntur, si aliqua dispen-
satio dei in vno vel duobus hominibus facta est. Sed & il-
lud quis cōpetenter (vt arbitror) proferet in loco, quia cū
deliquisset Adam, scriptum est quod eiecit eum dominus
Gen. 3. de paradiso, & constituit eum de terra hac contra paradi-
sum delitiarum: & hæc fuit delicti eius condemnatio, quæ
in omnes homines sine dubio peruenit. Omnes enim in lo
co huc humiliationis & in conualle fletus effecti sunt: si-
ue hoc in lumbis Adæ fuerunt omnes, qui ex eo nascūtur,
I cum ipso pariter eiecti sunt, siue alio quolibet modo enar-
rabili & soli deo cognito, vnusquisque de paradiso etiusus
videtur excepisse condemnationem. Sicut enim per in-
obedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt
multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituentur
multi. Potest quidem fieri vt secundū ea quæ in superiori-
bus obseruauimus, Paulus volens mysteria secretiora con
tegere, quos alibi omnes dixerat, alibi multos ponat, ne
forte si dixisset per vnius obedientiam peccatores factos
esse omnes, & necessario subiunxisset, ita & per vnius obe
dientiam iusti constituentur omnes, videtur ea huiusmo-
di promissionis securitate resoluere animos eorum, qui-
bus expedit esse sub metu, & ideo nos fidelis & prudentis
in verbo dei dispensatoris consilium seruantes, pro eo ma-
gis satisfacere debemus, quomodo per vnius inobedien-
tiam non omnes sed multi sunt peccatores facti. Nam per
vnius obediētiam quomodo non omnes sed multi consti-
tuantur, difficultatem non habebit intelligentiæ secun-
dum illud quod dominus dicit in euangelio: Multi enim
Mat. 8. venient ab oriente & occidente, & recumbent cum A-
braham, & Isaac, & Iacob in regno dei, & non dixit om
nes venient. Peccatores autem quomodo multi & non o-
mnes videantur, cum idem Apostolus dicat quod omnes
peccauerūt? Debemus ostēdere, aliud esse peccasse, aliud
peccatorē esse. Peccator dicitur is qui multa delinquēdo
in consuetudinem & (vt ita dicam) studium peccandi iam
venit, sicut econtrario iustus non dicitur is qui semel aut K
bis aliquid iustitiæ fecerit, sed ille qui semper iuste agendo
in vsu & consuetudine iustitiam habet. Nam si quis in cæ-
teris ferè omnibus iniustus sit, semel autem aut bis aliquid
iusti operis egerit, iste quidem in eo opere in quo iustitiā
tenuit iuste egisse dicitur, nō tamen ex hoc iustus appella-
bitur. Ita & iustus peccasse quidem dicitur si aliquid cōmi
serit aliquando quod non licet, nō tamē ea hoc peccator
appellabitur, qui peccandi vsum & consuetudinē non te-
net: sicut medicus ille non dicitur qui aut leuiter ruptæ ca
pitis cuti scit imponere araneam, aut qui tumorem vulne-
ris aqua calida fouerit, quāuis etiam hoc medicina esse vi
deatur: sed ille dicitur medicus qui vsum & studiū ac disci
plinā habet medendi. Ex quibus omnibus puto sufficien-
ter ostendi quod aliud est peccare, aliud peccatorem esse.
Omnes enim potest fieri vt peccauerint, etiā si sancti fue-
rint, quia nemo mundus à sorde, ne si vnius diei fuerit vi-
ta eius. Quis enim est qui non aut in facto, aut in verbo,
aut qui cautissimus certe est, vel in cogitatione peccaue-
rit? Et ideo vt dixi peccasse quidem omnes merito dicun-
tur, peccatores autem facti non omnes sed multi. Simili
quoque forma & iusti multi habebuntur non omnes, e-
tiam si omnes iusti aliquid operis agunt. Bene autem ab
Apostolo etiam temporum ratio custoditur. Nam cum L
multos constitutos esse peccatores ad præteritum retule-
rit, iustos constituendos esse multos ad futurum transtu-
lit tempus, sciens sine dubio quod processu prædicationis
euangelicæ iustorum multitudo maior accresceret. Quod
autem iusti multi fuerint etiam ante Saluatoris aduentum
idem dominus testatur in Euāgelio cum dicit: Multi Pro
phetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis. Sed aliter hic
multos dicit Saluator iustos, & aliter Apostolus posuit.
Nam Saluator Apostolorum numerum aspiciens ad ipso-
rum comparationem multos dixit iustos & Prophetas, in *Matt.* 13
præsenti verò loco Apostolus multos ad omnium qui in
hoc mundo nati sunt & nascentur comparationem intel-
ligendus est reuocasse, igitur per vnius inobedientiam pec
catores constituti sunt multi, secundum eam obseruan-
tiam multi peccatores intelligendi quam suprà de peccan
te & peccatore protulimus. Quod si quis nobis obijciat il-
lud quod de se ipso dicit Apostolus, quia Christus Iesus ve *1. Tim.* 1
nit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum pri-
mus ego sum: quasi etiam se peccatorem dicere videatur:
dicemus quod aliud est ex persona scripturæ, vel prophe-
tæ, vel domini aliquem peccatorem designari: aliud est iu
stum ipsum sui fieri accusatorē, & humiliare semetipsum
vt exaltetur à deo, quamuis Paulus in eo quod dicit perse-
cutum se esse ecclesiam dei, & expugnasse eam, & traxisse M
viros ac mulieres, & in vincula coniecisse, licet ignoran-
tia fecerit, & misericordiam consecutus sit, tamen cū hæc
faceret nō immerito fortassis peccatorem se dici debuisse
fateatur. Vt autē distinctionis huius quam dedimus inter
peccare & peccatorē esse, euidentior adhuc ratio clarescat:
vide Cain, qui cum manifeste peccator sit, fecit tamen ali-
quid rectū: propter quod dominus ad eū dixit: Si rectè of-
feras. Et Pharao cū dicit: Dominus iustus, ego autē & po-
pulus meus impij: iustum aliquid fecit, sed non ex hoc iu
stus, dicitur & multa huiusmodi in scripturis diuinis inue *Gen.* 4
nies, ex quibus & iustū peccasse aliquid, & peccatorē iusti *Exod.* 9.
aliquid egisse deprehēdes: nec tamen iustū quia in aliquo
peccauerit peccatorem dictū, aut peccatorē qui aliquid iu
stè egerit, iustū inuenies appellatum. Verū ne illud quidē
intentum prætereat auditorem, quod vbi inobedientiam
vnius dicit, addidit hominis, per quem peccatores con-
stituti sunt multi. Hic enim per quem iusti fiunt, sine du-
bio, ipsa iustitia est: sicut & idem Apostolus dicit de Chri-
sto: Qui factus est nobis iustitia à Deo. Dedit ergo Adam
peccatoribus formā per inobedientiā, Christus verò ecō- *1. Cor.* 1.
trario iustis formam per obedientiam posuit, sicut & alibi *Rom.* 6.
scriptum est: Obedistis autem ex corde in eam formam
doctrinæ in quam traditi estis. Propterea enim & ipse o-
bediens factus est vsque ad mortem, vt qui inobedientiæ
formā sequentes constituti sunt peccatores, obedientiam

Christi

A Christi imitantes salui fiant. Lex autem subintrauit, vt abũdaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, supetabũdauit & gratia, vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum dominum nostrum.] Si quidem antequã lex per Moysen daretur nemo peccasset, volentes accusare legẽ ex his apostolicis verbis Marcion & cæteri hæretici occasionem capere viderentur, tanquam hæc fuerit causa datæ legis, vt peccatum quod ante legem non fuerat, abundaret. Sed nescio quod tempus inueniatur vacuum peccatis ante legem. Quando interficiebat Cain Abel, & terram fraterno sanguine polluebat, ita vt diceret ad eum deus, Maledicta terra quæ aperuit os suum vt susciperet sanguinem fratris tui, non abundabat peccatum? Abundabat plane. & quidem cum & homines abundarent: vel tunc cum diceba Lamech, Occidi virum in vulnere meo, & iuuenem in liuore meo. Et de Cain quidem iudicatum est septies, de Lamech verò septuagies septies. Noe verò temporibus in tantum abundauit delictum, vt videns, inquit, deus quia multiplicatæ sunt malitiæ hominum super terram, & omnis homo cor suum diligẽter apposuit in malitia omnibus diebus vitæ suæ: recogitauit dominus quia fecerat hominem super terram, & pœnituit in corde suo, & dixit: Deleã B hominem quem feci à facie terræ, ab homine vsque ad pecus, & à reptilibus vsque ad aues cœli, quoniam pœnitet me quod fecerim eos. Et iterum, cum dicitur: Corrupta est terra in conspectu domini, & repleta est terra iniquitatibus. Et vidit deus terram & erat corrupta valde, quia corruperat omnis caro viam suam super terram. Quis ergo ita stolidus qui in his omnibus neget abundasse peccatu? Vel certe cum de Sodomitis dicitur à Deo, Descendi vt videtem si secundum clamorem Sodomitarum consummantur iniquitates eorum: vel cum circumsteterunt domum Lot, impudicitiæ suæ scelus etiam in angelos molientes? Aut tunc fortasse non abundabat peccatum, cum Pharao affligebat filios Israel in luto & latere, & natos eorum necari volebat in flumine? Et vtique nondũ Moysi lex subintrauerat, cum hæc tanta peccatorum labes diffũdebatur in terra. Ex quibus colligitur, hæreticos quos supra diximus, vel si qui cum illis hæc de Moysi lege dicta suscipiunt ne leuiter quidem apostolicum sensum potuisse contingere. Magis ergo illud in hoc loco debet intelligi, esse (vt sæpe iam diximus) legem naturæ quæ scripta est non in tabolis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, non attramẽto sed spiritu dei viui: quę lex ab illo qui ab initio creauit hominem, ita principali cordis eius ascripta est, vt opportuno tempore, cum iam paginæ ipsę mentis adoleuerint, vel potius vt scriptura nominauit, vbi tabulæ cordis carnales C cœperint augmento tanto aperiri, diffundi incipiat per interna conscientiæ & repleri rationibus sensus. Tunc ergo aduersum præcepta quæ ex huiusmodi lege naturaliter suggeruntur, voluntas carnis exurgit, & alia suggerit desideria: & hoc est quod ait Apostolus, legem in membris positam resistentem legi mentis. Hanc ergo nunc legem membrorum posuisse in hoc loco videtur apostolus, quã subintrasse dicit vt abundaret peccatum. Nam & ipse sermo quo vsus est, plenissime mihi videtur hæc quæ dicimus indicare. Aliud nãque est intrare, aliud subintrare, sicut est aliud ducere, & aliud subducere, aliud trahere, & aliud subtrahere. Subintrare namque hoc indicat, cum alio ingresso sub obtentu alius ingreditur. In qua ratione, quam supra exposuimus, euidenter ostenditur quod sub obtentu legis naturalis, quam legem mentis nominauit Apostolus, quæ legi Dei consentit, orta sit lex membrorum: quæ desideria carnis suggerens, & captiuum hominem ducẽs libidine ac voluptatibus inquinatum, facit in eo abundare peccatum. Sic ergo lex subintrauit vt abundaret delictum: sed vbi abundauit, inquit, peccatum superabũdauit gratia. Sicut in superioribus docuimus, vbi per singula quæque comparationem facit eorum quæ ex præuaricatione Adam accidisse videntur aduersa, & multo maiora ostendit esse quæ per gratiam Christi ad remedium collata sunt: & in præsenti loco cum dixisset abundasse peccatum, sermone di-

Gen. 4.

Ibid.

Gen. 6.

Rom. 7.

gnissimo vsus est quo abundantiam vinceret, & superabũ- D dantiam poneret. Superabundauit autem gratia Christi in eo, vt non solum à præteritis peccatis absolueret hominẽ, verum etiam communiret à futuris. Siquidem duo quędam regna ostendit in homine, vnum quo peccatum in morte regnauit, aliud quo gratia per iustitiã regnet in vita. Gratia ergo est quæ de regno suo, id est de membris nostris peccatum eiecit & expulit, cum quo necessario etiam mors pariter exclusa est, vt ita demum regnum sibi in nobis gratia per iustitiam vendicaret, & vbi mors fuerat, æterna vita consisteret. Hoc autem est quod & alibi idem Apostolus dicit: Non ergo iam regnet peccatum in vestro mortali corpore, & idem alibi: Sicut enim exhibuistis mẽbra vestra arma iniquitatis peccato, ita nunc exhibete mẽbra vestra arma iustitiæ Deo. Est ergo grandis superabundantia ex eo quod vbi peccatum fuit & mors, ibi nunc est gratia, & iustitia, & vita æterna. Et hæc omnia sunt quidem supra cætera per dominum nostrum Iesum Christum: potest autem fieri, vt sicut hæc omnia bona dixit existere per dominum, ita & illa mala intelligi voluerit extitisse per diabolum, sed siluisse de auctoris eorum nomine, vt superabundantiam gratiæ in hominibus assignaret. E Nam sicut Christus vnum quidem est per substantiã, multis autem virtutibus & operationibus designatur, & gratia ipse esse intelligitur, sicut iustitia, sicut pax, sicut vita, sicut veritas, sicut verbum: ita fortassis & diabolus in multis vel in diuersis significationibus sæpe potest intelligi. Nam & peccatum quod regnare dicitur, ipse putandus est & mors ipse credendus est, de quo dicitur, quia & nouissima inimica destruetur mors. Sed & perditio ipse intelligitur, secundum illud quod dictum est à propheta: Perditio factus es, & non subsistes in æternum tempus. Sed & quod dicit Apostolus, Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, puto quod magis de ipso dictum sit. Ipse enim auctor peccati & mortis & perditionis, & consequenter ab inuentis rebus auctor inuenti nominatur. Non ergo potest fieri vt sine rege aliquando sit anima, sed hoc prouidendum est vt Christum regem habeat, cuius iugum suaue est, & onus leue, & non diabolum, cuius regnum graue est. Iniquitas enim est quę sedet super talentum plumbi. Christus autem vbi regnat, ibi superabũdat gratia & iustitia in vita æterna.

Rom. 6.

1. Cor. 15.

CAPVT VI.



QVid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in eo?] Quoniam superius dixerat, quia vbi abũ- F dauit peccatum, superabundauit & gratia, nascentem ex hoc quæstionem nunc sibi ipse proponit, quia si abundantia peccati gratiæ superabundantiam parit, ergo peccandum est, vt gratia plus abundet. Sed absolutionem etiam quæstionis ostendit cum dicit: Absit, & continuo subiecit rationem, mortuos dicens esse peccato eos in quibus abũdauerit gratia. Certum est autem mortuum, peccatorẽ esse non posse. Non ergo permanere poterit in peccato qui mortuus est peccato. Verum hæc vt apertius clarescant, requiramus quid est viuere peccato, & quid est mori peccato. Sicut deo viuere dicitur is qui secundum volũtatem dei viuit, ita peccato viuere dicitur is qui secundum volũtatem peccati viuit, vt idem designat apostolus cum dicit: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis eius. In quo ostendit quod obedire desideriis peccati, hoc est viuere peccato. Quod si facere desideria peccati peccato viuere est, non facere desideria peccati, nec obedire voluntati eius, hoc est mori peccato: quod tamen peccatum velut sedem quandam & soliũ regni sui in nostro corpore collocatum habere dicit Apostolus. Est enim familiarior ei pars ista substantiæ & amica quædam cum carnis voluptatibus, ex qua occasiones incitamenti naturalis assumens paruo diuerticulo in præcipi-

G rium mortis naturæ ordinem vergit. Sed vt quod dicimus
apertius explanetur, adhuc exempli causa ponamus. Na-
turales appetẽtias habet caro cibi & potus, quę intra cer-
tas mensuras sufficientiæ continentur, quas si quis excedat
persuasione peccati, iam nõ cibum & potum, quod naturæ
sufficit, caro: sed luxuriã temulentiámque deposcit. Simili
etiam modo inest carni incitamentum naturale, quo mi-
sceri fœminæ causa reparandæ successionis exposcat, sed
si ex hac occasione persuadente peccato declinetur à lege,
& naturalis libidinis motus ad illicita concitetur, peccato
viuit, qui in his singulis non dei legi, sed peccati persuasio-
nibus paret. Si ergo commonitos quis morte Christi qui
pro impiis mortuus est, pœniteat in his omnibus, & velut
pessimum regem regnantem in sua carne depellat, alienúq;
se ab eius desideriis faciat ac præceptis, iste per mortẽ Chri-
sti peccato mortuus esse dicitur. Hic autem peccatum
ipsum peccati auctorem arbitror nominari. Si ergo mori-
tur quis peccato, certum est quia per pœnitentiam mori-
tus. Quomodo ergo quis permanebit in peccato vt gratia
abũdet, cum gratia ex eo abundet, quòd peccato quis mo-
ritur? Si enim permaneamus (vt proponitur) in peccato,
certum est quia non morimur sed viuimus peccato: viuen-
tibus autem peccato gratia non potest abundare. Requiri-
tur sanè, si in solis hominibus superabundat gratia, in qui-
bus abũdauit aliquando peccatum, & in nullo superabũ-
H det gratia nisi in quo abundauit peccatum, an & aliquibus
potest superabundare gratia, in quibus nunquam vel abũ-
dauerit, vel fuerit peccatum. Et si quis illud aspiciat quod
dicit Apostolus: quia pacificauit Christus per sanguinem
suum non solũ quæ in terris sunt sed quæ in cœlis, & illud
velit, quod sine dubio pro omnibus mortẽ, putabit & ibi
similiter aliquam abundantiam fuisse peccati, vt nihilomi-
nus & gratiæ superabundantia fieret. Si verò ad hoc quod
superior lectio commemorauit attendas, vbi peccatum in
hunc mundum per vnum hominem dicit introisse, & per
peccatum mortem, & ita in omnes pertrãsisse: dices ex illo
initio pendere etiam ista quæ habentur in manibus, vt de
his solis de quibus in initio proposuit apostolus, tractare
videatur, id est quæ ad homines tantũmodo spectant. Ob-
seruandum sane est quam librato sermone vsus sit Aposto-
lus vt diceret, Permanebimus in peccato? Permansi e nan-
que est à cœpto non desistere. Quod vtique si quis faciat,
certum est quod nec initiũ conuersionis accepit. Illud au-
tem interdum accidit, vt non quidem permaneat quis in
peccato, sed cum desinit, rursum redeat ad vomitũ, & fiat
infęlicissimus, vt post depulsum in se regnũ peccati & mor
tis, & regnum vitæ iustitiæque susceptum, iterum se domi
nationi peccati substernat & mortis, & ista sunt quæ nau-
fragia fidei appellat apostolus. Veruntamen quamuis per-
maneat quis in peccato, quamuis sub mortis regno & po-
I testate perduret, non tamen ita æternum istud mortis esse
arbitror regnum, vt est vitæ atque iustitiæ, maxime cum &
nouissimam inimicam mortẽ ab apostolo audiam destru-
endam. Et re vera si eadem æternitas mortis ponatur esse
quæ vitæ est, iam non erit mors vitæ cõtraria sed æqualis.
Æternum nanque æterno contrarium non esit, sed idem.
Nunc autem certum est mortem vitæ esse cõtrariam, cer-
tum est ergo quia si vitæ æternæ mors esse non possit æ-
terna: vnde & necessarium locũ tenet resurrectio mortuo-
rum. Cum enim mors animæ quæ est nouissimus inimicus
fuerit destructa, etiam hæc cõmunis mors, quam illius ve-
lut vmbram esse diximus, necessario abolebitur, & tũc cõ-
sequentes resurrectioni mortuorum dabitur locus, vbi re-
gnum mortis pariter cum morte destructũ est. Sed nos nũ
expectemus quando iste inimicus destruatur nouissimus,
qui semel illuminati sumus, & gustauimus donum cœleste
ac participes facti sumus spiritus sancti, & bonum gustaui
mus dei verbum, virtutes quoque seculi futuri: sed perma-
neamus in gratia: nec expectemus vt iterũ post lapsum re-
nouemur ad pœnitentiam, rursum crucifigentes in nobis-
ipsis filiũ dei, & ostentui habẽtes, sed regnũ iustitiæ in no-
bis fiat regnũ æternũ. Hoc interim fugiamus regnũ mortis,
ex quo liberati ad regnũ vitæ æternæ peruenimus, vt gra-
tia per iustitiam regnet in nobis in vita æterna per Iesum K
Christũ dñm nostrũ. Quod ergo dicit: Mortui sumus pec-
cato, hoc est quod alibi ait: cõformes nos Christi morti ef-
fectos, qui semel peccato mortuus est. Quod autẽ dicit se-
mel, ex integro significat. Ex integro nanque Christus pec-
cato mortuus est, qui peccatum non fecit, nec fuit dolus in
ore eius. An ignoratis quia quicunque baptizati sumus in
Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti
enim sumus cum illo per baptismũ in mortem, vt quẽad-
modum Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita
& nos in nouitate vitæ ambulemus.] Obserua diligentius
ordinem dictorum, & consequentiã. Comparat enim mor-
tem quæ per Adam, vitæ quæ per Christũ est, & dicit: Nõ
sicut delictum, ita & donum: & item post hæc ait: Legem
subintroisse vt abundaret delictũ, abundante verò pecca-
to superabundasse gratiam, & in his soluit quod videbatur
esse contrarium, & dicit. Qui enim mortui sumus peccato,
quomodo viuemus adhuc in eo? Nunc ergo volens rebus
ipsis ostendere quid est mortuum esse peccato, dicit: An i-
gnoratis quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu,
in morte ipsius baptizati sumus? Cõsepulti enim sumus ei
per baptismum in mortẽ: docens per hoc quia si quis prius
mortuus peccato est, is necessario in baptismo cõsepultus L
est Christo. Si verò non ante quis moritur peccato, nõ po-
test sepeliri cum Christo. Nemo enim viuus aliquando se-
pelitur. Quod si non sepelitur cum Christo, nec legitime
baptizatur. Verum de ratione baptismatis, cum exponere-
mus euangelium secundum Ioannem, vbi ventum est ad
eum locum in quo dicit de Iesu: Ipse vos baptizabit in spi-
ritu sancto, & item vbi ipse saluator dicit: Nisi quis rena- Ioan. 3.
tus fuerit denuo ex aqua & spiritu, non potest introire in
regnum dei, pro viribus nostris quæ occurrere potuerunt,
imò quæ donauit deus diximus, vbi & sermonis id quod di-
citus: Nisi quis renatus fuerit denuo, altius aperire tenta-
uimus. Quod enim nos Latini habemus denuo, Græ-
ci ἄνωθεν dicunt: qui sermo vtrunque significat, & de-
nuo, & de superioribus. In hoc ergo loco, quia qui bapti-
zatur à Iesu, in spiritu sancto baptizatur, non ita denuo, vt
de superioribus intelligi conuenit: nam denuo dicimus cũ
eadem quæ gesta sunt repetuntur, hic autem non eadẽ na-
tiuitas repetitur vel iteratur, sed de superioribus suscipitur
noua natiuitas, & ideo rectius legeremus in euangelio: si
quis non fuerit renatus de superioribus nõ potest introire
in regnum dei, hoc enim est in spiritu sãcto baptizari. Cui
rationi vt de superioribus esse baptismum cõfirmetur, non
immerito ad sanctum spiritum coniunguntur etiam aquæ
quæ sub cœlo sunt, vt laudent nomen domini. Et quamuis
secundum typum ecclesiæ traditum omnes baptizati su- M
mus in aquis istis visibilibus, & in charismate visibili, tamẽ
q mortu' est peccato, & vere baptizatur in morte Christi,
& cõsepelitur ei per baptismũ in morte Christi iste vere in
spiritu sancto baptizatur de superioribus & aqua. Et intuere
adhuc diligẽtius mystici ordinis consequentiã. Mori prius
oportet peccato vt possis sepeliri cum Christo. Mortuo e-
nim sepultura debetur. Si enim viuis adhuc peccato, con-
sepeliri non potes Christo, nec in nouo eius sepulchro col
locari, quia vetus homo tuus viuit, & non potest in nouita
te vitæ ambulare. Propterea nanq, curæ fuit spiritui sancto
tradere per scripturas quod & sepulchrũ nouũ fuerit in quo
sepultus est Iesus, & quod in sindone munda obuolutus sit: vt
sciat omnis qui cõsepeliri vult Christo per baptismũ, nihil
vetustatis ad sepulchrũ nouũ, nihil immũditiæ ad mundã
sindonẽ deferendũ. Ista est ergo mors beata, de qua dicit a- 2. Cor. 4.
postolus, quia semper mortẽ Iesu Christi in corpore nostro 1. Cor. 3.
circũferimus. Et iterum: Quotidie morior. Sed & illud cũ
dicit: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Ce-
phas, siue hic mundus, siue vita, siue mors, mortẽ hanc qua
peccato morimur, & Christo cõsepelimur enumerat. Ve-
rum potest quis in his locis requirere, cur apostolus de ba
ptismo nostro loquens & de Iesu dixerit: Consepulti ei su-
mus per baptismum, & iterũ alibi: Si cõmorimur ei & cõ-
uiuemus: item, Si compatimur, & conregnabimus, & nus-
quam dixit Christo cõbaptizati sumus, cũ vtiq; sicut mors
morti,

A morti,& vita vitæ, ita & baptismus baptismo conferri debuisse videatur. Sed vide io apostoli literis quanta cautela sit: ait enim quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu. Nostrum ergo baptisma in Christo Iesu esse dicit. Ipse autem *Mat. 3.* Christus à Ioanne refertur, oon eo baptismate quod in Christo est, sed eo quod in lege est. Ita enim ipse ait ad Ioânem, Sine modo, sic enim decet nos adimplere omnem iustitiam. In quo ostendit, quo baptisma Ioannis expletio erat veterum, oō inchoatio nouorum. Denique refertur in Actibus Apostolorum, quod quidam ex discipulis qui baptismo Ioannis fuerant baptizatia, postolorum sententia rebaptizati sunt in nomine domini Iesu. Quicunque ergo baptizati in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus Requiras fortassis etiam boc quod ipse dominus dixit ad discipulos, vt baptizarent omoes gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti, cur hic Apostolus solius Christi in baptismo nomen assumpsit dicens: Quicunque baptizati sumus in Christo, cum vtique oon habeatur legitimū baptisma, nisi sub nomine trinitatis. Sed intuere prudentiam Pauli, quoniam in præsenti loco nō tam baptismatis rationem, quam mortis Christi discutere cupiebat, ad cuius nos similitudinem etiam suaderet mori debere peccato, & cōsepeliri Christo. Et non vtique conueniens, vt vbi de morte dicebat, vel patrem nominaret, vel spiritum sanctum. Verbum enim caro factum est, & merito vbi caro est ibi de B morte tractatur. Nec conueoiebat vt diceret, quicunque baptizati sumus in nomine patris, vel in nomine spiritus sancti, in morte ipsius baptizati sumus. Vnde obseruanda est in boc loco & in cæteris consuetudo apostoli, quod nō semper cum aliquid ex scripturis assumit, integrum textū verborū, vt in suo loco positus est assumit, sed ea tantum, quæ præsentis causæ requirit assertio, sicut in præsenti sermone diximus: quia de morte Christi docere cupiebat, sufficit ei dicere, quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus. Mihi verò ne illud quidem otiose præmisisse in hoc capitulo videtur apostolus quod dicit: Aut nescitis. Per quod ostendit, quia tunc, hoc est apostolorum temporibus, noo vt nunc fieri videmus, typos tantummodo mysteriorum his qui baptizabantur, sed virtus eorum ac ratio tradebatur, & tanquam scientibus & edoctis, quia qui baptizantur, in morte Christi baptizantur, & consepeliuntur ei per baptismum in mortē: & quia sicut Christus surgens à mortuis per gloriā patris, in nouitate vitæ ambulare debeāt hi qui baptizati sunt: hæc apostolus scribit. Adbuc fortassis etiam hoc in præsenti capitulo requiratur: Si mortui sumus peccato, & consepulti sumus Christo, & consurreximus cum eo, necessarium videbitur secundum hanc formam ostendi, quomodo etiam cum ipso tres dies, & tres noctes in corde terræ sepulti fuerimus. Et vide si possumus tres dies cōsepulti Christo fa- C cere, cū plenam scientiā trinitatis capimus, lux enim pater, & in lumine eius qui est filius, lumen videmos spiritum sanctum. Facimus autem & tres noctes, cū destruimus tenebrarū & ignorantiæ patrem vnà cū mendacio quod ex eo natum est, & mendax est sicut & pater eius, & cum loquitur mēdacium de suis propriis loquitur. Sed & tertio loco spiritum erroris destruimus: qui inspirat pseudoprophetas vt dicant: Hæc dicit dominus, quos dominus nō misit. Destruimus hæc & conculcamus, si consepulti sumus Chri- *Luc. 10.* sto, etiam secundum illud quod ipse dicit: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Quæ singula ita sunt contraria veritati & trinitati, vt nox diei, vt tenebræ luci, vt meodacium veritati. Hæc interim quæ nobis in præsenti loco occurrere potuerunt. Si quis autem melius aliquid senserit, non pigeat his omissis illa recipere. Veruntamen boc est quod colligitur ex bis apostoli dictis per altiorem intelligentiam, quod sicut nemo viuus potest sepeliri cum mortuo, ita nemo qui adhuc viuit peccato, potest in baptismo cōsepeliri Christo, qui mortuus est peccato, & ideo qui festinant ad baptismum, hoc prius curare debent, vt moriantur ante peccato, & sic possint consepeliri Christo per baptismum, vt & ipsi dicant, Semper mortem domini nostri Iesu Christi in corpore nostrò circumferentes, vt & D vita Iesu Christi manifestetur in carne nostra mortali. Quomodo autem manifestetur vita Iesu Christi in corpore, ipse Paulus ostendit cum dicit: Viuo autem iam nō ego, *Gal. 2.* viuit verò in me Christus. Hoc idem quod apostolus Ioā- *1. Ioan. 4* nes in epistola sua scribit cum dicit: Omnis spiritus qui cōfitetur Iesum Christū in carne venisse, ex deo est. In quo vtique non is qui syllabas istas pronunciauerit & communi coofessione protulerit, dei spiritu agi videbitur, sed qui vitam suam ita formauerit, & ita fructus operis attulerit, vt Christum in carne venisse, & mortuum esse peccato, ac viuere deo, ipsa operum suorū & sensuom religione monstrauerit. Videamus nunc, postquam quid sit consepeliri Christo pro viribus aperuimus, etiā hoc quod ait: Vt sicut surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Sicut cōsepulti sumus Christo, secundū ea quę suprà diximus, id est secundū quod mortui sumus peccato, consequenter vtique resurgente Christo a mortuis & nos cū ipso simul resurgemus, & illo ascendēte ad cœlos cū ipso simul ascēdemus, & sedente ipso ad dexteram patris, cū ipso simul in cœlestibus sedere dicemur, secoodum quod idē apostolus in aliis dicit: quia coexcitauit nos Christo, simúlqoe fecit sedere in cœlestibus. Surrexit Christus per gloriā patris: & nos si mortui sumus peccato, & Christo cōsepulti, quia omnes qui vidēt opera nostra bona, glorificēt patrem nostrū qui in cœlis est, merito Christo cōsurrexisse per gloriā patris dicimur, vt in noui B tate vitæ ambulemus. Nouitas autem vitæ est, vbi veterem hominem cū actibus suis deposuimus, & induimus nouū, qui secundū deum creatus est, & qui renouatur in agnitione dei secuudū imaginem dei, secudum imaginem eius qui creauit eum. Neque enim putes quod innouatio vitæ quæ *2. Cor. 4.* dicitur, semel facta sufficiat, sed semper quotidie (si dici potest) ipsa nouitas innouāda est. Sic enim dicit apostolus: Nam & si is qui foris est homo noster corrūpitur, sed qui intus est renouatur de die in diem. Sicut enim vetus semper veterascit, & de die in diē vetustior fit, ita & nouus hic semper innouatur, & nunquam est quando oon innouatio eius augescat. Intuere denique eos qui in fide proficiūt, & quotidie in virtutibus enitescunt, quomodo semper bonis operibus adiiciunt meliora, & honestis actibus honestiora conquirāt, quomodo in intellectu, in sciētia sapientiáque ditescant, & ea quæ ante minus plana ad intelligēdum videbantur, aperta post modū dilucidáque perspiciunt. Et vide si non rebus ipsis huiusmodi hominē quotidie diceris innouari, sicut econtrario (vt diximus) si quis vetus effici cœperit, proficiet in peius, & quotidie vetustior, & semetipso deterior inuenietur. In nouitate ergo vitæ ambulemus, osteodentes nosmetipsos ei qui nos cū Christo suscitauit quotidie nouos, & vt ita dixerim pulchriores, decorē F vultus oostri in Christo tanquam in speculo colligentes, gloriámqoe in ipso domino speculātes eadē imagine trāsformemur, quia Christus surgens à mortuis ab humilitate terrena ad gloriam paternæ maiestatis ascendit. Sed adhuc quod dixit: In oouitate vitæ ambulemus, videte ne forte mystice illud ostēdat, vt donec proficiat qois ambulare dicatur. Nec tamen putandū est quod sine fine ambulare dicatur, sed venire aliquando ad eum locum eos qui in his profectibus ambulant, vbi standum sit. Sic denique primo martyri Stephano qui iam ad perfectionis venerat gradū, *Act. 7.* stans à dextris virtutis apparuit Iesus Christus, & ad Moysen, qui & ipse post multos profectus ad perfectionem venerat, dicit domious: Tu autem hic sta mecū. Sed & Pau- *Deut. 5.* lus vbi in semetipso consummationem perfectionis agno- *2. Tim. 4* uit, dixit: Cursum consummaui. His autem qui se putarent perfectos esse, nec tamen essent, dicit: Qui se putat stare, videat ne cadat. Imperfectis verò & adhuc initia habentibus dicitur vt ambulent post dominum deum suum, & de alis dicitur, Dimittere eos ieiunos nolo, ne forte deficiant *Mat. 15.* in via. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.

G Qui mortuus est, iustificatus est à peccato.] Omnia hæc ad illam respiciunt quæstionem, ne videatur locum dedisse peccandi in eo quod diximus: Vbi abundauit peccatum superabundauit gratia. Idcirco nanque & mortuos nos dicit esse peccato, & quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizatos nos dicit: & nûc complantatos nos ad mortis eius similitudinem scribit, addens quod si similitudinem mortis eius qua peccatu mortuus est geramus, etiam resurrectionis similitudinem sperare debeam. Sed hoc quatenus possit fieri ostendit dicens: quia vetus homo noster simul concrucifigi debeat Christo. Vetus autem homo noster intelligendus est vita prior quam duximus in peccatis, cuius finem & interitum quendam facimus vbi recipimus in nobis finem crucis Christi, per quam ita destruitur corpus peccati, vt mêbra nostra quæ seruiebant peccato, vltra ei non seruiant, sed deo. Sed nûc repetentes sermonem, videamus quid est complâtari similitudini mortis Christi, in quo velut plantam alicuius arboris ostendit mortem Christi, cui nos complantatos vult esse, vt ex succo radicis eius radix quoque nostra suscipiês producat ramos iustitiæ, & fructus afferat vitæ. Quod si vis
Prou. 3. de scripturis agnoscere quę ista sit planta cui complantari esse debeamus, & cuius generis arbor, audi quid de sapientia scribitur: Arbor, inquit, vitæ est omnibus sperâtibus in se: & qui confidût in ea tanquam in domino. Christus ergo
H Dei virtus, & dei sapiêtia, ipse est arbor vitæ, cui côplantari debemus, & nouo quodâ atque amabili dei dono mortis illius, arbor nobis vitę efficitur. Bene autê apostolus sciens in pręsenti loco nô de communi hac, sed de peccati morte tractare, non dixit, si enim côplantati sumus morti eius, sed similitudini mortis eius. Christus enim ita semel mortuus est peccato, vt peccatum omnino nô fecerit, nec dolus inuentus sit in ore eius. Quod in alio homine ex integro inueniri non poterit omnino. Nemo enim mundus a sorde peccati, nec si vnius diei fuerit vita eius. Idcirco ergo ipsa quidem morte qua Iesus mortuus est peccato, nos nô possumus mori, vt imitantes eum, & vestigia sequentes abstineamus nos à peccato. Hoc est ergo quod recipere potest humana natura, vt ad similitudinem mortis eius hoc fiat, dum ipsum imitâdo non peccat. Nam omnino ex integro nescire peccatum, solius Christi est. Sed hoc non intelligentes quidam hæreticorum com… unt ex hoc apostoli loco asserere quod Christus non vere mortuus sit, sed similitudinem mortis habuerit, & visus sit magis mori quam vere mortuus sit. Quibus respôderi quoniam persacile est, non puto necessarium ex cæteris vel Apostoli, vel euangeliorum dictis, vbi simpliciter mors eius, & non similitudo mortis scribitur, testimoniorum pondus adhibere, cû possimus ad eos dicere: si similitudo mortis fuit, fuit & nû vera resurrectio, & nos ergo videbimur resurgere, & non re-
I surgemus: & videbimur mori peccato, & non vere moriemur: & omne ergo quod gestum est & geritur, visum est geri, sed non est gestum. Superest igitur vt & quod saluati sumus, visi simus saluati, sed non vere saluati simus. Vnde quoniam hæc tam absurda sunt vt non indigeant improbationibus, nos ad explanationem eorum quæ habentur in sequentibus conuertamur. Igitur complantari nos vult mortis eius similitudini qua peccato mortuus est semel, vt possimus & resurrectioni eius esse complantati. Ad vtrunque enim subaudiri debet complantati. Et vide quam necessario formam plantationis assumpserit. Omnis etenim planta post hyemis mortem resurrectionê veris expectat. Si ergo & nos in Christi morte complâtati sumus in hyeme seculi huius & pręsentis vitæ, etiam ad futurum ver inueniemur fructus iustitiæ ex ipsius radice proferentes, & si complantati sumus ei, necesse est vt pater agricola purget nos tanquam palmites vitis veræ, vt fructum plurimum afferamus, sicut & ipse in euangeliis dicit: Ego sum vitis vera, & vos palmites, pater meus agricola. Omnem palmitê qui in me nô manet, excidet illum pater meus. Qui autem
Ioan. 15. manet in me, purgabit eum vt fructum plurimum afferat. Hoc ergo modo complantati sumus similitudini mortis eius, vt & resurrectionis eius similitudini côplantati simus.

Quid est autem similitudini resurrectionis eius esse com- K
plantatos? Ioannes apostolus dicit: Filioli nondum scimus 1. Ioan. 3.
quod futuri sumus. Si autem reuelatus nobis fuerit, similes illi erimus. Et iterum ipse saluator dicit: Pater volo vt vbi ego sum & isti sint mecum, & iterum: Sicut ego in te, & tu in me, vt & isti in nobis vnum sint. Quod vtrique de illis dicit, qui in præsenti vita complantati fuerint similitudini mortis eius. Puto autem quod grate hoc & de illo latrone dici possit, qui simul in cruce pependit cum Iesu: & per côfessionem suam qua dixit: Memento mei domine cum veneris in regnum tuum, & alium blasphemantem corripuit complantari per hæc visus sit similitudini mortis eius, sed & resurrectioni eius complantatus sit per hoc quod ei dicitur: Hodie mecum eris in paradiso, dignâque erat planta paradisi, quæ arbori vitæ sociata est. Propterea ergo q̃ Luc. 23.
dixerat apostolus complantari similitudini mortis Christi, aliam rursum figuram repetit, & dicit: Quia vetus homo noster simul crucifixus est ei vt destruatur corpus peccati. In multis sępe iam diximus, quid est crucifigi cû Christo, & de veteri homine tractauimus. vnde breuiter in pręsenti loco veterem hominem dicimus qui secundum Adam vixit præuaricationi obnoxius & peccato, & cui dominata est mors peccati, de quo chirographa peccati tenuit ille qui habebat mortis imperium: Quę quia Christus sanguine suo delens cruci suæ affixit, etiam nos qui peccato secûdum veterem hominem obnoxij fuimus crucifixi esse de- L
bemus, vt destruatur corpus peccati, vt vltra nô seruiamus peccato. Obseruandum autem puto quòd apostolus vbi dicit destruendum esse, corpus ponit peccati, vbi autê non dicit destruendum, non corpus peccati, sed nos ipsos dicit esse qui non seruiamus peccato, vt ostendat quia si destructum fuerit corpus peccati, iam nos non seruiamus peccato, cui scilicet seruiuimus donec in nobis non erat destructum, nec erât mortificata membra nostra quæ sunt super terram. Sed diligentius adhuc repetendû est, quomodo dixerit corpus peccati. In quo duplex dari videtur intellectus, vel quia nostrum corpus peccati ipsius dicat esse, vel proprium aliquod corpus, quod destruêdum sit iis qui nô debent vltra seruire peccato. Quia ergo vterque sensus in loco admitti potest, de vtroque quid nobis videatur exponemus. Etenim si proprium corpus ponamus esse peccati, videbitur quòd sicut de his qui in nouum hominê reparati sunt dictû est: Quia vos estis membra Christi & corpus ex 1. Cor. 12.
parte, ita & de his qui veterê hominem nondum crucifixerunt, dici posse quod sint corpus peccati & mêbra, cuius caput sit diabolus, sicut Christus caput corporis ecclesiæ non habentis maculam aut rugam. Possunt autem & mêbra ex quibus corpus istud peccati constat, illa videri quæ superius memorauit apostolus mêbra esse super terram, id est fornicationê, immunditiâ, impudicitiam, auaritiâ, contentionê, irâ, dolos, rixas, dissentiones, hæreses, inuidiâ, commessationes, & his similia: ex quibus omnibus membris M
digne dicitur corpus constare peccati, & hoc corpus peccati vetus homo appellari. Quod si quis per crucê Christi destruatur, & in nouû hominem qui secûdum deû creatus est, commutetur, vltra non dicetur seruire peccato, cui sine dubio seruit donec alicui horum subiacet quæ suprà exposuimus membra esse peccati. Si verò magis hoc corpus nostrum dixisse intelligatur apostolus, corpus peccati secûdum illam profecto accipietur intelligentiam, qua & Dauid de semetipso dicit: Quia in iniquitatibus conceptus Psal. 50.
sum, & in peccatis concepit me mater mea. Sed & ipse apostolus in aliis dicit: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Et iterum corpus humilitatis nominat corpus Rom. 7. 8.
nostrum. Sed & de saluatore quodam loco dicit: Quia venerit in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. In quo ostendit quod nostra quidem caro peccati sit caro, Christi autem caro similis sit carni peccati. Non enim ex semine viri concepta est, sed spiritus sanctus venit super Mariam, & virtus altissimi obumbrauit ei, vt quod nascebatur ex ea, filius vocaretur excelsi. Sic ergo Paulus per ineffabilê dei sapientiâ, quę data est ei, arcanû nescio quid intuens & recôditum, corpus

nostrum

A nostrum corpus peccati & corpus mortis & corpus hu-
Psal. 22. militatis appellat. Sed & Dauid de eodē spiritu secretorū cœlestium gnarus dicebat de corpore: Et in puluerē mortis deduxisti me, & iterū: Humiliata est in puluere anima nostra. Hieremias quoque similis mysterij per dei spiritum
Thren. 3. conscius, in lamentationibus suis dicit, quia iuncti terræ sint homines omnes, corporis scilicet causa, & ait: Vt humiliet sub pedibus eius omnes vinctos terræ, quia declinauerunt iudicium viri in conspectu altissimi, & condemnauerunt hominē in iudicando. Corpus ergo peccati est corpus nostrum: quia nec Adam scribitur cognouisse Euam
Gen. 4. vxorem suam & genuisse Cain, nisi post peccatum. Deniq; & in lege pro illo qui natus fuerit iubetur offerri hostia, par turturum, aut duo pulli columbini: ex quibus vnus pro peccato, & alius in holocaustomata. Pro quo peccato offertur hic pullus vnus? nunquid nuper æditus paruulus peccare potuit? & tunc habet peccatum pro quo hostia
Iob. 25. iubetur offerri, à quo mundus negatur quis esse & si vnius diei fuerit vita eius. De hoc ergo etiam Dauid dixisse credendus est illud quod suprà memorauimus, quia in peccato concepit me mater mea. Secundum historiam enim nullum matris eius declaratur peccatum. Pro hoc & ecclesia ab apostolis traditionem suscepit, etiam paruulis baptismum dare. Sciebant enim illi quibus mysteriorum secreta
B commissa sunt diuinorum, quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam & spiritum ablui deberent, propter quas etiam corpus ipsum corpus peccati nominatur, non vt putant aliqui eorum qui animarum transmigrationem in varia corpora introducunt, pro his quæ in alio corpore posita anima deliquerit, sed pro ipso quod in corpore peccati & corpore mortis atque humilitatis effecta est, & sicut ille dixerat: quia in puluerem humiliasti animam nostram. Hæc interim ad præsens, quæ de corpore peccati nobis occurrere potuerant. Quæ autem è duabus expositionibus sensui conueniat apostolico, aut si neutra, probet qui legit. Quod autem in aliis apostolus
Eph. 2. dicit: Consurrexisse iam nos Christo, & simul coëxcitatos, simulque sedere in cœlestibus, & hîc dicit: Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, etiam resurrectionis erimus, hoc est quod alibi iam factum dicit, hîc nunc futurum & sperandum dicit: illa est causa, quod duplex intelligitur resurrectio. Vna qua mente & proposito ac fide cum Christo à terrenis consurgimus vt cœlestia cogitem⁹ & futura requiramus. Alia quæ generalis omniū erit in carne resurrectio. Ergo quæ secundū mentē est ea fide resurrectio, in his qui ea quæ sursum sunt sapiūt, vbi Christus est in dextera dei, videtur impleta. Generalis autē illa carnis resurrectio, quæ ad omnes pertinet, adhuc futura est, quia hæc in primo, illa in secūdo domini complebitur aduētu.
C Si autē mortui sumus cum Christo, credimus quia etiā simul viuemus cum eo, sciētes quia Christus surgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autē viuit, viuit deo.] In omnibus quæ suprà dixit Apostolus, hoc ostēdere voluit, quia si Christus mortuus est prior peccato, & nos mortui sumus peccato cū ipso. Et cum dicit: in morte ipsius baptizati sumus, & cōplantati sumus similitudini mortis eius, per hęc omnia ostēdit quia mortui sumus cum Christo peccato, ex eo ꝙ Christus quidem pro peccatis nostris mortuus est secūdū scripturas, & vnicuiq; credentiū mortē peccati ipsius tanquā mun⁹ quoddā fidei ea sua morte donauit, his scilicet qui cum ipso se mortuos & crucifixos & cōsepultos ei credūt, & per hoc, peccatū in eis tanquā in mortuis non potest operari, atq; ita dicentur mortui esse peccato. Idcirco ergo præsēti sermone apostolus cōclusionem facit omniū quæ in superioribus astruxerat, & dicit: Si autē mortui sumus cū Christo, per hæc scilicet quæ superius ostendimus, credimus quia & conuiuemus ei. Non dixit & cōuiuimus, sicut dixit mortui sumus, sed cōuiuemus, vt ostēdat quia in præsenti mors operatur, vita autem in futuro, tūc scilicet cum Christus manifestatus fuerit, qui est vita nostra abscondita in deo. Nunc ergo (vt ipse Paulus docet) mors in nobis operatur. Sed & ipsa mors quæ operatur in nobis, videtur mihi aliquas habere D differentias. Sicut enim in Christo aliud fuit tēpus mortis quod dicitur: Exclamans voce magna expirauit, & aliud est *Luc. 23.* cum in sepulchro positus clauso ostio iacuit, aliud verò cū *Mat. 28.* requisitus in monumento non est inuentus, quia iam resurrexerat, cuius resurrectionis initium visibile nulli homini non fuit, ita etiam in nobis qui credimus, triplex ista ratio mortis habenda est. Et primo quidem cōfessione vocis ostendenda est in nobis mors Christi, cum corde quidē creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem; Secūdo verò in mortificatione membrorum quæ sunt super terram, cum semper mortificationem Christi in corpore circūferimus nunc nostro, & hoc est quod dicit, quia mors in nobis operatur. Tertio verò cum iam resurgimus à mortuis, & in nouitate vitæ ambulamus. Et vt breuius ac lucidius explicemus, prima dies mortis est renunciasse seculo: Secunda, renunciasse etiam vitiis carnis: Plenitudo verò perfectionis in lumine sapientiæ, tertia resurrectionis est dies. Quas tamen in vnoquoque credentium differentias, & profectuum gradus solus ille potest scire & discernere, cui soli patent cordis occulta. Verum tu vide in scribendo *2. Tim. 2.* Pauli sapientiam, qui ad Timotheum scribens dixit: quod si commorimur, & conuiuemus, quique commorientibus Christo, quasi consequens & necessarium sit, coniunxit E quod conuiuant ei, hic addit, credimus, vt ostenderet quia quamuis consequens & necessarium sit commorienti cōuiuere, fide tamen hoc media & credulitate perficitur, certi, inquit, & scientes quia Christus surgens à mortuis iam non moritur. Si enim iterum moreretur, sicut consequens & necessarium ostendimus quòd hi qui commoriuntur etiam conuiuent ei, ita sine dubio consequens videbitur, vt si post resurrectionem & vitam iterum moreretur, etiā hi qui conuiuunt ei, iterum morienti commorerentur. Idcirco igitur absoluta sentētia definit apostolus quòd Christus iam non morietur, vt & hi qui conuiuent ei, de æternitate vitæ securi sint. Post hæc autem, vt & ego ipsius apostoli verbis vtar, quibus ait: Esaias autem audet & dicit, & ego dico, Paulus autem audet & dicit: Mors ei vltra non dominabitur. Hic in eo ausus es ò Paule dicere de Christo, mors ei vltra non dominabitur, quasi aliquādo dominata sit, cuius vox per euangelium fertur omni sole lucidior, qua dicit: Nemo tollit à me animam, & potestatem habeo *Ioan. 10.* ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Huic ergo mortem dicis esse dominatam, qui eam nō solū voluntate, sed & potestate suscepit? qui solus fuit inter mortuos liber, & quem solū mors tenere non potuit? Hæc vt opinor & his similia mouebūt aduersus Paulum hi qui tenero erga Iesum tenentur affectu, & nihil de eo humile nihil indignum patiuntur audire. Sed nos cum respicimus F ad Paulum, non putamus aliquem qui eum possit in amore Christi superare, vnde nec putandum est aliquid de eo contra quam & ipso dignum est, prolocutum esse, & ideo indagabimus per gratiam sancti spiritus verbum sapiētiæ quo sensum Pauli possimus aduertere, imò sensum Christi, qui in eo est, secundum quod ipse profitetur: Nos autem sensum Christi habemus. Potest quis compēdiosius dicere in his, quia hic mortem communem hanc dicit & mediam, qua mortuus est, sicut idem apostolus dicit, secundū scripturas, & nihil absurdū videri, si is qui formā serui susceperat, dominatum pertulerit mortis, quæ sine dubio dominatur omnibus qui in carne positi sub seruili forma cēsentur. Sed & illud assertioni huic adiacet, ꝙ propterea forma hæc serui, id est etiā nostra caro, seminatur in corruptione vt surgat in incorruptione, & seminatur in infirmitate, vt surgat in virtute, & seminatur in contumelia, vt surgat in gloria, & seminatur corpus animale, vt surgat corpus spiritale, sine dubio vt mors ipsi vltra nō dominetur, quæ dominata est ei dū esset in infirmitate, & cōtumelia, & corruptione. De tali enim carne quę adhuc in his est passionum vitiis, ipse Paul⁹ dicit: Quia caro & sanguis regnū dei pos- *1. Cor. 15.* sidere nō possūt, neq; corruptio incorruptionē possidebit. Sed & quod alibi idem apostolus corpus mortis nominauit, is qui hæc asserit huius mediæ mortis intelligendum

G dicit, quæ huiuscemodi corpori dominatur donec anima-
le est corruptibile, necdum per resurrectionis gloriam cō-
mutatum, atque ex corruptibili incorruptibile effectum,
& ex ignobili gloriosum. Illud autem quod addidit asser-
tioni valde contrarium, id est quod mortui sumus cum
Christo, & consepulti sumus eis, quod vtique nullo modo
de communi hac morte potest intelligi, hoc modo expla-
nare conabitur, vt sicut in superioribus cum de diuersitate
legum exponeremus, ostendimus apostolū in vno eodem-
que loco legem nunc naturalem, nunc Moysi, nunc etiam
peccati nominare, & hoc in vsu esse scripturæ diuinæ eũ
ex aliis locis adhibitis docuimus testimoniis, ita & in præ-
senti nunc mortem communem, nunc peccati, nunc etiam
ipsum auctorem mortis, qui & nouissimus destruendus
dicitur inimicus, nunc etiam locum inferni in quo mor-
tis habere imperium diabolus dicitur, cōfirmet ab aposto-
lo nominari, & hoc ergo quod ait: Mors ei vltra nō domi-
nabitur, de ista morte dictum confirmabit, qua communi-
ter mortuus creditur Christus. Quæ tamen assertio quam
sit valida probet qui legit. Alius verò qui profundiorem
in his Pauli sensum in virtute spiritus continet, dicet quia
mors hæc de qua dicitur quod vltra non dominabitur
Christo, ipse ille intelligēdus est nouissimus inimicus, qui
figuram habuerat ceti illius qui absorbuerat Ionā, de quo
in Iob scriptum est. Sed maledicant illam qui maledicunt
H diei illi qui magnum cetum perempturus est. In quam
mortem tanquam in ventre ceti Christus ingressus est, in
eum scilicet locum quem saluator ipse cor terræ nomina-
uit, in quo tres dies & tres noctes exemplo Ionæ futurum
esse filium hominis dicit, vt eos qui ibi à morte detine-
bātur eximeret. Propterea enim formam serui susceperat,
vt ad ipsum locum vbi mors regnum tenebat posset intra-
re, secundum quod & propheta ex persona ipsius dicit, &
deputatus sum cum his qui descenderunt in lacum. & ite-
Psal. 28. rum: Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in cor-
29. ruptionem? quod vt adhuc planius possit aduerti, tali ite-
rum similitudine vtemur. Regem ponamus iustum & no-
bilem, aduersum iniustum aliquem tyrannum ita bellum
gerentem ne violento videatur cruentóque vicisse conflī-
ctu, quia militantes sub tyranno sui erant, quos non per-
dere, sed liberare cupiebat. Consilio igitur meliore habito
sumit eos qui apud tyrannum erat, & specie per omnia fit
similis eis, donec sub dominatione tyranni positos eis qui-
dem qui ei parebant suaderet abscedere, & ad regnum le-
gitimum repedare, ipsum verò fortem tempore opportu-
no alligare vt potestates eius ac principatus exueret, & a-
uulsam captiuitatē quę ab eo tenebatur, abstraheret. Hoc
ergo modo Christus etiam voluntate quidem exinaniuit
semetipsum, & formam serui accepit, passúsque est domi-
natum tyranni factus obediens vsque ad mortem: Per quam
I mortem destruxit eum qui habebat mortis imperium id
est diabolū, & liberauit eos qui tenebantur à morte. Hinc
enim alligato forti & in cruce sua triumphato perrexit e-
tiā in domū eius in domū mortis, in infernū, & inde vasa e-
ius diripuit, id est animas quas tenebat abstraxit. Et hoc e-
rat quod ipse per ænigmata loquebatur in euangelio di-
Mat. 12. cens: Quis potest introire in domum fortis, & vasa eius
diripere, nisi prius alligauerit fortem? Prius ergo alligauit
eum in cruce, & sic ingressus est domum, id est infernum,
& inde ascēdit in altum, captiuam duxit captiuitatem, eos
scilicet qui cum ipso surrexerunt, & ingressi sunt sanctam
ciuitatem Hierusalem cœlestem. Vnde recte apostolus in
præsenti loco dicit: quia mors ei vltra non dominabitur.
Non enim dabit vltra semetipsum in dominationem tyrā-
ni, neque iterum exinaniet se vt formam serui accipiat, &
fiat obediens vsque ad mortē, neque rursum in forma ser-
ui quamuis voluntate & non necessitate positus domina-
tionem tyranni mortisque patietur. Vnde miror quosdam
contra hanc euidentissimam Pauli sententiam velle assere-
re, quòd in futuris iterum seculis vel eadem vel similia pa-
ti necesse sit Christum, vt liberari possint etiam hi quos in
præsenti vita dispensationis eius medicina sanare non po-
tuit. Aiunt enim: Nunquid potest seculum esse aliquod in
futuro vbi neque boni aliquid, neque mali agatur, sed sto- K
peant res, & maneant profunda silentia? Absurdum hoc
videri asserunt. Dabimus ergo agi aliquid, & vbi agatur
aliquid, necesse est (aiunt) vt aliquid recte, aliquid e-
tiam minus recte agatur, & in ipso actu aliqui proficiant,
& meliores fiant, alij deteriores. Libertas enim arbitrij
semper naturæ rationabili permanebit, & sicut possibile
fuit etiam illum qui per splendorē gloriæ Lucifer, & pro-
pter lumen scientiæ mane oriebatur, commutari de gloria
sua & effici tenebras propter malitiam quam recepit, & il-
lum qui fuit immaculatus à natiuitate sua, & habitauit cū
Cherubim, & in medio lapidum igneorū conuersatus est,
& indutus omne ornamentum virtutum, nec fuit vlla ar-
bor in paradiso dei virtutum quę ei comparari posset, post
hæc inuentæ sunt iniquitates in eo, & de cœlo in terram
proiectus est: Ita potest fieri vt in quocunque fuerit statu
& in quacunque perfectione virtutum, quoniā virtus mu-
tabilis est, lapsum possit incurrere, vt sicut à vitiis ad virtu-
tem, ita & à virtutibus inclinetur ad vitia. Quod si est, cō-
sequēs videbitur requirere medicum vbi languor est, quia
secundum saluatoris vocem opus est medicus his qui male
habent. Hæc ergo & his similia proponentes, easdem in
futuris seculis etiam dispensationes à Christo repetendas
esse arbitrantur. Sed ad hæc nos breuiter prout possumus
respondebimus. Manere quidem naturæ rationabili sem-
per liberum arbitrium non negamus, sed tantam esse vim L
crucis Christi, & mortis huius quam in seculorum fine su-
scepit, asserimus, vt ad sanitatem & remedium non solum
præsentis & futuri, sed etiam præteritorum seculorum, &
non solum humano huic nostro ordini, sed etiam cœlesti-
bus virtutibúsque sufficiat. Secundum sententiam nanque
ipsius Pauli apostoli Christus pacificauit per sanguinem Eph. 1.
crucis suæ non solum quæ in terra sunt, sed & quæ in cœ-
lis. Quid autem sit quod in futuris seculis teneat arbitrij li-
bertatem ne rursum corruat in peccatū, breui nos sermo-
ne apostolus docet, dicens: Charitas nunquam cadit. Id- 1. Cor. 13
circo enim & fide, & spe maior charitas dicitur, quia sola
erit per quam delinqui vltra non poterit. Si enim in id ani-
ma perfectionis ascenderit, vt ex toto corde suo, & ex tota
anima sua, & ex totis viribus suis diligat deum, & proximū
suum tanquam seipsam, vbi erit peccati locus: idcirco de-
nique & in lege hoc dicitur primum mandatum esse, & in
euangeliis supra cætera omnia de charitate mandatur, &
Petro cum summa rerum de pascendis ouibus traderetur, Mat. 16.
& super ipsum, velut super terram fundaretur ecclesia, nul- Ioan. 20.
lius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitas exigitur, 1. Ioan. 4
& Ioannes cum multa de charitate, tum etiam hoc dicit:
quia qui manet in charitate, in deo manet. Et ideo merito
charitas quæ sola omniū maxima est, omnē creaturā cōti-
nebit à lapsu, tunc cum erit Deus omnia in omnibus. Ad
huc nanque perfectionis gradum ascendebat apostolus,
& in hoc stans confidens dicebat: Quis enim nos separa- M
bit à charitate Dei quæ est in Christo Iesu? tribulatio? an
angustia? an fames? an nuditas? an persecutio? an gladius? Rom. 8.
Et iterum. Certus sum enim quia neque vita, neque mors,
neque præsens, neque futurum, neque angustia, neque vir-
tutes, neque altitudo, neque profundum, neque creatura
alia poterit nos separare à charitate dei quæ est in Christo
Iesu domino nostro.

Ex quibus omnibus euidenter ostenditur, quia si hæc om-
nia quæ enumerauit apostolus separare nos non possunt
à charitate Dei, cum in illud quia culmen perfectionis a-
scenderit, multo magis libertas arbitrij nos ab eius chari-
tate separare non poterit. Quamuis enim sit etiam virtus,
& maneat in natura, tamen tanta charitatis vis est, vt ad
se omnia trahat, omnésque sibi societ vendicétque virtu-
tes, maxime cum charitatis causas prior nobis dederit
Deus, qui vnico filio suo non pepercit, sed pro nobis om-
nibus tradidit illum, & cum illo omnia nobis donauit.

Vnde vel ille qui Lucifer fuit, & in cœlo operabatur,
vel ille qui immaculatus fuit à natiuitate sua, & cum Che-
rubim positus, labi potuit antequam erga beneficia filij
Dei charitatis vinculis stringeretur, postea verò quam
charitas

A charitas Dei diffundi in cordibus omnium cœperit per spiritum sanctum, certum erit illud quod pronuntiauit Apostolus, quia charitas nunquam cadet.

Hæc prout potuimus ad ea quæ hoc loco commemorata sunt diximus, vt manifestius clarescerer quomodo Christus mortuus est semel peccato, vt vltra iam nó moriatur, & quia quod viuit, viuit deo. Viuere autem ita Deo intelligendum est, quòd in forma Dei positus exinaniuit semetipsum, & formam serui accepit, & factus est obediens vsque ad mortem, rursum permaneat in forma Dei atque æqualis patri. Vnde & merito in consequenti hæc ponit: Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu domino nostro. Quo scilicet imitatione Christi peccato moriamur alieni ab eo effecti, & deo viuamus, iungentes nos ei, vt vnius cum ipso spiritus facti. Non sine causa hoc dixit, existimate vos mortuos esse peccato, quod melius quidem in græco habet, cogitate vos mortuus esse peccato. Res enim de qua sermo est, in cogitatione magis, & ratione subsistit, quia huiusmodi mors nó in effectu, sed in cogitatione habéda est. Qui enim cogitat vel existimat apud semetipsum esse se mortuum, non peccat. Verbi gratia: si me concupiscentia mulieris trahit, si argenti, si auri, si prędij cupiditas pulset, & ponam in corde meo quod mortuus sim cum
B Christo, & de morte cogitem, extinguitur continuo concupiscentia & effugatur peccatum, aut si odio vel ira inflámatus ad necem conciter inimici mei, si me existimé mortuum esse cum Christo, & cogitationes mortis ponam in animo meo, extinguitur sine dubio ira, furor cessat, odiú conquiescit, peccato non datur locus, & hoc modo peccato quis mori inuenitur, & viuere deo. Sed & hoc quod addidit, Viuentes deo in Christo Iesu, nó mihi otiosum videtur. Simile enim puto esse quasi dixisset, viuétes deo in sapientia, in pace, in iustitia, in sanctificatione, quæ omnia Christus est. In his ergo viuere deo, hoc est in Christo Iesu viuere deo. Quod si sine iustitia, & sine pace, & sine sanctificatione cæterisque virtutibus nemo viuit deo, certum est quod nemo viuat deo nisi in Christo.

LIBER SEXTVS.

NON ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscétiis eius, neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos deo táquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ deo. Peccatum enim vobis nó
C dominabitur. Nó enim sub lege estis, sed sub gratia.] In superioribus ait: Sicut regnauit peccatum in morte, núc autem non dixit: Non ergo regnet peccatum in morte, sed ait: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendú desideriis eius, docens per hæc sedem quádam regnum peccati habere in corpo-
Rom. 8. re. Hoc est quod & alibi dixit: Prudétia carnis inimica est deo. Et iterú: Prudentia carnis mors est. Sed & omnia peccata apostolus opera carnis esse pronunciat. quæ dicit esse fornicationem, immunditiam, passionem, concupiscentiá malam, impudicitiam, idololatriam, maleficia, inimicitiam, certamina, zelum, furorem, cótentiones, dissensiones, hæreses, inuidiam, ebrietatem, comessationes, & his similia. Sed si requiras quomodo etiam hæreses inter carnis opera numerantur, inuenies eas de sensu carnis procedere. Sic e-
Col. 2. nim dicit apostolus de quodá: Frustra quod afflatus à sensu carnis suæ & non tenens caput. Hæc autem diximus vt manifestior fieret intellectus quomodo peccatum regnet in corpore. Omnia náque illa quæ superius opera esse carnis enumerauimus, velut exercitus quidam damnatus est sub hoc rege peccati militans, & legi eius parens, quæ in membris carnis inscripta est. Certum est enim, quia ex eo quod desideriis peccati caro obedientiam præbet, concupiscit caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, & hæc sibi inuicé aduersantur. Illud tamen aduerte, quod ostendens in nostra potestate situm vt non regnet in no- D
stro mortali corpore ad obediendum, præceptum dat apostolus, dicens: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis eius. Nisi enim esset in nostra potestate vt non regnaret in nobis peccatum, præceptum vtique non dedisset. Quomodo ergo possibile est vt peccatum in carne nostra non regnet? Si faciamus illud quod idem apostolus dicit: Mortificate mé- Col. 3.
bra vestra quæ sunt super terram, & si semper mortem Christi in corpore nostro circunferamus. Certum nanque est, quia vbi mors Christi circunfertur, non potest regnare peccatum. Est enim tanta vis crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita vt in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis aspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia: sed continuo ad eius præsentiam totus ille quem supra enumerauimus peccati & carnis fugatur exercitus. Ipsum verò peccatum nec subsistit, quippe cum substantia eius nusquam sit nisi in opere & gestis. Est ergo in nobis & concupiscentia peccati, quæ regnum habet in carne, est & concupiscentia spiritus, quæ regnum habet in mente, secundum id quod suprà diximus quia caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Cum ergo concupiscimus quod non licet vel quod non decet, vel quod non expedit, concupiscentia E
est carnis. Cùm verò concupiscit & deficit anima nostra quando viderit salutare Dei, ista concupiscentia spiritus est. Vnde apparet mediam quodammodo esse animam inter carnem & spiritum, & si quidem iunxit se carni ad obediendum desideriis peccati, efficitur vnum corpus cú ea. Si verò iunxerit se Deo, efficitur cum eo vnus spiritus secúdum quod dictum est. Qui enim iungit se meretrici, 1. Cor. 6.
vnum corpus est, qui auté iungit se Deo, vnus spiritus efficitur. Nec mireris si carnem meretricem vocet, quæ illis omnibus quæ suprà enúciauimus vitiis atque peccatis táquam turpissimis amatoribus subiacet. Requiro auté cur addiderit, In corpore vestro mortali, cum vtique sufficisset dicere, non ergo regnet peccatum in vestro corpore. Cur igitur additur mortali, quasi dubitaret aliquis corpus esse mortale? Sed mihi videtur quòd non sine causa etiam hoc addiderit. Admonuit enim per hoc quod possit i corpore non regnare peccatum, secundum quòd alibi ipse dixerat, Corpus quidem mortuum propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustitiam. Si ergo sciamus quia corpus nostrum mortificari potest, & mortuum esse peccato, potest fieri vt non regnet in eo peccatum. Secundum hoc namque quod mortuus est, iustificatus dicitur à peccato. Neque enim mortuus concupiscit, aut irascitur, aut furit, aut diripit aliena. Si ergo ab his omnibus concupiscentiis F
corpus reprimamus, mortuú peccato dicitur esse corpus, & hoc est quod in præsenti loco ita apostolus videtur cómonere dicens: In corpore vestro mortuo. Alius fortasse diceret, quia ad distinctionem alterius corporis quod immortale est, corpus hoc in quo nunc sumus, mortuum nominauit. Quid sit autem corpus immortale, idem apostolus dicit in aliis, vbi ait: Necesse est enim vt corruptibile hoc induat incorruptioné, & mortale hoc induat immortalitatem, & dubium non est quin adepta immortalitate hoc ipsum quod núc mortale est, immortale efficiatur corpus. Post hæc sequitur: Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo. Intuere per singula sapiétiam Pauli, quia necessariis discretationibus vtitur. Vbi dicit arma nostra præbéda esse peccato, vel iniquitati, non nos, sed membra nostra posuit. vbi verò suadet vt Deo nos exhibeamus, nó ante mébra quàm nos ipsos exhiberi vult Deo, hoc est animam, vel propositum nostrum vt cum prius nos ipsos exhibuerimus Deo, & adhæserimus ei, ita demum etiam membra nostra efficiamus arma iustitiæ Deo. Sicut enim manus sanctę dicuntur quæ operibus sanctis ministrauerint, vt apostolus dicit: Leuátes puras manus sine ira & disceptatione, vt rursum 1. Tim. 2.
manus dicuntur plenæ sanguine quæ ad effundendum mi-

G nistrauerint, ita & in præsenti loco membra quæ peccato
deseruiunt & iniquitati, arma iniquitatis appellantur: &
rursum si peccati cócupiscentiam mortificemus in corpo-
re nostro mortali, & in opere iustitiæ laboremus, atque o-
mnibus membris nostris iustitiæ ministremus, efficimur
tanquam ex mortuis viuentes, peccato scilicet mortui, &
iustitiæ viuentes, & consequenter etiam membra nostra
fiunt arma iustitię Deo. Bene autem metaphoram superius
propositam custodiuit, vt quia regnare dixerat peccatum,
arma peccati membra nominaret, & rursum Deo regi ar-
ma iustitiæ fierent membra vestra. Sequitur post hęc: Pec-
catum enim vobis non dominabitur. Non enim sub lege
estis, sed sub gratia. Etiam hic intuere miram in Apostoli
sermone cautelam, cum de nobis loquitur dicens: Pecca-
tú vobis non dominabitur, Cum de saluatore loqueretur,
non dixit, peccatú ei non dominabitur, neque enim de eo
ita dici decebat, sed ait: Mors illi vltra non dominabitur.
Mortis enim in eo fuit locus, peccati nullus. At contra in
nobis nec conueniebat dici, mors vobis nó dominabitur,
hoc enim cauere non possumus, sed peccatum vobis non
H dominabitur, quod sine dubio scire & vitare nó possumus
secundum ea quæ superius diximus, si non mortificemus
concupiscentias carnis, in quibus peccatum potest domi-
nari. Propterea enim subiúgit: Non enim sub lege estis, sed
sub gratia, & euidenter ostendit ex his nos non esse sub le-
ge illa quam in membris positá repugnare dicit legi men-
tis, quia qui mortificat membra sua, certum est quod non
sit sub lege mébrorum, sed sub gratia Dei. De hac lege &
alibi dicit quia virtus peccati lex. Si quis velit hęc accipe-
re de lege Moysi, illud sine dubio dicet, quòd non sumus
sub lege literæ quæ occidit, sed sub lege spiritus quæ viui-
ficat, quam hic gratiam nominauit. Quid ergo? Peccabi-
mus quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.] Simi-
le videtur hoc illi dicto, quod superius exposuimus. Quid
ergo dicemus? permanebimus in peccato vt gratia abun-
det? Absit. & ideo vna atque eadem vtrique loco sufficiat
explanatio. Hoc solum est quod videtur habere differen-
tiam, quòd in superioribus vbi dicit: quid ergo, permane-
bimus in peccato? quasi iis qui nondum discesserint à pec-
cato dici videtur, ne permaneant in eo in quo esse adhuc
videbantur, hic verò tanquam ab iis qui discesserint à pec-
cato, fieri videtur interrogatio, & ibi vt quasi gratia quæ
nondum erat abúdaret, hic autem tanquam præsente iam
gratia dicit, quia nó sumus sub lege, sed sub gratia. An ne-
scitis quia cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui
I estis eius cui obedistis, siue peccati ad mortē, siue obedien-
tiæ ad iustitiam? Gratias autem Deo quoniam fuistis serui
peccati, obedistis autem ex corde in eam formá doctrinæ,
in qua traditi estis. Liberati autem à peccato, serui autē fa-
cti estis iustitiæ.] Videtur fortassis minus integra elocutio,
quia ait, serui estis cui obedistis, siue peccati, siue obedien-
tiæ ad iustitiam, cum ratio posceret, serui estis eius cui obe
distis, siue peccati, siue iustitiæ per obedientiam. Sed in eo
qui imperitiam sermonis sponte profitetur, artem compo
sitionis verborum requirere superfluum puto, cum sensus
euidens habeatur. Hoc est ergo quod in hoc loco Aposto-
lus docet: quia vnusquisque in manu sua habet & in arbi-
trij potestate, vt aut peccati seruus sit, aut iustitiæ. Ad quá-
cunque enim potestatem inclinauerit obedientiæ, & cui-
cunque parere voluerit, hæc sibi eum vendicat seruum. In
quo (vt dixi) absque vlla cunctatione in nobis esse ostendit
arbitrij libertatem. In nobis namque est exhibere obediē-
Matt. 6. tiam nostram vel iustitiæ vel peccato: Nemo potest duo-
bus simul dominis seruire, peccato & iustitiæ. Aut enim
vnum odio habebit, peccatum scilicet, & alium amabit, id
est iustitiam, aut patietur vnum scilicet peccatú duntaxat,
& aliú contemnet, id est iustitiá. Simile est ergo hoc quod
dixit Apostolus: Serui eius estis cui obedistis, siue peccati
siue iustitiæ. Nam omnis qui facit peccatú seruus est pec-
cati, ad hoc respicit, quamuis etiam non adiecerit, Omnis
qui fecerit iustitiam seruus est iustitiæ. Quod fortassis pu-
tet alius idcirco subrelictú, vt quasi ex consequentibus de-
beat intelligi, mihi tamen videtur consulto non additum.

Neque enim conueniebat dici, quia omnis qui facit iusti- K
tiam seruus est iustitiæ. Nam & Deus ipse facit iustitiam,
& non idcirco seruus iustitiæ dici potest, sed iustus domi-
nus. Non ergo ita omnis qui facit iustitiam seruus est iusti-
tiæ, vt omnis qui facit peccatú seruus est peccati. Nam &
ipse diabolus sine dubio seruus est peccati, quippe quia di-
scessit à seruitute iustitiæ, & in conspectu omnipotētis do-
mini rebellauit, propter quod apostata appellatus est. Cō-
stat ergo ex his esse seruos quibus Paulus dicit: Quia cui
exhibetis vos seruos ad obedientiam, serui estis cui obedi-
stis, siue peccati siue iustitiæ, quia sponte. Nam ipsi nos ex-
hibemus nullo cogēte vel peccato seruire, vel iustitiæ per
obedientiam nostram, & ideo semper horú meminisse de-
bemus, ne inanes querelas in peccati excusatione proferа-
mus, quod diabolus fecit, vt peccatorem aut naturę neces-
sitas, aut fatalis conditio, aut cursus astrorum efficiat. Sed
audi apertam Pauli sententiam, qua dicit: Cui vos exhibe-
tis seruos ad obediētiam, serui estis cui obedistis, siue pec-
cati, siue iustitiæ. Post hæc, Gratias, inquit, Deo, quia fui-
stis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam
doctrinæ in qua traditi estis. Videtur hæc ad eos dicere, de
quorum vita profectúque præsumit, & de quibus iam su-
perius dixerat, Gratias ago Deo per Iesum Christum pro
omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso L
mundo. Tunc deinde & illud ostēdit, quod omnes homi-
nes primo seruiant peccato, sic enim scriptum est: Quia
non est iustus super terram qui faciat bonum, & non pec-
cet. Primo enim necesse est in omni homine illud comple
ri, quod scriptum est: Sed vbi venit mandatum, peccatum
reuixit: Hoc verò quod sequitur ad paucos dicitur, & eos
qui emendantur: Gratias autem Deo quia fuistis serui pec-
cati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in
qua traditi estis. Serui ergo omnes fuimus peccati: sed vbi
tradita est nobis forma doctrinæ, & huic non vtcunque
neque solis verbis, sed ex corde, & animo ex tota deuotio-
ne elegimus obedire, liberamur à seruitute peccati, & effi-
cimur serui iustitię. Vnde vereor ne forte plures simus qui
videamur suscepisse formam doctrinæ iustitiæ, & verbis
quidem vel professione iustitiæ videamur obedire, corde
verò obediamus peccato carnis adhuc vitiis in nobis do-
minantibus. Et ideo ante omnia indigemus illa de qua su-
perius docuit mortificatione membrorum. Quam autem
dixit formam doctrinæ in qua traditi estis, requirendum
puto quomodo vnusquisque tradatur. Inuenimus nanque
quia eos qui non probant Deum habere in notitiam, tra-
dat Deus secundum desideria cordis eorum in immundi-
tiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis: & M
alios qui commutauerunt gloriam incorruptibilis Dei,
tradat in passiones ignominiæ, de quib⁹ in locis suis prout
potuimus diximus. Et hic ergo qui semetipsos exhibēt ser-
uos per obedientiam iustitiæ, deus tradidit vt instituantur
& imbuantur secúdum formam iustitiæ doctrinæ. Mouet
me etiam hoc, quod nó dixit obedientiæ ex corde doctri-
næ in qua traditi estis, sed formá doctrinæ posuit. Nec pu-
to quòd vnum esse senserit Apostolus doctrinam, & for-
mam doctrinæ. Sed mihi videtur quod formam doctrinæ
minus esse scierit quàm ipsam doctriná: & núc quidem in
pręsenti vita dú in hoc corpore sumus, & aggrauat terrenú
hoc habitaculum sensum multa cogitantem, formam do-
ctrinę habemus, non ipsam doctriná, sicut idem apostolus
in aliis dicit. Núc autē videmus per speculú in ænigmate:
ipsa autem doctrina sit de qua dicit, Tunc autē videbimus 1. Cor. 13.
facie ad faciem. Vnde & in præsenti vita puto quod formá
atq; vmbram virtutú tenere possimus, ipsas verò virtutes
túc cum venerint illa quæ perfecta sunt, & ideo iustus ma-
gis (vt mihi videtur) in vmbra virtutú, quàm in ipsis virtu-
tibus vixit. Et ob hoc fortassis Hieremias in lamētationib.
dicit, Spiritus vultus nostri Christus dominus, cui diximus
in vmbra eius viuemus in gentibus. Quod si Christus est
iustitia, & sapiētia, & veritas, & dicimus in vmbra eius vi-
uemus in gentibus: ergo in vmbra iustitiæ, & in vmbra
sapientiæ, & in vmbra veritatis viuimus, etiam si iusti, &
sapientes, & veritatis amatores esse videamur. Propter-
ea ergo

A tea ergo dicitur: Si quis se putat cognouisse, nondum co-
1.Cor.8. gnouit quemadmodum oporteat scire. Fortassis etiam ipsum verbum Dei, secundum hoc quod verbum caro factum est & habitauit in nobis, aliter in præsenti vitæ statu, aliter cum venerit quod perfectum est, cognoscetur: & aliter nunc in forma serui, tunc verò aliter in forma dei, & sui patris æqualitate sentietur. Pro quibus omnibus, vel in forma doctrinæ, vt apostolus dicit, & nondum in ipsa doctrina, vel in vmbra Christi, vt Hieremias nominauit, & nondum in ipso Christo, viuere videmur inter gentes. Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Expositio est in his eorum quæ superius dixit. Si enim vltra non seruiatis peccato, certum est quia liberati ab eo serui facti estis iustitiæ. Sed requiritur quis est qui liberet à peccato: sine dubio veritatis agnitio. Sic enim dicebat Iesus ad Iudæos qui crediderant ei: Si credideritis verbo meo, agnoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Veritas est
Ioan.8. ergo quæ liberat à peccato, & veritatis agnitio. Certum est autem quod omnis qui liberatus fuerit à peccato, iustitiæ seruiat. Quod autem dicimus, iustitiæ seruiat, quoniam iustitia vna est ex virtutũ choro, simile est vt si diceremus, quia si quis liberat⁹ est à peccato, seruiet veritati, & seruiet sapientiæ, seruiet pudicitiæ, prudentiæ, & pietati. Sic enim ego audio & illud quod dictum est: Aperite mihi portas
Psal. 118 iustitiæ, & ingressus in eas confitebor domino. Non enim
B solius iustitiæ portas ingreditur qui cõfiteri vult domino, sed & veritatis, & sapientiæ, & pietatis, & pudicitiæ. O-
Eph.3. mnium namque vna est aula virtutum, cuius sibi iustitiæ nomine Paulus ianuas postulat aperiri. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immundiciæ, & iniquitati ad iniquitatẽ, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.] Pudorem quẽdam per hoc incutit apostolus auditoribus, vt hoc saltem obsequij dependant iustitiæ & sanctificationi, quod prius immũdiciæ & iniquitati detulerãt. Quid ergo tã humanũ, hoc est quid tã leue, quid tã sine onere, & quod nulla ratione prorsus possit infirmitatis excusari? Sicut, inquit, exhibuistis membra vestra seruire iniquitati, ita nunc exhibite membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Ingloriosum quidem est, vt ita quis virtutibus sicut vitiis seruiat: multo enim amplius & multo interius honoranda iustitia est. Sed ego, inquit, humane & communiter ago, eadem postulo, similia requiro. Dudum currebant pedes vestri ad dæmonum templa, nũc autem concurrant ad ecclesiam Dei. Currebant prius ad effundendum, nunc autem ad liberandũ sanguinẽ currant. Protendebantur manus prius vt aliena diriperent, nunc protendantur vt propria largiantur. Circumspiciebant prius oculi mulierem, aut alienum aliquid ad cõ-
C cupiscendum, nunc circumspiciant pauperes, debiles, egenos, ad miserandum. Aures delectabantur auditu vano, vel bonorum derogationibus, nunc conuertantur ad audiendum verbum Dei, ad explanationem legis, & ad capiendam sapientiam & disciplinã. Lingua quæ conuitiis, maledictis, & turpiloquiis erat assueta, nunc conuertatur ad benedicendum dominum in omni tempore, sermonem sanum proferat & honestum, vt det gratiam audientibus, & veritatem loquatur cum proximo suo. Sed quid opus est hæc singula persequi, cum pateat etiam tibi, vniuscuiusque membri ministerium quod exhibuit vitiis, aptare virtutibus, & actum quem exhibuit immundiciæ, ad castitatem nunc sanctificationemque conuertere? Videtur sane hic iustitiam pro omnibus simul virtutibus nominasse, sicut econtrario iniquitatem pro omnibus simul vitiis posuisse. Addit sane iustitiæ sanctificationem, quo videlicet castitatis partem & generaliter cum cæteris, & per semetipsam specialiter commendaret. Sed & illud aspice, quòd vbique per hæc arbitrij libertatem designat, & ostendit vnumquemque habere in sua potestate, vt quæ ante iniquitati ad iniquitatem seruitia dependebant, hæc conuersio in melius proposito iustitiæ sanctificationique dependant: quod vtique fieri non posset, si necessitas naturæ (vt quibusdam videtur) repugnaret, aut astrorum cursus obsisteret. Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. D
Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.] Quod quis peccati seruus sit, sufficienter iam in superioribus dictum est, cum exponeremus illum locum, Nescitis quia cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obedistis, siue peccati, siue iustitiæ? Cũ ergo quis peccato seruit, iustitiæ liber est, hoc est alien⁹ à iustitia. hic enim liberum alienum dicit, & recte quidem. Nemo enim potest & peccato simul & iustitiæ seruire, sicut saluator dixit, quia nemo potest duobus dominis seruire. Sed de his plenissime supra diximus. Illud sane notandum est, esse libertatem culpabilem, & laudabilem seruitutem. Nam liberum esse iustitiæ, crimen est: seruum verò esse, laudabile. Quod autem dicit iustitiæ seruum fieri, simul intellige & sapientiæ & pietati, & pudicitiæ, & omnibus vnà virtutibus: sicut ecõtrario qui peccat, seruus est simul & concupiscentiæ malæ, & iræ, & furoris, & impudicitiæ, & rapinæ, & omnibus simul vitiis ac sceleribus seruit. Vnde nosmetipsos discutere semper debemus per singula quæ gerimus, & in vnoquoque actu considerare cuinam seruiamus, peccato ne ad iniquitatem, an iustitiæ in sanctificationem. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Fru-
E ctum & bonorum & malorum esse docet scriptura diuina,
Matt.12. vt ipse saluator in euangeliis dicit: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Non potest arbor bona fructũ malum facere, neque arbor mala fructum bonum facere. In quibus propositum & voluntas hominis, arbor dici videtur vel bona vel mala, fructus verò eius opera. Si quis igitur conuertat animum & propositum ad iustitiam, erubescit sine dubio, & ipse se notat de prioribus gestis quæ egit positus sub peccato, quia finis illorum mors est. Sed requiro quæ mors? certum est non ista communis. Non enim quis post mortem conuertitur ad iustitiam, vel pro malis gestis præteritis erubescit. Quid ergo est? Nunquid nam mortem peccati dicere videtur? Quoniã anima quæ peccat, ipsa morietur. An illud magis potest intelligi quod istam mortem dicit qua cum Christo peccato morimur, & vitiis ac sceleribus finem damus, vt post hæc dixisse videatur, quia finis illorum mors est? Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Fructus fructibus comparat: & peccati quidem fructus pro quibus nunc hoc est postea quam liberati à peccato, serui autẽ fa-
F cti deo, sancti erubescunt, pronunciat morte finiri: fructus verò iustitiæ qui sunt in sanctificationem, finem dicit accipere vitam æternam. In quo illud primo non est omittendum, quod fructus quidem eos pro quibus non erubescimus, in quo sint noluit nominare: eorum verò fructum qui liberati sunt à peccato, & serui facti sunt Deo, dicit esse in sanctificationem. Bonorum enim frequentius quam malorum habenda memoria est. Quod autem prius de malis fructibus & fine eorum, postea verò de fructibus qui in sanctificatione sunt, & de fine eorum qui est vita æterna, memorauit, vide quia simile est hoc dicto prophetico
Deut.32. illi quo ait, Ego occidam, & ego viuere faciam, & iterum,
Iob.5. Percutiam, & ego sanabo. & rursum in Iob: Ipse dolere facit, & remedium dat: percutit, & manus eius sanat. Quæ omnia illuc aspiciunt, quod ante moriendũ est cum Christo, & ita conuiuendum: & ante compatiendum, & ita cõregnandum. Nisi enim prius per pœnitentiam moriamur peccato, non possumus per iustitiam viuere deo. Sed & hoc, quia superius dixerit, Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ: nunc autem cum similiter dixerit, liberati autem à peccato non similiter dixit, serui facti estis iustitiæ, sed serui facti estis deo: non est otiosa distinctio. Per hoc enim ostenditur, quod posteaquam quis liberatus à peccato fuerit, seruire debet primo iustitiæ & omnibus virtutibus simul, vt inde per profectum ascẽ-

G dat ad hoc, vt seruus fiat deo, quamuis & seruire iustitiæ,
seruire Deo sit. Christus est enim iustitia, & seruire Chri-
sto, seruire Deo est. Est tamen ordo profectuum, & sunt
profectibus vel virtutibus gradus, & idcirco dicitur Chri-
stus regnare, profecto secundum hoc quod iustitia est,
donec in vnoquoque compleatur plenitudo virtutum, v-
bi vero mensura fuerit perfectionis expleta, tunc dicitur
tradere regnum deo & patri, vt iam sit deus omnia in om-
nibus. Sed & illud adhuc obseruandum puto, quoniam
collationem diximus fructuum malorum, & fructuum
bonorum fecisse apostolum: quòd ibi quidem vbi de ma-
lis fructibus dicebat non dixit, fructum vestrum habuistis
in quibus nunc erubescitis: sed dixit, quem ergo fructum
habuistis, vbi verò de bonis fructibus dicit, addit vestrum.
Sic enim scribit: Habetis fructum vestrum in sanctificatio
nem, per quod indicare mihi videtur quod fructus malus,
fructus erubescendus & pœnitendus, non est noster fru-
ctus. Non enim malam in nobis arborem deus plantauit
quæ fructus malos proferret, sicut & ipse dicit per pro-
Hier. 20. phetam, Ego te plantaui vitem fructiferam totam vera-
cem, quomodo conuersa es in amaritudinem vitis alie-
næ? Fructus ergo malos etiam si afferamus, non sunt no-
stri, alieni id est peccati: fructus vero bonos si afferamus
in sanctificationem, nostri sunt fructus. Istos enim fructus
H vt afferret humana natura à conditore suscepit. Nam illi
alieni sunt in nobis, non seminati à deo. Vis autem scire
quia dominus non seminat malos fructus? Audi in euan-
Matt. 13. gelio dicentem, Nonne bonum semen seminauimus in a-
gro? Vnde ergo habet zizania? Et respondentes dixerunt,
Inimicus homo hoc fecit. Et adhuc vis amplius discere,
quia isti carnis fructus non sunt nostri, sed alieni? Ipse e-
tiam in euangelio dominus dicit: Si in alieno fideles non
fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Sic ergo profuso
dæ rationis mysterio in malo quidem fructu Apostolus
non addidit vestrum: de bono autem dicit: Habetis fru-
ctum vestrum in sanctificationem. Quod autem perfe-
ctiores dicat hos quos seruire deo nominat, quàm illos
quos primo seruire iustitiæ dixerat, etiam ex hoc proba-
tur: quòd horum fructum in sanctificationem posuit, qui
intelligi possint hi esse qui se castitati & continentiæ deuo-
uerût: illi autem quos seruos dixit esse iustitiæ, possint etiã
hi videri qui in coniugiis positi iustitiæ tamẽ & omnibus
virtutibus operam præbent. De vita autem æterna quàuis
& in aliis locis sæpe à nobis dictum sit, tamẽ & in præsenti
breuiter perstringendum est, quod æternitas in scripturis
aliquando pro eo ponatur vt finem nesciat, aliquãdo verò
vt in præsenti quidem seculo finem non habeat, habeat ta-
I men in futuro. Aliquando temporis alicuius, vel etiam vi-
tæ vnius hominis spacium æternitas appellatur, vt est il-
Exod. 21. lod in lege scriptum de seruo Hebræo. Si dilexerit (inquit)
vxorem suã, & filios suos, & permanere voluerit in serui-
tute propter ipsam, subula, inquit, pertũdes autẽ in poste,
& erit tibi seruus in æternum. Æternum hic sine dubio tẽ-
pus vitæ hominis posuit. Et iterum in Ecclesiaste dicitur,
Eccles. 1. Generatio vadit, & generatio venit, terra autẽ stat in æter-
num: hic æternum præsentis seculi tẽpus ostendit. Vbi ve-
rò dicit vitam æternam, ad illud aspiciẽdum est quod ipse
Ioan. 17. saluator dicit: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te
solum verum Deum & quem misisti Iesum Christũ. Et ite-
Ioan. 14. rum, Ego sum via, veritas, & vita. Et ipse apostolus dicit in
1. *Thess.* 4 aliis, quia rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera, &
sic semper cum domino erimus. Sicut ergo semper cũ do-
mino esse, finem non habet, ita vita æterna nullum finem
habere credenda est. Stipendia enim peccati mors: Gratia
autem Dei vita æterna in Christo Iesu domino nostro.]
Simile est hoc quod dixit, stipẽdia peccati mors, illi quod
superius dixerat, finis autem illorũ mors. Quorum autem
illorum? sine dubio pro quibus nunc erubescitis, quorum
fructus ne nominare dignum. Et iterum, Gratia autẽ Dei
in Christo Iesu domino nostro, simile est illi quod dixit:
Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò
vitam æternam. Bene autem metaphoram, id est figuram
militiæ ex initio propositã seruat, vt militantibus sub pec-
cati rege, imo potius tyrannidi eius parentibus, stipendia K
debita mortem dicat exolui. Deum verò non erat dignum
militibus suis stipendia quasi debitũ aliquod dare, sed do-
num & gratiam, quę est vita æterna in Christo Iesu domi-
no nostro. Ego non puto etiam hoc vacuum esse, quod ad
vitam æternã addidit, in Christo domino nostro: sed quia
fortassis sciri voluit aliud esse vitã æternã solum, & aliud
vitam ęternã in Christo Iesu. Illi enim qui surgent in con-
fusionem & opprobrium sempiternum, habẽt quidem vi-
tam æternam, non tamen in Christo Iesu, sed in cõfusione
& opprobrio æterno: Iusti autem qui surgent in vitã æter-
nam, in Christo Iesu habebunt vitam æternam. Peccatum
verò militibus suis in quibus regnat, stipẽdia digna largi-
tur mortem. Mortem autẽ dicimus non hanc corporalem,
sed illam de qua scriptum est, Quia anima quę peccat ipsa *Ezech.* 18
morietur. Et quàuis de diuersitate mortis à nobis sæpe iam
dictum sit, tamen quia præsens admonuit locus, apertius
eadem repetere, & in vnũ quæ sparsim sunt dicta collige-
re, neque mihi pigrum sit, nec legentibus onerosum. Mors
quidem in scripturis vnum quidem nomẽ est, sed multa si-
gnificat. Etenim separatio corporis ab anima mors nomi-
natur. Sed hæc neque mala, neq; bona dici potest: est enim
media, quæ dicitur indifferens, id est communis. Et rursus
separatio animę à Deo mors appellatur, quę per peccatum
venit. Hæc aperte mala est, quę & peccati stipendium no- L
minatur: hãc mortem Deus nõ fecit, neque lætatur in per-
ditione viuorum. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem
terrarũ. Et ipse iterum autor mortis huius diabolus mors
appellatur, & ipse est qui dicitur inimicus Christi nouissi-
mus destruendus. Sed & inferni locus in quo animæ deti-
nebantur à morte etiam ipsa mors appellatur. Dicitur etiã
illa mors laudabilis qua peccato quis moritur, & Christo
consepelitur, per quam emendatio fit animæ, & vita æter-
na conquiritur. Cum ergo tanta differẽtia in hoc vno no-
mine mortis habeatur, si audias deum dicẽtem. Ego occi-
dam, & ego viuere faciam, intelligere debes quæ sit mors
quam dicit inferre Deus: illa sine dubio quæ conferat vi-
tam, id est vt moriatur quis peccato, & viuat Deo. Cum
occideret eos inquirebant eum. Apertissime docens quia
Deus quẽ occidit, propterea occidit vt peccato moriatur,
& quærat Deum. Sic ego audio illud quod scriptum est,
quia occidit Deus Her filium Iudæ quoniã malignus erat, *Gen.* 38.
& si quid aliud huiusmodi de deo legimus scriptum. Sic & 1. *Cor.* 5.
apostolus peccatorem tradebat in interitum carnis, vt spi-
ritu faceret saluum, hoc est vt moreretur peccato, & viue-
ret Deo. Et in præsenti igitur loco stipendia quæ dat pec- M
catum, mors esse dicuntur: non ista mors quæ separat cor-
pus ab anima, sed illa qua separatur anima per peccatum à
Deo. Et rursum nos in morte Christi dicimur baptizari,
in illa sine dubio qua peccato mortuus est semel, vt & nos
separemur à peccato, & viuamus Deo. Tali nanque mor-
te qui moritur, iustificatus esse dicitur à peccato Sic ergo
habẽda est distinctio, quod deus etiam si occidere dicatur
& morti tradere, talis quædam fit mors quæ à deo datur
vt conferat vitam. Nihil enim mali datur à bono deo li-
cet triste sit, licet doloris plenum prospectu tamen me-
dendi & contemplatione sanitatis infertur, vt animam
separauerat à Deo illecebra & dulcedo peccati, seuerita-
tis austeritas separet à peccato. E contrario vero peccatum
quicquid dederit, quicquid contulerit, etiam si stipendia
largiatur, animæ mors est.

CAPVT VII.

AN ignoratis fratres (scientib. enim legẽ loquor)
quia lex dominatur in homine quanto tempore
viuit? Nã quæ sub viro est mulier, viuente viro
alligata est legi: si autem mortu⁹ fuerit vir eius,
soluta est à lege viri. Igitur viuẽte viro cognominabitur
adultera si fuerit cũ alio viro. Si aũt mortu⁹ fuerit vir eius,
liberata est à lege, vt nõ sit adultera si fuerit cũ alio viro.
Itaq; fratres mei & vos mortificati estis legi per corp⁹ Chri
sti, vt sitis alteri⁹ qui ex mortuis resurrexit, vt fructificetis
Deo.

A deo. Cũ enim essemus in carne, passiones peccati quæ per legẽ erant, operabantur in membris nostris vt fructificarent morti. Nunc autem absoluti sumus à lege mortis in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ.] Latius in superiore de fide & lege differens, per omnia præferendam esse ostendit fidem eorum duntaxat qui credunt in eum qui suscitauit dominum nostrum Iesum à mortuis. Post hæc qualis etiam eorũ conuersio deberet esse subiunxit: in quibus & de peccato Adã ac iustitia Christi disseruit: sed & de virtute ac libertate qua vel iustitiæ quis seruit & liber est à peccato, vel peccato seruit & iustitię liber est, disputauit. Nunc ergo post excessum quendam latius redit denuo ad tractatum legis & Christi, talia quædam in præsenti differens loco, quę paululum repetentes secundum literæ consequentiam prius aperire tentabimus. Tunc etiam pro viribus quid vnusquisque sermo virtutis habeat, requiremus.

Loquor, inquit, vobis qui scientiam legis habetis, & scitis seorsum eius non esse in vetustate literæ, sed in spiritus nouitate: hoc est scientibus legem loquor, & appello vos propter huius legis scientiam fratres, & dico: Nunquid ignoratis quia lex vnicuique mancipato & seruienti sibi dominatur, sicut vir iunctæ mulieri: & sicut
B in omni vita sua dominatur mulieri legibus sibi coniunctæ, ita & homini qui sub lege est quamdiu viuit, & valet, dominatur lex. Sed sicut virum cui legibus subiũcta fuerat mulier, si accidat mori, libera efficitur mulier, & à viri potestate resoluitur: ita & is qui sub lege est, si accidat legem mori, ab operibus legis liber efficitur, & sicut mulier quæ prioris viri legibus absoluta est, habet libertatem vt alio viro iungatur: ita & is qui sub potestate legis viuit, vbi mortuam videt literam, habet potestatem viuenti verbo, tanquam viro sociari. Si vero viuentem adhuc priorem virum voluerit mulier relinquere & alij sociari, adultera sine dubio appellabitur. Quod simili forma etiã in eum cadit qui legem vt virum deserit, & alij iungitur.

Hæc autem scientibus (vt dixi) legem loquor fratres, vt intelligatis quia & vos legem tanquam mortuam reliquistis. Mors autem illius per aduentum Christi & assumptionem corporis eius, per quod vos effecti estis id est iuncti alij viro, illi scilicet qui à mortuis resurrexit, & vltrà mortem non recipit, quam recepit prior ille vir, id est lex. Vos ergo nunc facti estis eius viri qui à mortuis resurrexit sponsa: & ideo secundum voluntatem ipsius viuere debetis, quia iam non sumus in carne, sed in spiritu, etiam si aliquando in carne positi peccati & carnis passionibus vrgebamur: quæ passiones per occasionem legis in mẽbris nostris fructificabant, non deo sed morti, illi morti quam
C Deus non fecit. Nunc ergo sicut cum moritur vir, libera est & absoluta mulier à lege viri, ita liberi & nos facti sumus à lege quæ videbatur nobis dominari tanquam vir. Cui legi sine dubio etiam nos mortui sumus, & alieni à conditione eius in qua detinebamur, vt post hæc iam seruiamus non in vetustate literæ sicut prius, sed in nouitate spiritus: quem spiritum à sponso nostro tãquam nuptiale pignus accepimus, sicut & alibi dicit: Qui dedit nobis pignus spiritum. Hic est ordo eloquentiæ. hæc apostolici cõpago sermonis. Sed nunc repetentes quæ dicta sunt, discutiamus per singula. Aut ignoratis, inquit, fratres, scientibus enim legem loquor, quia lex dominatur homini quanto tempore viuit? Hyperbatõ statim in principio habet, quod ita redditur. Aut ignoratis fratres quia lex dominatur in homine quanto tempore viuit? & post hæc redditur illud quod in medio insertum est. Scientibus enim legem loquor. Quod autem dixit, Scientibus legem loquor, simile est illi quod paulo post dicit, Scimus autem quoniam lex spiritalis est. Legem verò spiritalem non solum Paulus sciebat, sed & hi qui ab ipso imbuebantur: qui tamen spiritales erant, de quibus dicit: Spiritalis autem examinat omnia. Nam de Galatis non possum pronunciare quod sciant legem spiritalem esse, de quibus dicit: O insensati Galatæ. Nisi forte tunc sciebant cum spiritu cœperant: sed non permanserunt in hac scientia, quia carne consummati

1. Cor. 2.

Gal. 3.

sunt. Apostolorum verò doctrina & eorum qui ab ipsis D instruebantur ad docendum talis erat, quæ doceret homines seruire legi non in vetustate literę, sed in nouitate spiritus. Quod non solum apostolos, sed & prophetas, & si qui erãt tunc sapiẽtes in populo, sensisse arbitror, quia lex spiritalis est, licet multitudinis causa etiam carnalem videretur obseruantiam custodire. Nec mirum, cum & ipse Paulus dicat, Quia factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem. Ita ergo multi in populo priori proficiebãt in scientia spiritali, & videbant gloriam verbi Dei, sicut Esaias scribitur vidisse gloriam filij Dei, vt testatur Ioannes cum dicit, Hæc autem dicit Esaias quod vidit gloriam eius. Scientibus enim legem loquor, id est scientibus quæ sit in lege vetustas literæ, & nouitas spiritus: quia qui bene scit, nouit sine dubio quia lex ita dominatur homini quamdiu viuit, sicut vir mulieri: & sicut morte viri liberatur mulier à lege coniugij, & sociãdi viro alij accipit libertatem, ita & anima cuius vir lex est, cum vetustatem literæ in lege deprehenderit, quia quod veterascit prope exterminium est, veluti mortua sibi lege secundum literam, libertatem accipit nubẽdi alij viro qui est spiritus legis: spiritus autem dominus est. Quod autem dixit, Lex dominatur homini quanto tempore viuit, nõ ad hominem, sed ad legem refertur: hoc enim & in consequentibus indicat, vbi dicit, Viuente viro alligata est legi: & ipsum exemplum quod assumptum est, plenius idem ordo declarat: legem E enim in loco viri posuit, & de ipsa dicit, Si autem mortuus fuerit vir, soluta est à lege viri. Quæ tamen si de apostolis, vel de his qui ex circumcisione crediderunt dicta intelligantur, nil commouebitur quæstionis: Clarum namque est quod hic legem velut virum dicit, sub cuius potestate viuebant. Sed vbi venit plenitudo temporum, lex infirmari cœpit in carne, & infirmitatem mors cõsecuta est, & si qui sub potestate huius viri viuerant, tanquam mulier spiritui nubunt Christo credentes. Hi verò qui ex gentibus crediderunt, domino crediderunt, & non videntur sub huius viri id est sub legis vixisse potestate, nec habuisse virum legis sermonem. Testimonium autem huius rei, id est quod hi qui ex circumcisione sunt sub viro fuerint, hi autem qui ex gentibus sine viro, Esaias declarat dicens: Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quoniam multi filij desertæ magis quàm eius quę habet virum: Multos filios dicens desertæ magis quam eius quæ habet virum, quod multo plures ex gentibus, quàm ex circumcisione crediderunt. Et ostendit eam quæ habet virum, synagogam quæ habet legem: desertam verò, & vagam, ac sine vlla potestate legis viuentem, multitudinem gentium, quæ & sterilis erat, nullius legitimi verbi proferens germen. Ponitur ergo in his ab apostolo homo qui sub lege viuit, tanquam mulier quę sub viro est. Virum autem ponit sermonem legis, quem tamen virum mortalem F dicit, qui est secũdum literam sermo legis. Sed is quomodo sit mortuus, prouidendum est. Potest quidem in hoc videri mortuus, cum spiritalis intelligentia excludit vel interimit corporalem, & ostendit refugiendam esse occidentem literam, & sequendum viuificantem spiritum. Sed & hoc modo mortuus esse hic vir euidentius probabitur: etenim donec lex vmbram gerebat futurorum bonorum & inhiabat in terrena, cœlestis culturæ typus & imago gerebatur, & altare manebat, & sacerdotium, sermo legis litera videbatur. Nondum enim introierat in sancta non manufacta Christus, nec accesserat ad velamen interius, quod ad Hebræos scribens apostolus carnem Christi esse interpretatur. Vbi verò verbum caro factum est, & habitauit in nobis à præsentia eius lex cum templo & altari, atque omnibus quæ ibi gerebantur, euersa est: tunc mortuus est vir eius, id est secundum literam lex. Aut non iure dicitur in hac parte mortuus sermo legis, cui nulla sacrificia, nullum sacerdotium, nulla Leuitici ordinis deseruiunt ministeria? Homicidam punire non potest, nec adulterum lapidare: hæc enim sibi vendicat Romanorum potestas: & dubitas adhuc si mortua sit literæ lex?

1. Cor. 9.

Ioan. 12.

Gal. 4.

Ter in anno apparete domino omnis masculus ob ascen-

G dit:ouis in festiuitate paschæ ex in ciuitate quam elegisse putatur dominus deus, nulla iugulatur, manipuli primitia cum nulla celebiatur oblatio: nulla lepra, oulla pecoris immunditia, dubitari potest in his omnibus mortuam esse literam legis? Cum ergo claruesit per hæc omnia mortuum este virum priorem, nulla præuaricatio est Christo tanquam viro alteri sociari, sicut mulieri crimen non est si viro priore defuncto suscipiat secunda connubia. Et propterea dicit: Igitur viuente viro coguominabitur adulteræ si fuerit cum alio viro, vt ostendat quia & anima hominis, si iam venit ad Christum, & Christo velut secundo viro sociata est, nullu genere viuere ei debet vetustas literæ quæ est quasi prior vir, ne forte si illum habear io se viuētem, efficiatur adulresa, quæ ita adbue secundo sociata est, vt si viueeet prior. Hoc est quod per aliam figuram & in superioribus dixit, qoia mori prius oportet, & ita consepeliri Christo. Denique etiam hic addit in posterioribos: Itaque fratres mei & vos mortui estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, vt fructificeemus deo. Vides quomodo figurarum diuersitas videatur, ad vnum tamē sensum cuncta reuocantur. Nam & quòd legem nobis mortuā dicit, boc idem libet intelligi, quod

H & sic nos mortui sumos legi per corpus Christi, in quo corpore iniquitates nostras tulit, & peccara nostra portauit, & in quo exuit principatum & potestatem triupbans eos in semetipso. Festinandum est ergo ad has nuptias secuodas, quæ beariores sunt multo quam primæ. Et vide si forte iam tunc lex tale oescio quid adumbrabat in eo com iuberet vt mulier mortuo priore viro de quo semen non susceperat, fratri eius nuberet: Fratex enim videtur legis literæ, secundum spiritum les: vt de ipso magis mulier afferat fructum. Sed hæc plenius in locis suis requirentur. Nunc autem (vt diximus) prius moriendum est legi literæ, vt sic coniongi possimus Christo qui ex mortuis resurrexit. Potest autem fieri vt hoc non solom de lege Moysi quæ est secundum litteram sentiatur. Sed de omni homine: qooniam certum est quod quibuscunque institutis, quibuscunque moribos agitur, quasi sub lege hac qua vtitur viuere credendus est: cui vtique vel ipsa mori debet, vel ipse illi, ne forte sub alio viro posita anima ad Christum veniens, non tamē nuptias eius adire quàm adulteræ effici videatur, quippe quæ sub prioris adhuc viri legibua viuit. Quod tamen apostolus alia rursum figura ad eum sensom explanationis adducit. Subiūgit enim: Cū autem essemus in carne, vitia peccatorom quæ per legem erant, operabantur in membris nostris vt fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua de-

I tinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus & non in vetustate literæ. Apparet & in his vt in superioribus per exemplum cuiusdam similitudinis Paulum ex alio io aliud cōclaue incertis & occultis gressibus digredi. Com enim in superioribus de lege literæ disputasset, quod vtique ad eos videsetur tantum qui ex circuncisione crediderant, pertinere: nunc latenti quadam conuersione carnis & vitiorum discutit legem, ob id sine dubio vt etiam ad cæteros homines non eos solos qui ex circuncisione sunt tractatus iste pertinese videretur. Ait ergo: Cum enim essemus in carne. Et quidem quantum ad rem spectat. In carne vtique positus ista dicēbat: sed cū in carne essemus hoc est, cum secondum carnem viueremus, vitia peccati quæ per legem erant, operabantur in membris nostris. Quænam lex ista est per quam vitia peccati operaotur? Nunquid lex Moysi etiam si secundum literam obseruetur, vitia generat peccatorum? Sed in aperto est quod illā legem dicat membrorum, quæ resistit legi mentis de qua & ante tractauimus, quomodo lex subintroiuit vt abundaret peccatum. Ipsa ergo les est quæ facit in iis qui secundum carnem viuerint vitia peccatorum abundare vt fructificent morti. Ad hoc nanque est les illa in membris nostris, vt resistens aduersus legem mētis captiuos nos docat peccato, & hos fructus afferat morti. Nunc autem soluti sumus, à lege in qua mortui detinebamur. Ab bac ergo lege nunc soluti sumus. Quando? Sioe dubio quando cum

Christo mortui sumus, & consepulti cum eo per Baptismum, & crucifixi cum ipso. & ideo dicit, Soluti sumus K à lege mortis. Nisi enim quis mortuus fuerit cum Christo ab ista lege noo soluitur. Scio & in aliis exemplaribus scriptum, A lege mortis in qoa detinebamur: sed hoc, id est mortui, & verius est & rectius. Quod vero addit in conclusione. Ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ, quod sine dubio de lege literæ dictū videtur hoc modo consequenter intelligi poterit. In carne quidem positi, & secūdum carnem viuentes, propter peccatorum vitia quæ lex illa qoæ erat in membris nostris alebat vt fructificaret morti, non poteramus seruire nouitati spiritus domini: illa lex: membrorum viuebat in nobis, in modum quod nos secundom illam viuebamus. Vbi verò Christus pro nobis mortuus est, & nos cum ipso mortui sumus peccato, liberi sumus per ipsum à lege peccati: in qua detinebamur, vt possimus seruire iam legi Dei, seruire autem in nouitate spiritos, non in vetustate literæ. Nō enim idcirco nos Christus abstraxit à lege peccati, vt in vetustate literæ seruiamus, id est vt circūcisiooem recipiamus, & sabbata vel cætera quæ vetustas legis literæ continet: sed vt legem dei in spiritus nouitate seruemus, id est ex omnibus quæ in ea scripta sunt spiritalem sensum spiritu dunante capiamus, sicut & idem appstolus in aliis di- L
cit, quia velamen positum est in facie Moysi, cum autem 2.Cor. 3.
conuersus fuerit quis ad dominū, auferetur velamen. Dominus enim spiritus est: Vbi autem spiritus domini, ibi libertas. Nouitatē saoe spiritus scio quosdam intelligentes illuc erasisse, vbi dicerent nouum spiritum esse tanquam qui ante non fuerint, nec veteribus innotuerit, & nesciunt se in hoc grauissime blasphemare. Ipse enim spiritus est in lege, ipe in euangelio, ipse semper cum patre & filio est, & semper est & erat & erit, sicut pater & filius. Non ergo ipse nouus est, sed credētes innouat, cum eos à veteribus malis ad nouam vitam & nooam religionis Christi obseruantiam adducit & spiritales ex carnalibus facit. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuū erat. Ego autem sine lege viuebam aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum reuixit, ego autem mortuus sum: & inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitam hoc esse ad mortem: nam pecatum occasione acceptapet mandatum seduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? M
Absit. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.] In his locis positos crebro nos necesse est de legum diuersitatibus cōmonere. Hoc enim vult Paulus qoi sub voo legis nomine sensum de vno ad alterum tacitis indiciis transfert, illo vt arbitramur proposito, quo & scripturæ propheticæ constant, ne ea quæ inspirata diuinitos prolocutus, impolitis hominibus & minus adhoc vel fidei vel stodij deferentibus in propatulo ponesentur, pedibus (vt ita dixerim) conculcanda traderentur: sed vt secundum ea quæ supra per quandam similitudinem diximus, mysterium regis ad paucos & occultius perueniret. Ait itaque: Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Putasti, inquit, me de lege Moysi dicere quia peccatum est? Absit, ad vtrunque sufficiat quia neque de lege Moysi loqoor, neque de ipsa dico quia peccatum est. Sed peccatum non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Intellige, inquit, de qua lege loquar, quod nisi esset, peccatum nemo cognosceret. Nunquid Gen. 3. 4.
Moysi lex est per quam Adam cognouit peccatom suum, & abscondit se à conspectu domini? Nunquid Moysi lex est per quam cognouit Cain peccatum suum & dixit, Maius est peccatum meum quam vt relinquar? Aut per quam Pharao cogoouit peccatum suum, & dixit, do- Exod. 9.
minus

A minus iustus est, ego autem & populus meus impij? Quod si hi omnes, & alij innumeri ante Moysi legem cognouerunt peccatum suum, non erit sine dubio Moysi lex de qua dicit apostolus, Quia peccatum non cognoui nisi per legem: & de qua dicebat, Et concupiscẽtiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces. Sed illa lex de qua frequenter diximus, quæ in hominum cordibus scripta est non attramento, sed spiritu Dei viui, & docet vnumquenque quid agendum sit, quid cauendum: ipsa est ergo per quam cognoscit homo peccatum suum. Aperte hic legem naturalem dicit tamdiu ignorari à nobis, quamdiu ætatis processu non nouimus inter bonum & malum discernere, & à conscientia nostra audierimus. Loquitur enim intra nos conscientia, & dicit, Non concupisces. Sed quoniam non semper, nec ex initio vt nascitur homo, lex ista inuenitur in homine, sed aliquamdiu dum ætas nondum patitur, sine hac lege viuitur, sicut ipse Paulus fatetur cum dicit, Ego autem viuebam sine lege aliquando, in illo tempore quo sine lege viximus concupiscentiam nesciebamus. Non dixit non habebam, sed dixit nesciebam, tanquam quæ esset quidem, ignoraretur tamen quia esset concupiscentia. Vbi autem venit ratio, & lex naturalis locum in nobis processu ætatis inuenit, docere nós cœpit quæ essent bona, & prohibere à malis. Hoc ergo est dum dicit non concupisces, quod ante nesciebamus ab B ipsa didicimus malam esse concupiscentiam: occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Lex illa de qua dicit, quia concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces, ipsam etiam mandatum appellat cum ait, quia occasione mandati huius quo concupiscere prohibemur, peccatum vehementer exarsit in nobis, & omnem operatum est in nobis concupiscentiam. Ideo nanque in quo concupiscit caro aduersus spiritum, id est aduersus legem quę dicit, Non cõcupisces, etiã aduersatur ei, & certamen quoddam gerit, vt non solum concupiscentiæ non satisfaciat, sed etiam aduersarium vincat. Hæc est ergo occasio quam dicit venire ex mandato: Nescio quo etenim pacto ea quę prohibentur ardentius desiderantur, & ideo mandatum sanctum & iustum & bonum sit: Quod enim prohibet malum, necessario bonum est. Dum prohibendo concupiscẽtiam magis eam prouocat & inflammat, per bonum mihi operatum est mortem. Indicat tamẽ apostolus in his: quod origo peccati ex concupiscentia orta sit, dum prohibetur à lege siue Moysi quæ dicit, Non concupisces, siue etiam vt supra exposuimus naturali, eo contentiosius quod prohibetur expetitur. Sciendum sane est quod concupiscentia hic culpabilis ponitur: est autem & in multis laudabilis, C sicut supra diximus. Sine lege enim peccatum mortuũ est. Ego autem viuebam sine lege aliquãdo. Sed vbi venit mãdatum, peccatum reuixit, ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. De his pene omnibus iam in superioribus plene tractatum est: vnde ne eadem sæpius reuoluamus, breuiter quę dicta sunt, in memoriam reuocabimus. Sine lege autem peccatum mortuum esse in nobis, hoc est antequã per ætatem rationabilis intra nos sensus vigeret, ostendimus, cum etiam exemplum pueri percutientis patrem aut matrem vel maledicentis adduximus. In quo secũdum legem quidem prohibentem percuti vel maledici patrẽ aut matrem, peccatum fieri videtur: sed istud peccatum mortuum esse dicitur quia lex nondum adest in puero, quæ eũ doceat hoc quod facit fieri non licere. Sine hac autem lege & Paulum & omnes homines certum est aliquando vixisse, hoc est in ætate puerili. Omnes enim similiter per illud tempus nondum capaces huius naturalis legis existũt: Nam vtique non videtur de hoc Pauli esse professio vera. Quomodo enim sine lege Moysi probabitur Paulus aliquando vixisse cum ipse se Hebræum ex Hebræis, & octaua die circumcisum secundum legis præcepta fateatur? Sed hoc modo quo diximus sine lege naturali vixit etiam ipse aliquando in pueritia. Quo in tempore non dixit non fuisse in homine peccatum, sed mortuum fuisse & reuixisse postmodum, vbi lex naturalis adueniens prohibuit con- D cupiscẽtiam, cœpitque lex veluti mortuum suscitare peccatum? Peccati nanque natura hæc est, si fiat quod lex fieri vetat. Reuiuiscente ergo peccato ego inquit, mortuus sum Ego. quis? Anima sine dubio q̃ fecerat ꝙ lex fieri vetabat: Anima enim quæ peccat ipsa morietur. Inuentum est ergo mandatũ quod datum fuerat ad vitam animæ, scilicet vt eam doceret opera vitæ, cessisse ei ad mortẽ, dũ prohibita nõ tam refugit quã ardentius expetit. Mouet me tamen quomodo dixerit in his peccatũ mortuum reuixisse. Videtur enim quia nõ possit dici mortuum nisi quod aliquãdo vixerit, & postmodum vita caruerit. Sed hoc ipsum quod dixit reuixit, non nuper datã vitã, sed priorẽ redditã docet; ipse enim sermo, reuixit, rursum vixisse significat, Si ergo anima dicitur reuixisse peccato, quomodo de hoc sermone apostulus ait. Ego autem viuebam sine lege aliquando? Respondent Pythagorizãtes hæretici qui docent animas hominũ prius in pecudibus, vel auibus aut piscibus fuisse; & sic ad homines fluxisse, propterea dixisse apostolũ, Ego autẽ viuebã sine lege aliquando, quasi qui antequã in hoc corpus veniret humanũ, vixerit in eo ordine (verbi gratia) aut auiũ, aut animaliũ vbi lex nulla haberetur. Quomodo, inquit, ad hoc poterunt respondere, cum in anima non nuper exortum sed quod erat mortuũ dicat reuixisse peccatũ? & certum est quod is qui reuiuiscit, vixit aliquando? E Nunquam ergo anima in eo ordine fuisse videbitur, vbi peccatum sine lege nec fuisse potuit nec vixisse. Hæc aduersum illos dicta sunt, qui apostoli sermonem ad dogma impium trahunt. Nos autem mortem hanc peccati, beneficio Dei datam dicimus tempore eo, quo sine lege viueremus. Quod etsi veniente mandato quod & sanctum & iustum & bonum est, reuiuiscit in nobis peccatum, & occidit nos: peccatum enim accepta occasione per mandatum seduxit me, & per illud occidit: non est accusatio mandati per hæc, quia occasionem qua occidit me peccatum, venisse dicit ex mandato, sed hæc est dicti huius consequentia. Lex dicitur quæ docet quid fieri debeat, quid caueri, & necesse est illud vt caueri dicat & doceat quale sit, quo per hoc caueri facilius possit. Nemo enim potest vitare quod nescit. Si quis ergo edoctus per legem quale sit illud quod caueri debeat, non tam caueat quam faciat illud, occasione quidem legis non faciẽdæ rei scientiam videbitur accepisse: sed lex non ideirco eum docuerat vt faceret quod non debebat, & moreretur, sed vt non faceret & viueret. Sic ergo peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit. Aut certe quia frequenter dixit, peccatum per mandatum seduxit me, & per illud occidit, potest hic peccatum vel ipsum auctorem dixisse peccati, de quo scriptum est, Serpẽs F seduxit me: vel etiam personam finxisse peccati, quę visa sit hominem seduxisse occasione mandati, vt suauem faceret concupiscentiam: & anima dum suauitate concupiscentiæ delectatur præuaricando per mandatum quod dicebat, Non concupisces, moreretur. Sed ne hoc mandato legis ascriberet, quòd occasione præcepti seducta est anima & occisa, subiungit apostolus & dicit: Ita lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Bonum nanque est mandatum, & lex sancta est. Bona enim præcipit, & bonorum obseruantiam mandat. Quod ergo, inquit, bonum est, mors mihi est? Absit. Obiectionem refellit necessario consurgentem, & dicit: Non quod bonum legis & mandatum mortem mihi intulerit, sed peccatum, inquit, vt quod iniquum sit, per bonum mihi intulit mortem. Bonum nanque est mandatum si seruatur: si verò non seruatur, necessario erit illi malum qui perdiderit bonum. Fit ergo ipsum peccatum supra modum peccator ex occasione mandati. Diximus & superius quod quasi personam finxerit peccati, & de ipsa dicat suprà modum peccatorem effectum ipsum peccatum, de cuius persona loquor, occasione mãdati. Minus enim peccati est si id quod non prohibetur admittas. Si verò vetita & interdicta commiseris, suprà modũ, vt ita dicã peccator es: quia non solum cõmisisti quod non debuisti, sed & præceptũ præuaricatus es,

G Quod autem diximus peccatum peccator, maluimus vitium ſermonis recipere quàm ſenſum apoſtoli non integre exprimere: quia in Latino ſermone anguſtauit nos nomen peccati, quod neutro genere declinatur, in Græco verò fœmininum eſt: ideo peccatorem ipſum nos appellauimus: nam ibi peccatrix appellari poteſt. Scimus enim quia lex ſpiritalis eſt ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. Quod enim operor, ignoro. Non enim quod volo, bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo illud facio, conſentio legi quoniam bona eſt. Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatū. Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. Velle enim adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo facio bonū, ſed quod nolo malum hoc ago. Si enim quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem volenti mihi bonum facere, quia mihi malum adiacet. Condelector enim legi dei ſecundum interiorem hominem: video autē aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Ieſum Chriſtum dominū noſtrum.] Sicut forte illa expoſitio quam de legum diuerſitate tenebamus violentior præſumpta videatur, aduertat
H nunc in apoſtolo, quomodo non ſolum legum, ſed & per
2.Cor.10 ſonarum diuerſitas introducitur. Nam Paulus qui in aliis dicit, Non enim ſecundum carnem viuimus, ſed ſecundum carnem militamus: in præſenti loco dicit ſe eſſe carnalem, & hic ſub peccato dicit ſe eſſe venundatum, qui in alio dixit, Precio empti eſtis, & iterum, Chriſtus vos redemit, &
Gal.2. rurſum in aliis dicit, Viuo autem non iam ego, viuit verò
Rom.8. in me Chriſtus. Et iterum qui ait, Propter inhabitantem ſpiritum eius in nobis: nunc dicit. Quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. Quod ſi non habitat in carne eius bonum, quomodo dicis, Quia corpus noſtrū templum eſt dei, & templum ſpiritus ſancti? Sed & certe in quibus confitetur a lege quæ in membris ſuis eſt, & repugnat legi mentis ſuæ, captiuum duci ſe in lege peccati, quomodo apoſtolicę conueniunt dignitati, Paulo præcipue, in quo Chriſtus & viuit & loquitur? Sed colligamus ex his quomodo moris eſt ſcripturæ diuinæ, & perſonas latenter, & res & cauſas, de quibus dicere videtur, & nomina commutare, imò potius eiſdē nominibus in aliis atque aliis rebus uti ut in præſenti loco ait apoſtolus. Scimus enim quia lex ſpiritalis eſt. Hic adhoc quod dicit. Scimus quia lex ſpiritalis eſt, apoſtolica auctoritate pronunciat. Nō enim ſcit legē ſpiritalē eſſe qui carnalis eſt, & ſub pec-
I cato venundatus eſt, ſed qui habet in ſe ſpiritu dei, ille ſcit quia ſpiritalis eſt quod de Moſi lege conuenit dictū. Ipſa tanq; quæ his qui ſpiritaliter intelligunt, lex ſpiritalis eſt, & ſpiritus viuificans: qui verò carnaliter, lex literæ & litera occidens eſſe memoratur. Quod verò dicit, Ego autem carnalis ſum venūdatus ſub peccato, hic iā tanquā doctor eccleſiæ perſonam in ſemetipſum ſuſcipit infirmorū. propter quod & alibi dixit, Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrarer. Et hic ego infirmioribus quibuſque, id eſt carnalibus & qui ſub peccato venundati ſunt, efficitur Paulus carnalis & ſub peccato venondatus, & loquitur ea quæ illis loqui moris eſt vel excuſationis vel inculſationis obtentu. Ait ergo tāquam ex perſona illorum loquēs, Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato: hoc eſt ſecundum carnem viuens, & in peccati poteſtatem libidinis & concupiſcentiæ precio redactus. Quod enim operor ignoro. Non enim quod volo facio, ſed quod odi hoc ago. Quod ergo ait, quia ignoro quod operor, non tam rem ipſam quam operatur quis ignorat, licet carnalis ſit, ſed cauſam rei quam agit dicitur ignorare. Quod enim dicit. Non enim quod volo ago, ſed quod odi illud facio, oſtendit quia licet carnalis, & ſub peccato venundatus qui hæc loquitur, tamen etiam reſiſtere aliquātulum vitiis conetur, legis ſcilicet naturalis inſtinctu, ſed vincatur à vitiis & opprimatur in vitiis: vt ſępe accidit (verbi gratia) cū pro

ponit quis patienter ferre inſtigantem ſe, & ad vltimum K
vincitur iracundia, & patitur hæc inuitus: iraſcitur ergo etiam cum nolit iraſci. Hoc idem etiam timoris vitio accidere ſolet, vt contra voluntatem quis metu & formidine terreatur: hoc in elatione ſubiti vel inopinati honoris ſępe contingit, vt arrogantior quis fiat & tumidior quam vult. Vincitur ergo in his ſingulis qui nondum ſpiritalis eſt etiā contra voluntatem: quia voluntas iſta nondum ita fortis, & ita robuſta eſt, vt definiat apud ſe vſque ad mortem pro veritate certandum: nec talis eſt qui dicat eſt eſt, non non, & ideo non poteſt operari quæ vult ſed quæ non vult. Tamen ex ea parte qua non vult malum, conſentit legi dei quia bona eſt, quę prohibet malum: & conſonantiā quandam ad legem dei lex naturalis adducit, vt eadē velint atque eadem nolint. Quod ſi ſecundum voluntatem dei cōſentimus, malum ergo quod facimus iam non nos ſed peccatum quod in nobis eſt operatur, id eſt lex & volutas carnis, quæ captiuos nos ducit in lege peccati. Et hic (id eſt Paulus carnalis) dicit quia iam non ego operor illud, ſed ꝙ habitat in me peccatu. Paulus verò ſpiritalis in aliis dicit, Quia abundantius quam omnes illi laboraui: non autē ego, ſed gratia dei mecum. Vt ergo iſte labores ſuos non ſibi ſed gratiæ Dei quæ in ipſo operatur aſcribit, ita & ille carnalis opera non bona non ſibi, ſed peccato quod in ſe habitat & operatur, adnumerat. Ideo ergo dicit: Non iam e-
go operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Non e- L
nim habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum. Nondū enim in eo Chriſtus inhabitat, neq; corpus eius templū eſt ſpiritus ſancti. Veruntamen nō vſquequaq; hic cuius perſona proponitur alienus eſt à bonis, ſed propoſito quidem & voluntate cœpit bona requirere, nondū tamē poteſt bona rebus & operibus obtinere. Eſt etiā talis quædam infirmitas in his qui initia conuerſionis accipiunt, vt cum velint quidē ſtatim facere omne ꝙ bonū eſt, non ſtatim voluntatē ſequatur effectus. Nā & meditator apud ſemetipſum diſcernit (verbi cauſa) vt nō iraſcatur, & hoc in voluntate defi nit: ſed quoniā longo vſu & conſuetudine diutina vitiū in eo iracūdiæ dominatū eſt, obſiſtit etiā voluntati ac propoſito, & in ſolita ſibi rurſus itinera vis furoris erūpit. Similiter agit & libidinis vitium: pari quoque conſuetudinis morbo mendacium ſurrepit, formido deterret: & in his ſingulis iſte qui iam initia conuerſionis cęperat, competēter dicit, quia velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo bonū hoc ago, ſed ꝙ odi malum illud facio. Quod ſi iudicium de bonorum habet voluntas, conſuetudo autē carnalis vitiorum, quæ lex carnis vel lex membrorū appellata eſt, obſiſtit, & ſurripit ex eo quod bona voluntate gero, licet agam mala, tamen
quia inuitus ago cōſentio legi dei quoniā bona eſt. Odi e- M
nim mala, & cupio agere bona quæ lex iubet. Quod ſi cōtra voluntatem mala ago, victus conſuetudine vitiorum vſúque peccandi, nō iam ego hoc eſt interior homo quod bonum volo hoc facio, ſed quod habitat in me peccatum. Conſuetudinem nanque peccandi peccatū nominauit. Inuenio igitur legē volēti mihi facere bonū quia mihi malum adiacet. Condelector enim legi dei ſecundū interiorem hominē. Et in his verò (vt ſuperius cōmonuimus) non videntur elocutiones integrè explicari, ſed coniunctionum vel abundantia, vel proprietatibus impediri. Tali ergo quodam ordine legere debemus vt intellectus lucidior fiat. Igitur quia malum mihi adiacet, volēs facere bonum inuenio legem dei, & condelector ei ſecundum interiorem hominem. Per quod oſtendit, quia interior homo hoc eſt, voluntas & propoſitum quo initium accipit conuerti ad dominum, legi dei conſentit, & delectatur in ea. Sed (vt ſuperius diximus) non ſtatim vt voluntatem quis habuerit conuerti ad bona, etiam vſus boni operis ſubſecutus eſt. Cita enim res eſt voluntas, & ſine impedimento conuertitur: opus verò tardum eſt, quia & vſum & & artem & laborem requirit operandi. Quod vt euidentius fiat, vtamur etiam ſimilitudine exempli, verbi gratia vult quis ſapiēs fieri, nec tamē ſtatim vt voluit ſapiens effectus eſt, ſed volūtas quidē præceſſit, nec ſine volūtate aliquis

ſapiens

A sapiens fieri potest, sed tamen cum voluntas fuerit, adhibendus est labor, studium, solicitudo, vigiliæ, doctrina, institutio, & vix aliquando vsu longo & meditatione continua sapiens efficitur. Iste ergo ab initio quidem statim voluntatem habuit vt esset sapiens, sed non statim affuit ei opus sapientiæ, sed in eo ipso eruditur vt sapiens fiat, quod ante stulte & contra sapientiam gessit: qui tamen intelligere quidem potuit quam stulte gesserit, habebat iam studium sapientię, non tamen ita iam sapiens erat, vt cauere posset ne quid insipienter admitteret.
Iste ordo & de pudicitia habendus est, quoniam non statim quis vt voluerit pudicitiam profiteri etiam opere implebit vt nullis concupiscentiæ stimulis agitetur.
Sic & de mansuetudine, & de patientia, & de singulis quibusque virtutibus sciendum est. In quibus omnibus dici conuenit: Quia condelector legi Dei, hoc est virtutibus, secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quę est in mēbris meis. Quod suprà dixerat, Vel enim bonū adiacet mihi, hic voluntatem boni legem mentis nominauit: quæ lex mentis conuenit cum lege Dei, & consentit ei. Sed rursum motus corporis desideria carnis legem mēbrorum dicit, quæ captiuam ducit animam, & peccati legibus subdit. Certum
B est nanque quod desideria carnis animam trahunt ad peccatum, & eam legibus eius subdunt: & sicut lex mētis quæ consentit cum lege Dei si animam pututerit obtinere, adducit eam ad legem Dei: ita & lex quæ in membris est, & concupiscētia carnis, si seduxerit animam, peccati eam legibus subdet. Sed cum hæc Paul' assumpta fragiliore persona intra hominem certamen habere docuisset, & ostendisset quòd etiam contra voluntatem per desideria carnis anima vsu ipso peccandi in peccati iura raperetur, exclamatione vtitur adhoc ex persona illius, & dicit: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Videt se miserum, intra quem tot leges sibi inuicem repugnant, tot prælia commouentur. Pugnat caro aduersum spiritū, spiritus autem aduersus carnem: lex quæ in membris est repugnat legi mētis, & captiua ducitur anima in legem peccati, & sub iugo eius efficitur, etiā cum interior homo dei lege delectetur. Quomodo in his tot & talibus malis non miserum se dicat homo? & in corpore mortis habitare? Merito nanque corpus mortis appellatur, in quo habitat peccatum quod mortis est causa. Sit ergo exclamatio hæc ea persona illius, quem initia quidem conuersionis accepisse describit apostolus in eo quod voluntas adiacet boni, sed nondum in effectum venerit boni. Non enim inuenit perficere bonum, quia nondum in eo vsus exercitiúmque inoleuerat virtutum. Respōdetur verò ei ad hoc quod dixerat, Quis me liberabit de corpore mortis huius? iam
C non ex illius sed apostolica auctoritate: Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Vnde apparet quòd propterea hæc omnia descripsit apostolus, & mala quæ intra nos gerebantur exposuit, vt ad vltimum ostenderet & doceret de quantis nos malis, & de quantis mortibus nos Christus eripuit. Quod autem moris sit in scripturis diuinis sanctos personas assumere peccatorum, & magistros suscipere in semetipsos infirmitates discipulorum, ex libro quidem psalmorū plenissime perdocemur cum dicit, Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum, quia iniquitates superpositæ sunt capiti meo &c. vsque super me
Psal. 37. computruerunt & exarserunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Miseriis afflictus & curuatus sum vsque in finē &c. quibus pene integer hic scribitur psalmus. Quod si forte alicui videbitur hæc Dauid magis de semetipso pro his quæ acciderant ei, dicere potuisse quam de aliis; quid etiam de Daniele dicimus, cuius peccatum quidem nullum refertur, sed vir desideriorum dicitur, tamen in ieiuniis & cilicio & cinere describetur, & oratio huiusmodi in qua inter cætera etiam hæc dicit: Peccauimus, iniquitatem fecimus, iniuste egimus, & impietatem commisimus, & discessimus, & declinauimus à mādatis & iudiciis, & nō
Dan. 3. audiuimus seruos tuos prophetas, qui loquebantur nobis

in nomine tuo, & regibus & principibus nostris, & patribus nostris, & omni populo terræ, & tibi domine iustitia, nobis autem confusio faciei. Quis est qui in his verbis negare possit personam peccatorum à Daniele esse susceptam, pro quibus tanquam pro seipso hoc dicere videatur? Vnde conueniens est nos legētes dicta sanctorum, cum ab eis tale aliquid dici videmus, intelligere & sentire quia nostras in semetipsis passiones atque peccata describunt: & propterea illi hæc deflent, vt illorum fletibus nos inuitemur ad lachrymas. Considerabant enim neminem ita durum & ignarū posse inueniri, qui cum ab aliis videat vulnera sua lugeri, ipse nullum de suis vulneribus sensum doloris accipiat. Ita ergo & in præsenti capitulo apostolus ne quis nostrum erubesceret de his quæ intra se geri sentiret; aut etiam conuersus ad dominum, & mutata quis iam voluntate, ne hæc adhuc intra semetipsum moueri sentiens desperaret, ipse ea quasi in semetipso geri describit, vt exēplo apostoli nec corporis naturæ pudeat quenquam, nec pro emendatione desperet, nec malorum suorum multitudinem ignoret, ex quibus per Christi gratiam liberatur. D
Itaque ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.] Forte aliquis dicet, quod apostolus omnia nunc vsque nō quasi ipse, sed assumpta alterius persona locutus est, modo velut personæ immutationem designans dicat: Ego ipse, vt ostendat hæc dixisse ad seipsum idem apostolus pertinere. Dici autē quod mente seruiat legi dei, carne autem legi peccati, quasi tanta sit peccandi vis, tanta carnis E tyrannis, quod nec apostolus possit effugere. Et propterea in aliis dixit: Macero corpus meum, & seruituti subiicio, ne forte cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar. Sed hæc qui ex persona apostoli accipit dicta, desperationem mihi videtur incutere omni animę, quod nemo sit prorsus qui nō peccet in carne, hoc est enim seruire carnē legi peccati. Mihi ergo magis videtur illius adhuc tenere personā *1. Cor. 9.* quā suprà in semetipso describit, quasi voluntate iā & proposito ad meliora cōuersi, & mente atq; animo legi deseruiētis, nondū tamen ita obtinuisse, vt etiā carnis obedientiam in consensu mentis adduceret. Etenim quoniam in superioribus de mortificatione corporis disseruerat, & Christo cōmoriendum esse docuerat, in his nunc quā non sit otiosum hoc opus videtur ostendere, & docere quia non statim vt vult aliquis, & vt proposuerit bonum continuo etiam facto adimpletur, sed vel consuetudinis tanta vis, vel vitiorum tanta dulcedo, vt cum animus intendat ad virtutem, & legi dei seruire decreuit, carnis tamen desideria seruire peccato, & legibus eius parere persuadeant.

CAPVT VIII.

Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secūdum carnem ambulant: lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. F Quæ esset diuersitas in his qui velut in quodam certamine positi mente quidem secundum legem dei viuunt, carnis verò desideriis aguntur in legem peccati, in superioribus docuit. Nunc verò de his dicit, qui iam non ex parte in spiritu, sed ex integro in Christo sunt, pronunciat in his nihil damnationis dignum, quia lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit eos a lege peccati & mortis. Lex autem spiritus vitæ vna eademque est quæ & lex Dei: sicut rursum vna eademque est lex peccati & mortis. Nihil ergo damnationis erit his qui lege peccati quæ est lex mortis, penitus liberantur, & legi Dei quæ est lex spiritus, seruiunt. Seruire autem legi Dei, & esse sub lege spiritus, hoc est Christo seruire. Christo autem seruire, hoc est seruire sapientiæ, iustitiæ, seruire veritati, omnibúsque simul seruire virtutibus. Vnde non est putandum quod subito quis & statim vt voluerit à seruitio legis peccati translatus efficiatur in Christo Iesu, ita vt nihil in eo iam obtentu peccati damnationis habeatur.
Requirens autem in vnoquoque partes suas iustitia pro-

G bat si ita emendatus est iam & correctus vt nihil in eo iniusti operis inueniat ex quo damnatio subsequatur. Similiter & veritas requirit in vnoquoque partem suam, si trāslatus quis à lege peccati nulla iam ea parte inueniatur obsequia veritatis contaminate mendacio. Similiter & pudicitia partem suam discutit, si nullis ab eo impudicitiæ desideriis maculatur. Sic pietas sic sapientia partes suas in vnoquoque discutiunt, quas si rectè & integre in eo coustare repererint, tunc in Christo esse, & nihil damnationis habere putabitur. Quæ vtique dubium non est quin vsu & meditatione longa & labore peruigili cōparentur, & ideo non otiosis hæc accidere aut segnibus certum est, sed paulatim proficiendo, & primo pauca, tunc demum minima, ad vltimum si obtinere potuerint nulla peccando. Et hoc sentiens videtur mihi idē apostolus scripsisse in aliis, Præterita obliuiscens ad futura me extendens, doceos per hæc
Phil. 3. præterita debere esse in ea quibus aliquid culpabile fuerit, & obliuione dignum, futura verò quæ in Christo sunt, & hæc esse ad quæ nosmetipsos debemus extendere, eáque tota auiditate mentis expetere, lex est sanè spiritus vitæ. Nam de lege literæ quod diximus ipsam debere intelligi legem dei, secundum eam videlicet partem qua lex esse dicitur spiritalis, ideo addit, Lex spiritus vitæ, dicere hoc non poterat, de qua in aliis pronunciauerat quia litera occidit, hoc & in aliis ministerium mortis dixerat. Vtrunque ergo
H continet lex, & literam occidentem, & spiritum viuificantem. Vnde considera ne forte huius rei formam teneat & illud lignum de quo scriptum est: Sciendi bonum & malum. Vtrunque ergo in vno sicut in lege continetur. Sed & illud non omittamus, quod hic quidem qui liberat à lege peccati & mortis, spiritus vitæ dicitur, in euangelio autem
Ioan. 8. secundum Ioannem, scriptū est domino dicente: Si mansetitis in verbo meo, agnoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. In quo mihi quidem videtur, quod quamuis opere hæc à se diuersa videantur vel nomine, tamē re ipsa vnum sunt. Christus enim vita est, & ipse est qui liberabit, & hic spiritus vitæ liberat, & quomodo non in vtroque vna libertas est? Quæ enim agit spiritus, hęc & Christus agit, & quem sibi Christi spiritus agit, Sicut enim quos sanctificat spiritus sanctus, sanctificat Christ⁹: ita & quos liberat spiritus vitæ, liberat & vita. Tantum est vt liberati à lege spiritus vitę, in Christo maneamus, nec vltra inueniamur seruire legi peccati. Quia sicut is qui liberatur a lege spiritus vitæ, permanet in Christo qui est vita: ita qui seruit legi peccati permanet in morte quæ venit ex damnatione peccati. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secūdum
I carnem ambulamus, sed secundū spiritum. Qui enim secūdum carnem sunt, quę carnis sunt sapiunt, qui verò secundum spiritum, quæ sunt spiritus sentiunt. Prudentia enim carnis mors est, Prudētia autem spiritus vita & pax. Quoniam sapientia carnis inimica est deo: Legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest: Qui autē in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis sed in spiritu, si tamen spiritus dei habitat in vobis.] Cum in superioribus tot leges nominauerit, dixit enim & legē mentis, & legem spiritus vitæ: econtrario quoque legem in membris esse, & legem mentis, & legem peccati cognominauerit, hic nunc de qua harum lege dicat, Nam quod possibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, non est paruæ deliberationis eligere. Puto tamen quòd legem Moysi & hic, sicut & in aliis sæpe diximus, in duas partes apostolus diuidat, & aliud in ea carnem, aliud spiritū nominet, & illam quidem obseruantiā quę secūdum literam geritur, sensum carnis appellet, sicuti dicit de huiusmodi Iudęis, Frustra inflatus sensu carnis suæ: Illam verò quæ accipitur spiritaliter, spiritum nominat, sicut & alibi dicit: Litera occidit, spiritus viuificat. In hoc ergo loco quod dicit impossibile legis, & in quo infirmabatur per carnem, intellectus qui secundum literam est accipi potest, Ipse enim impossibilis erat & infirmus, si secundum carnem id est secundum literam sentiretur. Quid enim tam impossibile quam sabbati obseruatio secundum literam legis, vt K
in multis sępe iam diximus? Iubent enim non exire de domo sua, non se mouere de loco suo, nihil oneris leuare. Quæ quia impossibilia videntur, Iudæi qui secundum carnem legem obseruant, inepta quædam & ridicula commentantur, quibus impossibilitatem legis sarcire videantur. Quid autem de sacrificiorum ratione, quæ simul omnis facta est impossibilis? Quippe vbi nec templum est, nec altare, nec vllus prorsus sacrificandi locus: In quibus singulis lex non dicam impossibilis & infirma, sed planè iam mortua est. Nam ante mortem infirmabatur, tunc cum sanguine vitulorum & hircorum conabatur nec tamen poterat auferre, & infirmabatur in legibus lepræ, quas nec explanare vnquam potuit nec implere. In his ergo omnibus aliisque innumeris & impossibilis erat lex, & infirmabatur quantum ad carnis intelligentiam spectat, & ideo Deus filiū suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato, vel (vt verius habetur apud Gręcos) & pro peccato damnauit peccatum in carne. Quod dicit: In similitudinem carnis peccati, ostendit nos quidem habere carnem peccati, filium verò dei similitudinem habuisse carnis peccati, non carnem peccati. Omnes enim nos homines qui ex semine viri cum muliere conuenientis concepti sumus, illa necessaria vtimur voce quā dicit Dauid: Quoniam in iniquitate concepit me mater mea. Verum L
qui ex nulla viri contagione, sed solo spiritu sancto super Psal. 50.
virginem veniente, & virtute altissimi obumbrante venit ad corpus immaculatum, naturam quidem corporis nostri habuit, pollutionem tamen peccati quæ ex concupiscentiæ motu conceptis traditur, omnino non habuit. Idcirco ergo in similitudinem carnis peccati venisse dicitur filius dei, & pro peccato, inquit dānauit peccatum in carne. Quod hostia pro peccato factus sit Christus, & oblatus sit pro purgatione peccatorum, omnes scripturæ testantur, & præcipue Paulus ad Hebręos scribens cum dicit: Hoc enim fecit semel semetipsum offerendo hostiam. & Rom. 8.
iterum: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Per hanc ergo hostiam carnis suæ, æque dicitur pro peccato damnauit peccatum in carne, sicut idem apostolus in aliis dicit: quia apparuit in nouissimis diebus ad destructionem peccati. Et iterum propheta Esa. 53.
dicit: Ipse peccata nostra tulit, & iniquitates nostras portauit. Pro peccato ergo, hoc est per hostiam carnis suę quā obtulit pro peccato, damnauit peccatum in carne sua, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Post hāc erenim hostiam carnis quæ oblata est pro peccato, & damnauit peccatum, hoc est fugauit peccatū, & abstulit, vt iustificatio legis impleretur in nobis qui legem secundum spiritum custodimus, & non secūdum carnem: in qua parte se- M
cundum ea quę suprà exposuimus impossibilis erat lex & infirma. Qui enim secundum carnē sunt, quæ carnis sunt sapiunt, qui verò secūdum spiritum, quæ sunt spiritus. Hic iam apertius inter nos & Iudæos in medio statuens legem Moysi dicit: Qui secundum carnem sunt quæ carnis sunt sapiunt, hoc est Iudęi quos dicit secundum carnem Israel, quę carnis legis sunt sapiunt in eo quòd secūdum carnem legem intelligunt: qui verò secundum spiritum, de his dicens quos Iudęos dicit spiritu non litera, quę sunt spiritus. Et adhuc satiat eundem sensum, & sapit euidētius cum dicit: Prudentia enim carnis mors est, prudentia autem spiritus vita & pax, Nunquid nō vnū atque idem est quod dicit
Prudētia carnis mors est, & illud: Litera occidit? Igitur prudentia carnis mors est. Cuius mors est? Animæ sine dubio. 2. Cor. 3.
Qui enim legem secūdum carnem, id est secundum literā, intellexerit, nō venit ad Christum qui est vita, & ideo prudentia carnis mors est: Prudentia verò spiritus, vita & pax. Vitam nanque & pacem, quod est Christus, habet qui spiritaliter intelligit legem. Quoniā sapientia carnis inimica est deo, legi enim dei non est subiecta, nec enim potest. Videtur adhuc idem intellectus euolui. Quomodo enim sapientia carnis hoc est carnalis intelligentia non sit inimica

A mica deo, quæ aduerſatur Chriſto, quæ non recipit eum
quem miſit deus, quæ dicit: Nos legem habemus, & ſe-
cundum legem debet mori, quia filium dei ſe fecit? Quo-
Ioan. 19. modo ergo talis ſapientia, & talis intelligentia in lege
dei non dicatur inimica deo, & legi eius ei quæ ſecundum
ſpiritum eius nōn eſt ſubiecta, nec poſſet ſubijci? Quia ſi-
cut contraria ſibi ſunt mors & vita, ita contraria ſunt ſibi
litera, quę & ſapientia carnis eſt, & ſpiritus viuificans, qui
vere lex dei eſt. Qui autem in carne ſunt, deo placere non
poſſunt. Vos autem in carne nō eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamē
ſpiritus dei habitat in vobis. Eadem perdurat intelligen-
tia. Qui in carne ſunt, inquit, hoc eſt ſecundum literam ſe
quuntur legem, deo placere non poſſunt. Hoc enim olim
per Eſaiam pronunciatum eſt à deo cum dicit: Ieiunia, &
ferias, & diem magnum veſtrum non ſuſtineo, Neome-
nias & ſabbata veſtra odit anima mea. Sed & vos, inquit,
Eſa. 1. in quibus habitat ſpiritus, ſi tamen habitat, in carne non
eſtis, ſed in ſpiritu, hoc eſt, non intelligentiam carnalem le-
gis ſequimini, ſed ſpiritalem per quam veniſtis ad ſpiritum
viuificatorē, ſi tamen actus veſtri tales ſint & conuerſatio
vt ſpiritum dei in vobis habere mereamini. In duas ergo
(vt dixi) partes diuidens legem Moyſi, id eſt in ſpiritum &
carnem, quæ ſunt ſpiritus, quam & ſpiritalē legem appel-
lauit nobis tradidit, quæ vero carnis ſunt, carnalibus Iu-
B dæis reliquit. Sic denique & illud interpretatus eſt de A-
braham cum dixit. Sed is quidem qui de ancilla ſecūdum
carnem natus eſt, qui autem de libera, per repromiſſionē,
& ſicut tunc is qui ſecundum carnē natus, perſequebatur
eum qui ſecūdum ſpiritū, ita & nunc. Certū eſt enim, qui
ſecundū carnē ſunt Iudæi, perſequuntur nos qui ſumus nō
in manifeſto, ſed in occulto Iudæi, & legē ſecundū ſpiritū,
nō ſecūdū carnē cuſtodimus. Illi ergo qui ſecundū carnē
Gal. 3. ſapiunt, conſequenter etiam repromiſſiones legis carnali-
Eph. 1. ter ſperant. Nos verò eas ſpiritaliter expectamus, ſecundū
ſermonem Pauli dicentis: Vt repromiſſiones ſpiritus acci-
piamus. Et iterum: Benedictus deus & pater domini no-
ſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictio-
ne ſpiritali in cœleſtibus in Chriſto. Ex quibus omnibus
& quaſi ſit lex ſecundum carnem, & quæ ſecundum ſpiri-
tum, vel quæ ſpes repromiſſionis carnalis oſtenditur. Po-
teſt & ſecundum aliam expoſitionem, ſi repetamus ab ini-
tio quòd impoſſibile erat legi in quo infirmabatur per car
nem, & de lege mentis intelligi, quā ſuprà dixit velle fa-
cere bonum, ſed per infirmitatem & fragilitatem carnis
implere nō poſſe, & propterea miſiſſe deum filium ſuum
in ſimilitudinem carnis peccati. & de peccato hoc eſt per
hoſtiā pro peccato oblatam, damnaſſe peccatum. Tanta
enim remiſſione peccatorum fugatum eſt & exterminā-
C tum de carne noſtra peccatum, & cœpit in nobis iuſtifica-
tio legis impleri, illius duntaxat legis quę delectatur lege
dei, quæ impletur tunc cum iam non reſiſtit ei lex peccati
quæ erat in membris noſtris, ſi tamen non ſecundum car-
nem ambulemus ſed ſecundum ſpiritum. Nam donec in
carne eſt quis & ſecundum carnem viuit, quæ carnis ſunt
ſapit. Cum verò conuertit ſe ad ſpiritum, & mortuus fue-
rit legi peccati & carnis, quæ ſunt ſpiritus ſapit. Nam ſecun
dum carnem ſapere, mors animæ eſt, ſecundum ſpiritum
verò vita & pax eſt: quia ſapientia carnis inimica eſt deo,
hoc eſt dum caro reſiſtit ſpiritui, & non eſt ſubiecta legi
quę lex Dei eſt, inimica eſt deo: & ideo qui carnaliter vi-
uunt, deo placere non poſſunt. Sed vos, inquit, non eſtis in
carne, ſed ſecundum ſpiritum viuitis, ſi tamen ſpiritus dei
habitat in vobis. Hæc poſſunt & ſecundum aliam (vt diximus)
expoſitionem in loco coaptari. Eligat tamē qui legit
& quod aptius probauerit hoc ſequatur. Si quis autem
ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Si autē Chri-
ſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter pec
catum, ſpiritus verò viuit propter iuſtificationem. Quod
ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis habitat in vo
bis, qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis viuificabit & mor
talia veſtra corpora propter inhabitantem ſpiritum eius
in vobis.] Quod conſtantibus & dialectica arte collectis
vtatur ſyllogiſmis apoſtolus Paulus, vel in hoc loco vel in

alis epiſtolis ſuis, non mihi exponendum videtur, ne for- D
te non tam ſententiæ eius non ſermonis in quo non vult
ſe peritum dici, aſſertorea videamus eſſe, & ideo propoſi-
tuio magis apoſtoli ſenſum diſcutere properabimus. In
poſterioribus vbi dixit, Vos autem in carne non eſtis, ſed
in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus dei habitat in vobis, duplici
modo quidem in ſpiritu eſſe explanauimus, id eſt, vel legē
non ſecundum literam, ſed ſecundum ſpiritalem ſenſum
intelligere, vel etiam mortificato corpore, ſpiritus & non
carnis legibus viuere. Et nunc ergo quod dicit: Si quis au-
tem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius, & ſub-
iunxit. Si autem Chriſtus in vobis eſt, requirendum eſt v-
trum diuerſum ſit ſpiritum dei eſſe in aliquo, ac ſpiritum
Chriſti, vel etiam ipſum Chriſtum, aut ſpiritum eius qui
ſuſcitauit Ieſum à mortuis. Sed quantum vel conſequen-
tia loci pręſentis intueor, vel illud quod ſaluator in euan-
gelio de ſpiritu ſancto dicit: Qui a patre procedit, & de
meo accipiet, & huius verbi explanationem in conſequen
tibus iungit dicens. Pater omnia tua mea ſunt, & mea tua
omnia, propterea dixit quòd de meo accipiet, cum in-
quam tantam hanc audio unitaris inter patrem & filium
aſpirationem, ſpiritus dei & ſpiritus Chriſti vnus atque idē
mihi ſpiritus dici videtur. Poſſumus tamen & hoc modo
intelligere quod dicit. Si quis autem ſpiritū Chriſti nō ha-
bet, hic non eſt eius. Quia & reuera abrupte pronuncia- E
tum videtur, vt ſi quis non ratus & talis eſſe meruerit, qui
ſpiritum Chriſti habere dignus ſit, continuo Chriſti eſſe
denegetur, cum in pſalmis dicat: Meæ ſunt omnes feræ
ſyluarum &c. vſque Boues. Et ſi feræ & iumenta eius ſunt,
quomodo homines non ſunt eius? ſed poteſt vt dixi hoc Pſal. 49.
ſic intelligi, vt illud in Euangelio: Qui non tollit crucem
ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. Et hic ergo qui Mat. 10.
non habet ſpiritum Chriſti, hoc eſt eodem ſpiritu a-
gitur, vt pro iuſtitia, pro veritate & verbo dei annun-
ciando, pro regno cœlorum prædicando, vt pro litera le-
gis abiicienda, & ſpiritu eius amplectendo aduerſum pec-
catū, pro his omnibus qui non vſque ad mortem eius ve-
nire paratus, nō eſt eius diſcipulus. Qui ergo non eſt talis,
nec talem in ſe ſpiritum gerit, hic creatura quidē eius eſt
ſicut feræ ſyluarum, & iumenta in montibus & boues, ſed
diſcipulus eius non eſt. Sic ergo: Si quis ſpiritum Chriſti
non habet, hic non eſt eius. Si autem Chriſtus in vobis
eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpi-
ritus autem viuit propter iuſtitiam.] Spiritum Chriſti &
Chriſtum in hoc loco vnum mihi atque idem dicere vide-
tur. In quo ergo Chriſtus, ipſe dicit: Quia ſemper mortē
Chriſti in corpore noſtro circunferimus. Mors autē corpo
ri peccati cauſa id eſt, ne peccet imponitur. Quod ſi cor- 2. Cor. 4.
pus peccato mortuū eſt, neceſſitatio ſpiritus ad faciendā iu- F
ſtitiā viuit. Qui enim in corpore mortuus eſt, nec ſeruit pec
cato, neceſſe eſt vt in ſpiritu viuat, & ſeruiat iuſtitiæ. Sic
& idē apoſtolus in quodam loco dicit tradidiſſe ſe quen-
dā in interitum carnis vt ſpiritus ſaluus fiat. Quod ſi ſpiri-
tus eius qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtū à mortuis habitat in
vobis: qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis viuificabit 1. Cor. 5.
& mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritū
eius in vobis. Quoniam ſuprà dixerat de his qui ad ſimili-
tudinem mortis Chriſti corpora ſua mortificant ne pec-
cent neceſſario nunc mentionem facit eius qui ſuſcitauit
Chriſtum à mortuis, vt ſimilitudine & pari ratione qua
commortui ſunt & conſepulti, ſciant ſe per ſpiritum eius
qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, viuificandos eſſe, & ad
Chriſti ſimilitudinem reſuſcitandos à mortuis, & quate-
nus id fiat oſtēdit dicens: Propter inhabitantē ſpiritū eius
in vobis. Si enim ſpiritus Chriſti habitat in vobis, neceſſa-
riū videtur ſpiritui reddi habitaculū ſuū rēplúmq; reſtitui
vel Ieſum. Tamen hoc ipſum quod dicitur vel ſpiritus Chriſti
vel ſpiritus Dei, vel etiam ipſe Chriſtus in nobis habitare,
quale ſit intuere, vtrūnam ex initio omnibus iſte ſpiritus
datur, & poſtmodum peſſimis & à deo alienis actibus ef-
fugatur, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Non perma-
nebit in hominibus iſtis, quia caro ſunt, an vitæ merito, &
fidei gratia poſtmodum datur, ſecundū ea quæ in Actibus Gen. 6.

G apoſtolorum docentur, quia ſpiritus ſanctus tanquam lin-
Act. 2. guæ igneæ venit ſuper vnumquenque eorum, vel certe ſi-
cut in euangelio docemur, cum ipſe ſaluator poſteaquam
reſurrexit a mortuis ad diſcipulos dicit: Accipite ſpiritum
Ioan. 20. ſanctum, & inſufflauit in vnumquemque eorum. Vnde
mihi videtur quòd & meritis conquiratur donum hoc, &
vitæ innocentia conſeruetur, & vnicuique ſecundum pro-
fectum fidei augeatur & gratiæ, & quanto purior anima
redditur, tanto largior ei ſpiritus infunditur. Quod autem
dixit: Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis,
quia caro ſunt, illuc reſpicit, vt quoniam anima eorum re-
pudiata ſpiritus ſeruitute ad carnis ſeruitia tota conuerti-
tur, etiam ipſa ei cui ſe coniunxit carni, & cum qua vnum
effecta eſt, non accedat. Diuerſis ergo modis haberi poteſt
ſpiritus. Vel ſpiritus Chriſti habetur, ſecundum id quod
ſuprà diximus, ex inſpiratione diuina, vbi ait: Accipite ſpi-
ritum ſanctũ. & inſufflauit in eos, & rurſum eo modo quo
in Actibus apoſtolorum dixit geſtum, vt diuerſis linguis
1. Reg. 18 loquerentur apoſtoli. Eſt & ille modus, qui in Regnorum
libris refertur cum dicit ſcriptura: Et inſiluit ſpiritus ſuper
Saul, & cœpit prophetare. Eſt & ille adhuc alius modus,
vt cum ſaluator poſt reſurrectionem cum Cleopha & alio
Luc. 24. diſcipulo iter agens & aperiens eis ſcripturas afflauit eos
ſpiritu oris ſui, ita vt illi dicerent: Nonne cor noſtrum erat
ardens intra nos cum aperiret nobis ſcripturas? Vis autem
ſcire quia non ſolum Ieſus loquens tradidit audiẽtibus ſpi-
ritum ſuum, ſed & qui in nomine eius loquitur verbũ Dei
Act. 10. tradit audientibus ſpiritum Dei? In Actibus Apoſtolorum
H habetur quomodo loquente Petro ad Cornelium reple-
tur ſpiritu ſancto ipſe Cornelius & qui cum eo erant. Vn-
de & tu ſi loqueris verbum Dei, & loquaris fideliter ex
conſcientia pura, nec ipſe redarguaris verbis tuis quaſi qui
aliter doceas, & aliter agas, poteſt fieri vt loquente te au-
ditorum ſancti ſpiritus corda ignis inflammet, & continuo
conualeſcant & ardeant ad complenda vniuerſa quæ do-
ces, & rebus impleant quæ ſermonibus didicerint, & quæ
ſurſum ſunt quærant, vbi Chriſtus eſt in dextera dei ſedẽs:
quæ ſurſum ſunt ſapiant, non quæ ſuper terram. Sed & ſic
vnuſquiſque habere in ſe probatur ſpiritum Chriſti. Chri-
ſtus ſapientia eſt. Si ſit ſapiens ſecundum Chriſtum, & quę
Chriſti ſunt ſapiat, habet in ſe per ſapientiam ſpiritũ Chri-
ſti. Chriſtus iuſtitia eſt. Si quis habet in ſe iuſtitiam, per
iuſtitiam Chriſti, habet in ſe ſpiritum Chriſti. Chriſtus
pax eſt. Si quis habet in ſe pacem Chriſti, per ſpiritum
pacis habet in ſe ſpiritum Chriſti. Sic & charitatem
& ſanctificationem, & ſingula quæcunque Chriſtus eſ-
ſe dicitur, qui habet hæc, ſpiritum Chriſti in ſe habe-
re credendus eſt, & ſperare quòd mortale corpus ſuum vi-
uificabitur propter inhabitantem in ſe ſpiritum Chriſti.
I Ergo fratres debitores ſumus non carni vt ſecundum car-
nem viuamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, morie-
mini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificetis, viuetis.]
Spiritum Chriſti habitare in nobis, & dona ſpiritus nobis
collata, ſuperius docuit. Conſequenter ergo nunc addit
quia debitores ſumus, eorũ ſine dubio quæ a ſpiritu Chri-
ſti conſecuti ſumus. Carnis autem, inquit, debitores non
ſumus. Non enim propterea nos fecit Deus ad imaginem
ſuã, vt carnis ſeruitio eſſemus obnoxij, ſed potius vt crea-
tori ſuo anima deſeruiẽs ipſa ſeruitio ac miniſterio carnis
veteretur. Sed fortaſſe dicat aliquis: Quomodo carni non
ſumus debitores, cum & victum & veſtimentum proui-
dere naturæ neceſſitate cogamur? Sed vt oſtẽdat, non carni
aliquid conferre, ſed ipſam vitam carni mancipare, culpa-
bile haberi, ideo addit. Si enim ſecundum carnem vixeri-
tis moriemini. Quid ſit autem ſecundum carnem viuere,
ſæpe iam dictum eſt, hoc eſt carnis deſiderijs indulgere. In
hoc ergo negat nos eſſe debitores, ſicut & alibi dicit: Et
carnis curam ne feceritis in deſiderijs, & in concupiſcen-
tijs: non vtique negans curam carnis habendam in neceſ-
ſarijs, ſed in concupiſcentijs. Ita ergo & hic, Si enim, in-
quit, ſecundũ carnem vixeritis, moriemini. & addit: Si au-
tem ſpiritu actus carnis mortificetis, viuetis. Et de hoc iam
ſuprà dictum eſt, quomodo corpus quidem mortuum eſſe
debeat propter peccata, ſpiritus verò viuat propter iuſtifi- K
cationem. Qui ergo ſecundum ſpiritum agens mortifi-
cat actus carnis, viuet propter inhabitantem in ſe ſpiritum
vitæ. Mortificat autem quis actus carnis hoc modo. Fru-
ctus eſt ſpiritus charitas, Odium carnis eſt actus. Odium
ergo per charitatem mortificatur & extinguitur. Gaudium
ſimiliter fructus eſt ſpiritus, Triſtitia verò huius ſeculi,
quæ mortem operatur, carnis eſt actus. Hæc ergo extin-
guitur, ſi ſit in nobis gaudium ſpiritus. Pax fructus eſt ſpi-
ritus, diſſenſio & diſcordia carnis eſt actus: ſed certum eſt
diſcordiam mortificari per pacem poſſe, ſic & patientia
ſpiritus, violentiam carnis extinguit, & bonitas malitiam
perimit, & manſuetudo ferociam, & continentia intem-
perantiam, & caſtitas impudicitiam necat, taliique ordine
qui per ſpiritum actus carnis mortificat, viuet. Intuendum
ſanè eſt, quod ſicut mortem non iſtam communem, ſed il-
lam peccati dicit: Si enim ſecundum carnem vixeritis
moriemini, & vitam non hanc communem, ſed illam di-
cit æternam, ad quam perueniet omnis qui ſecundum ea
quæ ſuprà expoſuimus perfectus ſpiritu mortificet actus
carnis. Sed & illud ſcire debemus, quòd iſta mortificatio
actuum carnis per patientiam fiat, & non ad ſubitum, ſed
paulatim primo langueſcere eos neceſſe eſt in his qui inci-
piunt. Tum deinde cum ardentius proficere cœperint,
& abundantiore ſpiritu repleri, actus carnis non ſolum
langueſcere ſed & tabeſcere incipient. Vbi verò ad perfe- L
ctum iam venerint, ita vt nulla in eis prorſus vel in facto,
vel in dicto, vel in cogitatu peccati oriantur indicia, tan-
dem actus carnis mortificaſſe, & ad integrum morti tra-
didiſſe credendi ſunt.

LIBER VII.

SIcut diuerſas commemorari leges in
hac epiſtola à Paulo ſub vno voca-
bulo legis oſtendimus, & diuerſas
mortes ſub vna mortis appellatione
nominari, ita & diuerſos ſpiritus nũc
videmus ſub vno nomine ſpiritus
indicari. Ait ergo in præſenti capitu-
lo. Quicunque enim ſpiritu dei agũ-
tur, ij filij ſunt dei. In quo vtique ipſum dei ſpiritum dicit.
& iterum in ſequenti: Non enim accepiſtis, inquit, iterum
ſeruitutis ſpiritum in timore. In hoc oſtendit ſpiritum ſer-
uitutis alium eſſe quam illum quem ſuprà dixit ſpiritum
dei. Et propterea ſubiungit. Sed accepiſtis ſpiritũ adoptio-
nis filiorum, in quo clamamus abba pater. In hoc ſpiritum
adoptionis oſtẽdit ipſum eſſe quẽ dixit ſuprà ſpiritum dei,
de quo & repetit. Ipſe enim ſpiritus teſtimoniũ reddit ſpi-
ritui noſtro, hoc eſt ipſe ſpiritus Dei in quo patrem deum M
clamamus, teſtimoniũ reddit ſpiritui noſtro. Qui ſpiritus
noſter alius ſine dubio eſt quam ille ſpiritus ſeruitutis, qui
datur in timore, vel hic qui ei de inuocatione patris teſti-
monium præbet. Omnes ergo homines, vt videtur, agun-
tur aliquo ſpiritu, ſicut ipſe Paulus ſcripſit: Scitis autẽ vos 1. Co. 12.
cum eſſetis gentes, quomodo ad idola muta agebamini. In
hoc oſtendit quòd etiam gentes ad idola aguntur aliquo
ſpiritu. Eſt ergo ſpiritus dei, qui & idem eſt ſpiritus Chriſti,
idemque & ſpiritus ſanctus eſt. Sed & ſpiritus adoptionis
idem dici videtur, ſicut præſens apoſtolicus declarat ſer-
mo. Dauid quoque qui dicit, Spiritum ſanctum tuum ne
auferas à me, & ſpiritu principali confirma me, de eodem Pſal. 50.
dicere videtur, quem principalem ſpiritũ propterea arbi-
tror nominatum, vt oſtenderet eſſe quidem multos ſpiri-
tus, ſed in his principatum & dominationem ſpiritum ſan-
ctum, qui & principalis appellatur, tenere. Sicut enim
multi ſunt filij dei, vt ſcriptura dicit: Ego dixi dij eſtis, & Pſal. 82.
filij excelſi omnes, vnus tamen eſt natura filius & vnige-
nitus de patre, per quem omnes filij appellantur: ita & ſpi-
ritus ſiquidem ſunt multi, ſed vnus eſt qui vere ex ipſo deo
procedit, & cæteris omnibus vocabuli ac ſanctificationis
ſuæ gratiam donat. Quod autem plures ſunt ſpiritus, de-
clarat idem apoſtulus ad Hebræos ſcribens & dicens:
Nom

A Num omnes sunt ministeriales spiritus ad ministerium
Heb.1. missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? Sed &
Dauid dicit: Qui facit angelos suos spiritus. Et Daniel
Dan.3. nihilominus testatur, & dicit: Benedicite spiritus & ani-
1.Thess.5 mæ iustorum domino, & in præsenti loco Paulus: Ipse spi-
ritus (inquit) testimonium reddit spiritui nostro, & in alijs:
Vt integer spiritus vester & anima & corpus in die domi-
ni nostri Iesu Christi seruetur. Quæ omnia dubium non
est quod de rationabilibus spiritibus dicta sint. Appel-
Psal.77. lantur præterea spiritus mali & angeli mali, sicut & Dauid
dicit: Emisit eis iram indignationis suæ, missionem per an-
1.Reg.16 gelos malos. & in Regnorum libris scriptum est de Saul:
Et spiritus domini discessit a Saul, & suffocabat eum spiri-
Iud.9. tus malignus à domino. Atque in libro Iudicum refer-
tur: Et immisit Deus spiritum malignum inter medium
Abimelech, & inter medium virorum Sicimorum. Hic
ergo spiritus malignus qui dicitur vel exisse vt suffocaret
Saul, vel Abimelech Sicimósque vt dirimeret, & à domino
exisse ac missus esse memoratur, tanquam carnifex quidam
intelligendus est missus ad exigendas de peccatoribus pœ-
nas. Et quamuis mali propter propositum suum volun-
tatemque dicantur, in his tamen qui pœna digni sunt, di-
B uinæ voluntati exhibent ministerium, sicut & ille de quo
3.Reg.22 refert Micheas propheta: Spiritus mendax, qui cum à deo
dictum fuisset, quis seducet mihi Achab? Ille respondit:
Ego seducam, & dixit dominus: In quo? At ille: Ero, in-
quit, spiritus mendax in ore omnium prophetarum, & di-
cam vt ascendat in Galaad, & ibi cadet. & dixit dominus:
Psal.48. Vade, seduces, equidem poteris. Sic ergo & ij qui dicuntur
mali spiritus, officium Deo erga pœnarum exhibent mi-
nisteria. Sunt præterea & alij spiritus de quibus dicit, In
spiritu conteres naues Tharsis, & spiritus procellæ dicun-
tur, & spiritus ardoris. Quos tamen ego materiales ma-
gis quam rationabiles spiritus dixerim. Tali igitur de
appellatione spiritus distinctione præmissa, nunc quod di-
xit: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in ti-
Malach.1 more, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo
clamamus Abba pater,] quale sit videamus. Scriptum
est & in Malachia propheta: Filius honorificat patrem, &
seruus dominum suum, & si pater sum ego, vbi est honor
meus? & si dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit
dominus omnipotens. Certum est autē quod filius quis
Dei per adoptionis spiritum fiat, seruus autem Dei per spi-
ritum seruitutis. Initium ergo seruiendi Deo, quia Initiū
sapientiæ timor domini est: per spiritum timoris impletur,
cum paruulus adhuc quis dicitur. Et paruulis quidem pæ-
C dagogus est timor, Vnde & apostolus de tali paruulo dicit,
Gal.4. Quamdiu hæres paruulus est nihil differt a seruo cum sit
dominus omnium, sed sub tutoribus & procuratoribus est
vsque ad præfinitum tempus à patre. Ita & nos cum esse-
mus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruiētes.
Vides secundum concessam à Deo sapientiam Pauli quo-
modo spiritum seruitutis qui datur in timore, hic tutores
paruulorum ac procuratores appellauerit, qui vnumquē-
que nostrum donec paruulus est secundum interiorem ho
minem in timore custodiat, vsquequo ad id ætatis veniat
quo spiritum adoptionis filiorum mereatur accipere, & sit
iam filius ac dominus omnium. Omnia enim nostra sunt,
& cum Christo nobis omnia donauit. Hoc est ergo quod
docet Paulus, quia posteaquam commortui sumus Chri-
sto, & spiritus eius factus est nobis, non iterum spiritū ser-
uitutis accepimus in timore, hoc est non rursus paruuli &
initia habentes effecti sumus, sed quasi perfecti semel iam
accepimus spiritum adoptionis, in quo spiritu clamamus,
Abba pater. Neque enim patrem alius quis nisi filius
vocat. Quod verò addit abba, patriæ linguæ vocabulo id
ipsum iterauit, velut si dixisset pater pater. Ipse enim spiri-
tus testimoniū reddit spiritui nostro quod sumus filij dei.
Si autem filij & hæredes, hæredes quidem dei, cohæredes
autem Christi: si tamen cōpatimur, vt & conglorificemur.
Ipse ergo spiritus adoptionis per quem in filium quis a-
doptatur reddit testimonium, & cōfirmat spiritum nostrū
quod sumus filij dei, posteaquā à spiritu seruitutis in ado-
ptionis spiritum venerimus, cum iam nihil inest timoris, D
id est nihil propter pœnam gerimus, sed propter amorē pa
tris cuncta perficimus. Bene autē non animæ, sed spiritui,
quæ melior in homine pars est, dicitur reddere testimoniū
spiritus Dei. Potest autem ad discretionem eorum qui spi-
ritu seruitutis aguntur in timore, & eorum qui spiritu filio-
rum, etiam illud assumi: quòd Abraham hæreditatem qui-
dem suam dedit Isaac, filijs vero ancillarum vel concubi-
narum non hæreditatē, sed dona dicitur dedisse vel mune-
ra. In quo sine dubio hoc obūbrabatur, quòd nec illi qui-
dem penitus spernerentur qui adhuc in timore seruiunt
deo, sed sunt illis dona, sunt munera, hæreditas tamen per
quam Christo conglorificantur, eorum est qui adoptionis
spiritum merentur accipere. Post hæc iam ex consequen-
tibus syllogismum nectit apostolus, & dicit: Si spiritū ado-
ptionis accepimus, ergo filij sumus: Mercedem nanque ser
uus expectat, hæreditatem filius sperat. Et rursum aliud cō
clusionis augmētum: Hæredes quidem Dei, cohæredes au-
tē Christi. Hæres quis efficitur Dei cum quæ Dei sunt me-
retur accipere, id est incorruptionis & immortalitatis glo-
riam, thesauros sapientiæ & scientiæ reconditos. Cohære-
des verò Christi cum trāsformabit corpus humilitatis no-
stræ conforme corpori claritatis suæ, sed cum illud adipi-
sci meruerit, quod dicit ipse saluator: Pater volo vt vbi ego
sum & ipsi sint mecum, Est præterea & illa dignitas cohæ-
redes suos: Sedebitis & vos super duodecim thronos iudi-
cantes duodecim tribus Israel. Et hoc modo cohæredes *Ioan.17.*
E suos Christus non solum in partem hæreditatis, sed etiam
in consortium potestatis adducit. Si tamen (inquit) com- *Matt.19.*
patimur vt & conglorificemur. Compatitur ergo qui di-
cit: Christo confixus sum. Viuo, ait, iam non ego, viuit ve-
rò in me Christus. Et iterum dicit: Si commortui sumus, & *2.Tim.2*
conuiuemus. Si toleramus, & conregnabimus. Vel etiam *Gal.2.*
qui dicere potest, quia quod deerat passionum Christi, re-
pleo in corpore meo. Sicut autem Christum quia humili-
auerat se factus obediens vsque ad mortem, mortem autē
crucis, superexaltauit Deus, & donauit illi nomen quod
est super omne nomen, ita eos qui Christo compatiuntur,
& passionum eius imitantur exemplum, deus cum illo ex-
altat in gloria. Hæc nanque via est quam cohæredibus
suis Christus aperuit, vt neque ex fortitudine, neque ex sa-
pientia, sed ex humilitate exaltentur, & ex tribulationum
patientia æternæ hæreditatis consequantur gloriam.
Existimo enim quòd non sint condignæ passiones huius
temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.
Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei ex-
pectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens,
sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia & ipsa crea-
tura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatē glo-
riæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura in-
gemiscit & parturit vsque adhuc.] Si quis intueatur quod F
pro eo vt quis efficiatur filius excelsi Dei, & hæres bonita-
tis eius gloriæ, Christique vnigeniti filij dei cohæres, etiam
si in omnium mandatorum obseruantia & iustificationi-
bus domini sine querela permaneat, & peruigili in his
mente perduret: si omnia etiam pœnarum genera quæ in-
ferri humanæ naturæ vel extrinsecus possunt, aut etiam si
quis illa sustineat quæ de Iob scripta esse memorantur, vbi *Iob.1.*
non solum ea quæ extra ipsum in facultatibus ac liberis
esse videbantur extruxit, verumetiam ossa & carnem ipsius
contigit, & percussit eum vulnere pessimo à pedibus vs-
que ad caput, ita vt testam sumens raderet saniem de
hulceribus suis fluentem. Si inquam his adhuc pos-
sunt esse grauiora quæ perferat is qui in hac vita breuissi-
ma in omnibus tribulationem patitur, qui animo &
corpore cruciatur, & conferat hæc ad futuram glo-
riam quæ reuelabitur in sanctis, his quæ oculus non
vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascen-
dit, intelligere potest quomodo Paulus ista conside-
rans dixit: Existimo enim quod non sint condignæ passio-
nes huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur
in nobis. Nihil quidem dignum inueniri vel comparari ad
futuram gloriam potest. In quo enim mortale immortali-

G bus conferas? aut inuisibilibus visibilia? aut æternis temporalia? aut caduca perpetuis? Si quę tamen in præsenti vita velut quędam possum semina gloriæ colligi futurę. ista, inquit, semina ex tribulationibus & passionibus colliguntur, sicut & in aliis dicit idem apostolus: Quod enim in pręsenti momētaneum est, & leue tribulationis nostræ supra modum immensum ęternæ glorię pondus operatur in nobis, non respicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur. Ostendit enim per hæc quod qui illa respicit quæ non vidit, & ęterna sunt, omnē tribulationem quęcunque accidit ei, quamuis longa videatur momētaneam ducit & leuem, etiam si tormentis subiiciatur & eculeis. Et tempore quo suppliciis corpus affligitur si aspiciat ad futuram gloriam quæ reuelanda est, & consideret quomodo post tot tormenta corpus hoc humilitatis suę transformabitur, vt fiat conforme corpori gloriæ filij dei, tribulationē præsentem momentaneam ducit & leuem, pondus autem futuræ gloriæ graue, hoc est magnum deputat in æternum: & quanto magis multiplicari sibi tribulationum viderit pœnas, tanto amplius intelligit sibi pondus & magnitudinem gloriæ cumulari. Quod autem ex tribulationum quantitate mensura quædam & magnitudo gloriæ colli-
Psal. 93. gatur, puto affirmet etiam Dauid propheta cum dicit: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerūt animam meam. Vnde pu-
H to quod in præsenti vita consolatio quæ datur istis, secundum mensuram cruciatus vulnerum detur, futuræ verò gloriæ, de qua apostolus dicit quia reuelabitur in nobis, non secundum mensuram passionum, non enim condignę sunt hæ passiones ad futuram gloriam, sed sicut ad Corinthios dictum protulimus, ex momentaneo & leui tribulationum nostrarum labore semina quædam collecta supra modum immensum nobis æternæ pondus gloriæ præparabunt, Quod verò etiam in præsenti vita iustis secundum mensuram passionum suarum cōsolatio diuina tribuatur, confirmat idem apostolus in secunda ad Corinthios scri-
2. Cor. 4. bens: Quia sicut abundant passiones Christi in nobis, ita abundat & consolatio nostra, & non dixit supra modum abundat, aut in mensura, sed quantum passiones sunt, tantum & cōsolationes. Quod autem dicit, Ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, suprà iam puto quod sufficienter ostendimus de differentia gloriarum, quæ sit gloria quæ iā reuelata est, & quæ sit quæ reuelanda sit: & quomodo quæ nunc videmus, per speculum videmus in ænigmate, tunc autem cum venerit filius hominis in gloria patris & sanctorum angelorum, videbimus facie ad faciem, sicut & Ioannes dixit: quia videbimus eum sicuti est. Sed etiā illa potest videri gloria quæ reuelanda est, cum de sin-
I gulis quibusque rationibus mundi, vel eorum quæ supra mundum sunt, cœperit doctrina cognosci, & thesauri sapientiæ eius & scientiæ reuelari. Post hæc dicit: Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum dei expectat.

Volens ostendere apostolus quāta qualisque sit gloria quæ reuelanda est in ipso, vel in his qui agones Christi integre desudauerint, ait etiam creaturam (vtpote rationabilem) habere expectationem quandam, & spem gerere temporis illius quo reuelanda est gloria filiorum Dei, hoc est cum reuelabuntur ea quæ præparata sunt his qui filij Dei vocari merebuntur, aut certe cum ablato ab his velamine quo obtegūtur, manifestati fuerint ipsi quia filij Dei sunt. Quæ autem est creatura quæ reuelationem filiorum Dei expectat? Hæc, inquit, quæ nunc vanitati subiecta est. Subiecta autem non volens, nec sponte propria, sed voluntate eius qui dispensat vniuersa. Propter ipsum autem subiecta est, subiecta autem non ea conditione vt maneat semper subiecta vanitati, sed cum quadam spe. Quæ autem sit spes ista, commemorat dicens: Quoniam, inquit, & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatē gloriæ filiorum dei. An autem scire se Paulus & similes sibi, quoniam omnis creatura ingemiscit & cōdolet vsque adhuc, vel vt in aliis habetur exemplaribus, congemiscit & parturit vsque adhuc. Congemiscere autem & condolere est cum alio dolente vel gemente gemere vel dolere, hoc est cum ipse quidem causam gemendi non habeat vel do- K
lendi, gemit tamen pro eo qui causam habet gemendi vel dolendi. Hoc aūt dicit facere creaturam pro eo quod vanitati subiecta est, & in seruitute corruptionis est posita. Hęc quantum ad ipsius Apostolici sermonis ordinem pertinet, explanata sint. Nunc repetentes discutiamus attentius quæ est ista vanitas cui creatura dicitur esse subiecta, & quæ est ista corruptio de cuius seruitute liberandam se sperat. Mihi videtur quod de hac materiali & corruptibili corporis substantia ista dicantur. Neque enim corruptio alicui quicquam nisi corpori dominatur. Nam ille interior homo qui secūdum deum creatus est, & ad imaginem Dei factus, incorruptibilis est & inuisibilis, & secundum propriam sibi rationem etiam incorporeus dici potest. Exterior verò homo & corpore corruptibilis dicitur, propter quod & Paulus dicebat: Nam si is qui deforis est homo Ibid.
noster corrumpitur, sed qui intus est renouatur. Interioris autem hominis in his renouatio, vtpote qui est rationabilis mens, in agnitione dei & capacitate sancti spiritus cōstat. Verum vt aliqua de tam profundis rebus breuiter & statim etiam chartulis committamus, ex ipsa interioris hominis, hoc est animæ mentisque substantia colligamus imaginem, quomodo vanitati creatura subiecta est non volens, sed propter eū qui subiecit eā in spe: & ipsum (si videtur) Paulum ponamus in medio, cuius vtique anima vel mens, qui est interior eius homo, supergreditur & ascēdit L
omne quod corporeum est, quod visibile, quod sensui subiacet & aspectui, & ipsius diuinæ naturæ efficitur capax. Sed & tanta & talis animæ eius substantia quæ rationem & intelligentiam cœlestium diuinorúmque sensuum tenet (quibus ex causis Deus viderit) subiecta est seruituti corporis corruptibili, & vanitati eius deuincta est. Considera enim necessitates corporis, appetentiam cibi, digestionum putorem, posteritatis reparandæ verecundiam, vt seritur soboles, vt æditur, vt nutritur, & vide in his quanta vanitas habeatur, quanta corruptio, cui creatura animæ nobilis & rationabilis licet non volēs subiecta est, subiecta tamen in spe: tempus videlicet sperans quo liberetur in filiis dei, cum tempus libertatis aduenerit. Hoc est ergo & quod in aliis apertius iam de se ipse dicebat apostolus, Dum sumus in habitaculo hoc ingemiscimus. Hoc & sapientia Sap. 9.
per Salomonem dicebat, quia corruptibile corpus aggrauat animā, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem. & idem Paulus: Dum enim sumus in corpore peregrinamur à domino, & cupit magis peregrinari à corpore & adesse ad dominum. Hæc indicat & multo apertius exponit & in eo vbi dicit: Coarctor autem è duobus, desiderium habens reuerti, & cum Christo esse, multo enim melius permanere in carne magis propter vos. In M
quo aperte ostendit quod non volens, quantum ad ea spectat quæ animæ suæ conscius erat, corruptioni vanitatique seruiret, sed propter eum qui hęc ita voluit, & propter nos vt salui esse possimus, permanet autem in carne propter nos, vt autem reuelati fuerint filij dei, & congregati in vnum per ecclesiam quam statuit vni viro virginem castam exhibere Christo, tunc & ipse liberabitur à seruitute corruptionis, sicut & ipse dicit: Ego autem iam immolor, 2. Tim. 4
& tempus resolutionis meæ instat. Cursum consummaui, fidem seruaui: de cętero reposita est mihi corona iustitiæ, hoc est liberatum esse à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum dei. Sed ab his si videtur exemplis etiam ad superiora conscende, & vide ipsius solis & lunæ ac stellarū cœli, & totius mundi ministeria quomodo subiecta sunt vanitati, corruptioníque deseruiunt. Ad vsus nanque hominum alunt segetes, arbores, fructus producunt herbámque camporum, atque eusdem in se reuertentes anni circulos voluunt. Reparant enim quæ prætereunt, & pręterire rursum quæ reparata sunt, sinunt. Ipsos quoque angelos si ad sententiam Pauli respicias quę dicit, quia omnes ministeriales sunt spiritus ad ministeriū missi propter eos qui hæreditatem capiūt salutis, intelliges tale quid gerere, & huic rationi esse subiectos: crede etiam ipsos non volentes, sed propter eum qui subiecit eos in spe.

Voluntati

A Volontati enim illios quis reſiſtit? Ego etiam de archangelis tale aliquid intelligere propheticis inuitor eloquiis. Quid enim taotæ vanitatis & tãtæ corruptionis inuenias, quam bella gerere in hoc mundo? pugnas aduerſum ſe regum & gentium commoouere? Vide ergo quod & in his præcipuum archangelica operis babetur, ſicut Daniel pro-
Dan. 10. pheta teſtator cum dicit, quia archãgelus loquitur ad eũ, qui diceret ei quòd pugnauerit aduerſum principem Perſarum, & nemo, inquit, fuit in adiotorium niſi Michael princeps veſter. Per hæc ergo ſingula deprehẽditur rationabilis creatura vanitati eſſe ſubiecta non volens, ſed propter eum qui ſubiecit in ſpe. Spes nanque eſt ab his rebus corporeis & corruptibilibus aliquando ceſſaodum. Hanc enim habet expectationem creatura iſta rationabilis, vt reuelatio fiat filiorum dei propter quos angeli mittuntur in miniſterium, vt & ipſi cum his quibus miniſtrauerunt hæreditatem capiant ſalutis, vt terreſtrium & cœleſtium fiat vnus grex & vnus paſtor, & ſit deus omnia in omnibus. Et vt ſurdentius de his quæ diastat confirmaret, addidit. Scimus enim quod omnis creatura congemiſcit & condolet vſque adhuc. Superius dixerat: Exiſtimo enim quod non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam: & cum ibi ſe exiſtimare dixerit, & in his ſcire ſe dixit quòd omnis creatura congemiſcit &
B condolet vſque adhuc, qoo ſcilicet nihil in hoc ſenſu dubitationis babeatur. Creatura enim licet non volens ſubiecta ſit, tamen quoniam voluntati cedit eius qui ſubiecit eam, affectum quendam & charitatem circa eos exhiber, pro quibus videtur eſſe ſubiecta, & pro doloribus eorum dolet, & pro gemitibus gemit. Si verò (vt in aliis exemplaribus inuenitur) legimus congemiſcit & parturit, ſecundum illum ſenſum accipiemus parturit, quo dicit apoſtolus genuiſſe ſe per euangelium eos quos per fidem Chriſti produxit ad lucem, vel ſicut de aliis dixit: Filioli mei quos
Gal. 4. adbuc parturio donec formetur Chriſtus in vobis. Parturit ergo creatura eos quos regenerat ad ſalutem. Quod ſi etiam hoc legentibus viſum fuerit requirendum, cur in ſuperioribus tertio nominauerit creaturas, & nuſquam dixerit, omnis creatura, ad vltimum verò dicat, Scimus enim quod omnis creatura congemiſcit & parturit & condolet: poteſt ſic intelligi, quia non omnis creatura eſt quæ ingemiſcit & dolet, boc eſt quæ neceſſitati corporis corruptibilis ſubiacet. Omnis autem creatura eſt quæ dolentibus condolet, & quæ gementibus congemiſcit. Omnis autem creatura ſuperios agones & certamina noſtra ſpectat, & dolet cum vincimur. Cum ergo vincimus gaudet, & multo plus quàm nobis ineſt gaudere cum gaudentibus, & dolere cum dolentibus. Non ſolum autem, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem cor-
C poris noſtri. Spe enim ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur non eſt ſpes. Quod enim videt quis qoid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus.] Conſuetudinem apoſtolicæ elocotionis eſſe ſæpe docuimus, cum dicit non ſolum, & nihil ſubiungit cui aptari debeat, ſuperioribus dictis eſſe referendum, ſicut in præſenti capitulo intelligi datur. Tale nanque eſt quod dicere videtur, non ſolum omnis creatura congemiſcit & condolet, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus babentes intra nos gemimus, & nos enim expectamus adoptionem filiorum Dei, & redemptionem corporis noſtri. Quamuis hoc ipſo iam quod Chriſto credimus, ſalutem nobis præſtitam nouerimus tamen in ſpe adhuc eſt ſalus iſta non aſpectu viſibilium. Si enim iam videretur, non vtique ſperaretur. Sperat enim quis vt videat. Si verò videat quæ ſperabat, non eſt vltra ſperare quod videt. Nos autem ſpem non habemus in his quæ videntur, ne inanis ſit ſpes noſtra, ſed in his quæ non videntur. Et ideo quia quæ non videntur ſperamus, & tam magna ſunt támque glorioſa, vt multis laboribus, multiſque tribulationibus & periculis capiantur, idcirco ea per patientiam expectamus, tanquam vix aliquando ventura. Hæc diximus directum quendam, & lucidiorem ſermonibus ipſis apoſtolicis ordinem dantes. Nunc ſi videtur qoid eſt qood nooo hoc ſermone indicet videamus, quod dixit: ſed nos ipſi primitias habentes D
ſpiritus. Scriptum eſt enim vt ſcimus in lege, Primitias areæ, & primitias torcularis non fraudabis: & primitias omnium frugum tuarum inferes in domũ domini Dei tui. Quid ergo ſicut primitiæ areæ & primitiæ torcularis eiuſdem liquoris eſt cuius torcular, ita ne videbitur & quod dicit primitiæ ſpiritus ex multis reliquis ſpiritibus ſanctis & beatis vnus aliquis eſſe præcipuus? An illud potius intelligimus, quod cum ſecudum ea quæ ſuperius diſſeruimus, multi ſint ſpiritus miniſteriales miniſtrantes in miniſterio propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, ſub quibus angelos vnoſquiſque credentium, velut ſub tutoribus & procuratoribus inſtruitur vſque ad præfinitum tempus a patre, id eſt vſquequo ad legitimam ætatem animę perfectionis aduenerit: vbi quis iam ſupergreſſus ſpiritum ſeruitutis quem acceperat in timore, a quo velut pædagogo ſeruaretur, dignus efficitur accipere ſpiritum adoptionis primitias ſpiritus, per quem adoptatus in filium poſſit primitiuorum eccleſiæ quæ in cœlis eſt ſociari? Et ſicut multo differt filium eſſe quam ſeruum, ita multum differt à miniſterialibus ſpiritibus ſpiritus ſanctus, cuius primitias Paulus cum ſui ſimilibus habere ſe dicit. Vnus hic modus ſit quo ſermonis huius intelligentiam potuimus indagare. Videamus nunc & alium. Legimus apud ipſum apoſto-
lum Paulum dona vel gratiam ſancti ſpiritus multos ſpiri- E
tus nominari, quum dicit: Nunc autem quoniam æmulatores eſtis ſpiritalium ad ædificationem eccleſiæ, quærite vt abundetis. & item alibi: Spiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt. Subiectos dicens prophetarũ, non quaſi melioris inferiores, ſed pro eo qood habens quis prophe- 1.Cor. 14
tię ſpiritum non inuitus loqui cogitur, vt illi qui habent ſpiritus immundos, ſed cum vult & ratio poſtulat dicit: cum verò dicere opportunum non videbitur, ſilet, bene ſciens quia tempus tacendi ſit & tempus loquendi. Et ideo non ad iniuriam dicitur, quia prophetis ſubiecti ſunt ſpiritus, ſed ad diſpenſationem, ſicut & illud dictum accepimus à ſaluatore, quia tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei qui ſibi ſubdidit omnia. Et hic cum ſubiectus non quaſi inferior dicitur. Quomodo enim inferior dici poterat qui filius & omnia eſt quæ pater? Omnia enim, inquit, Ioan. 17
pater tua mea ſunt. Sed in his quos patri ſubdit credentes in ſe, quoniam in vnoquoque eorum ſe eſſe dicit, & ſe in eis dicit eſurire & ſitire & nudum eſſe, ſéque paſci in eis & indui profitetur, idcirco & in illis ipſe dicitur eſſe. Sed hæc per exceſſum quendam dicta ſint, nunc autem ad propoſitum redeamus. Dona ergo diuerſa ſpiritus, à Paulo multi ſpiritus appellantur: horum autem multorum donorum, quicquid eſt ſummum & magnum ſine dubio a- F
poſtoli cõſecuti ſunt, vt idonei eſſent (ſicut & ipſe Paulus 2.Cor. 3.
dicit) miniſtri noui teſtamenti, & vt repleri poſſint euangelio ab Hieruſalem in circuitu vſque ad Illyricum, hoc quod in eos præ cæteris ſublimius & præclarius collatum eſt ſancti ſpiritus donum, merito primitias ſancti ſpiritus appellauit. Et ideo dicit, Sed & nos ipſi. In quo ſpecialiter deſignare videtur apoſtolicam dignitatem. Nos ergo, inquit, ipſi, boc eſt apoſtoli primitias ſpiritus habẽtes, qui electi ſumus ad boc vt primitias ſpiritus acciperemus, etiã ipſi intra nos gemimus. Intantum, inquit, nulla creatura eſt quæ doloribus & gemitibus vacet, vt etiam nos ipſi qui ſumma à ſpiritu ſancto & electa dona percepimus, tãtum expectantes adoptionem filiorum, id eſt perfectionẽ eorum quos ducere & inſtituere miſſi ſumus, donec videamus eos intantum proficere, vt adoptati mereantur in filios, neceſſario dolemus & gemimus Donec nos ergo inquam, qui inſtituimur ab aliis, negligimus & moramur & emendationis noſtræ tempus longius protelamus, donec non inuiſibilia quærimus, ſed viſibilibus delectamur, dolores apoſtolis commouemus, ac luctum (vt ita dicam) vniuerſæ creaturæ & gemitus ſuſcitamus. Vniuerſa nanque creatura congemiſcit & condolet duritiæ, diſſimulationis noſtræ damna ſuſpirãs. Alius hic nobis explanationis ordo de primitiis ſpiritus videtur, ſi probãdus occurrit

G adhuc, addemus ad tertium. Idem ipse apostolus dicit de domino Iesu Christo, quia sit primogenitus omnis creaturæ. Ne forte ergo vbi ille primogenitus dicitur omnis creaturæ, tali quadam ratione etiam multorum spirituum primitiæ dicatur spiritus sanctus. Sit ergo iste propositionis tertius modus. Probet autem qui legit, quid horú magis consoni conueniat apostolico. Si verò quod dixit, Et nos ipsi primitias spiritus, de omnibus dictum qui gratiam baptismi consecuti videntur accipias, sperandum est illud

Rom. 11. quod idem apostolus dixit: Quod si primitiæ sanctæ, & massa? & si radix sancta, & rami. Quod etsi ita sit, tamen

Eph. 4. ipsius massæ in qua videtur indicari multitudo fidelium, primitiæ necessariò videbuntur in apostolis collocatæ. Sic enim scriptum est, quia in ecclesia posuit deus primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores. Isti ergo qui primo loco constituti sunt, competenter primitias sancti spiritus gratiæ spiritalis habere credentur. Nunc iam videamus quomodo adoptionem filiorum expectare se dicat qui in superioribus dixit, quia ipse spiritus testimoniú reddit spiritui nostro quia: sumus filij dei: & iterú quomodo redemptioné corporis sperat qui in aliis dicit, Christus nos redemit. Sic (vt mihi videtur) ipse hoc eo sermone qui in sequentibus habetur, absoluit. Ait enim: Spe salui

H facti sumus. Quod ergo filij sumus, & redempti sumus, & quod saluati sumus, in spe consistit. Nunc autem videmus per speculum, videmus in ænigmate per speculum, & in ænigmate accipimus & adoptionem & redemtio-

Gal. 4. nem. Aduenit enim plenitudo temporum, & misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Recepimus ergo adoptionem, sed istam quæ est per speculum & in ænigmate. Cum autem venerit quæ perfecta sunt, tunc adoptionem facie ad faciem consequemur. Quod autem dixit redemptionem corporis nostri, ego arbitror quòd totius ecclesiæ indicetur corpus, sicut & alibi dicit: Vos autem estis corpus Christi & mem

1. Cor. 12 bra ex parte. Omne ergo corpus ecclesiæ redimendum sperat apostolus, nec putat posse dari quæ perfecta sunt singulis quibusque membris nisi vniuersum corpus in vnum fuerit congregatum. Potest autem & sic intelligi, vt redemptionem corporis nostri dicat illam quæ in resurrectione futura est, cum non solum animæ, sed & corpora aduenient ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria corporis prout gessit, & secundum illud quod di-

Matt. 11. ctum est: Timete magis eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Et ideo dolendum vnicuique est in hoc seculo & gemendum, ne forte per malos actus & præsentis vitæ negligentiam non mereatur redemptioné

I corporis sui consequi: sed inueniatur cum ista sententia quæ corpus & animam gehennæ ignibus damnet. Post hæc dicit: Spe autem salui facti sumus. Spes autem quæ videtur non est spes. Sicut superius de creatura dixerat, quia vanitati subiecta est propter eum qui subiecit in spe: ita & hic de semetipso vel quoscunque secum annumerari nouit, dicit, Spe enim salui facti sumus: sicut & gemitibus creaturæ suos quoque gemitus sociauit. Quomodo auté in spe sit saluus. spes auté non sit in his posita quæ vidétur sed quæ nun videntur, iam superius edocuimus. Illud solum breuiter addemus, quòd ex his sermonibus, & ex illis in quibus dicit. Non respicientes ea quæ videntur, sed quę non videntur, edocet nos in futuris bonis nihil eorú quæ nunc videntur, vel videri possunt sperare debere, etiá si cœlum videas istud visibile, etiam si terram. Audi de his,

Matt. 24. Quia cœlum & terra præteribunt, visibilia enim sunt. Quod vides quid speras? Nihil ergo prorsus sperandum est in futuro de his quę videntur. Oculus enim non vidit quæ præparauit deus iis qui diligunt eum. Videt autem oculus cœlum & terram: non ergo oportet hoc quod videtur, credi præparatum esse à Deo iis qui diligunt eum, sed cœlum quidem, imò potius cœlos multo eminentiores & excelsiores quàm est illud firmamentum, quod videri oculis potest. Sed & terra speranda est, non tamen hæc quæ arida dicitur, & oculis subiacet, sed illa eius mansuetorum terra quam oculus non vidit. Euidens est enim a- K

postoli sententia, quæ docet non visibilia & corporalia *2. Cor. 4.* speranda in futuris, sed spiritalia & æterna: quia quæ videntur temporalia sunt, & cum tempore finiuntur, quæ autem non videntur, æterna sunt, quę speranda apostolus docet. Idcirco nanque & ipsa corporis nostri reparatio ex corruptibili incorruptibilis, & ex mortali immortalis, & ex infirmitate in virtutem restituitur, & ex animali corpore corpus efficitur spiritale, vt cú spiritale factú fuerit, possit etiá inuisibilibus perfrui bonis: quæ bona in pręsenti seculo non videntes, per spem speramus, per patientiam expectamus. Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus pro nobis interpellat gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.] Cum in superioribus dixisset, quia omnis creatura his qui in agone huius vitæ sunt positi congemisceret & condoleret, hoc est conlaboraret, viresque conferret, tum etiam seipsum Paulus ac sui similes proferre gemitus pro laborantibus memorasset: vt per hoc solaretur in certamine positos, cum viderent omnes sanctos vniuersámque creaturam affectu secum labores gemitúsque coniungere, addit núc excelsius aliquid & sublimius. Ne (inquit)

parum putetis quòd omnis nobiscum congemiscit & L condolet creatura, ne parum videatur quòd nos ipsi gemimus pro laboribus vestris etiam diuinæ ipsi naturæ erga agones nostros (vobiscum enim me quoque coniungo) inest quidam miserationis affectus. Ipse enim (inquit) spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Denique quid orare, quid a deo petere oporteat, ignoramus. Interdum enim quæ contraria saluti sunt cupimus infirmitate cogente. Sicut enim quis in ægritudine corporis positus non ea quæ sanitati conducunt, sed ea quæ præsens desideriú suggesserit, poscit a medico: ita & nos in huius seculi infirmitate languentes interdum à Deo petimus quod non expedit nobis. Denique ipse Paulus qui hæc loquor ad vos, cum mihi propter sublimitatem reuelationum ne extollerer datus fuisset à domino angelus satanæ qui me collaphizaret, ter dominum rogaui vt discederet à me, nesciés quid orarem: & ideo quia nesciebam secundú quod oportet orare, me audiuit dominus, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Si ergo quid oremus secundum quod oportet nescimus, sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, magnum nescio quid Paulus in gemitibus sentit. Ecce enim iam tertio gemitus ponit. Nam & creatura (inquit) ingemiscit, & nos ipsi gemimus, & ipse spiritus

gemitibus interpellat deum pro sanctis. Addidit sane in M his gemitibus. Quos per spiritum dicit deo offerri, quòd sint inenarrabiles: hoc autem neque de totius creaturæ, neque de suis gemitibus dixit. Et vide si possumus in istis gemitibus multum fiduciæ & libertatis in conspectu Dei intelligere, & quòd oratio quæ cum dolore & gemitu offertur deo, accipiat fiduciá à spiritu sancto ascédendi ad deum. Denique Adam cum peccasset, perdidit fiduciam, & abscondit se à facie dei. Sanctus autem Dauid dicit. Quia gemitus meus à te non est absconditus. Sed videa-

mus quid est quod dicit, Ipse autem spiritus interpellat *Psal. 38.* pro nobis. Hoc enim & Ioannes Iesum facere designat,

cum dicit: Filioli hęc scribo vobis vt non peccetis: si auté *1. Ioan. 2* peccauerit aliquis nostrum, aduocatum habemus apud patrem iustum Iesum qui interpellat pro nobis: & hic, Spirit⁹ interpellat pro nobis. Hoc auté facit spiritus iuuás infirmitatem nostrá. Quæ autem sit infirmitas nostra, ipse dominus docet cum dicit: Spiritus promptus, caro autem infirma. Igitur infirmitas nostra ex carnis infirmitate descendit. Ipsa est enim quę concupiscit aduersus spiritum: & dum cócupiscétias suas ingerit, puritaté spiritus impedit, & synceritaté orationis offuscat. Sed vbi viderit spirit⁹ dei laborare spiritú in aduersando carni, & adhęrédo sibi, porrigit manú, & adiuuat infirmitaté eius: & velut si magister suscipiés ad rudiméta discipulú, & ignoranté penitus lite-

A ras, vt eum docere possit & instituere, necesse habet inclinare se ad discipuli rudimenta, & ipse prius dicere nomen literæ, vt respondendo discipulus discat, & fit quodámodo magister incipienti discipulo similis, ea loquens & ea meditans quæ incipiens loqui debeat ac meditari: Ita & sanctus spiritus vbi oppugnationibus carnis perturbari nostrum spiritum viderit, & nescierem quid orare debeat secundum quod oportet, ipse velut magister orationem præmittit, quam noster spiritus, si tamen discipulus esse sancti spiritus desiderat, prosequatur: ipse gemitus offert, quibus noster spiritus discat ingemiscere, vt repropitiet sibi deũ. Si verò spiritus quidẽ doceat, & noster spiritus id est mens nostra nõ sequatur, suo vitio infructuosa ei fit magistri doctrina. Et illud Paulus in mysterium intra hominem geri sciens, dicebat: Nam si linguis loquar, spiritus autem meus non oret, mens mea sine fructu est: spiritum suum dicens gratiam sancti spiritus quæ à deo omnibus datur. Vnde & cohortans nos vt non habeamus infructuosum hoc sancti spiritus beneficium, addit & dicit: Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente: psalmum dicam spiritu, psalmum dicam & mente: Igitur quãuis hæc inenarrabilia esse Paulus ipse signarit, & inenarrabilibus gemitibus gemere, tamen prout possibile nobis fuit, imaginem quãdam rerum quæ diuinitus geruntur, quásque ipse obiectus profert, edidimus. Qui autem spiritalis est examinet omnia, & si quid his altius inuestigare potuerit, habeat apud se: fidelis enim spiritu celat negotia. Admonendi tamen sunt qui prosperitatem sibi præsentis vitæ, & sanitatem vel diuitias vel honores postulant à deo: quia quid orent secundum quod expedit nesciunt. Sæpe enim fit vt ad damnum animæ vel opprobrium eius sempiternum concedantur præsentia hæc lucra & dignitas secularis. Et ideo illud magis tenendum est, quod in oratione docuit dominus: Fiat voluntas tua. Qui autem scrutatur corda scit quid desideret spiritus, quia deum postulat pro sanctis. Ostendit quidem deum non tam verba nostra in oratione quam cor mentemque perpẽdere: ipse enim est qui scrutatur corda & renes: quod autẽ secundo dicit, quia spiritus interpellat, hoc est quod edocet nõ minimam dispẽsationem per spiritum sanctum in hominibus geri. Quamuis enim vnigenitus filius dei pro salute humani generis incarnatus & passus sit, & morte sua destruxerit mortẽ, & resurrectione reddiderit vitã, insignius tamen absque incarnatione magnifice geruntur etiam per spiritum sanctũ. Tamen quòd & ille pro impiis mortuus est: sic enim & ipse Paulus ostendit cum dicit: Adhuc enim Christus cum infirmi essemus secundum tempus pro impiis mortuus est: sanctus autem spiritus nõ pro impiis iã interpellat, sed pro sanctis, & interpellat non secundum carnem, sed secundum deum. Christus autem C non secundum deum mortuus dicitur, sed secundum carnem. Ideo non verbis offerre dicitur spiritus interpellationem pro sanctis, sed gemitibus, & non communibus istis gemitibus, sed inenarrabilibus. Quomodo enim enarrari potest quod spiritus dei loquitur deo, cum interdum nec ipse quidem noster spiritus quod sentit & intelligit, sermone possit exponere? Scimus autem quod diligentibus deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.] Si spiritus (loquit) interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & vniuersa creatura congemiscit, & dolet vsque nunc, quæ liberabitur tum demum à seruitute corruptionis, cum libertas gloriæ aduenerit, quomodo non competenter pronunciabitur, Scimus quòd diligentibus deum omnia cooperantur in bonum? In tantum enim omnia cooperantur & conlaborant his quis diligunt deum, vt & ipse spiritus adiuuet, nec dedignetur diuina natura duxesse itineris ad bonum. Veruntamen si sunt aliqui habentes spiritũ seruitutis in timore, alij verò sunt superiores his qui spiritum adoptionis accipiũt, ex eo quòd non iam timore deum, sed amore venerantur, & quòd perfecta in eis charitas foras mittit timorẽ: videndũ est ne forte non omnia cooperẽtur

1. Cor. 14

B

Mat. 6.

Rom. 5.

in bonum iis qui adhuc in spiritu permanẽt seruientis, sed D aliqua quidem etiam ipsis cooperentur, nõ tamen omnia, & nescio si ad ipsum bonum, sed potius (vt ita dixerim) ad ianuas boni perducantur. His verò qui diligunt deum, & toto ei inhærent charitatis affectu (vt diximus) collaborãt & iuuant, atque aliquid sui studij conferunt, quatenus eos in ipso bono quod nunquam potest permutationem recipere continuant. Quod si alij sunt qui diligunt deum, & alij qui spiritum seruitutis acceperunt, videndum est ne forte & hoc quod dicit: His qui secundum propositum vocati sunt, & quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, non conueniat illis qui in spiritu seruitutis sunt. Possunt enim & illi vocati quidem dici, non tamẽ secũdum propositum vocati: & pro eo quòd adhuc in spiritu seruitutis sunt, non possunt statui inter multos fratres quorum primogenitus est filius charitatis, & imago inuisibilis dei, ac primogenitus omnis creaturæ. Sed & hoc quod dixit, Cõformes imaginis filij sui, volo requirere cuius formæ conformes fieri dicuntur. Legimus enim filium dei aliquando in forma dei, aliquando in forma serui esse propositum. Cui ergo formæ harum duarum conformes dicat futuros apostolus eos qui diligunt deum, & quibus omnia cooperantur in bonum, non otiosi discriminis mihi videtur esse. Arbitror ergo secundũ ea quæ in aliis idem Paulus designat, vbi dicit: Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis: quòd formari in his E qui ad perfectionem tendunt Christus dicatur, secundum hoc quod verbum est, vt in eis verbi dei synceritas ad purum informetur, & secundum hoc quod veritas est, vt veritas in eis absque vllius fuci admixtione consistat: & secũdum hoc quod sapientia est, vt sapientia dei in eis illa quã inter perfectos loquitur Paulus, pura & absque vllo erroris diuerticulo construetur. Sic & secundum omnia quæ Christus est, vel iustitia, vel sanctificatio, vel certe quæque virtutes, si in eis formentur ad liquidum, isti videbuntur ad illam formã quæ in forma dei est, conformes imaginis esse effecti. Si verò adhuc in initiis qui conuersetur, Initium autem sapientiæ timor domini, & in timore adhuc positus prima cultus dei elementa suscipiat secũdum formam serui, quam suscepit ad hoc vt rudibus & ignaris timorẽ Dei doceret: conformes fieri intelligendi sunt ij qui prima initia in dei timore suscipiunt: quia (inquit) quos præsciuit & prędestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Puto enim quòd sicut non de omnibus dixit qui prædestinati sunt, ita nec de omnibus quos pręscit. Non enim secundum communem vulgi opinionem putandum est bona maláque quę pręscire deum, sed secundum scripturæ sanctæ cõsuetudinem sciendum est. Obseruet enim qui studiosus est in scripturis, sicubi inuenit scripturã dicere, quia malus præscierit Deus, sicut in pręsenti locu de bonis manifeste dicit, quia quos præsciuit & pręsdestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Si enim quos pręsciuit hus & pręsdestinauit F conformes esse imaginis filij sui, nullus autem malus conformis potest imaginis esse filij dei, manifestum est quia de bonis tantum dicit, pręscit quos pręsdestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Cæteros verò non modo pręscire, sed nescire quidem dicitur Deus. Nouit enim Deus eos qui sunt eius. Ad eos autem qui non sunt digni vt sciantur à deo, saluator dicit: Discedite à me vos operarij iniquitatis, quia non cognoui vos. Sic ergo & in hoc pręsenti locu quos pręsciuit Deus, ipsos & pręsdestinauit conformes fieri imaginis filij sui: cæteri autem pręsciri non dicuntur, nõ quòd aliquid latere possit illam naturam quæ vbique est, & nusquam deest, sed quia omne quod malum est, scientia eius vel pręscientia habetur indignum. Quos ergo pręscit & pręsdestinauit. Sed & hoc intuere, si pręscire & pręsdestinare dici potest Deus de his qui nondum sunt: vel his qui sunt quidem, nondum tamen conformes sunt imaginis filij eius: & pręscientiam in hoc esse magis conuenit, quam in eo quod futurum sit id quod nondum est: in hoc enim voluntas magis est quam pręscientia conditoris. Nam præsciẽtia in quo videbitur, cum id quod futurum est, pendeat in factoris arbitrio? Videbitur fortassis ab ar-

Phil. 2.

Gal. 4.

Prou. 9.

2. Tim. 2

Matt. 7.

G tentis lectoribus etiam hoc requiri, cur non dicerit cõformes filij sui, sed conformes imaginis filij sui. Dicet enim qui excitat hæc, quia sicut ipse filius qui imago dei inuisibilis dicitur, quãtum ad personam specialis est ab illo cuius imago est: ita & hic quæ dicitur imago filij eius, alia debet esse cuius imago est. Et quamuis ardua hæc videantur & difficilia, tamen vide si possumus illud dicere: quia quamuis omnis qui se ad eam formam quam suprà posuimus excoluerit, imago fit dei, hoc est imago filij dei: tamen specialis ac propria imago eius quæ eum totum atque ex integro suscepit, & in semetipsa formauit, ipsa anima Iesu dicenda est: quæ se per omnia verbo ac sapientiæ Dei ita coaptauit, vt in nullo prorsus ab eius similitudine decolor haberetur: ita vt quicunque summam perfectionis ac beatitudinis consectatur, ad illius imaginem ac similitudinem tendat, quæ primo loco & super omnes cæteros filij dei imago est: ita vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, in his videlicet quorum conformatione filij dei imaginis primatum tenet. Quos autem prędestinauit hos & vocauit, & quos vocauit hos & iustificauit: Quos autem iustificauit illos & magnificauit.] Suprà dixit, Quos præsciit, hos prædestinauit: & nunc addit, Quos autem prędestinauit illos & vocauit, & quos vocauit hos & iustificauit. Et si præsciit & prædestinauit communi opinione sentiamus, videbitur vtique qui iustificatus est, propterea iu-

H stificatus esse quia prędestinatus est: & qui prædestinatus est, propterea prædestinatus esse quia pręcognitus est. Et rursum econtrario intelligis: Si quis autem iustificatus nõ est, ideo non est iustificatus quia non est vocatus: & quia non est vocatus ideo non est prædestinatus: & quia prędestinatus non est, ideo non est præcognitus. Vide in quam absurdam sententiam decidant hi qui præscientiam dei in hoc tantum accipiunt, quasi qui & quę postmodum futura sunt ante prænoscat. Inuenitur enim secundum hęc postea quæ supra exposuimus, nõ pręscisse deus quos nõ prędestinauit. Et rursum si ad communem referatur intelligẽtiam hoc quod dicit, quia quos vocauit, illos & iustificauit, ingentem fenestram patefaciemus iis qui negant esse in hominis potestate vt saluus fiat. Aiunt enim: Si Deus quos præsciit illos & prędestinauit, & quos prædestinauit illos & vocauit, & quos vocauit, illos & iustificauit, nihil culpæ habent ij qui nõ iustificantur, quia nec vocati sunt, nec prædestinati, nec præcogniti. Cum etiam illud aperte nobis aduersetur, quòd non omnes qui vocantur, etiam iustificantur. Nam & Iudas apostolus vocatus est, sed non est iustificatus: quia & si iustificatum eum contendat aliquis eo ipso quo vocatus est, non est certe glorificatus. Sed & illi de quibus dicit apostolus, quia naufragauerunt

I à fide, vocati quidem fuerunt, sed non sunt iustificati. Se-
Luc. 14. cundum euangelij parabolas illi ad quos missi fuerant ser-
Matt. 22. ui, & excusauerunt se, vocati fuerunt, sed non sunt iustificati: & ille qui ingressus conuiuium regis non habuit vestem nuptialem, vocatus est sed non est iustificatus. Cum ergo hæc singula sic se habeant, quomodo videbitur vetus sermo apostoli, quem vel de prænoscendo, vel prædestinando, vel de vocando, vel etiam de iustificando memo-
Gen. 4. rauit? Sed ego secundum ea quæ suprà exposuimus, quomodo noscat vel prænoscat deus, ad consuetudinem scripturæ redeundum puto, quæ vernacula quadam appellatione in hoc sermone, id est in cognoscendo vti solet: velut cum dicit, Et cognouit Adam vxorem suam, pro eo vt dicat, admixtus est vxori suæ. Et iterum de Rebecca dici-
Gen. 24. tur: Virgo erat, & vir non cognouerat eam. Sed & de filiis
Deut. 33. Leui dicitur cum præuaricatores punirent, quia non cognouerit vnusquisque patrem suum, aut matrem suam. In quo sine dubio hoc ostenditur, quia non iunxit affectum suum & amorem cum patre vel matre. Sed & multa secũdum hunc sensum in scripturis de cognoscendo inuenies dicta, & ideo etiam in præsenti loco constat apostolum secundum scripturæ sacræ consuetudinem posuisse sermonem cognoscendi, vt illos ostenderet præcognitos à deo, in quibus sciens quales essent, amorem suum deus affectúmque posuisset, secũdum etiam illud quod scriptum

est. Cognouit dominus eos qui sunt eius: cum vtique quãtum ad istam cõmunem scientiã pertinet, dominus nõ so- K
lum eos qui sui sunt, sed & eos qui errant à se non ignoret. Sed cognouisse eos dicitur, hoc est in dilectione habuisse, sibique sociasse. Ita ergo quos præsciuit Deus illos & prædestinauit: & quos prædestinauit, illos vocauit: & quos vocauit, illos & iustificauit. Superest nobis adhuc illius quæstionis absolutio, quomodo quos vocauit illos & iustificauit, cum secundum ea quæ suprà diximus constet multos esse vocatos, paucos autem electos. Sed videtur mihi esse quædam vocationis differentia secundum illud quod in superiori exposuimus, quia omnes quidem vocati sunt, non tamen omnes secundum propositum bonum & bonam volũtatem quam circa dei cultum gerunt vocantur, ipsi sunt qui secundum propositum vocati dicuntur, & isti sunt qui vocati iustificati sunt. Bono enim eorum proposito deerat sola vocatio. Hi verò qui non habent bonum fixúmque propositum, vel erga diuinum cultum, vel erga opus bonum, vocantur quidem & ipsi, ne eis excusatio relinquatur, & hęc ipsi possint causari cum iudicantur: quia & nos si vocati fuissemus, potuissemus vtique iustificari, & non solum iustificari, sed & glorificari. Ideo ergo vocantur quidem & ipsi, sed quasi si in terra petrosa seminetur semen, cito quidem exoritur, increscente autem tribulationum sole, quia non habent altam radicem boni propositi, continuo arescunt & percũt & ipsi sunt de quibus dicit Apostolus, quia naufragauerunt à fide. Quos ergo vocauit, id est quos secundum pro- L
positum vocauit boni, illos & iustificauit. Quod si secun- *1. Tim.* 1.
dum propositum ad deum referatur, hoc est vt secundum dei propositum, qui sciens in eis religiosam mentem & salutis inesse desiderium, vocati dicantur, non videbitur his quæ exposuimus etiam hoc esse contrarium. Hoc ergo pacto neque in pręscientia dei, vel salutis vel perditionis nostræ causa consistit, neque iustificatio ex sola vocatione pendebit, neque glorificari de nostra penitus potestate sublatũ est. Nam & si cõmuni intellectu de pręscientia sentiamus, nõ propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurũ: sed quia futurũ est, scitur à deo antequã fiat. Nã etsi (verbi gratia) fingimus deũ non prænoscere aliquid, futurum sine dubio erat, quod ita vt puta Iudas proditor factus est, & hoc ita futurũ prophetæ prædixerunt. Non ergo quia prophetę prędixerunt, idcirco prodidit Iudas: sed quia futurus esset proditor, ea quę ille ex propositi sui nequitia gesturus erat prædixerunt prophetæ: cum vtique Iudas in potestate habuisset vt esset similis Petro & Ioanni si voluisset, sed elegit pecuniæ cupiditatẽ magis quam apostolici consortij gloriã: & hanc eius voluntatẽ futurã pręuidentes prophetæ librorũ tradiderunt monumentis. Vt autem scias nõ in *1. Cor.* 9.
præscientia dei vnicuique salutis causam poni, sed in pro- M
posito & actibus suis, vide Paulum verẽtem ne forte cum aliis prędicauerit ipse reprobus efficiatur, macerare corpus suũ, & subiicere seruituti hoc. Aduersus eos qui nobis huiusmodi quæstionem obiiciunt, etiam hæc possumus dicere: Si quos præsciit illos & prædestinauit, non autẽ omnes prædestinauit, ergo non omnes præsciit: & secundum eos erunt aliqua quæ ignoret deus. Si verò prænoscere secundum hæc accipiatur quæ suprà diximus, hoc est in affectũ recipere sibíque sociare, verum erit quia sicut non omnes prædestinauit, ita neque omnes præcognouit. Sic enim & is dicitur non cognouisse peccatum. Nunquidnã dicemus quia nescierit is quid esset peccatum, id est quia nescierit homicidiũ peccatũ esse, vel adulteriũ vel furtũ, & his similia? An hoc est quod dicitur nescire peccatũ, quia peccato se nõ miscuit, neque adhæsit ei peccatũ? Sicut & alibi scriptũ est: Qui seruat mãdatum nõ cognoscet malũ verbum, hoc est nõ recipiet verbũ malum, nõ credet, non audiet libenter, neque admittet ingredi mentẽ suã. Quos ergo secundũ hunc modũ pręsciit deus, illos & prædestinauit: & quos prædestinauit, illos & vocauit, ex vocationis distinctione qua diximus: & quos vocauit, illos & iustificauit: & quos iustificauit, illos & glorificauit. De glorificatione possumus & in pręsenti seculo illud intelligere quod dicit

Apostolus:

A Apostolus: Nos autem omnes reuelata facie gloriam domini speculantes eadem imagine transformamur à gloria in gloriam,tanquam à dumini spiritu. Est ergo & hæc gloria quam iustificati quique in præsenti vita percipiunt: est & illa quæ spectatur in futuro, cum corpus hoc humilitatis nostræ seminatur in contumelia, & surget in gloria: &,est alia gloria solis, alia gloria lunæ,alia gloria stellarũ, & stella à stella differt in gloria, ita erit resurrectio mor-
1.Cor.15. tuorũ. Quid ergo dicemus ad hæc? Si deus pro nobis quis contra nos? Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiã cum illo omnia nobis donauit?] Deus quomodo pro nobis sit manifestum est ex his quę supra exposuit,id est quòd spiritus Dei habitat in nobis,vel quòd spiritu Dei agimur, vel quòd spiritum adoptionis accepimus, vel quòd sumus filij Dei & hæredes, & cohæredes Christi,vel quòd primitias spiritus accepimus,vel quòd ipse interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, vel quòd vniuersa creatura nobis congemiscit & condolet, vel quòd omnia nobis cooperantur in bonum diligentibus Deum,vel quòd secundũ propositum vocati sumus & præcogniti & prædestinati & iustificati & glorificati, horum enim omnium veluti epilogum faciens, & simul omnia repetens ait: Quid ergo dicemus ad hæc? hoc est,ad hæc omnia quę suprà diximus. Quia si sic deus pro nobis est,vt hęc nobis cuncta conces-
B serit, quis esse aduersum nos poterit? Non quo omnino neminem nobis esse dicat aduersarium. Quomodo enim
1.Pet.5. stabit illud quod dictum est a Petro: Aduersarius vester diabolus sicot leo rugiens circuit quærens quem transuoret? Sed hoc ostendit, quia Deo agente pro nobis contemptibilis & nihili efficitur aduersatius noster. Similiter autẽ
Psal.17. & Dauid dicit: Dominus illuminatio mea & saluator meus quem timebo, Dominus protector vitæ meæ a quo trepidabo? Non ergo nullum dicit esse quem metuat, & qui aduersetur ei: Sed qoamuis (inquit) appropiant super me
Ibid. vt edant carnes meas qui tribulant me inimici mei, tamen domino desendẽte vitam meam, infirmati sunt & ceciderunt. Dat præterea indicium maximum ingentis erga nos amoris Dei, qui intantum (inquit) nos dilexit,vt nec proprio filio pepercerit, sed pro nobis omnibus ad passionem tradidit eum. Et vt maiore nos admiratione constringeret,addidit sermonem ingentis arcani conscium dicens, quia proprio filio non pepercerit. Dixerat enim superius, quia etiam nos qui spiritum adoptionis accipimus,filij dei sumus. Ne ergo communi ista appellatione filiorum vnum aliquem ex his tradidisse putaretur qui in filios videbantur asciti,addidit proprio filio,vt eum qui solus ex ipso deo ineffabili natiuitate generatur, ostenderet. Pro nobis ergo omnibus tradidit eum, non illa tra-
Matt.10. ditione qua scriptum est, Tradet autem frater fratrem in
C mortem, & parentes filios: sed tradidisse eum dicitur hoc ipso quod eum cum in forma Dei esset, passus est exinanire seipsum,& formam serui suscipere, & vsque ad mortem crucis peruenire: vt in ipso omnibus exemplum obedientiæ poneret, & viam resurrectionis à mortuis aperiret. Pro omnibus ergo tradidit eum, non solum pro sanctis,non solum pro magnis, sed & pro minimis omnino qui sunt in ecclesia,tradidit filium proprium pater: & ideo etiam si minimorum aliquem & infirmorum lædat quis percutiens eius infirmam conscientiam,in Christum peccare dicitur, quoniam quidem scandalizat animam pro qua Christus mortuus est. Quia ergo pro omnibus nobis tradidit filium pater,nullus omnino nec minimus quidem
Matt.18. qui est in ecclesia contemnendus est: & ideo dominus ipse dicebat: Si quis scandalizauerit vnum ex pusillis istis minimis, melius est molam asinariam circa collum eius ligari,& præcipitari eum in mare,quam vt scandalizet vnũ ex his. Deus ergo qui nos preciosos proprij filij pro nobis preciosum sanguinem fundendo fecit, quomodo non cum ipso omnia nobis dedit? Nihil est sine inuisibilis creaturæ,quod filio possit adæquari: Nullo enim pacto creatori suo creatura potest conferri: & si creator ipse donatus est nobis, quomodo non cum ipso creatura nobis do-

habitur? Quamuis sermo hic dupliciter possit intelligi, id D
est quod cum illo omnia donabit. Nam & hoc potest videri,quod si habemus in nobis Christum secundum hoc quod verbum,sapientia & veritas & iustitia & pax est, & cætera omnia quę de eo scripta sunt,cum hac plenitudine virtutum omnia nobis donabuntur, vt iam non in vnum ex omnibus creaturis,& paruum terræ hunc locum quem nunc videmus, habitare timeamus: sed omnia quæcunque creauit deus visibilia & inuisibilia,occulta & manifesta, temporalia & æterna cum Christo pariter habeamus. Potest autem & alio modo sic intelligi quod dicit, cũ ipso omnia nobis donauit: hoc est ipsi quidem vt hæredi, nobis verò vt cohæredibus eius pariter cum ipso perfrui vniuersa dabitur creatura. Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est,imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei,qui etiam interpellat pro nobis.] Videtur mihi quod ait, Quis accusabit aduersus electos Dei, de diabolo dicere: Nullus enim ita electus & ita magnus, quẽ ille non audeat accusare, nisi ille solus qui peccatum non fecit,qui dicebat hæc: Nunc venit princeps huius mundi,
& in me nihil inuenit. Sed quamuis ille exerat nequitiam Ioan.14.
propositi sui,Deo iustificante & delente sicut nubem iniquitatem electorum suorum, & sicut caliginem peccata
eorum, & à prioribus delictis eos dealbante vt niuem, & E
sicut lanam candidam faciente, quid proficiet accusator? Sed & cum Christus pro eis mortuus sit,imò potius à mortuis resurrexerit,& stet à dextris patris, & interpellet pro his,quis eos poterit condemnare? In superioribus sanctus spiritus interpellat pro nobis (inquit) gemitibus inenarrabilibus: hic Christus Iesus qui mortuus est & resurrexit, ipse interpellat pro nobis. Deus qui proprium filiũ tradidit pro nobis, ipse iustificat electos: quis erit vltra qui audeat condemnare? Sed diligentius intuere quomodo apostolus nusquam in sermonibus suis ab insita sibi cautela discedat. Non dixit,quis accusabit aduersum vocatos sed aduersum electos. Nisi enim fueris electus,nisi in omnibus te exhibueris probabilem Deo, habebis accusatorem. Si enim causa tua mala est,si te crimen tuum astringit,quid tibi proderit aduocatus, etiam si Iesus sit qui interpellat? Iesus enim veritas est: Non potest ergo pro te veritas fallere. In quo tibi opitulabitur aduocatus, ne accusatoris calumniis inuoluaris, ne tibi præterita peccata quæ tibi per baptismum deleta sunt,imputentur? Si verò post hæc iterum delinquas, nec vllis hæc pœnitentiæ lachrymis diluas,accusatori tuo criminandi te materiam dabis: & quamuis Iesus interpellet pro nobis,non potest dicere Iesus tenebras lucem esse, neque amarum dulce. Si F
ergo vis vincere quod iudicaris, fac quod de iusto scriptũ est: Dispone sermones tuos in iudicio, præpara opera tua ad exitum,memento nouissimorum tuorum, & non peccabis: ne tibi contingat illud quod de quodam scriptum est: Cum iudicatur exeat condemnatus. Vide autem quomodo audias, quia Iesus interpellat pro nobis. Ipse est enim de quo & alibi scriptum est,quia pater neminem iudicat,sed omne iudicium dedit filio: & sicut ipse est hostia & sacerdos,& ipse est in forma serui & in forma Dei,sic ipse est aduocatus & iudex. Quis ergo separabit nos à charitate Dei? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptũ est: Quia propter te mortificamur tota die, existimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.] Pro his,inquit,omnibus quæ suprà enumerauimus, id est, quia iam non sumus in carne,sed in spiritu, & quod spiritus Dei habitat in nobis, & quòd Christus in nobis est, per quem corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem viuit propter iustificationem, & quod iam non sumus debitores carni vt secundum carnem viuamus, quia spiritu actus carnis mortificauimus, & quòd per spiritum adoptionis filij effecti sumus Dei, & si filij, etiam hæredes Dei, cohæredes autem Christi, & quòd vniuersa creatura congemiscit nobis & condolet, reuelationem filiorũ

G Dei expectans, & quòd diligentibus nobis deum omnia
coopetantor io bonum, & quod præſcut & prædeſtinauit
oos confotmes imaginis filij ſui qui ſecundum propoſitū
vocati ſumus: cum pro his, inquit, omnibus beneficus quę
couſecuti ſumus, fixi & radicati in charitate Dei ſumus,
Eph.3. quis nos ab ea poterit ſeparare? Tribulatio ſi venerit, di-
cemus ad deum, In tribulatiooe dilatati ſumus. Anguſtia
ſi fuerit mundi, & ex neceſſitate corporis veoiens, ſapien-
tiæ Dei & ſcientiæ latitudinem requiremus, in qua nos
anguſtate non poteſt mundus. Redeo enim ad ſcriptu-
rarum diuinarum ampliſſimos campos, intellectum verbi
Dei ſpiritalem requitam, & nulla me in eo coarctabit an-
guſtia. Per largiſſima enim ſpatia intelligentiæ myſticæ
& ſpiritalis equitabo. Perſecotionem ſi patiar, & confi-
tear Chriſtum coram hominibus, certus ſum quòd ille
me confitebitur coram patre meo qui in cœlis eſt. Fames
ſi affuerit, turbare me non poteſt: habeo enim panem vi-
tæ qui de cœlo deſcendit & reficit animas eſurientes.
Nec aliquando poteſt panis iſte deficere: eſt enim perfe-
ctus & æternus. Me nuditas non confundit: Indutus
ſum enim dominum Ieſum Chriſtum, & habitaculum
noſtrum quod de cœlo eſt, ſuperindui ſpero: Oportet e-
nim mortale hoc induere immortalitem, & corruptibile
H hoc induere incorruptionem. Periculum enim non ti-
mebo. Dominus illuminatio mea, quem timebo? &
dominus defenſor vitæ meæ, à quo trepidabo? Gladius
terrenus terrere me oon poteſt: Habeo enim mecum gla-
dium ſpiritus quod eſt verbum Dei, & mecum eſt viuens
& efficax ſermo Dei, qui eſt penetrabilior omni gladio v-
trinque acuto. Si ergo gladius mundi venerit ſuper cer-
uices noſtras, maiorem mihi ad Deum conciliat charita-
tem. Dicam nanque ad eum, quia ſcriptum eſt, Propter
te mortificamur tota die, exiſtimatus ſum vt ouis occiſio-
nis. Noo enim mihi ſufficit vna hora mori pro Chriſto,
vel cruciari, ſed tota die, hoc eſt omoi vitæ meæ tempore.
Si enim totam vitam meam in perſecutionibus & pericu-
lis agam, dicam quia non ſunt condignæ paſſiones huius
temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.
Breue eſt enim huius vitæ tempus, exiguum quod in per-
ſecutionibus ducimus: æternum verò & perpetuum quod
expectamus in gloria. Et ideo in his, inquit, omnibus ſu-
peramus noo noſtra virtute, ſed per eum qui nos dilexit.
Dum enim io illius amore pendemos, ſenſum doloris non
recipimus. Illius enim charitas qui nos dilexit, & noſtrum
ad ſe rapuit affectum, cruciatum corporis, & dolorem ſen-
tire nos non facit. Ideo ergo in his omnibus ſuperamus.
Tale aliquid & in canticis ſponſa dicit ad verbum, quia
vulnerata, inquit, charitate ego ſum. Ad hunc ergo modū
I & aoima noſtra à Chriſto vulnere charitatis accepto, etiā
ſi tradat gladio corpus, nō ſentiet vulnera carnis præ vul-
nere charitatis. Certus ſum enim quia neque mors, ne-
que vita, neque angeli, oeque priocipatus, neque virtutes,
neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque al-
titudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos
ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino
noſtro.] Duos videtur ordines apoſtolus oſtendiſſe eo-
rum quæ hominibus tentationes ſuſcitare conſueuerunt.
Et in his quidem quæ prius diſſeruimus humanarum ten-
tationum intelligitur ordo deſcriptus: de quibus etiam Co
1.Cor.10 rinthiis dicebat, vtpote qui maiora ferre non poterant,
Tentatio vos non apprehendat niſi humana. Fidelis au-
tem Deus qui non permittet vos tentari ſupra id quod po-
tiſtis. Nunc verò in his ſermonibus quos habemus in ma-
nibus, non humanas tentationes indicat, ſed maiores hu-
manis: & ideo puto quod in prioribus cum enumeraſſet
ſingula quæque ad vltimum dixit, Sed in his omnibus ſu-
peramus. In his verò ſecundi ordinis tentationibus non
ita confidenter dicit, ſuperamus, ſed valde tenuiter ait, quia
nihil horum poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in
Chriſto Ieſu. De humanis enim tentationibus tanquam
paruis & leuibus confidenter nos eas ſuperare pronunciat:
illas verò ſuperiores, & plus quam humanas, etiamſi ſupe-
rare & proſternere noo valemus, hoc enim ſolius Chriſti
opus eſt, qui exuit principatus & poteſtates triumphans K
eas in ſemetipſo: tamen adhuc victoriæ locus eſt, etiam ſi
omnes in nos impugnationum ſuarum machinas torſe-
rint, quando à charitate tamen Dei nos minime ſepara-
mur. Sed iam teotemus ſingula diſcotere, & quid de v-
noquoque ſermone apoſtoli ſentiendum ſit pro viribus a-
petire, quamuis altiora contigiſſe videatur apoſtolus,
quam expoſitioni vel noſtra ſufficit virtus, vel ratio bre-
uitatis admittit. Requiramus tamen ſi omnia iſta quæ e-
numerauit apoſtolus, an quædam ex ipſis (hoc enim ſtudi-
oſi quærunt) humanas animas à charitate Dei ſeparare cō-
tendant, & propterea moliantur in nos cuncta quæ pati-
mur. Videtur enim poſſe qoidem hæc agere, vt a charita-
te Dei ſeparemur, mors fortaſſis, & angeli, & principatus,
& virtutes aduerſantes nobis ſine dubio, & præſentia quæ
ſunt vtique lubrica & caduca: ſed & profundum poteſt
ſimiliter intelligi: Vita autem futura, & altitudo, & creatu-
ra alia, quomodo à Dei charitate ſeparare nos conentur
non otioſum videtur exponere: niſi quis forte dicat hyper-
bolice hoc apoſtolum dicere: hoc eſt non ſolum per ea
quæ accidere poſſunt, ſed ne per ea quidem quæ euenire
omnino non poſſunt, vllo pacto à Dei charitate deflecti-
mur. Verbi cauſa, vt ſi alia nobis daretur vita quam hæc
illa quæ à deo data eſt, aut ſi futurorum ſpes alia promit-
teretur nobis, vel altitudo, vel etiam creatura alia quam L
eſt illa quæ pro nobis congemiſcit & condolet, quod fieri
vtique non poteſt, nec iſta quidem à charitate Dei ſepara-
re nos poſſent. Eſt ergo hic vnus expoſitionis modus.
Videamus tamen ne forte poſſit etiam iſte intellectus ad-
mitti. Mors quam hic dicit, ille accipiendus eſt quem
ſuprà expoſuimus inimicum Chriſti deſtruendum nouiſ-
ſimum dici. Qui vtique propterea mors dicitur, quia
ſicut hæc communis mors animam ſeparat à corpore, ita
à charitate Dei animam ſeparare & ille contendit: & hæc
vtique eſt animæ mors. Poteſt ergo fieri vt ſit & aliqua
vita de patre illius, quæ cum ipſo agit vt nos à charitate ſe-
paret Dei, quæ vita eſt peccati. Niſi enim mala eſſet hæc
vita, nunquam nos ſuaderet apoſtolus vt moreremur pec-
cato, & in morte Chriſti baptizaremur, & cōſepeliremur
ei. Poteſt ergo fieri vt hæc vita peccati ſit quæ nos cupit
ſeparare à charitate Dei. Ego autem puto quòd & ſin-
gula quæque peccata habeant aliquam vitam ſuam intra
oos: nam vnumquodque vitium vita peccati eſt. Quanto
ergo plura intra nos vitia deprehenduntur, tanto plures
eſſe peccatorum vitæ videbuntur in nobis. Et propterea
forte dictum ſit: quia melior miſericordia tua ſuper vitas. Pſal. 63.
Neque angeli, oeque principatus, neque virtutes. In prō-
priu eſt angelos illos intelligere, quibus ignis æternus a
ſaluatore cum diabolo dicitur præparatus: Principatus
autem & virtutes, illas ſine dubio aduerſum quas nobis M
certamen eſt: vel illos principatus & poteſtates, de qui-
bus dicit: Cum autem deſtruxerit, omnem principatum
& virtutem. Ex quibus & princeps huius mundi appel-
latur. Poſt hæc, Neque præſentia, inquit, ſiue inſtan-
tia. Poteſt hoc de his dictum videri, quos in aliis idem
apoſtolus rectores mundi huius tenebrarum nominauit:
vel etiam quod præſentium rerum voluptas, & delectatio
& vana huius mundi gloria ſtudeat nos à charitate Dei
deducere, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Poſt
hæc videamus quæ ſint futura, quæ volunt quidem, ſed
noo poſſunt Paulum & ſimilem eius ſeparare à charitate
Dei. Dupliciter mihi etiam hoc intelligendum videtur.
Poſſunt enim intelligi ab eo tempore quo hæc ſcribebat,
vt hæc dicere videatur: ſi qua tentamenta, ſi quæ tribula-
tiones ſuperuenerint, à charitate Dei me ſeparare non po-
terunt. Vel etiam futura intelligi ea quæ mundum hunc
excedentibus occurſura ſunt, cum princeps huius mundi,
aliæque virtutes quæ ſub ipſo ſunt, retinere certabunt
animam de corpore proficiſcentem, ſed non poterunt re-
tinere eas, quibus perfecta charitas quæ eſt in Chriſto Ie-
ſu foras mittit timorem. Videbatur autem hunc ſen-
ſum affirmare & illa ſcriptura quę dicit: Dum enim ſumus 2.Cor.5.
in corpore peregrinamur à domino: cupimus autem
magis

A magis peregrinari à corpore, & adesse ad deum: & contendimus autem siue absentes, siue presentes placere ei: absentes nos dicens in corpore positos, præsentes autem de corpore recedentes: & ostendit quod studeant sancti etiam de corpore recedentes placere deo. Si ergo in eis perfecta sit charitas, nec vlla quæ futura sunt in quibus placendum est deo, poterunt eos ab ipsa separare, cum vtique nô placebunt deo hi qui tam mobiles erunt in charitate Dei vt possint ab ea separari. Hæc nobis duplici modo dicta sunt de futuris. Potest autem fieri, vt sit & aliquis alius tertius horum superior, quem qui inuestigare potuerit dignû iudicet his præferre, Subiungit deinde, Neque virtutes. Species videtur esse vna ex pluribus rationabilibus creaturis, non in corpore mortali vitam ducens, sed vt angeli, ex alio tamen ordine quam sunt angeli. Et ipsæ ergo virtutes habent certamen separare nos à charitate dei, sed nec ipsę, inquit, poterunt, si radicata sit & fundata. Similiter & altitudo, & profundum impugnant nos, sicut & Dauid dicit,
Psal. 56. Multi qui debellant me de alto, sine dubio cum a spiritibus nequitiæ de cœlestibus vrgeretur: Et iterum, De profundis clamaui ad te domine: cum ab his qui inferno deputati sunt, & gehennæ spiritibus impugnaretur. Sed nec hæc (inquit Paulus) separare nos poterunt à charitate dei. Neque, inquit, creatura alia. Potest intelligi aliam creatu-
B ram dixisse præter hanc quam videmus: est enim alia nobis inuisibilis. Nunc autem potest & sic accipi, præter illa quę superius enumerauimus, hoc est angelos, & virtutes, & si qua est alia creatura, ne singula per species enumerando longum sermonem trahere videretur & superfluum. Aut & alio modo. Quoniam quidem sciebat Paulus multas & innumeras creaturas dei, quarum etiam non omnem, sed ex parte scientiam ceperat, quarúmque species & nomina in præsenti loco ignorêrut: De quibus & in aliis item apo-
Ephes. 1. stolus dicit Saluatorem ascendisse super principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro: Propterea ergo quoniam scit hæc non posse in præsenti seculo, sed in futuro nominari, dixisse videbitur, Neque vlla creatura alia poterit nos separare à charitate dei. Veruntamen ostendit Paulus ex his omnibus salutis suæ confidentiam, cum iam neque angelis aduersantibus, neque virtutibus impugnantibus, neque præsentibus, neque futuris sibi oblectationibus, neque vlla prorsus creatura aduersante, à charitate dei se posse diuelli dicit, nec ex vllo tot aduersariorum capere metum, vt verum ostenderet quòd perfecta charitas foras iam misit timoré. Habuit enim aliquando ipse metum, & timuit ne forte caderet: & iste qui modo cœlestium virtutum aduersum se si commoueantur bella non metuit, aliquando vel carnem suá metuit, & ex ea consurgentes insidias formidauit, quando di-
C cebat scribens ad Corinthios: Macero corpus meum, & in
1. Cor. 9. seruitutem sobiicio, ne forte cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar. Et ideo præ cæteris omnibus carnis insidiæ formidandæ sunt, & ille qui de nobis procedit hostis cauendus est ipse, donec in tantum profectum veniat anima, vt dulcedine charitatis dei astricta corporis blandimenta & carnis illecebras abhorrescat vnus cum deo spiritus facta.

CAPVT IX.

VEritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium & promissa, quorû patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in secula seculorum, Amen.] Videns Paulus quòd si secundum ea in quibus suprà exposuit, nulla in

cœlestibus vel terrestribus, præsentibus vel futuris aduer- D
santibus sibi creatura possit à Christi charitate separare, contrarium & incredibile videretur quod nûc dicere proponebat, optare se à Christo quem tam inseparabiliter diligebat, anathema fieri, hoc est alienum effici, & mendacij notam subire videretur, satisfactionem præmittit, vt nequaquam de eius sermone dubitetur, & dicit: Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibéte conscientia mea in spiritu sancto. Sed videamus quare dixérit, Veritatem dico in Christo, quasi ostendens esse aliquam veritatem quæ non sit in Christo. Et vide si possumus tali quodam modo veritatem quæ est in Christo, ab ea quæ non est in Christo, distinguere: quia & alibi idem apostolus dicit: Est veritas Christi in me, quia non mentior. Veritas ergo Christi esse credenda est ibi, vbi & reliquæ virtutes quæ Christus esse describuntur: id est, vbi iustitia, vbi pax, vbi est verbum dei, ibi est & veritas Christi. Est autem veritas & in iniustitia: vt si (verbi causa) dicamus, dæmonium illud Pythonis, quod in actibus apostolorum refertur in ancilla quadá habitasse, & clamasse post apostolos quia hi serui summi dei sunt, qui annunciát hominibus viam dei: erat veritas in his verbis: verum enim erat quod dicebatur: sed non erat ista veritas in Christo, & Act. 16.
propterea conuersus ad eam Paulus dixit, Obmutesce, & Ioan. 11.
exi ab ea. Sed & illud veritas erat quod dixit Caiphas: Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non E
vniuersa gens pereat: sed tamen ista veritas non fuit in Christo: & ideo apostolus ad distinctionem veritatis eius quæ extra Christum est, se dicit in Christo loqui veritatem. Sed & hoc quod dicit, Testimonium mihi perhibente conscientia in spiritu sancto, similem mihi habere videtur intelligentiam. Reddit enim testimonium conscientia etiam gentibus secundum quod in superioribus idem apostolus ait: Testimonium reddente eis conscientia, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium. In illis ergo in quibus cogitationes suę habent aliquid quod accusent, & cóscientia ad testimonium venit, non potest dici pro quot malis actibus in spiritu sancto conscientia testimonium reddat. In apostolo verò vbi iam cogitatio non habet quod accuset, recte conscientia in spiritu sancto testimonium reddit. Vide tamen magnitudinem pectoris apostolici, à dei charitate non potest separari. Quod loquor, in Christo loquor: quod in conscientia habet in spiritu sancto continetur. Qui quæso cœli, qui throni, quæ amplissimæ virtutum cœlestium mentes, tam amplis sedibus totam potuerunt capere trinitatem? Quoniam, inquit, tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Esto, habeas tristitiam: esto dolorem capias de perditione fratrum tuorum qui F
sunt cognati secundum carnem: nunquid eousque vt potes anathema fieri à Christo? & quid tibi prodest illorum salus, si tu à salute separeris? & cur saluabis alios si ipse pereas? Nunquid ita est? Sed ego didici à magistro & domino meo, quia qui vult animam suam saluam facere, perdet eam: & qui perdiderit eam inueniet eam.

Quid ergo mirum si apostolus pro fratribus suis anathema fieri velit, qui sciat eum qui in forma erat dei, exinanisse se de ea, ac suscepisse formam serui, & factum esse pro nobis maledictum? Quid ergo mirum si cum dominus pro seruis maledictum sit factum, seruus pro fratribus anathema fiat? Hæc autem arbitror quòd & Moy- Exod. 3
ses cum peccasset populus dicebat ad dominum: Et nunc siquidem remittis eis peccatum, remitte: sin autem, dele me de libro vitæ quem scripsisti. Quid ergo? inferiorem vis Moyse Paulum videri? Ille deleri se petit de libro vitæ pro fratribus suis: Paulus non debet optare anathema esse pro fratribus suis? Sed fortasse dicat aliquis, quia Moyses hoc offerens salutem populo meruit impetrare: Paulus verò optat quidem sed non est auditus. Quid si ostendam tibi magis Paulum auditum esse quam Moysen? Omnes enim illi qui per Moysen exierant, ceciderunt in deserto. Posteri verò eorum qui terram repromissionis acceperunt, etiam nunc iactantur ab

G ex exules, & extorres. Paulus verò audi quid dicat de Israel. Nolo vos, inquit, fratres ignorare mysteriū hoc, quia cæcitas ex parte Israeli contigit, donec plenitudo gentium subintraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Vides ergo quia exauditus est Paulus: & quia se obtulit anathema salutem meruit fratribus. Et ideo mihi videtur illa omnia præmisisse, quod nulla vis possit eum à charitate dei diuellere, vt cum se offert anathema pro fratribus suis, non lapsum eius passibilem iudices: sed sicut ille qui inseparabilis est a patre per naturam, & immortalis in mortem venit, & in infernum descendit: ita & iste imitando magistrum cum separari a Christi charitate non possit, à Christo anathema fiat pro fratribus suis, deuotione vtique non præuaricatione. Quod autem cognati secundum carnem sint Paulo Israelitæ, expositione non indiget. Quorum

Deut. 32. (inquit) adoptio filiorum. Adoptati enim sunt filij israel à deo tunc cum diuideret excelsus gentes, & dispergeret filios Adam secundum numerum angelorum, & facta est portio domini Iacob, funiculus hæreditatis eius Israel. Ista est ergo adoptio filiorum, & gloriæ testamentum, & le-

2. Cor. 3. gislatio. De gloria datæ legis sæpe iam dictum est, sicut & ipse apostolus dicit. Si enim quod euacuatur per gloriam est, hoc est vetus testamentū, multo magis quod manet in gloria est, euangelij scilicet prædicatio. Sed quod dicit testamentum & legislatio, vnum fortasse dicere vi-

H deatur. Lex enim quæ lata est, ipsa etiam testamentum appellatur. Sed ego hanc esse distinctionem puto, quod legislatio quidem fuerit vna, & semel habita per Moysen, Testamenta frequenter statuta sunt. Quoties enim peccauerunt, & abiecti sunt, toties exhæredati videntur. Et rursum, quoties repropitiatus est Deus, reuocauit eos, & in hæreditatem suæ possessionis adduxit, toties reparasse testamentum, & hæredes eos scripsisse credendus est. Et obsequium & promissiones. Obsequium sacerdotalia

Gal. 3. dicit officia. Promissiones quæ patribus factæ sunt, & sperantur dandæ his qui per fidem filij dicuntur Abrahæ. Certum est tamen quòd etiam secundum carnem ex ipso genere, hoc est Israelitico fuerint non solum patres, sed & Christus sicut per prophetam dicitur. Væ illis quia caro mea ex ipsis est. Cur autem væ illis? Quia natus est Iesus in ruinam & in resurrectionem multorum, & quia ab illis quorum caro erat, repudiatus est, & à gentibus a quibus ignorabatur susceptus est, sicut & per Dauid dicit, Po-

Psal. 17. pulus quem non cognoui seruiuit mihi. Ex ipsis ergo est & Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus Deus in secula. Christum aliud secundum carnem esse, & aliud secundum spiritum, iam & in prioribus hu-

Rom. 1. ius epistolæ partibus designauit, vbi dicit: Qui factus est

I ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis. Et quomodo secundum spiritum filius Dei sit, & secundum carnem filius Dauid, plenius pro viribus exposuimus. Quem ergo ibi secundum spiritum filium dixit, hic procedente doctrinæ ordine proficientibus vtpote auditoribus, deum qui est super omnia benedictus ipsum esse pronunciat. Et miror quomodo quidam legentes quod

1. Cor. 8. idem apostolus in aliis dicit, Vnus Deus pater ex quo omnia, & vnus dominus Iesus Christus per quem omnia, negent filium Dei Deum debere profiteri, ne duos deos dicere videantur. Et quid de hoc loco apostoli facient, in quo aperte Christus super omnia Deus esse perscribitur? Sed non aduertunt qui hæc ita sentiunt, quòd sicut dominum Iesum Christum non ita vnum esse dominum dixit, vt ex hoc Deus pater non dominus dicatur: ita & deum patrem non dixit ita esse vnum deum, vt Deus filius non credatur. Vera est enim scriptura quæ dicit, Scitote quo-

Psal. 100 niam dominus ipse est Deus. Vnus autem vterque est Deus, quia non est aliud filio diuinitatis initium quam pater, sed ipsius vnius paterni fontis (sicut sapientia dicit) purissima est emanatio filius. Est ergo Christus Deus super omnia. Quæ omnia? Illa sine dubio quæ & paulo ante diximus, super principatus, & potestates, & virtutes, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Qui autem super omnes est, su- K

per se neminem habet. Non enim post patrem ipse, sed de patre. Hoc autem (id est sapientia dei) etiam de sancto spiritu intelligi dedit, vbi dicit. Spiritus domini re- Sap. 1.

pleuit orbem terrarum: & qui continet omnia, scientiam habet vocis. Si ergo filius dei super omnes dicitur, & spiritus sanctus continere omnia memoratur, Deus autem pater est ex quo omnia, euidenter ostenditur natura trinitatis, & substantia vna, quæ est super omnia. Non autē quòd exciderit verbum dei. Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est non qui filij carnis, hi filij dei: sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine.] Quoniam suprà dixerat pro fratribus suis qui sunt cognati secundum carnem, qui sunt Israelitæ, optare se anathema fieri, quorum esset adoptio filiorum, & legislatio, & promissio, de his nunc dicit quia verbum dei non excidit, hoc est promissio quæ ex eis facta est, non euanuit. Qui enim verus fuerit Israel, non ex carnali genere tātum de Abraham genus ducens: non enim qui filij carnis sunt, hi filij sunt Dei: sed qui secundum repromissionem fidei de Abraham descendit, ipsa etiam Dei promissa consequitur. Nam de genere Israel multi sunt, sed non omnes Israel appellantur. Israel namque deum videndo nomina-

tus est. Sic & ipse Iacob dicit, Vidi dominum facie ad Gen. 32.

faciem, & salua facta est anima mea. Ergo quia vidit Ioan. 14.

deum, Israel appellatus est. Qui verò non videt eum qui L

dixit, Qui me videt, videt & patrem, Israel non potest dici. Nec quia semen sunt Abrahæ, omnes etiam filij sunt. Hæc discretio iam tunc designabatur in Abraham, cum ei multos filios habenti, quos apostolus filios carnis appellat, in solo Isaac qui erat repromissionis filius, seminis sui posteritas poneretur. Et nunc ergo qui secundum Isaac repromissionis filij sunt, id est fidei illius per quam promissionem Abraham meruit futuræ hæreditatis accipere, ipsi tantum deputantur in semen, & ipsis hæreditatis successio defertur. Promissionis enim verbum hoc est: Secundum hoc tempus veniam, & erit Sarræ filius. Non solum autem illa, sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri. Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante di-

ctum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Malac. 1.

Iacob dilexi, Esau autem odio habui.] Proposuit apostolus persequi, quòd licet repudiatus sit populus Israel per infidelitatem, non tamen promissiones Dei quæ erga eos habitæ fuerant, deciderunt & frustratæ sunt: docetque quod cum multi filij fuerint Abrahæ, in solo Isaac fa-

cta est repromissio. M

Non enim, inquit, qui filij carnis sunt, hi filij sunt Dei. Et contendit ostendere, quomodo Isaac non sit filius carnis, sed sit filius dei, & redit ad ea quæ de ipso in Genesi scripta sunt, Promissionis, inquit, verbum hoc est: Ad hoc tēpus veniam, & erit Sarræ filius. Non ergo, inquit, per ordinem natiuitatis carnalis Isaac nascitur: quippe cum & Abraham emortuo iam corpore haberetur, & vulua Sar-

ræ esset iam emortua (sicut suprà dictum est) sed per vir- Rom. 4.

tutem eius qui dixit, Ad hoc tempus veniam, & erit Sarræ filius. Merito igitur non carnis, sed Dei filius dicitur, qui ex aduentu & sermone nascitur Dei. Hæc ergo, inquit, ratio non solum de Isaac, sed & de Iacob recipienda est. Nam & Rebecca, inquit, non solum secundum carnalis natiuitatis ordinem protulit partum. Cum enim ex vno concubitu Isaac geminos concepisset, nondum partu editi neque vllis actibus puerorum boni maliue inter homines habiti, erga Iacob diuina habetur dilectio, & dicitur quia maior seruiet minori, & Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Cur autem ita sit, docet: Vt secundum electionem, inquit, propositum Dei maneat, non ex operibus sed ex vocante dictum est hoc est vt non qui filij carnis, sed qui filij Dei sunt, ipsi deputētur in semen. Sicut enim ibi ex multis filiis carnis Isaac eligitur à deo qui adoptetur in filios Dei, ita & hic ex duobus minor

A minor eligitur Iacob, qui adoptetur in filios Dei: & sic verum sit quod promissiunes Dei non in filiis carnis, sed in filiis Dei consistent. Sed hæc omnia eò spectant, vt illud probet apostolus, quod si vel Isaac vel Iacob pro his meritis electi fuissent ad ea quæ in carne positi quæsierant, & per opera carnis iustificari meruissent, posset vtique meriti eorum gratia ad posteritatem carnis quoque & sanguinis pertinere. Nunc verò cum electio eorum non ex operibus facta sit, sed ex proposito Dei, ex vocantis arbitrio, promissionis gratia non in filiis carnis impletur, sed in filiis Dei: hoc est qui similiter vt ipsi ex proposito Dei eligantur, & adoptentur in filios. Completur nanque etiam in his illud quod suprà exposuimus: quia quos præsciuit, illos & prædestinauit: & quos prædestinauit, illos & vocauit: & quos vocauit, illos & iustificauit: & quos iustificauit, illos & glorificauit. Quæcunque autem ex his sermonibus suprà exposuimus, eadem etiam ad præsentis loci dispensationem satis abundéque sufficiunt, ne iterato fastidium legentibus generemus. Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cui misertus suero, & misericordiam præstabo cui miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem, & annuncietur nomen meum in vniuersa terra.

B Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Dicis itaque mihi. Quid adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis resistet?] Legentem hæc meminisse attentius conuenit similitudinis illius, quam in superioribus libris de apostolici sermonis dispensatione posuimus, vt tanquam regiæ cuiusdam domus, quæ multiplicibus ingressibus egressibúsque distincta, & ex vno in aliud conclaue ita transeat, vt vix ingredientis indicia, aut egredientis appareant: ita etiam Paulum diuinorum secreta paululum quidem subapetientem videri, non tamen plane apertéque pandentem. Denique cum pro his quæ superius dixarat de Isaac & Iacob, quòd per electionem & ex proposito dei antequam aliquid operis boni maliue gessissent deux dixerat vel de illo, Ad hoc tempus veniam, & erit Sarrę filius: vel de hoc, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: cum in præsenti capitulo introduxisset aliquam personam velut contradicentem sibi & quæstiunem mouentem, & diceret: Nunquid iniquitas est apud Deum? si non volentis, neque currentis, sed misericordiæ Dei est: & si Pharaonem propterea elegit, vt in ipso potentiam suæ virtutis ostenderet: & si ipse cui vult miseretur, & quem vult indurat: vt quid de hominibus, inquit, queritur? & cur qui peccat culpatur, cum talis de vnoquoque ipsius voluntas habeatur? Hæc ergo & his similia commouenti, atque in huius se mysterij cubiculum proteruius & importunius

C ingerenti, cum increpatione dignissimę exclamationis occurrit, & dicit: O homo tu quis es qui contra respondeas Deo? Quasi diceret: Tu quis es qui te in aulam regis immergis, & interioris cubiculi ausus es secreta penetrare? Idcirco igitur & nos in talibus suspenso pede tanquam in aula regia positi pauca sermone, plura silentio transeamus, ipso nobis Paulo apostolo magistro & duce huius itineris facto. Igitur ex persona contradicentis sibi dicit apostolus: Nunquid iniquitas est apud Deum? & statim in initiis respondet. Absit: vt ad omnia cæterea quæ ex persona contradicentis obiicienda sunt, ab apostolo semper responderi videatur, absit. Iste ergo qui contradicit, vtitur & Moysi verbis, quibus dicit ad eum dominus. Miserebor cui miserebor, & misericordiam præstabo cui miserebor. Quod si est, inquit, non ergo volentis neque currentis salus, sed eius qui miseretur. Nam Pharaoni, inquit, dicitur, quia ad hoc ipsum te suscitaui, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annunciem nomen meum in vniuersa terra. Vt ex hoc videatur ostendi, quia si ad hoc electus est Pharao, vt per eum virtus Dei hominibus declaretur, non fuit in eius potestate, quod periit. Et addidit post omnia. Ergo si cui vult miseretur, & quam vult obdurat: hoc est, inquit, quod asseueras tu qui contradicis, quia sine causa conqueritur & D arguit homines Deus. Si enim ipse quem vult eligit, & quem vult abiicit, voluntati illius quis resistet, per quem omnia? Illud sine dubio contradictio ista molitur, quod in homine non sit libertas arbitrij, nec habeat vnusquisque potestatem sui vt saluetur aut pereat. De quibus plenius quidem à nobis in eo libello vbi de arbitrij libertate disseruimus, pro viribus singula quęque discussa sunt, quæ ad instructionem satis supérque sufficiant. Paucis tamen etiam nunc de his quæ ibi dicta sunt, admonebimus. Quod dixit, Non volentis neque currentis, sed miserentis est dei, ita accipitur, sicut Dauid dicit in psalmo. Nisi dominus *Psal. 120.* ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. In quo ostendit non quod is qui domum ædificat nihil agat, & otiosus sit, & ita eam ædificet dominus: sed ipse quidem quantum est in homine vim sollicitudinis & laboris expendat, sicut obstaculis omnibus amotis opus perueniat ad perfectum. Cum ergo per hæc doceatur quod homo quidem laborem impendat & sollicitudinem. Deus autem successum operi tribuat & effectum, pium & religiosum est, ideo & bonum quod in se est operis summa, Deo magis quàm homini putare. Sic & cum Paulus plantabat, & Apollo rigabat, Deus dare di- *1. Cor. 3.* citur incrementum. Et additur: Itaque neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat E Deus. Ita ergo etiam in præsenti loco possumus dicere: Itaque neque qui currit est aliquid, neque qui vult, sed qui effectum dat Deus. Qui enim vult, & qui currit, hoc videntur esse quod est ille qui plantat: & eum qui rigat nihil dicit esse apostolus: non quod nihil agant, sed quod ad comparatione dei qui incrementū dat operi vel effectū illi nihil esse ducātur. Sed & hoc quod dicitur ad Pharaonem quia ad hoc ipsum te suscitaui vt ostēdam in te virtutem meam, quale sit videamus. Certum est deum non solum scire vniuscuiusq; propositum ac voluntatem, sed & præscire. Sciens autem & prænoscens, tanquam bonus dispensator & iustus, vniuscuiusque motibus & proposito vtitur ad ea opera perficienda quæ vniuscuiusque animus ac voluntas eligit. Velut si verbi gratia dicamus, paterfamiliàs si quis sit sapiens & iustus & habens multam seruitia, nónne quanta fieri sagacitate potest contemplabitur, quorum ex his animus aptus sit ad rus colendum, & ipsos ruri deputabit? cuius verò ad negotiandum, cuius etiam nutriendi pecoris, cuius verò ad ministerium, & obseruandi cubili sui aptum probat ingenium, & ita vnumquenque competentibus officiis, vtpote sapiens mancipabit? Verum quoniam non latet eum siue paterfamiliàs, siue rex iste sit, quod necesse sit interdum rebellare subie- F ctos, & disciplinæ iura corrumpere, & ob hoc correctione ac verberibus indigere, necesse est ergo vt eligat ex omnibus apta ad hoc ingenia, siqua illa sunt atrocius incitata, quæ suis quidem motibus ferantur, emendationem tamen delinquentibus necessariam conferant. Ponamus ergo vel patremfamiliàs istum, vel regem vidisse tempus, quo emendari debuissent hi qui contra mores & disciplinam multa commiserunt, & elegisse durissimum aliquem, & his ipsis qui corripiendi sunt multo duriorem qui pro sceleribus suis iam non sit dignus emendatione sed morte. Volens ergo interitum eius ad emendationem proficere cæterorum, mittens eum ad illos quos morte eius corrigi cupit, dicit ei, quia ad hoc ipsum te suscitaui vt ostendam in te virtutem meam, & vt annunciem nomen meum in vniuersa terra. Vide enim quia non dixit, quia ad hoc ipsum te feci: alioquin ad conditorem referri videretur culpæ: sed ait, ad hoc ipsum te suscitaui: hoc est vt per animi tui malitiam quam tibi insistente & sine Dei timore viuendo quæsisti, & in alios irrogetur vtilis & fructuosa correctio, & in te ipsum ad posteritatis exemplū famosissimus cōferatur interitus. Quod autē dicit, Cui vult miseretur, & quem vult indurat, ex his quæ in Exodo scripta sunt videtur assumere. Ibi enim dicit: Indurabo cor Pharaonis vt ne dimittat populum.

Indurabatur cor Pharaonis hoc modo: noluit Deus subitã & plenam dare in eum vindictam. Quãuis enim esset consummatæ malitiæ, tamen per patientiam suam nec ipsi facultaté conuersionis excluserat: & ideo primo leuioribus, tum etiam paulatim ingrauescentibus in eum verberibus vtebatur. Sed quod Deus gerebat per patientiã, ex hoc ille indurabatur ad contemptum, maiorem sibi iram recondens, ita vt ad ipsum dici côueniat illud quod scribit apostolus, An diuitias bonitatis & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam patientia dei ad pœnitentiam te *Rom.2.* adducit? Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi ipsi iram in die irę. Non ergo quem vult deus indurat, sed qui patienter obtemperare noluerit, induratur. Superfluum ergo est quod dicis tu qui apostolo aduersaris. Quid ergo adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resistit? Voluntati quidem dei certum est quod nullus obsistat, sed voluntatem eius iustam rectámque esse scire nos conuenit. Attende quid dicit. Vt boni enim aut mali simus nostræ voluntatis est: malus autem ad cuiusmodi verbera, & bonos ad cuiusmodi gloriam destinetur, *Rom.6.* voluntatis est dei? O homo tu quis es qui respondeas deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?]

Luc. 20.

H Legimus in euangelio, qui proterue & infideliter requirebant a domino in qua potestate hæc faceret quæ faciebat, & quis ei dedisset hanc potestatem, ne responsione quidem dignos habitos. Similiter quoque & in præsenti loco motum videmus apostolum aduersum insolentes quęstiones, per ea quæ respondet proponentis contumaciam confodisse. Ait enim: O homo tu quis es qui contra respondeas deo? Hoc est enim homo apud deum, quod apud figulum lutum. Et sicut seruus nequam si forte videbitur domino fieri debere aliquod opus, quod rationis & vtilitatis plenum sit, ille autem operari nolens quæ dominus iubet, & discutere incipiat, & requirere à domino, vt quid hoc opus fieri iubes? cui prodest? cur necessarium est? Contumacis ergo quæ erit tam digna responsio, nisi vt dicatur ei: Tu quis es qui contra respondeas domino? ita placet, ita domino videtur. Non puto autem quod si fidelis seruus & prudens interroget, volens intelligere, & admirans sapientiam domini, quod dicatur ei, Tu quis es? Denique *Dan.9.* cum Daniel propheta voluntatem domini desiderasset agnoscere, vnde & vir desideriorum appellatus est, non ei dictum, tu quis es, sed missus est angelus, qui eum de omnibus dispensationibus dei & iudiciis edoceret. Et nos er-

I go si aliquid secreti dei & reconditi desideramus agnoscere, si desideriorum & non contemptionum viri sumus, occultius in diuinis literis inserta dei iudicia fideliter & hu- *Ioan.5.* militer requiramus. Propterea nanque & dominus dicebat: Scrutamini scripturas: sciens hæc non ab his qui in aliis negotiis occupati transitorie vel audiunt, vel legunt, sed his qui recto & simplici corde, longi labore, continuísque vigiliis altius scripturas diuinas scrutantur, aperiri: ex quibus me non esse bene noui. Si quis tamen ut qui ita quærat, inueniet. Verum & nos pro viribus ad ea quæ habentur in manibus conuertamur. Nunquid dicit figulus ei, inquit, qui se finxit. & reliqua vsque ad contume- *Hier.18.* liam. Et apud Hieremiam prophetam tale aliquid legimus, vbi iubetur à deo introire in domum figuli, & videre eum fingentem: vtque vas collapsum de manibus suis recolligens rursum finxit illud secundum voluntatem suam. Et factus est, inquit, sermo domini ad eum dicens, Nunquid ego non possum facere domum Israel sicut figulus *Prou.27.* iste? Et sapientia dicit. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio. Habet ergo noster Deus potestatem sicut & figulus luti, vt faciat ex massa eadem vasa ad honorem, & vasa ad contumeliam. Tibi ergo qui insolenter respondes deo, hæc audisse sufficiat.

Qui verò opera dei sapienter in dispensationibus eius desiderat contueri, audiat in alio loco de his ipsis Paulum diuinorum secretorum conscium disputantem. In domo autem magna non sunt, inquit, tantummodo vasa aurea K & argentea, sed & lignea & fictilia, & alia quidem ad honorem, alia autem ad contumeliam. Si ergo quis emundauerit semeipsum ab his, erit vas ad honorem sanctificatum, & vtile domino ad omne opus bonum paratum.

Audi Paulum in his in quibus non habuit proteruum côtradictorem quomodo vasorum diuersitates aperuit. Nam ibi vbi auditor non erat dignus, sed contradictor erat, sola fictilia vasa commemorat: hic autem & aurea dicit esse, & argentea, & lignea, & fictilia: & alia quidem esse ad honorem, alia verò ad contumeliam.

Similiter & hic memorauit rationem quare alia ad honorem, alia verò ad contumeliam fiant: ibi siluit, hic aperuit. Si enim quis emundauerit semetipsum, inquit, ab his sine dubio peccati sordibus, erit ad honorem vas sanctificatum, & vtile domino ad omne opus bonum paratum. Restat igitur vt qui se non emundauerit, nec per pœnitentiam peccati maculam abluerit, sit vas ad contumeliam. Quod & si auxerit malitiam, & conuerti per duritiam mentis & cor impœnitens omnino contempserit, erit iam non solum vas contumeliæ, sed & vas iræ. Ita ergo rationem quam ibi indigne poscentibus claudit, hic digne desiderantibus pandit: per quam etiam illud quod paulo ante de Iacob & Esau proponit apertius explanatur. Vt enim Iacob esset vas ad honorem sanctificatum, & vtile domino ad omne opus bonum paratum, anima eius emundauerat semetipsam: & videns Deus pu- L ritatem eius, potestatem enim habens ex eadem massa facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam, Iacob quidem qui (vt diximus) emundauit semetipsum, fecit vas ad honorem: Esau verò cuius animam non ita puram nec ita simplicem vidit, ex eadem massa fecit vas ad contumeliam. Vt autem scias quod pro puritate & simplicitate animæ Iacob factus fuerit ad honorem vas, audi *Gen.25.* quale ei diuina scriptura simplicitatis testimonium perhibet. Et erat, inquit, Iacob homo simplex habitans domum. Ideo ergo apostolus dicit de eis: Quia priusquam nascerentur dicitur de eis, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, Quod si volens deus ostendere iram, & notam facere potentiam, sustinet in multa patientia vasa iræ apta ad interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam, quos & vocauit non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam, & *Osea.1.* non dilectam dilectam, & non misericordiam consecutam misericordiam consecutam: & erit in loco vbi dictum est eis, non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui.] Sæpe de incompositis elocutionibus Apo- M stoli de defectibúsque earum commonuimus, quod & in pręsenti loco nihilominus inuenitur. Non enim redditur ad aliquid hoc quod ait in principio capituli. Quod si volens Deus (verbi causa) vt & in aliis ipse dixit, quod si primitiæ sanctę & massa: hic nihil tale reddit, sed quasi vagam coniunctionem istam reliquit: quæ etiam si non assumatur, lucidior absque ea dabitur intellectus. Verbi causa vt ita legamus. Volens deus ostendere iram, & notã facere potentiam suam, sustinet in multa patientia vasa iræ apta in perditionem, vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. In quo hoc videtur intelligi, quia dum sustinet deus & patienter fert incredulos & infideles, notam facit hominibus & patientiam & potentiam suam. Patientiam dum diu sustinet, si forte resipiscant, & conuertantur: Potentiam dum aliquando punit, & flagitia non vsquequaque inulta derelinquit. Et rursum in vasis misericordiæ, hoc est qui semetipsos emundauerunt ab omni sorde peccati, ex qua mundus non est quisquam etiam si vnius diei fuerit vita eius super terram, notas facit diuitias gloriæ suæ: quæ vasa non irrationabili aliqua, aut fortuita gratia, sed cum ex supradictis sordibus se expurgauerant, præparauit in gloriam. Quod autem subiungit, Quos & vocauit, pro eo vt si diceret, sicut nos quos vocauit non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus. Superiora enim quasi de Pharaone qui fuit vas iræ,

& de

A & de filiis Israel qui erant vasa misericordiæ, prosecutus videtur. Hic ergo quod subiungit, Quus & vocauit nos, non sulum ea Iudæis, sed etiam ea gẽtibus, similitudinem videtur assumere: hoc est vt ita dictum videatur: sicut & nos sumus vasa misericordiæ quos vocauit non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus. Hæc quãtum ad ipsius apostolici sermonis ordinem explanationemque verborum pertinet, dicta sint. Nunc breuiter repetentes aliqua etiam de intellectu interiore requiramus. Quumodo ergo deus notã faciet iram suam? Per vasa, inquit, iræ aptata ad perditionem. Obstupesco ego intra memetipsum sancti spiritus consilium in diuinis voluminibus contuens. Nam iram quidem dei quæ est à natura eius extranea, notam fieri hominibus dicit, sicut præsens hic apostoli indicat locus: bonitatem verò eius, & dulcedinem, quod naturæ eius est proprium, abscondi memorat, & occultari, sicus Dauid dicit. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timẽtibus te. Quid ergo causæ dicemus quod deus iram manifestat hominibus, & dulcedinem celat? Scit sine dubio fragile esse hominum genus, & ad lapsum procliue per negligentiam, quibus expediat magis esse sub metu iræ, quàm spe benignitatis dei & dulcedinis relaxari, sicut & sapientia dei dicit. Qui parcit

Prou. 13. baculo, odit filium suum. Si enim percusseris eum virga, non morietur: animam autem eius saluam facit à morte.

B Notam ergo facit potentiã suam deus, dum impios castigat & corripit, vt secundum scripturæ sententiã dum flagellatur pestilens, innocens astutior fiat. Notas autem facit diuitias etiam gloriæ suæ in vasis misericordiæ quæ præparauit in gloriam. Innotescunt diuitiæ dei dum erga eos qui inter homines spernuntur, & humiles sunt, misericordia eius ostẽditur, qui nõ in diuitiis suis, nec in potentia, sed in domino sperant. Sicut tunc Hæbreorum gens desperata inter homines & abiecta, à deo misericordiam cõsecuta est: ita & nunc populus gentiũ qui spernebatur, & desperabatur ab his qui in circuncisione gloriantur, misericordiam consecutus est. Sed illud est quod attius debemus intendere, quia & illi cõsecuti sunt misericordiam & plebs dei appellati sunt, & dilecti dei fuerunt: sed quoniam obseruare acceptam gratiam nescierunt, dicitur ad eos in quibus mœchabatur commemoratio Israel. Di-

Hier. 3. mitteam, dedi ei libellum repudij in manus suas: Et item alibi. Facti estis mihi in saturitatem, iam non dimittam peccata vestra. Et per Hieremiam dominus dicit: Sicut spelunca hyenæ facta est mihi hæreditas mea. Ne forte etiam nos qui non sumus plebs dei, sed per diuitias gloriæ suæ vocauit nos plebem suam, & qui non fuimus dilecti, sed facti sumus dilecti, & filij dei viui, si non vt filij dei & filij lucis ambulemus, si non vt plebs dei ita agamus, vt videntes homines opera nostra bona magnificent patrem nostrum qui in cœlis est, verendũ ne illum sermonẽ incurramus apostoli quo ait: Si enim deus naturalibus ramis non pepercit, nec tibi parcet. Testimoniũ sane hoc quod

C de Osee assumit apostolus, quantum ad locum ipsius prophetæ pertinet, non videtur de gentibus, sed de ipso Israel dici, sed vt in superioribus diximus, ex simili Paulus sumis exemplum, vt ostendat quia sicut illis quondam cum abiecti essent & desperati, dictum est primu, Vos nõ populus meus, & ego non sum vester deus: & addidit post hæc, Et erit in loco in quo dictum est, non mea plebs vos, vocabuntur & ipsi filij dei viui: ita, inquit, & nos quos vocauit non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, qui ante non eramus plebs eius, nunc plebẽ suam vocauit, & non dilectam, dilectã & in loco vbi dictũ est nobis, nõ plebs mea vos, ibi vocabimur filij dei viui. Sed fortassis requirant à nobis hi qui ex circũcisione sunt, & dicẽt. Vbi enim dictũ est ad vos, quia nõ sitis plebs dei vos vt ibi vocemini filij dei viui? asserẽt enim quod deus hæc in Iudæa locutus est: in ipsa enim tantũmodo notus est deus: & nihil hæc ad nos spectent, quia lex ad eos qui in lege sunt loquitur. Immo ego ostendam locum multo digniorem, vbi deum loqui & decuit & possibile fuit: Neque enim consequenter deus loqui in montibus & rupibus, & quibuscunque terrenis locis dicitur, sed in mente hominis loquitur deus, in D sensu rationabili, & in principali cordis. & ibi cum alter si & indignus à deo actus conscientia redarguẽte culpatur, ibi inquam pronũciatur, ibi dicitur ad singulos quosque: quia non plebs mea vos. Si verò emundet se quis ab his & purificet, & pax dei quæ exuperat omnem mentem, cor eius incipiat custodire, ibi hoc est in cordis secreto pacificus effectus, filius dei conscientia astipulante vocabitur. Esaias autem clamat pro Israel. Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient: verbum enim consummans & abbreuians in æquitate.] Posteaquàm per dei sapientiam loquutus Paulus inter perfectos secreta & abscondita diuinæ dispensationis, exposuit & ostendit qua ratione quóue ordine vel iram deus ostendat in vasis iræ, vel diuitias gloriæ suæ in vasis misericordiæ: & docuit quod vas iræ fiat vnusquisque ex eo quod per duritiam suam & cor impœnitens thesaurizat sibi iram: vasa autem misericordiæ sunt hi qui se emundauerunt ab his, & ad omne opus bonum præparauerũt: nunc vt hæc ipsa maiore auctoritate confirmet, etiam in prophetia docet hæc esse scripta. Esaias, inquit, clamat pro Israel Si fuerit Esa. 10. numerus filiorũ Israel tanquã arena maris, reliquiæ saluæ fient. Prouidẽs etenim de futuris propheta videbat quod plurimi ex Israel, & hi maxime qui arenæ maris cõparãtur, per duritiam suam & cor impœnitẽs futuri erant vasa iræ aptata ad perditionẽ, non credẽtes vitæ suæ, sed dominũ maiestatis crucifigentes. Si ergo, inquit, fuerint tanquam E arena maris, reliquiæ saluæ fient. Illi qui non saluãtur, tanquã arena maris sunt: reliquiæ verò quæ saluæ fiẽt, tanquã stellæ cœli sunt. Vtrasq; enim promissiones quæ ad Abra- Gene. 15. ham factæ sunt, cõtinet sermo. Erit, inquit, semẽ tuũ sicut arena maris, & sicut stellæ cœli. & hoc est quod dicit. Verbum enim consummans & abbreuians in æquitate. Quia verbum breuiatum faciet dominus super terram] Verbum breuiatum, vbi multi vocati sunt pauci autem electi. Possumus autem & totius doctrinæ verbum dicere breuiatum, vt quod prius lex & prophetæ continebant in latitudine præceptorum, veniens dominus pronunciaret, & di- Deut. 6. ceret. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, ex totis viribus tuis, & ex tota anima tua, & proximũ tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis pendet omnis lex & prophetæ. In quo euidẽter prophetas & legem duobus sermonibus breuiauit. Potest verbum breuiatũ dici fides symboli quæ credentibus traditur, in qua totius mysterij summa paucis nexa sermonibus continetur. Et sicut prædixit Esaias. Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis se- Esa. 1. men, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similes fuissemus.] Quod semen Esaias à domino dicit derelictum? Illud sine dubio quod idem apostolus exponit in aliis, cum dicit, ad Abraham dictũ esse. Tibi dabo terram hanc, & semini tuo. Non dixit, & seminibus, quasi in multis, sed semini tuo, tãquam in vno quod est Christus. Non ergo est aliud quod dicit Esaias, Nisi dominus reliquisset nobis semen, id est nisi dedisset nobis Christum, vt ex no- F bis nasceretur, sicut Sodoma fuissemus, quantum ad impietatis magnitudinem spectat: nisi quia & grauissimum aliquid apud Israelitas gestum est. Nam Sodomitæ in hospites incesti referuntur & impudici: populus verò Israel in eum sacrilegus extitit, qui cum dominus maiestatis sit, pater eorum & dici voluit & esse. Nisi ergo semẽ istud dominus reliquisset, per quod reliquiæ saluæ fierent, & vasa misericordiæ saluarentur, interisset populus ille vt Sodoma. Et tamen non otiose Esaias semẽ nominauit quod relictum est. Semen namque dicitur quod seminatur in terra, & fructum multiplicem reddit: docens per hæc, etiam Christum seminandum esse, id est sepeliendum in terra, & inde resurgẽtem fructum plurimum totius ecclesiæ multitudinis prolaturum, sicut & ipse dominus dicit: Nisi gra- Ioan. 12. num frumẽti in terram ceciderit, & mortuum fuerit, fructum non affert: si autem mortuum fuerit, fructum plurimum affert. Quid ergo dicemus? quod gentes quæ non sectabantur iustitiam apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ ex fide est.] Videtur fortassis hoc contrarium

G esse vel illis de quibus suprà diximus, quod vnusquisque emundet se & expurget, vt fiat vas vtile, & vas misericordiæ: vel illis quæ in superioribus dissetuimus, quod naturali lege in qua sine dubio est & iustitia, vtantur etiam gentes. Quomodo ergo hic dicit gentes quæ non sectabantur iustitiam comprehendisse iustitiam? Vide ergo si hoc modo possumus respondere, aliud sectari, aliud insectari habere. Sectari dicitur ille qui per doctrinam & lectionem multam assequi aliquid cupit: vnde & à sectando sectæ appellatæ sunt huiusmodi doctrinæ quæ hominum traditione discuntur. Gentes verò quia legem tabulis vel libris sic scriptam non habuerunt, non dicuntur sectatæ esse iustitiam, habuerunt tamen insita quæ lex eos naturalis edocuit. Idcirco ergo prouenit fuerunt iustitiæ ei quæ ex fide est, id est Christo. Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit.] Et hic locus sicut suprà obseruandus. Diximus enim in vno eodemque versiculo diuersę nominari leges. Certum est enim quod Israel sectabatur legem iustitiæ secundum literam, sed in legem non peruenit. Quam legem? Sine dubio spiritus. Neque
H enim hoc diceret apostolus, quia legem quam sectabatur, & quam tenebat & quam habebat, in hanc non peruenerit. Reddit ergo rationem, cur in legem Israel non potuerit peruenire. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.] De fide Christi & operibus legis, abunde in initiis huius epistolæ disseruimus: & ideo ne eadem sæpius iteremus, præsentem locum paucis ipsius apostoli testimonibus explicemus, quibus dicit: Ignorantes enim dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ dei non sunt subiecti: finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Quia ergo legem sectabantur non secundum opera iustitiæ dei, sed secundum opera suæ iustitiæ: idcirco, Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali, & omnis qui crediderit in eũ non confundetur.] Sciendum autem est, quod in Esaia propheta hoc testimonium
Esa.28. ita scriptum sit: Ecce ego mittam in fundamenta Sion lapidem preciosum, electum, angularem, præclarum in fundaméta eius, & qui crediderit in eum non erubescet: Apostolum autem lapidem offensionis & petram scandali, de alio loco ipsius Esaię prophetę huic testimonio inseruisse, in quo ita scriptum est, & non tanquam lapidi offensionis occurretis ei, neque vt lapidi ruinæ: & ex vtroque loco excerpentẽ quæ assertionibus cõmoda videbantur aptasse. Veruntamen dominus Iesus quem plurimis sed salutaribus & bonis nominibus compellari inuenimus, mirum fortasse videatur cur in hoc loco quem de Esaia propheta
I sumpsit apostolus, lapis offensionis & petra scandali nominetur: cum vtique bono domino, & patris bono filio quæcunque salutaria videntur aptanda sint, vt pax iustitia & veritas, & ostium quo intratur ad patrem, & pastor, & leo de tribu Iuda, vel catulus leonis qui excitatur à somno, vel sanctificatio, vel redemptio, & cætera huiusmodi quæ dignationi eius conuenire videantur. Sed vide si possumus etiam lapidẽ offensionis & petram scandali ostendere quatenus ei competenter possit aptari. Offensio & scandalum vnum prope atque idem significant. Scandalum etenim dicitur cum in via obex aliquis inuenitur, qui gressum incedentis vel scandentis impediat. Inde ergo scandalum tractum est. Quia igitur hi qui erant in Sion vias non bonas incedentes, iter perditionis concito pede currebant, malis suis fauentes inuicem, sicut propheta dicit, quia laudatur peccator & qui iniqua gerit benedicetur, veniens ergo dominus & saluator noster, arguere cœpit vias eorum & dicere: Væ vobis scribæ & Pharisæi: & iterum, Væ
Matt.23. vobis diuitibus. & iterum, Væ tibi Hierusalẽ, quæ occidis
Luc.6. prophetas, & lapidas missos ad te. Sed & multa his similia dicens, & arguẽs eos, impedire cœpit vias perditionis eorum, & effectus est eis lapis offensionis & petra scandali, non sinens eos ingredi viam latam quæ ducit ad mortem. Sic denique & in Osee propheta scriptum est de his qui peccati iter incedũt. Propter hoc, inquit, ecce ego sepiam viam eius spinis, & obstruam viam eius, & semitam suam non inueniet. Ponamus ergo iterum, si videtur, in medio K
ipsum Paulum, qui acceptis quondam epistolis à sacerdo- *Act.9.*
tibus, Damascum pergebat vt omnes viros ac mulieres Christo credentes vinctos perduceret Hierusalem. Cum autem ageret istud iter peccati, occurrit ei dominus Iesus in via, & ad tempus eum cæcitate percussit: & factus est illi, quantum ad ipsum propositum spectat quo illuc pergebat, lapis offensionis & petra scandali, vt illud iter peccati quod tenebat, explere non posset. Sed conuersus credidit ei qui viam suam excluserat, & quibusdam sentibus comminationis obstruxerat, & credens in eum non erubescet.

LIBER VIII. CAPVT X.



FRATRES, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio apud Deum fit pro illis in salutem. Et reliqua, vsque non sunt subiecti.] Et ex initio & pręcedente textu epistolę diximus Paulum nunc pro gentibus, nunc etiam pro Israel facere sermonem. Quia ergo in his quæ nuper L
exposita sunt, multis testimoniis aduersum Israel vsus est prophetarum, ita vt proferret de Esaia, Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similes fuissemus: & iterum, Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluę fient: & hic addit quia Israel sectans legem iustitię in legem iustitię non peruenit: propterea nunc consolari rursus populum suum volens, & per hoc inuitare ad fidem, dicit: Fratres, voluntas quidem cordis mei & obsecratio apud Deum fit pro illis ad salutem. Et causam cur voluntas sua, & obsecratio pro illis habeatur, ostendit dicens Testimonium perhibeo illis quod æmulationem quidem Dei habeant, sed non secundum scientiam.] Quamuis, inquit, tot & tantis inuoluti sint peccatorum suorum malis, tamen ineffabilis zelus & æmulatio dei, hæc me commouit causa, vt obsecratio fieret pro ipsis ad deum, vt vel in fine aliquando perueniant ad salutem. Habent enim zelum Dei, sed non secundum scientiam. Et probat quomodo non secundum scientiam zelum Dei habent, dicens. Ignorantes enim dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.] Non multum ergo prodest habere zelum Dei, & non habere scientiam dei. Denique Iudęi putantes zelum se dei habere, sacrilegi exstiterunt in filium M
dei: qui non secundum scientiam zelati sunt sicut Phinees filius Eleazari, qui secundum scientiam zelatus interemit Madianitidem pariter & Israelitam fornicantem *Num.25.*
cum ea: & sicut Helias qui dixit, Zelans zelatus sum *3.Reg.19.*
omnipotenti deo Israel quia dereliquerunt pactum domini filij Israel, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua subuerterunt: & sicut Mathathias, de quo in primo *1.Mac.2.*
libro Machabæorum scriptum est, quia zelatus est in lege dei, & intremuerunt renes eius, & ascendit furor eius secundum iudicium. Horum omnium zelus & æmulatio secundum scientiam fuit. Iudęorum verò zelus non erat secundum scientiam, idcirco quia ignorantes dei iustitiam propriam conabantur, id est quę hominibus iustitia videbatur, implere: cum vtique ipsos magis iustitię dei qui est Christus, conueniret obedire. Sed vide nunc ne forte non illis solis dici sermo iste videatur, qui zelum dei habent, sed non secundum scientiam. Similiter enim potest dicere apostolus & de aliis, quia testimonium perhibeo eis quod timorem dei habeant, sed non secundum scientiam: & de aliis qui charitatem dei habent, sed non secundum scientiam. Si enim habeat quis affectum erga deum, ignorat autem quia charitas patiens est, debet esse benigna, non inuidens, non perperam agens, non inflata, non ambitiosa, non quęrens quę sua sunt: hęc & his

A his similia si in charitate non habeat, sed in solo affectu diligat Deum, competenter & ad ipsum dicetur quia charitatem Dei habet, sed non secundum scientiam. Similiter autem dici potest & de alio, quia fidem Dei habet, sed non secundum scientiam, si ignoret quia fides sine operibus mortua est: & quia fides Dei non in solis verbis est, quæ interdum ab alio composita vel scripta discuntur, sed in affectu mentis. Talem quondam habuit illa quæ dixit, Si tetigero fimbriam vestimenti eius salua ero. Si quis ergo non ita habeat fidem vt ea actibus suis bonis cui credit ostendat, potest & ad ipsum dici quia fidem Dei habet, sed non secundum scientiam. *Mat. 9.* Potest & de alio dici quia charitatem Dei habet sed non secundum scientiam: quippe si ab hominibus laudari vult. Et alius abstinens dici potest, sed non secundũ scientiã, si propterea ieiunat vt hominibus placeat. Et sic per singula quæque quę gerimus, nisi scientiam, & intellectum geramus, potest ad nos dici, quia habemus zelum boni operis, sed non secundum scientiam. Et ideo danda est præcipue opera scientiæ, ne res nobis infęliciter accidat, vt in fide positi frustremur à fide, zelum habentes bonorum decidamus à bonis. Vis autem scire quia potest qui scientiam non habet euanescere in fide? Audi ipsum Paulum quibusdam dicentem: Nisi sine causa credidistis. Accidit ergo sine causa

B credidisse his qui sciẽtiæ operam non dant, vt in eo quod crediderunt etiam intellectum veritatis accipiant. Denique & apostoli hanc esse differentiam fidei simpliciter traditæ, & fidei quæ est secundum scientiam peruidentes, dicebant ad saluatorem, Auge nobis fidem: hoc est, vt habentes eam fidem quæ non est secundum scientiam, habeamus eam quæ est secundum scientiam. *Luc. 17.* Intantum Iudæis testimonium perhibet Paulus, quod æmulationem Dei habeant, licet non secundum scientiam: tamen quia vtcunque habent æmulationem Dei, causam dederunt apostolo qua obsecrationem pro illis offerret Deo. *Matt. 13.* Melius enim est habere zelum Dei, licet non secundum scientiam, quàm penitus non habere. Qui enim habet, sicut scriptum est, dabitur ei vel in nouissimis cum omnis Israel saluus fit. Qui autem non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Moyses enim scribit, quia iustitiam quæ ex lege est qui fecerit homo viuet in ea. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere. Aut quis ascendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis reuocare. Sed quid dicit scriptura?] Finis enim legis Christus, hoc est perfectio legis, & iustitia Christus est, sed credentibus. Non credentes verò qui non habent Christum, perfectionem non habent legis, & idcirco nec ad iustitiam poterunt

C peruenire. Moyses enim scribit, quia iustitiam quæ ex lege est qui fecerit homo viuet in ea. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit. Iam & in superioribus apostolus duarum iustitiarum fecerat mentionem, vbi dicit, quia ignorans dei iustitiam, suam iustitiam statuere quærebat Israel: & hic nunc duas iterum iustitias dicit, vnam quæ ex lege est, & aliam quæ ex fide est. Sed mihi videtur quod illa quam superius dixit ignorari ab Israel dei iustitiam, ipsa sit iustitia hæc quę ex fide est: illa verò de qua dicit. Suam iustitiam volentes statuere, ipsa sit de qua & hic Moysi verbis insinuat, quia iustitiam quæ ex lege est qui fecerit homo viuet in ea. Sed vide iustitiarum differentiam pariter & vitarum. *Ioan. 17.* Illa enim iustitia Dei, id est Christus qui factus est nobis iustitia à Deo, & pax, vide quomodo dicit: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscãt te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Hæc ergo iustitia non tantum vitam præbet, sed æternam vitam. Illa verò legis iustitia quam qui fecerit homo non dixit in æternum, sed tantummodo viuet in ea: quod finis legis (vt apostolus dicit) Christus est, nec ipsa quæ ex lege est iustitia, sine Christo adimpleri poterit, quia finem legis non suscipit Christum. Hęc ergo quę ex fide est iustitia, quæ est Christus, tãquam viuens & subsistens hæc (inquit) dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cœlum? hoc est Christum deducere: Aut quis descendit in abyssum? hoc est Christum à mortuis reuocare.

D Nec mireris quod cum Christus ipse sit iustitia, quasi de alio ita de se hæc dicere videatur. In multis enim locis inuenies saluatorem quasi de alio ita de se loqui: vt in euangelio dicit, Et statuet oues à dextris, hædos autem à sinistris: & dicet his qui a dextris sunt, & iterum qui à sinistris suoi ea quæ scripta sunt. Quod ergo ait, Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cœlum, aut quis descendit in abyssum, exceptis his quæ media interserit, hoc est Christum deducere, vel à mortuis reducere: & prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, ex Deuteronomio videtur assumptum, vbi hoc modo scriptum est. *Deut. 30.* Mandatum hoc quod ego mando tibi hodie, non est supereaaltatum à te, neque longè à te. Non est in cœlo vt dicas: Quis ascendet nobis in cœlum & accipiet nobis illud, vt audientes faciamus illud? Neq; trans mare est vt dicas: Quis transibit nobis trans mare, & accipiet illud, vt audientes faciamus illud? Iuxta te est verbum valde in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis vt facias illud. Cum ergo hæc à Deuteronomio assumpta sint, & apostolus scribat, quia iustitia quæ ex fide est ipsa hæc dicit, quæ est Christus, ordine pro quæ in Deuteronomio dicuntur apostolus à Christo dicta esse pronunciat. Ipse est ergo qui dicit: Mandatum hoc, quod ego do vobis hodie, non est superexaltatum, neque longe. &

E cætera quæ sequuntur. Quid ergo est quod per hoc apostolus docet? Ne scilicet dicamus in corde nostro, & putemus quod Christus in aliquo loco continetur, & non vbique est, ac per omnia ipse diffunditur: quippe qui cum esset in terris, dicebat quia esset & in cœlo. Sic enim loquebatur ad apostolos suos: Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo. *Ioan. 3.* Et rursum ne putemus eum esse in cœlo tantummodo, vacare autem eius præsentia abyssum, ideo iustitia quæ ex fide est dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cœlum? Et quasi hoc simile sit dicenti, Christum deducere de cœlo, ita addidit apostolus, hoc est Christum deducere. Et rursum si quis mente & cogitatione descendat in abyssum, putans ibi tantum contineri Christum, quasi simile sit Christum reuocare à mortuis, ita subiungit, hoc est reducere Christum à mortuis. Sed ita (inquit) debes sentire de Christo, tanquam de verbo, & veritate, & sapientia, & iustitia Dei. Hæc autem omnia non in loco quæruntur, sed vbique adsunt, neque ab inferni locis euocantur, sed mente sola intellectúque capiuntur. Tanquam verbum ergo & sapientia. Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo, & hoc est verbum fidei quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo quod deus suscitauit eum à mortuis, saluus erit. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.]

F Debemus etiam hoc scire, quod aliud est possibilitatem esse in aliquo, aliud efficaciam vel efficientiam, quod Græci endelechiam & energiam vocant. verbi causa, paruulus nuper natus possibilitate rationabilis homo est, potest enim esse rationabilis si adoleuerit: & possibilitate etiam faber & gubernator & grammaticus dicitur: possibile enim est vt horum aliquid sit. Efficacia verò vel efficientia, hoc est re ipsa atque effectu, nihil eorum est dum est paruulus: sed si cœperit vel rationis iã capax esse, vel aliquid fabrilis artis, aut cuiuslibet alterius efficere, tunc iam efficacia rationabilis, dicitur, vel faber, vel si quid aliud est quod effectu operis agit. Hoc ergo modo etiam Christus, qui est verbum Dei, possibilitate quidẽ iuxta nos, hoc est, iuxta omnem hominem esse credendus est tanquam ratio paruulis. Efficacia verò in me esse dicitur, cum in ore meo confessus fuero dominum Iesum, & in corde meo credidero quod deus illum suscitauit à mortuis. Vis autem scire quia adest vbique, & medius est etiam eorum qui ignorant eum, & non confitentur? Audi quomodo Ioannes Baptista de eo hæc ipsa testatur. Medius vestrum stat quem vos nescitis, qui post me venit. Est ergo medius etiam inter eos qui eum nesciunt, sed possibilitate eis medius est non efficacia. *Ioan. 1.* Possunt enim eum

G capere, sed nondum capiunt. Efficacia verò vel efficientia est inter illos medius quibus dicebat: Vbicunque fuerint congregati duo vel tres in nomine meo, in medio eorum Mat. 18 sum. Isti enim confitebantur in ore suo dominum Iesum, & credebant in corde suo quod deus illũ suscitauit à mortuis. Alioquin absurdũ, si & inter eos qui in nomine eius congregantur, medius esse dicitur, & inter eos qui eum nesciunt, nisi huiusmodi differentia teneatur, quod inter ignorantes & nondum credentes possibilitate medius dicitur, inter credentes verò efficacia, id est rei ipsius & operis effectu. Verum & illud obserua quod ait: Quia si confitearis in ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo quod deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris. Videbitur enim quibusdam per hæc, quia etiamsi desint alicui boni operis priuilegia, etiam si virtutibus operam non dederit, hoc ipso tamen quod credidit, non pereat, sed saluetur, & habeat salutem etiam si beatitudinis gloriam habere nõ potuerit. Sed vide ne magis illud intelligi debeat, quod qui vero & non falso confitetur ore dominum Iesum, & corde credit, pariter cõfiteatur sed dominatui subiectum esse sapientiæ, iustitiæ, & veritatis, & omnibus quæ Christus est: nec sibi vltra esse dominum mammonam, id est neque auaritiam vltra, neque iniustitiam, ne-
H que impudicitiã neque mẽdacium dominari. Semel enim dominum Iesum Christum confessus nulli horum se seruire profitetur. Sed & credens in corde suo quòd deus eum suscitauit à mortuis, certum est quia suscitauit eum ad iustificationem sui. Alioquin quid prodeerit scire me & credere quod Iesum suscitauit deus a mortuis, si in me ipso non habeam eum suscitatum? Ergo si non in nouitate vitæ ambulo, & vetustatis peccandi consuetudinẽ fugio, nõdum mihi Christus surrexit à mortuis. Ad hunc autem sensum etiam ea conueniunt quæ sequuntur quando ait. Dicit enim scriptura, quia omnis qui credit in eum non confundetur.] Hoc autẽ apud Esaiam scriptum est. Quod si omnis qui credit in eum non erubescit: erubescit autem omnis qui peccat, sicut Adã peccauit & erubuit, & abscõdit se: qui adhuc ruborem peccati incurrit, credere non videtur.

Non enim est distinctio Iudæi & Græci. Idem enim ipse dominus omnium diues in omnes qui inuocant eum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomẽ domini saluus erit.] Quomodo non sit distinctio in fide Iudæi & Græci, suprà iam frequenter ostendimus. Quod autem idem sit dominus omnium, secũdum hæc accipies quæ nuper edidimus, hoc est si iustitia nobis & veritas & sanctificatio & sapientia, quod totum est Christus dominus, domine-
I tur. Hæc sunt eius diuitiæ, vtpote in quo thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi. Quas tamen diuitias non dixit largiri eum omnibus hominibus, sed omnibus quicunque inuocauerint nomẽ eius. Sed & in hoc similis videtur quæstio vt in prioribus oboriri. Neque enim omnes quicunque inuocauerint nomen eius salui esse possunt, Prouer. 1. etiam si non egerint opera inuocati nominis digna, maxime cum & sapiẽtia dei in prouerbiis dicat, Erit enim tempus cum inuocabitis me, ego autem non exaudiam vos. In quo videtur mihi sapientia coarctare & perurgere eos qui saluari volunt, vt citius inuocent sapientiam neque morentur, neque differant: ne forte cum statutum tempus acceptabiléque præterierit, in quo pœnitendi facultas est, tarde hi post hæc inuocent vbi pœnitentiæ locus non est: & tunc dicit quia inuocabitis me, & ego non exaudiam Ioel. 3. vos. Sermo tamen hic quem ponit apostolus, id est: Quicunque inuocauerit nomen domini saluus erit, apud Ioel prophetam hoc modo scriptus est: Et dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinẽ & ignem & vaporẽ fumi: Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem antequam veniat dies domini magnus & nobilis, & omnis quicunque inuocauerit nomen domini saluus erit. Videtur mihi tamen grande aliquid in scripturis diuinis sub hoc inuocationis nomine designari, non de Gen. 4. qualibuscunque viris, sed ingentibus & præcipuis. Scribitur quia Enos prius sperauit inuocare nomen domini. &

in psalmis: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Sa- K muel inter eos qui inuocant nomen eius. & reliqua vsque Loquebatur ad eos. Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo verò audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt nisi mittantur? Sicut scriptum est, Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Manifeste apparet in his per hoc quod dicit, Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? Illud quod superius posuit de propheta dictum, quia omnis quicunque inuocauerit nomen domini saluus erit. Subiungit: Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? Christo enim Iudæi non crediderunt, ideo nec inuocant eum cui non crediderunt. Sed & in principio epistolæ quam ad Corinthios scribit, vbi dicit: Cũ omnibus qui inuocant nomen domini Iesu Christi in omni lo- 1. Cor. 1. co ipsorum & nostro: eum cuius nomen inuocatur deum, Iesum Christum esse pronunciat. Si ergo Enos, & Moyses, & Aaron, & Samuel inuocabant dominum, & ipse exaudiebat eos, sine dubio Christum Iesum dominum inuocabant: & si inuocare domini nomen, & adorare deũ, vnum atque idem est, sicut inuocatur Christus, & adorandus est Christus, & sicut offerimus deo patri primo omnium orationes, ita & domino Iesu Christo: & sicut offerimus postulationes patri, ita offerimus postulationes & filio: L & sicut offerimus gratiarum actiones deo, ita gratias offerimus saluatori. Vnum namque vtrique honorem deferendum, id est deo patri & filio, diuinus docet sermo cum dicit, vt honorificent filium sicut honorificant patrem. Quod autem de epistola ad Corinthios proposuimus, vbi apostolus primo quidem dicit de ecclesia dei quæ est Corinthi, Sãctificatis in Christo Iesu vocatis sanctis: & post hæc quasi alterius gradus & alterius ordinis, ita subiungit quosdam, de quibus dicit: Cum vniuersis qui inuocant nomen domini Iesu Christi in omni loco ipsorum & nostro: videbitur fortassis habere aliquid differentiæ, quod illos quidem ecclesiam dei nominat, & sanctificatos, & vocatos sanctos: istos autem tantum quia inuocant nomen domini nostri Iesu Christi. Et vide ne forte ista diuersitas tale aliquid ostendat, quale & præsens videtur habere capitulum, in quo docet non posse inuocare nomen domini, nisi prius credatur in Christum. Cum autem crediderit quis Christo, etiam si nondum sanctificatus sit, & ecclesiæ corpori sociatus, tamen necesse est vt iam inuocet eum cui credidit. Christus enim venit mundum reconciliare deo, & credentes sibi offerre patri. Quos autem offert patri, spiritus suscipit, vt sanctificet eos, tanquam cœlestis ecclesiæ primitiuorum membra viuificet, M atque in soliditatem totius corporis perfectionémque restituat, vt ita demum ecclesia dei non habens maculam aut rugam appellari mereantur. Prius ergo quàm ad gradum istius perfectionis accedant, tanquam mediatoris dei & hominum inuocent nomen domini nostri Iesu Christi. Postea verò quàm spiritus dei fuerit in corde eorum clamans abba pater, ipse spiritus etiam eos nomẽ patris edocet inuocare. Ideo ergo quomodo (inquit) inuocabunt in quem non crediderunt? & in hoc arctissima eos conclusione constringit. Salus (inquit) non est nisi inuocanti, nemo verò inuocat qui non credit. Ergo quia non creditis non inuocatis, quia non inuocatis nõ saluamini. Sed quomodo credent ei quem non audierunt? Quod non audierunt possumus sic intelligere, quia vel ipsum in carne positum, vel apostolos prædicantes de eo audire noluerunt. Sic enim & ipse dominus dicit, Qui vos audit, me audit, Luc. 10. & qui vos spernit, me spernit. Potest autem & hoc intelligi, quod etiam nunc & semper Christus tãquam verbum & ratio vnicuiq; loquatur in corde, & de pietate doceat, de iustitia suadeat, de castitate, de pudicitia, & de omnibus simul virtutibus protestetur, sicut & ipse dicit, Oues meę vocem meam audient. Sic denique & in corde Pauli Ioan 10. loquebatur, ita vt & ille diceret: An experimentum quęritis eius qui in me loquitur Christus? Sequitur, Quomo- 2. Cor. 3. do audient sine prędicante? In hoc magis prędicantium

sermo

A sermonem Christum ostendit audire, in quibus secundum ea quæ suprà diximus, Christus loqui & doecre monstratur. Quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur? Difficultas mihi quædam in hoc sermone videtur exurgere. Si enim ita intelligimus, quod propterea non prædicēt quia non mittantur, nullo autem prædicante non audient, non credentes autem non inuocabunt, non inuocantes non saluabuntur: colligi un ex his, vt causa qua non sunt saluati, ad vitium redeat auctoris, qui non miserit prędicantes. Sed magis ad illum nos qui rectiorem intelligētiæ tramitem continet, deflectamus: & quod dixit, Quomodo prædicabunt nisi mittātor, sic accipiamus quasi dicat apostolus. Nos præcones & prædicatores Christi non possemus prędicare, nec annunciandi nobis virtus vlla subsisteret, nisi adesset nobis ipse qui misit. Quod si prædicantibus nobis audire non vultis, vestra iam culpa est, & si audientes non creditis, & noo credentes non inuocatis, & non inuocantes salui esse nequitis. Quia ergo missi sunt ad prædicationem, idcirco de his qui ab ipso missi sunt scriptum est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Quòd pedes hic speciosos non corporales, sed spiritales dicat, puto quòd quamuis amicus sit quis literæ, negare non possit. Neq; enim in id ridiculi deducet apostolicum sensum, vt euangelistarum pedes quòd corporeis oculis videri possint, putem ab eo de-

B coros dici & speciosos. Sed illi sunt decori & speciosi pedes qui ambulant per viam vitæ, secundum illum qui

Ioan. 14. dixit, Ego sum via. Intellige decoros & speciosos euangelizantium pedes qui per talem viam merentur incedere. Isti sunt ergo pedes quibus & Paulus cucurrisse cursum se dixit, sed sic cucurrisse vt comprehendat, id est animo quo tenditur & properatur ad cœlum. Gratifice autem pedes istos esse firmauit, quos Iesus discipulis lauat, & linteo quo præcinctus est tergit. Et quamuis corporaliter specie fuerit impletum, tamen Petro hoc solum quod fieri videbat non intelligenti, & quasi honoris causa ne sibi seruo pedes lauaret dominus recusanti, audi quàm profundi mysterij proditor sermo. Si te (inquit) non lauero, non habebis partem mecum. Et iterum aliam similē huic

Ioan. 13. vocem tanquam de se credentis scientiæ profert thesaurus, & dicit: Quod ego feci vobis, nescitis modo, scietis autem postea. & addidit: Quia si ego dominus & magister laui vestros pedes, & vos lauate pedes alterutrum. Exemplum enim dedi vobis. Videamus ergo quod sit istud exēplum, quo magistri discipulorum lauare debeant pedes, aut de qua aqua lauare. Si quis inueniat aquam viuam, & si quis accipiat bibere à Iesu, & aqua illa fiat in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, iste de hac aqua doctrinæ spiritalis potest lauare pedes discipulorum, & omnes ex a-

C nimo ipsorum immundirias sordesque diluere, & hoc faciens datum à magistro implebit exemplum. Speciosi ergo sunt pedes euangelizantium bona. De istis vt puto etiam pedibus in Canticis canticorum sponsa dicit ad ver-

Cant. 5. bum dei: Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Et de ipsis nihilominus dicitur: Tibiæ tuæ sicut columnæ marmoreæ cum basibus argenteis. Et fortassis quia hæc pulchritudo est in pedibus euangelistarum, propterea non vult eos dominus Iesus calceamentis operiri, & occultare speciem pulchram, sed præcepit eis neque calceamentum habere in via. Quæ autem bona sunt quæ euangelizant, hoc est quæ annunciant videamus. Quamuis hoc ipsum quod dicit euangelizare, interpretetur bonum annunciare, quæ sunt tamen bona quæ bonis addidit, requiramus. Vnum & verum bonum est deus, cuius imago bonitatis eius est filius, & spiritus eius, qui dicitur bonus. Istud ergo vnum bonum, quia in deo patre & filio & spiritu sancto est, bona nominauit: hoc est enim quod annūciant euangelistæ, secundum præceptum domini & saluatoris nostri dicentis: Ite, docete omnes gentes, baptizan-

Mat. 28. tes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Hęc sunt ergo euangelizantium bona. Sed quoniam & ipse bonus nuncius dicitur, & annunciare de bonis, illa sit ratio quod non solum bona nunciant, sed & bene bona nunciant. Sunt enim nonnulli qui annunciant quidem & D prædicant de patre, & filio, & spiritu sancto non syncere, non integre: vt sunt omnes hæretici, qui patrem quidem & filium, & spiritum sanctum annunciant, sed non bene, non fideliter annunciant. Aut enim male separant filium à patre, vt alterius naturæ patrem, alterius filium dicant: aut male confundunt, vt ex tribus compositum deum, vel trinæ tantummodo appellationis in eo esse vocabulum putent. Qui autem bene annunciat bona, proprietates quidem patri, & filio, & spiritui sancto suas cuique dabit, nihil autem diuersitatis esse confitebitur in natura vel in substantia. Qui ergo ita annunciant euangelium non solum bona annunciant, sed bene & integre annunciant bona. Exemplum verò de Esaia videtur assumptum, sed ibi propheta ad ipsum dominum euangelizandi officium retulit: ita enim ait, Quoniam ipse qui loquebar adsum, tanquam ora in montibus, vt pedes euangelizan- Esa. 52. tium auditum pacis, vt euangelizans bona. Verum videtur mihi Paulus, quia propheta dixerat vt pedes euangelizantium auditum pacis, vt euangelizans bona: & hoc quasi ex alterius comparatione memorasse: velut si diceret, ita adeo vt homo qui euangelizat pacem, & euangelizat bona. Hoc autem faciunt apostoli, idcirco de semetipsis hoc dictum, hoc est de apostolis, accepisse, ad quorum comparationem futurum & euangelizaturum bona per prophetas dixerat Christus. Sed non omnes obediunt E euangelio. Esaias enim dicit.] Neque enim omnes ex gentibus euangelio crediderunt, neque omnes ex Israel. Plures tamen & multo plures ex gentibus quàm ex Israel. Quod ergo ait apostolus quia Esaias dixerit:

Domine quis credidit auditui nostro?] Quis pro raro dictum est: & obseruare debemus quod sermo hic in scripturis interdum pro raro, interdum omnino pro nullo ponitur. verbi gratia, vt cum dicit, Quis sapiens, & intelliget hæc? Quis ascendet in montem domini? & quis Osea. 14. est homo qui vult vitam: in his omnibus rarum quemque Psal. 15. significat. Vbi verò dicit, Quis ascendit in cœlum, hoc est Christum deducere, vel quis descendit in abyssum, hoc est à mortuis reducere: hic quis nullus intelligitur. Nullus est enim qui ascendit in cœlum Christum inde deducere. Nunc ergo, Domine quis credidit auditui nostro, quod dicit Esaias, rarum quemque significat. Scire nos tamen conuenit, quod domine quis credidit auditui nostro, in Hebræis exemplaribus domine non habetur, sed iuxta interpretationem LXX seniorum: sic & apostolus hoc probans quod apud illos est, posuit domine. Videtur tamen Esaias hæc ex persona apostolorum prophetare, quibus creditum fuerat prædicationis officium: & ipsi cum raritatem credentium præcipue de populo Israel vident, ad dominum dicunt: Domine, quis credidit auditui nostro? Sicut & illud ex persona illorum dicitur. Quia annūciamus sicut puer ante ipsum, sicut radix in ter- F ra sitienti. Et ipsi sunt nihilominus qui dicunt velut cum ipso positi & videntes eum in habitu humano, quia vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem, & reliqua. Sed & si ad personas ipsorum prophetarum referātur hæc verba, quasi qui apud dominum conquerantur, quod iis qui de Christo prophetauerint, nemo aut admodum pauci ex populo crediderint, non videbitur alienum. Aut non est putandum, quia Moyses dicat ad dominum, Domine, nemo credidit auditui meo, Si enim credidissent literis meis, credidissent vtique & Christo: de ipso enim ego scripsi. Ergo fides ex auditu. Auditus autem per verbum Christi.] Hic verbum Christi prædicationem de Christo significat. Neque enim illi soli crediderunt qui verbum ab ipso domino loquente audierunt, sed multo plures sunt, qui aliis eum prædicantibus audierunt, sicut & ipse dominus prædixerat, loquens ad Thomam. Quia vidisti me (inquit) credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt. Omne ergo verbum quod apostolus, & si qui alij ab ipso accepta gratia de Christo prædicauerunt, verbum Ioan. 20. Christi esse pronunciat.

Sed & in ecclesia si quis sapientiam quæ ex Deo est, &

G veritatem Dei loquatur, si quis viam dei quæ Christus est doceat, & iustitiam eius exponat, sine dubio quod loquitur verbum Christi est. Sed dico. Nunquid non audierunt? Equidem, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.] Hoc de psalmo decimooctauo assumitur, vbi ait. Nó sunt loquelæ neque sermones, quibus non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In quo pro linguarum varietate & sermonum gentes sine dubio intelliguntur: & dicitur quia apostolorum Christi in omnem quidem terram sonus exierit: in fines verò orbis terræ non sonus, sed verba peruenerint. Quod ita intelligi potest, quia terram imperitos quosque & indocibiles homines dicat, ad quos non verba, in quibus ratio fidei continetur, & explanatio sapientiæ, sed sonus fidei communi & simplici prædicatione peruenerit: Finem verò orbis terrarum eruditiores quosque & prudentiores appellauerit. Finis enim perfectionem indicat rerum. Ad hos ergo tales non sonum vocis, sed verba & rationem peruenisse pronunciat, quia vtique audientes sermonem fidei etiam scrutari possunt & perquirere scripturas diuinas, vt cognoscant eorum verborum quæ eis per apostolos annunciata sunt veritatem. Et hanc esse in his differentiam sciens apostolus, id est in sono & verbis, quodam loco ita dicit, Et sermo meus & prædicatio mea non sunt in

1.Cor.2. suasoriis sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis:

H vt ostenderet verbum quidem esse quo per virtutem spiritus sapientia dei lucidius explanatur: prædicationem verò hanc esse, propheta de qua dicit, quia in omnem terram exiit sonus eorum: in qua scilicet simplex annunciatio fidei, & simplicioribus quibusque sufficiens. Sed & alibi de semetipso dicit, quia sit prædicator, & apostolus, & magister gentium. In quo apostolus quidem generalis iudicat nomen officij, qui non solum prædicet, sed & doceat.

Ibid. Prædicet quidem simplicem fidem, vt illis quibus ait, Nihil enim aliud iudicaui me scire inter vos nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Doceat verò eos quibus dicebat, Sapientiam autem loquimur inter perfectos. In quibus ostenditur quod illis quidem sonum prædicationis intulit, his verò sapientiam dei per verba disseruit. Sed dico. Nunquid Israel non cognouit? Primus Moyses dixit. Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam.] Videtur ea quæ superius dixit, de gentibus prolocutus, nunc verò vt sibi moris est etiam de Israel subiungere, & vult quod inexcusabilis sit Israel testibus idoneis comprobare. Ipse (inquit) Moyses dicit ex persona dei: Ego ad æmulationem vos ad-

Deut.32. ducam in non gentem: de Christianis sine dubio dicens, qui à deo ad æmulationem prioris populi increduli & contemptoris assumpti sunt. Sed videatur fortassis gen-

I tem à deo fidei merito & deuotionis electam, Moyses iniuriosius compellasse, cum dicit, in non gentem, ita nihili ducere, vt nec gentem eam appellare dignetur, aut & si appellet, insipientes nominare. Sed non est iniuriosus Moyses, vtpote amicus dei, erga electos eius: nec cõtumelia videbitur in sermone, si ratio sermonis appareat. Vnaquęque gens verbi causa, Ægyptiorum, aut Syrorum, aut Moabitarum pro eo quod propriis terminis, & lingua, & habitu, & moribus atque institutis discernitur, gens illa vel illa appellatur: & neque Syri, Ægyptij aliquando dicuntur: neque Moabitæ, Idumæi appellantur, aut Arabes Scythæ. Christiani verò non est vna gens, sed ex omnibus gentibus vnus populus: & ideo Moyses pro summo honore non gẽtem eam nominauit, quia non erat vna gens, sed ita dici potest, omnium gentium gẽtes. Verum excludi videbimur in his quæ subsequuntur, vbi dicit, In gentem insensatam, in iram vos inducam: quod & gentem eam, & insipientem nominauerit. Verum ne in hoc quidem famulus domini Moyses contumeliam facit populo dei, sed præuidebat in spiritu, quod si quis vult sapiens esse, in hoc mundo insipiens fieri debet, vt sit sapiens apud deum: & quia non cognouit mundus per sapientiã deum, placuit deo per stultitiam prædicationis saluos facere cre-

dentes, quia per prædicationem crucis Christi, quæ est K stultitia gentibus, congregabitur populus qui fiat in hoc mundo stultus, vt sit sapiens apud deum. Irascantur ergo Iudæi quod ipsis excusantibus & refutantibus, ad conuiuium regis inuitatæ sunt gentes, non aspicientes ad ea quæ dudum de hoc mysterio. Esaias autem audet & dicit: Esa.65.

Inuentus sum à non quærentibus me palam apparui his qui me nõ interrogabant. Ad Israel autẽ quid dicit? Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.] Sicut in superioribus sæpe ostendimus apostolum Paulum nunc de gentibus, nunc de Israel facere sermonem, nec tamen euidenter & palàm in mutationem declinare personæ: ita & Esaias in his sermonibus facit, quos ad exemplum apostolus protulit: & primas quidem partes, id est Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui inter illos qui non interrogabant me, sine dubio de gentibus dicit: & vbi ille personam latenter immutat, apostolus euidentem distinctionem sermonibus suis dedit in eo quod addidit: Ad Israel autem quid dicit? Et superiora quidem ad gentes, sequentia verò exponit ad Israel esse referenda, in quibus ait. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem. Sed primo omnium quod ait, Esaias audet & dicit, videamus. Quid audet? vel quæ hæc prophetæ audacia? Si intendamus verbis beati Stephani dicentis, Quẽ enim prophetarum non persecuti sunt patres vestri, qui annun- Act.7.

ciabãt de aduẽtu iusti: tunc Esaiæ intelligimus audaciam, L qui persecutionibus & morte proposita ausus est tamen de aduentu iusti prædicare, & pro bono audet etiam mori. In quo tamen simul & illud ostenditur, quia non vt aliqui putant, prophetæ nesciebant quid dicerent, & quasi alienato sensu suo prophetabant. Quod enim dicit apostolus de Esaia, quia audet & dicit, hoc indicat quia mortem contemnens & persecutiones quæ inferebantur, quamuis sciret sibi imminere periculum, audet tamen & prædicat verbum dei: sicut & ipse Paulus dicebat, Scio quia Act.20.

vincula & carceres manent me Hierosolymis, sed ego non facio chariorem animam meam mihi. Si ergo & Esaias sciebat quidem secandum se esse & interficiẽdum ab impiis, audet tamen, & ex persona Christi, dicit Inuẽtus sum a non quærentibus me: certum est quod gentes erant quæ Christum nec quærere nouerant, nec de eo interrogare didicerant, inuenerunt tamen quem non quæsierunt, quia ipse eos prior quęsiuit. Pastor est enim bonus, & ouem quę perierat, requisiuit: & sapientia est quę drachmam perditam quęsiuit, & quęrens inuenit. Iudęi autem vsque adhuc quęrunt de Christo, & interrogant scripturas de eo, & non inueniunt, quia crux eius eis est scandalum, & ideo dicit ad eos: Tota die expandi manus meas ad popu-

lum non credentem, sed contradicentem. Hoc est, cum M penderet in cruce, illi non solum non inuenerunt eum, sed insuper dixerunt: Si filius dei es descende nunc de cruce, & credimus tibi. Sed audi quid in sapientia Salomonis dicatur, quia non inuenietur ab his qui tentant eum, apparebit verò his qui non sunt increduli ad eum. Sed ne hoc quidem à nobis conuenit ignorari, quod in exemplaribus Hebręorum non habetur, Et contradicentem. Apostolus autem secutus est LXX. interpretum veritatem in suis scriptis: sicut illi interpretati sunt, exposuit.

CAPVT XI.

DIco igitur: Nunquid repulit deus plebẽ suam? Absit.] Quoniam ex his quę suprà dicta sunt videretur fortasse populus Iudęorum repulsus esse à deo, nec aliquid spei gerere, si quidem in ęmulationem induxerit eum deus in non gentem, & in iram, & in gentem insensatam, & manifestus sit his qui eum non quęrebant, & inuentus sit ab eo qui de eo non interrogabat: propterea apostolus volens ista curare, & ostendere quantum supersit salutis populo Israel si credant, & non ideirco repulsi sunt quia gens sit Israel, sed

quia

A quia increduli fuerint, ait: Non repulit deus plebem suã quam præsciuit. Et vt hoc præsenti probaret exemplo subiungit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham de tribu Beniamin.] Et tamen fidem Iesu doceo, & annuncio, quia ipse est Christus. Quod si mihi non obfuit quod sum Israelita ex semine Abraham, quo minus Christo crederem, & ex fide eius iustificarer: certum est quia non repulit deus plebem suam quam præsciuit. Quomodo autem illos quos præsciuit & vocauit, & quos vocauit illos & iustificauit, iam suprà dictum est: quod præscire deum non tantum prænoscere futura, quod nec dubitari potest, sed probare, & scientia sua digna ducere, in scripturis ponatur. Verum ne parum videretur quod exemplo suo non esse repulsam plebem Dei docebat apostolus, validiora requirit exempla, & dicit.

An nescitis in Helia quid dicit scriptura? Quemadmodum interpellabat deum aduersum Israel? Domine] prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid
3.Reg.19 dicit diuinum responsum?] In quibus docet quod propheta aliquando zelo est repletus Dei, cum aliquando apud deum querelam populi præuaricatoris exponeret, qui non solum prophetas occidisset, & altaria subuertisset, verum & Heliam qui videbatur solus superesse ex prophetis do-
B mini, conaretur extinguere. Et hoc Helia apud deum deplorante, audi quid ad eum oracula diuina respondeant, Reliqui mihi septem milia virorum qui non curuauerunt genua sua ante Baal.] Baal idoli nomen est, ad cuius cultum populus ille relicta Dei lege deciderat. Hæc sunt quæ apostolus ad exemplum temporis præsentis adducit & addit. Sic igitur & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei saluæ factæ sunt. Si autem gratia iam non ex operibus. Alioquin gratia iam non est gratia.] Ostendendum ergo nobis pro viribus est, quomodo sicut factum est sub Helia, vbi omnem populum propheta simul putauerat refutatum: inueniuntur septem milia viri, qui permanserant in testamento Dei: sic factum est etiam in aduentu Christi, & his temporibus quibus prædicabat Paulus. Et vide si possumus forte Ioannem Baptistam, qui saluatoris præcessit aduentum, ponere in loco Heliæ: quandoquidem & euangelista tale ei testimo-
Matt.11. nium perhibet, quia in spiritu & virtute venerit Heliæ, & ipse dominus dixerit de eo: Et si vultis scire ipse est Helias. Qui habet aures audiendi audiat. Hic ergo quia in spiritu & virtute venerat Heliæ, intantum desperauerat de populo illo, vt non eos diceret filios Abrahæ, sed generationem
Matth.3. viperarum, & his adderet. Nolite dicere quia patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quia potens est deus de lapidibus suscitare filios Abraham. Huic ergo ista de populo conquerenti respondeatur à domino saluatore
C nostro. Ego scio quos elegerim. & iterum, Oues meæ vocem meam audiunt, & ego præcedo eas. & sequuntur me meæ. & iterum, Habeo alias oues quæ non sunt de hoc
Ioan.10. ouili, & illas oportet me adducere. Quid autem & ipse numerus septem milia virorum indicet videamus. Septi-
Gen.2. mus numerus ad requiem pertinet: Septima enim die re-
Matt.11. quieuit deus. Audi ergo & Christus credentes sibi quomodo ad requiem inuitat, & dicit. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & inuenietis requiem animabus vestris.

Ad istum ergo septenarium numerum pertinet omnis, qui veniens ad Christum deposuit onera peccati, & requiẽ salutis inuenit. Rectè ergo apostolus dicit, quia & sic in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factę sunt: reliquias dicens eos qui ex circumcisione crediderunt, tam apostolos cum quibus se quoque annumerat, quàm cæteros qui cum ipsis secuti sunt fidem Iesu Christi. Sed quod dicit secundum electionem gratiæ factas esse reliquias, hæc mihi videtur superflua esse electionis adiectio: potuit enim dicere, reliquiæ per gratiam saluæ factæ sunt. Sed ostendit per hęc esse gratiam & sine electione, & cum electione. Nã omnes quidẽ qui per fidẽ saluãtur, sine dubio per gratiam saluantur: qui autem per electionem

gratiæ saluantur, perfectiores animæ mihi videntur osten- D
di. Sicut & Israel dicitur omnis qui descendit de genere Israel: ille autem verus Israel est, qui mente pura, corde syncero videt deum. Ex hoc accipere possumus, quòd omnes quidem qui ad fidem veniunt Christi, per gratiam veniunt: qui verò donum gratiæ operibus virtutis & puritate cordis exornant, isti non solum per gratiam, sed per electionem gratiæ saluari dicuntur à Christo. Denique & ipse apostolus Paulus si quis eum in verbis suis diligenter obseruet, videt quomodo huiusmodi distinctionibus vtitur: alibi secundum carnem nominans Israel, alibi super eo carnis omnino non faciens mentionem, sicut in præsenti loco: vbi cum diceret, quia non repulit deus plebem suã, & nobilitatem Israeliticæ animę vellet exponere, ait: Nam & ego Israelita sum. In secunda verò ad Corinthios vbi quibusdam de Israelitico genere secundum carnem gloriantibus cogitur respondere, vide quid præmisit. Quæ loquor (inquit) non secundum deum loquor, sed quasi in insipientia in hac substantia gloriandi, quoniam quidem multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor. Et post aliquanta dicit. Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: semen Abrahæ sunt, & ego. Sic ergo vbi de Is- 2.Cor.11
rael loquebatur, illo interiore homine (talis est enim plebs illa quam præsciuit Deus, & non repulit) non dixit secundum carnem Israel. Ad eos verò qui carnis genere glo- E
riabantur præmisit, quod de huiusmodi gloriatione neque secundum Deum loqueretur, neque in sapientia, sed vt ipse dicit in insipientia. Tales ergo sunt reliquiæ quæ secundum electionem gratiæ saluæ factę sunt. & addidit: Si autem gratia, iam non ex operibus. Sciendum est quia opera quæ Paulus repudiat, & frequenter vituperat, non sunt iustitiæ quæ mandantur in lege, sed ea in quibus hi qui secundum carnem legem custodiunt, gloriantur, id est vel circumcisio carnis, vel sacrificiorum ritus, vel obseruatio sabbatorum & neomeniarum. Hæc & huiusmodi sunt opera ex quibus dicit neminem potuisse saluari, & de quibus in ipso loco dicit, quia non ex operibus. Alioquin gratia, iam non est gratia. Si enim per hæc quis iustificatur, non gratis iustificatur. Qui autem per gratiam iustificatur, ista quidem opera ab eo minime quæruntur, sed obseruare debet ne accepta gratia inanis fiat in eo: sicut & Paulus dicit, Quia gratia eius in me vacua nõ fuit, sed amplius quàm omnes illi laboraui. Et iterum addidit
tanquam memor gratiæ: Non ego (inquit) sed gratia Dei 1.Cor.15
mecum. Non facit ergo inanem gratiam ille qui digna ei opera subiungit, & gratiæ Dei non existit ingratus. Qui enim post consecutam gratiam peccat, ingratus fit ei qui præstitit gratiam. Si autem non inanem feceris gratiam, multiplicabitur tibi gratia, & tanquam mercedem boni operis gratiarum multitudinem consequeris, sicut & ipse scribit, & Petrus in epistola sua dicit: Gratia vobis &
pax multiplicabitur in recognitione Dei. & iterum alibi. F
Vt boni dispensatores multiplicis gratiæ Dei. Quid er- 2.Pet.1.
go? quod quærebat Israel hoc non est consecutus, electio 1.Pet.4.
autem consecuta est, cæteri verò excæcati sunt sicut scriptum est.] In his apostolus Israel in duas diuidit partes: quarum vnam electionem vocat, quæ consecuta sit quod quærebat: aliam cæteros appellat, qui non solum consecuti non sunt quod quærebant, sed excæcati sunt spiritu compunctionis.

Quibus etiam Deum dedisse dicit oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vsque in hodiernum diem,
hoc est vsque ad consummationem seculi. Sed quæstio Esa.6.
nobis mouetur, quomodo de bono Deo dictum videatur, quod ipse dederit oculos residuo Israel quibus non videant, & aures quibus non audiant. Et vide ne forte hæc magis retributio sit & merces incredulitatis, secundum ea quæ in superioribus exposuimus: vbi quia non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit eos Deus in reprobum sensum: & hic enim oculos & aures cordis non corporis dicit, quia excæcati sunt & non audiunt: hi vtique qui Christum videntes in corpore, & audientes doctrinam, neque credere

G operibus quæ videbant, neque verbo quod audiebant obedire voluerunt. Verum de hac quæstione sufficienter nobis in primis huius epistolæ partibus dictum est. Vbi verò scriptum sit hoc ipsum quod dicit apostolus, Sicut scriptum est, Dedit illis deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, aures vt non audiant vsque in hodiernum diem.] Ego hactenus inuenire non potui. Si quis verò diligentius quam nos intendit in scripturis diuinis, si inuenerit manifestet. Puto tamen hoc modo dixisse apostolum, Cæteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est de eis, dedit illis deus spiritum compunctionis: vt suis verbis dicere videatur dedisse eis spiritum compunctionis, secundum ea quę de cæcitate oculorum, & auditu aurium per Esaiam dicta sunt. Esaias enim ita dicit. Vade, & dic populo huic: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus suis grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne sui re videant oculis, & auribus audiāt, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Hunc ergo sensum Esaię videtur apostolus suis quidem sermonibus protulisse, sed quod prophetæ sensum dicebat, addidisse, Sicut scriptum est. Similiter autem & de his facit quæ per Dauid dicta esse pronunciat. Et Dauid dicit. Fiat
Psal. 69. mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. Obscurentur o-
H culi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua.] Quod enim dicit, Fiat mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in scandalum: In captionem in psalmo non habetur scriptum, neque in nostris LXX. interpretum exemplaribus, neque in Hebræorum. Et rursum in psalmo habetur, Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum: Apostolus autem non posuit coram ipsis. Hæc de sermonum ordine & assumptorum testimoniorum qualitate memorauimus, vt ostendamus per singula, quòd auctoritas apostoli nequaquam Hebræorum exemplaribus fidem facit, nec verbis semper interpretatum seruat, sed scripturarum sensum verbis quibus competit explicat.
Nunc ergo videamus quomodo propositi capituli sensus debeat explicari. Cæcitatem cordis, quia reliquus Israel, hoc est qui non credit, excæcatus est, duobus propheticis testimoniis probat, vel quod de Esaia vel quod ex Dauid videtur assumptum, & in vtroque quodammodo idem sensus exponitur. Nam & hic oculi eis dantur quibus non videant, & aures quibus non audiant: & illic optatur vt coram ipsis mensa eorum fiat in laqueum, & in captionem, & in retributionem, & in scandalum, & vt obscurentur oculi eorum ne videant: & quomodo hæc digne credantur dici, & maxime ex persona Christi in psalmo, non otiosum videtur ostendere. Vide ergo si hoc modo possum' explicare quod quæritur. Sicut oculis corporis v-
I titur vnusquisque ad videndum siue bona, siue mala, & in potestate habet vel eleuare oculos ad cœlum, & per id quod videt conditorem eius agnoscere, & collaudare creatorem, vel conferre ad spectacula circi, vel theatri, vel quarumlibet sordidarum oblectamenta visionum, quibus aut libidinem, aut rapacitatem, vel alia quæque vitia amans inflammetur: ita mihi intelligo animæ etiam oculos, quibus alij vtuntur quidem vt verbum Dei & doctrinam veritatis agnoscant, ac sapientiæ eius quotidie capiant profectum: alij verò vtuntur his oculis in contrarium exercentes scilicet semetipsos, quotidie inquirentes quomodo dogmata veritatis infringant, & fidem Christi quantum ipsis videtur impugnent. Ponamus ergo aliquem orare pro his qui perspicaces & argumentosi sunt in falsa scientia, & dicere: Det illis deus oculos vt non videant peruersi sensus acumina: & aures vt non audiāt mendacij scilicet magistros, & obscurentur oculi eorum ne videant: non tibi videtur amplectendus is qui hæc optat eis per quæ eorum peccata minuantur? Multo enim melius est non sapere, quàm male sapere. Non inquam tibi videtur, quod Marcion qui aduersum creatorem deum blasphema scripta composuit, vel Basilides, vel Valentinus, vel cæteri doctores prauorum dogmatum beati fuissent, si nullos quibus male sapientes erant cordis oculos K
habuissent? De his & Esaias dicit. Væ scribentibus. Scribentes enim nequitiam scribunt. Similiter autem & pro Esa. 10.
his qui male docent, & mala loquuntur, orat Dauid in psalmis, & dicit: Muta efficiantur labia iniqua, quæ loquuntur aduersus iustum scelus in superbia & contemptu. Ergo & de his Israel dicitur: Obscurentur oculi eorum ne videant, & det illis deus oculos, vt non videant. Hæc quantum ad oculorum cæcitatem pertinent, quæ male viuenti incredulo Israel tanquam pro remedio quodam data à Deo videntur, dicta sint. Nunc etiam de mensa quę in laqueum & in captionem, & in scandalum, & in retributionem eis fieri dicitur, videamus. Sed primo ad eos pauca dicenda sunt qui allegorias in scripturis diuinis refutant, & irridere solent eos qui non in omnibus sequuntur historicum sensum. Dicant ergo nobis si mensam hic Iudæorum illam dicit propheta in qua prandere vel cœnare solent, vt ipsa eis fiat in laqueum, vt capiat eos: vel si ipsa mensa efficiatur eis in retributionem, vt ab ipsa pro his quæ deliquerunt recipiant vltionem, vel quomodo eis in scandalum sit, exponant. Quod si de his singulis explicare non valeant, & risum suum in confusionem viderint versum, tunc nobiscum pariter veniant, & sequirant de scripturis diuinis qualiter mensa hæc Israel possit intelligi. Nobis igitur pro captu sensus nostri ita videtur, quod omnes scripturæ quæ ante aduentum do- L
mini erant apud Israel (primis enim illis credita sunt eloquia domini) & omne quod appellatur vetus testamentum, mensa est Israel: in qua mensa si quis volebat edere verbum Dei, appositis sibi legis & prophetarum sermonibus pascebatur, & hanc puto esse mensam de qua dicit Salomon: Si sederis cœnare ad mensam potentis, diligenter intellige quæ apponuntur tibi, & mitte manum tuā sciēs quia talia te parare oportet. Sed & saluator vbi dicit: Prouer. 23
Cum manducaueritis & biberitis ad mensam meam: quid aliud mensam eius intelligimus nisi dignos, & eos qui ca- Luc. 22.
pere possunt verbum sapientiæ, & rerum scientiam docere? Hoc & in Prouerbiis Salomon de sapientia protestatur dicens: Sapientia ædificauit sibi domum, & supposuit septem columnas, immolauit victimas suas, miscuit in Prouer. 9.
cratera vinum suum, & parauit mensam suam. Omnis ergo scriptura mensa est sapientiæ. Sed videamus quomodo hanc mensam orat Dauid fieri Israeliticis incredulis in conspectu eorum in laqueum, & in scandalum, & in captionem, & in retributionem. Fit eis in laqueum scriptura diuina, cum legunt ea quæ de Christo prophetata sunt, Hic ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem populi mei conuertet: & dicunt non esse hæc sub Iesu completa. Neque enim ædificauit (vt aiunt) ciuitatem Dei, neque captiuitatem populi reuocauit. Sed hæc dicunt, M
quia sedentes ad mensam potentis non faciunt illud quod ammonuit Salomon, quod intelligibiliter intelligant quę apposita sunt eis. Non enim visibiliter hæc, sed intelligibiliter hoc est spiritaliter, facturus est Christus, & prophetatus est Christus. Nam ædificauit vere ciuitatem Dei, sed ex lapidibus viuis, in quibus suscitauit filios Abrahæ, ex ipsis ædificauit ecclesiam Dei, vt conuertat captiuitatem populi, eorum quos in peccatis captos diabolus detinebat. Illis ergo non ita intelligentibus, mensa hæc scripturæ diuinæ facta est in laqueum, & in captionem. Potest autem & illa captio mensæ huius uideri, qua dominus eos cœpit cum dixit ad eos: Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? At illi responderunt, Dauid. Et dominus Quomodo, inquit, Dauid vocat eum dominum Psal. 109
dicens, Dixit dominus domino meo? & non potuerunt ei respondere verbum.

Fit autem & in retributionem eis hęc mensa, vt breuiter dicam, secundum verbum domini quo ait: Putatis quod Ioan. 5.
ego accusem vos apud patrem? Est qui accuset vos Moyses: & secundum illud quod apostolus dicit, Quicunque per legem peccauerunt, per legem iudicabuntur.
Fit autem & in scandalum mensa hæc hoc modo. Ex scripturis didicerāt Iudæi, quia Christus manet in æternū:
Iesum

A Iesum verò videntes in carne, & non solum in carne, sed etiam in morte, & morte crucis, scandalizabantur in eum nescientes quia passus est ex infirmitate carnis, sed viuit ex virtute dei. Hæc ergo singula quia non intelligibiliter acceperunt quæ apposita sunt eis ad mensam potentis, scandalizati sunt, & ipsa mensa scripturarum diuinarum facta est eis in scandalum eis, & obscurati sunt oculi eorum secundum ea quæ suprà diximus, & dorsum eorum coruatum est semper. Neque enim deberent vltrà cœlum aspicere, qui in creatorem cœli peccauerunt, & in dominum maiestatis. Sed & vnicuique nostrum verendum est, ne forte hæc diuinorum mensa verborum, ad quam videmur consedisse vt cibum verbi dei pro possibilitate sumamus, fiat in laqueum, vel in retributionem, vel in scandalum, si non intelligibiliter, & vt dignum est, mundos ex ea, & puros, ac spirituales cibos sapientiæ capiamus, etiam illud pariter obseruantes ne immundis & sordidis vestimentis, id est corpore ac corde polluto ad mensam sapientiæ considеamus, & speciem futuri in cœlis conuiuij iam nunc meditantes, per conuersionem & pœnitentiam indumenta quotidie mundiora & nuptialia præparemus, quibus venientes aulam sapientiæ thalamos filij regis intrare mereamur. Dico ergo, nunquid sic offenderunt vt caderent? Absit. Sed illorum delicto salus est gentibus, vt illos æmulentur. Quod si delictum illorum diuitiæ sunt
B mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum?] Cum exposuisset apostolus ea in quibus repudiatus est Israel, & introductæ sunt gentes, & enumerasset etiam prophetas, qui de cæcitate ipsorum, & laqueo, & retributione scandali prædixerant: ne rursum gentibus insultandi causas & elationis materiam præberet, ipsum Israelis lapsum dicit talem fuisse, non vt illi caderent, sed vt delicto suo salutem gentibus darent: & ait, Dico ergo: Nunquid sic offenderunt vt caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus gentibus. Et quomodo ex illorum delicto salus gentibus detur, ostendit: hoc est vt conuersionem gentium videntes, & testamentum dei, quod ipsi prius acceperant, illis traditum: & legem ac prophetas apud eos maiore & digniore haberi obseruantia, zelum capiant etiam ipsi in nouissimis saltem temporibus: & sicut nunc illorum lapsus salutem gentibus dedit, ita gentium fides & conuersatio Israeli æmulationem conuersionis conferat & salutis. Obseruandum tamen est, quod aliud ponit offendere ac delinquere, & aliud cadere. & offensioni quidem vel delicto remedium ponit: cecidisse autem eos quasi desperatio in hoc sit aliqua, non recipit. Dicit enim Nunquid sic offenderunt, vt caderent? Absit. Sed illorum delicto salus gentibus. Et est mirum quomodo in tot & talibus quæ de eis omnis epistolæ
C textus exponit, cecidisse tamen eos neget apostolus. Sed videtur mihi quod Paulus cadendi differentias bene nouerit, & aliud sciat esse cadere, secundum illud quod scriptum est, Septies cadit iustus, & resurgit. & iterum, Noli mihi insultare inimica mea quia cecidi, & resurgam. & secundum quod Hieremias dicit. Nunquid qui cadit non adiiciet vt resurgat? aut qui auersus est non reuertetur? Sed & Iob de semetipso dicit: Tempore constituto paratus est ei cadere sub aliis, & donum eius diripi ab alienis, & in quarto Regnorum libro scriptum est: Cecidit Ezechias ab elatione cordis sui. Et omnes hi casus de quibus in supradictis sermonibus scripturam pronũciasse memorauimus, habent resurrectionem, & auersio eorum habet conuersionem. In præsenti verò capitulo, quasi sciens apostolus quia si cecidissent resurgere omnino non possent, ita negat eos cecidisse, & valde excusat in eo quod dicit: Nunquid sic offenderunt vt caderent? Absit. Ne forte ergo ad alium casum respiciens apostolus Israel excuset, & abneget cecidisse illum: de quo dicebat dominus & saluator noster: quia videbam satanam sicut fulgur cecidisse de cœlo. Sed & illum de quo Esaias dicit: Quomodo cecidit de cœlo Lucifer, qui mane oriebatur? Hunc ergo talem casum negat cecidisse Israel. Illorum enim vel in fine seculi conuersio erit tunc cum plenitudo gẽtium sub-

Prou. 24.
Mich. 7.
Hier. 8.
4. Reg. 20
Esa. 14.

intrauerit, & omnis Israel saluus fiet: istius autem qui de D cœlo cecidisse dicitur nec in fine seculi erit vlla conuersio. Hũc ergo casum quem superius diximus, id est in quo qui cadit non adiiciet vt resurgat, similem esse huic quam in ipso loco offensionem nominat apostolus aduertamus, & quod delictum appellat: quod mihi tale videtur esse. Siquando iustus in vno aliquo victus, verbi causa, vel in fragilitate carnis, vel alio quolibet delicto ceciderit, non tamen ideo ab omni legis obseruantia ceciderit: sed iustitiam teneat, misericordiam colat, fidem, pietatem, mansuetudinem seruet; & legem dei non negligat meditari: de hoc possumus dicere, quia nunquid sic offendit vt caderet? Absit. Quia Israelitæ quamuis redemptorem suum negauerunt, & eos qui ab ipso missi sunt lapidauerunt, & persecuti sunt: tamen habent adhuc aliquid residuum. Est apud illos meditatio legis, licet non credentes, nec intelligant. Est apud illos & æmulatio dei, licet non secundum scientiam. Et propterea dicit apostolus, quia non sic offenderunt vt caderent: hoc est vt ab omni legis dei obseruantia, vel meditatione declinarent. Et huiusmodi casum delictum nominauit. Illorum, inquit, delicto salus gentibus. Propterea ergo Dauid sciens huiusmodi esse delicta, in quibus qui cecidit non resurget, nec in consummatione seculi, dicebat: Delicta siue lapsus quis intelligit? Sequitur post hęc. Quod si delictum illorum diuitię mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium, quanto magis E plenitudo eorum? Considera in his dei sapientiam, quomodo apud eum nec ipsa quidem delicta & lapsus inutilitati cedunt. Sed cum vnusquisque ex propositi sui libertate delinquat, dispensatio diuinæ sapientiæ hoc ipso in quo illi damno suæ negligentię pauperes fiunt, alios diuites facit. etenim cum diuideret Deus gentes, & dispergeret filios Adam, statuit terminos gentium, & reliqua vsque ad Hæreditas eius Israel. Illis autem angelis quibus pars gentium distributa, seducentibus quodammodo singulos quosque de parte domini ac deprauantibus, fecerunt eos offendere, ita vt diceret dominus per prophetam: Facta est mihi portio mea desiderabilis in execratione. Necessarium fuit vt illa repudiata, esset alia pars domini super terram: quæ gloriam, & testamentum, & legislationem, & obsequia cultus dei (quæ omnia diuinæ erant partis domini) susciperet, & pars domini pro illa parte quæ offenderat vocaretur. Idcirco delictum illorum fiunt diuitiæ mũdi. Nunc enim iam non vna Hebræorum gens, sed totus mundus pars domini effecta est. Sic enim ipse saluator Ioan. 12. dicit: Quia ego veni non vt iudicem mundum, sed vt saluetur mundus per me. Et ne ambiguum videretur mundi nomen, quoniam quidem sæpe ad cœlum & terram, sæpe ad solam terram, interdum verò ad omnes homines F mũdi appellatio refertur: idcirco repetit apostolus, & manifestius in quo dixerit mundum designat. Ait enim: Hæc diminutio eorum, diuitiæ gentium. Quod enim illis qui offenderunt diminutum est & ablatum, ad diuitias gentium collatum est, quæ per fidem pars domini effecta sunt hęreditas eius. Bene autem ad diminutionem reddidit plenitudinem, & non sine profundo quodam sensu populũ Israel Paulus plenitudinẽ vocat: in quo ego pro viribus meis tale aliquid intelligo. Nũc quidẽ donec omnẽs gẽtes veniũt ad salutẽ, congregãtur diuitiæ dei ex credẽtiũ multudine: sed donec Israel in incredulitate persistit, nondum plenitudo portiunis dñi dicitur esse cõpleta. Deest enim ad integrũ populus Israel. Cũ verò plenitudo gẽtiũ subintrauerit, & Israel in nouissimo tẽpore per fidem venerit ad salutẽ, ipse erit populus qui prior quidem fuerat, sed nouissimus veniẽs ipsam quodammodo hæreditatis & portionis domini plenitudinem compleat. Et ideo plenitudo appellatur, quia quod deerat in portione dei, in nouissimis ipse cũplebit: & ita omnipotentis & boni dei dispensatio delicta aliorũ fructuosa aliis efficit, sicut in præsenti delicta Israel diuitias mundi facit, & imminutionem eorũ diuitias gẽtium. Iam sane fiet ex gentiũ delictis quæ necessario delinquũt, tale aliquid: omnitũ enim dispensator, & aliquibus ex eis diuitias confert: ne hoc quasi spiritale solius Israel

G fuisse videatur, sed æquitas apud iustum & bonum deum super omnibus habeatur: etiam tu qui legis apud temetipsum ista require. Vobis enim dico gentibus. Quamdiu quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo: si quo modo ad æmulationem prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ est assumptio nisi vita ex mortuis?] Sicut sæpe obseruauimus in hac epistola Pauli, aliquando pro Iudæis, aliquando pro Gentibus, interdum verò ad alterum horum, vel ad vtrunque facere sermonem; sicut cum dicebat: Si autem tu Iudæus
Rom. 2. cognominaris, quasi ad Iudæum loquens. & iterum, Iudæo
Rom. 1. primum & Græco, quasi ad vtrunque: nunc verò aperte ad Gentes, hoc est ad eos maxime qui in vrbe Romana gentibus crediderunt dicit, Vobis enim dico gentibus. Quid ergo dicat gentibus videamus. Quamdiu quidem ego sum, inquit, gentium apostolus ministerium meum illustrabo, si quo modo in æmulationem immittam carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. Dicet aliquis: Quod ait, quamdiu sum gentium apostolus, hoc videtur ostendere, quod non semper erit gentium apostolus, sed completo ministerio aliorum quorumlibet apostolus sit futurus.
Sed quantum & ex ipsius sermonibus, & ex rerum gestarum ratione colligitur, quamdiu in hoc mundo fuit permansisse in fide & veritate gentium apostolus com-
H probatur. Quid ergo dicemus? Nunquid nam tanquam seruus bonus & fidelis, qui in pauca fuerit fidelis, sciebat se super multa constituendum, & apostolum futurum etiam post exitum suum, non solum gentium, sed & Israelitarū, & aliorum fortassis inuisibilium ibi vbi benedicunt spiritus & animæ iustorum dominum, hymnum dicunt, & superexaltant eum in secula?
An potius simpliciter debemus accipere, Quamdiu ego sum gentium apostolus: sicut & dominus ad apostolos dicit, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad cō-
Mat. 28. summationem seculi: non quod dicat se post consummationem seculi non futurum cum eis, sed vt ostenderet se nunquam ab eis discessurum vsque ad consummationem seculi: dicatur ita & apostolus, Quamdiu ego sum apostolus, dixisse pro semper, & sine fine. Quæ autem ex vtraque recipi debeat expositio, relinquimus legentis arbitrio. Igitur quamdiu est gentium apostolus Paulus, ministerium suum illustrare se dicit: & quid tam dignum quam vt vnusquisque ministerium quod per dei prouidentiam suscepit, exornet? Exornat autem & illustrat ministerium, qui bene ministrat: sicut econtrario dehonestat ministerium suum, & notabile facit, qui negligenter & indigne ministrauerit. Verbi causa, in ministerio ecclesiæ diaconus, inquit, qui be-
1. Tim. 3. ne ministrauerit, bonum gradum sibi acquirit, & multam
I fiduciam in fide Iesu Christi. Si autem non bene ministrauerit: hoc est si non talem se exhibuerit qualem describit apostolus, grauem, non bilinguem, non multo vino deditum, non turpis lucri appetitorem, sed habentem mysterium fidei in conscientia pura: non iam bonum gradum, sed malam sibi pœnam conquirit, tanquam qui contumeliam fecerit diuino ministerio. Similiter autem & qui presbyterij gradum suscepit in ecclesia, satagat illustrare mini-
Esa. 3. sterium presbyterij. Ad ipsum enim pertinent & illa quæ de presbyteris ad Titum scribit apostolus: & ea quę Esaias scribit, cum dicit: Ipse dominus in iudicio veniet cum presbyteris populi, & cum principibus eius iudicabit. & addit: Vos autem vt quid succendistis vineam meam, & direptio pauperum in domibus vestris est? Vt quid iniuriam facitis populo meo, & personas pauperum confunditis? Secundum hæc autem & episcopus illustrat ministerium suum in episcopatu, si sit secundum quod describit apostolus irreprehensibilis, vigilans, prudens, ornatus, hospitalis, doctor, non vinolentus, non percussor, sed modestus, non litigiosus, non auarus, domum suam bene regens, filios habens in obsequio cum omni grauitate, non elatus superbia, ne in iudicium incidat diaboli. Qui talis est, illustrat
Matt. 25. ministerium episcopatus sui: vt ipse audiat, Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Similiter autem & vidua si permaneat in ora- K
tionibus die ac nocte, & obsecrationibus illustrat, ministerium viduitatis suę. Si verò sit talis qualem apostolus notat otiosa, verbosa, & non solum verbosa, sed & curiosa, loquens quæ non oportet, sed in delicijs degens, viuens mortua, hæc dehonorauit, & non illustrauit ministerium viduitatis suæ. Eodem modo etiam virgo consecrata deo non illustrat ministerium virginitatis suæ, nec illustrat lampadem suā, sed econtrario lumen eius extinguitur, & efficitur vna de insipientibus virginibus. Hæc eadem in ecclesia vnusquisque positus apud semetipsum reputet, vt in quocunque loco stat siue in clero, siue in plebe, illustret ministerium suum fidei, & tales faciat actus suos, vt videntes homines opera eius bona magnificent patrem qui in cœlis est. Hoc enim faciebat Paulus docendo gentes, quorum erat apostolus: & instruendo infirmos alere, paruulos lacte alēdo, robustis fortiorem verbi cibum præbendo, errantes, & in fide turbantes, ac velut in abortum quendam redactos, materno affectu rursum parturiendo, donec Christus formetur in eis. Et per hæc omnia illustrando ministerium apostolatus sui, in æmulationem fidei & zelum bonæ conuersationis adducebat carnem, id est secundum carnem cognatos: vt si non omnes, aliquos tamen saluos faceret ex illis. Sic ergo dum peruigilem curam, & ingenti solicitudinem erga doctrinam gentium gerit, & conuersationem eorum ac
vitam valde probabilem facit, videntes hæc Israelitas qui L
erant cognati eius secundum carnem, ad imitādos eos qui proficiunt in fide dei inuitat, & prouocat: & est gloria ministerij eius cum ex eruditione etiam illis profectus accesserit. Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ est assumptio nisi vita ex mortuis? Hoc mihi ostendere in his sermonibus videtur apostolus, quod abiecto Israel & ad gentes necessario prædicatione translata mundus re-
conciliatus est deo: secundū quod scriptum est, Quia deus 2. Cor. 5.
erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum. & iterum sicut Paulus dicit, Qui posuit in nobis verbum reconciliationis: per quod verbum dicebat: Rogamus pro Christo, reconciliamini deo. Sic ergo loquit, Israeliticæ gentis huius abiectio reconciliationem præstitit mundo. Et si tanta fuit erga gentes ista gratia, quæ sublata ab eo vniuersum mundum deo reconciliare sufficeret, quantum putas tunc merebitur mundus, cum etiam gens ista reconciliari merebitur deo? Et quid illud sit quod ex reconciliatione Israel mundus acquirat, breuiter ostendit dicens, Vita ex mortuis. Tunc enim erit assumptio Israel, quando iam mortui vitā recipient, & mundus ex corruptibili incorruptibilis fiet, & mortales immortalitate donabuntur. Absurdum nanque videretur si
vt offensio ipsorum reconciliationem mundo donauerit, M
assumptio ipsorum non maius aliquid mundo & præstantius largiretur. Quod si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami. Quod si ex ramis aliqui fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo, fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene, propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & seueritatem dei, in eos quidem qui ceciderunt seueritatē, in te autem bonitatem dei, si permanseris in bonitate. Alioquin & tu excideris. Sed & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim deus iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam, quanto magis hi secundum naturam inserentur suæ oliuæ?] Nescio quomodo qui de schola Valentini & Basilidis veniunt, hæc ita à Paulo dicta non audientes, putant esse naturam animarum quæ semper salua sit, & nunquam pereat, & aliam quæ semper pereat, & nunquam saluetur: cum Paulus aperte dicat fractos esse ramos bonę oliuæ propter incredulitatem suam, & ibi seueritatis indiguisse vin-
dicta:

A dicta: & rursus oleastri ramos, quæ apud illos natura perdita ponunt, insertos esse radici pinguis oliuæ. Sed illis per hæc facilis responsio. Nihilominus autẽ etiam nobis qui vnam esse naturam omnium rationabilium dicimus, & ad salutem æqualiter habilem, & ad perditionem si negligat, occurri potest & dici. Quomodo ergo Paulus oliuã bonam & oleastrum ponit? cum vtique sciret esse naturã vnam omnium, diuersi generis arborum non introduxisset exemplum. Dicendum ergo ad hæc. Sicut omnis materia corporalis cum sine dubio vnius naturæ sit, per accidentes sibi qualitates diuersas species profert, vel corporum, vel arborum, vel herbarum: ita & cum omnium rationabiliũ vna natura sit, arbitrij æqualiter libertate donata, vniuscuiusq; proprij motus ex arbitrij potestate prolati, vel ad virtutem, vel ad libidinem subiectam sibi animam perducẽtes, vel in bonæ eam, vel in malæ arboris formãt speciem: vt aut bona dicatur arbor, si per arbitrij potestatem delegerit bona, aut mala dicatur si elegerit mala: & vnusquisque secundum proposita sui motus aut bona oliua, si iter virtutis incedat, aut si contraria sectetur, oleaster nominabitur. Inde denique & dominus in euangelio dicebat:
Matt.12. Aut facite arborem malam, & fructum eius malum, aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum. Vt ostenderet arborem bonam vel malam non nasci, sed fieri.

B Iam verò si accidit aliquid ad arbitrij libertatem, quod extrinsecus vel ad mala prouocet, vel hortetur ad bona, per ineffabiles quasdam diuinæ prouidentiæ dispensationes in nullo consequentiam propositæ absolutionis offẽdit. Habet enim in semetipso natura rationabilis vigorẽ (& hæc arbitrij) libertatẽ, quæ vel obedire si velit, prouocanti, vel si nolit spernere possit hortantem. Quod autem diximus, quod materiæ corporali accidentes extrinsecus qualitates redduntur species diuersas, aliquas quidem ad multum tempus permanentes, aliquas ad breue, nonnullas verò non solum annis exiguis, sed interdum etiam mẽsibus aut diebus paucis vix durantes, ita intelligitur. Verbi causa, Species cœli & solis, ac lunæ, vel astrorum talibus quibusdam formatæ sunt qualitatibus quæ vsque ad seculi finem perdurare sufficiant, & vsquequo liberentur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Aliæ verò sunt terrenorum corporum qualitates, & in ipsis multa differentia. Nonnullorum enim animalium corpora, vel arborum, vel auium multis admodum possunt durare temporibus: aliorum verò paucis aut valde exiguis. Quod si hęc bene intellexisti, transeamus nunc ab exemplis corporeæ qualitatis ad naturæ rationabilis qualitatem: & vide quomodo aliæ quidem in qualitatibus beatitudinis secula multa perdurant: & aliæ qualitates perfidiæ vel malitiæ nihilominus secula multa consumunt, aliæ ea ipsis paruo
C tempore, vel in virtutibus, vel in malitiis manent, aliæ perexiguo, aliæ admodum breui. Quorum per singula notitiam nos quidem homines, vtpote corruptibiles, corporis pondere prægrauati, perexiguam aut etiam nullam capere possumus. Qui verò scrutatur omnia etiam alta Dei, spiritus sanctus vniuersa nouit, & nota facit cui ipse voluerit reuelare. In his etenim præcipue, id est in dispensatione rationabilis naturæ apostolicum illud dicendum est: O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incõprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Sic ergo vnusquisque ex arbitrij potestate, aut bona oliua, aut oleaster efficitur, aut Israelitici generis, aut alterius culpabilis gentis: vt dicatur de eo, Quia alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa: ita vt sint peregrini testamentorum, & hospites promissionum
Psal.22. Dei. Et alij in deum iactantur ex vtero, & dicunt: In te iactatus sum ex vtero, de ventre matris meæ deus meus es tu. Sed quoniam (vt diximus) permanet semper naturæ huic libertas arbitrij, possibile est vt cum sit quis Israelitici gẽris, & bonæ oliuæ ramus, decidat in incredulitatem, & frãgatur: & rursus alius qui elegerat genus esse culpabilis, & peccatricis, & per hoc ramos oleastri dicebatur, si cõuertatur ad fidem (habet enim in se arbitrij libertatem, qua conuerti possit ad fidem boni) inseritur bonę oliuæ per fi-

dem, & efficitur socius radicis, & pinguedinis oliuæ. Radi- D
cem verò hanc alij Abraham nominant, alij Seth, alij aliquem vnum ex patribus bonæ memoriæ ponunt. Ego autem radicẽ aliam quæ sancta sit, & sanctas primitias nescio nisi dñm nostrum Iesum Christum. Ipse est enim primitiæ omnium, vel delibatio, vt in præsenti loco habet apostolus, secundum id quod alibi dicitur de eo, Qui est primogenitus omnis creaturę. Huic namque radici omnis qui saluatur inseritur, & ex hac delibatione sancta omnis massa humani generis sanctificatur: & vere sicut radix sancta, inhærentibus in se ramis sanctitatis pinguedinem præbet, dum per spiritum suum sanctum adhærentes sibi viuificat, verbo excolit, sapientia floridos reddit, & in omnium virtutum plenitudine afferre fructus vberes facit: ita vt & ipsa dicat de eis, Ego autem sicut oliua fructifera in domo dei. Etenim si rami qui fracti sunt, propter incredulitatem
fracti sunt, & qui stant, fide stant: quis alius erit in quo stãt Psal. 51.
nisi Iesus Christus? & quis est alius à quo per incredulitatem fracti sunt, nisi ipse cui non crediderunt? Semper ergo quicunque aduenæ ad fidem, vel ad conuersationem Israel veniebant, Christo qui erat verus Israel inserebantur. Præcipue tamen ea tempore aduentus eius multus oleaster insertus huic radici, vel ramis eius, apostolis scilicet & prophetis Dei: vt qui inseruntur eis, socij fiant radicis & pin-
guedinis Christi. Post hæc docet nos apostolos, non ex- E
tolli aduersus radicem fractos ramos Israelitas, neque insultare eis: quia non nos radicem portamus, sed radix nos. Non enim habemus quod non accepimus. Si autem accepimus, quid gloriamur quasi non acceperimus: Tum deinde quasi quibusdam impudentibus insultantibus & dicentibus: Sed fracti sunt rami: bene propter incredulitatem fracti sunt, vt ego insererer qui credebam: hos ergò reprimens apostolus dicit: Illi quidem per incredulitatem fracti sunt, & tu insertus es per fidem, & in fide stas: sed memento quia omnis qui se exaltat humiliabitur: & ideo noli superba sapere, noli alta & clara proloqui. Quamuis enim in radice stes, & bene stes, timero tamen videris quia & alij quibus insultas ibi steterunt vbi tu stas: & cum ibi non esses, ad oliuæ huius radicem aliunde translatus es, & possibile est etiam te peccare. Nam hoc ipso quod superbis & exaltaris, iam peccas: & scito quoniam si deus naturalibus ramis non pepercit, nec tibi parcet. Post hæc verò qui superbit & insultat lapsis altioribus ab Apostolo sensibus humilitatis imbuitur, & dicit ad eum. Tu qui hęc dicis, vide bonitatem & seueritatem Dei: & cum vides seueritatem eius erga fractos ramos, metuendum tibi est ne forte & tu dum superbis & insultas lapsis, seueritatem Dei quæ peccatores perurget incurras ipse peccando. Bonitas eius permanet in his qui in bonitate permanserint. Alioquin eodem ordine & tu, si in bonitate non permanseris,
excideris: & illi si in incredulitate non permanserint, inse- F
rentur, Deo enim non est impossibile iterum inserere illos si recedant ab incredulitate per quam fracti sunt. Quandoquidem facilius videtur propriæ arboris ramos radici suæ reddere, quàm inserere alienos. Quod autem dicit, ea naturali oleastro: & iterum secundum naturam inserentur suæ oliuæ: naturam oliuæ vel oleastri secundum hoc debemus accipere quòd suprà exposuimus, arbitrij libertas naturam fecerit vnicuique vel oleastri, vel bonæ oliuæ. Obseruandum sane est, quod hi quidem qui ex propria oliua deciderunt, fracti dicuntur: Hi verò qui ex oleastro inseruntur, si iterum peccauerint, non frangendi, quod vtique esset leuius, sed excidendi appellantur In quo vehementior profectò Dei seueritas indicatur: si posteaquam cum esset oleaster, & ex peccatorum sylua collectus ad radicem fidei ac sanctitatis adductus est, rursus amaros malitiæ proferat succos. Sed ne hoc quidem lateat nos in hoc loco, quod non eo ordine apostolus oliuæ, & oleastri similitudinem posuit, quo apud agricolas habetur. Illi enim magis oliuam oleastro inserere, & non oliuæ oleastrum solent: Paulus verò apostolica auctoritate ordine commutato res magis causis, quàm causas rebus aptauit.

G Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis apud vosmetipsos sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret: & sic omnis Israel saluus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem ab Iacob: & hoc illis a me testamentum cum abstulero peccata eorum.] *Esa. 59.* Adhuc ad eos qui ex gentibus crediderant, quasi elatos & superbientes aduersus ramos qui fracti sunt, putantes quod non dei bonitate & ineffabili dispensatione sapientiæ eius, sed suis meritis cõsecuti sunt, vt illis defractis ipsi cum essent oleastri insererentur in bonam oliuam, dicit: Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, vt nõ sitis apud vosmetipsos sapientes: Quia insultare lapsis, & gloriari aduersus ramos qui fracti sunt, non fit per dei sapientiam, sed per humanam culpabilem, & ignorantem mysterium dei. Qui enim secundum deum sapit, in beneficiis dei non insultat abiectis, sed cum timore gratias agit misericordiæ largientis. Est ergo mysterium quod ignorabatur ab iis qui insultabant, huiusmodi: quomodo in dispersione filiorum Adam cæteris quibusque gentibus secundum numerum angelorum distributis propria quædam pars dei facta sit Israel, sicut in aliis, & sicut in his ipsis paolo superius memorauimus: ad quos & repromissio bonorum, & testamenta, & legislatio facta est. Manente ergo parte domini in statu suo, possibile non erat nos qui eramus H geores introire in hæreditatem dei, & in sceptri eius iura succedere. Idcirco igitur patitur deus ex parte, id est non omnibus, sed aliquibus ex Israel fieri cæcitatem, ab illis sine dubio angelis obtentu inuidiæ & æmulationis allatam, qui cæterarum gentium sortiti fuerant principatum. Passus est ergo deus, & cum posset prohibere noluit, vt pro iis qui cæcitate decepti, id est, cordis obtusione prolapsi sunt, ipsorum qui istos deceperant portionem suam deus faceret, vt quodammodo in eo ipso quo ceperant, caperentur. Aduertentes enim ad seper peccati illecebras dei plebem, locum fecerũt gentibus ingrediendi in hæreditatem dei, deo cum ipsis communi quodam & æquissimo iure habente iudicium, vt donet illis plebem dei quam in cæcitatis captiuitate detinerent, quasi ad vicem eorum, quos ab initio ex portione dei & segregata eius hæreditate subtraxerant, gentium numerus redderetur. Cum verò plenitudo gentium fuisset expleta, & æmulatione salutis eorum cœpisset Israel discutere à semetipso cæcitatem cordis, & eleuatis oculis suis Christum verum lumen aspicere, ita secundum præcedentes prophetias salutem quam obcæcatus amiserat Israel quæreret instigatus, dicens apud semetipsum illud propheticum: *Hier. 3.* Reuertar ad virum meum priorem, quoniam me- I lius mihi erat antè quàm modò. Quod autem hæc illis promissa sint per prophetias, in multis quidem propheticis voluminibus inuenitur: ponemus tamen quod sufficiat ad præsens, vnum de Hieremia testimonium, ita continens: Si exaltetur cœlum in excelsum, & terra humilietur deorsum, ego non reprobabo genus Israel pro omnibus quæ fecerunt. Si ergo pro eo vt introiret gentiũ plenitudo, cæcitas facta est in Israel pro omnibus quæ fecerunt, sine dubio cum ingressa fuerit gentium plenitudo cæcitas cessabit. Quod si vis, inquit apostolus, scire quomodo etiam post cæcitatem saluandus sit Israel, audi quomodo scriptum sit: Veniet ex Sion qui liberet, & auertat impietatem ab Iacob: & hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum. Sciendum sane est, quod in propheta Esaia, vnde testimonium illud Paulus assumit, pro eo quòd dixit apostolus veniet ex Sion, scriptum est, Veniet propter Sion: & quod ait hic: cum abstulero peccata eorum: ibi omnino scriptum non est, sed nec apud Hebræos quidem: Apostoli tamen auctoritate sumptum est. Interim veniens dominus ex Sion liberet, & auertat impietates ab Iacob. Auertit autem impietates ab eo secundum illud quod scriptum est: Quia deleuit dominus sordes filiorum & filiarum Sion, & sanguinem mundauit de medio eius spiritu iudicij, & spiritu vltionis: & hoc ita fieri testamentum erat ei à deo, vt sic ab eis auerterentur impietates, & auferrentur peccata. Quis autem sit iste K omnis Israel qui saluus fiet, vel quæ erit illa plenitudo etiã gentium, deus solus nouit, & vnigenitus eius: & si qui forte amici eius sunt, ad quos dicat: Iam non dicam vos seruos sed amicos: quia nota vobis feci omnia quæ audiui a patre. Hoc tamen potest etiam nostro sensui occurrere, quod sicut Israel quandiu permanet secundum carnem Israel, & non etiam secundum spiritum factus fuerit Israelita verus mente videns deum, pertingere non potest ad salutem: ita nec gẽtes quidem omnes omnino saluari possunt, nisi quæ intra plenitudinem fuerint repertæ, quæcunque illa est quæ ab apostolo nominatur. Ita ergo mysterium dei ineffabili quadam sapientiæ eius dispensatione tractatur, vt etiam cum sibi anima sortem malorum ipsa consciuerit, ille qui nouit vniuersa disponere, abiectionem eius & pœnam, aliorum faciat salutem. Sed & illud videtur mihi in loco diligentius contuendum, quod cæcitatem istam non dicit omni Israel contigisse, sed ex parte. Reliquiæ enim secundum electionem gratiæ saluæ factę sunt. De quibus reliquiis & Esaias prophetauerat dicens, Nisi *Esa. 1.* dominus sabaoth reliquisset nobis semen. Istæ ergo reliquiæ in beatitudine conferuntur cum plenitudine gentium: cæteri verò qui excæcati sunt ex Israel, conferuntur his gentibus quæ non potuerunt ad plenitudinem peruenire. Si ergo quæ inueniuntur in sermonibus prophetarum de repromissionibus scripta beatitudinem continentia, si L de Israel, ad reliquias istas quæ electæ sunt, pertinent: si de gentibus, ad plenitudinem spectant. Siqua verò tristia, si quidem de Israel dicuntur, ad illos sine dubio reliquos qui excæcati sunt referuntur: si verò de gentibus, illos profecto qui sunt extra plenitudinem stringunt. Omnia tamen finis perurget, & eos quidem qui beati sunt, siue illi ex Israel, siue & ex gentibus veniant, præsentis euangelicæ doctrinæ sermo purificat, vt sint tales sicut erant illi ad quos dominus dicebat: Ecce iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. *Ioan. 15.* Qui verò verbi dei & doctrinæ euangelicæ purificationes spreuerit, tristibus & pœnalibus purificationibus semetipsum reseruat, vt ignis gehennæ in cruciatibus purget, quem nec apostolica doctrina, nec euangelicus sermo purgauit, secundum illud quod scriptum est: Et purificabo te igni ad purificationem. *Num. 31* Verum hęc ipsa purgatio quæ per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantisue seculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest ille cui pater omne iudicium tradidit, qui ita diligit creaturam suam, vt pro ipsa enacuauerit semetipsum de dei forma, & serui formam susceperit, humilians semetipsum ad mortem, volens omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Veruntamen meminisse semper debemus, M quod pręsentem locum apostolus quasi mysterium habere voluit, quo scilicet huiusmodi sensus fideles quique & perfecti intra semetipsos velut mysterium dei silentio tegant, nec passim imperfectis & minus capacibus proferant. Mysterium regis (ait scriptura) celare bonum est. Secundum euangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem charissimi propter patres: sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio dei. Sicut enim aliquando & vos non credidistis deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem eorum: ita & isti non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur.] Eadem prosequens adhuc de Israel & gentibus apostolus, & ramis eius oleastri qui insultabat ramis oliuæ fractis, imputans etiam hæc addidit: quia Israel secundum euangelium quidem inimicus factus est deo, quia non credidit Christo: quantum autem spectat ad honorificentiam patrum, electus est, & charissimos habetur apud deum. Semel autem donata electione semini patrum, & dilectione concessa, seruat sine dubio Deus dona reuocationem suam erga semen eorum, quorum meritis id aliquando largitus est: nec pœnitudo incurrit in deum etiamsi minus digni videantur existere hi erga quos promissa patribus beneficia cõferuntur. Verum (vt sæpe commonuimus) etiam in præsenti loco illa est


A la est obseruanda distinctio, quod Israel quidem qui inimicus est deo, ille dicatur qui clamat de Christo: Tolle tolle, crucifige eum. Quomodo enim non dicamus inimici deo, vel tunc, vel etiam nunc dixerit ista, vel dicant? Sed *Luc. 23.* quod dicit, Propter vos, quorum saluti scilicet inuidentes prohibent apostolos gentibus loqui, & persequentes eos qui annunciant Christum. Secundum reliquias verò quæ saluandæ dicuntur, in quibus electio credentium secura est ex Israel, charissimi sunt propter patres: quorum scilicet fidem sequentes, credunt in eum qui suscitauit Iesum à mortuis. Et secundum hoc erga huiusmodi semen sine pœnitētia sunt dona & vocatio dei. Post hæc verò latentes & profundiores incredulitatis eorum aperit causas, & dicit: Quia sicut vos gentes quondam nō credebatis deo, nec tamen idcirco penitus reliquit vos deus, sed aliquando ad vltimum misericordiam consecuti estis: occasio tamen in vos conferendæ misericordiæ, populi Israel incredulitas extitit: ita etiam hi qui nunc de populo Israel non crediderunt, & pro incredulitate sua derelicti sunt, vt ad eos dei misericordia flecteretur, non vsquequaque relinquentur in incredulitate sua, sed cum plenitudinis gentium fuerit impleta dispensatio, etiam ipsi misericordiam consequentur. In quo volens apostolus bonitatem dei ostendere, quia incredulitatem illorum salutem facit, inquit: Conclusit enim deus omnia in incredulitate, vt B omnium misereatur.] Non quo ipse eis inuexerit incredulitatis propositum, sed ex ipsorum incredulitatis proposito credendi aditum aliis qui prius increduli fuerant patefecit. In his autem positus locis Paulus, & altius intuens huiusmodi causas, quomodo deus malum propositū non continuo resecet, & excidat, sed comparetur, & reseruat: prospiciens quia aliquid boni in aliis facturus sit per alterius propositum mali: ab his opinor de quibus loquebatur, retulit oculos cordis sui ad ipsam malitiæ originem, quod eam ex initio in his quibus oborta est, quicunque illi sunt, pullulantem, & arbitrij libertate crescentem vtile non iudicauerit resecare: sed permiserit eos vti proposito suo, sciens & prospiciens quod multorum profectus & vtilitas ex malitiæ illorum occasione consurget: & in tantum apud deū virtuti locus est, vt & malitiæ opus quamuis illi perniciosa sit de quo procedit, beneficium tamen præstare dispenseturei cui agonea commouet, cum fuerit superata. Considerans ergo sanctus apostolus tantæ esse bonitatis dei diuitias, & tantum diuinæ sapientiæ opus erga rationabiles agi naturas, & quia tantum deus diues est in misericordia, & diues in omnes qui inuocant eum: & tantæ est bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis, repente interioribus eam cordis oculis intuens, immensitatemque earum prospiciens, stupore simul & pauore per- C cussus exclamat & dicit. O altitudo diuitiarum sapientiæ & sciētiæ dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.] Vnde enim humanæ mentis sensus ita possit opinari, vt seruata vnicuique arbitrij libertate, alterius malitiæ opus vertatur alteri ad salutem, & vincenti se malitia palmam conferret, quæ vtenti se perniciem præbet? His ergo generali quantum videtur apostolus ratione perspectis exclamat & dicit, quia tanta est altitudo diuitiarum dei, & sapientiæ eius tanta est altitudo, & sciētiæ nihilominus tāta est altitudo (ad omnia enim hæc altitudinis sermo deseruit) vt scrutari iudicia eius, quibus vnamquanque animam atque omnem naturam rationabilem dispensat, nemo sufficiat, nec vias domini quibus prouidentia incedit inuestigare aliquis possit. Aliquis autem dicimus non solum hominum, sed & totius creaturæ. Neque enim inscrutabilia iudicia, & inuestigabiles viæ eius dicerentur, nisi quia nulla est creatura quæ vel inuestigare valeat vel scrutari. Solus est enim filius qui nouerit patrem. & solus est spiritus sanctus qui scrutatur omnia etiam altitudinem dei. Et ideo hanc altitudinem dei, quam & inscrutabilem dicit & inuestigabilem, creaturæ omni inscrutabilem & inuestigabilem di- *Ioan 17.* cit. De filio verò & spiritu sancto dicere ista non poterat, *1.Cor. 2.* quia filius in euangelio dicit ad patrem: Pater omnia mea tua sunt, & tua mea. & de spiritu sancto ipse Paulus pro- D nunciat dicens: Nemo enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Ita & quæ in deo sunt, nemo cognouit nisi spiritus domini. Vides ergo quod Paulus in præsenti capitulo in his quę dicit: Quis enim cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei:] de creaturis dicat, naturam verò trinitatis excipiat. Quippe cui nihil sit cum creatura commune, nisi beneficentię opus. Sed & quod ait, Quis illi consiliarius fuit? non quasi minus ipse sufficiens consilio indigeret alterius, sed cōsilij participem nullam quidem in creaturis esse pronunciat. Consilium verò sapienti necessario in sapientia sua est quidem Christus, & in sanctitate quidem spiritus sanctus. Simili autem modo &: Quis prior dedit illi & retribuetur ei, intelligendum est. Nemo enim aliquid factori suo prior contulit: quippe cum etiā hoc ipsum quod est, vnusquisque à conditore susceperit. Quoniā ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.] Vides quomodo in vltimis ostendit, quod in omnibus quę supra dixit segregauerit mysterium trinitatis. Sicut enim in præsenti loco quod ait, Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: conuenit illis dictis quę idem apostolus in aliis memorat locis cum dicit; *1.Cor. 8.* Vnus deus pater ex quo omnia, & vnus dominus noster Iesus Christus per quem omnia: & iterum spiritu dei dicit E reuelari omnia, & per hęc designat in omnibus esse prouidētiam trinitatis: ita & cum dicit, Altitudo diuitiarum, patrem ex quo omnia dicit esse, significat: & sapientię altitudinem, Christum qui est sapientia eius, ostendit: & scientię altitudinem, spiritum sanctum, qui etiam alta dei nouit. Veruntamen quod dicit: Ex ipso, hoc ipsum quod sumus indicat: Per ipsum autem, quod per eius prouidentiam dispensamur in vita: In ipso verò, quod perfectio omnium & finis in ipso erit tunc cum erit deus omnia in omnibus. Et tunc ipsi gloria in secula. Amen. In secula, propter hoc quod perfectio omnis non intra vnum seculum concluditur, sed in multa protenditur, & vix aliquando adimplenda speratur. Iungit autem & Amen, vt intelligamus per illum ad istam beatitudinem veniendum, de quo scriptum est in Apocalypsi, Hęc dicit qui est Amen. *Apoc. 3.*

LIBER NONVS.



Vm per omnem textum epistolæ in superiorib' docuisset apostolus quo modo à Iudæis ad gentes, à circuncisione ad fidem, à litera ad spiritum, ab vmbra ad veritaté, ab obseruantia carnali ad obseruantiam spiritalem religio summa translata sit, & F hæc ita futura propheticis ostendisset vocibus designata: iam nunc spiritalis huius obseruantiæ, ad quam cultus dei ritum docuit esse trāslatum, aggreditur mores & instituta sancire, & ait.

CAP. XII.



Bsecro itaque vos fratres per misericordiā dei.] Quoniam, inquit, ostendimus à sacrificiis carnalibus recedendum, secundum quod & Propheta dicit, Hostiam & oblationes noluisti, nec placita sunt tibi: nunc, ait doceo vos quibus hostiis delectetur deus. Et hæc doceo non quasi imperans. nihil enim proficit legis imperium, sed quasi qui officium susceperim recōciliandi vos deo. Obsecro vos fratres, & obsecro non per potentiam, sed per misericordiam dei. Quia enim (sicut supra ostendi) omnes conclusi sunt sub peccato, nunc iam non in meritis, sed in misericordia dei salus humana consistit. Quid autem est quod vos obsecro? Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, deo placentem, rationabile obsequium vestrum.] Obsequium hic cultum dicit. Qui cultus quoniam dudum in pecudum

G mutorum corporibus consistebat: nunc, inquit, in corpore rationabilis hominis offeratur, & corpora magis vestra quàm pecudum fiant sacrificium deo, atque in sacris altaribus collocétur. Hi enim qui membra sua mortificant ab incentiuo libidinis & furoris, & actus corporis sui deo placitos habent, hostiam viuentem sanctam deo placentem rationabiliter offerunt, & legem sacrificiorum quæ in Leuitico lata est, secundum spiritalem intelligentiam complent. Verbi causa, vt ibi offerebant vitulum primo in loco, vel secundo arietem, aut tertio hircum, aut quarto turtures, vel etiam pullos columbarum, vt in his vniuscuiusque anima purificaretur pro qualitate gestorum: hæc nunc in suo corpore vnusquisque purificans, & spiritali sensu discernens, rationabili obsequio viuentem hostiam obtulit deo. De quibus singulis cu in lib. Leuit. aliqua diceremus, pro viribus explanare tentauimus, quomodo vnusquisque rationabili obsequio cultus dei, si superbiam corporis suivincat, immolet vituló, si iracúdiá superet, arietem iugulet, si libidiné vincat, in holocaustum offerat hircum: si vagos & lubricos cogitationum resecet volatus, columbas & turtures immolauerit. Sed hæc (ut dixi) si quis scire dignum putat, ibi latius disserta reperiet. Nunc autem Paulus obsecrat credentes in Christo, vt corpora sua
H exhibeant hostiam viuentem sanctam deo placentem. Vi-
Rom.6. uentem dicit hostiam, quæ vitam hoc est Christum in se gerit, & dicit, Mortem Iesu in corpore circunferimus, vt
1.Cor.6. & vita Iesu Christi in corpore nostro manifestetur. Sanctam dicit, in qua spiritus sanctus habitat, secúdum quod in alio loco dicit, Aut nescitis quia templum dei estis, & spiritus sanctus habitat in vobis? Placentem deo, vtpote à vitiis & peccatis separatam. Hæc autem omnia rationabilis cultus est dei. Potest enim pro tali cultu reddi ratio, & ostendi quia dignum est deo tales hostias immolare: Arietes autem & hircos, & vitulos immortali & incorporeo deo offerri nulla ratio recta & honesta suscipiet. Hæc ergo ita fieri, & ita colere deum eos qui Christo crediderunt, non solum docet apostolus, sed obsecrat per misericordiam dei, vt ostédat per hoc humano generi (quoniam procliue est ad delictum) huiuscemodi hostias dei miseratione prouisas, quibus si vnquam lapsus acciderit, per rationabile obsequium & hostias eo modo quo suprà diximus immolatas reparari possit anima ac restitui ad salu-
2.Cor.1. tem. Quod autem multæ sunt misericordiæ dei, designat Paulus in secunda ad Corinthios, dicens: Benedictus Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum. Audi Deum sicut Christi pater est sapientiæ pater est, & iustitiæ pater est (quæ omnia Christus st) ita esse misericordiarum patrem. Ergo Christus si-
I cut & cætera omnia, & misericordia est: ipse est misericordiæ multæ non vna: hoc est sicut thesauri sapientiæ & scientiæ in ipso sunt, sed sunt absconditi, ita & misericordiæ thesaurus in ipso est, sed est absconditus: ne forte si ad subitum & ante tempus proferatur, faciat me, & si quis mihi similis in desidia esse voluerit, negligentem. Videbitur ergo præcipue hostia viuens, & sancta, & deo placens, corpus esse incontaminatum. Verum quoniam videmus nonnullos sanctorum, aliquos etiam apostolorum habuisse coniugia, non vsquequaque possumus de sola virginitate sentire, quamuis in huiuscemodi hostiis habere priua ordinem possit: sicut in lege, alia erat hostia sacerdotis, alia principis, alia synagogæ, & alia vnius animæ. Et quámuis in ecclesia prima post apostolos hostia martyrum, secunda virginum videatur, tertia continentium, puto tamen quod neque illi qui in coniugiis positi sunt, & ex consensu ad tempus vacant orationi, velut Nazaræorum vota soluentes, si in cæteris sancte agant & iuste, negandi sunt corpora sua exhibere posse hostiam viuentem, sanctam, deo placentem. Nec rursum corpora virginum vel continentium, si aut superbiæ macula, aut auaritiæ sordibus aut linguæ maledicæ, vel mendacij immunditia polluantur, hostiam sanctam & deo placentem putanda sunt ex sola virginitate corporis obtulisse. Quia in lege hostia cum offerretur, inspiciebatur à sacerdote diligentius non solum si ex mundis esset animalibus, sed ne aut in oculo K
habeeet vitium, aut in auribus, aut in pedibus, ne claudum, ne luscum, ne euulsum diuino admoueretur altari. Sic ergo per omnia membra discutitur & pertractatur hostia viuens, sancta, deo placens, quæ rationabiliter offeréda est. Et nolite conformari huic seculo.] Sciendum est quod in Græco habet, Vt probetis quæ sit voluntas dei bona & beneplacita & perfecta. Sed nos quia vnus in vtroque potest sensus videri, consuetudinem sequimur Latinorum. Nolite, inquit, cóformari huic seculo. In quo ostendit esse quandam formam huius seculi, & aliam esse seculi futuri: & si qui sunt qui amant præsens seculum, & ea quæ sunt in hoc mundo, secundum formam seculi præsentis aptantur: qui verò non respiciunt ea quæ videntur, sed quæ non videntur & æterna sunt, transformátur & renouantur ad futuri seculi formam. Et inde fit vt nó agnos- 1.Cor.15.
cat eos hic mundus, sed odio habeat & persequatur, sed agnoscant istam formam angeli dei, qui sunt de illo seculo venturo. Et simile mihi videtur esse hoc, dicto illi quo ait: Sicut portauimus imaginé terreni, portemus & imaginé cœlestis. Vide ne forte cum venerit ira in cor tuum, conformem te facias huic seculo, similiter & cócupiscentia mala, & auaritia, & cætera quibus præsens seculum delectatur, formam tibi præsentis seculi imponant. Si verò econtrario mansuetudo, patientia, lenitas, continentia, L
fides, veritas, cæteræque virtutes habitent in sensu tuo, Cant.4.
conformé te futuri seculi facient, & ita pulchram animæ tuæ speciem reddent, vt verbum dei quod despondit eam sibi in misericordia & fide, dicat ad eam: Tota es formosa amica mea, & macula non est in te. Intende autem diligentius quod ait: Sed reformamini in nouitate sensus vestri.] Vt ostendat formam quidem culpabilem. Prius enim formam malitiæ habuit omnis anima. Sed adhortatur ea hoc sermo apostolicus, vt illa abiecta ad singularum virtutum speciem reformemur, & ita demum possimus reuelato vultu cordis domini gloriam speculari ab huiusmodi imagine transformati. Quomodo autem in hoc transformemur ipse docet dicens: In renouatione sensus nostri. Renouatur autem sensus noster per exercitia sapientiæ, & meditationem verbi dei, & legis eius intelligentiam spiritalem: & quantum quis quotidie ex scripturarum proficit lectione, quanto altius intellectus incedit, tanto semper nouus magis & quotidie nouior efficitur. Nescio autem si potest renouari sensus qui piger est erga scripturas diuinas & intelligentiæ spiritalis exercitia, quibus possit non solum intelligere quæ scripta sunt, verum ea applicare apertius, & manifestare diligentius. Potest tamé fieri vt non omnis sensus in hoc possit renouari, vt agnitione scientiæ dilatetur. Potest enim renouari sensus ad iusti-
tiam, ad continentiam, ad misericordiam, fidem, patien- M
tiam. Sed vide quid in sequentibus huic renouationi sensus adiungat apostolus: Vt probetis quæ sit voluntas dei, quod bonum & beneplacitum, & perfectum.] Et vtique nisi ad omnes renouatus sit sensus, & totus dei sapientia illuminatus, probare non potest quæ sit voluntas dei. In multis enim putatur esse voluntas dei, & non est. In quo is vtique qui sensum non habet renouatum, errat, & fallitur. Est autem re uera non cuiusque sensus, sed valde renouati, & (vt ita dicam) ad dei iam imaginem reformati, probare in singulis quibusque quæ agimus, quæ loquimur, quæ cogitamus, si sit voluntas dei, & nihil omnino vel agere, vel dicere, vel cogitare quod voluntati dei non senserit conuenire. Quæ sit, inquit, voluntas dei, quod bonum, & beneplacitum, & perfectum. Non potest aliud velle deus, nisi quod bonum est & vtique quod bonum est & perfectum, sine dubio hoc deo placet. Si verò secundum hoc quod diximus apud Græcos haberi, id est vt probetis quæ sit voluntas dei bona & beneplacita & perfecta, potest quidem idem quod suprà diximus, videri, quod omnis voluntas dei bona sit, & beneplacita & perfecta. Potest autem & tale aliquid in his sermonibus sentiri, quia dei quidem voluntas semper bona est, sed non semper eius bona voluntate dispensari meremur, neque

beneplа-

A beneplacita & perfecta. Verbi causa, vt vngeretur Saul in regem, fuit quidem voluntas Dei, sed non beneplacita, neque perfecta: Irascens enim populo, qui refutauerat Deũ habere super se regem, regem eis hominem iussit iratus. Sed & propheta ex persona Dei dicit: Dimisi eos secundũ desideria cordis eorum, vt irent in cupiditatibus suis. Sic ergo aliquando fit voluntas Dei in his quibus concupiscimus & desideramus. Sed & qui renouatus est sensu, probare debet si voluntas Dei hæc bona est, beneplacita atque perfecta: & non talis quæ magis desideriis nostris indulgeat, quàm vtilitatibus consulat. Sed iam ad sequentia conuertamur. Dico enim per gratiam, quę data est mihi omnibus qui sunt inter vos.] Sciendum primo est, quia vbi nos habemus, omnibus qui sunt inter vos, in Gręco habetur, Omni qui est inter vos. Qui sermo vtique ad eos indicat verbum fieri, qui cum ante non fuerint, nunc esse cœperunt. Deus enim (vt dicit apostolus) vocat quæ non sunt tanquam quæ sunt: Non sunt autem hi qui participes non sunt eius qui vere est, qui dicit ad Moysen: Hæc
Exod. 3. dices filiis Israel, qui misit me ad vos. Quod ergo ait Paulus: Dico enim omnibus qui sunt inter vos, vel vt in græcia haberi dicimus, omni qui est in vobis, simile est ac si diceret: dico enim omni qui in Deo est, non plus sapere quàm oportet sapere. Veruntamen videndum est, quia Paulus
1 Cor. 2. (sicut & in aliis dicit) non in suasoriis sapientiæ carnalis
B verbis, sed per gratiam quæ sibi data est loquitur. Est enim multa differentia per gratiam loquentis, & per humanam sapientiam. Denique ex rebus ipsis sæpe compertum est, nonnullos eloquentes & eruditos viros non solum in sermone, sed & in sensibus præpotentes, cum multa in ecclesiis dixerint, & ingẽtem plausum laudis acceperint, neminem tamen auditorum ex his quæ dicta sunt compunctionem cordis accipere, nec proficere ad fidem, nec ad timorem Dei ex recordatione eorum quæ dicta sunt incitari, sed suauitate quadam, & delectatione sola auribus capta discedunt: sæpe autem viros non magnæ eloquentiæ, nec compositioni sermonis studentes, verbis simplicibus & incompositis multos infidelium ad fidem conuertere, superbos inclinare ad humilitatem, peccãtibus stimulum conuersionis infigere. Et hoc vtique signi est, sicut in præsenti apostolus dicit, per gratiam loqui quę data est ei. Ego autem puto, non solum in verbo Dei ecclesiam docentibus adesse gratiam, si talis sit sermo qualem supra diximus qui auditorem non tam delectet, quam stimulet, & ad profectum aliquem virtutis adducat, sed & in omnibus fere quæ aguntur in vita, ita esse deprehendet. Est enim aliquis qui & quod agit & quod loquitur, habet gratiam: & alius qui interdum & prudentius loquitur & diligentius ac laboriosius agit, neque in verbis, neque in gestis suis inuenit gratiam. Denique sicut & in aliis iam scriptum
C esse diximus, quia & Ioseph inuenit gratiam in conspecto principis carceris, & Hester inuenit gratiam apud regem. Reperimus autem in quodam secretiore libro scriptum
Gen. 49. quasi angelum quendam gratiæ, qui etiam vocabulum ex
Hest. 1. gratia traheret. Anahel enim dicitur, quod est interpretatum gratia Dei. Hoc ergo scriptura illa cõtinebat, quod missus esset à domino iste angelus ad Hester, vt ei gratiam daret apud regem. Sic ergo alia virtus est sermonis, qui per gratiam dicitur: & alia vis doctrinæ, quę potestas vocatur. Alius sermo est ex eruditione communis, qui quamuis lautus sit, & arte compositus, tamen si non per gratiam vel dicitur, vel scribitur, delectare fortassis potest legentem, adducere autem ad profectum non potest auditorem. Paulus igitur non solum ista quæ dicit per gratiam dicit, sed & auditoribus suis precatur gratiam dari, & non solum gratiam, sed & multitudinem gratiæ. Sic enim scribit: Gratia vobis multiplicetur. Et in omnibus epistolis suis dicit, Gratia vobis, & pax. Sed videamus quidem quod per gratiam quæ data est sibi, apostolus dicit omnibus qui sunt inter Romanos: Non plus sapere quàm oportet sapere ad sobrietatem.] Videtur adhuc ad superbientes ramos oleastri, & insultantes quidem bonæ oliuæ, etiam hunc aptare sermonem, & dicere eis, non debere plus sapere quã oportet sapere. quod simile est illi sermoni quem dicit D
Noli superbe sapere quàm oportet. Sciendum tamen est, quod & cæteri eruditi viri vtuntur hac definitione, vt naturam vel causam peccati in eo ponant, si addatur aliquid virtutibus, aut minuatur. Verbi gratia, Iustitia virtus est: & si quid minus aliquis faciat quam iustitia patitur, sine dubio iniustus est. Si quis verò sub specie iustitiæ erga vindictas nimius fiat, & leuius agat, in vltionis crudelitatem ex iustitia deuolutus est. Vnde & Salomon dicit: Noli fieri in multo iustus. Similiter & libertas si intra tempera- Eccl. 7.
ntiam suam sit, virtus est: si minus habet, timiditas: si amplius, temeritas nominatur. Pari modo & prudentia si in sua mensura sit, virtus est: si minus habeat imprudẽtia: si plusquam oportet, malitia appellatur. Inde puto quod & Gen. 3.
serpens in paradiso prudentior dictus sit cæteris bestiis, hoc est excedens prudentiæ mensuram, & in partes malitiæ prolapsus. Inde & filij huius seculi prudentiores dicũtur quam filij lucis: plus enim sapiunt quàm oportet sapere. Et sic in singulis quibusque virtutibus potest aliquis Luc 16.
plus sapere quàm oportet. Potest aliquis etiam in castitate plus sapere quam oportet sapere, vt sunt illi qui attendunt spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorũ E
in hypocrisi falsa loquentium, cauteriatam habentes conscientiam suam, prohibentium nubere, & abstinere à cibis quos deus creauit. Isti plus sapiunt de castitate quã oportet. Minus autem sapit quàm oportet luxuriosus & incestus. Ego autem dico quod hæretici plus sapiunt de Christo quam oportet sapere, qui negant eum filium Dei creatoris esse, sed alterius nescio cuius melioris Dei. Sed & illi plus de Christo sapiunt quàm oportet sapere, qui negant eum in carne venisse, & natum esse de virgine, sed cœleste ei corpus assignant. In his ergo omnibus Paulus nos vult non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Quod in Græco dicitur sophrosyne, in nostris codicibus, hoc est in scripturis diuinis, sobrietas à maioribus interpretatum est.
Ab aliis tamen eruditis viris tẽperantia ponitur: quę temperantia vna ex quatuor generalibus virtutibus habetur. Et in hoc loco ergo melius apostoli dicta lucerent, si haberemus & nos scriptum secundum græci sermonis virtutem, sed sapere ad temperantiam: id est, vt in omnibus quę agimus, vel quæ loquimur, vel quæ sentimus, temperantiam teneamus. In iis enim quæ suprà enumerauimus, neque amplius, neque minus fieri debere, sed modum seruare, nouit sola temperantia. Post hæc ait. Et vnicuique sicut deus diuisit mensuram fidei.] Hoc est vt sciat vnusquisque & intelligat quæ in eo sit mensura gratię Dei, quã cõsequi meruit per fidem. Interdum enim accidit, vt quis à Deo sapiat in opere charitatis, aut vt sapiat in officio visitandi, aut erga misericordias pauperum, aut circa debiliũ curam, aut erga viduarum & pupillorum defensionem, aut erga hospitalitatis solicitudinem. hæc ergo singula diuisit F
vnicuique deus secundum mensuram fidei. Sed si is, qui accepit gratiam vt de vno aliquo horum saperet, non intelligit mensuram gratiæ sibi datæ, sed velit sapere de sapientia Dei, de verbo doctrinæ, de profundioris scientiæ ratione, in quo gratiam non accepit, & non tam discere velit, quam docere quæ nescit, iste cum minus sapiat, plus vult sapere quàm oportet. Non enim sapit ad temperantiã vt custodiat vnicuique sicut deus diuisit mensuram fidei. Verum vt euidentius adhuc apostolus designaret, introducit exemplum & dicit. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.] Ordinatissime per hæc componens omne corpus ecclesiæ: vt sicut membra corporis singula quæque proprios habent actus, & officiis suis vnumquodque deseruit, nec tamen possibile est vt nõ consensu mutuo sibi inuicem cedant: ita, inquit, & in ecclesia quæ est corpus Christi, diuersos singuli habemus actus. Verbi gratia: Alius studium omne erga sapientiam Dei & doctrinam verbi adhibet, & in meditatione legis diuinæ die ac nocte persistit, & est magni huius corporis

G oculus: alius, vt suprà diximus, erga ministerium fratrum,
& indigentium curam, & est sancti huius corporis manus.
Alius studiosus auditor verbi dei, & auris est corporis.
Alius ad visendos decombentes, & requirendos tribulan-
tes, & positos in necessitatibus eruendos est impiger, &
pes sine dubio ecclesiastici corporis appellatur. Et ita in-
uenies vnumquenque pro posse erga vnum aliquod offi-
cium spiritale operam dare, cætera verò sequentia habe-
re. Neque enim hoc dicimus quod vnum sufficere debeat,
sed secundum formam propositi exempli: sicut verbi gra-
tia, oculus spiritale officium habet vt videat, veruntamen
est ex omnibus & in omnibus membris, & cum singulis
agit omnia, & cum ipso singula quæque agunt omnia: Ita
& qui per gratiam fidei vnum aliquod bonum spiritale
meruit, illud quidem principaliter administrat, in omni-
bus verò actibus socius cum cæteris habetur & particeps.
Quomodo autem corpus istud in Christo sit, id est in ve-
ritate, & sapiētia, & iustitia, & sanctificatione, quæ omnia
Christus est, sæpe iam diximus. Iam verò si in hoc corpo-
re, verbi gratia, vt sit aliquis oculus, quod est in corpore
toto nobilius, vel manus quod sequenti loco haberi po-
test, aut auris, aut lingua, aut cætera quæque quæ videntur
honestiora esse: & rursus vt sit aliquod aliud membrum
ex his quæ videntur inhonestiora esse, ipse aliquid causæ
præstitit, an dei voluntate absque vllis omnino causis ille
H illud vel illud constitutus sit membrum, supra nostram
intelligentiam esse puto. Verum ne hi qui naturas diuer-
sas asserunt animarum, & à diuersis conditoribus institu-
tas, locum confirmandi dogmatis sui inuenire videantur,
ea quæ nobis in superioribus de vasis honoris & vasis cō-
tumeliæ disserta sunt, etiam præsenti sufficiant loco. Nun-
quam enim concedendum est, vt siue in præsenti, siue in
præteritis, siue etiam in futuris seculis, nō ita vnumquen-
que dispenset diuina prouidentia, vt vniuscuiusque meri-
tum arbitrij libertate collectum materiā præbeat dispen-
santi. Iustus est enim deus, & iniustitia nō est apud deum.
Habentes donationes secundum gratiam quę data est no-
bis differentes, siue prophetiam secūdum rationem fidei,
siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctri-
na, qui exhortatur in exhortando.] Cum dixisset singulos
quosque credētium membra esse vnius corporis Christi,
nunc quasi diuersorum membrorum diuersitatem operis
dinumerat. Verbi gratia, velut oculo visum, ita menti quæ
est interior oculus, prophetiæ assignat officiū, & alij tan-
quam manui ministerium ascribit, alij tanquàm linguæ
doctrinam tribuit: similiter etiam cætera. Illud quoque
quod nobis in superioribus ambiguum videbatur, absol-
uit, vbi quærebamus vtrum vnumquodque membrum
I ad honesta, vel minus honesta corporis officia aliquid ea
se causæ præbendo venerit: an nullis ex causis, sed sola dei
voluntate honestum, vel minus honestum esse membrum
vnicuique delegatum sit. Quod ergo ibi minus nobis gla-
rum fuit, hic apostolus euidenter aperuit dicens, siue pro-
phetia, siue ministerium, siue reliqua dona gratiarum se-
cundum rationem fidei dari: quamuis sermo iste, hoc est
rationem fidei, apud Latinos minus proprie translatus vi-
deatur. ἀναλογία enim in Græco, non tā ratio quàm men-
sura competens dici potest, vt quia vno non potest, duo-
bus sermonibus explicetur. Secundum ergo fidei mensu-
ram vnicuique diuersitatis dati pronunciat gratiarum, vt,
verbi causa, accepta quis gratia illud vel illud membrum
in Christi corpore fiat. Et hic quidem mēsuram fidei cau-
1.Cor.12. sam capiendarum posuit gratiarum: ad Corinthios verò
scribens ait. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus
ad id quod expedit. & post pauca addit: Omnia autē ope-
ratur vnus atque idem spiritus, diuidens vnicuique prout
vult. Vnde mihi videtur tam ad Romanos quàm ad Co-
rinthios scribens, tres capiendæ gratiæ modos docere, vt
ex nobis in eo agi aliquid ostendat, plurimum tamen in
dei largitione consistere. Ponit ergo & mensuram fidei
esse, per quam quis gratiam capit: ponit & ad id quod ex-
pedit, & spiritū diuidere prout vult. Vt ergo in nobis tan-
ta fides inueniatur, quanta possit sublimior gratia prome-
reri, nostri operis videtur & studij: vt autem ad id detur K
quod expedit, & vtile sit accipienti, dei iudicium est, vel
omnino si dari velit in ipso est. Ideo & in aliis idem apo-
stolus dicit. Nunc autem deus posuit in corpore vnum-
quodque membrum, prout voluit. Voluit autem deus se-
cundum fidei mensuram quæ est in nobis, vel voluit ad id
quod expedit. Nisi forte & ita aliquis hoc velit intellige-
re. Deus posuit in corpore vnumquodque mēbrum prout
voluit, vt voluit ad membrum magis referatur, hoc est
prout voluit, prout elegit, prout operam dedit, ne videa-
tur de homine arbitrij potestas auferri. Verūtamē ex hoc,
quod ait dari gratiam ad id quod expedit, potest fieri vt &
si sit in aliquo mensura fidei, tantóque excellētiorem gra-
tiam mereatur accipere, si sanctus spiritus futura prospi-
ciens expedire accipienti non iudicet, necessario diuidat
vnicuique prout vult & expedit. Denique nonnullos vi-
demus accepisse gratiam doctrinæ vel exhortationis ad
plebem, & ex hoc ipso elatos atque in superbiam versos
in iudicium incidisse diaboli: alios accepisse quidem gra-
tiam, sed negligentia animi & vitæ desidia corrupisse: vn-
de erat ille qui acceptum denarium in sudario colligauit,
2.Tim.4. nec operari ex eo aliquid voluit. Propterea denique &
apostolus scribit ad charissimum sibi filium dicens, Noli
negligere gratiam quæ in te est: tanquam sciens posse gra-
tiam per negligentiam deperire. Quod autem dicit secun- L
dum rationem vel mensuram fidei, puto iam plene in su-
perioribus expositū quæ sit fides quæ a nobis requiratur,
& quæ sit quæ à deo per gratiam datur secundum hoc
quod idem apostolus dicit, Alij fides in eodem spiritu: & Luc.17
item vbi ad dominum dicunt, Auge nobis fidem: quod fi-
des quidē quæ speret & credat, & absque vlla dubitatione
confidat, in nobis est: ratio verò fidei ipsius & scientia &
perfectus eorū intellectus quæ credimus, donatur à deo.
Sed & illud in hoc loco non omittamus, quod videtur se-
cretioris esse mysterij. Si enim in præsenti seculo dat deus
vnicuique gratiam secundum mensuram fidei, sine dubio
& in futuro dabit vnicuique gratiam pro mensura meri-
torum: & si in præsenti seculo talis est dispensatio dei, ta-
lis erit etiam in futuro: quomodo non præteritis seculis
quæ fuerunt ante nos, similis dei dispensatio erga omnem
rationabilem creaturam fuisse crederetur? Sed iam videa-
mus quæ sunt dona quæ enumerat secundum gratiam da-
ta: Prophetia inquit est, ministeriū & doctrina, & exhor-
tatio, & tributio, hoc est præstatio, & præesse, & misereri,
his iungit charitatem & cætera. De quibus dicet fortasse
aliquis: Si hæc omnia per gratiam dat, non erit in culpa si
quis non prophetet aut non ministret, aut non doceat, aut
non exhortetur, aut non tribuat, aut non præsit, aut non
misereatur, aut non diligat, quia horum omnium gratiam M
non accepit. Sed ad hęc dicemus: sicut est fides quàm do-
cuimus esse in nobis, & rursus est fides quę per gratiam
datur, sicut suprà diximus scriptum esse. Alij fides in eo-
dem spiritu: ita etiam in vnoquoque horū quę suprà enu-
merauimus à deo per gratiā dari, erit & in nobis aliquid,
ad cuius vnusquisque mensuram vel rationem gratiam
promeretur. Neque enim de sola sapientia accipiendum
illud quod scriptum est, quia si sit aliquis perfectus in fi-
liis hominum, si desit ei sapientia quę ex deo est, ad nihi-
lum deputabitur. Eodem namque modo possumus dice-
re, etiam si sit aliquis perfectus in filiis hominum, si desit
ei fides quę ex deo est, in nihilū reputabitur: ita & si per-
fectus sit in doctrina quis, & desit ei doctrina gratię quę
ex deo est, in nihilum reputabitur. Et ita in omnibus quę
enumerata sunt, est quędā perfectio inter filios hominum
quam labore & studiis propriis assequuntur, siue in sapiē-
tia, siue in doctrina, siue in aliis officiis: quę tamen si non
habeant gratiam à deo datam, nihil erunt. Quia si desit
eis gratia spiritus, nec membra esse corporis Christi pos-
sunt. Sed in his quęritur, si potest esse aliqua in nobis vel
ex nobis prophetię species, quę nō totum habeat ex deo,
sed aliquantulum ex humanis studiis capiat. Hoc quidem
apud cęteros valde impossibile videbitur, apud Paulum
tamen euidenter probatur dicentem, Æmulamini autem 1.Cor.12.
dona

A dona maiora, magis autem vt prophetetis. In quo quis æmulatur in ministerium, & doctrinam & exhortationem, & cætera, per hoc quod adhibet erga hæc studium & laborem, ita vt erga prophetiam fieri debere ostendit apostolus. Vnde prophetia intelligenda est hæc, quam docet
1. Cor. 14 apostolus non illam esse per quam dicitur: Hæc dicit dominus: illa enim vsque ad Ioannem: sed illam de qua ideo apostolus ait, Qui prophetat, omnibus loquitur ad ædificationem & exhortationem & consulationem. Prophetia autem dicitur apud Paulum cum quis loquitur hominibus ad ædificationem & cum loquitur ad exhortationem & consolationem: & ideo adhibere studium ad huiuscemodi prophetiam possibile nobis est, & in nostra potestate, vt nobis in dei opere sudantibus secundum rationem & mensuram fidei, si hæc facimus addat & illam quæ ex deo est prophetiam. Est autem secūdum apostolum etiam alia species prophetiæ, quam dicit: Si verò prophetetis intret autem quis infidelis, vel idiota, arguitur ab omnibus, iudicatur ab omnibus, occulta quoque cordis eius manifesta sunt, & tunc cadens in faciem pronunciabit quia vere deus in nobis est. Sicut enim spiritus dei omnia scrutatur, ita & verbum dei omnia quæ in occulto sunt perscrutatur: maxime cum verbum viuens sit & efficax, & penetrabilius omni gladio vtrioque acuto, penetrans vsque ad
B diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque & medullarum. Etenim cum oramus in ecclesia, & sermo tractatur, tunc vnusquisque intra semetipsum cōscientia stimulatur recognoscente ea his quæ dicuntur propria peccata, recordante si qua forte in occulto commiserit. Interdū autem existimatio ipsa prudentium, vel cautelæ, vel ex moribus motu vniuscuiusque colligentium prophetiæ speciem tenet. Hęc nobis de prophetiæ vel ex gratia dicta sint. Post hæc sequitur: Siue ministerium in ministrando. Possumus hæc omnia ad illam reuocare regulam, quæ superius dicta est: hæc est: Non plus sapere quam oportet sapere. vt verbi causa dicamus, non debere eum qui ministrat, in ministrādo plus sapere quàm oportet: & qui docet, in doctrina nō plus sapere quàm oportet: & qui exhortatur, in exhortando non plus sapere quam oportet sapere. Multi enim accepto ministerio vel accepta doctrina plus sapuerunt quàm oportet sapere: & elati in arrogantiam, vel in delitiis resoluti, præcipites corruerunt. Qui exhortatur in exhortando. Species est doctrinæ & verbi, quo afflictæ animæ scripturarum diuinarum prudenter aptatis & in vnum collectis sermonibus releuantur. Accidit enim sæpe animæ tribulationum nimietate desperatio, nec facile reparari, aut refici quibuscunque verbis potest, quamuis polita illa sint & plausibilia. Si vero sermo habens virtutem gratię dei
C fuerit adhibitus, tunc cor eius penetrat, & consolationem pręhet, ad spem reuocat desperatione submota, secundum quod per prophetam dictum est à domino: Sacerdotes loquimini in corde Hierusalem. Qui tribuit, in simplicitate. Qui pręest, in sollicitudine. Qui miseretur, in hilaritate.] Qui tribuit & pręstat indigentibus, oportet inquit in simplicitate cordis hęc facere: hoc est ne videatur quidem indigentibus bene facere, corde verò laudem quęrat ab hominibus. Non est ergo simplicitas si aliud agi videatur in manibus, & aliud quęratur in corde. Qui autem pręest fratribus, vel qui pręest ecclesiæ, in sollicitudine esse debet non humanarum causarum, nec secularium rerum: Hęc enim sollicitudo aliena debet esse ab his qui ecclesiæ pręsunt: sed talem recipiant sollicitudinem qualem apostolus dicit, Concursus in me quotidianus sollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror? Qui ergo pręest ecclesiis talem sollicitudinem habere debet, & illam aliam secularem omnino habere non debet. Qui miseretur, in hilaritate. Videtur fortassis vnum atque idem esse quod suprà dixerat. Qui tribuit, in simplicitate, & hoc, id est qui miseretur, in hilaritate. Sed mihi videtur vnum fortasse opus esse, non tamen operis ipsius vnus affectus. Aliud est enim dare indigenti, & aliud affectu misericordiæ cum indigenti partiri: & ideo non vult in tali opere esse tristitiam. Qui enim erogat pecuniam suam, si in- D
fidelis sit, & recepturum se desperet, necessario tanquam qui eam perdiderit contristatur: Qui verò cum fide & spe hoc agit, in hilaritate & lætitia agit, certus & quòd parua hęc quę pro mandato dei expendit indigentibus, sibi opera cœlestium diuitiarum, insuper autem & æternam conferant vitam. Charitas sine simulatione.] Ego puto quod omnis charitas quæ non est secundum deum, simulata sit, & veritas non sit. Etenim creator animæ Deus idcirco ei cum cæteris virtutibus etiam affectum charitatis inseruit, vt diligat deum, & ea quæ vult Deus. Cum ergo hoc opus anima dedit charitati, quicunque aliquid aliud dilexerit quàm deum, & quæ deo placent, charitas in eo ficta & simulata dicenda est. Sed & si quis proximum suum diligat, & cum errantem eum viderit non commoneat, non corrigat, simulata ista charitas dicenda est. Et ideo nihil habere adulatorium, nihil fucatum charitas debet, sicut & alibi idem apostolus dicit: Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Odientes malum, adhæ- 1. Tim. 1.
rentes bono.] Mirum fortasse si quidem inter cætera bona virtutum assumitur etiam odium, & tanquam necessario ab apostolo ponitur. Vnde certum est inesse animæ odij affectum: est enim laudabile odisse vitia, odisse peccata. Nisi enim quis odio habeat vitia, non potest amare, nec conseruare virtutes. Verbi gratia, Si quis pudicitiam custodire proponat, non potest eam tuto seruare nisi odium E
quoddam & execrationem aduersum impudicitiam sumat. Difficilis enim & valde difficilis est illa continentia, vbi desideratur illud à quo abstinetur, & cupiditas animi solo metu futuri iudicij refrenatur. Periculosa hæc valde periculosa sunt, nisi secundum consilium apostoli odientes malum & peccata, & quodāmodo aduersum ea odiorum bella peragentes, adhæreamus bono. Obseruandum etiam hoc, quòd sicut in aliis dicit, Qui adhæret domino vnus spiritus est, ita & hic dicit, adhæreamus bono, sine dubio vt contingat nobis vnum esse cum bono. Charitatem fraternitatis inuicem diligentes.] Hoc est manda- Ioan. 15.
tum, vt diligamus inuicem, sicut & Deus dilexit nos. Cum sit primum post primum: primum namque est diligere deum, & inter homines iterum hoc primum est, vt inuicē diligamus: nescio quomodo quasi vltimum & minus necessarium inter homines spernitur, & odium quod nobis insitum esse diximus ad hoc vt mala odio habeamus, præpostero ordine exercemus in bonis, & vitia carius ac peccata diligentes fratrem odio habemus. Nec aliter accidit odisse nos quem non oportet, nisi quia diligimus quæ non oportet. Si enim putas aliquem impium esse, & ideo non iudicas eum diligendum, audi quod Christus pro impiis mortuus est. Aut si quia peccator est frater tuus, ideo eum F
non putas diligendum, audi quia Christus in hunc mundum venit peccatores saluos facere. Si verò iustus est, multo magis dilectione dignus est. Dominus enim diligit iustos. Honore inuicem præuenientes.] Hoc est quod & dominus docuit, cum notaret scribas & Pharisæos prima sibi loca in conuiuiis vendicantes, & docet, vt cum vocatus fueris ad cœnam in nouissimo recumbas. Sollicitudi- Luc. 14.
ne nō pigri.] Superius eum qui præest, in sollicitudine debere esse commonuit: nunc verò omnibus dat hoc in cōmune mandatum, ne quis nostrum audiat à domino, Serue male & piger. Spiritu feruentes.] Et hoc integrum spectat. Vult enim, vt nos qui sub lege spiritus viuimus, nihil remissum, nihil tepidum habeamus in nobis, sed cum feruore spiritus, & calore fidei cuncta peragamus. Domino seruientes.] Ille domino seruit, qui potest dicere: Nobis vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum: nec vltra ei aut libido, aut auaritia, aut inanis gloria dominatur. Scio autem in nonnullis latinorum exempla-
ribus haberi: Tempori seruientes: quod mihi videtur in- 1. Cor. 7.
conuenienter insertum, nisi quis forte ita dictum putet. vt in aliis idem apostolus ait: Tempus breue est, superest vt qui habent, tanquam non habentes sint: vel vt illud dictum est, Redimentes tempus quoniam dies mali sunt. Spe gaudentes, in tribulatione patientes.]

G Spe gaudet qui non respicit ea quæ videntur, sed ea quæ non videntor expectat: & qui scis quia non sunt códignæ passiones huios temporis ad futuram gloriam quæ seoelabitur in nobis, idem ipse & in tribulatione patiens erit, quia tribulatio patientiam operatus, patientia probationem, probatio verò spem: si tamen sermonem qui subsequitur impleamus, id est Orationi instantes.] In quo enim non sufficit humana fragilitas, auxilium dei orationibus implorandum est. Vsibus sanctorum communicantes.] Memini in latinis exemplaribus magis haberi Memotus sanctorum communicantes: verum nos nec consuetodinem turbamus, nec veritati præiudicamus, maxime cum vtrumque cóueniat ædificationi. Nam vsibus sanctorum honeste & decenter non qoasi stipem indigentibus præbere, sed censum nostrum cum ipsis quodammodo habere communem, & meminisse sanctorum siue in collectis solénibus, sioe pro eo vs ex secordatiooe eorum proficiamus, aptum & conueniens videtor. Hospitalitatẽ sectantes.] Quàm digne hospitalitatem sectantis magnificentiam vno sermooe cóptehendit. Dicens enim sectandam esse hospitalitatem, non illud solum ostendit, vt venientem ad nos hospitem suscipiamus, sed & requiramus, & solicitissimos, & sectemus, ac pesquiramus vbique hospites, ne forte in plateis sedeant, ne extra tectum iaceant.
H Recordare Lot, & inuenies quod noo illum hospites, sed
Gen. 19. ipse quæsierit hospites. & hoc erat hospitalitatem sectari. Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere.) Moralem locum latius apostolus exequens, actus, mentem, propositum, os quoque ipsum discipulorum, linguámque componit, Non vult credentes Christo de ore suo proferre maledictum, sed bene loqui, bene dicere, bene precari. vt ex hoc & boni domini serui, & boni magistri credantur esse discipuli Sciendum tamen est, quod sermo hic benedictionis in scripturis diuerse positus inuenitur. Nam & deus benedicere vel homines, vel cætera quæ creauit, inuenitur. Item homines vel cæteræ creaturæ deum benedicere iubentur. Sed dei qoidem benedictio aliquid moneris semper his qui ab eo benedicútus impartit: homioes verò deú beoedicere, pro eo quod est laudare, & gratias referre, dicuntur. Hic tamen apostolus, Benedicite, & nolite maledicere, quasi cum prouocamur ab inimicis, vel cum instigamur iniuriis, monet ne pro maledictis maledicta reddamus, sed faciamus quod ipse de semetipso scribit vbi dicit, Maledicimur, sed benedicimus. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.)
1. Cor. 4. Habenda est etiam hic competens & apta distinctio. Non enim quibuscunque gaudiis Christianorum gaudia sociãda sunt, nec quibuscunque fletibus lachrymę nostræ iun-
I gendæ sunt. Non enim si videam gaudere aliquem super quæstu pecuniæ, aot possessionum latitudine, aut secularis honoris eminentia, coogratulari debeo talibus, qui sciam quod huiusmodi gaudia luctos sequãtur & lachrymæ. Intantum non est gaudendum de talibus, vt dominus discipulis suis ne inde quidem gaudere concesserit, quòd dæmonia sibi videbant esse subiecta, sed ait eis: Nolite
Luc. 10. gaudere quod dæmonia vobis subiecta sunt, sed gaudete inquit quia nomina vestra scripta sunt in libro vitæ. Et nos igitur si videamus ab aliquo tale opus geri, quod in cœlo scribi dignum sit, siue iustitiæ opus, siue charitatis, sioe pacis, siue misericordiæ, & ita gestum, vt in libro vitæ referri mereatur, debemus gaudere cum talibus. Sed & si quem videamus ab errore conuersum relictis ignorantiæ tenebris ad lucem veritatis veoisse, & remissionem peccatorum & gratiã sancti spiritus meruisse, debemus gaudere com talibus. Similiter autem flere cum flẽtibus, non cum illis qui flent mortuos suos iubemur, aut qui flent damna secularia, scientes quia huius seculi tristitia mortem operatur. Non sunt ergo iungendæ lachrymæ cum talibus, sed cum illis flendum est de quibus dicit dominus, Beati qui flent, qnoniam ipsi consolabuntur. Si qui
Matt. 5. flent pro peccatis suis, si quis post delictum conuertitur ad pœnitentiam, & crutem suom lacrymis lauat, si quis ingemiscit etiam in habitaculo isto positus, & ad Christum redire desiderat, & secundum desiderium lachry- K
marum profusione lauatur, iungamus cum talibus lachrymas nostras. & gemitus sociemus. Tristitia quæ secúdom deum est salutem stabilẽ operatur per pœnitentiam. Idipsum inuicem sentientes.] Sermo iste non natura sui, sed interpretatione obscurior factus est. hoc est enim quod dicit, vt ita de fratre sentiamus, vt de nobis ipsis, & ita velimus proximo, sicut & nobis volumus: vt in euan-
Matt. 7. gelio dominus dicit: Quæ vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis. Non alta sapientes, sed humilibus consentiẽtes.] Superbiam super omnia refugiendam doces. hoc enim beneplacitum est deo. Et merito superbia fugienda est, cum scriptum sit: Quia initium disce-
Eccl. 10. dendi à deo superbia est. Vnde apostolus in vno sermone institutionem humilitatis commendat. Consentire enim humilibus, amare humiles, atque inclinare se ad eos, hoc est consuescere imitari eum qui cum in forma dei esset formam serui suscepit, & humiliauit se vsque ad mortem. Nolite esse prudẽtes apud vosmetipsos.] Qui sibiipsi prudens esse videtur, hic cum arrogantia stultus est, nec potest veram sapientiam dei scire, qui suam stultitiam quasi sapientiam colit. Denique in superioribus hanc fuisse incredulitatis causam Iudæis, ipse Paulus edocuit, dicens de
Rom. 10. eis: Quia ignorantes dei iustitiam & suam iustitiam quærentes statuere, iustitiæ dei non sunt subiecti. Sic ergo & L
qui apud semetipsum sapiens est, non potest esse sapiens apud deum. Nulli malum pro malo reddentes.] Si malum inferre peccare est, & reddere malum non vt quibusdam videtur iustum est, sed simile peccatum est, aut (vt ego arbitror) etiam grauius: Nam ille qui malum prior intulit, nó sentit malum esse quod fecit. Qui autem reddidit malum, eo ipso quo ad vlciscendum est motus, confessus est sensisse malum esse quod reddidit. Et ideo respiciendum
Deut. 32. est semper ad eum qoi dixit, Mihi vindictam & ego retribuam, dicit dominus. Prouidentes bona non tantum coram deo sed etiam coram omnibus hominibus.] Coram hominibus, cótraria erit illa apostoli ipsius sententia quæ
Gal. 1. dicit. Ego si hominibus placere vellem, Christi seruus nó essem. Sed qui vitæ suæ ac morum atque actuum tenet libram, vt non possit ab vllo hominum reprehẽdi, iste bona coram omnibus hominibus prouidet. Sed & hoc aduertamus, quomodo non dixit apostolus, hominibus placeamus. sed vt prouideamus bona coram omnibus hominibus. hoc est agamus nos bona coram omnibus hominibus, siue illis placeant quæ bona sunt, siue noo placeant. Si possibile est, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.] Sciens apostolus pacem inter quos pax habetur non ex vna parte, sed ex vtraque constare, ne nos alterius animus si forte impacatus extiterit, à bono pacis impedire videretur, moderatissimum dedit præce- M
ptum: vt inter inimicos noster animus semper sit paratus ad pacem, & discordiæ culpa non penes alterum constet. Sed fortasse dicat aliquis. Quomodo potest fieri vt pacem cum omnibus hominibus habeamus? & quid faciemus de scriptura quæ dicit, Furem videbas & concurrebas cum
Psal. 49. eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas? Ideo ergo apostolus bene addidit: Quod ex vobis est: hoc est, quod proposito vestro & fidei vestræ conuenit: cum malis enim habere pacem & societatem, fidei vestræ propositóque non conuenit. quamuis & alia in loco possit haberi distinctio. Aliud est enim homines amare, aliud crimina diligere. Qui homines amat creaturam dei: qui crimina diligit, diaboli sectator inuenitur. Qui ergo perfecti sunt, hoc ipso quod oderunt crimina, homines amant. & odio habentes in eis illud quod peccant, illud qood deus creauit amare non desinunt. Non vos vindicantes charissimi, sed date locom iræ. Scriptum est enim. Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit dominus. [Hi qui seipsos non vindicant, quomodo iræ locum dent, dupliciter mihi videtur intelligi. Nam & hoc ipso quod (verbi causa) manom manu non referiunt, aot conuitio conuitiom non reddunt, iræ illius qui fecit iniuriam pertranseundi & euanescendi locum dederunt. Nemo enim ita rabidus inuenietur, qui

allata

A illata iniuria si vicem nõ recipiat iterũ sæuiat, sed quasi effuso ac digesto furore, necessario mitescit. Est ergo & grande lucrum vbi & peccantis multitudo compescitur peccatorum, & iniuriæ passio patientia probabilis fit apud Deum. Est autem & hoc modo iræ locum dare, quando pro his quæ inferuntur iniuriis qui peccant secundum ipsius Pauli sententiam iram sibi thesaurizant in die iræ, cum
Rom. 2. cum reddet Deus vnicuique secundum opera sua. Si ergo nosmetipsos vindicemus, non est magnum quod pro iniuria suscepta reddimus: verbi causa, aut palmam pro palma, aut saxum pro saxo, aut pro contumelia sermonis nihilominus contumeliam. Si verò seruemus ea vindictæ Dei, in eo qui læsit nos locum damus iræ: illi sine dubio quam sibi ipse suis malis actibus thesaurizat, quæ de eo in iudicio Dei multo grauiores quam nos inferre possumus exigat pœnas. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.] Hæc quidem & dominus in euangeliis præcipit: Et quamuis in propatulo sit intellectus iste, quo secundum ea quæ supra diximus, inquantum inimicis & lædentibus non solum vicem non reddimus, sed & bona præstamus, iniquorum pœnas eorum in Dei iudicio cumulamus: est enim vere iusta damnatio si arguantur ante dominum iis intulisse mala a quibus perceperint bona: tamen videamus ne forte dignius aliquid mandati huius contineat intellectus. Dicit enim & Hie-
B remias propheta ad peccatricem filiam Babylonis: habes
Esa. 47. carbones ignis, sede super eos, hi erunt tibi in adiutorium. Fortassis ergo & isti carbones ignis qui congregantur super caput inimici, ad adiutorium ipsius congregantur. Potest enim fieri vt amens, ferus & barbarus inimicus, si sentiat beneficium nostrum si humanitatem, si affectum, si pietatem videat, compũctionem cordis capiat, commissi pœnitudinem gerat, & ex hoc ignis in eo quidam succendatur, qui eum pro commisso conscientiæ torqueat, & adurat: & isti erunt carbones ignis qui super caput eius ex nostro misericordiæ & pietatis opere congregantur. Caput verò principale cordis appellatur: & merito caput dicitur, cuius intellectu & prudentia membra reguntur vniuersa. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.] Vincitur a malo, qui malis prouocatus reddit malum. In bono autem vincit malum, qui acceptis malis retribuit bona. Certum est enim hanc esse mali naturam, vt ex similibus suis augeatur & crescat: sicut ignis, si ignem iungas: sicut noctis tenebræ, si aeris nubilum societur. Bonum verò si adhibeas, exterminatur malum. Contraria namque contrariis perimuntur: sicut per aquam ignis extinguitur, & per lucem tenebræ fugantur. Sed fortasse dicat aliquis, Paulum per
C imperitiã sermonis à proposito decidisse: proposuit enim loqui de bonis gratiarum quę per spiritum dantur. Et quidem quod ait, Siue prophetia, siue ministerium, siue doctrina, siue exhortatio, possunt hæc ad dona spiritalia pertinere. Fortassis & hæc quæ sequuntur: Qui tribuit in simplicitate: qui præest, in solicitudine: qui miseretur, in hilaritate: superioribus possunt adiungi. Ea verò quæ post hæc enumerat, vt sit charitas sine simulatione, odiẽtes malum, adhærentes bono, & charitatem fraternitatis inuicẽ diligentes, & honore inuicem præuenientes, & cętera huiusmodi, præcepta potius dicat esse quàm dona. Sed consideremus diligentius ne forte quoniam quidem in his omnibus moralem locum tractare instituit, & non solum in fide veritatis stabilem, verum & immobilem in moribus ornatum facere Christianum, ideo ad munera gratiarum etiam moralia præcepta coniungit, vt ostendat Christianis etiam hæc per gratiam dari Dei. Sunt enim & nonnulli gentilium compositis moribus, & honestis institutis, qui tamen hoc ipsum quod habent, non ad Deum referunt, nec ab ipso sibi datam gratiam cõfitentur, sed aut propriæ industriæ ascribũt, aut super magistris institutoribus gloriantur. Nobis autem ostendit apostolus, omne quod bonum est, à Deo esse, & per spiritum sanctum dari: sicut & Iacobus apostolus dicit: Omne datum bonum, & om-
Iacob. 1. ne donum perfectum desursum est descendens à patre lu-
minum: vt qui gloriatur, in domino glorietur. Videamus D
ergo nunc quid in consequentibus dicat Apostolus.

CAPVT XIII.



OMnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.] Videtur mihi in hoc valde laudabiliter animam nominasse, quam subiacere potestatibus iubet. Nunquam enim dixisset, omnis spiritus subiaceat potestati, sed omnis anima. De qua differentia sæpe iam diximus, quod interdum per animam, interdum per carnem; interdum per spiritum, homo nominatur. Sed cum à parte meliori nominandus est, quasi qui spiritalis intelligi debeat, spiritus dicitur: quando ab inferiore, anima: cum verò à deteriore nominatur, caro dicitur: & horum testimonia de scripturis sæpe protulimus. Nunc ergo quoniam præcepta credentibus ponit apostolus, vult nos quietem quantum in nobis est præsentis vitæ pacemque seruare. Et si quidem tales sumus qui coniũcti domino vnus cum eo spiritus simus, domino dicimur esse subiecti. Si verò nondum tales sumus, sed communis adhuc anima est in nobis quæ habeat aliquid huius mundi, quæ sit in aliquibus alligata negotiis, huic præcepta apostolus ponit, & dicit vt subiecta sit potestatibus mundi. E
Quia & dominus dicit, vt hi qui habẽt in se superscriptio- Matt. 22.
nem Cæsaris, reddant Cæsari quæ sunt Cæsaris. Petrus & Ioannes nihil habebant quod Cæsari redderẽt. Dicit enim Petrus, Aurum & argentum non habeo. Qui hoc non habet, nec Cæsari habet quod reddat, nec vnde sublimioribus subiaceat potestatibus. Qui verò habet aut pecuniam, aut possessiones, aut aliquid in seculo, audiat, Omnis anima potestatibus sublimioribus subiaceat. Non est potestas nisi à Deo.] Dicet fortasse aliquis: Quid ergo? & illa potestas quæ seruos Dei persequitur, fidem impugnat, religionem subuertit, à Deo est? Ad hoc breuiter respondebimus. Nemo est qui nesciat quod & visus nobis à Deo donatus est & auditus & sensus. Cum ergo hæc à deo in potestate nostra sint, tamen vti visu vel ad bona vel ad mala possumus: similiter & auditu, & motu manuum, & cogitatione sensus: & in hoc iustũ iudicium Dei est, quod his quos ad vsus ille bonos dedit, nos abutimur ad impia & iniqua ministeria. Ita ergo & potestas omnis à Deo data est ad vindictam quidem malorum, laudem vero bonorum, sicut idem apostolus in subsequentibus dicit. Erit autem iustum iudicium Dei erga eos qui acceptam potestatem secundum suas impietates, & non secundum diuinas temperant leges: & ideo dicit: Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.] Non hic de illis potestatibus F
dicit quæ persecutiones inferunt fidei: ibi enim dicendum est, Deo oportet obtemperare magis quàm hominibus: sed de istis communibus dicit quæ non sunt timori Act. 5.
boni operis, sed mali. Quibus vtique qui resistit, ipse sibi damnationem pro gestorum suorum qualitate conquirit. Vis autem non timere potestatem: bonum fac & habebis laudem ex illa, Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem male feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in ira ei qui quod malum est agit.] Mouet me in his sermonibus Paulus, quod potestatem seculi & iudicium mundi Dei ministerium dicit: & hoc non semel, sed secundo & tertio reperit. Velim ergo requirere quomodo iudex mundi Dei minister sit.
Inuenimus scriptum in Actibus apostolorum, quia conuenientes in vnum apostoli statuerunt decreta quæ obseruare deberemus nos, qui ex gentibus credimus Christo, in quibus hæc continentur. Apostoli & presbyteri fratribus qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ omnibus qui Act. 15.
ex gentibus crediderant, salutem. Quoniam quidem audiuimus quosdam exisse a nobis & perturbare vos, quibus non mandauimus. Et post aliquanta addidit. Placuit au-

G tem sancto spiritui & nobis, nihil amplius superponi vobis ponderis, præter ea quæ necessaria sunt, vt abstineatis vos ab his quæ idolis immolantur, & sanguine, & suffocatis, & fornicatione, à quibus custodientes vosmetipsos bene agetis. Valete. In his ergo præceptis in quibus dicit nihil amplius imponendum esse oneris his qui ex gentibus credunt, nisi vt abstineant se ab his quæ idolis immolantur, & sanguine, & suffocatis, & fornicatione, neque homicidium prohibetur, neque adulterium, neque furtu, neque masculorum concubitus, neque cætera crimina, quæ diuinis & humanis legibus puniuntur. Quod si illa sola quæ suprà memoraui, obseruanda dicit esse Christianis, videbitur eis de cæteris dedisse licentiam. Sed vide ordinationem spiritus sancti: quoniam quidem cætera crimina seculi legibus iudicantur, & superfluum videbatur ea nunc diuina lege prohibere, quæ sufficienter humana lege plectuntur, illa sola de quibus nihil humana lex dicebat, religiosi videbantur conuenire decernere. Ex quo apparet iudices mundi partem maximam Dei legis implere. Omnia enim crimina quæ vindicari vult Deus non per antistites & principes ecclesiarum, sed per mundi iudices voluit vindicari: & hoc sciens Paulus, rectè eum ministrum Dei nominat & iudicem in eum qui quod malum est agit. Et
H hoc quod dicit de potestate. Fac quod bonum est, & habebis laudem ex ea, altius mihi requirendum videtur. Non enim consuetudo est potestatibus seculi laudare hos qui non fuerint criminosi. Nam peccantes quidem puniunt, non peccantes verò laudare eis mos nullus est. Sed videamus ne forte Paulus etiam cum moralia videtur docere, inserere semper etiam de mysteriis aliquid non omittat. Etenim sciens quòd omnes qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: vnumquenque autem in iudicio illa lex sine dubio arguet secundum quod vixit: ostendimus autem sanctum spiritum in multis humanæ legi locum dedisse: certum est quia in die iudicij habebit etiam ex istis legibus laudem apud Deum is qui nihil contra statutas commiserit leges, cum dicetur ei à domino: Euge serue bone & fidelis, supra pauca fuisti fidelis, suprà multa te constituam.

1.Tim.1 Sciendũ tamẽ quòd iusto lex non est posita, sed iniustis, & non subditis, scelestis, homicidis, contaminatis, periuris, & cæteris qui huiusmodi sunt. Ipsi enim sunt qui timent legẽ. Qui autem facit bonum, hoc est qui non metu legis, sed amore boni facit quod bonum est, iste iam non sub lege literæ, sed sub lege spiritus viuit. Ideóque necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa penditis. Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum instantes] Ordinat quidem per hæc Paulus ecclesiam Dei, vt nihil aduersi principibus & potestatibus seculi gerens, per quietem & tranquillitatem
I vitæ, opus iustitiæ & pietatis exerceat. Si enim ponamus, verbi gratia, credentes Christo potestatibus seculi non esse subiectos, tributa non reddere, nec vectigalia pensitare, nulli timorem, nulli honorem deferre, nonne per hæc rectorum & principum metu in semetipsos arma conuerterẽt, & persecutores quidẽ suos excusabiles, semetipsos verò culpabiles redderẽt. Non enim iam fidei sed contumaciæ causa impugnari viderentur: & esse eis causa quidem mortis, meritum verò mortis indignum. Hæc ergo Paulus per immensã sapientiã prouidens dicit. Reddite ergo omnibus debita. Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorẽ. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis] Puto tamen quòd etiam hæc Paulus non absque solitis sermonum suorum proferat sacramentis. Etenim omnem creaturam, omnésque spiritus siue recti siue etiam praui malíque propositi, Deo ministrare & exhibere vnumquenque ad quod aptum se præbuerit ministerium in superioribus iam docuimus. De omnibus enim simul pronunciauit apostolus vbi dixit. Nónne omnes sunt ministeriales spiritus, in ministeriũ missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? Ministrant ergo omnes spiritus hominũ vitæ, vnusquisque tamen (vt diximus) pro dignitate & merito sui: & illi mini-stri dicuntur quorũ ministeria quemadmodũ pertinet per-K
raguntur. Vnde & apostolus qui dicebat de se, quis mihi Gal.6.
mundus crucifixus est, & ego mundo, ait etiam hoc: Nos 1.Cor.2.
autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, qui autem adhuc de mundo est, & ea sapit quæ mundi sunt, & quæ carnis sunt quærit, necessario subiectus est ministris mundi: subiectus autem propter iram, quam sibi thesaurizauit ex peccatis. Et hoc mihi videtur dicere, Ideo necessitate subiecti, non solum propter iram, sed & propter conscientiam. Conscientiæ quoque quia subditur cum habet in se quod accusetur à conscientia. His ergo etiam tributa quædam pendimus, dum adhuc secũdum carnem viuimus, & quæ carnis sunt cogitamus. Nam si vineã domini colamus, & vitẽ veram qui est Christus excercamus in nobis, de ista vinea non ministris seculi pendemus tributa, sed ipsi domino fructus in tempo- Matt.21.
re reddemus, secundũ quod ipse saluator in euangeliis dicit, quia colonis malis tollet vineam, & dabit eam aliis colonis qui reddant ei fructum in tempore. Sed & hoc ipsum quod dicit, Reddite omnibus debita, cui tributũ, tributũ: cui vectigal, vectigal: ab eo quod in sequentibus additur: Cui timorem, timorem: cui honorem, honorem, diuersum mihi videtur: & ad eos quidem quos suprà diximus ministros pertinere tributa & vectigalia. Exigunt enim à no-
bis tributa terræ nostræ, & vectigalia negotiationis no- L
stræ. Et quid dico de nobis? Exoluit tributum etiam do- Matt.17.
minus noster Iesus Christus in carne positus: quod ideirco se dicit exoluere, non quòd debitor sit, sed ne scandalizet eos. Quod si ille qui nihil habebat in se Cæsaris, & in quo princeps huius mundi veniẽs non inuenit quicquam de suo, cum liber esset, soluit tamen tributum (venit enim & in mortem vt esset inter mortuos liber) quanto magis nos necesse est ista tributa carnis expẽdere, & negotiationis nostræ, si tamen negotiamur margaritas regni cœlorũ, per diuersas tentationes exigentibus nos spiritibus vectigalia pensitare? Timorem verò & honorem ad illum potius referre debemus qui dicit per prophetam, Nonne dominum & patrem vocatis me? Et si dominus sum ego, vbi est timor meus? & si pater sum, vbi est amor meus, & honor? Posteriora sane quæ addidit, vt nemini quicquam debeamus, certum est ad ministros referri, quibus debitor quis efficitur eum peccauerit. Debitum enim peccatum esse in multis frequenter ostendimus. Vult ergo Paulus peccati quidem omne debitum solui, nec remanere apud nos omnino debitum peccati, permanere tamen & nunquam cessare a nobis debitum charitatis, hoc enim & quotidie soluere, & semper debere expedit nobis. Denique quantæ virtutis sit charitas, in consequentibus po-
nit. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam nõ M
adulterabis, nõ occides, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo restauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.] Et ad vltimum rationem tanti præcepti breuiter colligens ait,

Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.] Suprà dixerat quia qui diligit proximum legem impleuit: & quia difficile videbatur quomodo possit quis omnem legem vno sermone complere, plenissimam reddit rationem dicens, Dilectio proximi malum non operatur, & ideo plenitudo legis est dilectio. Pone enim per singula mandata legis dilectionem, & vide quam facile cuncta complentur. Nunquid qui diligit proximum, occidere eum potest? Certum est quòd nemo quem diligit interficiat. Est ergo dilectio per quam impleatur mandatum quod præcipitur, Non occides. Iterum qui proximum suum diligit, in vxorem eius adulterium committit? Nunquam profectò. Si ergo diligas proximum, nec adulterium committes. Similiter & qui diligit proximum, quæ eius sunt non furatur: & qui diligit proximum, falsum aduersus eum testimonium non dicit. Similiter & cætera mandata legis, si sit erga proximum dilectio, absque aliquo labore seruantur. Puto etiam quòd & in hoc voluit nos aliquid compendiosius docere.

Nam

A Nam si diligentius requiras quis sit proximus noster, dicees in euangelio illum esse proximum nostrum qui venit, & iacentes nos vulneratos a latronibus & nudatos à dæmonibus iumento corporis sui superposuit, & ad stabulum ecclesiæ detulit, & stabulario pro cura nostra & diligentia vel ipsi Paulo vel omni qui ecclesiæ præest, duos denarios noui ac veteris testamenti ad nostræ curæ concessit expensas. Hunc ergo proximum si diligamus, omnem legem & vniuersa mandata ipsius complemus. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti: nec fieri vllo pacto potest, vt qui ex toto corde, ex totis viribus suis diligit Christum, faciat aliquid quod non placeat Christo. Illum enim qui diligit non solum non occidit, quod prohibet lex, sed nec irascitur fratri suo, quia ita delectatur illo quem diligit: & non solum non facit adulterium, sed nec mulierem respicit ad concupiscendum, sed dicit ad ipsum magis: Concupiscit & deficit anima mea in deum viuum. Qui diligit Christum quomodo de furto cogitat, qui etiam sua omnia quæcunque habet reliquit vt sequatur Christum? Qui Christum diligit quando falsum testimonium dicit, cum sciat ipsum quem diligit falso testimonio perditum? Necessario autem qui diligit Christum, diligit & proximum suum. Hoc enim solo indicio Christi esse discipulus designatur, si charitatem cum proximis habeat. Certum est enim quòd qui non diligit proximum, nesciat Christum. Et hoc scientes tempus, quoniam hora est iam nos de somno surgere. Nunc autem propior est nostra salus quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.) Cum post illas dissertiones quas vel de gentibus vel de Iudæis apostolus prosecutus est, introduxisset etiam moralem locum, quo magis auditores incitet ad conuersionem, introducit modo per vrgentem temporis rationem, quod est in rebus omnibus summum. Nemo enim ita somnolentus & piger est, quem aduenientis diei non excitet claritas, & cui sol oculis infusus non aperiat aspectum. Est ergo etiam animæ somnus quidam. Si enim sunt ei (vt sæpe iam diximus) proprij oculi, & aures propriæ, & manus propriæ, & pedes, quæ singula non tam membra corporalia ei esse quam virtutes quibus ad vnumquodque mouetur & incitatur, reputandæ sunt, accidit sine dubio ei secundum oculos suos etiam somnus. Si enim non agat tempore opportuno quæ dei sunt, sed desideriis torpescat, merito dormire dicitur. Idcirco igitur Paulus præco Christi circuiens mundum in somno desidiæ positum, annunciat adesse iam lucem, & tẽpus esse vt surgatur à somno: noctémque hoc est tẽpus illud quo igno-

C rantia hominibus dominata est, processisse, & proximante iustitiæ solis aduentu, rarescẽtibus tenebris, imminere iam agnitionis diem: atque ideo clamat expergiscendum esse, ne per segnitiem quis noctem patiatur in luce, & abiicienda esse opera tenebrarum, atque arma lucis induẽda. Opera tenebrarum sunt actus illi qui à deo alieni sunt: arma verò lucis assumptio virtutũ. Et sicut diximus dedecorosum esse die iam perurgente dormire, multo est dedecorosius tempore diei & lucis opera gerere tenebrarum. Verum sciendum est, aduentum lucis huius & diei duplici modo accipiẽdum, & generalem omnibus, & vnicuique specialem. Generalis omnibus aderit lux & dies, cum futuri seculi tempus aduenerit: ad cuius comparationem præsentis huius mundi spatium tenebræ appellantur. Quod tempus labescentibus quotidie diebus appropiat, & spatia quæ præteritis augentur, futuris sine dubio minuuntur, & ideo propior nostra salus quam cũ credidimus, & quotidie fit propior: sicut & dominus cum consummationis seculi signa distingueret dixit. Cum autem videritis hæc omnia, leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Fit autem & per singulos dies huiusmodi aduentus nobis: & si Christus in corde sit, diem nobis facit. Si ignorantias nostras scientiæ radio fuget, & indignos actus declinantes pia quæque & honesta sectemur, in luce sumus positi, & quasi in die honeste ambulamus. Quæ sunt au-

Luc. 10.

Psal. 42.

B

Luc. 21.

tem opera tenebrarum quæ abiicienda sunt, consequenter enumerat, & dicit. Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione.] Ista sunt opera tenebrarum, quæ & carnis opera appellantur, in his qui carnem suam luxuriæ & impudicitiæ non sanctitati neque domino manciparunt. D
Comessationes enim, hoc est inhonesta ac luxuriosa conuiuia, quibus necessario comes est turpissima temulentia, quid aliud subsequentur nisi cubilia impudicitiæ? A fœdis cubitationibus cubilia appellata sunt: eum non tam rationabilibus videantur hominibus, quam feris & beluis conuenire. Non in contentione & æmulatione. Illa quæ suprà dixi, carnis sunt vitia: hæc iam & animi: quamuis omnia carnis opera dicantur, & opera tenebrarum. Quia reuera contentio & æmulatio in malis, eorum est qui secundum carnem viuunt, & qui in tenebris ambulant. Qui autem in luce est, & sicut in die honeste ambulat, nihil per contentionem & inanem gloriam gerit. Hoc ergo modo abiecit quis (quod ait supra) opera tenebrarum. Quod verò dixit, Induamus arma lucis, quomodo debeat fieri nunc exponitur. Sed induimini dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.] Frequenter diximus Christum sapientiam esse, & iustitiam, & sanctificationem, & veritatem, & omnes simul virtutes: quas vtique qui assumpserit, Christum dicitur induisse. Si enim hæc omnia Christus, necessario qui hæc habet, habet Christum. E
Qui habet, carnis curam in concupiscentiis non facit. Moderatione sollicita apostolus vtitur, non per omnia carnis curam negat habendam. Certum est enim quòd in necessariis habenda est, in delitiis verò et luxuria atque omni concupiscentia, penitus excludenda.

CAPVT XIIII.

INfirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum: alius enim credit manducare se omnia, qui autem infirmus est, holus manducet. Et in superioribus de fidei firmitate mentionem fecit apostolus, vbi ait de Abraham: Cum ferè centum annorum esset, non infirmatus est fide. De qua infirmitate fidei in illis locis quæ occurrere potuerunt exposuimus. Sed & nunc de infirmitate in fide commemorat, quem in eo dicit infirmum, quia non credit mãducare omnia, sed tam exigua est fides eius, vt sola holera competentem sibi esse existimet cibum. Quod potest quidem videri dictum ad eos qui ex gentibus crediderunt, extollentes se in libertatem fidei, qua nihil commune aut immundum esse credunt aduersus eos qui ex circuncisione crediderunt, obseruantes adhuc secundum traditionem legis ciborum differentiam: vt eos reprimere videatur & monere, ne insultent eis quibus longa consuetudo in obseruandis cibis discretionem adhuc aliquam & cunctationem mouebat. Iubet ergo eum qui ita in hac fide infirmus est, assumi magis, & non abiici, nec quasi infidelem iudicari. Aliud est enim infidelem esse, aliud infirmari in fide. Nam infidelis dicitur qui non habet fidem: Infirmus autem in fide, qui dubitat in parte aliqua fidei. Componens igitur apostolus in pace corda dicit: Is qui manducat non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit.] Quo scilicet per hæc nulla esset inter credentes ciborum causa dissensio. Sed videtur hæc Paulus profundiore magis sensu elocutus. Neque enim ex circumcisione venientibus de edendis holeribus lex aliquid mãdauerat, vt ipsis conuenire videatur quod ait. Qui autem infirmus est holera manducet. Vnde constat eum de cibis verbi ista tractare, & infirmum dicere in fide eum qui non ita perfectus est sensibus vt possit omnem cibum verbi Dei sumere, sicut & ipse apostolus in aliis dicit.
Perfectorum autem est cibus solidus, eorum qui pro possibilitate sumendi exercitatos habent sensus ad di-

Rom. 4.

F

Heb. 5.

G sciétionem boni & mali. Et iterum ad alios dicit, Lac
1. Cor. 3. vobis potum dedi non escam: nondum enim poteratis. Et
nunquid ita inepti erimus, vt putemus apostolum qui missus
est prædicare verbum Dei, lac portasse secundum quod
Corinthiis potum daret? Sed manifestum est hæc eum de
qualitate verbi proloqui, & propterea dicere. Si quis infirmior
est sensibus, & no est ita perfectæ fidei, vt de secretioribus
mysteriis capiat verbum, non debere eum per ea quę
intelligere non potest disceptationibus cogitationũ moueri.
Alius enim, inquit, credit manducare omnia. Nõ per
hæc Paulus ad omnia comedenda discipulos hortatur, nec
gulæ & gurgitis est magister: sed de illis sine dubio dicit,
quorum fides perfecta est, & nullis in verbo Dei discretionibus
impedita: quos idem apostolus in aliis spiritales
appellat cum dicit. Spiritalis autem examinat omnia. Ipse
est ergo de quo hic dicit, Alius autem credit manducare
Ioan. 16. omnia. Denique & apostolis antequam spiritum sanctum
acciperent dicebatur a domino: Multa adhuc habeo quæ
loquar vobis, sed non potestis illa audire modo. Veniet autem
paracletus spiritus veritatis, ipse vos docebit omnia.
Ista sunt ergo omnia quæ creditur manducare is qui pro
fidei perfectione per gratiá sancti spiritus capax verbi secretioris
extiterit. Habet tamen & infirmus quod sumat ex
verbo dei, & est species quædam verbi quam hic apostolus
holera appellauit, quæ audientis sensum non tam ro-
H bustum reddat & fortem, quam sustentet & interire nõ sinat.
In multis etenim de interioribus animæ sensibus scriptura
diuina quasi de exterioribus corporis loquitur mẽbris:
& sicut sæpe docuimus interiorem hominem videre
vel audire vel ambulare nominari, ita & nunc ipse interior
homo aut omnem cibum posse dicitur percipere si perfectus
est, aut si infirmus est holera manducare. Sed vt perfectorum
& imperfectorum in ecclesia concordiam, & imperfectorum
tanquam inhonestorum in corpore mẽbrorum
honestorúmque componat, nec habeatur in eis vlla
dissensio, dicit: Qui mãducat, non manducantem nõ spernat:
& qui non manducat, manducantem non iudicet. Hoc
1. Cor. 12. est quod alibi dicit, Quia non potest dicere oculus manui,
non es mihi necessaria, & caput pedibus, non desidero operam
vestram. Sed multo magis corporis mẽbra quæ videntur
inhonestiora esse, necessaria sunt. Et his ergo quorũ
fides tanta est vt omnia possint mãducare, & omnem verbi
speciem capere, ne superbiant & spernant eos qui inferiores
sunt, præcipit: & rursum his qui incapaces sunt perfectioris
doctrinæ, mandat ne iudicent eos quorum sensus
capacior est, & intellectus eminentior. Solent enim peruerso
ordine imperiti peritos iudicare & desides studiosos.
Interdum & hi qui scientiæ aliqua initia ceperint, inflantur
& extolluntur aduersus eos qui videntur minus capa-
I ces esse. Idcirco igitur increpatione apostolicæ autoritatis
Paulus vtriusque partis insolentiam reprimens dicit. Tu
quis es qui iudicas alienum seruum? Suo domino stat, aut
cadit.] Quod dicit stat aut cadit, secundum sensum eius
quem increpabat dicit. Nam & imperitior si videat quempiam
profundius aliquid quod ipse capere non potest sentientem,
cecidisse eum iudicat a fidei statu: & rursum qui
inflantur ex scientia, & non cum charitate, sicut Paulus
commonet, similiter de imperitioribus quibusque opinãtur:
& ideo potestatem fratri iudicandi fratris eximit. Bene
autem alienum seruum ait, quia dominus dicit, Vos autem
omnes fratres estis. Omnes, hoc est vniuersa creatura, &
vnus solus dominus Iesus Christus, qui est dominus omnium,
diues in omnibus Simul & bonitatem dei ineffabilem
manifestat, cum dicit de eo qui cecidisse videtur, etiãsi
vere ceciderit, quia potens est enim Deus statuere illum.
Dominus enim erigit elisos. Nam alius iudicat diem inter
diem: alius autem iudicat omnem diem. Vnusquisque
in suo sensu abundet.) Diximus superius secundum
literæ apostolicæ consequentiam videri hic de ciborum
continentia, vel de libertate tractari, quoniam vocatio
quidem quæ in Christo est, nihil commune aut immundum
ponit in cibis, sed continentiæ ratio suadet etiam à
licitis abstinere. Non enim (vt & ipse in aliis dicit) quia
omnia licent idcirco etiam omnia expediunt, vel omnia K
ædificant. Ipsa tamen abstinentiæ ratio diuersa est pro voto
& proposito vouentis. Alius namque hoc iudicat, & ita
apud animum suum decernit, vt omnem diem hoc est cõtinuum
vitæ suæ tempus exigat in abstinentia. Alius verò
tempus aliquod velut votiua professione decernit. In quo
siue vt iugem, siue vt temporalem suscipiat continentiam,
vniuscuiusque sensibus dat liberam facultatem. Vtrunque
tamen acceptum fieri apud dominum pollicetur, & propterea
subiungit: Qui sapit diem, domino sapit: & qui
manducat, domino manducat: gratias enim agit Deo: &
qui non manducat, domino non manducat, & gratias agit
deo.) Gratiæ deo ab vtroque referuntur ab illo pro fructu
continentiæ, ab hoc verò pro libertate vescendi. Sed
quoniam, vt in anterioribus ostendimus, profundior inuenitur
apostoli sensus quàm ciborum carnalium ratio
continet, in spiritali expositione secundum ea quæ supra
disseruimus, de his quorum alius omnem diem, alius vero
alternos iudicat dies, possumus illud sentire, quòd in scripturis
diuinis vnum quodque capitulum in quo dogma
pietatis & fidei continetur, dies dicatur. Vere enim dies est
qui illuminat mentem, qui ignorantiæ tenebras fugat, qui
Christum, qui sol est iustitiæ habet in se. Si quis ergo sit
qui ita diuinis literis operam impendat ac studium, vt omnem
diem & omnem sensum scripturæ diuinæ discutiat
& diiudicet, ita vt non eum transeat de lege iota vnum vel L
vnus apex, hic omnem diem videbitur iudicare. Qui autem
non est tantus ingenio, alternos id est paucos ex multis
capiat sensus, & si non qui ad plenitudinem scientiæ
sufficiant, at certe qui ad summam fidei satis sunt. Vterque
ergo secundum apostolicum sensum & consilium gratias
agit Deo: ille qui sapit omnem diem, & qui manducat omnia,
id est qui agnoscit & intelligit omnia: & ille qui licet
non omnia manducet, & non vniuersorum intelligentiam
capiat, breui tamen fidei confessione saluatur. Et ideo
etiam non manducans omnia, nec omnium scientiam sumens,
agere tamen etiam ipse gratias dicitur Deo. Nemo
enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur.) Quid sit
viuere in Christo, & quid sit in Christo mori, dictum sæpe
à nobis est in huius epistolæ expositione, & præcipue in
eo loco vbi explanare tentauimus sermonem apostoli quo
ait: Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia &
conuiuemus ei. Si ergo meminimus quæ in hoc loco dicta
sunt, ex ipsis etiam propositus in præsenti sermone apostolus
apertior & lucidior fiet, quomodo nemo nostrum
sibi viuat, & nemo sibi moriatur. Non enim vnusquisque
ipse sibi dat, sed à Christo sumit mortis exemplum, qui soli
peccato mortuus est, vt & ipse imitatione eius possit alienus
& mortuus effici a peccato. Sed & vitæ exemplum Rom. 9.
non ipsi ex nobis habemus, sed ex Christi resurrectione su- M
scipimus, vt idem apostolus dicit: Vt sicut Christus resurrexit
à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate
vitæ ambulemus. Nouitas ergo vitæ quam Christo per
fidem resurrectionis eius viuimus, domino reputatur,
quia non a nobis, sed ab ipso sumit exordium. Et ideo. Siue
enim viuimus, domino viuimus: siue morimur, domino
morimur. Siue igitur viuimus, siue morimur, domini
sumus.) Mortem etenim appellat illam, qua Christo (vt diximus)
consepulti, & in morte ipsius baptizati peccato
mortui sumus, & vitam qua alieni effecti ab hoc mundo,
& vt ipse ait ex mortuis viuentes, non nobis id est non
carni viuimus, sed deo, secundum ea quæ in subsequentibus
iungit. In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit,
vt & viuorum & mortuorum dominetur.) Mortuum
dicit esse Christum dispensatione sine dubio passionis:
vixisse autem per sacramentum resurrectionis. Vnde
& nobis primo passionis & mortificationis, post etiam resurrectionis
& vitæ nouitatis reliquit exemplum. Sed moneat
aliquem fortassis quod dicit apostolus, idcirco
mortuum esse & vixisse, vt mortuorum & viuorum dominetur:
quasi qui hoc dederit intelligendum, quod nisi
mortuus fuisset, mortuorum dominatum non habuisset: &
nisi post mortẽ rursus vixisset, nõ tenuisset dominationem

viuorum

A vitiorum. Sed ad hæc ita respondendū puto. Duobus ex modis constat in omnem creaturam Christi dominatio. Vno, per quem vt creator omnium & potestatem gerens vniuersorum, vi maiestatis & potentiæ necessitate habet cætera subiecta, per quemmodum non solum bonis & sanctis mentibus ac spiritibus dominatur, verum & nequam & refugis & his quos scriptura diuina malignos angelos appellauit. Idcirco igitur & omnitenens, & omnipotens
Apoc. 1. dicitur, secundum quod Ioannes designat in Apocalypsi, dicens: Hæc dicit qui est & qui erat & qui venturus est omnipotens. Hic ergo vnus est modus quo Christus omnibus dominatur. Alius verò est, quo tanquam bonus & boni patris filius non vult rationabiles spiritus ad obediētiam legis suæ violenter inflectere, sed expectat vt sponte veniant, vt voluntate & non necessitate bonum quærant, & docendo magis quam imperando, inuitando potius quam extorquendo persuadeat. Inde denique est, quod vsque ad mortem dignatur accedere, vt exemplum obedientiæ, & moriendi formam volentibus peccato emori & vitiis derelinquat. Et propter hoc in præsenti loco apostolus scribit: ideirco eum mortuum esse & vixisse, vt & viuorum & mortuorum dominetur. Viuorum profectò illorum qui pro resurrectionis eius exemplo nouā & cœlestem in terris exigunt vitam: Mortuorum sine dubio qui mortificationem Christi in corpore suo circunferunt, & mortificant membra sua quæ sunt super terram. Quod
B si hæc ita se habent. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? Aut tu quare spernis fratrem tuum?] Cum sine mortificatio sit in te carnis & vitiorum, non ex te orta sit, sed Christi morte donata: siue tibi nouitas vitæ est, & in terris ambulas conuersationem habens in cœlis, id Christi resurrectione merueris. Bene autem vtriusque vitij notam vernacula appellatio signauit, illi dicens, quare spernis? & huic, quare iudicas fratrem tuum? Solent enim hi qui aliquantulum videntur profecisse, spernere & nihili ducere eos qui altioris intelligentiæ minus capaces sunt. Econtrario autē imperiti & indocibiles iudicare hoc est condemnare & incusare eos qui altiora & profundiora perquirunt, quæ ipsi capere aut assequi non possunt. Et ideo apostolus resecare volens culpam ex vtraque parte nascentem, illis quidem præcepit, ne inferiores spernant atque despiciant: his verò ne superiores se iudicent, cum peritiam non habeant iudicandi. Quāuis vtrunque reprehendat, & eum qui spernit fratrem inferiorem, & eum qui iudicat superiorem, tamen vt ostenderet illum grauius in iudicando, quam hunc in spernendo fratrem peccare, omissa spretionis culpa præsumptionem iudicandi fratris exaggerat, & ideo in consequentibus iungit: Omnes enim ante tribunal Christi stabimus. Scriptum est enim: Viuo ego dicit dominus, quo-
C niam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.] Assumens apostolus causas ex his in quibus non rectè iudicant qui iudicant fratres, recti & iusti introducit diuini iudicij formam, & ait: Omnes enim nos stare oportet ante tribunal Dei: Quo scilicet doceret is qui iudicat fratrem, in tantum se crimen elationis incurrere, vt tribunal Dei sibi videatur assumere, & vnigeniti iudicium præuenire. Verum quid sibi velit hoc ipsum quod apostolus tribunal Dei memorat, & quomodo intelligendum sit videamus. Non solum in hoc loco, sed & ad Corinthios scribens, tribunalis facit nihilominus mentionem vbi ait: Propter quod studemus siue præsentes, siue absentes placere illi. Omnes manifestari oportet ante tribunal Christi,
2. Cor. 5. vt recipiat vnusquisque per corpus prout gessit, siue bonū siue malum. Sed & apud Danielem prophetam inuenimus talia quædam de iudicandi specie descripta. Videbam, in-
Dan. 7. quit, & ecce sedes posita erat, & vetustus dierum sedebat, & indumentum eius sicut nix candidum, & capilli capitis eius sicut lana munda. Thronus eius flamma ignis, rotæ eius ignis accensus, fluuius igneus currebat ante ipsum. Milies milia ministrabant ei, & decies milies dena milia assistebant ei, & ante eum iudicium cōstitutum, & libri aperti sunt. In duodecim quoque prophetarum libro, sub mysterio dicitur quia in valle Iosaphat dñs populū suum iu-

dicet: Ipsam autē vallem Iosaphat paulopost vallē iudicij D nominat. Sed de iis nunc singulis, quæ similitudinis causa protulimus, disserere longū videtur. Ea tamē quæ ad Corinth. scripsisse apostolum diximus, conferentes cum præsenti loco vel cæteris quæ apud prophetā scripta memorauimus, declarari videm^9 ex omnibus certissime futurū esse iudiciū Dei, cuius species vt notior hominibus fieret, iudicandi forma ex iis quæ inter homines geruntur assumpta est, quo scilicet nosceremus; quia sicut iudex iste terrenus celsiorē quendā locum quod tribunal appellatur ascēdit, vt ex eo altior & eminētior cæteris qui iudicandi sunt fiat, ne cōspectus eius lateant vel malorū supplicia, vel allegationes innocentiū, intelligamus & iudicē omniū Christū natura & maiestate cæteris eminentē introspicere corda & cōscientiā singulorū, manifestare occulta, & obtecta reuelare, vt & bonis actib. laudem tribuat, & mali pœnā quam merentur accipiant. Quod si noscet futurū iudiciū Dei, & tale iudiciū in quo non solū vnusquisq; recipiet pro actib. sed pro omni otioso verbo reddetur ratio secundū sententiam dñi: cogitationesq; malæ cōfutabuntur redarguente conscientia, & in omnibus vnusquisq; nostrū pro se rationē reddet Deo, nō ergo amplius inuicē iudicemus. Nudabitur enī vniuersæ (vt ego arbitror) creaturæ rationabili cor nostrū, & reuelabuntur occulta, vel etiā manifestabuntur. Est enim differentia. Videtur enim ea quidē quæ reuelātur, ad malos pertinere, de quibus dicitur: in igne enim reuelabi- E tur. Ea verò quæ manifestantur, ad bonos, & ideo dicitur. Omne enim quod manifestatur, lux est: & tanquā libri quidā descripti, vel tabulæ incisæ continētes literas actuū cogitationumque nostrarū ab omni (vt diximus) creatura rationabili relegētur. Et hoc est quod arbitror indicari per Danielem vbi dicit: Et libri aperti sunt, qui scilicet in corde nunc inuoluti sunt & obtecti, cōtinentes quædā scripta quæ gerimus, & notis quibusdā conscientiæ sulcati, nec tamē vlli nisi soli deo cogniti. Isti ergo libri animæ nostræ, vel hæ cordis nostri paginæ, aperientur in cōspectu throni flāmei, & rotarū ignis ardētis, & fluminis ignei ac percurētis ante vetustū dierū. Videbunt hæc, legent etiā angeli & milies milia angelorū illa, & decies milies dena milia mēnill totū, & ita criminū nostrorū in quibus nunc vnū saltē testem pati cōfundimur, cœlestiū tunc virtutū testes cæteras innumerabiles patiemur. Cum autē Paulus dicat, Quia omnes stabimus ante tribunal Dei, & se consociet eis qui stabūt ante tribunal Dei, quisnam est qui semetipsum ita decipiat & fallat, vt ad iudicium Christi & ad tribunal cognitionis eius non putet se esse venturū? aut manifestandum se non putet in his quæ siue rectè, siue etiam minus rectè cōmisit? Quod verò in præsenti quidem loco tribunal Dei, ad Corinth. verò tribunal Christi posuit, ego quidem puto nullā esse differentiā quo minus vnū atq; idē tribunal Christi & F tribunal Dei nominetur, secundū quod ipse saluator in euāgelio dicit: Omnia quæ habet pater, mea sunt. Et iterū: Pater,
omnia mea tua sunt, & tua mea. Si quis tamē putat in sermonib^9, quia nulla in eius literis otiosa vel syllaba est, causas varietatis huius esse requirēdas, poterit fortassis tale aliquid dicere. Christi vocabolū quantū ad proprietatē appellationis ipsius pertinet, verbi in carne positi & mundū deo reconciliātis indiciū est, sicut & idē Paulus dicit: quia deus Ioan. 17.
erat in Christo mundū recōciliās sibi, sed recōciliationis huius spatia cōuersionis nostræ dilatio & emēdationis negligentia distēdit, & longiora cōstituit, & donec euacuet oēs principatus & potestates, & ponat inimicos sub pedibus suis, ac nouissimō inimicū destruat mortē, ita eum regnare oportet, vt ministerium susceptæ in carne dispensationis exerceat, & bonos quidem manifestet, culpabiles autem accipiant vnusquisque secundum opera sua. 2. Cor. 5.
Vbi ergo tradiderit regnum Deo & patri, id est conuersos omnes & emendatos obtulerit Deo, & ad integrum mysterium mundi reconciliationis expleuerit, tunc ait ante tribunal Dei stare omnes, vt impleatur hoc quod sequitur: Viuo ego dicit dominus, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua Deo. Flectet autem genu o- Esa. 45.
mnis creatura Deo in nomine Iesu, per quem reconciliata

G est ei, secundum quod idem apostolus dicit: quia in nomine Iesu omne genu flectetur cœlestium, terrestrium & infernorum. Flectere sanè genu, & omnem linguam confiteri Deo, de Esaiæ prophetæ sermonibus assumpsit apostolus. Quod tamen non est carnaliter accipiendum, vt putemus etiam cœlestia quæ dicit genu flectere, carnalibus membris hæc facere: verbi causa vt putetur vel sol, vel luna, vel stellæ, vel etiam angeli, & quæcunque sunt quæ cœlestia nominantur corporalibus inflexa genibus adorare, aut etiam lingua carnali & tali mẽbro quali nos homines loquimur, putentur confiteri Deo, de quibus dicitur quia sint spiritus & ignis, secundum quod propheta dicit: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Et quæ genua in spiritibus esse credunturi aut quæ linguæ in ignis specie requirentur? Sed genu flectere, subiecta esse cuncta, & cultu Dei obedire declarat. mouet me adhuc ea his quæ de epistola ad Corinthios assumpsimus vbi dicit: Vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bona, siue mala: vtrum quia in omnibus hominibus necesse est esse aliquid boni, & esse aliquid mali, nec vllum in bonis inueniri qui non aliquid habuerit & mali, vel iterum aliquem in malis qui non habuerit aliquid & boni, propter scripturam quæ dicit: Spiritus enim corruptibilis in hominibus est, propterea dixerit vt vnusquis-

H que & pro bonis suis bona, & pro malis recipiat mala: an bonos illos dicat quibus nihil mali ascribendum sit, & illos malos quibus boni nihil omnino debeatur. Sed si hoc nouissimum putemus, videbimur contra euidentem venire rationem. Nullus enim, vt dixi, ita bonus inuenietur, cui non aliquid insitũ sit mali, vt ex multorum sanctorum perfacile colligi videtur exemplis: & rursus nemo est pessimorum, etiam si ipse Iudas ponitur, qui super impietatẽ impius fuit, vt non aliquid etiam ipse boni habuisse videatur. Nam vt illa omittam, quæ cum apostolis positus quasi vnus ex ipsis gerebat, quamuis & ibi iam bonis misceret & mala, erat enim pecuniæ cupidus, tamẽ hoc ipsum quod pœnitentia ductus, reportauit triginta argenteos ad sacerdotes & dixit: Peccaui tradens sanguinem iustum, fuit ali-

Mat. 27. quid boni. Ex quibus omnibus videtur mihi, quia non potest vnus atque idem bona simul recipere & mala. Neque enim simul aut in paradisum quis, aut in regna cœlorum, aut in gehennam mitti potest. Respondemus in illis tantummodo rationem vitæ bonæ non haberi, in quibus valde præponderant mala, & in illis rationem mali non accipi in quibus præponderant bona, in quibus malorum vestigia pœnitentia conuersionis abluit. Vt autem ad propositi capituli finem conclusionẽmque redeamus, cum, inquit, tanta sit apud Deum & apud Christum eius iudicij

I veritas, tanta futuræ examinationis indago, non ergo amplius iudicemus inuicem.

Sed hoc iudicate magis ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.] Hoc iudicate, id est hoc statuite, ne per obseruantiam ciborum offensionem fratribus vel scandala generetis. De offensione vel scãdalo iam suprà diximus, quod scandalum sit cum in via qua inceditur aliquid inuenitur obiectum, in quo offendantur scandentium vel incedentium pedes: hoc est ergo quod patiuntur hi qui viam fidei nuper ingressi, priorum vel contentionibus, vel negligentiis, vel contemptu & elationibus offenduntur, atque exemplis eorum repercussi auertuntur à fide. Scio & confido in domino Iesu, quia nihil est commune per seipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.) Diximus & in aliis, quod in scripturis sanctis vernacula quadam appellatione quod sanctum vel mundum non est commune nominetur: quæ tamen appellatio in nouo testamento frequentius, in veteri verò non recordor sicubi nominata est, vt in euãgeliis saluator dicit: quia

Matt. 15. de corde procedunt cogitationes malæ, homicidia, fornicationes, adulteria, furta, & falsa testimonia, & ista sunt quæ coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare, non communicat hominẽ, quamuis in nõnullis exemplaribus Latini pro cõmunicant coinquinant posuerint, & licet eadem istic sit proprietas, tamen sermo cõmunicant habet. Sed & in Actibus apostolorum dominus K dicit ad Petrum: Quod Deus mundauit, tu ne commune

dixeris. Puto ergo inde vsum huius sermonis assumptum, Act. 10.

vt quia, verbi gratia, vasa templi ministerio segregata, vasa sine dubio domini appellabantur, ad horum autem differentiam reliqua vasa communia dicebantur: ita & ad ciborum distinctionem eorum quos quasi mundos & secundum legem edendos scriptura segregauit, reliqui omnes communes appellati sunt. Sed Iudæi vim verbi Dei ignorantes, vnde communis diceretur homo, quem communem appellabant, sermonis vsum siue significationis intelligentia tenuerunt. Neque cibi quos Deus creauit, aut ignorantes aut simpliciter sumpti communem facere hominem poterant & immundum, sed mens illa hominis quæ Deo soli segregata est, merito munda appellatur, quæ verò aliena à Deo est, quoniam non ab vno spiritu immũdo, sed à pluribus possidetur, idcirco talis homo communis appellatur, quasi qui multorum vel vitiorum, vel dæmonum seruus, secundum illum qui interrogatus, quod ti-

bi nomen est? Respondit Legio, multi enim sumus. Et se- Luc. 8.

cundum illud quod a saluatore dicitur, Quia cum exierit Matt. 12.

spiritus immundus ab homine, circuit loca arida, quærens requiem, & non inueniens redit, & inueniens domum vacantem & scopis mundatam, assumit secum alios septem spiritus nequiores se, & intrant in eum. Et sine dubio iste L talis communis dicitur, eorum videlicet seruus effectus omnium spirituum malignorum qui habitant in eo. Merito ergo sciens sermonis huius hanc esse rationem Paulus dicit: Scio & cõfido in Domino Iesu, quia nihil est commune per seipsum. Nihil enim in creaturis de natura sui immundum est. Omnia nanque à bono Deo creata bona esse constat & munda. Sed ei, inquit, qui existimat aliquid esse commune, ipsi commune est: hoc est qui intẽtione cordis immundum aliquid cogitat, & obseruantiam diuersitatis admittit, sicut & in consequentibus. Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est, quia non est ex fide. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.) Nec tamẽ in his distinctionem legis exclusit, vt absolute diceret nihil esse commune aut immundum eorum quæ lex definiuit immunda. Præmisit enim causas cur per semetipsum nihil cõmune dicatur. Scio, inquit, & cõfido in domino. In domino ergo Iesu nihil cõmune per semetipsum, hoc est natura sui dicitur, sed illis, inquit, qui existimãt, & qui putant aliquid esse cõmune, ipsis cõmune est. Et ne mireris quòd cogitatu mẽtis cibũ qui natura sui communis vel pollutus nõ est, faciat pollutũ, cum econtrario cibũ vere pollutum (vere enim pollutus est qui idolis immolatur) simplicitas mentis, & in cogitatione nulla scrupulositas iniecta, omni suspitione cõtaminationis absoluat. Et rursus etiã si mũdus M sit cibus, suspitionẽ tamẽ aliquis patiatur quasi quod idolis immolatus sit, pollui dicitur pro conscientiæ scrupulo. Si enim propter cibum frater tuus scandalizatur, vel cõtristatur, non iã secũdum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.] Cum enim definisset apostolico dogmate per Christum Iesum nihil commune aut immundum natura sui putandum, & dedisset erga vsus ciborum fidelibus quibusque absolutissimã libertatẽ, rursus ad ædificationem fraterni amoris licẽtiam resecat libertatis, & dicit: Et si commune nihil est, & vsus omniũ ciborum licenter admittitur, tamẽ tu si propter cibum quẽ licite putas sumendũ, fratrem tuum qui nõdum scientiæ huius capax est scandalizas, iam non secundum charitatẽ ambulas, nec affectũ in te fraterni amoris ostendis. Quid enim lædens, si vt fratrem tuum non contristes, etiam a licitis abstineas? Tibi enim abstinere à licitis crimẽ nullũ est, illi verò in quibus discernit & putat non licere, contaminabilis vsus est. Qui enim discernit, si mãducauerit, damnatus est. Quod si facias tu, vtique fratrem tuum perdis pro quo Christus mortuus est, & tu ei causas perditionis acquiris. Magnificentius autẽ idem Paulus de his ad Colossenses scribens dicit: Nemo itaq; vos iudicet in esca, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomœniis, aut sabbato, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi.

Nemo

A Nemo vos seducat volens in humilitate cordis & religione angelorum quæ non vidit, extollens se frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput. & post pauca: Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc tanquam viuentes in hoc mundo decernitis. Ne tetigeritis, ne gustaueritis, ne attaminaueritis? quæ sunt omnia in corruptionem ipso vsu secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in obseruantia religionis, & humilitate per vexationem corporis, non in honore aliquo ad saturitatẽ carnis. de quibus per singula differere non est præsentis operis: de his enim quæ ad Romanos scribit apostolus conamur exponere, hoc est tantum quod etiam præsenti asseritur exemplo, ne in cibo vel potu, vel in huiusmodi obseruantiis, quæ apud Iudęos velut angelorum religio putatur, iudicemur ab aliquo. Extollunt enim se in his quę videntur, & inflati sunt de visibilibus rebus. Quę tamen elatio non est secundum sapientiam spiritus, sed secundum sensum carnis. Non autem de carnalibus rebus pręceptum est, Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis. Hęc enim omnia, hoc est carnalia, ad vsum hũc corruptibilem data sunt, & quę potest esse in corruptione obseruantia puritatis? Sed cum lex hęc de rationalibus pręcepit, quę si immunda sunt, verè tangenda non sunt, neque gustanda, ne participes nos faciant peccati & im- B munditię suę, pręcepta hominum & doctrinę relinquentes hunc spiritalẽ sensum, ad carnalia & corporalia transtulerunt, quę rationem sapientię habent in obseruatione religionis & humilitate corporis: non tantum verò occasione huiusmodi obseruantię honorabilis apud homines & carnis delitię requiruntur, dum pro paucorum abstinentia multi cibi requiruntur & electi. Vera autem obseruantia est vbi ita sumitur cibus, & ita aguntur omnia, vt nõ de talibus dicatur: Quorum Deus venter est. Absti- *Phil. 3.* nere conuenit ab omni cibo quem concupiscentia & libido pręsumit, quem delitię parant, & luxus excogitat. Videndum sane est non solum quali, sed quanto cibo, & quo in tempore, & quàm parco vtamur. Sic enim omnia *Tit. 1.* mundis munda fiunt: Contaminatis autem (vt dicit apostolus) & infidelibus nihil mundum. In quo ostendit, quia etiam ea quę apud Iudęos munda nominantur in cibis, si quis contaminatus sit & infidelis, munda ei esse non possunt. Consequens igitur erit, vt si ea quę mũda sunt, contaminatis immunda efficiantur: & ea quę dicuntur immunda, sanctis ac fidelibus munda fiant. Sanctificantur enim per verbum & orationem, quia omnis creatura Dei bona, & nihil abiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Per orationem autem non cuiuscunque sanC ctificantur, sed eorum qui leuant puras manus sine ira & disceptatione. Vis autem magnificẽtius adhuc de mundis & immũdis quòd nõ de corporibus, sed de animis dicãtur & mẽtibus? Audi ipsius domini & saluatoris in euãgelio sententiam dicentis: Non quę in os intrant coinquinant *Matt. 15.* hominem, sed quę ex ore procedunt, quoniam intus de corde exeunt cogitationes malę, homicidia, adulteria, &c. Cogitatio ergo est & mens non recte sentiens quę polluit hominem, non ciborum qualitas, quę cuiuscunque modi fuerit, pari eodémque exitu vsum corruptionis explebit. Et nihil mirum si sanctus cibus quem sumit, verbo Dei, & oratione sanctificat, cum etiam ipsa quibus induitur *Act. 19.* sancta sint vestimenta. Sudaria denique Pauli & semicinctia tantum ex ipsius puritate sanctificationis acceperant, vt ęgris adhibita fugarent morbos, & redderent sanitatem. Nam de Petro quid dicam, cuius etiam vmbra cor- *Act. 5.* poris tantum sanctificationis gerebat, vt quoscunque pręteriens non ipse sed sola eius vmbra tetigisset, continuo ab omni ægritudine leuarentur? Sed paulo latius excessimus de mundis cibis & communibus disserentes, vt apostoli sensum quantum possibile est cõsideraremus excelsius. Sed memores propositæ breuitatis, in his noni voluminis conclusione facta, decimi eiusdem aggrediamur exordium.

LIBER DECIMVS,

NOn ergo blasphemetur bonum nomen. Non enim regnum dei est esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto.] Requiro quo- D modo blasphemari possit bonũ nostrum nomen. Bonum est spiritaliter legẽ intelligere, impia & inepta hæreticorum vel falsæ philosophię studentium dogmata tanquam immũdos cibos pollutosque vitare: Hoc enim est quod spiritali lege sancitur. Tamen si quis Iudæus, Verbi causa, aut ex his qui Seueriani, Tatianique appellantur velit Christo credere, putet tamen non parum inesse momenti in obseruantia continentiæ vel eorum ciborum qui lege prohibentur, vel quos quasi castitati aduersantes existimant nonnulli etiam scripturarum auctoritate declinandos: huiusmodi hominem si perurgeas ad communes hominum cibos, nec dicas eum aliter posse saluari, vel ad fidem Christi & gratiam peruenire, nisi sumptis his quos refugit cibis, tunc verè bonum spiritalis sententiæ blasphematur, putãre eo quem perurges hanc apud nos haberi fidem, vt saluum fieri nullum credamus nisi qui suillis vescatur carnibus, vel aliis huiusmodi communibus & indifferentibus cibis. Addit autem his. Non enim regnum dei esca & potus est, sed iustitia & pax, & gaudium in spiritu sancto. In quo iterum vehemen- E ter admiror sapientiam Pauli, qui præsentis temporis culpas futuri sacramenti auctoritate compescit, & vt ecclesię formam statuat, regni cœlorum mysterium prodit. Ait ergo: Quod opus est tantopere pro cibis & escarum qualitatibus fraternam pacem charitatémque turbare, cum regnum Dei propter quod laboramus & currimus, neque per escas constet, neque per potum: sed aliena hæc sunt à regno Dei, & ab illa conuersatione futura? Ibi enim sicut neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei, sic neque escam neque potum sument, sed sunt sicut angeli Dei. Igitur absolutissimo & euidenti dogmate ab apostoli sententia terminatum est, in regno Dei neque escas carnales neque potum habere locum, sed iustitiam & pacem in spiritu sancto: & ideo hortatur vt in illis nos exerceamus, & illa bona iam hic habere meditemur, atque illam substantiam possidere, quæ nobiscum trãsferri possit ad regna cœlorum. Pacem ergo & iustitiam, & si qua huiusmodi sunt, quæ per spiritũ sanctum conquiruntur, ipsa nobis erunt cibus & substantia in regno Dei, & ideo per hæc docet non escarum corporalium rationes, quæ nullæ erunt in futuro, sed virtutum curam gerendam, quæ nobiscum & in præsenti vita, & in futura permaneant in regno Dei. Et ideo dicit, quia.

Qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo & proba- F tus est hominibus.] Hoc est quod de seipso in aliis dicit. Sicut & ego, inquit, per omnia hominibus placeo, non quærens quod mihi vtile sit, sed quod multis. Ideo enim cum esset apostolus Christi, fiebat Iudæis Iudæus, sine dubio vt placens Iudæis saluaret eos: & his qui sine lege erãt fiebat & ipse sine lege, vt placens eis saluos faceret eos. Placere autem dicit ita hominibus, non oblectando vitiis, sed infirmitates eorum per patientiam sustentando. Sed ne illud quidem otiose prætereamus quod ait. Nam qui in hoc est, in spiritu sancto seruit, placet deo probatus hominibus. In spiritu sancto Christo seruire secundum hoc dicit quod & alibi ait: Nemo dicit dominum Iesum nisi in spiritu sancto. Seruit autem Christo in spiritu ipse Paulus, quia accepta gratia sancti spiritus seruit verbo Dei, seruit sapientiæ, seruit iustitiæ, & omnibus simul virtutibus quæ Christus esse memorantur. Et ideo placere in his dicitur Deo, qui implet voluntatem Dei secundum verbum quod ipse pronunciauit dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Qui audit Deum & seruit Christo in quo complacuit Deus, placet Deo, & probatus est hominibus. Itaque quæ pacis sunt sectemur: & quæ ædificationis sunt inuicem, custodiamus. Noli propter cibum soluere opus Dei.] Suprà dixit, Hospitalitatem sectantes, & hic similiter, quæ pacis,

G inquit, sunt sectemur, & quæ ædificationis inuicem custodiamus, & sicut ibi ostendimus qualiter sectanda sit hospitalitas, ita & hic qualiter pax sectanda sit intelligamus: quia Dauid similiter dicit: Inquire pacem & sectare eam. Licet in Latinis codicibus habeatur, sequere eam, sectare tamen etiam ibi scriptum est. In quo mihi hoc videtur ostendi, quoniam quidem à multis inquiete & insolenter agentibus turbata pax & effugata velut subterfugit ab hominibus. E contrario ab his qui Christum didicerunt, & ipsi seruiunt, etiam fugitans consectanda est, & modis omnibus reuocanda. Sectatur autem pacem, qui ea quibus pax constare potest, etiam cum labore suo, cum damno, cum opprobrio quoque, & si ita necesse sit etiam cum periculo vitæ famæque custodit. Hic enim nó solum pacem, verum ædificationem adinuicem seruat. Ædificatur enim is qui viderit te non quæ tibi soli, sed quæ aliis expediunt requirentem, & sic crescit ædificiū dei ac templum Dei ex lapidibus viuis, & per constructionem charitatis assurgit, & ideo addit. Noli propter cibum * soluere opus Dei. Soluit enim opus Dei, & ædificiū destruit charitatis, qui propter ciborum intemperantiam scandalum fratribus ponit. Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non mãducare carnē, & non bibere vinum, neque in quo

H frater tuus scandalizatur.] Quod dicit, Omnia quidem munda, sed malum est homini qui per offendiculum mãducat, simile est illi quod superius dixit, quia nihil per seipsum commune, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Igitur secūdum naturam sui & rationem creaturæ cuncta quæ à Deo facta sunt omnia munda sunt, & immundum vel quod commune dicitur nihil est. Duas tamen causas posuit, quibus vel quæ munda sunt, immunda fiant, vel quæ bona sunt, mala. Ait enim in præsenti quidem loco: Sed malum est homini qui per offensionem manducat. Quod ergo natura sui bonum est, ex offensione efficitur malum, id est in eo quod offenditur super te vtente his cibis in quibus ille scandalum patitur. Alia verò causa est qua commune & immundum efficitur quod natura sui immundum non est, si existimet quis, & apud se ita habeat quod commune sit. Illi ergo ipsi tantummodo qui hoc existimat, ita cómune efficitur & immundum. Quibus euidenter apostolus docet, non in rebus vel in substantiis, sed in actibus & cogitationibus minus rectis immunditiá pollutionémque consistere, quam-

Leuit. 11. uis Moysi lex quædam munda, & quædam immunda signauerit. In quibus distinctiones quasdam ponere voluit, vt populus qui sub lege erudiebatur, discerni per huiusmodi obseruantias à cæteris gentibus videretur. Et quandiu

I quidem populus ille sanctus, & segregatus à cæteris nationibus habebatur, etiam discretio de mundis & immūdis necessaria videbatur, quæ segregaret & secerneret specialem populum Dei à nationibus, quas ignorantia Dei & idolorum cultus faciebat immundas, vbi verò ianua fidei gentibus aperitur & inuitantur omnes ad Deum, ostenduntur Petro omnia quadrupedia & reptilia & volatilia exposita in linteo quod cœlitus fuerat deductum,

Act. 19. & dicitur ei: Surge Petre, occide & manduca. Cúmque legalis obseruantiæ memor respondisset ad dominum & dixisset, Absit domine, quia nunquàm commune aut immūdum introiuit in os meum: cœlesti sententia pronunciatur, Quod Deus mūdauit, tu ne commune dixeris. Vbi ergo omnes gẽtes agnitione fidei à cõtaminatione mundantur, ibi & omnis cibus verbo domini & oratione purgatur: & ob hoc apostolus dicit quia omnia munda sunt, tantum vt illud vitetur quod in sequentibus ponit, ne per offensionem fratris manducanti rursum fiant immunda quæ munda sunt. Iam verò quod subiungit, bonū est non manducare carnẽ & non bibere vinum, nisi addidisset, neque in quo frater tuus offendatur, contrarium forrassis prioribus videretur. Manducare enim carnem, & non manducare, vel bibere vinum, aut non bibere, neque malum, neque bonum, sed medium haberi docuit & indifferens. Potest enim non manducare carnem & non bibere vinum etiam malus homo & à fide alienus, vt sæpe etiam

K nonnullos idolorum causa facere hoc certū est, interdum etiam malarum artium. Fertur talis quoque haberi obseruatio hæreticorum, & non paucis obseruare hæc mos est, & tamen non continuo dicimus, bonum est eis quia non manducant carnem, neque bibunt vinum. Sed illo plane modo quo in sequentibus posuit, in quo frater offenditur, non manducare carnem & non bibere vinum, non iam medium aut indifferens, sed vere bonum est. Bonum enim non ponere offensionem fratri vel scandalum. Propter hoc enim & in aliis dicit. Sine offensione estote & Iudæis & Græcis, & ecclesiæ Dei. Et ideo videant si rectè faciūt hi, qui qualiber ex causa cõtinentes à carnibus & vino cogunt omnimode degustare, quo scilicet per hæc ab eis videatur auferri suspitio, quia superstitiose putãtur ciborum discretionibus inhærere. Considerent namque apostolum non dixisse, bonum est manducare & bibere vinum: sed non manducare carnem, & non bibere vinum si in eo frater offenditur. Noluit ergo vt pro his qui manducandum iudicant, cogatur ille ad manducandum qui in hoc offenditur: sed pro illo qui non putat manducandum, abstinere præcipit etiam his qui manducandum iudicant. Verẽdum namque est ne forte abrupto semel muro continentiæ, & accepta licentia, in gulæ procellam ac profundum luxuriæ decidatur, & pariter subsequantur naufragia castitatis. Omnia igitur fieri oportet ob hoc ne L

destruatur opus Dei: & ideo etiam manducandum est si in hoc frater ædificatur: & non est manducandum si per hoc non crescit opus Dei: & bibẽdum est si per hoc proficit frater ad fidem: & non est bibendum si per hoc frater damnum fidei, aut tu detrimentū charitatis incurras. Post hæc dicit: Tu fidem quam habes apud temetipsum habe coram deo.] Fidem hic illam dicit qua credit quis mãducare oĩa, sicut supra dixit: Alius credit manducare omnia. Ille sine dubio qui credit quod in creaturis Dei nihil cõmune, nihil immūdum sit. Sufficit tibi, inquit, habere coram Deo huiusmodi fidem. Non tamen idcirco cogendus est alius vt omnia manducet, qui nondú habet talẽ fidem vt credat omnia esse manducanda. Quod auté dixit, habe apud temetipsum, iactantiam resecat, ne magis in ostẽtatione sit quod credimus, quàm in virtute. Addidit, Habe coram Deo: vt doceret satisagendum nobis non vt apud homines fides nostra diffametur, sed vt apud Deū probetur. Multum autem est habere coram Deo probabilem fidem. Apud Deum enim etiam apostolorum fides iudicatur. Vnde dicitur ad Petrū: Modicæ fidei quare dubitasti? Matt. 14.

Idcirco ergo vere magnus est qui coram Deo habet probabilem fidem. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si mãducauerit dãnatus est, quia non est ex fide.] Beatus quis dicitur non solū M

si faciat ea quæ competit, sed & si non faciat ex quæ non cõpetit: vt ille beatus dicitur qui non abiit in consilio impiorum, & ille nihilominus beatus qui ambulat in lege domini. Ita & præsenti loco apostolus, Beatus, inquit, qui nó iudicat semetipsum in eo quod probat. Sed cuius operis sit ista beatitudo videamus. Multi sunt qui probãt aliquid boni facere: verbi gratia, qui audiẽtes de præmiis castitatis probant & statuunt caste viuere: sed processu temporis, vel surrepente negligentia, vel superãte libidine, id quod obseruandum probauerant maculatur & corrūpitur: & est infœlix iste, qui in eo quod obseruare decreuerat, victus semetipsum iudicat & cõdemnat. Beatus verò ille est, qui in eo quod probat & statuit ita permanet fixus & stabilis, vt in nullo semetipsum iudicet, in nullo reprehẽdat. Hoc auté in obseruãtia ciborū secundú eam regulã quam superius texuit habendū dicit, vt si quis est qui per scientiam spiritalis legis probat omnia manducanda, & omnia esse munda, non rursum iudicet semetipsum, & dubitationẽ capiat verū sumere debeat necne. Quia qui hoc modo discernit, qui dubitat verum vere mundum sit an immundú quod sumit, iste ex animi sui dubitatione conscientia vrgẽte damnatur. Causam verò huius damnationis exponit dicens, quoniá non ex fide ducitur, sed ex dubitatione.

A bitatione. Et post hæc generalem super omnia sententiam exponit dicens. Omne autem quod non est ex fide peccatum est.] In hoc sermone credentium quorundam negligentes & desides animos vinculo artiore constringit, vt nihil sine fide agant, nihil sine fide dicant, nec absque fide aliquid cogitent: quia siue quid gesseris sine fide, siue locutus fueris, siue etiam cogitaueris, peccas. Hoc idē est quod in aliis dicit: Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Sed requirat aliquis, si hæretici quæ faciunt, quia secundum hoc quod faciunt credunt, ex fide facere credantur: An quia fides apud illos mala est, omne quod faciunt peccatum sit pronunciandū, quia non fit ex fide, & puto illorum credulitatem appellari magis quam fidem. Sicut enim pseudoprophetæ falso nomine interdum prophetæ appellantur, & falsa scientia scientia dicitur, & falsa sapientia sapientia abusiue nominatur: ita & hæreticorum credulitas, falso nomine fides appellatur. Vnde videndum est ne forte etiam si quid boni operis apud illos geri videtur, quia non fit ex fide, conuertatur in peccatum, sicut de quodam dictum est, Fiat oratio eius in peccatum. Est interdum & castitas quæ non est ex fide, eorum duntaxat qui attendunt spiritibus seductoribus & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi falsa loquentium, cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nu-
B bere, & abstinentium se à cibis quos Deus creauit. Est ergo & illa fides eorum qui circa fidem naufragauerunt: est & falsa sapientia, huius scilicet mūdi, & principum huius mundi, quæ destruetur. Sicut enim piratæ solent in mari in locis vadosis occultisque scopulis per obscurū noctis lumen accendere, quo nauigantes sub spe confugiendi ad portum salutis, ad naufragia perditionis inuitent: ita & istud lumen falsæ sapiētiæ vel falsæ fidei, à principibus mūdi & spiritibus aeris huius accenditur, non per quod euadant, sed per quod pereant homines mundi huius fluctus
Iob.6. & vitæ pelagus nauigantes. De his (vt opinor) piratis dicebat & Iob. Sagittæ piratarum eius super me venerunt. Et ob hoc nimirum etiam ipse Paulus apostolus dicit, quia & ipse satanas transfigurat se sicut angelum lucis. Propterea nauigantes vitæ huius vndas, non omni lumini, id est
1 Ioan.4. non omni sapientiæ credere debemus: sed sicut monet a-
Psal.124 postolus, probate spiritus quod ex Deo sunt. Et ideo debemus indelincter precari auxilium domini, & sperare quod ipse eripiet nos de laqueo venantium, vt & nos dicamus. Quia anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, &c.

CAPVT XV.

Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorū sustinere, & non nobis placere.] Videtur in his Paulus firmum semetipsum pronunciare, sicut in prima epistola ad Corinthios dicit, quia factus sum infirmis infirmus vt infirmos lucrarer. Et ibi enim se nō dicit infirmū esse, sed fieri infirmū, & nō vtique si infirmus fuisset fieri potuisset infirmus: sed non ex hoc aspicias eum quasi immemorem mandati illius loci quo dicitur: Laudet te proximus tuus & non os tuum, extraneos & non labia tua. Non ergo pro laude propria sed pro rerum consequentia firmum semetipsum pronunciat. Si enim ipse humilitatis specie se inter firmos vitasset enumerare, quis in his qui aliorum infirmitates portare deberent auderet subire istud officij, vt quasi firmus ipse fra-
C gilitates infirmorum ferre niteretur? Sed ideo commune facit istud officium, vt vnusquisque nostrum in quo potest etiam si non in omnibus tamen in quo videtur firmior proximo suo esse, portet infirmitatem eius: sicut & aliis dicit, Inuicem onera vestra portate. Sed videtur onera hic pro corporeis necessitatibus nominasse, vt si quis in facultatibus opulentior est, onus pauperioris portet, & penuriam soletur abundantia. In eo verò vbi dicit, vt firmiores infirmorum sustineant infirmitates, non aliud intelligi potest, quàm vt in quibus alij per infirmitatem delinquunt, robustiores quique patienter ferant, & non cō-
D tinuò spernant eos, abiiciant, abhorrescant, si forte in aliquo infirmitatis vitio vincuntur, neque specie purioris vitæ, à conuentu fratrum & ecclesiæ societate depellant. Qui enim hoc facit, non est imitator illius de quo Esaias
Esa. 53. dicit: Ipse infirmitates nostras portat, & pro nobis dolēs: & nos putabamus eum in dolore esse & plaga, & in afflictione. Quod si Christus portat infirmitates nostras, & deus patienter fert delicta nostra, quomodo & nos eorum qui paulo infirmiores videntur nequaquam delicta & negligentias toleramus? Hoc enim nimirum ipsum Christū auertere est ab hoc affectu, ne portare velit infirmitates nostras. Nemo enim ita perfectus est qui apud Deum in aliquo non inueniatur infirmus, & portetur à Christo: & ideo magis in hoc decet itidem compati inuicem & cōdolere, sicut & in aliis scribit: Donantes vobis inuicem delicta vestra, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Hoc autem non idcirco præcipit, vt delinquentes nutriat, & indulgentia largiore infirmantes dissoluat: sed sciens quoniā si portetur infirmus, aut erubescit diutius portari, & corrigit vitium delinquendi: aut si emendare se non valet, etiā certe fructus iste portātis eum, si non proficit in peius, nec semetipso deterior efficitur, sicut illi de quibus dicit apostolus: Nequaquam autem homines seductores proficient in peius seducentes & errantes. Debemus autem ad id
E quod infirmitates portamus infirmorum, addere etiam vt non nobis ipsis placeamus, sed proximo in bono tantum ad ædificationem. Philautiæ vitium, id est sibi ipsi placendi, & in aliis culpat propheta eum dicit: Væ his qui apud semetipsos sapientes sunt in conspectu suo eruditi. Similiter ergo & in hoc possumus dicere: Væ his qui sibimetipsis placent, & in conspectu suo boni videntur. Oportet enim in conspectu Dei primo placere, secundo etiā proximis. Sicut primo est diligere dominum Deum, & secundo proximum: ita & primo placere Deo, secundo etiā proximis. Sed fortasse dicat aliquis contraria sibi Paulum dicere in eo quod iubet nos proximis placere, quia in aliis dixerit, Ego si hominibus placerem, Christi seruus nō essem. Et vtique huic sententiæ videtur esse contrarium,
Gal.1. vt vnusquisque proximo suo placeat, quod in aliis dicit: Sicut & ego per omnia hominibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Dicendum ergo ad hæc, quia aliud est studium habere placendi hominibus vt laudem ab eis quærant: & aliud habere placendi studium hominibus in eo vt vita sua irreprehensibilis sit apud omnes, & proficiant ex eo omnes qui vel vidēt talem, vel audiunt. Ibi ergo non est placendum hominibus, vbi contra Deum, contra honestatem, contra religionem est in quo placeatur: & ideo dicit: Quia si hominibus placerem, hoc est incredulis & infidelibus Iudæis, Christi seruus non essem. Si enim voluisset Paulus placere Iudæis
F Damascum cum epistolis missus, traxisset vtique viros ac mulieres vinctos Hierosolymam, & visioni delatæ sibi in via cœlestique vitæ minime credidisset. Sed & si quis nos aliud agere exigit contra iustitiam, contra sanctitatem, cōtra regulam Christianam, & nisi hoc agamus odia & inimicitias minitetur, tunc oportet nos meminisse huius sermonis qui dicit, Quia si hominibus placere vellem, Christi seruus non essem. Cum autem dicit, Vnusquisque vestrum proximo placeat.] Necessaria distinctio sociatur, quæ in quo placendū sit proximo, euidenter ostendit cum dicit, In bonum ad ædificationem.] Cum ergo bene agimus, & bene docemus, placemus proximo, & ædificamus eum. Non enim gloriam ab hominibus quærendam monet, sed ædificationem de actu & sermone nostro proximis dandam. Sicut & in eo quod dicit saluator: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes opera vestra bona, glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Per quod
Matt.5. non vtique ad quærendam ab hominibus gloriam discipulos adhortatur, sed vt rectè honestéque viuentes ad ædificationem videntibus placeant, & glorificetur Deus qui hominibus viam emendationis & salutis aperuit.

Nam & Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, Improperia improperātium tibi ceciderunt super me.] In

G hoc videtur ostendere, quia & Christus non sibi placens,
nec rapinam arbitrans esse se æqualem deo, semetipsum
exinaniuit, sed volẽs hominibus placere, hoc est homines
saluare, improperia improperãtium pertulit, sicut scriptũ
est, Improperia improperantium ceciderunt super me.
Quod euidentius fiet si ea quæ sunt scripta in euangelio
requiramus quomodo vt prodesset hominibus, & saluos
faceret eos, cum peccatoribus & publicanis manducabat
& bibebat, & ad hæc improperãtes Iudæi dicebant. Qua-
Luc. 5. re cum publicanis & peccatoribus manducat magister
Luc. 7. vester? Vel iterum cum peccatricem mulierem non pro-
hibebat contingere pedes suos, & lachrymis rigare, vel
capillis detergere, & myro perungere: & per hoc impro-
peranter & exprobranter Iudæi dicebant, quia si hic pro-
pheta esset, sciret vtique quæ & qualis est mulier quę tan-
git eum, quia peccatrix est. Quod si requiras cur exẽplum
quod de psalmo, ita habeat quasi improperia quæ impro-
perentur Deo, deciderint super Christũ, ita possumus ex-
planare. Quia sicut dicit: qui me recipit, recipit eum qui
me misit, ita & hoc accipi potest, quia qui mihi imprope-
rat, improperat ei qui misit me. Exemplum enim quod
Luc. 9. assumpsit, in sexagesimo psalmo hoc modo scriptum est:
Alienus factus sum fratribus meis, &c. vsque Ceciderunt
super me. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram do-
H ctrinã scripta sunt.] Simile est hoc illi quod ipse in in aliis
dicit. Scripta sunt autem propter nos in quos fines seculo-
rum deuenerunt. Quod si requiritur quomodo propter
1. Cor. 9. nos scripta sint, vide quia propter nos scriptum est: Non
obturabis os boui trituranti: non enim de bobus cura est
Deo, sed de nobis dicit, & propter nos scriptum est quia
Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla & vnum de
libera: vt nos sciamus quia sunt allegorica, & hæc sunt
Exod. 16. duo testamenta. Propter nos & illud scriptum est, quia
17. populus Manna manducauit in deserto, & bibit aquam
de petra, vt nos intelligeremus quia spiritalẽ escam man-
ducauerunt, & spiritalem potum biberunt, bibentes de
sequenti petra, quæ petra erat Christus. Hæc atque alia
huiusmodi erant mysteria, quæ occulta sunt temporibus
æternis, manifestata autem nunc per scripturas prophetri-
cas, & aduentum domini & saluatoris nostri Iesu Christi.
Sed vt adhuc manifestius fiat, quomodo quæ scripta sunt,
propter nos scripta sunt, de priori populo dicit propheta,
Esa. 6. quia aure audietis, & non cognoscetis, & videntes videbi-
tis, & non intelligetis. De nobis autem dicitur: quia qui-
bus non est nunciatum de eo, videbunt: & qui non au-
dierunt intelligent. Considera ergo ex hoc propter quod
scripta sunt, videlicet vt scripta videantur. Quæ enim scri-
buntur, sine dubio propter eos scribuntur qui visuri &
I intellecturi sunt, non propter eos qui neque visuri, neque
intellecturi dicuntur. Qui autem intelligunt quæ scripta
sunt, illud sine dubio inuenient quod consequenter ad-
iungitur. Vt per patientiam & consolationem scriptura-
rum spem habeamus.] Consolatione namque ea scriptu-
ris nõ ille qui neque credit, neque intelligit, sed ille qui &
credit & intelligit, capit. Deus autem patientiæ & conso-
lationis det vobis id ipsum sapere in alterutrum secun-
dum Iesum Christum.] Si patientia virtus est, omnis au-
tem virtus à Deo est, & patientia à Deo est. Cum ergo di-
citur Deus patientiæ, hoc est quod videtur ostendi, quia
Deus cum his est qui habent virtutem patientiæ in se: si-
cut cum dicitur Deus iustus, ostenditur in his esse Deus
qui seruant iustitiam. Similiter & Deus veritatis & Deus
patientiæ intelligitur. Sed & Deus consolationis cum di-
citur, cum illis esse ostenditur Deus qui ex diuinis scriptu-
ris per intelligentiam spiritalem consolationem spiritus
capiunt. Deus autem patientiæ & cõsolationis det vobis,
inquit, idipsum sapere in alterutrum secundũ Iesum Chri-
stum. In hoc Paulus patriarcharum more & propheta-
rum quorum benedictiones scriptæ referuntur, benedi-
ctiones tribuit Romanis, exorãs eis dari à Deo vt id ipsum
sapiant in alterutrum, Gratia Dei est benedictio ista, vt
vnum sapiant omnes atque sentiãt, & sicut sibi vnusquis-
que velit proximo suo. Vis autem scire quãtum vnanimi-
tatis gratia valet? Saluator in euangeliis pronunciat, quia K
si duo vel tres in vnum consenserint, de omni re quam-
cũque petierint fiet eis: & iterum de semetipso dicit, quia
vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, hoc
est vnum atque idem sentientes in nomine Iesu Christi,
ero in medio eorum. Vis & aliud accipere exẽplum, quo-
modo vnum sentientibus Christus medius fiat? Vide in
actibus apostolorum quomodo post ascensionem domi-
ni, cum eleuassent, inquit, duodecim apostoli cum cæteris
vocem, & vnanimiter orassent, motus est locus in quo
stabant, & præsentiam sancti spiritus meruerũt. Vt autem
adhuc quanta sit vnanimitatis virtus, & quanta gratia
clarius fiat, non puto absurdum videri si ea etiam quæ no-
bis in veteri testamento à patribus rationabiliter tradita
sunt, his scilicet qui ex Hebræis ad Christi fidem venerũt,
in medium proferamus. Aiebant ergo hi illos filios Core
quorum nomina in Exodo inuenimus, id est Assir qui in-
terpretatur erudito, & Helcbana qui in lingua nostra di-
citur possessio Dei, & Abiasaph qui in latino sermone in-
dicat cõgregationem patris, cum pater eorum Core pec-
casset vna cum Dathan & Abiron, & omnibus qui cõsen- Num. 16.
serunt eis, & diuinę vltionis in eos pararetur excidiũ, istos
segregasse se ab actu nefario, & ab impia cõspiratione se-
questratos, vnanimiter ad Deum precẽ pœnitẽtiæ profu- L
disse: atque exauditos à deo non solum veniam pœnæ sed
prophetiæ gratiã meruisse, & hoc quoque eis a Deo pos-
centibus esse præstitum, ne quid triste aut exitiabile pro-
phetare iuberentur: & ob hoc omnes psalmos quicunque
nominibus eorum attitulati referuntur, nihil triste aduer-
sus peccatores aut asperum continere. Hæc autem protu-
limus vt quanta sit vnanimitatis virtus, & vnum sentire,
atque vnum inuicem sapere, magnificentius nosceretur.
Ego etiam illud quod Paulus in quibusdam epistolis alio-
rum vocabula secum iungit, & dicit Paulus & Sosthenes
frater, & alibi, Paulus & Syluanus & Timotheus, puto
non inaniter factum, sed per hoc ostendit, quia duobus
vel tribus in vno positis spiritus sanctus vnum de eis sen-
sum atque vnum elicuerit sermonẽ: vt qui ecclesiam do-
cere cupiebant vnum dicere atque vnum sapere, ipsi se
prius vnum dicere atque vnum sapere demonstrarent. Vt
vno ore honorificetis Deum & patrem domini nostri Ie-
su Christi.] Vnum nanque os dicitur vbi vnus atque idem
per diuersorum ora sensus & sermo procedit. Bene autem
apostolus vbi ait, Idipsum sapere in alterutrum, addidit,
Secundum Iesum Christum. Posset enim fieri vt in mali-
tia aliqui vnanimiter consentirent, & vnum saperent in
peius. ob hoc ergo addidit, Secundum Iesum Christum.
Qui autem secundum Iesum Christum sapit, sine dubio M
omne quod bonũ est sapit. Post hæc addit. Propter quod
suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit vos in hono-
rem Dei.] Quod dicit, Suscipite inuicem ad illud referen-
dum est quod primo proposuerat, vbi occasione mundo-
rum vel immundorum ciborum diuersa sentientes ab in-
uicem discrepabant, & ait: Suscipite inuicẽ sicut & Chri-
stus suscepit vos, qui nullius immunditias horruit, nec re-
putauit alicui delicta sua. Nihil enim de immunditia ani-
malium iudicetis, sicut nec ille immunditias credentium
reputauit. Et qui in superioribus dixerat, Qui autem man-
ducat non manducantem non iudicet, Deus enim illũ as-
sumpsit: hic dicit quòd Christus suscepit vos: vt ostẽderet
vnum atque idem esse à Deo suscipi & à Christo. Addit &
hoc, quòd honor sit Dei suscipi à Christo. Quos enim sus-
cipit Christus, docet eos ita agere debere, vt videntes ho-
mines opera eorum bona, glorificent patrem qui in cœ-
lis est. Dico enim Iesum Christũ ministrũ fuisse circunci-
sionis propter veritatẽ Dei ad cõfirmandas promissiones
patrũ.] Quomodo Christus minister fuerit circuncisionis
ad stabiliẽdas promissiones patrũ, duplici modo intelligi
potest. Siue pro eo quod circuncisionẽ in carne sua susce-
pit ipse, vt manifestissime nosceretur quod ex semine Abra-
ham veniẽs, cui promiserat Deus, Quia in semine tuo be-
nedicentur omnes gẽtes, compleret in semetipso quæ pa- Gen. 22.
tribus fuerant repromissa: & vt per hoc secundum propo-
situm

A situm totius epistolæ ordinē, quo nūc eos qui ex circumcisione crediderant, nunc etiam eos qui ex gentibus aduersum se inuicem superbientes refrenat ac reprimit, doceret non esse penitus iudicandos eos qui in legis obseruationibus demorantur, quandoquidem Christus etiam in carne sua circuncisionis minister fuisse dicatur, de qua idem apostolus dicit: Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ manifesta est in carne circuncisio, sed qui in occulto Iudæus est & circuncisione cordis, quæ spiritu non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Et secundum quod idem apostolus in alijs dicit: In quo etiam circuncisi estis in circuncisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circūcisione corporis Christi consepulti ei in baptismum. Per huiusmodi ergo circumcisionem certum est promissiones patrum esse completas. Quæ autem fuerint promissiones, subditis declarat exemplis quibus dicit, Gentes autem super misericordia honorare deum sicut scriptum est, Propterea confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo cantabo.] Quod ex

Psal. 18. decimo octauo psalmo videtur assumptum parua immu-

Deut. 32. tatione habita non sensus sed sermonum: ibi enim dicit,

Psal. 116 Propterea confitebor tibi in gentibus domine, & psallam nomini tuo. Et quod item ait, Lætamini gentes cum populo eius.] Eisdem verbis in Deuteronomij cantico scriptum est. Et iterum, Laudate verò omnes gentes dominū,

B & magnificate eum omnes populi.] In CXVI. psalmo legitur, tantum quòd ibi pro magnificate, collaudare positum est. Et rursus Esaias ait, Et erit in die illa radix Iesse, & qui exurget regere gentes, in eo gentes sperabunt. Et erit requies honor eius.] Omissis autem in primis quidem duobus sermonibus, id est, In die illa, & in vltimis, Et erit requies eius honor, cætera eisdem verbis posuit quibus LXX interpretes ediderunt. Vnde sciendum est quod in omnibus pene apostolus editionem LXX interpretum tenet, nisi quia forte ei quam exequitur assertioni minus necessaria videntur, aut si quando non tam verbia interpretum quam sensibus scripturæ vti vult sua enūciatione prolatis. Hunc autem sermonem de radice Iesse melius quidem in explanatione ipsius prophetæ Esaiæ visum est disseruisse: in præsenti tantum locū dicitur, quoniam Iesse interpretatur in nostra lingua, est mihi. In aduentu ergo

Exod. 3. Christi omnis qui credidit ei conuenienter dixit, est mihi. Ille enim de quo Moyses dicit, Qui est misit me ad vos, ipse est mihi, hoc est in ipsum credo, qui non ex nihilo vt impiis placet, sed qui est & semper est, & hoc ei nomen est, & ipse est qui surrexit ex radice Iesse, & in ipso gentes sperabunt. Pro qua misericordia quam ab eo consecuti sunt, is qui semper erat nasceretur ex radice Iesse ad salutem gē-

C tibus dandam, pro hac inquam sibi collata misericordia gentes honorant & magnificant Deum. Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in spe & virtute spiritus sancti.] Qui superius dixerat quod in Esaia scriptum est, Et in eo gentes sperabunt, granter adiecit, Deus autem spei: vt si scriptum fuisset, in ipso gentes credent, adiecisset sine dubio. Deus autem fidei, vt nun[illegible]à sperando gentes Deum spei inuocat super eos qui sperāt in eum, à quo eis benedictionis munus precatur augeri. Est autem benedictio huiusmodi vt repleantur omni gaudio & omni pace. Similiter autem & pro-

Esa. 54. pheta dicit in quodam loco. Et erit in diebus eius iustitia & multitudo pacis vsquequo auferatur luna. Sed quia hæc de Christo dicuntur, in illo rectè possumus multitudinem pacis aduertere, pro eo quod pacificauit per sanguinem crucis suæ non solum quæ in terra sunt, sed etiam quæ in cœlis sūt in omnibus. Quomodo possit impleri hoc quod precatur apostolus, vt impleantur omni gaudio & omni pace, difficile mihi videtur exponi. maxime cum etiā ipse apostolus in his quę per gratiam spiritus sancti consecutus est, ex parte se dicat scire, & ex parte prophetare. Sed ego

2. Cor. 5. puto in eo posse habere credentes plenitudinē pacis, cum reconciliantur Deo patri per fidem, secundum verbū Pauli dicentis, Rogamus pro Christo reconciliamini Deo: & cum in pace redeunt cum filio Dei per sanguinem crucis eius, & cum sancto spiritui sociantur, cum se emundauerint ab omni inquinamento, & effecti fuerint vasa sancta: D vt ita demum quis repletus videatur omni pace, si in plenitudine crediderit trinitatis. Propter hoc denique subiungit apostolus & dicit, Repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis spe & virtute spiritus sancti. Si enim qui credit virtute sancti spiritus munitur, certum est quòd plenitudinem gaudij semper habeat & plenitudinem pacis. Certus sum autem fratres & ego de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita vt possitis alterutrum monere.) Eadem ratione qua suprà diximus repleri omni gaudio & pace omni credentes, etiam hic plenos esse bonitate & omni scientia eos ad quos fit sermo confirmat. Similiter autem & Corinthiis scribens dicit: In omnibus diuites facti estis in illo in om- 1. Cor. 1.

ni verbo & in omni scientia. Quia vt superius diximus, etiam de semetipso pronunciat, quòd nō omnem scientiam neque omnem prophetiam habeat, sed ex parte: de quo & in alijs quidem sæpe nos dixisse memini, & nūc nihilominus dicemus, quòd Paulus & si qui sunt tales ad comparationem cæterorum perfecti dicuntur: ad illam autem summam scientiā, vel ad illam perfectionem quę in cœlestibus est ordinibus, nullus potest inter homines perfectus dici vel esse. Vt si dicamus, in puerilibus studiis ad comparationem illius qui nuper imbuitur, & prima literarū suscipit elementa, magister ipse librarius appellatur perfectus, sed E non est ita perfectus vt ille qui grammaticam docet. Ipse verò grammaticus quamuis perfectus sit, superior, & tamē perfectior rhetor, & his omnibus longe eminentior philosophicæ doctrinæ perfectio. Cúmque in his omnibus sit literatura doctrina, diuersus tamen gradus perfectionis & magisterij in vnoquoque habetur. Ita ergo potest fieri vt Phil. 3.

cum Paulus dicit, Non quòd iam assecutus sim aut perfectus sim, ad illum apicem cœlestis perfectionis aspiciens hęc videatur scribere. Cū verò dicit, Quicunq; ergo perfecti sentiamus, ad humanæ tantū perfectionis respicit gradū. Sic ergo & in pręsenti loco intelligēdi sunt vel pace vel gaudio vel bonitate vel scientia repleri, siue Romani siue Corinthij, inquantū possibile est repleri eos qui docentur in ecclesia, & sub perfectis doctoribus aguntur. Designat autem & sciētiæ ipsius mēsuram cum dicit, Ita vt possitis & alios monere. In quo ostendit, quia in eo quod discit vnusquisq; debet etiā aliū monere. & huiusmodi cū cōdiscipulis habere colloquia quibus se moneant inuicē & ædificent. Potest enim cōferre plurimū eruditionis alterna collatio si cum charitate habeatur, & de profundioribus quibusque vel obscurioribus expectet eruditiorum perfectorúmque sententiam. Secundum quod Moyses dicit: Interroga patres tuos & annunciabūt tibi, presbyteros tuos & dicent tibi. Audaci' autē scripsi vobis ex parte tanquā cō- F memorans vos per gratiā datam mihi à deo, vt sim ministrans Christo Iesu in gentibus, sanctificans euangeliū dei, vt sit oblatio gentiū accepta sanctificata in spiritu sancto.) Tanquā qui conscius sit sibi in omni textu epistolæ, dum ad eos interdū qui ex circūcisione, interdū verò ad eos qui ex gentibus crediderunt faceret verbū, quòd non nulla etiam de secretioribus mysteriis & profundioribus contigerit, & studio reddendæ rationis plura quæ habebātur in occultis patefecerit, licet in singulis dispensatione verbi moderationem seruauerit, ex aliqua parte indicans, ex multa rursum parte contegens, idcirco dicit: Audacius autem scripsi vobis ex parte, tanquam commemorans vos per gratiam quæ data est mihi. Audi apostolum dicentem, Ex parte Deut. 32

scripsi. Vnde neque nobis aliquis succenseat, si mysteriorum diuinorum rationem explanare aliquando non valemus, cum audiat eum qui nobis hæc ipsa tradidit, ex parte tradidisse.

Neque quisquam suam scientiæ titulo ita inflatus incedat, tanquam vniuersa cognouerit, cum ipse Paulus à quo sciētiæ nobis sermo trāsfusus est, ex parte se dicat scribere, & ex parte cognoscere. Ego tamen arbitror quod quamuis etiam ipse Paulus ex parte se scire fateatur, plura tamen & multo plura scierit quam scripserit: tanquam qui ipse mul-

G ta sciret, nec tamẽ auderet multa referre, audaciã sibi fuisse dicit, vt aliqua saltẽ scripturæ cõmitteret. Quod verò ait: Commemorans vos per gratiam datam mihi, indicat fuisse quidem sibi iam sermonem de talibus, & disseruisse se sepæ de mysteriis: sed quoniam quæ solo sermone dicta sunt de facili posset intercipere obliuio, per hæc, inquit, pauca quæ scripsi per gratiam datam mihi, illorum vobis memoriam reuoco, quæ à me latius sæpe disserta sunt. De gratia autem quam sibi datam Paulus commemorat, suprà iam diximus. Quam gratiam ob hoc sibi datam dicit, vt sim, inquit, ministrans Christo Iesu in gentibus sanctificans euangelium Dei. Quod nos habemus sanctificans euangeliũ Dei, Græci magnificentius dicunt ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ. quod licet non plene, à nobis posset tamen dici sacrificans euangelium Dei: per quod ostenditur sacrificale opus esse annunciare euangelium. Idcirco denique subiungit, Vt fiat oblatio gentium accepta sanctificata in Spiritu sancto. Sicut ergo pontifices cum offerebant, necessario eis erat prouidendum ne macula inesset hostiæ, ne vituperationis vitium, vt possit accepta Deo esse & grata: ita & qui euangelium sanctificat, & verbum Dei annunciat, curare omnimode debet, ne qua in prædicando macula, ne quod in docendo vitium, ne qua in magisterio culpa nascatur. sed vt ita dixerim, si fieri potest se-
H metipsum primo immolet, se primum vitiis iugulet, & sua prius peccato membra mortificet, vt nõ solum doctrina, sed & vitæ exemplo discipulorum salutem oblationem suam acceptam faciat Deo. Sanctificata, inquit, in spiritu sancto. Sanctificationis fons spiritus sanctus est, & ideo oblatio gentium quæ Paulo sanctificante offertur, non per obseruantiam legis, sed per spiritum sanctum accepta dicitur fieri Deo. Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus.] Vera quidem gloriatio ad Deum nõ est nisi illa quæ est in Christo Iesu. Sine Christo autẽ gloriari in Deo, tale est quale si quis dicat posse se habere gloriam apud Deum sine iustitia, sine sapientia, sine veritate. Hæc omnia Christus est, & ideo in solo Christo vera est gloriatio apud Deum. Simile est hoc illi quod in aliis dicit: Qui autem gloriatur, in domino glorietur. Quomodo autem culpabilis sit gloriatio omnis quæ extra Christum est, verbi causa, in diuitiis & honoribus huius seculi vel sapientia mundi, vel cæteris artibus quæ extra Christum sunt, supra iam latius disseruimus. Sciẽdum sane est quòd hic Latini gloria pro gloriatione posuerunt. Non enim, inquit, audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus. In obedientiam gentium verbo & factis per potestatem signorum & prodigiorum in virtute spiritus
I Dei.] Quæ loquor, inquit, non sunt alieni operis verba, nec alienorum gestorum laudator efficior, sed quæ scio Christum per me effecisse, hæc vobis scribo, quæ per obedientiam gentium verbo in me & opere expleuit, verbo prædicationis, opere signorum & prodigiorum. Quæ autem sit differentia inter signa & prodigia, in aliis iam diximus, & in præsenti compendiosius explicabimus loco. Signa appellantur in quibus cum sit aliquid mirabile, indicatur quoque aliquid futurum. Prodigia verò in quibus tantummodo mirabile aliquid ostenditur. Signa verò & prodigia quasi quæ vtrunque contineant dicit. Scriptura tamen diuina interdum tenet istas proprietates, interdum autem abusiue prodigia pro signis, & signa pro prodigiis ponit. Paulus ergo per potestatem signorum & prodigiorum, quæ tamen signa & prodigia faciebat in virtute sancti spiritus, ab Hierusalem vsque ad Illyricum impleuit euangelium Christi. Moysi & Aaron dederat Deus potestatem signorum & prodigiorum, sicut scriptum est, Po-
Psal.104 suit in eis verba signorum suorum & prodigiorum in terra Cham, vt filios Israel castigata Ægypto liberarent: sed illi vix rarumque aliquem potuerunt ex Ægyptiorũ gente conuertere. Paulus accepta potestate signorum & prodigiorum non vnam gentem, aut duos aut tres populos, sed omnes ab Hierusalem vsque Illyricum nationes & populos prædicatione verbi, & operum virtutúmque potentia ad Christi sacramenta conuertit. Sic autem prædi- K
cauit euangelium hoc non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sicut scriptum est.] Sic autem prædicauit hoc euangelium, vt non alienis laboribus, neque alienæ prædicationi adiumentum sui sermonis insereret, ne ab alio positis fidei fundamentis ipse ædificium prædicationis propriæ imponeret, & alieni operis surripere gloriam videretur. Obseruanda hæc sunt ecclesiarum principibus & rectoribus, & diligenti intentione seruanda, vt neque loqui aliquid videantur eorum quæ per ipsos non effecerit Christus, neque alienos labores & studia decolorent. Loquitur autẽ quis ea quæ per se non effecit Christus, hoc modo si loquatur de continentia & doceat, cum ipse continens non sit: vel si loquatur de sobrietate & de iustitia, vel de largiendis opibus, & contemnendis facultatibus pro regno Dei, & ipse qui docet hæc, nihil horum effecerit. Et ideo formam sui apostolus ponit, & dicit ea se loqui, & ea cæterũ prædicare, quæ per ipsum Christus prius impleuerit. Sed sicut scriptum est inquit, Quibus non est annunciatum de eo videbunt, & qui non audierunt intelligent.] Obseruauit ergo diligenter apostolus, vt secundum propheticum eloquium illis nunciaret Christũ, quibus à nullo fuerat nunciatus, vt & illi de eo intelligerent, qui à nullo ante didicissent. Et ista (vt opinor) causa fuit, quæ eum frequenter proponentem Romam pergere prohibebat. sicut dicit: L
Propter quod impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc.) Non vt in aliis dicit, impeditus à satana, sed fundandi ecclesias occupatione detentus, & in his locis fundandi vbi nullum fidei præcesserat fundamentum. Exemplum autem de Esaia sumptum est, & iisdem ex integro verbis quibus apud prophetam legitur, positum. Nunc verò vlterius locum non habens in his regionibus, desiderium autem habens veniendi ad vos iam ex multis præcedentibus annis, cum in Hispaniã proficiscar spero quòd prætergrediens videam vos, & à vobis deducar illuc cum primo ex parte fruitus fuero vobis.) Videtur hæc in Achaia positus dicere apud Corinthum. sicut & in primis epistolæ partibus iam pro viribus demonstrauimus: quæ vtique Achaia, vicina & cohærens est Macedoniæ. In quibus locis degens cum singula quæque peragrasset euangelium prædicans in his duntaxat finibus in quibus Christus ante non fuerat prædicatus, & agnitione Dei replesset vniuersa, dicit vlterius se locum non habere in his regionibus, hoc est locum nullum sibi superesse Christi prædicationis vacuum, & tempus iam adesse designat quod desideriũ suum videndi eos qui Romæ sunt debeat adimplere: quod conceptum ex multis annis gerebat, dilatum autem fuerat & dissimulatum, do- M
nec omnem locum in quo Christus non fuerat prædicatur, agnitione euangelij eius repleret. Quod autem dixit, Cum in Hispaniam proficiscar spero vt prætergrediens videam vos, non ita accipiendũ est quasi tam paruo amore Paulus erga Romanos teneretur, vt eos in transitu tantummodo & aliorsum pergens iudicaret visendos. Vide enim in subsequẽtibus quid adiũgit. Cũ primo, inquit, ex parte fruitus fuero vobis. In quo vtique in ipsorũ videtur ponere potestate, quãdo ab eis iter propositũ debeat relaxari: & per hoc quodãmodo amorẽ ipsorũ erga se inuitat & nutrit, vt si ipsi insatiabiliter erga affectũ teneãtur apostoli, sciant etiam ipsum id habere propositi, non prius ab eis discedere, neque alio proficisci, quã charitatis ipsorũ gratia perfruatur. Quam tamen charitatẽ tantam præsentit futurã, cui nec possit ex integro satisfieri, sed ex parte, inquit. Præmonet enim quòd in omnibus euangelizandi necessitas præferẽda sit. Bene autem his quos nondũ secundũ carnẽ viderat, & ad quos nondũ in carne aduenerat, præsentiam sui & remorationẽ moderatius pollicetur. Desiderabilius enim suscipimus bona quæ cito metuimus auferenda, securius verò & negligentius quod retenturos nos diutius credimus. In tantum autẽ erga se Romanorũ nutrit affectũ, vt morationẽ suam in ipsorũ arbitrio collocet, vt dicat se ab ipsis deducendũ ad Hispaniã, & tunc

dedu

A deducendum. cum ipsis prius in amore satisfecerit. In quo vtique si propensiores extiterint, demorandi diutius causas ipsi apostolo dabunt. Nunc verò proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis: probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorũ qui sunt in Hierusalem.] Possumus & de secunda epistola ad Corinthios plenius docere, in qua hæc scribit: Notam autem vobis facio fratres gratiam Dei quę data est mihi in ecclesiis Macedonię, quia in multa probatione tribulationis abundantia gaudij eorum fuit, & profunda paupertas eorum abundauit ad diuitias simplicitatis eorum, quoniã secundum virtutem testimonium perhibeo eis, & supra virtutem sponte sua multis precibus obsecrantes nos gratiam & communionem quę fit in sanctos & reliqua. Et sicut in his testimonium reddit Macedonibus, ita rursum cohortatur Corinthios dicens. Sicut in omnibus abundatis fide & verbo & scientia & nostra in vos charitate, ita & in hac gratia abundetis, & reliqua. Sed & in aliis collaudans Corinthios quia erga commotionem pauperum qui sunt in Hierusalem prompti fuerint, dicit. Consilium in hoc do: hoc enim vobis expedit, qui non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore, nunc autem & facto perficite. Sed & in reliquis de hac eadem communione prosequitur, & post aliquanta addit: De ministerio autẽ quod B fit in sanctos, superfluum est vobis scribere. Scio enim promptam voluntatem vestram, pro qua gratulor de vobis Macedonibus, quia Achaia parata est ab anno priore, & vestra æmulatio prouocauit plurimos. Quod autem post huius & Achaiæ ministerium quod fit in sanctos qui sunt in Hierusalem proposuisset apostolus etiam Romam videre, in actibus apostolorum indicatur hoc modo. Cum autẽ expleta esset hæc, proposuit Paulus in spiritu sancto, vt cum perambulasset Macedoniam & Achaiam, proficisceretur Hierosolymam dicens: Quia postquam fuero ibi, necesse est me Romam videre. Ex his omnibus verbis colligitur, quia non solum prima ad Corinthios, sed & secunda ante scripta est, quam hæc ad Romanos quam habemus in manibus. Simúlque illud aduertitur, quod quanto posterior Paulus in vnaquaque inuenitur epistola, tanto & perfectior: vt verus sit ille eius sermo quem dixit, Quia præterita obliuiscens, ad futura me extendo ad perfectum sequens palmam supernę vocationis. Quod autem dicit, Placuit Macedoniæ & Achaiæ collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, subtiliter & verecunde dum Corinthios laudat, hortatur Romanos. Facilius enim deuotæ mentes ad benefaciendum exemplis quam sermonibus inuitantur. Sed in eo quod addit: Placuit enim eis, & debitores sunt eorum.] Quid aliud sentire vult Romanos nisi si Achæi & Macedones debitores sunt pauperibus sanctorum qui sunt in Hierusalem, eadem ratione qua vnam C fidem Christi etiam Romani tenent, aduertant semetipsos iis eisdem factos esse debitores? Neque enim soli Macedones & Achæi in spiritalibus participes sunt facti sanctis qui sunt in Hierusalem, vt in carnalibus eis debeant ministrare, sed & Romani, & ideo pari conditione debitores sunt: sed de illis tantum pronunciat, vti & isti se norint sententiæ subiacere. Hęc quidem secundum communem literæ dicta sint intellectum, verum magnificentiam solitam requiramus in literis Pauli. Non enim puto quod ita senserit, vt intra solam Hierusalem vnam duntaxat Palestinæ vrbem, pauperes sanctorum collocet, quos & spiritales appellauit, reliquos verò qui in omni terra sunt, gentes dixerit, qui habitantibus Hierusalem tanquam solis spiritalibus ministrare in carnalibus debeant: cum vtique liceat extra Hierusalem spiritales inueniri, quos non locus sed conuersatio sancta & fidei ac scientiæ perfectio fecerit spiritales. sicut & ipse Paulus scribens dicit: Fratres, & si *Gal.6.* præoccupatus fuerit quis in aliquo delicto, vos, qui spiritales estis instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis.

Quid ergo est quod in his sentire nos conuenit? quod omnis qui spiritalis est, id est qui spiritu Deo seruit, & qui non secundum carnem viuit, sed secundum spiritum, ille in Hierusalem, hoc est in loco pacis habitat, & in pacis D visione consistit: & iste est pauper sanctorum, ex illis scilicet beatis pauperibus ad quos dicit, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matt.5.* Ista est ergo beata paupertas quæ dicit, Argentum & aurum non habeo, *Act.3.* sed quod habeo hoc dabo tibi, In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Iste talis pauper in Hierusalem semper habitat, diuitias possidens spiritales. Aurum enim sapientia est, argentum sermo scientiæ. Indumenta eius Christus est. Dapes eius & diuitiæ mensa est sapientiæ, cibus affluens in verbo Dei. Vinum lætitiæ bibit, quod in cratere suo miscuit sapientia, & de intelligentiis eius victimis edit cibos solidos, & verbũ carnem factum. Istæ sunt spiritales diuitiæ, quibus gentes adhuc in carne positæ cõmunicare festinant. Videtur ergo mihi hic quos nominat gentes, indicare imperfectiores quasque animas in carne, quę perfectorum magisterio indigeant: & si forte digni habiti fuerint vt participes eius fiant in intellectu & scientia spiritali, ipsi debeant in carnalibus ministrare eis: hoc est cum spiritus eorum imbui cœperit ad scientiam celsiorem, debeat etiam caro continentiæ & castitatis frena suscipiẽs spiritalibus ministrare pręceptis: ne forte si adhuc in carnalibus lasciuiat, sessorem suum Dei verbum incauta & effrenata deiiciat. Sed & ipsa differentia sermonum qua erga vtranque partem vsus est Paulus, non mihi videtur o- E tiosa. In spiritalibus enim communionem vel participationem posuit, in carnalibus verò ministerium: & hoc debitum esse, illud verò communicari dicit: vt ostendat quòd perfectiora quæque tanquam cœlestia terrenis non tam debentur quam commodantur, terrena verò & temporalia siue carnalia tanquam pro debito exiguntur. Debitores enim effecti sumus secundum illum qui primitus acceptũ immortalitatis & incorruptibilitatis censum perdidit in paradiso persuasione serpentis: & ideo debitores sumus & efficimur omnes qui in similitudine Adæ forte pręuaricationis astringimur. Idcirco ergo & pręcepta donantur, vt debita persoluamus. Denique & in euangelio ita saluator dicit. Cum autem feceritis omnia quæ pręcipio vobis, dicite quia serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. *Luc.17.* Ea verò quæ supra debitum facimus, non facimus ex præceptis. Verbi causa, virginitas non ex debito soluitur: neque enim per pręceptum expetitur, sed supra debitum offertur. Audi denique Paulum dicentem, De virginibus autem pręceptum domini non habeo. Sic ergo de spiritalibus & perfectioribus commune dixit: de *1.Cor.7.* inferioribus verò & carnalibus debitum ministerium nominauit. Ego autem per huiusmodi ministerium etiam illud aduertendum puto quod est in psalmis. Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis: vt scilicet *Heb.1.* angelos bonos, spiritus appellauerit tanquam spiritales. Eos verò qui præsunt ministeriis pœnarum, & flam- F mas peccatoribus parant, ministros flammæ ardentis nominauit. Hæc quamuis per excessum quendam dicta esse videantur, tamen quia locus admonuit, non omisimus.

Post hæc dicit: Hęc ergo cum consummauero & assignauero eis fructum hunc, proficiscar per vos in Hispaniam. Scio enim quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam.] Vide quanta cautela consignaturum se fructum offerentium repromittit. Quo putas signaculo fructũ sancti operis consignat apostolus? Illo puto quo imago Dei exprimitur, hoc est vt in cõplendo opere nulla sit alienæ cogitationis admixtio. Non laus ab hominibus quæratur, sed vt in simplicitate cordis qui tribuit tribuat, & non ex tristitia. Hilarẽ enim datorẽ diligit deus, & cætera his similia quæ obseruat in opere Dei, opus suum signaculo diuinæ imaginis signat. Cũ ergo, inquit, hic cõsummauero, tunc per vos ad Hispaniã proficiscar. Promittit sane grande munus Romanis & dicit. Scio enim quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi *2.Cor.9.* veniam. Quod non nisi per spiritum sanctum & prophetiæ gratiã pollicetur. Supra hominem namque est hęc scire de futuris, quod non solum in benedictione Christi, verũ etiã in abundantia benedictionis venturus sit ad eos: quo & venientis gratia, & suscipientiũ merita pariter designãtur.

G Deprecor igitur vos fratres per dominum nostrum, & per charitatem spiritus.] Licet in superioribus dixerit, Scio enim quoniam veniens ad vos in abundantia benedictionis Christi veniam, nihilominus tamen sciebat etiam in his quæ manifeste futura cognouerat, orationem esse necessariam: quæ vtique si (verbi causa) non fuisset adhibita, sequeretur sine dubio non impleri quod fuerat prophetatum. Quis ergo est qui hæc legens quod Paulus deprecetur eos qui Romæ fuor fratres orare pro se, contemnat vel despiciat orationes ecclesiæ postulare, etiam si inferiores meritis esse videantur hi à quibus oratio postulatur? Ecce enim Paulus apostolicis præditus meritis non solum Romanos orare pro se, sed & Corinthios hortatur. Vide autẽ & quam validis eos astringat religiosisq́ue sacramẽtis. Per dñm nostrum & per charitatem spiritus. Vt adiuuetis me in orationibus ad dominum.] Quod nostri posuerunt, adiuuetis me in orationibus, magnificẽtius legitur apud Græcos, συναγωνίσασθε, quando hoc est quod indicetur, adiuuetis me in agone orationum ad Deum, ostendens quasi agonem habeat & ipse certamen orationis, aduersantibus sibi sine dubio illis de quibus dicebat: Non enim

Ephe.6. nobis certamen est aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus huius mundi rectores tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitię in cœlestibus. Et certum est quod isti omnes sicut aduersantur fidei & resistunt pietati, sicut contra-

H rij sunt iustitiæ & veritati & omnibus bonis, ita sine dubio resistunt, & orationi aduersantur: & ideo ostendit Paulus esse non minimum in oratione certamen, si quidem in hoc certamine etiam auxilium eorum qui Romæ sunt crediderit implorandum. Obsistunt enim vere dæmones & contrariæ potestates in oratione primo per illud, ne talis inueniatur qui in orationis agone desudat, vt leuet puras manus sine ira. Quod & quis obtinere potuerit vt sine ira sit, via est vt effugiat esse sine disceptatione, hoc est sine superfluis & vanis cogitationibus. Vix enim inuenies vt oranti cuiquam non aliquid inanis & alienæ cogitationis occurrat, & intentionem qua in deum mens dirigitur deflectat ac frangat, neque eam per quæ nõ competit rapiat. Et ideo agon magnus est orationis, vt obsistẽtibus inimicis, & orantis sensum in diuersa rapientibus, fixa ad Deum semper mens stabili intentione contendat, vt merito possit & ipse dicere, Certamen bonum certaui, cursum consummaui. Nunc ergo orat apostolus adiuuari se in agone

2.Tim.4. orationum, vt liberetur ab incredulis qui sunt in Iudæa, à quibus non tam pati timet, nec perferre ea quę ad apostolatus eius gloriam pertinẽt, quam impediri veretur ne diutius obstaculis eorum retẽtus, vel minus gratum exhibeat sanctis ministerium, quod & ipsis orationibus indigentiũ fiat acceptum: vel ne desiderium eius quod erga Romanos habet visendos, diutius differatur. Si enim inquit, hoc ita

I essent vt ministerium meum acceptum fiat sanctis in Hierosolymis, & liberatus ab incredulis qui sunt in Iudæa venire ad vos non impediar, pro bene gestis rebus gaudens profecto ad vos veniam cum voluntate Dei, & requiescã vobiscum. Non corporalem vtique requiem quærit Paulus, sed illam quæ consolationem habet ex Deo, sicut & ipse in primis epistolæ huius partibus dixit: Consolari vobis per eam quæ inuicem est fidem vestram atque meam. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.] Ingenti benedictione muneratur Romanos, vt Deus pacis sit cum eis, id est, vt pax Dei quæ exuperat omnem mentem, custodiat corda eorum, qui pax est vera.

CAPVT XVI.



Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio ecclesiæ quæ est in Cenchris.] Hic loc⁹ apostolica auctoritate docet etiam fœminas in ministerio ecclesiæ constitui. In quo officio positam Phœben apud ecclesiam quę est in Cenchris, Paulus cum laude magna & commendatione prosequitur, enumerans etiam gesta ipsius præclara & dicens, quia intantum omnibus astitit, hoc est in necessitatibus pręsto fuit, vt etiã mihi ipsi in necessitatibus meis apostolicisque laboribus tota deuotione mẽtis astiterit. Simile autẽ opus eius dixit hospitalitati Lot, qui dum semper hospites suscipit, meruit aliquãdo angelos hospitio suscipere. Similiter & Abraham dum semper occurrit hospitibus meruit vt & dñs cum angelis diuerteret ad tabernaculum eius. Ita & hæc religiosa Phœbe dum astat omnibus & obsequitur, assistere & obsequi etiam apostolo meruit. Et ideo locus hic duo pariter docet, & haberi (vt diximus) fœminas ministras in ecclesia, & tales debere assumi in ministerium, quę astiterint multis, & per bona officia vsq; ad apostolicã laudem meruerint peruenire. Hortatur etiam illud, vt qui bonis operibus in ecclesia dãt operam, vicem recipiant a fratribus & honorẽ, & in quibuscunq; necessariũ fuerit siue spiritalibus siue carnalibus officiis, honorifice habeantur. Salutate Priscã & Aquilã adiutores meos. Et reliqua, vsque ad Domesticam eoru ecclesiam.] Videntur mihi ipsi esse, de quibus in Actibus apostolorũ ita scriptũ est. Post hæc autẽ discedens Paulus ab Athenis venit Corinthum, & inuẽto ibi quodã Iudæo nomine Aquila Pontico genere qui nuper venerat de Italia, & Priscilla vxore eius, propterea quod præceperat Claudius discedere omnes Iudæos à Roma, accessit ad eos, & quia erat consimilis artificij mansit apud eos, & operantur simul. Erãt enim artifices tabernaculorũ, hoc est sorores. Nec mirum si Paulus

L Priscam in epistola scribit, cum in actibus Priscilla sit scripta, cæteris concordantibus. Potest autem fieri vt quis illo tempore pulsis ex vrbe Iudæis præcepto Cæsaris Corinthum venerant, rursus edicti cessante seuitia Romam ingressi salutentur à Paulo. Quos tantum apparet Iudæorũ insidiis Paulo periclitante semetipsos obiecisse vt ille liber abscederet: hoc autẽ & Iason quidã fecisse in actibus apostolorũ refertur: & hanc eorũ laudẽ apostolus non silet, sed omnibus eam in ecclesiis admirandã tradit, & ideo dicit: Quibus non solus ego gratias ago, sed & vniuersæ ecclesię gentium. Vnde apparet eos officiosos & hospitales extitisse erga omnes fratres fideles, non solum qui ex Iudæis, sed etiam qui ex gentibus credidissent. Magna enim gratia in hospitalitatis officio non solũ apud deum, sed & apud homines inuenitur. Quæ tamen res quoniam non solũ in voluntate & proposito dñorum, sed & grato & fideli cõstitit ministerio famulorũ, idcirco omnes qui ministerium istud cum ipsis fideliter adimpleuerunt, domesticã nominauit ecclesiam. Salutate Epænetũ dilectum meum qui initiũ Asiæ est in Christo.] Hic Epænetus videtur mihi omniũ primos ex Asia credidisse, vnde & initiũ eum ecclesiæ appellauit, vel vt in Græco habetur primitias Asiæ: nisi aliquid profundius sermo iste significat, vt intelligamos angelos Dei qui ecclesiis præsunt, offerre singulos quosque primi-

M tias Deo ex his qui credunt: primitiæ autẽ apud illos iudicentur non hi qui tẽpore primi sunt, sed qui virtutibus & meritis præcellunt. Quorũ sciens per spiritũ Paulus electionẽ erga Epænetũ, & quod ipsum ex omniũ fideliũ numero qui erant in Asia, electio inuenerit angelorũ, appellauit eũ primitias Asiæ. Sed & in alia epistola dicit de quibusdam quia sunt primitiæ Achaiæ, eandem sine dubio sacramenti rationem etiam in illis aspiciens. Salutate Mariã quæ multum laborauit in vobis.] Docet & in hoc debere etiã fœminas laborare pro ecclesiis Dei. Nam laborãt cũ docẽt adolescẽtulas sobrias esse, diligere viros, filios enutrire, pudicas esse, castas, domũ bene regẽtes, benignas, subditas viris suis, hospitio recipere, sanctorũ pedes lauare, & cętera omnia quæ de officiis mulierũ scripta referuntur in omni genere castitatis. Salute Andronicũ & Iuliã cognatos meos & cõcaptiuos meos, qui sunt nobiles in apostolis, qui & ante me fuerũt in Christo Iesu.] Potest quidẽ fieri vt & secundũ carnẽ isti cognati fuerint Pauli, & ante ipsum crediderint. & nobiles habiti sint in apostolis Christi: de quibus possibile est & illud intelligi, ꝙ fortassis ex illis LXXII. qui & ipsi apostoli nominati sunt, fuerint, & ideo nobiles eos in apostolis dicat, & his apostolis qui ante eũ fuerunt. Sed & illud me mouet quod ait, Concaptiuos meos. Quæ enim

A enim erat captiuitas Pauli, in qua sibi etiam Andronicũ & Iuliã cognatos concaptiuos esse testatur? nisi forte profundiore mysterio ad illã respiciamus captiuitatem, quã Christus venit absoluere, de qua scriptũ est, venire & dare eum captiuis remissioné, cęcis visum. In qua captiuitate vidétur vna atq; eadé ratione isti esse, qua & Paulus erat. *Luc. 4.* Verbi enim gratia sic dicamus, quòd cũ captiuus esset populus Israel apud Assyrios vel Babylonios, omnes quidé erant captiui, sed alia ratio in ceteris captiuis, alia in Daniele, & Anania, atque Azaria vel Misael. Illi enim captiui erant pro peccatis suis, isti verò pro consolatione captiuorum erant etiam ipsi captiui: & ideo si diceret Daniel de aliquo vno ex plebe, concaptiuus meus, non ita conuenienter dici videbatur, *Dan. 3.* vt si diceret de Anania, & Azaria, & Misael concaptiui mei. In istis enim vna captiuitatis est ratio, quæ lõge à reliquis ratione diuersa est. Ita ergo & Paulus de se tale aliquid & Andronico ac Iulia secundum occultioris sacramenti intuens rationem, concaptiuos eos sibi in hoc mundo nominat, & nobiles in apostolis. Salutate Ampliatum dilectum meum in domino.] Huic quamuis nihil egregium præ cæteris in laude videatur ascribere, tamé hoc ipso quòd dilectus est Pauli, laudabilis & salutatione dignus efficitur. Salutate Vrbanum adiutorem nostrum in Christo, & Stachyn dilectum meum.] Et istos in salutatione coniungit, sed Vrbanum in laudibus prætulit: Illum enim adiutorem in Christo, Stachyn verò dilectum tan-

B tummodo, sicut Ampliatum nominauit. Adiutor autem apostoli in Christo, non aliud intelligitur quam apostolici operis particeps. Salutate Apellem probum in Christo.) Puto hunc Apellem per multas tribulationes transisse patienter, & fortiter sustentatum, & ideo pronunciatum ab Apostolo probum, secundum ea quæ in aliis dicit ipse, quia tribulatio patientiam operatur, patiẽtia verò probationem, probatio verò spem. Videndum sane est ne forte *Act. 18.* ipse sit hic qui in Actibus Apostolorum Apollo nominatur Alexandrinus in scripturis eruditus. Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domo.] Quoniam nihil otiose in literis Apostoli vel additur vel minuitur, istos qui sunt de domo vel de familia Aristuboli non frustra, neque dilectos, neq; probos neq; adiutores in Christo nominat. Sed forte quia nihil tale habebant in meritis, idcirco eos solo titulo salutationis honorauit. Salutate Herodionem cognatum meum.] Et hic similiter vt Andronicus & Iulia Pauli cognatus dicitur: sed neque concaptiuus vt illi, neque nobilis in Apostolis in his qui ante Paulum fuerũt in Christo, nominatur. Vnde intelligendũ est etiam in his quos cognatos Paulus suos appellat, esse multam differentiam, secundum illam (vt ego arbitror) rationem quam superius aperire tẽtauimus. Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt

C in domino.] Vidẽtur quidem plures fuisse ex domo vel familia Narcissi, sed nõ omnes in domino fuisse, & ideo addidit eos salutandos, qui sunt in domino. Salutate Tryphęnam & Tryphosam quæ laborant in domino.] Bonum de his dat testimonium, quarũ laborem non huius neque cõmunis vitæ, sed in domino esse testatur. Multi enim laborãt, sed non omnium laborem esse constat in domino. Salutate Persidam charissimã, quæ multum laborauit in domino.] Videtur hæc magis laudari quã Tryphæna & Tryphosa: quoniã quidem illas laborasse dicit in domino, hãc autem laborasse multum in domino, cui & addidit charissimã. Salutate Rufum electum in domino, & matrem eius & meã.) Non puto in istis salutationibus inaniter fieri per singulos quosque laudis & salutationis differentiam. Qui enim scit quia Christus loquitur in Paulo, certus est quod pro merito alius quidem probus dicitur ab eo, alius charissimus, alius laborans in domino, alius multum laborans, alius electus: & hic Rufus de quo nunc nobis sermo est, electus in domino salutatur, credo, quod Paulus sciret esse eum de numero nõ multorum qui vocati sunt, sed paucorum qui electi sunt: cuius & mater tãtum meriti habuit, vt eã Paulus suã nominauerit matrem, cum quo etiam ipse sicut Iesus cum Ioãne pariter haberet matris affectum. Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermen, Patroban, Her-

man, & qui cum eis sunt fratres.] De istis simplex est salu- D tatio, nec aliquid eis insigne laudis adiungitur. Puto tamé quod Hermas iste sit scriptor libelli illius qui Pastor appellatur, quæ scriptura valde mihi vtilis videtur, & vt puto diuinitus inspirata. Quod verò nihil eis laudis adscripsit, illa opinor est causa, quia videtur sicut scriptura illa declarat, post multa peccata ad pœnitentiam fuisse cõuersum, & ideo nec opprobrium ei aliquod ascripsit: didicerat enim scripturã, non improperare homini conuertenti se à peccató: neq; laudis aliquid tribuit, quia adhuc positus erat sub angelo pœnitentiæ, à quo tépore opportuno Christo rursus deberet offerri. Intelligitur autẽ quod simul habitauerint hi quorũ salutatio sociata est. Salutate Philologum & Iuliã, Nereum & sororé eius, & Olympiadem, & omnes sanctos qui cũ eis sunt.) Potest fieri vt Philologus & Iulia cõiuges fuerint, cæteri domestici eorum, ad quos simplex salutatio dirigitur. Salutate inuicem in osculo sancto.) Ex hoc sermone & aliis nonnullis similibus mos ecclesiis traditus est, vt post orationes osculo se inuicẽ suscipiãt fratres. Hoc autẽ osculum sanctũ appellat apostolus. Quo nomine illud docet primo, vt casta sint oscula quæ in ecclesiis dãtur. Tũc deinde vt simulata non sint, sicut fuerũt Iudæ, qui osculum labiis dabat, & proditionem corde tractabat. Osculũ verò fidele primo, vt diximus castũ sit, tunc deinde pacẽ in se simplicitatẽque habeat in charitate non ficta. Salutant vos omnes ecclesiæ Christi. Nũquid non in E vna æde stat positus Paulus hęc scribẽs? & quomodo verũ est quod omnium simul salutes ecclesiarum Romanę mittit ecclesiæ? Sed pro eo intelligere debemus, vel quod vnus spiritus erat in Paulo atque omnibus ecclesiis Christi, vel salutare dicat per fidem & per spiritum iungi. Rogo autem vos fratres vt obseruetis eos qui dissẽsiones & offendicula pręter doctrinã quã vos didicistis faciunt & declinate ab illis, huiusmodi enim Christo domino nostro non seruiũt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducũt corda innocentiũ: vestra enim obediẽtia in omni loco diuulgata est.) Hæc & ad eos qui ecclesiis præsunt, & ad omnes credentes per spiritum sanctum scribere credẽdus est Paulus, vt diligentius considerent, & perspiciant qui sint qui dissensiones & offendicula in ecclesiis generant, & alieni sint ab illa beatitudine quã deus repromisit; Beati pacifici, quoniam ipsi filij dei vocabũtur. Hoc enim, inquit, vt pacifici sitis, à domino per euãgelium didicistis, dissensiones verò commouere vel scandala, præter doctrinam est quam vos didicistis, & ideo alienus vobis sit, nec omnino recipiatur inter vos, qui certamina cõmouet, qui serit iurgia, qui lites excitat, & studia cõtentionis exercet. Qui enim tales sũt, Christo dño nostro, qui est pax nostra, non seruiunt, sed suo ventri. Sed & quid causæ sit qua iurgia suscitantũr in ecclesia, & lites, diuini spiritus instinctu F aperit: Ventris, inquit, gratia hoc est quæstus & cupiditatis. Inde est vnde nonnulli circũeunt domos loquentes ad gratiam cum omni adulatione & deceptione, non vt in verbo dei ędificent animas ad virtutem, sed vt adulatoriis dulcibúsque sermonibus permanere, vel etiã proficere eas horientur in vitiis, laudantes & bona dicentes ea quę correptione digna sunt: ponentes lucem tenebras & tenebras lucé, dulce amarum, & amarum dulce, & in his seducunt corda innocentiũ. Et ideo diligẽter oportet intendere quo prospectu doceat ille qui docet, verum gratiam & honorem ab auditoribus quærens, an mercedem à domino pro instructione & profectu discentium sperans. Subtiliter sane Paulus indiscretam & facilem Romanorum obedientiam notat, eámque asserit vbique non laudatam, sed promulgatam. Sed ne eos rursum si pro hoc apertius castigaret, inobedientes efficeret, addidit: In vobis ergo gaudeo.) Sed dicis, quomodo vulgatem in eis notat obedientiam cum dicat se gaudere in eis? Primo quidem aliud est notare vitium, aliud homines. Potest enim fieri vt gaudeat in his in quibus multa bona alia deprehenderat, vitium autem quod ei displicuerat noter, ne putetur ei etiam ipsum cum cæteris placuisse.

Potest autem & pro eo dixisse apostolus gaudere se in eis,

G quod qui inobediens est, neque ad malú, neque ad bonum trahi potest: qui verò obediens est, si quidem ad inutilia trahatur, imperitiæ culpa fit. Ignorat enim inutilia esse ea quibus obedientiam sui præbet. Cum vero didicerit quæ sunt vtilia, habens paruni obedientiæ, bonum cõtinuo per eam iter virtutis ascendit. Gaudet ergo Paulus super obedientes, certus quod cum docuerit eos, non vulgari obedientia quam incaute omnibus præbẽt vti eos debere præ illa sola qua obedire oportet deo magis quam hominibus, vt relictis cæteris ipsa laudetur. Nam & reuera nõ est paruę discretionis, sed probabilis & exercitatissimi iudicij, scire cui verbo, cuiue operi obediendum sit, & cui renitẽdum. Denique ipse dominus in euangeliis dicit: Attendite vobis

Matt. 7. ab iis qui veniunt ad vos in vestimẽtis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Et ideo vigilans sensus & mens intenta requiritur, quæ probare nouerit vel ouis in propatulo simplicitatem, vel lupi latentem rapacitatẽ. Vnde vide quàm proximi periculis fiant hi qui exerceri in diuinis literis negligunt, ex quibus soli huiusmodi examinationis agnoscẽda discretio est. Continuo ergo in breui speciem propositæ distinctionis ostendit, & dicit: Quoniam quidem facilis & indiscreta est vestra obedientia, accipite quid seruare, quid cauere debeatis. Volo, inquit, vos sapiẽtes esse in bo-

1. Cor. 14 no, & simplices in malo.] Simile est hoc illi dicto quod ad Corinthios scribens dicit: Malitia paruuli estote, vt sensi-

H bus perfecti sitis. Sed & illud quod dominus ait, Quia filij seculi huius prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt, huic conuenit dicto. Filij enim seculi huius prudentiores sunt in malitia, pro eo quòd semper aliquid profundius & subtilius inueniant in ea, vnde plus noceant, & vehementius lędant, in bono autem stulti sunt: vix enim inueniunt quid faciant boni. Econtrario Paulus vult nos sapientes esse in bono, hoc est semper aliquid plus inuenire, plus exquirere, & profundius cogitare quid faciamus boni, ita vt etiam si impediamur per alicuius malitiam ab opere bono, sic nos sapiẽtes simus & excogitemus quomodo si opus bonum non possumus, vel sermonem bonum proferamus: quòd si nec hoc licet, votum saltem bonũ & animum demonstremus. Sic ergo sapientes debemus esse in bono, simplices verò in malo, vt si pulsemur malitia, pulsemur iniuria, non simus callidi, non simus versuti, artes & argumenta quęrentes quibus reddere malum pro malo, & nequitiam pro nequitia debeamus: sed in tali loco meminisse debemus illius sententiæ quæ dicit: Si quis vult sapiẽs esse apud deum, stultus fiat in hoc mũdo. Simus ergo stulti

1. Cor. 3. accipientes iniuriam & non reddentes, vt sapientes simus apud deum qui dicit: Mihi vindictam & ego retribuam. Nam de impiis & Hieremias dicit: Sapientes sunt ad male-

I faciendum, bene autem facere nesciunt. Ad hoc respicit &

Deut. 32. illud quod dominus dixit: Simplices nos esse debere sicut

Hier. 4. columbas, & prudẽtes sicut serpentes. Quod si aliquis no-

Matt. 10 bis ex infidelibus argute occurrat & dicat, Quomodo potest idem esse sapiens & stultus? dicemus ad eum. Respice ad artes istas quæ in vsu hominum habentur, quomodo ille qui (verbi causa) sapientissimus est grammaticus, in arte fabrili insipientissimus inuenitur: vel rursum sapientissimus gubernator, quomodo in arte medicinę inuenitur insipiens. Sic ergo possibile est in his quæ ad deum pertinent esse sapientem: in his quæ ad seculum pertinent, insipientem. Sciendũ sane est vbi ait: Huiusmodi enim nõ seruiunt Christo domino nostro, nõ quòd ipsi se profiteantur Christo domino non seruire, sed quod discrepantes à seruitutis eius regula, rebus ipsis ostendant se domino non seruire Christo. Non enim videtur simul quis & Christo seruire posse & ventri, ac voluptatis pariter amator esse & Dei, nec deo quis simul seruire potest & mammonæ. Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter.) Quæritur in hoc loco quem dixerit satanam sub pedibus eorum quibus scribit, velociter à deo conterendum. Si enim ad vnam referatur personam, illam scilicet de qua in euangelio dicitur Ecce video satanam de cœlo cadentem, quique satanas humano generi indicatur aduersus, videbitur vtique si verè dicit Paulus quæ dicit, quod sub pedibus eorum quibus tunc scribebat velociter conteratur, vltra K iam non esse satanam, qui agones & certamina & persecutiones credentibus exciret, quod vtique nõ admittit fides rerum. Sed videtur mihi in hoc loco satanam dixisse omnem spiritum qui credentibus aduersatur. Satanas enim in lingua nostra aduersarius interpretatur. Quicquid ergo animæ tendenti ad deum resistit & aduersatur, & quicquid paci eius cõtrariũ est, hoc satanas esse cõmemoratur. Ideo denique præmisit, dicens: Deus pacis, hoc est deus cui pax placet, conteret eum qui cõtrarius est paci & dissensiones operatur. Sic denique & in Regnorum libro legimus, quia suscitauit deus Salomoni satanam aduersus eum: hoc est 3. Reg. 11. Salomoni qui erat pacificus, suscitauit satanam qui est cõtrarius paci. Sed sicut his quoque apostolus docet si agant, & tales se exhibeant qualea eius sermo descripsit, pro emẽdatione vitæ promittit sub pedibus eorum à deo pacis satanam velociter conterendum. ita nihilominus deus pacis ei qui pacem eius non in corde puro & conscientia munda seruauerit, suscitat satanam, hoc est aduersarium, vt qui bonum pacis neglexerit, in oppugnatione amaritudines perferat, & ita demum pacis quam temerauit dulcedinem in oppugnatione positus recordetur. Ex vtroque igitur ædificamur scripturæ diuinæ loco, quòd suscitare deus satanam dicitur negligentibus, vel conterere, ac subdere studiosis, vt illos ad agones exciter, istis de prostrato aduersario palmam victoriæ tribuat, & virtuti præmia largiatur. L

Possumus & per singulos quosque agones si legitime certemus videre quia Deus conteret satanam sub pedes nostros velociter, verbi causa si agonem susceperit castitatis, si vsque ad finem immaculata conscientia perdurauerit, dici de eo potest, quia contriuit deus satanam sub pedibus eius, id est, spiritum qui erat contrarius castitati. Similiter & qui agonẽ fidei suscipit, si stans ante reges & pręsides cũ fiducia confiteatur dominũ Iesum Christum, & vsque ad finem in confessione permaneat, deus contriuit satanã sub pedibus eius, cum per fidem constantem infidelitatis spiritum vicit. Sic & qui concordiam perseueranter colit, dissensionis dæmonem sub pedibus conterit. Qui mansuetudinem seruat, iracondiæ satanam patientiæ vestigiis calcat. Hoc est nimirum quod dominus in euangelio dicit:

Luc. 10. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnes virtutes inimici. Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum.] Gratia dei & gratia domini nostri Iesu Christi vna atque eadem gratia accipienda est. Sicut enim pater quos vult viuificat, & filius quos vult vi-

Ioan. 5. uificat: & sicut pater habet vitam in se, & filio dedit habere in semetipso vitam, ita & gratiam quam dat pater, hanc & filius dat. Sciendum sanè est, quòd omne quod habent homines à deo, gratia est, Nihil enim ex debito habent. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Gratia ergo M est quicquid habet is qui non fuit, & est accipiens ab eo Rom. 11 qui semper fuit, & est, & erit in æternum.

Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater cognati mei.] Videtur mihi de istis quos sequestrauit ab omni cathalogo salutantium, plus aliquid sensisse. Denique Timotheum adiutorem suum dicit, & omnes simul cognatos suos. Et quidem de Timotheo plenissime refertur in actibus apostolorum quòd fuerit Derbæus ciuis, filius mulieris viduæ ex patre gentili. De quo & 1. Tim. 1. ipse Paulus dicit, quia propterea rogauerat eũ permanere Ephesi, vt denunciet quibusdam ne aliter doceant, neque attendant fabulis & genealogiis infinitis. Sed & Lucium quidam perhibent esse Lucam qui euangelium scripsit, pro eo quod soleant nomina interdum secundum patriam declinationem, interdum etiam secundum Græcam, Romanámque proferri. Iason verò ille est de quo etiam in Actibus apostolorum scribitur quòd Thessalonicæ pro Paulo & Syla seditionem commouentibus turbis, semetipsum dederit, vt Apostolo dicendi faceret liberta- Act. 21. tem. Sosipater quoque qui his iungitur suspicor quod ipse sit qui in Actibus Apostolorum scribitur Sosipater Pyrrhi Beroensis. Sed qui Pauli literas curiosius tanquam Christo in eo loquente considerat, mouebitur sine du-

A siue dubio quomodo Paulus qui se Tarso Ciliciæ natum professus est Hebræū ex Hebræis, nunc vel Timothei Derbensis ciuis ex parte gentili cognatos vel consanguineus esse dicatur, vel Iasonis Thessalonicēsis, vel Sosipatris Pyrrhi Beroensis. Quod si pro eo aliquis dicat quia etiam ipsi qualibet ea parte ex circumcisione veniebant, non ergo oportuit de his specialiter dicere, sed & de omnibus qui ex Iudæis erant, quod essent cognati Paulo. Nunc verò cum cæteris nequaquam hoc nomen indulgeat, his verò & aliis non nullis ascribat, certum est eum aliā quādam cognationem nominare, quæ isti Sosipatro cum Timotheo & Luca aliisque paucis horum similibus commonis habeatur, quam cognationem vel consanguinitatē arbitror esse ex baptismo contractam. Saluto vos ego Tertius qui scripsi epistolam in domino. Salutat vos Caius hospes meus & vniuersæ ecclesiæ.] Hic est Caius de quo alibi dicit: Gratias ago Deo meo, quia neminem vestrum baptizaui nisi Crispum & Caium. Videtur ergo indicare de eo quod vir fuerit hospitalis, qui non solum Paulum ac singulos quosque diuersantes Corinthi hospitio reciperet, sed ecclesiæ vniuersæ in domo sua cōuenticulum ipse præbuerit. Fertur sane traditione maiorum, quod hic Caius episcopus fuerit Thessalonicensis ecclesiæ. Salutat vos Erastus Arcarius ciuitatis, & Quartus frater.] Ipsum puto

B esse Erastum quem dicit quia remansit Corinthi, quique euidenter designato ciuitatis officio ostenditur. Sed non puto quòd ex hoc officij magnopere Paulus mentionem in hac epistola sua fecerit, nisi forte aliquid in eo amplius senserit, & Arcariū eum, id est dispensatorē illius ciuitatis dixerit, cuius artifex & cōditor Deus, & ideo nec nomen posuerit cuius ciuitatis, sed tantummodo eum Arcarium nominauerit. Vtrum ergo tali modo aliquo, an verò simpliciter magis videndum sit, & nihil profundius in Pauli literis requirendum, consideret qui legis. Ei autem qui potens est vos confirmare secundum euangelium meum, & prędicationem Iesu Christi secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per scripturas prophetarum secundum præceptum æterni Dei ad obeditionem fidei in cunctis gentibus cogniti soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui honor & gloria.] Caput hoc Marcion à quo scripturę euangelicæ atque apostolicæ interpolatæ sunt, de hac epistola penitus abstulit, & non solum hoc, sed & ab eo vbi scriptum est, Omne autem quod non est ex fide peccatum est, vsque ad finem cuncta dissecuit. In aliis verò exemplaribus, id est in his quæ non sunt à Marcione temerata, hoc ipsum caput diuersè positum inuenimus. In nonnullis etenim codicibus post eum locum quem suprà diximus, hoc est, Omne autem quod non est ex fide peccatum est, statim cohærens habetur, Ei autem qui potens est vos confirmare. Alij

C verò codices in fine, id est vt nunc est positum, continent. Sed iam veniamus ad capituli huius explanationem. Duas mihi causas Paulus videtur ostendere, quibus roborantur hi qui in fide euangelij confirmantur: vnam qua eis prædicatio Pauli, quæ est & Christi prædicatio, innotescat: & aliam qua reuelatur eis sacramentum quod omnium temporibus seculorum in silentio habitū est: nunc verò, hoc est in aduentu Christi & præsentia corporali, manifestatū est & apertum, & quantum spectat non sine idoneis testibus, sed scripturis propheticis astipulantibus declaratum. Ita enim præceptū extitit æterni Dei, vt prædicatione quidem euangelij gentes ad obedientiam fidei vocarentur: ex reuelatione autem sacramenti agnita Dei sapientia, gloriæ claritas soli sapienti Deo redderetur in secula seculorum. Sed iterum recurramus, & consideremus quomodo dictū est. Ei autem qui potens est vos confirmare secundum euangelium meum & prædicationem Iesu Christi, secundū reuelationem sacramenti temporibus seculorum silentio habiti. Non mihi videtur quòd ad omnes pertineat ista vtriusque generis confirmatio, sed ad omnes quidem pertinet credentes duntaxat euangelium Pauli & prædicatio Christi: Reuelatio verò sacramenti temporibus seculorū

Ephes. 3. in silentio habiti, non ad plures sed ad paucos & electos qui capaces esse possunt sapientiæ & scientiæ Dei, de quibus dicitur: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Sed & de D

Matt. 22. eo quod ait, Sacramenti in silentio habiti, requirendum est vtrum id dicat in silentio habitum, vt omnino nullus agnouerit, ne ipsi quidem qui annunciabant prophetæ, an altior aliqua silentij intelligenda est ratio. Mihi quidem valde videtur absurdum, vt dicamus prophetas ita scripsisse de testamentis diuinis, vt non intellexerint ea ipsa quæ dicebant, cum scriptura dicat: Sapiens intelligit quæ de ore eius procedunt, & in labiis portat intellectum. Si ergo prophetæ non intellexerunt quæ de ore proprio proferebant, non erāt sapientes. Verum si stultum est prophetas confiteri, & negare eos sapientes fuisse, restat vt sapientes fuerint, & intellexerint quę ex ore proprio proferebāt, & habuerint intellectum in labiis suis. Quæ ergo silentij ratio? Videamus ne illa sit quam & ipse partim sibi traditam per sacramētorum dispensationem perdocuit, vbi dicit abductum se esse in tertium cœlum, & inde in paradisum, & audisse non edicenda verba, quæ non licet homini loqui. In quo vtique ostendit non quod ignoret ipse quod audierit, sed quòd proferre non licebat & aliis hominibus pandere quæ sibi sunt indicata. Ita ergo potest & in hoc loco dictum videri sacramentum temporibus seculorum in silentio habitum, quod vt scirent quidem perfecti, ex scripturis propheticis manifestatur: sed hominibus, id est vulgo non manifestauerunt nec patefecerunt, sed E silentio texerunt, secundum præceptum æterni Dei, vsquequo tempus adesset vt verbum caro fieret, & habitaret in nobis, & manifestaretur omnibus gentibus ad obedientiā fidei. Quod verò ait, Soli sapienti Deo, sapientem Deum non ita accipias, quasi quem sapientia fecerit sapientem, vt inter homines habetur. Sapiens enim inter homines dicitur vnusquisque ex participatione sapientiæ: Deus verò non quasi qui ex sapientia sapiens factus sit, sed quasi qui ipse auctor & genitor sit sapientiæ, sapiens appellatur. Non enim (vt diximus) ex sapientia sapiens Deus, sed ex sapiente Deo sapientia procedit. Merito ergo soli sapienti Deo. Solus est enim ita sapiens Deus, vt sapientiam ipse magis genuerit, quàm sapientia sapiens factus sit. Et rectè ei claritas per Iesum Christum refertur, qui ita sapientem esse solum Deum ostendit, vt ipse sapientiam genuerit Iesus Christus, qui est Dei virtus & Dei sapientia. In secula, verò, seculorum] quod ait, motis est scripturæ diuinæ immensitatem per hoc temporum designare. Amen autem quasi ad confirmationem omnium quæ superius scripta sunt, per quod vernaculo Hebræorum sermone vera & fidelia esse quę sunt scripta signaret.

F

PERORATIO TRANSLATORIS.



Actenus nobis in epistolā ad Romanos prout potuimus dictantibus plurimo & labore & tempore desudatum sit. Fateor autemque Heracli frater amantissime, quod dum tuis desideriis satisfacere cupio, oblitus sum pene mādati quo pręcipitur, Onus suprà vires tuas ne leuaueris: quamuis nobis nec in cęteris quę te insistente, imò potius pensum diurni operis exigente in Latinum vertimus, defuerit plurimus labor, dum supplere cupimus ea quę ab Origene in auditorio ecclesię ex tēpore, non tā explanationis quā ędificationis intentione perorata sunt: sicut in Homiliis, siue in oratiunculis in Genesim & in Exodum fecimus, & pręcipue in his quę in librum Leuitici ab illo quidem perorādi stylo dictata, à nobis verò explanandi specie translata sunt. Quem laborē adimplēdi quę deerant, idcirco suscepimus, ne pulsatę quęstiones & relictę, quod in homiliatico dicendi genere ab illo sępe fieri solet, Latino lectori fastidiū generarent. Nam illa quę in Iesu Naue, & in Iudicum li-

G brum, & in trigesimum sextum, & in trigesimum septimum, & trigesimum octauum psalmum scripsimus, simpliciter expressimus vt inuenimus, & non multo cum labore transtulimus. Quamuis ergo & in cæteris quæ suprà diximus laboratum nobis sit in supplendis his quę omiserat, in hoc tamen opere Epistolæ ad Romanos pro his causis quas in pręfatione comprehendimus, immensus nobis & inæstimabilis incubuit labor. Sed delectabit indulsisse laboribus, si modo non, vt in aliis experti sumus, maleuolæ mentes vigiliis nostris contumelias reddant, si non studia obtrectationibus, & labores remunerentur insidiis. Nouú quippe apud eos culpæ genus subimus. Aiunt enim mihi: In his quæ scribis, quoniam plurima in eis tui operis habentur, da titulum nominis tui, & scribæ Hieronymi (verbi gratia) in epistolam ad Romanos explanationum libri, Sicut & apud auctores inquiunt seculares non illius qui ex Græco translatus est, sed illius qui transtulit nomen titulus tenet. Hoc autem totum mihi donant non amore mei, sed odio auctoris. Verú ego qui plus conscientiæ meę quàm nomini defero, etiam si addere aliqua videor & explere quæ desunt, aut breuiare quæ longa sunt, furari tamen titulum eius qui fundamentum operis iecit, & construendi ædificij materiam præbuit, rectum non puto. Sit sane in arbitrio legentis cum opus probauerit, operis meritum cui velit ascribere. Nobis enim propositum est non plausum legentium, sed fructum proficientium quęrere. K Post hoc sane vocat nos opus quod olim quidẽ iniunctum est, sed nunc à beato Gaudentio episcopo vehementius perurgetur, Clementis scilicet Romani episcopi apostolorum comitis, quorum vt successoribus darem cognitionem, libri à nobis in Latinum vertuntur. In quo opere bene noui quòd laborem labor multiplicat, si sortem suscipiat. Satisfaciam sane in eo amicis meis, dabo titulo nomẽ meum auctoris nihilominus vocabulo permanente. Nam Hieronymi ne putetur, Clemens scribetur. Quod si me dominus implere permiserit, redibimus ad illos, & ad tua desideria, vt in Numerorum, & in Deuteronomij libros, Deo permittente, aliqua dicamus, hæc enim solum vobis de Pentateucho, vel de reliquis apostoli Pauli epistolis quæ possumus, domino protegente debemus.

Explicit interpretatio Origenis Adamantij in Nouum testamentum.

H

ORIGENIS ADAMANTII L

CONTRA CELSVM LIBER PRIMVS, SIGISMVNDO GELENIO INTERPRETE.

SERVATOR & dominus noster Iesus Christus falsis grauatus testimoniis obticuit, ad crimina obiecta nihil respondit, sciens tota sua vita & actis inter Iudæos spectatis, melius falsitatem delationis coargui, quàm vllis verbis aut defensionibus. Tu vero, pie vir Ambrosi, nescio cur contra Celsi calumnias, quas aduersus Christianos fidémque ecclesiasticam scripto edidit, voluisti nos respondere, quasi non manifestæ vanitatis conuincantur rebus ipsis longe efficacius quàm vllis literis aut orationibus, adeò criminationibus eius nihil inest verisimile. Iesum autem falso accusatum siluisse, satis ex Matthęi verbis cõstat,
Matt. 26 quibus & Marcus consonat. Si enim apud Matthæum legitur. Princeps autem sacerdotú & totum concilium quęrebant falsum testimoniú contra Iesum, vt morti eum traderent, & non inueniebát, etiam cum multi falsi testes
I accessissent. nouissime autem venerunt duo falsi testes & dixerunt: hic dixit: Possum destruere templum dei, & in triduo ædificare illud. Et surgens princeps sacerdotum ait illi. Nihil respondes ad istorum aduersus te testimonia? Iesus autem tacebat. Quin & ad accusationem nihil eú respondisse, sic scriptum est. Iesus autem stetit ante præsidem, qui interrogauit eum dicens: Tu es rex Iudæorum. Dicit illi Iesus: Tu dicis. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dixit illi Pilatus: Non audis quàm multa aduersum te dicant testimonia? Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer. Erat enim reuera dignú quod quiuis vel mediocriter prudens miraretur, eum qui criminibus & falsis testimoniis vrgeretur, cum posset se defendere, & approbare suam innocentiam, atque etiam totius vitæ facta & diuinas virtutes denarrare, quo iudici viam ad mitiorem sententiam faceret, adeò nihil horú curasse, vt strenue accusatores cõtempserit. Quod autem defensione audita iudex procul dubio Iesum absoluturus fuerit, liquet ex his scripturæ verbis: Vtrú vultis dimittam vobis, Barrabbá, an Iesum, qui dicitur Christus? cum ex his quæ mox subiicit. Sciebat enim quòd propter inuidiam tradidissent eú. Iesus igitur semper falsis testimoniis premitur, nunquá non male apud homines audiens. Silet quidem nunc quoque, nec respondet voce: cæterum satis causam suam agit, dum per germanorum discipulorum vitam reclamat suis accusatoribus, ac refellit omnia testium mendacia. Audeo igitur affirmare, hác quam à nobis defensionem exigis, officere illi quæ rebus & factis constat, euidenter declarans Iesu potẽtiam, duntaxat his qui non omni sensu careant. Attamẽ ne videamur mandata tua detrectare, conati sumus respondere pro viribus ad singulas Celsi criminationes, quáuis non videatur periculum vt eis subuertatur vllus fidelium, absit enim vt inueniatur aliquis in caritate dei quę est per Christum Iesum tam frigidus, vt Celsi verbis aut similiú dimoueatur à proposito. Certe Paulus innumera percensens quæ à dilectione Christi, & ab ea quæ in Christo est Dei charitate separare alios soleát, quibus omnibus superior sit ipsius charitas, verba nó ponit in hoc numero. Attende enim primum quidem sic eum loqui, Quis nos separabit à charitate dei? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est: quoniam propter te morti tradimur quotidie, reputati M sumus sicut oues occisionis. sed in his omnibus superuincimus per eum qui dilexit nos. secundò vero alium ordinem enumerans eorum quæ solent parum firmatos à pietate diuellere, dicit: Scio enim quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neq; potestates, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neq; profundum, neque vlla alia creatura separare nos poterit à charitare Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Rom. 8. Et profecto merito gloriari liceat nobis, quòd non separemur pressuris, aliisue quæ ibi enumerantur: sed non item Paulo apostolisque & eorum similibus, cum se profiteatur his rebus longe superiorem dicens: in his omnibus superuincimus per eum qui dilexit nos. nam id verbú amplius quiddam sonat quàm vincere. Quod si apostoli ne hoc quidem gloriæ sibi ducunt, quod neque mors, neque vita, neq; angeli, neque potestates, neque quicquam eorum quę sequũtur, eos separare valeat à charitate dei quę est in Christo Iesu domino nostro: non opinor ei gratulandum, quem à fide dimouere potest Celsus, ne communem quidem hanc vitam inter homines viuens, sed iam dudum defunctus, ac ne orationem quidẽ habens efficacem aut viuidam. Nescio enim in quo ordine censendus sit, qui cõfirmatione eget, ne Celsi contra Christianos scriptis dimoueatur à fide.

Attamen

A Attamen quia fieri potest ut in vulgo fidelium reperiantur aliquot, quibus periculum immineat à scriptis Celsi, nisi in veritate fulciantur apologia eius petulantiæ confutatoria: decreui tua iussa capessere, transmissóque ad nos commẽtario respondere: quamuis neminem qui modo leuiter in philosophia profecerit, putem nõ deprehensurum, veritatem non inesse in opere, quam ille addidit in titulo, Veram orationem inscribens. Sanè Paulus animaduertens esse quædam in Græcorum philosophia non contemnẽda, quibus sub specie veritatis insinuari possit mendaciũ, sic de illis loquitur: Cauete nequis vos seducat per philosophiam & inanem deceptionem, iuxta traditiones hominum, iuxta elementa huius mũdi, & non Christum. Videtur in verbis mundanæ philosophiæ quiddam magnificum, ait sermonẽ philosophorum esse iuxta elementa huius mundi. Celsi vero scripta nemo sanæ mentis dixerit esse iuxta elementa huius mundi. Et illa quidẽ quod ad decipiendum sint idonea, vanam deceptionem nominauit: fortasse ad differentiam cuiusdam non vanæ, quam cõsiderans Hieremias ausus est dicere ad Deum, Decepisti me domine & deceptus sum, inualuisti & vicisti. Celsi vero scripta nullam deceptionem habere mihi videntur, ac proinde ne vanam quidem, qualis inest in eorum libris qui varias sectas introduxerunt in philosophiam, in huiusmodi rebus ingenio non vulgari præditi. Quemadmodum enim non temere deprehendas mendacium in speculationibus geometricis, quæ exercitationis causa conscriptæ sunt: ita libri referre debent alicuius sectæ philosophicæ placita, qui merito dicantur esse inanis deceptio, & hominum iuxta huius mundi elementa traditio. Hæc præfari volui responsurus ad ea quibus, Celsus ex Iudæi persona Iesum alloquitur, vt lector præmonitus sciat eum non scripsisse fidelibus sed aut prorsus ignaris Christianæ fidei, aut infirmis in fide, vt Apostolus nominat, dum dicit, Infirmum fide assumite. Præfationi addatur & illud: aliud fuisse nostrum institutum dum principio scriptorum Celsi responderemus, aliud dum sequẽtibus. primùm enim conatus sum ad singula capita compendio respondere, de quibus mox disserere rem fusius, postea vero res ipsa monuit me tempori parcere, contẽtumque compendiosis illis responsionibus in sequentibus pro virili certare contra obiecta crimina, quapropter veniam petimus, quantum ad primam operis partem attinet, quæ præfationem subsequitur. Quod si ne sequentia quidem videbuntur tibi ad persuadendum satis efficacia, illis quoque similem petens veniam, remitto te si quid amplius requiris, ad prudentiores alios, magísque idoneos confutandis Celsi criminationibus. Satius tamen fuerit nullis egere responsionibus & ne attingere quidem eius commẽtarios, quos quiuis Christi fidelis per inhabitantem in se spiritum merito contempserit.

B

C

Primum criminationis caput Celso est, à Christianis clancularios cõuentus haberi solere, legibus vetitos. nam cõuentus alios propalam celebrare legitime, alios occulte fieri, eosque damnari legibus, quæ eò tẽdunt vt calumnietur Agapen quam Christiani vocitant, quoties occulte communis periculi metu conueniunt, eamque in conspirationis suspicionẽ conatur trahere. Hæc igitur quoniam iactat leges publicas, in contemptum earum dicens Christianos conuentus suos facere, ad hoc respondendum est: quod quemadmodum si quis peregrinus apud Scythas nefariis vtentes legibus nequeat se inde subducere, cogaturque inter illos viuere, vtatúrque veris legibus, violare Scytharum iura videbitur, & conspirare cum diuersæ opinionis sectatoribus: ita contra veritatem iudicant leges gentium, quæ statuarum cultum inducunt & impiæ deorum multitudinis, superantque hac parte immanitatem Scythicam. Non est igitur absurdum in veritatis fauorem conuentus contra leges facere. Quemadmodum enim qui contra tyrãnum ciuitatis occupatorem conspirant, recte faciunt: ita Christiani pressi tyrannide diaboli & mendacij, contra eius leges in ipsum diabolum conspirant: dantque operam vt seruent quotquot possunt suo

ἀγάπη. Collecta.

suasu ab illo retrahere, tanquam à tyranno & à legibus D Scythicis. Deinceps sit sectam hanc ab origine esse barbaram, nimirum Iudaismum taxans, cum quo Christianismus coniunctus est. Et merito non vituperat originẽ barbaricam, quandoquidem in ipso sermonis initio laudat barbaros vt inuẽtores dogmatum. Addit his iudicandis confirmandísque ac ad virtutem exercendis barbarorum inuentis Græcos præcellere. Hoc igitur in defensionem Christianismi ex ipsius aduersarij scriptis rapimus: quando verum est, hominem exercitatum disciplinis græcanicis, si ad eum accedat non solum approbare veritatem, sed ad meditationem eius applicare animum, & siquid deesse videatur suppleturum græcanicis ratiocinationibus, ad astruendam Christianæ religionis veritatem, His adiiciendum, disciplinam nostram habere quandam demonstrationem propriam, diuiniorem quàm sint Græcorum demonstrationes, quam apostolus nominat demõstrationem spiritus & virtutis: vtpote spiritu per prophetias fidem astruentis iis quæ de Christo feruntur, virtute vero per prodigia, quæ facta credimus tum argumẽtis aliis, tum quia supersunt etiam nunc eorum vestigia, duntaxat apud eos qui viuunt iuxta voluntatem ipsius. Post hæc cum dixisset Christianos clàm quicquid ipsis libet vel facere vel docere, idque non sine causa, sed metu E capitalis pœnæ sibi intentatæ, periculum hoc cõfert cum philosophiæ professorum periculis, vt Socratis, poterat & Pythagoram addere & alios philosophos. Respõdendum ad hoc, Athenienses confestim pœnituisse perpetrati in Socratem facinoris, nec retinuisse odium vltra illius obitum: idémque factum de Pythagora, certe Pythagorici longo tempore scholas habuerũt in ea parte Italiæ, quam tunc magnam Græciam. In Christianorum autem dogmata Senatu Romano, Imperatoribus, exercitibus, populis, ipsis fidelium necessitudinibus conspirantibus oppressa fuissent vtique à tot inimicis infestata vndique, nisi diuina virtute sustentata è tot pressuris emergeret, totumque mundum in se coortum vinceret. Nunc videamus quõ etiam partem quæ ad mores attinet calumniari se putat, dicens commune hoc cum cæteris philosophis, nec magni quicquam aut noui nostræ disciplinæ inesse. Ad hoc respondum, quod introducentes iustum Dei iudicium explodarentur vnà cum ipsis peccatorũ pœnis, nisi communis omnium sensus præsumptionem de morali disciplina haberet insitam, quapropter non est mirandum eundem Deum eorum quæ per prophetas & seruatorem docuit, semina indidisse omnium mortalium animis, vt in diuino iudicio omnis homo sit inexcusabilis, habens mentem legis scriptam in corde suo: id quod obscure subindicat sermo fabulosus vt græci putãt, dum inducit Deum tradentem Moysi præcepta scripta proprio digito, eáque mox F cõfracta per maliciam eorum qui vitulum conflauerant: ac si diceret, peccatorum superfusione ea esse abolita, iterum verò scriptas Deum dedisse in excisis per Mosen lapideis tabulis, nimirum prophetico sermone præparante animam post primum peccatum ad secundas Dei literas. Deinde idololatriæ vt propriè ad præsens argumentũ pertinentis mentionẽ faciens sic sibi viam præmunit, negans suos habere Deos manufactos pro numinibus, quando probabile non sit inter Deos censeri nequam artificum & plerunque scelestorum hominum opera, itaque procedẽte oratione volens ostendere hanc quoque opinionem nobis communem esse cum aliis, adducit Heracliti dictũ, eos qui Deos inanimes accedant perinde facere ac si fabulentur cum parietibus. Ego etiam de hac re dicendum, insitam esse hominibus eius sensum, quemadmodum moralis disciplinæ reliquiæ, vnde hanc opinionem hausit & Heraclitus & quiuis alius vel Græcus vel barbarus, narrat enim & Persas idem sentire, adducens testem Herodotum, nos vero etiam Zenonem Citiensem allegabimus sic scribentem in libro de republica. Sacella quoque ædificare non opus erit, nihil enim sacrum existimandum est aut sanctum alicuius ve pretij, quod à cementariis fabris conficitur atque opificibus. Liquet igitur quod de hac

G quoque opinione diuinis literis inscriptum sit hominum cordibus quid sequendum sit. Post hæc nescio qua re motus Celsus ait, dæmonum quorundam nominibus & incantationibus videri pollere Christianos, opinor subindicans excantatores & expulsores dæmonum: quod quidem manifestam præ se fert calumniam, non enim incantationibus pollere videntur, sed nomine Iesu cum commemoratione eius factorum, nam his verbis sæpenumero profligati sunt dæmones ex hominibus, præcipuè quoties qui enuntiant ea sano affectu & integra fide proferunt. Tanta certè vis nomini Iesu inest contra dæmones, vt nonnunquam etiam à malis nominatum sit efficax: quod docens Iesus dicebat: Multi dicent mihi in die illa, in nomine tuo dæmonia eiecimus & virtutes fecimus, id quòd nescio vtrum maliciose dissimulauerit Celsus, an omiserit per ignorantiam. Quin & ipsum seruatorem in sequentibus accusat, quasi magicis artibus miracula fecerit, & cum præscisset futuros & alios earundem peritos artium qui se iactarent, diuina potentia eiecisse illos è sua republica quod eius factum vt iniquum incusat: quando quidem si iuste alios expellat, eidem culpæ obnoxius malus sit, sin ipse non malus, ne illi quidem qui eius sint similes. Id argumentum de Iesu quamuis prima specie videatur inso- H lubile, satis tamen apparet, Christianos nulla exercere incantamenta, contentos inuocatione Iesu nominis, & recitatione scripturæ diuinæ receptæ à fidelibus. Deinde quoniam sæpius nominat doctrinam clancularam, coarguendum est hoc quoque, quando per totum orbem notior est Christianorum prędicatio, quam philosophorum placita. Quis enim Iesum è virgine natum & crucifixum ignorat? quis resurrectionem eius multis creditam, & denunciationem iudicij, reddituri pro dignitate pœnas peccatoribus & iustis præmia? Quin & resurrectionis futuræ mysterium vulgatum est, tametsi rideatur ab infidelibus quæ cum ita se habeant, perabsurdum est doctrinam hanc vocare clancularam, quòd vero quædam insunt quæ non communicantur quibusuis, id non solius Christianæ doctrinæ proprium est, verum etiam philosophicæ. nam & illi exteriorem & penitiorem doctrinam habebant, & alij Pythagoram audiebant contenti ipsius autoritate: alij secrete discebant rationes non euulgandas in profanos nondumque purgatos, cætera quoque mysteria quæ

αὐτὸς ἔφα.

vbiuis fiunt per Græciam atque Barbariam, nemo calumniatur eo nomine quòd occulte fiant, igitur & inconsiderate calumniatur Christianorum sacra clancularia. Videtur autem vehementer patrocinari Christianorum martyribus vsque ad mortem constantibus, his verbis: Nec hoc dico quòd discedendum censeam a recta opinione propter intentatum ab hominibus periculum, aut discessionem fingendam, verbisve abnegandum quod sentias, I vbi damnat eos qui cum Christianis sentientes, negent tamen id aut dissimulēt, omnem fictionem negationemve hic improbans, quo nomine reprehendendus venit Celsus, vt qui sibi ipse parum constans contraria doceat, deprehenditur enim in aliis suis scriptis Epicureus, hic autem quo probabilior videatur accusatio, Epicuri placita non profitens, præ se fert ac si sentiat, inesse in homine quiddam terrenæ natura præstantius, quod cum Deo cognationem habeat, id esse animam, quæ vbi se bene habet, omnibus modis cognatam sibi naturam diuinam appetit, tenetúrque perpetuo desiderio de illa cognoscendi & audiendi aliquid. Considera igitur adulterinam ipsius animam: qui præfatus rectam opinionem tenenti, etiamsi periclitetur apud homines propter eam, non deficiendum tamen, neque defectionem fingendam, neque verbis negandum: ipse incidit in omnia contraria. Sciebat enim quòd si ex professo Epicureum ageret, ipse sibi fidem abrogaret accusans qualescunque assertores prouidentiæ, contendentes deum curam omnium rerum gerere. Traditur autem duos fuisse Celsos Epicureos, alterum antiquiorem Neronis ætate, hunc autem Adriani & posterioribus temporibus. Deinde adhortatur vt rationis ductum sequendo accipiamus dogmata, alioqui omnino fore vt decipiamur si assentiamus temere. & eos K qui sine ratione sunt creduli similes ait his qui delectātur circulatoribus præstigiatoribúsque, misbetacisque & subadiis, aut quibuscunque Hecates spectris aliorúmve dæmonum. Sicut enim illius generis homines scelesti plerunque illudentes simplici vulgo ducunt eum quacunquelibet, itidem ait apud Christianos solere fieri. Addit, quosdam ex his ne velle quidem rationem fidei vel reddere vel accipere, vsurpareque illud dictum: Ne examina, sed crede &, Fides tua seruabit te. Solereque dicere: Mala res est mundana sapientia, bona vero stultitia. Respondendum ad hoc: Si possibile esset omnes homines relictis vitæ curis vacare philosophiæ, nemini aliam viam insistēdam præter solam hāc. Inuenietur enim in Christianismo non minor (ne quid dicam arrogantius) fide ratio, & enarratio propheticorū ænigmatum, parabolarumque euangelicarum, aliarumque innumerarum figurarum quæ vel in gestis continentur vel in legibus. Quod quia est impossibile tum propter vitæ necessitates, tum propter infirmitatem hominum, quorum quotus quisque aspirat ad hanc cognitionem, quid compendiosius excogitari queat ad subueniendum multitudini, quàm quod Iesus gentibus tradidit. Id experimur in multitudine credentium, liberatorum a vitiorum collunie, in qua volutabantur antea, his vtrum est conducibilius, sine ampliori disquisitione L credere pœnas peccatorum ac bene gestorum præmia, sicque mores corrigere, an auersari nudam credulitatem & immanere moribus pristinis, donec se contemplationi doctrinæ dederint? manifestum est perpaucis exceptis reliquos ne id quidē assecuturos quod ex nuda fide adepti sunt, ac potius, mãsuros in vita pessima. Ergo si quid aliud est quod conuenientissimæ disciplinę in hominum vitam diuinitus aduentanti viam præstruat, certè fidei hoc est officium. nam vir pius ne corporum quidem medicum, multos ægrotos in meliorem restituentem valetudinem, putabit sine numine aduenisse ad laborantes gentes atque populos. quod si is qui multorum corpora meliori valetudini reddidit, non sine fauore Dei medicinam fecisse videtur: quanto magis qui multorum animas persanauit atque conuertit, meliorésque redditas pendere fecit à Deo maximè, omnésque suas actiones ad illius voluntatem referre, omnia vitare quæ illi displiceant, vel dicta factáve omnia, atque cogitationes etiam? Deinde quoniam sine fine credulitatem nobis obiectant, dicendum nos qui experti sumus quàm sit vtilis, fateri quòd doceamus credere vel absque rationibus, præsertim eos qui non possunt omnibus negotiis relictis vacare inquirendi studio. Isti vere qui verbis à nobis dissentiunt, operibus idem quod nos faciunt. Quis enim eorum qui se contulerunt ad phi- M losophiam, aut forte fortuna sectæ alicui deditus, aut à magistro inductus, aliter se ad eam applicat, quàm si credat illam præstantiorem cæteris? non enim expectat donec auditis omniū philosophorum opinionibus earumque varietatibus, tum singularum astructionibus aut subuersionibus, ita demum electionem faciat, Stoicúsne malit fieri, an Platonicus, an Peripateticus, Epicureúsve, aut cuiuscunque sectæ philosophicæ: sed ratione quapiam, aut potius, etiamsi hoc inficientur, impetu, feruntur ad exercendam disciplinam verbi gratia stoicam relictis cæteris, contempta platonica vt humiliore, peripatetica, vt humanis affectibus obnoxia, & plus quàm aliæ sectæ tribuente bonis, quæ magni fiunt apud homines. Multi ad primā statim prouidentiæ mentionē offensi, quod videāt in terris multa malis probísve præter æquum obuenire, propensiores sunt in eorum opinionem qui tollunt è rebus prouidentiam numinis, & Epicuro se addicunt Celsíque studiis. Ergo si credendū est vt ratio docuit vnicuipiam è sectis philosophicis, quę apud Gręcos celebrantur aut barbaros, quin potius Deo huius vniuersitatis domino credimus? adlubemúsque animum ei qui docet hūc solum colendum: cętera nihil esse, aut esse quidem, sed honore tantum digna nō etiam cultu atque adoratione, quę nulli creaturæ concedi potest sine diuinitatis iniuria: id quod

[A] quod non credentibus solum est perspicuum, verum etiam res ipsa iuxta rationis examen considerantibus. An vero non est rationi consentaneum cum res hominum omnes à fide pendeant, Deo potissimum credere? quis enim nauigat, aut vxorem ducit, aut liberis procreandis dat operam, aut spargit in terram semina, non meliora sperans & credens? quantumvis possint accidere contraria, & interdum accidant. attamen fides qua creditor ex voto rem successuram, efficit vt omnes audeant eam in incertum euentũ committere. Quod si omnes huius vitæ actiones, quarum exitus est dubius, bona spes futurorum & fides continet, qui hac freti nauigamus, seminamus, coniugiis operã damus, cæterisque humanis negotiis: quin potius credim° Deo rerum omnium opifici: tum ei qui pro sua eximia beneficẽtia nobis est omnibus quàm late orbis terrarum pater hanc doctrinam commendare, non dissimulans proposita eis pericula & mortem ignominiosam, quam & ipse pro salute hominum perferre dignatus est: docuitque administratores eius doctrinæ mox à principio, peragrãdum eis totum orbem inter continua pericula & mortes nunquam non impendentes, causa promouendæ salutis hominum. Deinde quoniam Celsus ad verbum sic loquitur: Si mihi respondere voluerint, non vt tentanti: noui enim omnia: sed vt curam gerenti ex æquo omnium, bene fecerint. [B] Sin noluerint, sed more suo dixerint, ne disquire & reliqua, necesse est eos docere cuiusmodi sint ista quę asseuerant, & vnde demanauerint, & reliqua: Respondendũ est, primum illud: Noui enim omnia, dictum arroganter ab eo: quia si legisset maxime prophetas consertis referros obscuritatibus, & sermonibus non cuiuis perspicuis, euoluissetque parabolas euangelicas cum reliquis scripturis legis & historię Iudaicæ, apostolorúmque verba, & lectorum sententiam grato perquisiuisset animo, non tanta cõfidentia rem gereret, nec diceret, Noui enim omnia: quod ne nos quidẽ in his versati diceremus, Noui enim omnia. Amica enim est veritas. Nemo nostrum dicet, Noui enim Epicuri omnia: nec audebit profiteri se nosse Platonis omnia, cum tantopere inter se discrepent etiam scriptorum eius interpretes. Quis enim est tam audax vt dicat se nosse Stoicorum omnia Peripateticorúmve? nisi forte hoc verbum Noui rom omnia, ab idiotis aliquibus imperitiã suam non agnoscentibus audiuit, putans se ex huiusmodi præceptoribus perdidicisse omnia. Videtur sanè mihi ita facere, ac si aliquis in Ægypto peregrinatus, vbi sapientes Ægyptiorum eruditi litteratura domestica multa philosophantur de diis patriis, plebeij verò homines fabulas quasdam audientes, quarum rationem non tenent, vehementer sibi placent earum cognitione, putet se pernosse omnem Ægyptiorum sapientiam ex vulgaribus colloquiis, cum nemi[C]ne sacerdotum conuersatus, nec à quoquam eorum doctus de mysteriis Ægyptiacis. Quod autem de Ægyptiorum sapientibus & vulgo dixi, idem liceret etiam de Persis dicere, apud quos sunt mystica sacra quę certis rationibus curantur à viris eruditione præcellentibus: à vulgo autem externa tantum signa tractantur, nihil sollicito de penitiore cognitione eorum quæ per illa significantur. Idem sentiendum & de Syris atque Indis, & quotquot alij scripturas simul habent cum fabulis. Quod vero addit Celsus vt vulgo apud Christianos iactatum, malam rem in vita esse sapientiam, bonam vero stulticiam, dicendum est eum per sycophantiam deprauare hanc sententiam, non ponentem verba vt habentur in paulinis literis, quæ ibi leguntur in hunc modum. [1. Cor. 3.] Siquis videtur sapiens esse inter vos, in hoc seculo, stultus fiat vt euadat sapiens. nam sapientia mundi huius, stulticia est apud Deum. Ergo apostolus non simpliciter ait, sapientiam esse apud Deum stulticiam: sed sapientiam huius mundi. ac rursum non si quis videtur esse sapiens inter vos, simpliciter stultus fiat: sed in hoc seculo fiat stultus, vt euadat in sapientem. Sapientiam igitur huius seculi dicimus, eam quæ per scripturas sacras inutilis & superuacua redditur, vniuersam falsis dogmatibus refertam philosophiam. similiter stulticiam bonam aimus non absolute, sed quoties aliquis huic seculo fit insipiens. [D] Ac si diceremus & Platonicum credentem immortalitatem animæ, quæque traduntur de ipsius transmigratione è corporibus in alia corpora, stulticiam assumpsisse quantum ad Stoicorum sententiam attinet, hanc eorum credulitatem cauillis exagitantium, quantũ ad Peripateticos ludibrio habẽtes verbosã Platonis facundiam, tum quantum ad Epicuri sectatores, superstitionem exprobrantes assertoribus prouidentiæ, & Deum vniuersitati rerum præesse cũnque gubernare credentibus. His addendum consentaneum esse, pręstare cũm ratione ac sapientia assentiri placitis, quàm sola credulitate, idque verbis illis significari. ne omnino nihil agant homines, id indicat Iesu germanus discipulus Paulus dicens: Quia enim [1. Cor. 1.] in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiã Deũ, visum est Deo per stulticiam prędicationis saluare credentes. Liquet igitur ex his, quòd in sapientia Dei oportebat cognosci Deum: & quia hoc factum non est, rursum visũ est Deo seruare credentes, non simpliciter per stulticiam, sed quantum ad prædicationem attinet. Cum enim initiũ prędicationis Iesu Christi ab ipsius cruce fit, stulticia est prædicationis, quemadmodum Paulus hoc intelligens dicit his verbis: Nos autem prędicamus Iesum Christum crucifixum, Iudęis quidem scandalum, Græcis autem stultitiã, ipsis autem vocatis Iudęis simul & Græcis Christum dei virtutem & Dei sapientiam. Cęterum cum Celsus existimet cognationem inter plerasque gentes intercedere [E] consensúmque in dogmatibus, nescio quomodo solos Iudęos calumniatur, non annumerans eorum gentem cęteris, quasi conuenientem cum eis in studiis & opinionibus. quapropter libenter eum interrogauerim, cur historiis barbarorum atque Gręcorum credulus de antiquitatibus eorum quos nominatim recensuit, solius huius gentis historiis fidem abrogat. si enim sui cuiusque gẽtis scriptores veraciter res eius exposuerunt, cur solis Iudęorum prophetis non credimus? quod si ad gratiam Moses & prophetę pleraque de sua gẽte prodiderunt, cur non idem dicere liceat & de reliquarum gentium historicis? An Ægyptij in suis annalibus male de Iudęis loquentes fidem merentur? Iudęi similiter de Aegyptiis querẽtes, iniuste se ab eis pressos multis grauaminibus, & propterea iustam Dei vindictam secutam, mentiuntur? id quod non de solis Aegyptiis dici potest. Inuenimus enim conflictationem Assyriorum cum Iudęis, eiúsque mentionem in Assyriorum antiquitatibus: & vicissim de bellis gestis contra Assyrios prodiderunt Iudæorum scriptores: prophetas enim eos nondum libet appellare. Vide igitur iam nunc hominis arrogantiam, qui aliis credit vt sapientibus, aliorum in totum damnat ignorantiam. Audi enim verba Celsi: Vetus sanè verbũ est, [F] quod gentes sapientissimæ atque populi, vtrique sapientes vsurpauerunt. nec tamen Iudæorum gentem sapientissimam dicere voluit, ne eam æquaret Aegyptiis, Assyriis Indis, Persis, Odrysis, Samothracibus, Eleusiniis. Quanto præstantior Celso vir vt ex ipsius scriptis apparet doctissimus, qui multo plura perscrutatus est dogmata, & ex pluribus collegit quæ vera visa sunt, pythagoricus Numenius. is in libro primo περὶ τἀγαθοῦ, vbi enumerat gentes existimantes Deum incorporeum, inter eas & Iudæos recenset: nec piguit eum suis commentariis verba prophetarum inserere, eorúmque interpretari figuras. Fertur & Hermippus in primo De legislatoribus prodidisse, Pythagoram suam Philosophiam a Iudæis traduxisse in Græciã. extat & Hecatæi historici De Iudæis liber, in quo adeò probat huius gentis sapientiam, vt Herennius Philo in suis De Iudæis commentariis primum dubitet an huius historici id scriptum sit: deinde addat, si quidem eius est, videri eum correptum Iudæorum persuasionibus, probasséque illorum placita. Demiror autem quo modo cum Odrysas, Samothracas, Eleusinios, Hyperboreos inter antiquissimas & sapientissimas gentes recenseat Celsus, Iudæos ne in sapientium quidem ordinem recipere dignatus est, aut antiquorum, cum multa scripta ferantur apud Aegyptios, Phœnicas, Græcos, eorum antiquitati attestantia. quæ superuacaneum duxi hic apponere. Licet enim volentibus

G legere duos libros Flauij Iosephi De Iudæorum antiquitate, vbi longam scriptorum seriem citat in gentis eius antiquitatis testimonium. Sed & Tatiani iunioris circunfertur ad Græcos oratio, qua eruditissime allegat eos qui in suis historiis mentionem fecerunt de Iudæorum & Mosis antiquitate. videtur igitur Celsus hæc non veraciter, sed infenso animo scribere, vt cuius propositum sit criminari Christianæ religionis initia habentis à Iudæis originem, proinde Homericos Galactuphagos, & Gallorum Druides, & Getas sapientissimas ait esse gentes & antiquas, tractantes quædam cognata Iudæorum opinionibus. cum tamen incertum sit an earum gentium vlla extet scripta, solos Hebræos, quantum in ipso est, eiicit ex antiquorum æque ac sapientum numero, rursum vbi catalogum texit virorum priscorum & celebratæ sapientiæ, qui ætatis suæ homines præsentia iuuerint, scriptis vero editis posteros, Moses excluditur è sapientum ordine: cum Lino cui primum locum assignauit Celsus inter eos quos ibi nominatim enumerat, neque leges neque scripta habeantur ad emendationem & institutionem gentium facientia. Mosis vero leges integra gens circunfert, quacunque per vniuersum orbem spatia est. considera igitur an non procul dubio malitiose Mosen in sapientum catalogo prætererit, Linum vero, Musæum, Orpheum, Pherecydē, Persam Zoroastrem, Pythagoram dixerit de huiusmodi tractasse H opinionibus, quæ libris eorum insertæ seruentur in hunc vsque diem: vbi volens ac prudens oblitus est fabulæ de his qui dij putantur, tribuentis eis affectus hominum, quod maxime apud Orpheum legitur. Deinceps accusans Mosis historiam, culpat eos qui ex ea tropologias & allegorias eliciunt. Hunc egregium virum qui suo libro indidit Veri sermonis titulum, merito roget aliquis: Quid ita hunc vir Deos quidem, quorum iam varios casus scriptis mandauerunt sapiētes illi tui poetæ atque philosophi, incesto coitu pollutos, parentum persecutores & castratores extollis post talia eorum facinora taleísque calamitates proditas: quoties vero Moses non de Deo, neque de angelis sanctis, sed de hominibus multo leuiora memorat: nemo enim apud Deum tale aliquid ausus est, quale Saturnus contra Cœlum, aut Iupiter contra suum patrem, neque cum propria filia concubuit, quemadmodum pater hominúmque deumque: errare putans deceptos ab hoc legislatore homines? Mihi videtur Celsus idē facere quod Platonicus ille Thrasymachus, non siuēs Socratem sicut ipse vult respondere de iustitia, sed dicens: Caue quod vtile est iustum dixeris, aut quod necessarium, aut huiusmodi aliquid, nam & iste accusatis vt ipsi videtur Mosaicis historiis, culpatísque qui quærunt in his allegorias, admixta tamen laude quod hi sint æquiores, accu-I satione sua conatur impedire volentes & valentes rationem totius negotij reddere Nos vero possemus prouocare ad librorum collationem, diceréque: age bone vir, profer in medium Lini, Musæi, Orpheísque poemata, & Pherecydis historiam, confertque ex propinquo Mosis narrationes cum illorū narrationibus, moraleísque præceptiunculas horum cum nostri legislatoris legibus: cōsideráque, vtræ sint efficaciores ad mutandos hominum animos in melius quotquot eis aures atque mentem adhibuerint: & cogita scriptores illos quos recensuisti penè nullam rationem vulgaris lectoris habuisse, solísque eruditis scripsisse, qui tropologias & allegorias peculiaris ipsorum philosophiæ valeant ex eis elicere. Moses vero in ore probi peritíque oratoris adeo caute vtrinque temperauit sermonem quinque suorum librorum, vt nec nimia multitudine institutorum Iudæis præberet occasionem peccandi in moribus: nec prudentioribus lectoribus qui rari sunt, deesset contemplandi & perscrutandi materia. Et notorum quidem sapientum poetarum neque libri seruari amplius videntur, seruandi vtique si qua illorum esset vtilitas: Mosis vero scripta multos etiam alienos à Iudæorum ritibus ad credendum mouerunt, nimirum quia sicut in ipsis continetur literis, primus earum legum lator fuit Deus huius mundi conditor, qui eas Mosi tradidit. Par enim erat vt totius mundi opifex post leges toti mundo impositas vim K eis adderet, quæ valeret vbiuis gentium. Atque hæc mihi dicuntur nondum de Iesu inquirenti, sed adhuc de Mose, qui fuit longe inferior domino, quem ostendo, vt procedente sermone patebit, multo præstantiorem tuis sapientibus poetis atque philosophis. Deinceps Celsus occulte volens calumniari eam quæ apud Mosen legitur mundi creationem, ante annorum nondum decem milia sicut colligitur sed multo recentiorem, clàm transit in aliena dogmata mundum non factum asserentium. Nam quod ait multas à seculis exustiones fuisse, multa item diluuia, ex quibus nouissimum Deucalionis tempore non admodum antiquum, manifeste suis auditoribus, quantū in se est, persuadere conatur mundum non esse factum. Dicat ipse qui fidem Christianorum incusat, quibus necessariis rationibus inductus est credere multas exustiones fuisse multáque diluuia, & omnium recentissimum Deucaleoneum, exustionum vero eam quæ Phaethontis ætate accidit Quod si nos relegabit ad Platonis de his rebus dialogos, dicemus nobis quoque licere credere, in Mosis pura piáque anima, celsiore creaturis omnibus, & à solo rerum conditore pendente, inhabitasse diuinum spiritum, multo euidētius quàm in Platone, aliisve qui apud Græcos barbarósque autores fuerunt eius dogmatis. Fortasse poscet à nobis rationē huius fidei. Reddat ipse prior eorum quæ sine vlla demonstratione asseruit, tum nos L quoque nostra hæc ita se habere probabimus, quamuis imprudens Celsus attestatur mundum nōdum esse annorum decem milium, fassus etiam Græcos illa existimare prisca, quæ antiquiora sunt diluuiis & exustionibus memoriam ipsorum excedentibus Sed sit persuasum Celso de exustionum & diluuiorum fabula, quando habet autores eius Ægyptios suos sapientissimos: quorum sapientiæ vestigia sunt in adoratis ab eis animātibus, & in commentariis eorum, qui rectiorem rationem reddunt huiusmodi cultus mystici. Illi sapientes habentur dum extollunt suam de animantibus theologiā, qui vero Iudæorum legi legislatoríque assentitur, si omnia referat ad vniuersitatis creatorem solum Deum, iudicio Celsi eiúsque similium, habebitur indoctior eo qui fabulosas animæ de corporibus in corpora migrationes astruens, deducit eam non solum in rationalia & mortalia animalia, verū etiam in ratione carentia: quasi diuina illa aura cœli conuexitate delabatur non solum in brutas animantes mites tamen, sed in efferatissimas quoque. Et Ægyptiorum quidem fabulæ creduntur secreta philosophiæ tegere: Moses vero vnius gentis res gestas scribens, & leges ei relinquens, fabulosus putatur, ac ne allegoriam quidem in suis scriptis admittere, sic enim Celso videtur & Epicureis. Hanc, in-M quit, doctrinam postquam apud sapientes gentes & eruditos viros audiit, diuinum nomen Moses consecutus est. Ad hoc quoque respondendum est: vt ei concedatur Mosen audisse doctrinam antiquiorem, quam mox Hebræis tradiderit: si falsam audiuit, & nihil sapientiæ grauitatisve habentem commēdauit suis discipulis, merito culpandus est, quod si vt tu ais, assensit opinionibus sapientibus & veris, eásque suos docuit, quid reprehensione dignum fecit? Vtinam & Epicurus, & hoc minus impius erga prouidentiam Aristoteles, & Deum esse corporeum affirmantes Stoici, audiuissent hanc doctrinam, ne repleretur mūdus disputationibus negantibus prouidentiam, aut scindentibus, & summum principem corruptibilem atque corporeum inducentibus, iuxta quas etiam Deus Stoicis corporeus est & mutabilis omniumque alterationum capax, vt nihil eum corrumpi vetet si corruptorem habeat, & hoc vno nomine sit fœlix, quòd eo careat. Cæterū Iudæorum Christianorumque doctrina immutabilem & inalterabilem Deum seruans, habetur pro impia, quia non sectator impietatem vnà cum impiis, dicens in precibus ad Deum: Tu autem idem es, Deus quoque creditur verbum illud dixisse, Non mutor. Post hæc circumcisionem *Psal. 102* pudendorum non reprehendens Celsus Iudæis vsitatam, ait eam mutuatos ab Ægyptiis, malens Ægiptiis credere quàm

A quam Mosi, qui refert primum mortalium circumcisum Abrahamum. Abrahami vero nomen non in solius Mosis scriptura legitur, vt deo familiaris, verum etiam multi ex iis qui excantant dæmonia verbis suis inserunt illud, Deus Abrahami, indicantes hoc nomine familiaritatẽ eius cum Deo: quapropter assumunt verbum hoc, Deus Abrahami, etiamsi nesciant quisnam fuerit ille Abraham. idem dicendum de Isaac & Iacob & Israel: quæ cum ea confesso hebræa sint vocabula, frequenter sunt interspersa Ægyptiorum disciplinis efficacioribus. Circuncisionis porro rationem, quæ ab Abrahamo inuenta per Iesum est venta, nolentem eius vsum esse apud suos discipulos, non est propositum nunc exponere, neque enim hanc doctrinã præsens tempus postulat, sed certamen cum Celso, quod refellat eius aduersus Iudæos calumnias, per quas faciliorem sibi fore putat confutationem Christianismi, si eius initia ex falsa Iudæorum religione manasse ostenderit. Deinceps sic Celsus loquitur. Hi ducem suum Mosen secuti caprarij ouiúmque pastores, rusticanis dolis decepti vnum deum esse crediderunt. Ostendat igitur quomodo cum caprarum ouiúmque pastores absque ratione, vt ipsi videtur, defecerint a cultu multorum deorum, approbare possit pluralitatem Græcorum aut barbaricorum numinum. ostendat substantiam & essentiam Mnemosynes quæque ex Ioue Musas genuit, aut Themidis quæ Horas, aut Gratias semper nudas sistat nobis in sua essentia.

Gen. 17.

B Sed non poterit Græcorum figmenta, quibus ex te afficta sunt corpora, deos ostendere. Qui enim veriores sunt Græcorum fabulæ de diis, quam (verbi gratia) Aegyptiorum: qui in sua lingua nullam norunt Mnemosynen matrem nouem Musarum, nec Themin Horarum, nec Eurynomen vnam Gratiarum, nec reliquarum nomina. Quanto igitur probabilius & omnibus figmentis potius, quod ex his quæ videmus persuademur mundique dispositione ordinatissima: nimirum vnius mundi vnum opificem colere, conspirantis in vnum suis partibus. vnde liquet non potuisse eum creari à multis conditoribus, nec cœlum hoc totum posse moueri à multis animabus vna enim sufficit, quæ orbẽ ἀπλανῆ (vt vocant) ab oriente in occidentem fert, continens intra se omnia quibus mũdus opus habet, quæ per se absoluta nõ sunt. omnia enim partes mundi sunt: Deus vero non est vniuersitatis pars. oportet enim deum esse non imperfectũ, sicut pars imperfecta est. Ac fortasse si altius in hãc disputationem descendamus, & proprie loquamur, apparebit deum sicut non est pars, ita neque totum esse. nam totum constat ex partibus: nec ratio admittit, deum huius vniuersitatis constare ex partibus, quarum quæque propriam habet vim & potentiam.

C Post hæc ait illos caprarum ouiúmque pastores vnum sibi optasse deum, siue is sit Altissimus, siue Adonai, siue Cœlestis, siue Sabaoth, siue quocunque tandem nomine illi gaudent appellare hunc mundũ, præter quem nihil norint amplius. ac deinceps addit, non referre etiamsi vulgato hoc apud Græcos nomine rerum omnium Deus vocetur, Iupiter, aut quopiam alio, verbi gratia Indis vsitato aut Aegyptiis. Respondendum & ad hoc, præsentem disputationem de natura nominum altiorem esse & reconditiorem: vtrum sicut placet Aristoteli, ex instituto imposita sint rebus vocabula: an vt Stoici malunt, natura primis vocibus res ipsas, quibus sunt, nomina, imitantibus, quam ob causam etiam elementa quædam etymologiæ & notationis inducunt. An sicut Epicurus aliter docet quam putent Stoici naturã quidem sunt nomina sed quatenus primi homines quasdam voces de rebus ipsis temerè eiectarunt. Si igitur potuerimus in hac dissertatione proferre naturam nominum efficacium, quorum aliquot vtuntur Aegyptiorum sapientes, aut Persarum magi doctiores, aut Indicorum philosophorum vel Brachmanes vel Samanæi, atque ita singularum gentium: valuerimúsque declarare, quòd etiam magia quæ vocatur, non vt Epicurus & Aristoteles existimant, res incongrua sit, sed sicut eius periti demonstrant, constans quidem, sed habens rationes paucis admodum cognitas: tũ demum dicemus, nomen illud Sabaoth & Adonai, aliáque apud Hebræos

In philocalia cap. 17. Apostoles & pastores vnũ constituisse deum, siue altissimũ siue &c.

cum magna veneratione tradita, non super vulgaribus istis & creatis rebus esse imposita, sed occultam quandam continere theologiam quæ vniuersitatis opifici congruat. quapropter nomina hæc efficacia sunt, si pronuncientur quodam ipsis congruenti modo & ordine. Alia quoque Aegyptiaca lingua prolata dæmonum nomina suam quandam vim habent, rursúsque aliam alia linguæ Persicæ: & sic apud singulas gentes alias ad quosdam assumuntur vsus. D
Atque ita inuenietur, quemadmodum terrestres genij sortiti sunt diuersa loca, sic per singula propriis earum gentium illos appellari vocabulis. Ergo quisquis ingeniosius vel modicã his rebus cogitationem impenderit, religiose cauebit ne aliena rebus aptet nomina, nequid tale sibi accidat, quale his qui dei nomen per errorem tribuunt materiæ inanimæ: aut boni appellationem primæ caussæ debitam, virtutique & honesto, transferunt in cæcas diuitias, & in carnium, sanguinis, ossiúmque decentem proportionem, sanitatemue aut prosperam habitudinem, vel eam quæ censetur generis nobilitas. Ac fortasse non minus periculum fuerit, nomen dei aut boni deducere ad ea ad quæ non oportet, quam in arcanis verbis permutare nomina, & deteriora potioribus accommodare, potiora deterioribus. Non dico quod ad Iouis mentionem confestim intelligitur Saturni & Opis filius, Iunonis vir, Neptuni frater, Mineruæ & Dianæ pater, filiæ suæ Proserpinæ stuprator: E
aut Apollinis nomine auditor Latonæ Iouísque filius, Dianæ frater, Mercurij germanus eodem patre prognatus, & quæcunque alia produnt sapientes illi Celsi dogmatum parentes, prisciique Græcorum Theologi. Qua enim sorte Ioui obuenit vt sic nominetur, nec aliter? vtque pater eius sit Saturnus, Opis mater? idem censendum & de aliis qui habentur pro diis. quod crimen temere imponendi vocacula non cadit in eos qui occulta quadam ratione Sabaoth ponunt pro deo, aut Adonai, aut reliquorum nominum aliquod.

Qui autem potuerit de nominum secreta ratione philosophari, multa facile inueniet & de appellationibus angelorum dei, quorum alius Michael, alius Gabriel, alius Raphael nominatur, nomine quisque conuenienti suo ministerio, ex voluntate dei qui vniuersæ rerũ naturæ præsidet. Ad huiusmodi de nominibus philosophiã pertinet noster quoque Iesus, cuius nominis efficacia iam innumeri dæmones conspecti sunt manifeste fugati ex arreptorum corporibus & animis. His addendum quod affirmant incantandi periti, eandem incantationem pronunciatam lingua sua propria efficere quod pollicetur: sin transferas eam in alias quascunque voces, euidenter vim suam perdere: adeò vis ea non in significationibus rerum, sed in ipsis vocum qualitatibus & proprietatibus inest, ad hæc vel illa efficax.
F Qua ratione defendimus etiam Christianos vsq; ad mortem obstinatos in certaminibus, ne Ioui nomen Dei tribuant, aut deum aliena lingua nominent, aut enim indefinite vtuntur hoc communi nomine Deus, aut cum additamento, vniuersorum conditor, cœli terræque creator. is misit ad humanum genus sapientes aliquot, quorum nomini adiunctum dei nomen, vim quandam apud homines exerit mirificam. Hoc loco & alia multa dici possent de nominibus, contra eos qui putant nihil referre quomodo eis vtamur. Nam si Plato est in admiratione quia scripsit in Philebo, Mihi Protarche non mediocris religio est circa deorum nomina: quoniam Philebus cum Socrate disserens Voluptatem deam vocauerat: quanto magis probanda est Christianorum pietas, qui rem indignam censent vocabulum aliquod poetarum fabulis celebratum accommodare conditori rerum omnium? Verùm de his in præsentiarum satis iam dictum sit. nunc videamus quo pacto Celsus omnia se nosse professus calumniam struat Iudæis, dicens eos venerationem & cultum exhibere angelis, & vacare damnatis maleficisque artibus, à Mose præceptore acceptis. Dicat iste qui nouit Iudæorum & Christianorum omnia, vbinam inuenerit in Mosaicis literis à legislatore tradi cultum angelorum? aut quomodo maleficæ artes locum habent apud Mosis discipulos,

G qui legerunt in eius lege: Incantatoribus non adhærebitis, ne ab eis polluamini? Deinde pollicetur se ostensurum quod Iudæi per imperitiam decepti aberrauerint, qui si deprehendisset eorum in agnoscendo Iesu Christo imperitiam, natam ex prophetarum neglectu, verè potuisset errorē gentis coarguere, nunc cum nihil tale ne in mētem quidem ei venerit, qui nō suos errores Iudæorū existimat. Et pollicitus postea se dicturum de rebus Iudaicis, primo loquitur de seruatore nostro, vt duce generationis huius, qua Christiani reddimur, quem ait ante valde paucos annos fuisse institutorem huius doctrinæ, à Christianis Dei filium habitum. De quo quantum ad hoc attinet, quòd ante paucos annos eum exortum ait, respondebimus: his ipsis annis quibus Iesu placuit disseminare verbum suum, tantum effecisse, vt in multis huius nostri orbis regionibus mirificè affecerit non paucos Græcos & barbaros, sapientes & insensatos, ita vt ad mortem vsque decertarint pro pietate Christiana, ne illum abnegarent, id quod in nullo vnquam alio dogmate factum narratur à scriptoribus: nec enim absque fauore numinis fieri potuit. Equidem non vt ad gratiam loquar, sed experiētia doctus, ausim affirmare, ne corpora quidem ægrotorum sine ope diuina restitui sanitati pristinæ, quod si quis etiam animas H liberaret à vitiorum colluuie, libidinibus, iniquitatibus, contemptu numinis, & experimentum huius operis in centum (verbi gratia) hominibus daret, certè nemo hunc verisimiliter diceret absque diuino auxilio, centum illis indidisse rationes tam validas ad liberandum à tot vitiis, hæc qui prudenter considerauerit, assentiet nihil inter homines in melius instaurari absque Deo, quanto magis inquirenti id apparebit in fidentibus Iesu domino, multis qui se verbo eius dedunt pristinam vitæ rationem mutantibus. si animaduertat in quantis impuritatibus, in quantis iniquitatibus, & cupiditatibus fuerint singuli, priusquam decepti, vt Celsus eiúsque similes blaterant, recepissent hanc doctrinam perniciosam vt ipsis videtur vitæ hominum, tum post eam receptam quanto æquiores sint redditi, grauiores, constantiores: adeò vt quidam ex ipsis amore eximiæ puritatis, & quo castiores ad cultum diuinum accederent, ne concessa quidem & legitima vtantur venere. Hæc qui secum reputauerit, intelliget Iesum ausum maiora humanis viribus, & quod aggressus est effecisse. Omnibus enim iam inde ab initio resistentibus quominus verbum eius per totum orbem terrarum spargeretur, suæ quibusque ætatis regibus eorúmque tam militaribus quam ciuilibus magistratibus, denique omnibus quacunque potestate præditis, & oppidatim populorum præsidibus præfectísque præsidiorum, vicit Dei verbum, quod sua natura opprimi se nō patitur, inuictúmque permanet, itaque tot aduersariis perdomitis Græciam totam I subegit, maiorémque partem barbariæ traduxitque ad pietatem innumeras animas, necesse autem erat, quoniam vbique plures sunt idiotæ quàm literati, in tanta multitudine manus verbo dantium longe plures esse illiteratos & rusticos quàm eruditione spectabiles. Celsus vero nolens considerare diuini verbi benignitatem, non subtrahentem se vlli sub sole animæ, putat rem esse vulgarem & imperitorum hominum, quasi rudis & nequaquā exculta doctrina solis plebeiis & rudibus persuaserit, quamuis ne ipse quidem ait solos idiotas verbo Iesu ad religionē adductos: fatetur enim multos in eis esse modestos, temperatos, prudentes, & ad allegorias intelligendas idoneos. Quoniam autem ei libuit vti prosopopœia, quasi adolescenti in rhetoris scholam tradito: inducitque Iudæum loquentem ad Iesum puerilia quædam & indigna philosophi canicie, age pro virili & his examinatis, coarguamus eum ne decorum quidem personæ seruasse in Iudæi sermonibus. Facit enim iam Iudæum disserentem, reprehendentemque Iesum multis vt ipsi videtur nominibus, & ante omnia quod finxisset se natum è virgine: exprobrat etiam ei quòd è viro sit ortus Iudaico, & è fœmina indigena paupercula, victum parante operis manuariis, quam ait eiectam à marito fabro materiario, quasi deprehensam in adulterio, deinde narrat à viro expulsam & ignominio- K se vagabundam edidisse Iesum partu clanculario, quodque is præ inopia mercede seruire coactus in Ægypto, & ibi efficaces quasdam artes doctus quibus sibi placent Ægyptii, reuersus sit tanta potentia tumidus, propter quā pro Deo haberi postulauerit. Mihi sanè qui nihil eorum quæ ab infidelibus obiiciuntur possum indiscussum sinere, rerum principia scrutanti consentire hæc cūcta videntur, vt merito iuxta vatum oracula filius Dei Iesus dictus sit. Hominibus enim multum confert genus ad illustrem famam & claritatem nominis, quando parentes eorum potentes & præcellētes fuerint, amplius facultatibus prædit ad excolendum ingenium filii, tum patria magna & nobilis, quando verò aliquis omnia habet his contraria, potest è tot obstaculis ad claritatē emergere, & commouere sui fama multitudinis animos, ac per totum orbem diuersis rumoribus de se strepentem celebris fieri, an non merito demiteris naturam huiusmodi ut generosam & magnificam, tantámque confidentia versantem in negotiis arduis? In huiusmodi virū si cui libeat amplius inquirere, an non quæsiturus est quonam modo frugaliter & in paupertate educatus, nullisque liberalibus disciplinis institutus, nec eloquentiæ candidatus artiúmque idoneatum ad flectendos concionibus populorum animos & auditores demulcēdos, aggressus sit profiteri se docto- L rem nouorum dogmatum, introducta in humanum genus doctrina destruente Iudæorum placita, salua nihilominus prophetarum autoritate, & conuellente Græcorum leges cum suis ritibus ac ceremoniis. præterea quomodo talis, sic educatus, nihil magnum vt obtrectatores fatentur doctus ab homine, talia de iudicio Dei, deque pœnis malorum & bonorum præmiis disserere potuerit tanta admiratione, vt non solum agreste vulgus & illiteratum caperet, verum etiam non paucos è sapiētioribus, qui possent penitus introspiscere vtilitatē doctrinæ summa specie non admodum plausibilis? Apud Platonem Seriphius quidam Themistocli celeberrimo imperatori claritatem exprobrans, quasi non suapte virtute partam, sed quòd patria illi contigisset vrbs totius Græciæ nobilissima, audit à nō ingrato Themistocles, & agnoscēte patriā quoque sibi contulisse aliquid ad gloriam: Nec ego si Seriphius fuissem tam celebris euasissem: nec si tibi Athenæ patria contigisset, fuisses Themistocles. Iesus vero noster, licet opprobretur ei patria vicus, isque non græcanicus, nec alicuius gentis celebratæ, infametur & ipse vt pauperculæ operariæque filius, & tum ob paupertatem relicta patria mercede famulatus in Aegypto, & vt ad præsens exemplum illudam, non solum Seriphius natus è minima ignobilissimaque insula, verum etiam Seriphiorum vt ita M dicam postremus, valuit concutere totum terrarum orbem, non solum magis quàm Atheniensis Themistocles, sed magis etiam quam Plato aut Pythagoras, vel sapientum totius orbis quiuis alius, aut regum imperatorúmque. Quis igitur, modo exactius rerum naturam contempletur, non obstupescat eum eluctatum ex omnibus quæ possent officere gloriæ, & à tergo reliquisse omnes qui vnquam fuere celebres: quamuis paucis hominum contigerit pluribus simul nominibus gloriam consequi. Nam alius sapiētia, alius imperatoriis artibus, barbari vere nōnulli incantationum potentia, & alii aliis rebus non multis admirationem sibi parauerunt ac gloriam, hic autem præter cætera mirandus est ob sapientiam, ob potentiam, ob imperandi scientiam. Non enim vt tyrannus subduxit secum alios à legum obedientia, nec vt latro manum aliquam suorum armauit contra homines, nec vt opulentus allexit obuios largitionibus, nec impostorum more attraxit: sed vt doctor diuinæ religionis & sciētiæ, omnisque moralis disciplinæ, quæ iuxta eam viuentes Deo conciliare valeat. Ac Themistocli quidem aliisve viris illustribus ad gloriam tendentibus nulla fuerunt obstacula. Huic vero præter iam dicta, quæ poterāt obscurare quantumuis generosum animum, in crucem acto etiam mors in speciem ignominiosa poterat omnem existimationem

adime

A adimere etiam antea cumparatam, vt eius doctrina decepti quemadmodum videtur aduersarius, confestim ad ea resilirent ipsúmque ceu impostorem damnarent. Nec minus mirandum quomodo discipulis eius non visa, vt obtrectatores Iesu dicunt resurrectione, nec vllam ipsius diuinitatem expertis, in mentem venerit, non timere talem exitum qualis præceptoris fuerat, intrepideque periculis se committere, patriisque relictis ex volutate Iesu vacare prędicationi verbi ab illo sibi traditi. Arbitror enim neminē qui recte res examinet dicturum hos elegisse vagam vitā prædicandæ Iesu doctrinæ gratia, absque vehementi fiducia quam eis magister indidit, non solum viuendi iuxta suam disciplinam, verumetiam alios inflammandi ad vitæ rationem similem, cum talis esset rerum status, vt capitale periculum pęsto esset audenti nouare vulgo receptos ritus vbique gentium, & omnes veterum opinionum tenaces infensos sibi reddere. An non videbant Iesu discipuli, ausi non solum Iudæis ex prophetis ostendere, hunc esse designatum vatum oraculis: sed reliquis quoque gentibus, quòd hic heri & nudiustertius crucifixus spōte mortem pro humano genere subiit, simile quiddam his qui sponte se morti deuouerunt ad auerrúcandam grassantem in sua patria pestilentiam, aut agri sterilitatem, tempestatémve arcentem nauigationibus? ita enim natura compa-

B ratum videtur occultis quibusdam & indeprehēsibilibus rationibus, vt vnius iusti mors sponte suscepta pro salute populi auertat malorum dæmonum vim, sæuientem pestibus, sterilitatibus, & tempestatibus. Respondeant igitur qui nolunt credere Iesum pro humano genere in cruce mortuum, vtrum abrogaturi sint fidem etiam Græcorum barbarorúmque multis historiis, prodentibus de aliquot qui vltronea morte obita pro republica totos populos totásque gentes liberarint a calamitatibus? an illa quidē facta sunt, nec tamen est verisimile, eum qui homo sit habitus mortuum vt profligaretur magnus dæmon princeps cæterorum dæmonum, subiugator animarum omnium qui vnquam in terris visi sunt hominum? Hæc cum animaduertissent Iesu discipuli, aliáque his plura, quæ par est illos didicisse ex arcanis cum magistro colloquiis, virtute quoque quadam repletos, addidit eis robur audaciámque non virgo illa poetica, sed vere diuina sapientia prudētiáque, vt illustres fierent apud omnes non Argiuos tantum, sed Græcos quoque vniuersus simul & barbaros, bonámque famam consequerentur. Iam reuertamur ad Iudæi fictam personam, quę narrat Iesu matrem grauidam extrusam à sponso fabro lignario propter fidem coniugalem temeratam & pudicitiam: videamúsque an non cæci fuerint autores huius fabulę de virgine deprehensa cum panthera in adulterio & à fabro repudiatā: quæ omnia finxerant vt conuellerent miraculosum conceptum de spiritu sancto.

C quamuis poterant propter nouitatem rei mendacium obiicere, & non vel inuiti assentire Iesum non esse vulgari more natum ex coniugio, atque ita falsam fabulam supponere. nunc quia non fecerunt figmentum suum verisimile, sed concesso non ex Iosepho concepisse virginem, mendacium suum prodiderunt iis qui norunt examinare fabulas. Nam quomodo probabile est eum qui tanta sit ausus pro humano genere, dederítque quantum in se erat operam vt omnes Gręci pariter & barbari metu iudicij diuini absisterent à viciis, seque ad facienda quæ Deo mundi fabricatori placent conuerterent, non mirandam habuisse natiuitatem, sed omnium iniquissimam ac turpissimam? Rogabo igitur Græcos, & in primis Celsum, siue cum Platone sentiat, seu non, certe adducentem platonica. Ergo is qui demittit animas in hominum corpora, ausurum tam multa, támque multos eruditurum & reuocaturum à viciorū colluuie, detrusit in omnium turpissimam natiuitatem, ac ne per legitimas quidem nuptias in hominum vitam introduxit? An multo probabilius est (loquor nunc iuxta Pythagoram, Platonem, Empedoclē, quos sæpe Celsus nominat) vnamquanque animam occultis rationibus addictam corpori, addici pro præteritis suis moribus? Credi-

bile igitur est hanc quoque animam multis (ne si dicam omnibus præmature dicere videar) vtiliorem vitę hominum, proficiscentem huc opus habuisse corpore pręstanti, imò ex omnibus præcipuo. D Nam si alia quidem anima secretis quibusdam rationibus indigna habita quę indueret omnino bruto corpori, nec tamen rationali digna, induitur portentosum corpus, ne perfecta ratione fruatur sic nata, minus caput habens quàm pro portione reliqui corporis: alia vero tale corpus accipit, vt paulo plus quā illa sapiat: ac rursum alia maius minusve pro modo corporis non obsecundantis rationi: quid vetat esse aliquam animā quæ nouo & mirando more corpus assumat? quod commune quiddam cum hominibus habeat, vt possit cum eis degere, habeat etiam quiddam eximium, vt anima maneat immunis ab omni vicio. Quod si vera est physiognomicorum scientia, vel Zopyri, vel Loxi, vel Polemonis, vel cuiuslibet eorum qui hæc profitentur, quid mirum si omnes animæ habeant corpora sibi congrua? quapropter ei quæ nouo mundo peregrinatura erat in vita & miracula factura, qui potuit contingere corpus vt opinatur Celsus ex pāntheræ atque virginis adulterio? oportebat enim ex huiusmodi coitu incesto potius insanum quempiam nasci & perniciosum hominibus magistrum intemperantiæ, iniusticię reliquorúmque viciorum, non temperantiæ, iusticiæ, virtutúmque cæterarum. De hoc vero prophetæ olim prędixerunt non tacentes de prodigio, nasciturum ex virgine E qui ex re nomen habeat, quoniam eo nato Deus erit cum hominibus. Hic apte obiecturum me puto fictæ Iudæi personæ prophetiam Esaiæ, promittentis nasciturum Emanuelem è virgine: *Matth. 1.* quam aut nesciuit Celsus quamuis omnia se nosse præfatus, aut si legit, data opera dissimulauit, ne imprudens nostram sententiam astrueret aduersam ipsius proposito. verba prophetiæ sic habent. Et adiecit dominus loqui ad Achaz dicens: Pete tibi signum à domino *Esa. 7.* Deo tuo in profundum inferni, aut in excelsum supra. & dixit Achaz: non petam, & non tentabo dominum & dixit, Audite igitur domus Dauid. Nunquid parum est vobis molestos esse hominibus, & quomodo molesti estis domino? propterea dabit dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit nomen eius Emanuel, quod interpretatur nobiscum Deus. Hanc prophetiam maliciose Celsum omisisse manifeste colligo, quòd cum alleget multa ex euangelio Matthæi, quale est illud de stella exorta in natiuitate Iesu, aliáque miracula, huius nullam prorsus mentionem fecerit. Quod si Iudæus vocabula excutiens, neget scriptum, ecce virgo, sed ecce adolescētula, dicemus ibi legi vocem alma, quam septuaginta interpretes verterunt virginem, alij vero adolescentulam. ex vt aiunt etiam in deuteronomio legitur in significato virginis in his verbis. Quod si puellam virginem despōsatam viro nactus homo in vrbe cōcubuerit cum ea, educentur ambo ad portam ciuitatis suæ, lapidabun- F túrque & necabuntur: adolescentula ex ratione quòd non exclamarit in vrbe: homo ex ratione quòd humiliarit vxorem proximi sui, & deinceps. Quod si in campo nactus *Deut. 22.* homo mulierem desponsatā per vim stuprauerit, necabitis hominem solum qui cum ea concubuit, adolescentulæ vero nihil facietis. non est adolescentulæ peccatum capitale. Sed ne videamur ex Hebraica prophetiæ voce non intelligentibus polliceri eum de cuius natiuitate dictum est, Nobiscum Deus: age ex ipsis verbis consideremus sententiam. Dominus scribitur dixisse ad Achaz: Pete tibi signum à domino Deo tuo in profundum vel in altum. ac mox subiicitur signum quod datur: Ecce virgo in vtero habebit & pariet filium, quale autem signum esset adolescentulam non virginem parere? Et vtri magis conueniat gignere Emanuelem, quod est nobiscum Deus: mulieri ne coitum passæ & more fœminarum grauidæ: an puræ ac castæ virgini? certe hanc decet parere talē prolē, qua nata dicatur nobiscum Deus. Quod si Iudęus pergat hærere verbis dicens ad Achaz dictum: pete tibi signum à domino Deo tuo: rogabimus quis fuerit natus Achaz temporibus,

G de cuius natiuitate dicatur Emanuel, quod est nobiscum
Rom. 1. Deus. nam si nullus inuenietur, manifestum est id quod ad Achaz dictum est, promissũ esse Domui Dauidis, eo quod scriptum sit ex semine Dauidis natum seruatorem iuxta carnem. Quin & signum ipsum in profundum & in altũ dicitur, quoniam qui descendit, ipse est qui & ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia. Hæc autem mihi dicuntur ad Iudæum qui agnoscit prophetiam. Respondeat & Celsus aut aliquis eius sodalium, qua mente propheta de futuris hæc aliáve prædicat quæ scripta sunt in prophetiis, præsaga ne futurorum an non? nam si præscia futurorum, diuinum spiritum habebant prophetæ. sin futurorum ignara, proferat nobis vnum aliquem qui temere vaticinari ausus, in admiratione apud Iudæos cum suis prophetiis fuerit. Et quando quidem semel in prophetarum mentionem incidimus, non solis Iudæis, qui credunt prophetas afflatos fuisse diuino spiritu, erunt vtilia quę inde proferemus, verum gentibus quoque: quibus dicimus admittendum necessario etiam Iudæos habuisse suos prophetas, siquidem continendi erant in datis sibi legibus, & in accepta fide creatoris, ne à lege deficerent ad gentium Deos. eam necessitatem sic demonstrabimus. Gentes sicut scriptum est in ipsa Iudæorum lege oraculis attendent & vaticiniis. populo verò illi dictum est: tibi autem non
H sic tradidit dominus Deus tuus, ac mox subiicitur illud: Prophetam ex fratribus tuis suscitabit tibi dominus Deus tuus. Ergo gentibus cognitionem futurorum petẽtibus ea oraculis, auspiciis, auguriis, ventriloquis, aruspicibus, Chaldæis genethliacis, quæ artes omnes apud Iudæos sunt vetitæ, si ipsi nullum solatium habuissent è futurorũ præscientia, certe impulsi humana quadam futura cognoscẽdi libidine contempsissent res suas vt nihil diuinum in se habentes, nec alium post Mosen prophetam recepissent, nec sermones eorum mandassent literis, transfugissentque ad oracula gentium, aut ipsi conati fuissent apud se simile aliquod instituere. Quamobrem nihil absurdi est etiam de fortuitis quibusdam prophetas eius gentis respondere solitos, quo satisfacerent talium rerum cognoscendarum cupidis, sicut Samuelem de asinis perditis, & de morbo regij pueri illum de quo in tertio libro Regnorum scriptum est: alioquin quomodo potuissent ij qui legi Iudaicæ patrocinabantur increpare aliquem volentem idolorum oracula consulere, sicut legitur Helias Ochoziam increpans: An eo quòd non sit Deus in Israel, vos itis in Baal ad consulẽ-
4. Reg. 1. dum Myiæum Deum Acaronitarum? Mihi sanè videtur bene comparatum fuisse, non tantum quòd nasciturus è virgine seruator noster, verum etiam quòd prophetæ Iudæis dati sint, qui prædicerent de futuris non solum illa vniuersalia, de Christo, de regnis mundanis, de futuris Israelitarum casibus, de credituris seruatori gentibus, & a-
I liis multis quæ ad illum pertinent: sed de priuatis quoque negotiis, sicut de perditis asinis à Cis requisitis, de morbo quo ægrotauit filius regis Israel, aut siquid aliud tale in scri-
1. Reg. 9. ptutis habetur. Præterea dicendum ad Græcos non credentes Iesum natum è virgine, mundi opificem in animãtium genitura tam varia satis declarasse, potuisse si libuisset in vnoquoque animali quod in aliis fecerit, atque etiam in homine. reperiuntur autem inter animantes quædam fœminæ quæ maris congressum prorsus nesciunt, sicut produnt de vulturibus ij qui scripserunt de naturis animalium, nihilominus hoc animal perpetuat successionem sui generis. Quid igitur mirum si volens Deus diuinum quendam magistrum generi hominum mittere, fecit vt vice proseminationis quæ fit ex congressu maris & fœminæ, alia quadam ratione consuleretur futuro partui? quando etiam ipsi Græci fatentur non omnes homines prognatos ex mare ac fœmina. Si enim factus est mundus sicut multis etiam Græcorum placet, necesse est primos non ea coitu esse natos, sed ex terra, in qua infuerit ratio seminis: quod arbitror incredibilius, quàm Iesum dimidia ex parte natum more hominum. Nec absurdum fuerit cum Græcis agentes græcas afferre Historias, ne videamur soli habere hanc historiam mirificam. K

Libuit enim quibusdam non in priscis & heroicis historiis, sed quæ heri & nudiustertius gesta continent, referre tanquam rem possibilem, Platonem quoque natum ex matre Amphictyone, vetita cum Aristone marito cõgredi priusquã partũ ederet satũ ex Appolline. Sed hęc merę sunt fabulę fictæ in eius viri gratiã, qui multorũ existimatione sapientia præcelluit cæteros, eoque à diuiniori quodam semine creditus est traxisse originem, quasi hoc natura humana superiorem deceat. Et quoniam Celsus inducit Iudæum alloquentem Iesum, & cauillis ludentem in fictam vt putat natiuitatem eius ex virgine, mutuatam à Græcorum fabulis de Danae, Melanippe, Auge, Antiope: dicendum hæc verba congruere scurræ, non ei qui pollicita præstare studeat. Post hæc decerpens ex euangelio secundum Matthęum historiam de profectione Iesu in Ægyptum, non credit miraculis quę ibi referuntur de Iosepho angeli oraculo monito, nec inquirit nunquid rectius signi- Matth. 2. ficetur per migrationem Iesu in Ægyptum ex Iudęa: sed fingit quiddam aliud, assentiens quodammodo mirificis virtutibus quas Iesus exeruit, quibus multi inducti sunt vt eum tanquam Christum sequerentur, conatus tamen eas calumniari, quasi magicis artibus non diuina vi editas. ait enim eum clam educatum, & in Ægypto mercede famulatum, peritum mirificarum eiusgenris artium, inde reuersum, quibus fretus pro Deo se haberi passus sit. Ego vero non intelligo quomodo magus potuisset dare operam L vt persuaderet vnumquemque ita suas actiones moderari, ac si redditurus esset earum rationem Deo iudici: atque ita suos discipulos instituere, quibus erat vsurus ministris doctrinę suę. Vtrũ igitur & discipuli eisdẽ instructi virtutib[9] capiebant auditores, an absque miraculis? Sed absurdum fuerit dicere nulla eos factitasse miracula, contentos doctrina cui credidetant ipsi nullis suffultę dialecticis rationibus sapientiæ gręcanicæ, atque ita temere aggressos nouum docendi modum quocunque venirent gentium. alioquin, qua fiducia fuissent ausi nouare omnia? quod si patrabant ipsi quoque prodigia, quomodo probabile est magos se exposuisse tot periculis, interdicentes vsum magicarum artium? Superuacaneum videtur respondere verbis quæ nihil docent, & tantummodo vituperant: An, inquit, pulchra erat Iesu mater, & vt pulchram eam Deus complexu suo dignatus est, cuius natura non fert amorem corruptibilis corporis, ac ne conueniens quidem erat capi Deum amore puellę nec fortunatę nec regię, vt quę via erat nota vicinię suæ, addit illudens, exosam eam & eiectam à fabro lignario nec credulitate sua seruatam nec diuina potentia. Ergo inquit, nihil hæc ad regnum Dei attinent. Quid hæc differunt à compitalibus conuiciis nihil serium habentibus? Deinde quod è Matthęo, aut etiam reliquis euangelistis desumpsit, de columba quæ deuolauit M in seruatorem à Ioanne baptizatum, calumniari conatur vt rem ficticiam: & probè exagitata vt ipsi videtur narratio- Matt. 3. ne de natiuitate seruatoris nostri ex virgine, non persequitur ordine sequentia, quando nihil ordinatum habet furor & odium, sed his affectibus occupati conuiciis appetunt quos prosequuntur odio, non permissi considerare atque ordine accusationem texere. nam si ordo placuisset, sumpto euangelii accusationem exorsus, post primam historiam arreptam transisset deinceps ad secundam, itaque ita ad reliquas. nunc vero post natiuitatem ex virgine Celsus iste qui se scite iactat nostra omnia, spiritum sanctum accusat specie columbæ conspectum in baptismate. post hęc calumniatur prophetias de seruatoris aduentu. deinde retroflectit cursum ad narrationem de stella quæ mox post Iesu natiuitatem scripta est, & ad magos qui ab oriente venerunt adoraturi puerum: qualia multa & ipse obseruando reperire potes confuse à Celso posita toto eius volumine, vt à scientibus seruare ordinem & quærere, vel ex hoc conuincatur arroganter & confidenter fecisse libro suo Veri sermonis titulum, quod nemo vnquam fecit è doctis philosophis.

Nam

A Nā Plato negat prudẽtis esse de talib⁹ rebus asseuerare aut obscurioribus. Chrysippus itē sæpenumero expositis quibus ipse moueretur rationibus, relegat nos ad alios, si forte possimus inuenire aliquos disserentes eo melius. At iste & his & cæteris Græcis sapientis, vbique sui similis, sicut professus est se nosse omnia, sic librum suum inscripsit verum sermonem. Sed ne videamur non habentes quod respondeamus de industria transilire ipsius capitula, decreuimus singula obiecta ab eo confutare pro viribus, habita ratione non naturalis seriei rerum & consequentiæ, sed ordinis qui in ipsius libro scriptus est. Ergo age videamus quid dicat, dum calumniatur spiritum sanctum visum à seruatore in columbæ specie, adhuc autem loquitur ex persona Iudæi, apud quem fatemur & agnoscimus Iesum nostrum esse dominum. Lauanti inquit tibi apud Ioannem ais aduolasse spectrum auis ex aere. Deinde pergit scitari Celsi Iudæus: quis hanc visionem vidit testis qui fide dignus sit? quis audiuit vocem è cœlo adoptantem te deo filium? præter te vnum & alterum quempiam ex sociis tibi sceleris pariter atque supplicij priusquam defensionem aggrediamur dicendum, ferme omnium narrationum, etiamsi veræ sint, velle asserere veritatem & opinionē infigere, esse rem perdifficilem, & quibusdam impossibilem. Finge enim aliquem negare vnquam fuisse bellum troianum, præsertim cum quædam ei narrationi admixta sint impossibilia, de Achille marinæ deæ filio & hominis Pelei, de Iouis Sarpedone, Martis Ascalapho & Ialmeno, Ænea Veneris, quomodo astruemus talia si vrgeamur figmentis manifestarius? quamuis iam inualuerit opinio reuera bellum gessisse Græcos cum Troianis ad Ilium. Fac alium non credere de Iocasta & Oedipide communibúsque liberis Eteocle ac Polinice propter insertam narrationi Sphingem semipuellam, quomodo hoc demonstrabimus? idem sentiendum de Epigonis vt vocantur, horum sociorúmque filiis, etiamsi ea narratio caret figmentis similibus, déque profectione in Peloponesum filiorum Herculis, cæterísque innumeris, attamen candidus & circumspectus lector etiam illa recte diiudicabit, quibusdam assentietur, in aliis figmentum olentibus scrutabitur sensum Tropologicum, rursum aliis fidem abrogabit vt scriptis ad gratiam. Hæc præfati sumus non vocantes quemuis ad nudam fidem Euangelicæ de Iesu historiæ, sed præmonentes opus esse lectori prudentia diligentique examine, & vt ita loquar introductione quadam in consilium eorum qui eam conscripserunt, vt inueniatur quo sensu quidque scriptum sit. Primum igitur dicemus, si is qui non credit spiritum sanctum apparuisse in columbæ specie fuisset Epicureus aut Democritus Peripateticúsue, locum vtcunque habuisset, quæ illi tribuitur oratio. nunc ne hoc quidem sapientissimus iste Celsus animaduertit, affingere se hæc verba Iudęo, qui multa credit in propheticis literis incredibiliora quàm sit hæc columbinæ speciei visio. Facile enim aliquis dixerit Iudæo difficilem se præbenti ad credendam visionem, & pro figmento eam habenti. Tu vero bone vir vnde mihi potes ostendere quid locutus sit Adamo Deus aut Eua, quid Caino, Noe, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, quorum omnium cum deo colloquia habentur in scripturis. Et vt historiam proferam huic præsenti similem, dicerem Iudæo, certe tuus Ezechiel sic scribit: Aperti sunt cœli, & vidi visionem Dei. Quam enarrans subiicit. Hæc visio similitudinis gloriæ domini: & dixit ad me. Nam si falsa sunt quæ de Iesu scribuntur, quandoquidem vt putas non possumus euidenter eorum veritatem approbare, quòd ab ipso solo visa sint & audita, & vt tibi videris obseruasse, ab vno ex supplicij sociis, quin potius dicimus Ezechielem portenta fingere dū sic loquitur: Aperti sunt cœli, & quæ sequuntur. Esaias quoque dū ait: Vidi dominum Sabaoth

Ezech. 1. sedentē super Thronum excelsum & eleuatū, & Seraphin

Esa. 6. circum hunc stantia: sex alæ vni, & sex alæ alteri: & quæ sequuntur: vnde scis eum vere hæc vidisse? Nimirū credis Iudæe his vt indubitatis & à diuino spiritu proditis, eáq; prophetam non vidisse solum, verū & mandasse literis. Quis

igitur fide dignior, Ezechiel ne dicens apertos sibi cœlos, D vocémq; se audisse: vel Esaias scribens visum a se dominū Sabaoth in throno sedentem excelso & eleuato: an Iesus? Illorū certe nullum simile opus reperitur. Iesu vero virtutes non eo tantū tempore viguerunt quo in corpore versatus est in terris, sed nunc quæ eius potentia est efficax ad conuertendos & corrigēdos quotquot deo credūt per illū. Hęc enim ipsius virtute fieri vel inde manifestum est, quod cū queratur de defectu operariorum ad messem animarum, tantū segetum demessarū vndique conuehatur & comportetur in areas ecclesiæ dei. Atque hæc ad Iudęā dico, non fidem detrahens cum sim Christianus Ezechieli & Esaię, sed per ea quę ambo ex ęquo credimus pudorem incutiens ei: quādoquidem hic multo dignior est cui credatur dicēti sibi visas huiusmodi visiones, quas probabile est illū discipulis denarrasse postea, simúlque vocem quā audierat. Aliquis tamen fortasse diceret non omnes Iesu narrante audisse quę scripserunt, de columbę specie, déq; voce missa cœlitus: sed spiritum qui Mosem docuit superiorū ętatū historiam à condito mundo vsque ad Abrahamū autorem eius generis, hunc ipsum etiam euangelistas docuisse miraculū quod in baptismatis Iesu tēpus incidit. Cæterum cui contigit donū sapientię, etiā causam reddet apertionis cœlorū, & quid sibi velit columbæ species: cur ne in hac potissimum spiritus sanctus Iesu apparuerit: quibus de rebus disserere nunc non est propositū. Agimus enim cum E Celso & ostendimus eum parū apte affingere orationem Iudæo, quasi non credat hoc, cū credat multo difficiliora. Equidem memini me olim in quadam disputatione cū Iudæorum sapientibus in multorum præsentia his verbis vsum: Dicite mihi ô vos cū duo versati sint inter homines, de quibus incredibilia quædam traduntur & humanā naturam excedentia, vester inquam legislator Moses qui de se ipse scripsit; & Iesus noster magister, qui nullum de seipso scriptum reliquit, sed discipulorum suorum in euangeliis de se habet testimonium: quæ ratio postulat vt credatur, Mosen vera prodere, quamuis vt magum & præstigiatorem calumnientur Ægyptij: Iesu vero nō credatur propter vestras accusationes, ambo enim nituntur testimonio gētium: Moses quidem Iudæorum: Christiani vero non negantes Mosis prophetiam, etiam inde Iesum approbant, eáque facilius vera esse credunt quæ ab eius discipulis scripta sunt miracula. Iam si rationem à nobis poscitis de Iesu, prius vos de Mose qui præcessit illum reddite, ac tum demum de Iesu reddemus nos quoque. vobis vero tergiuersantibus & probationes detrectantibus, referemus par pari, quod in præsentiarum nobis sufficit, nihilominus fassi estis nullas vos de Mose probationes habere. at vos audite nostras de Iesu, desumptas è lege atque prophetis & quod magis mirum est, ex demonstrationibus de Iesu quæ F habentur in lege prophetisque, ostenditur Mosen & prophetas fuisse Dei prophetas. plena est autem lex, pleni prophetæ miraculis similibus huic quod scriptum est de columba & voce missa cœlitus: Significatum porro arbitror sanctum spiritum per columbæ speciem, idque colligo ex Iesu miraculis, quibus Celsus struit calumniam, asserens ab eo facta Ægyptiacis artibus. nec ex iis solis sumam argumentum, verumetiam vt par est, ex his que patrarunt Iesu Apostoli. non enim illi sine virtutibus & miraculis mouissent auditores nouę doctrinæ vt relictis institutis patriis reciperent eorum doctrinam, receptámque vsque ad mortem tuerentur contemptis omnibus periculis. Quin & hodie vestigia spiritus illius sancti nisi columbæ specie seruantur apud Christianos, excantant dæmonia, multas sanationes perficiunt, præuident voluntate Dei futura. Irrideat licet Celsus quod dicetur, aut introductus ab eo Iudæus, dicetur tamen: multos penè inuitos attractos esse ad Christianam religionem, spiritu quodam repente mutante intellectum eorum. vt pro verbo exoso ad id temporis non cūctarentur mortem oppetere, post visiones oblatas ipsis vel dormientibus vel vigilantibus. multa enim talia vidimus. quæ si memoraremus duntaxat gesta in nostra præsentia, cachinnū tollerēt

G infideles, tali nos quoque, sicut illos de quibus male suspicantur, fingere. Testis autem est Deus nostræ conscientiæ, conari nos non falsis narratiunculis, sed variis exemplis commendare diuinam Iesu doctrinam. Et quoniam Iudæus est is qui in dubium reuocat quod de spiritu sancto in Iesum specie columbæ delapso scriptum est, incito dicere cuperem: heus tu, quis apud Esaiam sic loquitur: καὶ νῦν κύριος ἀπέστειλέ με καὶ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ quæ Græca verba cum ambiguum sensum habeant, verum pater & sanctus spiritus miserint Iesum, an pater miserit Christum & sanctum spiritum, posterior est verus, nempe post seruatorem missus est spiritus sanctus, vt compleretur quod à propheta dictum est. quam prophetiam completam esse oportebat nosse & posteros, ideoque Iesu discipuli retulerunt hoc factum in literas. Hic vellem Iudæum, cuius personam Celsus inducit, monitum, quando non inficiatur Iesum a Ioanne baptizatum, meminerit Ioannis in peccatorum remissionem baptizantis facere scriptorem qui mox secutus est Ioannis & Iesu tempora: nam Iosephus in decimooctauo Antiquitatum testatur Ioannem fuisse Baptistam, expiationemque baptizatis esse pollicitum. Idem quamuis Iesum parum agnoscens pro Christo, dum quærit causam Hierosolymorum excidij, templique demolitionis cum debuisset dicere id accidisse propter eius populi contra Iesum insidias, quia Christum a prophetis promissum interemissent, quasi inuitus haud procul a veritate discedens,

H ait hæc contigisse Iudæis in vltionem Iacobi cognomento Iusti, fratris Iesu qui dicitur Christus, quia iustissimum hominem occiderant. Hunc Iacobum germanus Iesu discipulus Paulus ait à se visum vt fratrem domini, non tam ob sanguinis cognationem communemque ipsorum educationem, quàm ob mores & doctrinam. Ergo si propter Iacobum dicit accidisse Iudæis desolationem Hierusalem, an non probabilius est propter Iesum Christum id contigisse, cuius diuinitatis testes extant tot hominum exemptorum è vitiorum colluuie ecclesiæ, opificique suo hærentium, & cuncta referentium ad illius placitum. Sed etiamsi Iudæus nihil pro Ezechiele ac Esaia respondeat, cum quibus commune nobis est quod de apertis Iesu seruatori cœlis & voce inde missa legitur, quando vterque atque etiam alij prophetæ similia memorauit: nos certe id hanc pro virili confirmabimus rationibus, dicentes quemadmodum in somnis creditur multis obuersatas visiones diuinas, vel palam vel per ænigmata præmonentes de quibusdam futuris ad vitam pertinentibus, idque confessum est apud omnes qui admittunt prouidentiam: ita consentaneum esse vim illam quæ format intellectum in somnis, vigilanti quoque posse easdem formas imprimere ad ipsius vtilitatem, aut eorum qui visionem audituri sunt: & quem-

I admodum in somnis videmur nobis audire pulsato sensu auditus oculisque cernere, cum interim nec auditus nec oculi corporis tangantur, sed intellectus sic afficiatur: ita nihil absurdi fuerit idem accidisse prophetis, quoties legimus eos vidisse quædam fidem excedentia, aut audiuisse verba domini, aut spectasse cœlos apertos. Equidem non opinor sensibile hoc cœlum apertum fuisse, eiusque corpus diuisum vt talia scriberet Ezechiel. Quid si etiam de seruatore idem intelligatur prudenter accipiendo verba euangelica? quamuis id non careat offendiculo simpliciorum, qui præ nimia simplicitate commouent mundum, scindentes tam vastum corpus idque vnitum cœli totius. Qui vero profundius scrutatur res huiusmodi, dicet quod cum sit generalis quidam sensus diuinus vt scriptura nominat, quem solus vir beatus inuenit, sicut Solomon inquit: Et sensum diuinum inuenies: cúmque sint species huius sensus visiones aptæ ad cernendas res incorporeas, vt Cherubin & Seraphin, & auditiones capaces vocum non in aere substantiam habentium, & gustatus quo panis viuus percipitur qui de cœlis descendit vitam mundo conferens: similiter odoratus olfaciens odores illos iuxta quos Paulus ait se esse, Christi suaueolentiam Deo, tactus quoque iuxta quem Ioannes ait se manibus palpasse de verbo vitæ: beati prophetæ diuino sensu inuento iam audientes

Esa. 48.

1. Ioan. 1

videntésque diuinè & gustantes similiter atque olfacien- K tes insensili (vt ita loquar) sensu, attingentésque verbum cum fide, vt ex eo defluxus quidam manaret in ipsos sanitatem conferens, sic videbant quæ scribunt se vidisse, audiebántque quæ se dicunt audisse, aliáque similia patiebantur, quemadmodum scribunt se comedisse initium libri sibi oblati. Eodem pacto & Isaac olfecit odorem diuinioris amictus filij sui, sicut agri pleni quem benedixit dominus. Similiter etiam iuxta intellectum magis quam sensum Iesus leprosum attigit, vt eum purificaret opinione mea dupliciter, liberatum non solum vt vulgus audit à sensibili lepra per tactum sensibilem, sed & ab alia per tactum verè diuinum. Itaque Ioannes sic testatus est, Vidi spiritum descendentem quasi columbam è cœlo, & mansit super eû, & ego nesciebam eum, sed qui misit me ad baptizandum aqua ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem & manentē super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et ego vidi & testimonium perhibui, hunc esse filium dei. Et Iesu quidem aperti sunt cœli nemine, quantum è scriptura colligi potest, præter Ioannem vidente apertos. Seruator autem discipulis prædixit futurum vt cœlum aperiretur ipsis inspectantibus. Amen amen, inquit, dico vobis, videbitis cœlum apertum, & angelos dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Sic & Paulus raptus est in tertium cœlum, quod prius apertum viderat, quoniam erat Iesu discipulus. cæterum illa eius verba: siue in corpore non noui, siue extra corpus non noui, Deus nouit, interpretari non est præsentis temporis, illud addam, dum Celsus putat Iesum de se narrasse visionē de cœlis apertis & spiritu sancto in ipsum delapso specie columbæ apud Iordanem, cum nusquam scriptura tradat ipsum hoc de se prædicasse: non intelligere virum egregium, quàm non conueniat ei qui discipulis interdixit ne cui proderent visionem in monte factam de resurrectione a mortuis, iactare apud illos id quod apud Iordanem visum est & auditum Ioanni. Id videre est in Iesu moribus, vbique parui facientis quæ ipse de semet prædicat, eoque dicentis: Et si ipse de me ipso dixero, testimonium meum non est verum, atque ita semota omni iactantia, quia malebat operibus declarare Christum se esse quam verbis, Iudæi sic eum alloquuntur. Si tu es Christus dic nobis liberè. Quoniam autem apud Celsum Iudæus est, qui loquens de visione spiritus sancti in columbæ specie, sic Iesum alloquitur: nisi quod tu ais, vnicum testem adducens è sociis tui supplicij, necesse est ostendere quam hoc quoque inepte affictum sit personæ Iudæi. nec enim Iudæi Ioannem cum Iesu coniungunt, aut eorum supplicia. ergo & hic arguitur iactator iste cognitionis omnium, nesciuisse quænā verba essent affingenda Iudæi personæ sermonem habentis ad Iesum. Post hæc nescio quo pacto id quo præcipue commendatur Iesus, nimirum recepta Iudæis prophetarum vaticinia, Mosis & sequentium aut etiam præcedentium, velut data opera transilit, dubio procul non habens quod respondeat, sicut nec Iudæi habēt, omnésque e secta nostra Iesu reclamantium, negātiúmque prædictum prophetis eius aduentum. aut fortasse nulla sciuit de Iesu oracula. alioquin oppugnans illud Christianorum dictum, multos prophetas prædixisse aduentum seruatoris, non tribuisset Iudæi personæ verba, quæ Samaritæ magis aut Sadducæo congruant: neque ita ficta illa Iudæi persona sic loqueretur. Meus vero propheta olim Hierosolymis cecinit, venturum dei filium, piorum iudicem, iniustorum punitorem. non enim vnicus propheta de Christo vaticinatus est: aut si Samaritæ vel Sadducæi, qui solos Mosis libros recipiunt, dicant in illis prophetatum de Christo, at nequaquam Hierosolymis, cuius vrbis ne nomen quidem erat Mosis tempore, edita est ea prophetia. Optādum igitur vt omnes verbi accusatores in tanta sint ignorantia, non solum rerum, sed & nudarum literarum scripturæ: atque ita religionem Christianam accusent, vt ne mediocrem quidem persuadendi vim eorum sermo habeat, quæ possit vel parum fundatos & ad tempus credulos auertere non dico à fide sed ab exiguitate fidei.

Gen. 27.

Ioan. 1.

Ibid.

L

Ioan. 5.

M

Cæterum

A Cæterum Iudæus nunquam fateretur prophetam aliquem prædixisse venturum Dei filium. hoc prędicant, venturum Christum Dei: & quoties nobiscum disputant, statim quęrunt de Dei filio, quasi nusquam apud prophetas inueniatur quicquam huiusmodi. Nec tamen dicimus non prædictum à prophetis de filio Dei, sed personę Iudęi hoc negantis non apte afficta illa verba: Meus propheta olim Hierosolymis dixit venturum Dei filium. Deinde ac si solum hoc prophetatum fuisset, piorum fore iudicem & iniustorum punitorem, nihil de loco natiuitatis, non de supplicio quo afficiendus esset à Iudæis, non de resurrectione ipsius, non de patrandis per eum miraculis: qui magis, inquit, in te hęc prophetia competit, quam in alios innumeros qui fuere posterioribus seculis? Tum nescio quomodo volens ostendere & alios affectasse hanc opinionem, quasi de ipsis prophetatum sit, ait alios fanaticos, alios fastu inflatos iactasse iam venisse Dei filium cœlitus. nihil enim constat apud Iudæos factum. Primum igitur respondendum est, multos prophetas variis modis prędixisse de Christo, alios per ænigmata, alios per allegorias aliisve modis, quosdam etiam apertis verbis. Et quoniam in sequentibus faciens Iudæum ad eos qui ex populo crediderunt loquentem, ait prophetias quæ ad hunc referuntur, posse aliis etiam accommodari negotiis, malitiose hoc dicés, paucas è multis exponemus, quas qui volet conetur argumentis necessariis subuertere, & ad fidem accurrentes auertere.

B Certe de loco natiuitatis eius dictum est, proditurum è Bethlehem qui futurus sit princeps, his verbis: Et tu Bethlehem domus Ephrata, non minima es vt sis in milibus Iuda. ex te mihi prodibit qui euadat in principem Israelitarum, & ingressus eius à principio dierum seculi. Hæc prophetia nemini quadrat fanaticorum, qui vt Celsi Iudæus loquitur, dicunt se venisse cœlitus, nisi quis se approbet è Bethlehem, vel vt alius diceret à Bethlehem, venisseque vt ductor fiat populi. De Iesu vero in Bethlehem natiuitate si quis vult post Michææ prophetiam, póstque scriptam in euangeliis à Iesu discipulis historiã & aliunde fieri certior, consideret quod iuxta euangelicam de natiuitate ipsius historiam ostéditur apud Bethlehem spelunca vbi natus est, & in ea spelunca præsepe vbi fasciis obuolutus est. tum, quod ostentatur, celebratum est etiam in locis infidelium, in ea ipsa spelunca natum esse Iesum qui à Christianis adoratur. Equidem opinor ante Christi aduentú pontifices scribásque populi propter manifestam prophetiam palam docuisse, Christum nasciturum esse in Bethlehem, adeò vt sermo is vulgatus sit inter Iudæos. Vnde scriptú est etiam Herodem scitantem ex pontificibus atque scribis populi, audisse ab eis, Christum in Bethlehem Iudææ nasciturum, quæ fuit Dauidis patria. Præterea habetur in euangelio secúdum Ioannem, Iudęos dixisse Christum na-

C sciturum in Bethlehem, vnde Dauid quoque prodierat. Cæterum post Christi aduentum quibus curæ erat modis omnibus hanc de ipso opinionem tollere è populo, quid iam dudum à prophetis prædictum esset de eius natiuitate, illam doctrinam sustulerunt è medio, vt agnoscas planè illorum germanos, qui militibus monumenti custodibus & resurrectionis consciis suaserunt dicere: Discipuli eius nobis dormientibus noctu furati sunt eum: polliciti eis si res deferretur ad præsidem, effecturos se vt securi sint. Molesta enim res est contentio, destinatáque voluntas resistendi etiam manifestis, pudore discedendi à consuetis opinionibus, quibus iam imbuta est anima: nec ab vllis consuetudinibus homo difficilius diuellitur, quam ab iis quæ ad opiniones pertinent: quamuis & alia ægre negliguntur quibus assueueris, vt domos, vrbes, vici: ac ne hominum quidem familiarium facile relinquimus consuetudinem. Quo factum est tunc quoque vt Iudęorum vulgus resisteret manifestis prophetiis miraculisque quæ per Iesum facta leguntur. Quòd autem ita natura comparatum sit, liquet cósiderantibus, quàm peruicaces sint homines in retinendis patriis traditionibus, quibus semel occupati sunt etiamsi sint turpissimæ. itaque non cito persuaderes Ægyptio cótemptum religionis acceptæ à maioribus, ne deum

poret aliquod brutum animal, néve gustum eius carnium D
magis quàm mortem horreat. Sicui verò prolixius hác de Bethlehem prophetiam excussisse videbimur, putamus id factum necessario, dum eis respondemus qui forte dicturi erant: si tam manifestæ fuerunt de Iesu apud Iudæos prophetiæ, quid ita post aduentum eius non assenserunt eius doctrinæ, & transtulerunt se ad commóstratam ab illo viuendi rationem? Nobis verò fidelibus nemo tale quicquã opprobrare queat, cum videat non aspernandos sermones de in Iesum fide prædicari ab eius doctrinæ professoribus. Quod si etiam altera de Iesu manifesta prophetia nobis opus est, proferemus eam quæ multis annis ante seruatoris aduentum à Mose scripta est. vbi refert Iacobum mox Gen. 49.
è vita discessurum prophetasse singulis filiis, & Iudæ prædixisse inter cætera illud: Non deficiet princeps ex Iuda, & dux è femoribus eius, donec veniant quæ reposita sunt ei. Hanc prophetiam quisquis legerit, reuera quidem antiquiorem Mosis seculo, sed vt aliquis infidelium suspicari posset à Mose prolatam, mirabitur quomodo Moses potuerit prædicere reges Iudæorum, cum sint eius gentis tribus duodecim, exorituros è tribu Iudæ, regnaturosque in toto populo, vnde Iudæorum nomen natum est, ab vna tribu penes quam regnum erat, denominata gente vniuersa. Mirabitur item candidus huius prophetiæ lector, quo pacto post prædictum Iudæ tribus regnum, finem quoque eius præstituerit his verbis: non deficiet princeps è Iuda, & E
dux è femoribus eius, donec veniant quæ ei sunt reposita: & ipse est expectatio gentium. Venit enim ei cui repositú erat Christus Dei, princeps promissionum Dei, in quem solum ex omnibus anterioribus seculis, ausim dicere etiam ex posterioribus, competit: vt dicatur expectatio gẽtium, omnium enim gentium homines crediderunt Deo per eú, & in nomine eius spem fixerunt, iuxta oraculum Esaiæ di- Esa. 11.
centis. In nomine ipsius gentes sperabunt. Hic est qui dixit vinctis. quatenus catenis peccatorum suorum quisque astringitur, Exite: & his qui sunt in ignorantia, in lucem venite: quemadmodum & hęc à Prophetis prędicta sunt: Tradidi te in testamentum gentium, vt constituas res terrę, & hæreditas hæreditatem deserti, dicendo vinctis Exite: & his qui in tenebris sunt, prodite in propatulú. Iámque videre est in huius aduentu per simpliciter credentes im- Esa. 49.
pleri vaticinium illud: In omnibus viis pascentur, & in omnibus semitis pascua eorum. Quoniam autem Celsus omnem nostram doctrinam se scite professus obiicit seruatori quòd in sua passione non sit adiutus à patre, nec seipse adiuuare potuerit, addédum & hoc: passionem eius prędictam esse a prophetis, atque etiam passionis causam: nimirum vtilem esse hominibus mortem pro ipsis obitam, & vibices quos vt damnatus perpessus est. Quin & illud prædictum est, agnoscendum eum à gentibus apud quas nunquam fuerunt prophetæ, & in contemptibili F
specie cóuersaturum cum hominibus. Verba oraculi sunt hęc: Ecce intelliget puer meus, exaltabitur, eleuabitur, sublimis erit valde. Sicut obstupescent super te multi, sic inglorius erit inter homines aspectus tuus, & gloria tua Esa. 52.
contemnetur ab hominibus. Sic mirabuntur eum gentes multæ, & reges continebunt os suum, quia quibus non est narratum de eo videbunt, & qui non audierunt intelligent. Domine quis credidit auditui nostro, & brachium domini cui reuelatum est? Annunciauimus sicut puerulus Esa. 53.
coram eo, sicut radix in terra sitiente. Non est species ei neque decor: vidimus eum, nec habuit speciem aut pulchritudinem, sed species eius erat contemptibilis, & inferior omnibus hominibus. Homo cóstitutus in plaga, & sciens ferre languorem. quia vultus eius auersus est & despectus, nec habita est eius vlla ratio. Hic peccata nostra fert, & pro nobis dolores patitur. Nos reputauimus eum esse in dolore, plaga, & afflictione: ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & languidus est propter iniquitates nostras. Disciplina pacis nostrę super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes quasi oues errauimus, homo errauit in via sua: & dñs tradidit eum pro peccatis nostris: & ipse prę afflictione non aperit os suum, in

G humiliatione eius iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? quia sublata est è terra vita eius, propter iniquitates populi mei ductus est in mortem. Memini me olim in quadam cum Iudæorum sapientibus disputatione vsum hac prophetia: quam Iudæus aiebat vaticinari de vno integro populo, disperso & percusso vt multi proselyti fierent occasione dispersionis Iudæorum inter gentes plurimas, atque ita interpretabatur illud, Inhonorata erit apud homines species tua, & illud, Quibus non est annunciatum de eo, videbunt, & illud, Homo in plaga constitutus. In ea disputatione multis verbis coargui, hæc quæ de vna aliqua persona prædicta sunt, non recte illos referre ad integrũ populũ: sciscitabárque ex cuius persona dicatur: hic peccata nostra fert, & pro nobis dolores patitur, & illud, Ipse autẽ vulneratus est propter peccata nostra, & languet propter iniquitates nostras. ex cuius persona itẽ illud: liuore eius sanati sumus. Manifeste enim hi qui dudũ in peccatis fuerant, seruatoris passione sanati hæc dicunt apud prophetam futura videntem: siue sint ex illo populo, siue ex gentibus, Spiritu sancto accommodãte verba personis. Sed maxime visi sumus eos vrgere hoc dicto: propter iniquitates populi mei ductus est in mortem. Si enim iuxta illorum opinionem populus est de quo prophetatur, quomodo propter iniquitates populi dei hic ad mortem ductus est, nisi intelligamus de quopiam alio quam de dei H populo? quis autem is est nisi Iesus Christus? cuius liuore sanati sumus quotquot in eum credimus, qui exspoliauit principatus & potestates dominatas in nobis, palámque traduxit eas in ligno. Cæterum prophetias enarrare nihilque in eis indiscussum relinquere, non huius est temporis. quòd vero his prolixius immoratus sum, necessariò mihi fecisse id videor, propter verba Iudæi quæ apud Celsum habentur. Latuit autem Celsum eiúsque Iudæum & quotquot Iesu non crediderunt, prophetas prædixisse duos aduentus Christi, alterum priorem obnoxium humanis passionibus & humiliorem, vt inter homines degens doceret eos viam ferentem ad deum, neminique viuentium locum excusationis relinqueret, quod nihil audierit de summo iudicio. alterum vero gloriosum, & diuinum tantummodo, nihil admistum habentem humanarum passionum. Longum esset hic prophetias attexere, sufficit in præsentiarum

Psal. 44. illud è Psal. 44. in cuius titulo inter cætera habetur, esse canticum pro dilecto, vbi etiam deum esse illum pronunciatur. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te deus in secula. Accingere gladio tuo super femur tuum, potens specie tua pulchritudinéque tua: & intende & prospere procede & regna, propter veritatem, mãsuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ I tuæ acutæ potentissime, populi subter te cadent in corda inimicorum regis. nunc diligenter aduerte quomodo deus dicatur in sequentibus, inquit enim: Sedes tua deus in seculum seculi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea vnxit te deus deus tuus oleo exultationis præ consortibus tuis. Considera quod deum alloquens propheta, cuius sedes est in seculum seculi, & virga directionis virga regni eius, huoc deum ait vnctum à deo qui sit ipsius deus, vnctum autem præ participibus suis, hic dilexit iustitiam, & habuit iniquitatem odio. His verbis memini me vrgere vehementer Iudæum qui sapiens habebatur apud suos: cúmque non posset se explicare, respondit sicut decebat Iudæum. Aiebat ad vniuersitatis deum dictum esse illud, Sedes tua deus in seculũ seculi, virga directionis virga regni tui. ad Christum vero illud: dilexisti iustitiam, & habuisti odio iniquitatem, propterea vnxit te deus deus, & reliqua. Pergit apud Celsum Iudæus sic seruatorem alloqui: Si dicis quemuis hominem iuxta dei prouidentiam fieri filium dei, qua in re præstantior es cæteris? Respondebo quemlibet qui (vt Paulus loquitur) non amplius sub timore pædagogo degit, sed virtutem propter ipsam eligit, esse dei filium. hic autem longo interuallo post se relinquit omnes qui propter virtutem appellantur filij Dei, vtpote qui sit initium & fons talium. verba Pauli sunt hæc, Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus abba, pater. K Qui sunt autem isti innumeri, à quibus Celsi Iudæus ait Iesum coargui, dũ quisque ad se trahit quæ de illo à prophetis prædicta sunt? Equidem ignoro sciterit ne Celsus aliquos, qui ad æmulationem Iesu voluerint inter homines haberi pro Dei filiis, aut pro Dei potentia. Et quoniam magno veritatis studio singulos locos examinamus, dicimus apud Iudæos fuisse ante Iesu natiuitatem Theudam quendam, qui se magnum quempiam iactaret; quo mortuo qui per eum decepti fuerant dissipati sunt. Post illum in diebus census, quo tempore Iesus natus est, Iudas quidam Galilæus fecit multos è populo ad se deficere, quod videretur vir sapiens, & moliri magnificum aliquid: qui vbi & ipse pœnas luit, doctrina quoque eius è medio sublata est, exceptis paruis reliquiis. Post Iesu quoque tempora Dositheus Samaritha conatus est persuadere suis ciuibus se esse Christum illum à Mose prænunciatum, & visus est inuenisse discipulos. Hic non incongruum fuerit referre quod in Actis Act. 10. apostolorum legitur valde sapienter à Gamaliele dictum, illos quidem fuisse alienos à promissione, nec filios dei nec potentias: cæterum Iesum Christum vere fuisse Dei filiũ. Sic autem ibi loquitur Gamaliel: Si est ex hominibus consilium aut opus hoc, dissoluetur, sicut & illorum dissolutum est post eorum obitum. Sin ex deo est, non poteritis dissoluere hanc doctrinam, ne quando & deo repu- L gnare videamini. Quin & Simon Samaritanus magus per magiam suam quosdam decipere conatus effectu non caruit ad tempus: nunc autem in toto orbe opinor vix triginta Simonianos repertis, ac fortasse ne tot quidem. Sunt enim in Palæstina pauci admodum: in reliquo terrarum orbe nusquam nomen eius est in ea opinione, in qua ipse haberi voluit. nam apud quos nominatur, eis ex Actis Apostolorum innotuit, Christianis hominibus. atque etiam ipsa res declarauit, nihil diuinum in Simone fuisse. Post hæc Celsi Iudæus pro Magis illis euangelicis Chaldæos ait Iesum iactasse pertractos ad suam natiuitatem, vt adorarent etiamnum infantem vt deum: idque indicasse Herodi tetrarchæ. Hunc vero missis satellitibus interfecisse quotquot nati sunt eodem tempore, ratum & eum periturum inter cæteros, nec peruenturum ad ætatem regno idoneam. Vide hic errorem non discernentis magos a Chaldæis, nec professionum earum differentiam, ideóque mentientis contra scripturam euangelicam, nec scio quomodo dissimulans quid magos mouerit, tacuit stellam visam ab eis in oriente sicut scriptum est. Videamus igitur quid etiam ad hæc dicendum sit. Stellam quæ in oriente visa est, nouam fuisse opinamur, nec vlli è notis istis similem, quæ vel in firmamento sunt, vel in orbibus inferioribus: sed eius generis quales cometæ visuntur tem- M poranei, docides, pogoniæ, pithi, aut quomodocunque libet Græcis variis nominibus signare horum differentes figuras. hanc nostram opinionem hoc pacto astruimus. Obseruatum est quoties res magnæ insignésque mutationes fiunt in terris, existere huiusmodi stellas, significantes aut translationes regnorum, aut bella aut quicquid potest apud homines contingere ad commouendas res terrenas validum. Legimus autem in Chæremonis Stoici commentario quem de cometis conscripsit, quomodo interdum etiam res bonas futuras exorti cometæ præsignauerint, idque declarat exemplis petitis ex historiis.

Ergo si ad regnorum nouationes aliósque insignes casus terris stella quæ vocatur crinita exoritur, aliud ue sidus simile, quid mirum id factum in natiuitate renouaturi genus hominum, introducturíque doctrinam Iudęis, Gręcis, & Barbarorum plerísque communem? Equidem dicerem de cometis quidem nullam prophetiam ferri, illo regnante vel illo tempore talis cometa exorietur: de hac vero stella quæ Iesu nascente orta est, prophetasse Balaamum his verbis quæ Moses scriptis suis inseruit: Exorietur Num. 24 stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel. Quod si examinanda sunt quæ de magis & stella in natiuitate Iesu ab eis visa scripta sunt, aliter Græcis loquar, aliter Iudæis,

A Iudæis. Græcis quidem, Magos, qui cum dæmonibus habent commercium, eósque ad artes suas atque operationes inuocare solent, transit per id agere, dum vis quæpiam diuinior ac potentior his qui per incantationes inuocantur interueniat aut nominetur, quod si diuinior illa superueniat, destruuntur operationes dæmonum, non valentium obruere lucem diuinam. Idcirco verisimile est in natiuitate Iesu, quando multitudo militiæ cœlestis (sicut autori Lucæ credimus) laudauit Deum dicens, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas: *Luc. 2.* dæmonas ea de causa debilitatos obtorpuisse, deprehensis eorum præstigiis efficaciáque destructa, non solum aduentantibus ad proxima terræ loca angelis, verum etiam agente id Iesu anima, & ea quæ in ipso est diuinitate, cúmque Magi operarentur solitis incãtationibus, non vulgarem huius casus causam rati scrutabantur: visoque in cœlis prodigio, voluerunt quod per id significabatur videre. Itaque cum haberent, vt opinor, Balami prophetias, quarum & Moses meminit extollens vt huius facultatis peritissimum, inuento illic de stella oraculo, verbísque illis: Ostendam ei & non tunc, beatum facio & non propinquabit: coniectauerunt eum qui cum stella prænuntiatus est hominem in vitam aduenisse: conceptáque opinione de illo, potentiorem esse omnibus dæmoniis ac spectris familiaribus, decreuerunt eum adorare. Venerunt igitur in Iudæam, docti iam natum esse regem quendam, cæte-
B rum ignari cuiusnam regni, aut vbinam natalium eius sit locus: ferentes dona composito (vt sic loquar) ea mortali & Deo, aurum in signum potestatis regiæ, vt morituro myrrham, vt Deo thus, vbi vero cognouerunt locum natiuitatis, obtulerunt hæc ei. Sed quoniam Deus erat is qui potentior angelis homines adiutantibus seruator humani generis venerat, confestim angelus pietati magorum, qui Iesum adorauerant, retulit præmium: oraculoque monuit ne irent ad Herodem, sed per aliam viam reuerterentur in patriam. Insidiatum autem nato Herodem nil mirum, etiam si non credat Celsi Iudæus. Cæca enim est malicia, & conatur fata vincere, ac si ipsa sit potentior: sicut etiam Herodes credidit natum regem Iudæorum, nec tamen assensit: non intelligens aut omnino regem esse, & regnaturum vtique: aut si non regnabit, & necem eius esse superuacaneam, decreuit igitur eum occidere, quod inter se pugnantes sententias haberet propter maliciam, nimirum agitatus à malo cæcóque diabolo, qui mox ab initio struebat insidias seruatori, opinatus eum esse quendã magnum atque fore, itaque angelus oraculo Iosephum monuit, seruans rerum gerendarum consequẽtiam, quantumuis Celso non fiat verisimile, hominem in Aegyptum secessisse vnà cum puero eiúsque matre. At Herodes necauit omnes
C infantulos, quotquot erãt in Bethlehem oppido eiúsque finibus, quasi perditurus simul recens natum regem Iudæorum, non enim videbat potentiam nunquam dormitantem custodem hominum dignorum salute atque tali custodia. Quorum omnium honoratissimus erat Iesus, futurus rex non qualem Herodes putabat, sed qualem decebat esse qui diuinitus regnum acciperet ad beneficentiam exhibendam subditis, eamque non mediocrem & (vt sic loquar) indifferentem quantum ad subiectos, sed quæ legibus vere diuinis erudiret eos & subderet: quod etiam Iesus sciens, negánsque se more vulgato regem, & docens sui regni excellentiam quanta sit, dixit illud: Si meum regnum esset ex hoc mundo, ministri mei decertassent pro me ne Iudæis traderer. nunc autem non est de hoc mundo regnum meum. Hæc si vidisset Celsus: non dixisset: Sin ideo ne adultus eo pulso regnares, cur postquam ad virilem ætatem peruenisti non regnas? sed egregius ille Dei filius parum generose latebras præ metu quæritas, huc illuc in malam rem te subinde conferens. Non est generosum pro tempore cauisse pericula, non mortis metu, sed vt vitæ esset vtilis degendo inter homines, & iuuãdo alios dum tempus opportunum veniat quo mortẽ subiret hominibus vtilem, qui humanam naturam sumpserat: vt liquet intelligenti Iesum esse mortuum pro hominibus, de qua re pro viribus superius diximus. Post hæc quoniam D
ne numerum quidem sciens apostolorum ait Iesum ascitis decem vndecimve famosis hominibus, publicanis nautisque nequissimis, cum his vltra citróque fugitasse corrogantem cibos sordide ac turpiter: age de his quoque tractemus pro nostra virili. Manifestũ est versantibus euangelia, quæ Celsus ne legisse quidem videtur, duodecim apostolos à Iesu electos, publicanum quidem Matthæum, quos vero cõfuse nautas vocat, fortasse Iacobum & Ioannem dicit, *Matt. 9.* quia relicta naue & patre suo Zebedæo secuti sunt Iesum. nam Petrum eiusque fratrem Andream, retibus *Matt. 4.* necessarium victum sibi quærentes, non inter nautas, sed vt scriptura tradit, inter piscatores censere debemus. Sit & Leui publicanus, qui Iesum secutus est, non erat tamen ex apostolorum numero, nisi iuxta quædam exemplaria secundum Marcum Euangelij. reliquorum non legimus quæstum quo prius quàm discipuli fierent victum sibi parabant. Ergo ad hæc respondeo, eos qui prudentes & candide possunt res apostolorum examinare, facile perspicere quòd diuina virtute religionem Christianam docuerint, tantoque successu verbo dei subiecerint homines. non enim eloquentia & disserendi ratio, artésque Græcorum dialecticæ rhetoricæve pollebant in eis ad subigendos auditorum animos. Mihi sanè videtur, si aliquos opinione vulgi sapientes, idoneósque sapere ac loqui ad multitudinis gratiam elegisset Iesus, quorum in do- E
cendo vteretur opera, non euasurum fuisset iustam suspicionem, quasi more philosophorum nouam aliquam sectam suo nomine vellet instituere, nec eius promissionibus credituros fuisse auditores nõ aliter quàm verbo dei, quandoquidem non ipsa doctrinæ vis persuaderet, sed ars dicendi ornata ac concinna elocutio. itaque res habita fuisset pro commento philosophico mundanæ sapientię, non pro diuina potentia. nunc vero quis videns piscatores atque publicanos, ac ne prima quidem literarum rudimenta scientes, vt euangelistæ scribunt de illis, & ipse Celsus hac parte libenter credit de eorum imperitia, confidenter non solum Iudæos alloqui de fide in Iesum, sed & inter reliquas gentes eandem efficaciter prædicare, non quæreret vnde nacti sint tãtam persuadendi vim nõ enim erat vulgaris. Ecquis non dicat, promissum illud: Venite *Matt. 4.* post me & faciã vos piscatores hominũ: impleuisse Iesum in discipulis diuina quadam potentia: quam & Paulus commendans sicut supra diximus, ait: Et sermo meus & *1.Co.2.* prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spiritus atque virtutis: vt fides nostra non sit sita in humana sapientia, sed in virtute dei. nam sicut dictum est per prophetas prænuncian- *Psal. 68.*
tes de prædicatione euangelij: Dominus dedit verbum *Psal. 18.*
euangelizantibus virtute multa, rex virtutum illius dile- F
cti: vt impleretur & alia prophetia dicens: Celeriter currit sermo eius. Videmus sanè in omnem terram exisse vocem apostolorum Iesu, & in fines orbis verba eorum. quapropter virtute implentur qui verbum cum virtute prædicatum audiunt, quam præ se ferunt & affectibus & tota vita, parati vsque ad mortem pro veritate certare. quidam autem inanes permanent, quamuis profiteantur se in deum per Iesum credere, qui se non subiiciunt virtuti dei quamuis videantur trahi verbo eius. Et licet superius adduxerim dictum seruatoris euangelicum, nihilominus & nunc eo possim opportune vti ad commendandam illius de euangelij prædicatione præscientiam indicem diuinitatis & verbi efficaciæ, quod vel absque magistrorum opera vincit sua suadela auditorum animos. is dixit: messis quidem Multa, operarij vero pauci. Rogate igitur dominum Messis, vt extrudat operarios in messem suam. Et quoniam Celsus infames etiam vocat *Matt. 9.* apostolos, publicanos & nautas nequissimos: respondebimus satis apparere, libidine obtrectandi eum scripturis quoties ipsi commodum est credere: cæterum ne aperte prædicatam in iis libris deitatem confiteatur, nolle præbere fidem euangeliis, cum debuisset euangelistarum veracitate perspecta ex diligenti ratio-

G ne temporum, etiam de rebus augustioribus credere
Extat sane in Barnabæ catholica epistola scriptum vnde
fortasse Celsus occasionem arripuit vt apostolos infames
& nequissimos diceret, Iesum ad apostolicam functionem
Luc.5. elegisse homines omni iniquitate iniquiores, quin & in
euangelio secundum Lucam ait ad Iesum Petrus: Discede
à me quia vir peccator sum domine. Sed & Timotheo
1.Tim.1. Paulus, qui & ipse tandem factus est Iesu apostolus, sic
scribit: Fidelis sermo, quia Iesus Christus venit in mundum
vt peccatores saluos faceret, quorũ primus ego sum.
Nescio aut quomodo oblitus sit, aut ne cogitarit quidem
hic Pauli mentionem facere, fundatoris ecclesiarum post
Christum præcipui: nisi fortasse intelligebat simul dicendum
fuisse, quomodo primum persecutus ecclesiam Dei
cum tam amarulenta fidelium exagitatione vt non dubitaret
Iesu discipulos vel morti tradere, pòst in tãtum mutatus
est, vt quantum prouinciarum situm est Hierosolyma
inter & Illyricum oppleuerit Christi euangelio, ambitiose
cauens ne euangelizando super alienum fundamentum
strueret, sed duntaxat vbi non quam antea prædicatum
esset Christi euangelium. Quid igitur absurdi si Iesus
ostendere volens humano generi quantum eius medicina
contra pestes animarum polleat, infames & nequissimos
elegit eósque eò prouexit, vt morum purissimorũ exemplum
fierent amplectentibus ipsius euangelium. Quod si
H par est vt iam mutatis opprobremus vitam pristinam, accusandus
erit & Phædon iam philosophus, quia vt habetur
in historia, è meritoria cella in scholam philosophicam
traduxerat eum Socrates. Sed & Polemoni Xenocratis
in professione philosophiæ successori luxum opprobrabimus
pristinum, cum potius deberemus eius vim &
in illis admirari, quòd tantis viciis occupatos valuerit efficacibus
suasionibus ad bonam mentem traducere. Et
ad Græcos quidem vnus quod sciam Phædon, vnus Polemon,
à luxuriosa & impura vita diuulsi cõplexi sunt philosophiam,
apud Iesum autem non solum illi duodecim
eius ætatis, sed semper & plurimi, qui per resipiscentiam
asciti in numerum temperatorum, sic de sua pristina vita
Tit.3. loquuntur: Eramus enim aliquãdo nos quoque insipientes,
inobedientes, errantes, seruientes concupiscentiis &
voluptatibus variis, in malicia & inuidia degentes, odibiles,
laborantes odiis motuis, postquam autem apparuit
bonitas & humanitas seruatoris nostri Dei per lauacrum
regenerationis & innouationis spiritus, quem effudit in
Psal.107 nos abundãter, tales effecti sumus. Emisit enim Deus verbum
suum, & sanauit eos, & liberauit eos ex corruptionibus
eorum, quemadmodum docet psalmographus. His
adiecerim & illud, Chrysippum in libro cui titulum fecit,
De curatione passionum, conantem curare passiones insitas
animis hominum, priusquam definisset qualenam sit
I veritatis dogma, iuxta varias sectas medicinam adhibere
laborantibus, Sic loquendo: Si voluptas finis sit, in hunc
modum passiones curãdæ sunt: Sin tria genera bonorum,
sic liberandi sunt obnoxij passionibus. At isti accusatores
Christianæ religionis non animaduertũt quot è passionibus
eximantur, quàm multi è vitiorum colluuie, quàm
multorum efferati mores mansuescunt per occasionem
prædicationis: quorum amplectenda erat ad doctrinam
communicandam facilitas nõ sine gratiis pro nouo compendiosoque
multorum vitiorum remedio: ipsaque doctrina
probanda, si non vt vera certe vt humano generi
Matt.10. vtilissima. Quoniam autem Iesus discipulos docens ne essent
temerarij dicebat eis illud. Si persecuti fuerint vos in
hac ciuitate, migrate in aliam: simúlque exemplo suo docebat
eos stabilem vitæ rationem, nec temere se periculis
exponentem, hoc quoque maliciose Celsus calumniatur,
& sic Iesum ex Iudęi persona alloquitur, cum discipulis
vltro citroque cursitas. Huic Iesu discipulorũque calumniosæ
insectationi simile est quod refertur de Aristotele.
Is enim cum intellexisset parari sibi iudiciũ vt impio, propter
quædã dogmata ipsius suspecta impietatis Atheniensibus,
digressus Athenis apud Chalcidem scholam habuit,
sic rationem reddens familiaribus: Discedamus Athenis,
ne præbeamus Atheniensibus secundam occasionem K
sceleris quale prius perpetrauerunt in Socratem, ne ve iterum
per impietatem violent philosophiam. Addit Iesum
cum discipulis vagum turpiter ac sordide cibos corrogare
solitum. Dicat à quibus acceperit de turpi & sordida eius
collectione: nam in euangeliis mulieres quædam, inter
quas & Susanna, sanatæ ab infirmitatibus, præbebant discipulis
victum è suis facultatibus. Quis porro philosophorum
à familiaribus quos excolebat non accipiebat
necessaria? An illos quidem decebat hoc facere, Iesu vero
discipuli idem facientes accusandi sunt à Celso: quasi
turpiter ac sordide cibos colligentes? Post hæc deinceps
apud Celsum Iudæus sic Iesum alloquitur: Quid autem
opus erat te infantem in Ægyptum deportari ne iugulareris?
deum enim non decebat mortem timere. Sed angelus
quidem venit è cœlo iubens te tuósque familiares
fugere ne comprehensi, necaremini: domi vero tuæ te
filium suum seruare non potuit magnus ille deus, qui iam
duos propter te demiserat angelos. Putat hic Celsus nos
existimare non diuinum quiddam inesse in humano corpore
Iesu & anima, sed & corpus eius tale fuisse, qualia
inducuntur in Homeri fabulis. Ludens igitur in sanguinem
Iesu profusum in cruce, dicit non fuisse illum cruorem
qualis diuis solet esse beatis. Nos vero ipsi Iesu credentes,
de deitate quidem quæ inerat ei dicenti: Ego sum Ioan.14.
via, veritas, & vita, & si quid est his simile: de corpore L
vero in quo erat humano sic loquenti: nunc quæritis me
interficere hominem qui veritatem vobis locutus sum,
aimus eum fuisse quiddam compositum: & oportebat
eum qui vellet humano more in vita degere, non intempestiue
se periculo mortis exponere: & cõsequenter oportebat
eum à nutriciis duci dispensatione diuina per angelum
præmonitis primo his verbis: Ioseph fili Dauid ne
timeas assumere Mariam vxorem tuam. nam quod in ea Matt.1.
natum est, ex spiritu sancto est. secundo vero his: Surge,
assume puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, &
esto illic donec dixero tibi. Futurum est enim vt Herodes
quærat puerum ad perdendum eum. In hac scriptura nihil
mihi videtur esse incredibile. nam in alio scripturæ
loco legitur in somnis hæc dicta fuisse Iosepho per angelum.
Id autem plerunque contingit & aliis, vt significetur
eis somnio quid agendum sit, siue angelo, siue quauis alia
specie obseruante animo. Quid igitur absurdum si is qui
semel homo factus est, humano more ducatur ad vitanda
pericula, non quod impossibile sit aliter id fieri, sed quod
oporteat ordine suo dispensari Iesu incolumitatem. Certe
satius erat puerum Iesum cedere Herodis insidiis, & cum
nutriciis in Aegypto peregrinari vsque ad eius obitum,
regísque puerum occidere volentis impetum prudenter
eludere, quàm celebratum illum à poetis Orci galerum
adhibere, similíve modo Iesu consulere, aut missos ad eius M
necem affligere Sodomitico excidio, nam nimia nouitas
auxilij, supráque modum illustris, non conueniebat ei qui
vellet ostendere, se hominem à Deo testimonium habentem
occultare quiddam diuinius sub humana specie, id
quod erat proprie Dei filius, Deus verbum, potentia sapientiáque
Dei, qui vocatur Christus. Non est autem huius
temporis de sic composito, & ex quibus constabat homo
factus Iesus disserere, cum de hoc loco propria quædam
vt sic dicam quæstio habeatur apud fideles. Post hæc
Celsi Iudæus ac si Græcus quispiam esset Græcanicæque
literaturæ studiosus ait priscorum fabulas Perseo, Amphioni,
Aeaco, Minoi diuinam geniturã tribuentes, quanuis
non sint verisimiles, tamen quo probabilius sit figmẽtum,
miranda quædam & prorsus humanam naturam excedentia
de illis memorare. Tu vero, inquit, quid egregiis
aut admirandum dicto factóve nobis edidisti, quamlibet
prouocatus in templo vt manifesto signo declarares te
Dei filium? Ad hoc respondendũ: Imò Græci nobis ostendant
ab illis quos enumerasti profectam vtilitatem aliquam
egregiam profuturam & in posterum humano generi:
aut facinus aliquod eorum tam eximium, vt confirmare
posset opinionem ex fabulis conceptam de diuino
illorum

A illorum semine, Sed nihil inueniet in modum memoratis, quod vel longo interuallo accedat ad ea quæ Iesus patrauit, nisi forte ad fabulas nos relegabunt Græci aut suas historias, postulantes nos illis absque vlla ratione credere, nostris autem rebus vel manifestariis fidem subtrahere. Affirmamus igitur Iesum factum extare apud vniuersi orbis habitati homines, quam late inter gentes incolunt fundatæ per Iesum ecclesiæ Dei, quæ constant ex conuersis ad meliorem mentem a malis innumeris. nomen quoque Iesu lymphatos sanat & dæmonas exigit, morbis etiam præsentaneum adfert auxilium. Infert etiam mitam quandam mansuetudinē morumq́, honestatem, humanitatem, bonitatem, placiditatem omnibus qui non propter vitæ curas humanasvè aliquas necessitates fucatè, sed ex animo amplectūtur prædicationē Dei Christiq́, atque futuri iudicij. Deinceps Celsus non nimium ignarus quanta proferri possint de Iesu magnificis operibus, de quibus pauca ex multis commemorauimus, fingit se concedere vera esse quæcunque de sanationibus, aut resurrectione, aut multitudine paucis panibus nutrita eorúmque reliquiis sunt prodita, deníque quicquid aliud putas discipulos narrare ad exaggerandam miraculorum magnitudinem. ac mox subiicit, age credamus hæc à te gesta: confestimque commune hoc ei facit cum præstigiatoribus non maiora miracula polli-
B centibus, cumque Ægyptiacis circulatoribus, paucis obolis mirificas illas artes venditantibus, & ex hominibus dæmonia profligantibus, morbos exsufflantibus, animas heroum euocantibus, cœnarumq́ue sumptuosarum & eduliorum opiparorum inanem speciem exhibentium, animantiúmque spectra quæ moueri videantur cum non moueantur severè, interrogans; ergo quia hæc illi faciunt, credendum est nobis illos esse Dei filios? an potius dicēdum has esse artes hominum nequam & infœlicium. Vides his verbis eum penè cōcedere esse magiam, cum fortasse is sit qui multis libris scripsit contra magiam: & tamen quia sic ipsi est commodum, magicas operationes confert cum his quæ de Iesu leguntur & essent similia, si ostendisset nihil in eis fuisse præter speciem. nunc verò nullus præstigiator per ea quæ facit ad morum correctionem spectatores inuitat, neque timore Dei perculsos erudiunt ad eius spectacula, neque circulator oculos coronæ pascens suadet ita viuere vt approbetur vita Deo iudici. Nihil horum faciunt præstigiatores, quia non possunt, ac ne volunt quidem negotium habere cum corrigendis hominibus, ut qui ipsi referti sunt turpissimis sceleribus & infamissimis. Is vero qui miraculis suis ad morum correctionem inducebat spectatores eorum quæ bene faciebat, merito credatur seipsum
C exemplum præbuisse vitæ optimæ, non solum germanis suis discipulis, sed cæteris quoque omnibus vt & discipuli instituerentur ad docendos homines quæ sit voluntas Dei, & reliqui non tam verbis magistri quam vita docti & miraculis quomodo oporteat viuere, nihil aliud spectant in factis suis quam quomodo Deo placeant. Quod si talis erat Iesu vita, quis sanæ mentis conferas eum cum præstigiatorum proposito, ac non potius credat iuxta oracula Deum esse conspectum in humano corpore vt in nostrum genus exerceret beneficentiam? Post hæc confundens sermonem, & quæ ab vna quapiam secta dicta sunt in vniuersum omnibus Christianis diuini verbi sectatoribus obiiciens, Non est inquit, dei corpus tale, quale tuum hoc. Nos vero respondemus eum assumpsisse in hac vita corpus humanum è muliere, idque capax mortis humanæ, quapropter aimus eum inter cætera fuisse magnum certatorem propter humanum corpus, tentatum sicut omnes homines per omnia, non item cum peccato vt reliqui homines, sed prorsus absque peccato. Manifeste enim nobis compertum est, quod peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore ipsius: & quod peccatum non cognouerit, & quod eum purum tradiderit Deus pro omnibus peccatoribus. Deinde Celsus sic loquitur, non potest enim esse Dei corpus quod sic satum sit vt tu satus es. Non ignorans tamen quòd siquidem ita vt scribitur natus est, posset esse corpus quoque eius diuinius cæteris, atque etiam in quo-

dam sensu Dei corpus, non credere scripturis de conceptione ipsius è sancto spiritu, malens è pantheræ cum virgine congressu natum credere, quamobrem dicit: Non est Dei corpus sic satum vt tu satus es. Verum de his superius plura diximus. Pergit: nec vescitur Dei corpus cibis qualibus tu; ac si posset ostendere ex euangelicis literis eum vesci solitum, aut cuiusmodi cibis vsus sit. Sed esto dicat eum manducasse Pascha cum discipulis, nec solum protulisse illa verba, Desiderio desideraui hoc pascha edere vobiscum, sed & edisse: addat etiam sitiētem apud puteum Iacob bibisse: quid hoc attinet ad ea quæ dicimus nos de illius corpore? omnino constat eum post resurrectionem piscem edisse. nostra enim opinione corpus assumpsit vt nat⁹ è fœmina. Ac ne voce quidem, inquit, tali Deus vtitur, nec tali suadela. Ergo inania sunt contemptúque dignissima (Celsum nunc alloquor) quæ apud Græcos feruntur de ipsorum Deo Pythio reddente oracula, déque Didymæo vocem edente qualem Pythia, deque prophetide quæ olim apud Miletum fuit. nec tamen ob id Græci criminantur Pythium quasi non vere Deum, sicut nec Didymæum aliúmve similem Græcanicum Deum vni loco inclusum. Quantu melius erat Deum vti voce sic afficiente, eò quòd verbo inesset mirifica quædam & ineffabilis vis ad persuadendum auditoribus? Deinde conuicium Iesu faciens dicit res eius fuisse scelesti deóque inuisi præstigiatoris, ipse inuisus Deo propter impietatem atque scelesta dogmata. Quanquam si iuxta proprietatem examinētur & res & nomina, impossibile est esse hominem inuisum Deo: quia Deus diligit omnia quæ sunt, & nihil odio persequitur eorum quæ fecit. nec enim oderat dum crearet, quod si voces similes interdum apud prophetas inueniuntur, vulgato more propter certas causas loquuntur, quemadmodum verbis humanas affectiones significantibus scriptura solet vti loquens de Deo. Cæterum quid attinet respondere præfato veritatem sermonis ad maledicta conuiciáque, quæ in Iesum iaculatur vt scelestum ac præstigiatorem? Hoc enim non est disputatoris, sed plebeium & indignum philosopho vitium, & furoris indicium: cum deberet rem propositam examinare candide, & quantum fieri potest nihil alienum ab ea dicere. Cæterum quoniam hic Celsi Iudæus Iesum alloqui desinit, nos quoque finem imponemus primo contra ipsum volumini. Deo vero concedente nobis veritatem quæ perdat mendacia iuxta votum propheticum: In veritate tua perdes eos: aggredi- [D, Luc. 22., E in margin]

mur in sequentibus secundam prosopopœiam, in qua introductus ab eo Iudæus vertit sermonem ad fideles persuasos Iesu sermonibus.

LIBER SECVNDVS.

F

POst primum librum quo respondimus Celsi commentaria præferenti Veri sermonis titulum, vsque ad eum locum vbi afficta Iudæi personæ verba desinunt, quia is satis excreuit, hunc secundum componere statuimus respondendo ad crimina quæ idem obiicit iis qui ex Iudæorum populo Iesu crediderunt. Ac primum libet scitari, cur postquam semel decreuit Celsus personas introducere, maluit facere Iudæum suos populares alloquentem, quàm eos qui crediderunt ex gentibus. probabilior enim visa fuisset eius oratio si eam scripsisset ad nostros homines. Sed fortasse iste qui se profitetur nosse omnia, hoc loco non notat quid conueniret prosopopœiis. Considerandum igitur quid dicat ad fideles conuersos ex iudaismo, Ait eos illectos & deceptos valde ridendo modo à Iesu, relictis patriis institutis ac legibus, transfugisse in nomen aliud, rationémque viuendi longe diuersam: ne hoc quidem intellecto, quòd Iudæi qui in Iesum crediderunt non desciuerunt à patriis legibus: viuunt enim iuxta eas paupertati suæ legis cognomines. Nam ebion pauper

G Iudaica lingua vocatur, & ebionei dicuntur à cæteris Iudæis qui Iesum pro Christo receperunt. Quin & Petrus videtur longo tempore iuxta Mosis legem obseruasse ritus Iudaicos, vt qui nondum ex Iesu didicerat à literali lege ad spiritualem ascēdere, id quod ex actis apostolorum cognouimus. Nam postridie quàm Cornelius viderat angelum, monentem vt mitteret Ioppen ad Simonem cognomine Petrum, ascendit Petrus in cœnaculum ad prædicandum circa horam sextam, & cum esuriret, voluit gustare cibum, parantibus autem illis irruit super eum mentis excessus, & videt cœlum apertum, ac descendens ad se vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis alligatum, summitti è cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia terræ, bestiæque & reptilia & volatilia cœli, & facta est vox ad eum. Surge Petre, macta & vescere. *Act. 10.* Ait autem Petrus: nequaquam domine, quia nunquam edi quicquam commune & immundum. Et vox iterum ad eum: Quæ Deus purificauit tu communia ne dixeris. Aduerte quomodo hic probet ritus Iudaicos Petrus, adhuc obseruans discrimen purorum & impurorum: atque etiam ex sequētibus apparet visione opus ei fuisse vt communicaret sermonem fidei cum Cornelio, homine alieno à cognatione Israelitarū, cúmque familiaribus eius: quod ipse Iudæus & iuxta Iudæorum traditiones viuens contemneret degentes extra Iudaismum. In epistola quoque H ad Galatas Paulus ostendit Petrum metu Iudæorum subduxisse se à conuiuio gētium. *Gal. 2.* Cum enim venissent ad eum quidam à Iacobo, secessit à gentibus circumcisos veritus, idemque fecerunt Iudæi reliqui & Barnabas, vnde consequens erat non deficere à Iudaicis ritibus eos qui ad circumcisos missi sunt, quando qui videbātur esse columnæ, dextras societatis dederunt Paulo & Barnabæ, ipsi ad circumcisos abeuntes, vt illi prædicarent gentibus, & quid dico prædicatores circumcisorum subduxisse se ac separasse à gentibus, quādo ipse Paulus Iudæis Iudæus factus est, vt Iudæos lucraretur? quapropter sicut in Actis apostolorum scriptum est, oblationem etiam obtulit ad altare, vt Iudæis persuaderet se non esse legis desertorem. Hæc omnia si sciuisset Celsus, non introduxisset Iudæi personam sic alloquentem cōuersu ad fidē ex Iudaismo. Quid vobis accidit ciues, vt deserta patria lege, ab isto quē modo alloquebamur illecti valde ridicule decepti sitis, & à nobis transfugeretis in aliud nomen vitámque aliā. Quoniam vero semel facta est Petri mentio, eorúmque qui apud circumcisos prædicauerūt doctrinam Christianam, libet hoc loco apponere dictum quoddam Iesu, ex euangelio secundum Ioannem, simúlque id enarrare. *Ioan. 16.* Adhuc, inquit, multa habeo vobis dicere, sed non potestis modo I ea portare, cum autem venerit ille spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur. Hic quærimus quænam sint illa multa quæ Iesus habebat dicenda discipulis, sed ea ferre tunc non poterant. Equidem dicetim: fortassis vt Iudæis, & educatis in Mosaicæ legis litera apostolis, habebat quidem dicendum quæ sit vera lex, quarumve cœlestium rerum vmbra & signis constet cultus Iudaicus, quorúmve bonorum futurorum vmbras contineret lex de cibis & potibus, de festis, nouiluniis, sabbatis. Huiusmodi multa erant quæ habebat eis dicere, sed videns perdifficile esse ex animo reuellere penè connata & vsque ad grandem ætatem coalita dogmata, adeóque pro diuinis habita, vt amouere illa videretur impiū: deinde quo magis persuadeatur Christi veritas, huius comparatione illa esse stercora detrimentáque ostendere: distulit hanc doctrinam in tempus opportunius post passionem ac resurrectionem suā, etenim reuera intempestiuum erat adhibere eis remedium cuius nondum capaces erant, quódque poterat receptæ existimationi Iesu officere, quòd esset Christus ille Dei viuentis filius. Et aduerte an non probabiliter sic intelligendū sit illud: adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis ferre hoc tēpore, multæ sunt enim legis spirituales interpretationes & declarationes, nec vllo modo eas potuissēt portare discipuli eo tēpore, vt nati educatique inter Iudæos. Opinor autem, quoniam cum K illa figuræ essent, veritas vero quæ docendi erant à sancto spiritu, ideo dictum sit: postquam venerit ille spiritus veritatis deducet vos in omnem veritatem: ac si diceret, in omnem veritatem earum rerum, in quarum figuris versantes, putabatis vos, vero cultu Deum colere. Et iuxta promissionem Iesu venit spiritus veritatis in Petrum, dicens ad eum de quadrupedibus & reptilibus terræ, volatilibúsque cœli, Surge Petre, macta & manduca, & venit ad eum etiā tum superstitione laborantem, ait enim etiam post auditam diuinam vocem. Nequaquam domine, quia nunquam comedi quicquam commune & immundum, ac tum demum doctus est veram doctrinam de cibus spiritualibus, auditis illis verbis: Quod Deus purificauit tu caue commune dixeris, & post illam visionē spiritus veritatis deducens Petrum in omnem veritatem multa ei dicebat quæ non valuerat portare tantisper dum in carne conuersaretur cum Iesu. *Act. 10.* Verum de his disserēdi aliud tempus erit, quæ ad præscripta Mosaicæ legis pertinent: nunc propositum est imperitiam Celsi coarguere, apud quem Iudæus populares suos Israelitas in Iesum credentes percontatur, qui factum sit vt legem patriam desererent, & reliqua. Atqui quomodo patriam legem deseruerunt, qui non auscultanter ei obiurgant his verbis: Dicite mihi vos qui legem legitis, cur eam non auditis? Scriptum est enim, Abraham duos filios habuit, & cætera. Quomodo deser- L tores patriæ legis sunt, qui nunquam non eam in ore habent, dicúntque: *Gal. 4.* An non & lex hæc docet? Nam in Mosis lege scriptum est, non obturabis bouem triturātem, num boues curæ sunt Deo, an propter nos vtique hoc dictum est? Propter nos enim hæc scripta sunt: & cætera. Quàm vero confuse hæc Celsi Iudæus loquitur, cum posset multo verisimilius dicere: quidam vestrum reliquerunt pristinos ritus prætextu interpretationum & allegoriarū: quidam enarrantes eos vt aitis spiritualiter, nihilo minus obseruatis vt traditos à maioribus, quidam absque interpretatione mauultis & Iesum vt à prophetis prædictum recipere, & Mosis legem obseruare more maiorum, quando in verbis eius cōtineatur omnis spiritualis sensus. Sed qui possit hæc Celsus dilucide distinguere, qui procedēte sermone hæreseum etiam impiarum meminit, & aliorum qui defecerunt à mundi opifice: nec nouit etiam fideles Israelitas non deseruisse legem patriam? non enim ei propositum fuit diligenter veritatem toto hoc loco examinare, vt si quid vtile inueniret reciperet: sed vt inimicus totúsque intentus ad subuertendum quicquid audierit, conscripsit talia. Pergit Iudæus eosdem alloquens: heri, inquit, & nudiustertius quando supplicium sumpsimus de isto vos vt brutas pecudes ductante, defecistis à lege patria: cum tamen nihil horum exacte tenēt quæ loquan- M tur, vt demonstratum est. Post hæc iam vehementior vt mihi videtur: qua fronte, inquit, à nostris sacris incipitis, in progressu vero ipsa contemnitis? cum non habeatis alia vestra opinionis initia quàm legem nostram, nam reuera introductio est ad Christianismum sacra Mosis literæque propheticæ: & post eam introductionem in harum expositione declarationéque cōsistit profectus quærētium reuelationē mysterij ab æterno taciti, quę reperitur in prophetarum vocibus & aduentu Iesu Christi nostri domini, sed non sicut obiicitur, in progressu cōtemnunt legis scripturam, imò maiorē honorē addunt ei, ostēdentes quàm profunda sapientia lateat in eis literis, nunquam à Iudęis introspecta in superficie tantum hęrētibus perinde atque in fabulis. Quid autem absurdū est legem esse initiū nostri dogmatis id est euangelij, cum ipse Iesus dominus noster dicat ad nolentes sibi credere: Si crederetis Mosi, mihi crederetis, nā de me ille scripsit. Quod si literis illius non creditis, quomodo meis verbis credetis? *Ioan. 5.* Sed & vnus euāgelistarum Marcus inquit: *Mar. 1.* Initiū euangelij Iesu Christi, sicut scriptum est in Esaia propheta: ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam ante te, ostendens initiū euangelij pendere à scriptis Iudaicis. Quid igitur contra nos affert Celsi Iudæus dicens: siue

enim

A eium prænunciauit aliquis vobis Dei filium in cœlos venturum, noster hic erat propheta nostrique Dei. aut quale Christianismi crimen est, quòd Ioannes qui Iesum baptizauit Iudæus erat. non enim quia Iudæus erat, statim inde colligitur oportere omnem qui credit, siue a gentibus ad verbum accedit siue à Iudæis, iuxta literam Mosis legem seruare. Posthæc quamuis eadem blateret Celsus de Iesu, iterum repetens pro malefactis eum Iudæis dedisse supplicium, nos tamen responsionem non iterabimus, contenti his quæ iam ante diximus. Deinde quoniam vt nugas resurrectionem mortuorum, iudicium Dei, præmia iustorum, ignem iniustorum paruifacit ipsius Iudæus, & nihil hic noui Christianos docere dicens, putat se hoc pacto Christianismum subuertere: respondendum quod Iesus noster videns Iudæos nihil facere dignum doctrina prophetica, significauit per parabolam fore vt regnum Dei tollatur ab eis, & tradatur his qui credituri essent ea gentibus. quamobrem videre licet nunc omnia quæ apud Iudæos sunt deliramenta esse & fabulas. non habent enim lumen illud quo pernoscuntur scripturæ sacræ: econtra Christianorũ doctrinã habere veritatem quæ possit erigere attolleréque mentem & animam hominis, & constituere ciuitatis formam quandam non qualis Iudæorum est humilem & terrenam, sed cœlestem, vt intelligãt qui magnitudinem ac sublimitatem sensuum propheticorum & in lege contentorum, percipiunt, & aliis quoque indicare

(Luc. 2.)

B possint. Sed concedamus omnes Iudaicos ritus Iesum obseruasse vsque ad sacrificia, qui hoc confert ad non credendum hunc esse dei filium? est ergo Iesus filius Dei, eius qui legem dedit & prophetas, quam legem non transgredimur nos qui censemur ecclesiæ nomine: sed omissis Iudæorum fabulositatibus erudimur & instituimur prophetarum intelligentia mystica. Namque prophetæ, vt qui non consistant intra patentem sensum historicum, nec intra verba legis & literam, alibi sic loquuntur, nimirum historias narraturi: Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio: alibi legis vt obscuræ & quæ sine diuino auxilio nequeat intelligi, sensum sibi aperiri precãtur dicentes: Reuela oculos meos, vt intelligam mirabilia tua ex lege tua. Proferant vero vbi vel in speciem arroganter dictum à Iesu aliquid inuenerit. Quomodo enim arrogãs haberi potest qui sic loquitur: Discedite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris: aut quomodo arrogans est, qui post cœnam coram discipulis veste deposita, accinctus linteo, & aqua peluim indita, lauat pedes singulis, & eos præbere nolentem obiurgat: Nisi lauero te, non habes partem mecum. aut quomodo arrogans qui dicit: Ego autem inter vos non fui sicut recumbens, sed sicut ministrans, arguat eum num

(Matt. 11.) (Ioan. 13.)

C quem fefellerit, & producat eius magnum paruúmve mendacium, vt ostendat mendacem Iesum: quamuis & alioqui argui potest, non mendacium maius mendacio minúsve, sicut nec veritas veritate maior est minórve. Quæ vero sunt illæ Iesu impietates? proferat præsertim Iudæus à Celso introductus? nisi forte impium est desistere à corporali circoncisione, & sabbatis nouilunius, cæterisque festorum corporalium obseruationibus, & purarum impurarúmque rerum discrimine, ab hísque transferre animum ad veram dei legem spiritualem & dignam Deo, simúlque in ministerio Christi scire Iudæis Iudæum fieri, vt acquirantur & Iudæi, & subditis, legi quasi legi subditum, vt acquirantur subditi legi. Addit potuisse alios quoque multos tales videri qualis Iesus, duntaxat his qui volunt decipi. Det igitur non multos, sed paucos, imò vel vnum, iste Celsi Iudæus, talem qualis erat Iesus, qui cum tanta virtute doctrinam & decreta vitæ vtilia inuexerit in humanum genus, atque id à colluuie viciorum ad meliorem frugem conuerterit. Preterea dicit hoc Christi fideles Iudæis obiicere, quòd non credant Dei filio: qua de re iam superius respondimus, simúlque ostendimus, quomodo eum deum opinemur, & quatenus existimemus hominem. Addit: Et quomodo nos qui omnibus hominibus indicauimus venturum à Deo quendam

D exactorem pœnarum ab iniustis, ignominiose tractauimus eum postquam aduenit? ad tam stultam interrogationem respondere non videtur operæpretium: non magis quam si quis ita rogaret: nos qui docuimus temperantiam, qui fieri potest vt aliquid intemperanter egerimus? aut qui iusticiæ patrocinati sumus, quomodo iniuste egimus? Sicut enim ista inueniuntur in hominibus: ita humanum est eos qui se aiunt credere prophetis aduentum Christi prænunciantibus, iam præsenti & prophetiarum fidem exoluenti non credere. Quod si addenda est alia quoque causa, dicemus hunc ipsum a prophetis prædictum. Esaias certe manifeste dicit: Auribus audietis, nec intelligetis: & oculis aspicietis, nec enim cernetis. Incrassatum est enim cor populi huius &c. Dicant nobis quid intuentibus Iudæis quidve audientibus prophetatum est non esse intellecturos quæ dicuntur, nec quæ videntur sic visuros vt oportet. Sed manifeste constant videntes Iesum nõ vidisse quisnam esset, audientésque illum non intellexisse ex eius dictis diuinitatem quæ in ipso inerat, transferentem suam prouidentiam à Iudæis ad conuersos ad fidem ea gẽtibus. Itaque videre licet post Iesu aduentum Iudæos derelictos omnino, nihilque retinentes rerum apud ipsos olim venerabilium, nec vllum diuinæ præsentiæ vestigiũ. nusquam enim apud eos iam prophetæ sunt, nusquam miracula, quorum saltem reliquiæ tanto tempore apud Christianos durant, & quædam non exiguæ. fideles enim sumus qui dicere solemus. Vidimus & nos. Celsi vero Iudæos dicit. Cur

(Esa. 6.)

E contempsimus quem venturum tanto ante prædiximus? an vt maiores pœnas demus quàm alij? Ad hoc quoque licet respondere, profecto maiorem quàm alij pœnam Iudæos ipsi daturos tam infidelitatis quam illatæ iniuriæ, vbi ventum fuerit ad iudicium illud quod credimus, atque etiam iam nunc dare. Quæ enim gens in exilium acta est è veteri sua patria procul solo proprio patriáque religione, preter Iudæos? id autem passi sunt vt omniũ deterrimi, non ob aliud, quamuis in multis peccauerint, quàm ob ea quæ in Iesum ausi sunt. Pergit Iudæus: Quomodo autem existimare poteramus deum, qui cum in aliis rebus nihil præstabat eorum quæ pollicebatur, tum postremo damnatus à nobis cum ad pœnam requireretur latitans ac fugitãs turpissime captus est, proditus ab ipsis quos vocabat discipulos. atqui deo, inquit, non conueniebat vel fugere vel captum abduci: minus etiam à familiaribus suis & omnium conscius discipulisque pro seruatore habitum & Dei filio nunciòque prodi tamen & deseri. Ad hæc respõdemus, ne nos quidem credere, corpus illud Iesu quod tunc videbatur & tangebatur, esse deum. & quid dico corpus? imò ne animam quidem de qua dictum est illud: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Sed quemad-

F modum iuxta Iudæorum literas is qui dicit: Ego dominus Deus omnis carnis: & illud, Ante me non fuit alius Deus, nec erit post me: creditur pro instrumento vsus prophetæ anima & corpore: & secundum Græcos qui dicit, Noui ego mensuram pelagi numerúmque arenæ, & surdum intelligo & mutum audio, Deus putatur dum auditur loqui per pythiam: ita secundum nos verbum Deus & Dei rerum vniuersarum filius dicebat in Iesu: ego sum via, veritas, & vita: Et illud: Ego sum ianua: & illud: Ego sum panis viuus qui è cœlo descendi: & siquid aliud his simile. Merito igitur Iudæos accusamus qui hunc non credant deum, cui tot locis prophetæ testantur, quòd sit magna virtus Dei, ipsius quoque rerum vniuersarum Dei atque parentis testimonio. Huic enim affirmamus apud Mosen vbi mundi creatio describitur, patrem iubendo dixisse illud, Fiat lux: &, Fiat firmamentum & reliqua quæcunque iussit Deus fieri. Huic etiam dixisse illud: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: verbum autem Dei sicut iussum est fecisse quæcunque parte mandauit, nec nostra est hec coniectura, sed Iudæorum prophetiis id credimus, in quibus dicitur de Deo illiúsque creaturis ad verbum sic: ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Psalmo xxxij.
Si enim mandauit Deus & conditæ sunt creaturæ, quis

(Matt. 26.) (Esa. 43.) (Gen. 1.)

G iuxta sententiam prophetici spiritus posset esse tanti pa-
Psal. 32. terni mandati executor, quam ille vt sic loquar, animatus
eius sermo & veritas? Quod vero eum qui in Iesu locutus
est illud, ego sum via, veritas & vita, ne euangelia quidem
sic circumscribant corpore, vt nusquam esset extra Iesu
corpus & animam, liquet ex multis locis, quorum aliquot
paucos libet hic apponere. Baptista Ioannes prophetans
Ioan. 1. tamiam affore Dei filium, non in illo corpore animáque,
sed præsentem vbique, dicit de eo, In medio vestrum stat
quem vos nescitis, qui post me venturus est. Siquidem in-
tellexisset illic tantummodo esse Dei filium, vbi corpus
eius cerneretur, quomodo dixisset illud: in medio vestrum
stat quem vos nescitis? Ipse quoque Iesus attollens men-
tem discipulorum ad sublimius sentiendum de Dei filio,
loquit: Vbicunque duo aut tres fuerint in nomine meo
Matt. 18. congregati, ibi in medio eorum sum. Talis etiam est illa
eius promissio dicentis ad discipulos, Ecce ego vobiscum
sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.
Hæc autem non eo nobis dicta sunt quòd separemus a Ie-
su filium Dei, vnita est enim post dispensationem anima
Iesu corpusque cum verbo Dei, nam si iuxta Pauli doctri-
1. Cor. 6. nam dicentis, qui cohæret domino, vnus est spiritus, quis-
quis intelligit quid sit cohærere, eique cohæreret vnus fit
cum eo spiritus, quomodo non multo diuinius & præstan-
tius vnum est id, quod cum Dei verbo est compositum:
H Hic apud Iudæos declarauit se esse Dei potentiam per ea
miracula quæ Celsus suspicatur præstigias: Iudæi vero in
Beelzebub nescio vnde si noto dæmonum principe puta-
bant eum eiicere dæmonia: Quos absurdissime loqui ser-
uator ipse coarguit, eo quòd nondum finem haberet re-
gnum maliciæ, vt liquebit scripturam euangelicam pru-
denter legentibus, quam non est tempestiuum nunc ad-
ducere. Quid porro pollicitus est Iesus quod non præsti-
terit, producat Celsus & ostendam. Sed nullo modo po-
terit, quamuis se putet vel ex male intellectis narrationi-
bus, vel ex lectione euangelica, vel ex Fabulis Iudaicis af-
ferre quæ dicit contra Iesum & contra nos. Et quia rur-
sum Iudæus ait voluisse suos in conuictum & damnatum
animaduertere, ostendat quomodo eum conuicerint qui
quærebãt subornare falsa testimonia: nisi forte valde con-
uictus est Iesus illis accusatorum verbis. Hic dixit: possum
Matt. 26. destruere templum Dei, & in triduo reparare illud, quod
ipse dixerat de templo sui corporis: illi vero, vt qui ne-
sciebant mentem loquentis intelligere, putabant eum di-
cere de templo lapideo quod Iudæi venerabantur plus sa-
tis, contempto interim vero templo Dei verbi, veritatis &
sapientiæ. Dicat etiam qui potest, quomodo turpiter lati-
tans Iesus effugium quæsierit: ostendat quæ opprobari
possit turpitudinem. Quia vero dicit captum esse, possum
dicere si capi nolentis est, non esse captum Iesum. Nam
I opportuno tempore in potestatem hominum se venire
passus est vt agnus Dei, quo peccatum mundi tolleret.
Sciens igitur omnia quæ ventura erant super se, processit,
ac dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Na-
zarenum. Dicit eis Iesus, Ego sum. Stabat autem & Iudas
qui prodebat eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum:
abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo
Ioan. 18. interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem iterum dixe-
runt: Iesum Nazarenum. Respõdit Iesus: Dixi vobis quod
ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire. Quin & ad
eum qui volebat opem ei ferre, seruum pontificis percus-
sum mulctauerat auricula, dixit: Conuerte gladium tuum
in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium, gla-
dio peribunt. An putas quòd non possum nunc rogare
patrẽ meum, & exhibebit mihi plus quam duodecim le-
giones angelorum? Quomodo igitur implebũtur scriptu-
ræ, quòd sic oportet fieri? Quod si quis putat euangelistas
hic fingere, quin potius figmẽta sunt quę ab inimicis con-
tra Christianos dicuntur ex odio: & vera quę coniunctis-
simi Iesu prodiderũt scripto, sic erga verbum eius affecti,
vt parati essent illius causa quiduis perpeti? Tantam enim
patientiam & constantiam vsque ad mortem prę se ferre,
non est discipulorum de pręceptore suo quę nunquam
facta sint pro libito fingẽtium: & manifestum argumen- K
tum est candidis lectoribus scisse illos quid scriberent, qui
omnes aduersitates tanta tolerantia propter Dei filium in
quem crediderunt sustinuerint. At Celsi Iudęus proditum
quidem ab iis quos appellabat discipulos didicit ex euan-
geliis, vnum Iudam multos dicens discipulos, vt videatur
exaggerare accusationem: vt verò omnia quę de Iuda scri-
buntur sciret, curiosus non fuit: Iudam distractum contra-
riis de suo pręceptore iudiciis, nec ex toto animo infen-
sum ei fuisse, nec ex toto animo debitam magistro seruas-
se reuerentiam. Nam si quis tradebat eum, signum dedit Matt. 26.
turbæ venienti ad comprehendendum Iesum: quemcun-
que osculatus fuero, ipse est, tenete eum: retinens non ni-
hil reuerentię pristinę: alioqui vel libere ac sine simulatio-
ne osculi tradidisset eum. Illud certe cuiuis persuadere po-
terit de Iudæ proposito, eum habuisse vnà cum auaritia
prodendique domini mala voluntate admixtam in anima
innatę ex Iesu verbis quãdam vt ita loquar bonitatis spe-
ciẽ, quòd ita scriptũ est: Iudas proditor videns eũ damna- Matt. 27.
tum, pœnitentia ductus restituit illos triginta argenteos
pontificibus & senioribus dicens: peccaui tradẽs sangui-
nem iustum. Illi vero dixerunt, Quid ad nos? tu videris, &
proiectis argẽteis in templum, secessit: digressúsque in-
de suspẽdit se. Quod si auarus ille Iudas, furari solitus quæ
pauperibus distribuenda in crumenam mittebantur, pœ-
nitentia tactus restituit triginta argenteos pontificibus & L
senioribus. satis apparet Iesu disciplinam efficacem in eo
fuisse ad mouendam pœnitentiam, quæ non omnino con-
tempta & proculcata proditori fuerat, sed & ipsa verba,
peccaui tradens sanguinem iustum, peccatum confitentis
erant. Et vide quàm flagrans ac vehemens pœnitẽtiæ do-
lor eum corripuerit, vt nec viuere sustineret amplius, sed
in templum proiecta pecunia digressus inde sese præfoca-
ret ipse sui condemnator & carnifex, ostendens quantum
potuerit Iesu doctrina etiam in peccatore, fure, prodito-
re, non valente in totum contemnere quæ à Iesu didice-
rat: nisi forte hæc quæ indicare videntur Iudam nõ omni-
no desciuisse vel post facinorosam audaciam, figmenta di-
cet Celsus, id solum verũ esse, proditorẽ eius fuisse vnum
è discipulis, addéntque ad scripturam, etiã ex toto animo
perpetratum proditionem: id quod perabsurdum fuerit,
eiusdẽ commentarij lectioni prout odium dictauerit vel
credere vel non credere. Quod si etiam à Iuda sumendum
est nobis aliquid quod pudorem aduersariis incutiat, dice-
mus in libro Psalmorum integrum centesimum octauum
Psalmum continere de Iuda prophetiam, qui sic incipit,
Deus laudem meam ne taceas, quoniam os peccatoris &
os dolosi apertum est contra me. Ibi prophetatur & illud,
quod Iuda suapte culpa motus ex apostolorum ordine, in M
locum eius alter surrogatus est: quod indicatur his verbis:
& Episcopatũ eius accipiat alius. Sed fac eum proditũ ab
aliquo discipulo, qui Iuda peior omnem Iesu doctrinam
proiecerit è pectore, quid hoc ad accusationem Iesu aut
Christianismi attinet: quomodo religionis nostræ falsita-
tem arguit? quare vero sequuntur iam antè refellimus,
quòd non fugiens captus sit Iesus, sed vltro seipsum pro
nobis omnibus tradiderit, vt consequenter etiam vinctus
sit, docens nos ne inuiti pro pietate subeamus talia. Ista
quoque mihi videntur puerilia quæ mox subdit, quòd
nunquam bonus imperator & dux multorum militum est
proditus: imò ne latronum quidem princeps vir malus &
peioribus præfectus, qui modo videretur suis vtilis. Hunc
vero nec imperatoris boni more præfuisse, nec saltẽ qua-
lis à latronibus exhibeatur suo principi, à deceptis disci-
pulis impetrasse beneuolentiam, si sic eam licet appellare.
Multos enim imperatores inuenire licet in historiis à suis
copiis proditos, & latronũ principes captos à sociis pro-
pter parum seruatas conditiones. Sed fac nunquam quen-
quam à suis proditum vel imperatorem vel latronũ prin-
cipem, quid hoc facit ad negotium Iesu ab vno discipulo-
rum suorum proditi? Quoniã autem pro philosopho vult
haberi Celsus interrogemus eum, num Platonis erat cri-
mẽ, quòd vigesimo anno pòst quàm eum audire cœperat
Aristo

A Aristoteles à præceptore desciscēs accusauit ipsi⁹ doctrinā de immortalitate animæ, & ideas Platonis argutariones nominarit? Possemus & amplius dubitando quærere: Ergo Plato nihil amplius valebat in dialectica, nec idoneus erat tradendis suis cogitationibus, ex quo desertus est ab Aristotele, & proinde falsa sunt Platonis dogmata? an forte possibile est, quod facile Platonici concesserint, Aristotelem erga magistrum suum fuisse ingratum & improbū? Sed & Chrysippus sæpe in suis scriptis Cleanthem taxare videtur, nouans quædam præter acceptam ab illo doctrinam inter rudimenta adolescentiæ. quanquam Aristoteles per viginti continuos annos dicitur frequētasse Platonicam, nec parum temporis Chrysippus quoque contriuisse cum Cleanthis discipulis. Iudas vero apud Iesum ne tres quidem integros annos versatus est. Porro in commentariis de vitis philosophorum multa inueniri possunt talia, qualia Celsus Iesu nostro propter Iudam abiicit. Cæterum Pythagorei cenotaphia extruebāt iis qui defecissent à philosophia, reflexo cursu ad vitam idioticam, nec ideo deterior habitus est Pythagoras in doctrina & demonstrationibus, aut eius discipuli. Post hæc sic pergit Celsi Iudæus: cum multa possim de Iesu rebus dicere vera, nec scriptis discipulorum eius similia, prudens illa prætereo.

Quænam igitur sunt illa vera, scriptis euangelicis dissimi-
B lia, quæ Iudæus iste præterit? an forte rhetorico vsus colore, fingit se habere quod dicat, nec habet tamen quicquam præter euangelia, quod vt verum queat auditorem percellere, nec omnino quicquam quod manifeste criminari possit Iesum eiúsque doctrinam? Accusat deinde discipulos, quasi finxerint præscisse illum & prædixisse omnia quæcunque sibi acciderunt. Imò hoc quoque verum esse vel inuito Celso ostendemus ex multis quæ prophetice à seruatore dicta sunt, in quibus prædixit Christianis euentura posterioribus seculis. & quis non miretur illud quod
Matt.10. prædixit: Ante reges & præsides ducemini propter me in testimonium illis & gentibus: & si quid aliud de futuris discipulorum persecutionibus vaticinatus est. Ob quod enim dogma inter homines exortum puniuntur etiam alij, vt aliquis ex Iesu obtrectatoribus dicat, videntem eum impia falsáque accusari dogmata, ex huiusmodi quoque prædictionibus aucupatum opinionem magnificam. nam si propter dogmatum impietatem ducendi erant aliqui ante reges & principes, nullos prius quàm Epicureos duci oportebat tollentes in totum prouidentiam: aut peripateticos, qui negant quicquam prodesse preces ad Deum fusas vel sacrificia. Sed dicet aliquis etiam Samaritas persecutionem pati propter suam religionem. Et respondebimus: sicarios propter circuncisionem occidi, quòd seipsus
C mutilent, contra præscripta legum quæ solis Iudæis id permittunt: nec vnquam auditum quòd Iudex sicario suę religionis reo fecerit optionem malítne multa religione absolui, an occidi perstans in ea: sed satis est ad eius supplicium ostensa circumcisio. Christianis vero solis instat illam seruatoris prædictionem: Ante præsides & reges du-
Matt.10. cemini propter me: quamdiu spirant à iudicibus permittitur eiurare christianismum, & more aliorum sacrificare, atque ita securos domi viuere. Ac vide an non pro potestate dicatur illud: Quicunque confessus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est: & quicunque negauerit me corā hominibus, negabo & ego eum coram patre meo: & ascende mente ad Iesum prædicētem hæc priusquam fierent: nisi forte dicturus es nolens credere: nugatur & nihil agit: non enim erunt hęc: aut dubitans de prædictionis fide dices non prius te crediturum quàm euentus eam approbet: quo facto tum demum assensurum te quòd accepta à patre potestate missus sit ad seminandum verbum hominibus, certus fore vt id vincat impedimenta omnia. Quis item non mirabitur ascendens contemplatione ad illud vaticinium: Prędicabitur euangelium hoc in vniuerso mundo, in testimonium ipsis & gentibus: cum videat iuxta illam prędictionem iam prędicatum in omnibus quæ sub cœlo sunt
Matt.28. terris Gręcorum barbarorúmque tum sapientibus tum

insipientibus. omnem enim humanam naturam vicit ser- D
mo prædicatus cum potentia, nec est videre vllum genus hominum à quo hæc doctrina recepta non sit. iste vero incredulus Celsi Iudæus, qui vanum putat quod proditum est de Iesu præscientia, consideret quemadmodum etiam tum stante Hierosolyma, & incolumibus in ea cæremoniis iudaicis, prædixerit Iesus quomodo à Romanis tractanda sit. non enim dicent, quòd familiares Iesu auditores absque literis docuerint euangelium, & discipulos reliquerint nullis instructos commentariis. Scriptum est enim in euangelio: cum autem videbitis obsessam ab exercitu Hierusalem, tunc scitote in proximo esse desolationem eius. certe cum hæc scriberentur, nulli exercitus obsidebant Hierusalem, nec circumuallatam oppugnabant. Hoc enim fieri cœptum est sub Neronis imperio, durauitque vsque ad Vespasiani tempora: cuius filius Titus solo æquauit Hierusalem, vt Iosepho videtur propter Iacobum Iustum qui vocabatur frater Iesu Christi, vt vero res ipsa clamat, propter Iesum Christum Dei filium. Et tamē poterat Celsus non negando eius præscientiam contemptum simulare, sicut prius virtutem eius extenuare conatus est magicis præstigiis eam tribuens: poterátque dicere multos per diuinandi, auspicandi, aruspicinę, astrorumque scienti-
as cognouisse quid sibi euenturum esset: sed maluit hoc vt E
præstantius in totum negare, quòd vero ad miracula patrata attinet, calumniari vt fucata præstigiis. Phlegon certe in decimotertio, aut ni fallor in decimoquarto Chronicorum suorum volumine fatetur ingenue Christum præsciuisse futura, confundens Petrum cum Iesu, testatúrque euenisse quicquid prædictum fuerat: nihilominus illic quoque vel propter hanc præscientiam penè inuitus fatetur, non fuisse diuina virtute vacuum sermonem quem ac-
cepimus à maioribus. Addit Celsus, discipulos Iesu vt re Matt.26.
manifesta nihil valentes fingere excogitasse vt dicerent eum præscisse omnia: quia nō legit, aut legere noluit quod veracissime scriptum est, illud quoque dictum ab eo discipulis: Omnes vos scandalizabimini nocte hac: vt itaera factum est. Petro etiam prædictum quòd ante galli cantū ter negaturus esset dominum, & ter negasse Petrum iuxta vaticinium. Nam nisi fuissent veritatis studiosi, aut si vt Celso videtur figmentis scribēdis delectati fuissent, nec Petri negationem, nec discipulos scandalizatos retulissent in literas. quis enim eos reprehendisset hoc nomine. atqui valde conueniebat vt hæc silerentur ab hominibus volentibus vt mortis contemptus disceretur ex lectione euangelij, quoties agitur de professione christianismi, nūc vero videntes quòd sermonis vis subactura esset homines, inseruerunt & talia, nescio quomodo nihil offutura lectoribus, nec occasionem datura negandi. Addit valde
stulte discipulos hæc vt excusarent magistrum suum dixisse: acsi, inquit, aliquis affirmans quempiam esse iniustum, ostenderet eum inique agere: & dicēs pium, ostenderet cædem patrare, aut dicens immortalem ostenderet mortuum, præfando ad singula, præscisse illum hæc omnia. At ista collatio nihil habet simile: quia nihil absurdum est eum qui se hominibus exemplar vitæ exhibere studuit, ostendisse non fugiendam mortem pro pietate: vt interim taceam, mortem eius vtilem fuisse vniuerso humano generi, sicut superiore volumine docuimus. Postea putat confessionem passionis ad criminationem illius non ad absolutionem facere. Nescit enim quàm multa sapienter à Paulo scripta sint de hoc negotio, quàm multa itē à prophetis sint prædicta. nescit etiam quendam autorem eius opinionis, quòd Iesus visus sit tantum pati, non reuera passus sit, damnatum pro hæretico, alioqui si scisset, non ita loqueretur dicens: Non enim pati illum piis hominibus visum docetis, non reuera passum, sed aperte passum affirmatis. Minime vero pati putatum dicimus, ne falsa sit eius & resurrectio, non vera. nam qui vere mortuus est si resurrexit, resurrexit reuera. qui autem mori putatus est, non resurrexit vere. Quoniam autē Iesu Christi resurrectionem irrident infideles, adducemus huc Platonem: qui narrat Erum Armenium post duodecim dies

G è rogo excitum retulisse de iis quæ sunt apud inferos : & quoniam ad infideles differimus, quadrant huc & illa quæ Heraclides de muliere defuncta memorat. multi etiam alij feruntur reuersi à monumentis, vel eadem die, vel insequenti. Quid igitur mirum si is qui tam multa fecit miracula humanam naturam superantia, idque tam manifeste, vt qui inficiari non possunt cauillentur fuisse præstigias, etiam in obitu suo quiddam eximium habuit: vt anima sponte relicto corpore, post quædam extra illud dispensata, suo arbitratu reuersa sit. Sic enim alicubi apud Ioànem
Ioan. 10. loquitur: Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo sumendi eam & fortassis ideo maturauit egressum è corpore, vt conseruaret id integrum, nec frangerentur eius crura, sicut vnà crucifixorum latronum. nam mi-
Ioan. 19. lites fregerunt crura primi, & alterius qui crucifixus est cum eo. ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. Iam ergo respódimus ad illud? qui credibile est eum prędixisse? cęterum quomodo immortalis sit is qui mortuus est, discat qui vult, quod non mortuus est immortalis, sed qui resurrexit è mortuis. non solum igitur mortuus immortalis non est, sed ne Iesus quidem antequam moreretur ille compositus immortalis erat, quandoquidem erat moriturus. ne-
H mo enim moriturus immortalis est: sed immortalis, quádo non amplius morietur. Christus autem resurgens à mortuis iam non moritur: mors ei non amplius dominabitur, etiamsi nolint hęc intelligere qui capaces non sunt. Iam illud quàm stultum: Quisnam Deus, aut dæmon, aut homo prudens præsciens talia sibi obuentura, non siquidem potuisset deuitasset, sed volens incidisset in quæ præsenserat? Atqui Socrates sciebat epota cicuta se moriturum: & poterat si quidem parere Critoni voluisset, incolumis euadere custodiam: sed maluit certam quandam suam rationem secutus mori philosophicè, quàm viuere vitam indignam philosopho. Sed & Leonidas Lacedæmoniorum imperator sciens iamiam se moriturum cum Thermopylarum præsidiariis, non dedit operam vt turpiter viueret: sed dixit ad socios: Prandeamus tanquam apud inferos cœnaturi. qualia multa in historiis inueniuntur, si cui libeat consectari talia. Quid igitur mirum si Iesus futurorum non nescius non ea vitauit, sed incidit in præcognita, cum & Paulus discipul' eius auditor quid passurus esset Hierosolymis, nihilo secius exposuit se periculis, increpans etiam lachrymantes & obstantes ne illuc ascenderet. Quin & nostro tempore multis scientes moriendum sibi si confiteantur christianismum, abnegato ve-
I ro absoluendos se receptuiósque etiam bona confiscata, contempserunt vitam, & vltro mortem ob pietatem elegerunt. Deinceps vero & aliud æque stultum dicit Celsi Iudæus: Quomodo si prædixit & de proditore & de negatore, non vt Deum timuerunt, vt alter à proditione, alter à negatione abstineret. Nec videt sapientissimus iste Celsus hoc loco pugnantia se loqui, quia si vt Deus præsciebat, non poterat eius præscientia fallere, nec erat possibile vel præcognitum proditorem non prodere, vel redargutum vt negatorem non negare, quòd si possibile erat alterum non fore proditorem, alterum non fore negatoré, vt pręmoniti à prodendo negandóve abstinerent: iam non fuisset verax, qui prædicebat alterum proditurum negaturum alterum. namque si præsciebat proditurum, maliciam sciebat proditoris, cui nihil obstabat ista præcognitio. ac rursum intellecta imbecillitate negaturi per quam negaturus esset, negaturum prædixit, quia vtique imbecillitas hæc non tollebatur per præscientiam. Quid ergo sibi volunt illa verba: at illi paruifacientes eum & prodiderunt & negauerunt? Iam enim ostensum est de proditore hoc falsum, quód præceptorem per contemptum prodiderit: nihilo minus & de negatore idem ostenditur, qui egressus foras post negationem fleuit amarè. Itaque vanum & illud: certe homo etiam præsentiens insidias si prædicat insidiatoribus, auertuntur à proposito, & cauent sibi. Quàm multi enim pręsentientibus quoque insidiari non destite-

runt? Tandem veluti sermonem concludens inquit. Ergo K quia prædicta sunt hæc, facta sunt, nec enim potest aliter fieri. Sed quia facta sunt, mendacium deprehéditur quòd prædicta sint. omnino enim inconsistens est vt præmoniti vel proderent vel negarent. Verum quia præmissa confutata sunt, subuertitur & conclusio ista: Quia prædicta sunt hæc, facta sunt. Aimus autem, vt possibile esse factum. Et quia factum est, verum ostenditur quòd prædictum sit. nam futurorum veritas iudicatur ex euentibus. Falsa est igitur istius propositio: mendacium deprehendi quod de prędictione dicitur & inaniter Celsus dixit illud: omnino enim inconsistens est vt præmoniti vel negarent vel proderent. Videamus quid dicat postea. Hæc, inquit, cum Deus esset prędixit, & omnino oportebat fieri quod prædixerat. Deus ergo suos discipulos & prophetas, cum quibus cibum & potum sumebat, eò necessitatis adduxit vt contra ius ac pietatem facerent: qui debuerat cũ in alios omnes esse beneficus, tum præcipue in sodales suos. & homini nemo vnquam insidiatus est particeps mensæ, Deo vero insidiatus est: vel potius Deus insidiatus est socius mensæ, proditores & impios faciens. Respondebimus & ad hæc, quando iubes vt ne ista quidem argumẽta prætercam quæ mihi videntur friuola. Celsus putat quod aliquis præscius prædixit ideo fieri quia prædictum est. nos vero hoc non concedentes aimus non prædictoré L causam esse futuri, sed futurum illud, quod omnino euenturum erat etiam nemine prædicente, præcognitori causam predicendi præbuisse. Totum enim hoc in præcognitione vatis est, cum alterutrum fieri possit, fore hoc alterum. Non dicimus præcognitorem adimere possibilitatem vt vel fiat vel non, acsi diceret ita: Hoc omnino erit, & impossibile est secus fieri: id quod in vniuersum intelligitur de omnibus quęcunque de nobis pręsciri possunt, siue iuxta diuinam scripturam, siue iuxta græcorũ historias. alioqui sophisma illud quod dialectici ἀργὸν λόγον nominant, non erit sophisma Celso iudice, cum reuera sophisma sit. Quod vt intelligatur, à scripturis adducã de Iuda prophetias, & seruatoris nostri de ipso vt proditore pręscientiam: ex græcorũ vero historiis oraculum Laio redditum, sinẽs interim vere esse redditum, quando pręsenti de Psal. 34.
Iuda disputationi non officit. In 108 Psalm. cuius initium est Deus laudem meam ne tacueris, ex persona seruatoris dicitur os peccatoris & os dolosi apertum est contra me. & modo obserues quæ in eo Psalmo scripta sunt, inuenies præcognitum sicut proditorem seruatoris fore, ita causam proditionis fore in ipso, vt dignus sit imprecationibus quas prophetia continet. Hæc, inquit, patiatur quia nó est recordatus misericordiam facere, & persecutus est hominem mendicum & pauperem. Ergo poterat recordari fa- M
ciendæ misericordiæ, nec persequi quem persecutus est. & quamuis poterat non fecit, sed prodidit, vt dignus sit diris prophetiæ. Græcis vero adducemus id quod dictum est apud tragicum Laio, siue totidem verbis, siue in eandem sententiam. ei præscius futurorum sic loquitur. Ne serere sulcos procreandis liberis inuitis diis, nam si progenueris natus te interimet. totáque domus sanguine miscebitur. Hic quoque intelligitur possibile fuisse Laio non serere sulcos procreandis liberis. quod caueret fatale erat eum pati tragica illa mala quæ feruntur de ipso & Iocasta communibúsque liberis. Huiusmodi est & sophisma illud vocatum ἀργὸς λόγος, quod ęgrotũ sophistice dehortatur ne sanitatis causa vtatur medico hoc pacto: Si tibi fatale est è morbo resurges siue accersas medicum siue non. Itidem si fatale tibi est è morbo non resurgere, non resurges siue accersas eum siue non. Ergo siue in fatis est te resurgere, siue in fatis est te non resurgere, frustra accersis medicum. Verùm sophistę huic allusioni festiua huiusmodi argumentum licebit opponere. Si tibi fatale est filios procreare, siue congrediaris cum muliere, siue non congrediaris, procreabit eos. Itidem si tibi fatale est non procreare filios, siue congrediaris cum muliere, siue non congrediaris, procreabis eos. Ergo siue procreare filios tibi fatale est, siue non procreare, frustra cum muliere congrederis.

Nam

A Nam sicut hæc quoniam absurdum & impossibile est procreare filios absque congressu cum muliere, non frustra adhibetur congressus cũ muliere: itaq; si conualescentia contingit ratione medicinæ, necessario medicus adhibetur: & falsum est illud, Frustra medicum accersis. Hæc autem adduximus omnia propter illud quod sapiẽtissimus hic Celsus scripsit: Deus cum esset prędixit, & omnino oportebat fieri quod prædictum est. Si enim vocem hanc omnino, accipit pro hac necessariò, non concedemus ei. Possibile enim erat etiam non fieri. quod si illud Omnino, dicit pro Nihil vetat hoc verum esse, etiamsi possibile est non fieri: non facit contra nos hæc oratio, nec consequitur, quia prædictum sit à Iesu de proditore, déque negatore, ideo ipsum causam eis fuisse impietatis & nefarij facinoris. Sciẽs enim eius prauos mores is qui vt nos credimus nouit quid sit in homine, vidensque quid ausurus esset propter auariciam & propter inconstantem de præceptore opinionem, dixit inter cætera & illud: Qui intinxit mecum manum in patinam, ille me proditurus est. Vnde porro euideus Celsi mendacium in his verbis: Quod si homini nemo insidiaretur eiusdem conuiuij particeps, multo minus deo. Quis enim nescit multos ad communionem salis & mensæ admissos, pòst insidiatos suis contubernalibus? Plena est historia tam Græcorum quàm barbarorũ exemplis talibus:
B & Parius ille iamborum scriptor exprobrans Lycambæ violatum fœdus quod sal & mensa conciliauerat, sic eum alloquitur: Sacramentum irritasti magnum, salémque & mensam. cæterum qui toti sunt in historiarum studio post habitis magis necessariis quæ propius ad bene viuendi rationem faciunt, plura proferent de insidiatoribus eorum quibuscum mensam communem habuerant. Post hæc quasi re iam aptissimis consequentiis demonstrata sic pergit: Et quod absurdius est, Deus ipse suis sodalibus insidiabatur proditores eos & impios faciens. Quomodo Iesus insidiatus sit, aut proditores atque impios discipulos suos fecerit, iste non potest ostendere, nisi ex hac vt illi videbatur consequentia, quam confutare cuiuis est facillimum. Post hæc dicit: Si ita visum est ipsi, & patri morem gerens subiit supplicium, manifestum est quòd & Deo & sponte perferenti nihil eorum quæ patiebatur molestum erat aut graue. Nec videt se loqui inter se pugnantia. Si enim concedit punitum ex sua patrisque voluntate, liquet quod pœnas soluerit, nec possunt infligi pœnæ absque doloribus. nemini enim suaues sunt & optabiles. quod si ideo dolorem abfuisse putat & cruciatum, quia non inuitus eas ferebat, quomodo punitum concedit? non intellexit iste, quòd qui semel per natiuitatem corpus assumpsit, vtique assumpsit doloribus obnoxium, & iis quæ molesta corpore indutis accidunt, si molesti nomine intelligimus quod nemo sibi vult. Sicut igitur sponte assumpsit corpus non
C alienum ab humanæ carnis natura, ita cum eo simul assumpsit quicquid ipsi dolorẽ affert atque molestiam: quę iam infligebantur ex arbitrio inimicorum, non ipsius qui patiebatur. Responsum autem est iam antea, non deuenturũ fuisse in manus hominum si noluisset: deuenisse autem propter ingentem illam vtilitatem quæ ex eius morte vniuerso humano generi obtigit. In sequentibus deinde volens docere molesta illi fuisse tristiàque quæ patiebatur, quia naturam eorum mutare non poterat etiamsi voluisset, sic loquitur: Cur igitur lamentatur & dolet, precatúrque ve exitij metus transeat his verbis: Pater, si fieri potest, transeat calix hic. Vide hic quoque Celsi maliciam, vt nõ amplectatur veracitatem euangelistarum, qui potuerant
Matt. 26. silentio præterire quæ isti videntur digna opprobrio, non præterierunt autem multis de causis suo loco dicendis in euangeliorum interpretatione: sed tragice accuset textum euangelij, addens quę ibi non inueniuntur. non enim scribitur: lamentatum fuisse Iesum. Et transcribit quidem illud: Pater, si fieri potest, transeat calix hic: nec tamen apponit quod mox sequitur ad ostẽdendam ipsius insignem erga patrem pietatem & magnanimitatem, Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu: ac ne illa quidem verba quibus suam voluntatem iudicio patris accommodat, vbi obedientiam suam declarans loquitur sic: Si nõ potest hoc D
poculum transire à me nisi bibam illud, fiat voluntas tua. Facit hic Celsus quod solent auditores scripturæ diuinæ malicioli & impij. nam & illi non dissimulant se audisse, imò frequenter nobis opprobrant illud: Ego interficiam: sed non meminerunt huius verbi, Ego viuificabo: cum tota illa oratio significet, homines publico malo viuentes & exercentes maliciam interfici à deo, quibus mox ab eo reddatur vita melior vt peccato moriantur. Similiter audierunt illud: ego percutiam: sed non item illud, & ego sanabo: perinde acsi medicus loquatur secans corpus vt noxium aliquid eximat, qui tamen non in cruciatum desinat, sed ipsum corpus curatione integræ valetudini restituat. at isti non audiunt totum hoc, quo idem qui dolorem infert, sanitatẽ etiam restituat, sed tantummodo quòd dolorem faciat. Ad eundem modum Iudæus iste à Celso introductus postquam commemorauit illud, pater vtinam possit calix hic transire, nihil amplius addat eorum quæ ostẽdunt Iesu constantem promptúmque ad passionem animum, verum hæc terrutiores habentia sensus, aperiendos per diuinam illam sapiẽtiam quam Paulus perfectis recte tradi scribit dicens, Sapiẽtiam autem loquimur inter perfectos: aliquantisper differentes, agemus de quibusdã præsenti negotio accommodis in mentem nunc venientibus, Diximus & in superioribus, esse quasdã voces in Iesu primogeniti totius creatoræ, vt: Ego sum via, veritas, & vita: & his similes, Alias vero hominis qui in eo intelligitur, qualis est illa: nunc vero quæritis me interficere hominem qui veritatem vobis locutus sum quã audiui à patre meo, ita hic quoque describit in humana sua natura tum carnis humanæ infirmitatem, tum alacritatem spiritus. infirmitatem his verbis: Pater si fieri potest trãseat à me poculum hoc. alacritatem spiritus illis: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Quod si libet ordinem etiam dictorum obseruare, attende quod prius sit dictum illud infirmitatis vt sic vocem carnalis: posterius vero ex alacritate spiritus illa plura, vnum enim est hoc: Pater si fieri potest transeat à me hic calix. illa vero plura: non sicut ego volo, sed sicut tu: &, Pater mi si non potest hoc poculum transire nisi bibam illud, fiat voluntas tua. Obseruandũ etiam hoc, nõ esse dictũ, abeat à me poculum hoc: sed pia quadam reuerẽtia non sine exceptione hoc pacto: Pater si fieri potest trãseat à me calix hic. nec me latet alia quoque interpretatio huiusmodi: quod videns seruator qualia populus & Hierusalem patientur in vindictam à Iudæis perpetrati contra se facinoris, non ob aliud quam propter beneuolentiã qua populum illum prosequebatur volens vitare futuram passionem, dixerit Pater si fieri potest transeat à me calix hic. acsi diceret: quandoquidem propter epotum à me hunc supplicij calicem tota gẽs à te deseretur, precor, si fieri potest, vt trãseat à me calix hic, ne portio mea propter ausa in me facinora, omnino à te deseratur. Cęterum si, vt Celsus F
ait, Iesus nihil doloris molestiæue sensit passionis tempore, quî poterant eius sectatores vti exemplo ipsius in sustinendis rebus acerbis pietatis gratia, cum visus tantum pati, nihil humanum re vera passus sit? Pergit Celsi Iudæus discipulos Iesu vt talium narrationum confictores reprehendere, addens ne speciem quidem verisimilem eos potuisse mendaciis suis affingere. Ad quod respondebitur: facile fuisse vel fucare talia, vel in totum non scribere. quis enim nisi hæc in euangeliis haberentur, posset nobis opprobrare talia locutum Iesum in passione sua? Non intelligit autem Celsus, non cadere in eosdem vt decepti Iesum habeant pro deo præmonstrato prophetarum oraculis, & vt de eodem fingant quæ ipsi sciant vera non esse. Aut igitur non finxerunt, sed ex animo scribentes vera dixerunt: aut si falsa prodiderunt contra suam conscientiam, non fuerunt decepti vt eum haberent pro Deo. Post hæc dicit quosdam fidelium quasi per temulentiam permittere sibi quiduis in mutanda scriptura euangelica tribus modis quatuórve aut pluribus, vt sic retractata possint negare quoties arguuntur. Equidem à nemine alio mutatum euangelium scio, præterquam à Marcionis & Valentini

Deut. 32.
I. Cor. 2.
Ioan. 14.
E
Ioan. 8.

G & fortasse Lucani discipulis: quod crimen non est euangelij, sed eorum qui id ausi sunt deprauare temere. Et quemadmodum nihil ad philosophiam crimen sophistarum, epicureorum, peripateticorum, aut quorumcunque falsa dogmata profitentium, ita in verum Christianismum non cadit crimen depravantium euangelia, nouásque sectas in Iesu doctrinam introducentium. Et quoniam procedente oratione Iudæus iste hoc quoque Christianis obiicit, quód vtantur prophetarum de Iesu vaticiniis, præter iam superius dicta respondebimus: debuisse eum, si vt dicit parcit hominibus, sensum illarum propheriarum exponere, & prolatis verisimilioribus rationibus, tum demum nostros homines vt abutentes prophetiis redarguere. Sic enim cauisset ne videretur tam prolixum hoc caput nimis paucis verbis astringere: præsertim cum scribat, innumeris aliis modis accipi posse dicta prophetica multo aptius & verisimilius quàm si ad Iesum referantur. Debuerat etiam contra Christianorum validissimas rationes stare fortiter, & accurate per singulas prophetias declarare, quomodo melius quadrent aliis quàm nostro Iesu quantoque probabilius. Sed non intelligit quòd hæc si fuissent contra Christianos dicta à quopiam alieno à scripturis propheticis, fortasse verisimiliora fuissent. Nunc Celsus verba Iudæi personæ affingit quæ Iudæus nunquam diceret. non assentiet enim Iudæus, innumeris aptari posse prophetica dicta

H probabilius quàm Iesu: sed per singula suam aliquam interpretationem proferens conabitur eam à Christianis receptæ opponere, non omnino credibilia dicens, operam tamen dans vt hoc faciat. Diximus autem iam antea quomodo prophetatum sit de duobus Christi ad humanum genus aduentibus: quamobrem non opus est vt respondeamus Iudæo dicenti, præpotentem quendam regem & vniuersæ terræ omniúmque generum atque exercituum dominum à prophetis prænunciari eum qui venturus est. Illud satis Iudaicum est & stomachationi eorum conueniens, quòd omissis demonstrationibus mauult conuitiis Iesum impetere. quòd autem dicit tam pestilentum nunquam prænunciatum: nec Iudæus nec Celsus nec alius quisquam docere poterit, quòd pestilentus tam multos homines à vitiorum colluuie traduxerit ad virtutum studium, vitámque temperanter iuxta naturæ præscripta degendam. Adiecit Celsus & illud: Deum autem atque filium nemo ex talibus signis & rumoribus támque frigidis argumentis approbat. Debuerat autem istos rumores protractos falsitatis arguere, frigidáque ista argumenta confutare rationibus: vt si videretur afferre aliquid verisimile, haberet Christianus contendendi materiam, & conandi rationes eius subuertere. quæ autem mox de Iesu se-

I quuntur vt de magno viro dicta sunt: sed noluit agnoscere euidentissimam eius claritatem & amplitudinem: Quemadmodum sol, inquit, omnes alias res illustrans, primum seipsum ostendit, sic oportebat facere Dei filium. Possumus dicere: fecisse etiam. Exorta est enim in diebus eius iusticia, & multitudo pacis facta est mox ex quo natus est, præparante deo gentes ad eius doctrinam, vt omnes parerent vni Romanorum regi, neve propter multitudinem regnorum interruptis gentium commerciis difficilius fieret Iesu apostolis illud mandatum ipsius. Euntes docete omnes gentes. Cóstat autem Augusto regnante Iesum natum, qui princeps quasi complanauit pleraque terrarum vno regno inducto: fuisset enim impedimentú quominus distribueretur doctrina discipulorú Iesu in omnem orbé, si multa regna fuissent, non solum prædictas causas, sed quia propter bella militandú fuisset omnibus pro sua cuique patria, sicut ante Augusti seculum & superioribus té-

Mat. 28. Luc. x. poribus, quando Athenienfibus bellum erat cum Peloponnesiis, & aliis similiter cum aliis gentibus. Quomodo igitur pacifica illa doctrina, & ne vini inimicorum quidem repelli permittens, potuisset inualescere, nisi res orbis aduentu Iesu mutatæ fuissent in mitius. Post hæc Christianos incusat quasi sophistice argutantes dum filium dei verbum ipsum esse dicunt: putátque graue crimen, quod verbum polliciti pro dei filio, mox repræsentamus non verbú putú

ac sanctú, sed affectum ignominiosissimo supplicio hominem, flagris cęsum, & in crucem actum. De his quoque superius compendio responsum est Celsi calumniis, vbi ostensum est omnis creaturæ primogenitum assumpsisse corpus & animam humanam, & mandato dei creatas esse tá multas creaturas, & id mandatum accepisse deum verbum. Et quoniam Iudæus est qui apud Celsum loquitur, non absurde vtemur illo dicto: Emisit verbum suum & sanauit eos, & liberauit eos à corruptionibus eorum: cuius & superius mentionem fecimus. Ego sané cum multis Iudæis, eisque sapientibus habitis cóflictatus, neminem audiui cui probaretur verbum esse filium dei: quod Celsus dicit, Iudæi sui personam sic loqui faciens: Si verbú est vobis filius dei, nobis quoq; probatur. Diximus autem iam antea, nec iactatorem nec prestigiatoré posse haberi Iesum: ideo necesse non est eadé repetere, ne Celso respondendo referamus & ipsi eius battologiá. Carpens deinde genealogiam, illa quidem quæ & apud Christianos in disquisitioné veniunt, & à quibusdá reprehenduntur quasi discrepantibus genealogiis, nequaquam memorat: nesciebat enim iste vere iactator Celsus, professus se scire Christianorum omnia, prudenter hæsitare in scripturis: sed dicit nimis sibi placere genealogiæ textores, quod primum Iudæorum regem caput stemmatis Iesu faciant: & videtur sibi magnum aliquid inferre, quòd fabri vxor tantum generis sui principé ignorauerit. Quid enim hoc ad rem? Quid si non ignorauit, quid refert? Sed fac ignorasse, vnde tibi de hoc cóstat? nónne oriunda erat à primo homine? & quid vetat illam sanguine coniunctam fuisse primis regibus? nisi forte Celsus necessarium putat, pauperum omnes maiores fuisse pauperes, aut regum omnes reges. Itaq; non libet his frustra immorari, quandoquidem manifestum est & nostris temporibus quosdam é diuitibus & illustribus factos pauperiores Maria, & contrà ex obscurissimis reges præsidésque gentium. Addit: quid autem magnificum Iesus fecit tanquam Deus é sublimi despiciens homines, & ludens irridésque id quod sibi accidit? Huic percontatori quid respondere debemus, etiamsi possimus proferre mirificam rem quæ in passione accidit, vel ex euangeliis, quando terra mota Petræ scissæ sunt, monumenta aperta, velum templi scissum à summo vsque ad imum, tenebræ interdiu sole deficiente factæ sunt. Quod si Celsus credit euangeliis quoties ei videntur contra Christianos facere, eisdem asserentibus Iesu diuinitatem nolet credere, dicemus ei: heus tu, aut in vniuersum eis non crede, & criminari desine: aut si credis omnibus quæ continent, admirare sermonem deí factum hominem, eo consilio, vt prodesset vniuerso humano generi. magnificum vero Iesu opus extat hodie, dum hodiéque male affecti sanantur eius nomine quos deus

Psal. 129 K L M

sanari vult. De defectu auté solis sub Tiberio Cæsare, quo imperante Iesum constat crucifixum, déque magnis eius temporis terræmotibus etiam Phlegon scripsit in decimo tertio, aut ni fallor decimoquarto chronicorú volumine. Ludens autem vt ipsi videtur in Iesum Iudęus Celsi agnoscit Euripidis Bacchum dicentem: Deus me soluet, ipse cum voluero. Atqui Iudæi non solent curiosi esse in græcorum literis. Sed fac aliquem Iudæorum tam literatum fuisse, num ideo Iesus quia seipsum non soluit, ne soluere quidem potuit? Aut enim credendum est Celso quod in meis scripturis habetur, Petrum vinctum in custodia soluente vincula angelo egressum, & Paulum vná cum Syla Philippis Macedoniæ lignea compede astrictum, solutum diuina virtute, quando fores quoque carceris apertæ sunt, quamuis Celsus ista rideat, aut nequaquam legit hanc historiam, alioqui dixisset magicis carminibus vincula soluta reseratásque fores, vt res nostras communes faceret præstigiatoribus. Sed ne condemnator quidem eius tale quicquam passus est, quale Pentheus in furorem versus aut dilaceratus. Nescit autem non tam cú condemnatú à Pilato, qui sciebat per inuidiá à Iudæis traditú, quá à gente ipsorú Iudæorú: quæ vnque condénata est à deo, lacera & per vniuersam terrá sparsa magis quá mébra Penthei. Cur auté spóte præterit quæ scripta sunt de vxore Pilati inquietata somniis,

A somniis, ita vt marito dici iuberet: Nihil tibi cum viro hoc iusto: nam multa passa sum hodie in somnis propter eum. Ac rursus tacens quæ ostendunt Iesu diuinitatem, Celsus probra in eum iacit, ex scriptis euangelicis proferens ludibria coccineæ chlamydis, coronæque spineæ, & in manum datæ arundinis. Vnde hæc Celse didicisti, nisi ex euangeliis? Ergo tu videbas hæc exprobrato digna: illi vero qui ea scripserunt non intelligebant tibi quidem derisui fore tuique similibus, alios vero exemplum inde sumpturos contemnendi derisores & vituperatores eorum qui propter pietatem libenter mortem obeunt. Mirare potius eorum veracitatem, ipsúmque qui sponte hæc passus est pro hominibus, summáque longanimitate ac tolerantia pertulit: nusquam enim scriptum est quod lamentatus sit post condemnationem, aut abiectè quicquam fecerit vel dixerit. Ad illa vero verba: cur non si minus antea, nunc saltem diuinitatem suam exerit, & ex hac ignominia seipsum eximit, & iniurios tam in se quam in patrem tractat pro merito: Dicendum similiter posse rogari Græcos qui prouidentiam asserunt & prodigiis aliquid tribuunt: quid ita Deus non animaduertit in impios tollentes prouidentiam numinis? Quicquid enim Græci ad hæc responderint, nos quoque similia vel meliora respondebimus, quando & prodigiis cœlestibus defectu solis cæterisque miraculis satis

B declaratum est diuinum aliquid nec vulgare in crucifixo fuisse. Pergit Celsus, quid crucifixi, cruor, qualis diuis manat ille beatis. Ludit quidem iste, nos tamen è seriis euangeliis vel inuito Celso proferemus cruorem non fabulosum & Homericum fluxisse ex eius corpore: sed illo iam mortuo vnum è militibus lãcea latus ipsius pupugisse móxque inde promanasse aquam atque sanguinem. & qui vidit testatus est, & verum est testimonium eius, & ille scit quia vera dicit. In aliis mortuis corporibus sanguis cogitur, nec aqua limpida ex eis promanat: ex Iesu autem mortui corpore, ne tunc quidem cessantibus miraculis, sanguis & aqua profluxit è latere. Cæterum si calumniator iste Iesu Christianorúmque, arbitratu suo voculas excerpens ex euangeliis deprauánsque, quæ vero ad astruendam illius diuinitatem faciunt dissimulans, vult audire diuina miracula, legat euangelium, & videbit centurionẽ quoque cum cohorte Iesum asseruante conspecto terræmotu cæterisq; prodigiis territos exclamasse: Dei Filius erat hic. Post hæc rursus euangelicarum vocum excerptor, quas mox calumnietur, putat se inuenisse quod Iesu obiiciat, videlicet fel & accetũ, quod ille toto gutture auidè hauserit sitis impatiẽs, quam sæpe vulgares homines perferant. Hæc res quamuis propriam habeat tropologiam, nunc communi illa respõ-

C sione defendi potest: hoc quôque à prophetis esse prædictum. Scriptum est enim in sexagesimo octauo Psalmo ex persona Christi: Et dederunt in cibum meum fel, & in

Psal. 68. siti mea potauerunt me aceto. Aut dicãt Iudæi quis est qui hæc apud prophetam loquitur, & ostendant ex historiis aliquem pro cibo felle pastum potatúmque aceto: vel perfricta fronte dicant, ad illum venturum vt putant ipsorum Messiam hæc pertinere: vt nos respondeamus, Quid igitur vetat quominus iam nunc credamus hoc completum, quod tanto ante per sacros vates prædictum vt cætera, candidum examinatorem permouere potest vt assentiat, hunc esse illum prophetarum oraculis prænunciatum Dei filium. Posthæc vlterius nos sic Iudæus alloquitur: Hoccine nobis obiicitis ô fidelissimi, quod hunc pro Deo non habeamus, nec vobis assentiamus ad hominum vtilitatem hæc illum passum, vt & nos pœnas contemnamus? Et ad hæc respondebimus, accusari à nobis Iudęos, innutritos legi atque prophetis Christum prænunciantibus: quia neque argumenta quibus hunc esse Christum ostendimus dissoluunt ad excusandam incredulitatem suam: neque cum dissoluere non possint, credunt manifeste prænunciato per prophetas: qui post assumptam carnem discipulos suos docuit, propter hominum vtilitatem hæc se tulisse: quippe qui primo hoc aduentu non in hoc venerit vt nos prius iudicaret quàm doceret quid faciendum sit, nec vt malis pœnas, bonis salutem repręsentaret: sed mirifice seminaret doctrinam suam in totum humanum

D genus non sine diuina quadam potentia, quemadmodum prophetæ & hoc prædixerant. Præterea crimini damus eis, quia potentiam suam declaranti non crediderunt, sed in Belzebub principe dæmoniorum dixerunt eum eiicere dæmonas ex anima hominum. Item, quia humanitatem eius qui nullam non Iudæę ciuitatem, nullum non vicum prædicatione regni Dei dignatus est, spargens eam vbique calumniantur vt erronis vagationem in ignauo corpore. *Matth. 12* non est enim ignauum tantos labores sibi sumere in gratiã hominum vbiuis ex doctrina eius audita ad meliorem frugem conuerti valentium. Iam vero illud quod mox Celsi Iudęus dicit manifestum esse mendacium: quod ille cum nemini dum viueret persuasisset doctrinam suam, ac ne propriis quidem discipulis, pœnas ac crucem passus sit. Quomodo enim Iudæorum pontifices, seniores, & scribę inuidentes ei commoti sunt contra eum, nisi quod turbas persuasas trahebat post se vel in deserta, non solum allectas sermonibus ad captum suum accommodatissimis, verum etiam attonitas miraculosa potẽtia, efficaciore quam sit vlla facundia. Æque manifestum mendacium est quod addit, ne discipulis quidem suis eum persuasisse: qui passi quidem sunt per infirmitatẽ humanum aliquid: nondum enim erant exercitati ad fortitudinem: non tamen muta-

E uerunt suum de Christo iudicium. Nam Petrus statim post negationem sentiens in quantum malum prolapsus sit, egressus foras fleuit amare, reliqui mœrore perculsi, vt qui etiam tum eum mirabantur, mox in fide confirmati sunt per ipsius apparitionem, firmius quàm ante credentes esse Dei filium. *Matt. 27.* Hic Celsus parum philosophice opinatur præstantiam hominis non in doctrina salutari moribúsq; puris consistere: sed in eo, si personæ susceptæ non respõdens mortalitate assumpta non moriatur: aut moriatur quidem, sed non ea morte, quæ exemplo esse aliis queat, vt reipsa docti pro pietate mori haudquaquam grauentur, liberéque prędicent pietatis & impietatis discrimen ignorantibus, ostendendo maximam impietatem esse quam pietatem putant isti, falsi suis de Deo cogitationibus, & quiduis potius colentes quàm verum Deum, cum sibi videantur interim egregie pij, pręsertim quoties ad mortem adigunt homines summo & manifestissimo Deo dicatos. Pergit accusare Iesum Celsus ex persona Iudæi, quòd se non ostenderit purum à malis omnibus. dicat Sermo iste Celsi, à quibus malis Iesus purum se non ostendit? Si enim à proprie malis negat eum purum fuisse, proferat palam malum eius factum aliquod. quod si mala vocat, paupertatem, crucem, insidias quibus peritus est, dubio procul & Socratem fatebitur malis fuisse obnoxium: nec enim ab his immunem ostendere poterit. Quantus porro sit chorus pauperum, qui apud Græcos philosophiam cum spontanea paupertate complexi sunt, vulgatum est apud Græcos ex ipsorum commentariis, in quibus Democritum

F prædia sua pecoribus reliquisse compascua: Cratetem quo liberius philosopharetur largitum populo Thebano pecuniam quam ex bonis suis venditis confecerat. Sed & Diogenes præ nimia frugalitate habitabat in dolio: nec tamen à quoquam vel mediocriter prudente hac de causa habebatur malis obnoxius. Præterea quia Celsus contendit ne irreprehensibilem quidem fuisse Iesum, ostendat quispiam ex iis qui præclaro istius Sermone delectantur, vbinam vere scripserit eum fuisse reprehensibilem, aut si aliquid præter iam dicta reprehẽdẽdum ducit, profiteatur vndenam didicerit eum esse reprehensione dignum. certè promissionibus suis fidem fecit exhibitis magnis commoditatibus omnibus his quotquot ipsi præbuerunt se dociles, præsertim cum quotidie videntes impleri quæ tanto ante per eum pręficta fuerant: quale est illud, fore vt prędicetur euangelium in toto mundo: & illud de profectione discipulorum in omnes gentes ad annunciandum eis verbum ipsius. pręterea quod ducendi essent ad pręsides atque reges, nullam aliam ob causam, quàm ob professionem doctrinę Christianę, admiremur ipsum, & in dies confirmemur in fide ac fiducia.

G Equidem non video quibus maioribus argumentis fidem illi astrui Celsus postulet: nisi quòd apparet ignorasse eum Dei verbum factum hominem Iesum, ac proinde voluisse vt nihil humanum pateretur, nec fieret hominibus exemplum aduersitatum perferendarum fortiter: nimirū quod Celso hæc videantur probrosissima atque miserrima, vt qui dolorem pro malo maximo, voluptatem pro absoluto bono habeat: quod nemo vnquam philosophus existimauit duntaxat ex his qui prouidentiam asserunt, & fortitudinem, tolerantiam, magnanimitatem inter virtutes numerant. Non fecit igitur Iesus fidem suam irritam per ea quæ passus est, sed magis confirmauit in viris fortibus, qui ea eo didicerunt propriè veréque dictam vitam illam beatam non esse hic, sed in venturo vt ipse dicebat seculo: cæterum præsenti (vt vocatur) seculo viuere calamitatem esse, & certamen animæ maximum. Post hæc sic nobis loquitur: certè non diceris eum, cum non posset hæc viuentibus persuadere, profectum ad inferos vt persuaderet illic agentibus. Imò vel ipso inuito animus illum & in corpore tam multis persuasisse vt ea de causa insidiis petitus sit, & cautam corpore animam cum aliis animabus similiter cautis habuisse colloquia, vt conuerteret etiam ea illis quotquot essent dociles, aut propter certas rationes ipsi notas magis ad hoc idoneæ. Deinceps vero nescio quomodo valde stulte loquitur: Si ridicule decepti putatis vos vere defensos excogitatis quibusdam absurdis defensionibus, quid vetat H & alios quotquot damnati perierunt misere, haberi pro magis & diuinis angelis? Quòd Iesus passus quæ de illo sūt prodita omnino dissimilis sit misere damnatis propter maleficas artes aliáve crimina, cuius manifestum est. nemo enim potest ostendere magicis artibus animas hominum conuersas à peccatis & vitiorum colluuie. Et quoniam cum latronibus eum conferens Celsi Iudæus ait, posse aliquem similiter perfricta fronte etiam de latrone ac homicida dicere: hic non latro sed Deus erat: prædixit enim latrociniorum sociis passurum si quæ passus est: responderi potest, Primum non ideo quòd hæc prædixerit se passurum, credere nos de Iesu quæ profitemur libere, venisse ipsum missum à Deo. Deinde fatemur hæc iam dudum prodita in euangeliis, cum iniquis reputatum esse deum apud iniquos, latronem propter homicidium vinctum dimitti sibi malentes, Iesum vero crucifigi, quem mox in crucem affixerunt inter duos latrones: sicut semper apud veros Iesu discipulos & veritatis testes legitur cum latronibus damnatus ab hominibus & eodem affectus crucis supplicio. & dicimus: si hi simile quidquam habent latronum moribus, ac non propter pietatem erga rerum opificem conseruandámque sinceram & puram Iesu doctrinam cruciatus omnes mortésque omnes perferunt, manifestum est I & ipsum Iesum doctrinæ huius autorem probabiliter à Celso comparari latronibus. Verum nec hi qui propter pietatem patiuntur, & soli hominum propter agnitam diuini cultus rationem exagitantur, necantur sine persecutorum suorum scelere: & ille omnium bono mortuus, per summam Iudæorum impietatem insidiis eorum de medio sublatus est. Nunc aduerte quid addat de familiaribus Iesu discipulis: Ergo illi cum viuo conuersati, & vocis ipsius doctrinæque auditores, pœnas dantem & morientem videntes, nec cum eo nec pro eo mortui sunt, nec induci potuerunt vt pœnas contemnerent, malentes abnegare magistrum, vos vero nunc et commorimini? Hic quoque peccatum discipulorum etiam tum imperfectorum decerpit ex euangeliis verum esse credens vt doctrinam criminetur: cæterum quomodo post peccatum emendati libere coram Iudæis prędicauerint, multásque iniurias ab illis perpessi ad vltimum pro confessione Iesu doctrinę necati sint, id vero silentio prætérit. nam nec illud audire voluit

Ioan. 21. quod Iesus prędixit Petro: Vbi vero senueris, extendes manus tuas, & cætera quę sequuntur in scriptura: hoc autem dicebat significans qua morte glorificaturus esset deum: nec quòd Iacobus frater Ioannis, apostolus apostoli frater, gladio cęsus sit ab Herode propter verbum Christi: sicut nec illa quę libere pro hac doctrina locuti sunt Petrus cæterique apostoli: & quomodo à facie concilij digressi K sunt flagellati, gaudentes quòd digni habiti essent qui paterentur ignominiam pro hoc nomine, longéque a tergo relinquentes omnes philosophos, quorum fortitudo atque tolerantia celebratur Gręcorum historiis. Fuit ergo tam inde à principio præcipua pars euangelicę doctrinę, vt sectatores eius vitam istam vulgo expetitam contemnerent, darentque operam vt quam proxime ad diuinam vitam accederent. Iam illud an non de eo mentitur Celsi Iudęus, quòd doctrinam aggressus decem solos nautas & publicanos perditos attraxerit, ac ne his quidem omnibus persuaserit. Manifestum enim est vel ipsorum Iudæorum confessione non decem solos verbis eius fuisse captos, nec centum nec mille, sed nunc quinque milia simul, nūc quatuor milia, atque sic attractos vt in solitudines vsq; illum sequerentur, inaccessas omnibus pręter multitudinem credentium deo per Iesum, vbi non solum verbis eos docebat, sed & operibus. Cæterū quoniam eadem iterum atque iterum repetit, cogit nos quoque similiter facere, ne videamur, criminationem aliquam pręterire silentio. Itaq; vt hic etiam sermonis eius ordinem sequamur: Si, inquit, ipse viuens nemini persuasit, post mortem autem eius quicunque volunt tam multis persuadent, an non est per quā absurda res? cum debuisset seruata consequentia dicere: si eo mortuo tam multis persuadent non qui volunt simpliciter, sed qui volunt & possunt, quanto probabilius est ipsum in vita versantem inter homines multo maiori multitudini persuasisse tam efficacibus sermonibus & operibus. L Ac mox interrogat nos. Qua nam ratione inducti existimatis eum dei filium? & ipse sibi ex nostra persona respondet, ea nos ratione inductos quod sciamus passionē eius factam ad destructionem autoris & parentis omnis malitiæ. atqui & aliis innumeris argumentis inducti sumus, quorum exiguam partem superius exposuimus, atque etiam exponemus deo fauente, non solum in hoc cōtra Celsum tractatu, verum in aliis quoque plurimis. Et perinde ac si diceremus ideo credi eum à nobis dei filium quia passus sit, rogat, Quid igitur, an non & alij multi passi sunt non minus fortiter? Qua in re Celsus idem facit quod inimicorum nostrorum vilissimi, qui legentes crucifixi Iesu historiam, colligunt inde nos venerationem exhibere in crucem actis omnibus. Illud non nouum est Celso, dum non valet virtutibus quæ à Iesu factæ produntur, resistere in faciem, calumniari eas quasi præstigias: ad quod iam sæpe respondimus vt potuimus. Addit ea nostra persona ipse sibi respondens, ideo nos putare eum esse dei filium, quia claudos & cæcos curauit, & quia resuscitauit mortuos: sicut vos (inquit) creditis. Certe quia claudos cęcósque sanauit, ideo pro Christo dei filio habendū, constat ex illis propheticis. Tūc aperientur oculi cæcorū, & aures surdorum audient: tūc saliet claudus vt ceruus. M Quod autem & mortui resuscitati sint, nec hoc esse figmentum euangelistarū, vel *Esa. 35.* inde apparet, quia si figmentum esset, potuisset multos eius iussu resurrexisse scribere, eósq; humatos longo tempore. Sed quoniā figmentū non est, de valde paucis narratur: de archisynagogi filia de qua incertū cur dictū est nō mortuā sed sopitā esse, quod ea haberet quiddam peculiare pręcęteris mortuis: de vnico viduæ filio, quē miseratus vitæ restituit iussis baiulis cōsistere, déq; tertio Lazari quatriduano tum cadauere. *Matt. 9.* *Luc. 7.* *Ioan. 11.* Proinde dicemus aduersariis paulo candidioribus, præcipue Iudæo: sicut multi leprosi erant in diebus Elisæi prophetæ, nemo tamen eorum mundatus est præter Naamanem Syrum: & multæ viduæ erant in diebus Eliæ, ad nullam tamen propheta missus est nisi ad illam Sareptanam in agro Sidonio: diuino enim iudicio habita est digna miraculo quod in panibus contigit: ita multi mortui erant in diebus Iesu, soli tamen resuscitati sunt illi quos Dei verbum sciebat dignos resurrectione, vt ea domini facta non solum figuræ essent rerum quarundam, sed iam tum allicerent multos ad euangelicam doctrinam miraculi raritate atque magnitudine. Ausúmque dicere iuxta magistri promissionem maiora etiam fecisse discipulos, quàm quæ tūc Iesus cæteris sensibus exhibuit,

semper

A per enim aperiuntur cæcarum animarum oculi, & aures quæ ante surdæ præceptis de virtute fuerant, dociles redduntur audiendo verbo Dei, atque æternæ vitæ promissionibus multi præterea claudicantes pedibus interioris vt scriptura nominat hominis, nunc sermone diuino sanati saliunt non simpliciter, sed sicut ceruus infestum serpentibus animal, & omni viperarum virulentia potêtius: tum hi ipsi claudi iam sanati accipiunt à Iesu potestatem calcandi eisdem pedibus quibus antea claudicauerant serpêtum & scorpionũ maliciam, atque adeo vniuersam inimici illius potentiam, eámque calcât impune: nam & ipsi facti sunt fortiores omni malicia venenoque dæmonum, Iesu certe auertens discipulos non ab illis incantatoribus qui variis modis pollicentur miracula, sed ab illis qui haberi postularent pro Christo Dei filio, & præstigiis ad se discipulos Iesu allicerent, interdum sic loquitur: Si quis

Matt. 24. vobis dixerit, Ecce hic Christus aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudo Christi & pseudo prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi, ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere, sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet vsque in occidentem, ita erit aduentus filij hominis, interdum vero sic: Multi dicent mihi in illa die:

B Domine domine, nónne in nomine tuo comedimus, & in nomine tuo bibimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, multásque virtutes patrauimus: & dicam eis: discedite à me, quando quidem iniquitatis estis operatores. At Celsus confundere volens miracula Iesu cum hominum præstigiis ad verbum hæc dicit: ò lucem & veritatem, suis verbis suáque voce profitetur, quemadmodũ vestræ scripturæ testantur, aduenturos ad vos alios quoque cum similibus præstigiis homines maleficos & præstigiatores: & Satanam vocat quendam qui harum autor erit artium: atque ita ne ipse quidẽ inficiatur ista nihil diuinitatis habere, sed esse maleficorum opera, & veritate cogente suas simul & aliorum artes detexit. An non igitur miserabile est & indignum, ex eisdem operibus hũc quidem Deum, alios vero præstigiatores existimari. Cur enim ex huiusmodi artibus coniecturam sumentes alios potius malos credamus quàm hunc, vel ipsius testimonio? certe ipse fassus est hæc non tam diuinæ naturæ quàm impostorum & sceleratorum hominum esse indicia. Considera an nõ manifeste deprehendatur Celsus hoc loco maliciose sermonem deprauans, cum aliter Iesus loquatur de veritatis signorum & prodigiorum patratoribus, aliter iste à Celso introductus Iudæus. Si enim simpliciter monuisset discipulos, cauerent sibi à miraculorum ostentatoribus, nec addidisset quemnam se esse iactabunt, fortasse locum habuisset istius suspicio. Quoniam vero hi quos caueri vult

C Iesus pro Christo se haberi volunt, quod non faciunt præstigiatores, sed potius Iesu discipulos maleficis artibus aiunt miracula patrare & eiicere dæmonia, imò si sic loquendum est, amouetur hoc loco omnis magicarum vanitatum suspicio. commendatúrque Christi & eius discipulorum diuina potentia, sub cuius tamen nominis prætextu & alij pro Christo se venditare possent, qui lõge diuersa potentia in ipsis operante similitudinem quandam germanorum Christi discipulorum præ se ferentes: quod

2. Thess. 2 & Paulus in secunda ad Thessalonicẽses epistola indicat, quomodo reuelabitur homo ille sceleratus filius perditus, qui est aduersarius, & effertur aduersus omnem qui dicitur Deus aut numen, adeo vt in templo Dei sedeat, ostentans seipsum esse Deum: & rursus Thessalonicensibus dicit: & nunc quid detineat scitis, nempe vt ille reueletur in suo tempore, nam mysterium nunc agit iniquitatis, tantum qui tenet in præsentia, teneat, donec è medio tollatur: & tunc patefiet iniquus ille, quem dominus cõficiet spiritu oris sui, & abolebit claritate aduentus sui: cuius est aduentus secundum operationem Satanæ cũ omni potentia & signis ac prodigiis mendacibus & cum omni deceptione iniustitiæ in iis qui pereunt: additque causam cur permittatur scelestus ille in vita versari: eo quòd dilectionem veritatis non receperunt in hoc vt salui fierent: D & propterea mittit illis Deus efficaciam illusionis, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui nõ crediderunt veritati, sed approbauerunt iniustitiam: dicat nobis aliquis si potest, quid ex his euangelicis dictis, aut etiam apostolicis, possit præbere materiam suspicionis de maleficis artibus & damnatis, de quibus hoc loco prædicitur. Licebit autem cuiuis volenti ex Daniele quoque excerpere pro- Dan. 8. phetiam quæ est de antichristo, cæterum mẽdacium inest in deprauatione verborum Iesu, non enim dixit venturos alios malos & præstigiatores, vsurósque simili potentia: quod iste dictum interpretatur, Quemadmodum enim incantatorum Ægyptiorum potentia non erat similis mirificæ Moysis gratię, sed hanc diuinitus acceptam exitus declarauit, illam vero fuisse meras pręstigias: sic antichristorum & ad similitudinem Iesu discipulorum virtutem suam exerere conantium miracula prodigiáque appellantur mendacia, omni deceptione iniustitię ad perdendos homines efficacia: miraculorum autem Christi eiúsque discipulorum fructus erat non deceptio, sed salus animarum, quis enim probabiliter diceret emendationem vitę quotidianósque à vitiis ad virtutem profectus nasci è deceptionibus. Nec omnino ignorabat Celsus scripturam, dum Iesum ait dixisse quod istę machinationes erant Satanę: & velut arrepta occasione subinfert, nec ipsum Iesum negare in his operantibus nihil diuinum inesse, sed E esse eas malorum hominum: sub idem genus cogens quę sunt diuersissimi generis, & quemadmodum lupus non est eiusdem cum cane generis, tametsi videatur in corporis figura & voce habere quiddam simile, neque palumbes eiusdem cum columba: ita longe aliud est quod virtute Dei perficitur quàm quod præstigiis magicis, præterea quo magis coarguamus Celsi maliciam sic eum interrogabimus: Ergo virtute malorum dæmonum fiant quædã miracula, à diuina vero illa & beata natura nullũ editur? & cum deteriora extent in vita hominum, non capit hæc meliora? id quod mihi videtur posse dici de rebus omnibus vbicunque deterius aliquid præstantioris generis refert quandam similitudinem, ibi à contrario præstantius etiam esse: atque ita è præstigiatorum miraculis colligimus, necessario esse alia quæ diuina virtute patrentur in vita hominum, & consequens est aut vtrunque negari, neutrum concedendo, aut si alterum concedatur præsertim deterius, fateri etiam id quod est præstantius, quod si quis fateretur prodigiosa miracula fieri, negans vlla patrari diuinitus, perinde facere videretur, ac si fallaces sophismata quædam esse rationésque probabiles, quædam veri similitudine, cum tamen nihil veritatis habeant, negaret extare apud homines alias veras & dialecticas longeque diuersas à sophismatibus. Quod si semel admittimus, manifeste existẽre in rebus arte magica, quæ per F maleficos homines genios malos curiosis carminibus delinitos eliciat ad patranda miracula, consequens esse vt etiam diuinæ virtutis operationes inueniantur inter homines, quin certis indiciis examinamus promissores talium miraculorum? videlicet desumptis ex eorũ vita moribúsque, tum ex miraculorum ipsorum affectibus, dispiciendo asferant ne damnum hominibus, an correctionẽ morbos, vt sciamus quæ nam vel ab incantatore fiant ministerio dæmonum, vel ab anima pura sanctáque & afflata diuino spiritu, cuius etiam corpus ex eiusdem spiritus commercio ad vtilitatem institutionemque hominum sit efficax, & ad confirmandam veram fidem in Deum. Quod si non sunt probanda miracula prius quam discernantur à quo recte patrentur aut secus, ne vel omnia damnemus, vel omnia miremur tanquam diuina: an non perspicuum est è Mosis Iesúque miraculis, quibus gentes integræ ad religionem pertractæ sunt, non sine diuina virtute facta ab illis quæ scripturis sunt prodita. Numquam enim malis artibus & imposturis cõstituta fuisset integræ gẽtis respublica, cõtemptricis simulacrorum omnium, & supersensis creaturis omnibus contendentis ad Deum principem & autorem huius vniuersitatis carentem principio. Et

G quoniam Iudæus est qui apud Celsum ista loquitur, libet eũ sic appellare: Tu vero bone vir quid ita credis quæ tuis scripturis produntur à Deo per Mosen peracta, & conaris os obturare conferentibus ea cum Ægyptiorum sapientium præstigiis: ipse vero etiam illa quæ fateris à Iesu patrata, inficiaris diuinitus facta, in hoc imitator Ægyptiorum peruicaciæ? nam si effectus operum, videlicet integra Israelitarum gens his auspiciis oriunda, satis declarat Deũ operatum per Mosis ministerium: quin potius de Iesu hoc persuadetur, cuius longe maius opus extat quàm Mosis, ille enim gentiles suos, Abrahæ posteritatem continua successione obseruantem circuncisionis, aliorúmque rituum & morum autoris sui æmulam, promptos & obsequentes nactus ex Ægypto eduxit, propositis eis diuinis vt & ipse credis legibus, hic autem maius quiddam ausus aggredi, antiquatis institutis pristinis moribúsque patriis in quibus gentes educatæ fuerãt superinduxit nouam reipublicæ, formam ex præscriptis Euãgelicis. Et quemadmodum vt Mosi crederetur à senatu populóque Iudæorum signis opus erat & prodigiis quæ in scripturis habentur: ita quid mirum si Iesu fuit eis opus ad patrandam fidem apud populum assuetum talia postulare, atque etiam maioribus quæ collata ad Mosaica possent eos auertere à Iudaicis fabulis & humanis traditionibus, persuaderéque,
H nouum hunc doctorem tanta potentia præditum, maiorem esse quàm prophetæ fuerint: quid ni? cum illorũ oraculis ipse prædictus sit venturus Christus & seruator humani generis. Possent autem omnes istæ calumniæ quibus Celsi Iudæus apud fideles differẽs Iesum insectatur, transferri in Mosen verbis totidem, ei quoque maleficas artes opprobrando & præstigias, quando ista Iudæi criminatio non magis in illum quàm in hunc competat. Quale est illud Iudæi de Christo: ò lucem & veritatẽ, suis verbis suáque voce profitetur Iesus, quemadmodum vestræ scripturæ testantur, aduenturos ad vos alios quoque cum similibus fucis homines impostores & maleficos. Et de Mose posset vel Græcus incredulus vel Ægyptius vel quiuis alius Iudæo dicere: ò lucem & veritatem, suis verbis suáque voce profitetur Moses, sicut vestræ scripturæ testantur, venturos ad vos alios quoque cum similibus impo-
Deut. 13. sturis præstigiatores & maleficos homines. Scriptum est enim in vestra lege: Si surrexerit in te propheta, aut somnians somnium, & dederit tibi signum & prodigium, & veniat signum seu prodigium quod loquutus est ad te dicens: Eamus & sequamur Deos alienos quos nescitis, & seruiamus illis: nolite audire verba prophetæ illius, aut somniantis somnium illud, & reliqua. Et iste quidem verborum Iesu calumniator ait, Satanam ab eo appellari autorem talium artium: qui vero hæc ad Mosen detorquere
I velit, diceret prophetam somniantem ab eo vocari autorem talium artium. Et quemadmodum Celsi Iudæus de Iesu dicit: itaque ne ipse quidem inficiatur ista nihil diuinitatis habere, sed esse maleficiorum opera: ita quicunque Moysi non credi diceret totidem verbis: itaque ne ipse quidem Moses inficiatur ista nihil diuinitatis habere, sed est maleficorum hominum opera. Pari modo & illa verba: Veritate cogente suas simul aliorúmque artes detexit, ad Mosen torqueri poterunt. Itidem illa Iudęi: an non igitur indignum est ex eisdem operibus hũc quidem Deum, alios vero pręstigiatores existimari: in ipsum poterunt retorqueri sic: an non igitur indignum ex eisdem operibus, Mosen quidem prophetam Dei famulúmque existimari, alios vero pręstigiatores? Et quoniam Celsus huic loco immoratus, pręter iam dicta quę in vtrunque ex ęquo dici possunt, illud quoque adiecit: Cur enim ex huiusmodi artibus coniecturam sumentes alios potius malos credamus quàm hũc, vel ipsius testimonio addamus etiam nos similem orationem: Cur enim Mose vetante fidem haberi prodigiorum & miraculorum patratoribus, cęteros potius improbos putemus quàm ipsum qui damnauit hoc genus hominũ? Et quo magis rem exaggeret: Ipse inquit, fassus est hęc non tam diuinę naturę quàm impostorum & sceleratorum hominum esse iudicia. Quis nam is? To quidem Iudęe respondebis, Iesus aduersarius vero tuus eadem in te retorquens crimina, ad Mosen id referet. Pergit
K Celsus ex eadem Iudęi persona nostros ad fidem à Iudaismo conuersos sic alloqui: Quid igitur vos ei conciliauit? an quia prędixit se post mortem resurrecturum? sed & hoc quemadmodum priora in Mosen transferetur: Quid
Deut. 4. igitur vos ei conciliauit? an quia de obitu suo scripsit sic: Et mortuus est ibi Moses famulus domini in terra Moabitarum per verbũ domini, sepultúsque est in ea terra iuxta domum Phogoris: nec quisquam nouit sepulchrum eius in hunc vsque diem. Sicut enim Iudęus calumniatur ipsum prędixisse suam resurrectionem: pari modo de Mose licet dicere, ipsum scripsisse (eius enim est etiam Deuteronomium) suum sepulchrum nemini cognitum esse in hunc vsque diem, quo venerabilius id faceret, vt ignotum humano generi. Post hęc Iudęus cum ciuibus suis ad Iesu fidem conuersis agens sic sermonem continuat: Age demus vobis prędictũ hoc ab illo: at quàm multi alij talibus miraculorum pręstigiis abusi sunt ad imponendum stultis auditoribus? Zamolxis apud Scythas seruus Pythagorę, ipséque Pythagoras in Italia & in Ægypto Rampsinitus: qui etiam apud inferos cum Cerere tesseris lusisse dicitur, & donum ab ea retulisse mantile aureum, tales etiam fuerunt Orpheus apud Odrysas, Protesilaus apud Thessalos, in Tenaro Theseus & Hercules. Sed illud cõsiderandum, num reuera mortuus quis vnquàm surrexerit eodem corpore, nisi forte caetera pro figmentis habetis, vestrę vero
L fabulę bellam & credibilem inuenisse vos putatis catastrophen, expirantis in cruce vocem, terręmotumq́ue & tenebras: tum quod is qui viuus seipsum adiuuare non valuit, rediuiuus ostentarit vestigia supplicij, manus ita vt trasfixæ fuerant: idq́ue conspectum à muliere furiosa, vt ipsi fatemini, & si quis alius fuit magicæ istius vanitatis sectator, aut alioqui somniator suapte sponte delusus spectris inanibus, id quod sæpe innumeris accidit: vel potius alios obstupefacere volens prodigiis talibus, & mendaciorum materiã præbere circulatoribus cæteris. Respondebimus vt Iudæo, quãdo quidem Iudæus hæc loquitur, & verba eius de Iesu ad Mosen transferentes dicemus: at quàm multi alij talibus miraculorum præstigiis abusi sunt ad imponendum stultis auditoribus? & aliena à religione Mosis decẽtius vtetur exemplis Zamolxidis atque Pythagoræ, quàm Iudæus non admodum curiosus lector historię græcanicæ. Ægyptius quoque non credens de Mosis miraculis, apte hic iniiciet mentionem Rampsinit, dicens credibiliorem esse descensum eius ad inferos, & lusum cum Cerere, aureumq́ue mantile inde relatum in argumentum infernalis peregrinationis, felicísque reditus, quàm quæ Moses scripsit de seipso: intrasse se in caliginem in qua Deus fuerit, solumque è tanta multitudine cum eo congressum fuisse. Scripsit enim sic: Et Moses solus pro- M
pius accedet ad Deum, cæteri vero non accedent propius. Exod. 19.
Dicemus igitur nos Iesu discipuli ad istum Iudæum hæc obiicientem: Responde nobis quorum in Iesum fidem accusas, quid huic Aegyptio, quid Græcis referes? quid dices ad hęc quæ nostro Iesu opprobras, si quis & Mosem criminetur eodem modo? Quod si valde contendas pro Mose, sicut reuera efficaciter defendi potest & dilucide, eadem opera Iesum imprudens defendes multo Mose diuiniorem. Et quoniam historias quæ feruntur de heroum descensu ad inferos & inde reditu, portentosa figmenta dicit esse Celsi Iudęus, vt qui se ad tempus subduxissent è conspectu hominum, ac mox ostentassent quasi ab inferis redditos: id enim videtur indicare verba eius de Odrysa, Orpheo, Protesilaôque Thessalo, & Hercule ad Tenarum vnà cum Theseu: age declaremus non posse hæc quæ de Iesu resurrectione scribuntur conferri cum talibus fabulis, nam cuique Heroum modo dictorum liberum erat subducere se mortalium conspectu, ac rursum arbitratu suo reuerti ad eos. Iesus vero crucifixus inspectantibus Iudæis omnibus, & post mortem coram eodem populo de cruce demptus, quomodo potest insimulari tale quippiam finxisse, qualia iactantur de Heroum

A torum ad inferos descensu & reditu? Ac fortasse id quoque ad defensionem Iesu crucifixi adferri potest, occasione arrepta ea illis narrationibus de heroibus, qui per vim ad inferos irrupisse dicuntur: voluisse illum mori ignominiosa nece, vt post tam compertam mortem totius populi Iudaici testimonio, locus non relinqueretur suspicionibus quæ habentur de heroibus. fieri enim potest vt præter cæteras hac quoque de causa publicè affectus sit supplicio: ne aliquis causaretur eum data opera secessisse è conspectu hominum, vt falso habitus pro mortuo, quando ipsi videretur proferret, quasi prodigiose reuersum in vitam à mortuis. Quin & ex discipulis ipsius manifestum non fictæ resurrectionis argumentum colligitur, qui alioqui nunquã cum tanto suo periculo aggressi fuissent doctrinam euangelicam inter homines ferre tanta constantia, alios quoque ad mortis contemptum inuitantes exemplo suo. Attende vero quàm inconsiderate Celsi Iudæus, quasi res impossibilis esses è mortuis aliquem eodem resurgere corpore, dicat. Sed illud considerandum nunquis vnquam reuersa mortuus resurrexerit eodem corpore. Hæc enim nunquam diceres Iudæus qui credit scripturis tertij quartique regnorum libri de pueruhs, quorum alterum Elias in vitã reuocauit, Elisæus alterum. Et ideo puto Iesum inter Iudæos potius quam apud alias gentes vitam egisse, vt hi assueti iam credere talia miracula, qualia facere ipsum videbant, veterumque collatione persuasi hunc tanto maiorẽ
B crederent quanto maiora patrabat quam illi de quibus sacra narrat historia. Deinde postquam in medium pro-
3.Reg.17 duxit Iudæus quæ Græci produnt de his qui magicis artibus
4.Reg.4. effecerunt vt crederentur in vitam reuersi ab inferis, sic alloquitur Iudæos fidem & disciplinam Iesu secutos: nisi fortè externa pro figmentis habetis, vestræ vero fabulæ bellam & credibilem inuenisse vos putatis catastrophen, verba expirantis in cruce. Ad quod ei respondebimus: ista quidem quæ protulisti plane pro fabulis habemus: cæterum quæ continentur in scripturis nobis vobiscum communibus, & quarum non minor apud nos est religio quam apud vos, ea vero pernegamus esse fabulas. quapropter & illa miracula non ficta credimus quæ ibi scripta sunt de excitatis à mortuis, & hunc nostrum resurrexisse, vt qui hoc iuxta sua prophetarumque promissa præstitit, tanto admiratione dignior quam rediuiui priores, quod illos prophetæ excitauerunt Elias & Elisæus, hunc autem prophetarum nullus, sed pater ipse cœlestis: quo factum est vt maiores effectus secuti sint huius resurrectionem quàm illorum. quid enim tale ex pueris ab Elia & Elisæo resuscitatis ad vtilitatem totius mundi profectum est, quale ex prædicatione resurrectionis Iesu per diuinam potentiam
C creditæ? Sed iste etiam terræmotum & tenebras habet pro ficticiis prodigiis, de qua re vt potuimus iam superius respondimus citato Phlegontis testimonio narrantibus hæc incidisse in tempus passionis seruatoris domini. Quod vero addit, quod is qui viuus seipsum adiuuare non valuit, sed iam mortuus ostentarit vestigia supplicij, manus ita vt transfixæ fuerant: quærimus ex eo quid dictum velit hoc verbo adiuuare. si enim de virtute loquitur, dicemus eum seipsũ adiuuisse non mediocriter. nihil enim indecorum nec dixit nec fecit, sed reuera vt ouis ad occisionem ducta est, & vt agnus coram tondente se obmutuit, attestante euangelio non aperuisse illum os suum. quod si hoc verbum de indifferentibus rebus & corporeis vult intelligi, Dicimus nos iam ostendisse ex euangeliis, sponte illum subiisse talia. Deinde commemoratis ex scriptura vestigiis supplicij quæ post resurrectionem ostentauerit, videlicet manus ita vt ferro trans fixæ fuerant, percontatur quis hoc viderit. & obiter Mariam Magdalenam calumnians quæ hoc vidisse scribitur: mulier, inquit, vestra quoque confessione fanatica. & quia scriptũ est non à sola hac visum Iesum post resurrectionem, sed & ab aliis, hic quoque obtrectãs Celsi Iudæus, & si quis, inquit, alius fuit magicæ istius vanitatis sectator. moxque ac si esset impossibile hominem mortuum apparere viuentis specie, vt Epicureum agnoscas: aut, inquit, alioqui somniator suapte sponte delusus spectris inanibus, id quod sæpe innumeris accidit. Hoc D tametsi vehementer dictum ipsi videtur, nihilominus necessario inde colligitur superesse defunctorum animas, nec temere immortalitatem earum aut certe perpetuitatem à Platone creditam, qui huius opinionis assertor tradit in libro de anima, imagines vmbrarum specie circa monumẽta quibusdam conspectas. Ergo spectra ista laruarum non de nihilo apparent, sed quia defunctorum quoque animæ suum quoddam corpus habẽt, quod Græcis vocatur αὐγοειδές. at Celsus opinioni huic assentiens, tamen ait quosdam vigilantes somniare, suáque sponte deludi spectris inanibus: cuiusmodi ludibria per somnum obseruati, non nouum est, vigilantibus idem accidere non fit mihi verisimile, nisi forte mẽte captis, aut phrenitide, melancholiáve laborantibus: id quod non ignorans Celsus mulierem furentem vocauit, incertum vnde nactus occasionem calũniæ, quando in scripturis nihil tale habetur. Ergo Iesus quoque post resurrectionem apparuit, non vanas imagines vulnerum in cruce acceptorum ostentans, vt iste opinatur, qui euangeliis non credit nisi quando ipsi libet: sed accito vno è discipulis incredulo, quòd rem putaret impossibilem, assentiebat enim narrantibus se ipsum vidisse, quasi non nouum esset conspici defuncti animam: cæterum vt eum resurrexisse cum eodem corpore crederet, id vero non poterat in animum inducere. quapropter non dixit, nisi vi- E
dero non credam: sed adiunxit & illa verba: nisi misero manum meam in vestigium clauorum, & contrectauero latus eius, non credam. Hæc autẽ dicebat Thomas, quod *Ioan. 20.*
arbitraretur fieri posse vt oculis se offerret corpus animæ, per omnia deposito simile, vocémque oculósque decoros, corporis atque modum, interdum amictu quoque non dissimili. Itaque vocato Thomæ dixit Iesus: Infer digitũ tuũ huc, & vide manus meas: & admoue manum tuam, & immitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed credens: pulchrè autem quadrabat & prophetiis quibus prænunciatus est, & rebus gestis ipsius vt postremum hoc accederet maximum miraculum. prædictum enim erat à pro- *Psal. 16*
pheta ex persona Iesu: Et caro mea habitabit in spe, & nõ derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum suum videre corruptionem. habuitque post resurrectionẽ corpus quoddam medium inter crassitudinem illam quæ ante passionem fuerat, & animam nudatam illo corpore. quapropter cum essent discipuli eius simul, & Thomas cũ eis, venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: *Luc. 24.*
Pax vobis. móxque subiecit hęc verba ad Thomam versus: Infer digitos tuos huc, & reliqua. Quin & in euangelio secundum Lucam Cleopa & Simone colloquentibus inter se de his quæ acciderant, Iesus repente interueniens iter F faciebat cum eis. & illorum quidem oculi tenebantur, ne eum agnoscerent: ipse autem ait ad eos: qui sunt hi sermones quos confertis inter vos ambulantes. deinde postquã apertis oculis agnouerunt eum, tunc ad verbũ sic scriptura loquitur: & ipse euanuit à conspectu eorum. itaque quãuis Celsus has Iesu post resurrectionem apparitiones conferre conetur cum vulgaribus spectris & visionibus: tamẽ quisquis candide ac prudenter hæc examinauerit, videbis rem esse longe aliam. Post hæc: veluti nactus ansam scripturas reprehendendi sic loquitur: Si Iesus volebat reuera declarare suam diuinam potentiam, debuerat suis insultatoribus, ipsíque præsidi qui capitalem sententiam contra se tulerat, denique cæteris omnibus se ostendere. Liquet enim & nobis ex euangeliis, non ita vulgo se conspicuum præbuisse post resurrectionem sicut antea, cum in Actis legatur per quadraginta dies conspectus discipulis docuisse de regno Dei: item in euangelio non continue versatus cum eis, sed aliquando post octo dies clausis ianuis subito visus in eorum medio, aliquando aliis modis similibus. Paulus quoque circa finem prioris ad Corinthios indicãs eum non vulgo conspectum sicut ante passionem, Sic scribit: Tradidi enim vobis in primis quod & acceperam, quòd Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris secun- *1.Cor.15*
dum scripturas, & quòd visus sit Cephæ, deinde duodecim illis: postea visus est plus quàm quingentis fratribus simul:

G ex quibus plures manent ad hunc vsque diem: quidam autem & obdormierũt, deinde visus est Iacobo, pòst apostolis omnibus, postremo vero omnium, velut abortiuo, visus est & mihi. Magna sanè res & miranda occurrit hoc loco, quæ non solum aliquem ex vulgo credentium exercere posset, sed perfectiores etiam: cur non dominus post resurrectionem æque ac superioribus temporibus conspiciendum se præbuerit. attamen ex superabundanti, vt in opere quod contra aduersarios christianæ religionis scribitur, videamus an possimus probabile quid afferre, quod moueat animos audientium hanc apologiam. Iesus vnus cum esset, non vno modo cogitari poterat, & ab inspicientibus non similiter videbatur ab omnibus. Et quòd pluribus modis cogitari poterat, manifestum est ex illis verbis: ego sum via, & veritas, & vita: tum ex illis: ego sum panis: tũ ex illis: ego sum ianua, innumerisque aliis. Quod autem ab inspicientibus non eodem modo videbatur ab omnibus, sed prout capaces erant manifestum erit his qui sciunt: cur transformaturus se in excelso monte, ne discipulos quidem omnes assumpserit, sed solos, Petrum, Iacobum, Ioannem, vt qui soli capaces essent tam gloriosi spectaculi, possentque in illa claritate Mosen & Eliam considerare, auditéque illorum colloquia, ac etiam vocem cœlitus delatam è nubibus. Equidẽ opinor etiam antequam ascenderet montem in quo solos discipulos docuit illas beatitudines, cum in subiecta planicie vespere sanabat ad
H se adductos variis laborantes ægritudinibus, ab omnibus morbis eos liberans, non eũdem visum male affectis opéque illius egentibus, & eis qui vt sani ascendentẽ in montem consequi poterant. Et quemadmodum quoties parabolas eis priuatim explicabat, quas auditorum vulgus audiebat sub inuolucris, excellentiorem auditum habebant qui absque inuolucris & explicatas audiebant: sic etiam visu præstabant, certæ animæ: & vt opinor etiam corporis, quin & illud indicat, non semper eum eodem modo videri solitum, quia Iudas proditurus eum turbæ quam secum adducebat, vt ignoranti eum dixit: quemcunque osculatus fuero, ipse est. Atque huc videntur etiam illa verba seruatoris facere: Quotidie docens in templo vobiscum eram, & non me tenuistis. Cum igitur talis esset Iesus non solum iuxta penitiorem illam diuinam naturam non cuiuis conspicuam, verum etiam iuxta variam corporis formam, qua quibus volebat & quoties volebat cernebatur: dicimus enim Iesum qui nondum principatus atque potestates spoliauerat, & nondum peccato mortuus fuerat, ab omnibus potuisse conspici, at eum qui spoliatis principibus & potestatibus nihil habebat quod a vulgo posset videri non amplius conspectum ab omnibus quibus antea se cernendum præbuerat, itaque parcẽs eis post resurrectionem conspici noluit ab omnibus, & quid dico
I ab omnibus, cùm ne cum apostolis quidẽ perpetuo conuersatus sit, aut semper ab eis videri se permiserit, nimirum quòd non ferrent aspectum ipsius continuum, fulgidior enim iam erat post peractam dispensationem eius diuinitas, quam Cephas ait apostolorum primitiæ videre potuit, & post eum duodecim, Matthia in Iudæ locum subrogato, & post illos quingenti fratres simul, deinde Iacobus, deinde reliqui præter duodecim, fortassis omnes septuaginta discipuli: postremo vero Paulus tanquam abortiuus, qui scit cur alibi dicat: mihi sanctorum omnium minimo data est hæc gratia, & fortasse minimus idem est quòd abortiuus. Ergo sicut immerito accusaretur Iesus, quod non omnes apostolos assumpsisset in montem, sed tantum tres, quando mutata forma & vestitu fulgido sumpto ostensurus erat eis suam gloriam, colloquiúmque cum Mose & Elia: sic immerito apostolorum scripta calumniaretur, qui reprehenderet ibi tradi, quòd non omnibus conspectus sit Iesus post resurrectionem, sed iis solis quos sciebat habere oculos ad vidẽdam eius resurrectionem idoneos. Facit autem ad præsentem defensionis partem & illud quod de eo dictum est: nam ideo Christus mortuus & resurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominus fieret: Vide hic ideo mortuum Iesum vt dominus mortuorum fieret: resurrexisséque vt non solis mortuis K dominaretur, sed viuis etiam, hi sunt nimirum mortui ad Christi dominium pertinentes, de quibus idem apostolus in epistola ad Corinthios priore memorat: canet enim tuba, & mortui resurgent incorruptibiles, de aliis item viuis & immutandis, diuersis ab illis qui resuscitabuntur ex mortuis, nam de his sic loquitur: & nos immutabimur, quæ verba sequuntur post illa: mortui resurgẽt primum. Quoniam & in priore ad Thessalonicenses aliis verbis eãdem *1. Thes. 4.* indicat differentiam, alios esse dormientes dicens, viuos item alios. Nolo autem vos ignorare fratres, de his qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & cæteri non habentes spem, nam si credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: sic & deus eos qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo, hoc enim vobis dicimus in verbo domini, quòd nos qui viuemus, & reliqui erimus in aduentum domini, nequaquam præueniemus eos qui dormiũt, quorum locorum interpretationem nostram exposuimus in commentariis prioris ad Thessalonicenses epistolæ. Nec mireris si non omnis multitudo in Iesum credẽtium *1. Cor. 2.* videt eius resurrectionem, quãdo Paulus scribens Corinthiis tanquam non plura capientibus, Ego, inquit, iudicaui nihil me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Tale est & illud: non enim potuistis, neque etiam nunc potestis, adhuc enim carnales estis. Sic igitur L stilum moderante diuina voluntate de Iesu scriptum est, ante passionem quidem sine discrimine visum eum multitudini, idque non semper: post passionem vero non amplius ex æquo omnibus, sed cum delectu pro suo cuique modulo. Quemadmodum & in scripturis legitur, visus est Deus Abrahamo, aut è sanctis alicui: quod tamen non erat perpetuum, sed ex interuallo, & non omnibus apparebat: sic intelligendum etiam Dei filium eodem discrimine ab his conspectum, quo ab illis Deus visus est. Satis igitur responsum est, vt in huius generis scripto, ad illam obiectionem: si Iesus volebat reuera declarare suam diuinam potentiam, debuerat suis insultatoribus, ipsique præsidi, denique cæteris omnibus se ostendere. Imò nõ oportebat eum conspici ab eo à quo damnatus fuerat, nec ab insultatoribus, nam vtrisque parcebat ne percuterentur tali cæcitate quali percussi sunt Sodomitæ olim insidiatores formæ angelorum exceptorum Loti hospitio, sicut refert scriptura: Extensis autem manibus viri traxerunt Lotum ad se in domum, & clauserunt ianuam, viros autem illos qui aderant pro foribus percusserunt cæcitate à paruo vsque magnum: & mulctati viribus quærebant ianuam, nimirum volebat Iesus diuinam suam potentiam ostendere solus ad videndam idoneis, & pro capacitatis eorum modulo: nec ob aliud vitauit passim cõspici, quàm quòd non omnes ferrent eius conspectum, itaque temere
M Celsus profudit illud: certe neminem amplius timebat, primum semel mortuus, deinde iam Deus vt vos dicitis: nec ad hoc missus fuerat vt delitesceret. Imò missus est non solum vt cognosceretur, sed vt lateret etiam, nam & his à quibus noscebatur, non in totum erat cognitus, manens ignotus ex parte: quibusdam vero fuit omnino incognitus: vt qui ianuam lucis aperuit duntaxat iis qui cum antea fuissent filij tenebrarum & noctis, adoptandos se dederunt filios lucis & diei, etenim venit seruator noster dominus, non tam ad iustos, quàm ad sanandos peccatores refertos, vt medicus. Videamus porrò quid sibi velit quod Celsi Iudæus inquit: quòd si hoc ad deitatem approbandam faciebat, debuerat mox è cruce euanuisse. Id sanè resipit dogma istorum oppugnatorum prouidentiæ, qui solent aliter præscribere quàm factum est: dicuntque, melius fuisset si talis esset mundus qualem designauimus, & aut præscribunt quod possibile est, atque ita quantum in ipsis est ipsorumque præscriptione, deteriorem mundum faciunt: aut si præscribunt meliora, ostẽdunt se velle quod iuxta naturam est impossibile: vtroque modo ridiculi. Ita hic quoque satis constat, potuisse illum disparere quoties vellet: & idem liquet ex scripturis, siquis eas non suo arbitratu nunc recipiat nunc eiciat, sicut isti faciunt, nam

& in

Ioan 14. 6.10.

Matt. 26.

A & in euangelio secundum Lucam scriptum est quòd post
resurrectionem Iesus accepto pane benedixit & fregit
porrexitque Simoni & Cleopæ. & postquam acceperunt
panem aperti sunt oculi eorum, & agnouerunt eum, &
ipse euanuit à conspectu eorum. Ostendemus autem quòd
non erat vtilius ad institutam eius dispensationem, sta-
tim in cruce disparendo corpus oculis hominum subtra-
here. Veritas scripturæ tradentis nobis gesta Iesu non
consistit in nudis verbis historiæ. nam in vno quoque si-
gnificatur latent aliquid, quod prudentior lector intelli-
git, sicut hoc ipsum de cruci affixo verum intellectum ha-
Gal. 4. bet in illo dicto: Cum Christo crucifixus sum: & illo: Mihi
autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Chri-
Rom. 6. sti. per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.
Mors quoque eius necessaria, propter illud. Quod enim
mortuus est peccato, mortuus est semel: & quia iustus dicit
conformem se fieri morti eius: & propter illud dictum: si
enim cum eo morimur, viuemus etiam cum eo. Sic etiam
sepultura eius peruenit ad conformes mortis eius, & ad si-
mul cum eo crucifixos atque mortuos: sicut & Paulus scri-
2. Tim. 2. bit: Consepulti enim sumus cum eo per baptismum, & si-
Col. 2. mul resurreximus cum eo. Cæterum quæ de sepultura &
monumento & eo qui sepeliit scripta sunt, opportunius &
prolixius disseremus alias, quando peculiaris erit horum
B tractatio: nunc sufficit nobis pura sindon qua inuolui o-
portebat purum corpus Iesu, & nouum monumentum in
petra excisum à Iosepho, vbi nondum quisquam iacuerat,
vel vt Ioannes scribit, in quo nondum quisquam positus
fuerat. hic aduerte an possit aliquem mouere consensus
trium euangelistarum, tam accurate de monumento exci-
so seu exsculpto in petra memorantium: vt qui rationem
scripturæ examinet, videat magni momenti res & in no-
uitate monumenti cuius Matthæus & Ioannes meminе-
runt, & in eo quòd nullus vnquam ibi sepultus fuerat, si-
cut à Luca & eodem Ioanne est proditum. Conueniebat
enim vt non vulgariter mortuus, sed post mortem etiam
vitalia proferens è corpore aquam atque sanguinem, no-
uúmque vt ita loquar cadauer, in nouo puroque monu-
mento deponeretur: vt quemadmodum eius natiuitas o-
mni natiuitate fuerat purior, eo quòd è virgine non è coi-
tu fuit natus, ita sepultura quoque insignem puritatem ha-
beret, deposito corpore in monumentum nouum, non è
collecticiis lapidibus arte constructum, sed è vno saxo ex-
cisum. Itaque occultior huius sacræ narrationis signifi-
catio posset augustiorem & diuiniorem tractationem re-
cipere, si id esset propositum: cæterum quod ad rationem
contextus in præsens reddendam attinet, belle quadrabat
vt qui destinato consilio crucis supplicium sustinuit, is cõ-
sequentibus etiam decorum seruaret, vt qui sicut homo
fuerat mortuus, sicut homo item deponeretur è stipite at-
C que sepeliretur. Attamen etiamsi scriptum fuisset in euan-
geliis è cruce eum euanuisse, vituperasset id Celsus cum in-
fidelibus, & hoc quoque carpentes dixissent: quid ita post
demum disparuit, & non antea potius curauit ne deueni-
retur ad supplicium. Ergo si hoc ipsum reprehendendum
existimant, euangelistas maluisse veritatem prodere, quàm
fingere disparuisse illum è cruce, quomodo creduturi sunt
resurrectionem, & quòd suo arbitratu modo clausis ianuis
subito apparuerit stans in eorum medio, modo post datum
panem duobus è familiaribus, pòstque habitum cum eis
colloquium, ex ipsorum conspectu euanuerit. Illud porro
qui Celsi Iudæo venit in mentem dicere, Iesum latuasse?
ait enim: quis vnquam emissus nuncius, cum mandata re-
nunciare deberet quæsiuit latebras? Certe minime latita-
bat qui comprehendere se quærentibus dixit: quotidie li-
bere docebam in templo, nec tamen me comprehendistis.
Quod autem mox Celsus repetit quæ antè deblaterans,
satis sit semel iam responsum esse. possunt enim ex his quæ
in superioribus paginis scripsimus confutari quod iterum
obiicit: cum in corpore versaretur inter incredulos, omni-
bus passim obtrudebat prædicationem suam: nunc cum fi-
des astruenda esset resurrectioni è mortuis, vni tãtum mu-
lierculæ suisque sodalibus clàm videndum se præbuit.

Atqui falsum est eum vni tantum mulierculæ apparuisse. D
extat enim scriptum in euangelio secundum Matthæum:
Vespere autem sabbati, quę lucescit in prima sabbati, venit Matt. 28.
Maria Magdalena & altera illa Maria videre sepulchrum,
& ecce terræmotus factus est magnus. angelus enim do-
mini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem. Et
paulo post infert idem euangelista: Et ecce Iesus occurrit
illis, videlicet iam dictis Mariis, easque salutauit. at illæ ac-
cedentes tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Re-
sponsum est & ad illud, quòd supplicium tulit omnibus
videntibus, post resurrectionem verò vni visus est: & cau-
sam vtriusque reddidimus. ac nunc quoque dicimus, hu-
manam eius naturam omnibus fuisse conspicuam: diuinæ
verò (loquor autem de his naturis non inquantum refer-
tur altera ad alteram, sed in quantum inter se differunt) nõ
fuisse capaces omnium oculos. Atque hic mihi aduerte
quomodo Celsus loquatur sibiipsi contraria, cũ enim mõ-
do dixisset illum clam apparuisse vni mulierculæ suisque
sodalibus, mox infert: ergo supplicium ferens omnibus vi-
sus est, rediuiuus vero vni, cum oporteret contrariũ facere.
Id contrarium quid sit audiamus, an passum eum omnibus
spectantibus, rediuiuum visum ab vnica. ergo quantum
ex ipsius verbis colligitur, volebat Celsus id quod ab-
surdum est & impossibile, supplicium illius ab vnico spe-
ctatum esse, resurrectionẽ ab omnibus. aut quomodo ali-
ter accipienda sunt illa verba, cũ oporteret contrarium fie- E
ri? Cæterum Iesus satis nos docuit à quo missus sit, dũ di- Matt. 11.
ceret: Nemo nouit patrem nisi filius: &, Deum nemo vidit Ioan. 1.
vnquam, vnigenitus quippe dei deus qui est in sinu patris,
ille enarrauit, ille diuinos sermones de deo disseruit apud
germanos suos discipulos: cuius disciplinæ vestigia in scri-
pturis inuenientes, occasionem inde habemus disputandi
de Deo, dum audimus illud: Deus lux est, & nullæ sunt in
eo tenebræ: tum illud, deus spiritus est, quem qui adorant,
in spiritu & veritate adorent necesse est. præterea cur à pa-
tre missus sit, ex innumeris locis licet volenti discere, tum
ex prophetarum vaticiniis, tum ex euangeliis, nec exi-
guam partem ex apostolorum maxime Pauli iis litteris.
Ipse est qui piis prælucet ad salutis viam, & in peccatores
animaduertit: de quo imprudens Celsus dixit, quòd pios
in via deducat, peccatores misereatur versos ad pœniten-
tiam. Post hæc, Si, inquit, volebat latere, cur audita est è
cœlo vox prædicans eum dei filium? quod si latere noluit,
cur passus est & mortuus? putátq; sic redarguisse à se scri-
pturarum dissonantiam, non intelligens voluisse illum
nec temere omnibus innotescere, nec omnino res suas
ignotas esse. certè cœlestis vocis præconium, declarans
hunc esse illum dilectum filium in quo pater sibi placeat,
non scribitur vulgo audita, quod Celsi Iudæus existimat: F
sicut & illa in monte excelso è nube profecta, solis his Matt. 3.
audita est qui simul ascenderant cum eo. talis est enim dei
vox, vt à solis audiatur quos ipse audire illam vult: ne in-
terim dicam dei vocem de qua hic scriptura loquitur, non
esse percussum aerem, aut percussionem aeris, aut quic-
quid aliud de voce dicitur: ideóque non isto sensili audiri,
sed longe præstantiore diuinioréque percipi: & quoties
ipse qui loquitur non ab omnibus eam exaudiri vult, eos
qui eximias illas aures habent audire deum: qui vero auri-
bus animæ obsurduerant, non sentire sermonem dei. Hoc
responsum sit quærenti cur audita sit è cœlo vox prædi-
cans eum Dei filium. cæterum quod quærit amplius, cur
si noluit latere, passus sit ac mortuus, satis responsum est
superius vbi prolixe de ipsius passione tractauimus. Post
hæc Celsi Iudæus colligit quasi rem consequentem quæ
minime consequitur. non enim colligitur ex eo quòd nos
passione sua mortem contemnere docuit, debuisse post re-
surrectionem è mortuis vocare propalam ad nouam do-
ctrinæ lucem genus hominum, doceréque causam aduen-
tus sui. Iam enim antè vocauerat omnes ad lucem his ver-
bis: Venite huc omnes qui laboratis & onerati estis, ego Matt. 11.
vos reficiam. Et qua de causa descenderit, relatum est in
prolixo illo sermone de beatitudinibus, quæque eas se-
quũtur promissionibus, adhæc in parabolis & disseratio-

G nibus quas cum scribis atque Pharisæis habuit. Iã vero secuodum Ioannis euangelium quàm multa doceat, liquet aduertentibus eius magniloquentiam, in rebus magis sitam quàm sermonibus, apparet enim ea euangeliis quantum autoritatis habuerint verba illius vsque ad miraculum. Tandem Celsi Iodæus clausurus orationem suam sic loquitur: Hæc igitur vobis protulimus ex vestris literis, vt non opus habeamos aliuode testimonia quærere, vestris enim ipsi telis coosigimini. At nos coarguimus hunc Iudæum multa præter nostras scripturas nugatum dum vel Iesum vel nos alloquitur: negamus vero illum ostendisse quomodo nostris ipsorum telis cõfigamur, vt isti videtur. Et quoniam Iudæi persona prorumpit in hæc verba: Altissime cœlum incolens, quis vnquam Deos ad homines descendens fidem non impetrauit? respondendum etiam io Mosis lege haberi, quòd Deus manifestissime præsens Hebræis fuerit, non solum patrãdis in Ægypto prodigiis, & in transitu per rubrum mare, & in colunis nubis ignisque verum etiam quando decem præcepta vniuerso populo sunt tradita. ac ne sic quidem illi fides est habita. Si enim credidissent ei quem videbant & audiebant, oon fecissent vitulum conflatilem, nec mutasseot gloriam suam in similitudinem iuuenci vescẽtis fœno, nec acclamassent ei: Hi suot dij tui Israel, per quos eductus es ex Aegypto.
H Ac vide an non eiusdem sit duriciæ, tot tantisque miraculis, quibus se Dei præsentia exeruit, & olim perui eaciter non credidisse toto tempore quod in deserto ea actum est, vt lex Iudæorum testatur: & post Iesu mirificum aduentum non flexos esse tantæ autoritatis sermonibus coniunctis cum miraculis patratis in conspectu totius populi: quod quidem argumentum vel solum sufficere posset ad conuincendam Iudæorum erga Iesum incredulitatem, videlicet similes eos fuisse suis maioribus vt legimos. Huic enim Celsi Iudæo percoontanti quis vnquam Deus ad homines profectus fidem ooo impetrauit, præsertim post speratum suum aduentum? aut cur ne expectatus quidem est agnitus? respondete possem: quid vultis ô vos responderi ad istam interrogationem? vtræ virtutes maiores vestra opinione videntur, illæ ne in Aegypto & deserto factæ, an quas nos Iesum fecisse apud vos dicimus? nam si illæ his maiores sunt, iam hinc apparet non alienum esse à vestris moribus vt minora cõtemnatis qui non credidistis maioribus: quandoquidem minoris apud vos fiũt quæ de Iesu dicimus, quod si hæc quæ de Iesu produntor paria suot illis quæ a Mose scripta sunt, quid mirum si idem populus æquè hic atqoe illic moa à principio fuit incredulus? Initio namque legis Mosaicæ damnatur vestra incredulitas: nouæ quoque legis & secundi testamenti initio conuincimini teste Iesu increduli esse, incredulorum illo-
I rum qui Deo parum fidentes in deserto perierunt posteri. Licet enim & ad vos vti verbis seruatoris nostri: quòd sitis cõfirmatores & approbatores facinorom patratorum à vestris maioribus, & quòd impleatur in vobis illa prophetia: erit vita vestra pẽdens ante oculos vestros, & non credetis vitæ vestræ: non enim credidistis vitæ quæ venit ad genus humanum. Nihil porrò Celsus sui Iudæi personæ affingit, qood non in ipsum retorqueri possit ea legis prophetarúmque scripturis. Crimini enim vertit Iesu quòd minetur & conuicietur grauitatis oblitus, dum intonat væ vobis, & prædico vobis, quasi confitens se persuadere non posse quod tam indignum Deo est, inquit, vt vix in hominem prudentem competat. Vide vero an non hæc retorqueri possint in Iudæum, nam & Deus minatur in legis ac prophetarum literis, obiurgat etiam nõ lenioribus verbis quàm sit væ illud euangelicum. Quale est il-
Esa.5. lud in Esaia: Væ qui cõiungitis domũ ad domum: & prædium ad prædium. Item, væ vobis qoi surgitis mane ad ebrietatem sectandam, Item væ vobis qui trahitis post
Esa.1. vos iniqoitates, vt fuoem lõgum. Item, væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, Item væ potentibus vestris potatoribus: aliáque id geous innumera. Minis vero an non illæ similes: væ vobis gens peccatrix, populus plenus peccatis, semen prauum, filij iniqui, & quæ sequuntur non minus minacia quàm quæ Iesum ait locutum, nisi K
forte non est comminatio, & quidem magna, hæc: Terra vestra deserta erit, vrbes vestræ igne cremabuntur: regionem vestram vobis inspectantibus deuorabunt exteri, & vastabitur ab alienigenis. Illa vera an non conuicia sunt in populum, vbi Ezechieli sic Deus loquitur: Inter scorpios tu habitas. Quid igitur in mentem tibi Celse venit vt Iodæom sic loqoentem introduceres de Iesu qoasi minatore, nullóque grauitatis respectu conuiciatore, quoties his verbis vtitur, væ vobis, &, prædico vobis? Noo vides eadem quæ tuus Iodæus Iesu obiicit, in ipsum Iudæum posse regeri, cuius Deus pari modo loquitur: quandoquidem prorsus eadem inuenitur Deus in prophetarum oraculis dicere, quasi aliter persuadere non posse. Præteres possum etiam hoc respondere istis qui putant Celsi Iudæum rectè criminari talia, multas diras imprecationes scriptas esse in Leuitico & Deuteronomio: quas si Iudæos scripturarum suarum patronus defendere poterit, similiter aut etiam melius defendemus hęc quę contumeliose dicta putat & minaciter. Imò ipsi Mosis legi nos melius patrocinari poterimus, vtpote docti à Iesu sapientius intelligere legalia scripta, quam iste Iudęos, quamuis etiam ipse Iudęus si introspiciat mentem verborum propheticorum, ostendere poterit non temere Deum vti vocibus his minatoriis & obiurgatoriis, vę, & denuncio vobis: & quòd Deus vt homines ad se conuertat taliter loquatur, qualiter Celsus putat nõ locuturum ne cordatum quidem L
hominem. Christiani quoque qui vnum Deum nouerunt io prophetis & in domino, reddere possuot eãdem rationem minarum & obiurgationum harum vt Celsus nominat. Et quia se profitetur tam philosophorum quàm nostra tenere dogmata, eum sic compellare. Heus tu, cum apud Homerum Mercurius Vlixem sic alloquitur: Infelix quid sic hos agros solus oberras? non admitteres rationẽ, ad castigãdum Vlixem ita loqui Mercurium homericum? quandoquidem adulari & ad gratiam loqui sirenibus magis cunuenit, necatorum à se ossa incubantibus? Hue protam verre Gręcorum sidus Vlixes, & nostros prophetas ipsũmque Iesum non fers ad conuertendos ad meliorem frugem homines vti hac voce vę aliísque quę tibi videntur conuicia, nec potas quicquam huiusmodi verba ad profectum auditorum facere, eísque pęoniam quandam medicinam afferre? nisi forte postulas vt Deus diuinę ve naturę particeps respiciat quid se tantum deceat, securus sit quàm efficax sit eius doctrina in hominum pectoribus, quámve singulorum affectibus accommoda. Illud vero an non ridiculum, quòd negat Iesum potuisse persuadere, idque ea Iudęi persona: cum innumera sint exempla talia non solũ apud prophetas, sed & apud scriptores Gręcos viros sapientia celebres non potuisse persuadere vel insidiatoribus suis, vel iodicibus, vel accusatoribus, vt omis- M
sis viciis ingrederentur viam philosophię ferẽtem ad virtutum fastigiũ. Post hęc idem Iudęus dicit, videlicet iuxta Iudęorum placita: Speramus certe resurrectionẽ in corpore & vitam æternam: eiúsque exemplar ac primum ducem fore illum qui nobis mittendus est, assensurum posse Deum excitare quem vult etiam cum corpore. Equidem dubito an Iodæus diceret Christum qui ab eis expectatur exhibiturum in se exemplum resurrectionis, sed demus eum sic & sentire & loqui, respondebimus profitenti se ex nostris scripturis nobiscum agere: heus tu, ergo illa legisti quæ putas ad accusationem nostri facere, cæterum resurrectionem Iesu & quòd primogenitus sit ex mortuis non legisti? aut quia hęc scripta dissimulas, nec scripta sunt? Quoniam autem Iudęus iste à Celso introductus admittit resurrectionem corporum, nõ puto nunc prolixius agendum cum credente eam & fatente, siue ipse possit hanc veris rationibus asserere, siue imaginetur fabulosam aliquam, contentus igitor erit his quę iam responsa sunt. Et quoniam post hęc dicit: vbi est igitur vt videamus & credamus: quæremus ea ipso: vbi est igitur nunc ille qui per prophetas loquitur, & qui fecit miracula, vt videamus & credamus vos esse peculium Dei? An vobis licet respondere

A dere, non semper esse Deum præsentem Hebræorum generi, nobis idem respondere de Iesu non licet iam rediuiuo, vt satis persuasit suis discipulis? & in tantum persuasit, vt per constantem patientiam ostendant se respectu æternæ vitæ & approbatæ verbis ac rebus resurrectionis, pro lusu habere quicquid in hac præsenti vita molestum est & arduum. Pergit Iudæus: An ideo descendit, vt non credamus? Ad quod dicetur, non in hoc eum venisse vt Iudæos redderet incredulos: sed quia non credituros sciebat, iam ante hoc prædixisse: eorúmque incredulitate vsum ad vocationem gentium: illorum nanque delicto salus gẽtibus contigit, de quibus Christus ipse apud prophetas sic loquitur: Populus quem non noram seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi, & inuentus sum ab his, qui me non quęrebant, manifestatus sum his qui me non interrogabant, constátque etiam in hac vita pœnam non effugisse Iudæos propter suam in Iesum sæuitiam. Eant nunc Iudæi, & & ingerãt nostris hominibus ex Iudaismo conuersis diuinam prouidentiam, per quam vt pœna digni priuati sint hierosolymitana vrbe, sanctuarióque quod ipsi vocant, & cultu Dei religiosissimo, quantum cunque extulerint diuinam prouidentiã, nobis contra ipsos magis quadrabit hæc oratio, mirandũ esse Dei consilium, quod peccato populi sui vsum sit ad vocandas per Iesum gentes ali- Psal. 17.

B enas à testamẽtis & promissionibus de regno Dei. id quod iam olim à prophetis prędictum fuerat, propter peccata Hebręorum populi, electurum Deum non vnam aliquam gẽtem, sed selectos ex omnibus: & post electa ea quæ stulta sunt huius mundi, conuersurum gentem brutam ad eloquia Dei, ablato ab illis Dei regno & his tradito. Sufficiet inpręsentiarum vnum è multis oraculum adducere, quod in Deuteronomio de futura gentium vocatione canit in hunc modum ex persona domini: Ipsi ad ęmulationẽ me mouerunt in non diis, & ad iram prouocarunt in idolis suis: ego quoque ad ęmulationem eos mouebo in non gente, in gente insipiente ad iram commouebo eos. Tandem Iudęus concludit sic de Iesu: Igitur homo erat ille, talis qualem & verba & res ipsę indicant. At ego nescio an homo ausus vniuersum orbem ad sui cultum suámque doctrinam attrahere, potuisset sine Deo tantum successum habere, superaréque omnia ſuę doctrinę obstacula, etiam reges imperatorésque, senatum ipsum Romanum & omnea omnium populorum principes. Quomodo enim homo natus & nullius pręstantioris naturę particeps tantam ad se conuertere multitudinem: & quod magis mirum est non sapientum tantummodo, verum etiam affectibus magis quàm rationi obsequentium, ita vt mox versa vice fiant è brutis prudentes, Sed quoniam potentia Dei Christus erat & patris sui sapientia, ideo talia fecit & facit nũc quoque. Tergiuersentur licet Iudęi gentilésque verbis eius cre-

C dere, nos certe nunquam desinemus Deo fidere iuxta doctrinam Iesu Christi, & cęcutientes alios ad Dei cultum si velint conuertere: etiamsi isti vere cęcutientes nos cęcutire dictitẽt, & siue Iudęi siue Gręci ductantes insensatos homines vt pecora, nobis quod ipsi faciunt obiiciant: nos siquidem non mali duces sumus à moribus perditis traducentes discipulos ad resipiscentiam, vt pro intemperantibus temperantes fiant, aut saltem proficiant ad temperantiã pro iniustis iusti, aut saltẽ proficiant ad iusticiam, pro imprudentibus prudentes, aut saltem ingrediantur viam prudentiæ, pro ignauis item ac timidis fortes ac patientes fiant, præsertim quoties certandum est pro pietate erga Deum conditorem rerum omnium. Venit igitur nõ vnius prophetæ sed omnium pręconio prænunciatus Iesus Christus: in quo etiam se Celsi ignorantia, dum ex Iudæi persona vnum prophetam dicit de Christo prædixisse. Et quoniam hactenus loquentem quasi iuxta suam legem Iudæũ Celsus fecit, nisi quod in fine quædam subiecit nulla mencione digna, ipse quoque hic desinam & claudam secundũ librum: ad reliqua Deo fauente & Christi virtute animo nostro assistente conabimur, Celso respondere in tertio deinceps volumine.

LIBER TERTIVS. D



IN primo volumine, quod aduersus arroganter inscriptum Veriloqui sermonis titulo librum quo nos Celsus impetit scripsimus, pro virili percurrimus ita vt iussisti fidelissime Ambrosi præfationem eius & quæ deinceps sequuntur, examinantes singula eius dicta, donec desiimus in fictã cõcionẽ ad Iesum ex persona Iudæi. In secũdo vero refutatis quantum potuimus omnibus à concionabundo eodem Iudæo ad nos dictis qui per Christum in Deum credidimus, tertio hoc libro iam aggredimur ea quę Celsus ex sua persona nobis obiicit. Ait stulte inter se contendere Christianos & Iudæos, nihilque differre hanc eorum concertationem de Christo ab illa prouerbio celebrata contentione de vmbra asini: nihilque grauitatis habere totam hãc quęstionem, vtrísque credentibus prænunciatum per afflatum diuinum spiritu vates aduentum seruatoris humani generis, cæterum in hoc dissentientibus, veneritne is qui oraculis designatur, an non. nos enim Christiani Iesu credimus, vt ad nos cœlitus delato iuxta vaticinia: Iudæorum vero maxima pars tantum abest vt in eum credat, vt qui seculo E illo fuerunt insidias Iesu struxerint, nostræ vero tempestatis Iudęis probetur illorum facinus, nec desinant conuiciũs Iesum proscindere, vt qui se damnans artibus venditarit pro illo à prophetis prædicto Christo, sicut vocatur à Iudæis. At dicat nobis Celsus cum suis applausoribus, videatur ne simile asini vmbræ, prædictum esse à Iudęorum prophetis locum natiuitatis ductoris recte viuentium qui censentur peculiaris Deo populus: fore que vt Emanuel nascatur è virgine, & talia fiant per venturum illum prodigia, támque celeriter eius verbum terras percurrat vt vniuersum orbem peruagetur sonus apostolorum: ad hęc quid passuros sit Iudæis damnantibus, & quomodo resurrecturus, ergo temere hæc effundebant prophetæ, nulla probabili causa moti non solum vt hęc prædicerent, sed mandarent etiam literis? ergo tanta Iudæorum gens vt olim propriam regionem coleret, nulla verisimili ratione adducta, aliis prophetarum honorem tribuit, alios abdicauit pro falsis vatibus? aut nihil eos inuitauit vt posteriorum prophetarum scripta connumerarent cum semper sacris habitis Moysis voluminibus? Quomodo ostendent nobis isti, qui stulticiam Iudæis atque Christianis obiiciunt, potuisse Iudæorum gentem consistere sine vlla promissionum præscientia? & cum circumuicinæ gentes singulæ in suorum vt tunc habebantur Deorum fana peterent oracula, hos solos qui contemptum externorum numinum didicerant, vt non Deorum sed dæmonum, omnium prophetarum voce moniti omnes gentium Deos esse dæmonia: neminem habuisse qui diuinæ mentis interpretem se professus à vanis illis mentes ad se retraheret eos, qui alioqui noscẽdorum futurorum cupidine desciuissent ad cultos ab aliis dæmonas? considera igitur an non necesse fuerit eos domi habere meliorum vatum copiam, qui externos contemnebant vnà cum suis numinibus. Psal. 18. Psal. 96. F

Ergo cum passim miracula fierent, sicut ipse mox memorat Æsculapium sanationes & oracula pręstantem totis sibi dici dicatis vrbibus, Triccæ, Epidauru, Coo, Pergamo, & Aristeum Proconnesium, aliúmque quendam Clazomenium, & Cleomedem Astypalæum: apud solos Iudęos placentes sibi vt peculiarem Dei rerum vniuersarum conditoris populum, nihil erat signorum aut prodigiorum quod cõfirmaret fidem in eum, coniunctam cum spe melioris vitæ alię? atqui quomodo hoc putaret aliquis? statim enim desciuissent à Deo suo, cuius ope prius pendebãt, ad illos externos fatidicos & sanitatũ largitores deos, si sui nullam sensissent in rebus dubus præsentiam. Quod si hoc non fecerunt, sed maluerunt innumeras calamitates perferre quàm abiurare Iudaismum legésque patrias, modo ab Assyriis, modo à Persis, modo ab Antiocho afflicti: qui fit vt isti qui non dignãtur historiarũ & prophetiarũ

G miraculis credere, figmenta hæc puteut potius, quàm diuino spiritu afflatas fuisse vatum illorum sanctissimas animas, amore virrutis nullas ærumnas vitantium, dum habitante intra se numine agitari, tam ætati suę quàm futuris seculis fata publica priuatáque aperiunt, præcipue vero de venturo quodam seruatore humani generis. Hæc ita cũ se habeant, quomodo videri possunt de asini vmbra Iudęi cum Christianis contendere, inquirentes ex prophetis quibus vtrique ex æquo creduur, venerit ne is de quo prophetæ canunt, an nondum, sed venturus sit, atque ve interim detur Celso non esse Iesum eum de quo à prophetis præuunciatum est, nihilo minus ne sic quidem de asini vmbra inquirerent. qui propheticas scripruras excuterẽt, quo euidentius ostẽderetur qualis nam designatus sit prophetarum oraculis, quídue facturus: & si fieri possit, quo aut quando venturus. Declarauimus autem iam antè paucarũ è multis prophetiarũ testimonio, hunc Iesum esse illũ Christum de quo prophetarum est: itaque non falluntur nec Iudæi nec Christiani dum prophetas diuinitus locutos opinantur: sed qui errant in eo falluntur, quòd adhuc ve venturum expectant de quo verissime prædixerunt prophetæ, addentes etiam eius patriam. Post hæc Celsus putans Iudæos ab Aegyptiis oriundos per seditionem Aegyptum deseruisse, contemptis publicis Aegyptiorum riti-H bus: ait eos quod prius ipsi Aegyptiis fecerant, idem pòst passos ab iis qui ab ipsis ad Iesum defecerunt, secuti fidem eius tanquam Christi: & vtrisque nouatæ religionis à seditione factum initium, & secessione. Aduertendum hic quid Celsus agat. Aegyptij quondam cum Hebræos propter famem in regionem suam delatos hospites & supplices multis iniuriis afficerent, quasi conspirassent in immeritos, diuina animaduersione castigati ęgre manumiserunt eos ex iniusta seruitute. itaque vtpote amãtes sui generis, & qualibuscunque cognatis ęquiores quàm hospitibus, nullam calumniam omiserunt, qua non Mosen ac Iudæos appeterent, prodigia quidem per eum patrata non omnino inficiantes, cæterum magicis artibus ea tribuentes non diuinæ potentiæ, at Moses non magus, sed vir pius omnes suas res ad Deum vniuersorum referens, diuinique spiritus particeps, eius instinctu leges Iudæis tulit, & res gestas varaciter mãdauit literis. Celsus verò non ęquus earumiuator Aegyptiorum Hebræorúmque controuersię, sed præoccupatus illecebris Agypriacis, maluit credere hospitum oppressoribus, Hebræos qui iniuriam patiebãtur, per seditionem dicens Aegypto excessisse: non videns interim esse impossibile vt tanta multitudo Aegyptiis regnantibus per seditionem nouam gentem constitueret lingua etiam mutata, repentéque ex Aegyptia Hebræa fieret. Sed detur hoc quoque, eis relicta Aegypto subiisse linguæ etiam na-I tiuæ tedium: qui factum est igitur vt non Syrorum potius Phœnicúmve linguam assumpserint, sed Hebræam differentem ab vtraque. quibus omnibus rationibus colligitur falso credi, olim quosdam Aegyptij generis secessisse in Palæstinam à cęteris Aegyptiis, indéque natam coloniã quæ nunc Iudæa dicitur. nam Hebræi suam patriam linguam habebant prius quàm in Aegyptum descenderent, & Hæbraicæ literę diuersæ erant ab Aepyptiacis: quibus Moses vsus scripsit quinque illos codices sacros apud Iudęos habitos. Itaque vtrumque ex æquo falsum est, vel Hebręos cum olim Agyptiorum pars fuerint, per seditionem ab eis secessisse: vel Iesu temporibus orta seditione in Iudæorum republica, reuulsam, à cætero populo partem ad Iesum defecisse, nihil enim seditiosum Celsus & qui cum eo sentiunt, in Christianis ostendere poterunt. Certe si per seditionis causam orta fuisset Christiana religio, defectione factá à Iudæis, quibus & arma ad sui defensionem sumere licebat, & hostem occidere, non interdixisset Christianorum legislator omne homicidium, nefas esse volens suis discipulis tale facinus in hominem quemcunque vel sceleratissimum, indecorum enim putabat diuinis suas legibus permitti cædem qualiscunque hominis. neque Christiani, si à defectione habuissent initium, admisissent tam mansuetas leges, quæ præberent inimicis facultatem trucidandi se tanquam pecora non repugnantia. Quamuis K si altius introspiciamus negotium, possumus dicere de egressis ex Aegypto, non sine miraculo & diuina gratia populum vniuersum recepisse linguam pristinam quæ Hebræa dicitur: sicut & ipsorum quidã propheta canit: quòd in exitu eorum ex Aegypto linguam audierunt quam non nouerant. Est & aliud argumentum non fuisse Aegyptios qui Mosis ductu eam regionẽ egressi sunt. nam si fuissent, vtique habuissent nomina Aegyptiaca, sicut quæque lingua sua habet nomina. quod si constat nomina eorum esse Hebraica aut alienigenarum: plena est enim scriptura hebraicis appellationibus, quas etiam in Aegypto parentes filiis indiderant: satis apparet figmentum Aegyptiorum esse, quòd olim cum Mose ex Aegypto pulsi fuerint: & non dubium amplius relinquitur, natos esse ex Hebræis maioribus, sicut à Mose est proditum, & proinde vsos lingua eorum, etiam hebræa habuisse nomina à parentibus indita. Cæterum vt & de Christianis dicam, hi quia docti non repugnare infestatoribus suis, constanter seruauerunt mansuetam hanc & humanam legem autoris sui, plus cõsecuti sunt quàm si accepissent hostibus resistendi licentiãt nimirum Deo propugnante & opportunis temporibus cohibente persecutores Christiani nominis. Vt enim commonerentur aspicientes paucos pietatis athletas probatiores fieri, mortemque contemnerent, pauci per interualla temporum & facile numerabiles pro religione Christiana sunt mortui, Deo vetãte ne in totum exscinderetur hoc L genus hominum. Subsistere enim id voluit, & omnes terras repleri salutari hac piáque doctrina, è diuerso vt infirmiores respirarent à mortis metu atque solicitudine, Deus prospexit fidelibus, nutu solo dissipatis cunctis aduersariorum conatibus, vt neque reges, neque prouinciarum præsides, neque populi possent ea asperari contra eos amplius. Hæc responsa sint Celso affirmanti & quondam Iudæis & pòst Christianis à seditione fuisse initium. Quoniam autẽ in sequentibus manifeste mentitur, age apponamus verba ipsius. Si omnes homines vellent esse Christiani, isti hoc iam non admitterent. Hoc falsum esse liquet inde, quòd Christiani quantum in ipsis est non negligunt per totum orbem seminare doctrinam hanc suam. certe quidam hoc vnum sibi desumpserunt negotium, vt obambularent nõ tantum per oppida, sed vicos etiam & villas, vt alios quoque ad pietatem verúmque Dei cultum pertraherent. nec obiici potest eos lucri causa id facere, quando sæpe recusant accipere victui necessaria: & si forte hoc interdum coguntur præ inopia, præsenti tantum vsu cõtenti sunt, etiamsi non desit multorum vltronea liberalitas plura largiri cupientium. Ac nunc fortasse quando in tanta doctrinam hanc amplectentiũ multitudine, adiungunt se & diuites & honorati & delicatæ nobilésq; mulierculæ, audebit aliquis dicere, quosdam propter gloriolas suscipere cu- M ram instituendi Christiani populi: hoc tamen circa initia Christianismi non dixisset, cũ nullis magis imminebat periculum quàm doctoribus, nec potuisset id suspicari probabiliter: & hodiéque plus est his apud externos ignominiæ, quàm apud suos gloriæ, quæ tamen non contingit omnibus. Est igitur euidens mendacium, si omnes homines velint esse Christiani, istos hoc non admissuros. Ac vide quo argumento id colligat. Nam ab initio, inquit, cum pauci essent cõsentiebant. postquam autem præ multitudine per varia loca dispersi sunt, iterum atque iterum scinduntur, & singuli suas partes habere volunt. Id enim iam olim cupiebant. Fuisse quidem ab initio paucos Christianos collatos ad posteriora tempora constat, quamuis non omnino pauci erant. hoc enim inuidiosum fecit Iesum, & Iudæos conciuit ad illi struendas insidias, quod quaterna quináve milia hominum sequebantur eum vsque in solitudines, non annumeratis mulieribus & pueris, tanta vis attrahendi velut iynx quædam inerat Iesu sermonibus, vt non solum viri sed etiam fœminę omissa imbecillitatis & existimationis cura persequerẽtur eum haud grauatim vsque in solitudines doctrinæ gratia: nec minus [illegible] omni alioquin affectu carentes, siue illi parentes,

seque-

A sequerentur, siue potius diuina quadam vi adducti, cuius
desiderio faciebant iter vnà cum genitoribus. Sed sit ita,
fuerint pauci ab initio, hoccine facit vt Christiani nolint
suam doctrinam recipi ab omnibus hominibus? Ait etiam
consensum fuisse inter omnes, ne hic quidem videns quòd
mox ab initio non conueniebat inter credentes de delectu
diuinorum sacræ scripturæ voluminum. ad hæc aposto-
lis etiam tum prædicantibus & quæ ex ipso Iesu audierant
docentibus, quæstio non modica inter Iudæos fideles ex-
titit, de his qui ad hanc doctrinam accedebant ex genti-
bus, exigendi ne sint ab eis ritus iudaici, an remittendum
onos purorum impurorúmque ciborum discriminis, vt
non necessarium: amplexis Iesum relicta superstitione ma-
iorum suorum. quin & in Pauli epistolis æqualis eorum
qui Iesum viderant inueniuntur quædam de his qui in
quæstionem reuocabant resurrectionem, quasi iam facta
esset, & de die domini habebant controuersiam, instaret
1.Tim.6. ne iam an non: & illa verba, Deuitans profanas vocum
nouitates & oppositiones falso nominatæ scientiæ. quam
quidam pollicentes fecerunt fidei naufragium: satis indi-
cant ab initio variatum fuisse in quibusdam, cum non-
,, dum multi essent fideles vt Celsus existimat. Et quia mox
,, in Christianorum sectas inuehitur dicens. postquam late
,, sparsi sunt iterum atque iterum scissos, singulis suas fa-
,, ctiones sibi parantibus, & vt in multitudine dissona aliis
,, alios redarguentibus: nec iam quicquam præter nomen
B eis commune superesse, si tamen vel hoc præ pudore com-
mune relinquitur, reliqua vero aliorum alia instituta es-
se: etiam ad hoc respondebimus, nullam vnquam extitis-
se rem magnæ existimationis & communi vitę vtilem quę
non in varias sectas discissa sit. medicinæ namque, quòd ea
sit vtilis ac necessaria humano generi, multásque quæstio-
nes habeat de modo curandi corpora, apud Græcos ex
professo plures sectæ inueniuntur, & sicut opinor etiam
apud barbaros qui medicinam profitentur. Rursum phi-
losophia veritatis cognitionem rectéque viuēdi rationem
pollicetur, conatúrque nos res vtilissimas docere in mul-
tas quæstiones diductas, ideo sectas habet plurimas, quas-
dam magis, quasdam minus insignes, nec non Iudaismus
sectarum materiam præbuit, aliis aliter Mosis atque pro-
phetarum sermones accipiētibus. Eodē modo quia Chri-
stiana religio magnum quiddam ac venerabile visa est ho-
minibus, non tantum seruili ingenio præditis sicut Cel-
so videtur, verum etiam multis Græcorum eruditis, neces-
sario exortæ sunt sectæ, non contentionis sed inquirendæ
Christianæ veritatis studio: dum omnes admirantur ac
venerantur diuinas scripturas, sed varij harum intellectus
autores suos habent, vt quisque aliqua probabili ratione
ad interpretandum motus est. At neque medicinam sanæ
C mentis homo fugiat propter sectarum differentias, & pa-
rum honeste faciat si quis simili de causa abhorreat à phi-
losophia: sicut neque propter Iudaicas sectas damnanda
sunt Mosis atque prophetarum sacra volumina. Quodsi
hæc non absurde nobis dicta sunt, an nō pari modo etiam
1.Cor.11. Christianorum sectas excusare licet? de quibus miranda
mihi videtur Pauli sententia dicentis: Oportet sectas in
vobis esse, vt qui probati sint manifesti fiant inter vos.
Nam quemadmodum medicus is demum probatus est,
qui variis medicorum sectis examinatis probe sese in ea-
rum plerisque exercuit, & is in philosophia profecisse in-
telligitur, qui variarum opinionum dissertationibus exer-
citatus potiores ex his rationes sequitur: sic ausim affir-
mare illum esse inter Christianos sapientissimum, qui Iu-
dæorum atque Christianorum sectas introspexit diligen-
tissime. Qui vero nostram doctrinam propter sectas eius
vituperat, damnabit etiam Socraticam, quòd ex eius phi-
losophi disputationibus ortæ sint diuersæ scholæ aliquot:
damnabit & Platonis decreta, propter dissentientem ab
iis Aristotelem, & nouis indulgentem opinionibus: qua
de re iam ante nobis dictum est. Celsus autem videtur
mihi nō esse quasdam hæreses, quibus ne nomen quidem
Iesu nobiscum est commune. Fortassis enim audiuit de
Ophianis qui vocantur & Cainanis, & si qua alia similis

est sententia modis omnibus à doctrina Iesu discrepans, D
verum ista nihil ad inculpatissimæ religionis Christianæ
vituperationem attinēt. Post hæc inquit: Quo magis mi-
rum est eorum Institutum, è nullius momenti initiis coa-
litum nisi quod secessio, eiúsque commoda, & metus quo
sibi timent à diuersum sentientibus, mutuam inter ipsos
fidem conciliat. Ad hoc quoque respōdebimus, adeo non
de nihilo, imò diuina operatione institutum nostrum esse
ortum vt initium habeat ab oraculis per prophetas editis,
quibus docebantur homines sperare aduentum Christi
seruatoris humani generis. Quanto enim salsior est hæc
infidelium reprehensio, qua tamen sibi videntur merito
in nos inuehi: tanto magis subsistit diuina doctrina, qua
didicimus Iesum esse Dei filium, & ante assumptam hu-
manam naturā & dum homo fit: addo etiam postea sem-
per eum inueniri diuinissimum, modò quæratur animi
oculis perspicacibus. apparebit enim cū vere à deo descen-
disse: nec tum primum initium habuisse, quæque post ini-
tium secuta sunt, quando cœpit intelligi: sed ex quo Deus
cœpit interesse rebus hominum, variis virtutibus multi-
plicíque sapientia sua Iudaicam primò, deinde Christianā
religionem instituens. Iā autem antea confutatū est quod
putat à seditione indeq; profecta vtilitate initium factum
doctrinæ per quam tanta multitudo conuersa est. Quod E
verò mox sequitur de metu quo sibi timeant à diuersum
sentientibus, eóque in mutua fide contineātur, satis appa-
ret etiam absque eo sodalitatem nostram consistere, vel ex
hoc quòd valente deo metus is cessauit longo tempore: &
verisimile est cessaturam præsentis vitæ securitatem in
credentibus, vbi denuo calumniatores nostri causam tan-
torum motuum quibus nunc res Romanæ agitantur, in
multitudinem fidelium conferre cœperint, quòd non im-
pugnemur à principibus sicut superiore tempore. didici-
mus enim nec in pace de pristinis studiis quicquam re-
mittere, luxuíve nos tradere, nec si à mundo infestemur
lassari, deficeré ve à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.
Itaque palàm approbamus veneranda religionis nostræ
initia, non vt Celso videtur occultamus, quandoquidem
eius candidatis ante omnia contemptum idolorum om-
niúmque statuarum indimus, mentémque horum à cultu
ac veneratione creaturarum ad deum vniuersitatis huius
conditorem attollimus, aperte de prænunciato à vatibus
docentes, tum ex ipsorum prophetiis, tum ex euangelista-
rum apostolorúmque sermonibus accurate traditis ad pò-
steros qui modo prudentius eos audire valeant. Qualibus
porro vaframētis terriculisve fictitiis vulgus attrahamus,
vt Celsus temere obiicit, proferat qui volet: nisi forte quod
de iudice deo, déq; hominibus in eo iudicio rationem fa-
ctorum suorum postulandis docemus, astruentes id variis
modo, vel scripturarum autoritate, vel argumentis proba- F
bilibus, iste habet pro terriculis fictitiis: quamuis tan-
dem (amica enim veritas) ipse Celsus ita loquatur: absit vt
bi, aut ego, aut vllos mortalium, tollat opinionem de In-
iustorum pœnis & iustorum præmiis. Quæ sunt igitur
alia terricula quibus confictis homines attrahimus? Quin
illud obiicientem, quòd priscas fabulas secus intellectas
refingentes, his primùm obtundamus homines, velut so-
nis quibusdam corybanticis, interrogabimus quas priscas
fabulas? nam siue de græcanicis dicit denarrantibus nobis
inferorum tribonalia: siue de Iudæorum literis, inter cæ-
tera vitam futuram vaticinantibus: non poterit ostende-
re nos male intellexisse veritatem, qui vitam nostram his
persuasissimis rationibus conamur corrigere: sicut nec
conferre nostras res cum rebus Ægyptiorum: ad quos
venienti offerunt se splendida fana cum lucis, & templa
cum vestibulis atque porticibus eximia magnitudine pul-
chritudinéque mirandis, ceremoniæque admodum reli-
giosæ ac mysticæ: introgressus autem videbit adorari felē,
aut simiam, aut crocodilum, aut hircum, aut canem. quid
enim est apud nos simile speciosis primo aspectu Aegy-
ptiorum sacrariis? aut quid conferendum cum adoratis
intus brutis animantibus? An forte prophetiæ, & Deus
vniuersorum dominus, & idolorum contemptus videntur

G etiam ei ees magnificæ, Iesus vero Christus crucifixus similis adoratæ brutæ pecudi. Id si dicet, nec enim aliud dicturum puto, respondebimus multa nobis superius pro defensione Iesu memorata, quòd etiam quæ illi humano more accidisse videntur, vtilia fuerunt vniuerso mundo & salutaria. Et postea venerandas istas Ægyptiorum res, affirmantium animalibus brutis inesse quædam diuinitatis siue symbolú, siue quocunque modo hæc nominare libet ipsorum vatibus, ait præ se ferre quandam speciem non vanorum sacrorum, duntaxat apud peritos talium: ceterum quæ nostra disciplina habet Charismata (vt Pauli more loquar) concessæ per spiritum sapientiæ, cognitionisque spiritualis magis quàm ratiocinatricis, cuius Christiani studiosi sunt, ne in cogitationem quidem venisse Celso coniicio, non solú ex his eius verbis, sed etiam è sequentibus: vbi Christianú sodalitiú incusat, dicens arceri omnes sapientes à doctrina fidei, solos adsciscì amentes & ingenio seruili præditos: de quo videbimus post quàm ad eum locum ventum fuerit. Et ait à nobis stultè rideri Ægyptios, quamuis multa præclara subindicantes suis ænigmatibus, nempe idearum sempiternarum intellectum, non vt vulgo videtur brutorum mox interiturorum venerationem docentes, cum ipsi res veneratu nihilo digniores quàm hircos & canes Ægyptiacos introducamus in nostris de Iesu narrationibus. At hoc dicemus.
H Ergo vir præclare si Ægyptios multa non contemnenda sub ænigmatum inuolucris & animalium suorum imaginibus docentes merito extollis, immerito nos accusas, quasi persuasus nihil sani nos dicere, sed friuola omnia, quoties de Iesu conditiorem sapientiá interpretamur apud initiatos Christianis mysteriis. de quibus vt huiusmodi sapientiæ capacibus Paulus sic scribit. Sapientiam autem
1. Cor. 2. loquimur inter perfectos, sapientiam inquam non huius seculi, nec vanitatis coarguendorum huius seculi principum: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio celatam, quam prædefiniuit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo cognouit principum huius seculi. Dicant nunc Celsi huius similes, nullam ne excellentiorem sapientiam Paulus imaginabatur, cum polliceretur locuturum se apud perfectos sapientiam? quod si quis perfricta fronte audebit dicere apostolum sapientiæ nihil habentem promisisse talia, iubebimus eum interpretari huius scriptoris epistolas, singularum dictionum introspecta mente quàm diligentissime: puta quæ sunt ad Ephesios, Colossenses, Thessalonicenses, Philippenses, Romanos: ostendetque vtrunque, & quòd à se intellectæ sint, & quòd stultæ ac fatuæ. Sat enim scio, si se attentæ illarum lectioni dederit, aut admirabitur mentem viri vulgari dictione egregias complexi sententias: aut nisi admiratus fuerit, ipse ridiculus
I videbitur: siue vt intellecta enarrare conabitur, siue confutare quæ ipse in eius literis imaginatus sit. Taceo nunc de his quæ in totis euangeliis obseruatione digna sunt: quorum singula habent multam contemplationem non imperitis solum & plebeiis difficilem, sed ingeniosis etiam, propter profundissimos sensus parabolarum quibus apud profanos Iesus est vsus, seruans earum intellectum discipulis auribus non vulgaribus præditis, & domi priuatim se de hoc appellantibus. Ibi mirabitur qui intellexerit qua ratione alij domi dicantur esse, foris alij. Rursus quis non obstupescat qui modo queat perspicere crebros Iesu transitus, nunc montem petentis hoc aut illud dicendi faciendi ve gratia: nunc iterum descendentis ad sanandos ægrotos, qui eum in montem vnà cum discipulis consequi non poterant. Verùm non est præsentis temporis enarrare diuinos sensus euágeliorum Paulinarúmve literarum, hoc est sapientiæ verbique Dei: satis sit vel hæc dixisse contra indecoram philosopho Celsi maledicentiam, comparantis ecclesiæ Dei mysterio cum Ægyptiorum felibus, simiis, crocodilis, hircis, canibus. Et vt nullam derisionis speciem reliquam faceret scurra iste in suo sermone quo nos impugnat, Castores, Herculem, Æsculapium, Bacchum memorat, deos factos vt Græci credunt ex hominibus: dicens nos non ferre pro diis eos habeti quamuis cæteris præstantiores optimeque de mortaliú genere meritos: Iesum vero prædicare quòd post mortē conspectus sit suis sodalibus: additque huic criminationi, vmbram visam esse ab eis. Ad hæc dicimus, Celsum egregie dissimulasse quòd hos deos non coleret, veritú lectorum opinionem, ne crederent eum impium: qui si cognitæ veritatis rationem habuisset, nunquá simulasset habere se illos pro diis, nobis non deest quod respondeamus, credat ille verum libet. Age igitur disseramus cum his qui eos non putant esse deos. Ergo ne sunt quidem omnino, sed vt quorundam est opinio de humana anima, quòd cōfestim soluta pereat, periit horú quoq;, aut si iuxta opinionem aliorú animæ corpori superstites immortalitate fruūtur, supersunt hi quoque, sed aut heroes non dij, aut ne id quidem, sed puræ putæ animæ. Ergo si eos nullos iam esse putatis, priorem illá de anima opinionem astruitis. sin adhuc sunt, asseuerandum est vobis immortalitati animæ, nō solum iuxta egregias illas Græcorum super hæc disputationes, verum etiam iuxta diuinæ doctrinæ placita. Nos ostēdemus ex historiis impossibile esse vt isti quos volunt auxisse superorum numerum, post mortem ad potiores sedes migrarunt, quando tam multa prodita sunt de Herculis amoribus vsque ad muliebris dominationis patientiam, dú non dedignatur seruire Omphalæ, déque Iouis ipsorum
L fulmine perempto Æsculapio. Quid memorem Castores vitam mortémque alternantes singulorum dierum vicibus, & parem diis immortalibus honorem sortitos cum emoriantur toties? quî probabile est horum quenquam deum haberi aut heroa? At nos Iesum nostrum iá approbatum prophetarum oraculis, opponere istis possumus etiam collatione historiarum, quòd huius nullum feratur factum intemperans: alioquin eius insidiatores quærentes vndique falsa testimonia quibus eum opprimerent, inuenissent aliquod saltem in speciem probabile, arripuissentque occasionem huiusmodi criminis, mors quoque illius est hominum insidiatorum facinus, nec habet quicquam simile Æsculapij fulmini. Iam furiosus ille Bacchus cum indumentis muliebribus quid est cur adoretur pro deo? vtcunque hæc quidá excusare conantur confugientes ad allegorias, quæ si quid sani continent, seorsum examinandæ sunt: seorsum item quî consistat ipsius adoratio cultúsque, detrubati per Titanas è cœlesti solio. At noster Iesus conspectus à suis sodalibus, vt iste loquitur, verè conspectus est, & calumnia est visam tantum vmbram ipsius. Conferant nunc illos celebrantes historiæ cum his quæ de Iesu mandata sunt literis; nisi Celsus illa vera esse credi postulat: hæc tametsi ab iis conscripta quibus spectata sunt, quique re ipsa ostenderunt fidem sibi factam eorum quæ viderant constanter vsque ad mortem testati, haberi tamen pro figmentis. Et quis qui modo rationē sequatur, temere
M illis credulus, nihilque examinans, pari temeritate his nostris fidem abroget? Itidem cum de Æsculapio dicitur, magnam multitudinem tá Græcorum quàm barbarorum asseuerare sæpe eum visum, hodiéque videri, non spectrum hoc, sed ipsum deú beneficia sanitatis & oraculis exhibentem Celsus vult credi etiam à Christianis hominibus. at si Iesu discipulis spectatoribus illius miraculorum, eo cú conscientiam candidè profitentibus, considerata simplicitate scripturæ omni vafricie carentis asseueramus, stultitiam nobis non veretur impingere: eum tamen non possit proferre multitudinem istá Græcorum barbarorúmque credentium Aesculapio, nos vero, quòd ille vanè iactat, possumus ostendere Inenarrabilem tam Græcorum quàm barbarorum numerum Iesu nostro credentium. In his quidam in signum acceptæ per fidē virtutis mirificæ sanant ægrotos, inuocato tantum super eos vniuersorum deo, & Iesu nomine, recitatáque de rebus eius quapiam historia. Vidimus enim ipsi multos sic liberatos à grauibus malis, alienatione mentis, insania, aliisq; innumeris, quibus nunquam vel homines vel dæmones opem attulerunt. Iam vt concedamus medicum aliquem dæmonem curare morbos corporum qui vocetur Aesculapius, huius admiratoribus simúlque vatis Apollinis obiiciemus, medicinæ peritiá rem esse
indiffe-

A indifferentem, quæ cadat in malos æque ac bonos: nec e-
nim statim qui futura prænoscit etiam vis bonus est: pro-
inde requiri aliam probationem, sanatores istos & fatidi-
cos non malos esse, sed probos modis omnibus, & qui non
immerito haberi possint pro diis. At non poterunt decla-
rare istorum probitatem, quandoquidem multos sanare
dicuntur indignos hoc beneficio, quibus propter mores
peruersos exitio dignioribus nemo bonus opem tulerit.
Quin & in oraculis Pythij possis inuenire absurda iussa, ex
quibus duo nunc proferam: quòd Cleomeden opinor pu-
gilem coli iussit diuinis honoribus, nescio quid admiratus
in eius exercitio, nec Pythagoram nec Socratem dignatus
honore quanto pugilem: præterea quòd Archilochum
testatus esse Musarum famulum, virum qui in nequissimo
argumento specimen poetices suę morúmque simul im-
purorum edidit, hoc tantum nomine pium pronunciauit,
quòd esset famulus Musarum quas consecrauit error ho-
minum. Atqui nemo facile pietatis laudem tribuat nisi
ornato virtutibus omnibus: cæterum nemo honestus su-
stineret dicere, quæ venerandi isti Archilochi iambi conti-
nent. Quodsi nihil diuinum præ se fert Æsculapij medi-
cina & Apollinis diuinatio, quæ ratio est, vt iam donem
eos callere has artes, cur colantur pro diis: præsertim cum
ori Pythij specus insidens, quam vocant prophetidem, per
muliebria recipiat spiritum Apollinis fatidicum, nullo cō-
B uestitum terreno corpore. nec enim est simile quod nos
prædicamus de Iesu eiúsque virtute. quod enim ex virgi-
ne datum est, corpus erat constans ex humana mate-
ria, vulneribus mortique obnoxium. Videamus por-
rò quæ Celsus affert ex historiis, non admodum veri-
similia, ipsi tamen credita, quantum ex eius verbis appa-
ret: & primum de Aristeo Procōnesio, de quo sic scribit:
Ergo Aristeum Proconnesium, qui tam diuinè rebus hu-
manis exemptus est, rursúsque manifestè conspiciendum
se præbuit, & post multum temporis alio atque alio loco
orbis peragrato miranda quędam renunciauit, etiam post
interminationem Apollinis qui eum pro Deo coli à Meta-
pontinis iussit, nemo iam Deum existimat? Hanc histo-
riam videtur desumpsisse à Pindaro & Herodoto: nobis
nunc sufficient quæ in quarto narrat Herodotus his ver-
bis. Aristeus qui hęc retulit vnde fuerit, dictum est à me.
Dicetur etiam quænam de eo viro in Proconneso & Cy-
zico audierim. Aristeum aiunt, qui nulli ciuium suorum
nobilitate cederet, ingressum in Proconneso fulloniam
decessisse: fullonémque occlusa officina abiisse, vt nuncia-
ret rem propinquis defuncti. Sparsóque iam per oppidum
rumore, Aristeum esse vita functum, superuenisse de hac
re loquentibus quendam Cyzicenum tum ex Artacia ve-
nientem, qui sibi in patriam redeunti spectrum eius infe-
C ros petentis visum diceret. Et cum id homo constanter
asseueraret, propinquos mortui cum apparatu quo effer-
rent eum adfuisse ad fulloniam. qua aperta Aristeum nec
viuum apparuisse nec mortuum: septimóque deinde an-
no cùm in Proconneso apparuisset, eos versus fecisse, qui
nunc à Græcis Arimaspei vocantur: quibus conditis rur-
sum disparuisse. ita fertur in his quas dixi ciuitatibus. Il-
lud scio, obseruatum eum in Italia Metapontinis anno du-
centesimo quadragesimo postquam iterum disparuit, quā-
tum colligo ex collatione sermonum quos à Proconne-
siis & Metapontinis audiui. Ipsi Metapontini dicunt Ari-
steum apud se conspectum iussisse aram dicari Apollini,
iuxtáque statuam Aristeo proconnesio ponere: quod di-
ceret Apollinem ad eos solos ex Italicis in ipsorum terram
venisse, illum se assectante. & qui iam Aristeo esset, cùm
Deum assectaretur fuisse coruum, his dictis illum abiisse:
se verò legatis Delphos missis, consuluisse oraculum, quód-
nam sit id spectrum hominis. tum pythiam iussisse parerē
spectro: hoc enim in rem ipsorum fore, ac se responso
accepto, fecisse quod mandatum est. hodiéque extat Ari-
stei statua iuxta simulacbrum Apollinis, & lauretum cir-
cúquaque. est autem in foro id simolachrum. hactenus de
Aristeo. Respondeo ad hæc: si Celsus eius historiæ fidem
penes autorem reliquisset, aliter me acturum fuisse cum eo

nunc quoniam vt veram refert, dicens eum diuinè dispa- D
ruisse, ac rursum palàm apparuisse in multis orbis regioni-
bus, multáque mira nunciasse: & oraculum etiam Apolli-
nis memorat, iubentis Metapontinos vt hominem diuinis
colerent honoribus, vnitum persuasus hęc ita se habere,
libet eum sic compellare: tu qui pro figmentis habes Mi-
racula prodita à Iesu discipulis, & aliorum crudelitatem
accusas, qui fit vt ista figmenta esse & quidem prodigiosa
non existimes? quomodo alios vt sine ratione vlla credē-
tes de Iesu prodigiis criminatis, cùm ipse præ te feras fa-
buliste credere, nihil habentibus quod sit probabile, quod
possis adducere? nisi fortè Pindarus & Herodotus tibi ve-
races sunt: homines verò soliti mori pro Iesu præceptoria
placitis, quæ vt persuasissima sibi literis transmiserunt ad
posteros, tam constanter pro figmentis, sicut putas, decer-
tauerunt, vt iuxta normam eorum viuentes enecari mal-
lent quam desciscere. Itaque arbiter factus inter ea quę de
Aristeo & Iesu scripta sunt, suspende tantisper sententiam,
dum dispicias ex euentu, quod ad morum correctionem
& pietatem erga Deum rerum omnium conditorem atti-
net, num non sine numine gesta sint quæ de Iesu narran-
tur, potius quàm illa quæ de Aristeo proconnesio. Quor-
sum enim diuina prouidentia voluisset edi per Aristeum
fabulosa illa miracula? nec potes dicere quid vtilitatis hu- E
mano generi prouenisset ex istis quæ tibi videntur tam mi-
rifica. Nos autem dum res Iesu enarramus, non vulgares
rationes earum afferimus: Deum voluisse per Iesum salu-
tarem doctrinam hominibus instituere, firmatam in apo-
stolis tanquam fundamento ædificandi Christianismi, cæ-
terum augendam tempore posteriore maioribus accessio-
nibus, quando inuocato Iesu nomine sanationes fiunt, a-
liáque manifesta argumenta præsentis ac propitij cœlestis
numinis. Quid tale facit Apollo seuerè indicens Metapō-
tinis vt honorem qualem cœlitibus Aristeo habeant? quā
obsecro vtilitatem inde consecuturi, si eum qui modò ho-
mo fuerat, mox Deum factum crederent? Attamen Apol-
linis nostra opinione dæmonis, vestra dignatione nidori-
bus honorati & libaminibus commeodatio pondus habet
ad ornandum Aristeum: cæterum summi Dei sanctorúm-
que angelorum eius & prophetarum testimonia, non post
natum Iesum, sed etiam multo ante natiuitatem ipsius edi-
ta, non mouent vos vt admiremini vel vates diuino spiri-
tu afflatos, vel ab eis prænunciatum, cuius in hanc vitam
aduentum ante tot secula multorum præconio significari
contigit: adeò vt tota Iudęorum gens quæ dudum pende-
bat à venturi expectatione, post aduentum Iesu, inter se
de hoc disceptaret, magna parte hunc esse Christum cre- F
dente & contendente designatum prophetarum oraculis:
cæteris non credentibus, & contempta discipulorum eius
mansuetudine ne verbo quidem tenus seditionem spe-
ctantium, tantum facinus ausis, quantum narratur in ve-
racissimis & candidissimis ipsorum discipulorum literis, in
quibus ne illa quidem prætermittunt quæ videri pote-
rant allatura Christianis nonnihil decoris. hoc enim vole-
bant Iesus & discipuli, vt ad hanc doctrinam accedentes
non solum ipsius diuinitati mirandisque factis crederent,
semota consideratione assumptæ carnis concupiscentis
aduersus spiritum: sed animaduerterent etiam cœlestem
virtutem delapsam in naturam humanam suis circunstan-
tiis obnoxiam, assumpta humana anima simúlque corpo-
re, non minus vtilitatis inde relaturi ad salutis rationem &
fidei, dum vident ab his exordiis prouenisse contextum
naturæ diuinę cum humana, vt per diuinæ communicati-
onem humana hæc fieret diuina, non in solo Iesu, sed &
in omnibus quotquot vnà cum fide assumpserint vitam
qualem Christus docuit, sursum ducentem ad Dei ami-
citiam communionémque cum illo omnes obseruatores
pręceptorum Iesu. Apollo autem sic vt Celsus scribit,
Metapontinis consulit vt Aristeum colant pro Deo. illi
quibus persuasum erat Aristeum hominem fuisse, ac for-
tasse non bonum, in re manifesta noluerunt oraculo cre-
dere quòd is Deus sit aut dignus diuinis honoribus: atque
ita contēptis iussis Apollinis, nemo Aristeū habet p̄ Deo.

G De Iesu vero possumus dicere, quoniam erat vtile huma-
no generi hunc excipere, vt Dei filium venientem in hu-
mana anima & corpore, quòd non erat in rem liguritorũ
istorum & carnalium dæmonũ, hominúmve qui hos co-
lunt pro diis: ideo terrestres dæmonas venditantes se apud
imperitum vulgus pro superis, ipsorúmque cultores, co-
natos obsistere quominus Iesu doctrina propagaretur la-
tius. videbant enim hac inualescente tolli nidores gratás-
que sibi libaminum cupedias. At Deus qui Iesum miserat,
frustratus dæmonum insidias effecit vt per vniuersum or-
bem ad conuertendos corrigendósque homines præuale-
ret eius euangelium, & vbique instituerẽtur ecclesiæ cum
ratione viuendi contraria superstitiosorum, intemperan-
tium, & iniustorum congregationibus. tales enim mores
passim cernuntur in ciuitatibus. Cæterùm ecclesiæ dei per
eruditæ, collatæ ad vulgares cœtus hominum, planè mun-
di sunt lumina. quis enim non fateatur deteriorem eccle-
siæ nostræ partem collatam cum vulgaribus concionibus
longè præstantiorem esse? nam ecclesia Dei quę Athenis
est, verbi gratia, mãsueta est & quieta, quippe quæ vni deo
se approbare cupiat: Atheniensis autem populi concio se-
ditiosa, nec vllo modo conferenda cum eius vrbis ecclesia
dei. idem dicendum de ecclesia Dei quę est Corinthi, &
concione populi Corinthiorum quam ipsi etiam sua lin-
gua vocant ecclesiam: similiter de ecclesia Dei quæ est A-
H lexandriæ (exempli gratia) & concione Alexandrini popu-
li. Quæ si quis candidus & veritatis studiosus audiens exa-
minet, res mira videbitur conatũ hoc aliquem atque etiã
effecisse, vt per ciuitates intra eadem mœnia cohabitarent
ecclesiæ Dei cum profanis populis suas conciones cele-
brantibus. Sic etiam senatum ecclesiasticum si componas
ad senatus singularum ciuitatum, inuenies quosdam sena-
tores ecclesiasticos dignos vbiuis gentium administrare
diuinitus constitutam rempublicam: senatores vero istos
qui passim reperiuntur, nihil in moribus habere eximium
præ plebeiis hominibus. Eodem modo magistratus eccle-
siastici cum vrbanis magistratibus conferendi: vt intelli-
gas magistratus ecclesię, etiam qui inter collegas paulo
frigidius versantur in officio, tamẽ in morum & virtutum
ratione vulgaribus senatoribus atque magistratibus prę-
cellere. Quæ cùm ita se habeant, quid absurdi fuerit in
Iesu, cuius tam efficacem videmus potentiam, diuinitatem
suspicere: at non itẽ in Aristeo Proconnesio quem Apollo
in deorũ album referri voluit: aut in eis quos Celsus enu-
merat, dicens à nemine pro deo coli Abarim Hyperboręũ,
cuius tanta vis erat vt cum sagitta eiaculata ferretur per
aerem. Quid enim sibi voluit Abaridis diuinitas per quam
consecutus est velocitatem sagittæ parem? quid commo-
I dorum inde ad humanum genus rediit? aut ad ipsum etiã?
vt iam demus hæc non esse figmenta, sed factum id coope-
rante quopiam numine. Dum vero nostrum Iesum dici-
mus assumptum in gloriam, video dispensationem dei cõ-
mendantis hominibus doctorem per quem tam egregias
res operatus est: quò non tanquam pro humanis discipli-
nis, sed pro diuina doctrina certantes se totis viribus dedi-
cent supremo numini, & nihil non agant vt illi placeant,
vtpote recepturi pro meritis ante dei tribunal quicquid in
hac vita vel male gestum est vel bene. Quoniam autem
mox & de illo Clazomenio Celsus mentionem fecit, ad-
dens ex historia, animam eius sępe relicto corpore obεr-
rasse nudam, attamen nec hunc in deos relatum: & ad hoc
dicemus, fortasse malorum dęmonum instinctu scripta es-
se talia (non enim credo ipsorum dispẽsatione facta etiam
esse) vt prędictiones prophetarum de Iesu & sermones ip-
sius per calumniam dicerentur similes esse figmentis hu-
iusmodi: minúsque admirationis haberent, quasi commu-
ne hoc esset ei cum aliis. Meus certè Iesus de anima sua
non humano fato sepáranda à corpore, sed iuxta datam si-
bi etiam in hoc negocio mirandam potestatem, dicebat il-
lud: Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam
spontè. Potestatem habeo ponendi eã, & rursum potestatẽ
habeo recipiendi eam. nam quia potestatem habebat po-
Mat. 27. nendi eam, posuit tunc cum dixit, Pater ad quid me deser-
uisti? emissóque clamore magno exhalauit spiritum, priuſ- K
quam carnifices crura crucifixorum frangerent, ne cru-
ciarentur diutius. Resumpsit vero animam quando seip-
sum ostẽdit discipulis: quod antè prędixerat Iudæis incre-
dulis: Soluite, inquit, templum hoc, & ego id triduo reso- *Ioan. 2.*
scitabo. Dicebat hoc de templo sui corporis: ita vt pro-
phetarum præconiis pręnunciatum fuerat, & inter cæte-
ra illo: Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelin- *Psal. 16.*
ques animam meam in inferno: neq; dabis sanctum tuum
videre corruptionem. Celsus porrò indicat se multas le-
gisse Græcorum historias, dum profert etiam Cleomedem
Astypalæum: quem narrat arcam ingressum, & intus o-
perculum eius retinentem non esse repertum in ea: sed di-
uino quodam fato euolasse, cùm inimici comprehendere
hominem volentes arcam effringerent. Hoc quoque ni-
mirum figmentum est, sicut etiam figmenti præ se fert spe-
ciem, nec habet quicquam rebus Iesu simile. nam in isto-
rum, quorum exempla produxit, vita nullum diuinitatis
argumentum est cernere: e diuerso Iesu attestantur & emẽ-
datorum ecclesiæ, & prętinentes de illo prophetiæ, & sa-
nationes quæ fiunt in eius nomine, & ipsius donum co-
gnitio sapientiæ, & ea ratio qua à nuda fide altius ascendi-
tur, exacuendo diuinarum scripturarum sensus iuxta prę-
ceptum ipsius domini dicentis: Scrutamini scripturas: iux-
táque Pauli consilium quo ait: Oportet scire vnumquen- *Ioan. 5.*
que nostrum decenter respondere: & rursum: Parati sem- L
per ad satisfaciendũ omni poscenti à vobis rationem eius *1. Pet. 3.*
quę in vobis est fidei. Quod si vult ipse vt concedamus nõ
esse figmentũ, dicat quid sibi voluerit augustior illa vis, dũ
fecit eum diuino quodam fato euolare ex arca. Si enim
ostendet rem aliquam magni momenti, ob quam Deus
meritò Cleomedem sic honoratum voluerit, quid opus est
contradicere? quod si nihil habet saltem verisimile quod
hoc loco dicat, manifestum est non inuenire hominẽ quo-
modo obruret os criminatoribus: & aut historiam veram
esse negabimus, aut contendemus dęmonum pręstigiis il-
lusum esse oculis eorum qui huic Cleomedis miraculo
pręsentes aderant, qualia ludibria sæpe fiunt magicis arti-
bus quantumuis Celsus putet id iuxta oraculi fidem con-
tigisse, & diuino quodam fato eum ex arca euolasse. Equi-
dem puto Celsum hos solos sciuisse, & vt videretur volens
ac prudens omittere exempla similia, dixisse illud, Cæteri-
que plures quos aliquis posset in medium adducere. Sed
sic ita fuisse plures qui nihil humano generi profuerint,
quid horum quiuis ad Iesu res egregias, quarum pleráſque
iam recensuimus? Post hæc Celsus opinatur nos qui com-
prehensum damnatúmque supplicio colimus idem facere
quod Getas qui Zamolxim venerantur, & Cilicas qui M
Mopsum, & Acarnanas qui Amphilochum, & Thebanos
qui Amphiaraum, & Lebadienses qui Trophonium: quos
omnes immeritò nobiscum conferri declarabimus. nam
istis quos enumerauit templa & simulacra posita sunt à
suis populis: nos vero qui non exhibemus deo tales hono-
res, vtpote magis congruos dæmonibus hoc illóve loco
consecratis, vt quemque aut ipsi occupauerunt, aut myste-
riis quibusdam incantari habitare coguntur: admiramur
Iesum qui mentes nostras ab omni sensibili, nec corrupti-
bili tantum, sed etiam corrumpendo, traduxit ad cultum
summi Dei constantem correctione vitæ atque precibus:
quas offerimus ei ceu mediatori inter omnem naturam
genitam & ingenitam, qui nobis à suo patre omnia be-
neficia deferat, & vicissim in morem pontificis vota no-
stra ad summum deum perferat. Libet nunc mihi cum
hoc talia nescio quomodo proferente nugari more ipsius:
Verum nihil sunt hi quos modo enumerasti, nec vlla vis
est apud Lebadiam in fano Trophonij, nec Thebis in Am-
phiarai, nec in Acarnania in Amphilochi, nec in Cilicia
in Mopsi: an est his locis aliquis siue dæmon, siue heros,
siue Deus, qui maiora humanis viribus opera faciat? Si
dicet nihil dæmonum deorúmve ibi esse, saltem nunc fa-
teatur suam sententiam quòd sit Epicureus, nec eadem
quæ Græci sapiat, quippe qui nec dæmonas agnoscat,
nec deos veneretur græcanicos: & apparebit eum frustrà
ver-

A verbis extulisse quæ iam dixit vt vera, quæque inde cona-
tur colligere. Quod si dixerit, siue dæmonas, siue heroas,
siue Deos esse quos enumerauit, videas quòd his quæ di-
xit astruit imprudens, etiam Iesum fuisse tale quippiam,
ideóque facile tantæ multitudini approbasse se missum à
Deo vt genus humanum inuiseret. Id si semel admiserit,
vide an non cogetur fateri potentiorem eum his quibus
modò connumerandum esse assensit: quandoquidem illo-
rum nemo vetat coli etiam alios: at hic sibipse fidens vt
pollentiori, interdicit ne istos recipiamus pro numinibus,
quippe qui sint impuri ac scelesti dæmones incubantes
terræ locis variis vt quenque occupauerunt, quoniam ad
puriorem illam & diuiniorem regionem non valent per-
tingere, quò nunquam deueniunt terrenæ vitiisque terre-
stribus inquinatæ crassitudines. Post hæc quia mētionem
facit amorum etiam Hadriani Cæsaris, adolescentis in-
quam Antinoi, & honorum diuinorum quos is apud An-
tinoopolim oppidum Aegypti à se denominatum sortitus
est, eósque putat non multum distare à cultu quem nostro
Iesu exhibemus: age hoc quoque conuincamus dictum
malicioso infensóque nobis animo. Quid enim habet
adamati Hadriano adolescentis, ac ne marem quidē suum
sexum à muliebribus propudiis tutati, vita nostro ado-
rando Iesu simile? qui tantum abfuit ab omni genere in-
B temperantiæ, vt nemo vnquam tam maledicus & impu-
dens calūniator extiterit, qui hac parte vel leuissima ma-
cula famam eius contaminare ausus sit. Quamuis si quis
incorruptè veritatem scrutetur in rebus Antinoi, nihil in-
ueniet præter præstigiosa quædam Aegyptiorum myste-
ria, cur ille miracula apud Antinoupolim edere videri de-
beat iam defunctus: quod non nouum est Aegyptiis &
impostoribus huiusmodi, vt in aliquo loco domicilium
statuant dæmoni fatidico aut medico, nonnunquam &
tortori, qui cruciet aliquos parum diligentes in obseruan-
dis suis superstitionibus, puta gustantes cibos vetitos, aut
tangentes humanum cadauer, quo terrirent imperitam
multitudinem. Talis est & is qui apud Antinoupolim ab
Aegyptiis pro Deo colitur: de cuius virtutibus fabulantur
quidam quibus inde quæstus est: sicut alij rursum prædi-
cant cum decepti à dæmone loci eius præside, & scelerum
sibi conscij putant se diris agi torquerique ab Antinoo.
Eiusmodi sunt etiam eorum mysteria quibus initiantur,
& mantea, vnde oracula reddi putantur, res longè alia
quàm Iesu religio, hunc enim non Magi regis alicuius aut
imperatoris iussu in vnum coacti decreto suo retule-
runt in Deorum numerum: sed ipse mundi conditor pro
efficacia doctrinæ mirificæ commendauit diuino honore
colendum credentium pectoribus, verendum non solum
hominibus resipiscētibus, verum etiam geniis & aliis quæ
non cernuntur potestatibus, quæ hodieque præ se ferunt
C timorem Iesu nominis vt potentioris, siue metu compul-
sæ siue legibus sui domini, alioquin si nō diuinitus datam
haberet vim suam, haud quaquam dæmones ad solum eius
nomen inuocatum cederent ex insessis semel corporibus.
Aegyptius igitur Antinoum colere doctus, si ei proferas
Iouem aut Apollinem sustinebit venerari hos quoque, vt
qui his suum Deum annumerent, mentitur enim Celsus
hoc negans. At Christiani qui sciunt æternam vitam con-
sistere in cognitione vnius veri Dei, & ab illo missi Iesu
Christi: & qui didicerunt omnes Deos gentium esse dæ-
monia victimarum cruoris auida, versantiáque circa ni-
dores huiusmodi ad decipiendos quotquot non habent
apud totius creaturæ Deum refugium: cæterum angelos
Dei tam natura quàm voluntate plurimum differre a ter-
renis dæmonibus: quódque hi paucis admodum homini-
bus noti sint prudenter ac diligenter talia perquirētibus:
non patientur sibi obtrudi Iouem aut Apollinem, nec
alium vllum requirentem nidores atque cruenta sacrifi-
cia: nonnulli simpliciores ne rationem quidem facti sui
scientes reddere, contenti bona fide seruare quod accepe-
runt à suis maioribus: alij vero etiam rationes reddēt non
contemnendas, imò profundiores & penitus vt Græci lo-
quuntur, introspiciendas, in quibus crebra Dei mentio, &
eorū qui Deo cari sunt vt vnigeniti verbi Dei participes D
& adoptati in nomen illius: crebra item bonorum genio-
rum qui Dei sunt internuncij, & ab his diuersorum veri-
tatis hostium, qui dolosis præstigiis imponentes mortali-
bus ostentant se pro diis aut angelis Dei, aut bonis geniis
aut heroibus, in quos bonas hominum animas mutari
persuasum est, hi doctiores Christiani poterunt ostendere
quòd sicut multi philosophorum videntur sibi tenere ve-
ritatē, aut à seipsis aut ab aliis temere inducti falsis persua-
sionibus: ita sunt etiam inter animos corpore carentes &
angelos & dæmonas quidam qui sibi videntur rationem
habere cur seipsi Deos pronuncient: & ideo quia certò
compertum est nusquam apud tales tutam esse fidem, re-
ceptum est nostris moribus vt nemo se cuiquā credat vt
Deo, excepto summo illo mediatore Iesu Christo, qui al-
tissimas has contemplationes paucis suis tradidit. Est igi-
tur hæc de Antinoo similibúsque apud Aegyptios & Græ-
cos fides malè fortunata, vt sic loquar: de Iesu autem vel
bene fortunata vt quidam opinantur, vel exquisitè exa-
minata: vulgo sic existimante quasi ea bono casu contin-
gat, examinata verò apud paucos admodum. Et quamuis
multi putent hanc fidē fortuitam bonáque fortuna con-
tingere, nō dubito tamen rationem eius esse apud Deum,
qui scit quid & cur tribuat cuique in hanc vitam venien-
tium. Apud Græcos autem etiam sapientissimi multa bo-
næ fortunæ imputant, in hanc referentes causam cur in
hac vel illa disciplina alius meliores magistros nactus sit E
quàm alius, aut in hāc vel illam sectam inciderit, aut edu-
catores meliores habuerit, multis enim talis institutio
contigit, vt ne imaginari quidem sināt ne boni quippiam:
sed statim à prima ætate hominibus luxo libidinéque per-
ditis aut heris suis sunt in deliciis, aut alio quopiam infor-
tunio grauante, nequeunt animi oculos attollere. Harum
rerum causas omnino verisimile est esse in prouidentiæ
rationibus, tametsi non facile cadāt in cognitionē homi-
num, visum est autem hęc obiter dicere, vt sciatur quan-
tum valeat persuasio, qua semel animus vtcunque pręoc-
cupatus est, opus enim erat indicare diuersitatem fidei,
ortam ex diuersis institutionibus, vt cuiusque bona ma-
láve sors tulit: atque ita ostendere, etiam eos qui doctio-
res sunt habiti, has aut illas opiniones amplexos vt quis-
que felicior fuit aut infelicior. Verùm de his satis sit di-
ctum, reuertēdum est iam ad Celsum deinceps dicentem
quòd nostra quoque anima pręoccupata sit huiusmodi
assensu de Iesu. Et reuera fides talem assensum efficit. Vi-
dendum autem an non hoc ipsum laudabile, quòd nos-
metipsos Deo rerum omnium pręsidi credimus, gratias ei
agendo quòd ipsius ductu ad hanc fiduciam peruenimus,
fatendóque talem successum non absque Dei fauore con-
tigisse nostris conatibus. Credimus etiam bonum propo-
situm habuisse scriptores euangeliorum, cuius rei conie-
cturam facimus ex religione illorum & conscientia quę E
in his scriptis elucet, nullam imposturam aut adulteratio-
nem nihil vafrum aut fictitium pręse ferentibus, persua-
sissimum enim nobis est animas illas nunquam versatas in
vaframentis sophisticis ad permouendos homines effica-
cibus, nec in oratorum forensibus acuminibus, non ha-
buisse facultatem fingendi res ad fidem persuadendam vi-
rámque corrigendam tam validas. Opinor autē & Iesum
ideo voluisse vti talibus dogmatum suorum doctoribus,
ne quem locum haberet suspicio quasi artibus essent in-
structi sophisticis: sed euidenter intelligi posset, nihil fuci
latuisse in animo tanta (vt ita dicam) simplicitate scriben-
tium, ac proinde dignorum quibus scribentibus adesset
diuinus spiritus, multò efficacior quàm sint istę Gręco-
rum artes, dicendi copia, elocutionis ornamenta, diuisio-
nis dispositionísque artificium, & huiusmodi cętera, ac vi-
de an non fidei nostrę placita per omnia cum sensu com-
muni conueniant, facileque illabantur beneuolorum au-
ditorum animis. Vt enim persuasum sit volgo à tot docto-
ribus vndique prauas opiniones inculcantibus de ado-
randis Deorum simulacris factis ex auro, argento, ebore,
marmore, attamen communis sensus iubet nos cogitare,

G Deum haudquaquam esse materiam corruptibilem, nec
delectari hoc honore imaginũ ab hominibus fabricatarũ
quæ effigiem eius aut significationem repræsentent ali-
quam. Ideo statim succurrit de simulacris, non esse hæc
numina: & de talibus artificum operibus, non esse confe-
renda ad mundi opificem, friuola ad autorem, conserua-
torem, gubernatorem rerum omnium: moxque rationalis
anima cognationem suam agnoscẽs abiicit quæ prius ha-
bebat pro diis, & naturali quodam philtro in conditoris
sui amorem accenditur, eodémque rapitur etiam ad dili-
gendum eum qui primus gentes hanc veritatem docuit,
& discipulos potentia diuina instructos dimisit cum po-
testate ad prædicãdum sermonẽ de Deo déque regno Dei.
Quod autem nobis obiicit iam toties, quòd Iesum mor-
tali corpore constantem credamus esse Deum, idque piè
nobis videamur facere, superuacaneum fuerit ad hoc re-
spondere, quando id iam superius copiose factum est: at-
tamen sciãt isti criminatores, hunc Iesum quem iam olim
Deum esse credimus deique filiũ, esse ipsum verbũ, ipsam
veritatem, ipsam sapientiam: cæterum mortale eius cor-
pus & humanam in eo animam, illius verbi non solum
communicatione, sed etiam vnitione & permixtione, tan-
tum diuinitatis assumpsisse vt Deus fieret. Quod si quem
offendit etiam de corpore eius nos hæc dicere, adeat Græ-
H corum scripta disserẽtium de materia, quæ quum propriè
careat omni qualitate, induit se qualescunque creator ei
circumdare vult, & sæpenumero depositis prioribus, alias
atque alias potiores assumit. Quorum opinio si sana est,
quid mirum qualitatem mortalem Iesu corporis proui-
dentia Dei sic volentis mutatam in æthercam & diuinam
qualitatem? At non sicut Celsus dialecticè argutatur, con-
ferens humanas Iesu carnes cum auro & argento ac mar-
more, quòd illæ corruptibiliores sint: nam si exactè dis-
quiratur, nec incorruptibile incorruptibili est incorrupti-
bilius, nec corruptibile corruptibili corruptibilius: atta-
men esto sint corruptibiliores, dicemus & ad hoc: si pos-
sibile est vt mutet qualitates materia recipit quaslibet
qualitates, an non possibile est etiam carnem Iesu muta-
tis qualitatibus talem esse redditam, qualem decebat ha-
bitare in summo æthere, nihil retinẽtem carnalis infirmi-
tatis congenitæ, & eorum quæ impura Celsus nominat,
idque parum philosophicè, nam propriè impurum est vi-
tium, & quidquid vitio contaminatur: natura autem cor-
poris non est impura, non enim è corporis natura vitium
prouenit, vt id contaminet. Deinde subolfaciens quid à
nobis respõderi possit, dicit de mutatione corporis, quòd
depositis infirmitatibus erit vtique Deus, quin igitur po-
I tius Aesculapius, & Bacchus & Hercules? Dicemus, quid
tam egregium Aesculapius fecit, aut Bacchus, aut Hercu-
les? Quis doctrina eorum aut exẽplo factus est pilo emen-
datior? Vt referri debeant inter Deos? Videamus in histo-
riis quæ de rebus eorum extant, num puri fuerint à libidi-
ne, iniusticia, timiditate, insipientia. Si nihil horum inue-
nietur in istorum moribus, non vana erit oratio Celsi pa-
res eos Iesu faciens, quòd si cõstat etiamsi quædam feran-
tur de ipsis meliora, tamen innumera eorum non rectè
facta memorari, quomodo dicis hos probabilius quàm
Iesum relicto mortali corpore factos esse Deos? Post hæc
obiicit nobis quòd rideamus adoratores Iouis, cuius se-
pulchrum apud Cretenses ostendatur, nihilominus ipsi
colentes eum qui sepultus est, nec scientes cur Cretenses
id faciant. Vide quàm hac parte patrocinetur Cretensibus
& Ioui eiúsque sepulcro, totam rem trahens ad figuratas
locutiones quibus constet Iouis fabula: nobis vero crimi-
ni vertit quòd fassi Iesum nostrum sepultũ, dicamus eum
resurrexisse è sepulcro, quòd Cretẽses nõ addunt de Ioue.
Ergo quoniam videris causam pro Cretensis Iouis sepul-
cro dicere, dum ais nescire nos cur Cretenses id faciant:
respondebimus & Cyrenẽsem Callimachũ multæ lectio-
nis hominem qui penè omnes Græcorũ historias, omnia
poemata euoluerit, nullam sciuisse tropologiã in his quæ
de Iouis sepulcro ferũtur, quamobrem incusat Cretenses
semper mẽdaces, tuum enim rex sepulchrum extruxerũt:
tu vero non es mortuus: semper enim es. Atqui ipse cuius K
verba sunt: tu vero nõ es mortuus: semper enim es, quãuis
inficietur sepultum in Creta Iouem, tamen narrat de Ioue
mortis initium. est enim mortis initiũ terrena natiuitas.
Sic autem loquitur: Te apud Parrasios Rhea peperit. O-
portebat autem eũm negant in Creta natum propter
sepulchrum eius, cõsiderare necessariò consequi mortuum
esse qui natus sit in Arcadia. Sic enim dicit idem Callima-
chus. Iupiter te natum aiunt in Idæis montibus, Iupiter te
in Arcadia. vtri patet mentiuntur? Cretenses semper men-
daces, & cætera. Ad hæc autem proferenda deducti sumus
Celsi oratione, qui Iesu parum æquus assentit quidẽ mor-
tuum & sepultum esse, cæterum figmentum putat quòd
è mortuis resurrexerit, quamuis id à tot prophetis prædi-
ctum sit, multisque signis constet rediuiuum apparuisse.
Pergit Celsus, & quæ de Iesu doctrina dicuntur à paucis è
Christianorum numero, non prudentioribus vt ipse pu-
tat, sed rudioribus, ait præcepta esse nostrorum hominum:
Nemo accedat eruditus, nemo sapiens, nemo prudens: ar-
cemus enim tales: sed si quis est indoctus, insipiens, infans,
fidenter veniat. Hoc pacto, inquit, satis apparet quòd solos
fatuos, ignauos, stolidos, mãcipia, mulierculas, pueros ca-
ptent & pelliciant. Respondemus & ad hæc: quòd quem-
admodum si aliquis cui notum sit Iesu præceptum docen-
tis temperantiam & dicentis, Quicunque inspexerit mu- L
lierem ad concupiscẽdum eam, iam commisit adulterium Matt.5.
in corde suo, videret paucos aliquot pro Christianis habi-
tos libidinose viuere, meritò eis præuaricationem impin-
geret, sed iniquissimè faceret si doctrinæ Iesu imputaret
eorum flagitia: ita cùm compertum sit Christianorum
doctrinam inuitare ad sapientiam, obiurgandos qui patro
cinantur imperitiæ suæ, dictitantes non quæ Celsus scri-
psit (nemo enim quantumuis idiota & imperitus ista dice-
ret) sed alia quædã moderatius à studio sapientiæ reuocan-
tia. Quod autem doctrina nostra sapiẽtiæ studium à nobis
requirat probabimus & ex veteri Iudæorum instrumento
quo etiã nos vtimur, & ex scripturis post Iesum editis, quæ
diuinæ creduntur ab ecclesiis. Scriptum est certè in psal-
mo quinquagesimo Dauidis preces ad Deum fundentis
sic: Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi: & 3.Reg.3.
siquis verset psalmos, inueniet librum plenũ dogmatibus
sapientissimis Salomon quoque sapientiã quia petiit im-
petrauit, cuius vestigia licet in scriptis eius animaduerte-
re, breuibus verbis egregias sententias complectentia
inter quas crebræ laudes sapientiæ, & exhortationes ad
capessendum eius studium: & intantum erat sapiens Salo-
mon, vt regina Sabbæorum audito præclaro eius nomine
veniret ad periculum faciendum eius sapientiæ soluendis
ænigmatis: quæ locuta est ei quicquid in corde habebat,
& enarrauit ei Salomon omnes propositiones eius, nec M
erat vlla quam rex inexplicatam præteriret, & intel-
lexit regina Sabbæorum omnem prudentiam Salomo-
nis, eiusque vsum: quo factum est vt exclamaret: Vera est
fama quam audiui in terra mea super sermonibus tuis &
super sapientia tua: & non credebam narrantibus mi-
hi donec ipsa veni & vidi his oculis, experta quòd nec
media pars mihi nunciata sit. Vicit famam sapientia tua
& magnificentia. De eodem rege scriptum est sic: De-
dit Deus Salomoni sapientiam & prudentiam maximam,
pectusque innumerarum rerum capax: & antecellebat
sapientia eius sapientiam omnium priscorum, omnium
Aegyptiorum professorum sapientiæ, denique omnium
hominum: eratque sapientior Coethane Ezarita, & 3.Reg.4.
Emade, Chaleade, Arade, filiis Madis: & erat nomen e-
ius celebre in circumuicinis gentibus. edidit etiam quæ-
stionum tria milia, & carminum quinque milia: & disser-
uit de stirpibus à cedro Libani vsque ad hyssopũ prorum-
pentem per parietem: & disputauit de piscibus, pecudi-
bus, volucribus frequentissimo populorum concursu ad
ipsius auditorium: innotuítque sapiẽtia eius omnium ter-
rarum regibus. Intantũ autem sapientia requiritur à fideli-
bus, vt permulta in doctrina nostra ænigmatibus obue-
lata sint & obscuritatibus ad exercendum auditoris inge-
nium

A nium, quædam etiam similitudinibus & quæstionibus vnde prophetarum vnus Osee sermones suos claudit in hunc modum: quis sapiens & intelliget, quis intelligens & cognoscet hæc? Daniel porrò eiúsque captiuitatis socij tantum profecerunt in disciplinis babylonicis quas profitebantur sapientes regij, vt decuplo superarent cæteros. *Ezec. 28.* Ezechiel item propheta Tyri principem sapientię opinione tumentem sic alloquitur: num tu sapientior es Daniele? occulta omnia tibi reuelata sunt? quod si te vertas ad scripta post aduentum Iesu volumina, inuenies turbas credentium audire tantum externas similitudines quibus solis dignæ sint: discipulos vero seorsum enarrationes earũ discere. Iesus enim priuatim suis explicabat omnia, quos prę vulgo reliquo digniores iudicabat cœlesti sapientia. *Matt. 23.* Credentibus quoque pollicitus est missurum se scribas & sapientes his verbis: Ecce ego missurus sum ad vos scribas & sapientes, ex quorum numero multos crucifigetis & necabitis. *1. Cor. 12* Quin & Paulus in recensendis à Deo donatis charismatibus primo loco ponit sapientiam, proximo eruditionem, tertio demum & inferiore fidem. Et quoniam doctrinam pluris faciebat quàm miraculorum facultatem, ideo virtutum operationes & charismata sanationum inferius collocat quàm charismata scientiæ. In apostolorum quoque Actis Stephanus testatur Mosem ornatum fuisse cognitione multarum disciplinarum & artium, è priscorũ monumentis petitarum, quas non attingant literatorum B quilibet. ait enim: & eruditus erat Moses in omni Ægyptiorum sapientia. *Act. 7.* Quapropter dum patraret miracula non deerant qui suspicarentur ne fortè non ex mandato Dei legatione fungeretur, sed Ægyptiarum artium præsidio talia faceret, quarum erat peritissimus. Hac enim suspicione motus rex accersiuit incantatores Ægyptios & sophistas atque veneficos: quos mox Moses coarguit nihil esse collatos ad suam sapientiam, excellentiorem omni Ægypriaca sapientia. Verisimile est autem ideo quibusdam creditum, sapientes à doctrina Christiana reiicij, quia Paulus in priore ad Corinthios inuehatur in Gręcos sapientia sua inflatos: sed audiat qui sic existimat, Paulum ibi culpare hominum ignauiam, qui cùm nihil in rebus sempiternis & in mentis tantum visum venientibus sapiant, in sensibilibus solis vestigandis curiosi sint, in quarum cognitione sapientes huius mundi omnia collocent: & cùm in multa scindantur dogmata, quotquot nimium studentes corporibus & materiæ, quicquid in rebus est pręcipuum corporibus annumerant, affirmantes nihil esse pręterea, siue inuisibile dicatur seu incorporeum, horum sapientiam mundanam vocat, secularem, euanidam, & fatuam: illam vero quæ animum à præsentibus negotiis ad futurá apud C Deum beatitudinem traducit, & ad regnum quod Dei nominatur, quæ docet contemptis istis in sensuum & oculorum cognitionem cadétibus vt temporaneis festinandum ad contemplationem inuisibilium, eam vero ait esse Dei sapientiam. quum enim veritatis amator sit Paulus, dicit de quibusdam Græcorum sapientibus quatenus vera docent: quòd quum Deum cognouerint, non vt Deum glo- *Rom. 1.* rificauerunt, neque grati fuerunt. Et testatur ab eis Deum cognitum, at non nisi fauente numine, sic scribens: Deus enim eis manifestauit: subindicans opinor eós qui à visibilibus ascendunt ad intelligibilia: quandoquidem scribit quòd quę sunt inuisibilia illius ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur peruiderint, ipsamque ęterná eius potentiam diuinitatémque, in hoc vt fiot inexcusabi- *1 Cor. 1.* les, propterea quòd quum Deum cognouerint, non vt deũ glorificauerunt, neque grati fuerunt. Fortassis etiam ex illis verbis: Videte vocationem vestram fratres, quoniam non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed stulta huius mundi elegit Deus vt confundat sapientes, & ignobilia & contemptibilia elegit Deus & quæ non sunt, vt ea quę sunt exinaniat: vt non glorietur omnis caro coram ipso: arripuerunt occasionem quidam vt putarent neminem doctum, aut sapientem, aut prudentem, ad hanc doctrinam accedere. Tales audiant non esse dictum, Nemo sapiens secundum carné, sed, non multi sapientes secundum carnem: & vbi pręscri- D buntur præcepta episcopis quos vocant, Paulum in episcopo formando etiam doctorem requirere: vt possit, inquit, contradicentes redarguere, vt vaniloquis & bonarũ mentium seductoribus obturet os per propriam sapientiam. Et quemadmodum vnius vxoris maritum iterato matrimonium præfert in episcoporum delectu, irreprehésibilé reprehensibili, sobrium longe dissimili, temperantem intemperanti, compositis moribus ornatum vel parum incópositoita vult episcopum decenter constituendum habere docendi facultaté & obstruendi os contradictoribus. Quæ igitur ratio mouit Celsum vt nos criminetur quasi dicere solitos nemo doct[us] accedat, nemo sapiés, nemo prudens. Imò accedat vel doctus vel sapiens vel prudens quicunque vult: sed nihilominus accedat etiam indoctus & insipiéns & rudis & infans. nam talibus, si accesserint, medicinam pollicetur verbum Dei, omnes reddens Deo idoneos. Falsum autem est & illud, solos fatuos, ignauos, insensatos, mancipia, mulierculas, pueros, captari à verbi diuini prædicatoribus. Vocat quidem etiam hos prædicatio, vt meliores reddat: sed vocat etiam multò his pręstantiores: quoniam seruator est omnium hominum, Christus præsertim fidelium, siue cordatorum siue simpliciorum, & est propitiatio erga patrem pro peccatis nostris: nec solũ pro nostris, sed & pro mundi totius. Superuacaneum igi- E tur fuerit, velle nos posthac respondere ad Celsi dicta huiusmodi. alioquin quid mali est eruditum esse, disciplinis optimis excoluisse ingenium, prudentem esse & haberi? quid hęc obstant cognitioni Dei? an non potius conducũt ad assequendam veritatem? Est igitur res non mala eruditio vera. quippe quæ ad virtuté via est: sed erronea dogmata habentes inter eruditos nemo sapiens numerat, né Græcus quidem. Rursum nemo non fateatur bonum esse studere disciplinis optimis: sed quas tandem dicimus disciplinas optimas, nisi veras & excitantes ad virtutem? prudentia quoque res est egregia, non itidem videri prudentem, quod Celsus dicit. Et adcò non obstant cognitioni Dei, eruditio, optimarum disciplinarum studium, prudentia, vt adiuuent etiam: vt nos magis deceat de Celso ista dicere, maximé si Epicureus deprehensus fuerit. Videam[us] iam quid addat deinceps his verbis. Cernimus certè & circumforaneos istos circulatores ostentare ista vulgo iactatissima non apud cœtus hominum prudentium, quòd id nequaquam audeant: sed vbicunque animaduerterint adulescentum, mediastinorum, & fatuorum turbam eò se ingerere, ibíque se venditare. Considera quomodo hic quoque nobis struat calumniam, quos confert cum circulatoribus fandas infandásque nugas garrientibus. at quas tandem? aut quid nos facimus simile? qui lectioni- F bus earúmque enarrationibus populum hortamur ad pietatem erga Deum optimum maximum, cæteráſque virtutes pietatis comites indiuiduas, & abducimus à contemptu numinis, cæterísque affectibus à præscripto rationis exorbitantibus. Imò vel philosophis optádum esset vt excitarent tot auditores sermonibus ad honestatem vocantibus, quod factum est à quibusdam præcipuè cynicis, publicè apud fortuitum auditorium disserentibus. Ergò ne hos quoque non apud eruditorum vt videntur cœtus disputantes, sed è triuio sibi quærentes auditoria, conferent cum circulatoribus in forensibus coronis loquacitatem ostentantibus? at neque Celsus neque similes, incusant quod habent pro humanitatis officio, sermonibus plebeculam ineruditam instituere. Quod si philosophi culpandi non sunt dum hęc faciunt, videamus an non Christiani longè melius plebeiam multitudinem ad honestaté prouocent, nam illi propalam apud vulgus hominum disserentes non sunt curiosi in discernẽdis auditoribus, sed promiscuè qui vult adstat & auscultat: Christiani verò quantum possunt præexaminant animos audire se cupientium: ac primo priuatim incantant prius quam in cœtum recipiantur, vbi videntur eò profecisse vt honestæ vitæ sint cupidi, tum demum introducunt, distinctis ordinibus, altero recens admissorum necdum assecutorũ lu-

G strationis symbolum, altero iam professorum religionem
Christianam. in posteriore ordinati sunt aliquot qui in-
quirant in vitas & mores accedentium, vt non concessa
facientes candidatos religionis arceant à suis conuenti-
bus: cæteros horum dissimiles excipiât ex animo, & quo-
tidianis accessibus meliores faciant. Iam erga peccantes
quàm seuera disciplina, præcipuè contaminatos libidine,
quos è sua Republica reiiciunt nostri, quamtumuis Cel-
sus eos nugacibus circulatoribus similes faciat. Et Pytha-
goreorum quidem veneranda schola ponebat cenotaphia
disciplinæ suæ desertoribus, nimirum quòd haberet eos
pro mortuis: hi verò vt perditos deóque mortuos lugent
eos qui libidine alióve simili malo victi fuerint: ac rursum
resipiscentes, haud secus quàm rediuiuos recipiunt tan-
dem, post longiorem melioris mētis approbationē quàm
cùm primùm ad religionem discendam admitterentur, ea
tamen conditione, vt quoniam lapsi sunt, excludantur in
posterum ab omnibus dignitatibus & magistratibus ec-
clesiasticis. Nunc vide in tanta dissimilitudine quam im-
pudenti manifestarióque mendacio Celsus nos conferat
cum circulatoribus, in forensibus coronis fandas infan-
dásque nugas garrientibus. Id genus circulatorum nuga-
torumque circum foraneorum nostri similium (vt Celsus
ait) nunquam se ostentat apud cœtus prudētum virorum,
nec eos audet accedere: sicubi verò viderit adolescentium,
H mediastinorum, fatuorumque turbam, eò se protinus in-
gerit ad venditandam suam facundiā. quibus verbis nihil
aliud agit quàm vt nostros homines aspergat conuiciis,
haud secus quàm mulierculæ rixantes in triuiis, & appe-
tentes se maledictis mutuis. Nos enim quantum possu-
mus operam damus modis omnibus vt conuentus noster
constet ex hominibus prudentibus: & quicquid habemus
egregium atque diuinum, tum demum in popularibus ser-
monibus promimus in medium, cum præstò est audito-
rum cordatorum copia: aliuquin profundiores sensus ce-
lamus, & silentio præterimus in cœtu eorum qui opus ha-
bent lacte, vt vocamus per tropologiam. Sic enim Paulus
scribit Corinthiis, nōdum perpurgatis à moribus græca-
nicis: Lac vobis præbui, non cibum, quem nondum fere-
batis, ac ne nunc quidem ferre potestis. nam quantispe
inter vos est æmulatio atque contentio, nónne carnales
estis, & ambulatis secundum hominem? Idem ipse sciens
alium cibum perfectiorem animæ, cæterum introductio-
nes nouellorum similes esse lacti quo infantes aluntur, ait:
Facti estis tales vt lacte opus habeatis magis quàm cibo
Heb. 5. solido. Omnis enim lactis particeps & expers sermonum
iustitiæ, infans est perfectorum autem est cibus solidus,
exercitatos sensus habentium ad discernendum bonum à
I malo. An non igitur credendum est isti, nostros quod exi-
mium in doctrina habemus nunquam dicturos in cœtu
virorum prudētium: sed sicubi animaduerterint collectos
adolescentes aut mancipiorum insensatorumque multi-
tudinem, in medium eorum daturos se, & apud tales de-
mum auditores prolaturos diuinam doctrinam & vene-
rabilem? Atqui liquet examinantibus mentem nostrarum
scripturarū, Celsum æque infensum nobis ac imperitum
vulgus est, temerè falsóque hæc dicere. imò fatemur nos
cupere vt omnes vel inuito Celso, erudiantur verbo Dei,
adeò vt etiam adolescentulis impartiamus conuenientem
ipsis admonitionem, & famulis commōstremus quomo-
do sumpto liberali animo per verbum Dei reddantur in-
genui: & qui apud nos præsunt doctrinæ, profitentur se
debitores Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus,
non enim negant vel insipientium animis medicinam ad-
hibendam, vt quantum fieri potest deposita ignorantia,
studeant melius sapere, Solomoni obediant dicenti: In-
sipientes redite ad cor: & qui est inter vos insanissimus
diuertat ad me: sapientiam quoque audiant inuitan-
tem: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum
quod miscui vobis: relinquite insipientiam, & viuite,
& ambulate per vias prudentiæ. Nec alienum fuerit
à proposito Celsum sic appellare: an non philosophi iu-
uentutem ad audiendum inuitabant, & ad mentem me-
liorem reuocabant à vita perdita? num vernulas arcent à K
philosophia, aut accusandi sunt quòd seruos suos exeme-
rint ad virtutis studium, vt Zamolxim Pythagoras, Zeno
Persæum, & heri aut nudiustertius quidā Epictetum con-
uerterunt ad philosophiam. An vobis Græci licet adoles-
centes & vernas insipientésque homines vocare ad philo-
sophiam, nos verò idem facientes rem alienam ab huma-
nitatis officio facimus, dum verbis mederi & rationibus
omni rationali naturæ conamur, eámque opifici suo Deo
familiarē reddere? Hæc contra Celsū conuicia verius quàm
criminationes sufficere poterant, sed quoniā libidine con-
uiciandi prouectus vlterius plura his etiam addidit, age
his quoque memoratis, dispiciamus vtrum hæc maiore
suo dedecore dixerit an Christiani nominis. Videre licet,
Inquit, & in priuatis lanificum, sutorum, fullonum ædi-
bus illiteratissimum quemque & rusticissimum coram se-
nioribus & prudentioribus patribusfamilias nihil audere
proloqui: vbi verò seorsum nacti fuerint pueros eorum &
mulierculas imperitas, mira quædam disserere: non esse
audiendos parentes ac præceptores, sed sibi credendum,
quòd illi delirent & mēte capti sint, & nihil verè bonum
vel sciant vel possint facere præoccupati nugis inanibus:
ipsi verò soli rationem viuēdi norint exactissimè: & pue-
ros beatos fore si se audiāt, atque adeò propter eos totam
familiam. Quod si iuuenes videant accedentem aliquem
è præceptoribus prudentioribus, aut ipsum patrem, tum L
hos si timidiores fuerint, perterreri: sin ferociores, autores
fieri pueris vt habenas excutiant: obmurmurando quòd
in præsentia patris præceptorumve nec velint nec possint
quicquam boni proloqui, metu illorum stultitiæ sæuitiæ-
que modis omnibus corruptorum & deuolutorū ad fun-
dum malitiæ, & monitores punientium: sed si quid disce-
re velint, debere eos relicto patre & præceptoribus, ire
cum mulierculis & collusoribus pueris in conclaue mu-
lierum aut officinam sutoriam fulloniámve, vt perfectio-
nem adipiscantur præceptis obsequendo. Vide quo pacto
hic quoque deridens nostros doctores nihil non conan-
tes vt animas attollant ad Deum rerum omnium creato-
rem, & commonstrantes quomodo contemptis momen-
taneis & visibilibus adnitamur ad Dei societatem, vitám-
que beatam in contemplatione inuisibilium & intelligi-
bilium rerum cum Deo eiusque amicis degendam, confe-
rat cum lanificum, sutorum, fullonumque operis, rusticis-
simisque hominibus pueros paruulos & mulierculas ad
res malas hortantibus, vt cōtempta patrum & præcepto-
rum autoritate ipsos audiāt: à quibus enim patribus pru-
dentibus, à quibus magistris seria docentibus alienamus
paruos pueros & mulierculas? producat hos Celsus & M
percontetur mulieres atque pueros qui nostram doctri-
nam sequuntur, ecquos audierint melius docentes quàm
nostros homines, eorúe deserta graui & honesta discipli-
na, passi sint seduci se ad deteriora. Sed nihil tale potest
coarguere in nobis, imò mulierculas ab impudicia, exer-
cendisque cum maritis simultatibus atque à diuortiis ar-
cemus, omnisque theatrorum & saltationū insania, omni-
bus item superstitionibus, pueros autem puberes in vene-
rem prurientes castigamus, non solum admonitos quàm
turpe sit indulgere libidini, verum etiam quantum inde
animæ immineat periculum, quæve tales pœnæ maneant.
Qui sunt porrò isti præceptores quos deliros & mente
captos dicimus, quos Celsus tuetur, vt docentes meliora
quàm nos? nisi fortè putat egregios institutores mulier-
cularum nec vllo modo deliros, qui eas inuitant ad super-
stitionem obscœnáque spectacula & non esse mente ca-
ptos, qui iuuentutem ferunt rapiuntque in omnia pro-
bra quæ scimus ab istis patrari sæpissime, at nos etiā phi-
losophicis placitis imbutos, reuocamus ad nostram reli-
gionem quantum possumus, commendantes ipsis since-
ritatem eius & excellentiam. Quod quia Celsus negat,
dicens à nobis allectari solos fatuos, dicetim ei: Si nobis
obiiceres, quod abducamus à philosophia iam occupatos
eius placitis, etsi non verum, tamen fortassis esset verisimi-
le: nunc cùm dicas per nos alienari à præceptoribus bo-
nos

A nos adolescentes, quo minus eos audiant, profert alios doctores præter philosophos, aut professores artium vtilium. Sed nihil tale proferre poterit. Cæterum beatitudinê promittimus libere non clanculum iis qui vitam iuxta præcepta diuina instituunt, semperque deu & ipsi habeot præ oculis, & quicquid agunt, approbari oculis illius cupiunt. Hæccine est disciplina lanificum, sutorû, fullonum, & illiteratissimorum agrestium? sed hoc ostendere non poterit, porrò quòd sellularios istos incultum & agreste genus hominum in tabernis ac officinis suis garrire solitos, interuenientibus forte patribus familiâs, aut magistris, nec velle nec posse pueris boni quicquam interpretari calumniatur. Respondebimus: heus tu, quos tu nobis magistros narras, quos patresfamilias? si virtutis studiosos, abhorrentes à vitiis, & meliorum rerum cupidos, coram talibus quidem scito nos intrepidè nostra dicturos apud pueros, iudicibus futuris & laudatoribus. quòd si coram patre iniquo honestati atque virtuti silemus, & coram sanioris doctrinæ aduersariis doctoribus, id vero non est dandum crimini immerentibus: quandoquidem tuipse traditurus philosophię mysteria iuuenibus, quorum parentes contemptores siot doctrinarum talium, non facturus es hoc in malorum patrum præsentia, sed captata occasione seorsum filios institues. eadem ratio est & de præceptoribus. nam si iuuentu-

B tem auertimus à docentibus comicas, & obscœnitates iambicas, & quæcunque alia nec doctorem ipsum meliurem reddunt, nec prosunt auditoribus, nisi quis philosophice intelligat poemata, & singula interpretetur ad vtilitatem adolescentulorum, non pudet nos hæc fateri. quòd si mihi dederis præceptores philosophiam docentes & exercentes, à talibus non deterrebimus iuuenes: sed vbi fuerint in horum scholis & orbe vt vocant, disciplinarum præea exercitati, subueham eos altius ad Christianorum sublimem ignorámque vulgo grandiloquentiam, differentem de rebus arduis & maxime necessariis, idque ex priscorum prophetarum oraculis, & Iesu apostolorum literis. Post hæc Celsus amarulentioris petulantiæ conscientia tactus, tanquam excusans hanc sic loquitur: Quod autem nihil acerbius criminer quàm veritas postulat, facile est coniectare.
» nam ad alia mysteria sic solent initiandi per præconem
» vocari: Quicunque est purus manibus & voce sapiens:
» ac rursum aliter: Quicunque est purus ab omni scelere, &
» cuicunque est anima nullius mali sibi conscia, & quicun-
» que bene ac iuste vixit: & hæc proclamant pollicentes sa-
» cra lustralia, nunc ediuerso audiamus quosnam isti vocêt.
» Quisquis peccator, quisquis insipiens, quisquis puerilis, in
» summa quisquis infelix est, hunc regnum Dei capiet. Pec-
» catorem dicendo an non iniustum, furem, veneficum, sa-
» crilegum, parietum sepolchrorúmque perfossorem dici-

C tis? Siquis ad latrocinium vocaret, quosnam vocaret alios? Ad hæc quoque respondemus, aliud esse animas ęgrotas ad medicinam vocare, aliud sanas ad rerum diuinarum cognitionem & scientiam. quod discrimen non ignoremus, principio curandos vocamus vt audita salutari doctrina peccatores non peccare discant, insipientes intellectum acquirant, pueriles mentem virilem, denique infelices felicitatem, vel potius beatitudinem, vt loquar magis proprie: vbi verò iam conuersi ad saniorem mentem profecisse videntur, & diuino verbo purgati vitam etiam in melius mutasse pro viribus, tum demum initiamus eos nostris mysteriis. Sapiẽtiam enim loquimur inter perfectos: & admonitis quod in animam malis artibus deditam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore peccatis obnoxio, dicimus eis, Quicunque purus est manibus, eásque tendens ad cœlum, vtpote vacans rebus cœlesti-
Psal. 142 bus potest dicere, Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum, venit ad nos: & quicunque est voce sapiens, vtpote noctes atque dies exercens se in lege domini, iámque habitum quendam sibi comparauit exercitatus sensibus ad dignoscenda bona maláque, ne grauetur ad solidos cibos rationales accedere, conuenientes athletis pietatis virtutúmque omnium. Et quoniam gratia dei præsto est omnibus in incorruptibilitate diligentibus magistrum disciplinarum immortalitatem conferentium, quisquis D

purus est non solum ab omni scelere, verum etiam a peccatis istis quæ leuiora putantur, fidenter initietur mysteriis christianæ religionis à Iesu traditæ, quæ non communicantur nisi puris & sanctis. Iraque Celsi mysta dicit: cuicunque est anima nullius mali sibi conscia, veniat: cæterum qui introducit ad diuina Iesu mysteria dicet purificatos animos habentibus: cuicunque est anima iam diu nullius mali sibi conscia, præsertim ex quo accessit ad seruiendum deo, is audiat etiam eos sermones quos Iesus priuatim locutus est germanis suis discipulis. Ergo iste dum conferri Græcorum mystas cum Christianorum doctoribus, non nouit discrimen inter malos qui vocantur ad remediorum copiam, & purissimos qui vocantur ad mysteria. igitur non vocantur in partem sapientiæ reuelatæ in mysterio, quam prædestinauit deus ante secula in gloriam iustorum, iniusti, fures, venefici, sacrilegi, parietum sepulchrorúmque perfossores, & quoscunque Celsus nominare posset rem exaggerans. sed vt curentur à morbis suis. nam in diuina doctrina alia sunt curandis male affectis idonea, de quibus Verbum Dei dixit: Non opus habent sani medico sed male affecti: alia conueniunt puris animo & corpore, quibus ostendunt reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, nunc autem in medium prolati per scripturas propheticas & aduentum domini nostri Iesu Christi, qui omnibus perfectis hominibus illucescit illuminans E

eos in rerum cognitionem nullo viciatam mendacio. Quoniam autem exaggerans nostra crimina post enumeratos sceleratissimos mortalium rogat quos alios vocaremus ad latrocinium & ad hoc respondebimus quod tales ad latrocinium vocet qui eorum malicia vult abuti ad iugulandos & spoliandos homines: Christianus vero etiãsi eosdem vocaret quos latro, diuersa tamen est vocatio, videlicet vt eorum vulnera salubri sermone obliget, & animæ vitiis inflammatæ infundat remedia, tanquam vinum & oleum ac malagmata reliquaque medicorum auxilia. Deinde non discedens à suis sycophantiis calumniatur ea quæ ad corrigendos male viuentes vocandósque ad resipiscentiã scripta sunt, & ait nostrum hoc dictum, Deũ missum esse peccatoribus. Id perinde facit acsi accusaret eos, qui propter male affectos in vrbem missum medicum ab humanissimo rege dicerent. Missus est certe Sermo dei ad peccatores vt medicus: inquantum autem diuinorum mysteriorum doctor est, venit ad purificatos & non peccãtes amplius. at Celsus non valens ista discernere, vtpote qui non tenetur talium rerum studio, quin potius, inquit, ad immunes à peccatis missus est? quid mali est non peccasse? Respondemus. si dicit immunes à peccatis qui peccare desierunt, ad hos quoque seruator noster missus est, sed non vt medicus, quod si per immunes à peccato significat eos qui nunquam peccauerunt (non enim satis expressit quos velit intelligi) respódebimus impossibile esse inueniri ho- F

minem à peccato immunem, vtique in eo sensu, solo excepto homine quem Iesus assumpsit, qui peccatum nõ fecit. Illud certe maliciose nobis Celsus obiicit, quasi nostrum dogma sit: hominem iniustum si se propter miseriam suam humiliauerit, à Deo recipi: iustum contrà, si iam inde ab initio virtutum amplexus ad eum oculos attollat, non recipi. hoc enim esse impossibile dicimus, vt homo ab initio mox virtutem complectatur, & ad deum attollat oculos. Necessum est enim maliciam primò in hominibus subsistere, sicut etiam Paulus scribit: Sed postquam venit mandatum, peccatum reuixit, ego autem mortuus sum. Neque de iniusto docemus, sufficere ad hoc vt à deo recipiatur, si agnoscat suam miseriam: sed qui damnata præterita sua vi- Luc. 18.
ta conuertat se ad meliorem frugem, eum à deo recipi. Deinde non intelligens illud dictum, Omnis qui se extol- 1. Pet. 5.
lit humiliabitur: ac ne à Platone quidem doctus quòd vir bonus incedat honeste & composite: & ignorans illud nostrorum hominum præceptum: Humiliamini sub potenti manu dei vt vos extollat suo tempore: sic pergit, Ergo cum homines, qui recte præsideant iudicio, vetent lonres reos vti coram se lamentis & deplorationibus, ne ex

G affectu magis quàm iuxta veritatis normā iudicent, Deus in iudicando non tam veritate mouetur quàm adulationibus? An tibi videtur adulatio quętula, si peccator illis diuinæ scripturæ precationibus vtatur Deum alloquens:
Psal. 25. Peccatum meum fateor, & iniquitatem meam non celo: dixi confitebor contra me iniquitatem meam domino, & quæ deinceps sequuntur, nunquam certe argumētis euincet, Deum non posse flecti talibus peccatoris ei se submittentis precibus. Tam inconsiderate autem in nos fertur præ nimia calumniandi libidine, vt parum sibi constans, nunc videatur scire hominem oculos ad cœlū tollentem, qui mox ab initio virtutem amplexus eam perpetuo coluerit: nunc admittat illud nostris celebratum: Quis hominum perfecte iustus est, quis caret omni peccato? Nam vt admittens id: Verum est, inquit natura procliue esse ad peccandum genus hominum. Deinde quasi non omnes vocētur ad hanc nostram doctrinam, Oportebat, inquit, omnes omnino vocari, siquidem omnes peccato sunt ob-
Matt. 11. noxij. Atqui iam superius ostendimus Iesum dixisse: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiā vos. Itaque omnes homines ob innatam ad peccandum procliuitatem laborantes & onerati vocantur à verbo dei ad quietem capessendam. Emisit enim Deus verbum
H suū & sanauit eos, & liberabit eos è corruptionibus ipsorum. Et quoniam addit, Quænam est hæc peccatorū prærogatiua, & cætera in eandem sententiam, Respondebimus non in vniuersum peccatorem præferri non peccatori: sed interdum peccator conscientia peccati sui tactus præfertur alteri qui non æque pro peccatore habetur ab aliis, ipse vero ne peccatorem quidem se existimat, imò erigit supercilium atque inflatur propter quædam benefacta quorum videtur sibi conscius: id quod euangelica similitudo candidis Lectoribus indicat, proponens nobis
Luc. 18. publicanum dicentem: Propitius esto mihi peccatori: & pharisæum cum fastu quodam se iactantem: Gratias ago tibi quòd non sim quales cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, aut etiā qualis hic publicanus. Sic enim claudit sermonem Iesus quem de vtroque habuit: & descendit in domum suam iustificatus hic magis quàm ille: quoniam omnis qui se extollit humiliabitur, & qui se humiliat extolletur. Quopropter nec male loquimur de Deo nec mentimur, dum quosuis docemus intelligere humanam paruitatem collatam ad maiestatem diuinā, vt semper ab illo petamus quod naturæ nostræ deficit, qui abūde sarcire potest. At iste in eam partem hoc interpretatur, quasi allectemus peccatores, quia neminē bonum ac iustum possimus attrahere. ideoque aperiamus portas
I sceleratissimo cuique & perditissimo. Consideret nos quiuis modo ne nobis iniquus, plures ei possumus ostēdere conuersos à vita non admodum contaminata peccatis quàm à perditissima, sic enim natura cōparatum est, vt qui meliorem habent conscientiam cupiant vera esse quæ prædicantur de reddendis à Deo præmiis, eóque facilius huic doctrinæ quàm scelerati assentiant, quos retardat malorum conscientia, meritam mulctam intentans iudicium illud vniuersale cogitantibus. Nec sine causa propositus est ille terror extremi iudicij ad quod sistentur omnes homines, quandoquidem interdum etiam valde perditi capiuntur amore huius doctrinæ, inuitati sola spe pœnitentiæ, vtcunque retrahuntur inueterata peccandi consuetudine, vtpote imbuti malicia, nec valentes facile relictis moribus pristinis conferre se ad vitam correctiorem. Id quod etiam Celsus intellexisse videtur nescio quomodo, dum procedente oratione sic loquitur: Atqui plane constat, innata & consuetudine confirmata vicia ne castigando quidem emendari, tantum abest vt hoc miserando efficias, naturam enim in totum mutare est perdifficile: qui vero nihil peccant, melioris vitæ sunt participes. In hoc tamen Celsus valde falli mihi videtur quod non concedit perfectam mutationem natura & consuetudine peccatoribus, qui eos ne pœnis quidem putat sanabiles. Satis enim apparet quod omnes homines natura peccatores sinua nonnulli vero etiam consuetudine: nec tamen omnes sunt incapaces perfectæ mutationis in
K melius, inueniuntur enim & in philosophiæ sectis omnibus, & in sacra scriptura, qui mutata vita in melius adeò profecerint, vt exemplo esse possint cæteris, fertur etiam de aliquot heroibus tale quidpiam, vt de Hercule & Vlixe, posterioribus vero seculis nato Socrate, & heri atque nudius tertius de Musonio. Itaque non solum contra nos mentitus est Celsus dicens planè constare innata & consuetudine confirmata vicia ne castigando quidem & pœnis coercendo emendari, sed etiam contra serio philosophiæ deditos, nec desperantes virtutem recuperare vt rem impossibilē homini. Sed fac eum satis nobis approbasse quod voluit, nihilominus si æquis auribus cognoscamus dicta eius, non sana esse deprehēdemus. Dixit enim innata & consuetudine cōfirmata vicia ne pœnis quidem corrigi: quorum verborū sensum vt potuimus refellimus. Fieri tamen potest vt voluerit dicere, esse quædam flagitia moresque perditos, quos si ad natiuam procliuitatem accedat consuetudo pessima, ne pœnis quidem queas corrigere. Sed hoc quoque falsum ostenditur ex his quæ de quibusdam philosophis sunt memoriæ tradita, quis enim non narret inter perditissimos qui vtcúque adactus à suo domino sustineat prostare, & illudendum se præbere libidini prætereūtium? quod de Phædone proditur qui is cum tibicina & luxu perditissimis comessationū sociis irrum-
L pentem in singulari honestate verendam scholam Xenocratis, vt obstreperet viro grauissimo, & virtutis merito etiam probrosis venerabili, non diceret omnium bipedum nequissimum? attamen tantum valuit orationis vis, vt mutatis in melius moribus adeo profecerint, vt alterum Plato honoris gratia faciat narrantem Socraticas rationes de immortalitate animæ, eiúsque perpetuam constantiam in carcere contempta cicuta magna cum tranquillitate disserentis tam multa præclara & eximia, quorum maiestatem vix possunt assequi etiam attentissimi, & nullis distracti perturbationibus. Polemo verò è luxurioso factus temperātissimus Xenocratis laudatissimi philosophi successor scholæ præfuerit. Non est igitur verum quod Celsus affirmat, innata & consuetudine adulta vicia ne pœnis quidem corrigi. Nec mirum composita & ornata philosophorum facundia moros mutasse vitam quos iam diximus: cum verò consideramus sermones vt Celso videntur idioticos haud secus quàm incantationes plenos efficacia, & agminatim retrahentes multitudinem à luxu ad honestatem, ad æquitatem ab iniusticia, à timiditate ad tantam constantiam, vt amore pietatis etiam mortem nihili faciant, annon merito demirabimur tantam potentiam? namque doctrina eorum qui primi laborauerunt in constituendis ecclesiis, ipsáque prædicatio habuit quidem
M suadelam, at non qualem professores sapientiæ Platonicæ, aut alterius hominis nihil supra humanam naturam habentis: sed fuit apostolorum Iesu persuasio data diuinitus per fidē inspiratam efficax: quapropter celerrime cucurrit eorum prædicatio, vel Dei potius, ipsorum ministerio, transformans multos natura peccatores & assuetudine, quos nemo hominum mutasset pœnis quantislibet, at verbum Dei recudit eos formatos iuxta voluntatē suam. Et Celsus quidem à sua sententia non discedēs concludit, naturam omnino mutare esse perdifficile: nos vero qui scimus vnam esse naturam omnis rationalis animæ, nec vllam malam creatam à cōditore omnium, sed plerosque deprauatos à malis educatoribus, & doctoribus, ita vt cōnatam videantur habere maliciam, vel in naturam versam potius, credimus eam posse diuino verbo mutari, & quidem satis facile: modo quis assentiat, oportere vnumquenque se Deo committere, & omnia sic agere vt ei placendi propositum habeat, apud quē non est bonus atque malus in eodem pretio, nec ignauus pariter moritur ac strenuus, quodsi quibus videtur admodū difficilis huiusmodi mutatio, in causa dicemus esse voluntatem ipsorum ad assentiēdum difficilem, vt quam pigeat credere Deum vniuersorum dominum iudicem esse omnium quæ in hac vita aguntur, maximum enim momentum est in volunta-

te, in

A te, in quantumuis arduo negotio, atque etiam impossibili, vt loquitur hyperbolice, præsertim si accedat exercitatio. Incedere per extensum funem sublimen in medio theatro non siue grauibus gestaminibus potest, qui vsu studióque improbo hanc facultatem sibi parauit: & virtutis studium erit irritum? aut impossibile videri debet homini vtcunque deprauato ingenio? Vide qui hęc dicis ne creatorem rationalis animalis incuses magis quam creaturam: nisi forte ad efficienda ista operosa quidem, sed inutilia, vim naturæ humanæ indidit, & negauit quantum satis sit ad quærendam beatitudinem. Verum hęc sufficiant ad illam propositionem, naturam omnino mutare perdifficile fuerit: cui mox subnectit alteram: qui nihil peccant, melioris vitæ sunt participes: parum explicans de quibusnam loquatur. nam vt ab initio non peccent est impossibile. qui autem post resipiscentiam nihil peccant, raro inueniuntur, ex auditu verbi Dei tales redditi, non quod tales fuerint prius quam ad illud accederent. nisi enim adsit doctrina, eáque perfecta, impossibile est hominem sine peccato esse. Deinde sibiipse obiicit, quasi apud nos vulgo iactatum, Deus omnia poterit: ne id quidem dictum intelligens, aut quęnam sint illa omnia, & quomodo possit: de quibus rebus non est necesse nunc disserere, quandoquidē nec ipse hoc loco constitit, quamuis id probabiliter facere B poterat, fortasse negligens quod in ipsum retorqueri poterat: aut si non negligens, videns tamen quid posset è diuerso obiici. Potest sanè Deus iuxta nostram opinionem omnia, per quorum omnipotentiam à deitate sua bonitatéque ac sapientia non excidit. at Celsus velut non intelligens quomodo dicatur Deus posse omnia, negant eum velle quicquam quod sit iniustum, concedens quod Deus possit etiam iniusta, nolit tamen. Nos dicimus: sicut quod natiuam suam dulcedinem indit rebus etiam aliis, nullam potest amaram reddere, quia hoc contra naturam suam faceret: neque quod natum est ad res illustrandas, potest eas obscurare, ita nec Deus potest iniuste facere, & quęcunque creatura potest aliquid iniuste facere, potest id naturaliter, quia facere iniuste non est naturæ suæ contrarium. Post hęc sumit sibi quod nunquam concederet Christianus sapientior. fortasse simplicibus quibusdam temere creditum, quod quemadmodum quidam misericordia vincuntur, ita Deus misericordia coactus malos subleuet: bonos vero, cæterum hoc affectu carentes, ob hoc ipsum aspernetur: quod esset iniquissimum. nos enim credimus, neminem malum nisi ad virtutem conuersum subleuari à Deo: sicut neminem qui iam bonus sit reiici. nec propter miserationem, aut misericordiam vt vulgus loquitur, quē-C quam subleuat: sed qui peccata sua damnant toto pectore, séque ipsos deflent ac lugent tanquam ob malefacta merito perditos, ac mox mutationem præ se ferunt quæ resipiscentes deceat, eis demum propter mutatam in melius mentem condonat errata præterita: eam preteritorum obliuionem impetrante virtute, quę in locum profligatorū ex anima viciorum successit. quod si nō virtus, saltem profectus haud contemnendus sufficit ad abolendas viciorum maculas proxime accedentibus ad innocentiam. Deinde quasi ex persona nostri doctoris dicit: Sapiēter enim auersantur nostram doctrinam, seducti in errorem & impediti sua sapientia. Et ad hoc igitur respondendum: Si sapientia est diuinarum humanarúmque rerum scientia, earúmque causarum, aut vt sacra scriptura definit, diuinę potentię vapor, emanatio sincera omnipotentis glorię, & splendor sempiterni luminis, speculum virtutis Dei purissimū, bonitatísque eius imago expressa: nemo sapiens auersari poterit Christianum de religione sua perite disserentem, neque sermonibus eius decipi. Vera sapientia non solet fallere, sed rudis imperitia: nec est in rebus firmum quicquam preter veritatem & scientiam quę ex sapientia percipiuntur. Quod si extra hanc sapientię definitionem sapientem vocas dogmata qualiacunque astruentem suis argutationibus, fatebimur quod talis tuus sapiens auersatur verbum Dei, deceptus suis argutationibus & verisimilitudinibus, eísque impedietur plurimum. quoniam autem

D iuxta nostram opinionem scientia malicię non est sapientia, & maliciæ scientia (si sic eam vocare licet) est in falsis dogmatistis deceptis suis sophismatibus, ideo citius ignorantiam appellarem quam sapientiam qualisqualis est in huiusmodi hominibus. Post hæc rursum male loquitur Christiano doctori dicens eum ridicula narrare: nec tamen aperte ostendit quænam sint illa ridicula: & inter vituperandum negat vlli prudenti persuaderi nostram doctrinā, deterrito ipsa turba ad eam confluentium: quod quidem perinde est ac si quis dicat propter multitudinem plebeiorum iuxta leges viuentium neminem prudentem obediturum Soloni verbi gratia, aut Lycurgo, aut Zaleuco, aut alicui è legúlatoribus cæteris, præsertim si de ea prudentia loquatur quæ virtus est. quemadmodum enim legumlatores ciues suos in ipsorum vtilitatem astrinxerunt legibus: ita Deus per Iesum leges ferens humano generi, etiam imprudentes ad meliora ducit, sicut tales duci conuenit. Quapropter, vt iam suprà diximus, Deus apud Mosem sic loquitur: Ipsi me ad Zelotypiam commouerunt in non diis, irritauerunt me in simulachris suis. ego quoque Zelotypiā eis mouebo in non gente, in gente insipiente irritabo eos. *Deut. 32*
Paulus quoque id sciens Stulta, inquit, huius mūdi elegit, *Rom. 1.*
vt sapientes pudefaciat: sapientes more vulgari vocans omnes qui videntur in disciplinis profecisse, lapsos tamen in impium cultum plurium numinum: quia cum se crederent sapientes stulti facti sunt, mutauerúntque gloriam immortalis Dei, per imaginem non solum ad mortalis hominis E similitudinem effictam, verum etiam volatilium & quadrupedum & reptilium. Pergit insectari doctorem nostrum vt quærentem fatuos: quem libenter rogarem quos dicis fatuos? nam si exacte examines, omnis malus fatuus est. Igitur si fatuorum nomine malos intelligis, tuipse dum homines adducis ad philosophiam vtrum malos quæris an probos? atqui probos non potes quærere: iam pridem enim philosophantur. malos ergo, quod si malos, fatuos. & tales multos cupis adducere ad philosophiam. ergo tu quoque fatuos quæris. Ego vero etiam si tales fatuos quęrerem, similis essem medico prę humanitate quærenti ægrotos, quos adhibitis remediis bonæ valetudini restituat. sin fatuum dicens intelligi vis mente captum prodigium hominis, respondebo etiam tales me libēter meliores redditurum quantum potest fieri, nolle tamen vt ex talibus constet populus Christiani nominis. malim enim acriore ingenio præditos, qui possint assequi interpretationem ęnigmatum, eorúmque quæ tectius dicta sunt in lege, prophetis, & euangeliis: quæ vt friuola contēnuntur à non introspicientibus sensum eorum penitus, nec mentē scriptoris examinātibus. Quoniā autem mox Christianū doctorē facit similē medico, qui pollicēs sanitatem corporū intermīnetur ægrotis ne doctos medicos audiant, quominus de-F prehendatur ipsius imperitia: hic quoque interrogabimus, quos medicos narras à quibus Idiotas auocamus? nō enim putas philosophiæ sectatores à nobis captari, vt per medicos significes philosophos, & ab his discipulos reuocari ad diuini verbi auditorium. aut igitur non respōdebit, non valens ostendere istos medicos: aut soli supersunt idiotæ, obtundentes imperitos ista vili doctrina de deorum multitudine, & quicquid aliud ab idiotis expectandum est. vtrum vis tamen fecerit, arguetur hoc locu temere iniecisse mentionem de absterrentibus à doctis medicis. certe dum ab Epicuro epicureísque medicis abducimus homines ne errent, rectissime facimus, liberātes eos à morbo grauissimo cōtracto ex mala curatione medicorum Celsi, tollentium prouidentiam, & voluptatem pro summo bono extollentium. Sed sit ita, eos qui ad nostram doctrinā inuitātur abduci per nos ab audiendis aliis philosophis, puta peripateticis tollentibus prouidentiam, & res humanas à Deo respici negantibus: an non pie facimus prępatando & curando nostræ doctrinę candidatos, dum illis persuademus vt se comittant Deo vniuersorū domino, atque ita sanādo ipsorū magna vulnera, inflicta per istos qui se philosophos nominant? Esto abducamus & iam ab aliis medicis stoicis Deum corruptibilē introducentibus, & substātiā eius

G dicentibus esse corpus versibile in omnia & alterabile ac mutabile, résque omnes aliquando interituras affirmantibus, excepto solo Deo: annon sic quoque discipulos dociles ab erroribus pessimis liberatos adducemus ad pietatem, qua se totos creatori dedicent, admittantúrque parentem Christianæ doctrinæ clementissimum, qui animæ disciplinas per totum humanum genus spargi curauerit? Quin & illis medicam opem afferendo, qui transmigrationis animarum in varia nunc rationalium nunc brutorum corpora opinionem imbiberunt propinantibus imperitis medicis, annon animas eorum meliores reddimus, persuasos credere sermonibus, non qui doceant malis mulctæ nomine rationem adimi vt obbrutescant, sed qui ostendát esse quædam pharmaca conuertendis ad Deum peccatoribus efficacia, siue pœnis opus sit siue laboribus. hæc est enim prudentium virorum Christianè viuentium sententia, qua instruunt simpliciorem auditorem, tanquam parentes infantes paruulos, non tanquam agrestes fatuos, simúlque monent fugiendum illud medicorum genus. Non enim dicimus, cauete nequis vestrum attingat scientiam, nec scientiam rem malam esse aimus, nec ita insanimus vt dicamus per rerum cognitionem deprauari sanitatem humanæ animæ, aut vnquam quenquam periisse propter sapientiam: quandoquidem inter docendum non dicimus,
H Me audite: sed audite Deum omnium, & theologiæ doctorem Iesum. Nemo nostrum est tam arrogans, vt apud familiares discipulos vtatur illis quæ Celsus doctoris personæ affingit verbis. Ego vos seruabo solus. vide quã multa contra nos mentiatur. imò ne illud quidem dicimus quod meri medici corrumpant homines quibus sanitatem pollicentur. Addit alteram similitudinem: perinde nostros doctores facere dicens, acsi ebrius in ebriorum cœtu sobrios accuset quasi ebrios. Quæ collatio si quadrat, ostendat ex aliquo loco epistolarum Paulinarum (verbi gratia) ebrium fuisse Iesu apostolũ, sermonẽ eius esse parum sobrium: aut ex Ioannis literis, sentẽtias eius non esse sobrias alienásque ab omni ebrietate vitiorum. Proinde in neminem sobrium Christianæ doctrinæ professorem hæret ebrietatis crimen, sed Celsus in nos conuicia iacit parũ philosophicè. Qui sunt porro isti sobrij, quos à Christianorum doctoribus male audire nobis obiicit? Nos certe habemus omnes eos pro ebrijs, quotquot statuas sensu carentes vt numen inuocant. nec minus insaniunt qui putant veris diis honorem reddi per huiusmodi opera nequissimorum nonnunquam opificum. Post hæc doctorem confert laborantis oculis, discentes item oculos inflammatione vitiatos habentibus: atque apud tales illum obloqui cernẽtibus acute, quasi cæcutientibus.

I Percõtemur igitur Græcus, qui sint isti non cernentes. nimirum quæcunque tam magnifica mũdi rerumque huius ambitu complexarum specie non admonentur, suspiciendum esse conditorem omnium: eum solum adorandum esse, admirandum atque colẽdum: nihilque præter eum, aut pari honore cũ eo. Quæ enim nullo pacto conferẽda sunt, cõparare cum longe præcellente omnẽ creaturam conditam, vere cæcutientiũ est mentis oculis. Itaque non acute cernentibus hebetudinis cæcitatísve conuicium facimus, sed eos qui cœlestis numinis ignari inter tẽpla, & simulacra festáque statis mensibus recurrentia volutantur, aimus excæcatos animo, præsertim si ad impietatem accedat vita luxu libidinibúsque perditissima, non habita illa honestatis ratione, sed obseruiẽdo solis turpibus cupiditatibus. Et post tot atroces criminationes quibus in nos inuecta est vult videri habere alia multa crimini vertenda, quę tamen silentio prætereat. Sic enim loquitur: Hæc sunt accusatione digna cæteráque id genus, ne percẽseam singula: imóque ipsos male loqui de Deo, illectãdo homines spe vanissima, & docendo potiora contẽnere, quasi prę ster illa missa facere, Ad hoc quoque non deest respõsio desumpta è doctrinæ Christianæ viribus efficacibus: nõ ita prompte prauos homines ei se submittere, vt simplices & vt ita dicam subrusticos. nam hi pœnarum denunciatione territi, ne in eas incidant facile permouentur vt sibi in posterum à male faciendo temperent: atque ita se totos pietati Christianæ dedunt, eóque metu coerciti quicquid in hoc seculo est laborum atque cruciatuum, mortem denique ipsam contemnũt præ æternis illis (vt vere vocantur) supplicijs. id quod nemo sapiens in malum virum cõpetere diceret. K
quis enim destinatè malus prudentiam exercet ac temperantiam, aut liberalitatem ac beneficentiam? Quin & diuina scriptura vocat ad Dei timorem eos qui nondum per se dispicere valent, quodnam sit illud summum bonũ propter seipsum expetendum, non propter alia, quod maius est omnibus promissionibus: cuius desiderium fieri non potest vt cadat in hominem seruientẽ vitijs. Quod si quis dicat nostros non malos quidem esse sed plus ęquo superstitiosos atque credulos, vel hoc solum improbandum existimans, ei respondebimus, quod quemadmodum legislator rogatus an optimas leges tulisset suis ciuibus, diceret, non omnino optimas, sed quãtum fieri potuit optimas: ita diceret etiã Christianæ doctrinæ autor, se leges tulisse corrigendis vulgarium moribus optimas, non falso minaces, sed proponentes peccatoribus certissimas pœnas ac miserias, ad compescendos contumaces necessarias, quas tamẽ nec propositum castigatoris, nec pœnarum effectum intelligunt, vtilitatem publicam spectantium, quæ latet in verissimis illis legibus. Certe in genere nec mali nec vitijs dediti sunt Christianæ religionis doctores. Nec male de deo L
loquimur: vera enim de eo dicimus, & multis manifesta etiam, sed istis obscura: sicut & philosophicę rationes paucis sunt perspicuæ. Quoniam autem Celsus ait nos vana spe ad Christianam religionem illectare homines, respondebo calumniatori doctrinæ pollicentis agendã cum superis vitam beatam: heus tu opinione tua in vanum sperant etiam qui Pythagoram atque Platonem secuti persuasum habent animas conuexa cœli ascendere, & in supercœlestibus locis contemplari spectatorum fortunatorũ spectacula. iuxta te vero Celse etiam qui credunt animas superstites cum heroibus ac diis degere, spe falsa decipiũtur. Et fortasse hoc ipsum ei vanum videtur, sperare vitam animæ exutæ corpore, prodeat igitur in certamen sectam suam non dissimulans, & vt Epicureum decet oppugnet ingenue quæcunque vel Græcorum vel barbarorum placita de futura vita & immortalitate animæ, & figuris argumentis declaret nugas esse istas vanam spem afferẽtes credulis, sua vero dogmata esse aliena à spei fallacijs: vt quæ spem faciant vel bonã, vel potius, nullam, si anima soluta corpore perit euestigio: nisi forte Celsus cum suis Epicureis negabit vanã spem, quæ honorũ summã collocat in perpetua voluptate corporis, eámque dicet nunquã fallere. Ne autẽ putes nos parũ Christiane cõtra Celsum disputare de immortalitate animæ corpori superstitis ex autoritate philosophorum, cum quibus sunt nobis quædam cõ- M
munia, scito in aliũ locũ magis opportunũ seruari clarã demonstrationẽ, quod beata vita maneat solos piè iuxta Iesu doctrinã viuentes colentésque Deũ conditorẽ omnium cultu sincero & puro ab omnibus profanis religionibus, quibus circa res creatas distinetur vulgus hominum. Sed quænã sunt ista meliora quę contẽnenda esse docemus deceptos à nobis homines? Conferat qui vult à Iesu Christo, hoc est Dei verbo & sapientia virtutémque, promissum finem beatũ, gratuita Dei benignitate post vitã innocenter actam repræsentandũ cunctis quicunque indiuulse adhæserũt charitati Dei, cum omnibus omniũ sectarũ mysterijs quæ vnquam fuerunt vel apud Græcos vel apud barbaros pollicentes sibi finem beatũ, & ostendat quid illi habeant præ nobis melius: & per consequens, penes illos esse veritatem, nostras autem spes non conuenire vel grauitati Dei benignitati, vel hominibus è vita bene acta excedentibus: aut non esse hæc iam olim prænũciata per sanctissimas prophetarum animas afflatas sancto spiritu. Ostẽdat item qui vult, scripturas quas omnium confessione constat esse humanas, potiores habendas quam diuina oracula tantã fœlicitatem promittentia. Quænam igitur sunt illa potiora quæ præstat missa facere siquis nos audiat? Si enim vera loqui permittimur, statim apparet ne cogitari quidem posse

A posse quicquam melius, quam totum se committere Deo rerum vniuersarum domino, & sectari doctrinam abducentem à creaturis omnibus, & adducentem per verbum viuũ, quod est viuens sapientia filius dei, ad deũ dominum omnium. Sed iam satis excreuit hoc volumen tertium eorum quæ contra Celsum commentanda suscepimus: quapropter hîc claudatur, vt contra eum certamen instauremus in sequentibus.

LIBER QVARTVS.



Hier. 1. Ribus superioribus libris sacer Ambrosi cõplexi quicquid contra Celsi scripta dicendum putauimus, quartum deinceps inuocato per Christum deo aggredimur, qui vtinã suggerat nobis verba de qualibus in Hieremia scriptum est ex persona domini prophetam ipsum alloquentis: Ecce dedi verba mea in ore tuo ignem, ecce constitui te hodie super gentes & super regna, vt eradices, & diruas, & disperdas & demoliaris, ædifices & plantes. Opus est enim nobis nũc verbis eradicantibus ex animis hominum mala germina occasione cõmentariorum Celsi & similium pullulantia contra veritatem, opus etiam sententiis diruentibus omne superstructũ dogB matibus falsis ædificium, & huius scriptoris insanas substructiones quales erant illorum magniloquorum, Venite Gen. 11. ædificemus nobismet vrbem & turrim cuius fastigium vsque cœlos pertingat. opus etiam habemus sapiẽtia demoliente omnem altitudinem extollentem se contra cognitionem dei, & arrogantem vastúmque Celsi animũ insurgentem contra nos. Deinde quia non satis est eradicare & diruere ea quæ diximus, sed in locum euulsorum plantanda est plantatio diuinæ agricolationis, & in locum dirutorum ædificandum templi dei gloriosum ædificiũ, vocamus in vota dominum datorem supra scriptorum apud Hieremiam munerum, vt nobis dignetur concedere sermones quibus valeamus & ædificare quæ Christi sunt, & plantare spiritualem legem, eíque pares sermones propheticos: quandoquidem nũc maxime opus est prædictis gratiis ad astruendum Christum è prophetarum oraculis, & Celsum deinceps redarguendũ. Is enim vtrisque se opponens, tam Iudæis Christum aduenisse negantibus & adhuc sperantibus, quam Christianis Iesum esse Christũ illum à prophetis prænunciatum affirmantibus, sic loquitur: quòd autem è Christianis quidam & Iudæi, alteri descendisse aiunt, alteri descensurum esse in terram quendam deum aut dei filium iustificatorem hic degentiũ, id vero indecorum est & tam absurdum vt non sit opus multis verbis refellere. Et de Iudæis quidem non quibusdam sed in vniuersum dicit, C putare eos descensurum aliquem in terram. de Christianis vero, esse quosdam ex eis qui descendisse dicant. Indicat enim eos qui Christum aduenisse confirmant è Iudæorum scripturis, & videtur nosse aliquas hæreses, negantes Iesum esse Christum illum à prophetis designatum. Nos iam superius pro virili docuimus prophetarum esse Christum, ideóque multa quæ hoc loco dici possent non repetemus, ad vitandum iterationis tedium. Nunc vide quod si probabili saltem aliqua ratione voluisset abrogare fidem prophetis de aduentu Christi siue iam præterito siue futuro canentibus, debuerat ipsas exponere prophetias, quibus Christiani & Iudæi inter se disputantes vtuntur. sic enim potuisset videri in rectam viam reducere seductos quibusdam vt putat verisimilitudinibus, & Iesum credentes esse Christum propter prophetarum oracula, nunc vero siue quia non posset illis oraculis resistere, siue quia nesciret quidem quænam ea sint, nec vnum adducit dictum propheticum, cum tamen sint innumera de Christo loquentia: & accusatorem se putat prophetarum, ne hoc quidem exponens quas dicat verisimilitudines. Imò illud quoque ignorat Iudæos non admodum hoc asseuerare, Christum illum quem etiamnum expectant aduenturum, deum fore aut dei filium, vt iam superius à nobis dictum est. & præfatus, nos quidem dicere venisse iustificatorem, Iudæos vero

venturum esse, hoc ipsum satis ad accusationem prædictoD rum existimat, indecora hæc esse absurdióráque quam vt refelli debeant verbis pluribus: ac mox rogat, quid in mentem deo venerit, vt descenderet: non videns in promptu esse nobis rationem eius descensus, primùm illam euangelicã, vt conuerterentur perditæ oues domus Israelis: deinde vt propter illorum obstinatam incredulitatem auferretur ab eis regnũ dei quod uocatur, & reiectis Iudæis colonis veteribus, aliis traderetur, videlicet Christianis, reddituris deo fructus dignos regno ipsius, opera deo grata, cuique tempori cõuenientia. Et nos quidem paucas è multis causas produximus Celso quærenti cur deus descenderet: ille vero omissis quæ vel à nobis referri possent vel à Iudæis, ipse subinfert: an vt res humanas agnosceret? quod nemo nostrum diceret, descendisse in hãc vitam Christum vt res hominum nosceret. Deinde acsi ab aliis hæc descensus causa sibi esset reddita, ex aduerso illud obiicit: an non sciebat omnia? tum quasi respõso accepto, sciuisse: rursum aliã quæstionem mouet. Ergo sciebat quidem, at non corrigebat, nec corrigere diuina virtute poterat? Quæ omnia stulte loquitur. Deus enim nullo non sæculo per verbum suum descendens, & amicos dei prophetásque faciẽs: corrigit omnes quotquot obediũt, sicut Christo nato per doctrinam Christianã emẽdat, non tamen inuitos, sed eos qui ad meE liorem vitã deo placentẽ se conferunt. Nescio porrò quãtam correctionem Celsus desiderãs sic pergit quærere: Ergo non erat possibile diuina virtute corrigere, nisi mitteretur ad hoc natus aliquis? Fortasse postulabat iste vt Deus potẽns hominibus apparens semel omnem maliciam eximeret, & pro ea virtutem insereret. qua de re merito dubitaretur posset ne fieri. Sed fac posse. vbi tum erit nostra voluntas? vbi laudabilis erga veritatem credulitas? Et probãda auersatio mendacij? Sed quantúcunque donemus hoc possibile atque decorum etiã, eadem opera quispiam similis Celsi quæreret, quin potius diuina potentia tales fecit homines vt ne correctione quidẽ opus esset, bonos atque perfectos iam inde ab initio, nulla admissa malicia? Huiusmodi cogitationes imperitis facile obrepunt, sed nõ item naturam rerum considerantibus, quod virtus ni spõtanea sit, ne virtus quidem erit. Verùm hæc peculiari tractatu opus habẽt, de quibus multa inueniuntur etiam in disputationibus Græcorũ de prouidentia, qui nunquam dicerent qualia Celsus: Sciebat, sed nõ corrigebat, nec corrigere diuina virtute poterat. Nos quoq; multis in locis quantũ potuimus de his disseruimus: & diuinæ scripturæ explicãt talia, modo accedat lector idoneus. Atqui verba ista quibus nobiscum & cum Iudæis Celsus agit, contra ipsum reflecti possunt hoc pacto: heus tu, summus deus scire ne res hominum an nescit? Si non fingis quæ habentur de prouidentia in tuis cõmentariis, necessario cõsequitur, eum scire. quod si scit, cur non eas corrigit? nisi forte à nobis exposcitur ratio cur non corrigat, ex te vero dissimulante Epicureum, & agnitionem prouidẽtiæ simulante, nõ licet sciscitari, cur deus norit res humanas, nõ tamen eas corrigat: & quamobrem F non vniuersos homines semel à vitiis liberet. Nos autem libere dicimus, deum nunquam non correctores mittere: quandoquidem extant præcepta eius optima, ab ipso hominibus tradita. Iam vero etiam ministrorum dei magna est varietas, paucis per omnia pure veritatem tractãtibus, & perfectę correctioni studentibus, quales erant Moses & prophetæ. Accessit postremo magna correctio per Iesum, non vnius tantum terrarum anguli medicum, sed vniuersorum quantum in ipso est. Seruator enim venit omnibus hominibus. Præterea nescio vnde occasionem nactus egregius Celsus controuersum facit, quasi nos id affirmemus, descensurum ipsum deum ad homines: quod si fiat, veretur ne illic deserat suum solium. non enim nouit Dei potentiam, quod spiritus domini repleat orbem terrarum, & qui continet omnia, scientiam vocis habeat, nec illa verba intelligit: Nonne cœlum & terram ego impleo, dicit dominus: nec videt quod iuxta rationem Christianorum omnes in eo viuimus, mouemur, & sumus, sicut Paulus docet in concione ad Athenienses habita.

G Itaque sine huius vniuersitatis deus potentia sua descendat cum Iesu in vitam hominum, siue dei verbũ quod erat in principio, quódque ipsum deus est, ad nos veniat, non carebit sede nec eã deseret, vt alius loco eo sit vacuus, plenus alius qui ante vacauerat: sed dei potentia & deitas proficiscitur, quò vult, & apud quẽcunque inuenit locum, absque migratione, nec relicto loco per absentiã suam vacuo, repletoque alio per præsentiã. quãdo enim hoc repletum illud desertũ dicimus, non de loco intelligẽdum est: sed malam & viciis perditam animã dicimus a deo deseri: cũ vero qui cum virtute viuere cupiens, vel huc proficit, vel iã eam assecutus est, pronũciamus plenum esse diuini spiritus siue participẽ. Non est igitur opus propter Christi descensum, aut dei pręsentiã inter homines, deseri thronũ illũ excelsũ, aut aliquid hîc mutari, sicut Celsus somniat dum sic loquitur? Si enim hic vel minimũ quid mutaueris, subuersa ruẽt omnia. Quod si quid mutatur in rebus humanis per præsentiã virtutis dei & aduentũ verbi eius ad homines, ingenue fatebimur mutari è malis in bonos, ea intemperãtibus in sobrios, è superstitiosis in pios, recepto dei verbo in hospitium animæ. Iam si etiã ad ridiculas eius nugas respondendũ est, audi quid dicat. Nisi forte ignotus erat deus hominibus, quã iniuriã non ferens, innotescere voluit, & periculum tã credentium, quam diffidentium facere, sicut solent homines recens adepti amplas facultates & recẽsen-
H tes numerosam familiã: quod de deo cogitare, nihil aliud est quã hominum mortalium ambitionẽ ei tribuere. Equidem fateor ignotum fuisse deum malis hominibus: nõ tamẽ quia per hoc aliquid ei decederet voluisse innotescere, sed vt cognitus miseros liberaret à suis miseriis. Nec periculũ facere volens, quinã sint increduli, qui contrà facilea ad credendũ, vel ipse inuisit quosdã ineffabili sua diuináq; potentia, vel mittit ad eos Christum suũ: sed vt credentes, & cognoscentes eius diuinitatẽ, ab omni liberentur infęlicitate: incredulis vero nulla reliquatur excusatio: nec possint ignorantiam pętexere, quasi nihil doctrina huius ad aures eorum peruenerit. Quã igitur rationem adducit, cur videamur deũ facere ostẽtatorem more hominũ recens ditatorũ? Non ostẽtat se nobis deus dũ vult intelligi suã pręcellentiã, sed facit vt cognitus mactas felicitate reddat nostras animas, ad quam per verbũ suum & aduentũ Christi nunquã non nos solicitat familiaritatem nostrã expetens. Itaque nihil humanæ ambitionis doctrina Christiana deo tribuit: quod ipse nugator procedente sermone agnoscẽs, & velut verba temere effusa nescio quomodo corrigẽs, ait non ipsi deo fuisse opus cognosci, sed propter nostrã salutem voluisse innotescere: vt quotquot eum receperint, boni iam facti salutem consequantur: qui vero aspernati fue-
I rint, maliciæ conuicti pœnas luant. Id tamen ea persona nostra dictũ repetens, quæstionem mouet: Ergo nunc tandem post tot secula recordatus est deus iustificare vitã hominum, quòd priore tempore neglexerat? Ad quã respondemus, nunquam defuisse deo voluntatem iustificandi vitam hominũ, imò semper hoc ei cordi fuisse, per occasionem inuitanti animal rationale ad resipiscentiam. Singulis enim seculis dei sapientia sanctas animas intrãs prophetas & amicos dei facit: & licet inuenire in sacris voluminibus singularũ ætatum sanctos capaces diuini spiritus, pro virili conuertentes etiam alios. Nec mirũ est fuisse in his aliquot qui propter pectus eximie capax numinis perpetuáque recte viuendi constantiam non solum sui seculi prophetas superauerint, verũ etiam tam priores quã posteriores cæteros: sicut nec illud mirandum est, extitisse certis seculis hominum genere quædam memorabilia magis quã aut superioribus aut insequentibus: quorum ratio profundior est quam vt profanis auribus communicari debeat alioqui responsuro quod ad Christi aduentum attinet, quid ita post tot secula demum iustificare humanum genus in mentem deo venerit, & non antea attingendum esset aliquid de portionibus, & declarandum cur nam altissimus post diuisas gentes ac dispersos Adæ filios, terminos illis præfinierit iuxta numerum angelorum dei, cesseritque domino in portionem populus è Iacobo prognatus, & Israe-

litæ in funiculum hæreditarium: reddẽda esset etiam causa cur in quaque portione proueniant destinatæ ei portioni, & quo merito factus sit portio domini populus descendens à Iacobo, & Israelitæ hæreditas ipsius: de posteriore autem populo pater ad seruatorẽ loquatur: Postula à me, & dabo tibi gentes hęreditatem tuam, & possessionem tuã terræ terminos. Sunt enim quędam consequentiæ seriésq; inexplicabiles & ineffabiles, per quas variis modis circũferuntur & disponuntur animæ hominum. Venit igitur Christus, quantũuis Celsus reclamet, post multos prophetas ad corrigendũ Israelis illius populũ, atque etiam orbis totius, nihil opus habens in priore dispensatione, qua erga homines vsus est, flagris, tormentis, & vinculis. sufficiebat enim doctrina, quo tẽpore exiit seminator ad seminãdum, vt semen suũ vbique spargeret. Quod si certũ tempus quo mundus hic maneat præfinitum est, necessario consequitur eum habuisse principiũ: quo tempore absoluto futurũ est iustũ de omnibus iudiciũ. quam disputationem siquis tractare velit philosophice, opus habebit variis argumẽtis & probationibus, tum ea diuinis scripturis, tum ea ratiocinationibus. cæterum multitudo simpliciũ non valẽtium diuinæ sapientię varietatem sua contemplatione assequi, debet se totam deo & seruatori nostri generis credere, cõtenta eius autoritate quod ipse dixerit, nec aliud requirẽs præterea. Post hæc rursum Celsus more suo, quicquã nusquam nos parum pie de deo pędicare coarguit, sic loquitur: Ita L
que nec pie nec pure hæc eos de deo prædicare manifestũ est: putátque nos ad obstupefaciendũ vulgus hæc fingere, quasi necessariò pœnæ peccatorem maneant. quapropter confert nos cum quibusdam proferentibus spectra & terricula in bacchanalibus. Ea facta siquid rationis habent, à Græcis petendum est Celso cum suo sodalitio: nos pro nobis rationem reddimus, dicimúsque nos eò contendere vt corrigamus genus humanum, siue per comminationem pœnarum quas credimus omnino necessarias passuris, fortassis etiam non inutiles: siue per promissionem præmiorum propositorum pie viuentibus, hoc est vitæ beatæ degendæ in regno dei, & quicquid ex bonarum rerum in se complectitur. Post hæc volens ostendere nos nihil mirum aut nouum dicere de vniuersali diluuio aut conflagratione, sed neglectis Gręcorum atque barbarorum autorũ super hac re testimoniis, nostris tãtum scripturis de hoc credere, his verbis vtitur: Quin & hoc tradunt, quod tamen nisi neglexissent ex illis audire poterant, longis temporum reuolutionibus & siderũ recursibus atque concursibus cõflagrationes diluuiáque fieri, & quod post vltimum illud Deucalioneũ reuolutionũ vicissitudo iam conflagrationẽ postulet. Id in causa fuit vt per errorem dicerent, descẽsu- M
rum deum cum igne in tortoris modum. Ad hæc respondeo, mirũ esse quomodo vir multæ lectionis Celsus, multarúmque historiarũ cognitionem præ se ferens, non inuenerit antiquitatẽ Mosis, quem quidam Gręcorũ scriptores aiunt fuisse temporibus Inachi Phoronei filij, Ægyptiorum quoque & Phœnicũ scriptoribus attestantibus antiquitati hominis. de quo siquis certiora cupit agnoscere, legat Flauij Iosephi libros duos de Iudęorum antiquitatibus, vt sciat Mosen ętate longe superiorem fuisse istis qui inundationum & exustionum vicissitudines asserũt, quos Celsus dicit à Iudæis ac Christianis cõtemptim audiri ideóque à non intelligẽtibus eas exustiones confictũ, descẽsurum esse deũ cum igne in tortoris modũ. cæterum sint ne istæ diluuiorũ & cõflagrationũ vicissitudines an non sint, & vtrum eas scripturæ agnoscãt cũ alias sæpe, tum apud Solomonẽ dicẽtem: Quod factũ est, idipsum & faciendũ est, & nõ est pręsentis tẽporis disputatio: sufficit tantũ adnotasse, quod antiquissimi viri Moses & prophetæ aliquot hanc opinionem de mundi exustione non sumpserunt ab aliis: imo si expendatur ratio temporum, alios, potius hæc non intellecta deprauasse confictis vicissitudinibus istis in orbem redeuntibus. eadem qua prius nec quidquam enariante facie. Nos autem nec diluuia nec exustiones certis periodis & siderum in eandem stationum formam recursibus acceptas ferimus, sed horum causam in maliciã hominum

an im-

A in immensum auctam, nec nisi diluuio incendióue perpurgandam referimus. Deum porrò quoties in prophetarum oraculis audimus descendere, cum tamen ipse dicat, Nonne cœlum & terram ego impleo, dicit dominus: figurate id dictum accipimus. Descendit enim Deus à sua maiestate & altitudine, quoties res hominum præsertim malorum dispensat: & quemadmodum vulgaris loquendi consuetudo magistros dicit condescendere pueris, & in philosophia prouectos nouicijs discipulis, nequaquam de corpore volens hoc intelligi: ita sicubi Deus in sacra scriptura descendere dicitur, pari modo intelligendum est iuxta loquendi consuetudinem receptam: sicut de ascendo etiam. Quoniam autem Celsus taxat nos, qui dicamus Deum in modum tortoris cum igne descendere, & cogit nos parum tempestiue hæc verba introspicere penitius, paucis tantū dictis ad crimen refellendum & gustum profundioris sensus auditori exhibendum, reuertemur ad reliqua quæ deinceps sequuntur. Ait diuina scriptura Deum nostrum esse ignem consumentem, & fluuios ignis eum præcedere, ipsum etiam velut ignem conflatorium aduenire, & velut herbam fullonicam, vt conflet suum populum. ergo quandoquidem ignis consumens dicitur esse, quæramus quid potissimum a Deo consumi deceat. Equidem maliciam dixerim, & quæcunque eius opera, quæ figurate nominantur ligna, fœnum, stipula, à deo consumi potissimum.

Hier. 3.

B Certè de malis dicitur, superstruere eos iactis fundamentis ligna, fœnum, stipulam. Quæ si quis docere potest aliter à Paulo accipi, & corporaliter intelligendum esse malos superstruere ligna, fœnum, stipulam, apparebit etiam ignem materialem intelligendum & sensibilem. quodsi euidenter figurata est locutio, dum mali hominis opera significantur lignorum, fœni, stipularúmque nomine: quî fit vt non statim succurrat quomodo ignis accipiendus sit qui consumat ligna huiusmodi? Nam vniuscuiusque opus (inquit scriptura) probabit ignis quale sit. Si cuius opus superædificatum permanserit, mercedem is accipiet: si cuius opus exuretur, is iacturam faciet. opus autem exustum quod aliud dici potest, quam opus maliciæ? Itaque Deus noster ignis consumens est vt ostendimus, & vt ignis conflatorius aduentat, conflaturus rationalem naturā plenam plumbo maliciæ, cæterísque impuris materiis, auream (vt sic loquar) naturam animæ argenteámve adulterantibus. Sic etiam ignei fluuij dicuntur Deum præcedere, abolentem quicquid vitiosum est admixtum in tota anima. Sed hactenus responsum sit ad illud, quod nos putat falli credentes Deum descensurum tortoris more cum igne: videamus quid deinceps Celsus magno verborum apparatu afferat, inquit, Repetamus, altius sermonem argumentis pluribus. Dicetur aut noui nihil, sed iam dudū confessa omnibus.

C Deus est bonus, pulcher, fœlix, & pulcherrima, optimáque specie. is si descēdat ad homines, vt mutetur opus est. mutabitur autem è bono in malū, è pulchro in turpem, è fœlice in infœlicem, ex optimo in nequissimum. Quis sic se mutatum coperet? Certè mutatio hæc & transformatio cadit in hominem mortalem: immortali vero semper eodem modo se habere conuenit. ergo nunquam Deus talem mutationem reciperet. Ad hæc satis responsum erit si dixero quomodo in sacris scripturis accipiatur descendens Dei ad homines: ad quem nulla mutatione opus est, vt Celsus putat nos opinari, nec versione in malum è bono, aut è pulchro in turpem, aut è fœlici in infœlicem, aut ex optimo in nequissimum. Immutabilis enim in sua essentia manens, condescendit rebus humanis dispensatione & prouidentia. Nos certè è sacris literis Deum immutabilem esse discimus, vbi legitur, Tu autem idem ipse es: & Non immutor. Epicuri vero dij ex atomis compositi, & proinde in eosdem dissolubiles, habent quod agant dum corruptibiles illos atomos excutiant. Quin & Stoicorum Deus, nunc mens est corpus habens igneum, nunc in totius mundi partes diffusus eas ordinat: nam ista ne potuerunt quidem clarè Dei naturam intelligere, quod sit omnino incorruptibilis, simplex, nec compositus nec diuisibilis. Id autem quod ad homines descendit erat in forma Dei, & propter amorem humani generis seipsum exinaniuit, vt posset concipi ab hominibus, absque vlla tamen mutatione boni in malum: peccatum enim non fecit: sicut nec ex honesto in turpe mutatus est: peccatum enim non cognouit, nec ex fœlicitate decidit in miseriam, sed quamuis humiliatus, nihilominus beatus erat, etiam cum maxime propter vtilitatem humani generis se demitteret, nulla item mutatio fuit ex optimo in nequissimum. quî enim nequissimum esse potest, quod est amans hominum atque beneficum? alioqui medicus quoque multa vel molesta inspectans vel contrectans iniucunda vt ægrotos sanitati restituat, ex bono in malum, ex honestate in turpitudinem, è fœlicitate in miseriam prolabitur. atqui medicus inspectans molesta, & contrectans iniucunda, non adeò tutus est quin possit in eadem incidere, animarum vero nostrarum sauciarum curator per verbum Dei quod ipse est, nihil malorum in se admittere poterat. Quodsi corpus mortale animámq; humanam ab immortali Dei verbo assumptam Celsus vocat mutationem & alterationem, discat verbum manere verbum sua substantia, nec pati eorum quicquam quæ corpus aut anima patitur: condescendere tamen interdum non valentibus claritatē ac splendorē deitatis intueri, & velut carnem loqui corporaliter, tantisper dum auditor paulatim per verbum factus sublimior posset etiam illam pristinam (vt ita nominem) formam eius contemplari. sunt enim variæ velut formæ verbi, prout quisque in eo cognoscendo est perspicax & magis minúsve prouectus, & aut à limine virentem salutauit, aut iam introgressus est eius penetralia. Quapropter longe aliter quam vt Celso videtur & similibus transformatus est, & conscenso excelso monte ostendit suam formam multo præstantiorem quàm quę à manentibus in imo, & ad ardua non sequentibus posset conspici. humilis enim turba non habebat oculos capaces spectaculi diuinæ & gloriosæ metamorphoseos: Imò vix talem capiebant qualis tum inter eos versabatur, ita vt qui nihil supra præsentem speciem in eo suspiciebant dicerent: Vidimus eum & non habebat speciem nec pulchritudinem: sed species eius erat inhonora, inferior cæteris filiis hominum. Hæc contra Celsi suspicionem dixisse sufficiat, non intelligentis mutationes transformationésve quæ de Iesu produntur in historiis, nec mortalitatem aut immortalitatem illius. Annon hæc, præsertim intellecta vt debent intelligi, multo plus grauitatis habēt, quàm quæ ferūtur de Bacchio circumuento à Titanibus, delapsóque à Iouis solio & dilacerato ab eis, ac rursum compositis membris rediuiuo cœlum scādente? Aut Græcis licet ista vt figuratè dicta interpretari de anima, nobis vero præclusus est aditus ad cōuenientē & consonam enarrationem sacræ scripturæ per animas puras afflatu diuino proditæ? Itaque nullo modo Celsus nouit mentē nostrarū literarum, & proinde non quę illæ dicunt calumniatur, sed quod ipse inde excerpit: qui si intellexisset quid animam in futura vita æterna maneat, & quid sentiendum sit de ipsius substantia & origine, non ita irrisisset immortalem ob assumptum mortale corpus, idque non iuxta Platonis opinionem de migratione animarum in aliud corpus ex alio, sed iuxta sublimiorem quādam contemplationē: vidissétque vnam è multis insignē Dei beneficentiam, descensum ad conuertendas (vt sacra scriptura loquitur) oues perditas domus Israeliticæ, & errore delatas ab illis montibus, in quibus pastor saluas reliquit cæteras (quemadmodum est in quibusdam euangelicis parabolis) vt has quæreret. Hîc Celsus in non intellectis hærens diutius, in causa est vt nos quoque iteremus eadem, ne videamur quicquam ab eo dictorum inexaminatum relinquere. Sic autem deinceps loquitur: Aut reuera mutatur Deus, sicut isti aiunt, in corpus mortale, Id quod iam ostendimus impossibile: Aut ipse quidē non mutatur, sed facit vt hoc putent qui vident, & imponit eis mendacio. porrò deceptio & mendacium aliàs semper malæ res, tunc tantum sunt vsui, quādo pro remedio sunt amicis curandis morbo vitióve laborantibus aut insanientibus, aut si quando apud inimicos per ea vitamus periculum.

Psal. 102

D E F

G At Deo nec vitiosus aut insanus quisquam amicus est, & timet neminem, vt impostura opus habeat ad euadendum periculum. Ad hoc responderi potest distinguendo verbi Dei naturam quod Deus est, & Iesu animam. De verbi dei natura dicimus, quòd quemadmodum alimentorum qualitas, vt accommodetur infantis naturæ in lac nutricis vertitur, & medicus ægroto sanando medicamenta ex vsu ipsius temperat habito respectu eius virium: ita Deus pro ratione animæ humanæ verbi sui virtutem hominibus attempetat, respectu singulorum in variando habito: vt aliis fiat lac rationale dolum nesciens, sicut scriptura nominat, aliis infirmioribus tanquam olus, aliis perfectioribus ministretur vt cibus solidus. nec tamen suam naturam mentitur verbum dum cuique alimentum fit pro captu ipsius, nec imponit hominibus mendacio. Quia si de anima Iesu intelligit, mutatam per aduentum in corpus, quam mutationem dicat interrogabimus. Nam si substantiæ non concedimus, non solum de illa, sed ne de alia quidem vlla rationali anima. sin hoc dicit quòd afficiatur a corpore vt ei mixta, & à longo in quem deuenit, quid absurdi ob hoc contingit verbo descendenti ad seruandum adamatum genus hominum? sua morte præstanti quod ante aduentum eius nemo quantumuis magnifice opem medicam pollicens præstare potuit? Hæc cum ita sint sæpe nobis inculcat diuinum verbum in multis sacræ scripturæ locis, è quibus vnum Pauli dictum in præsens apponere sufficiet. verba eius sunt hæc: Is affectus sit in vobis qui fuit & in Christo Iesu: qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, vt esset æqualis deo: sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, & in similitudine hominum constitutus humilem præbuit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. quapropter & deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen quod est supra omne nomen. Persuadeat igitur Celsus aliis non fuisse illum mutatum, sed illusisse oculis videntium: nos, quibus persuasissimum est, non putatiuè, sed vere manifestéque aduenisse Iesum ad homines, alieni sumus ab obiecto per Celsum crimine: attamen respondebimus, nónne tuum dictum est Celse, pro medicamēto interdum permitti vsum imposturæ ac mendacij? quid igitur absurdi fuisset ad salutem tale quippiam fieri? Sunt enim quidam confícti sermones, qui nihilominus mores vertunt in melius: qua arte medici quoque nonnunquam apud ægrotos vtuntur dissimulata veritate: quod tamen non pro Iesu responsum sit. Si enim sananti amicum laborantem fas est vti remediis non quæsitis sed per occasionem oblatis: humanum quoque genus cum esset furore correptum debuit à medico verbo quibuscunque compendiis ad sanā mentem restitui. Ait præterea sic & cum inimicis agendum, ad effugiendum periculum. Deum autem à nemine sibi timere, vt euadendi causa insidiatores fallendos habeat, quod cùm Seruatori nostro nunquam obiectum sit, ne refellere quidem opus est. Quin & ad illud iam responsum est inter cætera, quod negat vel morbo viciatum vel insanum hominem esse carum deo: Respondetur enim ad hoc non propter amicos morbidos aut insanos hanc dispensationem factam, sed pro animabus inimicis morbo & naturalis rationis defectu laborantibus, vt reconciliatæ deo amicæ fierēt. nam manifeste dicimus Iesus omnia pertulisse pro peccatoribus, vt liberatos à peccatis iustos faceret. Deinde quoniam facit Iudæos seorsum causam reddētes cur Christum nondum venisse putent, sed venturum expectent: seorsum item Christianos affirmātes iam in hominum vitam venisse dei filium: age hæc quoque consideremus quanto fieri potest compendio. Iudæi apud eum dicunt, vitā refertam omni genere viciorum opus habere aliquo à deo mittendo, qui punitis iniustis repurget omnia, non aliter quàm olim factum sit per diluuium. & quoniam dicuntur Christiani plura his addere, liquet eadem etiā eos affirmare. Et quid absurdi est si propter inundationem viciorum aduentat qui mundum purificet, ac vnumquenque tractet pro dignitate? nec enim deum decet maliciæ gangrænam late serpentem non sistere, vt res collapsas instauret denuo. Norunt autem etiam Græci conflagrationibus K & diluuiis terram purgari certis vicibus, sicut & Plato alicubi sic loquitur: Quando autem dij terram aquis purgantes inducunt diluuium, tunc incolæ montium, & reliqua. Dicendum igitur hæc quando ab illis affirmantur, ex autoritate pondus accipere: sin eadem ipsa quæ à Græcis laudantur, nos doceamus, iam nullius pretij fieri hæc placita. Atqui curiosius scripturas perscrutantes conabimur ostendere non solum autorum antiquitatem, verum etiam grauitatem sententiarum, & quàm apte inter se quadrent & cohæreant. Nescio autem cur diluuio, quo terram purgatam Iudæi pariter & Christiani asserunt, Celsus putet turris deiectionem similem. Vt enim nihil ænigmatice subindicet historia turris cuius mentio fit in Genesi, sed vt ipse putat, nihil tegat sub inuolucro, ne sic quidem ad expurgandam terram facta videbitur, nisi forte lustrationem terræ existimat, confusionem illam linguarum: de qua tempestiuius dici posset, si historia ad præsentem locum aliquid faceret, aut intellectus eius penitior. Et quoniam putat Mosem quæ scribit de turri confusioneque linguarum, deprauasse ex Aloidarum fabula, & ad turrim suam transtulisse: equidem dixerim, Aloei filiorū ante Homerum in literis meminisse neminem: at quæ de turri Moses prodidit, antiquiora esse non tantum Homero, verum etiam primis Græcarum literarum inuentoribus. Vter igi- L tur alterius scripta deprauauit: scriptor ne Aloidarum fabulæ historiam turris: an is qui de turri & linguarum confusione meminit, Aloidarum fabulam? Certe incorruptis auditoribus apparet quòd Moses sit Homero antiquior. Sic & quæ de Sodomis & Gomorris propter peccatum igne deletis Moses narrat in libro Geneseos, Celsus com- Gen. 19. parat cum Phaethontis historia, in eundem iterum impingens lapidem ob non obseruatam antiquitatem Mosis temporum. nam hi qui de Phaethonte fabulantur, videntur Homeri ætate posteriores, quo Moses fuit tanto antiquior. Itaque non negamus lustratorium ignem absumpturum vnà cum ipso mundo vniuersam maliciam, quandoquidem è sacris prophetarū libris hoc didicimus, quorum veracitatem in prædicendo cum multi, vt iam diximus, ventus approbauerint manifesto argumento commercij cum diuino spiritu, indubitatum relinquitur etiam venturis fidem deberi quæcunque iuxta eadem oracula expectantur, vel potius dei spiritui qui pectus eorum obsederat. Porrò Christiani (inquit Celsus) quædam addentes Iudæorū dogmatibus, aiunt propter Iudæorum peccata iam venisse dei filium: & quod Iudæi acto in supplicium Iesu felléque potato, bilem Dei contra seipsos commouerint. Id si falsum est, refellat qui vult, si non sedibus suis expulsa est tota gens Iudaica, ne vno quidem seculo integro elapso post quàm Iesus passus est ab ipsis damnatus: nam quadragintaduo anni, non amplius opinor, intercesserunt M inter Iesu crucem & deleta Hierosolyma: nec in vllis Iudæorum monumentis extat tempore eos caruisse diuino cultu suisque ceremoniis eiectos à potentioribus: sed si quando visi sunt propter peccata deserti, nihilominus Deo se respiciente reuersi in sua nemine prohibēre operati sunt sacris solennibus. Id vnum ex argumentis est, diuinum aliquid & sacrum fuisse Iesum, quo læso Iudæi tot & tantis malis affliguntur tam longo tempore: & audemus dicere, nunquam fore vt restituantur. Scelus enim commiserunt supra modum impium per insidias oppresso seruatore humani generis, in ea vrbe vbi sacra deo faciebāt maius mysterium significātia. Itaque necesse fuit eam vrbem, in qua hæc Iesus passus est, deleri funditus, & Iudæorum gentem expelli suis sedibus, & alios vocari ad Dei beatitudinem, Christianos inquam, ad quos peruenit sinceræ ac puræ religionis doctrina, assumptis nouis legibus, aptis cuicūque vbiuis terrarum reipublicæ: quando priores illæ vni genti datæ propriis regibus parenti non potuerūt seruari ab omnibus. Post hæc suo more irridens Iudæorū simul & Christianorū genus totum cōfert id vespertilionū agmini aut formicarum è cauernis suis prodeuntium, vt ranis gregatim paludes obsidētibus, aut lūbricis in natalicœno cœtus

facientibus

A facientibus & inter se contendentibus quinam ex eis sint peccatis contaminatiores: dicentibusque omnia sibi Deum præsignificare prædicereque, & relicta mundi totius cura cœlestium reuolutionum terrarúmque tam late patentiú, illis solis regendis vacare, cum solis per caduceatores internuncios continenter agere, curantem vt perpetuam cum eis habeat consuetudinem. Deinde non discedens à ficta similitudine ait nos ceu terrenos vermes dicere: Deus est, & post eum nos ab ipso facti per omnia Deo similes, nobis omnia subiecta sunt, terra, aqua, aer, astra omnia propter nos creata vt nobis seruiant, pergunt vermes eius, per quos vult nos intelligi: Nunc quoniam è nobis quidam peccant, veniet Deus aut mittet suum filium, vt exurat iniustos, cæteri cum ipso æterna vita fruamur. Tum infert post hæc omnia: Siccine vermes aut ranas aut Iudæus aut Christianos inter se contendere? Rogabimus istos qui applaudunt talibus. Omnésne homines cógeriem vespertilionum, aut formicas, aut ranas existimatis propter tam immensam Dei præcellentiam: an exclusis aliis ab hac similitudine eo quod ratione legibúsque vtatur solos Christianos & Iudæos propter diuersa dogmata vilifacitis cóferentes huiusmodi animantibus: Vtcumuis responderitis ostendere conabimur parum apte talia dicta vel de nobis, vel in vniuersum de hominibus. Esto comparetis omnes homines collatos ad Deú vilibus his animalibus, quòd nihil ad diuinam maiestatem sit horum exiguitas, respondete quam exiguitatem dicitis? Si corporum, audite, vbi superius & inferius venit in verum iudicium non B haberi rationem corporum: alioqui gryphes & elephanti potiores erunt nobis hominibus, vt quibus mole, robore, viuacitate cedamus, nemo tamen sanus diceret propter corpus bruta præstare ratione præditis, imò ne bonis quidem & beatis geniis inferiores sumus, quos dæmonas vos vocatis, nostri vero angelos, aut quibuscunque naturis eximiis, quoties in nobis ratio cum omni virtute absoluitur. Quod si hominis exiguitas non propter corpus vilipenditur, sed propter animam, quod ea deterior sit cæteris rationalibus præsertim virtute præditis, vt viciis obnoxia, qui magis mali Christiani Iudæíue sunt congeries vespertilionú, aut formicæ, aut vermes, aut ranæ, quam alij viciosi vbiuis gentium? alioqui hac ratione omnis malus ac viciis perditus erit vespertilio, vermis, rana, formica, collatus ad veros homines. Etiamsi Demosthenes sit orator ille celebris, sed factiosus & corrumpi facilis, etiamsi Antiphon & ipse inter oratores clarus, modo vir malus sit, tollens prouidentiam in suo vero sermone cuius inscriptionem Celsus imitatus est, nihilo secius vermes sunt tales, volutantes se in cœnosis ineruditionis & ignorantiæ latebris. Attamen nihil est ratione præditum, quod cum verme conferri debeat, cum ipsum capax virtutis sit, eo C quòd nunquam possit vim à natura ad capessendam virtutem insitam deperdere. Vnde liquet nec in vniuersum homines habendos pro vermibus collatos ad Deum, nam ratio illa oriúda ab autore verbo Deo, non sinit rationale hoc animal existimari prorsus alienum à Deo, nec est cur vel mali Christiani aut Iudæi, & proinde si verum fatendum est nec inter Christianos nec inter Iudæos censendi comparari debeant vermibus in obscuro cœno se volutantibus: Quod si ipsa rationalis natura non admittit talem similitudinem, appareet iam non inferendam naturæ humanæ ad virtutem natæ hanc iniuriam, etiamsi deprauetur viciis, vt eam conferamus cum huiusmodi animalculis. Sin autem propter Christianorum dogmata Celso parum probata, imò ne intellecta quidem, hi quidem vermes sunt & formicæ, cæteri vero non tales: age examinemus confessa Christianorum Iudæorúmque dogmata simul cum reliquorum placitis, visuri si vermium & formicarum appellatio in homines competit, num magis illi habendi sint pro ranis, formicis & vermibus, qui a vera Dei cognitione delapsi vana pietatis imagine venerantur bruta, statuas, aut quantumuis excellentes creaturas, cum debuissent per earum pulchritudinis admirationem ad colendum conditorem inuitari potius: cæterum pro hominibus & si quid est hominibus excellentius, hos demum qui rationis ductu transcensis lapidibus, & lignis, D atque etiam istis quibus vulgi æstimatio precium addidit, auro argentóque denique aliis omnibus quæcunque múdus habet spectabilia, ad conditoré ascendunt omniú, séque committunt eius fidei, qui solus sufficere potest omnibus quæ in rerum natura sunt, omniumque cogitationes introspicere, exaudire preces ad se missas omnium: quo inspectante facimus quicquid facimus, quo audiente omnia debemus cauti esse nequid ex ore nostro excidat quod illi displiceat, nisi forte putandum est iam insignem pietatem nec laboribus cedentem nec periculis capitalibus, nec humanis argutationibus succumbentem, non esse idoneam quæ suos cultores ab ignominiosa cum vermibus collatione vindicet in pectus recepta, etiamsi eis fuissent similes antea, quid illi qui Veneris stimulos domitores & emollitores virilium animorum acerrimos vicerunt non ob aliud, nisi quod persuasi sunt neminé absque temperantia posse Deo placere, & ad eius familiaritatem ascendere, videnturne vobis vermium germani, & formicarum ranarumque similes? iam illustris virtus iusticia humanæ societatis conseruatrix, & benignitas humanitásque nihil ne condocunt ad hoc ne qui his est præditus sit qualis vespertilio? Cæterum isti vulgi more in libidinibus se volutantes & commeantes ad lupanaria pro- E miscue, atque etiam docentes se ita nihil præter officium facere, an nó sunt vermes in cœno, præsertim collati cum iis qui didicerunt non auferenda membra Christi, hoc est habitata Dei verbo corpora, nec facienda membra meretricis, sciuntque rationalem animam & corpus Deo sacratum esse templum numinis adorádi ab omnibus, dignum hoc honore propter opinionem de conditore puram & integram: qui quidem cauentes illicito concubitu sacrarium Dei polluere, tanquam pietatem colunt temperantiam. Taceo reliqua hominum vicia, à quibus non facile reperias immunes ne istos quidem qui habentur pro philosophis, sunt enim multi adulterini philosophi, atque his obnoxij sunt homines professione nec Iudæi nec Christiani: quæ aut nó sunt inter Christianos, si propriè Christianum accipias: aut si qua inueniuntur etiam inter hos, certe non inter illos qui ad cœtus communes & deprecationes conueniunt, nec ab eis arcentur, nisi forte perraro talis aliquis cæteros lateat. Itaque non sumus cœtus vermium qui contra Iudæos pugnamus ex literis, quarum etiam apud ipsos sacrosancta est autoritas: & ostendimus aduenisse illum designatum prophetarum oraculis, & illos derelictos esse propter peccata grauissima: nos vero qui verbum Dei recepimus habere spem optimam, per fidem in eum qui potest nos ab omni malicia miseriáque seculari purgatos domesticos sibi facere. Igitur non sim- F pliciter quicunque Iudæum aut Christianum se profitetur potest dicere, En totam hanc mundi machinam cœlestesque cursus Deus propter nos potissimum fabricatus est: sed si quis iuxta Iesu doctrinam mundo est corde, mitis, pacificus, alacriter ferens amore pietatis pericula, is meritò confidit Deo: & intelligens prophetias potest dicere, Omnia hæc Deus nobis iam ante significauit & prænunciauit. Quoniam autem facit Christianos quos pro vermibus, habet sic loqui: Deum relicta mundi totius cura, cœlestium reuolutionú terrarumque tam late patétium, ipsis solis regendis vacare, cum solis per caduceatores internuncios agere, curantem vt perpetuam cum eis habeat consuetudinem: dicemus illum nobis affingere quæ nunquam dicimus, quippe qui sciamus è sacris literis, Deum diligere omnia, & nihil odisse eorum quæ ipse creauit: nó enim quicquá fecit, quod haberet odio, Legimus & illud: Parcis omnibus, quoniá omnia tua sunt, amator animarum, nam incorruptibilis spiritus est in omnibus, quapropter etiam delinquentes paulatim arguis, & erratorum admonens corrigis. Qui possumus dicere Deum relicta mundi cœlorumque cura terrarumque latissime patentium, vacare tantum administrandæ nostræ reipublicæ, qui in sacris precibus inuenimus Deum sic compelládum

G à cordatis: Misericordia tua domine plena est terra, & be-
Psal. 33. neficentia carnem omnem prosequeris. Legimus & illud:
Matt. 5. quòd Deus cum sit bonus oriri iubet solem suum super
bonos pariter ac malos, & pluit super iustos atque iniu-
stos, nos quoque vt ipsius filij fiamus hortatur ad similem
beneficentiam, porrigendam cuiuis pro viribus. Ille nam-
que seruator dictus est omnium præsertim fidelium: &
1. Ioan. 2. Christus eius factus est propitiatio pro peccatis nostris,
nec tantum pro nostris, sed & pro mundi totius. Et hoc
Celso responsum sit Christianorum nomine, nam vulgus
Iudæorum responderet aliter. Christiani sciunt, Deum in
hoc approbasse nobis charitatem suam qua nos comple-
ctitur, quod Christus pro nobis mortuus est etiam tum
peccatoribus, atqui via pro iusto quisquam mori sustinet.
Siquidem pro bono fortitan moreretur aliquis. Nũc pro
omnibus qui vsquam sunt peccatoribus, vt relictis pecca-
tis credant sese Deo, aduenisse prædicatur Iesus, qui iuxta
idioma gentis in qua natus est, Dei Christus esse dicitur.
Potest autem fieri vt Celsus aliquos ita loquentes audi-
nit, Est Deus, & post illum nos: videlicet vermes vt ipse
nominat, & periode facit ac si quis sectam aliquam phi-
losophiæ criminetur propter temerarium quodpiam ado-
lescentuli verbum qui ante triduum scholam philosophi
frequentare cœperit, extollentis sese cæterisque præte-
H rentis vt philosophiæ rudibus. Nos certe scimus multa es-
se maioris quàm homo sit precij, & legimus quod Deus
stetit in concilio Deorum, nõ istorum Deorum qui vulgo
coluntur: omnes enim dij gentiũ dæmonia: & quòd stans
in eorum concilio medio Deos diiudicat. Nouimus etiam
quòd etsi sint multi dii qui vocantur, siue in cœlo siue in
1. Cor. 8. terra, sicut sunt dij multi & domini multi: nobis tamen
vnus est Deus, ille pater ex quo sunt omnia, & nos in ipso:
& vnus dominus Iesus Christus, per quem sunt omnia, &
nos per ipsum. Nouimus item angelos tanto præstantio-
res hominibus, vt homines perfectionem adepti æquen-
tur angelis, nam in resurrectione mortuorum nec loca-
bunt nuptum, nec nuptas domum accipient: sed erunt iu-
Matt. 22. sti sicut angeli Dei, iam æquales angelis. Nec ignoramus
inter cœlestes illos ordines alios esse qui vocantur thro-
ni, alios qui dominationes: alios qui potestates, alios qui
principatus: videmúsque nos illis longo interuallo proxi-
mos, sperãtes interim per bonam vitam doctrinæ respon-
dentem euasuros nos ad eorum similitudinem. Postremo
& si nondum appareat quid erimus, scimus tamen quod
vbi apparuerit aduentus eius erimus Deo similes, & vide-
bimus eum sicut est. Quod si quis illud à quibusdam siue
intelligẽtibus siue non intelligentibus arroganter dictum
putat, Est Deus, deinde post illum nos: equidẽ vocem hãc
I Nos interpretatur, id est ratione præditi, vel potius ratio-
ne virtutéque ornati, nam iuxta nostrũ dogma eadem est
virtus beatorum omnium, ac proinde eadem Dei & ho-
minis. Quapropter discimus illud præceptum: Estote per-
Matt. 5. fecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est. Itaque nemo
bonus vermis est cœno innatans, nemo pius formica, ne-
mo iustus rana, nemo splendida veritatis luce illustratus
animam vespertilioni eiectæ confert. Mihi videtur Celsus
Gen. 1. illud quidẽ satis intellexisse. Faciamus hominem ad ima-
ginem & similitudinem nostram: & inde effinxisse verba
vermium: nos à Deo facti, sumus ei per omnia similes,
qui si sciuisset differentiam inter hominẽ factum ad ima-
ginem Dei, & factum ad eius similitudinem scriptumque
esse, dixisse Deum: Faciamus hominem ad imaginem &
similitudinem nostram: factumque hominem a Deo ad
ipsius imaginem, nec addi etiam ad similitudinem, non
finxisset nos dicere, sumus Deo per omnia similes. Nec di-
cimus subiecta esse nobis astra etiam quia iustorum quæ
dicitur resurrectio, & à sapientibus intelligitur, confertur
soli, lunæ & stellis ab eo qui ait aliam esse gloriam solis,
aliam gloriã lunæ, aliam gloriam stellarum, stellam enim à
1. Cor. 15. stella superari gloria, eodemque modo se habere mortuo-
rum resurrectionẽ, sicut & Daniel de his rebus iam olim
cecinit. Ait præterea nos dicere omnia esse ordinata vt no-
bis seruiant, quia forte aut non audiuit aut non intellexit
quó accipiendum sit dictum illud vsurpatum nostris sa- K
pientibus, Qui maior inter nos sit seruum esse omnium.
Id si Græci dicerent, Solémque & noctem seruire morta-
libus, laudarent isti dictum & interpretarentur. Sin a no-
stris idem aut non dicatur aut dicatur aliter, calumniatur
Celsus id quoque: apud quem nos ipsius æstimatione ver-
mes inter cætera sic loquimur: & quoniã quidam è nobis
peccãt, veniet ad nos Deus aut mittet suum filiũ, vt exurat
iniustos: reliquæ autẽ ranæ habeamus vitã æternã cũ eo.
Vide scurrã quomodo denonciatũ diuinũ iudiciũ & pœ-
nas iniustorũ iustorúmq; præmia vertat in risum & ludi-
crum, cum velit videri philosophus: & concludit magis
ferendum si hæc dicantur à vermibus & ranis, quàm si à
Iudæis & Christianis inter se contendentibus. Nos eum
non imitabimur, nec commemorabimus contentiones
philosophorum noticiam rerum naturæ profitentiũ, dum
inter ipsos parum cõstat, quó cœlum & terra facta sint,
quæque his continentur omnia: tum de animarum natu-
ra, sint ne ingenitæ, an à Deo creatæ dispensentur ab eo,
migrẽntque e corporibus in corpora: an potius prosemi-
natæ vnà cum corpore maneant ei superstites, aut non
maneant. Posset enim aliquis etiam professione inquiren-
dæ veritatis turgidos & magniloquos reprehẽdere atque
vituperare, quod in cœnosis huius vitæ angulis degentes
sese non noscant nec metiantur suo modulo, ac proinde
tantis de rebus quasi capaces earum pronuncient, & de
eis tanquam à se visis contendant, cum tamen illæ absque L
diuino afflatu non veniant in contemplationem homi-
num. Nemo enim nouit res hominis nisi spiritus hominis
qui est in ipso: sicut & Dei res nemo nouit, nisi Dei spiri-
tus. Verum non insanimus, neque tantam virorum intelli-
gentiam (vt communiter vocatur) occupatam non circa
vulgaria, sed circa veritatis inquisitionem, comparamus
vermium reptantium nixibus, aut bestiolarum similium:
imò veraciter testamur de quibusdam Græcorum philo-
sophis, agnitum ab eis Deum, quandoquidem eis se ipse
ostendit, tametsi nõ reddiderunt ei debitam gloriam, ne-
que gratias egerunt: sed cum se crederent esse sapientes *Rom. 1.*
stulti facti sunt, mutauerúntque gloriam immortalis Dei,
per imaginem, non solum ad mortalis hominis similitu-
dinem effictam, verumetiam volatiliũ & quadrupedum
& reptilium. Post hæc volens confirmare quòd Iudæi &
Christiani nihil differant à iam dictis animalibus, ait Iu-
dæos esse fugitiuos Ægyptiorum, nullis vnquã rebus ge-
stis insignes, nullo in numero aut respectu habitos. Quos
non esse fugitiuos nec Aegyptios genere, sed Hebræos, &
inquilinos tantum Aegypti fuisse, iam superius diximus.
Quod si propterea putat credendum in nullo numero aut
respectu habitos, quia in Græcorum historiis non admo-
dum crebra fit eorum mentio: respondebimus, siquis dili-
gentius inspiciat eorum rempublicam tam inde à prima M
origine, legésque constitutas optime, inuenturũ eos fuisse
genus hominum vitam cœlestem in terris quadam ceu
vmbra referentium: apud quos nullum aliud numen erat
receptum, quàm Deus huius rerum vniuersitatis præses,
procul ablegatis omnibus simulacrorum opificibus, nam
in ciuitatẽ eorum nullus pictor admittebatur, nullus sta-
tuarius, legibus totum hoc genus arcentibus, ne qua oc-
casio præberetur hominibus crassis, néve animi eorum à
Dei cultu auocarentur ad res terrenas per huiusmodi ille-
cebras, habebant enim inter cæteras legem hanc: Nolite
impie agere, nec facietis vobis sculptile in similitudinẽ
aut imaginem masculi vel fœminæ, in similitudinẽ omniũ
iumentorũ quæ sunt super terram, vel auium pennatarum
sub cœlo volantium, vel reptilium quæ mouentur in ter-
ra, vel piscium quorumuis qui degunt in aquis sub terra.
Quæ lex hoc agebat vt contenti rerum veritate cauerent
sibi a figmentis mentientibus faciem maris aut fœminæ,
aut pecudum, auium, reptilium, piscium, imagines refe-
rentibus. Illud quoque apud eos grauitatis & generosi-
tatis plenum: Caue ne forte oculis sublatis ad cœlum,
visoque sole, luna, cæterísque stellis cœli, decore ho-
rum deceptus adores aut colas aliquod ex siderum nu-
mero.

A mero. Iam qualis erat disciplina gentis totius, apud quam effœminatum ne videre quidem licebat: &, quod æque mireris, nullæ fuerunt meretrices iuuentutis pestes in eorum republica, quin & iudicia persancte tractabantur, quòd nemini committerentur nisi qui esset vitæ integerrimæ ac laudatissimæ, adeò vt ob augustiorem morum probitatem dij dicerentur more quodam Iudæis patrio. Videbatúrque gens tota vacare philosophiæ studio, vt quæ ad audiendas diuinas leges feriaretur sabbatis quæ vocant, cæterisque festis diebus. Quid dicam de sacerdotum ordinibus & sacris varias res sub figurarum inuolucro tegentibus cognitu dignissimas? Sed quoniam nihil est in rebus hominum stabile, oportebat & illam rempublicam paulatim labantem degenerare. Cæterum diuina prouidentia venerandam illam disciplinam mutauit vt ipsi visum est conuenientissimum, in vicem illorum allectis ad fiduciam erga Iesum & pietatem vndecunque credentibus. Is Iesus non sapiens tantum, verumetiam deitatis particeps, pessundata religione terrestrium dæmonum, suffitibus, cruoribus, nidoribúsque inhiantium, & homines in morem fabulosorum Titanum aut Gigantum à veri Dei cognitione retrahentium, contemptisque insidiatoribus vt longe imparibus, leges tulit, iuxta quas qui viuerent assequerentur beatitudinem, non opus habentes amplius per sacrificia captare gratiam dæmonum, & in totum eos despicientes, nimirum freti Dei verbo adiutore omnium qui

B sursum ad Deum intentos habent oculos. Et quoniā deus voluit Iesu doctrinam inter homines inualescere, nihil cōtra eam valuerunt dæmones, quamuis nullo non rudente moto vt Christianum nomen extinguerent. Nam hi & reges & senatus & principes & populos ipsos vbique exasperauerunt contra doctrinam hanc & credentes in eam. sed verbum Dei potentius omnibus, ex ipsis obstaculis velut alimentum ad crescendum assumens, longe latéq; propagatum occupabat multorum animas. Deus enim inualebat. Hæc autem à nobis & si per digressionem, necessario tamen (opinor) dicta sunt, voluimus enim Celsi calúniam retundere, dicentis Iudæos fuisse Ægyptiorum fugitiuos, & quòd nihil vnquam memorabile hi Deo cari homines gesserint. Iam ad illud quòd nullo vnquam in pretio numerôve ait habitos, dicimus quòd cum essent genus electum regaléque sacerdotium secedentes & deflectentes à profani vulgi consuetudine ne corrumperentur moribus, seruati sunt diuina potentia: nec concupiscentes sicut plerique hominum occupare aliena imperia, nec tamen ita derelicti vt propter paucitatem essent aliorum insidijs obnoxij deleríque faciles, duntaxat tantisper dum curarent esse digni Dei præsidio. quoties vero erat opus vt tota gens in peccatum prolapsa per miserias conuerteretur ad Deum suum, nunc breui nunc longiore tempore

C deserebantur, donec sub Romanis per summum scelus Iesu occiso in totum derelicti sunt. Deinde Celsus inuectus in primum librū Mosis qui inscribitur Genesis, dicit quòd aggressi genealogiam suam texere, nisi sint à prima propagine hominum impostorum erronúmque, obscuras & ambiguas voces adducendo in testimonium, eásque interpretando imperitis ac rudibus, qua de re tot ante seculis nulla fuerit controuersia. Quo loco mihi videtur valde obscure indicasse mentem suam: & forte data opera obscurus est, quòd videret vehementer grauari Iudæos si talibus crederentur oriundi maioribus: nec tamen videri vellet ignorare quæ non contemnenda produntur de illorum genere. Sanè constat Iudæos genus ducere à tribus illis patribus, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, quorum nomina cum Dei nomine coniuncta habent vim tantam, vt non solum ab eorum posteris admisceantur sacris precationibus, & in excātando dæmonas inuocetur Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi, sed vsurpentur ab omnibus incantatoribus & magiá tractantibus. inuenitur enim sæpe in magicis literis inuocatus hac appellatione Deus, coniunctáque illi horum virorum nomina, vt ipsi familiaria, & horrēda dæmonibus. Hæc igitur quæ à Iudæis & Christianis adduci solent vt certissimum argumentū sanctitatis Abrahami, Isaaci, & Iacobi, patrum gentis Iudæorum, videtur mihi non omnino

D ignorasse Celsus, non tamen apertè posuisse, quòd officerent causæ quam tuendam suscepit. Scitabimur enim ex omnibus qui vtuntur inuocationibus huiuscemodi, Dicite nobis ô boni, quis fuit hic Abrahamus, quæ nam fuit tanta virtus Isaaci & Iacobi, vt Dei nomen coniunctum cum eorum vocabulis talia faciat miracula? à quibus hominibus didicistis, aut discere potestis, de rebus horum virorū cui fuit curæ literis eas mandare, siue propalam illos celebrantibus, siue per inuolucra ænigmatum subindicantibus miranda quædam & præclara, modo qui ea contemplari valeat? Deinde vbi ad percontationem nostram nemo poterit quicquam proferre ex quibuscunque vel Græcorum vel Barbarorum monumentis aut sacratiorib⁹ literis quod ad hos viros attineat: nos proferemus eum codicem qui Genesis inscribitur, eorum gesta continentem, & diuina oracula eis reddita, & sic rursum percontabimur. Quid si à nobis accepistis hæc tria nomina autorum generis Iudaici, multis experimētis discentes non contemnendam vim per hæc Deum inuocatum exercere? quæ res facile indicat eos fuisse Deo charissimos, & ipsos diuinos quodammodo propter habita cum illo colloquia, quorum nullam habemus noticiam præterquam è sacris Iudæorum voluminibus. quin & Deus Israelis, Deus Hebræorum, Deus submersor Ægyptiorum cum rege suo necaturum rubri maris fluctibus, sæpe cognominatus inseritur carminibus aduersus

E arrepticios & malas potestates efficacibus. quorum nominum noticiam & interpretationem habemus ex Hebræorum patrijs literis, celebratorum lingua ipsis vernacula. Quomodo igitur Iudæi aggressi genealogiam suam ab his primis autoribus texere, quos Celsus putat impostores ac errones fuisse, possunt videri imprudenter agere quorum nomina cum sint Hebraica attestantur his sacros suos libros Hebraica lingua conscriptos habentibus, ita vt citra controuersiam appareat non esse alienos ab illorum cognatione. nam nostra quoque ætate nomina Iudæorum aut Hebræorum lingua proferuntur, eo quòd desumpta sint ex ipsorum scripturis: aut certe ex illis efficta & per interpretationem versa, idem quod illa significant. Nunc vide quisquis in Celsi scripta incidis, an non hæc istis verbis subindicet, Aggressi genealogiam suam texere, nisi sunt à prima propagine hominum impostorum erronúmque, obscuras & ambiguas voces adducentes in testimonium: sunt enim obscura & non multis cognita hæc nomina, nobis quidem non ambigua, etiamsi vsurpentur ab externis hominibus: à Celso uero nescio cur taxata, cum ambiguitatem eorum non intelligat. Atqui debuerat, si volebat non malitiose oppugnare confictam imprudenter genealogiam Iudæorum Abrahamum cum suis nepotibus generis autorem iactantium, citato scripturæ loco qui huc pertinet, probabilibus rationibus illos conuincere: productáque veritate quam putat, eiúsque assertionibus, er-

F rorem coarguere: Sed neque Celsus neque alius poterit disserendo de nominibus quæ ad virtutes faciendas adhibentur, reddere huius rei rationem: aut demonstrare vulgares ac contemnendos fuisse illos homines, quorum vel sola nomina tum apud domesticos tum apud exteros tantam vim obtinent. Debuerat etiam ostendere quomodo nos ineruditis & insensatis interpretantes ea nomina decipiamus auditores vt ipsi videtur: ipse vero qui se gloriatur non esse ex ineruditorum & insensatorum numero, verā eorum interpretationē afferat. Quin & illud adiecit in hac mentione Iudaicorum nominum quæ genealogia continet, nullam tot ante seculis fuisse controuersiam de huiusmodi nominibus: nunc autem Iudæos de eis contendere cum quibusdam alijs, quos tamen non nominat. Ostendat qui vult quis super hac re Iudæis controuersiam faciat saltem probabilem, aut quis eorum opinionem refellat, vel Christianorum etiam, quod ad hæc nomina attinet: & aliorum potiorem de viris sic nominatis sententiam proferat. Verùm certi sumus nomen hoc posse, cum nihil sit euidentius, quàm nomina hæc desumpta esse ex Hebræorum lingua quæ apud solos Iudæos inuenitur. Post hæc

G Celsus proferens è profanis historiis quorundam conten-
tiunes de antiquitate suæ gentis, vt Athenienſium, Aegy-
ptiorum, Arcadum, Phrygum singulorum argumeota eius
exhibentium, ait Iudæos in angulo Palæstinæ cóspiratos,
homines indoctos & qui ounquam ante audissent eadem
ab Hesiodo aliísque ionumeris viris diuinis celebrata, có-
posuisse incredibilem & ineruditam fabulam: hominem
quendam fictum esse Dei manibus, & inspiratum ab eo,
productámque mulierculam ex eius latere, acceptáque
præcepta à Deo, & serpenté aduersariú: ac postremo ser-
penté cum plus valuisse quàm Dei præcepta: aoile delira-
mentū, quod nó sine summa impietate Deum mox ab ini-
tio faciat infirmū, qui apud hominem à se fictum nihil au-
toritatis habuerit. In hunc modū multiscius & eruditissi-
mus Celsus Iudæis atque Christianis ruditaté & imperitiá
obiiciens manifeste ostédit quàm exacte teneat rationem
temporum, quibus vixerunt duo scriptores, alter Græcus,
alter barbarus, qui putet Hesiodum aliósque innumeros
viros diuinos vt ipse nominat, antiquiores esse Muse eiús-
que literis: Mose inquam illo quem constat ætate longe
superiurem rebus Iliacis. Itaque non Iudæi finxerunt in-
credibilem & ineruditam fabulam de homine terrigeoa:
sed isti vt Celsus opinatur afflati Deo. Hesiodus cæteríque
ionumeri, uon auditis priscis ac venerandis Palæstinorum
oarrationibus, tales scripserunt historias de rebus priscis,
quales quia de diis vanissime nugantur, natos dicentes &
H alia non nimius absurda, merito Plato eiicit è sua republi-
ca, vt pestem iuuentutis, nominatimque Homeri & simi-
lium poemata. Hos certe Plato oon habuit pro afflatis
Deo, qui huiusmodi carmina reliquissent posteris: at cen-
sor Platone magis idoneus Celsus Epicureus, si tamen is
est qui & alios duos libros cótra Christianos composuit,
pronuotiat afflatus Deo, uimirum per contentionem in
nostrámque contumeliam, quos afflatos non existimat,
criminatur nos præterea quod manibus Dei fictum indu-
camus hominem, cum Geneseos liber nec dum fit homo
nec dum formatur mentionem faciat Dei manuum: sed
Iob & Dauid dicant, Manus tuæ fecerunt me & formaue-
runt me. de quibus verbis quo sensu dicta sint, quid inter-
sit intersacere & fingere, & quomodo Dei manus intelli-
gendæ sint, longa posset institui disputatio, has enim & si-
miles voces io sacris literis qui non intelligunt, putant
nos optimo maximo Deo formam humanam addere, qui
possent eadem opera suspicari aliis instructum etiam eum
nos credere quando hæ quoque verbo tenus inueniuntur
io nostris scripturis de Deo loquentibus: quas interpreta-
ri non est præsentis oegotij, peculiarem enim operam io-
terpretationi Geneseos impendimus vt potuimus. Vide
iam maliciosam Celsi mentem in sequentibus. Cum scri-
I ptura oostra dicat de plasmatione hominis: Et insufflauit
io faciem eius spiritū vitæ, & factus est homo in animam
Gen. 2. viuentem: iste maliciose carpere volens illud insufflauit in
faciem eius spiritum, quod ne iotelligit quidem quomo-
do dictum sit, scripsit composuisse eos fabulam de homi-
ne fictu Dei manibus: vt aliquis putans insufflationem il-
lam sic accipiédam sicut de vtribus rideat insufflatiooem
factam in homiois faciem: quæ sic interpretanda est im-
partiisse Deum homini spiritum incorruptibilem, sicut
scriptū est: Incorruptibilis auté spiritus tuus est in omni-
bus. Deinde postquam semel statuit scripturas carpere, vi-
Ibidem. tuperat & illud: Immisit Deus soporem io Adamum, &
obdormiuit: & accepit vnam de costis eius, & impleuit
carné pro ea, & ædificauit costá quam tulerat de Adam,
in mulierem, & quæ deinceps sequuntur. nec vllam inter-
pretatiooem addit quæ auditoré figuratæ locutionis ad-
moneat, malens dissimulare allegoriam: quamuis proce-
dente sermone dicat modestiores tam Iudæos quàm Chri
stianos præ pudore ad allegoriam refugere. Ad quod licet
respondere: Ergo allegoriam admittit fabula Hesiodi tui
diuinitus afflati, de muliere quam Iupiter ignis vice ma-
gnum malum dedit hominibus: hæc vero mulier de sopi-
ti latere desumpta & ædificata à Deo, videtur sub externo
inuolucro nihil reconditioris sensus tegere? At cuius can-
deris est, illa non ridere vt nugas, sed admirari vt myste- K
rium philosophicum obuelatum fabula: hæc vero verbis
tantum inhærendo naso suspendere, & nullius æstimare
precij? Si enim propter verborum simplicitatem accusan-
dum est quod tegit latentem sensum egregium, vide ne
Hesiodus numine (vt ais) afflatus, tuis sannis magis sit
obnoxius, qui sic canit:

Huic pater infensus nubes qui cogit aquosas,
Terrifico tales protulit ore sonos.
O nimis & plusquam par est versute Prometheu,
O nimis in pœnas ingeniose tuas.
Lætus es, & celebrem voluis sub corde triumphum,
Quòd cauta summum luseris arte Iouem,
Cur rutilum puris ignem subduxeris astris,
Subdolus æthereas ausus inire vias.
Heu nocitur̃e tibi, serísque nepotibus, ista
Quo ruis in clades calliditate tuas?
Tale genus pestis celso mittetur olympo,
Omnes quod cupida sumere fronte volent.
Perniciémque suam circumplectentur amanter,
Ah nimis exitij nescia turba sui.
Sic fatus risit superum pater atque hominum rex.
Nec mora Vulcano talia iussa dedit.
I celer, & terram misce fluuialibus vndis, L
Materia hæc operi apta futura tuo est.
Ex hac formosa fingetur imago puellæ, Gen. 19.
Quæ referat superas ore habitúque deas.
Necnon dulciloquam cum viribus addito vocem,
Possit vt humanos promere blanda sonos.
Tu quoque de nostro Pallas prognata cerebro,
Protinus hanc donis imbue diua tuis.
Edoceas tenui percurrere pectine telas,
Atque operosa rudes ducere pensa manus.
Affundet capiti pulchram Diua aurea formam,
Quæ fuit è spumis progenerata maris.
Vt desiderio curisque voracibus omnes,
In desiderium concitet illa sui.
Tu quoque nate tuo non inficiande parenti,
Argi quo cecidit percutiente caput
Fallaces indes mores, mentémque caninam,
Expers ne possit muneris esse tui.
Dixerat, assensere omnes, ac iussa facessunt,
Illius excelsi qui regit astra poli.
Lemnius è madida format tellure puellam, M
Cuius adæquabat forma venusta deas.
Dotibus hanc Pallas claris, ac arte poliuit,
Instruxit variis pectora docta modis.
Aurea marmoreo posuere monilia collo,
Peitho, & cum gemina blanda sorore Charis.
Necnon auricoma vernis de floribus Hora,
Fecerunt nitidis rosea serta comis.
Ast ornamenta aptauit muliebria membris,
Quæ dea de patris vertice nata sui est.
Atque à Mercurio vigilem qui sustulit Argum,
Infide didicit lingua docente loqui.
Indidit hic mores vafros, teneróśque lepores,
Instituit variis pectora vana dolis.
Quódque, vt diuino mandarat Iuppiter ore,
Contulerant dotes diique deæque suas,
Mercurius recto Pandaram nomine dixit,
Dulce, simul cunctis exitiale malum.
Nec minus ridiculum quod mox de vrna subiungit.
Nam prius humano generi mala nulla fuerunt,

Expers

A *Expers sollicitis vita laboris erat.*
Morborúmque abeant vultu pallente cateruæ,
Qui senium cunctis debile ferre solent.
Fœmina sed nocuo dum tollit opercula vase,
In mundum pestis prouolat omne genus.
Sola labris vrna dum forte hæreret in imis
Non illo monuit Spes sua castra loco.
Nam prius iniecit, quam Spes euadere posset,
Tegmina, consilium Virgo secuta Iouis.

Hæc qui seriis allegoriis referta contendet, siue scopum attingat, siue non, percontabimur, ego solis Græcis in penitioribus sensibus philosophari licet, aut etiam Ægyptiis & siqui alij barbari iactant se habere veritatem tectam mysteriis: Iudæi vero soli, & legislator eorum aliique scriptores, videntur tibi mortalium omnium stultissimi: soláque hæc gens expers virtutis diuinæ, tam egregiis disciplinis excitata ad sectandam contemplatione sublimem illam dei naturam, illámque vnam intuendam, nec aliunde Gen. 2. quàm ab illo boni quicquam sperandum? Quoniam autem & ea quæ mihi scripta sunt de colubro aduersante dei præceptis homini inditis Celsus comico dente arrodit, putans fabulam anicularum deliramentis similem, & data B opera neque paradisum Dei nominauit, neque plantatum dixit à Deo in Edem ad orientem, ibique mox exortam è terra omnem arborem gratam aspectu & suauem gustui, lignúmque vitæ in paradisi medio, & quæ deinceps sequuntur, possuntque candidum lectorem mouere vt sub figurata locutione quærat aliquid serium, obiiciemus ei ex aduerso quæ apud Platonem in Sympolio Socrates narrat de Cupidine. Verba Platonis sic habent. Quando nata est Venus, parato conuiuio discubuerunt dij, & inter cæteros Porus affluentiæ deus, Metidis filius post Cœnam Penia mendicatura cibum obuersabatur pro foribus aulæ in qua epulabantur. Interim Porus ebrius nectare (nondum vinum erat) Iouis hortum ingressus edormiebat crapulam. ibi Peniæ quærenti inopiæ suæ remedium in mentem venit clàm & per insidias obrepere Poro, procreandorum liberorum gratia. Itaque iuxta illum accubuit, & ex eo concepit: vnde natus est Amor, sectator cultórque Veneris, vt in Veneris natalibus progenitus. quinetiam natura pulcri desiderio capitur, cum venus ipsa sit pulcra. quoniam vero Pori & Peniæ filius est Amor, sortem huiusmodi nactus est. primùm aridus est & squalidus, nudis pedibus, sine domicilio, volitans circa humum, sine stratis ad fores in viis sub diuo cubitans, & à matre non degenerans C vt inops perpetuo. Patrem vero in hoc refert quòd tum pulcris tum honestis delectatur eisque struit insidias, vt virilis, industrius, venatórque peritus, noua semper machinamenta texens, prudentiæ studiosus conquisitor, per omnem vitam philosophans, insignis præstigiator, veneficus & circulator, nec immortalibus adcensus nec mortalibus, interdum eadem die nunc viuens ac florens si adsit rerum cupitarum copia, nunc moriens, rursúmque rediuiuus propter paternam indolem. quod vero ei partum est, confestim elabitur. quapropter nec mendicus est Amor nunquam nec opulentus, incertum doctus an indoctus. Hæc quicunque legerint, si sint Celso malicia similes, id quòd à Christianis absit, irridebunt Platonem illum virum maximum. quod si sub specie fabulæ doctrinam philosophicam examinauerint, deprehenderint eius mentem, quomodo præclara sua placita propter vulgus conuelauit figuris, ita tamen vt intelligatur à scientibus veritatem è fabulis excerpere. Id Platonis figmentum eo libentius apposui, quia Iouis hortus cuius meminit, videtur habere nonnihil paradiso Dei simile, sicut insidiatrix Penia serpentem referre, Porus vero per eius insidias deceptus circumuentum hominem. Nec satis liquet casúne fortuito philosophus in hanc similitudinem inciderit: an vt quidam putant, quæ dum in Ægypto peregrinaretur è sapientum Iudæorũ colloquiis didicerat, partim ita vt acceperat reddiderit, partim mutarit ne Græcos offenderet nihil discerent à sapientia Iudæorum ob leges à cæterarum gentiũ institutis diuersas vulgo infames. Verum nec Platonis fabu- D lam, nec quæ de serpente ac Dei paradiso scribuntur, explanare nunc tempus est: iam enim peculiarem tractatum Geneseos enarrationi dicauimus. Quod autem dicit hæc impie Mosem confinxisse, quia deum mox à principio faciat infirmum, non valentem seruare hominem quem ipse condiderat: respondemus hoc perinde esse acsi quis reprehendat admissam esse in res humanas maliciam, quã Deus ne ab vno quidem homine arcere potuerit, vt saltem vnus eius esset expers vel in prima rerum origine. nam sicut ad hoc satis responsum est à patrocinantibus prouidentiæ non paucis nec contemnendis: ita & de Adamo eiúsque peccato philosophabũtur qui sciunt Adam vocabulo Hebræos significare hominem, & in his quæ de hoc Moses prodidit 1. Cor. 15. describi naturam hominis. nam vt ait scriptura, in Adamo omnes moriuntur, & damnati sunt in similitudine præuaricationis Adami. nec tam de vno quopiam quàm de toto humano genere scriptura diuina loquitur. nam maledictio quæ Adamo inflicta dicitur, communis est omnium: sicut quæ mulieri, non ad eam solam pertinet. Illæ quoque tunicæ pelliceæ quas propter peccatum eiecto è paradiso homini vxorique Deus induit, significant arcanum quoddam mysterium, magis serium quàm quod Plato tradit E de anima euulsis alis huc ruente donec nanciscatur aliquid solidum. Post hæc pergit in hunc modum. Adde his Gen. 7. diluuium & absurdam arcam continentem in se omnia, tum columbam cornicémque nuncias, quæ narrant deprauantes hic quoque per lusum Deucalionis historiam. Non putabant enim, opinor hæc proditura in lucem, sed planè puerulis se narrare fabulam. Hic vide indecorum philosopho antiquissimæ Iudæorum scripturæ odium. cum enim non haberet quod obloqueretur historiæ diluuij, nec sciret posse contradici de mensuris, qui fieri potuisset vt arca iuxta vulgarem intellectum trecentos cubi- Gen. 6. tos longa, quinquaginta lata, triginta alta caperet terrestrium animalium quatuordena è puris, ex impuris quaterna, simpliciter dixit absurdam in se continentem omnia. quid enim absurdi est, cum centum annis fabricata dicatur, à trecentis cubitis longitudinis, quinquaginta latitudinis, fastigiatam fuisse in altitudinem triginta cubitorum, desinentem in vnum cubitum longitudinis ac latitudinis? an non magis miranda erat structura magnæ vrbi similis, cuius basis patebat nonaginta milia cubitorum in longitudinem, vigintiquinque milia in latitudinem? an non mirandum opificis ingenium, qui sic eam compegerit & commissuras sic ferruminauerit, vt posset sustinere tempestatem tantam quanta satis sit ad diluuium? non enim pice aut materia simili obliniuit eam sed bitumine. an non mirandum introducta generum omnium seminaria per Dei prouidentiam, vt rursum terra omnes animantes habeat, Deo magnificante homini iustissimo, F futuro patri hominum qui secuti sunt diluuium. iecit tamen in columbam dicterium, vt videatur legisse librum Geneseos, quamuis nihil posset dicere quo rem fictam cõuinceret. deinde, sicut libenter scripturam mutat in ridiculum, è coruo fecit cornicem, & putat hæc Mosem scripsisse detorta è Græca de Deucalione fabula: nisi forte scripturam hanc non Mosis putat esse sed complurium: nam tale quiddam significat: deprauantes, inquiens, hic quoque per lusum quæ de Deucalione sunt prodita. non putabat enim, opinor hæc proditura in lucem. At quomodo fieri potuit vt quod toti genti tradebant, putabant non proditurum in lucem? præsertim cum prædixerint etiam fore vt hæc religionis ratio prædicaretur omnibus gentibus. Quid autem aliud sibi volunt hæc Iesu verba ad Iudæos Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius, quàm scripturam eorum producturam in lucem Dei potentiam, vbi continentur regni Dei mysteria? Et postea cũ Græcorum theogonias & duodecim deorũ historias legũt, grauitatem eis addunt per allegorias: cũ vero res nostras irridere libet, aiunt plane fabulamẽta esse

A nos calumniis exagitet, ait tam Iudæos quàm Christianos modestiores hæc ad allegoriam trahere, eoque propter pudorem refugere. Ad hanc calumniam respondeti potest: Si pudore dignæ sunt propter speciem quam præ se ferunt fabulæ, siue ad tegendum occultiorem sensum conuictæ, siue quocunque tandem modo, in nullas magis quā Græcorum historias eum pudorem cadere: quas si legas inuenies inter Deos filios qui parentes castrent, & patētes qui deuorent filios: ibi etiam mater dea pro filio patet hominúmque deúmque lapidem subiicit, pater cōcumbit cum filia, vxor marito inicit vincula in societatem facinoris ascitis fratre ipsius mariti & filia. Et quid me opus est enumerare absurdas de diis historias Græcorum pudēdas primùm sed per allegoriam expositas, quando Chrysippus Solensis, qui plurimis scriptis porticum philosophorum ornasse creditur, interpretatur picturam in Samo, vbi Iuno depicta est morem gerens Iouis non nominandæ libidini? scribit enim in suis commentariis grauis ille philosophus, quòd excipiens seminalem Dei sermonem materia cōtinet in se, ad ornatum & ordinem rerum omnium. Nam materiam imagine Iunonis Samia pictura significat, Deum vero Iouis. Quapropter nos his & similibus fabulis offensi, nullo modo ferimus Deum maximum vocari Iouis nomine, nec solem Apollinis, nec lunam Dianæ

B vocabulo: sed puram erga Deum pietatem exercendo, & pulcherrima eius opificia laudando, nec nomine tenus res diuinas contaminamus, approbantes Platonis in Philebo doctrinam, nolentis Voluptatem in Deorum album recipi. Religiosus sum, inquit Protarche circa Deorum nomina. Nos igitur reuera sumus religiosi erga Dei nomen, eiusque pręclara opificia, adeo vt neque Tropologiarum prætextu admittamus vllas fabulas nocituras iuuentutis moribus. Quod si Celsus sincero animo scripturas nostras legisset, non negasset eas posse allegoriam admittere. Ex his enim prophetiis quæ historias continent, non tam ex rerum narratione licet vtilitatem capere quàm ex figurarum significatis, cum ita scriptæ sint & dispensatæ sapientissime, vt vel simplici vulgo fidelium conueniant, vel eximiis scrutari penitius volentibus ac valentibus.

Quod si hodie qui Celso videntur cæteris Iudæis & Christianis modestiores interpretaretur scripta illa per allegoriam, fortasse probabilior esset eius oratio: nunc quando ipsi dogmatum autores tropologias explicant, quid aliud cogitandum est, quàm in hoc ipsum esse sic scripta vt adhibeatur tropologia? Quo magis autem appareat meram esse calumniam quod Celsus ait scripturas nostras non admittere allegoriam, pauca è multis exempli causa proferam. apud Paulum Iesu apostolum sic legitur.

1. Cor. 9. In lege scriptum est: Non obturabis os boui triturantí.

C Num boues curæ sunt Deo? an propter nos tantum hæc dicit? propter nos enim scriptum est: Debet sub spe qui arat arare: & qui trituram facit, sub spe fructus partici-

Matt. 19. pandi eam facere. Idem alibi sic inquit: Scriptum est enim. Propterea relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suę & fiet ex duobus caro vna. Mysterium hoc magnum est, ad Christum inquam & ecclesiam perti-

Ephes. 5. nens. Rursum alibi: Scimus quòd patres nostri omnes

1. Cor. 10 sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mosem baptizati sunt in nube & in mari. Deinde interpretans historiam de manna, deque aqua quę scribitur è petra miraculose profluxisse, sic loquitur: & omnes eundem spiritualem cibum ederunt, omnes eundem spiritualem potum biberunt. bibebant enim è spirituali petra eos sequente, quæ petra erat ipse Christus. quin & Asaph indicans problemata & parabolas esse historias Exodi & Nu-

Psal. 78. merorum, memoraturus eas in psalmis sic præfatur: Attēdite popule mi legem meam, inclinate autem vestram in verba oris meis. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio, quanta audiuimus & cognouimus ea, & patres nostri annunciauerunt nobis. Præterea si Mosis lex nihil habuisset latentioris sensus, nunquam

Psal. 119. propheta inter precandum Deo dixisset, Reuela oculos meos, & intelligā mirabilia tua de lege tua. Sed sciebat esse velamen ignorantiæ in cordibus legentium & non intelligentium quæ dicuntur per tropologiam: id velamen diuinitus tollitur vbi se quis per obedientiam deuouit deo creatori omnium, & multa exercitatione sensuum in diiudicando bona à malo contraxit sibi quendam habitum, vt inter preces continenter repetat, Reuela oculos meos, & intelligā mirabilia tua de lege tua. Quis porrò legens draconem degentem in Aegyptio fluuio, & pisces cubilia sua ponentes sub squamis eius, aut excrementis Pharaonis oppletos montes Aegyptios, non mouetur ad inquirendum quis sit ille qui fœdis suis excrementis Aegyptios montes oppleat, quíve sint montes Aegyptij, quæ item Aegy- Ezec. 29

pria flumina de quibus modo dictus Pharao iactabundus loquitur: mea sunt flumina hæc, ego feci ea: similíque ratione interpretandi quis sit ille draco fluuialis, quíve pi- Osea. 14.

sces sub squamis ipsius. Sed quid opus est me pluribꝰ asserere quæ nulla egent probatione? de quibus dicitur, Quis sapiens & intelliget hæc? quis intelligēs & cognoscet ea? prolixior autem hic fui quo declararem non recte Celsum dixisse, quod modestiores è Iudæis atque Christianis conentur allegorice interpretari talia, quæ tamen allegoriam non possint recipere, sed sint merissimæ fabulæ. at Græcorum fabulæ non stultissimæ tantum sunt, verumetiam impurissimæ. nam nostræ scripturæ accommodant se etiā vul-

E go simplici, id quod non curauerunt facere græcanicorum fabulamentorum fictores. quapropter non inhumane facit Plato dum tales fabulas è sua republica eiicit, taliáque pœmata. Et videor mihi audisse alicubi exarare commentarios de legis allegoriis, quos si iste legisset non diceret. Itaque allegoriæ quas videri nolūt, multo turpiores sunt quā ipsę fabulæ, atque absurdiores etiā, mira stulticia coaptare inter inter se conantes quæ nullo modo cohærent. Hoc autem de Philonis scriptis dicere videtur, aut etiam antiquioribus, qualia sunt Aristobuli. Certis autē coniecturis adducor vt putem Celsum non legisse illa volumina: quandoquidem sæpissime sic scripturæ mentem assequuntur, vt non piguerit Græcos philosophos quædam inde decerpere, nec stylum tantum excolere, sed in vsum suum transferre placita quoque & sententias fabularum vt Celsus existimat. Equidem scio Numenium Pythagoreum, plerisque de rebus melius quam Plato differentem, & sectæ suæ principem, multa suis commentariis inserere deprompta è Mosis & prophetarum libris, tractata per verisimilem tropologiam, quemadmodum in Epope sic inscripto, itémque in libris de numeris & de loco, in tertio autem de bono narrat etiam de Iesu quandam historiam non addito nomine, eius quoque adducens tropologiam. vtrum autem rem attigerit, an non, huius temporis non est proferre sententiam. idem narrat de Mose & Iamne ac Mambre. quod tamen non in nostram gloriationem commemota-

F mus, sed probamus hunc magis quam Celsum Græcosque alios, dignatum discendi causa etiā scripturas nostras perquirere, & habentem eas non pro stultis, sed figuratis. Post hæc è variis allegoriarum autoribus adducens quædā non omnino impolita, quæ tamen simplicibus citius persuadere possint quàm prudentibus: Qualem, inquit, Papisci cū Iudā & Iasonis cōtentionē noui, non tam risu dignā quā miseratione atque odio. Verum hæc confutare non est mei propositi, cum sint cuiuis dilucida, præsertim si quis sustineat ipsa scripta euoluere. Illud malo, inquit, docere deum nihil mortale fecisse: sed opera esse dei quotquot sunt immortalia, mortalia vero aliorum. proinde anima opus est dei, corpus vero diuersam naturam habet, atque hac parte homo nihil differt à vespertiliōe, aut verme rana ne, eadē est enim omnium horum materia, & eadem eorum corruptibilitas, Ego tamen operē quemcunque post audita grandia Celsi verba, dicentis scriptū illud cui titulus est, Iasonis & Papisci contentio de Christo, non risu sed odio dignum esse, accepto in manus opusculo aliquātum operæ lectioni eius insumere, vt reipsa doctus nihil inesse ibi dignum odio damnet Celsi vaniloquentiam.

G Si enim incorrupto animo ad legendum accesserit, ne ridiculum quidem quicquam in eo inueniet in quo inducitur Christianus cum Iudæo disputans, & ex ipsis Iudæorum literis euincens, quæcunque de Christo per prophetas prædicta sunt in Iesum competere, quamuis streuue satisque Iudaice contradicat aduersarius. cæterum nescio quomodo res quas natura non patitur conuenire in animum hominis ista coniunxerit, libellum dicens miseratione dignú & odio, cum constet cuius misertum sit eum non posse interim haberi odio, nec contra qui odio habeatur eum tantisper miseratione dignari. Celsus porro ideo negat sibi propositum ista redarguere, quòd vel citra confutationem manifestum sit ea digna esse tum miseratione tum odio. Nos autem oramus omnes quotquot in hanc nostrá cótra illum apologiam inciderint, ne grauetur nostrorum hominum scriptis attendere, & quatenus fieri potest mentem eorum ex ipsis scriptis colligere, simúlque conscientiá atque propositum, inueniet enim homines feruidè contendentes de his quæ persuasa habent: & in his nonnullos satis declarantes quòd comperta prodant & memoratu dignissima in vtilitatem omnium ad quorum aures peruentura sint. Aut perfricet aliquis frontem & neget omnis sapientiæ fontem esse ac principium Deo credere, cunctásque suas actiones ad eum scopum referre vt Deo H placeant, ita vt ne in mentem quidem aut cogitationem admittant quod illi displiceat quandoquidem non verborum tantum & operum sed cogitationum etiam reddenda est ratio ad tribunal summi iudicis. Nam quis alius modus est qui facilius hominem ad rectè viuendum conuertat quàm fides certáque persuasio nihil à nobis vel dici, vel geri vel cogitari denique, quin oculis Dei pateat? Conferat qui vult cum hac aliam viam conuertentem ad meliora non vnum aut alterum quempiam, sed quam fieri potest plurimos, vt ex collatione ambarum magis eluceat vtrius earum vis sit efficacior. Quoniam autem in modo recitatis Celsi verbis insunt quædam ex Timæo transcripta, quod Deus nihil mortale fecit, sed tantum immortalia: mortalia vero aliorum sunt opera: & quòd animæ quidem opus Dei sunt, corporum vero alia natura, nec differt corpus humanum à vespertilionis aut vermis aut ranæ corpore, cum eadem sit natura horum corruptibilis, age etiam de his paulisper disseramus, redarguamúsque hunc siue dissimulatorem Epicureæ sectæ, siue vt aliquis dicere posset mutatum in melius, siue vt fieri potest Epicureo cognominem. Cum enim asserat talia, & contradicat non solum nobis, verum etiam non ignobili philosophorum sectæ à Zenone Citiensi descendentium, debebat I argumentis astruere animalium corpora non esse Dei opera, quodque tam præclarum opificium à prima illa mente non sit profectum. debebat etiam de tam multis quæ ab incomprehensibili natura dispensantur variarum stirpium generibus factis in non contemnendos vsus hominum, animalibúsque quomodocunque vitæ ministrantibus, non solum pronunciare sed docere etiam, non esse à perfectissima quadam mente inditas eas qualitates materiæ, vnde producta sunt omnia. quod si omnino ad Deos referebat omnium corporum opificium, ac si solius animæ summus Deus esset opifex: an non consequens erat vt cum distributa essent non sine certa quapiam discriminis ratione in tam multos Deos tot opificia, ita vt alij humana fabricarent corpora, alij pecuina (verbi gratia) iuxta suas species, ferina rursus alij: cúmque videret in numero Deorum opifices draconum, aspidum, basiliscorúmque, alios item speciatim stirpium herbarumque, redderet causam partitionis huiusmodi? fortassis enim si animum applicuisset ad exactam singulorum examinationem, aut inuenisset vnum deum omnium rerum opificem ad aliquid & certam aliquam ob causam fecisse singula: aut si non inuenisset, vtique dispexisset quæ ratio reddenda sit cur natura corruptibilis sit per se indifferens: vidissétque nihil absurdi esse quòd mundus ex tam diuersis rebus constans vnum habeat opificem, prout vniuersitati conuenit facientem specierum differentias. postremo debebat omnino tacere de K tali dogmate, cuius probatio cum expectaretur, ipse nullam afferre poterat. atqui si induxisset in mentem audita scripturas Mosis ac prophetarum, substituisset hæret curnam illa verba, fecit Deus, de cœlo terráque dicántur & firmamento vt vocant, tum de luminaribus & stellis, ac mox de cetis magnis omníque anima animalium reptilium quæ produxerunt aquæ in suo quodque genere, & omni volucre pennata generatim: prætereáque de feris terræ iuxta genera, & pecoribus iuxta genera & omnibus reptilibus terræ iuxta genera, ac postremo de homine: cæterum absque illis verbis, Fecit Deus, scriptura contenta sit dixisse, de luce quidem facta est lux, de collectione vero aquarum omnium quæ sub cœlo sunt, factum est sic: similiter *Gen. 1.* de germinantibus è terra, quando primum producta est herba virens cum suo semine iuxta genus & similitudiné, arbórque frugifera ferens fructum cum suo semine iuxta genera super terram: quæsissétque quomodo à Deo iussæ sint singulæ mundi partes vt fierent, nec tam temere incusasset quasi fatuas nihilque reconditiorum sensuum continentes scripturas, siue Mosis, siue spiritus sancti (vt nos malumus credere) quo intra pectoris sui domicilium recepto propheta oracula illa edidit: is enim verius norat, Quæ sunt, quæ fuerant, quæ mox ventura sequuntur, quàm vates illi quos hęc nouisse poetæ ferunt. Adhæc quoniam Celsus ait animam esse opus Dei, aliam autem naturam esse corporis, nihilque interesse inter corpus vespertilionú aut vermis aut ranę & hominis, cum eadem sit materia simili- L que corruptibilitas, Respondendum & ad hunc eius sermonem: Si propterea quia materia corporis vespertilionis vermísve, ranæve, eadem est quæ humani corporis, nihil differt inter omnia hæc corpora, dubio procul nullam differentiam fore inter hæc ipsa corpora & solis, lunę, cœli stellarúmque, denique cuiuscunque Dei ex iis quos Græci vocant sensibiles, eadem enim materia substantia est omnium corporum, qualitates eorum assumens, quarum suapte natura sicut & formarum expers est: quas haud scio quis quis ei addat, si non fallitur Celsus negans esse opus Dei quicquid est corruptibile: nam iuxta ratiocinationé istius necessario consequitur, quicquid ex eodem constat materia prorsus ex æquo esse corruptibile: nisi forte Celsus vrgentem refugiens à Platone resiliet è quadam cratera fingente animam, & confugiet ad Aristotelem ac peripateticos, qui ætherem negant esse materiam, dicentes eum esse quintam quandam naturam extra elementa illa quatuor, fortiter tam Platonicis quàm Stoicis reclamantibus. quin & nos vicunque à Celso contempti aduersabimur ei, moti autoritate prophetæ dicentis: Cœli peribunt, *Psal. 101.* tu autem permanes: & omnes tanquam vestimentum veterascent, & sicut amiculum reuolues eos & mutabuntur, tu autem idem ipse es, sed iam satis sit dictum contra Celsum non negantem animam esse opus Dei, ita M tamen vt alia sit natura corporis iuxta cuius rationes sequebatur nihil differre vespertilionum, vermium, ranarúmque corpora etiam ab æthereis corporibus. Vide igitur num relictis iis qui pro qualitatum differentia docent differre & corpora, audiendus sit iste cum suis dogmatibus in Christianos inuehens. Scimus certe esse corpora cœlestia & corpora terrestria, quodque alia sit gloria cœlestium corporum, alia terrestrium, imò ne cœlestiú quidem omnium eadem: nam alia gloria solis est, alia stellarum, & inter ipsas stellas maiorem hæc quàm illa habet gloriam. quapropter credentes resurrectionem mortuorum, dicimus mutari qualitates corporum: quia seminata in corruptione surgunt in incorruptione, & seminata in ignominia surgunt in gloria, & seminata in infirmitate surgunt in potentia, & seminata corpora animalia surgunt spiritualia. Quòd vero subiecta materia recipiat qualitates quascunque vult opifex, omnes credimus quotquot fatemur prouidentiam, quòd is materiæ qualitates arbitratu suo nunc has nunc illas vel det vel adimat eas plerumque mutans in melius.

Quo-

A Quoniam autem certæ sunt viæ mutationem corporũ ex quo mundus est, & quousque erit: nescio an noua aliqua & ab his diuersa successura sit post mundi corruptionem, aut vt nostræ scripturę vocare solent consummationem: cum non miremur etiam nunc ea homine mortuo serpentem fieri, è dorsi medulla vt quidam aiunt, & ex boue apem, ex equo vespam, ex asino Scarabeũ, denique vermes è plerisque animalibus: id quod Celsus argumentum putat, nihil horum esse opus Dei, sed qualitates incognito quodam ordine alias ex aliis fieri, nec aliud in earum alteratione Dei sapientiam agere. Ad hæc cum Celsus dicat, Anima quidem opus est Dei, corporis autem alia natura est: non solum non astruens suum dictũ elapsum temere, sed ne distinguens quidem, vtrum omnem animam opus Dei dicat, an rationalem tantum: respondemus, si omnis anima est opus Dei, dubio procul etiam brutorum vel vilissimorum, vt omnis corporis natura sit alia quam animę, certe procedente sermone, vbi etiam Deo cariora quàm nos bruta esse ait, etiam diuinitatis puriorem intellectum quà nos habeamus eis tribuit, vnde consequitur non minus brutorum quàm nostras animas opus esse dei. Quod si sola rationalis anima est opus Dei, primùm non diserte hoc expressisti, deinde quia parum definite dixisti, non omnem sed solam rationalem animam esse opus Dei, sequi-
B tur vt nec omnium corporum alia quàm animarum natura sit. quod si non omnium alia, sed vniuscuiusque animantis corpus pro animæ suæ ratione conueniens est, ergo cuius animalis anima est opus Dei, eius corpus differt à corpore in quo habitat anima quæ non est opus Dei: atque ita falsum erit nihil interesse inter corpus hominis & corpus vespertilionis aut ranæ aut vermis. absurdum enim est saxa saxis & ędificia ędificiis haberi puriora impuriorave, quòd aut in honorem Dei sint exstructa aut ad viliũ ac impurorum corporum receptaculũ: corpora vero non differre siue brutis inhabitentur siue rationalibus, atque etiam humana corpora nihil inter se differre siue bonorum sint siue pessimorum. certe quidam tanto hæc separarunt discrimine, vt ausi sint consecrare hominum excellentium corpora, tanquam probæ animæ domicilia, malorum contrà ignominiose proiecerint, non recte quidẽ, attamen à recta existimatione occasionem nacti: nisi forte vir sapiens post obitum Anyti & Socratis, pari honore curabit funerandum corpora Socratis & Anyti, & ambobus simile decerneret sepulcrum ac monumentum, quia Celsus nullum corpus opus Dei censeat, putetque nihil inter esse inter corpus hominis & serpentis enati ex eo, sicut nec inter bouis & apium prognatarum ex eo, idémque sentiat de equo & asino, proscatentibúsque ex alterius cadauere
C vespis, ex alterius Scarabeis. quapropter necesse fuit vt retractaremus illud eius dictum, Anima quidem opus est Dei, sed corporis alia natura est. Post hæc ait communem esse naturam omnium prædictorum corporum, vt quę cum vna & eadem sit, mutationum vicibus abeat ac redeat. Respondeo manifestum esse ex iam dictis, non solum prędictorum corporum communem esse naturam, verum etiam cœlestium. quod quidem si ita est, satis apparet quod iuxta istius opinionem nescio tamen an etiam iuxta rei veritatem, vna & eadem cum sit, mutationum vicibus abit ac redit: id quod confessum est apud eos qui mundum faciunt corruptibilem. quin & qui diuersum sentiunt de mundo, & quintũ corpus asserunt, conabuntur tueri eandem sententiam de istis mutabilium corporum omnium vicissitudinibus. hoc autem pacto fit vt quod perit maneat, sed mutatum. subsistit enim materia, & qualitate pereunte ipsa permanet, iuxta opinionem eorum qui eam factam negant. quod si quis rationibus euincat diuersum, creatam esse in vsum aliquem, liquebit iam ei non fore naturam permanendi ac si increata ponatur. verùm hęc tractatio non est præsentis temporis, vt inter refellendum Celsi criminationes de natura disputemus. Ait etiam nihil esse immortale, quod prognatum sit è materia. ad quod respondebitur: Si è materia nihil immortale prouenit, aut immortalis est mundus, & proinde

non factus è materia, alioquin immortalis non esset. qui D
si est immortalis, vt placet solam animam dei opus esse affirmantibus, & ex creatore quodam enatam, ostendat Celsus non ex materia qualitate carente eum factum, incolumi sua sententia, quòd immortale nihil è materia proueniat. aut quia è materia prognatus est mundus, non est immortalis sed mortalis. ergo etiam corruptioni obnoxius aut non. nam si corrumpitur, vt Dei opus corrumpitur, pereunte vero mundo, Dei opus anima quid faciet? dicat Celsus. quod si torquens intellectum dicet hoc ipso immortalem esse mundum quod cum sit corruptibilis non corrumpatur tamen, ac si capax quidem mortis sit, non tamen moriatur, apparet quod iuxta eius sententiam erit aliquid mortale simul & immortale, cũ vtriusque sit capax, & erit mortale non moriens, & cũ non sit natura immortale, eo quòd non moriatur immortale dicetur. Quo igitur significato dictũ volet, è materia nihil immortale produci? vides vt si examinentur eius sententiæ nihil in eis inueniatur solidum cui contradici non valeat? His dictis infert, satis esse de hoc hactenus, & siquis plura audire cupiat, quærenda in sequentibus. Videamus igitur nos ipsius opinione insensati, quid sequetur si paulisper potuerimus audire diligentius quæstionem variam & non contemnẽdam de natura malorum, quam egregie pauculis verbis, quo discamus facilius, explicat in hunc modum: Mala in rebus nec antea, nec nunc, nec in posterum plura paucio- E
ráue possunt esse. vna enim & eadem est natura rerum omnium, & malorum generatio semper eadem. Hæc quoque videntur è Theęteto translata verbis aliis, vbi Plato inducit Socratem loquentem sic: Sed neque ex hominibus mala tollantur potest fieri, neque vt apud deos hęreãt, & quæ deinceps sequuntur. Quamuis mihi videtur ne Platonem quidem satis audisse iste qui veritatem vno libello complectitur, cui contra nos scripto Veri sermonis titulum indidit. Nam illa verba in Timæo, Quoties dij terram aqua purgant indicant, terram aqua purgatam minus malorum habere quàm antea prius quàm purgaretur. Idque iuxta Platonis sententiam dicimus, mala interdum minui quandoquidem in totum tolli non possunt ex hominibus, sicut prius Theæteto in docentẽ audiuimus. Cæterum nescio qui fiat vt cum prouidentiæ fauere videatur duntaxat in hoc volumine, nunc dicat nec plura nec pauciora mala fieri, sed semper certo esse numero, tollens interim dogma pulcherrimum, non circumscribi maliciam, & mala sponte natura esse innumera. Itaque si nec plura nec pauciora mala fuerunt, sunt, erúntve, consequens videtur vt quemadmodum iuxta opinionem eorum qui mundum aiunt nunquam periturum, elementorum ęquilibrium tuetur prouidentia, non sinens vllum eorum præualere, ne mundus in periculum incolumitatis ve- F
niat: ita malis quoque sua quædam præ prouidentia, quæ paritatem ea seruare iubeat, absque auctibus ac defectibus. Est & aliud argumentum quo Celsi opinio de malis refellitur, sumptum è philosophorum de bonis malisque disputatione, ex historiis docentium quòd primùm extra vrbes & personatæ meretrices prosternebant se libidini prætereuntium: deinde vnà cum pudore deposuerunt personas, foris tamen manserunt arcentibus legibus: postremo disciplina indies deprauatiore intra vrbes penetrare ausæ sunt. Hæc Chrysippus in libro introductorio de bonis & malis: vnde licet colligere mala pro tempore augeri & minui: siquidem erant aliquando qui vocabantur amphiboli prostantes ad perferendum stuprum vel inferendum, & seruientes libidini ad se intrantium, eiecti demum ab ædilibus. innumera pręterea maliciæ profusissimæ exempla subrepserunt in vitam hominum, de quibus vere dici potest quòd non fuerint antea. certe antiquæ historiæ quamuis innumera peccata incusent, infandas tamen otis libidines nesciunt. Annon igitur per hæc & similia ridiculus Celsus ostenditur, putans mala nunquam augeri vel minui? Nam sic licet vna eadémque rerum natura, non tamen semper idem malorum prouentus est. Quemadmodum enim cum vna eadémque

G sit natura huminis cuiuspiam, noo tamen semper eodem
modo vel agit vel intelligit, sed qui modo vix rationis có-
pus erat, iam cum ratiooe assumpsit, & maliciam, eámque
nunc contractiorem nunc effusiorem, item io virente oúc
promouet nunc deficit, interdum excellenter in eius con-
templatione maiore minoré ve studio proficiat: ita licet
de vniuersa rerum oatura proounciare, quòd tametsi vna
eadémque sit in genere, non tameo semper & vbique eó-
tingunt similia. oam nec fertilitates semper sunt, nec steri-
litates, nec pluuiæ nec siccitates: ita nec bonarum anima-
rum semper bonus prouentus aut semper malus, malis
quoque nuoc latius nuoc arctius regnantibus. Estque ne-
cessaria veritatis vestigatoribus hæc persuasio de malis oó
semper in eodem statu maneotibus, propter curantem res
terreoas prouidentiam, eásque repurgantem nunc incédiis
ounc diluuiis. & fortasse non solum has, sed & totum mú-
dum, vbi intantum inualescit malicia, vt purgatione opus
habeat. Post hæc pergit Celsus: Naturam malorum co-
gnoscere difficile est non philosophantibus, & satis est
vulgum doceri, mala nó esse à Deo, sed materiam versari
circa mala esseq; similes inter se rerum mortalium circui-
tus à principio vsque in finē, statásque reuolutiones, proin-
de necesse vt eadem semper fuerint, sint, futuráque sint.
Hic Celsus ait malorum ortum non facile nosci a nó phi-
losophantibus, quasi philosophiæ studiosus facile ortum
H eorum cogooscat, expers vero philosophiæ non facile qui-
dem possit contemplari malorum origioem, possit tamē,
licet ęgre magnóque oegorio. Nos vero respoodeotes ad-
dimus, ortum malorum oe à philosophátibus quidem co-
gnosci facile, nisi diuino fauore aspiraote mala elucescát,
fiátque manifestum vnde subsistant, & intelligatur quo-
modo tollenda sint. Cum igitur inter cætera mala sit oon
nosse deum. & quod pessimum est, nescire pietatem mo-
dúmque colendi numen cæleste, constat vel Celso teste
philosophiæ studiosos hæc nesciuisse, vt liquet è sectis eo-
rum discrepantibus: nostra autem opinioοe nemo eorum
qui oesciùt malum esse putare pietatem in vulgaribus istis
ciuitatum legibus consistere, poterit originem malorum
intelligere. oemo preterea qui nescit de diabolo quem vo-
cant eiúsque angelis, quisnam bis diabolus fuerit antea, &
quomodo factus sit diabolus, tum qua causa cum eo de-
sciuerint qui vocantur eius angeli, poterit cogooscere ma-
lorum originem. oportet etiam tractare diligenter de dæ-
monibus eum qui perueuturus est ad huius originis co-
gnitionem, sciréque quòd nò sint opus Dei quateous sunt
dæmones, sed quateous sunt rationales, & vnde prolapsi
sint eò vt tales fierent, & rationalis eorum natura censere-
tur in dæmonum ordine. Itaque siquis alius locus est in
rebus humanis scrutatu difficilis naturæ nostræ inter hos
I merito numerari potest malorum origo. Deinde quasi ha-
beret aliud secretius de hac origine, quo nullo mallet lo-
qui apta vulgari multitudini, ait sufficere apud vulgum
Thren. 3. de malorum ortu prædicari quòd non sint ex deo, sed hæ-
reant materię versentúrque circa mortalia. Est quidem ve-
rum mala noo esse ex deo, nam & noster Hieremias mani-
feste docet, quòd ex ore domini non egrediētur mala cum
bonis: cæterum materiam quæ versetur circa mortalia
causam esse malorum falsum est nostra opinione. nam sua
cuique ratio causa est existentis in ipso maliciæ, quę qui-
dem malum est, malæ quoque actiooes quę ex ea proue-
niunt. oec aliud quicquam est malum iuxta nostrum exa-
men exquisitissimum. Sed hanc disputationem scio habe-
re opus confirmationibus plurimis, & gratia diuina quæ
illustret mentem dignam cognitione rerum talium. Ne-
scio autem cur expedire visum sit Celso contra nos scri-
benti mentionem facere dogmatis quod opus habet pro-
batione saltem verisimili, quòd à principio ad finē vsque
similes inter se fiant rerum mortalium circuitus, fitque ne-
cesse statis reuolutiooibus eadem omnia quę iam facta
sint fieri denuo, foréque io posterum. quo fit vt oecesse sit
semper Socratem philosophari & accusari propter noua
dęmonia iuuentutisque deprauationem: Anytum vero &
Melitum semper eum accusare, & senatum areopagita-
rum semper eum damnare ad cicutam sorbendam. eadem K
ratione oecesse erit semper reuolutis vicibus Phalarim
exercere tyraooidem, Pheręúm que Alexandrum eius cru-
delitatis ęmulum: semper mugire damnatos in taurum
Phalaridis: quod si concedatur, nescio quomodo nostra
voluntas seruabitur, aut quis locus relinquetur meritis lau-
dibus vel vituperiis? Et necesse erit, si verum dicit Celsus
certis vicibus recurrētiom temporum eadem omnia fuis-
se, fieri. futura iterum denuo, vt Mose, redeuntibus vicibus
sæpius Ægyptum vnà cum Iudæorum populo exeat: Iesus
quoque rursum in vitam hominum adueniat facturus o-
mnia eadem quæ antea fecerat non semel sed multoties
quotiescunque tempus aduentus reuolutum fuerit. Chri-
stiana etiam religio habebit suas exortus & obitus vicissi-
tudines statis temporibus, rursúmque Celsus scribet suum
librum iam ante à se scriptum milies. Et Celsus quidem
mortalium tantum rerum circuitus & statas reuolutiones
asserit, vt oecessario fuerint, fiant, futuráque sint eadem o-
mnia: at Stoicorum plerique inuehunt eosdem circuitus
etiam in res immortalium & deorum quos ipsi existimāt.
oam post vniuersale incendium infinities factum futu-
rúmque eodem ordine à principio finem vsque recurrunt
eadem omnia facta iam uerúmque futura. Stoici tameo vt
medeátur absurditati, oescio quomodo per omnia similes L
prioribus redire aiunt cum temporum circulis, vt non So-
crates nascatur denuo, sed per omnia Socrati similis, ductu-
rus per omnia similem priori Xanthippem, accusandus à
per omoia similibus Anyto Melitoque. Id vero oon intel-
ligo quomodo cum muodus semper idem sit, & non alius
per omnia priori similis, quæ in eo cootinérut non eadem
sint sed per omnia iodiscretæ similitudinis. Verùm de his
contra Celsum atque Stoicos proliaius differere oec hu-
ius propositi est, nec præsentis temporis. Post hæc dicit,
hæc quæ videmus non homioi data esse, sed siogula ad v-
niuersitatis cóuersationem tam petire quam fieri alia post
alia iam dictis vicibus. quam opinionem iam aote subuer-
sam diutius impugnare superuacaneum fuerit: sicut & ad
illud respósum est quod ait tam bona quam mala nec plu-
ra oec pauciora fieri. Dictum est & hoc, ouo opus esse deo
vt aliquid à se factum corrigat, aut more hominis opificis
siquid minus artificiose factum sit emendantis, mundum
per exustiones diluuiáque instauret in melius, sed ad repri-
mendam latè se fundeotem maliciā id facere, eámque for-
tassis in totum sublaturum è medio, vbi rerum vniuersita-
ti fuerit commodum. An vero post extinctam maliciam
probabile sit eam reuersuram esse denuo, id propriam di-
sputationem requirit. Vult igitur Deus nouis semper cor- Gen. 1.
rectionibus instaurare collapsa. quamuis enim ordinarit
omnia pulcherrime dum mundum conderet, nihilominus M
medicina quadam opus habuit aduersus maliciæ morbos
quibus totus mundus iofectus est: & nihil negligit Deus
oeque negliget, sed per singula tempora facit quod eum
decet facere in mundo versatili & mutabili. Et que-
madmodum agricola pro varietate anni temporum varia
rustica opera facit in agro & his quæ ager fert: ita Deus
velut quosdam annos vt ita dicam dispensat secula, per
eorum singula faciens quicquid vniuersitatis huius de-
corum postulat. quod ipse solus absoluit ita vt verissimè
apertissiméqoe intelligit. In hac malorum considera-
tiooe inter cætera sic Celsus loquitur: etiamsi tibi videa-
tur malum aliquid, nondum liquet an malum sit. nescis e-
nim quid tibi, vel alteri, vel toti mundo conferat. id di-
ctum quamuis impietatem non præ se ferat, suspicatur ta-
men malorum naturam non omnino esse miserā, quia fieri
possit vt io vniuersum sit vtile, quod malum sit singulis,
veruntamen oeqois dictum hoc nun recte intelligens oc-
casionem inueniat offeodiculi, cogitans etiam suam ma-
liciam conferre aliquid commodi vniuersitati, aut certe
conferre posse: dico quod salus siogulorum nostrum vo-
luntate, etiamsi oequam hominum malicia Deus abutatur
ad rerum huius mundi ordinē, ita vt ita muodanæ reipu-
blicæ conferant aliquid, nihilominus quicunque talis est
vituperandus est, & vt imperbatus in suum ordinē redigi-
tur ad

A tur ad aliquem vsum, deprecandum quidem cuiuis, conferentem tamen in summa quidpiam. Sicut in ciuitatibus ostendi potest ille vel ille ob malefacta damnatus ad opus publicum, vtilis quidem reipublicæ, sed in functione quā nemo non abominetur qui vel mediocriter sapiat. quin & (2.Tim.2.) apostolus Iesu Paulus nos docens, prodesse quidem in vniuersum aliquid etiam nequissimos, suo loco tamen inter abominabiles: sed optimum quemque eundem in vniuersum esse vtilissimum, ob id constitutum loco præclarissimo: In magna inquit domo non tantum sunt vasa aurea vel argentea, sed & lignea testaceáque, in honorem alia, in ignominiam alia, Si quis igitur expurgauerit seipsum, vas erit in honorem sanctificatum, vtile domino suo, ad omne opus bonum paratum. Atque ita satis responsum puto ad illud dictum: etiamsi tibi videatur malum aliquid, nondum liquet an malum sit, nescis enim quid tibi, vel alteri, vel toti mundo conferat: ne forte quis occasionem peccandi, ex huius loci disquisitione arripiat, quasi peccando possit vniuersitati rerum conferre quidpiam. Post hæc quoniam Celsus non intelligens taxat scripturæ verba humanos affectus Deo tribuentis vt videtur, quoties facit iracunde minacitérque inuehentem in impios: dicendum est quod sicut nos cum pueris paruulis agentes accommodamus verba ad eorum sensum quātum possumus, & pueros pueriliter educamus erudimúsque vt putamus eis conueniens: B Ita videtur diuina sapientia contexuisse scripturas ad auditorum modulum, id sibi decorum existimans quod illis sit vtile. De quo more Dei alloquentis homines hæc leguntur in Deuteronomio: (Deut.23.) Accommodauit se tuis moribus dominus Deus tuus, haud secus quàm homo pater accommodat se suo filio. Nimirum more hominū scriptura loquitur ad vtilitatem hominum, non enim erat in rem plebeiæ multitudinis, si Dei persona induceretur loquens pro maiestate sua. Attamen cui studium est diuinas scripturas perspicere, inueniet ibi spiritualia dici spiritualibus vt vocantur, conferens inter se mentem eorum quæ dicuntur vel infirmioribus vel exercitatioribus, sæpenumero sic contemperata vt in eodem contextu inueniantur vtraque. Ergo cum iram Dei nominamus, non affectum eius dicimus, sed quiddam seueriore disciplina castigans homines tot tantisque peccatis obnoxios. Nam quòd erudiat homines ira (vt vocamus) furórque Dei, & hoc velle has voces, manifestum est ex illo psalmographi, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua (Psal.6.) erudias me. Sic Hieremias: Erudias nos domine, sed non (Hier.10.) in iudicio nec in furore, ne nos ad paruum numerum redigas. (2.Reg.24) Iam si quis legat in secundo Regnorum libro irā Dei C suadentem Dauidi vt censeat populum, & in primo Paralipomenon diabolum, eósque textus inter se conferens examinet, videbit quo significato ira ponatur, cuius filios omnes homines fuisse Paulus ait dicens: Fuimus naturaliter iræ filij, sicut & cæteri. Quòd autem non affectus Dei sit ira, sed vnusquisque sibi eam peccatis suis contrahat, docebit Paulus illis verbis: An diuitias bonitatis illius ac tolerantiæ lenitatísque contemnis, ignorans quod (Rom.2.) bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? sed iuxta duriciam tuam, & cor pœnitere nescium, colligis tibiipsi iram in die iræ, quo apparebit iustum Dei iudicium. Quomodo igitur potest quisque thesaurizare sibiipsi iram in die iræ, si iram affectum intelligas? aut quomodo iræ affectus erudire potest? Ad hæc scriptura docens nos nullo modo irasci, & in trigesimoseptimo psalmo dicens, Desine ab ira & relinque furorem, & apud Paulum, (Col.3.) Deponite & vos hæc omnia, iram, furorem, odium, maledicentiam, turpiloquiū: affectum à quo nos immunes vult, nunquam Deo tribueret. Apparet autem iram Dei figurate dici, vel inde quod in eisdem scripturis etiam somnus eius legitur, ex quo velut excitans eum propheta dicit, (Ephes.5.) Exurge, cur dormis domine? (Psal.78.) Rursum alibi dicit: Surrexit tanquam à somno dominus, tanquam robustus à crapola. quod si somnus aliud hic quam in quotidiano vsu significat, quid vetat iram quoque figurate intelligi? Sed & minæ denunciationes sunt calamitatis venturæ peccatoribus, haud secus quam si quis minas vocet medici verba laborantem præmonentis, D secabo te, & cauteria tibi adhibebo ni præscriptis meis pareas: nisique hac dieta vtaris, & hoc modo te geras. Itaque non humanas affectiones affingimus Deo, nec impias opiniones de illo concipimus, nec huiusmodi narrationibus quenquam fallimus, quandoquidem ex ipsius scripturæ locis inter se collatis verum sensum elicimus. Nec aliud propositum est nostris doctoribus quam vt rudem simplicitatem auditoribus eximant, & prudentiam quantum possunt inserant. Deinde vt non intelligēs quæ de ira Dei scripta sunt, Annon, inquit, ridiculum est, cum homo iratus Iudæis omnes puberes interfecerit incensis etiam vrbibus, adeo profligati erant, Deum illum summum iratum vt aiunt furoréque percitum & minabūdum mittere passurum tales pœnas suum filium? Certe quod post perpetratum in Iesum tam audax facinus Iudæorum vrbs flammis deleta est cæsis puberibus, non ex alia ira id eis accidit quàm ex ea quam sibi diu cumulauerunt, tandem semel in eos effusam vltore Deo iusto iudice, vocatam iram iuxta idioma linguæ ipsorum patriæ. porrò filius Dei volens ac sciens passus est quicquid passus est pro salute hominum, sicut superius pro viribus, ostendimus. Post hæc sic inquit: Verùm ne de solis Iudæis agam, non enim hoc propositum est: sed de tota rerum natura loquar vt sum pollicitus, planius declarabo quæ iam dicta sunt. Quis hæc legens modestus & infirmitatis humanæ conscius non miretur promissorem iactantem pollicentem se E dicturum se rationem pro vniuersa rerum natura, eadem arrogantia qua prius ausus est scripto suo titulum tam magnificum præfigere. Sed videamus quidnam sit hoc quod pro tota rerum natura dicturum se promittit, & quæ sit illa declaratio. Prolixe nos incusat quia propter hominem cuncta deum fecisse aimus: conatúrque ex animaliū historia & solertia quam præ se ferunt, ostendere nihilo magis propter homines quam propter bruta facta esse omnia: videtúrque mihi perinde loqui, atque hi qui odio inimicorum vituperant etiam quæ in amicis ipsorum sunt laudatissima. nam sicut hos excæcat odium ne videant interim accusari à se homines amicissimos dum putant se inimicis male loqui: eodem modo Celsus confusus rationem non vidit se obtrectare Stoicis, recte præponentibus hominem & in totum rationalem naturam brutis omnibus, quandoquidem propter hanc aiunt à prouidentia facta omnia. quapropter rationalia vt potiora filiorum locum obtinent, bruta vero & inanima possessionis comparatæ in filiorum gratiam. Mihi sanè videtur quemadmodum in vrbibus ædiles curam habent fori venaliúmque rerum, fruuntur tamen ex copia canes quoque & alia bruta: sic à prouidentia præcipuè curari animal rationale, bruta vero consequēter etiam ipsa frui paratis in vsum hominum. Et sicut peccat quicunque dicit ędiles non magis gerere curam hominum quàm canum, quia & canes cum F hominibus fruuntur copia venalium: sic Celsus & qui eadem sentiunt, magis sunt in Deum rationali creaturæ prouidentem impij, dicendo eum homines non magis quàm stirpes, arbores herbasque & sentes alere. Nam opinatur, primùm opera Dei non esse tonitrua, fulgura, pluuias, iam apertius Epicurizans: deinde vt demus, inquit, esse opera Dei, non magis nobis hominibus fiunt ad alimoniam quàm stirpibus, arboribus, herbis, sentibus. Verus Epicureus fortuito putat hęc non iuxta prouidentiam cōtingere. nam si non magis nobis, quàm stirpibus, arboribus, herbis, spinis, hæc prosunt, manifestum est ea non venire à prouidentia: aut si ab hac veniunt, non magis nobis, quàm stirpibus, arboribus, herbis, spinis, prouidet. Vtrumque autem credere est impium: & stulticia est huiusmodi rationibus conari nos impietatis reos peragere. Satis enim liquet ex iam dictis quis sit impius.

Quod si inquit, dicas hæc nasci hominibus, videlicet stirpes, arbores, herbas, sentes, qui magis hæc nascuntur hominibus quàm brutis vel feris quoque immanissimis? Ergo perfricta fronte dicat Celsus tā varias è terra nascentiū rerum species non operante prouidentia progigni, sed

G atomorum concursu fortuito: & hoc quoque fortuitum quòd tam variæ stirpium arborum, herbarúmque facies generatim inter se sint similes, nec esse in his quicquam artificij, nec initium habere à mente admirationẽ omnem supergressa. At nos Christiani qui hæc ad vnum deum autorem referimus, eique gratias agimus vt conditori omnium, qui nobis tale domicilium adornauit, & propter nos seruientibus nobis animalibus: qui oriri facit fœnum pecoribus & olera virentia seruitura hominibus educitque panem è terra: & vinum exhilaraturum cor hominis facitque faciem eius oleo nitidam, & pane confirmat cor eius, quod si feris quoque immanissimis cibos parauit, non mirum est, quando etiam hæc philosophi quidam aiunt facta ad exercendum rationale animal: & vnus è nostris sapientibus alicubi sic loquitur: Ne dixeris, ad quid hoc? quandoquidem requirentur omnia suo tempore. Deinde Celsus volens prouidentiam non magis nobis fecisse quæ terra fert quàm feris immanissimis, ait: Nos certe magnis laboribus ægre victum quærimus, illis cuncta nulla semẽte & nullo nascuntur aratu: non videns quòd Deus, volens vndecunque materiam intellectus exercendi præbere homini, ne sterilis maneret rudísque artium, inopiam ei comitem addidit, vt cogeretur eas inuenire alias ad victum alias ad amictum parandum necessarias, cum enim non essent vacaturi vestigandis rebus diuinis, satius erat egenos esse vt inueniendis artibus ingenium excolerẽt, quàm
H per affluentiam rerum mẽtem incultam negligere. Ex hac rerum vitæ vtilium indigentia nata est agricultura, ex hac olitoria, ex hac fabrorum ars tam materiariorum quàm ferrariorum ærariorúmque ad facienda instrumenta illarum quæ alimentis quærendis inseruiunt. Tegmentorum item inopia tum lanificas artes dedit textoriam & fulloniam, tum cæmentariam, & altius ascendente cogitatione architectonicam. eadem vtensilium penuria fecit vt alienarum regionum prouentus transportarentur nauticę gubernatoriæque ope ad eos qui his careant: vt hac parte nõ debeamus mirari prouidentiam, quæ vtiliter rationalibus minorem quàm brutis copiam largita est. nam bruta in promptu cibos habent, vt quæ ne formam quidem habẽt apiam artificiis: tegmenta quoque his sunt naturalia, pili, pennæ, squamæ, crustæque. Hæc responsa sint Celso ad illud, Nos magnis laboribus victum quęrimus, illa cuncta nulla semente & nullo nascuntur aratu. Post hæc oblitus inpręsentiarum sibi negocium esse Iudæos & Christianos accusare, senarium Euripidis ipse sibi obiicit aduersantem suæ sententiæ, congressúsque cum eo, accusat vt dictum non bene. Verba Celsi sunt hæc. Quod si mihi Euripideũ illud ingeres, Solesque & noctes seruire mortalibus, quî
I magis nobis seruiunt quam formicis muscísue? nam & illis nox quietem pręber, dies vero videndi facultatem & operandi. Hinc apparet quod non solum Iudæorũ & Christianorum sententia sit, seruire nobis solem & cœlestia, sed etiam Scenicis philosophis idem dicat auditor quondam Anaxagoræ physiologi, qui per synechdochen hominis nomine omnem rationalem naturam vult intelligi, dum ei vniuersam hanc mundi machinam seruire dicit, rursum synechdochicos solis noctísque vocabulis eam significans: nisi tragicus efficientem accepit pro effectu, quod die noctéque maxime opus habeant quæ sub luna sunt, aliæ vero creaturæ non ęquè ac quæ terram incolunt. Ergo tum dies tum nox seruit mortalibus, factę propter irrationalia, quod si formicæ quoque & muscæ nobiscum his fruútur, operantes interdiu, noctu interquiescentes: non statim dicendum diem & noctem in rebus esse propter formicas & muscas, aut alias animantes, sed vt prouisum esset hominũ vsibus. Pergit: siquis nos dicat principes animalium quia venamur, & visceribus captorum epulas instruimus, quin potius nos propter illa factos credimus quandoquidem ab eis intercipimur deuoramúrque: & nobis opus est cassibus, armis, complurium hominum canúmque opera ad feras captandas, ipsæ vero à natura armatę sunt armis quibus facile nos conficiant. Atqui vel hinc perspicis quanto pręsidio nobis intellectus datus est quouis armorum genere potior quibus ferę possunt muniri, itaque cum simus K
multo inualidiore corpore quàm animalia, quibusdam etiam magnitudine valde impares, ratione vincimus bestias, & tantę molis elephantos venatu capimus, mansuefacimus etiam quę cicurari possunt à nobis doctas mitius degere. cæterum quarum natura non potest ferociam dediscere, aut etiamsi cicurentur non possunt seruire nostris vsibus, securitati nostræ consulentes includimus tantisper dum opus habeamus ad cibos mactatarum carnibus. Sicut etiam mitiora bruta seruituti rationalis hominis parauit mundi opifex: & in alios vsus habemus canes, puta ad gregum, armentorum, domorum custodiam, in alios boues vt ad agrorum culturam, in alios iumenta vt equos mulósve saginarios, sic ad exercendam innatam fortitudinem datum est nobis genus aprorum, vrsorum, pardorum, leonum & similium. Deinde homines suam prę cęteris animantibus excellentiam agnoscentes alloquens: Si, inquit, dicitis vobis à deo datá potestatem capiendi feras & occidendi: respondebimus ante vrbes conditas & consuetudinem ciuilem, artésque inuẽtas, cassésque & instrumenta venationis cętera, homines sępenumero correptos ac deuoratos à bestiis, non feras capi solitas esse ab hominibus. Sed vide quod quamuis mutuum sit inter feras hominésque capi & capere, interest tamen permultum ratione vincantur an violentia. Cęterum quod ait, ante vrbes conditas, & cœtus hominum vnà degentium, inuẽ- L
tionémque artium, oblitum opinor quod supra dixerat ingenitum mundum & incorruptibilem, nisi quod renouetur & instauretur alternis diluuiis atque conflagrationibus, per partes tamen non in vniuersum. Itaque sicut non possunt assertores ingeniti mundi principium eius ostendere, sic neque tempus quo nec vrbes fuerint, nec artes etiam tum inuentæ sint. Sed esto consentiamus hic cum eo cum tamen ipse à se dissentiat, non statim euincet fuisse olim tempus quo homines a feris arriperentur, non contra feræ ab hominibus. nam cum per prouidentiam mundus factus sit, necesse est seminaria humani generis fuisse mox ab initio sub pręsidio naturæ alicuius potioris, & iam tum pręsentem fuisse deum hominibus: id quod & Ascræus poeta intelligens dixit.

Communes epulas mixtáque sedilia diuis,
Ponebant homines non fastidita maiori.

Sacra quoque scriptura apud Mosem inducit priscos illos homines audientes diuinæ vocis oracula, & videntes interdum ad se venire angelos hospites. Par enim erat vt initio mundi magis adiuuaretur humana natura, donec intellectu ad virtutes artesque proficeret, quibus inuentis per M
se vitam possent tueri, ne semper egerent curatoribus miraculose ad ministeria sua iussu Dei ventitantibus. vnde consequitur falli eos qui credunt olim homines à feris deuorari solere, ipsos vero per id seculum nullas ferarum capturas facere: & hinc apparet non esse verum quod Celsus ait, quòd hac parte hominem potius bestiis subiecit Deus. non enim subiecit feris hominem, sed rationem homini dedit artésque quibus in potestatem suam eas posset redigere. nam non sine diuina ope homines excogitauerũt quomodo incolumitatem suam à bestiarum immanitate tutam facerent, vsurparentque in eas imperium. at iste vir egregius non animaduertens quàm multi philosophi asserant prouidentiam, dicántque propter rationalem naturam facta omnia, quantum in se est vnà cum optimis Christianorum placitis tollit etiam consensum eorum cũ philosophis, magno pietatis impedimento si persuasum sit formicas & apes nihilo minus cordi esse deo quàm homines: quandoquidem si hoc nomine antestare bruta videantur homines, quia conditis vrbibus socialiter inter se degant, & per magistratus administrent respublicas, hoc nihil ad rem faciat. nam idem in formicis spectari & apibus. certè apibus suos reges esse regiis cultos obsequiis, quorum ductu prælientur, vincant & profligatas eiiciãt: esse etiam ciuitates & pomœria, vicésque operum, iudicia denique ac pœnas ignauiæ nam fucos ab his trucidari aut abigi.

A abigi. Sed ne hic quidem videt quantum intersit inter rationis opera & naturæ solius: quorum causa est non vlla ratio (nullam enim habent animantes quæ hæc faciunt) sed antiquus ille Dei quidem filios, rerum autem vniuersitatis rea, naturam irrationalem condidit, adiutantem sine ratione hæc quibus nó est dignatus rationem indere. Itaque ciuitates hominum multis constant legum præscriptis, multis artibus: regunturque ac gubernantur per potestates, magistratus & principes, hoc est viros & probos & industrios, si loquamur proprie: aut vt núc volgus nominat, per eos qui ad illorum exemplar quantum possunt accedunt, nam qui tales sibi proposuerunt imitãdos, tum leges pertulerunt cómodas, tum formas reipublicæ constituerũt optimas: quale nihil inter bruta inuenias: quantumuis Celsus nomina quæ non nisi rationalibus conueniunt, attribuat brutis, ciuitates, respublicas, magistratus, potestates ad formicas & apes inferens: quorum nihil in formicas aut apes cadit cùm ratione careant, & proinde nihil rationis ductu faciant: sed potius admiranda est Dei benignitas vsque ad bruta se extendens, intantum vt exemplo possint esse hominibus, eisque pudorem incutere: quo animaduertẽte formicas magis fiant industrij minúsque prodigi: apes item considerando discant parere magistratibus, & ad publicam incolumitatem cõseruan- B dam dispensare inter ciues functiones & operas, fortassis etiam earum bella docent nos iuste bellum gerere si res ita postulet, nec ciuitates & pomœria habent, sed aluearia mellificiáque, quibus per vices operãtur in varios vsus hominum tam in cibis mundioribus quàm in remediis, sic neque animaduersiones earum in fucos conferendæ sunt iudiciis & pœnis ignauos ac malos in ciuitate coercentibus: sed vt iam dixi miranda est natura in talibus, homo vero cõtemplator omnium & moderator existimandus est minister prouidentiæ, vt non diuinæ tantum sed suæ quoque prouidentiæ subseruiẽs. Post hæc Celsus quo magis non Christianos modo sed vniuersum humanum genus cũ suis ciuitatibus, rebuspublicis, magistratibus, principatibus, cũ bellis etiã pro patria gerẽdis extenuet, ab apibus transit ad laudationem formicarum: & iactat solertiam earum venturæ hyemi mature prospicientium, quasi nihil sit præstantius hac irrationali prouidentia, si tamen merito eam ipse dignatur hoc nomine. Quem autem simplicium & naturam nequitiorum nescientium introspicere, non auerteret Celsus quantum in se est à subleuandis pressis onere, & laboris parte subeunda, quando de formicis dicit, quòd aliæ aliis sub onere fessis succurrant. Si quis enim nouum hunc doctorem audiat, apud se cogitabit: si dum subleuamus fessos sub onere, nihilo meliores formicis sumus, quid laboramus incassum? Et formicæ quidem vt brutæ nihilo magnificentius de seipsis senti- C rent, quòd humanæ cõferatur earum industria. Cæterum homines ratione præditi audientes quo pacto vilipendatur eorum paratus ad communicandos labores animus facile offenderentur à Celso eiúsque sermonibus, non videntes quòd dum suis scriptis lectores alienare conatur à Christiana religione, etiam non Christianos alienat ab affectu succurrendi miserè sub sarcina laborantibus: qui si fuisset philosophus, debuerat sociali iure à natura hominibus insito tangi, & ad imitationem Christianorum non detrectare vitæ munia, ac pro sua virili patrocinari cotũ virtutibus, præsertim iis quas communes habent cũ aliis. Quod vero fruges arrosas condunt ne rursus enascantur, sed per annum alimento sint, non ratiocinationem formicarum in causa debemus credere: sed almam matrem naturam bruta quoque sic ornantem, vt etiam minimis addat sua quædam ingenia. Nisi forte Celsus per hæc subindicat, sicut plerunque Platonem sequitur, vnam esse omnium animatum speciem, nec differre ab humana formicæ apisve animam: quod quidem est deducentis animam à cœli conuexis non solum in humana verum etiam reliquorum animalium corpora: Id vero Christianis non fit verisimile, quibus persuasum est hominis animam factam ad imaginem Dei, esséque impossibile vt eius imaginis lineaméta semel impressa vnquam in totum omni- D no deleantur ex anima, & alia succedant nescio quã aliam imaginem referentia, post migrationem eius in corpus bruti alicuius. Quoniam vero & defunctis formicis viuas ait proprium quendam locum secernere, illúmque his esse monumenta patria, dicendum quòd quãto pluribus bruta ornat laudibus, tanto magis velit nolit extollit opus conditoris & ornatoris rerum omnium: indicátque quanta sit hominum dexteritas, quæ in brutis etiã ornare verbis dona naturæ valeat, quãuis Celsus ea ne bruta quidẽ existimet à communi opinione dissentiẽs: Itaque nec formicas inter bruta censet iste qui se pollicetur dicturum de tota rerum natura, & veracitatem iactat non in libri sui titulo, nam & colloqui eas inter se affirmat dicens: Ad hęc in occursu colloquuntur, quo fit vt non aberrent à via. Ergo perfecte rationales sunt, vt sensu communi & voce significatiua quorumlibet præditæ: nam voce significandi vim habente peraguntur colloquia, renunciante quicquid fors tulit: quæ quidem formicis tribuere an non perridiculum fuerit? Nec pudet eum ineptissima sua dogmata etiam posteris prodentem, sic hunc de formicis sermonem claudere: Age si quis è cœlo in terram despiciat, quid ei videbitur interesse inter nostros labores & formicarum aut apium? Sed prospector hic Celsi è cœlo perlustrans oculis quæ homines & formicæ faciunt, num sola corpo- E ra vtrorumque inspicit, non item ingenia, quod illi rationis ductum sequantur, cuius expertes formicæ feruntur quocunque rapit eas naturalis quædam imaginatio? atqui absurdum fuerit eum qui è tam longinquo à cœlo vsque ad terram dignetur inspicere in hominum & formicarum corpora, nõ multo magis spectare naturas quibus ducuntur, & fontem appetitus rationalis vel irrationalis, quod si semel contuetur omnium fontem appetentiarum, mirum ni videt etiam harum differentiam, & quanto sit homo præstantior, non tantum formicis, sed elephantis etiã. Nam is qui è cœlo prospicit, videt in brutis quantumuis vasto corpore, non alium principatum quàm irrationalitatem, vt sic mihi permittã dicere: in rationalibus autem rationem, quæ quidem homini communis est cum cœlitibus, & forte cum ipso Deo maximo & optimo, cuius ad imaginem non ob aliud factus dicitur, imago enim Dei rerum vniuersarum domina est ipsius siue verbum siue ratio. Deinde quasi contẽdens magis etiam deiicere humanum genus & brutis simile facere, & nihil intactum relinquere ex animaliũ historia, duntaxat quod ad præstantiam eorum persuadẽdam faciat, ait quibusdam inesse artes etiam magicas, nequid sibi homo hoc nomine placeat vt præstantior, Quod si, inquit, ob arcanã magicarum artium scientiam homo sibi videtur eximius, etiã hac parte sapientiores eo sunt serpentes & aquilæ, norũt enim multa aduersus morbus cæteráque mala remedia, & lapillo- F rum quorundam virtutes, quos pro amuleto nidis inserũt ad tuendam pullorum incolumitatem: quos lapillos homines nacti putant nõ parum accessisse suis facultatibus, Primùm nescio quomodo naturalium remediorum scientiam quam animalia siue per experientiam siue snopte ingenio cõsequuntur, magiam nominet, volgo enim in deteriorem partem hoc nomen accipitur: nisi forte vt Epicureus latenter calumniari vult totũ hoc genus & omnes qui vtuntur talibus, quæ ad magorum professionem pertinere videntur, veruntamen concedatur ei homines placere sibi cognitione rerum talium, siue hi magi sint siue non, quomodo hic serpentes potiores sunt hominibus? an ideo quòd acute cernendi facultatem & totius corporis agilitatem petunt à fœniculo, non excogitato remedio vtentes, sed parato & passim obuio, vt quod natura porrigat, at homines non instinctu naturę vt serpentes tractant remedia, sed partim vsu experiuntur, partim ratiocinatione colligunt, partim discunt ab eius scientię professoribus. Similiter & aquilę tametsi aetitem quem vocant lapidem inuentum in nidum ad tutelam pullorum deferunt, ideóne sapientes sunt magis etiã quàm homines qui vsu ratione que adiuti occultas naturę vires scrutantur,

G tur. Esto habeãt & aliæ animantes remediorum noticiam, non statim sequitur vt eorum inuentionem rationali potius quàm innatæ sagacitati debeãt. Nam si ea inuenissent rationis beneficio, non contentæ fuissent vno tantum aut altero, nec alio serpentes, aquilæ alio, & sic de cæteris: sed tam multa inuenissent quàm homines, nunc quando videmus singulis animalibus naturã attribuisse certa quædam remedia, satis apparet, nõ esse id rationis nec sapientiæ, sed naturam ingeniosam parentem sic eorum incolumitati prospexisse. Possem hic, si vellem serio cum Celso congredi, allegare Solomonis prouerbia, vbi sic legitur: Quatuor sunt minima terræ, eadémque sapientiora sapientibus, formicę populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi: erinacei plebs inualida, collocans in petra cubilia: regem locusta non habet, tamen egreditur vno agmine: stellio manibus repens captu facilis, & habitat in regum palatiis. Sed hæc non tanquam aperta adduco, imò vt decet in libro prænotato tali titulo videlicet Parœmiarum, perscrutor tanquam ænigmata. Solent enim hi viri quæcunque aliud præ se ferunt, aliud subsignificant penitius introspicientibus, in multas species diuidere, inter quas sunt & parœmiæ. Quapropter in euangeliis no-
Ioan.16. stris legimus seruatorẽ nostrum dixisse. Hæc in parœmiis locutus sum vobis: aduentat hora quando non amplius
H loquar vobis in parœmiis. Itaque non istæ quas videmus formicæ sapientiores sunt sapientibus, sed quos parœmia significat. Idem dicẽdum & de cæteris animalibus: quamuis Celsus existimet simplicissime scriptos Iudæorum & Christianorum libros ita vt vel plebeio lectori pateant, & violẽre ad allegorias torqueri præter autorum sententiam. Itaque his quoque refelluntur eius calumniæ, refellitur & opinio de serpentibus aquilisque homine vt ipsi videtur sapientioribus. volens porrò euincere, ne religione quidem homines antestare cæteris animalibus, sed & à brutis quibusdam Deum intelligi, cum tantopere variatum sit opinionibus de Deo vel inter acutissimos homines tam Gręcos quàm barbaros, sic loquitur: Quod si ideo præstãtior putatur homo cæteris animalibus quia Deum intelligit & agnoscit, ne hic quidem cessura sunt ei multa animalia, & merito, quid enim diuinius quàm præscire futura præmonstraréque? at istam præscientiam homines ab aliis animalibus discũt, præsertim auibus: & quotquot intendunt earum significationibus, hi diuini sunt, quòd si aues & similia quicquid ex Deo præcognoscunt nobis per signa indicant, apparet tanto maiorem familiaritatem his intercedere cum superis, tantóque sapientiora esse & Deo charissima. Aiunt prętereà viri prudẽtes etiam colloquia inter aues fieri, dubio procul laetatiora nostris: eáque se intelligere, & quod intelligant declarare, indican-
I do hoc aut illud facturas aues aut abituras aliquò ita vt prędixerant: elephantis autem nihil circa iusiurandum religiosius videtur, adeo non diffidunt interposito numini, omnino quia habent eius noticiam. Vide hic quomodo multa quę ad diuinationem ex auibus aliisque animalibus attinent, siue ea hominum inuenta sunt siue dęmonum, de quibus tamen nec inter Gręcos philosophos nec inter barbaros conuenit, iste pro confessis arripit. Primũ enim quæritur sit ne ars auguralis, & sitne oino diuinatio per animalia, an nulla sit. deinde qui concedunt esse diuinationem per aues, de causa eius non consentiunt: quoniam alij per dæmonas aut deos artis huius præsides aiunt moueri, aues quidẽ ad volatus varios vocesve, reliquas vero animantes ad motus tales aut tales: alij putant ipsas brutorum animas suapte quadam diuinitate ad hoc idoneas, quod est incredibile: proinde si Celsus volebat tantam diuinitatem & sapientiam brutis astruere vt hac parte potiora sint hominibus, debuerat prolixius approbare nobis auguralem scientiam, & tollentes eam refellere argumentis grauibus, nec leuioribus eos qui aiunt à dæmonibus diisve ad significandum moueri animalia, ac tum demum de brutorum anima diuinitatis capace cõtendere. sic enim vt viro imbuto philosophia rationes adducenti verisimiles testificassemus pro viribus, negantes bruta sapientiora hominibus: & falsum ostendentes quòd cogitationes no- K
stris sanctiores habeant, quódque sacra quædam inter se celebrent colloquia. Nunc iste qui crimini nobis vertit quòd credimus deo vniuersorum domino, postulat vt credamus animas auium habere diuiniores & præclariores cogitationes quàm hominum: id si verum est, aues melius de deo quàm Celsus sentiunt. nec mirum cum Celsus tantopere hominem extenuet. nam ipsius opinione aues habent sublimiores ac diuiniores cogitationes non modo quàm nos Christiani & eisdem scripturis vtentes Iudæi, sed quàm Græcorum theologi. erant enim homines. Ergo iuxta Celsum capaciores diuinæ naturæ sunt alites præpetes & oscines, quam Pherecydes, Pythagoras, Plato, Socrates: vt iam discendi causa frequentandæ sint auium scholæ non philosophorum, vt quemadmodum hominibus futura significant, sic earum magisterio docti desinant de rebus diuinis ambigere, percipiántque tam claram de deo quàm ipsæ habent sententiam. Sed tales magistros Celso relinquamus, hominibus in sapientia prælatos ipsius iudicio, imò ipsis philosophis: nos vero paucis ei respondebimus, coarguendo eius vanitatem erga conditorem ingratissimam: qui cum in honore esset non intellexit: propterea auibus quidem aliisve animantibus quas putat diuinitatis participes comparatus est, sed illis vltro cedens honoratiore loco seipse posthabuit, L
maiore quàm Aegyptiorum delirio, bruta pro diis venerantium. Quærendum igitur ante omnia, sit ne aliqua diuinatio ex auibus aliisve animalibus quæ obseruantur ab huius scientiæ professoribus, an verius nulla sit. sunt enim argumenta in vtramque partem non contemnenda: altera quæ pudendum uideri faciunt, si homines ratione prædití malint consulere alites quàm oracula, dæmonum: altera multis fulcita testimoniis, quòd multi auspiciis parendo euaserint pericula maxima. Sed esto aliquam esse artem augurum, ut qui hoc credunt, discant etiam hoc concesso, longe præstantiorem brutis esse hominem, etiam his quæ consuluntur ab auguribus, adeo vt ne conferenda quidem sint. Dicendũ igitur, si tantam haberẽt diuinitatem futurorum consciam, vt ex eo quod sibi superſit possint etiam hominibus consulere, sine dubio primum omnium sibi prospicerent, cautéque volarent nec inciderent in laqueos aut retia quæ sibi tenduntur ab hominibus, neve scopus fierent iaculatoribus: & aquilæ præuidentes serpentum insidias, vel hominum ad lusus, aut in vsum aliquem pullos suos captantium, nunquam ibi nidificarent, vbi non putarent tutos ab insidiis: denique nullum ex his animalibus capi posset ab homine, vt diuinius ipsum & sapientius. Sed & si alites pugnent cum alitibus, augurales certe aues & bruta sensum diuinitatis futurorumque præscientiam habentia, M
si Celso credendum est, significarẽt ea cæteris: neque passer ille Homeri nidolasset eo loco, in quo draconi præda & cibus fieret vnà cum suis pullis omnibus: & draco ille cuius alibi idẽ meminit cauisset ne corriperetur ab aquila. Versus admirandi poetæ de priore sunt hi: Quo tempore visum.

Est ingens nobis monstrum, draco terga cruentis
Distinctus maculis, ara sublapsus ab imo
Prosilit pede: sic Saturnius ipse volabat.
Ipse vago lapsu ramos amplexus, in altum
Euasit platanum, tetigitque cacumina: quorum
Nidus in arce fuit, numero bis quatuor intus
Passeris includens pullos: qui frondibus altis
Hærentes, exultabant implumibus alis.
Quos omnes vano matrem stridore vocantes,
Cum draco pestifero depastus dente fuisset,
Ipsam etiam matrem circum sua pignora frustra
Solicitas querulis quatientem vocibus alas
Corripuit, atróxque auidam demisit in aluum.
Protinus in saxum mutatum Iupiter ipsum

Conspi

A *Conspicuum posuit. Sed nos horrenda Deorum*
Constitimus stupido mirantes omnia visu:
Pracipue quanam ratione ad sacra Deorum
Tam dirum venisset opus monstrúmque nefandum. De secundo vero hi:
Hac inter super ecce volans Iouis ales acutis
Vnguibus inuoluens maculosum terga draconem,
Immanémque & seminecem, qua parte sinistra
Troiani hostiles certabant vellere muros
Circuit, ille ferox conuerso gutture retro,
Imprimit in summo raptricis pectore dentes:
Illa dolore amens, resolutis vnguibus anguem
In medios Troas demisit, & inde volatu
Quàm potuit celeri se proripit ales in auras
Ingenti clamore sonans, hac monstra videntes
Troiani trepidare omnes, & credere laeuum Augurium Iouis esse.

Ergo aquila erat diuina, draco vero (nam & hunc obseruant augures) non ita: nisi quis ex euentu côiecturam sumés dicat, etiam draconi eandem facultatem fuisse quã B aquilæ, cuius vngues alioqui non potuisset euadere. Sunt & alia plurima exempla, ex quibus colligitur, non præscientiam inesse brutorum animę, sed vt Poeta loquitur, & vulgus credit, Saturnium hæc in conspectum hominum mittere. Quin & Apollo accipitris auspicio quædam significat, & is dicitur huius Dei celer núcius. nostra autem opinio est, malos quosdam dæmonas, Titanicos vt sic dicam & Giganteos, per impietatem desciuisse à Deo vero eiúsque angelis: itaque præcipitatos è cœlo volutari humi circa crassiora & impuriora corpora, perspicaces tamé in rebus maximis, quòd nudi sint terrenis corporibus: hi talibus negotiis occupati, vt humanum genus abducant à vero Deo, insinuant se animalibus feris rapacitate notis & vafricie, eáque mouent ad quidlibet arbitratu suo: aut spectra quędam horum ipsorum animalium oculis humanis obiiciunt volantia vel aliter se mouentia, vt homines præoccupati huiusmodi diuinationibus non quærant Deum rerum omnium dominum, ne veram pietatem examinent, mentémque suam in terram deiiciant ad alites, dracones, volpes, & lupos. Obseruatum est enim à talium peritis, euidentiora præsagia per huiusmodi animantes fieri, quòd dæmones non possint in mansuetioribus vim suam exercere ęque atque in illis propter similem maliciã: C quę tamé in animalibus non est proprie malicia, sed quiddam simile. Vnde hoc quoque siquid aliud in Mose admiratione dignum existimo, quòd consideratis animaliú differentiis, siue diuinitus edoctus quid cognationis cum quibus dæmonibus habeant singula animalia, siue suapte sapientia peruestigatis eorum ordinibus, omnia pronunciauit impura è quibus præsagia sumunt Ægyptij cæterique homines: reliqua vero quæ non sunt huius generis pura ferè omnia: & in ordine impurorum censentur apud eum lupus, vulpes, draco, accipiter, aquila, & his similia: & maxima ex parte non solum in lege, sed & in prophetis inuenire licet id genus animalium exempla proponi ceu pessimorum, nec vnquam in bonam partem lupum aut vulpé accipi. itaque videtur quæque dæmonum species habere inter animalia quampiam speciem sibi similem. Et quemadmodum inter homines aliis alij sunt potentiores, non semper quia meliores: ita fieri potest vt dæmones dæmonibus sint potiores in rebus indifferentibus, vtentes aliis animalibus alij quo decipiant homines, iuxta voluntatem principis huius seculi, vt eum scriptura nominat, nunc hęc nunc illa mittentes prodigia. Ac vide maliciam dæmonú, quomodo etiam è mustelis quidam aptent præsagia: & tecum ipse reputa, vtrum sit credibilius à Deo moueri augurales aues, tum quicquid obseruatur in auspiciis: an malos dæmonas vim suam in eis exercere, cum possint etiam in hominibus, sicut in sacris literis legitur de arrepticiis infessis ab impuris (vt ipsæ vocant) spiritibus. Quod si pro D pterea diuina est auium anima, quia ex harum obseruatione fata prædicuntur, quin potius de hominis anima sic sentimus, quando ex horum verbis sumuntur omina? Diuina igitur iuxta hos fuit apud Homerum ancilla pistrinaria sic procis ominans.

Extremam iubeat cœnam illis Iupiter esse.

Et hæc quidem diuina fuit, non item Vlisses amicus Mineruæ homericæ, sed intellecto ancillæ omine gaudebat vt Poeta ait:

Omine lætatus gaudebat diuus Vlixes.

Quodsi aues diuinam habent animam, & Deum sentiunt, vel Deos vt Celsus loquitur, nimirum & nos homines quoties sternuimus, ea diuina quadam affectione animę id facimus. sic enim creditur multorum testimonio: vnde illud Poetæ, Precanti sternuit omen: Et Penelope sic inquit:

Certum sternutans omen mihi nate fecisti.

Atqui verus Deus ad significanda futura nec brutis vtitur nec istis quæ homini fortuito accidunt, sed animas hominum in hunc vsum elegit purissimas & sanctissimas, quas numine suo correptas reddit fatidicas. quapropter cumprimis mirifice in lege Moysis præcipitur: Nec augur nec Leuit. 19. auspex sit inter vos. & alibi: Nam gentes quas dominus Deus tuus delebit à facie sua, ipsę omnia obseruant & au- E guria. tibi auté non ista dedit dominus Deus tuus. ac mox Deut. 18. subiungit: Prophetam exoriri faciet dominus Deus tuus è Num. 23. fratribus tuis. Et olim Deus per augurem abrogare volens fidem auguribus, afflatum eum suo spiritu iussit in hęc verba prorumpere. Non erunt auspices in Iacobi progenie, nec in Israelitis auguria. Tempestiue Iacob admonebitur, & Israeli verbum suum Deus ratum faciet. Hæc & similia cum non ignoremus, damus operam vt arcanum illud mandatum seruemus: Modis omnibus custodi cor Prouer. 4 tuum: ne forte in mentem nostram obrepat aliquod dæmonium, aut spiritus aliquis aduersarius flectat cogitationes nostras pro suo libitu: precamúrque vt illustret corda nostra lumen cognitionis gloriæ Dei, inuisente nostram imaginatiuam facultatem Dei spiritu, & suggerente co- Rom. 8. gitationes dignas Deo. Nam quotquot spiritu Dei ducútur, hi filij Dei sunt. Sciendum autem præscientiam futurorum non esse rem omnino diuinam: est enim per se indifferens, vt quæ cadat in malos æque ac bonos. itaque etiam medici ea arte sua præuident quædam etiamsi malis sint moribus: gubernatores item etiamsi nequam sint habent sua prognostica vnde futuras tempestatum mutationes colligunt experientia docti & diutinis obseruationibus, nec tamen ideo pro diuinis habentur si sint improbis moribus. Falsum est igitur quod Celsus dicit, quid præsci- F entia prænunciat inneque futurorum diuinius? falsum ité, multa brutorum conari coguare de Deo: nullum enim brutum de Deo quicquam intelligit. falsum & illud, bruta maximam familiaritatem habere cum Deo, quando etiam homines alioquin excellentes, si mali sint, longissime absunt à consuetudine cum Deo, quæ solis vere sapientibus & sincerè piis conceditur: quales nobis sunt prophetæ & in his Moses, de cuius magna puritate scriptura testatur dicens: Moses solus accedet ad Deum propius, Exod. 19 reliqui non accedent. Iam illud quam impie dictum est ab isto nos accusante vt impios, bruta non solum sapientia esse hominibus, sed Deo quoque chariora quam homines: quod quis non abominetur, draconem, vulpem, lupum, aquilam, accipitré magis dilectos esse Deo quam naturam hominum? nam si hoc verum esset, necessario consequeretur, Socratem, Platonem, Pythagoram, Pherecydem, viros diuinos & tantopere laudatos minus quam has animantes charos esse Deo: quæ fœlicitas in Celsi caput vertat vt cum iis ex æquo Deo charus sit, fiátque ipsorum similis, quæ sua sententia hominibus prætulit. nec tamen putet sibi male precatum. quis enim non optarit fieri quã simillimus his quos putat Deo longe charissimos, vt & ipse ametur à Deo? Adhęc contendens colloquia brutorum

G sanctiora esse quàm nostra, dicit hoc ex autoritate non quorumuis sed prudentium, ergo bonorum, quando nemo malus prudens est, proinde sic loquitur: Aiunt viri prudétes etiam colloquia inter bruta illa fieri, dubio procul sacratiora nostris: eáque se intelligere satis declarata ipsa re, indicando hoc aut illud facturas aues, aut abituras aliquo, ita vt prædixerant. Si veritatem consideremus, hoc nemo dixit sapiens, nemo prudens putauit sanctiora brutorum colloquia quàm hominum: alioqui iuxta rationes Celsi sanctiora erût quàm grauissimæ disputationes Pherecydis, Pythagoræ, Socratis, Platonis, aliorúmque philosophorum, quod adeo non est verisimile, vt nihil dici possit absurdius. Sed esto esse aliquos qui ex inarticulata voce auium discentes prædicant abituras aliquò, facturásve hoc aut illud, dicemus hoc quoque dæmonas indicasse hominibus non in aliud quàm vt eos decipiant, eorumque mentem alienent à Deo, abstractam à cœlo ad terram aut etiam inferius. Porrò quod ad elephantos attinet, nescio vbinam Celsus iuramentum eorum audiuerit, esséque hos nobis religiosiores erga cæleste numen, deumque noscere. Equidem memini narrari multa mirenda de huius animalis natura & mansuetudine, nemo tamé quod sciam de elephantorum iureiurando prodidit, nisi fortasse fœdus cum homine semel initum perpetuóque seruatum intelligi vult hoc nomine: quod ne ipsum quidem verum

H est, nam & si raro, nonnunquam tamen eos oblitos consuetudinis efferatos contra homines legimus, & ob id è dominorum sententia necatos vt inutiles. Quoniam autem mos in argumentum pietatis, qua nos illis inferiores videri vult, adducit ciconias nutricationis vicem reddentes suis parentibus: respondemus ne hoc ex reputatione officij ciconias facere aut ratione aliqua, sed instinctu naturæ in brutis exemplum præbentis hominibus, vt pudeat eos gratiam autoribus vitæ suæ non referre. Quod si Celsus sciret quantum intersit ratione hæc fiant an natura, nûquam in laude pietatis ciconias anteferret hominibus, at ille contentiose palmam hanc brutis asserit, producens etiam arabicam alitem phœnicem in medium, post multorum annorum interualla in Aegyptum deuolantem, côque deferentem patrem suum defunctum in globo myrrhæ sepeliendum in fano solis. Id narratur quidem, sed naturale potest esse, si tamen verû est: & fortasse diuina prouidentia largitatem suam hominibus commendare voluit tam numerosa varietate animalium quibus ornauit mundum hunc, adeo vt non desit quod in suo genere sit vnicum, non vt ipsam autem miremur, sed eius conditoré potius. Quoniam autem post hæc omnia sic Celsus concludit: Ergo non homini hæc facta sunt, sicut nec leoni, nec

I aquilæ, nec delphino: sed quò mundus hic, ita vt opus Dei decet, esset integer & modis omnibus absolutissimus côstans ex rebus omnibus, ideo diuersa omnia, non vt inter se, sed vt vniuersitati congruant: nam hæc Deo curæ est, hanc nunquam destituit prouidentia, nec detrimentum sinit capere: hanc nec post certa seculorum interualla intermisit, nec iratus hominibus, quibus non magis indignatur quàm simiis aut muribus: nec alicubi operum suorum minatur, vt quæ singula ordine suo distributa sint: age saltem paucis ei respondeamus. Puto autem iam ex antedictis satis ostensum, quòd homini & rationali natura facta sint omnia, potissimum enim propter rationale animal omnia creata sunt. Neget igitur Celsus facta vel homini, vel leoni, vel cuicunque horum quæ enumerat: nos dicemus, non leoni quidem, neque aquilæ, neque delphino, rerum opifex hæc condidit, sed vniuersa propter rationale animal, & vt Dei hoc opus integrum absoluatur partibus omnibus, nam huic vt recte dicto assentiendum est. Sed non solam vniuersitatem Deus curat, vt Celsus opinatur: imò præter eam quicquid rationis est particeps, nec vnquam curare desinet, nam etiamsi detrimenti aliquid capiat rerum vniuersitatis propter viciatam rationalem naturam, non cessat tamen prouidétia quo minus peccatum expiet. & post interuallú temporû ad se conuertat omnia. Nec simiis irascitur aut muribus, sed homines legum naturæ transgressores pœnis castigat, eísque per prophetas

K minatur, atque etiam per eum qui aduentu suo seruauit genus hominum, vt territi ad bonam mentem se vertant, contemptores autem sermonis emédatorij pœnas vt par est luant meritas: quemadmodû Deum decet punire noxios in ipsorum vtilitatem, quibus emendatione tali opus est: cæterum quia iam quartum quoque volumen satis excreuit, hic finem sermoni faciamus. Faxit Deus per suum filium, qui ipsius est sermo, sapientia, veritas, iusticia, & quicquid ei sacræ scripturæ de Deo loquentes tribuunt, vt quintum quoque aggrediamur in lectoris vtilitaté, eúmque absoluamus ipsius fauore aspirante nostro animo.

LIBER QVINTVS.

Non studio vetitæ loquacitatis, quæ non potest peccatum effugere, iam quintum librum côtra Celsi scripta incipimus sacer Ambrosi, sed pro viribus conátes nihil eius dictorum inexaminatum præterire, præsertim sicubi videtur nô stulte accusare nos aut Iudæos, certe si possemus penetrare conscientias quorumlibet qui in eius libros inciderunt, & extrahere tela sauciantis non satis munitos armatura Dei, admoneréque rationale remedium inflicto per

L Celsum vulneri, perlibenter hoc faceremus, nunc quoniá hoc Dei solius opus est, per spiritum suum vnà cum Christi spiritu adire quos aduentu suo dignatur: nobis auté qui conamur verbis & scriptis homines ad fidem adducere, animus est per omnia curare vt vocemur operarij sine ignominia recte sectátes sermonem veritatis, & in primis argumenta quæ Celso videntur verisimilia dissoluere, bonáque fide iussa tua exequi: age pergamus reliqua conuellere, propositis eius verbis quæ deinceps sequuntur post iam confutata, recte an secus penes æquum lectorem esto iudicium. Deus faxit ne mens nostra eius adspirationis vacua disputationé hanc tractet, vt fides eorum quibus prodesse optamus, non sit in humana sapientia: sed accepto Christi spiritu, ab eo qui solus eum dat pater, adiuti in percipiendo verbo Dei, demoliamur omnem altitudinem attollentem se contra Dei noticiam, simulque fastum Celsi quo aduersum Iesum nostrum Mosémque & prophetas erigitur: vt eo qui dat verbum euangelizantibus virtute multa, nobis quoque id præbente, multámque virtuté donante, apud lectores fidé impetremus per verbum atque virtuté Dei. Ac primùm aggrediemur verba eius hæc: deus ô Iudei & Christiani deique filius nullus vnquam descen-

M dit, nec potest descendere: quòd si de angelis eius loquimini, quinam illi sint dicite: diui ne, an genus aliud, mirum ni dæmones. Hactenus ad toties eadem repetendo obtúdentem Celsi loquacitaté, cui iam sæpius responsum est in superioribus, non multis verbis opus est: sufficiût enim quæ iam dicta sunt: pauca tamé è multis adiiciemus eodem facientia, licet non prorsus eadem: quibus ostendemus eum dum in totum negat vllum Deum descendisse ad mortales aut Dei filium, vulgatam quoque opinionem tollere de Deo viso inter homines, sicut ipse superius fassus est. Si enim in vniuersum verum est quod Celsus dixit: nec Deus nec Dei filius vllus vnquam descendit, neque potest descendere: manifeste vanum est esse Deos quosdam in terra cælitus delapsos vt hominibus vel oracula reddant, vel afferant morborû remedia: Non Pythius, nô Aesculapius, non alius quisquam eorum qui talia putátur facere, Deus erit è cœlo profectus: aut etiá si Deus sit, in perpetuum ad habitádam terram destinatus, & velut exul è Deorum sedibus, indignus erit Deorû consortio: & Apollo vnà cum Aesculapio suo similibúsque deitate spoliati longe deteriores habebuntur viris inter homines præcelléntibus, virtutis gratia consecratis & receptis in cœlitum numerum. Vide quo modo nostra placita volens subuertere, quamuis per totum commentarium suum dissimularit se Epicuri sectatorem, nunc furtim in eius castra transfugere deprehenditur.

A hendiτur. Itaque ſuper eſt vt lector ſcriptis eius aſſentiens aut neger vllum deum in grariam hominum deſcendere: aut ſi hoc recipere placet vt verum, mendacij notá Celſi libro inurat: Ergo ſi omnino prouidentiam tolles, hoc pacto mendaces facies in ſuis ſcriptis in quibus prouidentiæ deorúmque fit mentio. Quod ſi prouidentiam concedis, a Celſo hic diſſentiens negare deum vllum deinc filium ad homines deſcendere aut deſcendiſſe: cur non diligenter perpendis examinando quæ de Ieſu noſtro dicimus, quæque prophetæ de illo prędixerunt, vter potius credendus ſit Deus deique filius ad mortales deſcendiſſe. Ieſus ne qui tantas diſpenſauit perfecítque, an iſti qui prætextu vaticiniorum non ſolum non ſanant a ſuis vicus quos curandos ſuſcipiunt, verum etiam ipſi à ſincero caſtóque Dei cultu deficiunt, in eandémque defectionem alios quoque autoritatem ſuam ſequentes pertrahunt, ab vnius ſolius veri & manifeſti Dei cultu alienatus, ſeducendo animas eorum ad religionem deorum plurium. Quoniam autem mox quaſi reſpondiſſent Iudæi aut Chriſtiani angelos eſſe deſcenderunt ad homines, Si angelos dicitis inquit: pergitque rogare dij ne ſunt an aliud genus: ac rurſum quaſi reſponſum accipit aliud genus eſſe ad dęmonas pertinens: age conſideremus hæc quoque. Fatemur quidem & angelos eſſe miniſtratorios quoſdam ſpiritus, crebro mittente Deo commeantes ad eos homines quos manet ſalutis

B hæreditas: bóſque modo aſcendere ad puriſſima loca cœleſtia, & puriora etiam ſupercœleſtia, oblaturos preces hominum: modo rurſum deſcendere ad homines reportãdo illinc aliud in vſum ſingulorum vt quiſque dignus eſt beneficio. Hos ſpiritus angelos ex officio ſuo nominare docti, inuenimus propter diuinitatem quandam interdum deos vocari à ſacra ſcriptura, ſed non ſic vt iubeamur eos adorare aut diuinis honoribus colere, quamuis dona Dei nobis afferant. Omnia enim vota, omnes interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones deſtinandæ ſunt ad deum rerum omnium dominum, per maiorem omnibus angelis ſummum pontificem viuum verbum & deum. Gratias agemus etiam ipſi verbo, interpellabimus, vota & preces ei offeremus, modo intelligamus quomodo hęc accipiantur vel abuſiuè vel proprie. angelos enim inuocare abſque ipſorũ cognitione cuius homo capax non eſt, non videtur rationi conſentaneum. atque vt demus ab homine comprehendi miram quandam & arcanam eorum noticiam, officiorumque quibus funguntur ſinguli: hoc ipſum cohibebit nequis audeat preces offerre niſi ſoli domino Deo, qui vnus omnibus abunde ſufficit, per ſeruatoré noſtrum Dei filium, verbum, ſapientiam, veritatem, & quicquid de eo prophetarum apoſtolorúmque Ieſu literæ prædicant. & hoc nobis angelos Dei reddit ſatis propitios, vt libenter pro nobis faciant omnia, quod quantum huma-

C na natura fert bene affecti ſumus erga deum, imitando in hoc angelos, qui & ipſi deum imitantur: & quod filiũ eius verbum quantum poſſumus complectimur, quamuis melius intellectum à ſanctis angelis, contendentes tamen ad clariorem indies eius noticiam. At iſte vt noſtrarum ſcripturarum ignarus, ſibi ipſe pro nobis reſpõdet, quod aliud genus quàm deorum eſſe dicamus deſcendentes ad benefaciendum mortalibus angelos, nimirum dæmonas: ne id quidem videns quòd non ſit hoc vocabulum medium vt hominum, inter quos alij boni ſunt, praui alij neque bonũ quale deorũ, accipiendo non pro malis genus, aut ſtatuis, aut animalibus, ſed pro deũ noſcentibus reuera diuinis & beatis: ſemper auté ſignificet malos & impoſtores genios randos craſſiore corpore, qui homines à vero Deo rebútque cœleſtibus detrahunt ad hæc humilia. Poſt hæc de Iudæis ſic loquitur: Ac primùm Iudæos merito demiror, ſi cum cœlum & cœlites angelos venerentur, auguſtiſſimas eius partes potentiſſimáſque, ſolem, lunam, aliáſque ſtellas vel errantes vel fixas neglectim prętereant: quaſi fieri poſſit, vt quod totum deus eſt, partes deitatis expertes habeat: aut quaſi eos, qui cæcutientibus & malis artibus deditis obuerſantur in tenebris per obſcuras ſomniorum imagines, bonum ſit colere: hos vero qui tam clare nobis diui-

nam ſuam maieſtaté ingerunt prędicendo pluuias, æſtus, D nubes, adoratáque nonnullis fulgura, & fruges prouẽtúſque omnes depromunt, conſpicuos ſummi Dei pręcones, & vere cœleſtes angelos, pro nihilo ducere. Hic mihi Celſus videtur cõfuſe vt male intellecta ſcripſiſſe, liquet enim Iudæorum placita examinantibus, & Chriſtianorum ad illa conferentibus, quod Iudæi legi obtemperantes dicenti ex perſona Dei Non habebis deos alios pręter me: non facies tibi idolum nec vllam ſimilitudiné quæ in cœlo ſunt *Exod. 20* ſupra, eorúmue quæ in terra infra, aut ſub terra in aquis ſunt: non adorabis ea neque coles: nihil aliud colũt quam deum vniuerſorum dominum, creatorem cœli rerúmque omnium. æque manifeſtum eſt quod qui iuxta legem viuentes creatorem cœli colunt, cœlum ipſum pari honore *Deut. 4.* non dignãtur. quin & cœleſtes angelos nemo adorat qui ſe legi Moſis ſubdidit: & ſicut ſolem lunámque & aſtra ornamenta mundi adorare non audent, ſic nec cœleſtes angelos inhibiti lege ſic præcipiente: Ne ſuſpiciens in cœlum viſo ſole, luna, cæteriſque ſtellis, quibus mundus ornatur, in errorem lapſus adores ea coláſque pro numinibus quæ attribuit dominus Deus tuus vniuerſis gentibus. Hoc licet inconceſſum ipſe ſibi ſumens, quòd Iudæi cœlum adorent, infert abſurdum aliud, accuſans eos qui cum cœlum adorent, grauentur tantundem honoris deferri ſoli, lunæ & ſtellis: quaſi fieri poſſit vt quod totum Deus eſt, E partes deitatis expertes habeat: totum dicens cœlum vt videtur, partes vero eius ſolem lunam & ſtellas. Atqui nec Iudæi nec Chriſtiani cœlum eſſe deum pronunciant: ſed demus eſſe verum quod dicit, cœlum à Iudęis haberi pro Deo: demus etiam partes cœli eſſe ſolem, lunam & aſtra, quod nequaquam verum eſt, nam nec terreſtria animalia ſtirpes ve partes terræ ſunt: vnde vel ex Græcorum placitis euincet, ſi totum ſit Deus, etiam partes eius eſſe numina. Certe totum mundum deum eſſe dicunt, Stoici quidem primarium, platonici vero ſecundarium: nec deſunt qui tertium inter deos locum ei aſſignent. Ergo iuxta horum opinionem quia mundus vniuerſus Deus eſt, partes quoq; erunt dij: nec ſolum homines, ſed & bruta & ſtirpes. Quod ſi inter partes mundi & montes ſunt & flumina & maria, totus autem mundus Deus eſt, iam & flumina dij ſunt & maria: id quod ne Græci quidem dicturi ſunt, ſed præſides eorum vel deos vel dæmonas nominant. atque ita etiam iuxta Græcorum duntaxat prouidentiam aſſerentium ſententiam, falſa erit illa vniuerſalis Celſi propoſitio, quidquid totum Deus eſt, eius partes quoque eſſe numina. alioqui conceſſo verum eſſe quod ait mundum eſſe deum, ſequetur vt quicquid in eo eſt, numerum deorum augeat cum pars mundi ſit, etiam animalia, ne muſcis quidem exceptis & ſciniphibus & vermibus, omníque ſerpentiũ ſpe- F cie, tantóque magis aues, piſces: quod Iudæis etiam ſi mũdum deum faterentur, per Moſis legem non liceret concedere, quantumuis nihil recõditioris ſenſus in ea noſcentibus: imò ne cœlo quidem Dei naturam tribui permitteret aut angelis. Quoniam autem diximus eũ perturbatũ quibuſdam parũ intellectis, age hæc quoque declaremus pro viribus, oſtendamúſque falli Celſum qui putat cœlũ à Iudæis adorari aut angelos, cum id ab eorum religione ſit alieniſſimũ, perinde atque ſolis, lunæ, ſtellarum, ſtatuarũ adoratio vetita ipſorum legibus. Extat apud Hieremiam ſermo Dñi, per prophetam expoſtulantis cum Iudæorum populo quòd adorent talia, & reginæ cœli ſacra faciant omníque cœli militiæ: Chriſtianorum etiam ſcripta idem crimen Iudæis obiiciunt, quòd propter talia peccata deſerti ſint à Deo. Sic enim in Actis apoſtolorum de eis ſcri- *Amos 5.* ptum eſt: Conuertit ſe autem Deus, & tradidit eos, vt colerent militiam cœli, ſicut legitur in libro prophetarum: Num victimas & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto domus Iſrael? & ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſidus Dei veſtri Remphá, figuras quas feciſtis ad adorandum eas. Paulus item exquiſite doctus in Iudęorum literis, ac poſt miraculoſa viſione ad Chriſtum conuerſus, ſic Coloſſenſes alloquitur: Nequis vobis palmã in- *Col. 2.* teruertat data opera per humilitaté & ſuperſtitioné ange-

G lorum, in his quæ non vidit fastuosus incedens, frustra inflatus à mente carnis suæ: nec obtinens caput, ex quo totum corpus per commissuras & compagines subministratum & compactum, augescit augmento Dei. Hæc cum nec legisset nec audisset Celsus, nescio quomodo inducit Iudæos saluis ipsorum legibus adorantes cœlum & cœlestes angelos, præterea pari ignorantia confusus, nec diligenter considerato hoc loco, putauit Iudæos per carmina magica euocatis quibusdam angelorum spectris persuasos vt adorarét cœlestes angelos, non intelligens quod & id præter præscripta suæ legis fecissent dicentis, Non sectabimini ventriloquos, & incantatoribus non adhære-
Leuit. 19. bitis vt polluamini ab eis: ego dominus Deus vester. Debuerat igitur aut in totum tacere hæc de Iudæis si legem seruantes intelligi voluit: aut addere præter legem suam ista facere solitos. Sic etiam præuaricatores legis excæcati malis artibus in tenebris adorant obuersantes sibi per somnum obscuras imagines: iidemque astris sacra faciunt: nec cohærent quæ dicit, cauere illos ab adoratione solis, lunæ, stellarumque, cum angelos adorare non sit eis religio. Quòd si à nobis quoque, qui nec ipsi angelos adoramus, postulatur ratio, cur non colamus solem, lunam, sidera, aliosque quos Græci conspicuos Deos nominant & sensibiles: dicemus in Mosis lege haberi: Deum hæc attri-
H buisse vniuersis géribus quæ sub cœlo sunt: at nó iis quos peculiarem portionem selegit sibi ex omnibus terræ po-
Deut. 4. pulis. Scriptú est certe in Deuteronomio: Caue ne suspiciens in Cœlum viso sole, luna, stellisque cæteris quibus múdus ornatur, in errorem lapsus adores ea colásque pro numinibus: quæ attribuit dominus Deus tuus vniuersis gétibus, quæ degunt sub cœlo. Nos auté assumpsit Deus, & eduxit nos ex Aegypto fornace ferrea, vt essemus populus eius peculiaris & hæreditarius sicut in die hac, itaque cum genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitus vocati sint à Deo Hebræi, de quo voce ipsius domini Abrahamo prædictum si fuerat: Suspice in cœlum, & numera stellas si potes: sic erit semen tuum: spem habentes fore vt æquentur stellis numero, non poterant adorare eas, ad quarum multitudiné non nisi per obseruationem legis peruenire poterát. Dictum est enim eis: Dominus Deus noster multiplicauit vos, ecce estis hodie tam multi quàm cœli sidera. Daniel propheta vatici-
Daniel. 12. natur talia de resurrectione: Et in tempore illo saluabitur populus omnis qui scriptus est in libro & multi ex his qui dormierunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium & ignominiam æternam, qui autem docti fuerint fulgebunt tanquam splendor firmamenti: & qui ad iusticiá erudiunt plurimos, quasi stellæ
I in perpetuas æternitates & amplius. Vnde sumptum est & quod Paulus inquit: Sunt corpora cœlestia, sunt corpo-
1. Cor. 15. ra terrena: sed alia cælestium gloria, terrestriú alia, alia est claritas solis: alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, stella enim à stella differt in claritate: sic & mortuorum resurrectio. Itaque non decebat eos qui didicerant generosa omnem creaturam transcédere, spetaréque à Deo præclara bene actæ vitæ præmia, audieránique vocem illam. Vos
Matt. 5. estis lux mundi: &, Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum cælestem: contendebántque studijs feruentibus ad immarcescibilem illam sapientiam, aut iam perceperant, eam inquam quæ æternæ lucis splendor est, obstupescere ad solis, lunæ stellarumque lumen sensibile, intantum vt propter id se inferiores existimarét, cum ipsi habeant tantam lucem intelligibilem, lucem veram, lucem mundi, lucem hominum: adoraréque illa à quibus adorari potius merétur, non propter sensibilem lucem, sed propter illam veram & intelligibilem. Siquidem etiam cœlestes stellæ animalia sunt rationalia virtute prædita, illustrata cognitionis lumine à sapientia illa quæ est splendor sempiterni luminis. Etenim sensibile earum lumé opus creatoris est: intelligibile autem fortassis & ipsorum, profectum à voluntate propria. Et tamen nec ipsum adorandum est ab eo qui verum lumen videt, cui lumini debent omnia quæ-

cunque eius participant, nec ab eo qui Deum videt patré K veri luminis, de quo pulchre dictú est: Deus est lux, & tenebræ nullæ sunt in eo. Et quemadmodum isti adoratores 1. Ioan. 1.
solis, lunæ, stellarumque, & admiratores eorum luminis, nunquam adorarent scintillam ignis aut lucernam in terra, videntes incomparabiliter præcellentiora quorum lumen adoratione dignantur: ita qui intelligunt quomodo lumen sit, & quomodo filius eius lux vera sit illustrans omnem hominem in hunc mundum venientem & intelligunt etiam illud dictum: Ego sum lux mundi: immerito adorarét paruam velut scintillã solis, lunæ, astrorumque, si conferatur ad verum illud lumen quod Deus est: non Ioan. 8.
quod contemnant tam egregium Dei opificium, aut sicut Anaxagoras globum ignitum solem existimér, lunámque & astra cætera, sed mori præstantia inenarrabili, qua Deus longe post se relinquit cætera omnia, sicut & vnigenitus eius filius. Nec ignorantes quod ipse sol, luna stellæque preces offerant Deo rerum omnium domino, iudicamus non opus esse vt precibus sollicitemus eos qui ipsi precátur, quandoquidem id gratius est eis, si precaturi Deum potius accedamus quàm se, & preces nostras non diuidamus. Hoc loco libet exemplum adducere. Seruator noster & dominus, appellatus aliquando præceptor bonus, ad patré suum remittens eum qui se sic appellauerat, inquit:
Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi vnus Deus, meus L
pater, quod si id recte vt imago bonitatis Dei dixit dilectis- Mat. 19.
simus patris filius, annon iustius sol diceret suis adoratoribus: Quid me adoras? Dominum Deum tuum adorabis, & Math. 4.
ei soli seruies, quem & ego & omnes qui mecú sunt, adoramus ac colimus, quod si quis tantum non est, nihilominus etiam talis cum precibus adeat Dei sermoné qui eum sanare potis est magisque etiam patrem ipsius, qui & priscis iustis emisit verbum suum & sanauit eos, & liberauit eos è corruptionibus eorum. Deus igitur pro sua bonitate non localiter sed per prouidentiam condescendit hominibus: & eius filius, non solum tunc, sed & semper cú suis est discipulis, iuxta promissioné illam: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Matt. 28.
Et siquidem palmes non potest fructum ferre nisi in vite maneat, liquet quod etiam verbi discipuli, intelligibiles veræ vitis, hoc est verbi, palmites, non possunt proferre fructus virtutis, nisi maneát in vera vite Christo Dei, qui etiam localiter nobiscum in terra versari dignatus est, velut cum adnatis sibi vndique: iam vero etiam nescientibus eum adest vbique, quod Ioannes euangelista ex persona Ioannis baptistę indicat dicentis: Medius vestrum stat, quem vos nescitis, post me veniens. Absurdum autem esset, cum is qui cœlum & terram implet dicés, Nonne cœ- Heb. 13.
lum & terram ego impleo, ait dominus: nobis pręsto sit Ibidem.
& in proximo: credimus enim dicenti. Deus propinquans M
ego sum non Deus longinquus, ait dominus: quęrere cui vota facias non semper vbique pręsentem solem, lunam aut stellã aliquam. Esto autem (vt Celsi verbis vtar) pędicere nobis solem lunam ac stellas futuras pluuias, ęstus, nubes, tonitrua: annon ergo si pędicunt talia, Deus potius adorandus est cuius iussu pędicunt, illéque potius obseruandus qui his vtitur pro vatibus? Pędicant & fulgura & fructus omnésque prouentus, depromant omnia talia, non tamen eos adorabimus ideo, sicut nec Mosen posterioresque Dei prophetas, qui pędixerunt meliora quàm pluuias, ęstus, nubes, tonitrua, fulgura, frugésque & prouétus sensibiles: imò etiamsi sol, luna stellęque meliora vaticinarentur quàm pluuias, ne tum quidem eos adoraremus, sed patrem pędictionum autorem, eiusque ministrum verbum Dei. Sed demus eos etiam pręcones eius esse veréque cœlestes angelos: qui poterimus hos potius adorare quàm eum cuius sunt pręcones & angeli? Hoc autem ipse sibi pro confesso sumit Celsus, quòd solem lunam, stellásque habeamus pro nihilo, cú fateamur ab ipsis quoque expectari reuelationem filiorum Dei subiectis in pręsens vanitati materialium corporum, propter illú qui ea subiecit in spe. Atqui si sciuisset Celsus pręter innumera alia quę de sole, luna stellisque pædicamus, vel illud,
Laudate

A Laudate eum omnes stellæ & lumen: vel illud, Laudate
Rom. 8. eum cœli cœlorum: nunquam de nobis pronunciasset, tantos laudatores Dei haberi à nobis pro nihilo. ac ne id quidem nouit, quod expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Hactenus satis responsum sit ad id quod negat nos solem, lunam, stellásque colere: iam recitabimus ipsius verba quæ deinceps sequuntur, vt ad ea mox respondeamus quicquid veritatis lumen suggesserit. ea sic habēt: Stultum porrò & illud, putare Deum postquā ignem coqui more iniecerit, reliquum quidem hominum genus omne exacturum: se autē solos permansuros, non solum qui tunc viuent, sed & iamdudū defunctos in eadē carne rediuiuos emergentes è terra: quæ spes vermibus dignior est quàm hominibus. nam cuius hominis anima desideraret corpus iam putre? quando ne vobis quidē Christianis dogma hoc placet omnibus, damnatum a plerisque vt impurum, abominandum, & impossibile. nam qui fieri potest vt corpus omnino corruptum reuertatur in pristinam suam naturā & constitutionē deperditā? Hic cum nihil respondere valeant, confugiūt ad absurdissimum præsidium, Omnia esse Deo possibilia. certe turpia Deus non potest, neque naturæ contraria. nec si tu aliquid pro tua im-
B teris concupiens inepte, statim Deus id poterit, statimque id fore credendum est. nec enim inordinati erroris, sed rectæ iustæque naturæ Deus est præses. potest animæ vitā æternam largiri: sed cadauera, vt ait Heraclius, proiici digniora sunt quàm stercora. cæterum carnem refertam non di-
C cendis turpitudinibus sempiternam præter omnem rationē reddere Deus nec volet vnquam nec poterit. ipse est enim omnium quæ in rerum natura sunt ratio, & proinde tam nihil potest sine ratione, quàm sine seipso facere. Hic vide quomodo mox à principio receptam etiam apud quosdā Græcorum non contemnendos philosophos de mundi conflagratione opinionem irridens, ait nos tanquam de coquo loquentes Deum igne vrentem inducere: non intelligens Græcos aliquot, fortasse sicut ab antiquissima Iudæorum gente acceperant, opinari eum ignem esse mundi lustratorium: & forte singulorum etiam hominū quotquot opus habent ignis huius vel pœna vel remedio, vrentis & non exurentis eos qui non habent materiam cui ab illo igne consumi opus sit: vrentis item & exurentis eos qui in actionum, sermonum, cogitationúmque figurate dicto ædificio ligna fœnúmque ædificarunt & stipulam. Ait autem diuina scriptura Dominum sicut ignem conflatorium, & sicut herbam fullonum accessurum quem-
C que cui opus sit, quòd admistam habeat quandam vitiosam materiam, ignis qui colliquet confusos ex æris, stanni plumbique metallis: id quod licet ex Ezechiele propheta discere. Quod autem non vt coquus quispiam, sed vt benefactor Deus adhibeat ignem quibus hac castigatione o-
Esa. 47. pus est, testabitur & Esaias, apud quem legitur dictum esse ad quandam gentem peccatricem. Habes carbones ignis, sede super eos: hi tibi erunt auxilio. Sic autem diuinę scripturæ sapientia dispensatur vt vulgo lectorum conuenit, minus territans eos qui aliter non possunt conuerti à profusa peccandi licentia: attamen sic quoque inueniet qui obseruabit ad quem finem inducantur afflictis labores & miseriæ. In præsens sufficiet Esaiæ testimonium dictis ex
Esa. 48. persona Dei: Propter nomen meum ostendam tibi furorē meum, & gloriosa mea inducam super te, ne perdam te.

Coacti sumus autem explicare quæ simpliciter credētibus & simpliciore verborum paratu opus habentibus parum congruunt, ne non responderemus Celsi criminationi, de Deo in morem coqui ignem inferente. Ex iam dictis patet quomodo obuiandum sit & illi cauillamento, excoquendos esse omnes cæteros, ipsis solis incolumibus. Non mirum autem si de nobis sic sentit, quos stulta mūdi & ignobilia contemptibiliáque, & quæ non sunt, sacræ literæ nominant: quandoquidem per stultitiam prædicationis placuit Deo seruare credentes in se, postea quam in sapientia

Dei non agnouit mundus Deum per sapiēntiam, non va- D
lens nec volens singulos scripturarū locos articulatim disquirere, quamuis inuitante huc Iesu dicentéque: Scrutamini scripturas: & proinde sic crasse de igne intellexit, deque his quæ peccatoribus euentura sunt. Et fortasse quemadmodum paruis pueris fabulam conuenit pro captu eorum infantili, modo sic educentur ad meliora, sic istis quos scriptura vocat stultos huius mundi nulliúsque existimationis & ignobiles, conuenit expedita hæc doctrina de pœnis & castigatione, aliam emendationem non admittentibus, quam quæ metu & imaginatione mali absterret à vitiis. Itaque hæc doctrina solos immunes ab incendio fore pollicetur, qui incorruptas opiniones, mores puros, mentem denique egregiè putam conseruarint: reliquos horum dissimiles, ignis castigatione pro suis meritis opus habentes, dispensandos ad certum quēdam finem, vt dignum est eos qui ad imaginem diuinæ naturæ facti, contempta Dei voluntate non studuerint vt vita respōderet eidem imagini.
Atque hæc dicta sint de excoctione quam cauillatur huma 1. Cor. 15.
ni generis, solis nostris incolumibus. Deinde, quod vel è sacris literis non intellectis hausit, vel ex his qui eas non intelligunt audiuit, ait nos dicere, in deflagratione mundi nos solos eusuros, non tantum quotquot viuos ea clades deprehendet, verum etiam dudum defunctos: non capiēs apostoli Iesu verba per arcanam sapientiā prodentia, quod
non omnes quidē dormiemus, omnes tamen mutabimur, E
in puncto temporis, in momento oculi, in tuba vltima. ca-
net enim tuba, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos 1. Thess. 4.
quoque mutabimur. Atqui debuerat mentem hæc dicentis cognoscere, quòd vt nequaquam mortuus separat, ab illis se suísque similes, post hæc verba, Et mortui resurgent incorruptibiles: subiungens illa, & nos immutabimur. Idque in eo sensu apostolum scripsisse ad Corinthios, confirmabo per ea quæ idem scribit in priore ad Thessalonicenses vt viuens vigilánsque & diuersus à dormientibus. Hoc enim vobis dicimus in verbo domini, quòd nos qui viuemus, & reliqui erimus in aduentum domini, nequaquam præueniemus eos qui dormiunt. quoniam ipse dominus cum classico vocis archangeli & cum tuba Dei descendet de cœlo: & mortui in Christo resurgent primum: deinde nos qui viuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum domini in aera. Et quoniam comicè mordet carnis resurrectionem prædicatam in ecclesiis, apertius intellectam à sapientioribus, nec est opus iterum eius dicta repetere: age hanc quoque quæstionem tractemus quatenus decet in conflictatione cum profano homine, habita ratione paruulorum qui fluctuant ad omnem ventum doctrinæ hominum impostorum, in errorem quouis pertrahentium, quantum possumus ad captum vulgaris lectoris nos accommodan-
tes. Ergo neque nos neque diuinæ literæ aiunt mortuos è F
terra emergentes reuicturos cum ipsis carnibus nihil mutatis in melius: sed hæc mera est Celsi calumnia, audimus enim multas scripturas sic de resurrectione loquentes, vt dignum est Deo harum autore, ex quibus in præsentiarum vnum Pauli locum adduxisse sat erit ex priore ad Corin-
thios epistola, vbi sic scribit: At dicet aliquis: quomodo 1. Cor. 15.
resurgent mortui? quali autem corpore venient? Stulte, tu quod seminas non viuificatur, nisi mortuum fuerit.
Et hoc quod seminas, non corpus, quod nascetur, seminas, sed nudum granum, exempli causa, tritici aut alicuius ex cæteris.
Sed Deus dat illi corpus vt voluit, & vnicuique seminum suum corpus. Vides quomodo non corpus nasciturum ait seminari, sed nudo semine in terram iacto, Deo cuique semini dante corpus proprium, quadam ceu resurrectione nasci ex ipso sato semine, vel spicam vel sinapis fruticem, vel è maiore nucleo puta oliuæ oleam, & similiter aliam quamuis frugiferam arborem. Deus igitur vnicuique dat corpus arbitratu suo, quemadmodum satis seminibus, ita his qui dum moriuntur quasi seminantur, tempore opportuno recepturi ex illo sato corpus pro dignitate, qualecunque hos vestire Deo libuerit, audimus enim scripturā com-

G pluribus verbis docentem differentiam inter seminatum & resurgens, dum sic loquitur: Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surgit in gloria: seminatur in infirmitate, surgit in virtute: seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale. Iam illa capiat qui potest, dum dicit: Qualis terrenus, tales & terreni: qualis cælestis, tales & cælestes: & sicut gestauimus imaginem terreni, ita gestemus cælestis imaginem. Quo loco apostolus quamuis celans arcana quædam captum simplicium excedentia, nec conuenientia rudibus qui ad fidem etiamnum instituantur, tamen ne parum rectè intelligeremus eius verba, postquam dixit, gestemus imaginem cælestis, subiungit, Hoc autem dico fratres, quia caro & sanguis regnum Dei hæreditare non possunt. ac mox quasi arcano scriptis ad posteros prodito Ecce, inquit, mysterium vobis dico. quod dici solet de rebus secretioribus nec cuiuis è vulgo communicandis. nam vt in Tobia le-
Tob. 2. gitur, Arcanum regis celare bonum est: cæterum opera Dei magnificè dispensata ad vtilitatem hominum, veraciter ad ipsius gloriam reuelare bonum est. Non est igitur vermium spes nostra, nec anima nostra corpus putre desiderat, sed quamuis corpore opus habeat propter locales migrationes, tamen meditata sapientiam iuxta illud, Os
Psal. 37. iusti meditabitur sapientiam, intelligit differentiam inter domicilium terrenum in quo diuersatur, & tabernacula illa ad quæ verè iusti suspirant, grauatum hoc præsens domicilium deponentes, malentesque superindui, vt hoc
H pacto vita mortalitatem absorbeat. nam cum omnis natura corporea sit corruptibilis, oportet vt mortale hoc tabernaculum mortalitatem suam exuat, mutatáque natura mortis propter peccatum capace, immortalitatem induat: vt vbi corruptibile incorruptibilitatem induerit, & mortale immortalitatem, tunc iuxta veteres prophetas aboleatur mortis victoria, qua deuictos sibi nos subiecerat: aboleatur & eius aculeus, quo solet animabus non satis permunitis infligere peccati vulnera. Sed quoniam de resurrectione quantum in præsens satis est diximus, de qua alias prolixius suo loco disputatum est à nobis: nunc verò Celsus refellendus est, nec intelligens nostras scripturas, nec perspiciens autores earum viros sapientes non vana spe promissionum Christianarum lactatos: age ostendamus viros etiam in rationali contemplatione & dialecticis considerationibus non cõtemnendos in eadem fuisse sententia: vt si nostra sannas merentur vt humilia & anilia, illi potius deridendi sint. Certè Stoici aiunt post certas temporum vices deflagrationem huius vniuersitatis fieri, eámque mox consequi instaurationem omnia restituentem discreta similitudine nihil à prioribus differentia. Quibus autem hoc nimium visum est, aiunt admodum paruam mutationem fieri in posteriore periodo: sic enim vocant illas vicissitudines. illi aiunt rursum reuerti Socra-
I tem Sophronisci filium Atheniensem qualis superiore periodo fuerat, rursúmque Phænareten è Sophronisci coniugio illum progignere. itaque etiamsi resurrectionem nõ nominent, rem vtique eandem significant, Socratem renasciturum è Sophronisci semine & Phænaretes vtero, educatúmque Athenis philosophaturũ, quasi philosophia quoque renascente per omnia priori simili, ita futurum est vt etiam Anytus Melitusque resurgant accusaturi Socratẽ denuo, & rursum Areopagitarum senatus capitalem in eum proferat sententiam. & quod magis est ridiculum, eadem quæ superiore periodo vestimenta gestaturum Socratem in eadem paupertate degentem & in Athenis eisdem per omnia. Phalaris etiam rursus tyrannum aget, & taurus eius aheneus eisdem vt ante damnans in se inclusis aliena voce mugiet. Alexander quoque Pheræus eandem tyrannidem eadem crudelitate in eosdem exercebit quos olim damnauerat. Et quid opus est recensere hæc stoicorũ dogmata, adeò non irrisa Celso vt ea veneretur etiam, & Zenonem Iesu sapientiorem iudicet, cùm Pythagoræ Platonisque propago quamuis videantur incorruptibilẽ mũdum asserere, in similes opiniones incidant, aiunt enim statis annorum circulis stellas ad eandem quam olim habuerant configurationem & inter se respectum recurrere, & K
inde in terra quoque eandem rerum faciem necessariò cõsequi, qualis ante aliquot secula sideribus in simili statione dispositis fuerat. Necesse est igitur sideribus ex longo interuallo ad eandem stationem reuersis quam tenuerãt Socratis ætate, rursum Socratem nasci paríque eadem quæ antea passus est, eisdem Anyto Melitóque accusantibus, eisdémque Areopagitis damnantibus. Aegyptiorum item doctrina eadem tradens placita, non ridetur à Celso, sed suspicitur: nos verò qui didicimus Deum vniuersa dispensare pro singulorum opportunitate & habitu, & quãtum fieri potest in melius quæque vertere: nostræque naturæ infirmitatem agnoscimus non valentis ad diuinam illã immutabilitatem proficere, non videmur dicere quicquam dignum quod examinetur diligentius. Hæc cum dicimus, nemo suspicetur nos esse ex illo nominetenus Christianorum numero, qui fidem resurrectioni & scripturis eam astruentibus abrogant: nam in illorum placitis nusquã est è grano puro tritici spica resurgens, aut arbor ex alio semine. nos autem credentes scripturis, non viuificari quod satum est, nisi moriatur prius, & non id corpus seri quod aliquãdò futurum est: Deus enim dat ei corpus sicut vult, seminatũ in corruptione suscitans incorruptibile, & seminatũ in ignominia suscitans in gloria, & seminatũ in infir- L
mitate suscitans in virtute, & seminatũ animale suscitans spirituale: retinemus tum ecclesiæ Christi sententiam, tũ promissionis Dei amplitudinem: ídque ita fieri posse non asseueramus tantum, sed etiam confirmamus rationibus: scientes quòd etiamsi cœlum & terra quæque in eis continentur prætereant, verba tamen de singulis eorum, vt quæ vel pars totius sunt, vel generis species, nequaquam irrita prætèritura sunt, libenter enim audimus eum qui di-
xit: Cœlum & terra præteribunt, mea verba non præteri- Matt. 24.
bunt. nos igitur non aimus corruptum corpus rediturum in naturam pristinam, sicut neque corruptum granum tritici. nam sicut è grano tritici exoriri spicam dicimus, ita in corpore insitum quiddam intelligitur, quod vt ipsum non corrumpitur, sic ex eo corpus resurgit incorruptibile: quamuis Stoici asseuerent illud ipsum corruptum corpus redire in naturam pristinam, concessis semel periodis omnia eadem referentibus & instaurantibus colligentes id necessarius rationibus dialecticis. Nos certè non ad absurdissimum refugium confugimus, dum omnia Deo possibilia dicimus. scimus enim hanc vocem Omnia intelligẽdam non de non existentibus, nec de ratione carentibus. fatemur etiam Deum nõ posse turpia: alioqui Deus posset non esse Deus. nam si tẽpore quid facit Deus, non est Deus. quoniam autem iste addit quòd etiam præter naturam ni-
hil Deus vult, hanc propositionem distinguimus. aut enim M
præter naturam dicendo malum intelligit, & sic fatemur Deum nihil præter naturam velle, nec malum quicquam nec rationi contrarium. quòd si quicquid ratione & voluntate Dei fit, necessariò sequitur id non præter naturam fieri, nihil præter naturam fit à Deo, etiamsi videatur aliquibus incredibile. Quod si vis facienda est nominibus, dicimus quòd accipiẽdo naturæ vocabulum sic vt vulgus intelligit, quædam sunt super naturam, quæ facit Deus interdum supra humanam naturam attollendo hominem, mutandoque in naturam præstantiorem ac diuiniorem, conseruandóque talem quamdiu seipse præstat conseruari facilem & idoneum. Et quia semel diximus Deum nihil posse quod se non deceat, quãdo hoc deitas ipsius non admittat: dicimus etiã, si fortè quid homo pro sua nequitia stultè voluerit, id Deum non posse. Adeò verò contentiosi non sumus, sed veritatis studio Celsi dicta examinamus, vt assentiamus ei Deum non esse cupiditatibus immoderatis obnoxiũ, nec perturbationibus erroneis, sed rectæ iustæq; naturæ atque omnis honestatis eum esse præsidẽ: fatemurque illum vitam æternã animabus posse cõcedere. nec potest solũ, sed cõcedit etiam. Quapropter nihil nobis officit Heracliti dictũ à Celso citatũ, cadauera esse abiectiora quã stercora. certè homines defuncti, propter animam quæ inhabitauit in eis, præsertim si bona sit, non sunt euertendi.

oam

A nam ciuiliores leges iubent eos cum conuenienti honore funerari, ne si proiiciantur tanquam iumenta, iniuria fiat animæ egressæ ex eo domicilio. Absit igitur vt Deus velit vel tritici granum sempiternum esse, sed vtique spicam enatam ex eo: vel id quod seminatur in corruptione, sed id quod ex eo resurgit incorruptibile. Iam quod omnium rerum rationem ipsum deum dicit, nos dicimus Dei filium, de quo philosophamur illa: In principio erat verbum (siue ratio) & verbum erat apud deum, & Deus erat verbum. Illud vero assentimus, Deum neque præter rationem, neque præter seipsum quicquam facere. Nunc videamus quid deinceps in contextu verborum Celsi sequitur in hunc modum: Igitur Iudæi propria gente constituta latisque legibus, quas etiamnunc circumferunt simul cum religione qualicunque, sed tamen patria, faciunt more aliorum hominum, quorum suæ quisque patriæ instituta sequitur qualiacunque fuerint: id quod videtur etiam vtile, non solum quia leges aliis aliæ venerunt in mentem, & opus est seruari quicquid semel publicè placuit: verum etiam qui vt est credibile, partes terræ ab initio distributæ sunt aliis aliæ præsidibus velut prouinciæ. itaque in singulis rectè fit quod receptum est moribus, nec fas est violare prouinciarum instituta iam inde ab initio. Hic Celsus indicat Iudæos secessione ab Aegyptiis B facta, quorum olim pars fuerant, constituisse gentem propriam, legésque suas retinere ex illo tempore: &, ne eadem ipsius verba repetamus, vtile hoc eis vt suis ritibus vtantur, sicut cæteræ gentes suis quæque vtuntur. Ac mox reconditiorem quandam causam profert cur Iudæis instituta patria seruare expediat: subindicans esse certos quosdam terrarum præsides, qui legislatores earum adiuuent in ferendis legibus. Itaque videtur significare, Iudæorum quoque regionem & gentem subesse vnicuipiam præsidi vel pluribus, cuius vel quorum auxilio Moses suas leges pertulerit ad populum. Oportet, inquit, leges seruare, non solum quia placuit aliis eas ferre aliter, & obseruandum est quicquid approbauit consensus populi: verum etiam quia credibile est partes terræ non ab initio distributas alias aliis præsidibus, & velut prouinciatim gubernari ab eis.
Deinde quasi oblitus Celsus quàm multa contra Iudæos dixerit, nunc in vniuersali patrias leges seruantium laude ipsos quoque complectitur dicés: & certè rectè facit quisquis viuit gentis suæ moribus. Et vide an non quantum in se est, Iudæum patriæ legis desertoré impietatis arguat: dicit enim, nefas esse violare leges regionum veteres. Quapropter libenter eum & cum ipso sentientes rogarem, quisnam sit ille qui ab initio partes terræ suis præsidibus distribuit, vt inter cæteros vtique Iudæorum etiam prouincia sorte vni cuipiam pluribúsve obuenerit. Num, vt C Celsus diceret, Iupiter vni pluribúsve aliquibus attribuit Iudæorum gentem & regionem, voluitque vt qui Iudæam prouinciam sortitus esset, tales Iudæis leges scriberet: an fortè præter Iouis voluntatem hoc factum est. Vtrumuis responderet, in angustiis hæreret eius oratio. Quòd si à nemine vno distributæ sunt regiones terræ suis præsidibus, ergo temerè vt nullo diuidente, suam quisque arripuit, quod & ipsum absurdum sit credere, nimirum tolléa omnem è rebus prouidentiam. Quomodo autem & in quas prouincias distributa terra administretur à præsidibus, narret nobis qui vult, & ostendat quàm rectè fiant in singulis quæ fiunt arbitratu præsidum: tum quàm rectè se habeant Scytharum leges de occidendis patribus, quod exempli gratia dictum sit, vel Persarum non arcentes nec matres à filiorum, nec patres à filiarum connubio, sed quid opus est me varias gentium leges ex scriptoribus colligere, & dubitare per singulas quam rectè fiant ex præsidum sententia. Dicat Celsus quomodo impium sit violare leges patrias de ducendis filiabus aut matribus, aut de beato vt putant, vitæ fine per suspendiú, aut per rogum, in quem si quis viuum se mittat, aiunt purgari animam, & vná cum corpore absumi peccata omnia. quomodo nefas sit soluere leges Taurorum exempli gratia, hospites pro victimis Dianæ mactantium, aut Afrorum filios Saturno immolantium. eadem Celsi ratiocinatione sequitur impiè D Iudæos facere, si præuaricentur leges patrias de non colendo alio Deo præter huius mundi opificem: eritque iuxta ipsius opinionem fas & pium non naturale sed arbitrarium. Est enim pium apud alios venerari crocodilum, & vesci animalibus consecratis aliàs, apud alios vitulum, & rursum alios hircum pro Deo colere. atque ita fiet vt vnus & idem pius sit aliorum legibus, aliorum contrà impius: quod est longè absurdissimum. Respondebunt fortasse pietatem in hoc sitam si fiat iuxta leges patrias, quòd eatenus obligent neminem: nec statim esse impium qui ab aliis impius habeatur, modo ne discedat à ritu patrio: licetque huic aduersari legibus aliorum, & eorum sacra deuotare: id quod videndum ne magnam confusioné in ius & fas inuehat, si nullam hæc propriam naturam habeant, ad cuius formulam examinetur in factis pietas. Itaque si pietas, sanctitas, iustitia, relatiua sunt ad aliquid, vt eadem res pia sit & impia iuxta quod ad diuersas leges refertur, vide ne consequens sit & temperantiam quoque inter illa censeri quæ dicuntur ad aliquid, & fortitudinem, & prudentiam, & scientiam, virtutésque cæteras, quo nihil cogitari potest absurdius. atque hęc satis erat ad Celsi verba respondisse simpliciter & vulgari more. Sed quia fieri potest vt aliquis hæc nostra lecturus sit exquisitius, E age pauca proferamus arcanæ cuiusdam contemplationis de aliis alibi iam inde ab initio præsidibus & locis per eos occupatis, eámque opinionem repurgemus quoad eius potest fieri. Mihi videtur Celsus non rectè intellexisse hanc de diuisione terrarum doctrinam secretiorem, quam nonnihil attingit etiam Græcorum historia, inducens quosdam ex iis qui dij creduntur inter se certasse de Attica: tum apud poetas faciens quosdam ex deorum genere vsurpare sibi quædam loca vt præ cæteris familiaria: barbarica quoque præsertim Aegyptiorum historia habet quiddam simile de diuisione Ægypti in nomos quos vocant: inter quos Sain obuenisse Mineruæ quæ & Atticam possidet.
Cæterum Ægyptiorum sapientes ad fabellas hæc pertinere dicerent, fortasse quia Iudæorum quoque regio diuisa sit ad eundem modum. Et de his quidem nunc hactenus, duntaxat extra diuinas literas. Fatemur tamen quòd Moses is quem prophetam & germanum Dei famulum credimus in Deuteronomij cantico mentionem facit terræ diuisæ sic loquens: Quum diuideret altissimus gentes, & separaret filios Adami, constituit terminos gentium iuxta numerum angelorum Dei, & facta est portio domini populus, Iacobo progenitus, & funiculus hæreditatis eius Israelitæ. quin & in libro qui Genesis inscribitur, idem Moses de hac gentium distributione historicè sic prodit. Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorundem. Quúmque proficiscerentur de oriente, inuenerunt campum in terra Senaar, & habitauerunt in eo. Et paulo post, Descendit, inquit, dominus vt videret ciuitatem & turrim quam ædificabant filij hominum. & dixit dominus: Ecce vnus est populus & vnum labium omnium, & istud cœperunt facere, nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant. venite descendamus & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.
Atque ita diuisit eos dominus ex illo loco super faciem cunctarum regionum, & desiuerunt ædificare ciuitatem. & ideo vocatum est nomen eius confusio, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ, & inde dispersit eos dominus super faciem cunctarum regionum. Sed & in Solomonis sapientia, vt intitulatur, vbi diuisiones terrarum tempore confusionis linguarum factæ meminit, de sapientia sic legitur: Hæc & in consensu maliciæ gentium confusarum cognouit iustum, & conseruauit inculpabilem Deo, & in filius misericordiam fortem custodiuit.
Quibus de rebus prolixa, sed arcana est disputatio, in quam competit illud, Mysterium regis celare, bonum est: ne in profanas aures proiiciatur sermo de animabus migrantibus in corpora, sed non ex aliis corpori-

Deut. 32.
Gene. 11.
Sap. 10.
Tob. 12.

G bus, néue sancta mittantur canibus, aut porcis vniones
[illegible] obiiciantur. impium enim esset vulgo prodere hęc arcana Dei sapientiæ, de qua pulchrè scriptum est: In maliciosam animam non ingredietur sapientia, nec habitabit in corpore peccatis obnoxio. Satis est quæ sub historia celantur historicè proponere, vt qui possunt sibimetipsis quærant loci huius intellectum. Intelligantur igitur omnes super terram diuina quadam lingua vna vtentes, vt quotquot inter se consentiunt, conseruent se in hac diuina lingua, nec se dimoueant ab oriente tantisper dum sapiunt ea quæ sunt luminis eiúsque sempiterni fulgoris.

Hi vbi se dimouerunt ab oriente, sapientes quæ orienti non conueniunt, inuenient campum in terra Sennaar, quod interpretatur dentium excussio, & quo significatur alimentum eis perisse, ibique habitabunt. deinde materialia quęque in vnum contrahere & cœlo coniungere volentes quę non ad hoc nata sunt, vt per materialia
Gen. 11. contendant ad immaterialia, dicent, Venite faciamus lateres, & coquamus eos igni. Iámque consolidantes luteam materiam fingent pro lapidibus latereulos, eósque luto ferruminantes pro bitumine ædificabunt ciuitatem & turrim, cuius fastigium ipsorum opinione ad cœlum pertineat. Et quanto quisque magis minúsve ab oriente discessit, quanto magis minúsque operæ consumpsit in fingendis ferruminandisque lateribus, struendóque ędificio, tanto
H magis minúsve molestiis tradetur angelis audaciæ pœnas exacturis ab eo, abrepturísque ędificatorum quenque in aliquam linguam & regionem terræ se dignam, aliis petentibus terram æstuosam, verbi gratia, aliis nimio frigore grauem habitatoribus, aliis cultura difficilem, rursus faciliorem aliis: item aliis refertam bestiis, aliis minus occupatam hoc genere. Hæc si quis potest vt historiam partim res gestas narrantem, partim secretius aliquid velantem considerare, videat eos qui pristinam linguam seruarunt, eo quòd ab oriente non discesserant, manentésque in oriente orientalem linguam retinuerant, solos factos portionem domini, populúmque eius vocatum Iacobi nomine, & Israelitas funiculum hęreditatis ipsius: hísque soli presidem habebunt non in pœnam sicut alij. Hic obseruandum quantum obseruare permittit humana imbecillitas, etiam in eorum ciuitate qui vt eximia portio Deo sunt attributi, peccata admitti: primùm ferenda & talia vt non mereretur omnino derelinqui propterea: deinde plura, tolerabilia tamen, idque longo tempore nunquam non adhibitis remediis, ita vt per interualla resipiscerent: tum quoties destruerentur pro peccati magnitudine, non secus quam alias regiones sortiti. primùm leuius puniti vt quasi puerili castigatione admoniti reuerte-
I rentur ad propria: deinde verò traditos sæuioribus dominis, quales scriptura nominat Assyrius, deinde Babylonius. obseruet præterea quomodo postremo, cum adhibitis curationibus nihilominus malicia cresceret, per prædones principes abrepti, & in longinquas gentes dispersi sint in aliorum portiones pręsidum. Cęterum pręses eorum data opera conniuebat dum illi dispergerentur à cęterarum gentium pręsidibus: vt & ipse optimo iure tanquam illatas sibi iniurias vlciscens, nactus potestatem vicissim inuasis aliorum gentibus quotquot posset inde abduceret: eísque sub suas leges subactis rationem viuendi pręscriberet: atque ita ad eum finem adduceret, ad quem adducturus erat, ni peccata obstitissent, suę gentis olim sibi attributę homines, & per hoc erudiret eos qui possunt hæc animaduertere: nimirum longè potentiorem cęteris esse hunc qui à peccato immunes etiamnum sortitus est: quandoquidem valeat ex omnibus portionibus selectos assumere retractos ab illis qui eos puniendos acceperant, & adducere ad leges vitę vtiles, obliuioni traditis peccatis pristinis. Verùm hæc, vt præfatus sum, rectè nobis dicta sint, quo appareat Celsum & similes non rectè intellexisse terrę partitionem, & eeu prouincias assignatas suis pręsidibus. Quoniam autem isti ab oriente profecti, propter peccata sua traditi sunt in sensum reprobum, & passiones ignominiosas & in impuritates iuxta suas concupiscentias, vt saturati peccatorum fastidirent, dis- K
sentiemus hic à Celso credente propter distributos terræ partibus præsides in singulis regionibus rectè res administrari, nec probabimus singularum placita. Videmus enim fas esse priscas regionum leges mutare melioribus & diuinioribus, quas pro potestate Iesus suis pertulit, eripiens eos ab hoc præsenti seculo malo, & principibus huius seculi iam euanidis: & impium esse non subiicere sa potentissimo principi exaltato super omnes cæteros, quem Deus ipse sic allocutus est, vt habetur in veterum prophetarum oraculis: Postula à me & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & in possessionem tuam terræ terminos. Ipse enim factus est expectatio nobis qui ex gentibus in eum credidimus, & in patrem eius deum optimum maximum. Hæc autem quæ de præsidibus per nos dicta sunt, non modò iam recitatis Celsis verbis se opponunt, verumetiam his quæ recitabimus. Accedat, inquit, & secundus. rogabimus eos vnde veniant, quám ve sequantur legem patriam. nullam dicent, quandoquidem & ipsi ab eadem descendentes origine non aliunde habent doctorem suum & præsulem. attamen defecerunt à Iudæis. Nos singuli venimus in extremis diebus, post aduentum Iesu nostri, in conspicuum montem Domini, verbum omni verbo sublimius, & in domum Dei quæ est ecclesia Dei viuentis, columna & basis veritatis: hanc contemplemur quomodo ædificata sit in summis monti- L
bus, omnibus propheticis sermonibus, qui eius fundamenta sunt. extollitur autem hæc domus super omnes colles, qui videntur aliquid eximium in sapientia & veritate polliceri apud homines. In hunc montem omnes gentes properamus, in agmine cohortantes se mutuum ad amplectendam Iesu Christi religionem quæ effulsit diebus his nouissimis, & dicentes, Venite ascendamus in Esa. 2.
montem Domini, & in domum Dei Iacob: & annunciabit nobis viam suam, & ambulabimus in ea exiuit enim ex Sion lex, & migrauit ad nos spiritualiter.) Verbum quoque Domini exiuit ex illa Hierusalem, vt distribueretur in omnes terras, & iudicaret in medio gentium, seligendo quotquot se præberent faciles, & redarguendo turbam refractariam. Illis autem percontantibus vnde veniamus, quémve ducem sequamur: respondemus venire nos ad mandatum Iesu, vt recudamus rationales nostros gladios bellicos & sæuos in aratra, & ex pugnacibus olim nostris lanceis falces faciamus. Iam enim non sumimus contra vllam gentem gladium, neque bellare discimus, facti filij pacis per Iesum quem sequi malumus quam instituta patria, in quibus dum maneremus, alieni à testamentis eramus: nunc accepta lege gratias liberato- M
ri agentes, liberati ab errore dicimus: Vana habuerunt patres nostri simulacra, nec est inter ea qui pluat. Præsul igitur noster & magister à Iudæis profectus vniuersum terrarum orbem pascit verbo doctrinæ suę. Atque his præstructis vehementer in nos impressionem facientem Celsi rationem retundemus pro viribus, excipientes eius dicta cominus, interim ne illa quidem dissimulantes quæ intericit in medio. Pręsto est, inquit, & Herodoti testimonium verba his: Qui Maream oppidum & Appim habitant in confiniis Ægypti & Lybiæ, ad Afros magis vt videntur pertinentes quam Ægyptios, & molestè ferentes eorum religionem, cùm grauatim arcerentur à bubus fœminis, miserunt ad Ammonem qui suo nomine dicerent, nihil sibi esse cum Aegyptiis, quòd sedes extra Deltam haberent: cupereque (si Deus annuat) sibi liberum esse vesci quibusuis carnibus. At Deus hoc non permisit, totum id Aegyptum pronuncians quantum vndis Nili rigetur: & Aegyptius esse quicunque infra Elephantinam vrbem colentes ex hoc biberent flumine. Hæc Herodotus. Ammon verò nihilominus idoneus est ad distribuendas gentis prouincias quam Iudęorũ angeli: quapropter haud iniquum fuerit patrios quemque ritus seruare: & sanè magnã in his inuenimus per singulas gentes differentiã, nulla non suos probante vt optimos. Aethiopes qui Meroë habitant, Iouem & Liberum solos colunt, Arabes Liberum

raorum

A tantum & Vraniam: Ægypti Osirim in vniuersum & Isidem, priuatim verò Saitæ Mineruam, Naucratitæ non ita dudum Serapim, reliqui quoque in singulis præfectoris alios Deos alij. horum alij ouibus abstinent vt sacris, capris alij, nonnulli crocodilis, quidam bubus fœminis, cæterum a suibus abstinent præ odio. At apud Scythas etiam humanis visceribus vesci honestum habetur. inter Indos verò sunt qui & patres suos deuorant, putantes se id piè facere, vt autor est Herodotus. Apponam ipsius verba, quo res sit credibilior. Siquis quibusuis hominibus proponat, vt sibi deligant leges quas putent omnium optimas, nimirum suas quique iudicantes optimas eligent præ cæteris, vt est verisimile, non alias insanum existimantes qui sentiret aliter. Hanc autem communem hominum opinionem esse de legibus, inter cætera est argumento factum Darij. Is nanque Græcis omnibus ad se conuocatis, duntaxat qui subessent ipsius imperio, rogabat quo præmio possent adduci vt parentes suos defunctos comederent. Illi negarũt se id vnquam admissuros. Tum rex accitis quibusdam Indis, quos Callatias nominant, apud quos deuorare parentes solenne est, adhuc Græcis astantibus, & per interpretem quid dicatur discẽtibus, percontabatur quantum mereri vellent vt demortuos parentes in rogo cremarent. ad hæc illi attoniti, Bona verba regem iubebant dicere. Ita-
B que manent vtrisque suæ leges & hodie, vt rectè mihi videatur Pindarus canere, legem esse regem omnium.

Hæc Celsi verba eò videntur tendere, vt persuadeant debere omnes homines moribus patriis viuere, idque illis licere consensu omnium: Christianos verò qui & patrios mores deseruerint, nec vnam gentem vt Iudæi constituãt, accusandos quod Iesu doctrinam sequantur. Dicat igitur nobis, vtrum hi qui philosophantur & superstitionem dediscunt, si deserant ritus patrios, ita vt vescantur cibis in patria sua vetitis, ex officio faciunt, an præter officium? Ergo cùm philosophiæ studiosis in contemptum superstitionis liceat cibum sumere præter patriæ consuetudinem: Christianis quoq;, quorũ doctrina nõ sinit eos hærere circa statuas & simulacra, ac ne circa creaturas quidẽ Dei, sed his trãscẽsis attollit ad creatorẽ animã, licebit idẽ quod philosophis. Quodsi Celsus eiúsq; similes ad tuẽdã suam propositionem, dicent philosophum etiam seruaturum ritus patrios, perquàm ridicule philosophi apud Ægyptios verbi gratia cepis abstinebunt, propter consuetudinem patriæ, aut partibus quibusdam corporis, puta capite vel humero, vt seruent patrum suorum traditionem. taceo nunc eos Ægyptios qui verentur ventris crepitus, ad quorum imitationem si quis philosophetur seruando ritus patrios,
C ridiculus philosophus erit faciens quę non decent philosophum. Sic qui doctus verum Deum colere, propter patriæ mores humi hæret circa statuas consecratas ab hominibus, nec vult mente ad creatorem ascendere, similis erit auditoribus philosophiæ nihilominus timentibus quę timenda non sunt, & his vel illis cibis vesci esse impietatem putantibus. Iam quis est iste Ammon Herodoti, cuius autoritate Celsus nos vrget, debere quemque suæ patriæ ritu viuere. Non sinit illic Mateam & Apim habitantes Libyæ finitimus indifferenter vesci vaccarum visceribus, quæ res naturaliter est indifferens, & nihil vetat id bene honestéque fieri. Quod quidem si vetaret propter vsum vaccarum agriculturæ idoneum, tum propter propagationem eius generis, fortasse rationem haberet eius præceptum. nunc postulat vt simpliciter omnes Nilum bibentes teneantur Ægyptiorum lege quæ ad vaccas attinet. Mox Celsus nonnihil blandiens angelis Iudæorum apud Deum internunciis, negat Ammonem deteriorem in distribuendis prouinciis ingenijs, quàm Iudæorum angelos, quorum tamen nec verba, nec apparitiones quid sibi velint intelligit. alioqui vidisset boues non esse curæ Deo, vbi putatur de bubus & brutis leges statuere: sed in his quæ propter homines scribuntur sub brutorum prætextu subesse quandam physiologiam. Itaque Celsus negat iniustè facere eum qui viuit patriis legibus: vn-

de sequitur vt iuxta ipsius opinionem non iniustè faciant D
Scythæ more patrio struentes epulas humanis visceribus: item Indi suos patres deuorantes piè faciant hac ratione, aut certè non iniustè. Hic pro se adducit Herodoti sententiam: rectè quemque vti suæ patriæ legibus: videtúrque probare Indos illos Callatias, qui rogari à Dario quãtà mercede à se impetrari paterentur vt legem suam de parentibus comedendis antiquarent, exclamarunt vt bona verba diceret. Itaque quum sint duæ leges in genere, altera naturæ lex cuius Deus autor est, altera scripta valens in ciuitatibus vbicunque scripta lex legi Dei non aduersatur, decet accommodare se ciuibus, nec affectare leges cæteras: vbi verò scriptæ contrarium, naturæ, id est Dei lex imperat, vide an non ratio dictet vt scripta lege valere iussa Deo legislatori te committens viuas iuxta illius præscriptum, etiamsi id faciendum sit cum innumeris periculis, laboribus, mortibus, ignominiis. Absurdum enim esset hominibus quæ Deo displicent probantibus, si sit impossibile Deo simul placere & hominibus tales leges tuentibus sic te gerere, vt contemptis actionibus quibus Deo conditori placere possis, illas quibus Deus offenditur, eligas in gratiam illegitimarum legum & earum amicorum. Quod si aliis in rebus æquum est naturæ rationem, quę ipsa Dei lex est, præponere legi scriptæ & ab hominibus latæ con-
tra diuinæ legis sententiam, quanto magis id faciendum in E
legibus ad religionem pertinentibus? quapropter nec sicut Æthiopes Meroem incolentes Iouem & Liberum solos vt ipsis videtur Deos adorabimus, nec vllos æthiopicos Deos Æthiopum more honorabimus, nec vt Arabes Vraniam & Liberum solos pro diis habebimus: imò in totum Deorum hoc genus sexu distinctum damnabimus, nam Arabes vt fœmineam Vraniam colunt, vt marem Liberum. Non vt omnes Ægyptij diuinos honores decernemus Osiridi & Isidi, non vt Saitę Mineruæ. quod si Naucratitis olim priscorum Deorum cultoribus heri & nudiustertius nescio quem Serapim venerari collibuit, nos certè in colendo Deo nouo non habebunt æmulos, ne noto quidem hominibus. Nam Dei filius primogenitus omnis creaturæ, & si nuper homo factus esse videtur, non tamen ideo nouus est. nouit enim hunc sacra scriptura creaturis antiquiorem omnibus, & Deum patrem ad ipsum dixisse, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Ostendam autem non rectè Celsum dicere, manendum cuique in religione patria. Ait enim Æthiopas Meroes incolas duos tantum nosse Deos, Iouem & Liberum, eósque solos colere: Arabas item duos, Liberum communem sibi cum Æthiopibus, propriam verò Vraniam. proinde nec Aethiopes Vraniam, nec Arabes Iouem
habent pro diis. Si igitur Aethiops aliquo casu in Arabiam F
delatus, vt impius reus agatur capitis quòd non colat Vraniam, morietúrne potius, an præter ritus patrios eam adorabit? nam si transgredienda est ei patria religio, faciet impiè Celsi sententia. quod si duci se patietur ad supplicium, rationem reddat cur mortem eligat potius, quum nusquam tradatur Aethiopas philosophari de immortalitate animæ, patriæque religionis inuiolatæ præmio. Idem dicere licet de Arabe casu aliquo peregrinante apud Meroen, nam hic quoque domi doctus tantum Liberum venerari & Vraniam, non adorabit Iouem cum Aethiopibus: damnatúsque impietatis si ad mortem ducatur, quid facturus est, expediat nobis Celsus. De Osiride porrò Isidéque superuacuum fuerit denarrare fabulas & alienum à proposito negotio, tametsi hæc trahantur ad tropologiam docentem nos inanime aquarum elementum venerari, terrámque substratam hominibus & reliquis animalibus. Sic enim opinor Osirim pro aqua capiunt, pro terra Isidem. De Serapide verò longa est & parum sibi constans historia, heri & nudiustertius prolata in medium quibusdam imposturis Ptolemæi volẽtis Deũ hunc nobilitare apud Alexandriã. Legimus autem apud Numenium Pythagoricum de eius consistentia, quòd particeps sit substantiæ omnium quę

G in rerum natura sunt tum animalium tum plantarum: vt videatur cum profanis sacris & magicis artibus non solùm à statuariis Deus fieri, verumetiam a magis, veneficis, & dæmonum incantatoribus. Quærendum igitur quid rationali mansuetóque animali, & omnia cum ratione agenti, ad cibum conueniat aut minus: non velut fortito colendæ oues aut capræ aut fœminæ boues. quamuis ab his abstineri ferendum est, multum enim vtilitatis homo ex his percipit crocodilis parcere, eósque consecrare nescio cui fabuloso numini, res est longè stultissima. est enim stupidorum parcere nõ parcentibus, & colere animal homines deuorare solitum. Celso tamen placent qui patrio more crocodilos venerantur, nec vlla eius extat cótra illos oratio: sed Christiani videntur ei digni vituperio, quòd doceãtur odisse vitia temperaréque à maleficiis: virtutem contrà honorare ac colere, vt à Deo factam, & ipsam Dei filiũ. quamuis enim nomen fœmininum est, non tamen credẽdum esse substantia fœminam sapiẽtiam iustitiámque, quę iuxta nostram existimationem est Dei filius, sicut germanus ipsius discipulus de eo scriptum prodidit, quòd factus sit nobis à Deo sapientia, iusticia, sanctificatio, & redemptio. Ergo etiamsi secundum deum dicamus, sciant quòd his verbis nihil aliud dicimus quàm virtutem in se omnes virtutes continentem, & rationem quæ totius rerum naturæ ad vtilitatem vniuersorum potissimum factæ rationem

H complectatur: quam cum Iesu anima longè præ cęteris animabus vnicam cohęsisse tradimus, quòd ea sola perfectè capax sit ipsius verbi summæ participationis, & sapientiæ iustitięque ipsissimę. Quoniam autem Celsus sic de varietate legum loquutus postremo infert, videri sibi rectè dixisse Pindarum, legem esse regem omnium, age dissetamus de hoc etiam. Heus tu, quam tandem legem dicis regem omnium? Si dicis municipales istas, falsum est: sub nullius enim earũ regno sunt omnes homines: itaque melius dixisset, leges fuor reges omnium. nam per singulas gẽtes regnat lex aliqua. quòd si propriè lex accipitur, naturalis ipsa est regina omnium: quamuis quidam more latronum discedentium ab officio deficiunt ab ea, iniustè viuentes & prædatoriè. Itaque nos Christiani naturalem illam legem reginam omnium agnoscẽtes, quę ipsa Dei lex est, conamur iuxta eam viuere, valere iussis omnibus illegitimis legibus. Sed videamus quid deinceps Celsus loquatur, parum admodum Christianos attingens, Iudæos verò plurimum. Loquitur autem sic. Sanè quod eodem modo Iudæi legem suam complectuntur toto pectore, culpandum non est: sed illi potius accusandi qui desertis institutis propriis ad Iudæos deficiunt. qui si altioris cuiusdam sapientiæ cognitione sibi placẽt, ideóque vt puriorem dedignantur aliorum consuetudinem, iam audiuerũt

I ne illam quidem de cœlo opinionem ipsorum esse propriam: sed vt alios taceam, Persæ quod Herodorus refert, idem sentiunt iam dudum. Mos eis est, inquit, sacrificare Ioui in montibus celcissimis, Iouem appellando totum hoc cœli conuexum. Sciunt igitur opinor, nominum hanc esse differentiam, supremus siue Diespiter, siue Iupiter, aut Adonæus Sabaóth ve, aut Amnus, vt Ægyptij vocant, aut vt Scythæ Pappæus. Sed nec ideo sanctiores sunt cæteris, quia circumciduntur: hoc enim priores fecerunt Colchi & Ægyptij. nec quia porcina carne abstinent: nam hoc Ægyptiorum est, quos insuper ouibus, capris, bubus, piscibus, constat parcere, Pythagoras verò cum discipulis eius fabis sibi interdixit animatisque omnibus. nec tamen credibile est illos ideo laudandos magis esse, aut Deo cariores prę cæteris, non item alios: nec ad solos eum mittere suos angelos, velut in regionem beatorum. Videmus enim & ipsos, & regionem quæ eis obtigit. Facessat igitur procul iste arrogans chorus quò dignus est, non noscens magnum illum deum, sed deceptus Mosis prestigiis, suóque malo disciplinam eius amplexus. Apparet hic accusari Iudæos, quòd falsò credant se esse summi Dei peculiarem portionem præ cęteris gentibus selectam: quódque arroganter iactent eum quem nesciant, malo suo decepti Mosis præceptoris sui pręstigiis. Sed nos iam superius magna K ex parte diximus de veneranda eximiáque Iudæorum republica, cùm etiamtum staret templum ciuitatis dei symbolum, altaréque cum suis ceremoniis. quod si quis erecta mente ad contemplandum legislatoris consilium, examinet collata instituta eius gentis cum reliquarum moribus quibus hodiéque vtuntur, nullum hominum genus magis admirabitur: vt quod repudiatis omnibus rebus inutilibus homini, solas recipit vtiles. ideo nulla fuerunt apud eos vel scenicorum vel athletarum, vel circensium certamina, non fœminæ vendentes florem ętatis cuiuis volenti seminare incassum, & naturæ humanæ seminibus illudere. Iam illud quale fuit, doceri à teneris statim vnguiculis omnem sensibilem naturam superscendere, deúmque non ibi, sed supra corpora quærere. quale item in crepundiis & vnà cũ vernaculo sermone discere immortalitatem animæ, infernáque tribunalia, eorúmque qui bene vixerunt pręmia. & hæc quidem pueris pro ipsorum captu tradebantur sub fabularum inuolucris: post verò proficientibus ratio fabularum explicabatur, & retegebatur veritas. Mihi certè persuasum est eos dignè appellatos Dei peculium, qui cõtempserunt omnem diuinationem vana spe lactantem homines, & malorum dęmonum potius quàm melioris naturæ inuentorum, quærẽdo veram futurorum pręscientiam L in sanctis animis propter insignem puritatem capacibus diuini spiritus. Quam item rationi consentaneum, nequis eiusdem religionis particeps seruiret plus sexennio, tam ęquum vt nec hero nec seruo fiat iniuria. meritò igitur Iudæi non tam angustis quàm cæteræ gentes leges suas circumscribunt pomœriis, alioqui damnanda esset eorum stupiditas, si putarent tam excellentem legem vni tantum genti scriptam sicut cæteras. Velit nolit Celsus, altiorem sapientiam tenent Iudæi, non solum quàm vulgus, verumetiam quàm hi qui habentur pro philosophis. namque philosophiæ studiosi post graues illas suas disputationes prolabuntur ad simulacra & dæmonas: Iudæorum autem vel postremus ad solum deum optimum max. respicit. & meritò hac de causa sibi placent, aliorum vt impurorum & impiorum deuitantes consuetudinem. Atque vtinam non contra legem peccassent, occisis primum prophetis, dein Iesu per insidias sublato: haberemus exemplum ciuitatis cœlestis, quam Plato conatus est quidem effingere, cæterum non videtur hoc ita præstitisse vt Moses cæterique prophetæ post eum, formantes genus electum, gentem sanctam, Deo dicatam, puréque educatam procul omni superstitione. Quoniam autem Celso libuit sacra Iudæorum quibusdam gentibus communia facere, agedum dispiciamus quid sit hoc quoque. M

Putat de cœlo dogma nihil differre ab opinione de Deo: atque Iudæorum more Persas Ioui sacra facere in celsissimis montium: non videns quòd Iudæi quemadmodum vnum deum sciebant, ita vnicam sanctam precationis domum, vnum altare holocautomatum, & sacri suffitus aram vnicam, vnúmque Dei summum sacerdotem. Nihil igitur commune Iudæis erat cum Persis altissimos montes eósque plures conscendentibus sacrorum causa longè dissimilium sacrificiis Mosaicis, quæ ad quandam similitudinem & vmbram cœlestium peragebantur à sacerdotibus Iudęorum, in arcano intellectum legitimorum sacrorum enarrantibus, & quidnam significaretur per eã. Vocent Iouis appellatione Persæ cœli ambitum, nos nec Iouem nec deum cœlum esse credimus, vt qui scimus quædam inferiora Deo super omnes cœlos ascendisse, & super omnem naturam sensibilem, sic intelligentes illud: Laudate deum cœli cœlorum, & aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen domini. Et quia Celsus putat nihil referre Iupiter dicas an Diespiter, an Adonæus vel sabaoth, an Ammus vt Ægyptij, an vt Scythæ Pappęus, dissetamus & de his paulisper: modo meminerit lector quid superius circa eandem quęstionem diximus (Lib. primo.) per occasionem à Celso nobis oblatam: & nunc idem repetimus, nominum naturam non esse ad hominum placitum,

A citom , id quod visum est Aristoteli: nec enim ab ho-
minibus initium sumpserunt linguæ hominum, vt liquet
animaduertentibus proprietates incātationum in linguis
variis,& varios accentus nominum pro diuersis regioni-
bus:de qoo suprà paucis tractauimus,dicendo quòd voces
genuinam vim habentes in lingua quapiam,si transferan-
tur in aliam,non eandem vim obtinent.Idem reperitur in
hominibus,hominem enim à natiuitate Græco nomine
illo vel illo vocatum,si mutato nomine in Romanum aut
Aegyptium,aut cuiusuis gentis incantaueris,non erit ef-
ficax incātatio,alioqui futura si veteris nomine illi dudum
imposito.Idem accidet in Romano nomine,si in Græcum
mutato incantationem tentes:non valebit quæ valitura
erat non mutato hominis nomine pristino.Id si verum est
in humanis oominibus,quid sentiēdum de attributis Deo
quacunque de causa.Exempli gratia:significat aliquid si
interpreteris,Deus Abraham.Deus Isaac,Deus Iacob, ad-
iuret aliquis per Deum Abraham, Deum Isaac , Deum Ia-
cob,efficiet aliquid per innatam vim eorum nominum,
cedentibos dæmonibus & victoris iussa faciētibus.Idem
adiurator si dicat,per Deū patris electi sonātis, per Deom
risus,per Deum supplantatoris,tantundem efficiet , quan-
tum si adhibeat quodcūque nomen inertissimum. Iidem
nomen hoc Israel si mutemus in Romanam aliámve lin-
B guam,nihil efficiemus:sin seruemus vt est,& adiungamus
alia quæ solent periti harum artium,tum demum spei re-
spondebit euentus exerente se in talium nominum. Idem
dicendum de hac voce Sabaoth , quæ est frequens in in-
cantationibus,pro ea si supponas,dominus virtutum, aut
dominus exercituum , aut omnipotens (nam variè versa
est ab interpretibus)nihil ages, quod si vocem ipsam he-
bræam serues,non erit inefficax , si credimus peritis hu-
iusmodi artium:id quod dici potest etiam de nomine hoc
Adonai.Ergo si neque Sabaoth,neqoe Adonai seruata sua
significatione,mutatum in linguā aliam est efficax , quan-
tominus valebit apud eos qui nihil referre putant Iouem
altissimum dicas an Zena,Adonæum an Sabaoth. Hæc &
alia pari modo arcana quod scirent Moses cæterique pro-
phetæ vetuerunt nominare Deorum alienorum nomina,
vno ore meditati preces offerre vni vniuersorum Deo, io-
gique præceptorum eius memoria conseruare cor purum
ab omni verborū atque cogitatioonum vanitate , quapro-
pter quosuis cruciatus perferimus potius quàm Iouem fa-
teamus esse Deum,nec enim eundem credimus Iouem &
Sabaoth:imò ne Deum quidē Iouem, sed dæmona quen-
dam qui delectetur hoc nomine,insensum hominibus,&
inimicum vero Deo.Et si Aegyptij nobis suum Ammun
ingerant pœnas etiam intentantes,moriemur citius quàm
C Ammon Deum appellabimus, inuocatum licet ab Aegy-
ptiis incantatoribus, Affirment Scythæ quàm Pappæum
esse illum vniuersorum Deum nobis id nunquam persua-
debunt , credentibus quidē esse huius uniuersitatis vnum
Deum,sed non nominaturis hunc Deum Pappæum quasi
proprio nomine,videlicet ex arbitrio istius Scythicarum
solitudinum & gentium linguarúmque præsidis,alioquin
appellatiuo Dei nomine,vel scythicè , vel ægyptiacè , vel
quacunque lingua in qua quisque educatus est,siquis eum
nominet,nihil peccauerit.Cæterum circumcisionis causa
non eadē est Iudæis quæ Colchis aut Aegyptiis, ac proin-
de nec eadem circumcisio,nam quemadmodum sacrificās
non eidem sacrificat,quamuis videatur similia sacra face-
re:& qui precatur,non eidem preces offert,quamuis pre-
cetur eadem:sic neque de circumciso dicēdum, nihil eum
differre à circumcisis quibuslibet,propositum enim & lex
& voluntas circumcisi facit,vt sit aliud negocium. Et quo
melius intelligatur hic locus,dicendum quòd quum iusti-
tiæ nomen idem sit apud omnes Græcos,aliam tamen ap-
pareat esse iuxta Epicurum iustitiam, aliam iuxta. Stoicos
negantes tripartitam animam,aliam iuxta Platonicos iu-
stitiam dicentes propria cuiusque animę partis officia.Sic
alia est Epicuri fortitudo laborem ferentis vt maiorem la-
borem effugiat:alia stoici omnem virtutē propter ipsam
virtutem expetentis,alia Platonici ad irascibilem animæ
partem virtutem hāc referentis,tribuentísque ei locum in D
pectore.Sic quàm diuersa sunt circumcisorum dogmata,
tam diuersa est & circumcisio , de qua non est necesse in
hoc tractatu disserere:si quis cupit nostram super hoc lo-
co sententiam cognoscere,legat nostros in Pauli ad Ro-
manos epistolam commentarios. Itaque circumcisionem
hanc qua se iactant Iudæi,non patientur sibi communem
esse cum Colchis aut Aegyptiis , imò ne cum Ismaelitis
quidem Arabici generis,quamuis à communi patre Abra-
hamo descendentis per Ismaelem qui vnà cum patre cir-
cumcisus fuit.Aiunt autem Iudæi octauæ diei circumci-
sionem esse præcipuam,cæteras superuacaneas.Et fortasse
propter aliquem infestum Iudæorum genti angelum in-
uenta est,qui posset circumcisus lædere , circumcisos non
item:quod colligi potest ex libris Exodi,vbi angelus ante
circumcisionem Eliazari cōtra Mosen valuit:quo circum- Exod.4.
ciso irrita facta est illius potētia,quod non ignorans Sep-
phora,scrupo arrepto circumcidit suum filiolum , effata
secundum vulgatam editionem , stetit sanguis circumci-
sionis mei pueri:secundum Hebræos verò , Sponsus san-
guinum tu mihi,norat enim talem angelum validum ante
sanguinem,sed cohibendum cruore circumcisionis : qua-
propter dixit,Sponsus sanguinum tu mihi. Verùm ista cu-
riositatis quandam speciem præ se ferentia , nec satis apta
vulgi auribus,hactenus prodere ausus,vnum etiā vt Chri-
stianum decet addam,mòxque transibo ad deinceps se- E
quentia.Potens erat,opinor,hic angelus contra non cir-
cuncisos ex populo,& in vniuersum contra omnes crea-
toris custodes, donec Iesus corpus assumeret , postquam
autem assumptū corpus,& in eo circuncisus est , irrita fa-
cta est tota eius potentia contra circumcisos per nostram
religionem,quoniam inenarrabili sua deitate Iesus illam
sustulit,ideoque discipulos suos circuncidi vetuit:quibus
dictum est,Si circuncidamini Christus nihil vobis prode-
rit Nec ob suillæ carnis abstinentiam Iudæi sibi placeant
vt ob rem egregiam:sed quia sciūt purorum impurorúm-
que animalium discrimen,eiúsque causam,& suem esse in
impurorum ordinem. Verùm hæc quoque aliud significa-
bant vsque Christi aduentum:post quem dictum est eius
discipulo nondum hæc intelligenti, & neganti vnquam
quicquam inquinatum aut impurum receptū in os suum:
Quæ Deus purificauit,tu ne pro impuris censeas. Nec ad
Iudęos igitur nec ad nos attinet quòd pręter sues etiā ca-
pris,ouibus,bobus,piscibus,sacerdotes Aegyptiorum ab-
stinent:sed quia nō quod intrat in os inquinat hominē,&
cibus nos Deo non commendat,non magni facimus ab-
stinētiam ciborum huiusmodi:nec tamen ita indulgemus
ventri vt consectemur tales delicias, quapropter quātum
ad nos attinet,pythagoricos animatis abstinentes valere
sinimus.Hic considerandum discrimen , quid pythagori- F
cos,quid nostros in virtutum stadio se exercentes , ad ab-
stinentiam ab animatis moueat.Illi abstinent propter fa-
bulam de migratione animę in varia corpora.

Quis enim sua pignora cara
Mactaret demens,sacris operatus ad aras?

Nos autem dum aliquid tale facimus,suggillamus cor-
pus nostrum,& in seruitutem redigimus, extinguere vo-
lentes membra terrena,scortationem,impuritatem, lasci-
uiam,affectus prauos & concupiscentias, vt morti trada-
mus actiones corporeas. Pergit Calsus Iudęis obloqui,
nō esse verisimile hos prę cæteris laude digniores haben-
dos aut Deo gratiores : & ad solos mitti angelos ab eo,
quasi iam degant in beatorum sedibus: cùm tamen noti
sint & ipsi & eorū regio.Refellamus igitur & hoc,osten-
dendo probatam eam gentem Deo, vt apparet vel inde,
quòd etiam exteri & alieni à fide nostra Deum qui est
optimus maximus,vocant Hebræorum Deum:& quòd vt
probatos nunquam deseruit , quantumuis modicum eo-
rum numerum potentia sua perpetuò protegens: vt ne ab
Alexādro quidem Macedone durius sint habiti, licet pro-
pter fœdera quædam noluerint contra Darium arma su-

G mere: quando etiam eorum pontificem sacerdotali stola amictum adorasset seruus à Macedone, quòd diceret eo habitu visum sibi per somnium qui prænunciaret subigendā ipsius armis Asiam. Certè nos Christiani fatemur laudatos illos præ cæteris & amatos à Deo: & eam curā gratiámque migrasse ad nos, postquam Iesus felicitatem Iudæorum transtulit in eos qui crediderunt ex gētibus, quapropter etiamsi Romani multa teotarunt vt delerent nomen Christianum, nihil tamen potuerunt efficere, protegente eos manu Dei, cuius voluntas erat vt verbum suum ex vno Iudææ terræ angulo profectū disseminaretur per vniuersum genus hominum. Quoniam autem pro viribus respondimus huic Celsi Iudæis insectantis calumniæ, age deinceps ostendamus, nec arroganter nos profiteri magni Dei notitiam, nec præstigiis circumuentos esse vel à Mose vel ab ipso seruatore nostro: sed nostro magno bono & in Mose Deum à nobis audiri: & approbatum ipsius Dei testimonio Iesum vt Dei filium à nobis recipi, cum optima spe si iuxta præcepta eius vixerimus. Illud volentes & scientes prætermittemus, quod iam ante docuimus, vnde oriundi simus, quémve autorem habeamus, & quæ sit eius lex. quòd si Celsus nos existimat nihilo meliores Aegyptiis, hircum, arietem, crocodilum, bouem, felem, equum fluuiatilem, simiam canicipitem adorantibus, ipse videat,
H cuiúsque similes siqui delectantur ipsius placitis, nos pro virili proliaè rationē nostræ religionis reddidimus superius: demonstrauimúsque meliora nos inuenisse, solóíque tenere putam putam veritatem nullo vitiatam mendacio: id quod doctrinæ Iesu acceptum ferimus, nec nos ipsos sed præceptorem commendamus, iam ante commendatum egregio Dei testimonio, & prophetarum Hebræorum oraculis, sed præcipuè rebus ipsis tam euidentibus, nam liquidò apparet eum non potuisse tam magnas res præstare absque Deo. Cæterum verba Celsi quæ mox sequuntur, sic se habent. Omittamus ea quibus magister eorum potest coargui, sinamúsque eum videri verè angelum. Is primúsne venit & solus, an etiam alij priores. Si solum venisse dicent, in promptu est quo arguantur mendacij loquentes sibiipsis contraria, aiunt enim & alios sæpe venisse, interdum sexaginta simul aut septuaginta, eósque malicia corruptos ob id mulctatos esse vinculis subterraneis: vnde promanare fontes calidos, videlicet ex illorum lacrymis. Quin & ad ipsius sepulchrum tradunt venisse angelum, alij vnum, alij duos, qui eum resurrexisse nunciarent mulieribus, nam Dei filius videtur non potuisse aperire sepulcrum, sed opus erat alio qui amoliretur lapidem, prætetea de Mariæ vtero nunciaturus ad fabrum ve-
I nit angelus: rursúmque qui moneret vt infantem fuga eriperent. Et quid attinet omnes curiosè percensere, qui vel ad Mosem vel ad alios missi dicantur? Ergo si & alij missi sunt, manifestum est hunc quoque venisse ab eodem Deo. Sed fac eum nunciasse maius aliquid, nimirum delinquentibus Iudæis, & religionem suam deprauantibus, vel vt subindicari videtur impia facinora patrantibus. Equidem satis iam superius ad hæc Celsi verba respondi, vbi propnè de seruatore nostro Iesu tractabamus: tamē ne quem locum in eius scripturis transilire videamur, quasi desit quod dicamus, age etiamsi videbimur eadem iterare prouocante huc Celso, tamen disseramus quanto possumus compendio, si fortè quid super his rebus in mentem veniat vel recentius vel dilucidius. Ait se omittere quæ magistrum Christianorum redarguant, quum nihil omittendo dixerit quicquid poterat, vt patet ex ipsius verbis recitatis superius, sed hoc facit figura quadam rhetorica, quod autem ne redarguamus quidem in his quæ ad tam eximium seruatorem nostrum attinent, etiamsi criminator iste videatur sibi redarguere, liquebit lectoribus studio perquirendæ veritatis omni quæ de illo prædixerunt varum oracula scrutantibus. Deinceps vero quod ait, donare se nobis de seruatore, verè eum esse angelum: respondemus accipere nos hoc non vt donaticium, sed vt reipsa compertum ab vniuerso humano genere, cum quo versatus est prædicatione pro captu cuiusque se admittentium:

id quod facinus fuit non simplicis angeli, sed vt scriptura eum nominat, angeli magni consilij, nunciabat enim hominibus magnum Dei & patris vniuersorum de ipsis consilium, vt per integritatem vitæ sincerámque pietatem magnis passibus ad Deum ascenderet: cæterum qui hoc tam felix nuncium repellerent, scirent se suapte culpa per incredulitatem alienatos à Deo properare ad interitum. K
Si, inquit, angelus iste ad homines missus est, aut primus venit solusque, aut ante eum priores alij, deinde vtrâque opinionem oppugnat, cûm nemo verè Christianus dicat nullum ante Christum esse missum nuncium, quapropter & Celsus ait alios visos ab hominibus. Et tamen quasi solum missum ad homines dicerent, adeò falsum hoc ait, vt illi qui per doctrinam Iesu recesserunt à mūdi opifice tanquam inferiore, & accesserunt tanquam ad potiorem Deum patrem ad se missi, dicant quosdam missos etiam à mundi opifice ad genus humanum. Hic locus quoniam studio veritatis nobis diligenter excutiendus est, respondemus Marcionis familiarem Appellem hæreseos cuiusdam autorem, & pro fabulis habentem Iudæorum literas, docuisse quòd solus Iesus ad homines missus sit. Itaque ne cum hoc quidem sic opinante Celsus digladiaretur rationabiliter, quando is non credit missos alios, vt iam diximus, & Hebræorum literis fidem abrogat vt vana miracula continentibus: multo autem minus admitteret quę Celsus adducit ex libro Enochi non intellecto. Nos igitur nemo mendacij coarguet vt docētes inter se pugnantia, quòd solus venerit Seruator noster, & quòd alij multi L
sæpe venerint nuncij. Quanquam hic valde confuse calumniatur loquitur in hac disquisitione de angelis missis ad homines, vt qui obscurè inaudiuit nescio quid ex Enochi literis, quas nec legisse videtur, nec scire quòd non magna sit earū autoritas in ecclesiis: vnde fortasse illud sumptum est, sexagenos & septuagenos descendisse, eosque malos redditos. Sed interpretemur eius dictum candidius, quippe qui vidimus quod ille non vidit in Genesi scriptū: Gen. 6.
Viderunt filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperuntque sibi vxores selectas ex omnibus: nihilominus eos qui valent intelligere mentem propheticam, admonemus etiam ante nos quendam hæc retulisse ad animas cupidas viuendi in corpore, eas aiebat vocatas per figuratam locutionem filias hominum. Verùm vtcunque se habet hoc quod de filiabus hominum à filiis Dei adamatis legimus, nihil suffragatur Celso neganti Iesum seruatorem nostrum & benefactorem solum vt nuncium missum ad homines, cùm constet omnes qui vnquam ad congeodam vitam inuitabant, perfunctos nunciorum officio. Deinde rursum commiscens & confundens quæ vndecunque audiuit, vel vbicunque legit, siue inter sacras scripturas à Christianis recepta sine non, ait illos qui sexageni septuagenive descendebant puniri vinculis subterraneis: additque vt ex Enochi autoritate, non tamen eum nominans: vnde & fontes calidi, ex illorum lacrymis: rem M
nec dictam vnquam, nec auditam in ecclesiis Dei, nemo enim fuit tam insipiens, vt corporeas lacrymas fingeret humanis adsimiles in profectis è cœlo angelis: & si modo licet ludere in his quæ Celsus tam serio loquitur, respondendum non posse dici fontes calidos constare angelorum lacrymis, cùm plerique dulces habeant latices, lacrymarum vero natura salsuginosa sit: nisi fortè Celsi angelis dulces manant lacrymę. Ac rursum miscens quę misceri non possunt vt dissimilia, post mentionem sexagenorum septuagenorumve angelorum descendentium & calidos fontes delacrymantium, addit visos etiam ad ipsius Iesu sepulcrum angelos duos vt quidam produnt, vnum vero vt alij, incertū an iden quòd in narratione Matthęi Marcíque vnum inuenerit, duos vero apud Lucam & Ioannem: quę quidem non sunt contraria, nam qui vnum scribunt, narrant de eo qui auoluit à monumento lapidem: qui vero duos, de iis qui conspecti sunt intus sedere candidati: aut de iis qui venientibus ad sepulcrum mulieribus obtulerunt se in vestim pręfulgido. cęterum singola horū vel fieri potuisse, vel per figuras significare aliquid,

A non hic docere conuenit, quòd hoc enarratorum euangelij sit officium. Oblatas autem sæpe miraculosas visiones hominibus, legitur & in Græcorum historiis, non eorũ tantum quorum scripta vanitatis suspecta sunt vt fabulis similia, sed in illorum quoque qui inter graues ac veraces philosophos habiti, res compertas mandarunt literis. In hoc genere quædam legimus apud Chrysippum Solensem de Pythagora, & apud quosdam recentiores qui heri & nudiustertius commentati sunt, vt Plutarchus Cheronensis in commentariis de anima, & Pythagoricus Numenius in secundo de immortalitate animæ, nisi forte quoties Græci talia narrant, præsertim philosophi, non licet ridere, carpere, pro figmentis habere ac fabulis: dum vero homines Deo sacrati, quibus piaculare est vel tormentis vel intentationem mortis adigi vt de Deo mentiantur, dicunt se vidisse visiones angelorum, vani habendi sunt & indigni fide, nec sermones eorum in veris censendi sunt. Sed non est rationi consentaneum huiusmodi de veris ac falsis iudicium. nam qui dant operam ne decipiantur, post inquisitionem demum & examinationem tutò pronunciant, hoc verum esse, illud falsum in miraculosis narrationibus: quòd nec omnes fidem mereantur apud homines, nec omnes pro confictis fabulis reiici debeant. Porrò de Iesu à mortuis resurrectione hoc quoque dicendum non unum esse: Vnum aut alterum angelum nunciasse, rediuiuum eum iam
B res ipsi fidentium curare: quin & illud mihi fit verisimile, quòd fideles continue fructum ex ea resurrectione percipientes, & per conuersionem ad Deum emergentes è vitiorum colluuie viuentésque integre, ope angelorum adiuuantur. Celsus autem nec hoc incalumniatum reliquit, quod angelus auoluit lapidem à monumento in quo Iesu corpus situm erat, adulescentulorum sub ferula declamantium more occasione arrepta: Ergo, inquit, Dei filius non valebat aperire sepulchrum, sed alieno ministerio ad amouendum saxum opus habuit. Hoc loco nequid agam curiosius, néve tropologiæ prætextu intempestiue philosopher, loquar de ipsa historia: magis esse è dignitate resurgentis ad vtilitatem humani generis, quòd per inferiorem ministrum lapis auolutus est, quàm si hoc ipse fecisset. Taceo nunc, quòd qui dei verbo insidiantur, postquam necatum ostenderunt populo exanimem & redactum in nihilum, nolunt aperire eius sepulchrum, nequis post nefarias eorũ insidias verbum viuum conspiciat. At Dei nũcius qui propter salutem hominum descẽderat, adiutor angeli fortior insidiatoribus auoluit graue illud saxum, vt qui putabant verbum mortuum, discãt non amplius esse inter mortuos, sed viuere, & præmonstrare viam se sequentibus, quemadmodum solitus erat superiore tempore nondum altioris disciplinæ capaces instituere. Atque hic nescio quid sibi volens admiscet mentionem angeli de vtero Mariæ nũ
C cium Iosepho afferentis: ac rursum post natum infantem monentis de fugiendis quæ ei parabantur insidiis. Aegyptóque petenda: qua de re iam ante respondimus. Iam quorsum attinet quod ex scripturis affert quæ ibi narrantur de angelis ad Mosem missis & alios? mihi certe non videntur quicquam ad eius propositum facere, præsertim cum nullus eorum conatus sit humanum genus à peccatis abstractum ad Deum conuertere. Itaque licet etiam alij missi sint à Deo, hic maius aliquid nunciasse credendus est Iudæis peccantibus, pietatem parum integre seruantibus, à quibus propter ipsorum impia facinora regnum Dei transtulit ad colonos alios passim degentes in ecclesiis ad suam curam pertinentibus, & nihil non agentes vt per Iesu doctrinam vitámque tali doctrinæ consentaneam Deo lucrentur plurimos. Pergit Celsus: Ergo idem Deus Iudæorum est & istorum Christianorum videlicet. Et quasi hoc controuersum sit aut confirmatione opus habeat: id inquit, fatetur magna ecclesia, recipiens vt vera quæ à Iudæis traduntur de mundi creatione sex diebus absoluta, déque septimæ quiete, in qua scripturę docent quieuisse Deum à suis operibus, contemplantem singula: quas Celsus nec intelligens nec legens, putat eum à labore quæsisse requiem, id quod nusquam scriptum est. verùm de mundi creatione, & sabbatismo à populo Dei diligenter obser- D
uato, longa est & arcana nec explicatu facilis disputatio. Post hæc Celsus opinor vt volumen eius plenius fieret & grandius, multa temere congerit: qualia sunt, quòd eundẽ quem Iudæi putamus primum hominem, & ab illo originem atque successionem humani generis similiter deducimus. Cęterum mutuas fratrum insidias nescimus, sed Caimum Abeli struxisse insidias & Esauum Iacobo: quodsi Abel Caino insidiatus est & Iacobus Esauo, tum rectè dixit Celsus, mutuas fratrum insidias æque apud nos narrari atque apud Iudæos. Esto autem etiam profectionem in Aegyptum eodem modo apud nos atque illos narrari, & inde reditum non fugam vt Celsus nominat, quid hæc faciunt ad accusationem vel Iudęorum vel nostrorum hominum? Sed iste vbi se putat ansam vituperandi nactum, fugam Hebræorum nominat: vbi vero res postulabat vt expenderet quæ de plagis scripta sunt quibus Deus afflixit Aegyptiorum gentem, ea liberter silentio pręterit. Quodsi tertio respondendum est ad opinionẽ Celsi credentis nos idem de scripturis sentire quod Iudæi sentiunt, dicã cõfessum esse apud vtrosque sacros libros scriptos esse diuino spiritu, sed de intellectu eorum non consentire nos, quando nec viuimus vt Iudæi, quod non sapiamus iuxta externam legis literam. Et dicimus, quoties legitur Moses velamen esse obtensum cordibus eorum qui Iesu
Christi viam non ingrediuntur, vt eos mens Mosis legi- E
slatoris lateat: scimus autem quod si quis se conuertat ad dominum, est autem spiritus is dominus, sublato velamine retectáque facie, in occultis illis literarum sensibus tanquam in speculo gloriam domini contemplabitur, siuetúrque illa quæ Dei nominatur gloria in suam metipsius gloriam: accipiendo pro intellectu id quod vocatur facies, iuxta interiorem hominis faciem, repletam luce & gloria veritatis quæ continetur in illis legibus. Post hæc dicit: Nemo me putet ignorare, quosdam Christianorum assensuros communem sibi esse cum Iudæis Deum: quosdam vero dicturos, diuersum atque adeo contrarium, & ab illo venisse filium. Sed si hoc in Christiana religione improbat quod plures sectas habeat, quin eadem opera damnat philosophiam? quandoquidem in philosophorũ sectis discrepatur de rebus non vulgaribus, sed de maxime cognitu necessariis. Accusanda erit & medicina propter sectas suas. Esto igitur negent aliqui eundem esse nostrum & Iudæorum Deum, non ideo culpandi sunt qui ex communibus scripturis demonstrant eundem esse Iudæorum Deum & gentium: Paulo qui ex Iudæis ad Christianam religionem accessit, manifeste dicente: Gratias ago Deo meo, cuius cultor sum iam inde à progenitoribus in conscientia pura. Sit licet etiam tertium genus eorum qui F
alios animales alios spirituales nominãt: puto autem eum, Valentinianos dicere: quid hoc ad nos ecclesiasticos? qui damnamus opinionem asserentium alios ad salutem natos, alios ad interitum: & hos natura malos, illos contrà natura bonos. sint rursum alij qui arroganti Gnosticorum nomine polliceantur nouam quandam scientiam, quemadmodum quidam se nominant Epicureos philosophos: attamen neque prouidentiam tollens fuerit germanus philosophus, neque isti qui absurda figmenta & Iesu successoribus improbata introducunt, Christiani vnquam fuerint. Sint alij etiam Iesum recipientes, eóque Christianos se iactantes, seruantes nihilominus legem & viuentes Iudæorũ moribus: videlicet Ebionæi duorum generum, vel nobiscũ fatentes Iesum natum è virgine, vel non ita sed reliquorũ more hominum: quid hoc crimen attinet ad ecclesiam, quam Celsus vulgi nomine significat? facit etiam mentionem nescio quorum Sibylistarum, fortasse quod audierat à quibusdam improbari eos qui Sibyllam prophetidem existimant, notarique Sibylistarum nomine. Deinde aceruum variarum appellationũ in nos congerens ait se nosse quosdam Simonianos, qui Helenam siue præceptorem Helenũ venerantes Heleniani dicantur. Sed in hoc fallitur Celsus cum Simoniani nolint fateri Iesum esse Dei filium, sed Simonem dicant Dei virtutem, prodigiosa quædam narran-

G tes de homine vano, qui putarit se miraculorum æmulatione non minorem existimationem quàm Iesus paraturum apud homines. Sed neque Celsus neque Simon potuerunt intelligere, quomodo Iesus in morem boni coloni potuerit magnam Græciæ barbariæque partem opplere verbi semine, traducentis animas à vitiis ad conditorem rerum omnium. Celsus porrò nouit & Marcellianos à Marcellina & Harpocratianos à Salomone oriundos, tum alios à Mariamme alios à Martha, nos autem qui discendi studio non solum nostræ doctrinæ varias sententias perquisiuimus, verum etiam philosophorum veritatem vestigantium scripta excussimus, nunquam in istos incidimus. His addit Celsus Marcionistas sectatores Marcionis: & vt alios etiam præter iam nominatos videatur nosse, more suo loquens, Et alij alios, inquit, fingentes sibi dæmonas & magistros decepti voluūtur in magnis tenebris turpius quàm Aegypto sodales Antinoani. Videtur sanè rem attigisse dum ab aliis dæmonibus alios dicit inuolutos erroribus & ignorātiæ tenebris: quod verò Antinoum confert cum nostro Iesu, non repetemus quæ antè ad hoc respondimus. Hi, inquit, dicendis non discordésque in se inuicem vehuntur conuiciis, nunquam concordes propter odia mutua. Ad hoc quoque iam antè respōsum est, & apud philosophos itidem inueniri sectas sectis infen-
H sas & apud medicos: attamen qui mediati verba domini Iesu eius doctrinæ consentanea didicimus & dicere & facere, conuiciantibus contrà bene precamur, persecutores toleramus, obtrectatores nostros admonemus, non sanda insandáque iacimus in dissidentes à nostris opinionibus: sed siquidem possumus, nihil non tentamus quo illis correctis persuademus vt soli attendant creatori omnium, omniáque tanquam rationem summo iudici reddituri faciant: quod si nihil proficimus, seruamus illud præceptū:
Tit. 3. Hæreticum hominem post vnam alterámve admonitionem deuita, sciens quod deprauatus sit talis, peccétque à seipso condemnatus. Præterea qui capiunt illud seruato-
Matt. 5. ris, Beati pacifici, & illud, Beati mites, non insectabuntur odiose vel seductos vel seductores, nec eos cauillabuntur esse Circas blandiloquas. Videtur autem Celsus ne illud
1. Tim. 4. quidem apostolicum satis intellexisse: In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinæ dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium & cauteriatam habentium consciētiam, prohibentium coniugia, vt abstineatur à cibis quos deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus: ac ne eos quidem qui his apostoli verbis vrgent istos qui nouitates & falsitates in sacram doctrinam inuehunt, qua-
I propter ait quosdam apud Christianos vocari aurium cauteria. & alios ænigmata, id quod nōdum vidimus. Certum est scandali nomen frequens esse in nostris literis, quo solemus vti de sanæ doctrinæ deprauatoribus, & simpliciorum hominum deceptoribus: quos tamen in eis literis nusquam Sirenas saltatriculas, & sophistrias, nisi quis aures cera premuniat, porcina pro humanis capita imponentes, nominari, comperimus: & ni fallor nec in nostris nec in hæreticorum ita nominantur scripturis: solus iste qui omnia scire profitetur, etiam hoc asseuerat, ac mox addit omnes autem tantopere inter se discrepātes, & fœdissimis contentionibus mutuo se redarguentes, audies iactare illud, Mihi mundus crucifixus, & ego mundo. nam hoc so-
Gal. 6. lum Celsus retinuisse videtur è paulinis literis. alioquin obiiceret nobis alia innumera, velut illud. In carne viuentes non iuxta carnem militamus. nam arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed deo pollētia, ad demolitionem omnium substructionum & cogitationum in altum se extollentium aduersus cognitionem dei. Quin & hoc ipsum quod ait omnes iactare has voces, mihi mundus crucifixus est & ego mundo, falsum esse coarguemus. Sunt enim quędam hæreses quæ non recipiunt Paulinas Epistolas, vt E-
1. Cor. 10. bionæi vtriusque generis, & qui Encratitæ vocantur. certe hi qui non habent apostolum pro viro beato & sapiente, non dicerent, mihi mundus crucifixus est & ego mundo. atque ita etiam hic Celsus mentitur, multis verbis in varietatem hæresium inuehēs: sed tum indistinctè, vt ne hoc K
quidē mihi videatur considerasse aut intellexisse, quomodo se dicant plura Iudæis nosse Christiani: vtrum approbantes libros eorum, aliter tamen interpretantes, an in totum reiicientes eorum scripturas. Sunt enim inter hæreticos qui vel hoc vel illud faciunt. Post hæc sic loquitur. Ergo age etiamsi nulla habēt idonea dogmatis sui principia, ipsam doctrinam eorū examinemus: & primùm quæ parum intellecta deprauant per inscitiam, ineptè vsurpantes sibi quæ ignorant. sunt autem hæc. ac mox fidelium Christianorum placita recensens, opponit eis philosophica: cōtendens quicquid bene à Christianis dictu putatur, & melius & dilucidius traditum apud philosophos, vt ad philosophiam cerrabarà dogmatibus honestatem & pietatem præ se ferentibus. Nos hic quinto libro finem faciemus, à reliquis sextum auspicabimur.

LIBER SEXTVS.

SExtum hunc librum ordiētibus nobis, sacer Ambrosi, contendendū est aduersus Celsi calūnias, nō aduersus opiniones philophicas, vt alicui posset videri. nā multa presertim è Platone adducit, quę persuaderi pussūt L
vel prudentibus ea sacris literis, eáque conatur ostendere nobis cum aliis esse communia, sed ita vt melius hauriri possint è Græcis autoribus, etiamsi non referantur ad deum deiue filiū. Ad quod respōdemus, cum veritatis professoribus propositum sit prodesse quam plurimis mortalium, & pro humanitatis officio quencunque attrahere, siue cordatum, siue insensatum: nec solum Gręcos aut mansuetos barbaros, sed quosuis è feris populis conuertere: dubio procul opus esse ad hoc forma dicēdi cōmuni, quę quorūuis auribus se accōmodet. cæterū illos qui valere sinūt plebeios homines, eosque vt educatos illiberaliter, nec capaces bene ordinatę doctrinę fastidiūt, literatorū tantum ratione habita, angustis benignitatē suam circūscribere terminis. Hoc autē ideo dico, quia Celsus aliúque criminātur scripturarum nostrarū in eloquēdo simplicitatē, quam ad se collatā splendor cultioris orationis obscurare videtur: cum prophetę nostri & ipse Iesus eiúsque apostoli attenti fuerint potissimum ad orationis modum non solum veracissimum, sed etiam ad attrahendam multitudinem maxime commodum: vt singuli tam conuersi & attracti pro virili percipiāt arcana sub sermonis simplicitate latētia. Imò M
si verū fateri licet, paucis profuit, si tamē profuit, Platonis & similium exculta & accurata oratio: multo antē pluribus ista simplicitas hominū tam stylo quā doctrina ad captum vulgarem se attemperantiū. Itaq; videre licet Platonem doctorū tantum teri manibus: Epictetū vulgo quoq; lectorū admirabilem esse vtilitatis nomine, quod se preceptis illius admonitos proficere sentiant: id quod nolim ita accipi, quasi dictū in Platonis contumeliā: est enim & hic perutilis elegantioribus: sed quo melius intelligatur mens
eius qui dixit: Pędicatio mea non in persuasibilibus sapiē- 1 Cor. 2.
tię verbis, sed in ostēsione spiritus virtutis, vt fides nostra, non sit in sapientia hominū, sed in virtute dei, quę verba quid aliud sibi volunt, quam nō satis esse vt verū sit & natum ad mouēdos animos hominū quod discimus, nisi doctori diuinitus cōcessa sit vis quędā, & dictis eius adsit gratię cœlestis energia. Idē ait propheta in Psal. sexagesimoseptimo. Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Itaque vt demus quędam placita nobis esse cū Gręcis communia, certe illorū non tantundē valet ad afficiendas animas: quo factū est vt rudes quantū ad Gręcam philosophiam attinet Iesu discipuli peragrando multas orbis nationes, afficerent eas pro dignitate auditoris cuiusque, sicut visum est verbo dei: & quanto quisque ad discēdum erat proclinior, tanto proficiebat in melius. Proinde sectētur priscos magistros qui possunt eos assequi, doceat Plato Aristonis filius de summo bono, scribat in quadam episto-

la,

A la, primum bonum esse ineffabile, sed post diutinam familiaritatem repente velut à flamma lumen ab eo in anima excandescere: quæ etiam nos cum audimus non assentire non possumus. Deus enim & hoc, & quicquid aliud bene dixerūt, eis manifestauit, quapropter dicimus, eos qui post conceptam veram opinionem de Deo nō vt deum pie coluerunt, reos esse pœnę peccatoribus debitæ. Sic enim de his Paulus ad verbum loquitur. Palam fit ira Dei de cœlo
Rom. 1. aduersus omnem impietatem & iniusticiam hominū, qui veritatē in iniusticia detinent, propterea quod id quod de Deo cognosci potest manifestum est in illis. Deus enim illis patefecit. Siquidem quæ sunt inuisibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidētur: ipsáque ęterna eius potentia ac diuinitas, vt sint inexcusabiles: propterea quod cum deum cognouerint, non vt deum glorificauerunt, neque grati fuerunt, sed frustrati sunt per cogitationes suas, & obtenebratum est insciens cor eorū. Cum se crederent esse sapientes, stulti facti sunt mutaueruntque gloriam immortalis Dei, per imaginem, non solū ad mortalis hominis similitudinem effictam, verumetiam volatilium & quadrupedum & reptilium. Norunt igitur veritatem isti qui dicunt primum bonū esse ineffabile, & post diutinam consuetudinem repente velut à flamma lumē ab eo in anima excādescere, quod deinde alatur à seipso: sed qui talia scribūt descendūt in Piræum adoraturi vt
B numē Dianam, & spectaturi festum Græcorum conuētū: absolutisq; disputationibus egregiis de anima, eiusq; post exactā rectè vitā felicitate, missa faciunt pręclara illa quæ Deus eis aperuit, humilia paruáque sapiunt, votiuum gallū persoluētes Æsculapio: & inuisibilia Dei atque ideas contemplati, ex creatione huius mūdi rebúsque sensibilibus, à quibus ascendētes ad intelligibiles æternam eius potentiā ac diuinitatem nō obscure videtūt, nihilominus stulti facti sunt in suis ratiocinationibus, & cor eorum quasi nihil intelligat voluitatur in tenebris atque ignorātia veræ religionis, licétque videre valde sibi placētes sapientiæ atque adeo theologiæ nomine adorare simulacrū hominis corruptibilis velléque videri id facere in honorem numinis: quin & ad Ægyptiorum superstitionem nonnunquam se deiicere, & ad cultū volucrium, quadrupedū atque reptilium. Sed donemus esse qui mentē attollāt altius, certe cōperiuntur mutasse dei veritatē in mēdacium, & venerari ac colere creaturā plusquam creatorē, quapropter multiscius Græcorum sapientibus errantibus in opinione de deitate, deus elegit stulta huius seculi, vt sapientes pudefaceret, infirma item, ignobilia contempta, & que nō sunt, vt ea quæ sunt in nihilum redigeret, reuera vt ne glorietur vlla caro in conspectu domini. Cæterum sapientes nostri, antiquis-
C simus Moses aliíque posteriores prophetę, non ignorantes deum esse inenarrabilem, scripserunt quidem eum apparuisse viris hoc honore dignis, Abrahamo, Isaaco, Iacobo: sed in qua essentia vel specie, aut quomodo quá ve sui parte viderint, eum exquirendum reliquerunt his qui possunt considerare talia similiter vt illi à quibus Deus conspectus est, puro corde, non oculis corporeis. nam iuxta nostrum Iesum, Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt. Quòd autem repente velut à flamma lumen excādescat in anima, multo antè in scripturis dictum est per prophetam. Illuminate vos scientiæ lumine. Sed & Ioannes aliquando post dixit, quod vita erat in verbo, & vita erat lux hominum: quę quidem vera lux illustrat omnē hominem venientem in verum mundum intelligibilem, facitque vt & ipse sit mundi lux. Illuxit enim hęc lux in cor-
Psal. 118 dibus nostris. ad illustrandum euangelium gloriæ Dei in persona Christi quamobrē antiquissimus propheta qui vixit plus quá quartadecima ætate ante Cyrū: Dominus, inquit illuminatio mea & seruator meus, quem timebo? &,
Esa. 60. Lucerna pedibus meis lex tua, lumen semitis meis. &, Signatum est super nos lumen vultus tui domine: in lumine tuo videbimus lumen. Ad hoc lumē inuitat nos Esaias dicens: Illuminare illuminare Hierusalem: venit enim lumē
Esa. 4. tuum, & gloria domini super te orta est. Idem vaticinans de aduentu Iesu auocantis à simulacris statuísque ac cultu dæmonum, sic inquit: Sedentibus in regione & vmbra D
mortis lux orta est eis. Et rursum: Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Vide differentiam inter pulchrum illud Platonis dictum de primo bono, & dicta prophetarum de beatorum lumine: & quod Platonis de hoc veritas nihil profuit lectoribus ad sinceram pietatem, ac ne ipsi quidem qui sic de primo bono philosophatus est: cæterum sacræ scripturæ simplex oratio germanum lectorem numine quodam afflatum corripit, quippe qui habet apud se lumen illud quod in parabola quinque prudētes virgines in lampadibus suis alunt oleo. Quoniam autem Celsus ex Platonis epistola profert & hæc verba: Si mihi visum fuisset ea quæ vel scribi possunt vel dici, apud multitudinem satis esse efficacia, quid rectius in vita hac agere possem, quam ea scribere quæ magnopere prodessent hominibus, & rerum naturam in lucem producere? age differamus de his quoque breuiter, habeat ne Plato aliquid sanctius ac diuinius quam quæ scripto prodidit, an non: idque cuique examinandum relinquamus pro viribus, ostendentes quod nostri quoque prophetæ altiora sapiebant per silentium, quam quæ mandauerunt literis. nā Ezechiel accipit caput libri scriptum à fronte & à tergo, in quo inerat lamentum & canticum & væ, iussúsque librum deuorat, ne eum scribat & euulget indignis: de Ioāne quoque scribitur simile quiddam eum vidisse & fecisse. Sic & Apoc. 10
Paulus audiuit verba ineffabilia, quæ non licet proloqui 2. Cor. 12
apud homines. & maior his omnibus Iesus legitur disci- E
pulis priuatim locutus verbum Dei præsertim in secessibus: sed quid eis dixerit non legitur. non enim videbantur talia vulgo scribenda vel pędicanda. quod si licet verum de tantis viris dicere, aio melius Platone hos vidisse per gratiam diuinitus sibi concessam, tum quid scribendum aut quomodo, quid non scribendum nec euulgādum, tum quid pędicandum, quid non. Hanc scribendorum & non scribendorum differentiam docens nos Ioannes ait se audisse tonitrua septem, arcana quædam indicantia, vetantiáque ne referrentur in literas. multa huiusmodi & apud Mosem reperire licet ac prophetas antiquiores non Platone solum sed & Homero & ipsis literarum Græcarum inuentoribus, digna sanè gratia Dei quam acceperunt, & sublimibus sensibus referta. nec vt Celsus putat parum intellectas Platonis sententias deprauauerunt, qui enim potuerunt cum is nondum natus esset? Sin ad Iesum apostolos posteriores Platone referatur Celsi dictum, videndum ne hoc vero sit absimile, Paulum pellium sutorem, & Petrum Piscatorem, & Ioannem abductum à paternis retibus, male intellectis Platonis epistolis tales opiniones tradidisse de Deo. Solet autem Celsus quædam vt fide digna inculcare sæpius, iterum atque iterum referens quasi noua nec ante dicta: nos semel ad ea respondisse cōtenti erimus. Iam quod ex eodem Platone affert, per interrogationes & F
responsiones elucere sensum philosophiæ platonicæ: ostēdemus è sacris literis quod etiam diuina scriptura nos hortatur ad dialecticam, alibi Solomone dicente, Eruditio rationibus non examinata decipitur: alibi huic attestante autore libri sapientiæ Iesu Sirachi filio: Scientia, inquit, insensati est sermo carens examine. Itaque beneuolæ ratiocinationes apud nos sunt maximę, qui scimus quòd prępositus doctrinæ debet esse idoneos ad conuincendos qui conantur contradicere. quod si quis per segnitiem nō exercet se in diligenti lectione sacrarum scripturarum, nec eas ita vt Iesus præcepit scrutatur perquirens earum sententiam, nec intellectum petit à Deo, nec pulsat fores occlusas, non statim verbum Dei vacuum est omni sapientia. Deinde post quædam ex Platone citata in eam sententiam, quod à paucis summum illud bonum cognosci potest, subiungit hæc: Sunt qui alios temere contemnendo ipsi magnifica sed inani spe pleni, quasi nescio quid præclarum didicerint, dicunt vera nonnulla, sed quæ Plato multo ante docuit: nec tamen prodigiose loquitur, nec obturat os scitantibus quid nam sit hoc quod pollicetur, nec iubet ante omnia credere talem esse deum, aut talem habere filium, quódque ipse sua ex illius colloquio hauserit.

G Ad hæc respondeo, de Platone Aristandrum ni fallor scripsisse, non Aristonis eum fuisse filium, sed spectri quod Apollini simile complexum sit Perictionem, cui attestantur plerique Platonici qui vitam magistri sui prodiderunt ad posteros. Quid memorem Pythagoram de quo multa prodigiosa feruntur, quòd in conuentu Græcorum nudauerit femur eburneum, quódque adgnouerit clypeum gestamē suum, cum olim esset Euphorbus, conspectúsque sit eadem die in duabus vrbibus. Iam qui de Socrate ac Platone prodigiosas narrationes taxare voluerit, proferet cygnum Socrati commendatum per somnium, vocémque ipsius magistri quod Plato is cignus fuerit, cum postridie adolescēs ei commendaretur. Similiter & illud quod Plato sibi visus sit tertium habere oculum, inter prodigiosa referet. nec deerit vnquam parum candidis de præstantissimo quoque malignè sentientibus calumnia, quandoquidem ludunt & in Socratis genium tanquam rem ficticiam. ergo non loquimur prodigiose dum acta Iesu narramus, sed germani eius discipuli de ipso scripserūt talia. At Celsus iste vt profitetur omniscius, tam multa è Platone proferens, data opera credo dissimulat id quod ille scripsit de filio dei verbo in sua ad Hermiam & Coriscum epistola his verbis. Iurando per deum rerum omnium ducem præsentium & futurarum, & ducis causæque patrem & dominum: quem H si vere philosophemur, cognoscemus omnes, quatenus felices homines possunt pertingere. Alia quoque verba Celsus adducit ea eodem sic. Liber amplius etiam de his rebus disserere. Si enim his explicaris aliud quiddā fiet apertius. Est enim sermo quidam verus, contrarius audenti quiduis istarum rerum scribere, sæpe quidem à me dictus & antea, dicendus tamē, ni fallor, nunc quoque. Ad parandam sciētiam cuique tria sunt necessaria, quarta verò ipsa. quintum ponendum est ipsum cognoscibile quod vere est ens. Vnū quidem est nomen, secundum verbum, tertium simulacrū. quartum scientia. Iusta hanc rationem possumus dicere quod vox clamantis in deserto inductus est Ioannes ante Iesum, proportione quadam referens nomen quod apud Platonem est. secundo loco post Ioannem est Iesus ostensus ab eo, cui quadrat illud, Verbum caro factum est, respō-

Ioan. 1. dérque verbo quod apud Platonem est. Tertium, porrò Plato ait esse simulacrum, qua voce quia nos in alio significato vtimur, apertius dicemus in animo facta post verbū compunctione, figuram Christi in vnoquoque à Christi verbo imprimi. an autem iuxta eandem analogiam quartū quæ est scientia, sit apud nos Christus perfectorum sapiētia, qui potest viderit. Deinde inquit: Vides quò Plato quamuis præfatus rem esse ineffabilem, tamen ne videatur I refugere ad inconuincibilia, rationem reddit huius difficultatis. nam & nihil ipsum fortassis est ineffabile. Hæc quoniam eò tendere videntur vt affirmet non esse credendum simpliciter, sed rationem reddendam eorum quę credimus, adducemus & nos Paulum reprehendentem eos qui credunt temere, vbi dicit, Nisi temere credidistis. Hic Celsus rursum eadem iterans quantum in ipso est cogit & nos iterare eadem. cum enim mentio fiat de arrogantibus, negat Plat. arrogantem fuisse aut mendacem, vt qui non profiteatur à se inuētum nouum aliquid, nec è cœlo se venire nuncium, sed præ se ferat vnde sua sumpserit. Ad hæc responderi potest, imò arrogantem esse Plat. & tumidum, qui in Iouis apud Timęum concione sic loquitur: Dij deorum, quorum ipse & conditor sum & genitor: reliquaque quæ sequuntur, quod quis hæc defendere conabitur, propter sententiam Iouis apud Plat. concionantis, quin eadem opera perquirit sententiam verborū filij dei, aut creatoris in scripturis propheticis, maiora inuenturus quam in cōcione Iouis quæ in Timęo legitur. nam diuini sermonis character est futurorum prædictio, quę in naturam humanam non cadit, & iudicatur ex euentibus, quando euidens fit diuini spiritus prænunciatio. Itaque non omni accedenti dicimus, primùm crede de quo te doceo dei filium esse: sed vnumquenque alloquimur habita ratione morum eius & conditionis: vt qui didicimus, debere nos scire quō respondendū sit cuique: & quos faciliores ad credendū nā-

ciscimur, eis hoc prędicamus: cæteris quoad eius fieri po- K test demōstramus percōtādo vicissim ac respōdendo. Nec ita vt Celsus exprobrat dicimus, Crede esse hunc de quo te doceo Dei filium, quamuis ignominiose vinctus sit & turpi affectus supplicio, quamuis heri & nudiustertius in conspectu omnium tractatus probrosissime: nec dicimus, eapropter etiam magis crede, nam ad singula conamur plura dicere, quæ supra exposuimus. Post hæc Celsus de Christianis sic loquitur: Alij hunc inducunt, alij alium: omnibus tamen in promptu est commune illud verbum, crede, si vis saluus fieri, aut abi. Quid hic facturi sunt qui vere seruari cupiunt? num tesserarum iactu sortientur quò se vertere debeāt, & quibus addicere? Etiam ad hoc aperte respondebimus: si plures fuissent qui venissent in vitam hominum, quemadmodum narrāt de Iesu, Dei filio, & singuli ad se quosdam attraherent, vt propter similitudinem profitērium se Dei filios, incerta fides nostra fieret variantibus testimoniis, locum habuissent illa verba: alij hunc inducunt, alij alium: omnibus tamen in promptu est commune illud, crede si vis saluus fieri, aut abi. & reliqua, nūc autem per totum terrarum orbem Iesus prædicatur venisse ad humanum genus vnicus Dei filius, nam qui hæc prodigiosis, sicut Celsus, tribuētes artibus, similibus prodigiis conati sunt sibi conciliare fauorē multitudinis, nequam fuisse deprehensi sunt, Simon Samaritanus magus, & Dositheus eius conterraneus: quorum alter aiebat se virtutē illam magnam Dei, alter verò & ipse volebat haberi Dei filius, nunc nusquam gentium erant Simoniani, L quamuis Simon quo plures sibi pararet discipulos, sustulerit è sua doctrina mortis periculum, quod Christiani docebantur contemnere, dicens indifferentem rem esse idololatriā. Imò nec nulla persecutio contra Simonianos vnquam exorta est, sciebat enim malus dęmon doctrinæ Iesu insidiator nihil periculi rebus suis imminere à Simonis discipulis, cæterum Dositheani nec vnquam floruerunt, & nunc omnino extincti sunt, vt nomine tātum manente inter triginta non censeantur. Quin & Iudas Act. 5. Galilæus, vt Lucas in Actis apostolorum scribit volebat videri magnus aliquis, & prior illo Theudas: sed quia non proficiscebatur à Deo hæc doctrina, perierunt, móxque omnes qui eos sectati fuerāt dispersi sunt. Quare nō tesseris sortimur quo nos debeamus vertere, aut quem sequi, cum nulli sint, qui nos in diuersa trahant profitendo se à Deo missos ad genus humanū. Verùm de his satis hactenus: transeundum est ad aliam Celsi calumniam, ne sententias quidem nostras scientis, sed male intelligendo affirmantis nos dicere, hominum sapientiam esse apud Deū stulticiam: cum Paulus dicat: Sapientia huius mundi, stul- 1. Cor. 3. ticia est apud Deum. Hic Celsus ait huius rei causam iam dudum redditā: putātque causam esse, quod velimus per hæc verba solos imperitos & fatuos ad nos allicere. Sed M id iam ante à se dictum ipse significat, & nos ad hoc pro viribus respōdimus: attamen conatur ostēdere hoc quoque nos mutuatos à Gręcorum sapientibus, dicentibus, aliam esse diuinam, aliam humanam sapientiam. Itaque hic dicta Heracliti adducit in medium vnum illud. Nam hominum mores rationem non habent, Deorum habent alterū, Vir stultus audit à dæmone, sicut puer à viro, adducit & ex Plat. apologia pro Socrate scripta illud: Equidē viri Athenienses non ob aliud quam ob sapientiā quandā eiusmodi nomen adeptus sum. Sed ob quam sapientiam? forte ob eam quæ humana sapientia est. nam hac reuera sapiens esse videor. Celsus quidē hæc citat, ego verò vnū etiam his addam ex Platonis ad Hermiam & Erastum Coriscumque epistola: Erasto autē & Corisco præter sapientiam istam de specieb. pulcherrimam, alia insuper affirmo, & si sum senex opus esse sapientia aduersus improbos iniustósque cauendi, & ad resistendum potentia. sunt enim inexperti fraudum: quia penes nos cum hominib. viuere diu consueti sunt minime malis. quapropter illos huiusmodi quādā indigere dico cautione, ne cogantur verā negligere sapientiam, & humanam hanc necessariámque plusquam deceat, meditari. Itaque iuxta hos alia est huma

na

A na sapientia, alia diuina. humana quidem, quæ à nostris sapientia mundi huius dicitur, quæ est stulticia apud Deũ. diuina vero & ab humana diuersa, siquidem est diuina, per gratiam Dei donata contingit his qui sese præparando fecerunt ad eam accipiendam idoneos: præsertim his qui vtriusque differẽtiam scientes, in suis ad Deum precibus dicere solent: etiam si quis perfectus sit inter filios hominũ, si à te data sapientia careat, pro nihilo reputabitur. proinde gymnasium animæ humanam sapientiam dicimus, scopum verò & finem diuinam, quæ etiam solidus animæ cibus vocatur apud illum qui sic loquitur: Perfectorũ autem est solidus cibus, eorum qui propter consuetudinem exercitatos habent sensus ad dignoscendũ bonum à malo. Est quidem antiqua hæc opinio, sed nõ vt Celsus putat ad Platonẽ referenda vel Heraclitũ, longe enim ante horũ ætatem prophetæ fecerũt hoc discrimen vtriusque sapiẽtiæ, (Heb.5.) id quod vel Dauidis testimonio satis manifestũ esse poterit: qui de diuina sapientia prædito dicit, non visurũ corruptionẽ cum sapientes morientes viderit. Diuina igitur sapientia primũ locum inter Dei Charismata quæ vocãt obtinet: secundũ vero, vt censent qui ista sciũt exactius, quæ vocatur cognitio: tertiũ deinde, quis opus est etiã simpliciores ad pietatẽ pro viribus accedere ac saluos fieri, fides, quãobrem dicit Paulus: Alij quidẽ per spiritũ datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiç per eundẽ spiritũ, alij vero fides (1.Cor.12) B in eodẽ spiritu. quapropter nec vulgares homines inuenire licet diuinæ sapiẽtiæ participes: nec imperitissimo cuique vilissimo rudissimoque enarratur hęc sapientia, vt Celsus eos nominat qui nesciunt profanas literas & disciplinas græcanicas. nos vero eos dicimus ineruditissimos quos nõ pudet alloqui res inanimas, & sanitatem ab infirmis petere, vitam à mortuis, opem ab inopibus. quod si quis dixerit ista non esse Deos, sed Deorum verorum imagines & signa nihilominus hi quoque imperiti, viles, & ineruditi sunt, qui Deos imaginantur in manufacturis opificum, adeo vt nec infimi quidem è nostris hominibus laborant huiusmodi imperitia. attamen vel prudentissimos capaces spei diuinæ fatemur: sed non dicimus impossibile vt diuinã sapientiam percipiat (Gen.2.) qui se prius in humana non exercuerit, vt qui omnem humanam sapientiam, si ad diuinam cõferatur, stulticiam esse ducimus. Hic vbi agendum erat rationibus, iste præstigiatores nos vocans, ait vitari à nobis omnes elegantiores, quod hi non temere decipiantur, solos rusticiores illaqueari. nescit enim iam olim nos habuisse viros sapientes excultos disciplinis exoticis Mosem illum eruditum in vniuersa doctrina Ægyptiaca, Danielem, Ananiam, Azariam, Misaelem, peritos omnis literaturæ Assyriorum, adeò vt omnes eius gentis sapientes superarẽt decuplo. quin & hodie habent ecclesiæ in tanta multitu- C dine plebeiorum aliquot excellenter doctos: qui à carnali quam vocemus sapientia desciscentes nobis se adiunxerunt, & in his quosdam qui ab illa ad diuinam ascenderunt sapientiam. Post hæc Celsus quasi leui aliquo rumore de Christiana humilitate ac ne hoc quidem satis intellecto tactus, fatetur quidem eam apud nos esse: putat tamen hanc quoque perperam desumptam è Platonis doctrina, qui in libris de legibus alicubi sic loquitur: Deus enim (vt vetus prouerbium est) principium & finem rerum omnium & media continens, quæ recta sunt peragit naturæ accedens: hunc vero iusticia semper subsequitur, eos plectens, qui diuinam soluerint legem: hanc iusticiam qui futurus est fœlix, humilis & compositus sectatur. Nec videt apud multò Platone antiquiores extare in precibus voces illas: Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me, nisi humiliter. Vnde docemur & hoc, non eam esse humilitatem si quis se abiecte demittat humi flexis genibus, aut pronus procumbat sordidatus miserabiliter & fœdatus puluere. nam quisquis ita vt hic propheta est humilis, ambulans in magnis & mirabilibus cogitationibus suũ intellectũ excedentibus sub potẽti manu Dei se humiliat. quod si qui per imperitiã parũ intelligẽtes hoc de humilitate dogma, illa quæ diximus abiecta factitãt, nõ

doctrina in culpa est, sed vulgaris ignorãtia, quæ postpositis potioribus deteriora sequitur. Magis enim quã ille apud D Platonem humilis est & cõpositus, quisquis se cõponit eo quod ambulet in magnis & mirabilibus super se, & tamẽ spõte humiliatur, non sub quolibet, sed sub potẽti manu Dei, iuxta doctrinã Iesu magistri discipulorũ taliũ: qui non rapinam arbitratus est, vt esset æqualis Deo: sed semetipsum (Philip.2.) inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominũ constitutus, & figura repertus vt homo, humilẽ præbuit semet ipsum, factus obediens vsque ad mortẽ, mortẽ autẽ crucis. Estque tã præclarũ hoc humilitatis institutũ, vt nõ vulgarẽ autorẽ habeat, sed ipse noster seruator dicat. Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus vestris. Post hæc dictũ illud in diuites, facilius esse camelũ intrare per foramẽ acus, quã diuitẽ in regnũ cœlorum, (Matt.11) ait Iesum omnino à Platone paucis mutatis desumpsisse: quandoquidẽ ipsius sit sẽtentia, impossibile esse vt eximie bonus idem egregiè diues sit: Quis nõ rideat Celsum vel mediocriter cordatus, siue is Christianus sit, siue vnus reliquorum hominum, dum audit Iesum apud Iudæos natum & educatum, Iosephi fabri existimatum filium, qui nunquã ne hebræas quidẽ nedũ græcas literas didicerit, sicut de hoc veraces scripturæ testantur, legisse libros platonicos: & delectatũ eius sententia de diuitibus, Impossibile esse vt eximie bonus idem egregie diues sit, detorsisse nonnihil & nouam ex ea fecisse facilius esse camelum per foramen acus intrare quàm diuitem in regnum Dei: quod si B Celsus candido animo & veritatis studioso versasset euangelia, didicisset curnam ad hanc collationem camelus potissimum adhibeatur, & animal distortum conferatur cum diuite: tum quid sibi velit angustum illud acus foramen, cui similis æque angusta & compressa dicitur via deducẽs ad vitam. adhæc in lege inter impura censeri hoc animal quamuis ruminet, sed improbatum quia non diuidat vngulam, considerasset etiam quoties in sacris literis cameli nomen inueniatur, & de quibus vt videret verbi Dei volũtatem de diuitibus: nec illud indiscussum reliquisset, quod Iesus mactos dicat pauperes, diuites vero miseros: vtrum hæc de sensibilibus dicta sint pauperibus & diuitibus, an quandam paupertatem omnino beatam norit Dei filius, & rursum pœnitus damnandas diuitias: quandoquidem nec idiota indiscrete laudaret pauperes, quorum multi sunt pessimis moribus. verùm hæc quidem hactenus. Quoniã autem deinceps extenuare volens quæ apud nos de regno Dei scripta sunt, nihil horum memorare dignatus est, aut fortasse ne legerat quidem, sed Platonis sententias ex epistolis & Phædro adducit, quasi diuinas, & quasi nihil tale habeatur in nostris literis: age pauca proferamus vt conferantur cum Platonicis, verisimiliter quidem & proba- F biliter dictis, quæ tamen non tantum apud ipsum philosophum valuerint, quantum debuerant, vt cum ad veram pietatem & conditorem huius vniuersitatis colendum conuerterent, ablegata quæ religionem viciat & contaminat, siue idololatria vt nos nominamus, siue superstitione vt vulgus loquitur: Hebraica certe figura in decimiseptimi Psalmi Deus dicitur posuisse latibulum suum in tenebris: quo significatur neminem posse cogitare de Deo pro dignitate ipsius, velut in tenebris latentis quantum ad homines cognitionis eius splendorem non ferentes attinet, nec obtueri valentes, partim propter mentis impuritatem vinctæ humiliato hoc corpore, partim propter eius angustias haudquaquam capaces tanti numinis. Vt autem sciatur quam rarum sit paucisque mortalium concessum (Exod.24) Deum cognoscere, scriptum est Moysem ingressum esse caliginem vbi Deus erat: & iterum de eodem: Moses solus prope Deum accedet, reliqui non accedent. Ac rursum vt propheta indicaret profunditatem diuinorum dogmatum, incomprehensibilem his qui carent spiritu scrutante omnia, etiã arcana Dei, Abyssus, inquit, sicut vestimentũ amictus eius. quin & Seruator noster ac dñs, Dei verbum, ma- (Psal.104) gnitudinem cognitionis indicans qua pater eius noscitur, quódque pro dignitate ab ipso solo noscatur, secundo vero loco à mentibus illuminatis per verbum Dei, Nemo,

G inquit, nouit filium nisi pater, neque patrem nisi filius, & cui filius reuelauerit. nam neque ab æterno genitum omnisque creatæ naturę primogenitum quisquam pro dignitate potest nosse nisi pater ipse qui genuit: neque patrem quisquam æque ac animatum eius verbum, veritas & sapientia: eorum particeps tollentis à patre tenebras quas scriptura nominat, uby lumque quo amictus est, ipso reuelante quoad fieri potest eum cognoscunt. Hæc è multis pauca disserui desumpta è sacrorum virorum de Deo commentationibus, ostendens plus grauitatis inesse his quam sermonibus Platonicis, modo affectas oculos qui maiestatē scripturarum introspicere valeant, verba Platonis quæ Celsus adduxit ita se habent. Omnium regem omnia circumstāt, & illis gratia vniuersa, & bonorum hic omnium causa. Secundum autem circa secunda, & tertium circa ea quæ tertia sunt. Humana igitur anima circa hæc cupit perdiscere qualia sint in ea intendens quæ sibi cognata sunt, quorum nihil se habet sufficienter. De rege vero & aliis supra dictis nihil est istiusmodi. Possem & ego in medium adducere quæ de Seraphim apud Hebræos vocatis scribit Esaias, operientibus Dei pedes & faciem, vel quæ de nominatis Cherubim narrat Ezechiel, qua sint effigie, & quomodo Deus dicatur super Cherubim inuehi: sed quia hæc valde operte dicta sunt propter indignos nō valentes assequi maiestatem & sublimitatem huius theologiæ, non arbitratus sum conuenire huic operi tractationem rerum talium. Deinde Celsus ait quosdam Christianos occasione arrepta ex Platonis verbis non intellectis iactare supercœlestem Deum, & cœlum Iudæorum transcendere: non satis hîc declarans, vtrum & Deum Iudæorum transcendant, an solum cœlum per quod illis iurare mos est. cęterum de his qui alium Deum prædicant præter eum qui à Iudæis adoratur, dicere non est huius propositi: sed nostram tantum causam agere, & ostendere quod Iudæorum prophetæ nihil potuerunt à Platone accipere, cū antiquiores eo fuerint. Itaque ne ista quidem modo recitata inde accepimus, de regē omnium propter quem sint omnia, sed his longe præstantiora ex prophetis hausimus, ipso Iesu interpretante suis discipulis, quid per hæc oracula significare voluerit spiritus sanctus, qui fuit idem etiam Christi spiritus. Nec primus hic philosophus docuit de supercœlestibus, sed iam olim Dauid sublimiores rebus sensibilibus de Deo contemplationes docuit nos dicens, Laudate Deum cœli cœlorum, & aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini. Illud nolim inficiari, sententias istas quæ in Phædro leguntur Platonem hausisse ab aliquibus Hebræis, aut vt quidam scripserunt, etiam lectis prophetarum libris, inseruisse disputationibus suis quædā de supercœlestibus vt illud: Supercœlestia loca è nostris poetis cecinit nemo, neque in posterum pro eorum dignitate decantaturus est: & quæ deinceps sequuntur, in quibus & illud: Substantia enim quæ nec colorem nec figurā admittit, nec tāgibilis est, animæ haud dubia gubernatrix, solamente conspicitur, circa quam verę scientię genus hūc obtinet locum. illis prophetarum oraculis eruditus Paulus noster, supermundana & supercœlestia desiderans, eorumque consequendorum causa nihil non faciens, sic scribit in posteriore ad Corinthios epistola. Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ mire superamodum æternum pōdus gloriæ parit nobis, dum non spectamus ea quæ videntur, sed ea quę non vidētur. nam quæ videntur, tēporaria sunt: at quæ non videntur, æterna: vbi statim auditori succurrit idoneo, res sensibiles ab eo dici quæ videntur, intelligibiles vero quæ non videntur. sic etiam temporaneorum nomine accipiet sensibilia quæ vidētur, ęternorum vero quæ intelliguntur, non etiam videntur: quorum contemplatione potiri cupiens, præ nimio desiderio nihili facit vt leues quasuis afflictiones, haud grauatim ferēs vel cum maxime affligunt, spe illius contēplationis recreante: quoniam habemus pontificē maximū qui magnitudine virtutis & intelligētię suę penetrauit cœlos, Iesum Dei filium, pollicētē germanis discipulis & digne diuina institutione viuentib. euectură se illos supra mundana omnia. ait enim, vt quò ego vado, ibi & vos sitis, quamobrē nos post exactos labores & certamina speramus in summū cœlū nos euasuros, & fontes aquæ salientis in vitā æternā hauriendo iuxta Iesu doctrinā, & flumina contemplationū percipiendo, versaturos cum aquis illis de quibus scriptura loquitur supercœlestibus, laudantibus nomen domini: & quandiu laudabimus eum, non circūagemur cœli vertigine, semper intēti in inuisibilia Dei, non amplius ex mūdana creatura noscitantes eum, sed facie ad faciē, vt loquit germanus ille Iesu discipulus: & rursum aliàs: Vbi venerit quod perfectū est, tunc quod ex parte est euacuabitur. Porrò septē cœli, aut certus aliquis eorum numerus nusquam est in scripturis receptis ab ecclesiis Dei: sed cœli, siue orbes planetarum quos Gręci vocant, siue quid secretius significetur per eos. K

Viā quoque animarū in terram & à terra Celsus iuxta Platonem ait transire per planetas: Moses vero prophetarū antiquissimus in somnio Iacobi visionem diuinā narrat, scalā in cœlum pertingentē, & angelos Dei descendentes ascendentésque per eam, dn̄m vero innixum summæ scalæ: siue hoc ipsum subindicans per scalā, siue maius aliquid: de quo & Philo librum cōposuit, dignū qui examinetur à sapientibus veritatis amatoribus. Deinde vt in libro contra nos scripto Celsus variā eruditionem suam ostentaret, inserit quædā mysteria Persica, vbi dicit: Hæc subindicat & Persarum doctrina, & Mithræ sacrū eis gentile: est enim in eo duarū cœli reuolutionū significatio, tum eius qua stellæ fixæ feruntur, tum eius qua planetæ, & animæ per eas transitus tale symbolū. scala est in altum aliis super alias portis surrecta vsque summū octauę portæ fornicē prima portarum est plumbea, secunda stānea, ahenea tertia, quarta ferrea, quintu mixti nomismatis, sexta argentea, septima aurea, primā faciunt Saturni, plumbo notantes tarditatē eius sideris. secundam Veneris, comparantes ei stāni splendorē & molliciē, tertiam Iouis æratā & solidam. quartam Mercurij. est enim laborū patiens & negotiator, æque ac ferrū celebratus hominibus, quintā Martis, propter mixturam inæqualem & variā. sextā lunæ argenteā, septimā solis aureā, coloribus suis referentes ea sidera. deinde examina causam sic recensiti stellarū ordinis, indicati per Symbola nominū portæ reliquæ, admiscens etiā rationes musicas ex Persarū theologia. móxque pari ostentatione secundā narrationē adiungit, pertinentem ad contēplationes musicas: quam si referrē æque ac Celsus absurde facerē, qui contra Christianos & Iudęos agēs nō cōtentus fuit Platonē intēpestiue allegare, sed etiā persica Mithræ mysteria, eorūque enarrationē protulit. Ea siue ficta sunt, siue reuera celebrantur à Mithriacis & Persis, nihilo magis huc facrūt quam quęvis alia mysteria, vel eorum enarratio. non enim maioris apud Græcos existimationis sunt quā Eleusinia, aut quibus apud Æginenses initiantur sacra Hecates. quod si barbarica memorare placuerit, quin potius Ægyptiorū adduxit à multis veneranda, aut Cappadocum Dianę sacra in Comanis, aut Thracū, aut Romanorū quibus initiātur etiā senatores nobilissimi. Hæc si intēpestiua videbantur vt nihil facientia ad Iudæorū Christianorū ve accusationē, qui factū est vt nō idē ei videretur de Mithriacis? Quod si quis velit nō ab hac secta obscurissima, sed è libris, vel Iudaicis qui tam in synagogis quam à Christianis legūtur, vel solorū Christianorū, petere rationes magis mysticæ introductionis animarum ad contēplandas res diuinas, legat finē Ezechielis prophetię & eius vatis visiones: in quibus variæ portę describuntur, per ęnigmata indicātes diuinarū animarū ad meliora introitus. legat itē in Ioannis apocalypsi de ciuitate Dei cœlesti Hierusalem, & fundamentis eius atque portis. quod si potest etiam viam ad res diuinas iter facientium per symbola & figuras indicatam discere, legat librum Mosis cui titulus est Numeri, & quærat aliquem qui se valeat introducere ad mysteria scripta de castrorum metationibus filiorum Israelis, quæ nam sint prima sita versus orientem quænam versus austrum & Africum, quænam versus mare, quæve postrema aquiloni obiacentia. videbit enim contemplationes non contēnendas in his locis, non vt Celsus existimat, stultis auditoribus conuenientes atque vilibus. L M

Math. 11
Esa. 6.
H
I
Gen. 28.
Ezech. 44
Apoc. 21

perci-

A percipiet enim quædam in his ad numerorum naturam
pertinentia, adaptata singulis tribubus, quæ nunc non est
tempus exponere. Sciat autem Celsus & qui librum eius
lecturi sunt, nusquam in receptis sactis scripturis dici septē
cœlos, nec aliquid nostros prophetas mutuatos à Persis
aut Cabiris, nec Iesu apostolos, nec ipsum dei filium. Dein-
ceps post Mithriacorum mentionem Celsus iubet eũ, qui
velit sacra Christianorum conferre cum persicis modo di-
ctis, primum retegere Christiana, & sic considerare quid
intersit: & cum hactenus nó grauatus sit edere nomina hę-
resium quas nouerat, hîc vbi maxime debuerat hoc face-
re, si sciebat, & doceret quænam sit illa hæresis quæ descri-
pto à se typo vtatur, nihil tale fecit. sed quantum ex ipsius
verbis colligo, istam descriptionem à secta Ophianorum
obscurissima sumpsit, dũtaxat ex parte. in eam nos cogno-
scendi studio incidimus, inuenimúsque ibi figmenta ho-
2.Tim.3. minum, sicut Paulus loquitur, penetrãtium domos, & ca-
ptiuantium mulierculas oneratas peccatis, distractas cupi
ditatibus varijs, semper discentes, & nunquam valentes ad
cognitionem veritatis peruenire. istorum tamen diagram-
ma tam absurdũ est vt nec simplicissimis muliereulis pro-
betur, nec rusticissimis hominibus. itaque quamuis multas
regiones perlustrauerim, vbicunque quærens eos qui se a-
B liquid scire profiterentur, nusquam tamen inueni fautores
eius diagrammatis: in quo erant circuli decem comple-
ctentes alius alium, ambiente omnes vno circulo, qui di-
cebatur esse vniuersalis anima nominata Leuiathã: quem
Iudæorum scripturæ aliquid occultum subindicantes aiũt
creatum à deo ad ludibrium. Sic enim in Psalmis legimus:
Iob. 40. Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra creaturis tuis,
Psal. 104 mare magnum & spatiosum nimis: illic naues pertranseũt,
animalia parua magnáque, draco iste quem finxisti ad il-
ludendum ei. In Hebræo pro draconis vocabulo habetur
leuiathan. Et hunc tam manifeste damnatum à propheta
leuiathan illa impia delineatio faciebat animam vniuersa
penetrantem. in ea inuenimus & quendam nominatum
Beemõ, subiectum omnium infimo circulo. Hunc autem
leuiathan illius impij diagrammatis fictor & in circũferen-
tia & in cẽtro scripsit, bis posito eius nomine. addit Celsus
diagramma id diuidi nigra linea crassa, eámque vocari ge-
hennam, qui est tartarus, nos autem cum gehennam in-
uenissemus in euangelio pro loco pœnarum, quæsiuimus
sicubi in antiquorum scriptis haberetur, præsertim cum
Malach.3 & Iudęi vtãtur hoc vocabulo: inuenimúsque in eis vallem
Zach.5. filij Ennon alicubi nominari, pro qua in Hebręorũ literis
indifferenter nunc vallis Ennon nunc gehenna legitur: &
inter legendũ obseruauimus in sorte tribus Beniamin cen-
seri gehennem siue vallem Ennon, vbi erat etiam Hierusa-
C lem: cúmq; amplius examinaremus, quid ita cœlestis Hie-
rusalem contribuatur Beiniamiticæ tribui, in qua & vallis
Ennon est, inuenimus eñ locum pœnarum accipi pro tor-
mentis animæ purgatoriis iuxta illud: Ecce dominus venit
vt ignis conflans, & herba fullonum: & sedebit conflãs &
emundans tanquam argentum & aurum quod belle qua-
dret circa Hierusalem esse pœnas eorum qui conflandi ve-
niunt, quia nonnihil maliciæ in substantiam animæ ad-
miserint, quæ figurate plumbum dicitur: vnde apud Za-
chariam iniquitas plumbi talento insidet. cuius loci enar-
ratio nec vulgaris est, nec huic tempori conuenit: ac ne tu-
tum quidem est talia mandare literis, cum plerisque non
alia sit opus doctrina quam de peccatorum pœnis. his non
expedit philosophari altius, cum vix metu æterni supplicij
compescantur quin præcipites ruant in omne viciorum
genus. Itaque nec diagramma illud nec Celsus quid sit ge-
henna didicit: alioqui nec pictores illi vt rem præclaram
delineassent ista diagrammata, quasi docentes hoc pacto
veritatem: nec Celsus in calumnioso suo scripto contra
Christianos inseruisset quæ nunquam à Christianis dicta
sunt, sed à quibusdam quorum iam aut nullæ supersunt re-
liquiæ, aut perquàm exiguæ. Et quemadmodum Platoni-
corum non est causam pro impiis Epicuri dogmatis dice-
re, ita nec nostrum est respõdere pro isto diagrammate ad
ea quæ Celsus obiicit: quamobrem hæc vt superuacua te-

mereque Celso memorata prętermittimus, quãdoquidem D
nos longe vehementiores quam iste accusatores sumus
portentorum talium. Post nugamentum de diagrammate
aliud de sigillo affert, cuius ne occasionem quidem acce-
pit ab ecclesiasticis, noua quædam sibi fingens de mutuis
verbis sigillo signantis qui vocetur pater, & signati qui
iunior dicatur siue filius, respondeátque suo signatori, vn-
ctus sum vnguento albo è ligno vitæ: id quod ne ab hære-
ticis quidem fieri vnquã audiuimus. ac mox adiungit cer-
tum numerum eorum qui à signatore prædicentur ange-
lorum 7. vtrinque adstãtium animæ migraturæ è corpore
quorum alteri sint lucis, alteri vocẽtur principales: atque
principalium principem vocari deum detestabilem. In ta-
lia docentes inuectus merito damnat eorum audaciam:
quapropter & nos non minus indignamur quam accusa-
tores istorum, si tamen sunt qui Iudæorum deum dicant
execrabilem, pluentem & tonantem, mundi opificẽ, Mo-
sis & ab illo descriptæ creationis deum. Hic videtur Cel-
sus parum candide sentire de nobis, vt qui in consiliũ ad-
hibuerit odium indecorũ philosopho, idque valde illibe-
raliter. volebat enim rerũ nostrarũ imperitos lectione sui
commentarij nobis infensos reddere, acsi deum dicamus
execrabilẽ, qui sit huius mũdi bonus conditor: videtúrque
mihi fecisse idem quod Iudæi Christianæ doctrinæ initio,
sparso rumore, quòd eius sectæ homines mactati pueri ve-
scerentur carnibus: & quòd quoties eis libet operam da- E
re occultis libidinibus, extincto lumine constuprer quam
quisque primam nactus fuerit. quæ falsa & iniqua opinio
dudum valde multos à religione nostra alienos tenuit, per
suasos quod tales sint Christiani: nec desunt hodiéque im-
postores qui hoc pacto deceptos à se non sinãt vel simplex
colloquium habere cum Christiano homine. Tale quid-
dam Celsus vt mihi videtur pręstruens dixit à Christianis
deum creatorem vocari execrabilem, vt qui huius calum-
niis credat, Christianos tãquam extreme impios ad inter-
necionem prosequatur odio. hic miscens & confundens
omnia quasi causam redditurus cur Deus ille iuxta Mosem
mundi creator dicatur execrabilis ab huius opinionis au-
toribus, ait hoc iden factum, quia execratus est serpentem
qui primis hominibus boni malique scientiam indidit. at-
qui debuerat scire, istos quibus serpẽs placet vt bonus pri-
morum hominum consiliarius, Titanibus & gigantibus
magis impios, Ophianos ob id vocatos, tantum abesse vt
Christiani sint, vt non minus quam Celsus Iesum accusent,
nec quenquam admittant in suum sodalitium ni prius Ie-
sum execratus fuerit. Vide quam absurde Celsus faciat in
oratione contra Christianos admiscens vt Christianos qui
nomen quidem Iesu audire sustinent, vel quatenus vir bo-
nus fuit & sapiẽs. Quid igitur stultius aut insanius vel ser-
pentem pro autore bonorum habentibus, vel Celso, qui F
quod in Ophianos iaculatur putat in Christianos cadere?
Fuit apud Græcos philosophos frugalitatis amator, qui
exemplo suo volens ostendere egestatem felicitatis nihil
officere, professus est se cynicum: at isti impij quasi non
homines quorum serpens inimicus est, sed ipsi serpẽtes es-
sent, gaudẽt ophiani denominari ab infensissimo & hor-
rendissimo hominibus serpẽte, Euphratem quẽdam huius
impietatis habentes autorem. Deinde quasi Christianis
conuicium faciens, & accusans execratores Dei Mosis le-
gisque per eum latæ, Christianos esse putans qui dicũt ta-
lia: Quid, inquit, stultius aut insanius hac insipiente sapiẽ-
tia? An errauit Iudæorum legislator? qui fit igitur vt con-
diti orbis initia dicas te per allegoriam figurate accipere,
ipsámque Iudæorum legem: & licet impius, tamen velis
nolis laudes mundi opificem pollicentem suis incremen-
tum generis propagandi vsque orbis terminos, & resurre-
ctionem à mortuis vnà cum ipso corpore & sanguine pro-
phetásque afflantem: móxque vice versa eidem cõuicieris?
Nimirum hæc fateri dum cogeris, agnoscis vt deum colen
dum: quoties autem contrà tuus magister Iesus quàm Iu-
dæorum Mosea statuit, relicto hoc Deo & patre quæris a-
lium. Hîc sanè Celsus vt egregiũ philosophum decet aper-
te Christianos calumniatur, dicens eos parũ sibi cõstantes

G nunc Iudæis confessionem exprimentibus eundem cum
ipsis deum agnoscere: nunc Iesu contrarias Mosaicis leges
statuẽte, alium pro hoc deum quærere. Nos enim siue cum
Iudæis agamus, siue inter nostros versemur, vnum & eun-
dem scimus, quem & olim Iudæi, coluerunt deum, & nũc
se dicunt colere, nec in eum sumus impij. cum non prædi-
camus mortuos resuscitaturum vnà cum ipsa carne & san-
guine, vt iam supra dictum est. non enim hoc quod semi-
natur in corruptione & ignominia, & infirmitate, anima-
le corpus dicimus resurgere quale seminatum est. verùm
de his superius mediocriter disseruimus. Deinde iterum
reuocat septem illos principales dæmonas qui nusquam
apud Christianos nominantur, quos tamen reperimus in
isto diagrammate, ordine quo Celsus recenset. Is primum
dicit leonina specie formatum; non apponens quomodo
eum nominent homines vere impij: nos tamen inueni-
mus quòd illum in sacris literis laudatum creatoris ange-
lum hoc sceleratum digramma vocat Michaelem leonina
facie. secundum Celsus ait esse taurum, diagramma verò
quod nos habebamus hunc taurum Surielem nominat:
tertium Celsus horrisonum sibilatorem in terris simul &
aquis degentem, eundem diagramma tertio loco Ra-
phaelem serpentiformem: Celsus item quartum aquilina
specie, quem diagramma dicit Gabrielem æquè aquilifor-
H mem. quintum deinceps Celsus vrsina facie, nominatum,
Thauthabaoth vrsiformem in diagrammate. sextum ca-
nina facie, qui apud istos eodem descriptionis ordine no-
minetur Erathaoth. porrò septimum Celsus ait habere asi-
ni faciem, nominarique Thaphaoth siue Onoel: nos in
diagrammate inuenimus quòd vocetur Onoel siue Thar-
tharaoth, asinina specie visendus. Libuit autem nobis
diligenter exponere talia, ne videamur ignorare quæ Cel-
sus se scire profitetur, sed ostendamus hæc melius cognita
nobis Christianis, non vt Christianam doctrinam, sed vt
hominum à salute alienorum, nec vsquam Iesum dignan-
tium titulo seruatoris, aut Dei, aut magistri, aut Dei filij.
Quod si quis cupit figmenta illorum præstigiatorum co-
gnoscere, quibus conati sunt, & si non magno successu,
homines ad suam doctrinam pertrahere, quasi arcana quę-
dam continentem: audiat quid doceãtur dicere postquam
septa vitiorum (vt ipsi loquuntur) transgressi fuerint, &
portas principum astrictas perpetuo: Regem vnius moris,
vinculum cæcitatis, obliuionem incircumspectam saluto
primam potentiam, spiritu prouidentiæ & sapientia con-
seruatam: vnde sincerus mittor iam pars lucis filij patris-
que. Gratia sit mecum, ita, pater, sit mecum aiúntque se
iam esse intra principatus ogdoadis. deinde prætergressi
quem nominant Ialdabaoth, sic docentur dicere: Tu au-
I tem confidenter prime & septime nate ad imperãdum Ial-
dabaoth, cum sis princeps verbũ sinceræ mentis, opus per-
fectum filio & patri Charactere typi, vitę symbolum infe-
rens, qui quam clausisti seculo tuo portam mundo aperui-
sti, transeo tuam liber rursum potestatem. Gratia sit mecũ,
ita pater, sit mecum. aiunt autem leoniformi principi con-
sensum esse cum stella Phænonte. deinde putant ei qui
præterito Ialdabaoth peruenit ad Iadin dicendum: Tu au-
tem occultorum mysteriorum filij patrísque princeps no-
ctiluca secunde Iao, & prime domine mortis pars inno-
centis, gestans iam proprium indicium, accedo libẽs tuum
principatum. confirmasti ex te natum verbo viuente. gra-
tia sit mecum. ò pater sit mecum. Deinceps ad Sabaoth sic
censent dicendum: Quintæ potestatis princeps, dynasta
Sabaoth, præloquutor legis tuæ creaturæ solutæ per gra-
tiam potentiorum pentade, admitte me symbolum, ter-
minum tuæ artis irreprehensibilem effigie typi conserua-
tum, pentade solutum corpus. Gratia sit mecum, ô pa-
ter sit mecum. Deinceps Astaphium sic credunt com-
pellandum. Tertiæ princeps portæ Astaphie episcope
primæ aquæ principatus, vnum me ex initiatis respiciens
admitte, virginis spiritu purgatum videns à mundi sub-
stantia. Gratia sit mecum, ò pater sit mecum. Post hunc
Ælozum sic putant alloquendum: Secundæ princeps por-
tæ Æolæe admitte me tuæ matris ferentem tibi Symbo-
lum gratiam velatam virtutibus potestatum. Gratia sit K
mecum ò pater sit mecum. Postremum autem Horæum
nominant, eíque hęc dicenda putant: Superata sepe ignis
intrepide, primam sortite portam Horæe admitte me nix
videns virtutis Symbolum solutum typo vitæ ligni, ima-
gine assumptum secũdum innocentis similitudinem. gra-
tia sit mecum, ô pater sit mecum. Adhæc nos adegit Celsi
vt putatur eruditio varia, verius autem curiositas & nuga-
citas, dum volumus ostendere lectori scriptorum illius, &
nostræ responsionis, nos non nescire ista eius erudita, quæ
nobis obijcit falso, nihil tale sapientibus, nec apud nostros
inueniẽtibus: quamuis ipse hæc quoque cognoscere volui
& exponere, ne impostores plura quam nos se scire profi-
tentes decipiant aliquos imaginatione horum nominum
attonitos. Poteram autem & pluribus memoratis declara-
re quod & scimus istas præstigias, & auersamur vt alienas
ac impias, nec cõuenientes doctrinæ verè Christianæ quã
tuemur vsque ad mortem. Sciendum tamen quod qui hæc
composuerunt, neque magiam callentes, neque sacras scri-
pturas dignoscẽtes, commiscuerunt omnia, ea magna Ial-
dabaoth, Astaphæum, Horæũ: ea Hebraicis scripturis Iaoia
quem Hebręi nominant, Sabaoth, Adonæũ, Eloæum: quæ
de scripturis desũpta nomina sunt ipsius vnius dei: ad quod
non intelligentes ea professo inimici deo, putauerunt aliũ
esse Iao, alium Sabauth, tertium item ab hoc diuersum A- L
donęum, quem scripturæ vocant Adunai, & aliũ Eloæum,
quem prophetæ Hebraice nominãt Elaoi. Post hæc alias
deinceps fabulas Celsus exponit de quibusdam in princi-
pales formas reuertẽtibus, vt alij spirent leones, alij tauros,
alij dracones, aut aquilas, aut vrsos, aut canes. In eodẽ dia-
grammate inuenimus & quadrangulam formam quam
Celsus nominat, sitam ad paradisi portas vt aiunt illi mise-
ri, ibidem picta erat pro diametro circuli cuiusdam ignei
romphæa flammea, quasi excubans ad scientiæ lignum &
vitæ. cæterum Celsus aut noluit aut non potuit exponere
sermones, quos per singulas portas iuxta istorum impio-
rum fabulas proloquontur qui eas transeunt: nos & hoc
fecimus, vt finem huius profani mysterij Celso & lectori-
bus ostenderemus nosse nos, à Christiana pietate alienissi-
mi. Post iam dicta & quæ addidimus iis similia, subiungit
Celsus hæc: At isti alia super alia congerunt, prophetarum
sermones, circulos in circulis, defluxus ecclesiæ terrestris
circumcisionísque, Prunici cuiusdam fluentem virtutem
virginis, animam viuentem, iugulatum cœlum vt viuat,
terram cultro iugulatam, multos iugulatos vt viuant, su-
blatam è mundo mortem peccato mundi mortuo: rur-
súmque descensum angustum, portásque sponte patentes.
frequens autem ibi vitæ lignum, & resurrectio carnis à li- M
gno. quamobrem, opinor, magister eorum cruci affixus
est, & faber fuit lignarius, qui si fuisset è rupe præcipita-
tus, aut deiectus in aliquod barathrum, aut præfocatus la-
queo, aut artem exercuisset coriariam, vel cæmentariam,
vel ferrariam, esset super cœlos rupes vitæ, aut resurrectio-
nis barathrum, aut immortalitatis funiculus, aut lapis bea-
tus, aut ferrum dilectionis, aut sanctum corium. Quam
anum mulcendo infantulo tales fabellas insusurrare non
pudeat? Hìc mihi videtur Celsus omnia non intellecta
confundere. Probabile est eum audisse quarumcunque
hæresium sententiolas, eásque non amplius expensas con-
gessisse, vt imperitis ostentaret se gnarum doctrinæ, cum
reuera nesciat quid hæretici quid Christiani doceant: id
quod ex modo appositis eius verbis manifestum est. nam
vt prophetarum oraculis, nostrum est, qui Iesum esse
Christum illum ab eis pronunciatum euincimus, dum
ex euangelicis historiis ostendimus euentum vaticinio-
rum. Quod autem circulos in circulis dicit, vel iam di-
ctæ hæresis est, vno circulo, quem aiunt esse vniuerso-
rum animam & leuiathan, complectentis septimis prin-
cipales circulos: vel desumptum est ex Ecclesiaste non Eccles. 1.
satis intellecta sententia dicentis: Gyrans per circulos
spiritus proficiscitur, & in circulos suos reuertitur. por-
rò defluxus ecclesiæ terrestris circumcisionísque sumptus
videtur à quibusdam asserentibus ęonis cuiusdam ecclesiæ
cœlestis

A cœlestis demanationem esse hanc terrestrem ecclesiam: & circumcisionis cuiusdam purgatoriæ quæ illic fit signum esse circumcisionem in lege scriptam. Prunicam autem quandam sapientiam Valentiniani nominant iuxta erroneam suam sapientiam? eius symbolum volunt esse fœminam illam quæ duodecim annis laborauit sanguinis profluuio: quam auditam at non intellectam iste qui omnia Græcorum, barbarorum, hæreticorum, in vnam massam congerit, dixit fluentem virtutem Prunici cuiusdam virginis. cæterum anima viuens fortassis alicubi dicitur in arcanis Valentinianorum de creatore quem animalem vocant: aut fortassis ad differentiam animæ mortuę viuens anima recte à quibusdam dicitur eius cui salus contigit. Iugulatum autem cœlum nusquam dicitur quod sciam, nec terra iugulata cultro, multique iugulati vt viuant: vt facile credam Celsum hæc ea seipso finxisse. Sed cessaturam in mundo mortem postquam peccatum mortuum fuerit, id vero nostrum dogma est, qui hoc mysterium apud apostolum legimus: Cum omnes, inquit, inimicos subiugabit
1.Cor. 15. sub pedibus suis, tunc postremus inimicus destruetur mors. Scriptum est & illud: Cum hoc corruptibile incorruptionem induerit, tunc fiet quod dictum est. Absorpta est mors in victoriam. Iam descensum angustum fortasse
B dicent qui animarum in varia corpora migrationes asserunt: portas verò sponte apertas verisimile est dici à qui-
Psal. 117. busdam alludentibus ad illud Psalmi: Aperite portas iusticiæ vt introgressus confitear domino. Hæc porta domini, iusti intrabunt in eam. Ac rursum in nono Psalmo sic legitur: Qui exaltauit me de portis mortis, vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion. vbi portæ mortis significant peccata quę ducunt ad interitum. sicut econtrario per portas Sion intelliguntur bona opera. eodem modo & portæ iusticiæ dicuntur, quasi portæ virtutis. hæ sponte aperiuntur virtutem consectantibus. de ligno vero vitæ opportunius tractaretur in commentarus in genesim
Gen. 2. vbi narratur Deus plantasse paradisum. Resurrectionem autem non contentus sæpius iterasse Celsus quamuis non intellectam, nūc ait vocari resurrectionem carnis a ligno: quia, opinor, non bene audiuit illud figuratum. Per lignum mors, & per lignum vita: mors in Adamo, vita in Christo. Deinde cauillis in lignum ludens ait eius crebram mentionem fieri, vel quia magister noster cruci sit affix⁹, vel quod artem exercuerit materiarij, non videns lignum vitæ in Mosaicis repertri literis, nec animaduertens nusquam in euangeliis ab ecclesia receptis legi Iesum ipsum fabrum fuisse. putat autem nos per tropologiam de cruce illud vitæ lignum finxisse: ac proinde ait, quod si ille de rupe præcipitatus fuisset aut pertrusus in barathrum, aut laqueo strā-
C gulatus, finxissent super cœlis rupem vitæ, aut barathrum resurrectionis, aut immortalitatis funiculum. rursūmque Si, inquit, ideo finxerunt lignum vitæ, quia ille fuit faber lignarius, consequens erat vt si coriarius fuisset, aliquid de sancto corio dicerent: si cæmentarius, de beato lapide: si ferrarius, de ferro dilectionis. At quis non mox ab initio videat, nullius momenti esse has calumnias hominis, tantummodo conuiciantis iis, quos tanquam deceptos conuersurum se ad meliora pollicitus fuerat? Deinceps autem merito figmenta obiurgat, non ecclesiasticorum, sed fabulatorum asinicipites quosdam & alios leonum draconúmque speciem referentes inducentium. reuera enim vel anus ebria mulcens infantulum erubesceret, si tales ei denarraret occinerétve nænias, quales isti fabulantur de asinicipitibus, déque iterandis ad singulas portas sermonibus, cæterum ecclesiasticorum res ignotæ sunt Celso, ad quas intelligendas admodum pauci exercitati sunt, qui totam vitam suam dedicauerunt scrutandis iuxta Iesu monita scripturis, & in eruendis sacrarum literarum sensibus magis laborauerunt, quàm philosophi Græcorum in parandis profanis scientiis. Nec contentus vir generosus suo diagrammate, quo magis cumularet cōtra nos calumnias, qui nihil cum illo commune habemus, interserit quædam alia, istorum delitia repetens. sed quasi loquere-

tur de aliis. Ait enim: Illud cum primis mirandum, quòd D
inter illos supercœlestes circulos superne appicta quędam interpretantur, tum alia, tum præcipue duo hæc, maius & minus filij patrísque. inuenimus sanè in hoc diagrammate maiorem circulum & minorem: in quorum diametro inscriptus erat pater & filius. & inter maiorem in quo minor includebatur, duplicémque circulum compositum è flauo exteriore & interiore cœruleo, intercedere ceu septū securis specie: & superne paruum circulum cohærere cum altero è duobus prioribus, videlicet maiore, cum inscriptione dilectionis infernè autē eidē circulo aliū hærere cū inscriptione Vitæ. secundo vero circulo cōplectenti duos alios circulos inerat & alia figura rombi specie, cū inscriptione hac: Sapientiæ prouidentia. & intra communem eorum sectionem circulus erat, in eóque inscriptus intellectus, adiunximus autem huic responsioni nostræ hæc quoque, vt discat lector etiam ista melius Celso nos scire, non quemadmodum ille facit colligendo ex incertis confabulationibus, & nos quoque damnare talia.

An autem ostentatores talium rerum polliceantur aliquas artes magicas, & hæc sit summa eorum sapientię, nos nihil super hoc habemus compertum. nunquam enim horum quicquam spectauimus. Viderit Celsus qui iam sæpe mendacij conuictus est atque calumnię, nom hic etiam
E mentiatur: an quæ apud alienos à religione nostra deprehenderat, suis commentariis inseruerit. cuiusmodi magos & præstigiatores vtentes barbaricis dæmonum nominibus recte ait similes quibusdam, qui apud nescientes aliter eos à Græcis vocari, aliter à Scythis, ostentant voces quasdam prodigiosas. quas mox recenset desumptas ex Herodoto, Apollinem ab eis vocari Gongosyrum, Neptunum, Thatimasadem, Venerem, Argimpasam, Vestam Thabiti. Examinet autem qui potest, ne forte de his rebus vnà cum Herodoto Celsus mentiatur, cui non erat compertum an eadem esset Scytharum quę Græcorum de iis qui dij putantur sententia. Qui enim fit verisimile Apollinem Gongosyrum apud Scythas vocari, non enim puto interpretatione Græca vocis Gongosyrum fieri iuxta etymologiam Apollinis: aut quod Gongosyrus Scytharum lingua sonat, id significari per Apollinem, idem dicendum de reliquis. aliis enim causis moti Gręci suis numinibus indiderunt nomina. Scythę rursum aliis: eodem modo alius Persæ, aliis Indi, vel Afri, vel Æthiopes: prout quibusque visum est nominare, postquā semel a vera & prima religione defecerūt, qua rerū creatorē colimus. Satis autem iam ante declarauimus, non eundem esse Iouē & Sabaoth,
F quando etiā delinquis quędā attulimus è sacris literis. quapropter data opera repetēdorū eorundē occasiones declina. Deinde rursum è magicis artibus nūnihil admiscēs quod fortassis in neminem nostrum competat: fortassis etiam aliquibus ad decipiendos simplices diuinorum verborum potentiam sibi præsto esse videri volentibus, quędam memorat: Quid recēseam inquit, eos qui lustrationes docuerunt, & incantationes pellendis morbis arcendísue, aut effigies formásque dæmonum varias, & præter hæc in vestibus, numeris, lapidibus, plantis, radicibus amuleta diuersorum generum? Ad quam criminationem iniquum esset nos respondere, cum ne leuis quidem suspiciuncula de nobis sit quasi talia tractantibus. Post hæc videtur mihi facere sicut quidā nomini Christiano infensissimi, qui apud ignorātes qualis sit Christiana religio, reipsa expertos se asseuerāt, quod hoc genus vescatur infantulorū carnibus, & promiscue sine pudore contrectet eiusdē sectæ fœminas. quēadmodum enim cōpertum est mendacia hæc conficta esse à prophanis in odium Christianorū: deprehendi possunt & Celsi mendacia, dicentis se vidisse apud quosdam religionis nostræ præsbyterus volumina barbara, continentia dæmonum nomina & præstigias. addit hos ipsos presbyteros nihil boni profiteri, sed omnia hominibus noxia. Atque vtinam omnia quæ Christianis Celsus obiicit essent talia, vt à plurimis reipsa coargueretur vanitas, conuersantibus cum Christianis, & nihil

G vnquam tale ne audiẽtibus quidem de ipsorum motibus. Deinde velut oblitus contra Christianos se scribere, ait Dionysium quẽdam musicum Aegyptium familiarem suũ dicere solitum de magia, posse hanc aliquid in rudes & male moratos homines, cæterum contra philosophiæ studiosos nihil habere virium, quia his sit salubriter instituta victus ratio. Si nunc propositum esset de magia disserere, adderem non pauca ad ea quæ supra de hac diximus: sed quoniam dicenda sunt quæ magis ad Celsi cõmẽtarium pertinent, de magia hoc tantum dicimus: quicunque vult cognoscere vtrum & philosophi capi ab ea possint, an nõ, legat scripta Mœragenis qui prodidit Apollonij Tyanensis magi & philosophi res memorabiles: vbi non Christianus sed philosophus ait captos ab Apollonij magia non ignobiles philosophos, cum tanquam ad prestigiatorem accessissent, & in his, opinor, etiam de famoso illo Euphrãte narrat, & quodam Epicureo. nos vero illud pro certo affirmamus nimirũ experti, quòd qui ritu Christiano per Iesum colunt deum vniuersorum dominum, viuúntque iuxta eius euangelium, solennibus precibus vtentes noctu & interdiu, nec magis nec dæmonibus sunt expugnabiles. Verum est enim quod circumuallabit angelus domini timentes eum, & ab omni malo eruet eos: & quòd angeli qui in ecclesia paruulis assignati sunt ad eorum tutelam, semper aspicere dicuntur faciem patris cœlestis, quęcunH que tandem est illa facies, & quicquid est illud aspicere. Deinde Celsus aliam aduersus nos orditur calumniã. Falluntur, inquit, impie per summam ignorantiam decepti non intellectis diuinis ænigmatibus, dum aduersariũ Deo quendam diabolum faciunt, eundem Hebraicè nominantes Satanam. Est enim omnino mortalis infirmitatis, & prorsus alienum à pietate, dicere quòd Deus maximus volens benefacere hominibus, propter aduersarium obsistentem id nequeat. Ergóne Dei filius vincitur à diabolo: & vexatus ab eo docet nos vexationes eius contemnere, prędicens quòd & Satanas similiter aduenturus sit editurúsque magna miracula, vsurpando sibi Dei gloriam, cui vt seductori non esse aduertendum animum, sed soli sibi credendum? Id vero manifeste impostoris est, operose pręcauentis sibi à contrariæ doctrinæ autoribus. Ac mox indicaturus ænigmata illa, quorum occasione deceptos putat nos inducere Satanam, ait veteres illos bellum deorum ænigmaticè tradere: vt Heraclitum cum ita scribit, Quodsi dicendum est commune quoddam bellum litémque esse, omniáque progigni ea lite, & reliqua: vt Pherecydem multo antiquiorem Heraclito, fabulose instruentem aduersas acies, quarum alteri Saturnum ducem præficiat, alteri Ophioneum, variásque prouocationes & I certamina, conditionésque certas scribentem vt pars altera quæ in Ogenũ eiiceretur habeatur pro deuicta, victrix verò aduersariis pulsis cœlum possideat. Porrò ad eandem sententiam pertinere Titanum & gigantum contra deos bella mystica: tum quicquid Aegyptij narrant de Typhone, & Horo, & Osiride. Post ista memorata nec tamen exposita iuxta meliorem sensum quàm à nobis intelligantur, conuiciatur nobis: dicens hæc longe aliter se habere quàm nostra commenta de diabolo dæmone: vel, quod ipse putat verius, de impostore homine aduersarie. Quin & Homerum sic intelligit, non aliena canentem ab Heraclito & Pherecyde, Titanũmq; & gigantum mysteriis, apud quem tale quiddam Vulcanus Iunoni subindicat:

Ille etiam auxilium quondam tibi ferre parantem
Arreptum pedibus supero deiecit Olympo.

Iupiter quoque Iunonem tandem sic alloquutur:

Pectore adhuc memori retinês ut, prioribus annis
Quas mihi commisso dederis pro crimine pœnas?
Cum suspensa polo super ardua nubila, longa
Fune pependisti, vinctas incude ligata
Ad plantas gemina, palmas innecteret aurum
Ponderis immensi: cùm te super æthera diui
Quotquot agunt, multa moti pietate volentes K
Soluere non poterant quos ipse, vt quemque prehensum
Arripui, ex alto deieci iratus Olympo,
Delapsi in terram vt vix satis ægra leuarent
Membra solo, penè exempti vitalibus auris

Hos versus sic interpretatur, vt dicat esse verba Dei ad materiam quę Iupiter Iunoni loquitur. his obscure innuit, quòd Deus cum eam errantem inuenisset ab initio, certis rationibus vinxerit & ornauerit: & quod noxios dæmonas qui circa illam versabantur, puniendos huc ad infima deiecerit: atque ad hunc sensum alludentem Pherecydem dixisse illud: Infra eam portionem est tartarea portio. eam custodiunt Boreæ proles harpiæ Thyelláque: quo Iupiter ablegat quoties aliquis peccauerit: Eodem pertinere & peplum Mineruæ quod spectãdum circumfertur in pompa panathenaica. nam in illius pictura significari quòd casta illa & edita sine matre dea deuincit audaces terrigenas. Tum approbatis Gręcorum figmentis in nostros homines inuehitur, apud quos Deus cruciatur à diabolo, & nos cruciat ut sic assuescamus ad patientiam: id quod ei videtur valde ridiculum, cum potius diabolus calumniator puniendus sit, non homines qui calumniis eius infestantur pœnis territandi sint. Vide an non iste qui nobis impium errorem impingit vt ęnigmata male intelligentibus, ipse L manifeste fallatur, non intelligens quòd Mosaicæ literæ multo antiquiores vel Heraclito, vel Pherecyde, vel Homero etiam, narrant de malo illo qui è cœlo expulsus est. Nam serpens ille a quo Pherecydes suum denominauit Ophioneum, qui fuit in causa vt primus homo ex Dei paradiso eiiceretur, sub ęnigmatum inuolucris tale quiddam significat, ostentata diuinitatis & potioris conditionis spe decipiens fœminam, quæ secum maritum quoque traxit in eandem perniciem. Quin & exterminator ille in Mosis Exodo, quis alius esse potest quam is qui consilium suum secutos præcipitauit in interitum, quod solet facere non resistentibus ipsius maliciæ. Item in Leuitico piacularis hircus quem Hebraicæ literę nominant Azazelem, non alius erat, sorte mittendus in desertum, malis omnibus in caput eius vertentibus. nam omnes qui propter maliciam ad deteriorem partem pertinent, à Deo deserti sunt. in Iudicum quoque libro Belial filij cuius nisi huius sunt filij propter maliciam? Sed apertissime apud Iobum Mose ipso antiquiorem scribitur diabolus adstare Deo petens contra hunc Iobum potestatem vt eum inuoluat calamitatibus grauissimis, primò iactura facultatum omnium & liberorum insuper, deinde elephantiasi quam vocant per totum corpus grassante. Taceo quę euangelistę narrant de M tentatore seruatoris diabolo, ne videar contra Celsum niti recentiorum scriptorum testimoniis. In fine quoque libri Iob. 38. Iobi, vbi scripta sunt quę ipsi per procellam & nubem loquutus est dominus, non pauca de dracone dicuntur. nequid memorem de Ezechiele hunc introducente sub persona Pharaonis, Nabuchodonosoris, Tyri principis: aut de Esaia, apud quem deploratur rex Babylonis Nabuchodonosor: ex quibus locis non pauca licet discere de malicia, déque huius origine: quòd à quodam ademptis alis Esa. 14. multato, & cæteris eius spectatoribus æque alis spoliatis, orta sit malicia. non enim erat possibile, vt essentia bono simile esse id quod per accidens bonum bonitatem habebat aduenticiam, quæ quidem sumenti panem (vt ita loquar) viuentem nunquam deerit: quod si quem destituit, certe ipsius culpa destituit, qui negligenter particeps sit panis viuentis & veri poculi, quibus nutritæ rigatæque alæ reparantur iuxta sapientissimi Solomonis sententiã, de vere diuite viro dicentis, quòd pręparauerit sibi alas vt aquila, & conuertatur in domicilium sui præsidis. Oportebat enim deũ qui scit bene vti etiam apostatarum malicia, Prouer. 23 tam malis locũ aliquem in hac vniuersitate assignare, ad exercendam virtutem legitime certantiũ, vt reddantur tãquam aurum igne examinatum per istos afflictores, tentatis

tatis

A tatis omnibus ne quid adulterum in naturam suam rationalem admitterent, & ascensione ad Deum digni reperti, attollantur per verbum ad supremam beatitudinem, & arcem (vt ita loquar) bonorum, cæterum Satan Hebræa lingua dictus, & à quibusdam forma magis græcanica nominatus Satanas, interpretatur aduersarius, omnis autem qui in vita sectatur maliciam, vt contrarius virtuti, Satanas est, hoc est aduersarius Dei filij, qui est iusticia, veritas, & sapientia, sed magis proprie aduersarius est is qui primus omnium in pace beate degentium amissis alis a beatitudine sua excidit: qui vt sit Ezechiel ambulauit in- *Ezec. 28* culpabilis in omnibus viis suis, donec inuenta est iniquitas in eo: & cum esset quasi quodam sigillo expressa effigies & corona pulchritudinis in paradiso Dei, velut saturitate *Ibidem.* bonorum periit, iuxta verbum illius qui ad eum dixit mystice: Perditio factus es, & non eris in æternum. Hæc igitur pauca audenter quasi alea iacta his scriptis commisimus, nec tamen quicquam fortasse profecimus. Quod si quis per otium examinarit sacras literas vbique de malicia loquentes sicut de re quapiam corporea, quomodo primum orta sit, & quomodo pereat: videre poterit ne per summú quidem Celsum imaginatum, aut aliquem qui contempta vera religione ab hoc malo dæmone rapitur, quæ sit mens Mosis ac prophetarum de Satana. Quoniam autem & de B Antichristo, vt vocatur, quædam Celsus interiicit, nec Danielis nec Pauli testimoniis de eo perlectis, vel seruatoris apud euangelistas de aduentu eius vaticiniis, pauca etiam de his dicenda sunt: quòd sicut variæ sunt hominum facies multum inter se dissimiles, ita nec corda eorum sunt similia: vnde apparet maximam in his esse differentiam, cum inclinati ad bonum non omnes æque ad id facti formatique sint, & ex virtutis contemptoribus proni ad malum alij aliis plus minúsve in id ruant: sunt enim quidam in omne viciorum genus profusissimi, sunt rursum qui ferantur in ea moderatius, non absurde igitur duas extremitates (vt ita nominem) in omnibus esse dixerimus, vnam bonorum, contrariorum alteram: vt boni extremitas intelligatur in eo qui secundum Iesum est homine, à quo in hominum genus promanauit tanta conuersio, medicina, & profectus in melius: cõtrarij vero extremitas in eo qui est iuxta eum qui antichristus dicitur. Deus autem qui omnia comprehendit sua præscientia, & vtrosque videt, voluit de his per prophetas significare hominibus: vt qui sermones eorum intelligunt, adhæreant melioribus, fugiántque contraria. Oportebat autem vt alterius extremitatú præstãtissimus appellaretur Dei filius propter suam excellentiam, & huic ex diametro aduersus, diceretur filius mali dæmonis, Satanæ & diaboli. Et quoniam tunc maxime exuberat malicia perueniens ad extremum sui fastigium, quando boni specie prætexitur, ideo per nequissimum il- C lum fieri, ei cooperante ipsius patre diabolo edendis signis, prodigiis & falsis virtutibus, istas enim vulgares magorum præstigias quæ fiunt ope dæmonum longe à tergo relinquet ipsius diaboli cooperatio ad imponendum humano generi. De hoc antichristo Paulus loquitur, ostendens non sine quodam inuolucro quomodo venturus sit & quando ad genus hominum, & qua de causa. Ac vide an non valde grauiter hæc doceat, & irreprehensibiliter, sic dicens: Rogamus autem vos fratres per aduentum domini nostri Iesu Christi, & nostri aggregationem in illum, *2. Thess. 2.* ne cito dimoueamini à mente, neque turbemini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam à nobis profectam, quasi instet dies Christi, nequis vos decipiat vllo modo: quoniam non adueniet dominus nisi venerit defectio prius, & reuelatus fuerit homo ille scelerosus, filius perditus, qui est aduersarius, & effertur aduersus omnem, qui dicitur Deus aut numen: adeo vt in templo Dei sedeat, ostẽtans seipsum esse Deum. An non meministis, quòd cum adhuc essem apud vos, hęc dixerim vobis? Et nunc quid detineat scitis, nempe vt ille reueletur suo tempore, nam mysterium nunc agit iniquitatis, tãtum qui tenet in præsentia teneat, donec è medio tollatur: & tunc patefiet iniquus ille, quem dominus conficiet spiritu oris sui, & abolebit claritate aduentus sui: cuius est aduen- D tus secundum operationem Satanæ, cum omni potentia, & signis ac prodigiis mendacibus, & cum omni deceptione iniusticiæ, in iis qui pereunt, pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt in hoc, vt salui fierent. Et propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis, vt credant mẽdacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed approbauerunt iniusticiam. Horum autem singula declarare non est præsentis tractatus. Cæterum prophetia *Dan. 8.* designans eum apud Danielem extat, efficax ad mouendam prudenti ac candido lectori admirationem, cum ibi tam verè prædicatur diuinitus de futuris regnis, incipiendo à Danielis temporibus & deinceps vsque ad mundi interitum, eam licet cui libet legere. Verùm de antichristo vide an nõ sic loquatur. Vltimis regni eorum temporibus, completis iam eorum peccatis exorietur rex impudens facie, & intelligens problemata: & roborabitur fortitudo eius, & destruet mirabilia. Prosperabitur, & res geret, & interficiet potentes sanctumque populum, & iugum vinculorum eius prosperabitur. Dolus in manibus eius, corde suo extolletur: perdétque multos dolis circumueniens: & instabit in multorũ perniciem, quos non aliter quàm sua manu conteret. Cęterum quod ex Paulo citauimus dicente, sessurum eum in templo Dei, & ostentaturum se pro Deo, id in Danielis libro sic legitur: Et in templo abomi- E natio desolationis vsque cõsummationem temporis, consummatio dabitur ad desolationem. Hæc è multis adducenda mihi visa sunt, vt auditor aliquatenus mentem diuinorum verborum intelligat, de diabolo & antichristo nos docentium: quibus inpræsentiarum contenti, videamus quid deinceps Celsus dicat, conaturi aduersus eum pro viribus. Sequuntur autem hæc: Quid autẽ eis in mentem venerit vt vocent Dei filium, iam dicturus sum. Prisci illi mundum hunc vt à Deo factum, æquantes Deo dicebant Dei filium. Bella vero similitudo huius & illius Dei filij. Putauit nos Dei filium dicere, mutuatus eam opinionem à veteribus de mundo id prædicãtibus vt à Deo conditum, tanquam & ipse Deus sit deique filius, non enim potuit inspectis Mosis & prophetarum temporibus videre ibi Dei filium memorari, multo ante quàm nati sint isti Græcorum scriptores quos Celsus priscos nominat: imo ne voluit quidem superius indicatum in Platonis epistulis locum animaduertere, vbi Dei filij moderantis omnia meminit, ne ipse vrgeretur Platonis autoritate qua nos grauare toties conatus est, affirmantis conditorem huius vniuersitatis esse Dei filium: primum autem & maximum Deum esse huius patrem. Quod autem tãtu Dei filio anima Iesu dicatur vnita per summam participationem, nunquam ab eo separanda, nil mirum est. Norunt enim sacri F diuinarum literarum sermones & alia, quæ duo cum sint natura, in vnum coniuncta reputantur & sunt: quale est illud de marito & vxore dictum: Non amplius sunt duo, sed caro vna: & de viro perfecto qui agglutinatur vero domino, verbo & sapientiæ & veritati, quod agglutinatus domino vnus est spiritus, quod si is qui domino agglutinatur vnus est spiritus, quanto magis Iesu anima agglutinata domino ipsi verbo, ipsi sapientiæ, ipsi veritati, ipsi iusticiæ: atque ita non sunt duo anima Iesu & Deus verbũ totius creaturæ primogenitus. At Celsus cum audit Stoicos asseuerantes summum Deum non esse feliciorem ipsorum sapiente, quandoquidem Dei virtus & hominis eadem virtus sit, sed patrem esse amborum felicitatem, non irridet id dogma nec vituperat: cum vero diuina doctrina dicente hominem perfectum agglutinari virtute vnitíque ipsi verbo, ex nobis audit, hoc sublimitatis clarã Iesu animam non separari à totius creaturæ primogenito, ridet Iesum dici Dei filium non videns quid de eo dicatur in arcanis diuinarũ scripturarum mysteriis, vt autem persuadeamus acquiescenti dogmatibus inter se consentientibus, & eius vtilitati consulamus, dicimus ex autoritate sacræ scripturæ, corpori Christi, quod est ecclesia Dei, pro anima esse Dei filium, membra autem vniuersi corporis esse quoscunque fideles: quoniam sicut anima viuificat &

G mouet corpus, quod ex seipso viuum motum non habet: ita verbum illud mira energia corpus suum incitans ad ea quæ debet facere, mouet simul membra ecclesiæ singula, nihil sine ratione facientia. Hæc igitur si quantum opinor pulchre cohærẽt, quid vetat quominus summa & incomparabili communione anima Iesu, & Iesus in vniuersum cohæreat tam indiuiduè cum ipso verbo vnigenito ac totius creaturæ primogenito, vt iam non sit diuersum ab eo? Sed de his hactenus, videamus & mox sequentia, in quibus citra probationem vnica dictiona de Mose mundi primordia describente pronunciat, dicens quòd ea mundi generatio stulte credatur, qui si protulisset rationes cur ita videtur ei stulta hæc credulitas, contendissemus de hoc cum eo: nunc non æque facile est probationibus adductis euincere non tam stultam esse quàm ipsi videtur. Quod si quis considerare vult causas quibus moti fidem habemus autoritati Mosis de mundi creatione prodentis, sumat in
Gen. 1. manus commentarios nostros in Genesim, ab initio libri vsque eum textum: Hic est liber generationis hominum, vbi conati sumus ex diuinis literis astruere quodnam fuerit cœlum in principio, quæ terra, quid eius inuisibile ac incompositum, quænam abyssus & tenebræ desuper, quæ aqua & super eam vectatus Dei spiritus: quid sit lux, quid firmamentum diuersum ab eo cœlo quod omnium pri-
Gen 3. mum est conditum, & reliqua deinceps. At iste hominum quoque generationem stultè in Genesi describi pronunciat, nec pro se, nec contra illam scripturam quicquam af-
H ferens: opinor quia nihil habebat quo refelleret ad imaginem dei factum esse hominem ac ne paradisum quidem intellexit à deo plantatum, & primam in eo vitam hominis, eiusque mutationem, postquam homo propter peccatum eiectus est, iussúsque habitare ex aduerso paradisi deliciis refertissimi. Sciat igitur ista qui hæc stulte dicta existimat, diligenter animaduertenda & alia singula, & illud, apposita esse Cherubim cum ignea romphæa versatili ad paradisi custodiam, ne ad vitæ lignum via pateat: nisi forte Moses nihil significans hæc scripsit per lusum haud aliter quàm poetæ veteris comœdiæ vulgata illa, Proetus occidit Bellerophontem, & Pegasus erat ex Arcadia. Sed illi vt risum spectatoribus mouerent composuerunt talia: at non est verisimile, eũ qui toti genti scriptas leges relinqueret, persuasuras eis quòd dei sint peculium, sine ratione ac sine mẽte scripsisse de Cherubim cum ignea romphea versatili appositis ad custodiendam viam ad lignum vitæ ferẽtem, aut aliquid de generatione hominum, circa quæ potissimũ versatur Hebræorum philosophia. Deinceps congestis nudis sententiis veterum de mundi & hominum origine variantium, ait Mosem & prophetas autores nostrarum scripturarum, ignaros mundi naturæ atque hominum confinxisse nugas maximas. qui si nobis indicasset cur sacrã scripturam existimaret nugas maximas, conati fuissemus re-
I fellere rationes ipsum mouẽtes ad hanc opinionem: nunc imitabimur & ipsi Celsum cauillando eum nescisse naturam mentis & sermonis apud prophetas: proinde arroganter confinxisse nugas maximas, inscripto veri sermonis titulo. Quoniam autem calumniatur quasi probe intellecta quę leguntur de diebus mundi creationis, quorum aliquot elapsi sunt ante factum solem lunámque & stellas aliquot post horum creationem, hoc vnum notatu dignum quęremus ex eo, num Moses oblitus se dixisse creatum mundum sex diebus, subiungat. Hic est liber generationis hominum, die qua fecit deus cœlum & terram. Sed nullo pacto fit verisimile Mosem nullo sensu dixisse post enumeratos sex dies, die qua fecit deus cœlum & terram. Quod
Gen. 1. si quis putat ea verba posse referri ad illud superius dictũ, In principio fecit deus cœlum & terram, sciat quòd ante
Ibidem. illa verba, Fiat lux, & facta est lux, & vocauit deus lucem diem, dicta sunt illa, In principio fecit deus cœlum & terram. Sed non est huius temporis disserere de verbo sensibili & intelligibili, & quomodo bifariam accipiantur naturę horum dierum: quę singula propriis opus habent tractatibus ad expositionẽ creationis per Mosen descriptę: estque id à nobis factum pro viribus multo ante hãc cum

Celso conflictationem, meditatis hanc sex diebus facto- K
rum operum contemplationem per annos aliquot. Scien- Esa. 60.
dum tamen quòd apud Esaiam verbum Dei pollicetur iustis fore vt in perpetua die degant, cui pro sole luceat ipse dominus, & Deus sit ipsorum gloria. At iste quia fortasse in aliquas hæreticorum interpretationes incidit, has voces Fiat lux, quasi temere à conditore dictas accipientium: Quid ais, inquit, siccine rarũ opifex lumen à superis commodato accepit, sicut nos in vicinia lucernas accẽdimus? sicut ex alia impia hęresi desumpsit illa verba: Si erat aliquis execrandus Deus Deo magno aduersarius, & sine consensu eius faciens hæc opera, quomodo lumen vtendum accepit ab illo? Ad quæ tantum abest, vt respondeamus, vt magis errores illos accusare libeat, non ignotos, sicut Celsus facit, sed exacte cognitos, partim ex eius sectæ hominibus, partim ex diligẽter euolutis eorum commentariis. Post hæc Celsus sic loquitur. Equidem de generatione mundi & corruptione, sitne innatus & incorruptibilis, an natus quidem sed incorruptibilis, an contrà, nihil nunc dico. Quapropter ne nos quidem de his disseremus, vt alienis à præsenti argumento. Illud non conce-
dimus, spiritum Dei se in aliena iniecisse, quando legimus Gen. 1.
quòd spiritus Dei ferebatur super aquas: ac ne id quidem,
quòd alius quispiam Deus malis artibus contra summi L
spiritum, ipso etiam dissimulante, conatus sit aliquid. Valeant igitur qui hæc dicunt, vnà cũ ipso Celso, non admodum scite illos reprehendente. Debuerat enim aut omnino eos præterisse silentio, aut, quod ipsa quoque humanitatis officium existimat, propositos in mediũ errores eorum vt impios confutare acriter. Cæterum quòd summus Deus mereuos creatoris spiritum, reposcat eum ab illo, id vero nunquam inter religionis nostræ homines auditum
est. Ac mox stulte accusans sermones vt impios, Quis, in-
quit, Deus sic dat aliquid vt reposcat? nam indigentis est Matt. 24.
reposcere. Deus autem nullare indiget: additque dictum valde ipsius iudicio sapiens: Cur cum vtendum daret, malo se dare nesciebat? Deinde permiscens opinor hæresibus hęreses, nec tamẽ ipsas distinguens quid à quaque sumpserit, Marcionis errores nobis obiicit, fortassis auditos ex idiota quopiam, non intellectos etiam: & accusatores eorum nos accusat, id ipsum parum diserta faciens. Itaque Marcionis dicta recitans, sed tacito autoris nomine, Cur, inquit, clam irrũpens destruit eius opificia? cur clam seductos in errorem inducit? cur ab hoc relegatos & execratos allectat vt dicitis, & plagiarij more surripuit? cur ab hero suo docet eos fugere? cur patrem fugiant? cur eos adoptat inuito patre? cur se patrem alienorum profitetur? ac mox velut admirabundus subinfert, En Deum singulari
maiestate verendum, qui damnatis ab alio peccatoribus,
extorribus, & ut ipsi dicunt recrementis pater esse cupiat: M
& quem ipse miserat, discedentem ab officio retrahere ac punire nequeat. Ac mox quasi ad nos versus negantes alterius cuiusdam noui Dei hunc mundum esse, sic loquitur: Quod si hæc eius sunt opera, quomodo mala Deus faciebat? quomodo suadere ac hortari nõ potest? qui fit vt eum propter malorum ingratitudinem pœniteat, vtque artificium suum accuset ac oderit, mineturque se perditurum suam progeniem: aut quò tandem ex hoc mundo educit factum à se hominem? Hic quoque mihi videtur parum declarare quænam sint mala ista, cum tamen etiam apud Gręcos variæ de bonis malísque opiniones fuerint, arripiens quasi iam confessum & euictum, quòd cum iuxta nostra placita mundi bonus opifex sit Deus optimus maximus, malorum etiam factor sit. Habeant se quomodocunque istæ de malis opiniones, Vtrum ea Deus fecerit, an non facta ab eo creaturam aliam vltro consecuta sint: illud miror, si non æque vt Celsus ex nostris literis colligit, mala quoque à Deo facta quando mundum condidit, ita ex ipsius rationibus sequitur, mala condita esse à Deo. Sic enim aliquis posset quærere: Si hæc omnia sunt eius opera, quomodo Deus mala fecit? quomodo admonere & persuadere non potest? Est autem maximum in disserendo, vicium, si quis opinio-

nem

A nem aliorum accuset vt non sanam, cum ipsius opiniones comperiamus non alienæ ab eodem crimine. Videamus igitur paulisper quid de bonis & malis diuina scriptura sentiat: & quid nobis respondendum rogatis quomodo deus mala fecit, & quomodo monendo & suadendo nil proficit. Sanè iuxta morem scripturę loquendo propriè bona sunt virtutes, & quæ ab eis proficiscuntur operationes: sicut propriè mala his contraria: ad quod confirmandum satis erit nunc ex Psalmo trigesimotertio testimonium. Inquirentes dominum non minuentur omni bono. Venite filij, audite me: timorem domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Declina à malo, & fac bonum. Nam declina à malo, & fac bonum non dicitur de corporis bonis, vt à quibusdam nominantur, nec de externis, sed de bonis malisve animi. & qui eiusmodi bona facit veræ vitæ desiderio, consecutus eam poterit frui bonis diebus, quibus pro sole est verbum iusticiæ, & ad eos perueniens ope diuina liberatus ab hoc præsenti seculo malo, & à diebus malis de quibus dicit

Ephe.5. Paulus, Redimentes tempus quoniam dies mali sunt. Inueniuntur tamen abusiue & corporis & externa bona dici quæ ad hanc naturalem vitam conferunt, mala vero contraria. Sic enim Iob ille vxori suæ loquitur. Si bona accepimus ex manu domini, mala non sustinebimus?

Iob.2. B Quoniam igitur inuenitur in diuinis scripturis alibi ex persona domini illud, Ego sum qui facio pacem, & constituo mala: alibi rursum de eo, quòd descenderunt mala à domino in portas Hierosolymorum, strepitus curruum & equitum: & multos scripturæ sacræ lectores hæc turbauerunt, quòd nó

Malach.1. valerent perspicere quid significetur bonorum malorúmque appellatione: probabile est Celsum quoque hic hæsisantè quærere quomodo mala Deus fecerit: aut quia fortasse audiuit aliquem imperite hunc locum interpretantē. At nos dicimus quòd malum, hoc est vitium eiúsque opera, Deus non fecit. alioqui quomodo consisteret prædicatio futuri iudicij, in quo mali pro ratione maleficiorum pœnas persoluturi sunt, virtutis autem sectatores iam beati fruentur destinatis à Deo pręmiis, si Deus malorum esset autor, duntaxat in hoc genere. Scio non defore quosdam, qui parum aduertentes ad totum scripturarum cótextum perpetuo culpantem peccatores, & approbantem beneficos, audebant ex eis vndecunque decerpere quo adstruāt etiam in hoc sensu à Deo mala fieri, valituram non nihil apud imperitos lectores: Verùm huiusmodi dicta in speciē illis fauentia nunc interpretari operosum fuerit, nec huius præsentis tractationis proprium.

Itaque mala, si intelligantur propriè, Deus non fecit: sed primarium eius opus pauca quædam consecuta sunt talia, suum tamen locum in hac vniuersitate habitura, quales pri

C marium fabri opus consequuntur scobinæ ramentáque tortilia: & qualia cæmentariis ædificantibus obiacent lapillorum in fragmentis & calce iuxta rudera. quodsi quis de externis & ad corpus pertinentibus loquatur, quę abusiue mala dicuntur, concedemus interdum hæc à Deo fieri, ad conuertendos aliquos. quid enim hic absurdum est? nam in hoc significato mali nomen accipiendo, sicut filios à parentibus, præceptoribus, pædagogísque castigatos male tractati dicimus, & alios à chirurgis medicinæ causa sectos vstósue, nemo tamen parentes aut præceptores pædagogósve sæuientes, aut chirurgos secantes accusāt: ita quoties Deus dicitur illis vel illis malis ad meliorem mentem conuertere quosdam opus habentes tam duris remedijs, nihil inconueniens dictum videtur, neque dum mala descendunt à domino in portas Hierosolymitanorum, hoste imminente castigationis eorum gratia: neque dum legem deserentium iniquitates cum virga visitat, & cum flagellis peccata eorum: neque dum dicis, Habes carbones, sede super eos, hi tibi erunt auxilio. Eodem modo interpretamur & illud, Faciens pacem, & condens mala:

Esa.45. condit enim mala corporis & externa, repurgans & castigans eos qui nolunt verbis castigari sanáque doctrina. Hactenus quomodo Deus mala faciat: cæterum quod ait eum non posse monere ac persuadere, iam diximus si hoc D obiiciendum est, obiici posse omnibus assertoribus prouidentiæ. respondendum tamen, non esse impossibile Deo monere homines, quandoquidem per totam scripturam monet, & per eos qui diuinitus acceperunt docendi gratiā nisi monendi verbum accipiatur in alio significato præter vulgo receptum, vt intelligatur admonitio in auditoris animo efficax. Similiter de persuadendo quæstio est iactata apud omnes quicunque prouidentiam asserunt. Et quoniam persuaderi, verbum Celsi πείθεσθαι, est passiuum ad suum actiuum relatum, sicut tonderi dicitur de eo qui se tondendum præbet: ideo est opus non solum suadentis opera verumetiam eo qui se suadenti morigerum prębeat ea quæ suadentur admittens. Itaque dicendum est, non suadentis culpa fieri quo minus persuadeatur, sed eorum qui fide dignos Dei sermones non recipiunt: id quod verum est etiam de hominibus persuadendi artificibus. Fieri enim potest vt aliquis vel vsque ad summum prouectus in meditationibus rhetoricis, in alium obstinatum ac refractarium incidens, frustra disertus sit & eloquens. Quod autem etiamsi persuasorij sermones à Deo proficiscantur, credulitas tamen non veniat à Deo, manifeste Paulus docet his verbis: Obedientia vero non ex eo qui nos vocat. Gal.5.
Tale est & illud, Si volueritis & obedieritis mihi, bona Leuit.26.
terræ comedetis. sin nolueritis, & non obedieritis, gladius vos deuorabit. vt enim aliquis velit quæ dicis, monitor, & obediens dignus fiat Dei promissionibus, opus est E auditoris assensu & proposito. quamobrem illud in Deu- Deut.10.
teronomio grauiter dictum videtur. Et nunc Israel, quid dominus Deus tuus à te postulat, nisi vt timeas dominum Deum tuum, & ambules in omnibus viis eius, & ipsum diligas, & custodias omnia mandata eius. Iam verborum series postulat vt respondeamus & ad illud quod quærit quî fiat vt Deum propter malorum ingratitudinem pœniteat, vtque artificium suum accuset ac oderit, minetúrque se perditurum suam progeniem: quo loco non sine calumnia mendacióque carpit hanc scripturam Geneseos: Cum vi- Gen.6.
deret autem dominus in immētum auctam esse maliciam hominum in terra, & nihil nisi malum indesinenter eos versare animo, recogitauit quid ita hominem fecisset in terra, sic secum statuens: Delebo hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vsque animantia, à reptibili vsque volucria recogitaui enim quòd eos fecerim: ex non scriptis quasi scripta colligens. nusquam enim hic nominatur Dei pœnitentia, nusquam dicitur odisse aut accusare suum opificium. quodsi videtur minari diluuium & internecionem suæ progeniei, dicendum quòd cum sit immortalis humana anima, comminatio hæc ad emendationem pertinet, interitus autem hominum per diluuium, ad terræ lustrationem, quemadmodum tradunt etiam Græ- F
corum non contemnendi philosophi his verbis: Cum autem dij terram lustrauerint. cæterum de dictionibus humanos affectus significantibus quomodo ad Deum referantur, non pauca nobis superius dicta sunt. Porrò Celsus vel suspicatus vel intelligens quid hîc aduersarij possint referre de deletis diluuio, Quodsi, inquit, parcit suæ progeniei, quò illam ex hoc mundo à seipso facto subducit? Respondemus & ad hoc, quòd cum mundus constet è terra cœlóque, diluuium perpessos non omnino Deus educit è mundo, sed aufert ex hac vita quam degunt in corpore: solutósque corporibus exsoluit simul è terrena habitatione quam scriptura solet vocare mundi nomine, præsertim in euangelio secundum Ioannem, vbi sæpissime mundus pro loco terreno inuenitur: sicut cum dicitur: Erat lux Ioan.1.
vera illuminans omnem hominem venientem in hunc Ioan.16.
mundum. pro, in mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Itaque siquis intelligat eductos ex hoc terreno loco, nihil occurrit inconueniens: sin mundū pro cœlo simul & terra capiat, ad hunc modum non omnino è mundo sublati sunt quos oppressit clades illa diluuij. Posset etiam aliquis, qui audiuit illud: Non considerātibus nobis ea quæ videntur, sed quæ non videntur: & illud, Nam eius inuisibilia per res ab eo conditas intelligū-

G tut, dicere eos qui ſunt inuiſibilibus intenis exemptos è mundo, ſubducente hinc Dei verbo ad ſupercœleſtia & tes illic ſpectatu digniſſimas Poſt hæc, modo examinata, ſequuntur alia quæ in hoc tantum congeſſiſſe videtur vt libri moles creſceret, aliis verbis eadem fermè quæ paulo unte dixerat repetens io hunc modum: Sed longe ſtultiſſimum eſt quòd dies quidam mundi creationi attribuuntur, priuſquam eſſent vlli dies, qui enim eſſe poterant aute cœlum factum & terram firmatam, & aute curſum ſolis? Quid enim iſta differunt ab his eiuſdem Celſi verbis: Repetamus, inquit, rem altius, & conſideremos quomodo conueniat primo ſummóque Deo iubere Fiat hoc, & rurſum huc aut hoc: & vna die certum aliquid abſoluete, ſecunda rutſum amplius, deinceps tertia, qoarta, qointa, ſextáque ſimiliter. Verùm de his iuſſis, Fiat hoc, & turſum huc aut hoc, reſponſum videri poteſt iam tum, quando citauimus illud: Ipſe diait, & facta ſunt: ipſe mandauit, & ereata ſunt: dicẽdo immediatum opificem eſſe filium Dei verbum, qui velut ſuis manibus moūdum ſabricaoerit: verbi autem patrem, cuius mandato mundus ſit per ipſum filium couditus, eſſe primarium opificẽ. Cæterum de ordine creationis, vt prima die ſit facta lux, ſecunda firmamentum, tertia deinceps aquæ ſubcœleſtes in vnum confluere ſint iuſſæ, atque ita terra ſuapte natura protulerit varia germina, & quarta demum addita ſint mũdo ſua luminaria, quinta producta ſint natatilia, ſexta terreſtria, po-
H ſtremúſque homo, quantum potuimus diximus in com-
Gen. 1. meotatus in Geneſim. Quin & iſtos reprehendendo qui nihil penitius ſerutantes ſex diebus aiuot abſolutã mundi creationem, obiecimus eis illa verba ſcripturæ: Hic liber generationis cœli & terræ, quando facta eſt dies qua fecit Deus cœlum & terram. Deinde rurſum non intelligens illa verba: Compleuit Deus die ſeptimo opera ſua quæ feeerat, & ceſſauit die ſeptimo ab vniuerſis operibus quæ feeerat: & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum, quia in illo ceſſauerat ab omnibus operibus ſuis quæ cœpit Deus facere: putánſque idem eſſe, requieuit die ſeptimo, & ceſſauit die ſeptimo, perinde, inquit, ac ſi aliquis, ignauus opifex iam defeſſus feriis opus haberet ad requiẽ, neſcit enim quiſnam ſit ille poſt ſex dies à mundo condito ſecuturus dies ſabbati, in quo cuncti qui ſex illis diebus opera ſua perfeeerunt, nihílque eorum prætermiſerũt quæ pertinerent ad ſuum officium, cum Deo feriabuntur aſcẽdentes ad ſpectacula & iuſtorum beatorúmque celebritatem. Deinde quaſi vel ſcripturæ dicerent, vel nos earum interpretes, Deum defatigatum quieuiſſe negat Celſus fas eſſe primum Deum defatigari, aut manibus operari, aut mandare, ad quod reſpondemus, nec Deum verbum defatigari, nec eos qui ad meliorem & diuiniorem ordinem pertinent, nam defatigari eſt degentium io corpore: & quæritur omnium oe io qualicunque corpore, an in ter-
I reno tantum, aut paulo præſtantiore. Nefas eſt, inquit, primum Deum operari manibus. Imò ſi vocem hãc accipias propriè, ne ſecũdum quidem, aut vllam naturam diuiniorem. Sed fac abuſiue dictum operari manibus, aut figurate, ſicut interpretamur & illud: Opera manuum tuarum annunciat firmamentum: & opera manuum tuarum ſunt cœli: & ſiquid ad eundem modum dictum eſt: cum figurate manus Dei & membra exponimus, quid abſurdi prædicamus de Deo, dicentes manuum eius opera? Et ſicut manibus operari Deum non eſt abſurdum ſi recte intelligatur, ita neque iubere, quandoquidem honeſta ſunt ipſius iuſſa & laudabilia, deóque digniſſima. At Celſus rurſum non intelligens illud ſcripturæ: Os domini loquutum eſt hæc, aut iuxta vulgarem ſenſum temere accipiens, nec ſciens nomina membrorum corporalium Dei pro eius potentiis vſurpari, Nec os, inquit, eſt ei nec vox. Verum eſt eum non habere vocem, ſi vox eſt aer percuſſus, aut aeris percuſſio, aut aeris ſpecies, aut quomodocunque vocem definiunt quorum hæc eſt profeſſio: ſed quæ Dei vox dicitur, legitur vt Dei vox viſa à po-
Exod. 24 pulo, vbi ſcriptura inquit, Omnis populus vidit vocem Dei, quo loco etiam videre iuxta morem ſacrarum lite-

rarum intelligitur ſpiritualiter. Imò, inquit, nec aliud K
quicquam ineſt ei harum rerum quas ei tribuitis, nec tamen explicat quid ei tribuamus. Si de membris loquitur, ea non corporaliter intelligimus, ſed accipiendo iuxta communem conſuetudinem largius, quod ſi dixit in genere quicquid ei tribuimus, ea permulta ſunt, virtus, beatitudo, diuinitas. Quod ſi ſublimius intelligendum eſt quod dixit, cum omnia quæ illi tribuimus minora ſint ipſius dignitate, fatemur nihil eorum ei adeſſe quæ nos agnoſcimus. nam quæ inſunt ei ſuperant omnem ſcientiam non humanam ſolum, ſed etiam excellentiorum naturarum. ſi legiſſet Celſus prophetarum dicta, vt illud Da-
uidis, Tu autem idem ipſe es: & apud Malachiam, Idem Pſal. 101
ipſe ſum, & non mutor: vidiſſet neminem noſtrum de deo Malac. 3.
prædicare vllas mutationes vel cogitationũ vel operum, nam immutabilis ipſe manens diſponit mutabilia pro natura ipſorum & ſuo arbitrio. Deinde rurſum non percipiẽs diſcrimen inter imaginem dei, & factum ad eam imaginẽ: quòd imago dei ſit primogenitus totius creaturæ, ipſum verbum, ipſa veritas, ipſa ſapientia, bonitatem eius exprimens: cæterum homo factus ſit ad imaginem dei: & quòd omnis vir cuius Chriſtus caput eſt, imago dei ſit & gloria: ac ne id quidem ſciens, in quo cõſiſtat ille character imaginis, nimirum in exuendo veterem hominem cum ſuis actibus, ipſe alieniſſimus ab hac imagine ſic inquit: Non fecit deus hominem ad ſuam imaginem, non enim talis eſt deus vt alicui ſpeciei ſit ſimilis, iam quale eſt compoſiti
hominis parti deteriori, hoc eſt corpori, putare ineſſe ali- L
quid ad dei factum imaginem? Excipit Celſus corpus ab hac imagine. nam ſi corpori ſoli ineſſet, quid relinqueretur potiori hominis parti animæ? proinde nemo noſtrum ſoli corpori hanc imaginem tribuit. quòd ſi compoſitum ex vtroque imago dei eſt, conſequetur etiam deum compoſitum eſſe velut ex anima & corpore, vt imago potioris ſit in animã hominis, deterioris autem & corporalis in corpore, id quod nemo noſtrum diceret. Reliquum eſt vt hæc imago ſit in interiori ſicut nos vocamus homine, qui renouatur, & aptus natus eſt ad referendam conditoris imaginem, intelligendo eum demum ad imaginem fieri, qui
ſit perfectus ſicut pater cœleſtis perfectus eſt: & exaudit
vocem illam, Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus domi- Leui. 19.
nus deus veſter: diſcénſque illud: Eſtote imitatores dei, ex- 1. Cor. 4.
cipit in anima ſua proba dei characteres, quando corpus talem animam ſic effigiatam continens, templum fit eius cuius anima refert imaginem, idque propter dei ſimilitudinem. Deinde rurſum multa ſibi ſumit quaſi à nobis conceſſa, quę nemo Chriſtianorum ſanam mẽtem habentium concederet. nemo enim noſtrum dicit deum eſſe figuræ aut coloris participem, ac ne motus quidem, quia natura eius firma eſt & ſtabilis, & iuſtum ad eadem inuitat dicẽs:
Tu autem ſta mecum. Quod ſicubi moueri dicitur, quale M
eſt illud, Audiuerunt dominum deum deambulantem in Gen. 3.
paradiſo ſub veſperam, ſic intelligendum eſt quaſi diſcedere videatur deus peccatoribus. vel ſic accipiendum ſicut figuratè dormire Deus aut iraſci dicitur, aut aliud ſimile naturæ Dei parum conueniens. Sed neque ſubſtantiæ particeps eſt. Participatur enim magis quàm participat, & participatur ab habentibus Dei ſpiritum: & ſeruator noſter non eſt particeps iuſticiæ, ſed cùm ipſe ſit iuſticia participatur à iuſtis. Porrò de eſſentia difficilis ac longa eſt diſquiſitio, præſertim de propria, firma, & incorporea: vtrum Deus omni eſſentia per potentiam & adminiſtrationem ſuperior, cõmunicet eſſentiam quibus eam communicat: idque per verbum ſuum & ipſius verbi operatione: an & ipſe ſit eſſentia, licet natura inuiſibilis dicatur, vbi de ſeruatore ait ſcriptura: qui eſt imago Dei inuiſibilis, hoc eſt incorporei. Quærendum etiam an eſſentia eſſentiarum & idearum idea principiúmque dicatur vnigenitus, & totius creaturæ primogenitus, vniuerſis autem ſuperior pater eius & Deus. Celſus quidem de Deo dicit, ex ipſo eſſe omnia, neſcio quomodo abſoluens ab eo omnia: Paulus verò noſter dicit, ex ipſo, & per ipſum, & in ipſum omnia, oſtendens principium omnium ſubſtan-

tiæ,

A tiæ;his verbis ex ipso:conseruationem his, per ipsum: finem his, in ipsum. Ipse autem Deus non aliunde quàm ex seipso habet essentiam. Quoniam autem dicit eum neque ratione comprehensibilem distinguo significatum, & dico sic intelligatur de ratione quæ vel inserta est nobis, vel è nobis se exerit, hac non esse deum comprehensibilem. Sin de illa quæ erat in principio, & erat apud deum, & ipsa erat Deus, aimus hac deum esse comprehensibilem. Quin & quod innominabilem censet, distinctione opus est. Si enim hoc vult, quod in verborum significatis nihil potest Dei proprietatem exprimere, verum est: quandoquidem multæ qualitates non sunt nominabiles. quis enim discernat nominibus qualitatem dulcedinis palmulæ, & dulcedinis caricæ? quis singularum earum proprias qualitates nominibus queat distinguere? Nō mirum igitur si hoc pacto deus est innominabilis. quod si nominabile accipiatur quatenus auditorem potest nominibus ad aliquam cognitionem Dei manuducere, quantum naturę humanæ licet comprehendere, nō absurde diceretur nominabilis. Similiter distinguimus, & quod dicit, nihil accidere deo nomine comprehensibile: & fatemur eum extra omnes affectus esse. Et de his hactenus, videamus iam & sequentia, vbi fingit personam cuiusdam post hęc audita sic inferentis dubitationem: Quomodo igitur deum cognoscam? quo-

B modo viam ad illum ducentem discam? Quomodo eum mihi ostendis? quandoquidem nunc oculis meis offundis tenebras, vt nihil clarè videam. Deinde quasi huic percontatori respondens, & causam tenebrarum ob oculos eius per modo dicta offusarum putans se reddere, ait in splendidam lucem è tenebris productos non posse intueri, radiis aciem lędentibus, adeò vt se cæcari existiment. Ad hęc quoque dicimus, sedere in tenebris & hærere in eis omnes qui sunt intenti pictorum, fictorum, statuariorum nō probandis artibus, nolentes mentem oculósque attollere ab his visibilibus & sensilibus ad creatorem qui est lux: contrà in luce esse omnes qui sequuntur prælucens verbū dei, & commostrans per quantam imperitiam, impietatem, numinis ignorātiam adorauerint ista friuola pro deo, manuducénsque volentes mentis incolumitatem ad ingenitum deum maximum. Populus enim gentium sedens in tenebris vidit lucem magnam, & sedentibus in vmbris infernalibus exorta est lux, nimirum Iesus ille Deus. Itaque Christianus Celso aut vlli ex istis diuini verbi calumniatoribus ad hunc modum respondebit, vt dicat Quomodo cognoscam deum. singuli enim eorum, quisque pro suo captu, cognouerunt deum, nec est inter eos qui dicat; quomodo viam ad eum ducentem discam: vt qui audiuerunt ex Seruatore: Ego sum via, vita, & veritas: obitérque gustauerunt veritatem accedētes ad eum. Nemo item Christianus Celso diceret, quomodo mihi deum ostendis. Illud

C verum est, quòd auditis eius tenebricosis sermonibus responderet, quid mihi tenebras offundis ob oculos? Celsus enim & similes conantur tenebras oculis nostris offundere: nos verò luce verbi dispellimus tenebras impiorū dogmatum. Posset etiam Christianus dicere Celso leuibus & obscuris nugis perstrepenti, nihil illustre in tuis video sermonibus. Non enim è tenebris in claram lucem nos Celsus producit, sed vult è luce in tenebras retrahere, faciens ex luce tenebras, & lucem è tenebris. nos autem oculis animarum nostrarum apertis per verbum Dei, vidēres quid intersit inter lucem & tenebras, in luce modis omnibus persistere decreuimus, tenebris verò haudquaquam volumus accedere. Cæterum lux vera, quoniam etiam viua est, sit cui splendor ostendēdus sit, cui lux, non sustinenti splēdorem propter oculorum imbecillitatem. Quod si qui meritò dicendi sunt oblæsos habere oculos, in nullos id dictum magis competit quàm in occupatos spiritu ignorantiæ veri numinis, & in istos qui affectibus variis impediti nequeunt veritatem cernere. Certè Christiani nullo modo se putant cæcari Celsi aliorúmve impiis sermonibus. cæterum qui se sentiunt occæcari exemplis imperiti vulgi, & moribus hominum dęmonia suis celebritatibus colentium, accedant ad verbum largiens oculos: vt quemad-

modum olim cęci iuxta viam humi mendicantes, sanita- D tem à Iesu impetrauerunt, misericordiam consecuti quòd implorassent miseratorem filium Dauidis: ita & ipsi recipiant nouos ac bonos oculos, quales à verbo Dei creari decet. Quapropter si nos Celsus interrogauerit, quomodo putemus nos cognoscere deum, & per illum salutem acquirere: respondebimus idoneum esse Dei verbum, vt ingressum quęrentibus se, suúmque aduentū expectantibus, patrem reuelet, qui cerni non potest nisi per pręcedentem aduentum filij. Quis enim alius valeat seruare, & ad deum optimum maximum humanam animam adducere, quàm Deus verbum, qui quum in principio apud deum esset, propter carni cohęrentes & carnales caro factus est, vt caperetur ab eis à quibus alioqui ne videri quidem poterat, in quantum verbum erat, & apud deum erat, & deus erat. nunc corporaliter loquens, & vt caro se præbens, ad se vocat omnes carneos: vt eos primùm formatos iuxta verbum quod caro factum est, deinde ad contēplationem suiipsius proueheat, cernatúrque ab eis qui ante carnem sumptum fuerat: vt per eius carnem introducti ad sublimiora dicant illud apostolicum: Etsi Christum aliquando secundū carnem nouerámus, nunc certè non amplius sic eum nouimus. Itaque caro factus est, & factus caro habitauit in nobis, cùm non esset nobis extraneus. postquam autem habitauit & conuersatus est nobiscum, non retinuit formam pristinam, sed subductis nobis in rationalem montē excel- E sum, ostendit formam suam gloriosam, & splendorē suorum vestimentorum: nec suam tantum, verumetiam legis spiritualis. is enim est Moses cum Iesu visus in gloria. prætetea nobis ostendit omnem prophetiam. ne post assumptum quidem ab ipso hominem emortuam, sed in cœlum receptam, cuius Helias fuit symbolum. Quæ quisquis contemplatus est, potest dicere, Vidimus gloriam eius, gloriā quasi vnigeniti à patre: plenum gratia & veritate. Celsus igitur parum philosophicè finxit, quæ nos putabat ad interrogata responsuros, quomodo credamus nos peruenturos ad noscendum deum, & quomodo salutem per eum consecuturos. nos tamē non aliud quàm quod dixi, respōderemus. At Celsus quasi bonus coniector talem nobis responsionem affingit: Quoniam magnus est deus, & contemplatu difficilis, ideo proprio spiritu immisso, in corpus nostro simile demisit eum huc, vt ex ipso possemus audire atque discere. Iuxta nostram autem doctrinam non solus vniuersorum deus & pater magnus est: cōmunicauit enim suam magnitudinem cum vnigenito & primogenito creaturę totius: vt cùm inuisibilis Dei sit imago, magnitudine quoque imaginem patris referat: alioqui non habitura erat imago illius inuisibilis Dei pulchrā, vt ita loquar, proportionem, nisi magnitudo etiam accederet. porrò Deus F iuxta nostram opinionem, cùm sit incorporeus, est inuisibilis: contemplatiuus tamen hominibus corde, id est, mente cernitur: corde autem non vulgari, sed puro. nefas est enim cor pollutum intueri in deum: sed purum necesse est vt sit, quod puri contemplatione dignum habeatur. Fatemur etiam deum contemplatu difficilem, sed non solum, imò & eius vnigenitum. Est enim difficilis contēplatu deus verbum, difficilis & sapientia per quam deus creauit omnia. quis enim eam per singula creatoris opera considerare valeat? Ergo non ideo Deus contemplatu difficilis filium misit quasi contemplatu facilem: quod non intelligens Celsus ex nostra persona dixit: quoniam ipse contemplatu esset difficilis, ideo proprium spiritum huc misisse, insertum in corpus nostro simile, vt ex eo possemus audire & discere. Verùm vt nos ostendimus, etiam filius quum esset contemplatu difficilis, vt verbum Dei per quod omnia facta sunt, inter nos conuersatus est. Quod si Celsus intelligeret quę dicimus de Dei spiritu, & quòd quotquot aguntur Dei spiritu, hi sunt Dei filij, nunquam ex nostra persona sibiipse respondisset, quòd Deus immisso in corpus proprio spiritu huc eum demiserit. Semper enim Deus impartit suum spiritum eius capacibus, non tamen per separationem & diuisionem dignis insertum. non est enim corpus iuxta nostram doctrinam spiritus,

G sicut nec ignis ille corpus est qui Deus esse dicitur apud eum qui inquit, Deus noster ignis consumens, nam hæc omnia figuratè dicuntur, vt per corporea cósuetáque nobis nomina indicetur natura illa intelligibilis. Et sicut quando peccata dicuntur esse ligna, fœnum, stipula, non accipimus peccata esse corpora: & quando bona opera dicuntur esse aurum, argentum, gemmæ, non statim etiam sunt corpora: ita quum dicitur Deus ignis consumens ligna, fœnum & stipulam, omnémque peccati substantiam, non statim corpus eum intelligimus. Et quemadmodum quoties ignis nomine censetur non intelligimus corporeum, sic dum eum vocamus spiritum, corpus tamen illū esse nō dicimus, nam ad differētiam sensibilium scriptura solet intelligibilia vocare spiritus & spiritualia: vt quum
2.Cor. 3. Paulus dicit, Sed sufficientia nostra ex Deo est, qui nos fecit idoneos ministros noui testamenti, non literæ, sed spiritus, nam litera occidit, spiritus viuificat, vbi literam nominauit, quum iuxta sensum diuinas literas accipimus, spiritum verò quum iuxta intellectum. Ita quod ad Deum spiritum attinet, quoniam Samaritani Iudæique corporaliter & iuxta figuras mādata legis obseruabant, dixit Seruator ad Samaritanam, Venit hora quando nec Hieroso-
Ioan.4. lymis, nec in hoc monte adorabunt patrem meum. Deus spiritus est, & qui eum adorant, in spiritu & veritate debent adorare, quibus verbis docuit, non carnaliter adorandum esse Deum, nec colendum carnalibus sacrificiis, sed spiritu, quum enim spiritu & intelligibiliter colatur,
H facilè inde colligitur ipsum esse spiritum, imò nec in figuris adorādus est pater, sed in veritate, quæ per Iesum Christum eluxit post datam legem Mosis ministerio. Quum enim conuersi fuerimus ad dominum, qui dominus ipse est spiritus, tolletur velamen quo tegitur cor quando Moses legitur. Quapropter Celsus vt nihil intelligens de spiritu Dei: animalis enim homo non capit ea quæ sunt diuini spiritus, sunt enim ei stulticia, nec potest nosse qui iudicentur spiritualiter: somniat nos cùm Deum esse spiritum dicimus, nihil hac parte differre à Græcorum Stoicis, affirmantibus Deum esse spiritum qui meet per omnia, omniàque in se contineat. Penetrat quidem aspectus Dei ac prouidentia per omnia, sed nō sicut ille Stoicorum spiritus: & continet omnia quibus per suam prouidentiam prospicit, at non corporaliter complectitur, quum corpus ambiatur à diuina potentia. Itaque iuxta Stoicorum sententiam corporeos esse principatus asserentium, ac proinde corruptibiles, vt nisi absurditas rei vetaret, ipse summus Deus non absit à corruptionis periculo, etiam ratio Dei ad homines & minima quæque pertingēs, nihil aliud est quàm corporeus spiritus, iuxta nostram autem doctrinam, quæ & rationalem animam conatur ostendere præstantiorem omni natura corporea, vt substantiam inuisibilem & incorpoream, Deus verbum corpus esse non po-
I test, per quem condita sunt omnia, qui efficit vt omnia ratione fiant, non humana tātum, verumetiam minima quæ ad regnum naturæ pertinent. Quare licebit per nos Stoicis vt deflagratione absumant omnia, nos nullam incorpoream substantiam scimus esse cremabilem, nec ignibus absumi hominis animam, aut angelorum, thronorum, dominationum, principatuum, potestatum substantiam. Idcirco Celsus spiritualium rerum ignarus, in vanum effudit illa verba: Si Dei filius est spiritus humano indutus corpore, nec ipse Dei filius immortalis esse poterit. Ac rursum sermonem ipse suum cófundens, quasi nostrorum hominum quidam negarent spiritum esse Deum, Dei filium tamen faterentur esse spiritum, euincere se putat, nullius spiritus eam esse naturam vt sempiternus sit: sicut suprà quum diceremus Deum esse ignem consumentem, negabat eam ignis naturam quæ in æternum maneat: non videns quomodo Deum ignem esse prædicemus, & quarum rerum consumptiuum, nimirum peccati & maliciæ. Decet enim Deum bonū, vt vbi quisque certatorum qualis vir sit in certaminibus declarauerit, igne pœnarum absumat eius vicia. Ac rursum sumit sibi nunquam à nobis concessa, quòd necesse sit iterum Deum spirare, vnde consequi, nō potuisse Iesum resurgere cum corpore, nec enim K Deus recepisset quem dederat spiritum, contaminatum iam natura corporis. Quos sermones quum nostri nō sint, stultum esset quasi nostros tueri. Deinde iterum eadem repetens, quasi non antea multis cauillatus sit in natiuitatem Dei ex virgine, ad quod iam pro viribus respondimus, sic loquitur: Quod si voluit spiritum ex se emittere, quid opus erat inspirare in vterum fœminæ? poterat enim, vt qui iam sciebat homines fingere, huic quoque corpus affingere, ne proprium spiritum in tantam contaminationē mitteret, atque hoc pacto è supernis profatus hoc ipso plus sibi conciliasset fidei. Hæc dixit, qui nesciebat puram & virgineam incorruptámque natiuitatem corporis cuius ministerio seruandum erat humanum genus putat autem iuxta Stoicorum opinionem, dissimulata doctrina de indifferentibus, in contaminationem missam & contaminatam diuinam naturam, siue quòd mansisset in mulieris corpore donec & ipsi corpus formaretur, siue hoc ipso quòd corpus sumpsisset: non aliter quàm qui putant radios solis pollui contactu cœnū vel cadaueris, nec ibi quoque puritatem suam seruare.

Quod si iuxta Celsi propositū absque natiuitate Iesus corpus assumpsisset, non statim qui corpus id viderent, absq; natiuitate factum crederent, aspectus enim non indicat L naturam & originem. Verbi gratia, fac aliquod mel non ab apibus profectum, de hoc nemo ex gustu aspectuve pronunciaret, non esse oriundum ab apibus: sicut nec id quod ab apibus est confectum gustu declarat suum principium, sed id experientia discimus. ita eadem experientia docet nos, vinum esse ortum ex vite, gustus enim non refert à vite originem, eodem igitur modo sensibile corpus non indicat rationem suæ subsistentiæ, quod autem dicimus confirmatur per cœlestia corpora, quorum splendorem sensu percipimus: nec tamē is sensus nos docet vtrum creata sint an non, nam de hoc inter sectas non conuenit, quin & illi qui facta esse dicunt, non cósentiunt quomodo facta sint, vt enim esse facta euincatur rationibus, sensus tamen non docet quomodo facta sint. Ac rursum toties inculcatas Marcionis opiniones repetit, nónunquam verè has recitans, interdum non intellectas etiā, quæ quia nihil ad nos attinent, indignæ sunt responsione, móxque iterum ad Marcionem reuersus pro illo & contra differit, partim damnans eum, partim liberans à crimine, & dum vult patrocinari his qui aiunt Christum prænunciatum prophetarum oraculis, accusans Marcionem eiusque sectatores, apertè dicit, Quis affectum tali supplicio crederet Dei filium, nisi esset id à prophetis prædictum? Deinde more suo cauillatur, duos inducens filios deorū, alterū cōditoris, alterū Marcionitarū Dei eorūque monomachias depingens, qua dicit similes coturnicū certaminibus, quæ M per ætatem pugnæ iam inutiles nó amplius in se inuicem sæuiant, sic ániique pugnare suos filios. Hic ipsi occinemus quod superius dixerat: Quæ anus mulcens infantulū non erubesceret dicēdo talia, qualia hic in opere cui, Veri sermonis inscripsit titulum? quum enim deberet seriò contendere, omissis seriis ludit & scurratur, putans se mimos scribere aut dicteria, non videns hoc alienum ab instituto volentis nos à Christiana pietate ad sua dogmata traducere, qui si grauiter loqueretur, fortasse credibiliora diceret: nunc quia cauillatur, ludit, scurratur, dicemus eum hoc facere quòd meliora non habeat, alioquin in tantam nugacitatem non incideret. Post hæc dicit, Quoniam diuinus spiritus erat in corpore, debebat esse præstantior cæteris statura, aut forma, aut robore, aut voce, aut maiestate, aut eloquentia. Est enim incredibile, cui plus diuinitatis inerat, eum nulla re fuisse præstantiorem cæteris, at hic nihilo erat potior, sed quod ipsi fatentur, paruus & deformis erat & humilis. Hinc quoque satis apparet, quòd quoties ei Iesum accusare libet, credulus est scripturis nostris, vnde accusandi occasiones sibi vt putat oblatas arripit, citans earū testimonia: vbi verò easdem sentit aduersari suis calumniis, eas se scire dissimulat. Fatemur scriptū de Iesu corpore despicabili, quamuis non habeatur apertè

alcrip-

A aſcriptum, paruum fuiſſe ac vile. Eſt autem locus apud Eſaiam prædicentem venturum eum non ſupra modum *Eſa. 53.* decora ſpecie, nec excellẽti pulchritudine: Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatũ eſt? annunciauimus in conſpectu eius ſicut infantulus, ſicut radix in terra ſiti ſqualida. non eſt ſpecies ei nec decor, ſed ſpecies eius ſine honore, & deficiens ſupra filios hominum. Hæc ergo Celſus audiuit, quòd putaret pro ſe eſſe, & ad accuſationem Ieſu facere: non item illa è pſalmo quadrageſimo quarto quomodo dicantur, Accingere gladio *Pſal. 45.* tuo ſuper femur tuum potentiſſime ſpecie tua & pulchritudine, & intende, proſperare, & regna. Sed fac eum non legiſſe hanc prophetiam, aut legiſſe quidem, ſeductum tamen à malis interpretibus non putare quicquam eam ad Chriſtum pertinere, quid dicet de euangelio, vbi conſcen- *Matt. 17.* ſo excelſo monte transformatus eſt coram diſcipulis, & viſus eſt in gloria: quando & Moſes & Helias in gloria viſi colloquebantur de ipſius exitu complẽdo in Hieruſalem, *Eſa. 53.* niſi fortè dum Propheta dicit, Vidimus eum non habentẽ pulchritudinem, & reliqua, Celſus aſſentit prophetiã hanc ad Ieſum referendam, cæcutiens circa eius intellectum, nec videns quantopere aſtruat fidem de Ieſu Dei filio, hoc ipſum quòd tot ante natiuitatem ipſius ſeculis viſus eſt varihus non habens pulchritudinem. quod ſi alius propheta *B* prædicet eius formam & pulchritudinem, id verò negat eſſe de Chriſto prophetiam. Cæterum ſi manifeſtè perciperemus ex euangeliis eum non habuiſſe vel formam vel pulchritudinem, ſed fuiſſe infœliciore ſpecie quàm reliquos filios hominum, diceret aliquis Celſum hîc autoritatem euangeliſtarum ſequutum non prophetarum. num quum nihil tale vel euangelia vel apoſtoli ſignificẽt, quòd caruerit ſpecie vel pulchritudine, cogitur fateri ſe prophetarum veritatem agnoſcere, atque non ſinitur his ad calumnias contra Ieſum abuti poſtea. Quid quod dum hæc verba diceret, ſiquidem diuinus ſpiritus erat in humano corpore, debuerat eſſe cæteris præſtantior ſtatura, aut forma, aut robore, aut voce, aut maieſtate, aut eloquentia, non vidit eius præſtantiam, duntaxat his vtilem qui poſſunt eam pro ſuo captu cernere. Nec mirum eſt, materiam ſuapte natura vertibilem, alterabilem, in quicquid conditori placet mutabilem, & cuiuſcunque qualitatis quam eivoluerit ſuus opifex addere capacem, modò talem habere qualitatem iuxta quam dicatur non habuiſſe ſpeciem vel pulchritudinem: modò tam glorioſam, mirandam, ſtupendámque, vt in faciem prociderent ſpectatores tam excellentis pulchritudinis: dico tres illos apoſtolos qui vnà cum Ieſu montem aſcenderant. Verùm hæc figmenta eſſe cauſabitur, nihilo potiora fabulis, ſicut & reliqua quæ de Ieſu feruntur miracula, ad quòd iam antè copioſè reſpondimus. Cæterum præſens hæc hiſtoria non *C* caret myſterio, ſignificans varias Ieſu formas referri ad dei verbi naturam, non eodem modo apparentem vulgo, & his quibus datum eſt, montem cum eo conſcendere. nam his qui adhuc hęrent in inferioribus nondum parati aſcendere, verbum non habet ſpeciem nec pulchritudinem. apud tales enim ſpecies eius eſt deſpicabilis, & poſt habetur humanis diſſertationibus, quandoquidem non ſine figura dicti ſunt filij hominum. talibus enim multo magis arrident & pulchri videntur philoſophorum ſermones, vt filiis hominum, deteriore loco prædicationem diuini verbi cenſentibus, quod iſti putant habere quandam ſtultitiæ ſpeciem. quam ſolam dum ſpectant, ſic ſecum loquuntur, Vidimus eum, & non habebat ſpeciem nec pulchritudinem. At qui valent aſcendentem in montem excelſum aſſequi, his aſpiciẽdum ſe offert diuina ſpecie: cui ſpectaculo ſufficit quiſquis ſicut Petrus ad ædificandam ſuper ſe per verbum eccleſiam eſt idoneus, tali comparata habitudine, vt ne inferorum quidem portæ ſibi præualeant, ipſius verbi beneficentia ſuper portas mortis exaltato, vt annunciet omnes Dei laudes in portis filiæ Sion: aut ſi qui ſunt per prædicationem cenati iam magniloqui, conferendique cum filiis tonitrui.

Sed qui poteſt Celſo eiúſque ſimilibus Chriſtianas literas tantum inſectandi ſtudio legentibus, contingere vt *D* intelligant quid ſignificet Ieſu formarum varietas? addo etiam ætatum eius, atque geſtorum vel ante paſſionem vel poſt reſurrectionem a mortuis. Deinceps autem in hunc modum Celſus loquitur. Præterea ſi voluit Deus, ſicut in Comœdiis Iupiter è longo ſomno experrectus, humanum genus à malis eripere, quid ita in vnum angulum miſit iſtum quem iactatis ſpiritum? cum deberet ſimiliter alia inſpirare corpora, & per totum orbem dimittere Comicos certè riſum ſpectatoribus moturus facit Iouem è ſomno excitum ad Athenienſes & Lacedæmonios mittere Mercurium: vt verò non putas ridiculum figmẽtum, ad Iudæos mitti Dei filium? Vide hic quoque philoſophicam grauitatem Celſi, è comœdia petentis riſus materiam, & ſuo Ioui experrecto mittenti Mercurium comparantis noſtrum Deum conditorem omnium.

Qua de re iam ante dictum eſt a nobis, quòd non velut è longo ſomno experrectus Deus ad humanum genus Ieſum miſerit, qui & ſi iuſtis de cauſis nunc demum incarnationis diſpenſationem ſuſcepit, ſemper tamen in homines fuit beneficus. nihil enim vnquam inter homines boni geſtum eſt, niſi Dei verbo animis eorum præſente, quantulocunque tempore capacium eius energiæ. quin & aduentus Ieſu in vnum vt videtur angulum ratione non *E* caruit: quoniam oportebat vt ad eos qui vnum Deum didicerunt, eiúſque prophetas legebant, & de Chriſto præconia, veniret qui per prophetas prænunciatus fuerat, eo præſertim tempore, quo ex vno angulo diuulgandus erat toto orbe terrarum habitabilium. quapropter non opus erat vt multa vbique fierent corpora, multique quales Ieſu ſpiritus ad illuminandum Dei verbo orbem habitatum ab hominibus. Satis enim erat vnum verbum, tanquam iuſtitiæ ſol exortus à Iudæa mittendis radiis in animas excipere volentium. quod ſi quis deſiderat videre multa corpora repleta diuino ſpiritu, & quemadmodum vnicus ille Chriſtus miniſtrantia ſaluti hominum vbiuis gentium, conſideret eos qui paſſim recta vita ſanáque Ieſu doctrina prælucent hominibus, vocati & ipſi Chriſti in diuinis literis, vbi legitur, Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis ne malignemini. Nam ſicut audiuimus quòd antichriſtus veniat, & nihilominus didicimus, multos antichriſtos eſſe in mundo: eodem modo agnoſcentes Chriſti aduentum, contemplamur multos per eum in mundo factos Chriſtianos, qui ad ipſius ſimilitu- *Pſal. 103* dinem dilexerunt iuſticiam, & oderunt iniquitatem. quapropter & eos vnxit Deus, ille inquam Chriſti Deus, oleo exultationis. Sed Chriſtus, quia præ participibus ſuis dilexit iuſticiam, odio verò habuit iniquitatem, & primitias *F* huius vnctionis accepit, & vt ita loquar, totam vnctionem olei huius exultatorij. cæterum participes eius, quantum quiſque capere potuit, tantum eius vnctionis adeptus eſt. quamobrem cùm Chriſtus ſit caput eccleſiæ, vt pro vno corpore cenſeatur Chriſtus & eccleſia, vnguentum capitis deſcendit in barbam Aaronis, quod eſt inſigne viri perfecti, perueniſque deſcendendo vſque ad oram veſtimenti. atque hæc dicta ſint ad indecorum Celſi dicterium, quòd debuerint ſimiliter inſpirari multa corpora, & per totum orbem dimitti. Ergo comicus iſte riſum captans Iouem dormientem finxit, ac mox experrectum mittentem ad Græcos Mercurium. at noſtra doctrina quæ nouit Dei naturam peruigilem, docet nos quòd Deus res huius mundi ratione ſumma diſpenſat pro opportunitate temporum. Non eſt autem mirandum, ſi cùm ſint iudicia Dei magna & inenarrabilia, imperitorum animæ falluntur, & Celſus inter cæteras. Itaque non eſt ridendum, ad Iudæos, apud quos prophetæ fuerunt, miſſum eſſe Dei filium, vt illinc initio facto corporaliter, virtute ac ſpiritu oriretur animis non amplius terram à Deo deſertam colere volentibus. Deinceps autem placuit Celſo diuiniſſimas gentes dicere, primùm Chaldæorum, à quibus in homines propagata eſt fallax genethliacorum diſciplina:

v v

G deinde Magorum, à quibus denominata magia & ad cęteras gentes profecta, corruptelam in eas inuenit & perniciem. Ægyptios quoque quamuis superius eorum cęrutē taxauerit, quòd intra ornatissimos templorū suorum ambitus, nihil sacrorum inclusum asserueint pręter simias, crocodilos, capras, aspides, similésque bestias, nunc annumerat diuinissimis iam inde ab initio, fortasse quia iam inde ab initio Iudæis fuerunt infensissimi. In hunc diuinissimarum gentium ordinem accenset etiam Persas, infames matrum ac filiarum concubitu: atque Indos etiam, quòs paulo ante humanis carnibus vesci dixerat. Iudæos verò qui nihil vnquam tale fecerūt per tot secula, adeò non dixit diuinos, vt dicat mox perituros, Id autem iam velut vaticinatur de eis, non videns quam præsentem olim horum respublica Deum habuerit, & quòd per peccatum eorum gentibus æternis salus contigerit, & delictum eorum attulerit mundo diuitias, donec compleatur gentium introitus, vt postea totus, quem Celsus non intelligit, Israel salutem consequatur. Illud nescio quomodo de Deo prædicet, quòd cùm sit omniscius, ignorauerit se tamen mittere filium ad malos homines, occisuros eum per summum scelus. mihi videtur oblitus eorum quæ de Iesu Christo prædicantur, præsciuisse illum diuino spiritu quicquid passurus erat, & omnia prædicta fuisse prophetarum vaticiniis. vnde sequitur falsum esse quod nescierit Deus filium se ad
H malos mittere, affecturos eum supplicio. quamuis non ipse ait nos huc refugere, vt dicamus omnia hæc prænunciata vatum priscorum oraculis. Sed quoniam sextus liber iam satis excreuit, faciemus septimo initium, in quo videbimus quid Celsus contra nos afferat, dicentes omnia de Christo prænunciata per prophetas: ad quæ quoniā prolixius respondendum est, ne sermonem cogamur interrumpere, hic sextum librum alioqui maiorem iusta molē habiturum finire volumus.

LIBER SEPTIMVS.

POst longum certamen, quod sex superioribus libris cōtra Celsum Christianorum calumniatorem quantum potuimus decertauimus, nihil quoad licuit indiscussum relinquendo, inuocato diuino numine per ipsum Christum quem Celsus calumniis impetit, vt cùm sit veritas illucescat cordi nostro ad subuersionem mendacij, septimum iam ordimur à precatione
I illa prophetica, Deus in veritate tua disperde eos, nimirum sermones veritati aduersarios. nam hi per Dei veritatem disperduntur, vt his disperditis omnes à tētatione liberati dicant id quod mox sequitur, Voluntariè sacrificabo tibi, videlicet rationalem & sine fumo victimam, Deo vniuersorum Domino gratissimam. Est autem nunc institutum Celsi accusare eos qui aiunt prophetarum Iudæorum vaticinia de Iesu Christo præcinere: quare omnium primum fatemur, quod qui alium Deum inducunt quam Iudæorū, nequaquam possunt ad obiecta ipsius respondere: nos autem qui eundem Deum retinemus, defensuri nos ad prophetarum de Christo oracula cōfugimus, verba ipsius sunt hæc. Videamus quid pro se adducturi sint. certè hi qui aliū Deum inducunt, nihil. Qui eundem, afferent illud sapiens dictum, oportuisse hæc ita fieri. argumentum autem hoc, quòd olim hæc à prophetis prædicta sint. Ad quod respondemus, tam esse infirma quæ paulo antè de Iesu & Christianis iste in medium attulit, vt etiam ab impia secta Deum alium introducentium refelli possint facile: quod nos ipsi faceremus ipsorum nomine, ni vereremur ne imbecilliores ansam inde arriperent declinandi ad deteriora dogmata, ostenderemúsque ne illis quidem deesse quo aduersus Celsum tueantur partes suas, quare his omissis, de prophetis dicemus, vt antè cœpimus, & primùm ad illud quod K ait, Pythia, Dodonæa, Claria, Branchidarum, Ammonis, aliáque innumera oracula, quorum monitis per omnes fermè terras deductæ sunt coloniæ, haberi pro nihilo: cæterum Iudæorum dicta non dicta, more gentis ambigua, qualia hodiéque Phœnicum sunt & Palæstinorum, miranda putari ac certissima. Dico igitur de modò enumeratis oraculis, posse nos ex autoritate Aristotelis & Peripateticorum multa proferre, Pythiæ cæterísque fidem abrogantia: posse item ex Epicuro eiúsque sectatoribus transcribere quid de his sentiant, ostenderéque quòd ipsi Græci nihili pendant Græciæ oracula vel celebratissima. Sed faciamus non esse figmenta hominum quæ feruntur de afflata numine Pythia, cæterísque id genus vatibus: videamus an non, si diligenter rei veritatem expēdamus, euincipossit, etiamsi maximè sint oracula, non consequi necessariò præesse illis numen aliquod, sed potius quosdam malos dæmonas, & spiritus infensos humano generi, opponentésque se animis ad cœlum per virtutis viam ac verā pietatem tendentibus, qua redeant ad Deum. Certè de Pythia, qua non aliud manteum est celebrius, narratur vatem illam Apollinis desidere super foramen specus Castalij, & ascendentem inde spiritum per muliebre gremium recipere, quo repleta profert ista præclara & diuina vt pu- L tantur oracula. Considera nunc an non hoc ipso abundè intelligatur spiritus illius impuritas, non per cęcos meatus multo puriores muliebri gremio penetrantis in animam fatidicam, sed per eos, quos vir honestus non sustineret aspicere, nedum tangere: idque non semel atque iterum, quod fortasse ferendum erat, sed quotiescunque illa inflata Phœbo prophetare creditur. quin & illud quòd extra se rapta, velut magicis artibus furiata, ipsa quid agat, non intelligit, non est opus diuini spiritus. Deberet enim quicunque diuino afflatur numine, ante alios qui oraculis eius iuuantur, & ad meliorem naturæ cōsentaneam vitam proficiunt, ipse cernere quid sit conducibile, præsertim tātisper dum Deus est in eius pectore. Nos sanè colligimus è sacris scripturis, quòd Iudæorum prophetæ illustrati diuino spiritu, quatenus opus erat illustrari diuinorum consiliorum interpretes, primi fruebantur aduentu ad se numinis: contactúque animam (vt ita loquar) sancto spiritu, & hanc adipiscebantur splendidiorem, & mentem perspicaciorem, atque adeò corpus ipsum, non amplius spiritui cōtumax, aut rectam vitæ rationem fastidiens, nimirū emortuum (sicut nostri loquuntur) carnis concupiscentiis. persuasum est enim nobis quòd opera carnis inimicę Deo mortificantur per diuiniorem spiritum. quod si Pythia extra se rapitur, dum fata canit, qualis existimandus est ille spiritus offundens menti ac rationi tenebras, cùm sit simi- M lis huic dæmonum generi, quod non pauci Christiani eiiciunt ex obsessis corporibus, idque sine omni curiositate magorum & veneficorum, sed solis precibus adiurationibusque simplicibus, quę sunt artes hominum simplicium: nam plerunque plebeij homines hæc faciunt, per verbum suum coarguente dæmonum infirmitatem Christi gratia, quòd non opus sit ad profligandos eos ex anima hominis & corpore sapientibus verbis & validis de fide rationibus. Porrò cùm persuasum habeant non solum Christiani & Iudæi, verumetiam alij multi tam Græci quàm barbari, quòd supersit & viuat post discessum à corpore humana anima: & rationi consentaneum sit, quòd quæcunque pura est nullísque maliciæ grauata compedibus, sublimis euolat ad puriora loca ætheris, relictis crassi corporis sordibus: contra quæcunque mala est & in terram depressa peccatorū onere, sine respiratione agitatur & voluitatur huc & illuc, quædam circa monumenta, vbi etiam vmbrosa quædam animarum spectra interdum conspiciuntur, aliæ circa terram passim volitantes: quantum censendum est esse spiritum, qui tot integris seculis, sine aliquibus incantationibus, siue suapte malicia sunt alligati certis locis & ædificiis. hos omnes ratio iubet haberi pro malis, & arte diuinatoria, quæ quidem est indifferēs,

abu-

A abutentibus ad decipiendos homines, & abstrahendos à vero numine, cultúsque huius purissimo. quòd autem tales sint apparet ex sacrificiorum nidoribus & victimarum cruoribus, in quibus eorum corpora delicíantur, non aliter quàm mali homines, qui neglecta puriore vita toti voluptatibus corporis dediti, vitam degunt terrenam & humilem. Si autem Deus esset, vt Græci putant, Apollo delphicus, quem potius deberet eligere prophetam quam virum sapientem, aut si talis non inueniretur, certè proficientem in melius. quî fit autem vt in hoc prophetandi ministerio virum fœminæ non prætulerit? aut si fœminam malebat, vt qui non posset alia re delectari quàm mulierum gremiis, cur non virginem fatidicam prætulit? Nunc ille admirandus apud Græcos Pythius, non sapientem, ac ne virum quidem diuino, vt Græci putant, afflatu dignatus est: imò nec inter fœminas quidem virginem aliquam, aut sapientem, aut eruditam in philosophia, sed vulgarem quampiam mulierem. fortassis enim qui tunc erant virorum præstantissimi, meliores erant quàm vt in eos vis numinis decumberet Apollinei. Atqui si Deus fuisset, debuerat ista futurorum præscientia homines inescare (vt ita loquar) ad meliorem frugem & mores emendatiores. nunc nihil tale de illo proditum legitur. nam & si

B Socratem pronunciauit omnium hominum sapientissimum, tamen hanc eius laudem obscurauit, addita mentione Sophoclis & Euripidis, dum inquit: Sapiens Sophocles, sapientior Euripides. Itaque dum Socrates præstantior censetur collatus ad tragicos, contendentes in scena & theatro de vulgari præmio, nunc miserationem spectatoribus mouentes nunc risum, (nihil enim aliud captant satyrica dramata) non admodum ornatur eius grauitas & veracitas philosophica. Et fortasse non tam propter philosophiam appellauit eum omnium hominum sapientissimum, quàm propter nidores sacrificiorum, quos offerebat tum ipsi tum reliquis dæmonibus: & dæmones propter hæc magis exaudiunt vota sacrificantium, quàm propter virtutem & eius opera. quapropter poetarum optimus Homerus res Græcorum describens, & docens quid potissimum dæmonas faciat sacrificantibus exorabiles, induxit Chryscn paucis caponis & taurorum caprarúmque femoribus emercantem quicquid Græcis propter filiam imprecatus est, vt peste adacti Chryseida sibi redderent. Memini etiam me legere apud quendam pythagoricum, qui scripsit de reconditioribus huius poetæ sensibus, quòd Chrysæ verba ad Apollinem, & ab Apolline immissa Græcis pestilentia nos doceat, non ignoratos fuisse Homero malos quosdam dæmonas gaudentes

C nidoribus & sacrificiis, qua mercede corrupti, sacrificatoribus suis perniciem aliorum retribuant, si modò id illi postulent. Quin & ille Dodonæ præses hybernis incommodæ, cuius prophetæ humi cubitant illotis pedibus, reiectis viris ad prophetiam asciuit fœminas Dodonidas, vt ipse Celsus indicat. Iam esto alius his similis Clarius, alius in Branchidarum manteo, rursus in Ammonis alius, aut vbiuis gentium reddens oracula: vnde discemus deos esse hos non dæmonas? cæterum Iudæorum prophetæ, quidam diuinitus inspirati prophetauerunt, hac ipsa functione sapientes redditi: alij horum oraculis illustrati animam, similes eorum facti sunt, electi per diuinam prouidentiam quibus crederentur sancti spiritus eloquia, propter incomparabilem vitæ integritatem, fortitudinem, libertatem, & contemptum mortis periculorúmque omnium. tales enim verbum elegit prophetas Dei maximi, ad quos collati ridiculi essent Antisthenes rigidi, & Crates ac Diogenes. namque propter veritatem & libertatem in reprehēdendis peccatis lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, occisione gladij occubuerunt. oberrabant enim in ouillis & caprinis pellibus, destituti, afflicti, in desertis errantes & montibus & speluncis cauernisque terræ, quibus indignus erat terrenus hic mundus, semper contemplantes inuisibilia Dei, nullóque sensu comprehensibilia, proindéque sempiterna. horum singulorum vitæ mandatæ sunt literis, nobis in præsentiarum vel Moses sufficit:

D huius enim prophetias lex continet: vel Hieremias cuius titulo extat prophetia, vel Esaias, qui per triennium nudipes ambulauit, durissimè victitans. quin & puerorum, Danielis sociorumque, austeram vitam considera, aquæ potu contentorum & leguminibus, ab animatis in totum abstinentium: & superiora quoque tempora, si potes: Noe prophetantem, Isaacum filio bene precātem ritu prophetico, Iacobum duodecim filiorum singulos inuitantem: Venite, annunciabo vobis quid futurum sit diebus vltimis. hi & innumeri alij Dei prophetæ de Iesu Christo prædixerunt. Quæ quidem causa est vt nihili pendamus Pythia, Dodonæa, Claria, Branchidarum, Ammonisque oracula, & siqua celebrantur alia, soláque miremur Iudaica, vidētes horum fortem, constantem, honestámque vitam dignam fuisse vt in animis eorum hospitaretur diuinus spiritus, nihilque hic simile dæmonum diuinationibus. Illud non intelligo quomodo Celsus cum dixisset, Cæterum Iudæorum more illius gentis dicta, subiūxit, non dicta. Videtur enim significare, fieri posse vt scripta sint, quamuis nunquam dicta fuerint. non enim nouit rationem temporum, & quòd multis ante annis prædixerint innumera, & in his Christi quoque aduentum. ad hæc quo magis calumniaretur priscos prophetas, ait eos prophetasse quemadmodum nunc etiam Phœnices & Palæstini solent, non satis disertè indi-

E cans num de aliquibus loquatur alienis à Iudæorum Christianorúmque doctrina, an de quibusdam more Iudaico ad æmulationem prophetarum futura prædicentibus. Verùm vtcunque se habeant quæ dicit, mendacij conuincitur. Nam neque externi à fide nostra quicquam habent prophetis simile, neque Iudæa gens post Iesu aduentum vllos prophetas habuisse proditur. constat enim eos destitutos esse à spiritu sancto postquam impij fuerunt in deum, & in illum quem prophetarum oracula designauerāt. signa autem spiritus sancti extiterunt sub initium Iesu prædicationis, sed plura post eius assumptionem, postea rursum pauciora: veruntamen nunc quoque sunt eius apud paucos vestigia, qui purgatas habent animas verbo & huic conuenientibus actionibus. Spiritus enim sanctus disciplinæ fugiet fictum, & discedet à cogitationibus insipientibus. *Sap. 1.*

Quoniam autem etiam modum prophetandi Phœnicium & Palæstinum pollicetur se dicturum, quasi bene auditum & cognitum, age consideremus hæc quoque. primùm ait esse complures prophetiarum species, quas tamen non exponit. nec enim vllas habebat, sed falsò prætendebat. quos autem dicat in hoc genere perfectissimos videamus. Multi, inquit, vulgares & innominati quacunque de causa vel inter sacra vel absque sacris, quidam etiam circulatoriè se ingerentes vel vrbibus vel exercitibus, gestus quosdam edunt fanaticos. singulis autem in promptu sunt illa

F verba consueta: Ego sum Deus, aut Dei filius, aut diuinus spiritus. Veni autem quia mundo instat interitus, & vos homines perituri estis propter vestras iniquitates. at ego seruare vos volo, videbitisque me iterum redeuntem cum cœlestibus copiis. Beatus qui nunc me colit: reliquos omnes in ignem æternum cōiiciam vnà cum ipsis vrbibus eorum & regionibus. Et homines qui nunc suas pœnas nesciunt, tunc frustra gement sera tacti pœnitētia, qui autem mihi crediderint, eos seruabo in æternum. Deinde inquit: hæc obscura & incerta ostentantes, quorum mentem ne sapiens quidem inuenire queat propter obscuritatem, materiam præbent stultis & præstigiatoribus vsurpandi ea in quamlibet sententiam. Atqui nisi esset accusator iste liuidus, debuerat totidem verbis recitare ipsas prophetias, quibus se quis aut deum omnipotētem asseuerat, aut dei filium, aut quibus se persuadet esse sanctum spiritū. Sed tum sudasset multum si voluisset ostendere nihil diuinū inesse illis sermonibus, à peccatoribus reuocātibus peccatores & obiurgātibus, futuráque prædicentibus. nam ideo prophetiarum autores scriptis eas tradiderunt asseruandas posteris, vt lectores admirarentur tanquam diuina oracula, & proficerent non tantum ex reprehensionibus admonitionibúsque, verùm etiā ex prædictionibus: & ex earum euentu agnoscentes diuinum spiritum fatidicū, iuxta

G pietatis doctrinam se exercerent obediẽdo legi ac prophetis. Certè ipsi prophetæ quicquid erat opus mox ab auditoribus intelligi, & quicquid ad corrigendos mores faciebat, absque vllis inuolucris proposuerunt eis ita vt Deus voluit. quicquid autem arcanum erat, & dispiciẽdum amplius vt vulgari captu vt sublimius, id figuris obscurioribus conuelauerunt, ænigmatis, allegoriis, parœmiis ac parabolis, vt non ab ignauis inueniretur & segnibus, sed à virtutis ac veritatis studiosis perscrutatoribus, & inuentũ iuxta diuinam doctrinam in vsum proprium verteretur. at præclarus hic Celsus velut iræ impotens quòd propheticas voces intelligere non valeat, conuiciis eas impetit, dicens ostentari iactarique quædam ac fanatica, eoq; intellecta sapienti nemini, sed stultis & præstigiatoribus occa-
2.Cor. 3. sionem præbentia vsurpandi se in quamlibet sententiam. mihi videtur versutè dixisse, volens quantum in se esset, arcere lectores à diligentius discutiendis & examinandis prophetarum sensibus. in quo imitatur illos qui propheta quodam ingresso ad quendam vt ederet oraculum, postquam is abiit, dixerunt, Quid tibi mente captus iste attulit? Hic fortasse opus esset aliquo nobis sapiẽtiore qui Celsum mendacij coarguat, declarando quàm diuini sint ser-
Ioan. 4. mones prophetici: attamen nos quoque pro nostris facultatib. id fecimus, obscura illa, & vt Celsus vocat, fanatica
H exponendo ad verbum in cõmentariis quos super Esaiam atq; Ezechielẽ, & aliquot è duodecim numero scripsimus. quod si de^9^ amplius conatos nostros prouexerit, & in enarrandis ipsius literis industriam, quocunq; illi visum fuerit tempore, adiicientur vel reliqua quæ supersunt, vel quantum interpretationib^9^ illustrare nobis dabitur. Alij quoq; cordati viri scrutando scripturam intellectũ eius inuenire poterunt, licet reuera sit multis locis obscura, sed nõ sic, vt intelligatur à nemine, quantumuis Celsus id asseuerat. Nec talis est vt eam stultus quispiam aut præstigiator explanare aut arbitrio suo torquere valeat: sed solus quicunque verè sapiens in Christo est totam seriem occultioris prophetiæ perceperit, spiritualia cum spiritualibus conferens, & consuetis scripturam locutionibus adstruens singula. Nulli enim Celsi ætate prophetæ fuerunt priscis similes, alioqui similiter extarent scriptæ illorum prophetiæ, conseruatæ à suis admiratoribus. Illud autem mihi euidentissimum videtur Celsi mẽdaciũ, quòd prophetæ quos audierat, ipso redarguente falsi sint quid captantes alia super alia figmenta commenti sint. Debuerat enim nominasse istos quos ait sibi auditos, vt prolatis nominibus facilè fieret iudicium, veráne an falsa Celsus diceret. Putat etiam illos qui res Christi autoritate prophetarum asserunt, nihil ad versum (vt aiunt) posse dicere, quoties ibi aliquid miserum de Deo dici, aut turpe, aut impurum, aut sceleratum de-
I prehenditur: atque hic quasi iam essent inexcusabiles, col-
1. Pet. 3. ligit innumera. quoniam non concedẽda. sciendum quòd qui volunt iuxta scripturas vitam suam instituere, & non ignorant illud dictum de insipientibus, scientiam eorum esse verba inscrutabilia: & illud, Semper parati ad reddendam nostræ spei rationem omnibus poscentibus: non eò tantum confugiunt, vt dicant hæc olim prædicta fuisse prophetarum oraculis: sed & obiectiones, non temerè vt videri posset factas, conantur dissoluere: & declarare, nihil inesse in eis sermonibus, vel miserum, vel turpe, vel impurum; vel sceleratum, modò sic accipiatur vt decet à scripturam sacram intelligentibus. Debuerat igitur ex ipsis prophetis producere quæ offendebant, siue quid miserum, siue turpe, siue impurum, siue scelestum videbatur, si modò tale quid in eis reperit. sic enim vehementior fuisset oratio, & ad persuadendum efficacior. nunc nihil profert, sed intentando calumnias facturum se id minatur, contra scripturam interim mentiens. itaque non est respondendũ ad inanem vocum eius strepitum, vt declaretur nihil miserum, aut turpe, aut impurum, aut scelestum inesse prophetarum sermonibus. Deus nihil turpe vel facit vel patitur, nec malo ministrat, vt Celsus opinatur. nihil enim tale prædictum est de eo. quod si ipse prædictum ait, facturum aliquid turpe passurúmve, aut malo ministraturum, cur

non prophetias de hoc in medium attulit, cur frustra suos K
auditores nefariis nugis contaminat? De Christo certè vaticinati sunt prophetæ, causam addẽdo propter quam passurus esset: & deus sciebat quæ passurus esset Christus suus. quid hic impuritatis Celsus ostendit? an fortè dicet impura & misera quæ ille sustinuit? quid refert, inquit, verum deum ouillam & fel edere, acetúmque bibere dicas, an vesci excrementis? At nos deum non opinamur ouillam edere. si enim edisse videtur, vt corpus gestans Iesus comedit. cæterum quod de aceto felléque per prophetas prænun- Psal. 69.
ciatum est, Dederunt in cibum mihi fel, & sitientem aceto potauerunt, quamuis ad hoc responsum sit superius, Celsus tamen cogit nos iterum eadem repetere: quod semper veritatis insidiatores fel suæ maliciæ, & acetum procliuitatis ad malum, offerunt domino Deo, qui gustatum non vult bibere. Deinde subuersurus fidem propter prophetias de Iesu credentium, Age, inquit, fac prophetas de magno Deo prædixisse, seruiturum eum, (nequid dicam grauius) aut ęgrotaturum, aut moriturum, necesse erit eum seruire, ægrotare, mori, quia sic prænunciatum est à vatibus, vt mortuus credatur esse Deus? sed hoc nunquam prophetæ canerent: est enim malum impium. itaque non est spectandum quid prædictum sit, quid non, sed quid decorum & dignum Deo. sin aliquid malum est ac turpe, etiam si omnes insani homines prædixissent, non est credendum. L
num igitur pium videtur, sic tractatum esse deum? Hic sibi videtur nactus vehemens argumentum de prophetis ad Iesum attinentibus, dum fidem earum irritam facere conatur, negans spectandum quid pręd ictum sit, quid non. atqui si non vaframentis agere voluisset, debuerat dicere: igitur euincendum non esse prædicta, aut secus quàm prędictum est, euenisse quæ Iesu acciderunt: atque ita inferre quod illatum voluit. sic enim appareret quas prophetias nos ad Iesum referamus, & quàm strenuè nos refellat aduersarius: aut deprehenderetur quàm impudenter conetur deprauare veritatem quasi non sit veritas. Et quia quędam impossibilia & indecora Deo præsopponens ait, si hæc de Deo maximo prædicta fuissent, num propter eam prædictionem deberemus talia de Deo credere? portátque hinc colligi, quòd etiamsi certum esset, prædixisse hæc sacros vates de Dei filio, tamen non esse credenda, quandoquidem sit impossibile hæc eum pati aut facere: dicendum præsuppositionem hanc absurdam esse, vt quæ coniungat natura inter se pugnantia, id quod sic demonstrabitur. Si veridici prophetæ Dei vniuersorum domini seruiturum eum, aut ęgrotaturum aut moriturum prędixerunt, fatemur hæc ita euentura. necesse est enim non mentiri Dei prophetas. Sed si prophetæ iidem hęc de summo Deo vaticinantur, quoniam quæ naturaliter sunt impossibilia, falsa sunt, non euenient circa deum vera prophetarum præ- M
sagia. quoties autem duo coniuncta in res inter se contrarias desinunt, quod theorema vocatur ex duabus propheticis, non consistunt etiam vtraque antecedentia, vt in præsenti negotio, dum prophetæ Dei maximi prędicunt eum seruiturum, ęgrotaturum, moriturum. Sic enim ratiocinamur. Si primum, etiam secundum. quod si non primum, neque secundum. ergo neque primum. Sic & de materialibus argutantur Stoici, afferentes illud, Si scis te mortuũ. nectunt autem syllogismum hoc modo: Si scis te mortuũ, est quod scis, ergo est quod est mortuum. ac rursum. Scis te mortuum, & est quod scis te mortuum. quoniam autem mortuua nihil scit, manifestè sequitur vt cùm scias te mortuum, nõ sis mortuus. Sequitur autem, vt dixi, vtramque ratiocinationem: Ergo nescis te mortuum. Tale quiddam est & in Celsi propositione quam superius recitauimus. quamuis aliud est de prophetiis Iesum prænunciantibus. non enim prædixerunt deum crucifigendum, quando de mortem assumente sic loquuntur:
Vidimus eum non habentem speciem nec pulchritudinem: sed species eius sine honore supra cæteros filios hominum. homo in plaga constitutus & dolore, & sciens ferre infirmitatem. Vide vt apertè hominem nominent qui humana passus est. & ipse Iesus bene sciens Ioan. 8.
quod

A quod moriturum erat esse hominē, ait suis insidiatoribus: nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo. quod si quid in hoc quem per se hominem intelligimus diuinitatis inerat, id quod erat vnigenitus dei & primogenitus creaturæ totius, cuius verba sunt, Ego sum veritas, ego sum vita, ego sum ianua, ego sum via, &, Ego sum panis viuēs qui è cœlo descendit, alia de hoc eiúsque essentia consideratio est, seorsum ab eo quem in Iesu intelligimus homine. quamobrem ne simplicissimus quidem Christianus, & inexercitatus in doctrina exquisitiore, diceret obiisse veritatem, aut vitam, aut viam, aut viuum panē qui descēdit è cœlo, aut resurrectionem. nam resurrectionē se esse ait, qui in specie hominis Iesu docebat dicēs, Ego sum resurrectio. (Ioan.11.) nec est vllus nostrū tam attonitus vt dicat, mortua est vita, mortua est resurrectio. inuenirentur autem tales si locum haberet suppositio Celsi, si fateremur prædixisse prophetas moriturū Dei verbum, aut veritatē, aut vitā, aut resurrectionē, aut aliquid eorū quæ de se prædicat dei filius. itaque in tantum verè Celsus hoc loco prolocutus est, quod nunquam hoc prophetæ prædicerent. id enim esset malū ac impium. quid autem hoc, nisi magnum Deum moriturum esse aut seruiturū. cæterum quæ prophetæ prædixerunt, Deo digna sunt, splendorem naturæ diuinæ characterémque in humana sancta Iesu anima esse missurum vnà hominum, vt seminaret verbum conciliaturum Deo vniuersorum domino cunctos, quicunque id in animā suam B reciperent, & excolerent perficerentque quicquid potest Dei verbum receptum in corpus hominis & animā. quod ita futurum est, si non excludantur eius radij, nec aliunde petatur lumen illud quàm à verbo Dei. Igitur inquantum cogitātur gesta Iesu quæ in eo patrauit deitas, pia sunt nec aliena à sanctis de Deo cogitationibus. inquantum autem homo erat, supra omnes homines ornatus participatione ipsius verbi & ipsius sapientiæ, sustinuit vt sapiens & perfectus, quicquid oportebat sustinere nihil non facientem pro genere hominum siue rationalium. nec absurdum est mortuum fuisse hominem, mortémque eius propositā esse in exemplum moriendi pro pietate, atque etiam primam hanc profligasse illius mali diaboli potentiam late per orbem terrarum dominantis. porrò signa destructionis eius sunt hi qui propter aduentum Iesu fugiunt vbique possessores suos dæmonas, & ab eorum seruitute liberati totos se Deo dedicant, in dies in puriore pietate proficientes pro viribus. Post hæc sic pergit Celsus. Nec illud etiā animaduertunt, si de hoc Iudæorum prophetæ prædixerunt eum fore Dei filium, quî factum sit vt ille quidem per Mosen legislatorem iuberet diuitias parare ac potentiam, replere terram progenie, totas hostium gentes delere ferro seruatis solis impuberibus, quod & ipse vt Moses fatetur, fecit in conspectu Iudaici populi, etiam ipsis diserte mini- C tans, ni pareant habiturum se eos pro hostibus: filius vero eius homo Nazarenus leges ferret contrarias, ne accessū quidem ad patrem suum concedens cuicunque vel ditescenti, vel principatum affectanti, vel ad sapientiam enitēti aut gloriam. nec magis quàm coruis nobis curandam rē penuariam: vestis item minorem curam habendam quàm lilia habeāt. Semel percutienti præbendum iterum faciē. Vter mentitur, Moses an Iesus? An forte pater cum hunc mitteret oblitus erat quid olim Mosi mandauerit? an dānatis propriis legibus mutauit sententiam, & cum contrariis mandatis misit nuncium? Hoc loco Celso vt profitetur omniscio quiddam accidit idiota quàm philosopho dignius, dum in scripturis nihil supra literā intelligit, nec putat in prophetis latere sensum profundiorem, non videns cœlestem doctrinam nunquam tam aperte fuisse cōmendaturam ea inopinato corporales diuitias recte viuētibus, cum constet plurimos viros iustissimos vixisse in summa inopia. certe ipsi prophetæ per vitæ puritatem (Heb.11.) consecuti diuinum spiritum, obambulabant in ouillis & caprinis pellibus, egeni, oppressi, afflicti, errantes in montibus desertis per cauernas terræ ac speluncas. Multæ

sunt enim iustorum angustiæ, sicut canit hymnographus. D quod si Celsus legisset Mosis legem, verisimile est quòd illa verba, Fœneraberis multis gentibus, ipse vero ad vsuram mutuum non accipies, quæ ad legis obseruatorem dicuntur, putasset promissionem iusto factam, inibi rerum cumulaturas ei cæcas diuitias, vt præ multitudine pecuniarum iustus non Iudæis modo fœneretur, aut vni genti vel alteri, sed compluribus, ô quantum pecuniarum iustus acquisiuit in mercedem iustitiæ, vt iuxta legem fœneretur multis gentibus, ea eodem intellectu & illud colligitur iustum nunquam ad vsuram mutuum accipere, quia scriptum est: tu vero ad vsuram mutuum non accipies. Ergo hæc gens tot seculis permansit in Mosaica religione, cum legislatorem manifeste, vt Celsus vult mentientem videret? nusquam enim in historiis reperitur aliquem sic esse ditatum vt fœneraretur multis gentibus. (Psal.34.)

Sed non est probabile eos didicisse sic legem audire vt Celsus opinatur, & videndo vanas eius promissiones tam contentiose decertasse pro illa. Quod si quis obiiciat peccata populi in argumentum contemptæ legis, fortasse ob fidem ei non habitam: ad hoc respondebimus, legendum etiam quod scribitur de tempore quo totus populus post perpetratum malum in conspectu domini ad meliorem mentem conuersus legis religionem complexus est. Imperium quoque in gentes exterass quod illis scriptura est E pollicita, & internecione delendas hostiles copias. dicimus si quis diligenter verba examinet, inuenturum non posse iuxta verba ipsa intelligi. Id ita esse vt sciatur, conentur ero pauca è Psalmis in testimonium producere, quomodo iustus introducatur dicens inter cætera etiam illud: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operatores iniquitates. Attende contextum verborum, & institutum loquentis, an potuerit post commemorata tot præclara facinora, quę vnicuique si libeat licet ibi legere, subinferre vt rem iuxta verborum sensum possibilem: quòd non alio diei tempore quàm matutino internecione occiderit omnes peccatores terræ, vt ne vnum quidem superstitem relinqueret: & non ex Hierosolymis profligauerit vniuersos quotcunque iniquitatem operabantur. Ad eundem modum permulta licet inuenire in lege quoque similia, sicut illud. neminem illorum viuum capium reliquimus superstitem. Addit mox, esse illis prædictum cum interminatione, nisi legi pareant fore vt eodem pacto ipsi tractētur habiti pro hostibus, sicut ipsi hostes suos tractare sint soliti. Sed priusquam Celsum audiamus pergentem conserere inter se quæcunque putat se inuenisse in institutis Christi Mosaicę legi contraria, respondendum est ad iam ante proposita. Dicimus igitur legem esse duplicem, videlicet alteram iu- F xta literam, alteram iuxta sententiam, sicut & maiores nostri docuerunt. Iam illam quæ sic vt scriptum est accipitur, non tam nos quàm Deus per quendam prophetam ius non bonum nominat, & præcepta non bona. nec enim hoc loco propheta aduersatur voluntati sui domini. Quē imitatus Paulus noster pronūciauit literam occidere, quod perinde est ac si verba dixisset occidere. cæterum spiritus, inquit, viuificat quod tantundem valet acsi nos eorum intellectu vitam consequi scripsisset. Itaque licet etiam apud Paulum, sicut apud prophetas inuenire quædam in speciem contraria.

Sicut enim Ezechiel dicit quodam loco, Dedi eis iusti- (Ezec.20.) ficationes non bonas, in quibus non viuent in eis: & alibi, Dedi eis iustificationes bonas, præceptáque bona, in quibus viuent in eis, vel in hanc certe sententiam: Sic etiam Paulus aliobi legalem literam incusare volens dicit, (Rom.7.) Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Mosis propter gloriam vultus eius quæ euacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? alibi vero laudās legē & suspiciēs, spiritualē eam nominat his verbis, Scimus quia lex spiritualis est. Itē illis: Itaq; lex quidem sancta, & præceptum sanctum, iustū, bonúmque,

G Ergo quando legis verba diuitias pollicentur iustis, Celsus quidem iuxta literam occidentem putat cæcas illas diuitias promitti: nos autem eas perspicaces intelligimus, quibus aliquis ditatur in omni doctrina omnique scientia: quo sensu etiam præcipimus diuitibus huius seculi ne altum sapiant, neve sperent in diuitiarum instabilitate, sed in deo qui benigne præbet ad fruendum omnia, vt benefaciant ditescántque bonis operibus, & sint liberáles communicatores. nam verorum bonorum diuitiæ redemptio sunt viri animæ, vt inquit Solomon: paupertas autem his contraria, perniciosa, propter quam pauper minas non sustinet. Eadem ratio est & de potentia iusti, qua persecuturus dicitur mille viros, & duo iusti profligaturi vigesima milia. Quod si sic intelligantur quæ dicta sunt de diuitiis, vide an non magis conueniat dei promissioni, fore vt diues in omni verbo & omni scientia sapiētiáque atque bonis operibus, fœneretur doctrinæ & sapiētiæ cognitionísque suæ diuitias multis gentibus: quemadmodum fecit
Rom. 15. Paulus per circuitum à Hierosolymis vsque Illiricum, re-
Deut. 15. plens euangelio Christi omnes gentes ad quascunque peruenit. Et quia per reuelationē diuinissimæ res innotuerant illuminato à verbo dei, idcirco non accipiebat mutuum ad vsuram, nec opus habebat vt doceretur ab homine. Et quia similiter scriptū est illud: Imperium habebis in multas gentes, tibi autem non dominabuntur: per verbi potē-
H tiam plurimos ex gentibus doctrinæ Christi subiugás, imperium obtinebat in eos, cum ipse nunquam hominibus subiiceretur tanquam præstantioribus. Sic autem etiam terram implebat. Quod si etiam de interficiendo contrandum est, déque iusti in omnibus rebus potentia: respódendum quod dum se dicit in matutino omnes peccatores terræ interficere, vt disperdat de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem, per terram figurate ibi significatur caro, cuius sapientia inimica est deo: per dei vero ciuitatem, ipsius anima, in qua erat dei templum, quod capiebat opinionem & persuasionem rectam de deo vt miraculo esset omnibus eam videntibus. Itaque simul atque solis iusticiæ radij alluxissent eius animæ, tanquam animatus ab eis & corroboratus subuertebat omnem carnis sapientiā, quam terræ peccatores vocat: & disperdebat ex anima sua, ciuitate dei, omnes cogitationes operantes iniquitatem, & affectus veritatis aduersarios. Ad eundem modum iusti enecant in captiuitatem redacta omnia infensa sibi vicia, non parcentes nec recens subnascentibus. Sic audiuimus illud
Psal. 137 dictum in Psal. 136. Filia Babylonis misera, beatus qui reddet tibi retributionem quam reddidisti nobis, beatus qui corripiet paruulos tuos, & ad petram allidet. nam paruuli Babylonis, quæ interpretatur confusio, sunt subnascentes
I & suboritentes in anima cogitationes conturbatoriç viciosæque, quas qui superat, ita vt firmitate ac soliditati rationis allidat earum capita, is infantulos Babylonis ad petrā affligit mactus virtutis huius nomine. Itaque licet Deus iubeat totas gentes & omnes puberes internecione deleri, nihil hic docet Iesu præceptis contrarium: faciat licet ipse hæc eadem hostibus in conspectu populi Iudæorum, sed qui in occulto Iudæi sunt, & viciis deprauatos afficiat meritis cladibus propter desertam disciplinam dei sui domini. Liquet igitur hominem Nazarenum non ferre leges priscis contrarias, de diuitiis, déque vitandis contentionibus: & quod difficile sit diuitem intrare in regnum cœlorum: siue quis simpliciter accipiat diuitem distractum propter opes in curas varias & quasi sēticetis prępeditū quominus fructum afferat siue abundātem falsis dogmatibus, de quo legitur in Prouerbiis, Melior pauper iustus, quam
Prou. 19. diues mendax. Quod autem de ambitione vetita Celsus
Matt. 20 adiicit, videtur hausisse ex illis dictis. Qui vult esse inter vos primos, sit minister omnium: & Principes gentium dominationem in eos exercent: & qui eis pro potestate imperant, seruatores appellantur & bene meriti: quæ tamen non sunt contraria his: Imperium habebis multarum gentium, tibi autem nemo dominabitur, vt iam declarauimus. Ac rursum sapientiæ mentionem iniicit, putás Iesum arcere sapientes à patris sui aditu. at quales sapientes? Si eos qui sibi contraxerunt, quendam habitū ex huius mun- K
di sapientia, quæ apud deum est stulticia, fatebimur non patere accessum ad eius patrem talibus quod si nomine sapientiæ Christus intelligatur, quandoquidem Christus est dei virtus & dei sapientia, tali sapienti non solum accedēdum patrem dicimus, verumetiam hunc aliis non eadem spiritussancti gratia ornatis longe præstantiorem asserimus. Gloriæ quoque inter homines captationem fatemur à Iesu damnatam, sed non minus in scriptura veteri. Itaque propheta quidem seipsum execrans si esset peccatis obnoxius, inter magna mala reputat mundanam gloriam. loquitur autem sic. Domine deus meus, si feci hoc, si est ini- Psal. 7.
quitas in meis manibus: si retribui retribuētibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis, persequatur inimicus animam meam & comprehendat, conculcet in terra vitam meam, & gloriam meā deducat in puluerem. Sed neque illud euangelicum, Nolite cogitare quid edatis aut quid bibatis, considerate volucres cœli: aut, considera- Matth. 6.
te coruos quod non seminent neque metant, & pater vester cœlestis alit eos: quanto magis vos potiores estis volucribus? Et de vestimentis quid estis solliciti? considerate pratēsia lilia, & quæ sequuntur: contraria sunt faustis in lege imprecationibus, promittentibus fore vt iustus edendo saturetur, aut Solomoni dicenti quòd iustus edendo replet Prou. 13.
animam, animæ vero impiorum egestate laborant. oportet enim animaduertere legis benedictionem loqui de ci- L
bo animarum, quo non hic compositus homo expletur, sed sola anima: cæterum euangelij locus fortasse profundius aliquid continet, fortassis etiā simpliciter intelligendus, non esse distēdendam animam variis de cibo & cultu solicitudinibus, sed frugalitati studendum cum fiducia quod deus prouidebit his qui contenti sunt necessariis. Hactenus Celsus nihil ostendit in euangelio legi contrarium: nunc profert illud. Ei qui te semel percussit, præba os iterum. Respondemus, scite nos dictum esse antiquis, Oculum pro oculo, dentem pro dente: legisse & hoc: Ego autem dico vobis, Quisquis impegerit alapam in dexterā Matth. 5.
tuam maxillam, obuerte illi & alteram. certe in Hieremiæ Threnis scriptum est, Bonum est viro cum portauerit iu- Thren. 3
gum ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit super se. Præbebit percutienti se maxillam, & saturabitur opprobriis. Euangelium deo legis autori se non opponit, ne in hoc quidem dicto quod ad alapam attinet, neuter mentitur, non Moses, non Iesus. nec pater Iesum mittens oblitus erat quid Mosi mandauerit, neque pœnitentia ductus damnata propria lege misit euangelium doctorum contraria mandatis pristinis. quod si paucis verbis dicendum est de differentia rationis viuendi quam Iudæi quondam Mose præeunte secuti sunt, & huius ad quam M
nunc Christiani Iesu doctore mores suos dirigunt: arbitramur quod nec vocationi gentium cōueniebat iuxta legem Mosis, ita vt eius litera sonat, degere, cum Romano imperio sint subditæ: neque Iudæi poterant conseruare in eodem statu suam rempublicam, si persuasum eis fuisset recipere instituta euangelica. nam Christiano ritu viuendo non poterant iuxta Mosis legem vel in hostes sæuire cędibus, vel in sententia iusta damnatos lapidibus populariter coniectis animaduertere, aut ignis supplicio: quando ne nunc quidem si nostrā religionem amplectantur, possunt legis præscripta facerę. Itaque si tum propriam rempublicam in regione propria habentibus ademptum fuisset ius pugnandi pro patria, & suppliciorum aut quarumcunque pœnarum mulctandis adulteris & homicidis aliisve facinorosis, nihil vetabat quin oppressi ab inimicis gentibus delerentur funditus, quasi suismet legibus eneruati, & cohibiti quominus arcerent hostiles. Nunc posteaquam diuina prouidentia voluit cessare ritus Iudaicos, vrbem eorum diruit, totúmque illum dei cultum vnà cum ipso templo sustulit, qui cōstabat sacrificiis præscriptis in lege Mosaica. & sicut illam religionem quæ iam displicebat, in totum sustulit, sic Christianam quotidianis incrementis auxit in immensum, eíque fiduciam addidit, quamuis innumeris obstaculis quominus Iesu doctrina per orbem propagaretur

A pagaretur impedientibus. Sed quoniam Deo visum est etiam gentes fructum huius prædicationis percipere, irrita facta sunt omnia consilia hominum huic obsistentium, quantomagis enim eius professores opprimebantur à regibus ac præsidibus gentiū, populis in eos vndique coorientibus, tanto magis crescebat piorum numerus. Posthæc Celsus multis verbis obiicit nobis opiniones de Deo quæ nonquam nostræ fuerunt, quasi corporeum prædicemus & humana specie: conatúsque subuertere quæ nos non adstruimus, quare superuacaneum fuerit vel ipsius criminationem, vel nostram dilutionem hic inserere. nam si re vera essent nostra de Deo dogmata quæ nobis tribuit, eaque ista reprehenderet, necesse esset ipsa verba proferre in medium, & nostris confirmatis confutare calumnias aduersarij: cum vero iste vel nunquam audita ex suo capite commentus sit, vel si quis huiusmodi audiit, ex hominibus simplicissimis hauserit scripturarum mentem non intelligentibus, quorsum attinet nos in cassum verba fundere? tuam scriptura manifeste Deum incorporeum prædicat, vnde illud Deum, nemo vidit vnquam: & imago dicitur esse inuisibili Dei primogenitus creaturæ totius, quasi dicat incorporei. Disseruimus autem & de his mediocriter iam antea, cum examinaremus quō intelligatur illud. Deus est spiritus, & qui adorāt eum, adorare debent in spiritu & veritate. Post hanc de Deo calumniam scita-

Col. 1.

B tur ex nobis quonam, aut cum qua spe, simus abituri, ac mox ipse sibi ex nostra persona respondet sic: In aliam terram hac meliorem, ad quod subiofert: Proditum est à diuinis hominibus, priscis, & beatas animas vitam beatam degere, locum autem eum quidam beatorum insulas nominant, alij campum Elysium, etymologia græcæ vocis inde deducta, quod soluti sint malis omnibus, de quo Homerus sic canit:

In nemus Elysium post hac sedésque beatas
Ab Ioue mitteris, in quo suauissima vita est.

Plato item immortalem credens animam locum quō mittitur aperte terram nominat, dicens eam patere latissime, & nos habitare à Phaside vsque herculeas columnas in parua quadam portiuncola, mare accolentes quemadmodum formicæ ranæve degunt circa paludes, esseque circa eam terram passim concauitates varias differentes inter se tam specie quàm amplitudine, in quas & aquam confluere, & caliginem atque aerem, ipsam vero terram puram in puro sitam esse æthere. Itaque Celsus suspicatur quæ de terra longe hac præstantiore opinamur, desumsisse nos à quibusdam quos ipse diuinos viros antiquos existimat, è Platone maxime, qui in Phædone de pura terra in

C cœlo puro sita philosophatur: non videns quod Moses literis Græcorum multo antiquior induxit Deum promittentem terram sanctam, bonā & magnam, lacte melleque manantem, omnibus qui iuxta legem eius viuerent: non vt quidam opinantur istam fertilem Iudæam infernam, quæ & ipsa sita est in parte terræ maledictæ in suis operibus propter Adæ transgressionem. nam illa execratio, Maledicta terra in operibus tuis, in molestiis comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ, ad totam terram pertinet: ex qua in molestiis, hoc est laboribus, edit omnis homo in Adā mortuus, idque omnibus diebus vitæ suæ: & omnis terra vt maledicta spinas ac tribulos producit omnibus diebus vitæ cuiuscunque in Adamo eiecti è paradiso: & in sudore vultus sui edit omnia homo suum pabulum, donec reuertatur in terram ex qua desumptus est. Hoc loco cum multa dici possint ad clariorem eius explicationem, nos paucis in præsentiarum contenti sumus, hoc agentes ne quis de Iudæa intelligat, quod de terra bona dictum est quam Deus iustis pollicetur. Ergo si tota hæc terra maledicta est in operibus Adæ & eorum qui in ipso mortui sunt, dubio procul etiam omnes eius portiones maledictionis huius sunt participes, inter quas est terra Iudæa, ita vt non possint in eam competere quæ leguntur de terra bona & magna, de terra fundente lac & mel: tametsi symbolice

Gen. 3.

Iudæa & Hierusalem vmbra sit quædam illius terræ pu- D ræ, quæ bona & magna in cœlo puro sita est, in qua est Col. 3.
cœlestis Hierusalem: de qua disserens apostolus vt resusci- Heb. 12.
tatus cum Christo & superna quærens, mentémque consecutus nullis addictam iudaicis fabulis, sic ait: Sed accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuētis cœlestem Hierosolymā, & ad celebritatem angelorum multorum milium. Vt autem quis credat nos hæc nō sine spiritu Dei dicere de terra bona magnáque, legat omnes prophetas docentes reditum in Hierosolymam eorum qui aberrauerunt ab ea aut exciderunt, denique quomodocunque in ciuitatem Dei restituendorum: quæ & locus Dei apud quendam dicitur: In pace sancta locus eius: & alibi: Magnus dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius bene fundato exultatione vniuersæ terræ. In præsentiarum sufficiet triginta sex Psalmi testimonium, in quo hæc de terra iustorum habentur: Qui autem sustinent dominum expectantes, ipsi hæreditate possidebunt terram, & paulo post. Mites autem hæreditate possidebunt terram, & in multitudine pacis deliciabuntur: & paulo post: Benedicentes eum hæreditate possidebunt terram, & habitabunt in ea in seculum seculi. Vide an non pura terra in cœlo puro per hæc significetur, siquis aures idoneas afferat ad id quod in eodem Psalmo recte dicitur: Sustine dominum, & custodi vias eius, & exaltabit te vt hæreditate terram possideas. Quin & ea quæ de lapidibus pretiosis, trahentibus originem à gemmis illius terræ, Plato memorat, videntur mihi sumpta ex Esaia de ciuitate Dei scribente sic: Ponam propugnacula tua iaspidem, & lapides tuos Chrystallinos: & mœnia tua lapides lectissimos, ac rursum: Ponam fundamenta tua saphirum. Hanc Platonicam fabulā per allegoriā interpretantur qui cum grauitate tractant scripta eius philosophi, cæterum prophetas ex quibus & Platonem hæc sumpsisse coniectamus, hi qui ad æmulationem prophetarum vitam suam instituerunt semper occupati examinandis sacris literis, enarrabunt idonei ad hæc audienda per vitæ puritatem & diuinarum rerum studia, nos hoc agimus nunc vt ostendamus nec à Platone nec ab aliis Græcis acceptum esse quod de terra sancta credimus: imò illos vt posteriores ætate, non solum ab antiquissimo Mose, sed & ab aliis prophetis mutuatus, quicquid vel propter ænigmata parum intellectum, vel alioqui ex scripturis deprauatum de hac terra transtulerunt in suas commētationes. Manifeste autem ex Aggæo discimus, aliud esse aridam, aliud terram, dum aridam vocat hanc in qua degimus, ia ita loquitur. Adhuc semel, & ego concutiam cœlum & terram, & aridam atque maria. Quemadmodum autem F ipse hanc fabulam ad autorē Platonem refert, apud quem in Phædone legitur, dicens: cæterum quid hæc significet non cuiuis cognitu est facile, nisi quis intelligere queat quid sit id quod ait: præ infirmitate ac tarditate non posse eos penetrare ad extremum aerem: & si modo natura eorum par esset tantæ contemplationi, posse eos cognoscere hoc esse verum cœlum verúmque lumen: Ita & nos, quia de sancta & bona terra tractare non est præsentis instituti, differemus hanc operam in tempus aliud quo prophetas enarrabimus: quamuis iam ex aliqua parte de ciuitate Dei tractauimus in explanatione Psalmorum quinti & septimi supra quadragesimum. Nouit autem antiquissima scriptura Mosis & prophetarum vera hæc omnia quæ eodem cum rebus apud nos vsitatis cēsentur nomine: vt verum lumen, & cœlum aliud quàm hoc firmamentum, & iustitiæ solem alium quàm hunc sensibilem & in vniuersum ad differentiam horum sensibilium, quorum nullum est verum, dictum est illud: Deus vera sunt opera tua propheta alia vocante opera Dei, alia, videlicet minora, opera eius manuum, certe Esaias queritur de his qui operā dei non aspiciunt, nec manuum eius opera considerant. Et de his quidem hactenus, quoniam autem de resurrectione longum & difficilem sermonem, qui non minus quàm quoduis dogma opus habet doctore prouecto ac sapiente, ostēsuro simile esse seminis hoc animæ (vt scriptura vo-

Psal. 27.
Ibidem.
Esa 54.
E
Aggæi 2.

G cat) tabernaculum, in quo iusti ingemiscunt nolentes id
exuere, Celsus non intelligens, mirum ni auditum ab im-
peritis aliquibus non valentibus eius rationem reddere,
totam rem irridet: vnum etiam ad superius de hoc dicta
addendum est, falli Celsum qui putat nos resurrectionis
nomine accipere migrationem animarum ex corporibus
in corpora iuxta Græcorum opinionem: sed scimus ani-
mam suapte natura incorpoream & inuisibilem, in quo-
cunque corporeo loco degat opus habere corpore con-
ueniente loci eius naturæ: quod interdum gestat exuto
priore, necessario quidem sed iam superuacuo ad sequen-
tia: interdum priori superinduitur, opus habenti meliore
vestiméto ad regionem puriorem ætheream cœlestémque.
etenim nascitura corpus accepit idoneum inhabitandæ
vuluæ certo tempore, ac rursum quod erat necessarium
in terra victuro, hoc terrenum tabernaculum scriptura
dicit corrumpi, quamuis in terra necessarium: foréque vt
superinduamur domum non manu factam sempiternam
in cœlis. Aiunt autem homines Dei, corruptibile hoc in-
duturum incorruptionem, quæ quidem differt ab incor-
ruptibili: & mortale hoc induturum immortalitatem, quę
item differt ab immortali, nam sicut se habet sapientia ad
ipsum sapiens, & iusticia ad ipsum iustum, & pax ad ipsum
pacatum: ita se habet incorruptio ad ipsum incorruptum,
immortalitas ad ipsum immortale. Vide quò nos inuitet
scriptura dicens. Induite incorruptionem & immortali-
tatem: quæ cerdum pro indumento sunt, indutum talibus
H indumentis eáque retinentem non sinunt corrumpi aut
emori. Atque hæc vt audacius proferrem coegit me istius
ruditas, non intelligentis quid dicatur resurrectio, ac
proinde irridentis cauillantísque quod non intelligit. Pu-
tans autem nos eo quod sciamus & noscamus Deum re-
surrectionem asserere, colligens sibi quæcunque vult, sic
loquitur: Certe redarguti modis omnibus & conuicti,
rursum quasi nihil audissent ad eandem quæstionem re-
deunt: quomodo igitur possumus noscere ac videre Deũ?
quomodo eum accedere? Sciat igitur quicúque vult, quod
si alioqui opus habemus corpore, quia corporaliter habi-
temus locum corporeum, & tali corpore qualis eius loci
natura est, & propterea superinduamur prędicta taberna-
cula, tamẽ ad cognitionem Dei nullo habemus opus cor-
pore, nam id quod Deum noscit non est oculus corporis,
sed mens videns, facta ad conditoris imaginem, & facul-
tatem videndi Deum nacta per diuinam prouidentiam:
& id quod videt Deum, est cor mundum, ex quo non am-
plius exeunt malæ cogitationes, non cædes, non adulte-
ria, non scortationes, non furta: non falsa testimonia, non
blasphemiæ, non oculus malus, non aliud quicquam in-
Matth. 5. conueniens, quapropter dicitur, Beati mundi corde, quo-
niam ipsi Deum videbunt. Cæterum quia nostrum pro-
positum non est sufficiens ad hoc vt mundum habeamus
cor, sed Deo est opus qui tale nobis creet, idcirco qui scit
Psal. 50. precari dicit, Cor mundum crea in me Deus. Nec percon-
I tabimur, quó ad Deum accedemus, cum is loco non con-
tineatur. est enim omni loco præstantior, vt complectens
in se omnia, cum ipsum nihil possit capere. ergo accedere
deum nó iubemur corporaliter, dũ adimus illud: Post do-
minũ deũ tuũ ambulabis. neque corporaliter propheta co-
Oser. 11. hærẽs deo in precibus, Adhæsit, inquit, post te anima mea.
Mentitur ergo Celsus contra nos, dicens quod speremus
nos deum visuros oculis corporeis, & auribus vocem eius
audituros, & manib. sensibilibus eum contrectaturos. no-
uimus autem eodem nomine quo corporeos dici alios in
scripturis oculos, similitérque & aures & manus, & quod
magis mireris, sensum diuiniorem, & aliom quàm qui vul-
Psal. 119 go sic nominatur. Cum enim dicit propheta: Reuela ocu-
18. 13. los meos, vt considerem mirabilia de lege tua: aut, Manda-
tum domini lucidum, illuminans oculos: aut, Illumina o-
culos meos, nequando obdormiam in mortem: nemo est
tam stupidus qui putet oculis corporeis considerari legis
diuinæ mirabilia, aut mandatum domini illustratiuum es-
se oculorum corporis, aut somno letali opprimi corporeos
Matth. 13 oculos. Item cum Seruator noster dicit: Qui habet aures
audiendi audiat, vel quiuis è plebe intelligit hæc dici de K
diuinioribus auribus. Et cum dicitur verbum domini fa-
ctum in manu Hieremię prophetæ aut cuiuspiam alterius,
aut lex in Manu Mosis: aut quod manibus meis quæsiui
deum, & non sum deceptus: nemo est ita insipiens vt non
intelligat manus quasdam figurate vocari, de quibus &
Ioannes dicit, Manus nostræ palpauerunt de verbo vitæ.
quodsi etiam de meliore sensu & nó corporeo vis è sacris
literis discere, audi Solomonem in Prouerbiis dicentem, Prouer. 2.
sensum diuinum inuenies. Non est igitur opus nobis deũ
quærentibus ire quò nos Celsus mittit, ad Trophonij, ad
Amphiarai, ad Mopsi, vbi ait humana specie deos videri,
eáque non falsa, sed manifeste cóspicua. Scimus enim hos
esse dæmonas, & pasci sanguinibus nidoribúsque à victi-
mis exhalãtib. retinerique his illecebris in carceribus istis
quos Gręci templa deorum existimant, nos vero cóper-
tum habemus esse impostorum dęmonum talia domici-
lia. Post hęc maliciose Celsus loquitur de iam dictis diis
humana specie se offerentib. quod non semel pręteruo-
lent, quemadmodum seductor istorum, sed semper cum
quibusuis colloquium eorum expetentib. versentur fami-
liariter. Quibus verbis significare videtur, pro spectro se
Iesum habere, post resurrectionem visum discipulis, quasi
celeri volatu raptum pręter eorum oculos: cęterum deos
istos quibus humanam speciem tribuit, ait nemini cupien-
ti non facere copiam sui colloquij non potuit spectrum
(vt iste putat) pręteruolans ad decipiendos homines, etiã
post hanc oculorum illusionem operari tam efficaciter, & L
conuertere talium animas, eísque persuadere vt omnia iu-
xta placitum dei faciant, vt postulandi rationem in iudi-
cio? quomodo spectrum nominatum fugat dęmonia, aliás-
que non contemnendas virtutes operatur, non vnum lo-
cum sortitum, vt isti quos narrat, dij humana specie, sed
pertransiens totum orbem habitabilem, & congregans at-
trahénsque sua diuina vi quotquot ad beneuiuẽdum pro-
niores inuenit. Post hęc, ad quę respondimus quantum
potuimus rursum ita Celsus loquitur: Dicét iterum, Quo-
modo cognoscetur deus nisi sensu percipiatur? quis potest
eum sine sensu cognoscere? ac mox ad hęc respondens in-
quit: Non hominis, nec animę, sed carnis est hęc vox, au-
diant tamen, siquid audire possunt. ô miseri amatores cor-
poris, si conniuentes sensibus, aperueritis mentis oculos,
eísque à carne auersos ad cœlum sustuleritis, ita demum
deum videbitis. Et si huius vię ducem quęritis, fugiendi
sunt impostores & pręstigiatores spectra vobis commen-
dantes, ne sitis modis omnib. ridiculi, cęteros deus vitu-
perantes vt idola, ipsi reuera idolum colentes, ac ne idolũ
quidem sed mortuum, & patrem quęrentes eius similem.
Primùm quod ad prosopopœiam attinet affingentis no-
bis sermones de resurrectione, dicimus, artificium fingen-
tis personas in eo consistere, vt seruet decorum in mori-
bus & voluntate personę quam inducit: vicium vero, si
parum conuenientia verba personę loquenti affingat. ita- M
que non probantur artifices inducentes philosophicè lo-
qui personas barbaras, ineruditas, seruiles, quę nunquam
audierunt philosophus, licet fabulę autor no sit rudis pla-
citorum philosophię. nec enim est verisimile illas callere
talia. sicut vice versa nó decet vbi persona fingitur sapiẽs,
huic tribui vulgares affectus & sententias plebeias magnã
prę se ferentes imperitiam: vnde Homerus laudatur quod
in heroum personis decorum seruet, perpetuo sui similes
faciens, Nestorem, Vlixem, Agamẽnonem, Telemachum,
Penelopen, & reliquos. Euripides vero ab Aristophane co-
mico taxatur vt importune loquax, quod persępe anaxa-
goreas sententias, & si quas alias ipse à philosophis didice-
rat, tribuat barbaris muliercculis aut mácipiis. Quod si pro-
sopopœię viciũ, illa virtus est an nó merito ridebitur Cel-
sus Christianos loquẽtes faciens quę nunquã fuerũt Chri-
stianorũ placita? nã si sunt idiotę quos inducit, quó tales
norunt discrimen inter sensum & mentem, inter sensilia &
intelligibilia? vndenam his placita stoicis similia tollen-
tibus e rerum natura substantias intelligibiles, & sensu o-
mnia comprehendi docentibus, nec aliter quam sensu per
cipi.

A cipi. sin hos sermones fingit esse versatorum diligenter in Christiana philosophia, ne sic quidem decorum seruatum est. nemo enim qui didicit Deum esse inuisibilem, esséque quasdam eius creaturas inuisibiles, hoc est intelligibiles, resurrectionem his verbis adstrueret: quomodo cognoscemus Deum sensu incomprehensibilem? aut quid sine sensu discere possumus? atqui non in secretioribus literis, & quæ a paucis studiosis leguntur, sed in istis vulgatioribus scriptum est, quod inuisibilia Dei è mũdi creati opificio intellecta cernuntur: vnde scire licet quod etiam in hac vita homines oportet à sensibilibus incipere, vt aliquando ascendant ad naturam intelligibilium, nec tamen manendum in sensibilibus. Itidem nemo nostrum dicet impossibile sine sensu intelligibilia discere: imò cum ipsi hæc sine sensu discant, coarguunt Celsum temere inserte verba illa, Non homines, nec animæ, sed carnis est hæc vox. Itaque cum dicamus dominum Deum nostrum esse mentem, aut quiddam etiam mente omníque substantia præstantius, simplicem, inuisibilem, incorporeum, non ab alio comprehensibilem fatemur, quam à mente facta ad ipsius imaginem: nunc quidem (vt verbis Paulinis vtamur) per speculum & ænigma, tunc autem facie ad faciem. Cum autem dico faciem, nemo significatum calumnietur propter vocabulum, sed discat illud quod dictum est, Reuelata facie B dominum tanquam in speculo referentes in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, non faciẽ sensibilem hic intelligendo, sed figurate accipiẽdo, sicut & oculos, & quicquid superius eodem quo membra corporis nomine censeri demonstrauimus. Quin & homo, hoc est anima pro instrumento vtens corpore, quæ aliter interior homo dicitur, non ita responderet vt Celsus scribit, sed sicut ab hominibus Dei didicit. cæterum carnali voce nunquam Christianus vteretur, vt qui didicit spiritu mortificare actiones corporis, & vbique mortificationem Iesu circumferre in suo corpore: audiótque illud præceptum:

Rom. 8. Mortificate membra vestra terrena: sciens etiam quid significet illud, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in seculum, quia carnes sunt: item illud, Qui in carne sunt Deo placere non possunt: ideóque faciens omnia vt iam non amplius in carne sit, sed in solo spiritu.

Gene. 6. Nunc videamus quò nos vocet, ut ea ipso audiamus quomodo cognoscendus sit Deus, quamuis putet neminem Christianũ exaudire posse quæ dicturus est, inquiens, Audiant tamẽ, si quid eaaudire possunt. Quid igitur est quod nos audire ex se vult? homo philosophus cum docere debeat, agit conuicijs, & cum debeat in exordio sermonis præ se ferre beneuolentiam erga auditores, obiicit eis contumaciam etiam contra mortem peruicaciam in professione Christiani nominis, miseros vocans qui parati sint ad omnia tormenta & mille mortis species. ac mox nos vo-C cat hominum genus amantissimum corporis, cum tamen

2. Cor. 5. dicamus: Etiamsi Christum aliquando noueramus in carne, sed nunc non nouimus: & tam incunctanter pro pietate corpus deponamus, quam prompte philosophus vix vestem exueret. denique sic nos alloquitur: si conniuentes sensibus, aperueritis mentis oculos, eósque à carne auersos ad cœlum sustuleritis, tum demum Deum videbitis. Et putat hæc quæ de duplicibus oculis à Græcis hausit, non esse prius tractata in nostrate philosophia. At nos dicimus Mosen, vbi describit mundi creationem, introducere hominem, modo videntem, modo non videntem: Videntem vbi loquitur de muliere: Vidit mulier bonum esse lignum

Gen. 3. ad vescendum & pulchrum aspectu: cæterum non vidẽtem, non solum vbi serpens mulieri loquitur tanquam de

Ibidem. cæcis ipsorum oculis, Sciebat Deus quod quacunque die ederitis ex ipso, aperientur oculi vestri: verumetiam in eo quod dicitur: ederunt & aperti sunt eorum oculi sensus, quos bene prius concluserant, ne per eos distracti impedirent quo minus cernerent animæ oculo, quos autẽ prius habuerant perspicaces animæ oculos, fruentes Deo simul

Ioan. 9. & eius paradiso, eos opinor propter peccatum clauserũt. Vnde seruator quoque noster sciens duplicem hanc oculorum speciem in nobis, dicit: In iudicium ego in mundum hunc veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci D fiant: subindicans non videntes animæ oculos, quos Dei verbum facit videre: vidẽtes autem sensuum oculos, quos Dei verbum excæcabat, vt anima indistracta cerneret ea quæ deberet cernere. Omnes igitur qui officium Christiani faciunt, erectos habent mentis oculos, clausos vero sensuum, & quanto magis quisque apertos habet potiores oculos, clausos vero sensibiles, tanto magis intelligit & contemplatur deum rerum omnium dominum, filiúmque verbum eius & sapientiam & reliqua. Deinceps autẽ Celsus quasi ad omnes Christianos sermonem dirigit, qui nõ competit nisi in quosdam ea professo à religione nostra alienissimos. nam Ophiani, à quibus abnegari Iesum superius diximus, aut qui sunt alij horum denuo similes, spectra commendant homines magi & impostores. hi sunt enim illi miseri, qui ianitorum ediscunt nomina. Temere igitur Christianis dicit illud, Si ducem huius viæ quæritis, fugiẽdi sunt vobis isti præstigiatores & impostores qui spectra commendant. Et nesciens quod hi ipsi non minus quam Celsus veneficorum more Iesum conuicijs incessunt, totámque institutam ab eo pietatem, sua loquacitate nos cũ illis confundens, Ne sitis, (inquit) omnino ridiculi, cæteros Deos vituperantes vt idola, ipsi reuera idolum colentes, ac ne idolum quidem sed mortuum, & patrem quærẽtes eius similem. quod enim nesciens discrimen inter Chri- E stianorum placita & istorum figmenta, sed putans nostra esse crimina quæ eis obiiciũtur, hæc nobis falso impingat, liquet ea ipsius verbis his: Talibus impostoris, à mirãdis illis consiliarijs decepti diuinas preces funditis ad leones & amphibios & asiniformes quosdam alios cœlestésque ianitores, quorum nomina ediscitis miseri quæ propter miserè torquemini & crucifigimini. Atqui nescit ꝙ nemo ex istis qui leoniformes, asiniformes amphibios, ianitores asseclus faciũt, cõstanter in sua religione vsque ad suppliciũ perseuerat, sed nostræ pietatis est hæc excellentia & vt ita dicam nimietas, cuius amore nullum mortis genus subterfugimus. Et crucifigi dat ijs qui nihil tale pati solent: nobis qui propter pietatem crucifigimur, ea probat illorum de leoniforme amphibióque fabulas cum figmentis cæteris. Itaque non propter Celsi monita fugiemus istos leoniformes nunquam a nobis receptos, sed propter Iesu doctrinã figmentis huiusmodi contradicimus, non assensuri talem esse Michaelis faciem, aut cæterorum qui recensentur. Nũc considerandum quem nobis sequendum Celsus proponat, quasi non habeamus duces priscos viros sanctissimos. Mittit nos ad diuinitus afflatos, vt ait, poetas, & sapientes philosophos, quos tamẽ non nominat: cúmque duces eos fore polliceatur, ostendit nobis incertum quos afflatos poetas & sapientes philosophos. quod si apposuisset eorum nomina, non temere contendissemus cæcos nobis duces ab eo dari vt cadamus: aut si non omnino cæcutien- F tes, certe lapsos circa pleraque veritatis placita. Siue igitur Orpheum vult esse afflatum Deo poetam, siue Parmenidẽ, siue Empedoclem, siue ipsum Homerum aut etiam Hesiodum, ostendat qui volt, quomodo melius iter facient qui talibus vtũtur ducibus, aut quid ad vitam vtilitatis ab eis accipiunt, magis quam alij qui propter Iesu doctrinam relictis omnibus sacratis statuis, atque etiam omni superstitione Iudaica, per verbum Dei ad solum ipsius patrẽ suspiciũt. Qui sũt autẽ isti siue sapiẽtes siue philosophi, à quib. Celsus vult nos multa diuina audire, & Mosẽ cæterosque ꝓphetas Dei rerũ omniũ cõditoris nullos facere: qui reuera tam multa dixerunt diuinitus, & aduẽtum clarissimũ prænunciauerũt eius qui est ad pietatẽ via factus hominib. nemini nõ gustũ præbẽs suorũ mysteriorũ ꝓpter immensam suam humanitatem, quippe qui prudentioribus largitur theologiam attollentem animos à præsentibus negotijs ad sublimia, nihilominus condescendens ad captum inferiorum, quales sunt viri plebeij & illiterati, simplicésque mulieres ac mancipia, denique omnes quotquot à nemine nisi à solo Iesu opem postulant, & rationem viuendi melius, seruantes interim dogmata de Deo quæ possunt capere. Deinde ad Platonem nos mittit, quasi ad doctorem

G dilucidioris theologiæ, citans ex Timęo verba eius hæc.
Factorem igitur vniuersitatis huius parentemque & inue-
nire arduum est, & qui eum inuenetit, ad omnes vt hunc
perferat impossibile ac mox ipse subinfert: Videte quó
diuinis viris veritatis via quæritur, vtque Plato scioerit
hanc non esse cuiuis meabilem. Postquam autem viri sa-
pientes exm inuenerunt in hoc, vt illius primi & innomi-
nabilis adipiscamor iotellectum aliquem, manifestantem
eum siue per compositionem rerum aliarum ex aliis, siue
per resolutionem in easdem, demirabor si vos hunc assequi
poteritis, in totum detenti vinculis, & nihil cernentes
quod purum sit. Equidem fateor nobilem & non contem-
nendam esse hanc Platonis sententiam, videndum tamen
an non maioris sit erga humanũ genus benignitatis, qood
scriptura diuina deum verbum prædicat, qui quamuis
in principio fuisset apud deum caro factus est, vt ad om-
nes peruenire posset eius prædicatio, quem etiam inuen-
tum Plato negat enunciari posse omnibus. Sed ille merito
difficile naturæ humanæ putat, inuenire factorem ac pa-
rentem huius vniuersitatis, eúmque vt dignum est cogoo-
scere, aut si non vt dignum est, saltem magna ex parte, &
plus quàm vulgo sit cognitus. in quo tamen si non fallere-
tur, & reuera inuentus fuisset ab ipso alióue Græcorum
non aliud quiddam coluissent deum id nominando ado-
randóque, aut verum deum derelinquentes, aut coniun-
gentes ei non coniungenda. at nos dicimus non esse suffi-
H cientem humanam naturam ad quomodocumque quæ-
rendum deum, eúmque pure ioueotendum, ni adiuuetur
ab ipso qui quæritur: qui inuenitur à satentibus, præter
suum conarum opus se habere ipsius auxilio, ostendentis
se his quos hoc honore dignatur, quatenus vel natura dei
potest innotescere homini, vel hominis anima valet in
corpore manens deum cognoscere. cæterum Plato cum
ait etiam inuentum factorem parentémque huius voiuer-
sitatis non posse cuiuis annunciari, non dicit eum ineffabi-
lem & innomioabilẽ, sed posse de illo verba fieri. At Cel-
sus oblitus quid citarit, negat, deum nominabilem, dicens:
sed postquam viri sapientes eam inuenerunt in hoc vt il-
lius primi & innominabilis adipiscamur intellectum ali-
quem. Nos autem non solum deum dicimus ineffabilem,
verumetiam alia quædam præter eum, quorum Paulus
coactus meminisse ait: Audiui arcana verba quæ non licet
homini loqui. hoc vocabulo audiui vsus propter intelle-
1. Cor. 12 xi: iuxta illud, Qui habet aures audiendi audiat. Fatemur
tamen factorem parentémque huius vniuersitatis videre
Matth. 5. esse difficile. Videtur autem non modo iuxta illud, Beati
mundi corde quoniam ipsi deum videbunt: sed etiam iux-
ta id quod dixit imago ipsius inuisibilis dei, Qui vidit me,
vidit patrem illum meum à quo missus sum. Atqui hac ra-
tione viderunt deum patrem etiam omnes qui acclama-
Matt. 27 uerunt crucifige crucifige, & Pilatus quoque qui potesta-
tem accepit in eius humanitatem, quod perabsurdum est.
I Verum id dictum non vulgari accipiendum liquet ex his
quæ Philippus audiuit: Tantum temporis vobiscum sum,
Ioan. 14. & non nosti me Philippe? quod quidem Seruator ei dixit
postulanti videre patrem, dicentique, ostende nobis pa-
trem, & satis est nobis. Ergo quicunque intelligit quó sit
audiendum de vnigenito dei filio, primogenito creaturæ
totius, quod verbum caro factum est, intelliget quomodo
quisquis vidit imaginem visibilis dei, cognoscet patrem,
& factorem huius vniuersitatis. Et Celsus quidem vel cõ-
positione aliorum ex aliis qualis est geometrarum, vel dis-
solutione, aut etiam proportionibus inter se relatis vt iidẽ
geometrę solent facere, putat posse cognosci deum, aut
saltem perueniri ad summi boni vestibulum: verbum au-
tem dei dum dicit, Nemo nouit patrem nisi filius, & cui
Matth. 11 filius reuelauerit: ostendit quod per numinis fauorem in-
sinuantis se in animum quodammodo afflatum deus co-
gnoscatur. Est enim probabile cognitionem dei maiorem
esse quam pro captu hominis, quo fit vt tam sępe circa eã
fallantur homines: sed bonitate ac humanitate dei, miran-
dáque & planè diuina ipsius gratia, concedi eius cogni-
tionem dumtaxat his qui ad hoc prędestinati sunt vt co-

gnito deo digne viuant, nusquam deprauantes pieta- K
tem, etiamsi ab ignorantib. eam, & quiduis aliud pro ipsa
complectentibus, rapiantur ad supplicium, aut etiamsi
omnib. sint ludibrio. cæterum deus videns opinor arro-
gantiam & superciliosum fastum eorum qui alios præ se
contemnunt inflari cognitione dei hausta è philosophia,
cum interim haud secus quàm imperitissimus quisque ad
statuas & templa celebratáque illa mysteria ducant alios,
coarguit mundi stulticiam per Christianos simplicissi-
mos, modestius ac purius viuentes quàm multi philoso-
phi: vt pudefaceret istos sapientes, qui non erubescunt res
inanimas tanquam deos alloqui aut deorum imagines.
Quis enim sanæ mentis non rideat eum qui post egregias
illas & valde philosophicas de deo siue diis disputationes,
statuas respicit, & aut preces eis affert, aut per earum con-
templationem tanquam signi alicuius conspicui conatur
animum erigere ad imaginationem intelligibilis numi-
nis? At Christianus etiam idiota persuasissimũ habet quẽ-
uis mundi locum partem esse vniuersi, & mundum vni-
uersum esse templum dei: & in quouis loco precatur clau-
sis sensibilib. oculis, erectis autem animæ luminibus, at-
que ita super totum mundum ascendit: nec consistit in
cœli conuexis, sed transcensis mente locis supercœlesti-
bus, ductu diuini spiritus velut iam extra mundum ca-
ptus, offert deo preces de rebus non vulgaribus. didicit e-
nim a Iesu nihil paruum, hoc est sensibile petere, sed sola
magna & reuera diuina, quæcunque à deo concessa per-
ducunt ad eam quæ apud ipsum est per verbum deum fi- L
lium eius beatitudinem. Videamus tamen quę sint illa quę
nos docere vult, si modo assequi poterimus homines de-
uincti carne, sed soluendi his vinculis modo recte viua-
mus iuxta Iesu doctrinam, audiẽdo qood nobis dictũ est:
Nõ in carne estis sed in spiritu, si spiritus dei in vobis inha- Rom. 8.
bitat: dicẽs nos etiam nihil purũ videre cũ tamẽ conemur
nos incontaminatos seruare à malis quoque cogitationi-
bus, & inter peccandum dicamus: Cor mundum creain Psal. 50.
me deus, & spiritum rectum inooua in meis visceribus: vt
puro corde quod solum aptum est ad talem visionem, deũ
contemplemur. Verba Celsi sunt hæc. Substantia & gene-
ratio, intelligibile & visibile, cum substantia veritas, error
cum generatione. circa veritatem igitur versatur scientia,
circa diuersum opinio, & intelligibilis quidem rei est in-
tellectus, visus autem rei visibilis. cognoscit autem intelli-
gibilia quidem mens, visibilia vero oculus. Quod igitur in
rebus visibilibus est sol, qui nec oculus est nec visus, sed o-
culo videndi causa, simulque visui vt per eum consistat,
& visibilib. vt videantur, omnibúsque sensibilibus vt fiãt,
atque etiam sibiipse vt cernatur: hoc in rebus intelligibili-
bus est ille qui nec mens est nec intellectus nec scientia,
sed homini intelligendi causa, & intellectui vt per ipsum
cognoscatur, & intelligibilib. omnibus, ipsíque veritati, M
ipsique substantiæ, vt sint, ipsę his omnibus superior, inef-
fabili quadam potentia sua intelligibilibus. Hæc sunt quæ
dicuntur à sanæ mentis hominib. quorum si aliquid vos
quoque intelligitis, bene habetis. Et spiritus si quem puta-
tis descendentem à deo nunciare diuinas res, idem hic est
spiritus talia prædicans, quo repleti viri prisci multa bona
nunciauerunt. ex si non potestis auscultare, tacete, & cela-
te vestram imperitiam: néue dixeritis cęcutire eos qui cer-
nunt, & claudos esse eos qui currunt, cum ipsi habeatis
claudas animas, multari etiã corporibus, videlicet emor-
tuis. Ad hæc nos qui non solemus aduersari cum aliquid
bene dicitur vel ab alienis à nostra fide hominibus, neque
contendere, neque conari ea quæ sana sunt subuertere, res-
pondemus quòd isti quidem qui conuiciantur pietatem
erga deum pro virili sectãtibus, idiotis per fidem eum ap-
prehendentibus, prudentioribus cum ratione & gratiarũ
actione vota creatori omnium facientibus, idque per pon-
tificem eum qui homines hanc pietatis sinceritatem do-
cuit, & vocant eos claudos anima, mutilósque corpore, vt
qui viuant immortificato, meditantes ex animo dicere il-
lud apostolicum, In carne viuentes non secundum carnem
militamus, arma enim militiæ nostræ non sunt carnalia,
sed

A sed deo fortia: videre debent ne hoc ipso quod male loquũtur dei cultoribus, declarent claudas sibi esse animas, & mutilatum interiorem hominem, malè mulctando seipsos dum conuiciis debacchantur in conãtes bene viuere, & priuando se ęquitate bonóque illo habitu qui naturaliter rationali naturæ per creatorem est insitus. Hi vero qui inter cętera didicerunt à verbo dei quod etiam faciunt, vt conuiciis appetiti bene precentur, persecutores suos sustineant, alloquutores suos comiter admoneãt, ipsi sunt qui habẽt rectos gressus animę, mundãdo eam & ornando, vt non verbis tãtum à generatione distinguant substantiam, intelligibile à visibili, & veritatem coniungãt cum substãtia, errorem cum generatione cohęrẽtem fugiant modis omnibus: considerando quod didicerũt non res generationis quæ sunt visibiles & temporaneæ, sed præstantiores, siue quis eas substantiam vocare vult, siue inuisibilia, quia intellectu solo percipiuntur, siue insensibilia, quia visum aliósque sensus effugiunt. Ad eundem modũ etiam res generationis inspiciunt Iesu discipuli, vt eis tanquã gradibus scansilibus vtantur ad cognitionem natura rerum sub solo intellectu percipiendarum. Nam inuisibilia dei ex creatione mundi, hoc est intelligibilia ex creaturis intelligendo conspiciuntur. nec tamen postquam a creaturis mundi ad inuisibilia dei peruenerunt, in hoc gradu consistunt, sed satis ibi prius exercitati mox altius ascendunt ad sempiter-
B nam Dei potentiam ipsamque deitatem: scientes quòd deus quidem amator humani generis, veritatem suam & quicquid sui cadit in notitiam hominum, manifestauit non solum sibi dicatis, verumetiam quibusdam a sincera religione vtraque pietate extraneis: quidam vero per diuinã prouidentiam euecti ad tãtarum rerum cognitionem, non gerentes se digne hac cognitione, impie faciunt detinentes veritatem in iniusticia, vt sint iam inexcusabiles post acceptam semel tantã cognitionem. Certe sacra scriptura testatur de talibus, quod postquã perceperunt hæc quę Celsus nunc exposuit, professores talium dogmatũ, dicentes sibi deũ cognitum, non vt deum glorificauerunt aut grati fuerũt, sed vani facti sunt in suis cogitationibus, & post acceptam à Deo tantam cognitionis lucem obtenebratum est vltro cor eorum insipiens. Itaque videre licet istos sapientiæ professores edere magna stulticiæ specimina, dum post egregias illas disputationes in scholis agitatas de Deo rebúsque intelligibilibus, mutant gloriam incorruptibilis dei in similitudinẽ imaginis hominis corruptibilis, atque etiam volucrum, quadrupedum, reptilium. quapropter & ipsi à prouidentia deprehensi non digne cognitione sibi reuelata viuere, volutãtus in concupiscentiis suorum cordium & impuritatibus, dedecorantes sua corpora lasciuiis & turpitudinibus, eo quod veritatem dei mutarint in mẽ-
C dacium, & venerati sint colerintque creaturam magis quam creatorem. cęterum homines idiotæ, ab eis pro nihilo habiti vt stulti & illiberales, si modo committãt se in fidem dei, & doctrinam Iesu recipiant, tantum absunt ab omni lasciuia, spurcicia, turpitudine libidinum, vt in morẽ perfectorum sacerdotum ab omni coitu abhorrentium multi eorum in totum caste puréque viuant alieni a congressu mulierum etiam legitimo. Et apud Athenienses quidem vnicus pontifex nec ipse quidem satis sibi fidens quod imperare possit masculis cupiditatibus, cicuta oblitis virilibus putatur satis idoneus ad caste obeundas eius ciuitatis solennes ceremonias, at apud Christianos non desunt viri quibus cicuta ad hoc nil opus est, vt deo caste seruiant, sed pro cicuta eis verbum dei sufficit ad expellendas è cogitationę omnes concupiscentias, & vacãdum precationibus. Apud alios quoque vt putantur deos virgines exiguæ numero, siue ab hominibus custoditæ siue non (nec enim hoc nunc quęritur) vidẽtur perseuerare in castitate religionis gratia: cæterum apud Christianos non propter humanos honores, non propter mercedes pecuniarias, non propter gloriolas viget virginitatis studium: & quamprimum approbauerunt deum habere in noticia, conseruatur à deo in hac mente laudabili & pietatis officiis, pleni omni bonitate ac iusticia. Hæc dico non quod cõtentiose aduerter

bonis Gręcorum opinionibus, nec quod accusem sana eorum dogmata: sed vt demonstrem, & hęc & his etiam maiora diuiniosáque dicta esse à diuinis viris dei prophetis & Iesu apostolis: quę perquiruntur à tendentibus ad perfectiorem Christianismũ, scientibus quod os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudiciũ: lex dei eius in corde ipsius. *Psal. 37.* Quin & apud hos qui vel propter literarũ imperitiã, vel propter simplicitatẽ, vel propter doctorum penuriam ad pietatẽ adhortantiũ minus hæc intelligunt, credũt tamen in deum maximũ, in eiúsque vnigenitũ filiũ verbum & deum, inuenire licet grauitatem, puritatẽ, morum probitatem, simplicitatem, sępenumero potiorẽ istis qui se sapientes nominant volutãdo se cum pueris in modum nefarium, masculi in masculos patrantes turpitudinem. Et ipse quidem nõ declarauit quomodo cum generatione sit error, nec quid sibi vellet docuit, vt hęc cũ nostra doctrina collata consideraremus: prophetæ autem subindicantes hanc de generationis negotio sapientiam: sacrificium pro peccato aiunt offerri etiam pro recens genitis, quasi hi quoque nõ sint puri à peccato. Dicunt enim nunc quod in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis cõcepit me mater mea: nũc quod peccatores alienati sunt à vulua: *Psal. 50.* addúntque quod mireris, Aberrauerunt ab vtero, locuti sunt mendacium. Et in tãtum accusant nostri sapiẽtes naturam rerum sensibiliũ, vt alibi vanitatem appellent corpora, vt ibi: Vanitati enim creatura subditur non volẽs, sed propter eum qui subdidit in spe: alibi vanitatẽ vanitatũ. *Psal. 57.* *Rom. 8.* E Sic enim ait Ecclesiastes: Vanitas vanitatũ, omnia vanitas. Quis autẽ ęque accusauit hominis vitam quę hic degitur, atq; ille qui dixit: Verũtamẽ simul omnia vanitas, omnis homo viuens. *Eccl. 1.* *Psal. 44.* non enim dubitauit de differẽtia vitę quam agit anima vel in terris vel extra terras, nec dixit, Quis scit num viuere sit mori, mori vero viuere, sed confidenter verum proloquitur dicens: Humiliata est in puluere anima mea, & in puluerem mortis deduxisti me. Quale est & illud, Quis me liberabit de corpore mortis huius? *Rom. 7.* *Philip. 3.* Iam ille qui inquit, Humiliasti nos in loco afflictionis, locum afflictionis vocat terrenum hunc in quem Adam, hoc est homo paradiso eiectus est propter peccatum suum. Et qui dicit, Videmus nunc per speculum in ęnigmate, tunc autem facie ad faciem: item, Peregrinantes in corpore peregrinamur à domino, *1. Cor. 13.* propterea probamus exire de corpore, & migrare ad dominum: vide quam magna de vitarum differentia contemplatus est. Et quid opus est me amplius citatis è scriptura locis approbare quod hæc dicta multo apud nos antiquiora sint, quãdo id ex iam relatis est perspicuum: id quod etiam ipse concedere videtur his verbis: Siquis spiritus diuinitus descendens res diuinas prænunciat, numinum ipse est qui hæc prædicat: quo repleti viri prisci multa bona nũciauerunt. Nescit autem quanto præstãtius F nostri dicant: Incorruptibilis tuus spiritus est in omnibus: quapropter delinquentes deus paulatim castigans arguit, aiunt etiã his verbis, Accipite Spiritum sanctũ, aliam quantitatem doni huius significari quàm illis: *Ioan. 20.* Baptizabimini spiritusancto post non paucos hos dies. Operosum autem fuerit his per diligentem cogitationem expensis videre differentiam eorum qui certis quibusdam ceu interuallis & gradibus alius alio largiorem haustum veritatis perceperunt: & quid intersit inter eos qui modicam dei cognitionem habẽt, & eos qui plenius edocti diuinitus semper cum deo versantur & aguntur eius spiritu: id quod si Celsus animaduertisset, non obiiceret nobis imperitiam, nec vetaret nos dicere cæcutire illos qui putant pietatem pertinere ad statuas ab artificibus factas è variis materiis. Nemo enim qui cernit animæ oculis, alio modo deum colit quã sicut ipse docuit, videlicet videndo creatorem in opificio suo, omnia vota ad illum dirigendo, omnia faciendo tanquã in eius conspectu. quem ne cogitationes quidẽ nostræ latẽt. Itaque profitemur nos & cernere, & duces cæcorum esse, donec accedentes ad verbum Dei recipiãt animæ oculos excæcatos per ignorantiã. quod si fecerimus digna præcepto illo, Vos estote lux mundi, & illa doctrina, *Math. 5.* quod lux in tenebris lucet, erimus etiam lux in tenebris, & *Ioan. 1.*

G erudiemos insipientes, docebimusque paruulos. nec est
quod indignetur Celsus quia claudos & oblæsos animæ
pedibus dicimus eos qui ad falso existimata sacra currunt
tanquam ad vera, nec vident nihil sacri esse posse in artifi-
cum operibus. Currunt tamen etiam qui iuxta Iesu do-
ctrinam pie viuunt, donec decurso stadio dicant vere &
ex animo: Certamen bonum certaui, cursum consumma-
ui, fidem seruaui: reliquum est vt accipiam coronam iusti-
2.Tim.4. ciæ mihi repositam. Et vnusquisque nostrum sic currit, vt
non in incertum: & sic pugilatum exercet contra vitia, vt
non videatur aerem diuerberare vanis ictibus, sed impete-
re principes aeris & spiritus nunc operantis in filiis inobe-
dientiæ. Dicat licet Celsus nos viuere in mortuo corpore,
qui audiuimus illud, Si iuxta carnem vixeritis, moriemini:
quod si spiritu actiones corporis mortificaueritis, viuetis:
& didicimus illud, si spiritu viuimus, spiritu etiã ambule-
mus: possumus operibus aduersarios coarguere mẽdacij,
Rom.8. viuẽdo in mortificato corpore. Post hæc ad quæ vt potui-
mus respondimus, sic nos alloquitur. Quãto erat satius, si
placebat nouare aliquid, de alio quopiã egregie defuncto,
dignoq; hac opinione, recipere diuinitatis cõsecratę fabu-
lã? Si nõ placuit Herculea aut Æsculapius & priscorũ virtus
inclyta, Orpheum habebatis, virũ sine controuersia sancto
afflatum spiritu, & violenta morte necatum. Sed is forte
ab aliis occupatus est prioribus. Certe Anaxarchus, in
mortarium coniectus dum crudelissime contunderetur,
vocem emisit inter pœnas egregiam, & vere diuini cuiul-
dam spiritus: Tunde Anaxarchi follem, ipsum enim non
tundis. Sed & hunc sibi iam vindicauerant quidam phy-
H sici. Quid Epictetus, cui cum herus torqueret crus, subri-
dens imperterrite, perfringes inquit. cumque ille fregisset,
Nonne prædicebam, inquit, quod perfringes? Quid tale
vester deus inter pœnas profatus est? Vel Sibylla, cuius au-
toritate nituntur quidam vestri homines, dignior erat vt
eam decerneretis haberi dei filiam: nunc vero huius car-
minibus temere inseruistis multa maledica: illum au-
tem post vitam infamem & mortem miserrimam deum
fecistis. Quanto digniorem hoc honore habebatis Ionam
sub cucurbita, aut Danielem è lacu leonum incolumem, a-
liósque his prodigiosiores etiam? Quoniam igitur nos re-
mittit ad Herculem, res gestas eius nobis proferat, & excu-
set turpem seruitutem quam apud Omphalen seruiit: do-
ceátque quomodo diuinis honoribus sit dignus qui latro-
nis in morem ereptum vi bouem agricolæ deuorauit,
magna voluptate illum cœnanti sibi male precantem au-
diens, vt feratur hodiéque sacrificari eius genio cum exe-
crationibus. Ad Æsculapium quoque nos vocat denuo,
quasi non iam ante de hoc responsum sit, quod etiam nunc
satis est: in Orpheo porrò quid miratur tantopere, vt per-
suasum habeat eum recte vitam instituisse non sine sancto
spiritu, mirum ni res eius exaggerans per contentionem,
quo magis Iesum nostrum deprimat? Eius de diis impias
fabulas cum legerat non auersatus est, digniores quam ho-
I mericas vt eiiciantur ex illa præclara republica? peiora e-
nim de receptis apud Græcos diis Orpheus quàm Home-
rus cecinit. Fortiter sanè & Anaxarchus ad Aristocreon-
tem Cypri tyrãnum, tunde tunde Anaxarchi follem, quod
scriptores in eo mirantur vnicum. id si Celsus vt veneran-
dæ virtutis indicium magnipenderet, improbe faceret
quisquis contradiceret: non tamen eo dicto philosophus
promeruit vt haberetur pro numine. Iam quod ad Epicte-
tum nos remittit admiratus apophthegma eius genero-
sum, non est tamen cur conferatur hęc de facto cruce oar-
ratio cum tot miraculosis Iesu operibus, vtcunque Celsus
ea figmẽta existimat, cum tamen per diuinam eorum vim
hodieque conuertantur, non solum simpliciores quidam,
verumetiam multi è prudẽtioribus. Quoniam autem post
enumeratos tot viros infert, quid tale vester deus inter pœ-
nas profatus est? possumus ad hoc dicere, quòd inter fla-
gra & cruciatus eius silentium maiorem præ se tulit forti-
tudinem ac patientiam quàm omnes Græcorum voces in
similibus casibus editæ, siue credat Celsus sed non credat
quod integre scriptum est à viris optimæ fidei, & inter cæ-
tera de constanti inter flagra silentio, sicut & de coccinea K
chlamyde induta ei per ludibrium, déque arundine in ma-
num pro sceptro indita, quæ omnia summa mansuetudine
pertulit, ne verbo quidem impatientiam aut stomachatio-
nem indicans in tanta immanitate sceleratorum hominũ.
itaque non præ desperata duritia inter flagra tacuit, sed
præ mansuetudine omnes illusiones tolerans. Ac ne illa Matt. 26
quidem vox timiditatis fuit, vt quidam putant, cum dice-
ret, Pater, si fieri potest, transeat hic calix à me. veruntamẽ
non vt ego volo, sed vt tu. Habet vtique rationem hæc vt
videtur deprecatio calicis quem nominat, quam reddidi-
mus aliàs plenius & exquisitius. Vt autem vel simplicissi-
me hoc dictum accipiamus, vide an non etiam cum sum-
ma pietate precatio hæc ad deum dirigitur, cum vulgus
hominum casus suos non prædestinationi tribuat, sed ferat
quicquid forte contigit dum ita postulat temporis neces-
sitas. hæc tamen vox non ferentis fuit, sed probantis quic-
quid fiebat, & præferentis propriis affectibus id quod di-
uina prouidentia semel statuerat. Veruntamen, inquit, non
quod ego volo, sed quod tu. Deinde nescio quid ei venit
in mentem vt censeret Sibyllam à nobis potiusquam Ie-
sum appellandam fuisse dei filiam, asseuerans nos multa e-
ius versibus inseruisse maledica, non tamen indicans quæ
sint illa quæ inseruimus. indicasset autem si antiqua
habuisset incorrupta exemplaria, in quibus non
reperiantur quæ putat à nobis interpollata. Quod tamen
non fecit, sed maluit iam iterum ac tertiò vitam Iesu infa-
mem nominare, non expensis singulis illius vitæ actioni- L
bus, cur infames ei videantur, ne putetur hoc ra-
tione conuicia mera in ignotum iacere: qui si vel speciem
infamiæ notasset in vita eius ac moribus, conati fuissemus
respondere ad singula, quod vere ad mortem miseram at-
tinet, idem posset dici & de Socrate, & de Anaxarcho cu-
ius modo meminit, & de aliis innumeris: nisi forte dictu-
rus est aut Iesu mortem fuisse miserrimam, illorum non
item: aut illorum non miserrimam, Iesu vero miserrimam.
Videt igitur hic quoque Celso fuisse propositum conui-
ciis Iesum impetere, concito vt opinor ab aliquo dæmo-
nio per Iesum debellato, quod antea nidoribus & cruori-
bus pasci solitum dementauerat homines deum quæren-
tes in statuis terrestribus, nec suspicientes ad verum deum
vniuersorum dominũ. Deinde quasi hoc solum ageret vt
libri chartas expleret, mauult nos vel Ionam potius deum
habere quàm Iesum, Ionam qui vni ciuitati Niniue pœni- Ion.2.
tentiam prædicauit, preferens Iesu totius mundi ad pœni-
tentiam conuersoris prædicatione longe efficaciori, & mi-
raculo seruatum è ventre ceti tribus diebus & tribus no-
ctibus post quàm deglutitus fuerat, deum à nobis vult cõ-
secrari: eum vero qui pro hominibus mortem pertulit,
probatum omnium prophetarum testimoniis, Celsus non
vult esse deo vniuersorum domino honore proximum ob
egregia in cœlo simul & terra merita. & Ionas quidem à
deo sibi demandatam prædicationis prouinciam fugiens
à ceto absorptus est: Iesus vero post absolutum iniunctæ M
à deo prædicationis munus, pro humano genere mortem
sustinuit. Mox autem ait satius fuisse Danielem è lacu leo-
num incolumem à nobis coli, quàm Iesum conculcatorem
omnis efferæ potestatis aduersariæ. Deinde non habens a-
lios quos proferret, ait, aut aliquem his etiam portento-
siorem, interim in Ionam & Danielem conuicium iaciens. Dan.14.
nec enim sciebat bene loqui iustis hominib. Nunc videa-
mus quid deinceps attexat. Habent præcepta huiusmodi.
Iniuriam ne repellito. quod si quis etiam in maxillam te
percusserit, obuerte ei alteram. Vetus & hoc est, longe di-
ctum antea, sed hic commemoratum rusticius, quod etiam
Socrates cum Critone disserens à Plat. inducitur. Estnè i-
gitur facienda iniuria? Nequaquam. Ergo referenda qui-
dem, vt multorum est opinio, si quidem nullo pacto licet
inferre iniuriam. Non videtur referenda. Quid porro? fa-
ciendum ne alteri malè, Crito, an non? Certe non facien-
dum mi Socrates. Quod si quis malo affectus sit, num vicis-
sim malum debet dare, vt vulgo videtur? Iustumne id esset
an iniustum fortasse, quia malum inferre homini nõ abest

ab

A ab iniuria? Verum dicis igitur nec iniuriam pro iniuria,
nec malum pro malo licet reponere, quamuis ipse ab aliis
passus fueris. Hæc Plato. & Paulo post: Ipse igitur con-
sidera, vtrum mecum nunc sentias, & idem tibi quoque
videatur, vt iam inde consentiamus, fieri non posse vt æ-
quum sit vel inferre iniuriam vel referre, vel malum pro
malo reponere, quòd quisquis id facit malum verius refe-
rat quàm à malo abstineat. Consentimúsne iam hinc? mihi
certe & olim ita est visum, & videtur nunc etiam. Et Pla-
tonis quidem hæc fuerunt placita, atque etiam ante eum
aliis diuinis hominibus idem visum est. Verùm de his aliis-
que quæ isti in suum vsum deprauant, hactenus. qui plura
de hoc scire cupit, cognoscet facile. Ad hoc & alia quæ
Celsus, quia non audet perfricta fronte negare vera esse,
communia nobis cum Græcis asserit, respondendum est:
Siquod placitum sanum est & vtile, cl[a]rum idem & apud
Græcorum aliquem, siue Platonem siue alium, & apud Iu-
dæos in Mosis voluminibus, aut prohetarum alicuius, &
apud Christianos in Iesu sermonibus aut alicuius apostoli,
non ideo debere accusari quæ apud Iudæos aut Christia-
nos reperiuntur, quòd eadem sint in Græcis literis, præ-
sertim quum constet Hebraicas antiquiores esse quàm
Græcas. Econtra si eadem Græci eloquuntur venustius, nõ
statim putandum est ea dici etiam melius quàm simplicia
B nostra enunciata frugaliter: quandoquidẽ prophetæ sim-
plici stylo vsi reliquerunt nobis libros scriptos Hebraicæ,
non inornata tamẽ compositione iuxta linguam propriã.
Quodsi dicẽdum est aliquid pene incredibile, hæc ipsa cõ-
munia dogmata melius tradi in Hebræorum prophetarum
aut Christianorum literis, rem exemplo a cibis sumpto
comprobabimus. Sit aliquis salubris cibus, vescẽtibus ad
robur conferens. eum bene paratum & aromatibus condi
tum sumant, non homines inassueti, agrestes, ruri educati
frugaliter, sed soli delicati & diuites, eundem non lauto-
rum more sed suo modo paratum edant pauperes & vul-
gus rusticum multa hominum milia. fac deinde diuites il-
los bene valere, solos fruentes suis condimentis, attingẽ-
re neminem alium, vulgus item suo parato contentum valere
prospere. Vtris magis gratias habebimus ob communica-
tum cibum, iisne qui eum sic parauerunt vt optimatibus
tantum sit vtilis: an iis qui sic, vt etiam vulgo prodesset, cũ
vtique æque bene valeant, vtrolibet modo cibus paretur?
Res ipsa loquitur medicum vtiliorẽ esse in publicum, qui
multorum, quàm qui paucorum, sanitatis rationem habe-
at. Hoc exemplum si est intellectum, transeamus à cibis
corporis ad cibos animarum rationalium proprios, & vi-
deamus an non Plato & Græcorum sapientes similes sint
C medicis illis qui solis lautioribus prospiciunt neglecta ple-
beiorum multitudine: Iudæorum vero prophetæ & Iesu
discipuli, qui valere iusserunt verborum ornamenta, totã-
que humanam sapientiam, quam scriptura carnalem vo-
care solet, sua lingua ænigmatica referunt illos, qui cibos
curãt quàm saluberrimos, ea compositione verborum, tó-
que apparatu qui sit accommodatissimus ad captum mul-
titudinis consuetam linguam desiderantis, & otiosi soli-
tæ sermonum nouitatibus, inauditisque antea disputatio-
nibus. nam si in hoc factus est rationalis (vt ita loquar) ci-
bus, vt eum qui se gustarit, mitem ac tolerantem faciat,
an non melius paratus erit sermo qui totas plebes mites
ac patientes reddit, aut certe in his virtutibus facit profi-
cere, quàm qui exiguos numeros sic afficit, si quos tamen
afficit? Et quemadmodum si aliquis Græcus propositum
haberet Ægyptios aut Syros sana doctrina instituere, eo-
rum linguas perdiscere curaret, barbarizare malens, quòd
apud Græcos inepte est, quàm sua lingua vtendo, Ægyptiis
ac Syris esse inutilis: ita diuina potentia prouidens non so-
lis eruditis Græcis, vt existimantur, sed etiam reliquis, cõ-
descendit ad idioticum captum auditurae multitudinis, vt
consuetis verbis apud eos vtendo imperitos ad auscul-
tandum alliceret, præsertim cum eis facile foret post pri-
mam illam introductionem studiose scrutari sensus re-
conditiores in sacris scripturis, & peruestigare. cuiuis enim
est perspicuum qui modo has legat, quòd qui eas diligẽ-

ter examinant, multo retrusiora inueniunt quàm quæ vi- D
dentur prima specie, idque tanto magis, quanto quis plus
eis impendat operæ ac studij. Ostensum est ergo quòd
Iesus rudi hoc & rustico sermone, vt Celsus appellat, di-
cens, Percutienti te in maxillam obuerte & alteram: &
vocanti in iudicium vt auferat tibi tunicam, dimitte &
pallium, plus vitæ hominum profuit quàm illa Platonis in
Critone disputatio, quam tantum abest vt idiotæ audiant,
vt vix post absolutum disciplinarum orbem teratur à Græ-
corum philosophis. Considerandum etiam quòd doctri-
na de patientia non fit per verborum simplicitatem dete-
rior, sed meram hanc esse Celsi calumniam, cuius verba
sunt: Verum de his, aliisque quæ isti in suum vsum depra-
uant, hactenus. qui plura de hoc scire cupit, cognoscet fa-
cile. Age iam videamus quæ deinceps sequuntur in hunc
modum. Transeamus ad alia. Non ferunt templa, aras, &
statuas inspicere. Ne Scythæ quidem, & Numidę, & Seres
impij: non aliæ gentes quæ tam religione carent quàm le-
gibus: Idem de Persis narrat Herodotus. Persarum, inquit,
ritus hos noui. Statuas, aras, templa, nec ipsi dedicant, &
alios pro stultis habent qui hoc faciunt: vt equidem opi-
nor, quia Deos non credunt esse humana specie, quæ Græ-
corum est opinio. Atqui Heraclitus sic de his pronunciat:
Ita preces offerũt istis simulachris, acsi quis fabuletur cum E
stipitibus: quia nec Deos nec heroas sciunt quinam sint.
Quid igitur hi nos docent Heraclito sapientius? Ille sub-
indicat stultum esse vota deponere apud statuas, nisi quis
noscat Deos & heroas, quoniam sint, vt apparet ex ipsius
sententia. at isti in totum contemnunt Deorum statuas. Si
vt lapidem, lignum, æs, aurum, ab illo vel illo expolitum,
ridicula est hæc sapientia. quis enim alius, nisi sit totus fa-
tuus, hæc Deos credit, non diis dicatas statuas? quodsi pu-
tant ne pro imaginibus quidem Deorum habendas, & aliã
esse Dei formam, vt etiam Persis videtur, imprudentes suũ
dogma redarguunt, ad imaginem Dei creatum esse homi-
nem, & eius specie similem. Sed de similitudinibus quidem as-
sentient, cæterum negabunt esse Deos quibus hæc dedi-
cantur, contendéntque esse dæmonia: fugiendam autem
Dei cultori venerationem dæmonum. Ad hæc quoque di-
cendum: licet Scythæ, Afríque Numidæ, & impij Seres, a-
liæque gẽtes vt Celsus ait tam religione carentes quàm le-
gibus, atque etiam Persæ, auersentur templa, aras, statuas,
non eandẽ auersandi causam esse illis & nobis. examinãda
sunt enim dogmata quibus moti statuas & templa abomi-
nantur qui hoc faciunt, vt vel laudetur cui constat facti sui
ratio, vel temerarius auersator vituperetur. Fieri enim po-
test vt diuersas super his opiniones habeant. Exempli gra-
tia: vitant adulterium philosophi qui Zenonem Citieum F
sectantur, vitant & quibus Epicurus placet magister, non
nulli etiam ex illiterata plebecula: sed vide quàm varię sint
horum voluntates in fugiendo adulterio. Illi peccari cõ-
tra naturam & societatem humanam putant, si quis viciet
mulierem legitime coniunctam alteri & familiam eius a-
dulteret. Epicurei vero non hac de causa abstinent, sed
quia omnes actiones suas ad vnum scopum voluptatem di-
rigunt, multis autẽ seipsum fraudat voluptatibus, qui huic
vni succumbit, interdum etiam in carceres, exilia, mortes,
incidit: & ante factum non caret periculo, dum obseruat
mariti è domo exitum, & aliorum qui illi fauent. Itaque
fac eum fallere posse maritum, domesticos eius, & cæte-
ros à quibus sibi timet opprobrium, quantum attinet ad
voluptatem, etiam adulter Epicureus fieret. quasi etiam i-
diota non mœchatur cum possit, in causa est legum ac
pœnarum metus, non cõtemptus voluptatum. vides quo-
modo cum simplex negotium videatur adulterij fuga, ta-
men pro diuersis hominum voluntatibus sit varium. aut
enim à sanis placitis nascitur: aut à nequam & impiis, vt in
idiota huiusmodi & Epicureo. Sicut autem hæc ab adulte-
rus abstinentia cum vna esse videatur, deprehenditur mul-
tiplex pro varietate opinionum ac voluntatum: ita etiam
inter abhorrentes à statuarum, templorum, altarium cere-
moniis, Scythæ, Numidæ, impijque Seres & Persæ, aliis
mouentur rationibus quã Christiani & Iudęi, quibus test-

G gio est sic numen colere. Illarum enim gentium nemo ab his alienus est, quòd vereatur numen ad viles has ceremonias detrahere, quæ versantur circa aras, & materies effigiatas varijs imaginibus, nec quòd intelligat dæmonas deuinctos hærere certis locis & statuis, siue incantatos quibusdam magicis carminibus, siue aliàs incubantes locis semel præoccupatis, vbi lurconum more se oblectant victimarum nidoribus voluptatem captantes nefariam & vetitam diuinis atque naturæ legibus. Cæterum Christiani homines & Iudæi sibi temperāt ab his propter illud legis:

Deut. 6. Dominum Deum tuum timebis, & ipsi soli serues. item

Exod. 20 propter illud: Non erunt tibi alieni dij præter me: & non facies tibi ipsi simulachrum, nec vllam effigiem eorū quæ in cœlo sunt & in terra sub cœlo, nec eorum quæ in aquis degunt infra terram: non adorabis ea nec seruies illis. item propter illud, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: aliáque multa his similia: quæ adeo nos prohibent ab aris & simulachris, vt etiam emori iubeant, citius quàm contaminemus nostram de Deo fidē talibus impietatibus. Porrò de Persis superius diximus, simulacra quidem non colentibus, solem vero & Dei creaturas adorātibus, quod nobis interdictū est illo præcepto, Nolite seruire creaturæ magis quàm creatori, scientibus futurum olim

H vt creatura hæc liberetur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorū Dei: & quòd expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat, & quòd vanitati creatura sit subiecta non volēs sed propter eum qui subiecit eam in spe: nec debere nos res corruptioni seruientes & vanitati spe meliorum subiectas colere loco Dei qui nullius indiget, aut loco filij eius primogeniti creaturæ totius. Atque hæc de Persarum gēte dixisse sufficiet, aras & statuas auersantium, sed creaturæ magis quam creatori seruientium.

Quoniam autem etiam Heracliti dictū apposuit, quo ille subindicat stulte facere eos qui simulacris preces offerunt nisi norint Deos & heroas quinam sint: dicēdum scire posse Deum, & ipsius vnigenitum, & eos quicúque à Deo honorantur Deorum appellatione deitatis eius participes, diuersos esse à dijs gentium qui sunt dæmonia: impossibile tamen esse vt qui Deum nouit, supplex fiat statuis, nec hoc tantum stultum est siquis preces simulacris offerat, sed etiam cum aliquis id simulat vulgi opinionibus se attemperans, quod faciunt philosophi peripatetici, & qui sectātur sectam Epicuri aut Democriti: nihil enim adulterinum debet inesse in anima hominis vere pij erga Deum optimū maximum. nos verò ideo quoque non honoramus simulacra, quia quantum possumus cauemus, ne quo modo incidamus in eam credulitatem, vt & his imbuamus diuinitatis aliquid. Et hoc est crimen quod Celso impingimus, alijsque omnibus qui hæc non esse Deos fatentur, deferra

I hos honorem statuis cum sapientes credantur, adeò vt vulgus exemplo eorum in errorem trahatur, intantum depressum animas falsa religione, vt negantem hos esse Deos ne audire quidem sustineant, quos ipsi assueuerunt colere. Celsus certe ait se credere, non Deos hæc esse, sed Deorum anathemata: non declarans quomodo hęc non hominum anathemata sint, sed Deorum vt ipse vocat. liquet enim hæc dedicari ab hominibus falsam opinionem de Deo habentibus. ac ne imagines quidem eorum putamus statuas, vt qui Deum incorporeum & inuisibilem nulla figura circumscribamus. Quoniam autem Celsus dicit nostras opiniones inter se pugnare, dum negamus in Deo humanam speciem, & dum credimus hominem ab eo factū ad ipsius imaginem: respondeo dum vt supra, imaginem hanc Dei in anima rationali conseruari per virtutem: & quod Celsus non intelligēs aliud esse imaginem Dei, aliud ad imaginem Dei, ait nos dicere quòd Deus fecit hominem suam imaginem, & specie sibi similem: ad quod iam superius responsum est. Post hæc ait Christianos concessuros hæc esse simulachra eorum quorum imaginem vel exprimunt vel non: negaturos tamen hos esse Deos, cum sint verius dęmonia, nec deberi ab homine pietati dicato vllum cultum dæmonibus. qui si scisset quid tradatur de dæmonibus & singulorum operationibus, quas faciunt vel inuocati à peritis talium artium, vel sponte prout volunt ac possunt, K percepissetque disputationem de illis, satis prolixā & excedentem captum humani ingenij: non reprehendisset negantes dæmonibus cultum deberi à pijs veri Dei cultoribus. Et tantū abest vt eos veneremur, vt precibus & sacrarum literarum recitatione profligemus eos ex obsessis hominibus, & ex locis sibi dicatis, interdum etiam ex animalibus. nonnunquā enim vt hæc quoq; lædant operātur dęmones. Quoniā autem superius permulta de Iesu à nobis dicta sunt, non est opus vt iteremus eadem, quo respondeatur dicenti: ipsi certe manifestarijs argumentis cōuincuntur, non dęmonem, sed mortuum colere. quapropter hoc omisso videamus quid deinceps Celsus dicat his verbis. Ac primū interrogabo, cur non sint colendi dęmones, an non cuncta arbitrio Dei dispensantur & pendent ab eius prouidentia? an non in omnibus operante Deo, siue angelis, siue dæmonibus, siue heroibus, omnes hi legē habent à Deo præscriptam? an non horum quisque potestatem eam sortitus est, qua dignus est habitus? ergo eum qui à Deo potestatem accepit, cultor Dei non venerabitur, quia non licet seruire pluribus dominis? Vide hic quoque quā multa pro concessis arripuit disquisitione non mediocri egentia, atque etiam scientia profundiore ac secretiore de dispēsatione rerum omniū. nam hoc ipsum dispensari per Dei L voluntatem omnia, venit examinandum, vtrum hæc gubernatio pertineat etiā ad peccata an non. nā si ad ea quoque pertinet, non ad humana tantum pertinet verumetiā dæmonum, & siqua alia præter corporeas natura est peccatis obnoxia. quod qui dicit, videat quanta absurditas sequatur hanc propositionem, omnia dispensari Dei arbitrio, sequetur enim vt quicquid peccatur per maliciam, fiat ex voluntate Dei quod quidem aliud est quam fieri non prohibente Deo. quodsi quis proprie intelligat dispensari quæ fiunt per maliciam, nimirum omnia fient ea Dei voluntate, nec vllus peccator contra Dei dispēsationē præuaricabitur. Similiter distinguendū est de prouidentia, omnia procedere à diuina prouidentia de bonis intelligendo. quod si accipiantur simpliciter omnia etiam mala, falsum erit omnia fieri ex Dei prouidentia: nisi quis contendat, etiam ea quæ per consequens fiunt, ex prouidentia dei fieri. Idem affirmat quòd quicquid vel a Deo fit, vel ab angelis, vel à dęmonibus, vel ab heroibus, omnia hæc legem Dei habeant: quod tamen non vere affirmat. nec enim iniqui iuxta Dei summi legem inique faciunt. Patet autem euidenti ratione, non solum malos homines contra hanc legem facere, sed etiam malos dæmonas & malos angelos. esse porro malos dęmonas non nos soli dicimus, sed alij quoque ferme omnes, quicunque ponunt esse dæmonas. M Ergo non omnia habent legem Dei maximi. nam quęcunque per propriam inaduertentiā, maliciam, miseriam, bonorum ignorantiam, desciuerunt à lege Dei, non habent legem Dei, sed (vt more scriptorę loquar) habent legē peccati. Itaque iuxta opinionem multorum qui ponunt esse dæmonas, etiam mali dæmones non habent legem Dei, sed contra legem agunt: nostri autem homines idem opinantur de omnibus dæmonibus quotquot exciderūt à via ducente ad summum bonum, cum antea non fuissent dæmones: esséque hoc genus eorum qui Deum deseruerunt. quapropter quisquis Deum colit non debet seruire dęmonibus. Liquent etiam res dæmonū ex eorum inuocationib. qui horum opera vtuntur ad excitādos amores & odia, aut ad impediendas actiones, innumeráque alia similia, quæ faciunt per incantationes magicas docti vocare & inducere dæmonas ad quicquid libuerit. quamobrem omnis dæmonū cultura est aliena à nobis summi Dei cultoribus: est autem cultura dęmonum, etiam istos qui dij nominantur colere. omnes enim dij gentium dęmonia: id quod liquet ex templis quæ vt sacratiora putantur à præsente incoli numine, quòd ab initio dedicationis receperūt in delubra tales dæmonas per inuocationes curiosas & magicas. Idcirco visum est nobis cultum dęmonum fugere non aliter quàm perniciem certissimam: quo nomine comprehendimus omnes religiones græcanicas quæ versantur *1. Cor. 8.*

circa

A circa templa deorum & aras ac ſtatuas. Quod autem dicit, ordinatione Dei maximi ſuam cuique poteſtatem contigiſſe, opus habet vulgari ſciẽtia: quæ docere poſſit, vtrum ſicut carnifices in ciuitatibus præfecti ſunt triſtibus miniſteriis, neceſſariis tamen ad ſtatum reipublicæ: ita mali dęmones habeant ſua miniſteria attributa a deo vniuerſorum domino: an quemadmodum in ſolitudinibus latrones conſtituto ſibi principe, ita dæmones certis regionibus catervatim graſſentur ſub aliquo ſui generis principe, cuius ductu prædentur & vexent homines: cæterum qui de his rebus volet bene diſſerere, & reſpondere pro Chriſtianis recuſantibus colere quicquam præter deum vniuerſorum dominum, & verbum eius primogenitũ creaturæ totius, enarrare debebit & illud euangelicum: Omnes quotquot ante me venerunt, fures ſunt & latrones, & non audierunt eos oues: & illud: Fur autem non venit niſi vt furetur, & mactet, & perdat: & ſiquid huiuſmodi eſt in ſacris literis, vt illud: Ecce dedi vobis omnem poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. item illud, Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Verùm hæc Celſus neſciuit. ſi enim ſciuiſſet, non dixiſſet, in omnibus operante deo, ſiue dæmonibus, ſiue heroibus, omnes hos legem habere ab eo præſcriptam, & quenque poteſtatem ſortitum qua dignus eſt iudicatus: ac proinde non auerſandum horum cultum pio homini, quaſi non liceat ſeruire pluribus dominis. quæ poſtrema verba tractabimus in ſequenti volumine, abſoluto iam hoc ſeptimo quo Celſi ſcriptis reſpondimus.

Ioan. 10.

Luc 10.

Pſal. 91.

B

LIBER OCTAVVS.



Bſoluto ſeptimo volumine octauum aggreſſurus precor deum & Verbum eius vnigenitum, vt adſit mihi fortiter confutaturo Celſi mendacia, fucata vano veritatis titulo, ſimúlque Chriſtianæ religioni contra calumniatorem patrocinaturo: quando & nobis licet dicere, Pro Chriſto legatione fungimur deo iubente non paulinis verbis vti ex animo, & pro Chriſto legatum agere apud homines, ipſo dei verbo inuitante ad amicitiã, quos conciliatos ſibi cupit per iuſticiam, veritatem, virtuteſque cæteras, hactenus ante cognita Ieſu Chriſti dogmata verſatos in tenebris, vt ignorantes deum conditorem ſuum atque dominum. Oro igitur iterum atque iterum vt deus det mihi verbum illud ſuum potens & verum, forte in bello quod contra vicia geritur. Iámque ad ſequentem Celſi contextum pergendum eſt, cuius ſupra meminimus, vbi ſciſcitatur, qua de cauſa grauemur dęmonas colere: ad quod reſpondimus, prolatis in medium quæcunque è ſacris dei ſcripturis de natura dęmonum didicimus. At mox inibi nos inducit, ad eius interrogationem poſtulantis vt colamus etiam dæmonas, prętexentes illud euangelicum. Impoſſibile eſſe ſeruire pluribus ſimul dominis. Hanc vocem ille ſeditioſam exiſtimat, velut abrumpentium ſeſe à ſocietate reliquorum hominum, putátque nos hoc dicto affricare deo noſtra vicia: quandoquidem ad locum habeat in hominibus, vt qui vni homini ſeruit, merito abſtineat à ſeruiendo alteri, ne forte hero ſuo noceat, ſi alteri cum eo male conueniat: quo caſu etiam vni ſociatus non poteſt fieri ſocius alterius, ſine ſocij prioris incommodo: & hac ratione nec diuerſis dæmonibus ſeruiẽdum aut heroibus. cæterum erga deum, cui nihil eſt periculi ne vel offendatur vel lędatur, abſurdum eſſe eadem ratione ſe gerere, qua erga homines aut heroas aut dęmonas. Ait etiam, eũ qui plures deos veneretur, hoc ipſo rem gratam ſummo Deo facere, quòd nemini honor contingat, niſi quem ille honorari vult. quapropter qui veneratur eius ſubditos, non offendere illum cuius omnes ſunt. Videamus igitur an non recte probemus hanc ſententiam, quę negat quenquam ſeruire poſſe duobus dominis moxque ſubiungit: aut enim hũc habebit odio, & alterum diliget: aut huic adhærebit, & alterum negliget: & deinceps, Non poteſtis deo ſeruire & mammonæ. Hic apologiæ locus poſtulat vt profundius ſecretũ penetremus de diis & dominis. Nouit enim ſcriptura eſſe magnum dominum ſuper omnes deos: vbi deos intelligimus non iſtos qui adorantur à gentibus, cum didicerimus quòd omnes dij gentium ſint dæmonia: ſed deos quorum concilium legitur in propheticis literis, in quo ſummus deus hos diiudicat, diſtribuens ſua cuique officia. Deus, inquit, ſtetit in concilio deorum, in medio autem deos diiudicat. Eſt enim deus deorum dominus, qui per filiũ vocauit terram, ab ortu ſolis vſque ad occaſum: & iubemur confiteri deo deorum, vt qui didicimus etiam illud, Deus non eſt mortuorum, ſed viuentium. Quæ quidem dicuntur non tantum in citatis locis, verumetiam in aliis innumeris. Similia de domino quoque dominorum docent nos inquirere ac ſapere diuinæ literæ: nunc dicentes, Confitemini deo deorum, quoniam in ſeculum miſericordia eius: confitemini domino dominorum, quoniam in ſeculum miſericordia eius: nunc verò, Eſt deus rex regũ & dominus dominantium. Nouit etiam ſcriptura, alios deos qui dicãtur, alios qui ſint, ſiue dicantur ſeu non. Itidẽ de dominis qui ſint, quive nõ ſint, dicit Paulus: Nam etſi ſunt qui dicãtur dij ſiue in cœlo ſiue in terra: ſiquidem ſunt multi dij, & multi domini. deinde quia deus deorum vocat ab oriente & occidente ad ſuã portionem per Ieſum quoſcunq; vult: eius autem Chriſtus, cũ ſit dominus, oſtẽdit ſe ſuperiorem omnibus dominantibus, eo quod aſcendit ſuper omnes terminos conuocaturus ad ſe ab omnibus terminis: ideo Paulus hæc ſciens, poſt modo citata verba ſubiungit: Nobis tamen vnus deus pater ex quo omnia, & vnus dominus Ieſus Chriſtus per quem omnia, & nos per ipſum: cõſiderán̄ſque mirã quandam & myſticam doctrinam hoc loco ſic infert, Sed non in omnibus eſt ſcientia. Cum autem dicit, Nobis tamen vnus deus pater ex quo omnia, vocem hanc Nobis, dicit de ſeipſo, & omnibus qui aſcenderunt ad ſummũ deum deorũ, & ad ſummum dominorum dominum, aſcendit autem ad ſummum deum is, qui eum inſeparabiliter & indiuiſibiliter colit per Ieſum Dei filiũ, cuius ſolius ductu peruenitur ad patrem, per cuius verbi ac ſapientiæ contemplationẽ modis omnibus conciliamur, tam doctrina quam operibus & cogitationibus deo conditori rerum omniũ. Iuxta hæc & his ſimilia opinor principem huius ſeculi, transformari ſolitũ in lucis angelum, finxiſſe illud: Hunc verò deorum exercitus & dæmonum ſequitur inſtructus vndecim ordinibus: vbi de ſeipſo ſuæque ſapiẽtiæ ſectatoribus inquit: Cum Ioue quidem nos, alij verò cũ dæmonibus aliis. Itaque cum multi dicantur aut ſint dij, ſimiliterque domini, nos nihil non facimus vt non ſolum aſcendamus ſuper omne quicquid in terra pro diis colitur à gentibus, verumetiam ſuper eos quos ſcriptura deos nominat, de quibus nihil ſciũt qui ſunt alieni à teſtamentis dei per Moſen & Ieſum ſeruatorem noſtrũ proditis, ad quos promiſſiones in his ſignificatæ nil pertinent. Superaſcendit autem religiones omnium dæmonum, quiſquis nullum opus facit gratũ dæmonibus: & ſuperaſcendit portionem eorũ qui apud Paulum dij dicũtur, quiſquis ſiue vt illi, ſiue quomodocũque, ſpectat non ea quæ cernũtur ſed quæ nõ cernũtur: videnſque quomodo etiam creaturę expectatio reuelationem filiorũ dei expectat, non volens, ſed propter eum qui ipſam ſubiecit in ſpe, laudat creaturam beneq; ei precatur: & intelligens quomodo tota liberabitur à ſeruitute corruptionis, occurſura in libertatem gloriæ filiorũ dei, non diſtrahitur ipſe à deo vt aliud colat ſimul cũ eo, nec ſuſtinet ſeruire duobus dominis. Non eſt igitur ſeditioſa vox ſic ſentientiũ, & nolentium ſeruire dominis pluribus, contentorum vno domino Ieſu Chriſto, cui ſeruientes erudiuntur ab eo, vt eruditi digni reddantur regno Dei & patris. abrumpuntur ſanè ſecedúntque ab alienis à Dei republica, & nihil ad teſtamenta eius pertinentibus, vt iuxta inſtituta cœleſtis ciuitatis degant, accedentes ad deum viuentem, & ciuitatem dei cœleſtem Hieruſalem, multorum milium

C

D

Matt. 22.

1. Cor. 8.

E

F

G angelorum frequentiam, & primogenitorum ecclesiam quorum in cœlo scripta sunt nomina. Nec ideo cauemus ne cui præter deũ seruiamus, ne lædatur Deus sicut homo læditur si seruus eius seruiat alteri: sed ideo illi seruimus in præceptis ipsius & veritate, ne nos ipsi lædamur separantes nos à portione Dei, qui iuxta suam beatitudinem viuẽtes familiares sibi per spiritum adoptionis reddidit, vt simus patris cœlestis filij, non verbis sed reipsa in occulto clamãtes Abba pater. olim Lacedæmoniorum legati Persarum regem, licet vehementer vrgentibus satellitibus, adorare noluerunt, timentes vnicum suum dominum, Lycurgi legem videlicet, qui verò multo maiore ac diuiniore legatione funguntur pro Christo, nec Persarum principẽ, nec Græcorum, nec Ægyptiorum, nec cuiuscunque gentis adorabunt, etiamsi satellites horum principum dæmones & angeli diaboli conẽtur eos vi huc adigere, suadeántque his valedicere legi præstantiori omnibus quæ sunt in terra legibus. Christi enim legatorum ipse Christus est dominus, pro quo legatione funguntur, verbum quod erat in principio, & apud deum erat, & Deus erat. Deinde quoniam Celso libuit mouere altiorem quàm putat sermonẽ de heroibus & quibusdam dęmonibus, dũ postquàm dixit in hominum seruitute lædi priorem dominum, siquis velit insuper seruire alteri, ait idem cẽsendum de heroibus & talibus dæmonibus: quærendum est ex eo quid per heroas velis intelligi, quósve dicat huiusmodi dæmonas, vt
H vni heroi seruiens non debeat seruire alteri, & tali dęmoni seruiens caueat seruire alteri, alioquin offensurus priorem herum dæmonum, non aliter quam fit apud homines, siquis pręter priorem asciscat sibi alium dominum: ad hæc quid detrimenti heroibus aut dęmonibus putet inde accidere. Cogetur enim aut in nugarum pelagus incidens suamet dicta irrita facere: aut si nugari grauetur, palam fateri quod nec heroum naturam sciat nec dęmonum. Iam vero quod ad homines attinet, lædi priorem dominum si eius seruus seruire velit & alteri, rogandus est Celsus, qua in re putet priorem lędi à seruo asciscente sibi alterum dominũ. Si enim idioticè magis quàm philosophicè respondebit, detrimentum esse pecuniarum, quę res inter externas est nec propriè nostras, declarabit se ignorare dictum illud Socratis egregium, Me vero Anytus & Melitus interficere possunt, lędere non possunt. pręstantiorem enim ab inferiore lędi fas non est. Quodsi lęsionem accipit pro motu aliquo aut effectu ad vicium, cùm tale detrimentum in sapientem non cadat, palam est posse aliquem seruire duobus sapientibus in diuersis locis habitantibus. Itaque apparet eum temere vsum exemplo dum reprehendit sententiam negantem possibile seruiri duobus dominis: & erit ratio nostra potior, adducens nos ad seruiendum vni
I Deo per ipsius filium. Nec ita Deo seruimus, quasi seruitio
Matth. 6. nostro ille opus habeat, aut contristetur si ei seruire detrectemus: sed quòd nobis conducibilis sit hæc seruitus, sine damno ac molestia seruientibus Deo vniuersorum domino, idque per vnigenitum verbum eius & sapientiam. Vide quàm inconsideratè protulerit illa verba, quibos persuadere conatur, ad Dei honorem pertinere, quicquid veneteris ipsi subditum, posséque nos id absque peccato facere. Sed mox quasi sentiens se nõ rectè dixisse illud, Nam etiamsi colas in hac vniuersitate aliquid aliud, dictum suũ conatur corrigere addens hæc. Nemo potest honorari, nisi cui fauente illius honorari contigit. Liber hic percontari Celsum, de his qui pro nominibus coluntur vel heroes vel dęmones, ecquid possit demõstrare quòd à Deo honorem eum habeant, non ab ignorantia ruditatéque hominum errantium & a vere honorãdo deficientium. Certe Adriani deliciæ honorantur, vt tuipse Celse paulo ante dixisti, nec tamen dices à summo Deo concessum Antinoo vt colatur pro numine. Idem licet de alijs quoque quærere, qui scire possimus concessum eis talem honorem à Deo. Quodsi vicissim de Iesu quęret, certissimis argumentis euincemus concessum hoc ei diuinitus, vt omnes honorent filium sicut patrem honorant. nam prophetiæ quæ natiuitatem eius præcesserunt, honorem eius nobis commendant. quin & miracula per eum patrata, non magicis K præstigijs vt Celsus putat, sed diuina virtute iuxta prophetarum vaticinia, diuinitus habent testimonium: vt honorantes filium qui est verbum & ratio, nihil absque ratione faciendo vtilitatem ex ea cultura capiant, & honorans eum qui est veritas, hoc ipso proficiat quòd veritatis cultor sit. idem cogitandum de sapientia iusticiáque, & quicquid sacra scriptura de filio Dei pędicat. Quòd autem sani homines exhibeant cultum filio Dei, quemadmodum & Deo patri, vide an non doceamus tum ex illo scripturæ loco: Qui in lege gloriatis, per transgressionem legis deum afficis contumelia: tum ex illo, Quanto grauius supplicium mereri putatis eum qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pro impuro habuerit in quo sanctificatus est, & spiritui gratiarum largitori contumeliam fecerit. Si enim transgressor legis hac ipsa transgressione Deo facit contumeliam, & conculcat Dei filium quisquis verbum eius conculcat: satis apparet quòd honorat deum quisquis legem custodit, & colit deum quisquis ornatus est doctrina Dei conuenientibúsque huic operibus: quodsi Celsus sciret quinam ad Dei possessionem pertineant, videlicet soli sapiẽtes: quinã alieni sint, omnirũ omnes mali qui non sunt proni ad virtutem: sciret quomodo intelligenda sint illa verba, Ergo qui honorat illos & veneratur, quomodo offendit deum omnium dominũ? Deinceps autem sic loquitur: Atqui quisquis de Deo dicit vnum esse dominum, impie facit regnum dei diuidens, & dissidium inducens quasi sit aliqua diuersa factio caput L habens Dei aduersarium. Quod fortasse locum haberet, si ex scripturis probari posset deos esse istos qui à gentibus pro dijs habiti versantur circa templa, statuas, altariáque, & non malos dęmonas. Regnum etiam Dei crebro memoratum in nostris tã literis quàm sermonibus precamur vt intelligamus, taléisque reddamur vt à solo regamur Deo, vt regnum Dei nostrum quoque fiat. At iste qui nobis suadet multos deos colere, si volebat consistere suam doctrinam, debebat regnum deorum dicere non regnum Dei. Igitur neque factiones sunt apud deũ, neque vllus est Dei seditiosus aduersarius, quamuis quidam more gigantum ac Titanum cum Celso rebellent deo, qui modis innumeris Iesum seruatorem nostrum cõmendauit hominibus, vniuerso mundo se ingerentem duntaxat pro captu singulorum. Post hæc autẽ fortassis aliquis putabit nos reprehendi probabiliter dũ dicit: Si nullum alium isti pręter vnum deũ colerent, videri poterant merito alios contẽnere: nunc cum recens exortum hunc immensis extollãt honoribus credunt se nihil peccare in deum quòd ministro eius reuerenter seruiant. Ad quod respondendum, Si Celsus Ioan. 8. intellexisset illud, Ego & pater vnũ sumus: & illud in pre-14. catione dictum à filio Dei, Sicut ego & tu vnum sumus, M non putasset nos & alium colere præter deum vniuersorũ dominum. Ait enim, Pater est in me, & ego in patre. quòd si quis his motus verebitur ne forte transfugiamus ad eos qui negant duas esse substancias patrem & filium, audiat illud, Erat autem omnium credentium cor vnum & vna anima, vt contempletur illud dictum, Ego & pater vnum sumus. Vnum igitur deum, sicut rationem reddidimus, patrem & filiũ colimus, constanterque stamus contra alios, non recens exortũ, quasi prius non fuerit, nimiis honoribus extollimus. Credimus enim eius verbis dicentis: Ante quàm Abrahã natus esset ego sum: itémque, Ego sum veritas. nec est quisquam nostrũ tam illiberali ingenio, vt opinetur quòd veritatis essentia nõ fuerit ante aduẽtus Christi tempora. Itaque religiose colimus patrẽ veritatis, & veritatem filium, duos quidẽ substantia, vnum verò concordia, consensu, voluntatisque identitate: adeò vt quicunque vidit filium, qui est splendor gloriæ Dei, characterque eius substantiæ, viderit in ipso deum vt in imagine Dei. Erat nunc, & ex eo quòd vnà cum Deo filium eius colimus, colligat nos quoque non solũ deum, verũetiam ministros eius colere, qui quidem si intellexisset veros ministros dei post ipsius vnigenitum, Gabrielem, Michaelem, reliquósque angelos & archangelos, eósque colendos cõtenderet, fortasse

Rom. 2.

• •

A fortasse colendi significatum repugnantes & actiones colentium, dixissemus aliquid de hoc loco pro tantæ rei dignitate, próque captu nostræ intelligentiæ. nunc quando ministros coli postulat hos dęmonas qui adorantur à gentibus, non euincit vt eos colamus, quos scriptura docet ministros esse illius mali principis huius seculi, ad defectionē à Deo pertrahentis quoscunque potest. Ergo non vt ministros istos qui à reliquis hominibus honorantur, detrectamus venerari & colere. si enim persuasum haberemus eos esse summi Dei ministros, nunquam appellaremus eos dæmonia. sed vnum Deum, & vnum eius filium ac verbum imaginémque quantum possumus supplicationibus & honoribus veneramur, offerentes Deo vniuersorum domino preces per suum vnigenitū: cui prius eas adhibemus, rogantes vt ipse qui est propitiator pro peccatis nostris dignetur tanquam pontifex preces nostras & sacrificia & intercessiones offerre Deo optimo maximo. Itaque in Deo fides nostra consistit, per confirmantem eam in nobis ipsius filium: nec est q Celsus nobis seditionem obiiciat ꝓpter filium. Veneramur enim patrem, eo quòd admiramur eius filium, verbum & sapientiā, & veritatem & iusticiā, & quicquid didicimus esse Dei filium è tali patre progenitum. Et de his quidem hactenus. Quoniā autē rursum Celsus sic loquitur: Quodsi eos doceas non esse hunc Dei filiū B sed illū patrem esse omniū, quē solū coli tenera oporteat, non colēt nisi vnà cū isto seditionis suæ autore quē nominant Dei filium, non q Deum venerentur magnopere, sed *Ioan. 14.* quòd istum extollant plus nimio. Atqui nos scientes quia sit Dei filius, nimirū splēdor gloriæ charactérque substātiæ eius, vapor potentię Dei, omnipotentis gloriæ sincera ꝑmanatio, splendor sempiterni luminis, speculum immaculatum Dei potentię ac efficaciæ, imagóque bonitatis eius, scimus hunc illius filium, & illum huius patrem: nec est quicquam in hoc sermone indecens, nec male Deo conuenit talem sibi filium vnigenitum substituere. nec potest nobis persuaderi, hunc qui talis est, non esse ingenuū Dei & patris filium. Quod si Celsus audiuit peruersam doctrinam quorundam qui filium Dei negant esse creatoris filiū, ipse viderit, & qui huic opinioni fauent. Non est ergo seditionis autor Iesus, sed omnis pacis, vt qui dixit suis discipulis, Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. deinde quoniam sciebat huius mundi & non Dei homines hostes nobis futuros, addidit: Non sicut mundus dat pacem, ita & ego pacem do vobis. Confidimus autē propter eum etiamsi affligimur in mundo, quia dixit, In mundo afflictionem habebitis, sed confidite, ego vici mundū. Hunc asseueramus esse Dei filium. Dei inquā quem (si Celsi verbis vtendum est) magnopere veneramur, & filiū eius maC ximis à patre auctum honoribus agnoscimus. Esto autem non deesse quosdam, vt in tam numerosa credētium multitudine, qui discrepantes ab aliis temere affirment quod Seruator sit Deus ille vniuersorum dominus: nos certe hoc non facimus, qui credimus ipsi dicenti: Pater qui misit me, *Ioan. 14.* maior me est. quapropter quem nunc patrem vocamus, eum non subiicimus, vt Celsus calumniatur, Dei filio. Pergit deinde, Quòd autem non aberrans à scopo sic opiner, vtar ipsorum testimoniis. nam in illo cœlesti dialogo alicubi hæc fermè ad verbum dicuntur: Si fortior est Dei filius, & dominus eius est filius hominis, & quis alius dominabitur Deo tenenti imperium? quomodo multi circa puteum, & nullus in puteum? & cur tantum itineris emensus timidus es? Falleris: adest enim mihi audacia & gladius, adeò non hoc est ipsis propositum. nam alium supercœlestem Deum huius patrem faciunt, in cuius cultū consenserunt, vt sub prætextu magni Dei colant hunc quem sibi pręfecerunt Dei filium quem aiunt vt fortiorem dominum esse Dei tenentis imperium, solúmque venerantur. vnde illud solenne præceptum eorum, non esse seruiēdum duobus dominis, cauēdo nequis ab hoc vno dissideat. Hęc quoque cursim à nescio qua obscurissima hęresi desumpta vniuersis Christianis abiicit: obscurissimā autē dico, quia ne nobis quidē multū cū hæreticis cōflictatis liquet, vndenam hæc Celsus acceperit si tamē accepit, & non finxit vel affinxit, de suo. Nos enim manifeste prædicam' creatoris, D qui mundum hunc sensibilem condidit, filium non esse fortiorem patre sed inferiorem: id quod ex ipsius autoritate affirmamus dicente, Pater qui misit me, maior me est. nec est quisquam nostrum tam attonitus vt dicat, dominus est Dei hominis filius. Imperium autem ei, vt Dei verbo, sapientiæ, iustitiæ, veritati, astruimus in omnes inspicientes eum hoc nomine, sed non in Deum patrem omnipotentem. & quia verbum inuitis non imperat, sunt autem quidam etiam mali, non solum homines sed & angeli omnésque dæmones, in hos dicimus ei nondum esse imperium, quia non subdunt se vltro: in alio tamen imperij significato & his imperat, sicut hominem dicimus imperare brutis animātibus, quamuis non ita subiectis sicut subiiciuntur leones cicurati & iumenta perdomita: nihil tamē ille non facit, vt & eos qui nunc imperium detrectant sibi subiiciat. Falsum igitur est quod quasi nostrum Celsus protulit, Quis alius omnipotēnti Deo dominabitur? Deinde vt opinor rursum res confundens, ex alia hæresi admiscet illa verba: Multi circa puteum, nullus in puteum. & illā, Quid tantum itineris emensus timidus es? & illa, Falleris, adest mihi audacia & gladius: quæ omnia pro adulterinis habet ecclesia Christiani nominis. nostrum enim propositum est non ficticios Deos colere, sed mundi huius condiE torem & rerum omnium etiam inuisibilium. Viderint qui aliam viam ingrediuntur aliásve semitas, hunc quidem negantes, nouum autem figmentum solo nomine Deum sibi asciscentes, & si qui affirmant filium, vt fortiorem, esse omnipotentis Dei dominum. Cæterum cur seruiendum non sit duobus dominis, iam rationem reddidimus, quando etiam docuimus, nullius seditionis posse argui propter Iesum dominum, quicunque confitentur eum superiorem cunctis dominari, & ipsi soli debere nos seruire vt Dei filio. Post hæc Celsus ait nos ararum, statuarum, templorúmque dedicationes fugere, vt occulti fœderis fidem sanciamus hac ceu tessera, non videns pro aris nobis esse mētem suam cuique, ex qua sursum feruntur vere ac intelligibiliter suaueolentes suffitus, preces è pura conscientia: quapropter dicitur apud Ioannem in Apocalypsi: Suffitus autem sunt orationes sanctorum. & in hymnis dauidicis, Fiat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo domine. *Apoc. 8.* Simulacra autē Deo dicāda sunt non fabrorum opera, sed *Psal. 141.* à verbo Dei dedolata formatáque in nobis, videlicet virtutes ad imitationem primogeniti totius creaturæ, in quo sunt iusticiæ, temperantię, fortitudinis, sapientiæ, pietatis, cæterarúmque virtutum exempla. hæ sunt statuę deo dicatæ in animis iusticiam iuxta præceptū Dei, & fortitudinē & pietatē reliquásque virtutes exercentiū, quibus decēter honorari credimus omnium huiusmodi statuarū archetypum primum, imaginē inuisibilis Dei Deum vnigenitū. F quin & hi qui exuti veterē hominē cū operib. eius, induti sunt nouum qui renouatur in agnitionē iuxta sui cōditoris imaginem, recepta hac imagine simulacra in seipsis faciūt qualibus delectatur deus optimus maximus. Et quēadmodum inter simulacrorū artifices quorundā vsque ad miraculū excellunt opera, vt verbi gratia Phidiæ aut Polycleti, aut inter pictores Zeuxis & Apellis, aliorum minus bona sunt, ac rursus aliorū deteriora, in summa plurimū interest inter apparatū statuarū & imaginum: ad eundem modum sunt qui faciant simulacra dei rerū omniū domini egregia per absolutissimam scientiā, ad quę collatus nullius pretij videri possit Phidiæ Iupiter Olympius, si spectes pulchre repræsentatam Dei conditoris imaginem: sed in tota creatura nemini hoc contigit fœlicius & excellentius quàm Seruatori nostro cuius vox est hæc: Pater in me est. vnusquisque tamen qui eam imitatur pro viribus, simulacrū est *Ioan. 14.* iuxta conditoris imaginem, quòd absoluitur dum quis imitatur eum puro corde intuens. In summa, omnes Christiani conantur dedicare aras & statuas quales diximus, nō sensu & anima vacuas, nec lurconibus dęmonibus animarum seductoribus infestas, sed Dei spiritu inhabitatas, propter virtutes quas diximus & conditoris imaginem agnoscente suum domicilium. sic etiā Christi spiritus insidet

G suis vt ita loquar conformibus. id quod docere volens sa-
cra scriptura facit deum iustis pollicentem hoc modo: In-
Leuit. 26 habitabo in ipsis & inambulabo, eróque illorum domi-
Ioan. 14. nus. & ipsi fient meus populus: Seruatorem vero iis dicen-
tem: Siquis verba mea audierit & fecerit ea, ego & pater
veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.
Conferat igitur qui vult aras quales diximus cum Celsi a-
ris, & statuas in animis piorum Deo dicatas cum statuis
Phidiæ ac Polycleti similiúmq;, & bene sciet has quidem
inanimas esse obnoxiásque temporum & tempestatum in-
iuriis, illas vero sitas in immortali anima mansuras quam
diu mens voluerit & ratio. Quodsi etiam templa templis
conferenda sunt, vt discant Celsi fautores, non obstare nos
quominus templa condantur conuenientia iam dictis aris
& statuis, cauere tamen ne omnis vitæ largitori templa
struamus exanima: audiat qui vult nostram doctrinam,
quòd corpora nostra templum Dei sunt, & quòd si quis
per intemperantiam aut per peccatum aliud corrumpit
templum dei, is peribit vt in verum templum vere impius.
omnium autem huius generis templorum longe præstan-
tissimum erat sacrum illud & puru corpus seruatoris no-
stri Iesu: qui sciens posse quidem ab initiis insidias strui té-
plo quod in se erat, hanc tamen sceleratam voluntatem in-
sidiatorum non præualituram contra ædificatricem eius
Ioan. 2. templi deitatem, ait ad ipsos: Soluite templum hoc, & ego
H intra triduum excitabo illud. hoc autem dicebat de tem-
plo sui corporis. quin & aliàs quoque sacra scriptura de re-
surrectione docens mystice eos qui verbum Dei possunt
audire pro dignitate, prædicit eis fore vt instaurentur ex
viuis lapidibus pretiosissimis, subindicans quòd vnusquis-
que conspirantium in veram pietatem per verbum Dei,
lapis est pretiosus insertus structuræ templi Dei: quemad-
modum Petrus dicit: Vos autem ædificati estis lapides viui,
& domus spiritualis in sacerdotium sanctum, offerre spiri-
tuales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum. Et
1. Pet. 2. Paulus: Ædificati super fundamentum apostolorum & pro-
phetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu do-
mino nostro. huc pertinet etiam illud Esaiæ oraculum my-
Ephes. 2. sticum, alloquentis cœlestem illam Hierusalem in hác sen-
Esa. 14. tentiam: Præparo tibi carbunculum lapidem tuum, & fun-
Esa. 54. damenta tua Saphirum & propugnacula tua iaspidem, &
portas tuas lapides Crystallinos, & mœnia tua lapides le-
ctissimos, & omnes filios tuos à deo doctos: & in multa pa-
ce filij tui, & ędificaberis in iustitia. Sunt igitur quidam iu-
storum lapis carbunculus, alij saphirus, alij iaspis, alij cry-
stallus, & sic omne genus electorú pretiosorúmque lapidú
iusti sunt. porrò quomodo intelligendi sint hi lapides eo-
rúmque natura, & ad quales animas referri possit pretiosi
lapidis appellatio, non est pręsentis téporis disputatio: tá-
tummodo erat opus admonere paucis, quid sibi velint apud
nos templa, & quodnam sit illud vobiscum Dei templum
I constructú é pretiosis lapidibus. Sicut enim fit de istis vul-
garibus templis prophanis, vt suum quæque ciuitas iactet a-
pud alias, & vehementer sibi placeat si contingat habere
pręstátius, velut argués aliorum populorum hac parte ne-
gligentiam qui se superati fuerint: sic obiicientibus nobis
quòd non colamus numen in templis sensu carétibus nos
vicissim nostra templa ostentamus: & docemus eos, modo
non ipsi quoque more suorum deorum sensu careát, quod
nullo pacto conferri debeant vel nostra simulacra cum si-
mulacris gétium, vel altaria nostra suffitúsque cú ipsorum
cruétis aris & nidoribus: ac ne templa quidem nobis pro-
bata, cum sensu carentibus templis insensatorum hominú,
quibus ne in mentem quidem venit quid sentiédum sit de
deo, & de eius statuis, templis, altaribus. Itaque non vt oc-
culti fœderis fidem sanciamus hac ceu tessera, abhorremus
à dicandis aris, templis, statuis, sed quia per Iesu doctrinam
inuenta vera pietate vitamus fucatas istas religiones, quæ
impios faciunt quotquot aberrant à religione Iesu Chri-
sti, qui solus est via pietatis, veréque dixit. Ego sum via, &
veritas, & vita. Videamus iam quid deinceps Celsus loqua-
tur de deo, adhortans nos reuera quidem ad idolorum po-
tius dęmonú sacrificia: vt autem ipse, quid vere sacrú quid
ve sacrificium sit ignarus, appellat, ad Deo sacratas epulas. K
verba eius sunt hæc. Certe Deus omnibus communis est,
bonus, nullius indigus, inuidens nemini. quid igitur vetat
sacratissimum quemque cum aliis frui festo publico? Ne-
scio quid imaginatus putat consequens esse, vt quoniam
Deus bonus est, nullius indigus, inuidens nemini, sacrati
ei fruantur cum aliis festo publico: quod concederem, si
demóstrasset publica festa non habere quicquam erroneú,
essetque instituta religionis ac pietatis gratia. Quodsi nul-
la est ratio, cur publica ista nomine tantum festa conue-
nientia diuino cultui videri debeant; sed deprehenduntur
figmenta esse inducta ad humanarum historiarum memo-
riam, aut ad quasdam aquæ, terræ, frugúmque eius physio-
logias: euidens est recte ac ratione facere quibuscunque
cordi est exquisita pietas, si fruátur festis publicis. Festum
enim, vt quidam Græcorum sapiés pulcre dixit, nihil aliud
est quam officium facere: & vere festum celebrat, quisquis
facit quod debet, semper vacans precibus, continenter in-
cruentas victimas offerens Deo suis precationibus. Vnde *Gal.* 14.
generose mihi videtur dictum in paulinis epistolis, Dies
obseruatis, & menses, & tempora, & annos: vereor ne fru-
stra in vobis laborauerim. Quodsi quis nobis ex aduerso
regerat nostras dominicas, parasceuásque, aut pascha &
pentecosten, recurrentes solenniter: respondendum est &
ad hoc quod qui perfectus est rationi, operibus, cogitatio- L
nibus perpetuò hærens Deo verbo, naturali nostro domi-
no, semper agit dies domini, & nunquam non habet diem
dominicam. Sic & qui semper parat seipsum ad veram vi-
tam abstinens à mundanis voluptatibus multos seducen-
tibus, nec alens carnis ferociam, sed suggillás corpus suum
& in seruitutem redigens, semper agit parasceuas. quis-
quis item cogitat pascha nostrum immolatum esse Chri-
stum, celebrandúmque hoc festum edendo carnem ver-
bi, nunquam non pascha facit quod interpretatur ac si di-
cas Transitoria, transiens semper ratione omníque cogi-
tatione atque actione ad deum à negotiis secularibus, &
ad ciuitatem eius festinans. Insuper quicunque potest
vere dicere, Simul resurreximus cum Christo, & illud, si- *Col.* 2.
mul nos resuscitauit & considere nos fecit in supercœle-
stibus in Christo: semper habet dies pentecostes, præser-
tim quando in cœnaculum ascendens cum Iesu apostolis
vacat precibus & orationibus, vt dignus fiat illo vehe-
menti spiritu cœlesti, qui vehementia sua tollit ex homi-
nibus maliciam eiusque opera, simúlque à Deo partem a-
liquam ignearum linguarum accipiat. vulgus autem eorú
qui credentes videntur magis quam sunt, qui vel non po-
test vel non vult quotidie festum agere, opus habet vt con-
tineatur talibus sensibilibus admonitionibus, ne omnino
dilabatur ab officio. Hæc, vt opinor, cogitans Paulus par-
tem diei festi nominauit festum statis diebus recurrens,
collatum ad festum illud aliud. subindicat autem his ver- M
bis, integrum & perpetuum festum esse in vita æterna, si-
cut sacra scriptura docet. Confer nunc etiam hæc quæ
diximus cum Celsi festis & gentium, & vide an non lon-
ge potiora sint hæc nostra quam illa publica, in quibus su-
perbia carnis feriatur lasciuitque indulgens petulanter e-
brietatibus ac libidinibus. Prolixum autem esset hoc tem-
pore dicere, cur institutum sit in diuinæ legis festis panem
afflictionis edere, siue azyma cum lactucis agrestibus: aut
illud quod dicitur, Humiliate animas vestras, aliúdve si-
mile. Impossibile est enim vt homo, cum sit compositus,
& caro concupiscat aduersus spiritum, spiritus aduersus
carnem, totus festum celebret: aut enim spiritu festum a-
gés aliquis corpus suum affligit, quod propter superbiam
carnis non est natum ad festum celebrandum cum spiritu:
aut iuxta carnem feriatus non est capax festi spiritualis.
Hæc de festis in præsens dixisse sufficiat, videamus iam
quibus verbis Celsus conetur nobis persuadere ne absti-
neamus ab idolothytis, & publicorum festorum victimis.
Si idola, inquit, nihil sunt, quid molesti est frui simul e-
pulis? quod si sunt dæmones quidam, dubio procul & hi
Dei sunt, quibus & credendum est, & litandum iuxta le-
ges, preces quoque offerendæ sunt vt velint esse propitij.
Hic

A Hic operæpretium fuerit in manus sumere totum eum lo-
1.Cor. 8. cum qui est in epistola Paulina prima, quam scripsit ad Corinthios, cúmque interpretari, vbi occurrens his qui aiunt nihil esse in rerum natura idolum, docet quàm noxium sit vesci idolothytis, demonstrans his qui capaces sunt, peccatum hoc grauius esse homicidio, dum non temperans sibi ab idolothitis perdit fratrem pro quo Christus est mortuus: vbi etiam præsupponens dæmonibus sacrificari eas victimas docet quòd participes earum communicent cum dæmonibus, & impossibile esse vt idem participet mensæ dęmoniorum. Sed quia res hæc opus habet integro volumine, si hic epistolæ ad Corinthios locus tractetur pluribus, cótenti erimus paucis, ex quibus examinãti parebit, quòd etiãsi nihil sint idola, tamẽ graue piaculum sit eorum interesse epulo. Iam certè differuimus mediocriter, quòd etiamsi sunt dęmones quibus sacrificantur victimæ, non debeamus eorum sacrorum fieri participes, cùm sciamus differentiam inter mensam domini & mensam dæmoniorum, & hoc scientes nihil non faciamus, vt semper participantes mensę domini, modis omnib. caueamus à communicatione mensæ dæmonum. Quoniam autem Celsus modò dixit, etiam dæmonas esse dei, ideóque credendum eis & litandum legitimè, orandósque vt velint esse propitij, discant etiam de hoc qui cupiunt, morem esse sacrarum scripturarum vt nihil malorum appel-
B lent dei possessionem, vt quæ haudquaquam habeantur digna tanto domino. Quapropter ne homines quidem omnes vocantur homines dei, sed soli qui deo digni sint, qualis erat Moses & Helias, & si quis alius homo dei scribitur, aut similis est his de quibus scribitur. Itidem non omnes angeli dicuntur angeli dei, sed soli beati: cæterum qui conuersi sunt ad maliciam, nominantur angeli diaboli: quemadmodum mali homines, homines peccati aut filij, pestes, aut iniusticiæ filij. Quoniam igitur & homines quum sint partim boni, partim mali, alij dei dicuntur esse, alij diaboli, & angeli alij dei, alij mali illius, dæmones autem non ita sunt duplices, omnes enim malos esse demonstratur: ideo dicemus falsum esse Celsi sermonem dicentis: quodsi sunt dęmones quidam, dubio procul & hi dei sunt, aut demonstret qui volet, non esse sanam distinctionem nostram de hominibus & angelis, vel eodem modo posse inueniri discrimen inter dæmonas. id si est impossibile, liquet non esse dei dæmonas, princeps enim eorum non deus est, sed, vt sacra scriptura testatur, Beelzebud. Neque credendum est dæmonibus, etiamsi Celsus nos huc hortetur, sed moriendum citius, & nihil non perferendum fortiter, perstando in fide dei. Sic nec litandum est dæmonibus, ac ne potest quidem eis litari, quum sint mali & hominibus noxij. Iam iuxta quas leges vult nos litare Celsus
C dæmonibus? nam si iuxta receptas in ciuitatibus, doceat consonare has cum diuinis legibus. Id si non potest, quandoquidem nec inter se ciuiles leges hîc consentiunt, liquet quòd ne leges quidem propriè sunt, quum malæ sint, ac proinde his non esse obtemperandum. Obediendum enim est magis deo quàm hominibus. Apage hoc Celsi consilium iubentis adorari dæmonas, qui ne tantillum quidem audiendus est. Solus enim adorandus est deus optimus maximus, soli preces offerendę vnigenito dei verbo, primogenito creaturæ totius, qui vt pontifex eas ad deum suum & deum nostrum perferat, & patrem suum atque omnium iuxta verbum eius viuentium. Et quemadmodum non optaremus nobis fauorem hominum ad malos suos mores pertrahere nos volentium, si nemini beneuoli essent ex factione sibi aduersaria: quia horum beneuolentia facit nos inimicos deo, fortasse non futuro beneuolo habentibus tales beneuolos: ita qui norunt dæmonum naturam, voluntatem, maliciam, nunquam sibi obtabunt eorum beneuolentiam. nam etiamsi eis non bene velint dæmones, nullo tamen malo possunt afficere custodiros propter pietatem à deo suo & omnium domino, angelos suos ad pręsidium eorum qui digni sunt ne lędantur a dæmonibus. quisquis autem habet dominum deum propitium propter suam erga illum pietatem, & propter consilij magni angelum dei receptum Iesum dominum,
D contentus dei per Iesum Christum fauore potest dicere fidenter, vt nihil passurus vel ab vniuerso dæmonum exercitu, Dominus illuminatio mea & seruator meus, quem timebo? dominus protector meæ vitæ, à quo formidabo? dicet etiam illud: Si tota castra cõtra me aciem struxerint, Psal. 27.
non timebit cor meum. Hactenus ad Celsi verba dicentis: quodsi sunt dęmones quidam, dubio procul & hi dei sunt, quibus & credẽdum est & litandũ iuxta leges: preces quoque offerendæ sunt vt velint esse propitij. Aggrediamur iam quæ deinceps sequuntur, & examinemus pro viribus: ea sic habent: Certè si qua patria consuetudo arcet hos à sacrificatis, debuerant in vniuersum abstinere esu animantium, vt Pythagoræ visum est, animam honorantis & eius instrumenta. Sin causa est quam afferunt, ne epulentur cum dæmonibus, macti sapientia qui nunc demum intelligunt epulari se cum eis, & tunc tantummodo sibi cauent quum videntur cæli victimam. cæterum cùm fruges edunt, vinum bibunt, gustántque fructus arborum, cùm aqua ipsóque fruuntur aere, ánnon hæc singula ab aliquo dæmonum accipiunt, quibus rerum harum cura distributa est? Nescio quomodo hic putauit necessario consequi vt abstineant ab esu omnium animalium qui ex instituto patrio sibi a sacrificatis temperant. non tamen negamus etiam sacram scripturam commonstrare talia, quo securius viuatur & purius, quando Apostolus inquit, Bonum est
E non manducare carnem, & non bibere vinum in quo frater tuus offenditur. & rursum, Ne perdas tuo cibo Rom. 14.
illum pro quo Christus mortuus est, & rursum: Si meo cibo frater offenditur, potius in æternum abstinebo ab esu carnium, quàm meo fratri sim offendiculo. Sciendum tamen quòd quum Iudæi putarent se Mosis legem intelligere, ac proinde lege concessis cibis vt puris vterentur, cauerent a reliquis vt impuris, itémque ab esu sanguinis animalium & carnium occisæ à fera pecudis, aliorumque de quibus non est tempus nunc disquirere: Iesus magister volens ad purum dei cultum vocare omnes homines, nequis propter cibos lege vetitos, grauatim reciperet religionem Christianam corrigendis moribus vtilissimam, pronũciauit non ea hominem inquinare quæ os intrant, sed quæ ex ore prodeunt. nam quicquid, inquit, in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur: quæ autem procedunt ex ore, de corde exeunt, & ea sunt quæ inquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, scortationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Paulus quoque ait: Cibus non commendat nos deo: nec enim si non manducabimus deficiemus, nec si manducauerimus abundabimus. Deinde quoniam hæc non 1.Cor. 8.
carent obscuritate nisi discernantur clarius, visum est Iesu apostolis, & collectis apud Antiochiam ea de causa presbyteris, & sancto, vt ipsi vocant, spiritui, scribere his qui ex
F gentibus crediderant epistolam, quæ necessariam tantum abstinentiam profiteretur se indicere, videlicet ab idolothytis, suffocato, & sanguine. nam idolothyta sacrificantur dæmonibus, nec debet homo dei particeps fieri mensæ dæmonum. Suffocata autem nobis interdicitur, quia sanguis ex eis non est excretus, cuius exhalatione aiunt pasci dæmonas, ne vescamur cibo dæmonum, & ne fortè simul nobiscum edant dæmones, si suffocatum edamus. quod autem de suffocato dictum est, satis indicat cur abstineatur à sanguine. Nec alienum hoc loco fuerit meminisse pulchræ sententiæ, quæ apud Sextum legitur multis Christianorum celebrata. ea sic habet. Esus animatorum est quidem indifferens, abstinere tamen præstat, videtúrque magis rationi consentaneum. Itaque non temerè abstinemus ab his quæ sacrificantur diis vulgo creditis aut heroibus aut dæmonibus, sed multis permoti rationibus, quarum partem iam exposuimus. Sed non ita est abstinendum ab esu omnium animantium, sicut à malicia vel eius operibus: imò non ab animantium tantum esu, verumetiam cuiuscunque rei debemus abstinere, si absque peccato non licet edere. non est enim edendum in hoc vt gulæ indulgeamus illecti cupedus, sed vt corpus curemus sanitatis

G gratia: quamuis procul absimus ab opinione de anima mutante corpora corporibus, & prolapsa vsque in brutas pecudes: ne ritu Pythagoreorū abstineamus à carnibus parcentes animalibus. Solas enim rationales animas honorare nouimus, & earum instrumenta solenni sepulturæ honore dignamur. meretur enim rationalis animæ domicilium non proijci temerè sicut brutorum cadauera, præsertim quod fuit animæ bene ac sanctè instrumento suo in certaminibus vsæ receptaculum. Cæterum quomodo mortui resurgant, & quo corpore veniant, superius paucis prout tractatus postulabat, docuimus. Mox Celsus adducit vulgatam illam & Christianis cum Iudæis communē responsionem, ideo abstinere ab idolothytis, ne deo sacrati epulentur cum dæmonibus, quam refellere conatur. Nos certè quantum ad cibum ac potum attinet, nescimus alium modum vescendi cum dæmonibus quàm siquis in turba edat victimarum exta, & bibat vinum libatum dæmoniis. Celsus verò putat vesci cum dæmonibus etiam eos qui fruuntur frugibus, & quodcunque vinum bibunt, gustántque fructus arborum: vel siquis aquam solam sumpsit, hunc quoque bibēdo participare cum dæmonibus: addítque & aerem quem respiramus habere nos dæmonū quorundā beneficio, qui præsint auris vitalibus. Sumat sibi qui vult Celsi patrociniū affirmātis talia, declarétq; quòd non angeli dei, sed dæmones quorū omne genus viciorum est, dispensationem rerum modò dictarū commissam ha-
H beant. Fatemur enim etiam nos non absque præsidio inuisibilium (vt ita loquar) agricolarum ac dispensatorum aliorum, non solum terræ fruges præberi nobis, verumetiā fluenta aquarum omnium: ipsis curantibus terras, aquas, aerem proferre in miniotis vitæ vsum alimenta, fontes scatere vnde vndis vltrò nascētibus, & aere culta rigari tempestiuis imbribus, eundémque per spiracula reciprocatum vitam refrigerando conseruare: negamus tamen potestates illas inuisibiles esse dæmonas: sed si verum proferendum est liberè quænam sint horum opera, dicemus fames & sterilitates vinetorum ac arborum, siccitatésque nimias lædendis frugibus, interdum etiam pestilentiam sæuientem tum in bruta, tum in homines. hęc omnia dęmonum opera sunt ceu carnificum, indicio quodam diuino potestatem hanc habentium certis temporibus, siue ad conuertendos homines & cohibendos ab effusa viciorum licentia, siue ad exercendum genus hominum ratione vtētium, vt mediis in aduersitatibus pietatem constanter colentes & à virtute non discedentes, conspicui fiant ob pręstantiam spectatoribus visibilibus & inuisibilibus: illi verò contrarij quærentes vitiorum latebras per calamitates arguantur quales sint, & ad se redeant per spectatores (vt ita dicam) ii adducti. Testatur diuinorū hymnorum fidicen quòd tristiores dei iudicis sentētias exequātur quidā mali
I angeli, vbi dicit: Immisit in eos irā furoris sui immissiones per angelos malos. An autē etiā alia præter hæc faciāt dæmones quād opermittuntur, semper quidē nocēdi cupidi, sed non semper valētes lædere eò q prohibeantur, qui potest examinet, diuina iudicia quantū homini licet imaginans, quoties multæ simul animæ illa vel illa via delatæ ad mortem separantur à corporibus. Magna sunt enim dei iudicia, & propter sui magnitudinem non capiuntur mente vincta etiamnum mortali corpore, ac proinde nec enarrari possunt. imperitæ verò animæ ne è longinquo quidem hæc inspiciunt. quapropter quidam per temerariam ignorantiam deo rerum administrationem adimūt, eóque prolabuntur impietatis, vt tollant prouidentiam. Itaque non à dæmonibus accipimus singula victui necessaria, præsertim qui eis decenter vti didicimus: neque cum dæmonibus epulantur qui fruuntur frugibus, vino, arborum fructibus, aquis, aere: sed potius hæc angelis dei ferimus accepta, qui quodammodo inuitantur, intra hominis pij domesticos parietes, præceptum illud tenentis, Siue editis,
1. Tim. 4. siue bibitis, omnia in gloriam dei facite. dum igitur in gloriam dei edimus, bibimus, spiramus, & cætera eadem ratione facimus, non epulamur cum vllo dæmone, sed cum angelis dei. non enim decuisset, nec licuisset has res conse-
crari, si commissæ essent curæ dæmonum. Vnde liquet iam K responsum etiā ad ea quæ deinceps consequuntur in hunc modum: Ergo aut nullo modo vsquam viuendum est, nec in hanc vitam veniendum: aut, quoniam hac conditione in vitam ventum est, gratiæ sunt agendæ dæmonibus rerum terrenarum præfecturas sortitis, eísque preces offerendæ & primitiæ quoad viuimus, vt ipsos habeamus pręsentes ac propitios. Imò sic viuendum est vt vita instituatur iuxta diuina præcepta quoad potest fieri, & quoad nobis donatur. donatur autem si edendo, bibendo, omnia denique faciamus in dei gloriam. nec sunt aspernanda nobis conditoris munera, sed vtendum eis cum gratiarum actione. Hac enim conditione in vitam venimus, non qua Celsus existimat. nec subsumus dæmonibus, sed deo vniuersorum domino, conciliati ei per Iesum Christum & per legem dei. Nullus dæmon rerum terrenarum præfecturam Gen. 1. sortitus est, sed propter suam maliciam ad ima deturbatis loca quædam assignata sunt, vel in solitudinibus vbi nulla dei piæque vitæ cognitio, sed aliena à cultu eius omnia, vel apud gentes impias & dignas tam diris præsidibus, vt quæ contempto deo malunt seruire suis viciis. Quapropter Celsus quoque deum nesciens vota persoluat dæmonibus. Nos qui rerum omnium conditori placere studemus, cum precibus & gratiarum pro beneficiis acceptis actione oblatos panes edimus, corpus iam per precationē factos sanctum quoddam & sanctificans vtentes eo cum L sano proposito. Celsus verò etiam primitias vult nos dicare dæmoniis. at nos malumus hunc honorem habere illi qui dixit: Germinet terra herbam virentem afferentem semen iuxta genus suum & similitudinem suam, & lignum fructiferum faciens fructum, cuius semen in ipso secundū genus suum in terra. Cui autem primitias offerimus, ad eundem etiam vota precésque nostras dirigimus habentes pontificem magnum qui cœlos penetrauit Iesum ipsius dei filium: & hanc fidei professionem constanter retinemus quandiu viuimus, benignitate dei, filiíque illius qui manifestatus est inter nos. Quod si multorum etiam fauor captandus est, discimus in nostris literis quòd milia millium assistebant ei, & myriades myriadum ministrabant ei: quæ multitudo quum videt homines suam erga deum pietatem imitantes, adiuuat eos contendentes ad salutem & deum inuocantes, interdum apparendo precantibus, non indignam rem cēsens si eis ministret, magnáque alacritate ac consensu prompta ad gratificādum cœlestis numinis inuocatoribus, cui & ipsa preces offerre non desinit. Omnes enim hi sunt ministeriales spiritus, vltro citróque missitari soliti, vt eorum ministerio prouehantur ad salutem qui saluandi sunt. Affirmant licet Græcorum Matth. 18 sapientes nascentium cuique suum dęmonem sorte quadā obtigere, nos Iesus docuit ne minimos quidē contemnen- Psal. 33. dos in ecclesia, dicens quòd angeli eorum semper aspiciāt M patrem ipsius qui in cœlis est. Propheta quoque dicit: Vallo cinget angelos domini timētes eum, & eripiet eos. Itaque ne nos quidem negamus multos esse in terra dæmonas, sed fatemur eos esse, posséque multum in malos propter eorum maliciam: sed nihil posse in eos qui se induerunt armatura dei, acceperúntque robur ad resistendū circūuenire se conāti diabolo, meditati huiusmodi certamina, vt qui sciunt non esse nobis luctam aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mūdi huius rectores, aduersus nequā spiritus huius aeris. Videamus porrò & aliud Celsi dictum tale: Nisi fortè Persarum Romanorúmue regis satrapa, aut pręses, aut dux, aut procurator, aut etiam minorem magistratum gerens aliquis minorémue curam ac ministerium, neglectus multum potest lædere: aerij verò terrestrésque satrapę ac ministri parū nocere possunt acceptis iniuriis. Vide quemadmodum hominum more satrapas summi dei & præsides & duces & procuratores, minorésque magistratus ac minora ministeria faciat grauiter sæuire in cōtumeliosos, non intelligens quòd ne vir quidem sapiens lædere quenquam cupiat multo pronior ad corrigendos proteruos etiam: nisi fortè Lycurgo Lacedæmoniorum legislato-

A latore & Ciriensi Zenone deteriores sunt isti Celsi Satrapæ & præsides ducésque Dei optimi maximi, quorum Lycurgus in potestatem suam tradito qui extruderat ipsi oculum, adeò non vltus est acceptam iniuriam tam grauem, vt non prius salubribus monitis hominem incantare desierit quam eum ad philosophandum induceret. Zeno autem inimico dicenti, Disperearn ni malum tibi dedero: retulit, & ego disperearn ni te mihi conciliauero. Tacen formatos ad Iesu disciplinam, quibus dictum est: Diligite inimicos vestros, orare pro deuouentibus vos, vt fiatis filij patris vestri cœlestis, qui solem suum oriri iubet super malos atque bonos, & pluit super iustos atque iniustos. In propheticis quoque oraculis iustus ita loquitur: Domine deus meus, si feci hoc, si est iniquitas in meis manibus: si retribui retribuentibus mihi mala, decidam ab inimicis meis inanis: persequatur inimicus animam meam & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam. Sed fallunt Celsos, veri satrapæ, præsides, duces, procuratorésque Dei angeli non lædunt contumeliosos homines: quos siqui lædunt, sunt ex numero malorum illorum quos etiam Celsus imaginatus est, qui nullam satrapiam procurationémve commissam habent à Deo. lædunt autem sibi obnoxios, qui se illis vltrò submiserunt tanquam dominis. Hoc est enim, opinor, cur certis in regionibus cibis vetitis vescentes si subditi sint iis dæmonibus non impunè ferunt. quod

Matth. 5. *Psal. 7.*

B si alienus idem faciat, qui se non subiecit eorum dominio, immunis est à piaculo, iubés flere illos dæmonas. Vt enim cæteri, per ignorantiam eis deuoti, obnoxij sint eorum iniuriis, certè Christianus qui verè Christianus est, dicatus vni Deo verbóque ipsius, non potest lædi à dæmonibus, vtpote illis præstantior. non læditur autem, quia circumuallabit angelus Domini circunquaque timentes eum, & eripiet eos: & angelus eius perpetuò faciem cœlestis patris aspiciens, semper preces eius in cœlum offert per vnicum pôtificem summo Deo, ipse quoque pro sibi commisso deprecans. Proinde Celsus ista terriculamenta auferat minitans malum à dæmonibus quos nos contênimus. nihil enim nobis contempti dæmones possunt officere, cû dicati simus ei qui vnus succurrere potest dignis omnibus, nihilominus tutores pius addens suos angelos: vt nec contrarij angeli, nec eôrum princeps qui & huius seculi princeps dicitur, quicquam valeat contra Deo deuotos homines. Deinde oblitus cum Christianis se agere soli Deo per Iesum preces offerentibus, admiscet aliena temerè cû cebus Christianorum confundens & dicens: Quos si barbaricis nominibus quis appellet virtutem habebunt: sin Græcis aut Romanis, non item. Quem enim nos inuocamus nomine barbaro? Quare persuasum sit omnibus, Celsum hæc nobis obiicere immeritus: sciánique quòd germanè Christiani ne vsitaris quidem in sacra scriptura

C Dei nominibus vtantur inter precandum, sed Græci Græcis, Romani Romanis, singulíque precentur propria lingua, deúmque celebrent pro viribus: & omnium linguarû dominus omnibus linguis precantes exaudit, tam variè loquentes haud secus quam consonos (vt ita dicam) & vnius vocis homines intelligens. Non est enim Deus maximus vnus eorum qui certam aliquam linguam sortiti sunt siue Græcam siue Barbaram, cæterarum ignari, nec solliciti de alienæ linguæ hominibus. Post hæc deinceps quod aut ex nemine Christiano audiuit, aut ex vulgari quopiã malo & indocto, ait Christianos dicere: Ecce accedens ad statuã Iouis aut Apollinis aut cuiuscunque Dei, conuicior ei colaphosque incutio, nec tamen vlciscitur: non videns in diuinis legibus hoc quoque mandatum, Diis non maledices ne os nostrum assuescat cuicunque maledicere: quibus dictum est: Bene precamini, & nolite maledicere: & qui didicimus quòd maledici regnum Dei non hæreditabunt. Quis est autem inter nos adeò stultus vt hæc dicat, nec videat, nihil talia valere ad tollendam opinionem de diis vulgo creditis? quandoquidem nonnulli prorsus tollentes numen ac prouidentiam, & quidam pro philosophis habiti dogmatum impiorum autores, nec ipsi passi sunt quicquam eorum quæ vulgus mala existimat, nec ij qui amplexi sunt illorum sententiam, sed fruûtur sanitate ac diuitiis:

Exod. 22 *Rom. 12* *1. Cor. 6.*

D siquis tamen diligentius disquirat, apparebunt tam mulctati quàm maximè. nam quæ grauior calamitas, quam nô intelligere conditorem ex hoc mundi ordine? quæ maior miseria quàm cæcatos habere mentis oculos, nec videre creatorem ac patrem omnium mentium? Talibus verbis nobis afflictis per calumniam, quum Christiani non soleant dicere talia, putat se nactum defensionem opinione sua seriam, nostra verò ludicram, ad nos sermonem vertens in hunc modum: Non vides igitur bone vir, quòd etiam tuo dęmoni opponens se quispiam non solùm conuiciatur, sed terra marique illum exigit, & te sacratam ei statuam vinctum in crucem agit, non succurrente tuo dęmone quem ais Dei filiû? Hæc responsio locum haberet, si vteremur verbis qualia nobis tribuit, ne sic quidem verû dicens dum dæmona vocat Dei filium. nos enim qui didicimus malos esse omnes dæmonas, negamus dæmonẽ qui tam multos conuertit ad Deum, sed Dei verbum & Dei filium esse dicimus. Celsus verò, qui nullos scit malos dæmonas, nescio quomodo sui oblitus Iesum vocauit dæmonem. Sed manet sua pœna impios, qui contemptis quæ offerebâmus remediis perstant in malicia (vt ita loquar) immedicabili. nos tamen per doctrinam de futuro supplicio

E multos à peccando retrahimus. quid autem apud Celsum sacerdos sen Apollinis seu Iouis super hoc respondeat côsideremus. Sero, inquit, molunt Deorum molæ, & in natos natorum & qui nascentur ab illis. Vide quanto potius sit nostrum illud: Non morientur patres pro filiis, neque filij morientur pro parentibus. quisque suo peccato morietur. Item illud, Qui ederit vnam acerbam, ipsius dêtes obstupescent. Item illud: Filius non portabit iniquitatẽ patris, & pater non portabit iniquitatem filij: & iustitia iusti erit super ipsû, sicut iniquitas iniqui erit super ipsum. Quod si quis dixerit simile esse istud, in natos natorum, & qui nascentur ab illis, nostro huic, Qui reddit peccata patrum in filios ad secundam & tertiam generationem qui se oderint: discat quòd apud Ezechielem parabola hæc esse dicitur, reprehendentem eos qui dicunt, Patres ederût vuam acerbam, & obstupuerunt dentes filiorum: quod dictum mox illud subsequitur, Viuo ego dicit Dominus, nisi quisque suo peccato morietur. non est autem huius temporis enarrare quid significet hæc de peccatis tertia quartáque generatione reddendis parabola. Tandem anicularum more conuiciatur. Tu simulacra horum irrides cum conuiciis, qui si præsenti Libero aut Herculi conuicium fecisses, fortasse lætus non discederes: tuû verò Deû præsentem qui distenderunt & cruciauerût, nihil mali passi sunt, ac ne pòst quidem tot ætatibus quicquam circa eos nouatum videmus: sicut nemo eo melius habuit. quòd crederet hûc non magum fuisse, sed Dei filium. Ergo qui cum

Ezech. 18. *Hier. 31.*

F mandatis miserat filium, permisit eum tam crudeliter vnà cum suis mandatis perire, & tot iam secolis rem dissimulat? quis pater est tam impius? Dices illum passum, quia sic voluit. Possem dicere hos quoque, quos tu blasphemiis lacessis, ferre quia sic libet. nam par pari côferre fuerit optimum. sed vindicant profectò in côuiciatores quos fugientes latitantésque protrahunt ad supplicium. Ad hęc quoque dicerem, nos conuiciari nemini, doctos quòd maledici regnum Dei non hæreditabunt: qui etiam illud legimus: Bene precamini deuouentibus vos, bene precamini & nolite execrari: scientes apostoli vocẽ esse: dum malè audimus bene loquimur. quodsi ne regerere quidẽ conuicium disciplina Christiana permittit, quanto stultius est conuiciari vbi non oportet. Perinde est autem, siue lapidi conuicieris, siue auro & argento formato in effigiem nihil habentem Deo simile. itaque ne deridemus quidem statuas inanimas, sed istos qui ante illas venerabundi procidunt. Imò vt iam insint his simulacris dedicatis dæmones, & aliud habeatur pro Libero, aliud pro Hercule, ne in hos quidem iaculamur conuicia. vanum enim id fuerit, nec animæ mihi pacatæ, tranquillæ conueniens, quæ didicit ne malis quidem conuiciandum vel hominibus vel dęmonibus. Nescio porrò quomodo Celsus imprudens rò

G prolapsus sit, vt quos paulo antè celebrauit diuinis laudi-
bus vel deos vel dæmonas, nunc ipsis factis ostendat esse
pessimos, & vindictæ libidine sæuientes magis quàm cor-
rigendi studio, siquis conuicium eis fecerit. ait enim: Si Li-
berum ipsum aut Herculem præsentem lacesseres côuicio,
fortasse non lætus discederes. Cæterum quomodo absens
audiat, doceat qui vult: & cur nunc adsint nûc absint dæ-
mones, tum ob quæ negotia vltrò citróque commeent.
Deinceps autem putans nos corpus Iesu extensum & cru-
ciatum, non deitatem eius, dicere dei filium, & inquantum
extendebatur ac cruciabatur deum credere: tum verò, in-
quit, deum præsentem qui distenderunt & cruciauerunt
nihil mali passi sunt. Qua de re quoniam superius diximus
multa, nunc data opera locum hunc silentio præteribi-
bus, ne videamur iisdem iterum atque iterum repetendis
obtundere. Quoniam autem ait ne postea quidem per tot
secula pœnas luisse quenquam ex Iesu cruciatoribus, de-
clarabimus ipsi & omnibus qui volunt discere, vrbem il-
lam in qua populus Iudæorum Iesum depoposcit ad sup-
pliciû crucifige crucifige clamitans, latronem autem pro-
pter seditionem & homicidium in carcerê coniectum di-
mitti maluit quàm Iesum accusatum per inuidiam, non ita
multo pòst bello petita, diuturnámque oppugnationê per
pessa, vsqueadeò vastata est, vt deleretur funditus & deso-
laretur, deo iudicante locum ipsum indignum, qui habita-
retur ab hominibus, & sic quoque consulente iis quos vi-
debat irremediabiles, quotidiéque proficiêtes in deterius,
H donec dederentur hostibus ad suppliciû. hæc omnia facta
sunt propter effusum Iesu sanguinê in ea terra ipsorû insi-
diis, quæ tantum scelus ferre amplius nô poterat, in Iesum
perpetratum ab impiis. Itaque passionem eius magnæ rerû
nouationes secutæ sunt, vna hæc quæ vrbi Iudæorum, al-
tera quæ vniuersæ gêti accidit: in cuius locum noua Chri-
stianorum gens subitò exorta successit, velut vno partu e-
dita. Nouum & hoc, quòd alieni à testamentis dei promis-
sionibúsque, & à veritate procul dissiti, receperunt eam
per diuinam potentiã. Hæc certè nô hominis magi, sed dei
fuerunt opera, qui cum mâdatis verbum suum in Iesu mi-
serat. Sed quamuis ille à crudelibus accusatus iniustè dam-
natúsque supplicium inaudita mansuetudine pertulit, non
perierunt tamen mâdata quæ diuinitus attulerat propter
mortem eius, imò quod miteris tanto magis peruenerunt
Ioan. 12. in notitiam hominum sicut ipse Iesus testatur dicens: Si
granum frumenti delapsum in terram nô moriatur, ipsum
solum manet: sin autê mortuû fuerit, multû fructû affert.
Mortuum igitur frumenti granum Iesus multum fructum
attulit, & pater eius prospicit omnib omni seculo è mor-
te huius frugiferi grani prouenientibus. Itaque pius pater
est Iesu pater, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis
omnibus eum tradidit, agnum suum, vt peccatum mundi
tolleret. Agnus dei pro vniuerso mûdo mortuus, quapro-
pter non coactus, sed volens ac sciens pertulit quicquid in
I eum sibi permisit sceleratorum audacia. Posthęc Celsus ad
conuiciatores simulacrorum vertens sermonem, Possem,
inquit, dicere, hos quoque quos tu conuiciis lacessis, ferre
hoc quia sic libet. nam par pari conferre fuerit optimum.
sed vindicant profectò in conuiciatores, quos fugientes
latitantésque protrahunt ad supplicium. Ergo non in con-
uiciatores sæuiunt, sed in homines Christianos profligan-
tes se tum è simulacris, tum ex humanis animis ac corpori-
bus, vt vlciscantur acceptam iniuriam. Imprudens enim
Celsus verum dixit hoc loco. nam verum est refertas esse
malis dæmonibus animas vel damnantium Christianos
vel deserentium, omniumque quibus probatur Christia-
norum persecutio. Sed quoniam animæ occisorum pro-
pter Christianam pietatem gloriosè migrantes è corpori-
bus demoliebantur dæmonum potentiam, & frangebant
eorum insidias quas hominibus struere nunquàm desi-
nunt: hanc ob causam, opinor, experimento docti victos
se ac profligatos veritate martyrum, veriti sunt illos ag-
gredi denuò, & vindictam de ipsis ob damnum acceptum
sumere. atque ita vsque dum obliuiscantur anteactorum,
verisimile est non conturbaturos mundum aduersus pro-
fessores Christiani nominis. vbi verò vires recollegerint, K
& malicia excæcati rursus oppugnare Christianos voluerint,
rursus profligabuntur: & animæ piorum propter pietatem
exutæ corporibus delebunt mali dæmonis copias. Equidê
opinor dæmonas, vt qui sentiunt noxiam esse potentiæ
seu piorum victoriam, succumbentes autem in hoc certa-
mine fidémque abnegantes fieri obnoxios, interdum fa-
uere Christianis in iudicio, quòd torqueantur eorum cô-
fessione, negatione recreentur: cuius rei signum videre li-
cet in ipsis iudicibus quibus permolestum est dum spe-
ctant tolerantes cruciatus fortiter, contrà exultant gaudio
quoties Christianus victus est. non enim hoc humanitate
quadam quam præ se ferunt faciunt, manifestè videntes,
quod succumbentum iurata lingua est, animus iniuratus
est. Hactenus ad illa verba, Vindicant profectò in conui-
ciatores, dum fugientes latitantésque protrahunt ad sup-
plicium. Non metu tamen Christianus fugit etiamsi fu-
giat, sed seruans mandatû præceptoris sui, séque purû ad
aliorum vtilitatem custodiens. Nunc videamus quid dein-
ceps sequatur in hunc modum. Quid attinet recensere o-
racula tam multa partim prophetarum ac propheтidum,
partim aliorum afflatorum tum virorum tum mulierum,
fatidica voce canentium quæ hauserunt è deorum adytis?
quàm multa item è victimarum extis prædicta sint ea cô-
sulentibus? quàm multa aliis præmonstrata prodigiis? qui-
busdam etiam manifestæ se obtulerunt deorum species.
plena est omnis vita exemplis quàm multæ vrbes ex ora- L
culis sint conditæ, aut pestilentias famésque euaserint,
quam multæ malè perierint securæ oraculorum aut im-
memores, quam multæ horum monitu deductæ sint colo-
niæ, auctæque magnis felicitatibus, dum iussa non negli-
gunt. quam multi vel principes vel priuati bene maléue
rem gesserint his rationibus quàm multi ægreferêtes nul-
los se habere liberos voti sui facti sint compotes. quam
multi effugerint iram dæmonum, quam multi membris
mulctati sanitatem receperint pristinam. rursum quam
multi sacris violatis mulctati sint e vestigiò, alij mente ca-
pti, alij proferentes vltrò sua scelesta facinora, nonnulli il-
latis sibi manibus, nonnulli morbis correpti immedicabi-
libus. nec desunt exempla voce horrenda examinatorum
erumpente intimis ex adytis. Nescio quî fit vt Celsus hæc
tanquã confessa in mediû proferat, in nostras verò literas
relata miracula, siue Iudaica, siue de Iesu eiúsq; discipulis
prodita, habeat pro fabulis. quin potius nostra vera sunt,
quæ Celsus affert fictitia? quando ea non credunt etiam
Græcorum philosophi, præsertim qui sectantur Democri-
tum, Epicurum, Aristotelem, forsan credituri nostris au-
toribus si incidissent in Mosem, aut prophetarum alicuius
vel ipsius Iesu miracula. De Pythia certè fertur in historiis,
corruptam aliquando edidisse oracula. nostri autem vates
non solum suo seculo in magna fuerunt admiratione, ve- M
rumetiam apud posteros. ex illorum enim oraculis & vr-
bes sunt conditæ, & homines sanitati restituti, & sedatæ
pestilentiæ. Colonia quoque ex Ægypto in Palestinam o-
raculi monitu deducta est, vniuersus Iudęorum populus:
qui tantisper dum pręcepta dei seruaret, floruit, lapsus ve-
rò pœnituit. Quid memorem quam multi principes aut
idiotę in sacra historia legantur bene maléue rem gessisse,
prout vel paruerunt prophetis vel contempserunt eorum
monita? Quod si de prole votis experta dicendum est, in-
uenimus factos patres ac matres inuocato rerum condito-
ris numine. Legatur Abrahami Sarréque historia, ex qui- *Gen. 21.*
bus Isaac prognatus est iam decrepitis, pater ille Iudæo-
rum omnium, déque aliis prætereà. Legantur item quæ *Esa. 38.*
de Ezechia produntur, non solum sanato iuxta prædictio- *4. Reg. 4.*
nem Esaiæ, sed etiam magna cum fiducia pollicente sibi,
Posthac procreabo liberos qui annuncient tuam iusticiã.
In quarto quoque Regnorum Helæisi hospita gratia dei
prophetæque precibus mater facta est, membrorum quo-
que vsu priuati ope Iesu sanitati restituti sunt innumeri, si-
cut in Macchabæorum rebus legitur de afflictis toto cor-
pore, qui ceremonias Iudæorum templi violare ausi sunt.
Sed dicent Græci hæc esse fabulas quamuis confirmata
duarum

A ductum integrarum gentium testimoniis. Quin igitur potius Græcorum scripta habentur pro fabulis? Quod si quis propius res contemplatus, ne videatur temerè sua probare, aliena reiicere, dicat & quæ Græci narrant, patrata esse à quibusdam dæmonibus, & quæ Iudæi, vel a Deo per prophetas facta vel ab angelis, aut à Deo per angelos: Christianorum item miracula vel per Iesum designata vel per apostolos: age conferamus hæc inuicem, videamúsque quid sibi voluerint qui hæc operati sunt: tum quomodo inde vel vtilitatem vel damnum vel neutrum acceperint qui putantur adiuti beneficiis: & an non meritò videri debeat philosophata tota Iudæorum natio priusquam deum affecerunt iniuria: tum quàm mirabiliter Christiani religionis initio non minus miraculis quàm doctrina sint adducti ad relinquenda instituta patria, & ad aliena traducti. nam quantum ratione colligi potest, non est probabile, vel Iesu apostolos homines illiteratos & plebeios ausos aggredi prædicationem doctrinæ Christianæ alia re fretos quàm data sibi virtute & in dicendo docendóque gratia: vel auditores mutasse diuturnas multarum ætatum consuetudines, nisi motos admiranda illorum in patrandis prodigiis potentia, & addixisse se tam diuersis à suo rum opinionibus. Deinde nescio quomodo Celsus mensione facta alacritatis nostrorum vsque ad mortem decertantium ne fidem abiurent, mox memorat initiatores istos quos mystagogos vocant, conferens eos & exæ-
B quens Christianis hominibus. ait enim: Certè quemadmodum tu bone vir credis æterna supplicia: sic etiam sacrorū nostrorum interpretes, initiatores accedentium ad ea mystagogique. tu ea minaris aliis, illi contra tibi. Considerandum igitur vtra veriora firmioráque. verbis enim ex æquo vtrique contendunt pro suis opinionibus. quod si argumentis agendum sit, illi mox initio proferunt diuina responsa & quædam dæmonicarum virtutum opera conquisita è diuersis oraculorum sacrariis. Ergo hoc dicit, æternas pœnas in terra & nos affirmare, & initiatores, examinandúmque vtrorum sententia sit verior. Equidem pronunciarem penes eos veritatem esse, qui possunt auditorem sic dictis suis afficere, vt ita viuat tanquam hæc habeat persuasissima. Iudæi & Christiani vehemēter afficiuntur persuasione quam habent de futuro vt vocant seculo, déque præmiis iustorum tunc recipiendis & pœnis impiorum. Proferat Celsus aut quicunque vult aliquos ab istis mystagogis permotos terrore futuri supplicij. Credibile est enim hanc esse patris illius & autoris doctrinæ voluntatem, vt non solum abominemur eas pœnas, & disseramus de eis: sed sic afficiamur his sermonibus, vt pro virili caueamus ne quid committamus dignum pœnis talibus. quin &
C prophetarum libri, si quis non oscitāter legat eorum prædictiones, sufficere videntur ad persuadendum illos viros afflatos fuisse Dei spiritu. His nullo pacto conferri merentur dæmonū opera menteorúmve oracula. Videamus quid deinceps Celsus nobis afferat. Iam hæc an non absurda, quòd desideratis & speratis resurrectionem corporis nihil ducentes optabilius, & idem corpus vt vile in omnes cruciatus proiicitis? verùm apud istos huc credentes & intabescentes corpori non est differendum de rebus talibus. hi sunt enim homines etiam aliàs rustici, impuri, sine ratione laborantes seditionibus. Cæterum his qui animam siue mens spiritualis ea dicenda est, siue spiritus intellectiuus sanctus beatúsque, siue anima viuens, siue diuinæ incorporeæque naturæ progenies cœlestis & incorruptibilis, siue quomodocunq; hanc appellare libet, sperant se habituros sempiternam, illud cum Deo dicturus sum: rectè eos sentire quòd felices erūt qui bene vixerunt, iniusti verò malis æternis tenebuntur: à quo dogmate nec isti, nec mortaliū quisquam vnquam resiliat. De resurrectione, vtcunque nobis eam sæpius exprobrat, quia iam suprà diximus quod visum est & quod potuimus, nō est cur ad semel dilutum crimen toties respondeamus quoties obiicitur. Calumniatur autem Celsus, nihil nos in his è quibus constamus existimare præstantius corpore. profitemur enim animā, præcipuè rationalem, potiorē esse quouis corpore:

quandoquidem imaginem conditoris capit, non corpus, D sed anima. Nec enim deum esse corporeum opinamur, ne deuoluamur in eas absurditates, in quas inciderūt quidam Zenonis & Chrysippi sectatores philosophi. Quoniam autem exprobrat nobis desiderium corporis, sciat si mala res est desiderium, nos nihil desiderare. sin autem indifferens, desideramus quicquid Deus iustis pollicetur. atque hac ratione resurrectionem quoque iustorum desideramus speramúsque. Celsus putat nos facere inconsistēnia, dum modò speramus deum dignaturum corpora nostra resurrectionis honore, modo ipsi vt vile id in quosuis cruciatus proiicimus. atqui nihil est vile quod propter pietatem patitur, & propter virtutē aduersitatibus se obiicit: sed quod cum vicius consumitur in voluptatibus. Testatur sacra scriptura dicens: Semen honoratum semen hominis, semen vile semen hominis. Deinde putat Celsus non differendum apud bene sperantes de corpore, vt intabescētes desiderio rei quam impossibile sit assequi, rusticus eos, brutos, & seditiosos nominans, cùm debuisset vt vir humanus succurrere imperitioribus. non est enim tam angustè circumscripta benignitas vt se non etiam ad bruta porrigat, nedum ad homines subrusticos: sed conditor noster fecit nos in omnes ex æquo beneficos. digni sunt igitur etiam rustici cum quibus disseratur, vt quantum fieri potest vrbaniores reddantur: impuri quoque puriores faciendi sunt, & bruti temerè quidlibet sentientes, animáque languētes curandi sunt nequid sine ratione agant posthac néve langueant. E
Posthæc probat eos qui animam, siue mens spiritualis ea dicenda est, siue spiritus intellectiuus sanctus beatúsque, siue viuens anima, sperant se habituros sempiternam, laudans etiam Deo fauente dogma de iustorum æterna felicitate, iniustorū æternis miseriis, nec vllū ex omnibus Celsi dictis æquè miror, quàm quod nunc ita concludit sermonē, non Christiani, non alij, resiliāt ab hoc dogmate. atqui quum contra Christianos scriberet, quorum fides omnis versatur circa deū promissionesque iustis per Christum factas, & cōminationes iniustis intentatas, cauere debuerat nequis sermonem ipsius præferens Christianæ doctrinæ resiliret à dogmate in quo vult constanter permanere omnes tum Christianos tum reliquos homines. Quanto melius Chrysippus in libro De curandis affectibus, qui vult affectibus vt prementibus & molestantibus humanam animam mederi primò quidem rationibus sanis, secundò autem & tertiò vel parum probatis sibi dogmatibus. ait enim, etiamsi essent tria bonorum genera, tum quoque affectibus medendum, non inquirendo curiosè tempore inflammationis affectū quo dogmate præoccupatus sit qui laborat, ne fortè dum intempestiuè occupamur in reuellendo ex anima dogmate, pereat occasio medelæ qualiscūque admittitur. additque, etiāsi voluptas esset bonū opinione eius qui affectus est, nihilominus ei succurrendum, F declarādúmque quòd ne his quidem affectus concedūtur qui in voluptate summum bonum & actionum suarū scopum constituunt. Debuerat igitur & Celsus semel approbato dogmate de iustorum præmiis æternis iniustorúmque miseriis, pergere quà cœpit, ostenderéque institutis primùm à se rationibus, si modo poterat, veram esse persuasionem tam de præmiis illis quàm de suppliciis nunquam finiendis vtrisque. Nam nos quoque ante omnia rationibus illis innumeris quibus ipsi ad Christianam pietatem perducti sumus, conamur omnes quotquot possumus eòdem adducere. Vbi verò inuenimus præoccupatos calūniis quibus Christiani grauamur, ita vt imaginatione Christianæ impietatis ne aures quidem adhibere sustineant his qui diuinam hanc doctrinam pollicentur: ibi humanitati studentes quoad eius fieri potest, damus operam vt saltem illud de impiorum æternis pœnis dogma persuadendo reddamus idoneos ad percipiendam hāc doctrinam etiam eos qui nolunt Christiani fieri. Idem facimus persuadendo vera esse quæ dicūtur de rectè actæ vitæ præmiis: quandoquidem videmus multa de vita bene instituenda docere etiam alienos à cognitione nostræ fidei, & quidem nostris placitis similia. nec enim omnes carent

G cōmuni sensu de rebus honestis& iustis iniustisq; & turpibus. Itaque omnes homines contēplantes hunc mundū & ordinem motúmque cœlestiuio orbium, siderúmque in aduersum mundo iotentum, adhæc aetis temperiem in vsum animantium pręcipuè hominum, vbetémque copiam rerum creatarum homini seruientium, vereri debent ne quid faciant quod creatorem offendat, quódque ipsorum menti ac conscientiæ displiceat: sciréque non defore peccatis pœnas & beoefactis præmia, pro cuiúsque meritis rependenda per gubernatorem rerum omnium: futurúmque vt hinc migrent omnes hominer, boni quidem feliciter ad meliorem conditionem, mali verò malè, miserus & tormentis tradendi propter ea quæ designauerunt per iniquitates, libidines, & intempetantias, & per ignauiam, formidinem, omnémque insipientiam. Hactenus ad hunc quoque locum, videnda sunt & reliqua Celsi verba, quæ sic habent. Quoniam autem alligati corpori homines nati sunt, siue quòd ita postularet huius vniuersitatis ordinatio, siue vt pœnas peccati luerent, siue affectibus quibusdam animam grauantibus, donec purificetur per certos circuitus: siquidem iuxta Empedoclem debet.

Ter mille decies errando spiritus horas
Per varias species diuis procul esse beatis:

credendum est commissos eos esse quibusdam huius carH ceris curatoribus. Vide hic quoque vt de arduis rebus humano more dubitans, recensisque plurium opinionibus de causa nostræ natiuitatis, quendam timorem præ se fert, non audens pronunciare quid horum falsum sit, fortasse quia non suum putabat, semel lata sententia vel assentiri cuiquam temerè, vel confidenter damnare placita veterum. Sic poterat etiam de Iudæorum scriptura, & prophetis de deo docentibus, saltem dubitare, si credere nolebat: consideraréque quòd par erat & seruientibus deo vniuersorum domino, vel propter honorem hunc ei habitum, vel propter commissas eis ab eo tantas res, legem ferri, sæpe innumera pericula mortésque contemnentibus modo ne despicerentur à deo. æquum item fuisse vt eis se aliquo pacto ostenderet, quādoquidē illi spretis ac fastiditis simulacris operibus artificum conati sint ratiocinatione subuehi vsque ad ipsum deum altissimum. Oportebat igitur eū considerare, quòd ille qui audit cuncta vidétque communis pater omnium & conditor, etiam singulorum quętentium se religionémque veram sectantium voluntatem iudicans, his quoque fructum aliquem dominationis suæ retribuat, atque ita pietatem eorum erga se augeat. Hæc si reputasset Celsus, & qui oderunt Mosem prophetásque Iudæorum & Iesum ipsiusque germanos discipulos verbi eius operarios, non ita conuiciarentur Mosi prophetísque
I & Iesu cum suis apostolis, nec solos ex omnibus orbis totius gentibus Iudæos respuerent, dicentes eos peiores Ægyptiis vsque ad bruta, siue per superstitionem, siue per quemcunque alium errorem, quantum ipsis est dei honorem demittentibus. Hæc autem dixmus non quòd cuiquam autores velimus esse dubitandi de doctrina Christiana: sed vt doceremus istos eius doctrinæ laceratores, satius esse vel dubitare de professoribus eius, quàm loqui tam temerariè de Iesu atque illius discipulis quod nesciūt ipsi affirmando, nec cum comprehensiua phantasia quam vocant Stoici, nec cum alio vllo iudicio de quo singulæ philosophorum sectæ quicquid ipsis videtur pronunciant. Deinde quoniam Celsus ait: Credendum est eos commissos esse quibusdam huius carceris curatoribus: respondemus quòd anima virtute prædita soluta est viciorum vinHier.22. culis etiam in hac vita quam Hieremias vinctorum terram Esa.9. nominat: idque iussu Iesu, sicut multò ante aduentum eius Esaias propheta prædixerat. Quid autem ille iubet, nisi vt vincti è carcere prodeant, & in lucem qui degebant in tenebris? Et hic ipse Iesus, sicut idem Esaias olim de illo cecinit, sedentibus in regione & vmbra mortis lux orta est, vt & nos dicamus, Disrumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Quodsi, posset audire sensum retrusiorem euangeliorum Celsus & qui simi- K liter sunt affecti erga nos, non consuluisset nobis vt pareremus his quos ipse carceris huius curatores nominat. Scriptum est in euangelio quòd mulier quædam erat incuruata non valens se erigere. quam quum vidisset Iesus, & animaduertisset qua de causa non sineretur caput attollere, dixit: Hanc autem filiam Abrahæ quam alligauit Satanas ecce decem & octo annis, non oportuit solui in die sabbati? Quod autem etiam nunc alligati a Satana prorùūt in terram, illo non sinente suspicere, quòd velit nos terrena spectare, nec quisquam eos erigit, nisi verbum quod in Iesu aduenit, quod prius erat apud deum. Venit sanè Iesus vt liberaret omnes oppressos à diabolo, & de illo dixit cū quadam decente se grauitate: Nunc princeps mundi huius iudicatus est. Itaque nō conuiciamur dæmonibus hîc versantibus, sed coarguimus eorum machinationes in perniciem humani generis, sub prætextu oraculorum & sanandorum corporum, volentium à deo separare animam delapsam in corpus hoc humilitatis: quam humilitatem qui intelligunt, exclamant illud apostolicum, Miser ego ho- Rom.7. mo, quis me liberabit ex hoc mortali corpore? nec tamen frustra corpus præbemus torquendum & verberandum. non enim gratis hęc perferimus, dum recusamus terrestres dæmonas appellare deorum nomine, quantumlibet huc nos suis insidiis pertrahere conentur tum ipsi, tum eorum cultores: & gratum est deo verberari nos propter virtutē, L atque torqueri propter pietatem: mori denique propter sanctitatem meritò non refugimus, quia pretiosa est in conspectu domini sanctorum eius mors: & fatemur bonū esse non nimis vitam amare. Cæterum Celsus dum nos confert maleficis merita pro latrociniis supplicia dantibus, nec erubescit nostram voluntatem eorum affectui similem dicere, prodit se germanum fratrem esse illorum qui Iesum iniquis aonumerauerūnt: in quibus impleta est illa prophetia: Et cum iniquis reputatus est. Deinceps autem Celsus sic loquitur. Alterutrum eligendum est. Si de- Esa.53. dignantur colere officia præsidéique horum ne sumant virilem togam, ne ducant vxorem, ne suscipiant liberos, ne faciant aliud quicquam in vita. auferant se hinc vniuersi nullo relicto seminario, vt in totum solitudo sit in terra huius hominum generis. quodsi & vxores ducturi sunt & liberis operam daturi, & fruges gustaturi, & vitæ socij futuri, etiam malorum partem suam perferent. hoc enim natura postulat, vt omnes homines mala experiantur. necesse est enim esse mala, nec habent locum alibi. reddendi sunt igitur conuenietes & debiti honores horum præsidibus, & inseruiendum huius vitæ officiis, donec soluantur è vinculis, ne videantur & ad hanc inutiles. iniustum enim est participem esse horum quæ isti habent, & velle immunem esse. Respondemus & ad hęc, nullum videri nobis di- M gniorem è vita exitum quàm propter virtutem & pietatem, quoties ea conditio proponitur à magistratibus ius in vitam nostram habere se putantibus, vt aut parendo pręceptis Iesu moriamur, aut si malimus viuere, ab eius institutis discedamus. cæterum vxorē ducere permisit nobis deus, quòd non omnes meliora, hoc est castitatē, capiant: & susceptos ex his liberos educare, nō è vita tollere quod donatum est à prouidentia. nec hoc pugnat cum contemptu terrestrium dæmonum. armati enim armatura dei stamus vt athletæ pietatis contra insidiantium nobis genus dæmonum. Itaque tametsi Celsus sermone suo nos ex omni vita exterminet, vt omnino desolata sit terra nostro genere, nos tamen in legibus à conditore nostro datis perseuerabimus, nunquam seruituri peccati legibus: & Vxores si voluerimus: liberósque deo dante parabimus ex coniugio. quodsi necesse fuerit, etiam aduersitatum huius vitæ participes erimus, vt tentationum animæ: sic enim sacra scriptura solet nominare casus hominū, in quibus sicut aurum igni examinatum anima vel probatur vel reprobatur. adeóque parati sumus contra ista quæ Celsus mala nominat, vt dicamus, Tenta me domine, & proba me, ure renes meos & cor meum. Nemo enim coronatur, nisi hic Psal. 26. super terram in hoc humilitatis corpore legitimè certauerit.

A rit. Ad hæc neque honores reddimus debitos, vt putaut, istis quibus Celsus ait commissa terrena negotia. Dominũ enim Deum nostrum adoramus, & illi soli seruimus, optãtes imitatores Christi fieri, qui diabolo dicenti sibi, Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me: respondit,
Mat. 4. Dominum Deum tuũ adorabis, & illi soli seruies. Hoc est cur honores debitos istis quibus Celsus ait res terrenas cõmissas non reddimus, quia nemo potest seruire duobus dominis, nec possumus simul Deo seruire & mammonæ, siue hæc vox vnum aliquid siue plura significet. Præterea si legem transgrediendo legislator afficitur contumelia, manifestum nobis est quòd quum duæ leges sint inter se contrariæ, lex Dei & lex mammonæ, præstat nos per transgressionem legis mammonæ afficere contumelia mãmonam, vt per obseruationem legis Dei Deum honoremus, quàm per transgressionem legis Dei Deum afficere contumelia, vt per obseruationem legis mammonæ honoremus mammonam. Celsus tamen putat ad officia vitæ pertinere, si homines donec soluantur his vinculis, solennia sacra reddant istis qui oppidatim coluntur pro diis, non intelligẽs quid reuera sit officium, nec pietate id metiens. At nos aimus eum vitæ officia facere, qui creatoris memor, quibúsve rebus ille delectetur, quicquid facit spectat Dei
B voluntatem. Celsus item vult nos esse gratos erga terrestres dæmonas, & votiua illis sacrificia reddere. nos verò, vt apertius loquamur de gratitudine, negamus nos ingratos dicendos, quia dæmonibus non solum non beneficis, sed & aduersariis, nec sacrificamus, nec honorem vllum deferimus. hoc tantum cauemus, ne ingrati erga Deum habeamur, cuius beneficiis sumus referti, quum simus eius creaturæ, & hoc ipsum quòd qualescunque sumus debeamus ipsius prouidentiæ, post hanc quoque vitam meliora sperantes ab eo Habemus etiam eius gratiarum actionis symbolum, panem qui Eucharistia vocatur. Nec habẽt dæmones (vt suprà [illegible]) vllam administrationem rerum ad nostros [illegible]atarum: proinde nihil iniquum facimus, dum [illegible] sacrificamus dæmonibus ad quos hæc nihil attinent. Imò etiamsi sciamus non dæmonas, sed angelos præesse frugũ prouentibus & fœturis animalium, prædicamus eos vt beatos quibus à Deo commissæ sunt vtilitates hominum, non tamen honorem soli Deo debitum his reddimus, nam nec Deus hoc vult, nec ipsi quibus hæc cõmissa sunt: & amant nos, quia non sacrificamus eis. non enim opus habent istis nidoribus. Pergit Celsus in hunc modũ. Quòd autẽ vel minimæ res careant suis præsidibus, discere licet ex Ægyptiis dicẽtibus humanum corpus in trigintasex partes distributum, & suum cuiusque potestaté habere siue dæmonem, siue Deum quendam æthereum. quidã autem plures dicunt alias attribuentes aliis, eósque dæmonas
C propria lingua nominant, vt Chnumé, Chnachumé, Cnat, Sicat, Biu, Eru, Erebiu, Ramanor, Reianoor, cæterísque nominibus æque Aegyptiacis: & inuocati sanant morbos quisque suarum partium. quid igitur vetat & horum & aliorum ambire gratiam: siquis malit valere quàm ægrotare, & fœlix esse quàm infœlix, & liberari ab istis vt carnificibus tortoribus? His quoq; verbis Celsus adducere conatur animas nostras ad dæmonas, ac si sortiti essent nostra corpora, asserens cuique suam partem attributam nostri corporis, volénsque nos credere dæmoniis quæ narrat, & ea colere, vt valeamus potius quàm ægrotemus, & fœlices simus potius quàm infœlices, & quoad fieri potest liberemur à tortoribus. Adeò diffidit indiuisibili cultui Dei vniuersorum domini, vt putet adoratum deum & honoratum non sufficere ad arcendos insidiatores dæmonas à sanctis suis cultoribus. non enim vidit quomodo nomen Iesu à germanè credentibus inuocatum non paucos ab ægritudinibus, lymphationibus, aliisque periculis liberauerit. Fieri potest vt rideat cui Celsus placet dicentibus nobis quòd in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestriũ, & infernorum, & omnis lingua cõfiteatur quòd dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. rideat licet, clariora argumenta huius veritatis audire poterit, quàm de modò recitatis nominibus, Chnumen, Chanchumẽ, Cnat, Sicat,

& reliquis Aegyptiacis quæ inuocantur ad morbos sanan- D
dos in partibus certis corporis Ac vide quomodo auertẽs à credendo in Deum per Iesum Christum, vocat nos ad fidem per corporis sanationem trigintasex barbaricorum dæmonum, quos soli Aegyptiorũ magi inuocantes nescio quomodo nobis pollicentur meliora, ergo autore Celso magi potius & præstigiatores quàm Christiani erimus, & infinito nostro dæmonum potius credemus quàm viuo ac manifesto cunctorũ Deo, per eum qui magna potentia seminauit toto orbe verbum pietatis purissimum non solum hominibus, sed etiam (quod citra mendacium dico) aliis creaturis rationalibus, quibuscunque opus est correctione sanatione, mutationéque ad virtutem à viciis. quapropter suspectum habẽs hoc lubricum in quo facilis lapsus est ad magiam, & sentiens fore vt offẽdatur auditor, addit: Illud tamen cauendum nequis liquefrat voluptate huiusmodi ceremoniarum, & amore corporis auersus à potioribus in obliuionem eorum incidat. oportet enim opinor, fidẽ habere viris sapientibus, qui dicunt plerosque circumterraneos dæmonas, genituræ, cruori, nidori, melodiis & aliis id genus deuinctos affixósque nihil amplius posse quàm sanare corpora, & ventura hominibus ac ciuitatibus prædicere, sũ quicquid ad res mortales pertinet, id scire ac posse. Cùm igitur hic locus sit tam lubricus, vt ipse diuinæ veri- E
tatis inimicus restatur, quanto satius est securum istius voluptatis dæmoniacæ, & amoris corporũ, obliuionisque meliorũ, cõcredere se Deo vniuersorũ dño per Iesum Christum nostræ doctrinæ autoré, & ab illo poscere omne auxilium, & sanctorũ angelorũ iustorúmque custodiã, vt nos liberent à circũterraneis dæmonibus, genituræ voluptate perditis, cruori nidorique affixis, melodiis similibúsque magis allici se tenerique sinentibus, dubio procul nihil vel Celso teste valentib. præter sanationes corporum. At ego possim dicere, ne hoc quidem consiliate, quod dæmones quomodocunque culti sanare queant corpora: sed quærẽda est sanitas vulgari more per rationẽ medicinæ, aut præter cõmunem modũ pietate erga Deum ac precibus. Tu ipse apud te cõsidera vtros mores magis probet Deus vniuersorum dñs, omnibus potentior tum cæteris rebus tum in benefaciendo hominibus siue corpus spectes siue animã, eiúsne qui sibi cõmittit omnia, an eius qui curiosus est circa dæmonũ nomina, virtutes, actiones, incantationes, herbas peculiares dæmonibus gemmásque & sculpturas referentes formas dæmonum siue symbolicas seu quascunque alias. Perspicuum est vel mediocriter considerãtibus, quod simplices & minime curiosi mores hoc ipso placent Deo & omnibus eius amicis: eos verò qui propter corpus & eius sanitaté, fœlicitatémque in rebus indifferẽtibus curio- F
sius inquirũt dæmonũ nomina & quibus hi alliciãtur carminibus, vt malos & impios magisque dæmoniacos quam humanos, derelinquet dñs Iesus raptandos exagitãdósque per tẽtationes & calamitates varias. Probabile est enim cũ sint mali vt ipse Celsus fatetur, & affixi cruoribus, nidorib. melodiis, & similibus, ne cultoribus quidẽ suis fidẽ seruaturos datánque ceu deaterã. Inuocati enim cõtra suos cultores ab aliis, & corrupti pluribus cruoribus, nidoribus, cæterisq; obsequiis quibus redimitur eorũ opera, insidiabũtur hesterno cultori suo quãuis pasti eius epulo. Sed bene habet q Celsus qui hactenus nos mittebat ad eorũ oracula, mysteriáq; tanquã deorũ, nũc fatetur q isti qui futura priuatis hominibus & ciuitatibus prædicũt versantes circa mortales actiones, circũterranei sunt dæmones, genituris se oblectãtes, affixiq; cruorib. nidoribus, melodiis & rebus similib. nec possunt quicquã melius. Atqui si superius, dum Celsus proferebat mirificã illã suam theologiã de oraculis Deorũ & solẽnibus ceremoniis, dicẽribus nobis dæmonũ hoc esse animas hominũ ad istas terrenas cupiditates pertrahẽrẽ, reclamasset aliquis loqui nos impie: nũc quisquis est is qui male de nobis suspicatur, credat recte Christianos prædicare, vidẽs quod hic quoque qui contra Christianos scribit, iam sub finẽ operis, velut victus à veritatis spiritu, fatetur eadẽ. Quãuis igitur ille suadeat his sacris operandũ quatenus sunt vtilia, diuina tamen doctrina non sinit vt

G commercium habeamus cum cruentis & nidorosis dæ-
monibus, aut diuinitatem detrahamus ad has sordes dæ-
monum. Quodsi Celsus diligentius perpendendo quid sic
vtile, intellexisset propric vtile virtutem esse huiusque o-
pera, hæc verba, quatenus vtile est, non dixisset de talibus
quos ipse fatetur esse dæmonas. Nos certe, si talibus de-
benda est sanitas & felicitas, malumus ægrotare atque in-
fortunati esse salua pietatis erga Deum conscientia, quam
diuelli ab eo & desciscere, proditáque salute animæ sani
corpore ac per omnia cætera fortunati hanc præsentem
vitam degere. Verùm Celsus pòst hæc quæ dixit de dæ-
monibus cruori nidorique inhiantibus, quasi palinodiam
recantaturus, ait castimandum potius eos nulla re indi-
gere vel opus habere, sed delectari pietate erga se hominũ.
Id si verum est, illa dixisse non debuit: Sed fieri non potest
vt humana natura omnino derelinquatur à Deo veritaté-
que ipsius vnigeniti: quapropter & Celsus verum quidem
dixit quod dæmones cruore nidoréque opus habeant: rur-
sus tamen per propriam maliciam relapsus in mendaciũ,
confert eos hominibus perfecte iustis, iusta facientibus e-
tiamsi nemo eis hoc nomine habeat gratiam, benefacien-
tibus autem his solis qui grati sunt: vt mihi hoc loco ho-
mo parum sibi constare videatur, nunc mentem turbatus
à dæmoniis, nunc recolligens se ex illa desipientia, & pau-
H latim veritatem cernens. rursum enim sic infert: Deus nul-
lo pacto vnquam relinquendus, non noctu non interdiu,
non in priuato non in publico, non in cogitationibus vl-
lis non in operibus sed siue cum his siue sine his semper
intenta sit ad Deum anima. quod autem ait siue cum his,
operibus intelligo & cogitationibus. Deinde rursum quasi
ratione reluctans dæmonum seductionib. & plerunq; suc-
cumbens, sic infert: Si res ita se habet, quid mali fuerit pla-
care terrenos principes, tum alios, tũ reges & dynastas ho-
minum, quando ne hi quidem absque potentia dęmonum
suam dignitatem adepti sunt. Superius quantũ in se fuit de
ducebat animas nostras ad dæmonas, nunc vult vt place-
mus etiam reges hominũ ac dynastas, quibus est plena vi-
ta & historiæ. quorum non opus est afferre exempla. Vnus
est nobis placandus Deus vniuersorum dominus, vnius fa-
uor ambiendus per pietaté virtutésq; cæteras: Si vult præ-
ter hunc placari etiam alios, cogitet quod sicut moto cor-
pore vmbra quoque ipsius mouetur, ita cum aliquis Deum
habet propitium sequitur vt amicos habeat omnes eius an
gelos animas & spiritus. Sentiunt enim qui sint digni fa-
uore cœlestis numinis, quibus non solum ipsi bene volunt
verum etiam dant operam vt Deum ei seruire volentibus
concilient, & vnà nobiscũ precantur: vt quotquot eum co
limus audeamus dicere, hominibus bonæ voluntatis pre-
cantibus vltro se adiungere innumera sanctorum angelo-
I rum milia, & intercedere pro mortali nostro genere, & (vt
ita loquar) laborare nobiscum in hoc certamine, dum vi-
dent aduersarios dæmonas impugnatores salutis eorũ ma-
xime qui se maxime Deo dedicant, & contemnunt ipsorũ
inimicitiam, infensorum detrectátibus se cruoribus & ni-
doribus colere, & omni modo concilian se Deo studenti-
bus, per Iesum qui dum in terris ageret sanabat & cõuerte
bat oppressos à diabolo profligãs innumera dæmonia. Nec
hominũ regnum fauor nobis exambiendus libidinũ & cę-
dium turpib. fœdísque obsequiis, aut vlla re à pietate alie-
na, aut seruilibus adulationibus indignis viro magnanimo
& fortitudinem ducente pro virtutum maxima. Cæterum
quatenus salua pietate licet, non ita insanimus vt in nos ir-
ritemus reges aut potestates publicas seruituras per tor-
menta & supplicia. Legimus enim in nostris literis: Omnis
anima potestatibus præcellentibus sit subdita. nõ est enim
Rom. 13. potestas nisi à Deo. itaque qui potestati resistit, Dei ordi-
nationi resistet, quæ verba in cõmentariis super epistolam
ad Ro. vt potuimus non vno modo enarrauimus, nũc vero
simpliciter iuxta vulgaré sensũ ad præsens negotiũ citaui-
mus, quandoquidé Celsus negat eis dignitaté cõtigisse abs-
que fauore dæmonũ. Et quoniã multa dicẽda essent de re-
gum ac principum statu, quod res disquisitione non ca-
reat propter aliquot principum sęuam tyrãnidem, & alios
licentia potestatis prolapsos in delicias & nequiciam, ideo K
hunc locũ in præsentiarum supersedemus excutere. Per for
tunam tamen regis non iuramus, sicut nec per alia numi-
na ficticia. nam siue vt quidam putant cursus tantum rerũ
fortuna est, non iuramus per id quod nihil est tanquã per
Deum aut rem aliquam pollentem viribus, ne iureiurando
abutamur: siue vt aliis videtur is est Romani principis ge-
nius, vt vnum è dæmonibus intelligamus fortunæ nomi-
ne, sic quoque moriendum est nobis potius quam iuran-
dum per malum & perfidum dæmonem, peccantem per-
sæpe cum eo quem sortitus est homine, imò quam homo
sæpius. Deinde rursum Celsus, non aliter quam dęmoniaci
nunc recolligentes se, nunc recidentes in malum pristinũ,
paulisper resipiscens sic loquitur: Siqui tamen vrgeant dei
cultorem vt aut impium aliquid aut turpe faciat, non est
parendum sed etiam contra tormenta ferentes resistẽdum
fortiter, etiamsi mori oporteat citius quam aut loqui aut
cogitare de Deo quicquam quod pietati non conueniat.
deinde rursum vt ignarus nostræ doctrinæ ideóque con-
fundés omnia, subinfert hęc. Quod siquis iubeat bene lo-
qui soli aut Mineruæ, alacriter Pęan canendus est. sic enim
magnũ Deũ venerari magis videberis, si hos quoque hym-
nis honores & laudibus. pietas enim fit perfectior, si per
omnia transeat. Respondemus nos non expectare dum iu-
beamur bene loqui soli, qui didicimus non solum contra
magistratus non obloquendum, sed ne de inimicis quidẽ
loquẽdum male. itaque bene loquimur de sole vt pulchra L
Dei creatura seruante leges præscriptas sibi à Deo, & obe-
diente voci prophetę inuitantis, Laudate dominum sol &
luna. laudate quantum fieri potest patrem & conditorem
rerum omnium. cæterũ Mineruam quam iste cum sole co- Psal. 148
pulat finxerunt Græcorũ fabulæ, siue cum occultiore sen-
sũ, siue absque alio significato narrantes genitã è Iouis ca-
pite totam armatam. quam persequente Vulcano vt eius
virginitati illuderet, ipsam quidem effugisse: sed persecu-
toris sui genituram nimio libidinis feruore in terram pro-
lapsam sustulisse ac educasse pro suo filium Erichthonium
nomine, quem diua Minerua.

Nata Ioue eduxit, peperit sed inclyta Tellus, vt inquit
ille. Equidem video si admittatur de Minerua fabula, re-
cipiendas simul alias multas quas nemo reciperet qui fa-
stidiens fabulis veritatis sit auidus. Iam si per Mineruam tro
pologicé prudentiam intelligamus, ostendatur nobis eius
vel essentia vel substantia. quod si vna priscarum heroinarũ
Minerua cõsecrata est ab hominibus vt coleretur pro dea,
multominus debentur ei honores diuini, quãdo ne solem
quidem tam magnum adorari à nobis fas est, etiamsi be-
ne sentiamus ac loquamur de illo. hymnos enim in solum
Deum vniuersorum dominum canimus, & deum verbum
eius vnigenitum, nec aliter eos laudamus quam ipse sol & M
luna atque sidera totáque cœlestis militia. omnis enim hic
chorus vnà cum iustis hominibus laudat summum Deum
eiúsque vnigenitum. porrò de non iurando per regem ho-
minum, eiúsue fortunam, vt vocant iam diximus: quare
non est opus vt denuo respondeamus ad hæc verba, vel si
per hominum regem iurare quis te iubeat, ne id quidem
graue fuerit. data est enim huic potestas in terris, & quic-
quid accipis in vita ab hoc accipis. At nos negamus cõces-
sa huic in terris citra exceptionem omnia, negamus quic-
quid in vita accipimus ab hoc nos accipere. nam iuste ho-
nestéque accipienter à Deo prouidentiáque illius accipi-
mus mitiores fruges, panem fulcientem cor hominis & o-
leum exhilarans faciem. deinceps Celsus negat dubitan-
dum de fide antiqui viri cuius dictum est:

Vnius est regnum, cuicunque Saturnius addit.

Móxque infert: hoc dogma si volueris conuellere, merito
à rege mulctaberis. nam si quod tu facis permittãt sibi cę-
teri, solitudo erit circa principé, & res in ferocissimorum
ac immanissimorum barbarorum potestatem deuenient,
simúlque & religio tolletur ex hominibus & decus ve-
ræ sapientiæ. Ergo si placet illud Homericum, Vnus prin-
ceps esto, vnus rex: non tamen cui hoc dedit Saturni
obliqua

A obliqua cogitantis filius: sed cui dedit is qui constituit reges mutátque ac restituit, suis temporibus excitans homines viros reipublicæ vtiles. [1. Pet. 2.] Nō Iupiter Saturni a se regno pulsi (vt narrant Græcorum fabulæ) & in Tartarum coniecti filius regna distribuit, & principes regionatim cōstituit: sed Deus qui regit omnia, scit quem cui regioni præficere debeat principem. Vanum igitur iudicamus illud dogma de regnorum distributore Saturni obliqua cogitantis filio, vt qui persuasum habeamus non cogitari quicquam obliquū sinuosúmve à Deo vel patre Dei, saluo tamen dogmate de prouidentia, & his quæ inde proueniunt vel primarié vel per consequentiam. nec tamen merito plecteremur a Cæsare, quod dicamus non à Saturno regnum ei datum, sed ab eo qui reges & præficit regnis & amouet à regimine. atque vtinam omnes reiecta Homeri sententia diuinam magis probarent, & honorarent Cæsarem. non est periculum ne hac de causa destituto illo à suis stipatoribus & officialibus prouinciæ pateant immanissimorum barbarorum incursibus. nam si omnes idem quod ego facerent, vt Celsus loquitur, dubio procul, omnes barbari diuina doctrina recepta fierent æquissimi ac mansuetissimi, euanescentibúsque religionibus sola floreret Christiana pietas: id quod futurum est aliquando prædicatione latius spargente se per animas hominum. Id dictum suum parum probabile esse non animaduertens Celsus, pergit hoc modo:

B Non enim dicturus es quod Romani a te persuasi relictis ceremoniis ritibúsque patriis, tuum altissimum, aut quomodocunque appellandus est, inuocaturi sint vt descendens pugnet pro eis, nec opus sit aliis viribus. Idem enim Deus iam antea tum hoc ipsum tum alia maiora suis pollicitus, vt vos ipsi fatemini, videtis quantum vel illis vel vobis profuerit: cum illis pro sperato terrarum dominio ne gleba quidem aut domicilium factum sit reliquum, vos vbicunque per latebras erratis quæramini ad supplicium. Hic quoniam per fictionem rogat, si contingeret Romanos à nobis persuasos patrias superstitiones negligere, quid sequeretur postea recepto cultu Altissimi: audi quid nobis super hoc videatur. Dicimus quod si vel duo è nobis concordes super terram petierint quamcunque rem, continget eis à cœlesti patre auxilium. Gaudet enim consensu rationalium animalium, & auersatur dissidia: Quid existimandum est, si non perpauci, vt nunc, sed vniuersum consentiter Romanum imperium precarentur freti verbo illo quod olim audiuerunt Hebræi persequentibus eos Ægyptiis: [Exod. 14.] Dominus pugnabit pro vobis, vos autem silebitis: precatique vnanimiter, multo plures hostes infestos profligarent quam Moses tum deuicit ope diuina impetrata

C suis suorúmque precibus. Quæ autem Deus pollicitus est legem seruantibus si non præstitit, non ipso fallente id factum est, sed eorum culpa qui non steterunt cōditionibus & legitima viuendi formula: proinde si nec gleba terræ nec domicilium post acceptas certis conditionibus promissiones est reliquum, culpam referre debent in suas iniquitates, eam præcipue qua in Iesum peccauerunt. Romani vero si (vt Celsus fingit) populariter crederent, precibus victores ne haberent quidem hostem protegente illos diuina potētia, quæ olim propter quinquaginta iustos parata erat totis quinque ciuitatibus parcere. Sal enim terræ sunt Dei homines, per quos mundus hic conseruatur quādiu sal suum saporem obtinet. nam si sal fatuus reddatur, nec ad aruum vtilis est nec ad sterquilinium, sed proiectus cōculcabitur ab hominibus. Qui habet aures audiat quomodo hæc dicantur. Nos quoque quoties Dei permissu tentator potestatem persequendi nos accipit, persecutionem patimur: [Matt. 13.] quoties autem deus nos nihil pati vult, in mondo infensos nobis mirabiliter pacem habemus, & cōfidimus in eo qui dixit: Bono animo esto: ego vici mundū. [Ioan. 16.] Et reuera vicit quatenus vincere voluit, accepta à patre potestate vincendi. quapropter & nos fiduciam collocamus in illorum victoria. quodsi Deus vult vt iterum certemus in stadio pietatis, veniant aduersarij, & audient, Omnia possum in eo qui mihi vires addit Christo Iesu nostro domino. [Mat. 10.] Etenim cum duo passerculi (vt scriptura no-

minat) asse veneant, nullus in laqueum cadit nolente patre D cœlesti, adeoque cuncta comprehendit Dei prouidentia, vt ne capillorum quidem nostrorum numerus eius notitiam effugiat: Deinde rursum Celsus more suo confundēs omnia, tribuit nobis quæ à nullo Christiano scripta sunt, hæc dicens: Ne hæc quidem vestra vox ferenda, Si præsentes imperatores ad fidem nostram pertraxerimus, pertrahentur rursum alij. Quòdsi ad hunc modū aliis post alios in istam massam illectis tandem omnes ad vestram fidem pertrahendi sunt, aliquis princeps alieno periculo cautus, totum genus vestrum extirpabit priusquam eueniat quod fore dicitis. Adhæc respondere nil opus est. cum nemo nostrum sic loquatur: si præsentes imperatores ad nostram religionem pertraxerimus, pertrahentur vniuersi alius post alium. Quomodo autem et hoc excidit, quòd principibus alio post aliū in nostram religionem concedentibus, vnus aliquis eorum sentiens id fieri eo quòd parcatur nobis hostibus, totum hoc genus extirpabit funditus? Sed & hoc ex se finxisse videtur, quandoquidem nugas nugis connectit. Deinde precatus in easdem leges consentire Asiæ, Europę, Africæque gentes tam Gręcas quàm barbaras vsque ad orbis habitati terminos impossibile hoc ratus subinfert, quod qui hoc putat futurum imperitus rerum est. qua de re locus postulat vt vel paucis verbis dicamus, quamuis dilige- B ntius deberet tractari, quo pateat non solū possibile, sed etiam verum id esse, sub easdem leges venturum aliquando quicquid rationis est particeps. Stoici aiunt futuram aliquando conflagrationē vniuersalem, igne vt qui fortior est, præualente elemētis cæteris. nos autem dicimus verbi dei prædicationem aliquando præualituram omni rationali creaturæ, eámque mutaturam in suam perfectionem, quādo vnusquisque suapte potestate quæ volet eliget, & quicquid elegerit faciet: nec enim eandem esse conditionem animarum & corporum, vt quemadmodum in his sunt quidam morbi arte medicinæ insuperabiles, ita in animabus insint quædam vicia quæ impossibile sit sanari per verbum Dei, nullus profecto malus affectus est animi, quo verbum Dei non sit potentius. hoc enim vnicuique medicinam iuxta Dei voluntatem admouet, cuius effectus est vicia tollere. Verum autem in tantum vt anima posthac non possit in eadem mala recidere, an contra, non est huius tēporis disputatio. Certe apud prophetas multa secretiora habentur de penitus abolendis olim omnibus omnium animarum viciis, ex quibus Sophoniæ verbis nunc contenti erimus. ea sic habent. [Sophon. 3.] Paratus esto, mane vigila: dispetierunt omnes racemi eorum. Propterea expecta me, dicit dominus, in die resurrectionis meæ in futurum: quia iudicium meum vt congregem gentes, & colligam regna, vt effundam super eas indignationem meam omnem, iram F furoris mei. in igne enim Zeli mei consumetur omnis terra: quia tunc conuertam super populos linguam in generationem eius, vt inuocent omnes nomen domini, vt seruiant ei sub iugo vno. De finibus fluminum Æthiopiæ suscipiam dispersos meos: afferent victimas mihi. In die illa non confunderis ex omnibus adinuentionibus tuis in quibus impie egisti in me, quia tūc auferam à te detractionem contumeliæ tuæ: & vltra non adiicies vt magnificeris per montem sanctum meum: & relinquam in te populum mansuetum & humilem: & reuerebuntur nomen domini qui fuerint reliqui de Israel: & non facient iniquitatem, & non loquentur vana, & non inuenietur in ore eorum lingua dolosa: quoniam ipsi pascentur & accubabūt, & non erit qui eos terreat. Huius prophetiæ interpretationem qui potest intelligat, præsertim illud examinans, quid sit quod ait post consumptam omnem terram fore vt reuertatur lingua in populos in generationem eius, quēadmodum erat ante illam antiquam confusionem: & cōsideret quòd propheta dicit inuocaturos omnes nomen domini, vt seruiant ei sub iugo vno, vtq; auferantur detractiones contumeliosæ, nec sit posthac iniquitas & sermones vani & lingua dolosa. Hęc visum est adducere sic absq; diligenti enarratione, propter Celsi dictū putātis impossibile vt Europæ, Asiæ, Africæque gentes tam græcæ quàm

G barbaræ in vnum aliquando consentiant. Et fortasse reuera impossibile degentibus adhuc in corpore, non item solutis à corpore. Postremo hortatur nos Celsus vt opem feramus imperatori totis viribus, & geramus eius auspiciis iusta piáque bella, néve detrectemus militiam si res ita postulet. Respõdemus, ferre nos imperatori auxilia suo tempore, sed diuina vt ita loquar, nimirum armatura fretos non humana: idque facimus apostoli monitis obedientes,
1.Tim.2. cuius hæc verba sunt: Obsecro vos, primùm vt faciatis deprecationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & cũctis in potestate collocatis. Et quo cuiusque insignior est pietas, eo maiorem opẽ imperatori fert, magis quam stantes in procinctu milites, & occidentes quotquot possunt ex hostibus. Possumus etiam sic respondere alienis à nostra fide & ad militiam pro republica cædésque hominum nos vrgẽtibus: Ecce vestrorum quoque numinum sacerdotes & delubrorum custodes dextras seruant puras à sanguine causa sacrorum, vt incruentis impolutísque cæde manibus victimas offerant solennes iis quos habetis pro diis, nec vllo bello delectus habetis è sacrificorum ordine. huius moris si vobis constat ratio, quanto magis cæteris militantibus non contemnenda est nostrorum hominum militia, manus quidem puras seruantium, decertantium autem fusis ad deum precibus pro legitimo imperatore & piũ iustúmque bellum gerente milite, vt destruatur quidquid est iuste facientibus aduersarium. Itaque precibus nostris profli-
H gantes omnes bellorum excitatores dæmonas, & perturbatores pacis ac fœderum, plus conferimus regibus quàm qui arma gestant pro republica: Laboramus autem pro imperio Romano dũ iuste viuentes vota pro eo facimus, exercentes nos in contemnendis voluptatibus, nec sinentes nos ab eis quouis pertrahi. Sic nos prę aliis pugnamus pro imperatore: & licet cum ipso non militemus, habemus tamen castra propria pietatis auspiciis, & eam deprecationibus gerimus. Quodsi Celsus iubet nos etiam præfecturis militaribus fungi pro patria, sciat nos hoc quoque facere, sed non in conspectu hominum ad captandam inanem gloriam. In occulto enim mentis nostræ ad deum vota fundimus pro patria haud secus quã sacerdotes: & plus beneficiorum à Christianis confertur in patriam quàm à reliquis hominibus, dum ciues erudiunt ad pietatem erga deum tutelarẽ patriæ præsidem, eísque viã ad cœlestem quandam ciuitatem Dei muniunt, modo recte viuunt vel in exiguis ciuitatibus. Ad quos dictum illud euangelicum I
pertinet: Quoniam in minima ciuitate fidus fuisti, veni & ad magnam, vbi Deus stat in deorum concilio, & medius eorum ipsos diiudicat: & te illis annumerãs, modo ne moriaris vt homo, & cadas vt vnus è numero principum. Quin & ad magistratus in patria gerendos hortatur nos Celsus, si hoc incolumitas legum ac pietatis tuenda postulet. Nos vero cum sciamus oppidatim alias ciuitates per verbum Dei conditas, eos qui vita & doctrina sana vt pręsint sunt idonei, hortamur ad præfecturas ecclesiarum, nõ ambitiosos probando, sed modestos & non temere se in functiones tam arduas ingerentes cogimus ad curas publicas: & magistratus nostri bene rem administrantes supræfecti sunt Magni regis illius quem filium esse Dei credimus: qui dum bene præsunt diuinitus constitutis patriis, hoc est ecclesiis à quibus electi sunt, regunt ea iuxta præscripta Dei, saluis etiam legibus publicis. nec hoc faciunt Christiani quòd ista publica vitæ munia refugiant, sed quòd se seruent diuinioribus & magis necessariis muniis ecclesiæ ad salutem hominum: quoniam hoc & iustum existimant & necessarium, omnium rationem habentes, suorum quidem vt indies proficiant, extraneorum vero, vt eos ad pietatis ac religionis doctrinam simul & opera pertrahant, & quantum possunt plurimos adiungant suæ reipublicæ, vt per diuinas leges vnum fiant cum Deo vniuersorũ domino, idque iuuante ipsius filio Deo verbo, K
qui est sapientia, iustitia, veritas, per quem conuertitur cuicunque studium est vt tota vita Deo placeat. Habes sacer Ambrosi finem vt potuimus absoluti tuo iussu operis, quo in octo libros digesto responsum est ad Celsi titulotenus Verum sermonem. superest vt lectorem qui & illius scripta & nostra dignabitur cognoscere, oremus vt iudicet, vtra magis spirent verum deum & modum pietatis qua colitur recepta iam ab hominibus qui ab ipsa veritate docti vitam suam bene instituent. Scito tamen Celsum polliceri editurum se alium tractatum, in quo doceatur quomodo viuere debeant qui volunt & possunt parere ipsius monitis. quem si non scripsit quamuis promissum, contenti erimus ei respõdisse his octo voluminibus. quòd si & illud opus ab eo perfectum est, quæsitum ad me mittito, vt & ad id respondeamus quicquid veritatis pater suggesserit, & refellamus mendacia, siquid autem verum admixtum fuerit, citra contentionem confirmemus nostro testimonio.

ADAMAN-

ADAMANTII ORIGENIS

CONTRA MARCIONISTAS DISPVTATIO,

IN TRES DIALOGOS DISTINCTA LAVRENTIO HVMPRIDO ANGLO INTERPRETE.

ADAMANTII ORIGENIS DIALOGORVM argumentum generale, vniuersi sermonis summam explicans, è græco Latinè ita habet.

ADamantij, qui & Origenes est, de recta in Deum fide disceptatio, contra Megethium, & Marcum, Drosertum, Valentem, & Marinum, hæreticos, singulis hæresim suam defendentibus, coniunctisque animis ac studiis, vt aduersus Adamantium de Religione disputationem instituerent, malitiosè, quod reipsa intellectum est, conuenientibus. Adoptarunt autem sibi omnes philosophum Græcum, Eutropium nomine, omnium dictorum moderatorem ac iudicem. Vnde Eutropius, causa religionis pertractata & elimata, persuasus veritate, euasit Christianus: ac cum eo Græci pariter multi etiam hæretici. Erat enim cum illis schola communi quasi conspiratione coacta. Victoria demum penes Ecclesiam catholicam fuit: atque non secus ac puluisculus à facie venti dispellitur, sic eorum dissipata fuit & explosa sententia.

ADAMANTII ORIGENIS

DE RECTA IN VNVM DEVM FIDE CONTRA TRIA Megethij Marcionistæ principia Dialogus Primus.

ARGVMENTVM ET PARTITIO DIALOGI.

PRima coitio Origeni cum Megethio fuit, qoi Marcionista trea ἀρχὰς id est, prïocipatos seu, eodem seosu, principia statuit, ἀγαθὸν, δημιουργικὸν, πονηρόν: Bonum, Christi Patrem esse vult & præesse Christianis, Cooditorem Iudæis, Malum Ethnicis. Contrà suam Adamantius fidem proponit, adscito in Iudicem Euttopio: Ex qua sententiarum conflictione nascitur Quæstio: Sintne tria principia, ao vnum potioa? Ea hoc qoasi fonte suboritor secundaria, An lex Christi aduentu sublata sit? &, Repognétne legi Eoangelium? Defenditur Catholica fides, primò, vnitas persooarum in sancta Trinitate, secuodo, vera scriptoræ veteris ac nouæ harmonia & cõsensio. Negotiũ egregia & perspicua methodo tractator. Est eoim Dialogus ferè totos λυτικὸς seu ἐλεγκτικός, atque coosumitur in Megethij rationibus cõfutandis, quæ ἐκ τῶν φαινομένων ἀντικειμένων petitæ priore loco sunt collocatæ, posteriore eas Antitheses falsas indicat Adamantius, & conciliat. Incurruot io hanc disputationem loci commuoes de fide, de Euangelistis & Euangelij scriptoribus, de aotoritate, consensu & spirituali interpretatione scripturæ, de aduento Messiæ benedicti, & aliis oonoullis à nostro vsu & temporibos haud alienis.

PRIMI DIALOGI PERSONÆ.

Adamantiua	Catholicus
Eutropius	Iudex
Megethioa	Marcionista.

Adamantios.

Exordiũ γνωμικόν. QVi studio veritatis ducontor, & humanitatem motom cõsectantor, quique huius mundi curriculom bene decursari sunt, simúlque in eam, qoæ maximè digna est expetitiooe & admiratione de Deo fidem intuentor: præstabilioris illi quidem & perfectissimæ gloriæ compotes sunt: Contrà vero, qui animo lubrici, cognitione coriosi, ratione deuij sunt, pro gloria, Deum etiam ignominia dedecoréque afficiunt. Ex quo nun paruom periculom creare mihi videtur istorum perniciosa & praua de Deo fides: aptam aotem & Deo congruentem æstimationem & fidem basim virtutum omnium & firmamentum censeo. Quocirca tentemus rem sermonibus, siquidem tibi visum sit. Megeth. Quibos est præfatus verbis frater Adamãtius, pro me diait: Scimus enim & nos fidem sanámque de Deo opinioorm rebua omnibus antestare: Quare ad disceptatorem aliquem rea deferenda est, qoi vtroque audito diiudicet in vtro sit vera & legitima fides. Ostendam enim vos Deum magis blasphemare, quã honorem & gloriam ei triboere. Certè verum Deum, qui Boous est, cognoscere abnuitis, sed alium eius loco Bonũ erigere voltis: cum Christus affirmet, Nemo bonos nisi vnus pater. Eutrop. An vterqne me legitis in iudicem? Adaman. Vterqoe. Eutrop. An oemo etiam iudicio stabitis? Megethios. Stabo, tuámque sequar sententiam. Adaman. Celebres & haud vulgares auscultatores adsunt: Quòd si rite illis tuum iudicium probaocris, addam & ego meum calculum iis, quæ abs te secundum veritatem dieontor. Megeth. Vis vt primum ego ea scripturis hanc ingrediar disquisitionem? Adaman. Imò primom constituat Megethioa aliquam opinionis suæ circumscriptionem, vt sic eorum quæ posita sunt, demoostratio ex scriptoris sumatur. Megeth. Quinimò Adamantius decidat nobis prior, quippe is fuit autor ordiendi sermonis. Eotrop. Enimuero æquum, vt qoi orsus sit, prior ipse defioiat. Adaman. Credo vnum omnium conditorem esse & opificem: & qui ab illo est, Deom verbum consubstantialem, iuatíque perennem eúmque extremis tẽporibua homioẽ ex Maria assumpsisse, & in Crucem actũ & excitatũ à mortuis: Credo etiam spiritui sancto, qoi in omnem æternitatẽ existit. Similiter hic caplicet. *Fides Catholicorũ.* Megeth. Ego tria esse principia statuo, Deũ patrem Christi bonũ: Et alium Creatorẽ, porrò alium Malũ. *Fides hæreticorum* Naio bonus ille nec malorum est effector, neque prognat' ea muliere, nec mondus ab eo est conditus, sed ab omni nequitia & effectiooe alieous est, atque hæc ita esse demõstrabo. Adaman. Tria diait esse principia. Necesse est vt quod instituisti eapleas Nomẽ enim τῆς ἀρχῆς, id est, principij seu principat' διὰ τὸ ἄρχειν τινὸς videtur esse deductũ

Status quæstionis.

Confutatio propositionis Megethij.

G quod nimirum præsit alicui: quomodo & Dominus appellatur, quòd cuipiam dominetur. Responde igitur, in quos principatum obtineant tria hæc principia. Megeth. Principium illud bonum præest Christianis: efficiens Iudæis: ac Malum Ethnicis. Adamantius. Sunt ne horum trium voluntates ac sensus inter se congruentes, an commune inuicem nihil habent? Megeth. Nihil inter se habent commune. Adaman. An tres illi pariter ad fingendos formandósque homines conuenerunt, vel separatim quisque sibi creauit hominem, in quem dominatum habeat? Megeth. Non illi tres creauerunt homines, sed vnus. Adaman. Quis ille de tribus? Megeth. Ille Iudæorum. Adaman. Quum Iudæorum Deus homines crearit, quomodo aut qua causa Bonus ille simúlque Malus homines præsident? Etenim vtrinque doceri potest, fabricatorem illum bonum esse: Si enim de iure suo illis relaxauerit volens, vt suis eos dumtaxat sineret, bonus vt sit necesse est, qui etiam propria concedit alienis. Quòd si Bonus ille pariter ac malus propter imbecillitatem fabricatoris, eripuerint, erunt videlicet illi mali, vt qui res alienas concupiscant. Eutrop. An bonum prædicas, qui rapit fabricatori quæ ipsius sunt, & imperium sibi sumit in alienos? Quomodo fieri potest vt bonus dicatur is qui tollit aliena? Megeth. Non sustulit, sed miseratus, filium legauit vt bonum, & nos liberauit. Adaman. Vt misereatur alicuius, oportet vt H quidam consensus concentúsque doloris adhibeatur erga id quod nos quadam ratione attingit, nobísque cognatum est. Commotione ergo hac vsus est bonus in suos vel in alienos? Megeth. In alienos. Adaman. Nunquid illis indulsit tanquam bonis, an vt malis?

Megethius. Velut peccatoribus. Adaman. Antequam conciderunt peccatis homines, probi sunt effecti à Conditore vel improbi? Vel igitur tanquam bonos appetiuit vel tanquam malos. Si vt malos, est iam malorum expetitor: At bonos nequaquam expetit malos. Sin tanquam bonos, ergo erit fabricator ille bonorum effector, ergo etiam bonus. Nam prout sunt quę quis facit, ita nomenclaturam habet, vt misericors à miserendo dicitur, & quę sunt de hoc genere. Megeth. Nec ceu bonos eos adsciuit nec ceu malos, sed totis visceribus effusus, commiserabatur. Eutropius. Hæc scilicet dictitat est Megethius, neque diem esse neque noctem sed quiddam inter hæc medium atque confusum. Explicet igitur quid sit quod dicit, homines neque bonos esse neque malos conditos. Quid ergo relinquitur in medio bonum inter & malum? Megeth. Captiones istæ sunt. Ego verò ex scripturis enucleabo tria esse principia. Adaman. Quid igitur? Æqualiáne potestate sunt, an alia præstant aliis atque eminent? Megethius. Absit, non enim sunt paria. Adaman. Quodnam ergo I est excellentius? Megeth. Boni principium multò est valentius. Adaman. An non proinde sunt minutiora principia sub robustiore subiecta? Megeth. Subijciuntur. Adaman. Itaque ex arbitrio præstantioris inferiora principia exequuntur omnia. Megeth. Nequaquam ad voluntatem illius isti mala patrant. Absolutè enim & omnino est ille potentior. Siquidem ipse Christus adueniens vicit diabolum, & Creatoris euertit dogmata. Adaman. Quid? Bonine assensu existunt etiam isti? Megeth. Non. Adaman. Ignorat ergo illos esse? Megeth. Non ignorat. Eutrop. dicis fortiorem esse illum bonum, præterea nolle illos esse. Quo igitur pacto fieri potest? si valens sit & præstans viribus & porrò non velit eos esse, sunt autem tum adeò concessit: Vel illos esse vult, vel non potest tollere, vel nescit existere. Megeth. Ego ostendere possum falsa esse Euangelia. Adaman. Quibus tandem probationibus potes demonstrare id ita se habere? Megeth. Ex ipsis Euangelijs ostendo contaminata. Adam. Et me admittes etiam, modo ab ipsis Euangelijs probauero ea non esse adulterata? Megeth. Admittam, modo vt ostenderis. sed recense mihi primum eorum nomina qui Euangelia conscripserunt. Adaman. Discipuli K nimirum Christi scripserunt, Ioãnes, & Matthęus, & Marcus, & Lucas. Megeth. Marcum & Lucam non habuit in discipulis Christus, & propterea vel hinc reprehendi potestis, falsa quippe effingentes. Cur enim ea non perscripserunt hi quorum nomina in Euangelio descripta sunt, sed ij qui non extant inter discipulos? Et quis demum est ille Lucas aut Marcus? Proin meritò caditis in hanc reprehensionem, qui nomina non consignata scripturis adducitis in medium. Eutrop. Cum Christus circum se discipulos haberet, an non his potius hoc muneris delegasset, quàm illis qui in censum discipulorum non venerunt? Nec hercule illud mihi conueniens videtur. Siquidem ipsos potius discipulos ad huius officij perfunctionem cooptatos oportuit. Adaman. Etiam & hi discipuli sunt Christi. Megeth. Cum vt recitetur Euangelium, & deprehendes ibi nullam istorum nominum mentionem scriptis esse proditam. Eutrop. recitetur. Adaman. Apostolorum nomina duodecim recitata sunt, non etiam* septuaginta duo. Eutrop. 6 ʒ
Quot habuit Christus Apostolos? Adaman. Primum amandauit duodecim, pòst septuaginta duo, vt Euãgelium annũciarent. Marcus igitur & Lucas quum in numero septuagintaduorum essent, ipsi etiam Paulo Euangelium prędicabant. Megeth. Et hoc impossibile, vt illi vnquam aspicerent Paulum. Adam. At ipsum ostendam Apostolum Marco simul & Lucæ testimonium L tribuisse. Megeth. At ego fidem non tribuam tuo supposito Apostolico. Adam. Produc tuum apostolicum licet maxima ex parte mutilatum & decurtatum sit, & Marcum & Lucam Paulo administros fuisse doceo. Eutrop. doce. Adam. Lego in extremis Epistolę Pauli ad Colossenses, Salutat vos inquit, Aristarchus captiuitatis meę consors, & Marcus consobrinus Barnabę (de quo in mandatis habuistis ad nos vti veniat) excipite itaque illum: & Iesus cognominatus Iustus è circumcisione, hi soli mihi fuerunt adiutores ad regnum Dei: qui solatio etiam mihi fuerunt. Ac deinde: Salutat vos Lucas & Demas. Citaui demonstrationes huius Epistolę. Vides igitur ipsummet Apostolum illis testificari? Eutrop. Aperta satis est harum rerum designatio. Megeth. Contrà arguo mendosa esse Euangelia. Dicit enim apostolus vnum Euangelium & vos memoratis quatuor. Adaman. Quatuor quidem sunt Euangelij scriptores, Euangelium autem vnum: siquidem Christum decantarunt, & eandem rem enunciarunt. Quod si alium atque alium Christũ quisque prodidisset & Euangelizasset, tunc credibiliter ista diceres. Sin autem eundem nobis Christum quatuor concinant, non amplius quatuor sunt Euangelia, at vnũ duntaxat. Meg. Non dixit apostolus secundum Euangelia mea, sed secundum Euangeliũ meum: Ecce vt vnum cõmemorat esse, & porrò dicit, Si quis vobis Euangelium aliud nunciarit, prętERquam id quod Euangelizauimus vobis, sit execrationi deuotus. Quum ille proinde vnum esse dicat, quomodo vos quatuor esse contenditis? Adam. Etiam & nos vnum Euangelium confitemur esse, sed autores tamen Euangelij quatuor. Megeth. Sed neque sunt quatuor Euangelistæ, imò verò vnus. Dicit enim non esse aliud: Secundum Euangelium meum: Nisi quòd sunt qui turbant vos, & in aliud vos Euangelium Christi transuersos volũt traducere. Adam. Quum ipse asseueret Paulus, plures esse Euangelistas, quamobrem tu vnum dicis? Megeth. At nec id quidem dixit multos esse Euangelistas. Adam. Habeo in manibus Apostolum & commostrabo eum in Epistola ad Galatas dicere, Sed etiamsi nos, vel Angelus de cœlo, aliud vobis Euangelium nunciauerit, præter quod vobis nunciauimus. Nunciauimus dixit. Si enim vnus fuisset, dixisset, præterquam quod vobis nunciaui: Hoc vero nunciauimus, multitudinis complexionem habet. Eutrop. Istud, Nunciauimus, designationem habet multorum, non vnius. Megeth. Sed de istis non innuit, sed de Syluano & Timotheo. Eutrop. Qui prius soli Paulo attribueres Euangelistę munus, nunc

Coloss. 4.

M

Rom. 2.

Gal. 1.

Gal. 1.

A nunc etiam confiteris esse alios. Ergo & alijs permissum discipulis Euangelium prædicare, siquidem Syluanus & Timotheus & Paulus prædicarint. Cum verò dicat Paulus, Secundum euangelium meum, probabile est multos esse Euangelistas, vnum tamen appellari Euangelium. Megeth. Atque dissonant Euangelia, & alia atque alia dictitant, vnde apparet deprauata esse. Adamantius. An alium atque alium Christum ebuccinant? An in hoc putas dissidere? Megeth. Minimè, sed pugnant tamen. Adaman. Definito mihi vt volueris: Nunquid dicis ex interiori intelligentia, an ea nudis verbis scripturas esse pensitandas? Et si vis, eloquere, vt sic nostra instituatur inquisitio. Megeth. Verbis alijs eas esse censeo, & eum afferre sensum, quem scriptio ostendit & non alium. Adam. Ait itaque Christus, Filius hominis sum. Ex tua ergo sententia filius hominis est, & non Dei? Megeth. Christus dei est filius. Eutrop. Dicebas scripta sic se habere. itaque quomodo filius est Dei, quum filium hominis esse se commemoret? Megeth. Parabula vsus est, cum se filium hominis appellaret. Eutrop. Parabolæ igitur latent in comprehensione sententiæ, an in ipso sensu verborum? Megeth. In comprehensione ac vi sententiæ. Eutrop. Quomodo ais ergo taliter è verbis scripturas æstimandas? Idcirco peræquè in intelligentia versantur ac in verbis: Et in quo verbotenus videntur discordare, mens & intelligentia eadem inuenitur. Me-

B geth. Partim quidem in significatione consistunt, partim in scriptione. Eutrop. Videtis instabilis ista sententia & volatica. Megeth. Vbi accommodatur parabola, ibi sunt in intellectu ac complexione mentis, alia vero sunt in ipsis verbis impressa. Adamant. Illud scilicet agis, de filio hominis parabolam esse scriptam. Recognosca mecum non esse παραβολικῶς seu per similitudinem scriptum. Vnde igitur demonstras quòd filius sit Dei? De Duobus enim largieris alterum. Nam secundum placita tua, vel mendax inuenitur Christus, qui hominis filium se dixerit esse, quum homo non esset: vel diuinas omnes scripturas sub mentis notionem cadere necesse est, tametsi nulla parabola adhibita fuerit. Quocirca & omnem scripturam à deo aspiratam esse, ab Apostolo dicitur. Ac illarum conuenientia in animi perceptione cernitur, & sub complexionem mentis recidunt vniuersæ scripturæ. Nec ea quæ in verbis argutè eminent, sunt vsque adeo vera & dilucida. Megeth. Docebo vnum esse Euangelium. Adam. Quis nam est qui Euangelium literis commendauit, quod vnum esse prædicas? Megeth. Christus. Adaman. Quid: scripsitnè ipsemet Dominus, In crucem affixus aram, & tertia die resurrexi? Itane scripsit? Megeth. Paulus Apostolus illud addidit. Adam. Aderat siqui-

C dem Paulus cum ad crucem affixus erat Christus? Megeth. Ille simpliciter illustrauit literis Euangelium. Adaman. Quod si demonstrato non affuisse Paulum, sed consecutis temporibus insectatum fuisse Ecclesiam, an fies Christianus? Megethius. An non Christianus sum? Adaman. Cuiusmodi tandem Christianus, qui ne sustines quidem appellari nomine Christiani? Non enim vocaris Christianus, sed Marcionianus. Megeth. Et vos à Catholica ecclesia sortiti estis nomen, non estis igitur & vos Christiani. Adam. Rectè quidem esset abs te dictum, si hominis cognominationem haberemus. Sin propter vniuersitatem quæ per mundum dispersa est sic appellamur, quid hic subest mali? Megethius. Proba igitur fas non esse

Tituli & nomina. hominis insigniri nomine. Adam. Etiam paulò amplius demonstrabo, vsque eò abesse, vt Episcopi nomine liceat vocari, vt ne ab Apostolo quidem appellationem accipere sit permissum. Vter fuit maior, Marcion an Paulus? Megeth. Paulus. Adaman. Audi igitur si placet, ipsam Pauli, qui præstantior erat, interdictionem, Auditum est

[illegible] mihi, inquit, ab his qui sunt Chloes, quod contentiones

1.Cor.1. inter vos sint. Nam alius vestrum prædicat, Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego vero Cephę. Num diuisus est Christus? Num Paulus pro vobis crucifixus est? vel in Pauli nomine baptizati estis? Megeth. Tu mihi nomen attribuis, ego appellor Christianus: Quin & hic quidam Socratici no- D minantur. Adaman. Ego prorsus inficior nomen Socratis, nescio qui fuerit. Eutropius. Si vterque accersatis vobis nomina, necessium est, vt vterque auertetur. Adam. Ego Socratem qui fuerit nescio, repudiátne & ille marcionem? Megeth. Episcopus meus fuit Marcion. Adam. Ex quo tempore Marcion è vita decesserit, quum tam numerosæ Episcoporum imò verius pseudepiscoporum successiones prosecutæ fuerint, quamobrem non successoris cuiuspiam nomen in vestram est sectam deriuatum, sed ad illius Marcionis nomen adhæsistis? Eutropius. Quum Apostolus Paulus vitio dederit aliquibus quòd ipsius, & Apollo, & Cephæ nominibus se venditauerant, docuimento est, fas non esse nomen Episcopi vsurpare. Magis enim conueniret ad excellentius nomen accedere quàm ad deterius. Megethius. Si dicendi potestatem feceritis, ostendam tria esse principia, & quòd alius sit legis Deus, alius ille deus Malus, & hęc esse eiusmodi, vestris ex scripturis demonstrabo. Eutrop. Primum exponatur, an tria sint principia, an tres naturæ, & tum, quæ sit cuiusque dispensatio, liquebit. Adaman. Doce tria esse principia, & postea dic quod lubet. Mege. Ostendam Conditorem illum alia legib. mandasse, & Christum alia huic contraria. Adam. Quia nimirum suspicaris repugnantes esse inter se. & diuersas leges, propterea alium atque alium tibi Deum fingis. Megeth. Et secum profectò nemo vnquam dissidet ac pugnat, quemadmodum Euangelium legi ex aduerso repugnat. Adam. Conditor ille Deus, quē Iudæorū esse dicis, an solus est & vnus, vel multi sunt? Megeth. Vnus est Iudæorum. Adam. Illustrius aliquod mihi exemplū videtur apponendū & attingendū, quò planius fiat, quod agitur. Quemadmodum fœmina quæ liberos edidit, non statim solidis illos educat nutrimentis, sed lacte primum molliusculè fouet, postero tempore, vegetiorib. cibis vtitur & fortioribus: (nec Paulus ignorauit hominibus iuxta progressiones, quas in lege fecerunt sese dedere, inquiens: Lactis potione vos alui, non cibo, nondum enim poteratis, imò etiamnum quidem non potestis, adhuc namque carnales estis:) Consimili ratione vsus est Deus. Nam & is secundum habilitates & progressus hominum leges suas posuit: Adamo enim alia velut infanti proposuit, alia Noe, Abrahamo alia, alia per Mosen sanxit, alia Euangelio prodit. Atque ea tamen omnia pro accommodatione & captu mundi tum orientis, post medij, vltimò occidentis: Perfectissimis autem velut de cella quadam & thesauro perfectissima depromens. Sed ne inconsistenti & eneruj oratione me vti putes, eundem argumentis vnum Deum vtriusque autorem & latorem fuisse. Mandauit enim Abrahamo vt suum filium interficeret: Posterius verò lege cauit per Mosen, neminem interficiendum, sed qui cædem fecerit, vicissim occidendum. An igitur binos propterea affirmatis esse Deos, sibíque mutuò aduersantes, quòd idem pro iusto habeat occidere & non occidere? Eutrop. Idem videlicet præcipit occidere & non occide- F re. Adam. Omnino idem. Nec in hoc solum illud fecit, sed id etiam frequens est & solenne in alijs, vsque eò vt non rarò legem iubeat de victimis & sacrificijs rite procurandis, alias verò contrà prohibeat. Quin dicat igitur, num alius Deus fuit, qui Isaac mandauit occidendum, alius qui interdixit: rursus qui sacrificia offerre iussit, & qui non offerre? Eutrop. Sic sane in scripturis continetur, aliquando vt permittat fieri sacrificationes, alias vt aspernetur. Quid refers Megethi? Idémne est Deus qui leges mutat, vel bini sunt, quorum vnum nobis electorem constituisti: Itáque non iam tria principia, sed quatuor, & ita vestrum simul dogma loco mouetur. Megeth. Ille, Iudæorū, idē fabricator est: at qui noster est nō est eius filius? Adaman. Quo tandem illud docebis argumento, Christum non esse filium illius conditoris? Megeth. Isto scilicet, quòd Christus omnia conditoris acta perfregerit, & liquidè ostendam confregisse. Adaman. Quo explica ita euertisse. Megeth. Deus ille generationis, Mosi ex Ægypto discessionem adornanti, in hanc præcepit senten-

Marginal notes (right column): ὑμετέ-ρων. — Epanodos ad constitutionem. — Lex & Euangelium non pugnant. — E — 1.Cor.3. — Exod. 12

G tiam. Parati estote mihi lumbis præcincti, pedibus calceati, virgas in manibus vestris habentes, & sacculos auro & argento cæteráque omnia auferte ab Ægyptiis: Noster autem Dominus bonus discipulos suos per orbis vniuersitatem ablegans dixit: Neque calceaméta in pedibus vestris, neque sacculum, neque binas tunicas, neque æs in zonis vestris. Ecce quàm luculentèr Bonus iste noster, illius decreta oppugnet. Eutropius. Istuc quidem, argentum & peram accipere, & non accipere, idem omnino mihi videtur, vt occidere & non occidere, sacrificia nuncupare & contra. Ergo sic abs te quæro. Quum ille molitor Abrahamo delegarit, vt filium iugularet, aliúsne sit ille legis eius autor & rogator, quæ aduersus homicidium est, & porrò alius Abrahamo qui mandauerat? Adaman. Quòd si hæc pugnantia vnus sanxerit, eáque etiam approbarit ex optima esse regula & ratione firmata (quantumuis nobis videantur discrepantiora) quomodo tandem, quòd aliqua in Euangelio occurrant, quę videntur esse à quibusdam legis sanctionibus abhorrentia, propterea geminos affirmas esse deos qui ea iubent? cum tamen id planum non feceris. Itaque ipse legis deus, vnus cùm sit, quónam modo dixit, occidendum & non occidendum? Hoc verò si ei liceat, vt Deo, iuxta opportunitates, secundum quod voluerit, imò
H verò iuxta quod vtile probauerit, leges sciscere, apertum id quidem est eundem præcepisse, vt instructum viæ & viatica sumerent, & non sumerent. Causam verò harum rerum, ego non possum dicere, res autem pariler mihi videntur & similer. Eutrop. Quid ais. Megeth. Ille deus num nam vnus est, an bini qui in lege pugnantia mādat? Megeth. Ille quidem idem est, attamen Christus non est eius filius. Eutrop. Si ea de causa Christum ab alio natum esse dicas, quòd legum quædam contradictio videatur esse & repugnantia, erras tu quidem Megethi. Siquidem iam patefactum est, eundem ipsum leges etiam maximè proprias & suas exautorare. Quod etiam ipse cōfessus es. Adaman. Si quod antea pro capite & firmamento sumpsit, consisteret, demonstrabitur vnius hæc & eiusdem dei esse. verumtamen ostendo, hoc non contrarium, sed rebus tantummodo variari & distingui. Nam qui Hierusalem à Christo mittebantur, illi quidem pacificationis legationem obierunt, qui verò ab Ægypto, bello suorum hominum diuexari suerunt. Cham enim puer ser-
Gen.9. uus erit fratribus suis, referente scriptura de filiis, Noe, Sē, Cham & Iaphet: Cham seruus seruorū erit fratribus suis. Oportuit igitur vernaculos & domesticos seruos, qui bellum hòc concitarunt, bello excindi. quid? quod etiam Euāgelio familiare est malos vlcisci, eósque vita expellere. Nā
Mat.24. sic inquitur: Veniet dominus serui illius nequam, ad diem quàm ignorat, & ad horam quam non expectat, & disse-
I cabit illum, & partem eius reponet cum incredulis. Quocirca iustum est, vt qui bellum iniustè mouerunt, iustissimis armis opprimantur. Est etiam consentaneum, vt qui pacē prædicant, ab armis nudi & vacui prædicēt, maximè cùm accedat illud Esaiæ prophetę elogium: Quàm speciosi sunt pedes Euangelizantium pacem: Quin & certa est apud illum temporis notatio, ad quam oportet arma concidi & silere. Dicit enim, De Sion exibit lex, & sermo do-
Esa.2. mini de Hierusalem. Et iudicabit in medio gētium, & populum copiosum arguet, & gladios suos concident in aratra, & lanceas suas in falces. Nec gens in gentem sumet gladium, nec vltrà bellum discent gerere. Eutrop. Non ergo hic quicquam est repugnantiæ, quùm sit probatum, etiam Christum pœnam irrogare malis cùm dicit, se nequam illum seruum esse medium conscissurum. Megeth. Propheta Dei, eius qui molitionis & fabricationis autor est, prælio in populum exardescente, verticem montis cōscendens manus suas expandit ad Deum, quò multos bello tolleret: At noster Dominus sanctus videlicet, manus suas non pro interemptione hominum extendit, sed pro conseruatione. Quid ergo simile est, cum ille manuum sublatione deleat, hic seruet? Adaman. Necesse est vt expansionem manuum vtriusque grauius consideremus, tam Mosis quàm Christi: Et si quidem fuerint similes ac consonæ, bene habet, sin aduersæ & deiunctæ, ita sanè de- K
monstrandum. Etenim manuum porrectio quidem Mosis, populo credenti opem & salutem attulit, ac aduersarios extinxit. Similiter & illa Christi fecit. si enim extensio manuum Christi omnibus tribuerit salutem, tam credentibus, quàm non credentibus, & homicidis, & adulteris, aliquid habes quo ster. Sin verò credentes salutē per illum sunt consecuti, non credentes autem interierunt, non secus quàm Amalec, quid dissentaneum est, aut contrarium? imò post illam porrectionem manuum Christi Templum simul & vrbs eorum infidelium euersa & funditus deleta fuerunt, & populus disiectus fuit, & perut. Compar proinde fuit & assimilis vtriusque manuum proiectio, etiā illa Mosis adumbratio fuit ac typus Christi: Ambo siquidem credentes seruarunt & incredulos perdiderunt.
Adaman. Sed par non est neque adsimile. Eutrop.
Videris mihi minimè ea capere quæ dicuntur. Tum enim Matth.5.
res discriminata esse videtur, cum vnus fidelibus, alter verò infidelibus salutem confert. Atqui iam vtrunque idem effecisse compertum est. Nihil igitur est quòd hic contradicas, sed aliud si quid habes explicā. Megeth.
Legalis dominus inquit: Diligentem te diliges, & odio persequeris inimicum tuum. Noster verò, vniuersæ bonitatis Dominus: Diligite inimicos vestros, & orate pro insectantibus vos. Adaman. Pulchrè quidem abs te dictū L
fuisset, siquidem in Euangelio solo esset positum. Siquidē in lege inuenitur scriptū: Si videris (inquit) bouem inimici tui errantē, nō sines eū perire, sed aperies, & restitues illi bouem suum. Etiam rursum. Si videris asinum inimici tui de via collapsum, nō præteribis illum, quoad erectum rursus oneraueris. Quid? quod populus cùm impetum fecisset Num.10.
in Mosen, vti eum è vita tollerent, & offudit se gloria do- 1.Sam.1.
mini, atque fas erat inimicos illos pœna mulctari, qui cōcitationem illam & concursum fecerant, & irruit secundum quod scriptum est, vastatio. Itaque iam iam periturus erat populus, nisi Moyses, depositis inimicitiis, pro inimicis suis deum precibus solicitasset: dicens Aaroni: Occurre Occurre vastatori & cape tibi acerram in manu tua. Audiens Aaron occurrit, ac continuo cessauit cōfractio. Por- Matth.17
rò Dauid persecutione Saulis appetitus, etiamsi locus iam daretur illius interimēdi, manus tamen ei non attulit, imò contrà pro eo preces fudit. Et Hieremias coniectus ab inimicis in lacum, tantum abest, vt præteritorum malorum refricaret memoriam, vt etiam è diuerso ipse pro illis deprecatus fuerit. Euangelicis deinde literis dicit. Discedite à me qui perpetraris iniquitatem. Vides Euangelium Legi conuenire. Megeth. In quo conciunnt? Eutrop.
Quid ni verò eadem sint? Nempe quæ Christus faciunda proposuit, in lege præstita fuerunt & effecta. Præcepit ille diligere inimicos: Lex itidem vltionem inimicis inferre
prohibuit, imò nec bouem nec asinum negligi despicíue M
iussit. Et quamobrem Christus non oderat maleficos & Ephes.4.
flagitiosos instar bestium: Cùm ait, Discedite à me? quoniā inimicos repellere, amoris indicium esse nullo modo potest. Megeth. Propheta dei Creationis, quò plures belligerando conficeret, vsque eò solis occasum sistebat, dum occidio & cædes facta fuisset eorum, qui contra populum manus conseruerunt: Dominus autem hic Bonus dicit: Sol ne cadat super iracundiam vestram. Adaman. Equidē, si qui aduersus dominos arma iniusta ferant, eos exterminare è medio fas ac pium esse demonstratum est, Iden
Christus etiam ipse eum qui perditè sceleratéque vixit, in Num.12.
tenebras exteriores præcipitem dari iubet, vbi ploratus est & stridor dentium. Quod illud verò, Sol ne occidat super exacerbationem vestram, hoc ostenditur in lege non modo præcepto, sed etiam re ipsa factum. Etenim scriptū est Aaronem & Mariam sororem eius factis suis prouocasse Mosen, & inde propter irritationem Mariam in lepram incidisse: Mosen tamen in Aaronis negotio non expectauisse, donec sol caderet, sed contrà, Deum rogauisse supplicem, vt soror eius sanaretur. Quamobrem hæc vide in lege vsuuenisse, in iracundiam solem nō occidisse. Propheta demum concionatur clarissimè, Ne sitis memores iniuria-

A Iniuriarum quisque aduersus proximum suum in cordibus vestris. Es quo potest emergere tum in lege, tum in Euangelio illod esse, sol ne cadat super iracundiam vestram.

Megeth. Neutiquam verò hoc vspiam in lege traditum est, ne sol caderet. Quid alia pro aliis sopponis? Eutrop. Duntaxat absqoe causa Megethi pugnax esse vis & contentionis cupidus. Nam illud tam facto quàm mandato in lege expletum reperitur. Quippe cùm propheta in mandatis dat omnino iniuriarom tenacem nònne plus etiam dici videtur & enucleatius? præsertim cum Christus vnius *Veritas.* adeò diei circumscriptionem iræ indulgeat. propheta autem omnem prorsus iniuriarum memoriam esse obliterandam præcipiat. Megeth. Non mihi tu personam iudicis suscepisse videris, sed aduersarij. Adam. Nequaqoam Eutropius aduersarius tuus est, sed veritas. Illa nimirum obstrepere solet mendacibus. Est enim inuicta & immortalis veritas, Dei ipsius Boni germen ac flosculus.

Eutrop. Iudiceut sane ij, qui coram adsunt, aoditores, nũquid præter æquom & booum dixerim. Nam & ipse Græcos, Christianus esse peruelim, ideóque oportet meliori sententiæ accedere. Megethius. Ostendam legi repugnare Euangelium. Eutropius. Repugnet sane, non tamen pro bat geminos Deos, quoniam tute largitis vnum & eundem dixisse, Occide, & non occides.

Megethius. Ex eo tamen cooficitur, illum Creatorem B bonum non esse, vt qui ipse secum dissidet. Adaman. Si quòd diuersas leges eum maudare dicis, idcirco eum Bonum neges, æqua mente & hoc audi, Christum ab eo non discrepare, sed pariter cum Creasore dispares atque dissimiles leges sanciuisse. Etenim, inquit, Diligite inimicos vestros, & deinceps loquitur inimicis fidei, Ire in tenebras exteriores, quonam modo amore prosequitur inimicos, quos in tenebras exteriores protrudit? In boc qualis tandem charitas? Megethius. In lege ait, oculum pro oculo, dentem pro dente: at dominus vtpote bonus *Exod. 12* in Euangelio, Si quis te palma ceciderit in maxillam, ob- *Mat. 5.* uerte illi & alteram. Adaman. Pulchrè & apposité hæ voces legislatoris in legislatione ponuutur. Prima enim in lege, Oculum pro oculo, ex terrore conflata est, ne quis alterius oculom audeat eruere, desinántque ipsi inter se alij aliis suas exprobrare & commemorare iniurias. Itaque vt in lege pugnam terror impediuit sic & in Euangelio pari ratione prohibetur, ne propter leuissimam alapam contrà responsemus, mutuásque iniurias renouemus, sed potius credamus & acquiescamus. Hæc bęc sint, Metus & æquanimitas, vtrumque pacem constituens atque conseruans: Vnde hic quidem propter terrorem à pugna frenatur, ille aotem propter æquanimitatem pacem amplectitur. Si tergiuersaberis, solum in lege istas retaliationes cõtineri, ausculta quid nobis Euangelium referat, qua metimini mensura & remetietur vobis. & dilucidius adhuc ex C ipso Euangelio discite, Quisque secundum quod fecit fe- *Matth. 7.* ret, nempe quodammodo, oculum pro oculo, scilicet cùm dicit, Qui me negauerit coram hominibus, & ego negabo *Matt. 10.* eum coram patre meo qui est in cœlis. Efficitur hinc ex lege & ex Euangelio, singulos, prout fratri suo fecerint, reportaturos. Megeth. Propbeta Dei Helisæus (dei *3. Reg. 2.* inqoam creationis) ex syluis vrsam euocauit, vt egressa occurrentes sibi pueros deuoraret. Bonus autem Deus, Sinite, inquit, paruulos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum. Adaman. par est vtrinque in pueris *Matth. 19* aduentus considerare. Si enim eodem studio & consilio & pari modo accesserũt, bene habet. Totus enim rei cardo in destinatione & voluntate accedentium positus est. Qui Christum adierunt, benedictionis consequendæ causa venerunt: qui ad prophetam, propter irrisionem ac insultationem, hoc traxerunt secum, vt à feris necarentur. Qoandoquidem conclusum est, vnũquemque, prout gesserit recepturum. Iure itaque optimo, qui ad benedictionem adipiscendam venerunt, voti sui compotes euadere: *Matt. 26.* Contrà qui prophetæ illuserant, à feris lacerari & discerpi. Quo etiam modo pœnas luit Iudas, qui in dominum impiè peccauit. Sic enim ipse Christus, sententiam tulit dicens: Vę homini per quem filios hominis traditur, me- D lius erat illi, si natus non fuisset, vel postquam natus est, vt mola asinaria ei appenderetur, & in profundo maris demergeretur. Deiu inuenies prophetas multoties erga multos affectos misericordia, mortuósque aliquando ad vitam excitantes. Sed & Soumaoitis cum rogasset prophetam, mortuum suom filium receperat. Cõstat ergo, ex vno Deo *4. Reg. 4.* prophetas & Christum existere. Etenim ille vnus quem tu quasi oculatior solùm Bonum fingis, non autem iustum, nimirum Christus qua ratione iubet Iudam impiè iniusteque agentem, iustè in mare proiici? Quoniam arbitror qui in deliquentes animaduertunt, iusti illi quidem, non boni appellandi sunt. Nam iuxta sententiam tuam, qui solus Bonus est & non item iustos, nulli debet ille pœnam infligere, Est autem iustus, siquidem puniat. Isthuc igitur ita est dicendum. Nam illud in confesso est iustum illum Creatorem, cùm à Iuda nullo damno fuerat affectus, nihil habuisse causæ cur eum plecteret. Diabolus etiam eum supplicio cruciare non poterat, cum ab eo nec offensus nec violatus fuerat, sed contrà adiutus potius. Quem enim reformidauit exclamans: Quid mihi tecum? venisti ante tempus, vt me torqueres? huoc aspexit à Iuda morti traditum. *Matth. 8.* Quapropter cùm consentaneum sit neque Christum, Bonum videlicet, Iudam afflictasse, cùm Bonus à nullo pœnas deposcit: quemnam istorum trium Iudam puniuisse existimas? patet enim Iustum nulla lacessitom iniuria, neque cæsum non multauisse. Sin vindicauerit, necessum est eum ab illo vindicem fuisse constitutum qui iniuriam acceperat. Quod si verò Diabolus Iodam exagitauerit, non iam ma- E lus sed iustus erit. Is enim iustus habendus est, qui iniustum proditorem morti adiudicat & condemnat. Erit proinde noo malus sed iustus. At si Christus ab illo suppliciũ sumpserit, erit hoc à sua disiunctum diuersumq; sententia. Bonus enim nunquam accedet ad pœnam infetendam. Sin afflixerit iustè, nó quatenus iustus: accipe & illud Apostoli dicentis, Quisque a Christo recipiet siue bonum siue malum. Megeth. Quid omnino simile? occidit propheta, seruauit Christus. Adaman. E contrario perdidit incredulos, dixit nãque singulis, fides tua saluũ te fecit. Quare si fides cuiusque ex certo ac confirmato iudicio seruare solet, contrà perdit infidelitas. Eutrop. Sed enim qui propbetã accesserunt, ideo accesserãt, vt eis benedicẽdo fausta precarentur. Adam. Minimè, sed vt ludibrio & contẽptui haberent, quippe quẽ caluũ vocitabant. Eutrop. Æquum fuit pro aduentus institutione & proposito sic quoque recipere: tum præsertim dicenta Apostolo, à Christo seu bona seu mala reportari. Megeth. *Gen. 3.* Creatorem latebat, vbi Adam esset, inquit enim, vbi es? Christus aotem cogitationes hominum introspicit.

Adamant. Qui igitur Christus dicit de Lazaro, vbi posuistis eum? ignorauit fortassis vbi iaceret. Megethius. *Ioan. 11.* Non extat scriptum in nostro Euangelio. Adam. Scis F te recepisse ex nostro euangelio confirmaturum. At quia ita vis, vnde fit, qoòd Deus à principe dæmoniorum sciscitatur. Quod est tibi nomen? Ille autem ait, legio. Ita forsitan tuo iudicio nesciuit, & idcirco percontatus est.

Megethius. Nibil prorsus simile. Eutropius. Vtrunque mihi videtur ex ignoratione proficisci, si quis dicat vbi es? & quî vocaris? Adamantius. Non interrogandi sed commonefaciendi causa dicit Deus. Vbi es? Suggerit etenim & submonet eum antè benè beatéque vixisse, paulò quidem pòst transiluisse præceptum, iámque nudum esse, eùm ait, vbi es? Vide io quo statu fueris, & vbi es, qui ex paradisi deliciis excideris? Megethius. Cur ergo in lege dicit, vestem pro veste? rorsum hic Bonus Dominus, Si quis tuam aufert tunicam præbe illi & pallium. Adamantius. Hoc argumentum consimile est illi, Dentem pro dente. At ne tu putes remissè aut oscitanter nos respondere tuis propositis quæstiunculis (licet etiam videaris io locum Iudicis inuolasse, dum tuas ex scripturis obtrudis obiectiunculas, maior est enim qoi *Matth. 5.* obiicit quàm qui dissoluit) illud, Si quis tuam aufert vestem, in Euangelio quidem scribitur, in patriarchis au-

G rem reuera perficitur. Ioseph à fratribus veste dispolia-
tus, non pallium modo reddidit, sicuti in Euangelio di-
ctum est, sed & cibaria & vrgente ac stringente penuria,
victum atque omnia ad vsum cultúmque vitæ necessaria
subministrauit. Quinimo in lege præcipitur: Si quis frater
abs te argentum aut vestimentum accipit, & fœnus & sor-
tem illi restitues ac tunicam. Megethius. Propheta
dei, qui effectioni rerum præest, ait, Arcus mei intenti sunt,
& tela mea acuta sunt: Apostolus verò. Induite armatu-
ram dei, vt possitis ignita illius mali iacula restinguere.
Ephes. 6. Adamantius. Bonum bono opponitur, nec malum ma-
lo, nec lux luci, nec candido candidum, sed atrum albo
contrarium est. In quo igitur hæc prophetica ab apostoli-
cis verbis dissentire censes? An non intelligis, arcus, & en-
sem, & scutum & tela, & arma omnia ad rem bellicam
pertinere? Eutropius. Vtrius erat propheta Iustine
illius an mali? Megethius. Iusti. Adamantius. Qua
ergo de causa malum vocat Apostolus illum Iustum, di-
cens Tela illius Mali? Eutropius. Non ad eundem per-
tinent, Megethius. Deus creationis dispensator, cali-
gantem Isaac non amplius visui restituit: Noster Dominus
natura bonus, multis cæcis oculos aperuit. Adaman-
tius. Gubernationem & administrationem dei haud in-
telligis. Qui Abrahamum in senectute præter expectatio-
nem liberis donauit & donauit, qui Tobiæ visum indulsit,
H ne omnia magnifica facta percensendo protrahamus ora-
tionem: poterat quidem concessisse & Isaac ne cæcutiret:
Gene. 25. sed quia nolebat Isaac in Esaum suam conferre benedi-
ctionem, et atque dictum Rebeccæ, Maior seruiet minori,
propter mysterium & arcanam duorum populorũ signifi-
cationem, hæc illi offusa est caligatio, vt nolens succedenti
Iudæorum populo, vniuersæ futeque parentis Ecclesiæ, fœ-
licitatem benedicendo apprecaretur. Megethius.
Ex eo quòd crebris iactamur persecutionibus, & odio ho-
minum laboramus, nonne luce clarius est nos in alterius
dei potestate esse ac ditione, & à iurisdictione dei creatio-
Prou. 10. nis alienos? Etenim inquit, Cor regis in manu dei. Ergo
liquidum est, deum illum penes quem rerum procreatio
est, nos persequi, quòd in manu sua corda regum habeat.
Adamantius. Siquidem hæc antegressis temporibus ar-
gutè confinxisses, aliquam speciem probabilitatis habuis-
set, habuisset tamen facilem promptamque solutionem.
Nunc autem arbitror illud argumentum te ineptè adduxisse
& ad tempus parum accommodatè. Iam vero cum Rex
iste pius sit, religionísque studio flagret, quid? ais ne alte-
rum quempiam Deum superiori memoria ante hunc cor-
da illorum tenuisse & persecutorem fuisse, alterum autem
Deum huius cor flectere ac moderari? Melius enim ac a-
liter quàm illi reges, hic imperat, Quæ enim dissipatunt
illi, restaurat iste. quos odio prosecuti sunt illi, amore
I complectitur iste: quæ illi phana & idola in honore ha-
buerunt, hæc iste subuertit. Quocirca quòd tibi videtur
alium deum in illis egisse & viguisse, alterum vero hunc
versare ac vertere in eo summa elucet amentia. Non enim
modo nos in persecutiones delabimur, sed & prophetæ
multi, sed & ante ista tempora tres pueri Martyres fuerunt
testimoniúmque veritati constantissimè tribuerunt. Hoc
& propheta clamat, propter te morti tradimur tota die?
vnde Paulus eadem prophetica vocis vsurpatione accla-
mat, propter te morti tradimur tota die, similiter & Chri-
sti discipuli qui longè à tergo successerant, in pares quo-
que persecutiones deuenerunt. Necesse est te longè latè-
que abesse ab hac regula prophetarum qui persecutioni-
bus agitati sunt: Tum etiam à canone iustorum apostolo-
rum & discipulorum, qui pari modo propter Christum in
varias insectationes sunt deuoluti. Eutropius. Qui fit
ergo quod prophetas allegat? Si namque prophetæ pro-
ponant, & ille eodem modo: Liquidum est, illum non in-
uenisse, sed eos velut probatos & classicos vsurpare.
Megethius. Expressè nullis ad verbum, sed velut teme-
re fortuito vtitur. Adamantius. Demonstro ex multis
Apostolum ea citare ac comprobare, non reiicere. In pri-
ma ad Corinthios epistola, Ne glorietur omnis caro
in conspectu eius, ex illo vos estis in Christo Iesu, qui K
factus est sapientia nobis à Deo, & iustificatio & sanctifi-
catio, & redemptio, vt quemadmodum scriptum est: Qui 1. Cor. 1.
gloriatur, in domino glorietur. disertius deinde in eadem
Epistola declarat in hanc sententiam, Quis pascit gregem 1. Cor. 9.
& de lacte non edit? Num secundum hominem ista dico.
An non & lex ea dicit? In lege enim Mosis scriptum est,
Non obturabis os boui trituranti. Num de bobus curæ est
Deo? An propter nos omnino dicit? propter nos enim
scriptum est, quòd qui arat, debet sub spe arare.
Megethius. Animaduertis eum Mosis legem nomi-
nare, non Dei. Eutropius. Video eum Mosis legẽ
dicere, tamen probauit hisce verbis, Num de bobus curæ
est Deo inquit? An propter nos omnino dicit? propter
nos enim scriptum est: Vidésne vt communiat? vt illud re-
ctè positum ad probationem adsciscat? Etenim nemo ad
demonstrationem legem infirmam aut vitiosam adhibet,
sed meliorem & solidam. Vt si cogitares sententiam tuam
confirmatiorem facere, Paulum testem corrogares quò
firma essent & inconcussa quæ à te dicerentur Sic & A-
postolus lege teste vsus est. Megethius. Ex scriptu-
ris probabo, alium esse Christi patrem, alium fabricatorẽ.
fabricator quod ex scripturis innotescit, Adamo cæteris-
que ea tempestate hominibus notus erat: Christi vero pa-
ter incognitus est, quomodo & Christus docuit, quando
sic de illo loquitur: Nemo patrem nouit nisi filius, neque L
filium quisquam nouit nisi pater. Adamantius. Admo-
Matt. 11 dum rudis es & imperitus scripturarum, hoc enim à ser-
uatore solum prolatum putas. Audi Esaiam loquentem.
Bos cognouit possessorem, & asinus præsepe domini sui,
Israel vero non agnouit me, & populus me non intelligit:
Et Hieremias, quasi olim non fuisset cognitus, ait, omnes
me cognoscent à minimo vsque ad maximum eorum.
Megethius. Vnde igitur apud Ezechielem inquit? Agni-
tus eram patribus vestris in deserto. Adamantius.
Non iam quòd Ezechiel ait cognitus eram patribus eo-
rum, illi etiam eum cognouerunt. Nam dominus noster
Iesus Christus tanto tempore cum discipulis commoratus
dixit: Nemo nouit filium nisi pater: quamuis interea
conspiceretur ab omnibus, non erat tamen cognitus, di-
cens, Discedite à me qui perpetratis iniquitatem non no-
ui vos. Quid? Ille καρδιογνώστης qui omnes cordium la-
tebras videt, eos non cognouit? Certè illi non vt volebat,
suæ vitæ rationẽ instituerant. Intelligere enim cognoscere
dicitur, vt & Dauid, patres nostri non intellexerunt mi-
rabilia mea in terra Canaan, etiamsi viderint. Neque ve-
ro statim ex visu oritur cognitio. Videris quidem tu non
solum prophetis, sed & Euangelio palam contrariari: M
Cum Christus manifestò visus sit ab omnibus, & dicat,
Nemo nouit filium, vos comminiscimini prophetas illi
reclamare. Ergo & Christus & prophetæ agnitionem Dei
& ignorationem expresserunt. Eutropius. Certum est
quod Scripturæ intelligere interpretentur cognoscere,
quandoquidem ait propheta, Israel me non cognouit,
& populus me non intellexit. Tamen adiecit Christus,
qui etiam cum discipulis vitæ consuetudinem habuit, Ne-
mo nouit filium nisi pater, sed & cum illis versans addi-
dit. Nequaquam noui vos. Megethius. Luculen-
tius demonstrare possem Christum non esse huius iusti
filium, quum legalis ille nondum venerit. Si enim ve-
nisset, impleta essent ea quæ à Dauide de eo prædicta e-
rant. Quare (inquit) fremuerunt gentes: & populi medi-
tati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes con-
uenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Chri- Psal. 2.
stum eius: Et rursus: Postula à me & dabo tibi gentes
hæreditatem tuam. Et consequenter: Pasces eos in vir- Ibidem.
ga ferrea: Ex quo docet Christum, qui venit, alium
esse, quòd neque reges, neque principes contra illum fue-
rint, neque gentes pastæ sint aut rectæ virga ferrea.
Adamantius. Qui summa rerum potiti videbantur in Is-
rael, & regni gubernaculis assidere, mortísque ac vi-
tæ potestatem habere, aduersum Christum omnes
conuenerunt. Quod autem virga ferrea pascebantur,
ex

A ex prophetia Danielis ostendendum est, qui ait: Post aureum, argenteum, & æneum exurget regnum ferreum; quod Romanorum esse exponitur, quo regebantur ij, qui contra Christum conspirarunt. Sunt enim gentes in hæreditatem ei datæ, de qua hæreditate dicit Dauid: Domine recordare nostrûm in fauore populi tui, visita nos in salute gentis tuæ, vt celebretis cum hæreditate tua. Palam est itaque hanc esse hæreditatem gentium, pro quibus precatur. Eutropius. Si regum & principum autoritas non viguisset, quomodo poterat Christus subigi in crucem? Megethius. Daniel ait, Vidi, & ecce lapis recisus erat à monte absque manibus, & percussit simulacrum, & redegit in puluerem, & difflabatus à vento. Lapis erat ex Deo regnum illustre & conspicuum, & simulacrum, regnum in terra constitutum. Apparet ergo ex lege & prophetis Christum nondum venisse, quia si venisset, aliud in terra regnum, vt adumbrauit Daniel, non haberetur: Colligitur autem ex eo quòd omnia regna constabilita sunt, Christum legalem & propheticum nondum aduenisse. Adamantius. Quæ in scripturis dicuntur rectè, studio & dedita opera perperam intelligis. Prophetæ nanque & euangelium duplicem Christi aduentum declarant, alterû inglorium & ignobilem, nobilem & insignem alterum.
Esa. 53. De priori, Esaias ita, Vidimus illum, & decorem non ha-
Esa. 42. buit, neque formam, sed forma illius inhonorata erat, fi-
B lius hominum contemptior, & rursus: Ecce puer quem elegi, dilectus in quo conquieuit anima mea, non conten-
Zach. 9. det, neque clamabit in plateis, calamum attritum non cõfringet, & linum fumigans nõ extinguet: Et rursum: Exulta filia Hierusalem plurimum, clama filia Sion. Ecce rex tuus venit mitis insidens asino: vti & in euangelio manifestatus, vt asino insidens ingressus sit Hierusalem. Itaque clarum est quandoque spectabilem in gloria, aliàs in humilitate venisse. Hunc gloriosum aduentum Paulus intellexit, inquiens, In cohortatione Dei, in voce archangeli, in vltima tuba descendet de cœlis Deus, & mortui excitabûtur primi; deinde & nos qui residui facti sumus in aduentu ipsius simul cum ipsis rapiemur in nubibus, in occursum eius. Sicuti & expressit Daniel. Vidi quasi filium hominis ex nubibus venientem. Et in Euangelio, Sicuti fulgur descendit ab oriente, & apparet vsque in occidentem, sic erit aduentus filij hominis. Conuictum est ergo euidentissimè aduentum ipsius primum despicabilem & submissum fuisse, magnificum alterum futurum. Itaque cum ipse in terra fuerit, aliúmque aduentum in gloria prædicauerit quem esse deberet, vos forsan vtrinque huic aduentui refragamini. Nec etenim priorem eius aduentum agnouistis, nec alium expectatis: Vtpote quum diuinitus tradita parum assequamini. Megeth. Christum à lege & prophetis alie-
C num fuisse certam tibi rationem proponam. Ioannes eum non agnouerat, quòd nullo modo fieri posset, prophetam à primo ortu Christum & vnctum suum ignorauisse. postquam enim in carcere audiuisset Christi facta, missis duobus ad ipsum suis discipulis, dixit ad eum: Tu es ille qui venit, an alium expectamus? Adaman. Si de Chri-
Matt. 11. sto quæsiuisset Ioannes, dixisset, Tu es Christus? dicit enim: Tu es ille qui venit, an alium expectamus: Nunc igitur præ
Ioan. 1. sentia exquirere, non est prudentia. Cum dicit, tu es, & Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi, non ille nesciuit, quis is esset, interrogauitq; quæ præuius ac præcursor esset, & in tenebroso carcere. Nouit enim eû, qui dixit, Vado & mitto Paracletum, hoc est spiritum sanctum. aliter vero & accipe verius. Postquam discipuli eius duos Christi aduẽtus legissent, ignorassent tamen, quod is esset, qui de mundo exiturus erat, Ioannes traditurus domino discipulos (consentaneum nempe erat à Ioanne præcultos ac præparatos Christo postea tradi) discipulos hunc ablegauit, vti discerent, quòd is esset, necubi post illius mortem hallucinarentur: Ite ergo vos, audite, inquit, num ille sit. Spectare præterea Christi responsum. Adiungens sibi discipulos & cupiens docere, à factis auspicatus est, inquiens, Cæci vident, & surdi audiunt, & mortui excitantur, & beatus, qui non offensus erit in me. Prius ad hunc modum sibi eos ac-

cipiens, operibus admonebat, vti crederent, ipsum esse o- D
mnem in vniuersum veritatem. Megethius. Sic nos ab illo Christo qui apparuit alieni eramus & ipsemet Christus, qui apparuit, à deo qui creauit, disiunctus erat. Paulus habet, Christus nos emit, certum ergo vt alienos, suos enim nemo vnquam emit, alienos nimirum emit ac non proprios. Adamantius. Solutè admodum & inconsequenter argutamini. Quod si probares quod cogitasti, preclarè se res haberet. Sin rationem captas & venaris quæ solus enodarique nequit, haud piè sentis. Proponis Christum emere. Venditor quis erat? Nunquid auditione peruenit ad te simplex fabula, quòd, Vendens & Emens germani sunt? Si diabolus qui malus est, bono vendiderit, malus non est, sed bonus, vt qui ab initio infestus homini, nunc odio nullo agitur aut fertur, cum prædium quasi ac possessionem bono tradiderit. nulla igitur percitus inuidia, omnémque vitiositatem exuẽs, iustus erit. Itaque inuenitur deus vẽdidisse: imò qui peccatis commaculabantur, ipsi homines, sceleribus se abalienarunt, demum autem per illius viscera & ex singulari misericordia sunt redempti. Sic enim propheta testatur, Diuenditi estis peccatis vestris, & iniquitatibus abdicaui matrem vestram: Et alius alibi: Gratis venditi estis & non argento redimemini, Hoc autem. Non cum argento, videlicet sanguine Christi perspicuum est. Hoc enim confirmat: Ipse vulneratus est propter pecata nostra, vibice ipsius sanati sumus: E
Verisimile est iuxta opinionem tuam Christum nos emisse datu suo ipsius sanguine. Quomodo igitur & ex mortuis excitatus est? Nam ille qui pretium hominum accepit, sanguinem reddidit. Ergo amplius non vendidit. Si non reddidit Christus, quo pacto resurrexit? Non ergo illud consistit: Potestatem habeo ponendi & potestatem habeo accipiendi. Ergo pro hominum æstimatione & valore, diabolus Christi sanguinem possidet? O magnam & blasphemam amentiam, ô scelera, Mortuus est, resurrexit vt potens, posuit quod accepit. Hæc cuiusmodi erat emptio? Propheta dicit, Resurgat deus & dissipentur hostes ipsius: vbi resurrectio, ibi mors. Eutropius. Videtur mihi non emisse aliunde à quopiam. Quis vnquam sua emit? cedo. Adamantius. Christus ipse prophetis accinit quodammodo, cum inquit, Qui designat peccatum, seruus est peccati. Megethius A peccato redemit. Eutrop. Manifestum est eum peccatum appellasse dominum, & redemit, emisse dixit κατα χρηστικῶς, per abusionem. Megeth. At non dixit peccatum esse dominum. Eutropius. O stupiditatem singularem: In eo quod ait, Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati, nonne clarè satis demonstrat? Adamantius. Clarius adhuc suo sermone explicauit Apostulus his verbis. Quando eratis serui peccati, Liberi eratis iustitiæ. Rom. 6.
Quorsum enim est dicendus dominus, nisi porrò sit. qui F
subiit dominatui? Eutropius. Expositum est hoc dilucidè. Megeth. Christus dixit planè, Nemo potest duobus dominis seruire. Quid alia pro aliis ingeris? Adamantius. Quàm multos dominos putas illum inuenisse? Megeth. Quemadmodum significat Euangelium, Non potest arbor mala ferre fructus bonos, neque arbor bona malos fructus ferre, Duo commemorantur domini, Vide duas naturas, duos dominos. Adamantius. Quin totum pronunciati contextum recitas? sed quæ tibi conuenire iudicasti, excerpis, eaque solummodo inducis? Citabo igitur vt scribuntur: Ne-
mo, inquit: potest duobus seruire dominis, vel enim vnum odio habebit, & alterum diliget, vel vni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis deo seruire & Mammonæ. Eutrop. Mammonem quem vult nominare? Adamantius. Diuitias & argentum: Ratio quoque illa foris assumpta extra scripturas tibi fidem faciet, A quo quisquis vincitur, ab eo in seruitutem addicitur. Itaque Christus iubet opes nõ consectari, neq; Mammonæ seruire, sed deo soli adhærescere. Quisquis enim inquit facit peccatum, seruus est peccati. Eutropius. Si Mammonam velit peculiarem naturam esse, & parti- Matt. 6.

G cularem principarum, hoc est, diuitias, non erunt iam duo aut tres, sed plurimi: Quippe sol suam quandam oarutam propriam habebit & principatum: Luna etiam pari ratione, & astra, & aer, & aqua. Quomodo igitur affirmas diuitias suum obtinere principium, propriámque naturam? Megerh. Hoc ego non dixi, illud dixit Christus, *Matth. 7.* Non potest arbor mala fructus bonos proferre, neque arbor bona fructus malos proferre. Adaman. Hæc sententia non naturæ ergò sed hominum adducitur. Si de natura verba fecisset, non sanè fructuum fecisset mentioné, fieri enim non posse dicit vt mutentur. Adhæc ostendo ex Euangelio de hominibus qui suæ potestatis sunt, sermonem instituisse, & non de principiis. Sic etenim dicit, Venient ad vos in vestitu ouium, intus verò sunt lupi rapaces. *Matth. 12* A fructibus eorum agnoscetis eos. Et rursus, Bonus homo, ex bono thesauro profert bona, & malus ex malo thesauro profert mala, ex abondantia cordis os loquitur. K Ex corde enim proficiscuntur ratiocinationes malæ. Vides ex vna natura hominum quomodo seruator dicat & bonum & malum prouenire? Megethius. Non de hominibus hoc pronunciat. Eutropius. Ecquam demonstrationem lucidiorem hac postulas? Adamantius. Diaeras naturas esse immutabiles & perpetuas. Verum in Euangelio dicit, ex lapidibus se filios excitaturum Abraham. *Matth. 3.* Quod & Paulus Apostolus adprobat. Me quidem antè blasphemum & persecutorem & violentum. Qualis arbor erat, bona an mala? Responde. Megethius. Non quæro de Paulo. Adaman. Persecutor erat antè, *1. Tim. 1.* postea factus est apostolus. Igitur quomodo mala arbor fit bona, si non possit arbor mala fructus bonos producere? Et Iudas prius cuiusmodi arbor erat?

ORIGENIS CONTRA MARCI

DVO PRINCIPIA DIALOGVS

SECVNDVS.

PERSONÆ.

Adamantius	Marcus hæret
Eutropius	Megethius.

Argumentum.

H *IN vices Megethij succedit Marcus Marcionista, duo principia in ipsa statim propositione constituit, bonum & malum, illud dare salutem, hoc condemnare & iudicare, vtrunque ἄναρχα & ἀτελεύτητα* L *neque finem. Excurrit secundo loco in eum sermonem de lege conditoris & veteris ac noui fœderis repugnantia, quem instituit Megethius Hebraicarum literarum fidem elevans & calumnians, sed opponitur concentus, vnum legislatorem & conditorem esse ac Deum Christianorum & Hebræorum, Christum non hospitem aut nouum, sed conditoris in lege filium propheticis prædictionibus prænunciatum, legem esse πρωτότυπον Euangelij, bono deo Iudiciariam prærogatiuam tribuendam: Quod partim ἀνασκευῇ Marci obiecta reprehendendo, partim κατασκευῇ conficitur, dum veritatem & vnitatem personarum, & legis ac Euangelij conuenientiam confirmat Adamantius. In Epilogo dirimit totam controuersiam Eutropius, & secundum Adamantium præclaram fert sententiam, & Catholicæ Ecclesiæ cupit inseri.*

CATHOLICÆ, ID EST, VBIVIS SPARSÆ & propagatæ Ecclesiæ, victoria.

I MARCVS Marcionista. Equidem sic existimo non tria esse, sed duo principia, malum, & bonum. Adamantius. An per se ac sua vi existunt & principio carent? vel vnum habent principium suæ essentiæ, Alterum sine principio extitit? Marcus. Sua sponte & ex se nata sunt, omnis principij expertia. Adamantius. Sunt ne hæc duo principia nullis circumscripta terminis, an suis limitibus finita? Marcus. Nullis finibus terminata sunt. Adamantius. Vbiuis ergo tam malus quàm bonus diffunditur. Vbique enim fusum esse videtur, quod in nullam circumscriptionem cadit. Marcus. Sunt incircumscripti. Adamantius. Vbilibet igitur malus porrigitur etiam & bonus. Quod enim incircumscriptum est, vbiuis oportet esse. Marcus. Peruagatur in omnibus locis & bonum & malum. Adamantius. Num etiã inter se coniugata sunt [?] séque muto contingunt? Marcus. Neque coniuncta sunt neque contigua. Adamantius. Quod ergo disiunctum est & distat ab aliquo, non vbique dispersum est. Quomodo igitur duæ res locis disclusæ, & separatæ, extra omnem modum & complexum esse poterunt? Etenim quæ seiuncta sunt, necessario suis definita spaciis reperiuntur. Quod finem habet, habebit & principium, quod principium habet etiam finem habebit. Proinde neque vel absque principio, vel interminata esse iudicabuntur. Præterea locum qui capit, am- M pliorem esse oportet iis, quæ capiuntur. Eutropius. Siquidem dissociata sunt inter se duo principia, deum ipsum in particularem aliquem locum compingi necesse est dicere. Deum autem in parte esse, aut fine concludi nemo qui sanè sapit est qui existimauerit. Sin verò velint hæc bina principia se mutuo contingere, quorum illud quidem bonum, hoc vero malum: Malũ cum bono communicare, & bonum in mali societatem venire est necesse. Marcus. Suam habet vnumquodque vim & potentiam. Adamantius. Si cuique sua facultas propria sit, etiam suam peculiarem creaturam singulis tributam esse verisimile est. Vtrius esse putas homines, boni an mali? Eutropius. At quomodo bonus eos qui ad malum pertinent seuocauit ad se, cum par sit horum duorum conditio, ac ditio æqualis? Marcus. Cùm bonus hic videret homines iam per malum condemnationi proximos, accurrens à periculo damnationis liberauit, ἀμνηστίαν ac obliuionem, remissionémq; peccatorum tribuit. Eutrop. In quem nam peccarunt homines? Marcus. In malum. Eutrop. Quis has aniles ineptias tuas ferret? Quid? An qui proprio deliquerunt Domino, possuntne ab alio delictorũ remissionem consequi? Adam. Quamobrem horum alterum

A alterum malum, alterum bonum dicitis? An solis nominibus vtimini, an vnus bonus, alter re & opere malus videtur? Marcus. Reuera sunt bonus, & malus. Ada. Qui id tandem? Marcus. Nam seruat bonus, condēnat malus. Adamantius. Nunquid bonus appellatur quòd conseruat? Marcus. Maximè, seruare enim boni munus est & officium. Adamātius. Malus itaque causa erit huius bonitatis. Marcus. Quomodo? Adamant. Propterea quod nisi creatoris homines peccatis se polluissent, huius bonitas nunquā extitisset. Quia si nemo fuisset peccator, Deus non fuisset nominatus bonus, atque causa bonitatis illius erat peccantium condemnatio: Cæterum alio modo patet, si à seruando bonum illum appellites, illum ab initio bonum non extitisse. Marcus. Semper est bonus. Adamantius. Quando descendit vt homines seruaret? Marcus. Tiberio Cęsare regnante, & præsidente Pilato vti habet Euangelium. Adamant. Ita sexies millesimo anno descenderat, postquam ille Architectus hominem formauerat. Quinam igitur bonus erat, qui tanto interuallo conseruarit neminem? Marcus. Semper bonus erat. Eutropius. Affirmabas ideo boni nomenclaturam sortitum fuisse, quòd seruet: At confessum est & concessum abs te illum descendisse Tiberio Cæsare imperante, Ergo manifestum est, ex eo

B tempore, quo salutem dare cœpit, hanc appellationē tum eum consequutum, vt bonus diceretur. Adamantius. Si propter conseruationem bonus ille dicatur, cum ille cōditor etiam salutem multis conferat, vti lex promittit ac prophetæ: Præterea quoque hic bonus intelligendus est. Itaque seruat vterque similiter. Sed hic malus, ille bonus vobis videtur. Marcus. Bonus in omnia bonus est: Fabricator autem solùm iis, qui in ipso credunt, salutem appromittit. Adamantius. Bonus etiamne seruat omnes homicidas, & adulteros? An solos in ipso credentes? Marcus. Quicunque ad ipsum profugiunt, his salutem dat. Eutropius. Cum ambo eos, qui in ipsis fidem collocant conseruent, infideles vero repellat, quale tādem boni discrimen, quæ internotio? Vtriusque enim simile studium esse inuenitur. Marcus. Bonus credētes seruat, incredulos non condemnat: conditor, vt credentes in se conseruat, ita iudicat peccatorésque punit. Adamant. Proinde statuit bonum iudicare neminem. Marcus.

Cōfirmatio bonum esse iudicē. Neminem. Adamantius. Si demonstrauero bonum iudicare, credésne vnum esse Deum? & nullum præterea alium? Marcus. Non demōstrabis. Adam.

Rom. 2. Credisne Apostolo? Marcus. Credo meo Apostolico. Adamantius. Habeo tuum Apostolicum, & recito, Iudicabit Deus occulta hominum secundum euangelium meum per Iesum Christum. Eutropius. Iu-

C dicij nomine tam bonos quàm malos amplectitur, & eorū pro dignitate mercedem. Vnde malis ac improbis irrogatur condemnatio & iudicium, quod secundum Euangeliū per Iesum Christum fit, quo secreta & retrusa hominum pro meritis arguentur: tum iustitiæ iuxta ac iniustitiæ pręmium tribuet. Adamantius. Audi eum Apostolū

1. Cor. 5. dicentem, Ego quidē vt absens corpore, præsens verò spiritu, iam iudicaui quasi præsens, vt is qui tale commisit, in nomine domini nostri Iesu Christi, vobis congregatis & meo spiritu, in potentia domini nostri Iesu, tradatur Satanæ ad interitum. Et rursus dicit, Qui turbat vos, portabit iudicium. Respondeat, à quo portabit iudicium is, qui perturbat Ecclesiam? à bono an à malo? Si à Malo sequitur Christum à malo esse & apostolum, Sin à bono, consequitur bonum esse iudicem. Alioqui quorsum illa scriptura,

Gal. 6. Quę serit homo, eadem & metet? ac iterum, Alius iudicat

Rom. 14. inter diem & diem, alius iudicat omnem diem. Quorsum illa vox Seruatoris? Qua mensura metimini, remetientur

Matt. 7. & alij vobis: &, Qui negauerit me coram hominibus, nega

Matt. 10 bo & ego illum coram patre meo qui est in cœlis, &, Non (inquit) veni mittere pacem, sed gladium, non veni mittere pacem, sed ignem. ac illud, Væ vobis scribæ. Apostolus ibidem, siquidem iustum est à domino, rependere iis qui affligunt vos, afflictionem, & vobis afflictis requiem. Quis

igitur est qui afflictionem reponet? Respondeat. Marcus. D

Malus. Eutropius. Malúsne afflictionem infert? Sanè & aute afflictionē relaxationem. Itaque cùm ab illo Deo accipimus vt & premamur, & respiremus, quid opus alium subornare & substruere Deum? Probatum est satis & Deum ipsum esse iudicem, & vnum esse, & istas futiles esse & commentitias fabulas. Megethius. Primū illud Apostoli dictum explicabo clarius. Siquidem iustum est à Deo prementibus vos pressurā reddere, oppressis autem vobis refocillationem. Meminisse enim debes me tria posuisse principia, bonum, medium, malum: Medium itaque principium, si bono obediat, requietem confert & laxamentum, sin malo audiēs sit, afflictionem infligit & molestiam. Adamantius Cōsentaneum proinde est, medium, boni & mali administrum esse, & vtrique subiici ac per se nulla pollere authoritate, nec quicquam ex suo arbitrio administrare, præterquam ea quæ bonus & malus voluerint. Agedum ergo, ex cuius voluntate ac cōsilio medius homines condidit? Megeth. Ex se ille quidē creauit homines. Pœnitet enim me, inquit, fecisse hominem: quippe pœnitudine ductus est. quòd malos finxerat, illósque condemnaturus erat & perditurus. Huic non consentiens bonus, generis humani misertus est. Eutropius. At certè boni non est non assentiri, vt mala

E profligentur. Cum ille fabricator mala extirparet, bonus autem misericordia erga mala tangeretur, erit videlicet autor malorum bonus. Bonum enim esse dicimus eum, qui mala tollit, multóque præstare illum qui mala esse non vult, et qui illa tolerat & fouet. Marcus. Mali cum essent homines, malo bonus eripiens mutauit, bonósq; effecit eos qui ipsi crediderant. Adamantius. Postquam igitur contendis Bonum homines liberatos ad virtutem & bonitatem traduxisse, cedo, ad quid seruandum descendit Bonus? animam & corpus? an solam animam? Megethius. Solam animam. Adamantius. Animus éstne Boni vel Fabricatoris. Megethius. Fabricatoris spiraculum & afflatus est anima, Creatam verò malam, rebellémque viuens, abiecit, abiectam malus cum animaduerteret, ad se reduxit, reductam bonus cōmotus miseratione à malo eruit. Adamantius. Liberatā à malo animam deditne bonus creatori, an apud se reseruauit? Eutropius. O summam bonitatem, aut magis impietatē: Accepit, inquit, à malo, vt creatorē proprio suo flatu spoliaret. Adamant. Depromat nobis suas apodicticas demōstrationes. Quo modo proiecit Creator animā, & condēmnationi destinauit. Megeth. Vbi comedisset de ligno, ex quo præcepit non comedendū tum in condemnationem proruit, in mulctam & in exitium. Adamantius. Lege quo modo animā condemnauit. Megethius. Recita quę in Genesi scripta sunt. Adamant. Recitabo creatoris sententiā F

& vtrum anima in condemnationem incurrerit, vel corpus, apparebit. Sic enim habetur. Quia audiuisti vxorem tuam, & edisti de ligno, de quo solo præcepi ne comederes, maledicta terra in laborib. tuis, in doloribus comedes *Gen. 3.* illam cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos progerminabit tibi, & manducabis herbam * agri, In sudore vultus tui comedes panem tuum donec reuertaris in terram de qua sumptus es, Quia terra es, & in terram reuerteris. *ἀγροῦ, in Græco.* Hæc sententia corporisne condemnatio est an animę? Eutropius. Sententia condēnationem importat corporis, & non animæ. Ait enim donec reuersus eris in terrā vnde sumptus es. Quia terra es, & in terram redibis. Adamantius. Quod damnauit Creator, hoc inquit, bonus seruauit. Megeth. Maledictionē inussit ei, quid ni igitur damnarit? Adamantius. Non hominem, sed terrā execratus est. Nam sic dicit, Execrata est terra in operibus tuis. Megeth. Ergo non est homo de terra? Eutropius. Paulò ante contendisti animā creatoris particulam quandam esse & inflatum, nunc vero quasi oblitus, illum vis de terra esse desumptum? Adamantius. Itáne ergo venit bonus, vt animam indēnatam seruaret? Eutrop. Sic sanè corpus si damnatum fuit,

G neutiquam seruatur, vt illorum fert opinio. Dútaxat illam condemnatoris insufflationem, animam scilicet, vt dicunt, quippe quæ ex Deo noscitur, & ipsius est aliqua particula, seruauit. Et autem quod ex terra est, damnationíque subiacet, nihil suppetiarum attulit. Marcus. Ista quidem contra Megethium pulchrè videntur dicta. Contra autem dogma nostrum inefficax & inconcludens est hæc oratio. Nos enim nec animam asserimus, nec corpus, at spiritum quemadmodum & Apostolus ait, Tradidi huiusmodi ad interitum carnis, vt spiritus saluus fieret. Adamant. Spiritus quo præditus erat homo, num creatoris est, vel boni? Marcus. Boni. Adamantius. Proin ex cómuni consensu homines, tum fabricator tum bonus finxerunt. Marcus. Quid ita vero? Adamantius. Asseuerabas animam & corpus ex creatore, spiritum ex bono prouenire, Nunquid ita est? Marcus. Creator, posteaquam hominem effurmasset & illi inspirasset, nec tamen fœtum suum omnibus numeris perficere posset: Cúmque ille bonus è supernis figmentum volutans & luctans conspicatus fuisset, demisit de suo spiritu & hominem animatum vitalémque effecit. Nam hoc dicimus nos seruari spiritum. Adamantius. Num omnes homines ex hoc spiritu habent? an qui bono crediderunt? Marcus. In

H gratiarum actione venit. Adamantius. Quo igitur pacto se dicit ad hominis salutem descendisse? Iam ergo venit vt seruaret suum spiritum non hominem? Etiamne boni spiritus salute opus habet? O luculentam impudétiam. An spiritus boni cum homine condemnatus erat à creatore? Megethius. Nequaquam. Adamantius. Ergo venit seruare quod non erat condemnatum.

ἐπὶ τῆς εὐχαριστίας.

Eutropius. Nam vel spiritus à bono missus communem cum homine subiuit condemnationem itáque multò satius esset creatori vtpote potentiori parere, qui enim spiritum boni poterat condemnare, quid ni multò magis dánaret homines qui sub eo erant, cum etiam non obediuerint, vel non condemnationi subiectus erat spiritus, & superuacaneum ac friuolum est dicere, venisse eum ad salutem hominibus impertiendam. Megethius. Bonus cum animam códemnatione fluctuantem cerneret misertus venit. Creator illi insidias voluit struere, vnde decreuit eum cruci etiá affigere. Adamantius. Vltroneámne mortem pro humana salute oppetiit, an potius coactus est ab alio? Megethius. Creator vbi animaduertit Bonum, legem suam violare & perfringere, collocauit ei insidias, nescius Boni mortem hominum salutem fuisse. Adamantius. Elegítne ipse pro conseruatione hominum mori, an perterrefactus est ab alio? Megethius. Ipse suapte sponte elegit, mors illi nullá vim intulit. Adamantius. Itaque Creator illi minimè posuit insidias. Eutropius. Quis tam rudis est, tam ig-

I narus rerum vt ibi insidias fieri iudicet, vbi quis spótaneá ac voluntariam mortem perpetitur? Si enim mortem ipse vltro elegit, irritum est & frustraneum insidiarum mentionem facere, Sin verò Creator perpulerit reluctantem, erit videlicet ille hominum salutis autor & efficiens, non Bonus. Marcus. Nos ex scripturis ostendimus quòd is qui venit Christus non sit Creatoris, sed Boni filius. Nam legem Creatoris dissoluit. Adam. Quibus scripturis te polliceris comprobaturum? Marcus. Euangelio, & Apostolo, Iudaicis enim voculis non astipulor, ad alium enim Deum pertinent. Adamantius. Si ex euangelio & Apostolo commonstrauero, desines ne blasphemare? Marcus. Non enim legi suffragor neque prophetis. Adamantius. At Euágelio, an non? Marcus. Credo. Adamantius. Recitabo, & hoc

Luc. 16. astruam eum qui legem & prophetas reiicit, & Euangeliú quoque refutare. Christus dicit in hunc modum: Erat homo diues, & induebatur purpura & bysso, ac epulabatur quotidie splendide. Mendicus autem quidam Lazarus iacebat pro foribus vlcerosus, cupiens saturari iis, quę cadebant de mensa diuitis. sed & canes veneruut lingentes vulnera eius. Factum est vt moreretur mendicus, & deportaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus simul diues ac sepultus est in inferno. Atque eleuans oculos cum esset in

K tormétis, videt Abrahá eminus, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit. Pater Abrahá, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, ac refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Dixit autem Abrahá, fili recordare te recepisse bona in vita tua: Lazarus similiter mala, nunc autem hic solatio fruitur, tu uero cruciaris, & ad hæc omnino inter nos & vos hiatus est ingens firmatus, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque astinc huc transcendere. Rogo igitur te pater, vt mittas eum in domú patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testificetur illis ne & ipsi veniant in hunc locum cruciatus. Ait illi Habent Mosen & prophetas, audiát illos. Ille dixit, Non pater. Sed si quis ex mortuis ierit ad illos, resipiscent, Dixit autem illi. Si Mosen & prophetas non audierint, neque si quis ex mortuis resurrexerit, audiét ipsum. Quis ergo ex mortuis resurrexit & docuit, quę in iudicio futura sunt, nisi solus Christus? Itaque quicunque non admiserit Mosen & prophetas, nec illum accipiet qui ex mortuis resurrexit: Marcus. Aio in inferno fuisse Abraham non in regno cœlorum. Adamantius. Lege an eum apud inferos fuisse dixerit. Marcus. Ex eo quòd illi cum diuite colloquiú intercesserat, simul fuisse intelligitur. Adamantius, Eos simul collocutos au-

L diuisti, Cæterum ingétem hiatum qui nominatur non attendisti? Medium enim illud inter cœlum & terram hiatú vocat. Marcus. Poteritne quispiam à terra in cœlum vsque intueri? Fieri non potest. An valet quis oculis sublatis à terra vel pótius ex inferis cœlum collustrare? Quin in confessio est vallem quasi in medio eorum esse interiectá. Adamantius. Oculi corporis, quæ prope sunt tátum videre solent, animi acies in longinquum prospicit. Certum etiam est corpore hinc exutos, oculis animi mutuo contemplari. Quid enim edisserat Euangelium, attende: Erigens oculos suos: tollere verò oculos in cælum, vsitatú est, & non in terram. Eutropius. Christus hic vt mihi quidem videtur dissimilitudinem & iustorum & iniustorum, quæ inter ipsos est docens, proponit pauperem & diuité. Quid enim aliud est regnum cœlorum quam bonum? Vel quid aliud est Gehenna aut condemnatio quàm malum? Sicuti legitur in Euangelio. Fili, inquit, recordare quod perceperis tu bona in vita tua & Lazarus similiter mala. Nunc ille hic solatio fruitur, tu vero cruciaris, sed & eos qui Mosi & prophetis fidem non habent, etiam ei parum credere qui ex mortuis resurrexit, satis explicatè demonstrauit. Marcus. Nos prophetas & leges reiicimus & repudiamus, non enim illis quicquam est cum Deo nostro commercij: Euangelium vero, & Apostolum exoscu-lamur. Adamantius. Quem Apostolum narras? multos enim Christus habuit Apostolos. Marcus. Paulú.

M Adaman. Qui scis Paulum accensendum ordini Apostolorum? Si enim Euangelicis literis nomen illius traditú & signatum repereris, profer. Sin autem nullis comprehésum scripturis habes, vnde didicisti eum esse Apostolum. Marc. Ipsemet scribit de seipso. Paulus Apostolus Iesu Christi. Adam. Nemo qui de sua re dicit testimonium, fide dignus est, etiam attestáte Paulo: Non qui seipsum cómendat, probatus est. Neque verò quisquam præterea illi suo testimonio patrocinatur nec Euangelium. Vnde igitur est quòd ille fuerit Apostolus? Marcus. Et vos vnde cognosciris ipsum esse Apostolum? Nec enim in Euágelio proditum est. Adamant. Iube acta apostolorum recitari, & Epistolas, & illi. datum esse testimoniú reperies: Alicubi enim vas electionis Christi confessione dicitur, alicubi à Petro apostolo scriptum est: Secundum sapientiá quæ data est fratri meo Paulo. Eutropius. An pro veris habetis Marce acta apostolorum & eorum qui dicútur discipuli, vel non? Marcus. Nos plura quá Euágelium & apostolú non approbamus. Eutrop. Acta & Epistolæ à quibus apostolis cóscriptæ fuerút? Memini enim in Euangelio duodecim & septuaginta duos numerari. Adaman. Et Acta & Epistolæ & Euangelia sunt eorú qui describuntur in Euágelio. Eutropius. Recita. Adaman.

Act. 9.

1. Pet. 3.

Matt. 10.

Recito

A Recito ex Euangelio: Conoocatis vero duodecim, dedit eis potestatem & facultatem super omnia dæmonia, vt morbos curarent, & misit eos ad prædicandum regnū dei & ad sanandum: ac subiiciens paulò post: Egressi, inquit, perambulauerunt omnes ciuitates & vicos, prędicantes Euangelinm, & sanantes in omnibus locis. Eutropius. Quid est Marce, quòd eos vestro non probetis suffragio, quos Christus ad Euangelizandum & prędicandum emiserat, illi verò subscribatis, cuius nullas rationes affertis? Nunne ridiculum videri debet Matthæum, & Ioannem, quorum etiam oomina scriptis contestata sunt, & qui ad Euangelizandum ac prædicandum à Christo legati fuerāt, deprimere & explodere? Paulū vero recipere & amplecti, cuius nullam rationem habetis? Agè hoc mihi dicas, Prædicarunt & Euangelium promulgarunt omnes? Marcus. Prædicarunt. Eutrop. Scriptis ne prodita prædicarūt an non? Marcus. Nihil scriptis relictum. Eutrop. Stultum planè & stupidū est eos qui ad illam concionandi prouinciam euocati fuerant, prædicasse, & dicere Paulom omnino non missum, ea quæ scriptis consecrata sunt affirmare docuisse. Probabile erit itaque solū tunc audientibus salutem eos annunciauisse, ad posteros verò nullum inde cognitionis fructum peruenisse. Quæ enim sine scripto dicuntur, euanescunt, paulò pòst, cum sua ratione &
B pondere careant. Adam. Quo autem modo norunt Christom esse dei filium? respondeant. Nam si legi consentirent, si prophetis primi fuerunt buccinatores, illud sanè esset commendabile. Prædictum est enim in illis verbum dei humanam carnem induiturum, in crucem agendum, & humanum genus seruaturum. Sin vero hos primos prædicatores tectius & inuolutius insinuantes non recipiant, vnde intelligent Christum esse dei filium? Eutrop. Qui sciris dei esse filium? Marcus. Ex Euangelio & apostolo. Adam. Atqui in Euangelio non eum dicit esse filium dei, sed filinm hominis. Marcus. Habet Christus in Euangelio. Quem me dicunt homines, filium hominis? Dicunt discipuli Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij ex antiquis prophetis quempiam resurrexisse. Dixit autem illis vos autem quem? Respondens Petrus dixit, Christum. Adam. Petrus quidem Iudæus & in lege informatus, Christom in lege & prophetis adumbratum expectauit, ideoque eum nominauit quòd antè audiuisset. Eut. Petrus non vocauit sic, aut quasi hoc illi nominis nunc primum indidisset, aut quasi peregrinū, sed quod fama & auditione prios accepisset. Hoc percontari abs te volo. Scripsit ne Petrus Euangelium? Cur igitur commemorabas eos disseminasse nullis scriptis inuulgata? Mar. Petrus non scripsit Euangelium, sed Christus. Eu. Est ergo falsum quod in euangelio legitur, emisisse illum duodecim ad prædicandum Euangeliū. cæteroquin nō poteris astruere vel Paulū fuisse
C apostolū, vel Christum appellari dei filiū. Quomodo non vera sunt quæ pertractata sunt ab Adamaotio? Quæ enim olim promissa & antequam fierent pręnonciata & credita erant, ea demom etiam in expectatione fuerunt. Adam. Fingit Christū hospitem & ad nullius vnqoam emanauisse noticiā. At verò Christus non sic erat. A prophetis nullis pręmonstratum eum dicit, sed ignotum omnibus. Tum profectò nos summa cautione & attentissima animaduersione explorare necessarium esset, cui credere oporteret, quibus ab illo præceptis acquiescere. Neque enim, inquiunt isti, vllius certi doctoris testimonio nitūtur ea, quæ de eo pręd icantur: dein homo ignotus & obscurus in causa sua testis locuples non erat: quòd ipse ait, Si ego de me ipso testimonium fero, testimonium meum non est verū. Etenim non inconsideratè cuius est annuendum de seipso prædicanti. ita quibusuis idem factitantibus promiscuè fides habenda esset, tum Euangelium vt ignotum sermonem proclamasse existimaretur, si nec speratum, nec expectatum antè fuisset, vt istis placet. Et cur dicit Christum scriptis mandasse Euangelium? Non enim designauit se ipsum, is qui scripsit Euangelium, sed Christum Iesum denotat, quem prędicat, atq; ille qui scripsit, ab ipso edoctus non hunc, istorom seotentia, qoasi aduenā prædicat, nul-

quam illi poterunt inuenire seruatorem docuisse quen- D
qnam Christum non esse nisi peregrinum. Mar. Christos & Paulus si à creatore fuissent ablegati, nonqoā voluissent leges & prophetas antiquare. Adaman. Quomodo Christus vel apostolus abrogauit? Dicat. Quid? Euertit legem? Sustulit supplicium? Irritum ne fecit iudicium? Ergo quænam tanta necessitas fuit, vt reus à creatore refugiat, cùm neque iudicia exerceat, neque minas iactet, neque pœnæ formidinem opponat? Et si ista dissoluta sunt & fracta, qoorsum illud? Væ illi per quem venit scandalū. Mat. 18.
Quorsum illud, Qui turbat vos, feret iudicium, quisquis est? Gal. 5.
Marcus. Præcepta illius aboler. Adaman. Hoc ergo est liquidum, eum alia instituta repositurum, illis contraria. Contrarium autem huic, Non mœchaberis, est mœchari, Non occides, occidere, Non furaberis, furari. Relinquitur igitur, hæc reliquáque edicta esse sublata. Dicat itaque mihi, quomodo Christus labefactauit legem?
Extat enim in lege scriptum: Non mœchaberis: Non fal- Exod. 20
sum dicet testimoninm, & cætera deinceps, dicat mihi, ecquam harū eneruauit? Cui mandauit committere adulterium is, qui vel solum aspectnm ad concupiscendnm & ad fornicandū prohibuit? Qoem iussit occidere, qui dicit malo homini non resistendum? Quem furari docuit Seruator, qoò legislatori resisteret? Hæc enim profectò Seruatoris pręcepta haud dudum sunt nata, sed ex lege & prophetis
eruta. Seruator eoim dicit, Ego vobis dico, malo ne resista- Math. 5.
tis: Dicit vetus scriptura, Dicite iis qui vos odio habent & Exod. 20
qui vos deuouent, fratres nostri estis, Rursum lex dicit, E
Furtum non faciet, dixit Seruator, Vende quæ possides, & da pauperibus. Date item paoperibus, noua doctrina non est: sed in veteri testamento pręcipitur, Ne desistas, inquit, beneficio afficere egenum, quando tua manus pos-
sit opitulari. Et illud quod a Seruatore dictum est: Diligite Math. 5.
inimicos vestros, recens non est, aut nunc primùm repertum, sed in prophetis mandatū est, Si esurit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, pota illum. At quid attinet protrahere orationem? Cùm igitur sole clarius sit veoisse Seruatorē vt legem perficeret, eum isti expungere & eradere iactitant Marcus. Iudaistæ hoc quidē attexunt & addunt de suo, Non veni vt soluerē legem, sed vt implerem: nec sic Christus, at sic: Non veni perficere legem, sed dissolnere. Adamant. Est ne hoc vestræ audaciæ non reliqua solum, sed hoc etiam adolrerate? Sed enim prodeat Apostolus, vestras præstigias & fucos redarguat. Marcus. Disertè Seruator ait, Præceptum nouum do vobis, nouom veteri non est simile nec congruens. Pergit enim Seruator: Mittunt vinum nouum in vtres nouos, & vtrunque conseruatur. Nouom non est complemētum veteris. Rur-
sus enim Seruator: Nemo immittit immissuram panni re- Math. 9.
centis vestimento veteri. Non est supplementum legis
Christus vel apostolus. Adam. Vide Eutropi iudex san- F
ctissime, qoa arte iste verborum auceps qoasique venator, bene constituta, male detorqueat. Iube recitetur Euangelium, & mox elucebit, quodnam sit mandatum quod Seruator mandat. Eutrop. Reciterur. Adam. Recitabo, Mandatū, inquit, nouum do vobis, vt diligatis mutuò, sicut & pater dilexit vos. Eutrop. Nimirum hoc illud est quod isti conantur, vt dilectionem determināt esse nouum mandatum. Adam, At nouum haudquaquā est peregrinnm ab eo veteri quod antecessit. Marcus.
Antiqua lex à creatore rogata est, noua à Bono data est. Math. 9.
Nemo, inqoit, pannum rudem ad vetus vestimentum assuit. Adamant. Nouus pannus ab inueterata veste, qui peregrinus erit, cum vna & eadē omnino subsit essentia, eadem omnino natura, ex qua lanæ texantur, sed lanæ texendæ artificium, vnnm idemque sit, quod vetera & noua conficit? Similiter & vinom tam vetus quàm nouom ex eadem vite progignitor. Cęterum quò doceam planius, nullum mandatum singulare aut insolēs induci à saluatore, in eo quod dicat: Præceptum nouum do vobis, vt diligatis vos mutuò, lege quæ in lege præcepta sunt, Diliges, inquit, dominum deum tuum ex toto animo tuo, &, secūdum, Proximum tuum sicut teipsum. Marc. Quid est

zz ij

G ergo quod apostolus dicit, Si qua in Christo noua creatura vetera præterierunt, ecce facta noua sunt omnia. Adam. Age verò, expone nobis quam tandem nouam creaturam? quod nouum fabricauit cœlum? quam terram nouam, aut quem nouum hominem condidit? Nónne intelligis quum vna subiecta sit substantia, quòd vetera quando reficiuntur & redintegrantur, appellationem noui subeant. Eutropius. Noua à veteribus aliena non sunt, nec semota quoad materiam. Quemadmodú si velit quis vas aliquod vetustate tritum refingere, aut arte adhibita renouare, & argentum de nouo excoquere, non sanè illud materia à priori aliud aut nouum esse dixerit. Dein etiam illa tua ratio, noua & peregrina, quam videbaris velle afferre, in lege reperitur scripta, & dementis est dicere, nouum deum, & noi peregrina procudat dogmata. Adaman. Apertius docebit Paulus, charitatem esse legis complementú. Legam, si placet, clausulam eam & circumductionem eius qui dicit sic. Hoc enim inquit, Non mœchaberis, non furaberis, & si quæ sit alia præceptio, in hoc sermone quasi in summa colligitur, Diliges proximum tuum vt teipsum. Dilectio proximi malum non molitur. Expletio igitur & absolutio legis charitas. Marcus. Verum hoc verbum ἀνακεφαλαιοῦσθαι, id est, in vnum quasi caput & summam recolligi, seu (vt ita loquar) recapitulari, prioris H amolitionem denotat. Eutropius. Audiui Apostolum eam legis complerionem vocantem. Si enim id quod diminutius est resarciatur, non iam quod ante extitit, erit ab eo quod explerum est peregrinum: nec confusum ac commixtum, in capita summatim redactum erit à superiori alienum. Adamantius. Explanatius Seruator tibi persuadebit in Euangelio: Quum eum adiret quidam, Præceptor bone, quid faciam, inquit, vt in vitæ æternæ hereditatem veniam? Dixit autem Iesus, quid me vocas bonum? nemo bonus nisi vnus deus. Porroque dicitille, Nosti præcepta, Non occides, Non mœchaberis, non furaberis, non fallò testificaberis, Honora patrem tuom & ma-

Matt. 19 trem tuam? Et ait, hæc omnia seruaui ab adolescentia. Audiens hoc dixit illi Iesus: Vnum tibi deest, omnia quæ habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis. Eutropius. Vides' Marce omnes auditores ad hæc paradoxa & incredibiles demonstrationes obstupefactus mirari? Qui venerat, vt tu opinaris, ad soluendum legem, & ad dogmatizandum peregrina, vtique sic dixisset tum, Adhuc sibi deest, vt accipias thesaurum in cœlo. Sed hoc, Vnum, satis clarè indicat reliquorum plenitudinem. & huic sermoni admodum accinit Apostolus, Vnum multorum summam & finem exponens, nempe dilectionem. Adamant. Prototypum Euangelij, & primum exem-

I plar esse legem confitetur Apostolus, in hane sententiam.

1. Cor. 10 Hæc quidem in typo contigerunt illis, ad nostram autem admonitionem scripta sunt. Marcus. Nequaquam ita scriptum est, Nec enim dicit, Hæc in figura contigerút illis, scripta sunt autem ad nostram admonitionem, sed de illis loquitur, in quibus deus huius seculi sensus incredulorum excæcauit, vt non illis luxilluceat, Malum nominat deom huius seculi, qui facit quò minus illius affulgescat illuminatio. Adamantius. Mens occupata, à malis possessa opinionibus, vix illis renunciare, aut renuere sustinet. Itaque pulchrè posita ab apostolo hi conatur malè interpretari. Non etenim hæc refert apostolus, quò aliú deum ostenderet, sed de infidelibus. Dictum autem καθ᾽ ὑπέρβατον, id est, per transgressionem aut ordinis traiectionem positum, id vestro præiudicio ita se habere intelligitur. quòd si verò discendæ veritatis studio teneaaris, au-

2. Cor. 40 scalta. Hoc videlicet sibi voluit apostolus, in quibus inquit, deus infidelium huius mundi excæcauit intelligentiá. Dum enim deo non credunt homines, illi occæcantur, nescientes prudenrésque contemnentes. Seruos enim, inquit, qui scit & non facit, cædetur multis: qui autem nescit, facit tamen digna plagis, cædetur paucis. Deus itaque parcens, mentem infidelium excæcat. Adiunxit porrò, vt Bonus, & hoc, Si non credideritis, non intelligetis. Quin si pertinax sis & litigiosus, audi hoc & à Christo factum. Marcus

(margin: προλήψεσι, & pertinacia anticipata.)

Hoccine boni dei est homines cæcos reddere? Adamantius. Creator quidem eos qui ad ipsum accedunt, non K credentes cæcat. vbi verò replicas creatori præstare, longèque præcellere Christum, attende. Quonam modo eos qui non credunt ipsi, eiici iubet in tenebras exteriores, vbi luctus est & stridor dentium? Quomodo item apostolus

1. Cor. 5. illius Boni, homines satanæ tradidit his verbis: Tradidi eiusmodi satanæ in interitum? Quid? potius est ac melius non credentes deo excæcari, an in tenebras detrudi, an satanæ tradi? Eutropius. Excæcatus, vnius solúm membri breuem dolorem hic patitur, saluis reliquis partibus, sed qui in tenebras extremas præcipitatur, vbi ploratus est ac stridor dentium, & qui satanæ traditus est, iactura m damnúmque omnium membrorum sustinet. Præstat igitur vnius membri dispendium facere, quàm totum corpus tormentis subiici. Adaman. Audi ipsum Ser-

Matth. 6. uatorem in Euangelio dicentem: Si oculos tuus dexter offendat te, erue illum, & proiice abs te, conducit enim tibi, vt pereat vnum membrotum tibi potius quàm totum corpus in gehennam ignis conijciatur. EVTROPIVS IVDEX SVRREXIT, AT AD OMNES AVDITORES PERORAVIT, Megethium quidem & Marcum, cæterosque eiusdem sententiæ assectatores stupidos homines iudico: Græcorúmque tragœdias horum commentis vendibiliores, longéque probabiliores esse existimo. Etenim Megethius qui tria posuit principia, Bonum, Iustum, Ma- L lum sola vendirans nomina, lapsus est. Rebus enim agitatis & peruestigatis, Malus: quem somniauit, Iusto inuenitur iustior. & Iustus, quem imaginatus est, declaratur Bono melior, Marcus autem quum duo præfiniisset principia, Bonum, & Malum, te excusse diligenterque perpensa, Malum principium ipso Bono euasit præstantius & opulentius: Solum mihi ab Adamantio, deus rectè & sanè fuisse descriptus videtur: vnus scilicet, conditor & architector omnium, qui habet Verbum efficax & agens, ac Spiritum sanctum qui dominatur cunctis, cui obsistit nihil, cuius voluntati nihil obluctatur, cui meritò innititur catholica Ecclesia, quæ puram & illibatam religionem tuetur, cuius gregi ô si annumerarer, ita sentiens, & ita iudicans.

ADAMANTII ORIGENIS CONTRA MARINVM BARDESANISTAM

& cæteros Dialogus tertius.

TRia hoc sermone excutiuntur maximi ponderis dogmata: Primum, vnde Diabolus & M mala oriantur: deinde Christi verè humanitatis & incarnationis mysterium: tum Resurrectionis mortuorum doctrina summæ consolationis plena. Primum partitionis membrum trifariam explicatur. Marinus præsultor & quasi choragus fabulæ, diabolum αὐτοφυῆ & αὐτογέννητον decidit, duas stirpes, sic enim ῥίζας vocat, ponit, ex Mala verò ortú malorum esse, Drosetius ea materia vitiosa & maculosa nescio qua ἀποιῶ & ἀμορφῶ Deo, proficisci ait, Valens non ex substantia sed qualitatibus sobstantiæ. Sic hi tres eiusdem affines amentiæ, quos rectè & eleganter τὰς ἀσιάς κάπηλους nominat Origenes, de malorum origine philosophatur. Adamantius triplicem hanc opinionem distinctè & partitè conuellit, Remotione vsus, non à radice seu deo illu malo, aut materia aut qualitatibus gigni, nec denn instillauisse, sed eum quidem autorem omnium, tam caliginis quàm lucis, tam sinistri quàm dextri, sed mala ex ipsis hominibus quodam modo profluere, nimirum arbitrij liberi causa. De qua libertate fusius differit, incorruptam commodi causa homini primo & angelis datam fuisse degenerem verò ac corruptam & illis & nobis corruptionis ac vitiorum semen esse.

Secunda pars, Christum hominem non cœleste corpus assumpsisse, sed terrestrem carnem ex Maria probat contra Marinom.

Tertia, primò dilutas φυσιολογίας contra Resurrectionem

A nem diluit, secundò rationes ex scriptnris deprauatas, tertiò suam stabilit pro Resurrectione sententiam, quartò scrupnlum illnm eximit, ad quem omnes heretici impegerant, biblicas scripturas authenticas esse probans, & ex Euangelicis & Apostolicis literis vim suam ac robur obtinere. Quintò Eutropius Iudea perorat generalem & pulcherrimum addens Colophoné, propositæ doctrinæ summam recolligens, De vno Deo patre, eiúsque Verbo verè incarnato & Spiritu sancto, & de Ecclesia grauiter & maturè nun νοφῦτας statuens.

PERSONÆ.

Marinus	Adamantius
Megethius	Eutropius
Droserius	Valens.



Arrogantia. MARINVS BARDESIANISTA. Ferte me, qui paucis exercere me cupio, dum optimam sentẽtiam ruent. Eutropius. Agedũ dic. Marinus. Qui hebetiores sunt, & sacrarum literarum maximè rudes, scripturarnm tamen arrogabunt intelligẽtiam, qnod stultum est, rationique dissentiens. Propterea volo, iudicante Eutropio, vtrum nos an vos rectum sensum scripturæ dogmatum B assecuti fuerimus, demonstrate. Adamantius. Primùm *Propositio* explica quam sis defensurus opinionem, & fidem profitere quoquo modo opineris, vt sic nobis quęstionis nascatur exordium. Si quis enim veritatis, non contentionis studio velit diuina perscrutari dogmata, næ is quid verum sit, videre & inuenire apertissimè poterit. Quam tandẽ sententiam rectissimam tenere te affirmas? responde, vt velut aurum igni perpurgatum & elaboratum, sic ad examen vocata, & ab vtrisque exagitata, nitidior ac tersior appareat oratio. Marinus. Absonum censeo, quod vos dicitis, malum à Deo fieri. Deus enim malorum causa non est: Deinde Verbum Dei carnem humanam assumpsisse, quod vos *Diuisio.* statuitis: tùm quòd putatis eandem carnem, cui illigamur, resurgere: meritò enim onus appellatur, sepulchrnm, & compedes; quoniam peccatis fœdata erat anima cùm hoc cor- *Rom. 7.* pore sit colligata, sicut apostolus Christi Paulus clamat, vt à corpore soluatur: Miser ego homo, inquit, quis me liberabit à corpore mortis huius? Hæc tria sunt quæ quæro. Eutropius. Primum de fide quæ est in Deum, certos nobis antè fines constitue, & ista pòst exqnirantur. Mari. Credo & ego vnum esse, vt & iste, & vnum deum esse in vnam mecum concurrit sententiam. Tria verò sunt, in quibus cum catholica ac vniuersa Ecclesia non facimus.

C Eutropius. Quæ sunt illa? Marinus. Diabolũ non esse à Deo creatum asserimus, & non dicimus Christũ esse natum ex muliere, & corpus non resurgere. Adamant. Ea primo loco sunt attingẽda necessariò, vnde tu sumpsisti dicẽdi initium. Vbi hoc nobis visus es impingere, quasi nos asseueremus malùm à Deo fuisse cõditum. Malũ enim *Primum membrũ distributionis de Malo.* solum nos id esse dicimus, priuari bonis. Marinus. Quid ni malum sit, cùm scriptura commemorat in principio serpẽtem Euæ imposuisse? Quinimò, diabolus passim, & satan, & malus, & malorum architectus in scripturis ap- *Objiciens Adamãtius.* pellatur? Quonam pacto igitur dicis nullnm esse malum? Adamantius. Quid malum sit, enarra. Marinus. Homicidium tibíne malum videtur? Adamantius. Assertio tua rem præstantissimam esse homicidium confirmat. *Malum quid.* Marinus. Quid ita? Adamantius, Dicebas animæ *Cõfutatio* vinculum esse corpus, & Paulum citabas testem: Miser, inquit, ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Homicidium verò, quod aiebas malum esse, disso- *Syllogismus.* lutio est ac secretio corporis ab anima: itaque homicidium bonum esse manifestum est, quippe quod corporis vinculum relaxet ab animo. Et, vt tua fert opinio, cædes bona erit, quæ vinctum & captiuum in libertatem vindicet, & animam ab hoste afferat. Marinus. Ego de his quæro

quæ proposui. Adamantius. Atqui noli quæstiones D cõfundere. Quid priore loco vis in disceptationem venire? Marinus. De diabolo. Eutropius. Vterque *De diabolo quæstio.* primnm definite. Adamantius. Ego nihil aliud ingenitum esse dico, præter Deum solnm, cætera verò omnia *Fides Adamãtij.* generata esse ac creata quæcunque sunt. Marinus. Ego diabolum concludo esse per se natum & per se geni- *Fides Marini.* tum, & duas radices constituo, Malam & Bonam. Eutro. Duo itaque vis ingenita, Malum & Bonum. Marinus. Duas radices aio. Adam. Eas radices ingenitas statuis: Cedo, mutabilésne sunt an immutabiles? Mar. Quónã modo? Eutrop. Poteritne mutari mala radix, & fieri bona? Mar. Non, sic enim cõparatæ sunt. Eutro. Et certum est quoque non mutari bonam, & fieri malam. Mar. non, sunt enim duæ, Bona & Mala. Adaman. Quoniam igitur duas radices immotas esse constituis, dic cuiusque substantiæ qualitatem & efficaciam. Mar. Boni qualitas & virtus est, lumen, bonum, dexterum, misericors, pium, iustum, & siquid aliud sit dignum. Mali verò qualitas & operatio: tenebræ malæ, sinistrum, immite, impium, Iniustum, & si quid aliud est sinistrum & prauum. Adam. An ista sub intelligentiam cadunt, ánne sub sensum? Marin. Interim nobis propositum est de his disserere quæ sensu percepta sunt. Adam. Lucem Boni, tenebras Mali, sensibus exposita dicis an intellectui? Mar. Interim de rebus sensui obuiis. Eutrop. Tene- E bræ & lux, dies & nox, sunt res aspectabiles. Adam. An vno consensu congressi sunt, Bonus & Malus, & lumen ac tenebras creauerunt? Mar. Minimè, quoniã sic inquit Apostolus, Nullam communionem luci cum tenebris esse, neque Christo cum Belial. Adam. Qui ergo pacto luci cum tenebris conuenit? Mar. Haud sanè conuenit, nec quicquam est ipsis inter ipsa commune. Adam. Habéntne lux & tenebræ statas horas? Mar. Duodecim horæ præfinitę sunt luci, & tenebris duodecim. Ada. Fieri non potest, vt alterum succedat alteri: nisi lux & tenebræ ad vnum autorem referantur. Certè ex mutuo creatorum consensu tenebræ sequuntur lucẽ, & lux tenebras. Etenim nisi concordes essent, benéque conuenientes creatores, impossibile est, hæc sibi mutuò locum dare & concedere. Ad hæc te instruam certius, Iudex colẽdissime, quò hunc deducam ad absurdiores perplexitates, & angustias. Siquidẽ non patientur tenebræ nec suffragantur illis, duos vt opifices inferant. Eutrop. Quomodo? Adam. Nam si secundum istorum rationem, duodecim horis lux, & tenebræ iisdem xij. claudetentur: perspicuum est ab vno eodémque Deo oriri & extistere. Atqui res ita se nõ habet. Nam in conuersione hyberna tenebræ productiores sunt pluribus horis adiectis, in æstiuo autem solstitio lux fit lõgior & protractior, & aliquid à tenebris mutuatur. Mar. Aliud lux est, & aliud sunt tenebræ. Eutrop. Si lux & F tenebræ ad eundem creatorem non pertinerent, quo modo fieri potest, vt lux tenebris, & tenebræ luci succederẽt? Nam si bono malum sit contrarium, & malum bono, in istis autẽ, in tenebris scilicet & luce nulla cernatur pugnæ contrarietas, constat profectò lucis & tenebrarum vnum esse creatorem. Adaman. Boni substantiam lucẽ esse dixeras, qualitatem bonum dexterum: huic verò accidit, vt ingenitum sit & incorruptibile. Repugnántne bonũ & malum? respondeat. Mar. omnino pugnat malum cum bono. Adam. Perspicuum est igitur tum quo ad qualitatem, & secundum accidens. Tenebræ & lux substãtia dissident, qualitate malum à bono discrepat. Quod si & secundum accidens oppositio fiat, genitum ac ingenitum, corruptibile & corruptelæ expers opponentur, inter seq; confligent. Mar. Quo id pacto? Eutropius. Posuisti duas substãtias quæ creatæ non sunt: Ingenitũ verò & immortale cõnata sunt & cõcidũt. Necesse est etiã, vt geminę substantiæ si ortu careant, ab omni interitu sint remotissimæ, eo quód ingenitas statuis, Quin & hoc mihi perpẽde: Si malũ ingenitũ sit, bonũ ingenitum nõ erit, quia non est malum, & pari ratione dicimus: Si malum generatũ sit, id quod bonũ est & non malum, erit non generatũ. Adam.

G Duæ substantiæ sunt ne corruptioni obnoxiæ, an alienæ à corruptione? vel vna abest à corruptione, subest altera?

MEGETH. Duæ substantiæ sunt incorruptæ. Ada. Te audire oportuit sedatè, & quiescere postquam quæstiones antè agitatæ fuerint. Megeth. Hac in te à Marino sto. Eutrop. Fatemini geminas substantias esse ingenitas & incorruptas. ita quoque eiusdem esse participes substantiæ & consimiles necessum est, quod tamen possibile non est. Adaman. Habént ne eandem vim & hæ binæ substantiæ? Megeth. Non parem obtinent potentiam aut vires, absit. Christus nanque in Euangelio: Nemo potest domum mali ingredi, & vasa illius diripere, nisi prius fortiorem vinxerit. Itaque hinc pater fuisse pollentiorem, siquidem diabolum ligauerit, & vasa illius rapuerit, & clarè ostendit Christus, quod nos, cum essemus Malo subiecti, eripuerit. Adamant. Si præcisè & simpliciter dixisset, Mali, & non, vasa Mali, habuisses quod diceres: iam verò vasa Mali nominat, docens vsu non proprietate possedisse, nec effectione aut creatione occupauisse, sed vsurpatione & vi alienum inuasisse. Cui Paulus attestatur: Quemadmodum, inquit, præbuistis membra vestra serua iniusticiæ & impuritati ad iniquitatem, sic præbete membra vestra Deo seruire iusticiæ. Tu malam substantiam ab omni interitu & ortu liberam esse differis. Et ita sanè, modo substantia Mali delebilis non sit, frustrà Iesus nititur extirpare mala, quum euelli non poterunt. Quo igitur pacto est perpessus vt mortem deleret,

H quæ aboleri non potest? Quandoquidem contendis neutrum genitum esse, nec corruptibilem. Non cedit ergo alter alteri, ne perdatur. Quantumuis enim funesta moliatur Malus, Bonus tamen non obstat, Cùm etenim vterque generatione vacet & corruptione, vt tua fert sententia, sua disturbari aut interrumpi opera haud sustineret Malus. Eutropius. Quippe si vnum principium fuisset ingenitum, & alterum genitum, probabilius esset hoc, vt genitũ regno ac ditioni eius quod ingenitum est, subiaceret, & alterum dici valentius necesse est, quòd ingenitum sit & immortale, alterum debilius, quum id quod ingenitũ est, firmius multò esse debeat ac fortius. Adaman. Admodum effrons est & in quæstiona defendenda impudẽs. Respondeat, num hæ duæ substantiæ inter se misceantur, alteráque in aliquam copulam coniunctionémque cum altera veniat? Megeth. Non miscentur, absit. Adamantius. Quibus ergo modis Bonus impressionem fecit in possessionem Mali? Et cùm illæ substantię sint incommixtæ, vnde illa coaluit mixtio? cùm præsertim pugnantes inter se & aduersariæ sint? Nam si mundus non propriè ad Iesum spectaret, sed ad Malum, quî poterat Iesus, cùm non esset robustior irruere? Cùm nanque viribus pares sunt & robore, neuter potest in alterum incursionẽ

I facere, cùm neuter fuerit genitus, neuter corruptioni subiectus. Marinus. Ego solum Deum à corruptione segregatum confirmo. Adaman. Corrumpi proinde diabolus potest. Eutropius. Si sit genitum & ingenitum, potest ingenitum esse incorruptibile, & genitum corruptibile. Marinus. Age sis, & mihi responde interroganti. Adamantius. Interroga.

Interrogans Marinum. Mar. Est ne bonum? Adaman. Certè. Mar. Malúmne est? Adam. Bonum censeo esse quo ad substantiam, malum verò accidentarium, bonum incorporeum, malum sensibile. Huic igitur Bono malum non accidit, sed bono quod est secundum positionem & adoptionem, propter liberum arbitrium. Mar. Quid-

Κατὰ φύσιν. Κατὰ θέσιν. nam illud secundum naturam & secundum adoptionem sit, aueo cognoscere. Adaman. Quanquam vix debaris perridiculam antè mouisse quęstionem, tamen ausculta. Secundum naturam deus est bonus, cui nullum accidit malum: secundum adoptionem homo dicitur bonus, vt & Verbum Dei secundum naturam, appellamus filium, secundum impositionem. Scriptura homines vocat filios, nimirum ὁμωνυμίᾳ, vtens ac nominis similitudine. Proinde Bono huic secundum naturam malum non obtingit, sed contingit ei, quod est secundum adoptionem & attributionem, propter arbitrij libertatem. Marinus. K

Itaque diabolus, tua sententia, liberum arbitrium habet: quod autem ex se liberum est, & ex se natum est, & ex se generatum. Adamant. Discrimen eius quod est παντεξούσιον, id est omnino liberum suæque potestatis, ac eius quod est αὐτεξούσιον, id est liberũ, videris ignorare. Deum pantexousion omninóque liberrimũ confirmo, apostatam verò defectorem illum angelum qui satan dicitur, autexousion nempe suæ voluntatis compotẽ voco, similiter etiam hominem. Mar. Quid? Diabolum *Deus pantexousios.* sentis & hominem sui iuris esse? Adam. Angelos & homines à Deo libertate donatos esse sentio, sed non illa omni autoritate ac libertate arbitrij præditos. Mar. *Homo, autexousios.* Dixit arbitrij libertatem ex deo, malum autem ex libertate arbitrij esse. Ergo concluditur ex Deo mala proficisci. Istuc mihi dicas. Cùm Deus liberam arbitrij facultatem tribuit, an non pręsciuit defectorem Angelum & hominem in deteriorem partem inclinare ac propendere.

Adam. Eia etiam deo præire & præcurrere vult prudentia, nempe vt homines & angeli deo sint æquales & omnino immutabiles. Mar. Quam ob rem immutabiles & deo pariles? Adam. Quoniam deus est immutabilis, homo mutabilis, deus immortalis ac perennis, homo mortalis. Deum igitur in ius vocas, quod non alium vt seipsum effecerit. Mat. Quo modo tandem? Adam. Si nõ suæ potestatis esset homo, fuisset immutabilis, si immutabilis, immortalis, si immortalis, deus. Nec satis erat, L vt dei bonitate angeli ac homines crearentur, sed & æterni essent & deo simillimi: itaque de deo fuissent recisa ac detracta omnia eximia atque pręstantia. Mar. Quónam modo? Adaman. Recense dei virtutes. Mar. Bonum, iustum, misericors, pium, sanctum: istæ sunt. Adamantius. Nisi homo suæ libertati relictus esset, omnia hæc de deo amputata fuissent & circuncisa. Mar. Qui sic? Adam. Si in illa perpetuitate & stabilitate constituti homines fuissent, quo pacto se deus bonum declarasset, cùm eius bonitate non indigerent? Mar. Dic planius. Adam. Vires & facultates, quas tribuisti deo, nunquid sunt nomine tenus, vel reipsa potius? Mar. Reipsa ille efficax est & non tantum nomine. Adaman. In quos ille suam efficacitatem exerit? Mar. In homines. Eut. Si extitissent homines immutabiles, inutiles illę virtutes essent & superuacaneæ. Quorũ enim miseratus fuisset, cùm non essent, qui peccarent? Quis bonus esse queat, cùm nemo malus esset, qui ea dei bonitate opus haberet? Adam. Quamobrem istam malam radicem esse dicis, & hanc bonam? Mar. Quoniã bona stirps seruat, mala perimit. Adam. Quis igitur in causa est, vt seruetur homo, vel interimatur? Mar. Salutis humanæ causa deus est, exitij diabolus. Adam. Quomodo igitur deũ iustum vocas? Mar. Et nunc dico iustum esse Deum. M

Adamantius. Est ne deus iudex iustus, an non? Mar. Iudex iustus est deus. Adam. Quem iudicat? Mar. Diabolum & eius angelos, & homines qui ad illum transfugæ sunt. Adaman. Diabolum qua de re iudicat? Mar. Quòd seducat homines. Eut. Iniustissimum est hoc iudicium. Nam si arbitrij sui laxatas habenas diabolus habet, vt penes ipsum sit bonum fieri & rursum malum, iure quidã optimo iudicatur, quod iustus non sit, cùm esse posset. Sin antè bonus non posset esse, quia natura illius reclamitat, cùm sit malæ substantiæ, iustum est nõ permittere, vt contra originem crescat, vel vt crescens iniustè iudicetur. Mat. Iudicatus propterea quod ille sit malus. Eut. Et illud iudicium pariter iniquum est. Mar. Cur? Eut. Num poterit bonum conuerti, & malum euadere? Mar. Nequaquam. Eut. Qua de causa? Mar. quod talis sit essentiæ. Eut. Eodẽ modo non potest malũ in bonum vergere. Proin cùm hæ duę naturę constantes sint & immutabiles, iniustè altera iudicatur ab altera. Si malus iure iudicatur, & meritò quoque iudicatur Bonus. Mar. Bonus iudicat. Eut. Nunc elucescit apertissimè vnum esse ingenitum, alterum genitum, vnum corruptione carẽs, alterum corruptioni subiectum, vnum immutabile, & mu-

A & mutabile alterum, in summa iustè alterum iudicare, alterum verò iudicari. Adamantius. Dixerat homines iustè esse iudicatos à Deo. Dicat ergo si liberam voluntatem non habeant, quomodo iure iudicantur. Mar. Iuste à Deo iudicantur, quia Malo obsequuntur. Europ. Fateris iam clarissimè hominem liberi arbitrij participem esse. Etenim Malo obedientem esse, vel audientem Bono, libertatis est, non necessitatis. Adam. Pauca interrogatus responde. Mar. Quære. Adam. Dicisne Deum esse omnipotentem, vel non esse? Mar. Omnipotentem esse dico. Adam. Continétne omnia, an continetur? Mar. Dubiū non est continere, & nō contineri. Adam. A qua vi continetur & temperatur cœlum, vel terra, vel mare, vel hæc mundi vniuersitas? A quo comprehenditur & tenetur? Mar. Perspicuum est a Deo. Eur. A Bono, an à Malo? Mar. Ego vnum Deum bonū agnosco. Eur. Igitur Malum vbinam esse ais? Mar. In terra. Sic enim Christus, Vidi, inquam, satanam ceu fulgur cadentē de cœlo. Consentaneum ergo satanam ab illo in terra custodi, qui terram conseruat, vt non effugiat. Quare non vacarit culpa Deus, qui Malum continet si ad horum triū aliquid offenderet: aut consentiens illi vt sit, aut non satis ad extinguendum fortis, aut quid sit ignorans. Adam. Quoniam in Euangelij & satanæ cadentis mentionem incidit, par est, vt illud paucis perstringamus, quò diuini decreti veritatem perspicias. Seruator enim demonstraturus erat angelum antè quidem à Deo factum & lucis participem, tamen postea libero arbitrio mutatum in peius, vtpote qui declinauerit & resilierit à statu, non enim à lapsu sed à statu delapsus esse potest, ideo ait, Quasi fulgur, quo liquidò indicauit eum lucis compotem fuisse, antequam laberetur & concideret. Nam fulgur lucidum est. Eutr. Vt duo sint ingenita, fieri non potest. Mar. Causa igitur mali est Bonus. Adam. Nihil obstat quò minus extrinsecus mundanum exemplum sumamus, quò planius fiat & intelligentius quod dicitur. Cum statuarius imaginem effictam argentóque exornatam tradiderit, pòst verò rubigo tua negligentia qui possides, eam per se quidem splendescentem exedat ac deformet, causa, te iudice, in statuarium transferenda est. Mar. Quî id fieri potest? Eutropius. Quia rubigo ex natura non est, sed ex contingēti, eius videlicet incuria qui possidet: Ita in Deū nec causa nec culpa recidit. Etenim nitidum & illustre rationis lumen, quæ libera erat, angelis & hominibus tradidit: ipse quidem omni reprehensione carebit, qui autem præditi sunt, in vitio sunt. Malum enim ex natura nō manare constat, at ex accidenti fortuitóque irrepere.

Deus omnitenens παντοκράτωρ. Deus non cōtinetur. *Luc. 10.* B *Simile.*

C Droserius cùm audiuisset diu Marinum & eos qui illius sententiæ assentiuntur, eósque insulsitatis ac imperitiæ condemnasset: Volo, inquit, ipse cum filio meo Adamantio velitari & me exercere. Adam. Primùm circundare oportet tibiipsi certos terminos, & pòst in hanc arenam exercitationémque descendere. Dros. Valentiniani dogmatis suscipiam patrocinium, quod & rectissimum est, & persuadere vobis adeò poterit, nimirum vnde mala oriantur: & si placet Valentini definitionem, quam habeo, recitabo. Eutropius. Quod si hæc à Valentino exposita sententia ex altera parte labefactetur, tu iis quæ illata sunt, respondebis. Droserius. Equidem existimo constitutionem à Valentino explanatam, quum lecta fuerit, nullam habituram reprehensionem. Is enim qui profitetur eam, minimè vir plebeius fuit. Si tamen quis contrauenire velit, respondebo. Eutropius. Recitetur.

Narratio nis principium. ἀκέφαλον.

« Dogma Valentini. Quum me sic bene affectum existimarem, ad meas ædes sum reuersus. Postero verò die, qui est hodiernus, quum venissem, duos generis nexu inter se deuinctos, homines dico, vidi digladiantes, & mutuis se conuitiis proscindentes. Dein & alium qui proximum suum cruentare cœpit & trucidare. Postea etiam alij atrociora his audere cœperant. Quidam enim distrahebat mortuum & conditum iam terra corpus, rursus soli exponebat, & similem effigiem adeò contumeliosis malis tractabat, vt mortuum canibus escam relinqueret. Alter in sibi conformem ac consimilem, hominem inquam gladio stricto irruebat. Cúmque hic fuga saluti suæ consuluisset, ille non destitit persequi, neque iram reprimere voluit. Et quid verbis opus est? Adoritur interea illum, gladio statim transuerberat, ille supplex manus supplices tendebat proximo, vestem dare volebat, obsecrabat, tantum vti vitæ parceret. Cæterum iste iram non frangebat, nec frenabat, nec misericordia commouebatur in eum, qui eodem humanitatis vinculo coniunctus est: nec seipsum in illo speculo ac imagine volebat contemplari, sed velut immanis atque effrenata bellua, ense laniare incipiebat, corpúsque cognatum addebat corpori. Tantus erat furoris impetus. Iamque videres illum iniustè oppressum, hunc reliquias etiam lacerantem atque spoliantem, & ne terra quidem corpus operientem, sed vestitu quoque nudantem. Ad hæc accessit & alius, qui vxorem vicini sui fallere voluit, alienis insidiari nuptiis, & throno se illegitimo ac illicito miscere: Eúmque qui vxorem duxerat, perpulit, vt legitimus pater etiam nolens fieret. Enimuero hunc tragœdiis quidem fidem adhibere cœpi: hoc illud est, vnde adductus sum, vt verè gesta, non fictè narrata videantur: temulentámque Oenomai cupiditatem credam, & fratrum inter se ense contentionem non absimilem vero existimem. Itaque quum tot ac talium spectator essem factus, vnde ista nascerentur, cœpi recogitare, & quæ origo motionis istorum, & quis istiusmodi in homines machinaretur, vnde harum rerum inuentio, & quis istorum didascalus esset atque magister. Deum autem dicere horum autorem ac molitorem non audere potui, neque iudicabam hæc ab illo suam hausisse substantiam, vel constitutionē, vt in rerum natura subsisterent. Qui enim de Deo ista cogitari possent, quum bonus rerum meliorum procreator & effector sit, malorum verò in eo nihil insit: qui tantum abest, vt illiusmodi gaudeat, vt vniuersum illud genus ac propaginem auersetur: eósque qui illis delectantur, exterminat, qui autem ea fugiunt, recipit. Quomodo enim absurdum non sit Deum illorum architectum dicere, qui eadem respuit ac tenuit? Neque vero extincta ea voluit & deleta, si primus autor ipse & parens extitisset. Imitatores enim sui vult esse eos, qui ad ipsum veniunt. Vnde mihi videtur minus assertioni consentaneum hæc illi adaptare aut adscribere, vel quasi ab illo facta sint: vel, & si ipse maximè consentiret fieri posse, vt aliquid ex his quæ non sunt efficeretur, quod ipse mala effecerit, (nam qui ex his quæ non sunt esse illa faceret, nunquam ea denuò ex medio exterminaret ne non essent:) vel si hoc necessariò dicendum sit, fuisse quidem olim, quando Deus malis caperetur & afficeretur: nunc tamen videtur dici non posse, sed natura diuina parum dignum esse ei hoc affingare. Quocirca hæc est ratio mea & sententia, fuisse apud eum illam, sic ei nomen est, materiam, ex qua ea quæ sunt, procreauit, cùm affabrè prudentérque discreuisset, & eleganter expoliuisset: ex qua & mala videntur profluere. Cùm enim nec facta nec formata nec polita esset, sed Dei artificium desideraret, ille non inuiderat, nec sic omni ex parte deformatam relinquerat, sed manum creationi admouit, & à pessimis distinguere voluit optima: sic ergo effecit. Quæcunque in illa, postquam fecisset, iacerent impura & fæculenta, vt erant ad opificium inepta, sic manere permisit, quæcunque nulla illum similitudine & conuenientia attingebant. Ex quibus apparet nunc mala in homines inundare: itaque mihi visum est se habere. Hoc dogma admodum sanum, & positionem irrefragabilem esse censeo, quæ à sapiente Valentino exposita est. Siquis tamen velit contrà dicere, prodeat sanè, paratus nanque sum respondere omnibus. Adamantius. Agedum omni præiudicatione & opinionis anticipatione deposita, ad ea quæ percōctor, quietè & placidè respondeas. Droserius. Mihi in animo est moderatè hanc causam agere & ordinatè, nec enim studeo malè vincere, sed verè inquirere. Adamant. Probas tu quidem mihi istam animi tui propensionem & alacritatem ad dicendum: quòd autem de his quæ sunt, ita sentias, Deum scilicet ex aliqua subiecta creasse substantia, in eo

D E F

Opinio Valentini de malo.

Conclusio. Regressio Dros. ad disput.

G erras. Droserius. Etenim verè quidem hæc de malis conquisitio facit, vt multis sic videatur: Multi enim ita vt tu affecti sunt. Cæterum quidam Deum horum creatorem esse & artificem dixerunt, quia substantiam cum Deo coniungere antiquitatis nomine & ratione pertimescerent: Alij verò, cùm Deum malorum architectũ timerent dicere, materiam cum Deo vetustate exæquarunt. Vtrisque hoc vsu venit, vt cùm Deum omnis scientiæ fontem nullo prosequerentur iusto timore, non rectè dicerent. Ego verò propter hanc promptitudinem & studium tuum ad quæstionis indagationem me cõuertam, tu modò sedatè ad interrogata responde. Ita fiet, vt & tu quæ vera sunt intelligas, & ego tecum non frustrà verba fecisse videar. Droserius. Equidem accinctus sum ad partes Valentini defendendum. Adamantius. Quibusnam firmamentis veteris, ad probandum materiam Deo temporis diuturnitate æqualem? Droserius. Nonne dicit in Genesi, Terra erat inuisibilis & incomposita? Eutropius. Siccine scriptũ est, Et terra erat, & non a Deo facta? Droserius. Si placet, taceto. Adam. Nonnulli per quietem somniant thesauros se habere magnificos & exquisitissimos, & quòd emineãt ac euolent, tamen in manibus nihil habent, solum inani spe lactant se, & vanis pascũtur somniis: Ita profectò & Droserius. Iube igitur scripturam de creatione mundi recitari, & sic eluccre poterit, sitne terra prægressa an materia. Eutropius. RECITATVR. In principio

Confirmatio.

H fecit Deus cœlum & terrã, Terra erat inuisibilis & informis. Adamant. Vidésne, Iudex sanctissime, maliciam Droserij & calliditatem, cum scriptura memoret Deũ antè fecisse cœlum & terram, & deinde fuisse? Nec enim ait, In principio erat terra, sed. In principio fecit Deus cœlum & terram, ac tunc subiungit, Terra erat non aspectabilis. Eutrop. Scriptura non manifestò demonstrat terrã & cœlum Dei fabricam esse, apertè nanque præponens effectionem subdit, Erat, Nam id est necesse, postquam aliquid factum est, esse quod factũ est. Adam. Sed recurramus ad carceres, Valentinus vult materiã fuisse cum Deo ab omni æternitate coæuam, quò Deum extra omnem culpam caussamque malorum ponat. Dros. Ita prorsus. Adam. Erátne Deus à materia secretus, an cum ea complicatus? Droser. Secretus. Adam. Quid erat illud intermediũ, quod Deũ & materiã dirimebat? Dros. Nihil. Adam. Itaque vnitus erat, si modò non erat qui dissociaret, & Deum in parte coerceri vis, ac non expandi per omnia. Eutrop. Fieri non potest, vt vnum distinguatur ab altero, nisi sit quippiam quod separet: atque illud quod diuidit, eo quod diuiditur validius esse oportet. Itaque tertia pars erit, Deus quippe qui copulat & moderatur. Quid ad hæc Droseri? An Deus in aliquod particulare curriculũ redactus est? vel extensus est & fusus per omnia? Dros.

I Ego Deum in arctum cogi non dico, sed contendo non esse caussam malorum. Adam. Verbo quidem illum non esse caussam dicis, re autem & sententia tu simulac Valentinus & operariũ & receptaculũ malorum esse dictitaris. Dros. Quonam pacto? Adam. Orationis processus hãc definitionem euincet. Duo enim principia ingenita simul esse non posse, te non latere arbitror: quãuis hoc antè visus sis in oratione tua intexuisse. Alterũ enim horũ tibi concedendum est necessariò, vel quòd Deus sit à materia seiunctus, vel rursus quòd sit cum ea coniunctus. Si cõcludi cũ illo quis velit, vnũ affirmabit ingenitũ, vnaquæque enim pars istorum sui quoque proximi pars est, vnáque cohærescunt: Iam partes inter se conglutinatæ nõ sunt duo ingenita, sed vnum quiddam est ex variis dissimilibúsque rebus collectum & quasi consutum. Sin distracta ac diuulsa dixerit, medium quoddam interiici est necessum, quod illorum dissociationem & disiunctionem declaret. Si verò ita dicat, nec seclusum esse à materia Deum, nec etiam consociatum, sed esse in loco materiæ positũ, & materiam in Deo esse id quod continet: is audiat, si materiam Dei sedem esse placeat, eum diuiduum esse & ad materiam astrictum: deinde eodem modo se necessariò habere, vt materia in tum in deteriore loco & conditione Deum esse necessariò confitendum est. Nam si materia inornata K fuerit neglectáque, & eam cultiorem ornatiorémque reddiderit, hoc nimirum consilio, vt meliorem efficeret, ac omnino reficeret: erat Deus incompositus & incultus. Quin & hoc iure quæri potest, vtrum totam materiam cõplenerit Deus, an vnam aliquam solam partem occuparit. Nam si dixerit quispiam in vna particula materiæ consedisse Deum eáque meliori, parum aberit, quia illum iam materia angustiorem ac minorem esse dixerit. Sed quæ pars illius tanta Deum totum capere poterit? Si velit autem æquabiliter fusum in sui parte esse & per totã materiam dilatatum, dicat mihi, quomodo eam creauit? Aliquam sanè diminutionem factam & dei contractionem, non potest non fateri, qua intercedente illud à quo refugit creauerat, vel seipsum in materiam cùm nullum subterfugij & secessionis locum haberet. Sin verò materiam in Deo locatam ac defixam quis autumet, pari ratione exquirendum est, vtrum quemadmodum à seipso vnũ quippiam semotum est & separatum, & sicut in aere animantia, quo diuiso & partito ea quæ in ipso sunt recipiuntur an vt in loco, hoc est, quemadmodum in terra aqua continetur: Si vt in aere, necum in partes sectilem esse dicendum est. Si vt aqua in terra, cùm fœda erat ac deformis materia, atque sordidata malis, statuendum est Deum esse receptaculum eorum, quæ deturpata sunt & mala, quod omninosum est, imò verò dictu periculosum. Droserius. Valentinus quò deum à culpa vindicaret, in materiam mala L deriuauit, & Deum ostendit caussam non fuisse, sed materiam. Adamantius. Materiam concretum cum Deo esse definis, quò Deum asseras malorum effectorem nõ esse, quum autem hoc fugere cupias, verbotenus quidem videris effugere, re autem attentius ponderata, Deum malorũ receptatorem & creatorem determinas. Si igitur materiã constituis esse ex rebus existentibus generatis, esse quoque ingenitam, deum etiam omnem malorum ortum & initiũ à Deo quasi caussa fluere dicis: idcirco hanc ingredi disputationem operæprecium esse videtur. Quum enim hoc planum perspicuum que factum sit, vnde mala proueniãt, nec posse quenquam Deum malorum principium caussam ne facere, tamen quum ei materiam subiicias, hæc tua facilé corruere videtur & labefieri constitutio. Quid enim? Dicésne materiam, de qua mundi creatio cõfecta est, qualitatibus expertem cum Deo esse? Droserius. Ita dico. Adamantius. Ergo Deus necessariò ponendus separabilis & partitus & à materia circumscriptus, ac instar materiæ informis ac inconditus, nec in se manere nec consistere. Itaque si materia qualitatibus carebat, & mundus erat à Deo conditus, súntque in mundo qualitates, qualitatum efficiens erat Deus. Quoniam illud te audiui antè legisse, Ex his quæ non sunt aliquid esse non posse. Responde ad M responsum meum. Existimásne mundi qualitates non proseminari ex aliis subiectis qualitatibus? Droserius. Existimo. Adamantius. Aliúdne præter substantias illæ videntur esse? Droserius. Aliud dico esse & diuersum à substantiis. Adamantius. Quod si igitur nec ex qualitatibus subiectis Deus qualitates eduxit, nec ex substantiis oriuntur, quia non sunt substantiæ, necesse est dicere illas à Deo ex nihilo creatas fuisse. Quò factum est, vt planè superuacaneum sit quod posueras fieri non potuisse, vt quia ex illis quæ non existerent, quicquam apud Deum factum esse opinetur.

VALENS VERO HIC: Quid, inquit, ineptè Droserius pertexuit, qui materiam qualitatibus nudam constituit? Adamantius. Ergo tu quid iudicas? qualitates in materia inhærescere? Valens. Ego sic existimo materiam habere qualitates quæ principio carent, & mala ex illa quasi defluere, & decursu quodam emanare, vt Deus fons malorum nõ constituatur, sed materia ipsissima caussa relinquatur. Adamantius. Ne suo quidem magistro Valentino Valens assensionem præbet, sed eius decretum peruellit. Valens. Quid vellico? Adamantius. Valentinus respondit formatorem materiæ Deum, tu contrà etiam materiam qualitates substantiarum quæ ortu carẽt, habere,

A habere. Cuius ergo rei perfector & effector erit Deus? Valens. Deus est mundi opifex. Eutropius. Valens aliqua tantum consideratione & ratione creatorē Deum vult dicere. Valens. Quomodo? Eutropius. Ais materiam cum Deo copulatam, & qualitates. Si prius extiterit materia, simúlque qualitates coextiterint, frustraneum est iactare Deum esse creatorem: & aut Valentinus malè definiuit, aut Valens, aut vterque. Adamantius. Paucis sciscitabor, Valens mihi respondeat. Valens. Dic. Adamantius. Quo respectu Deum asseueras esse creatorem? num quia substantias immutauerit vt non sicut olim, sed vt diuersæ ab illis essent? an quia substantias conseruatit easdem quæ erant, qualitates autem earū commutauerit? Valens. Non censeo mutationem aliquam factam, sed alterationem qualitatum interuenisse: quo modo Deum conditorem accipio, exempli causa. Si quis fortè dicat exædificatam esse domum ex lapidibus, de quibus non licet dicere, non esse lapides amplius substantiam: sic apparet Deum salua substantia qualitatum aliquam indixisse mutationem: atque ita à Deo absolutam esse mundi creationem interpretor. Adamantius. Quoniam non diffiteris qualitates aliquam subire alterationem per Deum, iis quæ in percontando ponam respon-
B de paucis. Valens. Dic modò. Adamantius. Ecquid substantiarum qualitates tibi in malis numerandæ videntur, an substantiæ? Valens. Substantiarum qualitates. Adamantius. Erántne qualitates ipsæ innatæ ab initio & infixæ in materia, an suæ naturæ principium traxerunt? Valens. Dico ipsas qualitates absque ortu cum ipsa materia connexas & quasi connatas esse. Adamantius. Nónne & deum putas motum & mutationem attulisse qualitatibus? Valens. Hoc affirmo. Adaman. In meliúsne vertit an in deterius? Valens. Indubiè in melius. Adamant. Itaque si qualitates materiæ sint malæ, qualitates autem in meliorē statum mutauerit, vnde mala importata sunt, videndum est. Etenim qualitates, vt erant quondam natura, non permanserant. Si autem prius vitiosæ qualitates non fuerint, consequeretur primùm fuisse in materia sic factas, nimirum deprauatas, cùm eas Deus mutaret atque corrigeret. Valens. Perinde quasi oblitus fueris Valentiniani axiomatis, ita profectò disputas. Sanciuit enim ille incohoatam & indolatam materiam, ex illa demū quædam facta meliora, quę verò desormia ac rudia essent, hæc ita relicta, vt quæ illi nulla cognatione & affinitate congruerent. Hinc videntur mihi mala fieri. Adaman. Bona tantum selegit de materia, reliqua mala prætermisit? Valens. Sic est. Eutropius. Implicata admodum ac inconsiderata propositio à Valentino & Valente allata est. Quærēdum enim est, vtrum quum pos-
C set mala restinguere, noluerit tamen, vel quum posset, non habuerit? Etenim si facultatem adesse, deesse verò dixeritis voluntatem, eum necesse est machinatorem malorum appellare, quia quum potuerit efficere ne mala essent, illa tamen manere vt erant, permiserit, maximè verò quum ille materiam subigere & formare cœperit. Nam si omnem prorsus curam abiecisset, nullatenus causa diceretur, si iacere siuisset. Quando verò partem eius sic reliquerit, quum tamen reformare potuisset, causa sanè malorum erit, quoniam partem materiæ corruptam reliquit, ad interitum eius partis quam creauit & restaurauit. Imò hæc materiæ portio, quā adornauit, maxima videtur affici iniuria, quippe quę mala sentiat. Si quis enim attentiore animo res velit existimare, reperiet longè peius materiā se habere nunc quàm antea quum in priore desormitate ac sordibus consisteretur. Antè enim quàm selecta & secreta fuit, mala sentire minimè potuit, cùm nunc singulæ partes malorum sensum accipiant. Quod verò beneficij loco in materiam à Deo factum asseris, doloris sanè cumulus, non commoditatis alicuius auctarium esse inuenitur. Sin apponas Deū mala auferre non valere, eneruatum quendam Deum mihi facis & imbecillum. Et imbecillitas ea vel ex naturę infirmitate surgit, vel quia metu ab aliquo excellentiori in

seruitutem redigatur. Atque adeò mala dominari Deo vis, D quæ voluntatis illius impetum infringant & debilitent. quod de Deo asserere rationi videtur contrarium. Quare etenim, ex Valentini diiudicatione atque sententia non multo magis mala illa pro diis haberentur, vt quæ Deum superant. siquidem Deum illum esse dicimus, qui in omnia ditionem habet & iurisdictionem. Droserius. Multò tutius potest trutinari, vnde mala scateant. Si enim hanc materiam quasique syluam cum Deo simul dicamus extitisse, multę absurditates veritatis comites erunt & pedissequæ. sin neque ex materia, neque ex Deo nata sunt, vbinam mala quærere certo poterimus? Adamantius. Mala nec secundum naturam, nec secundum substantiam, nec secundum hypostasin sunt, at secundum modum ex libertate arbitrij promanant. *Mala ex libero arbitrio.* Droserius. At enim mala ex substātia & essentia proficisci puto. modus etenim aduentitius est & accidentarius. Adamantius. Expedi nobis dilucidius, quæ tandem mala narres, secundum substantiam & secundum essentiam. Droserius. Quę lex prohibuit, ea voco mala, puta homicidium, adulterium, furtum, scortationem, & quæcunque denique lex vetat. Adamantius. Hæc fortuita sunt, seu, vt vocant, per accidens. Etenim nec homicidium est substātia, nec adulterium, vel aliud simile malum, sed quemadmodū E à Grammatica quæ non est ars oratoria, imò ab iis quæ ei accidunt, denominationem accipit, à quibus sic denominari videtur, neutrum tamen eorum est: ita substantia hæc à malis, quæ extant & in conspectu collocata sunt, nomen obtinet. Malus enim dicitur, malorum artifex, seu maleficus: quæ autem quisque facit, non sunt habenda pro ipso qui facit, sed ipsius effecta sunt, à quibus hanc nominis vsurpationem habet. Si nimirum eum qui facit, & ea quæ facit, eadem vocaremus, facit verò homicidia, adulteria, furta, & cætera generis eiusdem: iam ille & hæc facta idē essent, & confunderentur. Si denique hæc pro illo ducerentur, cúmque tum existant solum, quando fiunt, vbi antē facta fuerint, esse cessent, cùm porrò fiant ab hominibus: erunt homines & sui ipsorum effectores, vt sint, & causæ, vt esse desinant. Si hæc illius operationes dicis, ea illis quæ conficit, habet vt sit malus, non ex quibus est substantia. Malum quippe diximus appellari, ab euētis quę substantię accidunt: quæ pro ipsa substantia, reputanda non sunt, vt ex arte fabrili faber. Si verò ex his quæ operatur, malus dicitur, quæ autem operatur, initium tum sumunt vt sint: cœpit ergo & ille esse malus, cœperunt & illa esse mala. Si ita sit, nō est absque ortu malus, nec sunt absque principio mala, cùm ab eo quasi genita & edita maleficia liquidò appareant. Droserius. Aiebas mala quodammodo F non secundum substantiam sata esse. constat autem à substantia mala fieri. ostēde igitur enodatius τρόπῳ, id est modo & ratione mala esse, & non ex substantia. Adam. Ego primum nihil esse malum natura statuo, sed quōdam naturæ modo & habitu malum esse dicitur. Etenim nomen adulterij societatem viri ac fœminæ designat. sed si quis cō gressus sit cum vxore propter liberorum procreationem generisque propagationem, hæc laudata est cōgressio. Sin relicto concubitu licito, in alieno matrimonio petulanter iniurius sit, facinus iam omnino malum designat. Sed enim vtrobique eadem societas, modus verò vsus ac congressus non est idem. Item in ratione stupri eadem est oratio. Cōsociatio enim citra modum vsus seorsim inspecta, mala nō est, tunc autem malum se ostendit, cùm modi emergit euidentia. Eodémque modo de cęde iudico. Siquidem deprehensum in stupro si quis interfecerit, pœnas propter nefarios ausus deposcens, malum non committit at nulla ratione probabili incitatus, si ei manus afferat, qui nullum interdictorum violat, vel rem familiarem diripiendo, vel eum facultatibus emungendo, vel spoliando opibus, scelus iam perpetrat. Factum in vtroque idem, modus autem facti discrimen facit. Addo & illud, accipere pecunias quadam capiendi ratione in vitio est.
Nam qui accipit ab eo qui erogat & communicat quę habet, nihil mali aut damni dat. Cæterū si ab inuito, vel fur-

G tim surripit, iam admittit maleficium. Alienum capere in ambobus vsu venit, sed via & modus accipiendi facit, vt illud mali nomen subeat. Ita etiam Deum colere secundum quendam modum vituperabile est. Si enim quis verum Deum colit, opus facit bonum: si illo spreto, eum qui non est, adorat, & honorem digniori proprium, in ligna, in lapides vult transferre, se iam scelere inquinat. Cultus quidem nominatio in vtrisque eadem residet, modus verò vsus factum commutat. Drosér. Quando igitur de malis instituceris sermonem, & explicare cœperis, quomodo erumpant mala, quódque horum autores sint homines, porrò pergam abs te pauca quærere, vtrom à seipsis occasionis ansam arripiant homines, & ipsi sint huius vsus efficientes & inuentores: vel à deo tales efficiantur, vel rursus alius quispiam ad talia homines impellat & inflammet.

Cultus & ficet- ftui.

Adam. Adeo homines tales effici non dico, illud dico, hominem libero arbitrio donatum & gratis à deo summum illud beneficium conferri, cum cætera omnia sanctioni diuinæ necessitate seruiant & quasi ancillentur. Et enim cœlum mihi nominas? stat ferens dominum, loco limitato nō cedens. De sole me loqui vis? Motum sibi præscriptum, suúmque curriculum obit & conficit, non cursum abrumpens, sed necessitate subseruiens. Vides similiter terram immotam & fixam, decreta iubentis capescentem: sic & alia creatori suo necessariò subiiciuntur: nec potest eorum quicquam aliud quàm id, cui destinatum est, facere. Vnde ea non laude euehimus, quantumuis domini sui perfungantur imperio, nec illis meliorum spes reponitur, etiamsi quod ipsis mandatum est libenter obeant. Hominem au-

Hominis liberi statui & felicitas.

H tem ratione & intelligentia subesse voluit, & quoddam priuilegium accepit, vt seipsum quodammodo subiugare posset non aliqua coactione naturæ frenum adhibens, nec suæ potestatis fraudatus præstaria, quod ergo αὐτεξούσιον, id est, quandam libertatis prærogatiuam rerum meliorum causa nomino: vt scilicet plura exportet ac præstantiora quæ illi propter obtemperationem ac submissionem quasi debita à creatore accedunt. Nō enim hominem suo malo, sed commodi sui causa sic comparatum ac constitutum astruo. Nam si in elementum aliquod degenerasset aut in simile quippiam, deo fuisset necessariò seruiendum, neque præmium suæ voluntaris & propositi retulisset, sed homo alioqui aliud fuisset nihil quam creatoris velut instrumentum, vbi is causa hotū esset, qui vteretur: nec homo melius quicquam sciuisset, illud cognouisset duntaxat solum ad quod fuisset institutus. Hinc ego dico sic deūm ornare voluisse hominem, sic honorare, vt res maiores scientia comprehenderet, & hunc ei dignitatis apicem contulisse, vt quæ vellet, posset suscipere. Eutropius. Non stupidum modo permouere, sed insanum etiam percellere posset gra

Peroratio in dicis.

I uibus sententiis salubertimisque opinionibus hæc referta oratio. Ineptum planè iudico, cùm tot rationum ponderibus totus hic sermo fultus instructúsque sit, diutius istis insistere, & orationem dilatare longius. Videor mihi posse me id quod agitur signo omni luce clariori demonstrare. Siquidem veritatem & totum hoc vniuersalis ecclesiæ dogma, & hunc acerrimum illius propugnatorem & velut clypeum perenni cuidam fonti similem esse iudico, qui perpetua fluens scatebra exuberat, quasique exultat & excrescit, quantóque magis hi Droserij & Valentes hauriunt, se exhausturos sperant, tanto redundat vberius & copiosioribus aquis scaturit. quapropter arbitror consultissimum esse, vt Droserius & Valens hac κακομαχία, id est, improba & subdola pugna supersedeant & canant receptui. Marinus nunc, si volet, reliquas propositiones suas in medium afferat: nam illa puto testare diuisionis membra, quæ ab ipso distributa sunt.

DE CHRISTO HOMINE VERO EX MARIA SECVN- *da pars diuisionis.*

Marinus. de Christo institui dicere. Quod K enim vos contenditis illum nostram patricipasse hypostasin, ex eaque sumpsisse carnem, id illi immaculatæ & illibatę attribuere substantiæ, mihi perabsurdum videtur. Tradunt enim aliter & sacræ literæ, eum nempe cœlestem carnem accepisse. Adam. Qui verè sine fuco & phaleris cupit inquirere, & inquisitionem ad exitum syncerè perducere, & omnem pugnandi cupiditatem deponere, nullúmque secum domo præiudicium & animi prænotionem efferre, eum placidè & inoffensè se veritatē esse inuenturum. Primum ergo lucidè & candide ad certas quasdam metas reuoca caput disputationis tuæ. Mar. De Christo ineunda consultatio est. Ego illum cœleste corpus cepisse censeo, tu vicissim dicas quid tu sentias. Adam. Ego hoc teneo & credo ex primi parentis Adami substantia esse, de qua & nos. Mar. Dogma Christianorum fide & scripturis fundatum est. Æquum ergo ex scripturis vel persuadere vel persuaderi. Adam. Dic ex scripturis. Mar. Primum istud dispiciatur, num pudor hoc ferre posset, dicere illum nimirum verbum dei carnem accepisse de muliere. Adam. Si in verbum Dei aliqua cadat perturbatio, tum pudore suffusa est diuinitas. Mar. Vnde quęso? Eutrop. Quia pudendum esse dixeras, vt verbum carnem dicamus adsumpsisse. Diuinum quod est nec pudore afficitur, nec gloriam consectator, nec ardet cupiditatib. Quippe affectus sunt, affectuum autem capax non est diuinitas. Adam. Pauca licet a te quærere. Mar. Dic agè. Adam. Hominem quis creauit? Mar. Deus. Adam. Paterne verbi hoc est Christi? Mar. Pater simul cum verbo. Adam. Quónam modo creauit? Mar. Quemadmodum explicauit scriptura. Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & deus accepit puluerem de terra, & finxit hominem. Adam. Puluere accepto de terra, an deus mutauit in meliorem statum, vel in deteriorem? Mar. Sanè in meliorem. Adam. Cum igitur puluerem accepisset ex terra, hominem ex deteriore finxerit, & non erubuerit, quid? puduitne recipere eum quem formauerat? Quid tibi vis? Eutrop. Dixisti creasse hominem de puluere, an non ita est? Mar. Maximè. Eutrop. Vtrum honoratius est & nobilius puluis, an homo? Mar. Homo. Eutrop. Insipientis est dicere non verecundatum fuisse eum in cōtemptiore, sed puduisse in præstantiore. Quòd si ergo puluerem accipere deus non erubuit, quomodo verecundia deterritus est, quo minus hominem natum similitudinem sui assumeret? Adam. Annon & hodie natura ipsa arguit verbum dei formare homines? Ecquid sine deo animal constitui posse dices? Ecquid in vtero fingi hominem? Mar. Ego vim dei existimo hominem in vitam M lucémque producere. Adam. Audi Apostolum dicentem, Christus dei potentia est & dei sapientia: Audi Ioannem Euangelistam loquentem: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est ne vnum quod factum est. Quin & Ieremias Propheta deum hominis formatorem quasi digito monstrat sic interloquentem, Antequam ego te formarem ex vtero, cognoui te. Dauid etiam: Manus tuæ fecerunt & finxerunt me. Sed & in Genesi: Sumpsit, inquit, deus puluerem & formauit hominem. Apostolus item, Quando, inquit, collibitum est deo segregare me de vtero matris meæ. Proinde cum testimoniis sacrarum literarum comprobatum sit verbum dei hominem vita donasse, quomodo fieri potest, vt hæc dedecorosa ac erubescenda recipiantur, siquidem deitatem in se admittere dedecus affirmetis, hæc verò nobiliora abiiciatis ac pro nihilo putetis? Mar. At quò ista abeunt? quid ad clarat basce scripturas, quæ docent cœleste corpus sumpsisse? Quoniam in Euangelio Ioānes perhibet: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Adam. Euangelista piè & orthodoxè interpretatus est hoc verbū, quod verbū habitauit in nobis, id est, in carne nostra. Mar. Sed verbum caro factū est. Ada. Si dixisset, verbum caro erat, habuisses quod prætexeres, at illud, factū est, ostendit manifestè

Dogmata ex scriptu ra demum frauda.

Gen.1. L

Ioan.1.

Ierem.1.

Gen.2.

Ioan.1.

A festè quod non fuit, aduenisse: & id quod iam non erat, esse factum: non enim factum vocabitur ὤν existens, sed factum demonstrat non fuisse antequam factum fuisset. Itaque factum est caro, cum antè fuisset verbum, factum quippe, posterius est eo quod est. Marcus. At ὁ λόγος Verbum caro factum est, nihilque foris assumpsit. Adamant. Est ne verbum dei mutabile, an immutabile? Mar. Immutabile. Eutrop. Dum probare vis verbum dei non accepisse carnem, illud fugiens, grauissima & detestabili cum configis blasphemia. Mar. Quánam illa? Eutrop. Vnus est, quod enim assertione tua oratio hæc non concurrit neque conuenit: secundum verò quod verbum dei variabile erit & versatile, si caro factum fuerit, vt tu somniss. Quod enim mutatú est contra quam erat antea, non erit iam quod erat, sed quod factum est. Friuolum ergo erit dicere verbum dei esse Christum: non etenim iuxta tuam sententiam est verbum sed caro, Quin & illud inane est, quod ais è cœlo illum carnem habuisse. Adam. Si carnē factum esse dicit, & non sumpsisse corpus hominis, dicat mihi quęso, quidsit illud quod in cruce passum est? Marinus. Opinione ille passus est. Eutro. Opinione, id est specie & phantasia ac non veritate. Adam. Si opinione, non veritate passus est, opinione Herodes iudicat, opinione Pilatus manus lauat, opinione Iudas tradidit, opinione & Caiphas, opinione eum & Iudæi comprehenderunt, opinione & apostoli,

Christum nō δοκητ-ῶς sed ἀληθῶς passum.

B opinione sanguis ipsius est effusus, opinione Euangelistæ prædicarunt Euangelium, opinione descendit de cœlis, & opinione ascendis, denique & salus hominum opinione constat, non veritate. Quomodo igitur Christus dicit Ego sum veritas. Eutropius. Marinus asseuerat vocabulo quidem Christum dicere, Ego sum veritas, reuera nihil veri eshibere aut præstare. Mar. Patefaciam tibi ex scripturis illum de cœlis accepto corpore venisse. Adam. Est ne in cœlo substantia & hypostasis carnea? Etenim tibi est probandum ex scripturis, esse in cœlis substantiá, quæ carnem habet, ossa, & sanguinem, & tum poteris ad alios tuæ demonstrationis neruos descendere. Marinus. De corpore demonstrabo, apostolo dicente. Corpora cœlestia & corpora terrestria. Adamant. Corpus nominat apostolus, cœlum, solem, lunam, Sic enim inquit: Corpora cœlestia, & corpora terrestria, alia gloria solis, & alia gloria lunæ, alia gloria stellarum, stella à stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Esplana igitur, ecquid caro & ossa, & sanguis substantiam habeant in cœlo? Mat. Corpus & caro idem sunt. Eutrop. Apostolus corpora ostendit, videlicet cœlum, solem, lunam. Adam. Idem non sunt. possumus ne cœlum nominare carnem? cum ta-

1. Cor. 15

C men nominamus corpus. Hoc ergo primum expedi, carnem & ossa, & sanguinem habere in cœlis substantiam, & tunc illas apodeixes tuas & achillæas argumentationes educas in aciem. Eutrop. Profitetur Adamantius contra omnes illum sumpsisse terrestrem, nostram scilicet carnē: Marinus verò cœlestem. Est igitur explicandum, sit ne in cœlo carnis substantia, pòst ad tuas demonstrationes accede. Verum ex terrestri sumpsit, an ea cœlesti? Adamantius. Hoc testatú sit & præmissum à me, carnē esse substantiam, rationes ex scripturis proferá, verbum cœleste, carneam & sanguinem & ossa accepisse. Primum ex Euangelio. Etenim post resurrectionem ex mortuis, diffidente illi Thoma, dixit, mitte digitum tuum in vestigia clauorum, & manum tuam in latus, & ne sis incredulus, sed credens. Spiritus enim carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Eutropius. Christus planè docet carnem se & ossa habuisse. Primum itaque hoc enodandum venit, esse in cœlo substantiam, quæ carne & ossibus obuelata sit, & ita inuenietis veritatē minore cum periculo. Marinus. Iam id expediui, corpora scilicet esse cœlestia. Eutropius. Hoc ergo liquet, illum stellarum carnem & ossa & sanguinem accepisse, quod fieri non potest. Adamantius. Paulus te apertius docebit, quæ sit inter corpus & carnem distinctio & discrepantia: Sic, inquis, Vos olim, quando eratis hostes dei & peregrini à

promissione testamentorum, nunc autem reconciliauit in D corpore carnis suæ. declarans perspicuè illum & corpus & carnem induisse. Eutropius. Doceat, sit ne in cœlo substantia quæ carnem, sanguinem & ossa habet. Marinus. Cœlestem habuit, & id cœleste ostendimus. Adamantius. Ex qua substantia, num angelica, an ab aliquo principatu, aut potestate? vnde accepit? Cedo. Eutropius. Quando non indicatis substantiam, sed tantum inculcatis carnem recepisse cœlestē, necesse est vt concludamus illum ex his quæ non sunt, carnem assumpsisse. Marinus. Existimatione credimus illum accepisse, quemadmodum Angeli apparuerunt Abrahamo, cum illo edentes & bibentes, sic & hic. Adamantius. Quamobrem ergo venit, vt nobis veritatem retegeret? vt per eum seruari possemus? an, vt vobis visum est, vt falsa ac mendaci salutis promissione fucum faceret? Si enim per mendacia nos in vitæ participationem vocet, non erat vera mendacij promissio. Si veritatis magister erat, constat eum primum veritatem planam & perspicuam attulisse. Patrem enim suum Christus confitetur, misisse ipsum, pater siquidem non est dicendus pater, nisi fuerit qui ex illo generatus sit. Christum verò hunc isti nunquam esse genitum contendunt. Dicant ergo vtram harum duarum orationum falsam iudicant, suám ne, an Christi? Cum namque Christi natiuitatem inficiantur & dispensationem quæ est secundum carnem, quomodo ipsum audiût, vbi se filium hominis appellitat? E Nam si quodam opinionis errore, forma hominis solum apparuerit, quid opus erat se, filium hominis vocare? Nudè & sigure dixisse oportuit, Hominem multa pati oportet. At verò blaterant isti, ementita forma fuisse dominum conspectum, & non verè, sicuti erat, innotuisse. Siquidem veritatem docere homines voluerit, quid est quòd non hominem se, at hominis filium nuncuparit? sibique quod non erat affinxerit? Imò citra fucum ipse de se quod erat haud obscurè prædicauit. Nec enim idcirco magis se extulit nobilitauitque, cum pro deo homo haberi vellet, neque illi maiorem fidem tribuissent homines, quum enim hominem, quàm cum deum crediderant. Ad hæc, si in mundum venerit, vt veritatem, quæ ad ipsos homines spectat, contestatam & apertam faceret, non transformari, quò non appareret quid esset, sed ignorari debuit: neque cum dissimularet id quod erat verè, hominem se pro deo vocare oportuit. Et hoc dixissemus sanè, si planè & simpliciter seipsum dixisset hominem. Quum autem se filium hominis dicat, quomodo isti mendaciorum architecti comminiscantur intelligi omnino, filium hominis ideo vsurpatum fuisse, quum ex forma contrarium appareat? Sed quid de sola forma loquor, cum non exterio- F rem tantum formæ personam, præ se ferant homines, sed & substantia conspiciuntur homines, qui veri sont natura homines. Adam namque & Eua nec erant, nec vocabantur: nimirum si filius, humanam significasset substantiam, oportebat Adamum & Euam homines sanè, filios quoque hominum nuncupari. Sancti denique Angeli hac appellatione insigniendi essent, qui humana specie & externa similitudine sæpenumero visi sunt. Eutrop. Filius non hominum substantiam, sed ex hominibus procreationem & propagationem denotat. Marinus. Adhuc etiam atque etiam repeto: Vt angeli edentes, bibentes & colloquentes cum Abrahamo apparuerunt, sic & Christus etiam visus est. Adamantius. Typi ante Christi aduentum erant, præsente veritate typi obsoleuerunt & euanuerunt, teste Apostolo, Lex enim vmbra est futurorum bonorum. Quòd si Christum adumbraré ac prophetícè instar Angelorum & ipse venisset per alium, nunc etiam, secundum opinionem tuam, verè nobis espectandus est, licet sit filius hominis & verè mortuus, & sepultus, & excitatus è mortuis, qui integram & veram salutem hominibus est daturus. Marin. Si adumbrationes Christi fuerint Angeli, quo pacto ederunt cum Abrahamo & biberunt? comederúnt ne verè an non? Adamantius. Angeli prototypi & primæ figuræ veri-

Heb. 10.

Angeli an comederint.

G tatis, Christi scilicet Seruatoris: comederunt quidem verè, nulla tamen ipsorum corporibus ex cibo accessit magnitudo vel accretio. Quemadmodum enim ignis omnia obiecta deuorat & consumit, sic & cum Abrahamo Angeli. Quod etiam Apost. testatur: Hæc quidem in figuris cõtigerunt illis, scripta sunt autem ad nostram admonitionem, in quos fines seculorum occurrerunt. Eutropius. Apostolus, vt ego quidem iudico, vmbram & figuram veritatis futuræ delineat, cuius repræsentationes ac schemata fuerunt Angeli. pulchre igitur & præclarè apostolicis literis hæc Angelorum εἰκὼν & imago congruet: Et sic. Si vt Angeli, sic Christus apparuerat, & simulachrũ veritatis & tantum ideam repræsentauerat, necessariò nobis alius est quærendus Christus, cuius speciem Angeli & Christus retulerunt, vanúmque est illud quod occinimus de Christo: Ego sum veritas. Adam. Exactius adhuc te admonebo de imagine & figura & veritate. Figura enim angelorum nec contrectabilis erat nec palpabilis: Veritas autem nimirum Christus comprehensus erat, passus erat, carne, sanguine, & ossibus connectus erat, & ex mortuis excitatus. Angeli se homines esse non profitebantur, sicuti Christus inquit, Quis me tetigit? Sensi enim virtutem exeuntem à me. Docebatur enim & Thomas cum vulnerum cicatrices contrectaret. An verò præ-H stigiis volebat agere, & eas ludificare, auditores maximè suos & germanos discipulos? an veris potius illos instruere & imbuere, nempe, vt ipsum esse palpabilem perspicerent, & sic carnem, sanguinem, & ossa assumpsisse? Quod si, vti obloquuntur isti, carne destitutus erat, & exanguis, cuiusmodi carnis, cuius corporis, & qualis tandem sanguinis signa & imagines & panem & poculum ministrauit? iussitque per illa discipulos memoriam sui renouare? Attestatur enim Apostolus his, dicitque & panem & poculum benedictionis esse, & sanguinis & carnis communionem. Si autem, vt istis videtur, opinione & non veritate in Christo fuerunt ea, quæcunque vir integer habet, anima scilicet ratione prædita, & sanguis & caro: nec vt vera commemorarentur a Paulo, & frustra nitimur, istorum iudicio, scire veritatem, quam dominus neque per se, neque per Apostolum expressè voluit significare, imò reluctari illi & obniti volumus, id cognitum quod ille abstrusum velit & reconditũ. Sin verò ille verus est, qui αὐτοαλήθεια ipsissimáque veritas est, qui passus est Christus: verus erit quoque Paulus ab eo missus, cum dicit, An specimen quæritis loquentis in me Christi? Parendum non minus verbis Apostoli quàm Christi, ex quibus audimus & sanguinem & corpus habuisse Christum, & pro nobis verè mortuum, & propria nos morte & sanguine redemisse, quæ non est credibile perpessum fuisse Christum, qui descendit de cœlis, si non carnem susceperit. Quòd verò Apostolus non tectè sed liberè cum animi fiducia mortem & sanguinem prædicat,
I recitabo. Dicit enim hoc modo. Notum enim vobis facio Euangelium, quod euangelizaui vobis, quod & accepistis, in quo & stetistis, per quod & seruamini, qua ratione Euangelizaui vobis, si meministis, nisi frustra credidistis: Tradidi enim vobis in primis, quòd Christus mortuus est pro peccatis nostris, & quòd sepultus est, & quòd tertia die resurrexit. Si quis itaque non frustra crediderit, is constanter Apostoli traditionem retinet, & Euangelium per quod salutem adipiscimur, agnoscit & illud habet.

Eutropius. Rectissimè Apostolus, Pro peccatis, inquit, nostris mortuus est Christus, & sepultus, & tertia die excitatus. Hac quidem Hypothesi seu fictione, falsa erunt quæ lecta sunt, siquidem Christus non fuerit carne præditus, sed merus tantum spiritus, hominis larua solummodo. Neque enim tradi poterat spiritus, quia contingi non potuit: nec mori, cum non fuerit naturæ mortalis: nec sepeliri vlla ratione, cum sit spiritus. Quid moror multis? sed nec sanguinem habet sua natura spiritus. Porro scripturæ etiã per mortem & sanguinem Christi salutem hominum annunciant: isti autem eum sanguinem & carnem habere negant. Ita nec ille mortuus est verè, neque sepultus: nec enim sanguinem habuit, sed opinione, non veritate ab eo

hæc facta recitantur, neque nos verè sed opinione seruamur? Quasi verò non etiam aduentu aliorum, qui & ipsi K specie quoque apparuerunt, Angelorum, inquam, qui viuente Abrahamo extiterunt, vel si quis præterea alius extitit, mundus salutem non potuisset consequi. Quare in fide lapsi sumus, & hallucinamur, dum opinamur ipè nos & salutem assecutos. Adam. Expecta paulisper & plures audi rationes ex Apostolo: Si, inquit, Christus non resurrexit ex mortuis, vana prædicatio, vana & fides nostra. Quapropter si existimatione, vt existimant isti, passus est, & nõ verè, non erat verè mortuus, inde patet verè ex mortuis non resurrexisse, & verè inutilem fore prædicationem, & nostram fidem irritam. Tum infert: Nunc autem Christus prædicatur ex mortuis primitiæ dormientium. Quandoquidem enim per hominem mors: & per hominem mortuorum resurrectio. Quemadmodum enim in Adamo omnes moriuntur, sic & in Christo omnes ad vitam excitabuntur, primitiæ Christus. Eutropius. Credisne Marine Apostolico? Mar. Equidem credo illi, at quid ipse regerat Apostolus, animaduerte: Qui descẽdit, idem est qui ascendit: & in Euangelio, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui ex cœlis descendit filius hominis. Vides eum dicere apertè, eum de cœlo venisse? Adamantius. Nonne hæc argumenta nostram potius sententiam stabiliunt? Marinus. Quo pacto? Adamantius. Demonstrauit euidenter Euangelium, nisi verbum de cœlis descẽdisset, hominem in cœlos non ascensurum. Nemo enim, L inquit, ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlis, siquidem, Ascendit, tempus significat præteritum, quoniam non ait, Nemo ascendet, sed, Nemo ascendit. quò liquidè commonstrat, ante Christum ascendisse neminem. Id confirmans Apostolus, Erat, inquit, primogenitus, & rursus, Primitiæ dormientium: & rursus dicit: Primitiæ Christus, pòst hi qui sunt Christi. Priusquam igitur verbum dei descendit, & humanitatem ex vtero sumpsit, nemo ascendit: vbi autem ille Christus ascenderat, postea secuti sunt qui sunt eius. Sic namque dixit, Primitiæ Christus, deinde qui sunt Christi. Illud præterea, qui descendit, ipse est qui ascẽdit, Apostolus ait, eò Verbum descripturus perturbationibus vacuum & morationibus, verè enim qui descendit, idem & ascendit, nec alius quisquam, præter eum qui deus est. Eutropius. Hæc quidem elogia sententiæ Adamantij quadrant: tamen volo vtruoque hac de re iudicij vestri rationem fusius exponere. Adamantius. Verbum dei descendens hominem de Maria inuiolata virgine sumpsit in vtero, & sine viri coniunctione Christus genitus est: Ille ex Maria per spiritum sanctum sumptus est: ille vt hominem seruaret, omnes has humanas ærumnas pertulit.

Marinus. Bene tu quidem, igitur cum homo pateretur, aderátne simul verbum dei annon? Eutropius. Expone primum, quid definis. Adamantius. Sine primum M me contra ipsum responsum dare. sic deinceps definitionẽ constituat. Fuit quidem verbum dei cum homine coniunctum, sed non iniuria affectum aut afflictum: perinde vt adamas à ferro percussus manet illæsus, imò contrà noceт nocituro, & inuiolatus igni traditus, infractus ac incorruptus persistit. Sed & ignis quoque à gladio conscissus non diuiditur, Ignis quippe densitas in seipsam quasi recurrit, & indiuidua permanet: Proinde si hæ materiæ ab his admotæ suum robur & firmitatem retinent, nec consumi possunt aut atteri: cur non verbum dei, natura impatibile & immutabile, multò etiam magis absque motu & passione perseuerat omnes passiones consumens & interimens? Recitabo, si libet, Euangelium, cum ex Maria natum esse. Mar. Equidem & nos confitemur per Ma- *Distinctio* riam, sed non ex Maria. Sicuti aqua per canalem quidem *sophistica.* perfluit, sed nihil attrahit, ita verbum dei non ex Maria sed per Mariã permeauit. Adam. Iube recitari Euangelium. Eutrop. Recitetur. Adam. Recito, quibus verbis Angelus alloquutus est Mariã. Spiritus sanctus per- *Luc.1.* ueniet in te & virtus altissimi obumbrabit tibi: Quare quod ex te natum erit sanctum, filius altissimi vocabitur. Eutrop. Fortassis & hanc Angeli vocem fictitiam & phã-

tasticam

Margin notes (left column): ἢ εἰκών. — Panis & poculum εἰκόνες & figura — Christus αὐτοαλήθεια. — 1.Cor.15.

A tasticam esse obstrepes. Quid enim verius, quid compertius, cum Euangelium dicit, quare quod natum est non per te, sed ex te? Et quo pacto non vanissimum sit illud, verbum per Mariam quasi per canalem transire confiteri, ex illa tamen quicquam contraxisse inficiari? Et pudore scilicet negatis, quasi pudore hæc diuinitas egeat. Quod pudore dignum est, Marine, fateris, quod decentius est & dispensationi accommodatius, denegas. Nam si Verbũ per Mariam penetrare turpe non duxerit, nec ex ea aliquid sumere puduit. Nam quem in finem transiret, nisi inde aliquid delibaret? Adamantius. Si hominem non acceperit ex Maria, quomodo consistent verba Apostolorum? Quomodo mortuorum primogenitus erit? quomodo primitiæ dormientium? Hoc mihi explicent. Si enim more Angelorum sola specie eum dicant apparuisse, non potest primogenitus esse, nec primitiæ. Marinus. Quid ita? Eutropius. Apparuerúntne ante Christum Angeli, an Christus ante Angelos? Marinus. Longè antè apparuerunt Abrahamo Angeli. Eutrop. Si Angeli & Christus opinione tantum vterque visi erant, non poterat Christus Angelorum primogenitus esse cum

B illi prius apparuerint, vt tute concedis, priores enim illos primogenitus nominare est necesse. Adamantius.

συναμί-τιδος. Quo tandem pacto erit Christus primitiæ dormientium, quando ante illum diu Sunamitidis filius ex mortuis resurrexerit, & filius Sarephtanæ, & Lazarus? Nisi igitur fuerit verè mortuus, & quæ gesta sunt, non existimatione & reputatione sed veritate gesta fuerint, sicuti dixit Ioannes Euangelista, lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum: dicat qua ratione sit Christus primitię dormientium. Marinus. Dic tu potius. Adamant. Dicam non modo primogenitum mortuorum verè esse Christum, sed etiam primitias eorum qui dormierunt. Nã qui ante Christum resurrexerunt, statim intermortui sunt, Christus autem resurgens non amplius moritur. Ergo vt Adam primæuus mortem obiit, sic Christus primus resurrexit. Citabo ipsa verba Apostoli. Quemadmodũ, inquit, in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes ad vitam resuscitabuntur, primitiæ verò Christus, deinceps qui sunt Christiani. Quid inueniri potest quod vtrunque luculentius doceat, & quòd Christus fuerit, & quòd homo fuerit id quod mortuum erat? Si enim primitiæ dormientium is, qui ex mortuis resuscitatus est Christus, vt per hominem esset ex mortuis resurrectio, & si eodem modo per hominem etiam mors grassata intelligatur, duo homines illi iudicandi sunt, vnus Adam per quem mors, alter Christus per quem resurrectio. Itaque è duob*

C his conficietur alterũ, aut verbum è cœlis fuisse mortuum aut, quem sumpsit, hominem: vel quod colligitur necessariò intelligendum esse fatebuntur, qui de cœlo descendit, fuisse Deum, vtque nos liberaret, carnẽ pro nobis assumpsisse, qua ille mori posset, nos redimi: Erat etiam primitię resurrectionis, quæ prima ipsa fuit ex mortuis excitata. Ita verè Deum secundum spiritũ, verè hominẽ secundum carnem Christum esse confitentes, non imaginariam aut cõmentitiam fidem, sed veram & firmam habebimus. Quod & Apostolus tradidit, secundum carnem Christũ mortuũ esse & sepultum & excitatum à mortuis, & primitias resurrectionis eorũ qui dormiunt. Mar. Aiebas ante Christum multos resurrexisse. quomodo ergo erit primitiæ? Adam. Ante Christum qui resurrexerunt, rursus mortui sunt: Christus autem resurgens non amplius moritur, mors illi non dominatur amplius: quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem viuit, viuit Deo. Cui igitur mors dominata est? Quod etenim dicit, Non amplius dominatur, subinnuit prius fuisse dominatam. Eutrop. Liquidum est, si mors carni quam verbum sumpsit, non sit dominata, oportere dicere verbo fuisse mortẽ dominatã, nisi verbũ carnẽ verè sumpserit: In dei autẽ verbum dominatum exercuisse mortem, illud mihi piè aut religiosè non posse dici videtur. Adam. Itaque Apostolũ audi dicentem, & de morte, quòd verè vtique & non phãtasticè mortu* erat, & de sanguine, quòd verè sanguis eius pro nostra salute profundebatur, Sic enim, inquit, confir- D

mauit Deus suam in nos dilectionem, quòd cum essemus nos Rom. 5.

peccatores, Christus prò nobis mortuus est, multò magis iustificati in sanguine eius seruabimur ab ira. Et iterum. Etenim etsi crucifixus est ex infirmitate, viuet tamen ex potentia Dei. Rursus inquit, an ignoratis quòd quicũque baptizati estis in Christum Iesum, in mortem ipsius baptiza- Rom 6.

ti estis? Qui si non mortuus fuit, quis dubitat non esse Baptismum? Alibi: In gratiã nos recepit in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinẽ ipsius. Præterea: Quia hæc passi estis à proprijs contribulibus, vt & ipsi à Iudæis, qui & dominum Iesum occiderunt, & pro- 1. Thess. 2

phetas: Non dixit, & eos qui videbantur opinione tenus Angeli, quibus cum illum vos contulistis, sed, & prophetas, qui vera carne & non phantasia homines etiam vestra sententia, extiterunt. Alius quippe dissectus erat carne, lapidatus alius, reliqui in occisione gladij mortui sunt. Allegabo ad hæc ipsius seruatoris verba quæ hanc passionem denunciauerunt in hunc modum: Oportet, inquit, filium hominis multa pati & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum & scribis ac cruci affigi, & post dies tres resurgere. Post resurrectionem item reprehendens quosdam: O inquit, stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquutus sum apud vos: Quòd oportebat Chri- Luc. 2.

stum hæc pati & Euangelista non apparentem sed veram carnem inferens, dicit: Exclamans magna voce Iesus di- E

xit: In manus tuas commendabo spiritum meum, & expirauit. Atque ecce vir nomine Ioseph petens corpus inuoluit sindone, posuitque in nouo monumento. Quis igitur Luc. 23.

ille esset, dicant audacter. Nec enim expirauit spiritus cum sit æternus & nulli interitui obnoxius. At quis tandem ille fuit? qui spiritum habuit, & ita spiritum verè efflauit? qui expirans patri spiritum tradidit? quem Ioseph sindone inuoluit? Nam vmbram haud inuoluit & sepeliuit, sed eum ipsum qui ligno erat suffixus. Nimirum sic ipsemet testatur, discipulis post resurrectionẽ, cum illi phãtasma fuisse putarent: Quid turbati estis, & quã re ratiocinia ascendunt in cor vestrum? videte manus meas & pedes meos quòd ego sum ipse, quia spiritus ossa & carnẽ non habet, sicuti me videtis habere. Sed quid istis immoror? aut quid Luc. 24.

istis argumentationibus verba produco in longum? Satis enim fuisset se filium hominis confiteri. Marcus. Cuiúsnam hominis filius erat? Adam. Ex semine Dauid est secundum carnem, quemadmodum habet Euangelium. Mar. In Euangelio cum Iudęi dicerent eum Dauidis filium, accusauit eos ipse Christus: & si placet, recitabo. Eutropius, recita. Mar. Dixit Iesus, Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt illi, Dauidis. Atque, illi Iesus, quomodo igitur Dauid in spiritu dominũ F

illum vocat, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis? Si itaque Dauid in spiritu dominum illum appellat, quo pacto filius eius est? Vides damnare illos quod dicunt eum esse Dauidis filium, & ipsummet ite inficias? Adam. Illud, Quomodo, non est inficiationis sed interrogationis: non enim semel at sæpe in scripturis est non ad negandum, sed ad percontandum collocatum: Quomodo, inquit, persequetur vnus mille? &. Quomodo facta est Quomodo

meretrix ciuitas fidelis Sion? &, quomodo decidit de cœlo lucifer mane oriens? Nec enim Christus negando dicit, quomodo sed quærendo. Marcus. Dauid illum domi- Esa. 1.

num agnoscit, non filium. Adamantius. Dauid non enim dominum secũdum carnem profitetur, at secundum spiritum. siquidem verbum Dei non modo Dauidis dominus est, sed omnis principatus, potestatis, dominatus, & nominis quod nominatur. Cum enim prognostes quidam esset, & præscius rerũ non in hoc solum, sed in futuro seculo, Iudæos præuidit non credere illud, secundũ spiritũ, & interrogationem adhibuit, dicens, Si Dauid in spiritu dominum illum vocat, quomodo filius eius est? Non enim dixit Christus: si igitur Dauid in carne dominum illum vocat sed, In spiritu, confessus illum spiritualem, qui est secundum carnem filius. Fides cõ

Producam tibi ex Euangelio, clarius quomodo Chri- træios.

G stus ipse consentiat hanc fidem saluificam esse, & inuiolabilem: & si vis, recitabo. Eutro. Recita. Adamantius. Quoniam Megethius adsunt, ex ipsorum Euangelio legã. Factum est, cum ille appropinquaret versus Hierico, quidam cæcus mendicãs sedit iuxta viam, audiénsque turbam prætereuntem rogauit, quid illud esset. Nunciatumque est ei Iesum transire, clamauitq; inquiens, Iesu fili Dauid, miserere mei: Stans ille iussit hominem adduci, cum appropinquasset ille, rogauit eum, quid vis tibi faciam, dixitque ille, domine, vt visum recipiam. Et respondit Iesus, dicens, visum recipe, fides tua saluum te fecit, & statim visum recepit. Eut. Cæcus mihi videtur rectè & iure bono visum recepisse, vt qui à persuasione Megethij & Valentini, & Droserij & Marini fuit alienus: & ille cũ sana fide præditus esset, visu illustratus est, hi ab insania transuersim abrepti suam occæcauerunt intelligentiam, cum fidem cæci Christus disertè collaudat, visum accipe inquit, & fides tua te seruauit. Cæcus iste credit, & eius tam carnalem quàm spiritualem confitetur præsentiam, vtrunque fide complectens, quod deus in homine esset, & primum agnoscens hominem, statim cognouit & dominum, & de homine dicit, fili Dauid miserere mei: de deo autem, domine vt visum recipiam. Proinde secundum placita Marini, nisi Dauidis filius sit Christus, sibi ipse repugnat: hic quidem

Conclusio & sententia Iudicis.

H quòd totum crederet iussit cæcum videre, illic in quæstione ad Iudæos negat se Dauidis filium: qui autem non est & contrarius, & à seipso dissidens Christus, ex vestra sententia? Hæc vsu venire solent his, qui lubrica hac & vaga hæresi fluctuant: hæc incommoda accidunt illis necessariò qui hisce deliramentis & fabulis indulgent quæ diffluunt, & parum cohærent. Quamobrem illi opinioni insistendum, qua cæcus visui restitutus est, quem bene credentem Christus suo comprobat testimonio: Quocirca videtur esse optimum, vt fides hæc Marini explodatur & velut funda eminus eiiciatur, & cum longè latéque à veritatis scopo aberret, nulláque ex parte diuinitati cõsentiat. Nam dum fabulis credunt, phantasiis, & imaginationi: etiam fabula, phantasia, & imaginatione salutem vnà cum suo dogmate adipiscentor. mihi hic ergo visum est vt Marinus litigiosæ sententiæ renunciet, seque ad tertiam constitutionem, Resurrectionis scilicet articulum, æquo & sedato animo præparet.

DE RESVRRECTIONE CAPVT

diuisionis tertium.



I MARINVS. Equidem de hoc diligenter paratus sum disputare, siquidem volueris stare a veritate. Eutrop. Adsunt homines clari & celebres, ipsi iudicent si porro à iusto recesserim. Quod si tu certis destinatisque præiudicationibus addictus sis & quasi consecratus, non par est hanc operam mihi innuere. Mar. Si in animo sedeat fixum & statutum verè & integrè in hac quæstione versari, his, quæ à philosophicis præcepta traditáque sunt, reiectis, solis scripturis credite. Adam. Sanè scripturis suadeamus. Eut. Apertum est & confessum, quæ sit assertio vtriusque. Mar. Puto vos inique hanc ingerere controuersiam. Adam. Facile conuincet orationis cursus, num perperam sit à nobis inuecta hæc quæstio. Mari. Præscribat mihi Adamant. & notet cuiusmodi corpus resurrecturum sit: An quo sumus circundati & colligati, an aliud spirituale? Adam. Dico resurgere hoc corpus quod circumferimus. Marin. Hinc suppetit argumentum illustre, quod hanc insidiosam prosternet fallaciam. Hominis etenim corpus cùm fluxum & caducum sit, à pueritia vsq; ad senectutem non idem manet. Quale igitur resurgere dicis, corpus ne puerile, an senile? Adamant. Qui pictores parietum sunt, & nauiũ fabricatores, & gubernatores, & nautas marinos exprimere norunt & delineare, sed naues ipsi fabricari, aut gubernare nesciunt. Eodem modo effutit K Marinus cuius nec experientiam nec probationem tenet. Eutropius. Cupio manifestius adhuc intelligere quamobrem primæ ætatis corpus cum grandiori non sit idem. Marinus. Corpus cum infirmæ sit & debilis substantiæ paulatim defluit, omninóque quod ex cibo accrescit, morbis consumitur vel in ætate ineunte vel ingrauescente quod tametsi maximè fluit & deficit, ex nutrimẽto tamen alia accedit substantia. Ergo quale corpus resurrecturum ais, illúdne morbis attritum, an puerile, an senile? Adamantius. Etsi tu quidem decreti immemor ad medicinam diuertas, etiam quum ex scripturis te fidem auditoribus facturum pollicitus fueris, attamen non grauabor & ipse licet facultatem medendi non satis certò sciam, hæc cerebri tui seosa reuincere & protERere. Nam si fluente substantia aliud & aliud corpus fieret, excisas etiam partes vt auriculam, vt digitum, vt nares per alimentum repleri restituique oporteret. Quin & vulnerum cicatrices ad ætatem vsque senilem impressæ non manerent, si modò (vt tu opinaris) ita corpora colliquescerent: sed morbis labefactatis corporibus statim fiunt alia. Cæterum quom anima ea quæ ipsa expetit non recipit, corpus constringet & contrahet, sicuti viator quæ humefacta sunt comprimit. Cùm verò à se concupita accipit, ad iustam suam molem redit: & pinguiora fiunt & quasi intumescunt. Nec enim quamprimum ex morbo corpus recreatum ac L reuelatum fuerit, quæ tanto tempore augescunt, ea subitò restaurantur in integrum. Eutropius. Si corpus ita dilaberetur, & aliud atque aliud diuersum fieret corpus, nullo modo inueniri posset quod suam recuperaret substantiam. Marinus. Quonam modo istuc? Eutropius. In homine cape exemplum. Si ex cera quis hominis statuam conformaret, & primùm quidem exigua substantia & pusilla efformaret, aliámque denuò ceram funderet atque temperaret, eámque in quãdam altitudinem magnitudinémque refingeret, non esset id factu procliue? Sic enim quod factum est, finiri & absumi poterit, quoniam prima ceræ substantia deperit, & attemperatur altera, nec statuarius operi suo vltimam manum imponeret: Homo autem à puero suam habet essentiam, & puerili existentia manente salua, ad maiorem excrescit magnitudinem, vnde & vestigia vulnerum vsque ad senectam durant, & membrorum præcisiones. Quarè frustrá dicis corpus esse fluidum & labile. Marinus. Si corpus à primis vsque annis ad ætatem grandæuam resurget, respondeat, qualísnam sanguis resurgit cũm homine? is ne qui in venarum incisionibus, an qui in sanguinis profluuiis emanat? Homines autem non pauci quotannis venam secant & excernunt. Dicat mihi ergo cu- M iusmodi sanguis vnà cum homine resurgat? Adamantius. Qui venas incidunt, non purum & natiuum, sed aduentitium & quasi nothum sanguinem egerunt, qui ex humoribus redundat. Similiter & in eruptionibus sanguinis, non is qui genuinus & viuidus est, exilit. Quamobrem hi qui medicinam probè callent, quia sciunt illum ex humoribus affluentem & rubescere, & sanguini concolorem fieri, generosum & bonum sanguinem non attingunt in sectionibus, sed omnino corruptus, qui ater dicitur, emittitur: Flauo autẽ & vitali ebulliente, σαλεῦς, id est, compressiones quasdam ad sistendum apparant, ne ille incorruptus & liquidus sanguis effluens, animal dissoluat & perimat. Eutropius. Insulsa est hæc sententia, quæ ex cibo proueniunt, spuria, & adulterina, ea propria & pura ducere. Cibus enim intromissus & in succum extenuatus, partim in sanguinem, partim in pituitam, partim in saliuam excernitur. Omissis ergo his quæ remotiora sunt, accedite ad ea quæ sunt causæ ac instituto coniunctiora. Marinus. Homo ex terra, & aere, & aqua, & igne constituitur. Proin vbi moritur & dissoluitur, vnaquæque substantia, id quod sibi proprium est recipit, veluti pars ignis ignem, aquæ aquam, aeris aerem: terra denique ad terram se adiungit & agglutinat. Quo igitur modo fieri poterit vt homo resurgeret, cuius partes liquefactæ

Scripturis solis probandum.

De resurrectione tractatus.

ἐπιβου-λή.

An prima obiectio physica.

Solutio.

ἀλλοίωσις

ἀνταν-ἰσ[...] quasi resubstantiale.

Simile.

Secunda obiectio.

Responsio.

Tertia ratio philosophica.

A partes liquefactæ ita concrescunt & coalescunt inuicem?
Perinde est ac si quis in profundum maris aquam effunderet, & eandem rursus haurire côtenderet, quum res sit quæ confici nequeat. Necesse itaque alium hominem pro alio resurgere. Adamantius. Tua opinione, Deo homines fortiores esse ostenduntur, & vanum est Seruatoris pronunciatum: Quæ apud homines sunt impossibilia, apud Deum possibilia sunt. Marinus. Quo tandem pacto Deum superant homines potentia? Adamantius.
Depulsio à comparatio. Quoniam homines vinum aqua confusum seiungunt vsi arte & scientia, argentúmque ab ære separant, aliáque huiusmodi compluta norunt secernere. Deus autem qui viribus inuictus & insuperabilis, artifex & opifex omnium, cui aer, aqua, terra obsecundant, cui timore seruiût, & per omnia suas partes abeût, quomodo non vnicuique
Ab exemplis. in resurrectione corpus suum proprium redderet? Si quidem ignis Deo subiectus est, & nutui obedit: Tres enim fratres in caminum ignis proiectos non læsit, sed viuos & saluos Domino tradidit. Aqua quoque Ionam acceptum in profundo tres dies & noctes integrum restituit. Aer Eliam in cœlum subuexit, terra Lazarum quatriduanum reddidit. Sed & dulces aquas, vbi iam in mare influxerint, ibique commixtæ voluuntur, rursus per nubes edulcat, & à falsis diuisæ, longè latéque fluunt, vt & Propheta ait: Qui
B aduocat aquam maris, & diffundit eam super faciem terræ.
Eutropius. Quum receperit se demonstraturú ex scripturis, ad physics & medica delabitur quò homines Deo potentiores comprobet. Marinus. Promptum est ac facile mihi ex scripturis ostendere, si æquus fuerit Adamātius. Eutropius. Non Adamātius causa est tuæ aberrationis, sed animus contendendi aculeo stimulatus.
Adamantius. Conniuendum est & indulgendum, vt quæ velit censeat: ego verò me comparaui & præmuniui, vt obuiam eam omnibus, quùm mihi subsidio sit veritas.
Marinus. Quibúsnam scripturis fidem habes, vt confirmem ex illis carnem non resurgere? Adamantius.
Rationes ex scriptura. Omnibus classicis quæ in Testamento probata sunt, assentior. Marinus. Recito decretum Dei in primo Testamento loquentis: Non manebit spiritus meus in istis
Gen. 6. hominibus, quia caro & sanguis sunt. Adamantius.
Depulsio. Si itaque dicit: Non permanebit spiritus meus in istis, certum est quod in aliis requiescet. Hoc nanque (istis) omnino particularis causa est, non generalis in omnes sentêtia.
Marinus. Suadebo tibi ex scripturis nec prophetas nec apostolos mentionem carnis & sanguinis fecisse, sed solius duntaxat animæ, quam & seruare precibus enixi sunt. Primùm Dauid, Quia liberasti, inquit, animam meam de mor-
Psal. 15. te, & rursus idem, Sitiuit anima mea ad Deum viuentem. &, In te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum sperabo. Præterea, Non relinques animam meam in infer-
C no. Vides eos orantes vt seruare possent solam animā, non
Responsio. carnem & sanguinem. Adamantius. De anima constituamus. Ecquid est, mortalis, an immortalis? Marinus. Perspicuum est immortalem esse. Adamant. Quomodo ait ergo, Ne tradas bestijs animam confitentē tibi. Bestiæ animam poterunt perdere, quum sit immor-
Anima totus homo. talitati consecrata? Eutropius. Belluæ non animam infestant, sed corpus. Quum enim dicit, Ne tradas bestiis animam confitentem tibi, profectò totum hominem appellat animam. Adamantius. Clarius te edocebit scri-
λγ. ptura, quòd hominem ex corpore & anima conflatum vocet animam. Et erant, inquit, filij & filiæ Iacob animæ triginta tres. Adde & illud, Descendit Iacob in Ægyptum cū animabus septuaginta. Eutropius. Forte (vt Marino visum est) incorporei descenderunt in Ægyptum Iacobi filij, sed confessum est scripturam integrum hominem vocare animam, nec opus est hîc anciptes vacillare.
Marinus. Apostolum testem offero prophetis veriorem, corpus esse animæ vinculum, & rememoramentum ac causam malorum omnium, de quo dicit, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.
Rom. 7. Adamantius. Quomodo vinculum animæ est corpus?

Marinus. Quum anima peccatis commaculata, Dei D
mandatum violasset, tunc inquit, Fecit eis Deus coriaceas tunicas, & induit illos, hoc est corpus, vt & propheta Ie- *Gen. 3.*
semias captiuos nos vocat, quod Deus animam concatenarit cum corpore. Quum ergo omniú malorum causa & fomes corpus ità se flagitiis conspurcauerit, quid? dicesne resurgere vt in vinculis deuincta semper torqueatur anima? Adamantius. Affirmabas animam, propterea quod peccasset, teneri constrictam in corpore, mox subuciens dicas fuisse omnium malorum causam animæ, & eam tamen antequam illigaretur in corpore, peccasse. Quare si possit anima absque corpore peccare, quæ causa est corpus animæ vt peccaret? Eutropius. Si dicas animam priusquam vincta erat, deliquisse, superfluum est causari omnium malorum radicem corpus extitisse. Nam si ante corpus transgressa fuerat & soluta nunc à corpore, denuo transgredietur, quia antè scilicet se peccatis immerserat. Itaque causa non erit corpus, sed anima.
Adamantius. Si vinculum animæ corpus esse statuat, vinculum autem coercere soleat peccantes & cohibere ne in scelera proruant, corpus non est animæ vinculum aut impedimentum sed adiumētum. Marius. Et quomodo. Eutropius. Vinculum non cooperatur aut adiuuat ligatum ad peccandum, sed retrahit vinctum & continet. Corpus verò stimulat animam ad homicidia & adulteria. Palàm est igitur Deum animæ adiunxisse corpus, non vt vinculum sed adiutorium & admini-
strum. Marius. Respondeat Adamantius, num E
credat Apostolo. Adamantius. Credo in omni- *Paulus.*
bus Christifero & spirituali Paulo. Marinus. Si
credas illi, pronunciantem audi & eloquentem. Caro &
sanguis regni Dei hæreditatem consequi non possunt, nec *1. Cor. 15.*
corruptio incorruptionem. Quid hoc apertius, quid dilucidius esse potest? Hoc profectò argumentum hac antithesi informatum, & ex contrariis confectum profiteor, cui nemo posset obsibilare cum clarum & verum sit.
Adam. Qui ab Apostolo dicta spiritualiter & intelli- *Dilutio.*
genter non intelligunt, nuda verba intendentes, à vero excidunt, Apostolus enim carnem & sanguinem turpes & flagitiosissimas actiones nominat: qui carnalia sapiût, carnales appellans, qui spiritualia faciunt, spirituales. Agè citabo tibi ipsum Apostolum diserte vocantem carnales qui non secûdum fidem versantur, sed fastu factísque vtûtur carnalibus. Et hunc in modum, inquit, Sic vt iustificatio legis impleretur in nobis non secundum carnem ambulantibus, sed secundum spiritum. Qui nāque iuxta carnem ambulant, quæ sunt carnis sapiunt, qui autem secundum spiritum, quæ sunt spiritus. Prudentia enim carnis inimicitia in Deum, prudentia verò spiritus vita & pax. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Respondeat, hi quibus hæc scripta sunt, an sine carne fuerunt. Item: Lacte enim, inquit, vos potaui, non cibo. Nondum enim poteratis. Nam adhuc carnales estis, quandiu enim inter vos contentio & dissidium, nonne carnales estis? Cum enim dicit quis, ego quidem sum Pauli, Alter, ego Apollo, Nonne carnales estis? Itidem: Quando enim eratis in carne, affectus peccatorum quæ sunt per carnem vigebant in vobis. Nunc autem non estis in carne sed in spiritu. Quanquam carne exuti non erant. Etenim demonstrant hæc omnia carnem enim appellare carnalem & improbam conuersationem. Sicut & hominem. Quis enim ignorat & si dixerit alius se Pauli fuisse, alius Apollo, eos tamen nihilominus fuisse hominum filios ex substantia, vel eos quibus scripsit, Quando eratis in carne, & tunc quantum ad substantiam carnis expertes non fuisse? Quippe appellauit carnem, carneam & corruptam vitæ institutionem, quam meritò de spe detrudebat & deiicit, vt quæ regnum Dei hæreditate possidere non pote-
rit. Si datis vt fieri potest carnem quidem corporis, *Caro homo.*
in hanc spei societatem venire non posse, quæ tandem Baptismi & lauacri vtilitas? Ad hunc enim modum Apostolus, Hæc inquit, quondam eratis. At abluti estis, at san-

G ctificati estis. respondeant, quid est illud, lotum & sanctificatum? Cæterum quia fautores Megethij, auditores sunt, ideo ex eorum Apostolico cogor depromere, oratione ad vtrunque conuersa. Paulus igitur scribens Galatis sic habet. Quod verò nunc viuo in carne, in fide viuo filij dei qui dilexit me. rursus. Aliorum quidem nemo mihi temere facessat negocium. Ego enim stigmata Iesu in corpore meo porto. Agè dũ, videamus quid hæc sibi verba velint: Quod viuo inquit in carne, in fide viuo. Constat fidei vitã in carne esse: stigmata Christi per quæ nobis salus est corpus gestare. Quo pacto igitur quod portat salutis notas & impressiones, vitámque fidei habet non seruetur? vt isti aiunt. Aut enim nihil emolumenti percipit quod fidei visam & Iesu stigmata circumfert: Aut si hinc salus est, Caro conseruata est. Hæc ita esse confitetur. Corinthiis porro epistolam scribẽs. Non scitis quod corpora vestra sunt mẽbra Christi, tollens igitur membra Christi faciam membra meretricis? Absit. Si enim Christi membra sunt corpora, vel membra Christi pereunt, vel seruatur caro. Mar. Corpus non carnem nominat. Adamantius Ex his quæ inferuntur emergit. An nescitis inquit quod qui adglutinatur meretrici vnum corpus est? Erunt enim inquis duo in carnem vnam. At porro ait, vir enim non debet velare caput, cum sit imago & gloria dei. Si quòd tectum est

Argumẽta pro Resurrectione.

H corpus sit quod apparet, scilicet caro, hoc etiam gloria dei & imago est. Ergo & salutem adipisci poterit. alioquin nisi salutis capax & particeps sit, esse non potest dei imago & gloria, Est autem vt scriptum est imago & gloria caro. Planum igitur est, quemadmodum hoc accipit, sic & salutem posse consequi. Atqui lucidius quo te doceam iube fundamentum apostolibuic recitari. Eutropius. Recitetur. Adamantius Lego in prima ad Cor. in hunc modum sermocinantem. Quid facient hi qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt, quid baptizantur pro illis? quid & nos periclitamur omni hora, & omni die * morientes* per vestram gloriationem, fratres, quam habeo in Christo Iesu domino nostro, si secundum hominem cum bestiis depugnaui Ephesi. quid mihi lucri si mortui non resurgunt, Edamus & bibamus cras enim moriemur. Ne erretis. Corrupũt mores bonos colloquia mala. Expergiscimini iustè & ne peccetis. Nam ignorationem dei nonnulli habent. ad pudorem vobis loquor. At dicit aliquis, quomodo resurgent mortui? Quali autem corpore venient? Stulte, tu quod seminas non viuificatur, nisi mortuum fuerit. Et hoc quod seminas, non corpus quod nascitur seminas, sed nudum granum, puta, tritici aut alicuius ex cæteris. Sed deus illi dat corpus vt voluit & vnumquodque seminum corpus proprium recipit. Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem est caro

Syllogismus.

1. Cor. 15.

ἀποθνήσκοντες. νὴ ὑμετέραν.

I hominis, alia verò caro pecorum, alia piscium. Et corpora cœlestia & corpora terrestria. Et alia quidem gloria cœlestium, alia verò terrestrium, alia gloria solis, & alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. Stella siquidem à stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Et paulò post subnectens ait. Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur in puncto, in momento oculi, per extremam tubam. Clanget enim tuba, & mortui excitabuntur incorrupti & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Marinus. Non hoc corpus dicit resurgere, sed aliud, ex eo quod dicat, Deus autem dat illi corpus prout vult. Adaman. Triticum in terra sepultum, denuo resurgit triticum, & homo terræ traditus homo resurgit, non alius factus, iuxta illam Apostoli vocem: Vnicuique vero seminum proprium corpus dat. Eutropius. Ista expositione non egent. Adeò clarè & citra ambiguitatem dicta sunt ab Apostolo. Neque enim fieri potest, vt terra inhumetur anima, nempe vel istorum confessione immortalis. Adamantius. Imò hæc caro, quæ vt triticum sata est. Videmus etenim corpus, quasi triticum, seri: Tu enim, inquit, quod seminas non viuificatur, nisi prius fuerit mortuum. Quid est ergo quod seminatur, & in terram proiectum? videlicet

caro. Marcus. Atqui vides eum dicere, Non corpus K quod nascitur seminas, sed nudum granum tritici. Adamantius. Quemadmodum triticum nudum voluntate Dei seminatum resurgit, herbam asciscit vestitum est, & caule speciosum redditur, non mutatum in aliud, prætetquam quod natura antè fuit: sic & homo humo conditus, & rursus voluntate dei resurgens immortalitate amictus est, sicuti cõmemorauit apostolus, oportet autem, inquit, mortale hoc induere immortalitatem, & hoc corruptum induere incorruptionem. MEGETHIVS. Non hoc enunciat in nostro Apostolico. Adamantius. Quomodo ergo? Megethius. Non dicit, Deus illi dat corpus vt vult, sed, Deus illi dat spiritum vt voluit: Seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale, seminatur in corruptione, resurget in incorruptione. Adamantius. Tua igitur opinione & iudicio dat illi deus corpus spirituale. Cuinam à deo spirituale hoc datur? Et quid illud est quod accipit? Marinus. Id quod accipit est anima. Adamantius. Ergóne sepelitur anima? Eutrop. Quamuis animæ immortalitatem statuerit, non solum tamen eam nunc morti subiectam, sed sepèliri etiam in terra nobis suadere compellitur, cum res in confesso sit, corpus sepeliri. Sed absurdum, in illis tempus conterere, & hæc ventilare diutius: nam hic sermo abundè & plenè nobis aperuit omnia. Adamantius. Forte non videtur istis L satis copiosa & iusta Resurrectionis huius pertractatio. Aliquantulum feras & aures adhibe apostolo adhuc dicentis explicatius. Quòd estis Epistola Christi ministrata à nobis, scripta non atramento, at in spiritu Dei viuentis, non in tabulis lapideis, at tabulis cordis carneis. Itaque nisi caro resurgat, vt est istorum dementia, nihil prodest Christi epistola carneis cordibus inscripta, spiritu Dei viuentis. Sed non in irritum Epistola Christi fuit scripta Dei viuẽtis spiritu, at vt vitam det iis in quibus scripta est, quod in sequentibus declarauit Apostolus: Si enim quod abolitum est, in gloria fuit, multò magis in gloria est quod manet, & non abolitum est. Ac si in carneis cordibus epistola Christi exarata est, maneant sanè & corda carnea, in quibus remanet & id quod inscribitur, & non obliteratur. Item, Habemus igitur thesaurum nostrum in testaceis vasis, vt excellentia sit potentiæ Dei, & non nostrum. Eligant ergo isti phalerati Rhetores, & eximii oratores, quo modo hoc scriptum intelligent: in quo volunt hunc thesaurum esse scriptum? In homine interiore, istorum sententia. Si interior ergo homo testaceus est, testaceum vas secundum illos erit & anima. Imò caro vas testaceum est, quod est, vt illi sentiunt, homo exterior. In carne igitur thesaurus erit. Et è duobus alterutrum erit verum: aut perit M quod tantum habet thesaurum, aut caro citra contradictionem seruatur, in qua thesaurus est. Et iterum: Nos enim qui viuimus, ad mortem tradimur, vt & vita Iesu manifesta fiat in mortali nostra carne. nec opus habes explicatione: cum dicat vitam Iesu in carne patefieri. Rursus, Quãdo absorbebitur mortale ab immortalitate. Quid aliud potest intelligi, quam id quod est mortale, ad vitam peruenire? Et rursus, Ego igitur ipse mente quidem seruio legi Dei. carne vero legi peccati. Nulla igitur nunc condemnatio his qui sunt in Christo Iesu. Lex enim spiritus vitę in Christo Iesu liberauit nos à lege peccati & mortis. Si quidem mens legi Dei seruierit, legi autem peccati caro, liberauerit etiam nos in Christo Iesu lex spiritus vitę à lege peccati & mortis: nimirum id à peccato liberauit, quod legi peccati seruiebat. Seruiuit autem legi peccati non mens sed caro: Liberatur ergo à morte caro. Qua autem ratione salutis particeps sit, quod lege vitæ spiritus in Christo a morte liberatum est, ipse dicat. Me namque pudet refutare pluribus huius inscientiam. Eutropius. Comprehensum & summatim omniũ malorum causa est ignoratio quam Megethius, & Droserius, & Marcus, Valens & Marinus à lacte nutricis suxerunt in eáque creuerunt ac adoleuerunt, à recta via optimáque sententia auersi. Quæ autem consectanea probabilitas est, isto quidẽ sermone seruari posse? Typo enim & figura præcedente, necesse

Megethij cauillum

2. Cor. 3.

Syllogismus.

Ignorantia.

A necesse est, eos qui vident corrigi: correctio in figurata & typo non illustrata nunquam potest admitti. Adamantius. Si prudentiæ tuæ visum sit, parumper sustine & attende
Ad defensionem legis transitio. quid dicat Apostolus, ab illis dudum citatus, quò eorum posses discere & perspicere amentiam. Sceleratus enim Marcion fraudulenter Apostoli quidem verba detorsit, nõ præteriuit tamen omnia, quomodo & isti quoque adhuc, quæcunque ipsorum non congruunt sententiæ, omnino resecant & prætermittunt. Quamobrem ego quæ sunt ab illis parum intellecta & omissa ipsis repugnantia, ea velut racemos ex verbis apostolicis ac propheticis decerpens, tuæ sapientiæ propalam offeram & exhibebo. Dicit autẽ
1.Cor.14. ita Apostolus. Mulieres in ecclesia sileant, non enim permissum est illis loqui sed subiici, vt & lex dicit. Et insuper: Tertiò nunc venio ad vos: In ore duorum aut trium te-
2.Cor.13 stium stabit omne verbum. Sic & Apostolus hic sine du-
1.Cor.15 bio legem videtur sequi, cum ait: Tum fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriam, vbi tua ô mors victoria? Dicant mihi, vbi ipsis scribitur hic sermo nisi in lege & Prophetis? Aut ergo quasi lege soluta dicit futurum illum sermonem qui ibi scribitur, aut implenda. Est enim hoc in numero rerum adeò impossibilium contradicere legi, & legem profiteri, ac in lege scripta euentura dicere.
Ephes.2. Ephesiis autem per epistolam scribens: Memores, inquit, quòd vos quondam gentes, vocati præputium, ab ea quæ
B dicta est circumcisio in carne, manibus facta: quòd eratis in tempore illo absq; Christo, abalienati à repub. Israëlis, hospites testamentorum promissionis spem non habentes, & sine deo in mundo: Nunc autem vos qui procul quondam eratis, facti estis prope per sanguinem Christi. Cuius ergo promissionis ibi facit mentionem? à qua extranei sunt, Christo carentes? An nunquam ille Deus extraneus, &, vt isti censent, ignotus appromisit? siquidem tum pollicitus est iis, qui ante Tiberij Cæsaris tempora nũquam apparuit. Aut quomodo ignotus erat illis qui antè locutus est, & antè promisit? Docet autem disertè eos à testa-
2.Cor.1. mento Israelis alienos fuisse, ἀθέους id est, deo carentes esse asserens. Et rursus ait, quæcunque enim promissiones erant dei in ipso sunt, etiam. Si enim extraneus, & nunc primùm visus, nec cuiquam antè notus, si non promisit, certè alius quàm creator, qui promiserit, non erat. sed volo clarius edocere, Christum ex lege prædicatum fuisse, & etiam ex Prophetis, quoniam de Ioanne locutus dicit ipse seruator, Ipse est de quo scriptum est, Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Hac ergo promissione facta per prophetas, præcursorem domini mittendum coram facie ipsius, viam domini præparaturũ: poterúntne alium Ioannem ante faciem eius missum ostendere? Si enim ante Christum alius quispiam à creatore legatus venerit, proferant. Dein si alius nemo excepto solo domino nostro Iesu Christo apparuit, & an-
C te faciem eius est Ioannes, perspicuum est, tunc promissam fuisse, quæ aliquando impleta est, promissionem, & nullius filius est Christus nisi creatoris dei, cuius etiam erant Prophetæ & lex. sed & Apostolus ipse an non apertè
1.Cor.10. Christum ex lege prædicat, Corinthiis dicens: Quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes per Mosen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes escam spiritualem ederunt, & omnes potum spiritualem biberunt, biberunt enim ex spirituali consequenti petra, Petra autem erat Christus. Quis non demiretur istorum insaniam, hæc quidem legentium, sed non intelligentium? Seu etiam illud oraculi quis velit ac-
1.Cor.5. cersere, Pascha nostrum immolatus est Christus: quod pa-
1.Cor.15 scha à conditore in lege sancitum est. Marcus. Hæc ab
Paulus. Apostolo audiuisti, illa verò dicentem audire non vis: Pri-
Ἀδάμ. mus homo Adam factus erat in animam viuentem, vltimus ✱ Dominus in spiritum viuificantem. Primus homo ex terra terrenus, secundus dominus de cœlo. Adaman. Apertè indicauit Apostolus, tum primum Adamum, tum secundum dominum eiusdem & non alterius cuiuspiam dei fuisse. Etenim sit sanè scriptum in hanc formulam: Primus ex terra terrenus homo Adam, & secundus de cœlo dominus, superuacanea tamen est hæc confictio. Nam hoc D
quod perscriptum est, non aliter quàm in lege scriptum inuenietur: Cœlum etiam, vnde dominus descendit, non alterius dei esse monstratur, quàm creatoris. Eutropius. Cœlósne obtinet Bonus? Marcus. non cœlos creatoris. Eutropius. Peregrinatúrne igitur vt aduena apud creatorem? Marcus. Proprios habet cœlos Bonus. Eutropius. Ergo confessum est & bonum esse creatorem cœlorum. Marcus. Cœli illius boni non sunt manufacti, sed ingeniti, igitur & innominati, quod enim ortu caret, caret etiam nomine. Præterea casum & fortuitam temeritatem cum Epicuro astruunt. Marcus. Quomodo id tandem? Eutropius. Apostolus dixit, secundus ex cœlo Dominus, vt vos dicitis, ex quo igitur cœlo perquirendum est: Si ex creatoris, apparet Christum esse creatoris: si ex altero, vt inquis, cœlo, an ingenitum posset ab ingenito discerminari, quærendum est. Adam. Fortassis, iuxta istos, quod tamen fieri non potest. Tum licet cœlis non vtatur creatoris, nominibus tamen. Vnde enim habuerunt cœli nomenclationem? An non manifestum est ex lege? Sic enim ait: Vocauit deus firmamentum cœlum. Specta mihi & profligatam hanc Gen.1.
impiámque audaciam, quibus modis scripturam adulterant, Deum enim Christi generationem secundum carnem tollere & amoliri moliuntur, mutarunt hoc secundus homo, & supposuerunt, secundus dominus, parum videntes, E
vel carnem & spiritualis etiam Christi ortum necessariò debere fateri: vel illum Adamo posteriorẽ esse. Cum enim audimus, Erat primus & secundus, quid innuimus aliud quàm hoc, si ille primus erat. Dominus autem secundus, consequens est posteriorem Dominum Adamo intelligi? Rursus enim scribit ad Corinthios Apostolus: Quòd deus qui iussit ex tenebris lucem splendescere, ille illuxit cordibus vestris ad illustrationem noticiæ gloriæ ipsius in conspectu Christi. Quis ergo deus ait, vt elucesceret lux ex tenebris? Cui ait? & quando? Inueniemus certè, modo diligenter quæramus. Quem prædicat Deum Apostolus? vnde sit illud, quod datur nobis luminis ex facie Christi? Si enim is qui refinxerat & bonus deus, quomodo isti iactitant, hoc alicui aut aliquibus dixit: inuenitur videlicet ignotus ille etiam docuisse aliquando, & alicui dixisse & aliquid. Si dixit, falsum illum incognitum asserere, & nunquam reuelatum esse, nec ad alicuius vnquam noticiam peruenisse. Si quippe sit locutus antè, & promiserit: nec obscurus erat, nec tunc primùm, vt aiunt, sub Tiberio descendens in Capharnao apparuit. Si autem non erat ille qui lumen promisit, sed creator, illius sumus & nos qui illuminamur. Ergo & Christus lucet in oculis eorum, luce nimirum creatoris. Nam bonus, inquit, ignotus erat. Ephe- Ephes.2.
siis autem Apostolus missa epistola dicit: Et veniens Euangelizauit pacẽ vobis qui eratis lõgè, & iis qui propè, quia per illum habemus accessum vtrique in vno corpore ad F
patrẽ. A quo ergo nos longè aberamus & Iudæi propè? An, quomodo istis placet, ab exotico & alieno deo? At quomodo Iudæi propinqui erant illi, quem ignorarunt perinde atque nos, cui nec obediuerunt vnquam nec attenderunt, alterum deum colentes, qui, vt isti dicunt, Boni instituto ac decreto renititur? Proin dicit, per quẽ habemus aditum vtrique ad patrem. Ad quem patrem? an ad eum scilicet qui nos creauit? Sed adhibebimus oraculum ex ipso eodem Apostolo certissimum, cui contradici non potest, vnum esse omnium & conditorem & nostrum & vniuersæ creaturæ solum deum bonum, cuius & mundus est, & vniuersa. Paulus enim inquit: Vnus deus pater omnium, & in omnibus nobis pater, super omnia Deus. Quis itaque ille censebitur? An, vt is, istorum arbitratu, bonus neminem creans nostrum, nullius omnino effector aut opifex? Vel quorum pater erit? non enim nos possumus illius esse filij à quo geniti non sumus. Propheta tamen, Nónne, inquit, Deus condidit nos? Et pater omnium nostrum est? Marcus. Credentium pater est hic bonus, ait namque Paulus, quòd in adoptionem filiorum adsciti sumus. Eutropius. Vidésne Marce auditores ineptum tuum &

G rude litigandi studium deridere? Non enim dixit Apostolus, Vnus pater fidelium, sed omniom, & per omnia & in omnibus. Marcus. Imò sic habet: In adoptionem filiorum accepti sumus: Quis vnquam propria cooptat in filios? Adam. Erit proinde malus qui ab inuito aliena accepit, bonus autem ille qui consensit. Quòd autem Paulus deum creatorem esse referat, certò & indubitatò licet ex illo intelligere, qui ait: Deus corpus temperauit, ei, cui deerat, abundantiorem honorem tribuēs. Clarius etiamnū *1. Cor. 3.* accipe oraculum. Quare, inquit, nemo glorietur in hominibus, omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue instantia, siue futura, omnia vestra, vos autem Christi, Christus autem dei. Huius profectò dicti apostolici vis ac pondus eos inuitos etiā obtorto collo trahet, vt manus dare cogantur. Cuius enim dei volunt esse Christum, respondeant. Marcus. Boni. Adam. Boni igitur & nos qui sumus Christi, & nostra, hoc est, mundus & vita, & mors, & præsentia & futura.

Contentio Marcus. Mundus erat mali fabrica. Eutropius. Tum Christus & Paulus, & Cephas, & vita si tibi credimus, à *2. Cor. 2.* malo erunt. Enimuero rixandi petulantia & contētio planè ad impietatem trahit. Adamantius. Non grauabor & alteram Apostoli sententiam adducere: Gratia, inquit, sit deo, qui nos semper triomphare facit in Christo, & qui odorem cognitionis suæ patefecit per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus in his, qui seruantur, & in H his qui pereūt, his quidē odor à morte in mortē, illis verò odor ex vita in vitā. Ex quo igitur omnia nobis sunt, manifestū est ex eo etiā bonum Christi odorem in vitam esse, iis qui salui fiunt: odorem verò mortiferum, ad mortem iis qui pereunt. Quocirca hæc eorum institores & tam insignis amentiæ caupones legant, eòne prouectæ maliciæ prolapsi sunt, vt dicant bonum & patrem Christi seruare, & alterum porrò conditorem mundi & hominum iudicare? Nā si ex vno omnia sunt, & nos sumus etiam, & mundus, & mors, & vita, & alia omnia: cúmque Christus odor sit, aliis quidem vitæ, aliis verò mortis, ociosa profectò est & superflua alterius dei excogitatio. Et quomodo nō erube- *Eph. 3.* scant, loquente Paulo: Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, inter gentes Euangelizare imperuestigabiles Christi diuitias, & illustrādi omnes ac patefaciendi quæ sit administratio mysterij reconditi à seculis in deo, qui omnia condidit? Hæc ordinatio à secolis erat, hæ sunt retrusæ & inuestigabiles Christi opes, & hoc est mysterium quod annūciat Paulus, & retegit gentibus. Et inde perspicuum est Paulum esse creatoris apostolum, qui dispensationem in illo absconditam in lucem effundit, atque inuolutas & nunquam explicabiles Christi diuitias euoluit prædicátque, non alterius, sed eius qui creauit omnia. Quid? quod disertè citra cōtrouersiam legem & præcepta agnoscit, quod quidem istorum opinationi contrarium est. & ait: Igitur lex quidem sancta, & præceptum sanctum, & iustum, & bonum: & rursum Peccatum, in- I quit, vt appareret peccatum per bonum mihi operatum *Rom. 7.* est mortem. Cum ergo bonum sit, quod ex lege deriuatur, *Rom. 5.* quemadmodum scriptum est, donandum est videlicet, bonum necessariò esse qui eam dedit: siquidem ex fructu arbor cognoscitur. Quinimo inquit, circumcisio quidem prodest, si legem præstiteris. Si autem circumcisio profuerit legem seruantibus, constat illis in bonum cessisse. Quis enim adeò mentis expers est, vt bona non fateatur esse, quæ vtilia sunt & prosunt? Deinde petra *Poculum benedictionis.* data per Mosen erat Christus, vt ostendit Paulus. Vel igitur Christum pronunciabunt bonum non esse, vel eum qui Petram dedit, bonum fatebuntur. Quando poculum benedictionis, & panem quem frangimus, sanguinis & corporis dominici communionem esse ait, nonne vult etiam, vt omnino bona intelligantur? Quod ni ita sit, cum malis erit sanguinis & corporis Christi Iesu communicatio, & lucis cum tenebris. Siue legant & quod in Euangelio scriptum est: Dominus aspiciens in cœlum gratias agit: ecquid non agis conditori gratias? Cum panem accepisset & poculum & benedixisset, quid? alterine pro creaturis conditoris benedicit? An potius illi K qui effecit & exhibuit? Mar. Nos ex Apostolo & Euangelio edocti sumus, creatorem & creaturas ipsius malas esse. Adamantius. Quæ Christus bona fatetur, túne dicis mala? Mar. Mundum nusquam appellat bonū, nec opera eius. dicit enim: Si essetis de hoc mundo, mundus quod suum est, amasset. Adamantius. Adducam tibi ipsa seruatoris verba, quæ in Euangelio prodidit: Si quē *Matth. 7.* ex vobis, inquit, petierit filius suus panem, num lapidem dabit ei? vel si petierit piscem, num serpentem reddet ei? vel si petierit ouum, an ei reddet scorpionem? Si igitur vos mali cum sitis, nostis bona dona filiis vestris dare. Quare cum bona confiteatur dona, panem, & ouum, & piscem, quæ sunt opificis creaturę, cur non vellet illis etiam verbis ipsum earum rerum creatorem bonum intelligi? siquidem arbor ex propriis fructibus cognoscitur. Cum verò Seruator dicit: Regnum cœlorum simile esse grano sinapis, vel fermento, vel alicui eiusdem generis, quid cogitant, aut quo animo affecti sunt isti, qui has creaturas, Dei creatoris, quibus regnum dei assimilat dominus, malas esse garriunt? De regno dei cogitent. Nam si granum sinapis malum sit, tanquā mali dei creatura, vt est istorum somnium, eodem modo quoque reliqua in eo loco & gradu ponenda sunt, & id ipsum regnum cœlorum, quid illis comparauit. Et quid capetimus illud, modo sit malum? Si bonum sit regnum cœlorum, necessario bonum erit & granum si- L napis, & alia omnia quibus bonum dei regnum simile est. Marcus. affero tibi expressa verba Apostoli, quæ indicāt alium esse mundi deum, hisce verbis: In quibus deus seculi huius excæcauit sensus infidelium.

EVTROPIVS ECCLESIAE MEMBRVM FIERI CVPIENS: Sunt qui voculas ex scripturis venan- *Epilogus.* tur, quasique hamo captant, & expiscantur captiosè quæ suo morbo & præiudicio seruiunt, qui viam in cœlos planam & expeditam in barathrum & spinis interclusa diuerticola conuertunt, quorū tu quidem ὑπέρμαχος es id est satelles ac signifer. Et si enim in his superioribus & extremis verbis fusa ac copiosa solutio adhibita sit, tu attamen non satis memor tui, obluctari & recalcitrare non desinis. Quocirca par est, meo iudicio, sponte meis dictis velis ac- *Exhortatio.* quiescere, ambo enim me delegistis in iudicem, persuaderi & subscribere his quæ ab Adamantio de religione & pietate in deum sunt constituta, téque Ecclesiæ catholicę, publicæ scilicet Christianorum consociationi aggregare: cuius ego, licet alienus, esse tamē filius percupio. Vide etiam omnes qui auscultant fratres, hunc pia sua testificatione collaudare. Disputatis ergo omnibus & examinatis, quæ callidè & impiè corrogatæ sunt, sophisticis argutiis tempus vocat, vt hæc terminetur oratio: Quæ nobis fidem ad- *ἀνακεφαλαίωσις.* modum æquabilem & lenem, & veram enucleauit, ex qua omne eiectum est mendacium, eiecta est etiam fallax omnis imaginatio: Vnum & solum deum in sancta & consub- *Fidei proposita synopsis.* stantiali Triade ostendit, non spurium aliquem, & arreptitium, & extraneum, & nudum, aut nouum hospitem, alie- M natum rerum appetentem, vt impij hæretici dogmatizāt, sed diuitiarum suarum creatorem, cui omnia subdita sunt: quocum nulla materia in eadem dignitatis sede & æquabilitate collocatur, nec aliud quicquam eorum quæ opinosi & factiosi homines calumniosè subornant, præter filium & sanctum spiritum: Est enim hæc beata Trinitas ὁμοούσιος, eiusdémque essentiæ, ac indiuidua: quæ ex his quæ non sunt, ea quæ sunt, ex bonitate confecit, cuius verbum hominem accepisse, & iustam dispensationem administrasse verè declaratum est, non erubescens propter nostram salutem, quod creauit recipere, qui veniens euangelizauit pacem & his qui lōginqui, & his qui propinqui consisterent, qui te quoque deo & patri reconciliaret, redemptione sanguinis sui quem pro mundo vniuerso profudit, nósque omnes diriget & confirmabit, vt pacatam vitam in omni pietatis officio cum summa grauitate transmittamus, relictique in hoc seculo laborum mercedem, & veram vitam nostram ab illo percipiamus: Vita enim nostra abscondita est cū Christo in deo. Quum

verò

A verò declaratus fuerit Christus vita nostra, cum Christo in deo & nos in gloria manifestabimur, qui sanctè promisit hominem & resurrecturum, & vnà cum corpore immortalitate perfruiturum: qui denique omnes propter libertatem arbitrij in iudicium vocaturum se contestatus est, cui nihil potest resistere, cui omnis dominatus subditur: quem iure optimo omnis orbis colit, omnisque Episcoporum corona, omnis eorum schola & auditorium, quibuscum reges cuncti ac principes, qui piè credunt, in vna veritatis consensione ac conspiratione congregantur, & propulsare mendacium atque excludere moliuntur. Etenim hæc sola ecclesia verè & iustè & piè & sanctè administratur. à qua si qui desciuerint, seque disiunxerint, longè à veritate discedunt, verbo quidem & oratione tenus veritatem se scire venditant, quando re vera tota via exorbitant. Quamobrem æquum esse iudico, vt qui se Marinianæ hæresi deuouerant, meæ sententiæ dictionem & consilium non aspernentur: sed fœdum hoc, monstrosum ac perniciosum dogma respuant, abstersoque pudore ad veram & consentaneam fidei puritatem redeant, vt nobiscum diuinarum disciplinarum mystæ & initiati, nobiscum salutem consequantur.

Ecclesiæ descriptio & Ecclesiasticæ fidei.

Clausula [illegible]

EPINICION SEV TRIVMPHALIS EVTROPII ALIORVMque, vt apparet, auditorum, acclamatio in Adamantij Victoris Laudem celebrata. B

O DIVINE, omni sapientia & intelligentia ornate, Pentadem dogmatum impiorum ducem & propugnatricem contra Deum furentem pulchrè detexisti: Idcirco te nos omnes fideles illa in Dauidis laudem decantata voce honoramus ac coronamus. Dauid tyrannum Goliad interfecit, & opinionem cum deo pugnantem iugulauit Adamantius: Et sustulerunt probrum à filijs Israel.

DISPVTATIONIS Origenicæ Laurentio Humfrido interprete Finis.

OPERVM ORIGENIS SECVNDI TOMI FINIS.

ORIGENIS PHILOCALIA, DE ALIQVOT PRAECIPVIS THEOLOGIAE LOCIS ET QVÆSTIONIBVS.

GILBERTO GENEBRARDO, THEOLOGO PARISIENSI, DIVINARVM HEBRAICARVMQVE LITERARVM PROFESSORE REGIO INTERPRETE.



PARISIIS,
Ex Officina Petri l'Huillier, Via Iacobæa, ſub ſigno Oliuæ.
M. D. LXXIIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



DOCTISSIMO, ET REBVS OMNIBVS ORNATISSIMO, D. IACOBO BILLIO, S. MICHAELIS IN EREMO COENOBIARCHÆ, G. GENEBRARdus Theologus Parisiensis, Diuinarum, Hebraïcarúmque literarum professor Regius.



IN conquirendis libris nondum euulgatis magni illius & verè Adamantij Origenis, vt eos antè publicatis adiungerem, vir doctissime, & quod infinities pluris facio, religiosissime, Philocaliam ex eius libris aggregatam à tuo illo Gregorio Nazanzeno, & eius Achate fidissimo magno Basilio ad Theodorum Thyaneum, è regia bibliotheca huiusmodi bonis Græcis referta, sum consecutus. Hic non puto te quærere, quanta sim voluptate affectus, qui me scis talium lectione delectari. Itaque semel acceptum in manibus legi, probaui, verti, tuo nomini dedicaui. Quis enim tantum thesaurum à tantis viris collectum, in situ & pluteis conclusis diutiùs recondi sineret? Quis varias & multiplices quæstiones de scriptura, de disciplinis exteris, de fide, de Deo, de materia, de libertate arbitrij, de prædestinatione, de causa bonorum & malorum aduersus impios eruditè & subtiliter explicatas, intra priuatos muros includeret? Quis bonus fragmenta complurium librorum bonorum, quos retulit & magnopere commendauit antiquitas, cæteris inuidêret? Nam vel id fructus ex hoc Breuiario consequimur, quòd quodammodo extincta opera reuiuiscunt, & eorum pictura ante oculos sic ponitur, vt è fragmentis de toto corpore liceat iudicare, ac (vt aiunt) ex vnguibus leonem cognoscere. Taceo plurima desumi ex iis libris, qui hodie extant, latinéque leguntur, quæ nobis etiam magno vsui fuère ad nonnullos istorum locos corruptos restituendum atque explicandum. Rectè autem liber est Philocalia inscriptus, vt aliquid dicam de nomine: quoniam hæc vox primis nostræ Ecclesiæ seculis de rerum incorporatarum & summarum philosophia vsurpabatur, vt potest intelligi è D. Augustini retractationibus: qui etsi improbat, quod contra Academicos scripserat, Philocaliam & Philosophiam esse germanas, & eodem parente procreatas: at se mox retinet, atque hoc nomen honorandum agnoscit, quia Latinè interpretatum, inquit, amorem significat pulchritudinis: & est vera ac summa sapientia pulchritudo in rebus incorporalibus atque summis, vt non tam Philosophia & Philocalia sorores duæ dici debeant, quàm eadem ipsa. Ita quidem ille. Sed maiorum traditio sententia apud me tenet principatum, & ad vitandam confusionem, Philosophiã de rerum humanarum, & diuinarum etiam, sed humanis ratiocinationibus perceptarum cognitione, Philocaliam de rerum diuinarum cælesti reuelatione & verbo Dei comprehensorum sapientia, malo interpretari. Ex quo & causam duco, cur Origenis Philocaliam à nobis Latine vtcunque expressam in tuo nomine primùm apparere velimus. Nempe tu istiusmodi Philosophia es deditissimus, tu te ea in tuis rebus aduersis instar Boethij consoleris, quibus hoc octennio plurimis à domino bonorum agonotheta valde fuisti exercitatus: tu veræ & absolutæ pulchritudinis es amantissimus, quemadmodum ardētes & pij illi tractatus loquuntur, quos quotidie Latine Gallicé ve magno cũ assensu piorum omniũ emittis. Deinde tuum Gregorium tam fideliter & doctè Latina lingua à te repræsentatum habet auctorem. Gregorius ad Gregorij interpretem confugit: sub eius alis vult tutò esse & viuere. Nec enim eum suo Basilio miraberis tãtum sumpsisse operæ, vt è variis Origenis telis, istud stroma contexeret, si recorderis eosdem eius tam fuisse studiosos, tam amatores, admiratores, æmulos, & prope alumnos, vt omnia eius studiosissime legerent, diligentiùs obseruarent, atque adeò notam hanc χ χ. quæ characterem significabat, in ipsius voluminibus pingerent ad indicandum peculiaria eius dogmata à communi Patrum definitione discrepantia. Aemulobantur Platonicos, qui hoc duplicatum χĩ Græcorum, vt tradit Laertius Diogenes, in Platonis operibus adhibebant, quo sententias & dogmata Platonis propria, in quibus ipse à cæteris Philosophis omnino dissentiret, notarent atque designarent. Cætera tu facile, pro summa quæ in te est eruditione, antiquitatis, linguarúmque trium notitia, adiunges, & ex arguto & presso ad Theodorum Thyaneorum Episcopum epistolæ stylo ac elegantia, Nazanzenum in hunc librum præfantem non difficile recognosces. Vale in domino. Lutetiæ. Calendis Octob. 1573.

Philocalia quid. *Lib.1.Retrac.ca.1. Lib.2.contra Academ.ca.3* *Philosophia & Philocalia discrimen.* *Gregorius & Basilius studiosissimi Origenis.*

INDEX EORVM QVÆ HOC libro tractantur.

De sacra scriptura diuinitus inspirata, & vt legenda intelligendáque sit. Quæ ratio, cur obscura, curque iuxta literam nonnulla quæ fieri nequeunt, aut sunt dissentanea, complectatur. Cap. 1.
Diuinam scripturam clausam esse & signatam. Cap. 2.
Cur 22. libri diuinitus afflati. Cap. 3.
De solœcismo, & humili dicendi genere scripturæ. Cap. 4.
Quæ multiplex locutio, & qui multi libri. Item vniuersam scripturam diuinitus inspiratam, vnum esse librum. Cap. 5.
Eundem vnum & aptum esse instrumentum. Cap. 6.
De idiomate personarum diuinæ scripturæ. Cap. 7.
Non tentandum corrigere dicta scripturæ, quæ speciem solœcismi habent, nec seruant in verbis consequentiam: quia apud eos qui possunt intelligere sententiæ consecutionẽ, plurimùm valent. Cap. 8.
Quæ ratio, cur diuina scriptura in diuersis significatis eodem nomine persæpè vtatur. Cap. 9.
De iis quæ in scriptura videntur habere aliquid de lapide offensionis, & petra scandali. Cap. 10.
Oportere vniuersæ scripturæ edulem fructum persequi, & dicta de quibus hæretici tumultuantur, ob sinistras quæstiones neque auersari, neque superbè contemnere, sed in absque tumultu & infidelitatis motu frui. Cap. 11.
Non cedendum labori in lectione scripturæ ei, qui intelligit obscuritatem ænigmatum & parabolarum ipsius. Cap. 12.
Quando & quibus Philosophicæ disciplinæ vtiles ad diuinarum literarum explicationem, cum testimoniis scripturarum. Cap. 13.
Cupientibus non falli circa veritatem ad intelligẽda sacra oracula, maximè necessarium scire logicas disciplinas ad vsum accommodatas, id est, primas institutiones, sine quibus accurata notitia eorum quæ significantur, non potest rectè constare. Cap. 14.
Aduersus Græcorum Philosophos humilem scripturarũ stylum conuellentes, qui & prædicant ea quæ in Christianismo pulchra existunt, melius apud Græcos dici, itémque deforme Domini corpus aiunt. Præterea quæ ratio differentiam Verbi formarũ. Cap. 15.
De iis qui criminantur Christianismum ob hæreses, quibus Ecclesia agitatur. Cap. 16.
Aduersus quosdam Philosophos, qui negãt referre, Deus ne summus vocetur Iupiter, nomine apud Græcos, an alio aliquo apud Indos vel Aegyptios vulgato. Cap. 17.
Contra Græcorum Philosophos, qui omnia se scire profitentur, & interim causantur fidem multorum Christianorum non posse peruestigatione comprehendi, quasi & ipsi præponant stultitiam sapientiæ huius vitæ. Præterea nullum sapientem vel doctum in Christi Iesu venisse disciplinam, sed vel nautas, vel publicanos, infantes & stupidos, mancipia & mulierculas & paruulos prædicatione conuertisse. Cap. 18.
Fidem in Dominum nostrum, quæ nihil commune habet cum bruta gentium superstitione, laudabilem esse, & primis communibus notionibus consentire. Item aduersus eos qui quærũt quo pacto Iesum è mortali corpore constitutum Deum existimemus. Cap. 19.
Aduersus eos qui aiunt, non propter hominem, sed propter bruta animalia factum esse vniuersum mundum, atque adeo homines, quod minore labore quam nos bruta animalia viuant, sapientiora sint, & Deo chariora: habeant quoque notitiam Dei, & prænoscant futura: in quibus & de migratione animorum, de auguriis, deque augurandi errore. Cap. 20.
De libero arbitrio: & scripturarum, quæ illud videntur tollere, solutio atque interpretatio. Cap. 21.
Quæ rationalium supra terram versantium, siue humanorum animorum dispositio, tacite declarata ædificatione Turris, & confusione linguarum. vbi & de multis dominis, qui dispersis pro statu ratione sunt præpositi. Cap. 22.
De fato, & qui cum Deus prænoscat ea quæ ab vnoquoque geruntur, libertas nostra constet. Præterea quonam modo stellæ non sint causæ efficientes rerum humanarum, sed signa tantum. Præterea homines exactam istorum cognitionem habere non posse, sed potestate diuina signa esse exposita. Quæ horum causa: vbi & Clementis Romani Põtificis in oratione ad Patrem in Laodicæa, maxime necessarium theorema, in quo videtur veram Astrologiam ponere. Cap. 23.
De materia, quod non sit ingenita, neque malorum causa. Cap. 24.
Sententiam quæ è prænotione concluditur, non tollere liberum arbitrium. Cap. 25.
Quænam sint bona, quænam mala: atque hæc cadere sub electionem, & non cadere è Christi doctrina, non autem vt Aristoteles putat. Cap. 26.
In illud, Indurauit Dominus cor Pharaonis. Cap. 27.

ORIGENES DE AMORE PVLCHRI.

COllectionem hic liber complectitur Quæstionum scripturę, & Solutionum, è diuersis libris ab Origene lucubratis, coaceruatam à Gregorio & Basilio diuinis sapientibus: quam in tabula, eorum alter Gregorius Theologus ad Theodorum qui tunc Episcopatum Thyaneum administrabat, misit, vt sequẽs ad ipsum Epistola declarat.

GREGORIVS NAZIANZENVS
Theodoro Thyaneo Episcopo.

FEstum etiam sunt tuæ literæ, quódque prius duco, quia anteuertis tempus diligentia, ante tempus nobis festum celebrare tribuis. Ac ista quidem à tua pietate. Nos autem maximum eorum, quæ habemus, vicissim tribuimus, preces. Vt verò aliquem etiam commentarium à nobis habeas, hanc meam & sancti Basilij tabulam ad te misimus, quæ Origenis de studio pulchri selectas sententias continet, eloquentiæ studiosis vtiles. Hanc & suscipere dignare, & significationem nobis dare vtilitatis, studio atque spiritu fauens.

PHILO-

A # PHILOCALIA ORIGENIS D

SIVE DE AMORE HONESTI

G. GENEBRARDO THEOLOGO

PARIS. INTERPRETE.

De diuinitùs inspirata scriptura, quóque modo eam legere & intelligere oportet. Quæ obscuritatis eius ratio. Cur aliqua eius secundum literam videantur impossibilia, vel absurda.

E quarto de Principiis, & diuersis aliis operibus Origenis.



VONIAM de tantis rebus differentes, minimè sumus contenti communibus sententiis & perspicuitate eorum, quę incurrűt in oculos, sed præterea assumimus ad apparentem nobis demonstrationem eorum quæ dicimus, diuinarum scripturarum nobis creditarum testimonia, & veteris, quod dicitur, Testa- B
menti & noui, atque ratione contendimus nostram fidem confirmare, necdum verò de scripturis, vt quidem diuinis, disputauimus: age nunc de iis pauca per modum compendij disseramus. Proponamus etiam, velut de diuinis literis, ea quæ nos ad id impulerunt: & primùm quidem, eut ab ipsis literis, & iis quæ in ipsis declarantur, dicta vsurpemus, de Mose legislatore Hebræorum, & Iesu Christo, salutariű Christianæ religionis dogmatum auctore ista proferentes. Cùm permulti legumlatores extiterint apud Græcos & Barbaros, inuenti quoque sint doctores veritatem se profitentes asserere, nullum tamen fuisse accepimus legislatorem, qui æmulationem studiúmve exteris aliis nationibus, vt suas ipsius leges susciperēt, inserere potuerit. Quin & Philosophorum veritatis notitiam pollicentium, atque prodeuntium cum multo apparatu Logicæ demóstrationis, quæ multum probabilis videretur, nullus potuit sibi probatam veritatem diuersis nationibus, vel potiùs vnius gentis præcipuæ multitudini insinuare, etiāsi omnes optauerint obseruari ab omnibus, si fieri posset, hominibus suas leges, quas præclaras arbitrabāntur, vellentque doctores haberi vbique terrarum eius, quam imaginabantur, veritatis. Verùm cùm non possent prouocare peregrinas multásque nationes ad obseruationem suarű legum, suæq; disciplinæ perceptionem, istud efficere principiò non sunt
C aggressi, rectè considerantes illud esse de iis quæ fieri nullo modo possunt. At vniuersa tam Græcia, quam Barbaria, quæ per totum orbē terrarum patet, nostræ legis æmulos habet infinitos, qui relictis patriis legibus, & his quos putabant Deos, cóplexi sunt obseruationem legis Mosaicę, & verborum Iesu Christi disciplinam, quáuis in se inflāmata eorum odia sentiant, qui simulachra venerantur, & qui legi Mosis adhærescunt, quamuis etiam, vltra odium, morte periclitentur ob susceptum Christi Iesu Euangelium. Sed si attendimus, quo pacto tam paucis annis tātum valuerit ille sermo, tametsi profitentium Christianam religionem alij insidias sint perpessi, nónulli etiam propterea de medio sublati, alij amiserint suas facultates, vt sine magna doctorum copia ad orbem vbique prædicatione imbuendum, Gręci & Barbari, sapientes & insipientes, sese adiunxerint ad Christi Iesu piam fidem, maius humanis viribus opus dicere non dubitabimus, præsertim cùm Christus dominus docuerit cum omni potestate & credulitate suum sermonem vim robúrque esse obtenturum. Itaque meritò voces ipsius censeri debent oracula, vt cū dicit, Quia apud
Mat. 24. reges & pręsides ducemini propter me in testimoniū ipsis & gentibus. Et rursum, Multi mihi dicent in illa die, domine, domine, nónne in nomine tuo manducauimus & bibimus? & in tuo nomine dæmonia eiecimus? Et dicam eis, di-
Matt. 7. scedite à me operarij iniquitatis, nunquam cognoui vos.

Hæc quidem dominű temerè protulisse, vt non essent vera, fortasse olim cósentaneum erat. At cùm deinde euenerint, quæ cum tanta potestate effata erant, apparet Deum verè corporatū salutarem doctrinā hominibus tradidisse. Quid verò attinet dicere Christum fuisse prænuntiatū, neque cessaturos Principes ex Iuda, neque duces ex femoribus, donec veniret ille cui repositum est, regnū videlicer, adesséque gentium expectatio? Manifestè enim ex ipsa hi- Gen. 49.
storia apparet, & iis quæ hodie cernuntur, quòd à Christi temporibus nulli deinceps reges Iudęorū extiterint, subla-
tis rebus omnibus Iudaicis, quibus erant insignes, nempè E
tēplo, altari, re diuina, indumentis pōtificiis. Impleta enim
est Prophetia, quæ dicebat, per dies multos sedebūt filij Is- Os. 3.
raël sine Rege, sine Principe, sine victima, sinę altari, sine sacerdotio, sine responsis. Hisque oraculis vtimur aduersum eos, qui asserunt, dum vrgētur his quæ in Genesi à Iacob ad Iudam dicta sunt, permanere adhuc Principem ex genere Iudæ, qui populo dominetur, non deficientibus de semine ipsius Principibus vsque ad Christi aduentū, quem sibi ipsi describunt. Si enim verū est, quod ait Propheta, Quia dies multos sedebūt filij Israël sine Rege, sine Principe, sine hostia, altari, sacerdotio, responsis: & verò ex quo subuersum est tēplum, nec hostiæ offeruntur, nec altare inuenitur, nec sacerdotium, perspicuum est defecisse Principē ex Iuda, & ducem è femoribus eius. Ac quoniā Prophetia inquit, Nō deficiet Princeps ex Iuda, & dux è femoribus eius, donec veniat cui sunt reposita: constat venisse illum cui reposita sunt, quiq; est ipsa expectatio gentium. Quod apertum fit è multitudine gentiū, quæ per Christū in Deum crediderūt.
Et certè in Deuteronomij cantico, propheticè declaratur Deut. 32.
insipiētium gentiū electio, quæ futura erat propter priuris
populi peccata, nec verò per aliū, quàm per Iesum extitit. F
Ipsi enim (inquit) prouocauerunt me ad æmulationem in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in idolis suis. Et ego prouocabo eos ad æmulationem in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo eos. Licet autē facillimè perspicere, quonam pacto Hebræi, qui dicuntur ad æmulationem prouocasse Deum in eo qui non erat Deus, & irritasse ipsum in idolis suis, prouocati sint ad æmulationem in eo qui non est populus, & in gente stulta, quam quidem elegit Deus per aduentum Christi Iesu, & discipulorum i-
psius. Cernimus igitur vocationem nostram, quoniā non 1. Cor. 1.
multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed fatua mundi elegit Deus, vt sapientes confundat, & ignobilia & abiecta, & ea quę non sunt, vt ea quæ erant prius, destrueret. Ne ergo glorietur carnalis Israël in conspectu Dei, caro ab Apostolo ergo vocatus. Sed de iis, quę in Psalmis prophetātur de Christo, quid dicendum est? In eo maximè, qui inscribitur Canticū pro dilecto, cuius lingua dicitur esse calamus scribæ velociter
scribētis, speciosus forma pręfilus hominum, quandoqui- Psal. 44.
dem diffusa est gratia in labiis ipsius. Argumentū enim fir-
missimum diffusæ gratię in labiis ipsius est, quòd breui tē- Alusio
pore transacta (annum enim & aliquot menses do- ad 15 Psa.
cuit) vniuersus orbis doctrina & Dei cultu per ipsum in- 71. Donec
stituto impletus est. Orta est enim in diebus eius iu- auferatur
stitia, & abundandantia pacis, permanens vsque ad con- Luna. 5

G summationem, quæ Ablatio Lunæ nominata est, & dominabitur à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ. Præterea datum est signum domui *Esa.7.* Dauid. Virgo enim concepit,& peperit filium nomine Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus: vt & Propheta ait, Nobiscum Deus. Scitote gentes, & vincimini, qui potestis vinci. Victi enim sumus & superati qui ex gentibus sumus, capti à gratia verbi dei.
Sed & locus natiuitatis eius prædictus est in Michea, his verbis: Et tu Bethlehem,terra Iuda,nequaquam minima *Mich.5.* es in Principibus Iuda. Ex te enim exibit dux, qui regat populum meum Israel. Sed & septuaginta annorum Hebdomades impletæ sunt, vsque ad ducem Christum, quas *Dan.9.* prædixerat Daniel Propheta. Venitque is,qui in Iob dictus *Iob.40.* est Cetum ingentem consumpturus, qui & dedit potestatem familiaribus discipulis suis calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici, qui nihil ab huiusmodi lædebantur. Consideret autem aliquis Apo- *Luc.10.* stolorum in omnem locum discursus, qui à Iesu missi sunt vt Euangelium prædicarent, & cernet Dei mandatum,& ausus hominem superantes. Quod si consideremos quo pacto homines nouam doctrinam & peregrinos sermones audientes assenserint, & dum vellent ipsis insidiari, à diuina quadam virtute, quæ eis aderat, expugnati sint, de eo nihil dubitabimus. quatenus etiam portenta patrarunt, Deo testimonium reddente sermonibus ipsorum per signa,& prodigia, & diuersas virtutes. His sic breuiter de-
H monstratis de deitate Iesu, dum de eo oracula Prophetica attulimus, simul ostendimus scripturas, quæ de ipso prophetauerunt, diuinitus esse inspiratas, quemadmodum & literas, quæ eius aduentum, doctrinam, omnis generis virtutem & potestatem prædixerunt, sicque Gentium electionem confirmarunt. Quibus etiam illud addendum, Prophetarum oracula diuinitus inspirata, & Mosaicæ legis spiritalem sententiam maximè effulsisse,ex quo hunc in mundum Christus aduenit. Neque enim perfacile erat ante aduentum Christi clara exempla proponere ad docendum veteres scripturas diuinitùs esse inspiratas. Christi autem aduentus, eos qui poterant suspicari legem & Prophetas minimè diuinos, apertè docuit cœlesti veluti gratia esse conscriptos. Sed & qui cum omni studio & digna attentione Prophetica dicta considerauerit, ex ipsa lectione percipiet diuini afflatus aculeos, & per ea, quibus afficietur, persuasum habebit, non humanos, sed Dei esse sermones. Lumen igitur, quod inest Mosaicæ legi, opertum velamine quodam, simul effulsit cum Iesu aduentu, dum velamen sublatum est, bonáque quorum vmbram habuit litera, in notitiam breui tempore prodierunt. Operosum nunc fuerit enumerare singula, quæ à prophetis olim prædicta sunt, vt qui dubitat, iis veluti diuinis perculsus, ambiguitatémque omnem atque dubitationem deponens, toto se animo tradat Dei sermonibus.
I Porrò si minus doctis, in singulis scripturæ sententiis, sensus qui hominis captum superat, non videtur occurrere, nihil mirum est. Nam in omnibus quæ in hoc mundo Dei prouidentia dispẽsantur, quædam quidem satis euidenter apparent prouidentiæ esse opera: alia verò eam occulta sunt, vt dubitandi causam præbere videantur de Deo arte ineffabili atque virtute vniuersa dispensante. Non enim tam aperta est ratio efficiendi, tam aperta energia dei prouidentis, in sublunaribus atque in sole, luna, & astris: nec tam perspicua in humanis accidentibus & affectionibus, quàm in animis & corporibus animalium, cum qui ea animaduertunt, facilè percipiant cur, quámque ob causam hi sunt impetus, hæ visiones & naturæ animantium, hæc corporum fabrica. Sed quemadmodum nihil capit detrimenti prouidentia, ob hæc quæ non comprehenduntur, apud eos qui prouidentiam semel egregiè perceperũt: sic sanè nihil scripturarum diuinitati per totas ipsas fusæ detrahitur, ex eo, quòd ingenij nostri imbecillitas in vnaquaque dictione minimè possit peruenire ad arcanũ sententiarum splendorem, in humili & contempta locutio- *2.Cor.4.* ne iacentem. Habemus enim thesaurum in fictilibus va-

sis, vt fulgeat exuperantia potestatis Dei, neque è nobis, K qui sumus homines, esse existimetur. Nam si demonstrationum rationes apud homines tritæ, nostris libris comprehensæ, humanum genus conuertissent, nostra certè fides meritò fuisset posita in sapientia hominum, non autem in Dei virtute atque potestate. At nunc cuilibet attollenti oculos perspicuum verbum & prædicationem nostram apud multitudinem non valuisse ex persuasibilibus sapientiæ verbis, sed demonstratione spiritus & potestatis. Quocirca cùm virtus cœlestis, aut etiam cœlesti *Heb.5.* superior, nos impellat ad eum solum colendum, qui nos *Heb.4.* procreauit, conemur derelinquentes initiorũ Christi sermonem, id est, prima sapientiæ elementa ad perfectionem ferri, vt quæ perfectis loquitur sapientia, nobiscum etiam colloquatur. Sapientiam enim pollicetur ille, qui *1.Cor.2.* ipsam possedit, vt inter perfectos prædicaret: sapientiam autem non huius mundi, neque Principum huius seculi, quæ dissoluitur. Hæc autem sapientia in nobis clarè describetur, & reuelationem patefaciet mysterij temporibus æternis absconditi, nunc verò manifestati tùm per scripturas propheticas, tum per aduentum domini & saluatoris nostri Iesu Christi, cui gloria in cuncta secula. Amen.

His sic cursim commemoratis, scripturas scilicet sacras diuinitùs esse inspiratas, necessariò sequitur, vt modum ipsarum legendarum atque intelligendarum pertractemus, plurimis peccatis efficientibus, ne homines teneant, quo pacto incedere ad sanctas lectiones oporteat. Duri etiam corde & idiotæ qui extiterunt de circumcisione in saluatorem nostrum minimè crediderunt, dictionem oraculo- L rum quæ de ipso vaticinantur, se sequi existimantes, & sensibiliter non cernentes ipsum prædicasse captiuis remissionem, neque ædificasse quam sibi finguot, ciuitatem Dei, neque exterminasse currus ex Ephraim, & equum ex *Zach.9.* Hierusalem, neque butyrum & mel comedisse, neque priusquàm nosset aut elegisset praua, elegisse bonum. Præ- *Esa.7.11* terea arbitrati sunt prophetatum, quòd debeat lupus animal quadrupes comedere cum agno, & pardus cum hœdo stabulari, vitulus, taurus & leo simul pasci, & à pusillo puerulo duci ad pascua, bos verò & vrsus simul in pastribus recubare, eorum catulis simul inter se educatis, leo quoque cum boue vesci paleis. Quæ cùm minimè cernerent sensibiliter euenisse in Christi a nobis crediti aduentu, non admiserunt dominum nostrum Iesum. quin potiùs velut seipsum Christum præter fas prædicantem cruci su- *Cōtra veteres hæreticos.* spenderunt. Iam verò hæretici legentes, quod scriptum est, Ignis accensus est in furore meo: &, Ego dominus zelo- *Hier.15.* tes, reddens peccata Patrum in filios in tertiam & quar- *Exod.20* tam progeniem: &, Pœnitet me vnxisse Saul in regem: &, *1.Reg.* Ego dominus faciens pacem, & creans mala. & alibi, Non est malum in ciuitate, quod dominus non fecerit: & illud, *Esa.45.* Descenderunt mala à domino super portas Hierusalem: *Amos.3.* & iterum, Spiritus meus à Deo suffocabat Saul: sexcentá- *Mich.1.* que alia his consimilia, fidem demere quidem vt Dei scri- M pturis, minimè ausi sunt. At credentes ipsas esse opificis, quem Iudæi colunt, quasi opifex ille esset imperfectus, nec bonus, Saluatorem aduenisse, vt Deum perfectiorem denontiaret, quem negant esse opificem, existimauerunt, variéque de ipso tumultuantes, atque semel deficientes ab opifice, qui solus est Deus ingenitus, figmentis seipsos tradiderunt: excogitatis hypothesibus, quibus multa velut spectra de effectis visibilibus & inuisibilibus confingunt. Quódque deterius est, simpliciores nonnulli, qui de Ecclesia se esse gloriantur, opifice quidem nullum maiorem existimant, rectam in hoc tenentes sanámque sententiam: verùm talia de ipso suspicantur, qualia nefas suspicari de immanissimo & iniquissimo homine. Harum autem omnium falsarum opinionum, & impietatum, & simplicium de deo sermonum causa nulla alia esse videtur, quàm quòd sacra scriptura ab his non secundum spiritalem sensum, sed secundum frigidum literæ sonum intelligitur. Quocirca his qui credunt sacros libros non hominum esse scripta, sed ex inspiratione Spiritus sancti, voluntate Dei vniuersorum parentis per Iesum Christum

A stum dictatos, & ad nos perlatos, & teneat regulam Ie-
Successio so Christi secundùm successionem Apostolorũ cœlestis Ec-
Ecclesiæ. clesiæ, rectas intelligentiæ vias, quæ videntur, demonstra-
re conabimur. In primis, quòd dispensationes quædam
mysticæ declarentur per scripturas, omnes, etiam simpli-
ciores, qui verbo fidem adhibent, credunt. Quænam ve-
rò ipsæ sint, qui mente pollent, nec arrogantia agitantur,
se nescire confitentur. Si igitur quærat aliquis de filiabus
Gen. 14. Lot, quæ patri admixtæ sunt, de duabus vxoribus Abra-
& 24. ham, de duabus sororibus quæ nupserunt Iacob, de dua-
bus ancillis quæ ex ipsis conceperunt, nihil aliud dicen-
dum videtur, quàm hæc esse mysteria à nobis minimè in-
tellecta. Sed & tabernaculi constructio cum legitur, qui
credunt huiusmodi scripta figuras esse occultarum qua-
rundam rerum, singula ad tabernaculum pertinentia ad
certa quærunt accommodare. Et quidem dum credunt
alicuius rei figuram esse tabernaculum, non errant: at dum
aptant rationem eius, cuius typus tabernaculum, ad rem
certam, congruenter scripturæ, aliquando aberrant. Præ-
terea omnis illa descriptio quæ existimatur vel de nuptiis,
vel de procreatione liberoru, vel de prælijs, vel de quibus-
libet aliis hystoriis, quę apud vulgus narrantur, apertè est
figura latentium sacrarúmque rerum. Quarumnam autem
figura sit, interdum propter habitum non valde se confir-
mantem, interdum propter animi leuitatem, aliquando e-
tiam, cùm quis maximè se collegerit, omnemque proui-
dentiam adhibuerit, quia tamen supra modum res inuen-
tu sunt difficiles, non admodum apparet, nec singulorum
B ratio satis ostenditur. Quid attinet dicere de Prophetiis,
quas omnes scimus ænigmatum & rationum obscurarum
esse plenas? Quòd si ad Euangelia accedimus, illorum etiá
accuratus intellectus, vt quæ sit mens Christi, eget gratia,
1. Cor. 2. quam habuit is qui dicebat, Nos autem mentem Christi
habemus, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ &
loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in
doctrina spiritus. Iam verò Ioannis Reuelationem si quis
legat, quomodo non obstupescet ad tantam occultatio-
nem arcanorum sacramentorum, quæ & ostenduntur non
intelligenti scripta? Apostolorum autem epistolæ cuinam
eorum qui iudicare norunt, videbuntur esse apertæ & in-
tellectu faciles, cùm infinita illic etiam maximam occa-
sionem præbeant maximarum & plurimarum notionum,
veluti per foramen? Cùm hæc ergo ita habeant, & innu-
merabiles errant, non sine periculo pronuntiatur aliquem
nosse vel intelligere ea, quibus clauc scientiæ opus est,
Matth. 23 quam Saluator dicebat esse apud legisperitos. Atque hic
mihi narrent, qui nolunt apud eos, qui Christi aduentum
præcesserunt, veritatem extitisse, quo pacto scientiæ clauis
à Domino nostro Iesu Christo dicitur apud eos esse, qui
vt isti aiunt, carebant libris arcanis, & perfecta mysteria
C complectentibus? Sic enim legitur, væ vobis legisperitis,
„ quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & volen-
„ tes intrare prohibuistis. Via igitur apparens, qua oporteat
versari in scripturis, ac earum sensum percipere, huiusmo-
Prou. 22. di est, sicut ab ipsis oraculis exquiritur: Apud Salomonem
in Prouerbiis inuenimus tale aliquid iussum descriptis di-
„ uinis dogmatibus. Et tu (inquit) describe tibi hæc tripliciter
„ ter in consilio & scientia & vt respondeas verbis veritatis
„ his, qui proposuerunt tibi. Tripliciter igitur describere o-
Triplex scripturæ sensus. portet in suo animo sanctarum sententiarum sensus, vt
simplicior ædificetur à carne literę, vt sic nominemus per-
ceptionē & intelligentiā quæ euestigiò occurrũt: qui au-
tem altius ascendit ab ipsius, vt dicam anima. Perfectus
1. Cor. 2. verò & similis iis, de quibus dicit Apostolus, Sapientiam
loquimur inter perfectos, sapientiam autem non mundi
huius, neque Principum huius seculi qui destruuntur: sed
loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam
prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram: Illi
(inquam) ædificantur à lege spiritali, quæ vmbram habet
futurorum bonorum. Nam quemadmodum homo con-
stat corpore, animo, & spiritu, sic etiam scriptura, quam
Deus quadam dispensatione in hominum salutem dedit.
Proinde nos quod dicitur in libro, qui inscribitur Pastur,
& à nonnullis contemnitur, Hermæ imperatum esse, vt D
duos libros scriberet, ac postea denunciaret presbyteris
Ecclesiæ, quæ didicerat à Spiritu, ad hunc modum expo-
nimus. Sic autem ad verbum legitur, duos libros scribes,
dabísque vnum Clementi, & alterum Graptæ. Ac Grapte
quidem commonebit viduas & pupillos: Clemens autem
mittet ad externas vrbes. Tu verò annuntiabis presbyte-
ris Ecclesiæ. Si quidem Grapte, quæ destinatur commo-
nefaciendis viduis & pupillis, designat puram literam, per
quam admonentur animę pueriles, & qui nondum Deum
patrem sibi vēdicare potuerunt, proptereáque pupilli no-
minantur. Item & animæ, quæ non amplius quidem ini-
quo sponso copulantur, sed tamen viduæ permanent ex
eo, quòd nondum dignę effectæ sunt, vt cœlesti sponso
iungantur. Clemens sensum illum designat, qui recedit à
litera. Ad externas vrbes dicitur mittere ea quæ dicuntur,
hoc est, vt sic explicemus, ad animas, quæ extra corporeas
& terrestres cogitationes versantur. Iam non per literas,
sed per viuam vocem ipse Spiritus sancti discipulus iube-
tur annuntiare vniuersæ Dei Ecclesiæ presbyteris, qui nē-
pè cani sunt prudentia. Verùm quoniam aliquæ scripturæ
corpus nullo modo habent, vt in sequentibus demonstra-
bimus, alicubi duntaxat inuestigatio esse debet animi &
spiritus. Ideò fortasse cùm dicuntur pro purificatione Iu-
dæorum sex hydriæ positæ, vti quidem in Ioannis Euan- *Ioan. 2.*
gelio legimus, capientes metretas binas & ternas, desi-
gnantur qui apud Paulum in occulto sunt Iudæi. Nam sa- *Rom. 2.*
nè illi purgantur per scripturas, aliquando quidem binas E
metretas capientes, id est, vt sic dicam, per animæ & spi-
ritus sermones, aliquando ternas, cùm nonnullæ præter
prædicta habeant etiam corpus quod ad ædificandum
confert. Sex autem hydriæ conuenienter dictæ sunt de iis
qui in hoc mundo purificantur. Sex enim diebus (qui per-
fectus est numerus) mundum hunc & omnia quæ in eo
sunt, legimus absoluta. Ex hac igitur prima perceptione *Allegoria*
quanta manat vtilitas, testatur eorum qui germanè &
simpliciter credunt multitudo. Eius verò explicationis,
quæ velut ad animam refertur, exemplum ponitur apud
Paulum in priore ad Corinthios Scriptum est enim (in- *1. Cor. 6.*
quit) Non alligabis os boui trituranti: quem locum dein- „
de exponens, infert, Nunquid bouum cura est Deo? An pro- „
pter nos omninò dicit? Propter nos enim scriptum est, „
Quia debet qui arat, in spe arare, & qui triturat in spe per- „
cipiendi. Ac plurimæ sanè passim occurrentes, multitudi-
nique congruentes interpretationes, quæ eos ædificant,
qui altiora percipere nequeunt, eandem habent formam.
Spiritalis autem enarratio in eo est, qui potest ostendere,
quorum cœlestium exemplari & vmbræ deseruiunt hi,
qui secundum carnem Iudæi sunt, & quorum futurorum
bonorum vmbram lex habet. Ac, vt summatim dicam, *Anagoge*
in omnibus secundum Apostolicam denũtiationem quę-
renda est sapientia in mysterio abscondita, quam prædesti-
nauit Deus ante secula in iustorum gloriam, quam nullus F
Principum seculi eius cognouit. Prętetea ait alicubi Apo-
stolus, quædam dicta Exodi & Numerorum vsurpans,
Hæc in figura contingebant illis: scripta autem sunt pro-
pter nos, in quos fines seculorum deuenerunt. Deinde oc-
casionem præbens percipiendi, quorum nam illa figurę
essent, subiicit, Bibebant ex consequente petra. Petra au- *Heb. 10.*
tem erat Christus. Sed & in alia epistola, ea quę specta-
bant ad tabernaculum declinans, hoc vsus est testimonio,
facies omnia secundum formam tibi in monte demon-
stratam. Prętetea in epistola ad Galatas, veluti probro af- *Exod. 25*
ficiens eos, qui cùm censeant se legere legem, non intelli- *Gal. 4.*
gunt, adhęc legis intelligentię ignaros eos esse iudicans,
qui non putant allegorias versari in his quę dicta sunt: di- „
cite mihi (inquit) qui sub lege vultis esse, legem non au- „
ditis. Scriptum est enim, quia Abraham duos filios ha- „
buit, vnum ex ancilla, alterum è libera. Sed qui de ancilla, „
natus est, secũdum carnem natus est: qui è libera, per pro-
missionem: quę sunt per allegoriam dicta. hęc enim duo
sunt testamenta, &c. Obseruanda quippè sunt singula eo-
rum, quę ab ipso commemorantur. Qui sub legem, in-

G quit, vultis esse: non item, Qui sub lege estis, legem non
auditis? id est, non intelligitis & cognoscitis? Et in episto-
Col. 2. la ad Colossenses breuiter sensum totius legis perstringēs,
,, Nemo (inquit) vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte
,, festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra
,, futurorum. Præterea in epistola ad Hebræos de circum-
,, cisis disserens, scribit: Qui exemplari & vmbræ deseruiūt
Heb. 8. cœlestium. Sed has ob causas fortasse de quinque libris
mosis minimè videtur dubitandum iis qui semel Aposto-
lum vt diuinum hominem receperunt. Iam de reliqua hi-
storia, illáne etiam figuraliter contigerit, considerandum
Rom. 11. imprimis illud epistolæ ad Romanos, Reliqui mihi septē
3. Reg. 19 millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal, è
,, Regnorum tertio, quod Paulus sumpsit pro Israëlitis qui
,, sunt secundū electionem: vt ostenderet non solùm gentes
vtilitatem è Christi aduentu percipere, verumetiam ali-
quos Israelitici diuinique generis. His sic cōstitutis, adūm-
brandæ sunt quæ nobis videntur intelligendarum scriptu-
Ioan. 1. rarum formæ, & primum illud assumendum, Spiritum
sanctum prouidentia Dei per verbum quod erat in princi-
pio apud Deum, ministros veritatis, Prophetas & Aposto-
los illuminantem, præcipuè respexisse ad arcana mysteria
earum rerum, quæ inter homines geruntur. Nunc autem
homines voco, animas in corporibus positas, vt qui potest
dū doceri caperit, & se profunditatibus sensuum per voces
H tradit, socius scientiæ spiritus, & diuini consilij particeps
fiat. Quia autem animę non possunt aliter ad scientię per-
fectionem venire, nisi locuples & sapiens de Deo fuerit
inspirata veritas, quæ ad deum pertinēt, necessariò vt prin-
cipalia primo loco explicantur: deinde vnigeniti sacra-
mēta, qualis sit naturæ quo pacto filius sit Dei, qua de cau-
sa in carnem humanam sese demiserit, & omninò homi-
nem assumpserit, quæ nam horum vis & actio, in quos &
quando facta. Præterea necessariò quæ sunt de cognatis a-
liis rebus rationalibus, siue sint diuiniores, siue exciderint
à beatitudine, item & lapsus earum, causas earum, conse-
quens est reuocare ad diuinę doctrinę rationes. Sed & dif-
ferentiam animarum, & vnde istæ differentiæ ortæ sint,
tum deinde quid sit hic mundus, & quare factus, vnde
malum tantum ac tale in terris, & an non tantùm in terris,
sed etiam alibi, discere est necessarium. Post hæc secundo
loco Spiritus animos sanctorum veritatis ministrorum il-
lustrans, propter eos qui nequeunt multum in mysteriis
huiusmodi inuestigandis laborare, sub nudæ & simplicis
narrationis inuolucro, prędictorum rationes occultare in-
stituit. Vnde & simpliciter exponuntur sensibilia Dei ope-
ra, & hominum opificium, eorúmque generatio, qui ex
primis per successionem multiplicatione indiuiduorum
extiterunt. Idem fit in aliis historiis, quæ iustorum actio-
nes narrant simpliciter, & eorumdem ipsorum interdum
perpetrata peccata: quemadmodum & iniquorum & im-
I piorum hominum prauas, intemperātes, auarásque actio-
nes. Ac quod omnium maximè mirum est, narratione prę-
liorum, tam in vincentibus quam in victis, multa arcana
iis qui peruestigare possunt, declarātur: quódque admira-
bilius est, scripta lege ipsæ veritatis regulæ prophetice de-
scribuntur, omnibus his ordine & diuina quadam arte sa-
pientiæ delineatis: quæ singula diuina quadam arte sapiē-
tiæ, velut indumentum quoddam spiritalium sensuum te-
cta sunt. Et hoc est quod dicimus, scripturæ corpus quod
sapientiæ arte contextum potest complures ædificare, &
meliores efficere. Sed quoniam si omnibus literæ fuisset
consequentia custodita & ordo seruatus, habentes conti-
nuatum intelligentiæ cursum, non vtique crederemus esse
aliquid in scripturis sanctis intrinsecus, præter id quod pri-
ma fronte indicabatur inclusum: ista de causa procura-
uit Dei verbum offendicula quædam vel intercapedines
intelligentiæ fieri historiæ, impossibilia quædam
per medium inserendo: vt interruptio ipsa narratio-
nis, velut obicibus quibusdam obiectis legēti resistat, qui-
bus intelligentiæ huius vulgaris iter ac transitum neget, &
extrusos nos atque exclusos reuocet ad alterius viæ initiū,
vt ita celsioris cuiusdam & eminentioris tramitis, per an-
gusti callis ingressum, immensam diuinæ sapientiæ latitu- K
dinem pandat. Oportet autem etiā istud intelligere, quòd
cùm præcipuus sit scopus intelligentię spiritalis conse-
quentiam custodire in his quę geri debent, vel quę iam ge-
sta sunt, sicubi quidem conueniunt ea, quę secundum hi-
storiam gesta sunt, vno narrationis sermone composuit,
altius semper arcanum sensum recondens: Vbi autem spi-
ritali consequentię rerum gestarum historia conuenire nō
poterat, interdū inseruit quędam vel minus gesta, vel quę
omninò geri nō possent, interdum etiam quę possent qui-
dem geri, nec tamen gesta sunt. Et nōnunquam paucis di-
ctionibus, quę secundum corporalem intelligentiam non
videntur posse seruare veritatem, interdum multis insertis,
hoc facit. Quod præcipuè in legislatiōne vsúuenire inue-
nitur, in qua multa sunt, quæ ad tempora legis congruen-
tia manifestam habent vtilitatem: aliquanta tamen sunt,
in quibus nulla ratio vtilitatis ostenditur, interdum verò
& impossibilia constituuntur propter eos, qui pollent
discurrendi & peruestigandi facultate, vt subtilitati inqui-
sitionis literæ seipsos tradentes, Deo dignum sensum con-
sequantur. Non solùm autem de iis, quæ vsque ad aduen-
tum Christi sunt, hæc Spiritus sanctus procurauit, sed vt
potè vnus atque idem Spiritus, & ab vno Deo procedens,
eadem simul in Euangelistis & Apostolis fecit. Nam ne il-
las quidem narrationes, quas per eos inspirauit, absq; hu- L
iusmodi sapientia siue arte contexuit. Vnde etiam nō par-
ua permiscuit, quibus historicus narrandi ordo interpola-
tus vel intercisus, per impossibilitatem sui reflecteret mē-
tem legentis ad intelligentiæ interioris examen. Quis igi-
tur mentis compos existimabit primam, & secundam, &
tertiam diem, vesperum & manè extitisse sine sole, luna, &
sideribus? Et verò primum diem sine cœlo? Quis etiam a- Genes. 1.
deò infans, vt putet humano veluti agricolarum more
Deum Paradisi arbores plantasse in Eden ad orientem, ar- Origenis Lat.
borémque vitę in ipso produxisse visibilem, & sensibus
patentem, ita vt corporalibus dentibus manducans quis
ex ea arbore vitam percipiat, & rursus ex alia manducans
arbore, boni & mali scientiam capiat? Sed & illud, quòd Genes. 2.
post meridiem Deus deambulare dicitur in Paradiso, & A-
dam occultari sub arbore, equidem nullum arbitror dubi-
tare figurali tropo hęc à scriptura proferri, quò per hęc
quędam mysteria designentur. Cain verò exiens à facie Genes. 4.
Dei, manifestè lectorem monet, vt requirat quę facies Dei
sit, & quo pacto quis exire possit ab ea. Verùm quid atti-
net plura dicere, cùm sit perfacile omni qui non planè sit
hebes, congregare sexcenta talia de scripturis sanctis scri-
pta quidem, tanquam facta, nec tamen facta secundum li-
teram. Hęc verò scripturę species etiam in Euangelicis li-
bris affatim crebróque signatur: Cùm in excelsum mon- Matt. 4.
tem Iesum imposuisse diabolus dicitur, vt ei inde vniuer- M
sa mundi regna monstraret, & gloriam eorum. Quid se-
cundum literam quomodo fieri potuisse videbitur, vt vel
in excelsum montem educeretur a diabolo, vel etiam car-
nalibus oculis eius tanquam subiecta & adiacentia vni
monti, omnia mundi ostenderet regna, id est, Persarum re-
gnum, Scytharum, Indorum, Parthorum, & quomodo e-
tiam reges ipsorum glorificentur ab hominibus? Sed & a-
lia quamplurima his similia in Euangeliis inueniet, qui-
cunque attentius obseruauerit, in quorum narrationibus
aduertet multa inserta esse, quę historia quidem non reci-
piat, spiritalis autem teneat intellectus. Vt autem ad legē
Mosis reuertamur, multę leges si per se obseruentur, absur-
ditatem pręferunt, alię impossibilitatem: Absurditatem
quidem, vt dum vultúres edi prohibentur, cùm nullus e-
tiam in maxima fame præ inedia adigi ad istud possit, aut
soleat: & dum præcipitur exterminari quidem omne ma-
sculinum, quod non fuerit die octaua circuncisum, quod
valde est dissentaneum, cùm oporteret, si lex secundum Genes. 17
historiam seruanda tradebatur, iuberi vt parentes puni-
rentur qui filios suos non circumciderunt, aut hi apud
quos paruuli nutriuntur. Nunc autem dicit scriptura,
Omnis masculus incircumcisus, qui nō circuncideretur die
octauo, exterminabitur de genere suo. Si verò etiam de
impossi-

A impossibilibus legis inspiciendum est, reperiemus Tragelaphum esse animal, quod subsistere omninò non possit, quem veluti mundum animal edere nos iubet Moses. Sic Griphem, quem manducari prohibet legislator, nullus vnquam narrauit humanis manibus subiici. Sed & de celebrato Sabbato accuratè inspicienti sic dicit, Sedebitis vnusquisque in domibus vestris, nullus mouebitur de loco suo die septimo. quod certè obseruare impossibile est secundum literam. Nullum enim animal potest toto die ita sedere, quin aliquo modo in loco, in quo sederit, moueatur. Proinde hi quidem, qui è circumcisione sunt, & quicunque in scripturis nihil amplius litera volunt intelligi, hæc ne quidem requirenda arbitrantur de Tragelapho, & Griphe, & Vulture: fabulas autem quasdam inanes & friuolas commentantur, & prolatis frigidis quibusdam traditionibus de Sabbato dicunt, vnicuique locum suum reputari bis mille cubitos. Aliorum verò sententia, ex quibus est Dositheus Samaritanus, damnata huiusmodi expositione, vnusquisque quo habitu & positione die Sabbati fuerit inuentus, ita vsque ad vesperam debet permanere. Sed & quod dicitur, Non leuandum onus die Sabbati, impossibile mihi videtur. Ex his enim ad infinitas fabulas
Ierem. 17 Iudæorum doctores deuoluti sunt, dicentes esse quidem onus hunc calceum, non autem illum.

D Verbi gratia, non reputari onus, si calceos quis habeat sine clauis: onus verò esse, si calceos cum clauis habuerit. Et si quidem supra vnum humerum aliquid portauerit, onus indicant, non autem si supra vtrumque portauerit. Iam verò si etiam de Euangeliis similia requiramus, quid videbitur absurdius, quàm Neminè in via salutaueritis: quod
Matt. 10. putant simplices Saluatorem præcepisse Apostolis. Sed & illud quomodo non videtur incredibile, quòd in dexteram quis maxillam percussus, præbere etiam iubetur sinistram,
Matt. 5. nisi sanè patiatur aliquid præter naturam: cùm omnis qui percutit dextra manu, sinistram percutiat maxillam? Sed & illud in impossibilibus habendum, quod in Euangelio scriptum est, vt si oculus dexter scandalizauerit te, eruatur: quoniam etiam si ponamus aliquem cernendo posse scandalizari, quo pacto duobus oculis cernentibus, ad vnū dexterum, scandali culpa refertur? Præterea quis damnans seipsum in eo, quòd conspexerit mulierem ad concupiscendum eam, reiiciens culpam omnem in vnum oculum dex-
1. Cor. 7. trum, meritò eum eruerit? Atqui (inquies) Apostolus decernit, dicens, Circumcisus aliquis vocatus est, non adducat præputium. Primùm quidem, qui voluerit Apostolum ista dixisse præter sententiam propositam, intelliget, quomodo enim de nuptiis & castitate præcipiens, non videbi-
C tur ista temerè inseruisse? Deinde quis eum affirmabit iniquè agere, qui vitandæ obscœnitatis causa, vulgi opinione ex circumcisione contracta, tradit seipsum ad reuocādum præputium? Hæc verò à nobis omnia dicta sunt, vt ostendamus diuinæ potentiæ sacrarum literarum largitricis scopum fuisse, non ea sola quæ nuda locutione proponuntur, explicare (sunt enim illa interdum falsa iuxta literam, immò etiam abhorrentia à ratione, neque fieri possunt, sed præterea quædam ad rei gestæ narrationem esse attexta, quæ interiùs considerata & intellecta, vtilem hominibus & Deo dignam legem proferunt. Ne quis autem suspicetur nos reiicere omnem scripturæ historiam, quasi non factā, quoniam eius aliqua non facta esse sentimus, nullámque legislationem secundum verba esse seruandam, quoniam eius quædam iuxta literam absurda videantur & impossibilia, aut quæ de Saluatore scripta sunt, sensibiliter non esse vera, legémque & præcepta ipsius secundum literā non debere seruari: respondemus à nobis euidenter in quamplurimis seruari historiæ veritatem: vt Abraham in spelunca duplici sepultum esse re vera in Hebron, & Isaac & Iacob, & eorum singulorum vxores: Sichemam Iosepho in portionem verè esse attributam: Hierusalem verè fuisse metropolim Iudeę, in qua ædificatum sit à Salomone templum Dei: & alia infinita. Multò enim plura sunt, quæ secundum historiam verum habent intellectum, quàm quæ nudum sensum continent spiritalem. Deinde quis non af-
firmet mandatum hoc, Honora patrem & matrē, vt benè B
sit tibi, etiam sine vlla spiritali interpretatione esse vtile, Exod. 20.
atque seruandum? maximè cùm & Paulus iisdem verbis repetiuerit. Quid attinet dicere de cæteris, non adulterabis, non occides, non furtum facies, non falsum testimoniū
dices? Præterea in Euangelio præcepta ponuntur, de qui- Ephes. 5.
bus non est quærendum, debeantne seruari secundum literam nécne, quale est illud, Ego autem dico vobis, quicunque iratus fuerit fratri suo, &c. Item, Ego autem dico vo- „
bis, non iurare omnino. Et apud Apostolum, Commonete Matt. 5.
inquietos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, „
patientes estote ad omnes: & alia quamplurima. Veruntamen si quis attentius legat, in quibusdam ambiget, vtrum 1. Thess. 5.
illa vel illa historia putetur vera secundum literam, an minus vera, & illud vel illud præceptum verum secundum literam obseruandum sit, nécne. Quocirca eum, qui incidit
in diuinas literas, oportet seruare Saluatoris hoc iussum, Ioan. 5.
Scrutamini scripturas, studiosèque explorate, vbi præceptū secundum literam sit verum, vbi impossibile, & diligenter vestigare è similibus vocibus intelligentiam eius, quod secundum literam, quæ vbique per totam scripturam spargitur, est impossibile. Quoniam autem, vt perspicuum erit
legentibus, impossibilis quidem est perpetua secundum E
scripti literam consequentia, non impossibilis autem, sed
verius principalis scripturæ contextus, sententiæ diuinæ Locus in
studiosus spiritales enuntiationes iuxta literam impossi- Græco cor-
biles, cum enuntiationibus non modò nihil habentibus ruptus.
impossibile, verumetiam veris, iuxta historiam & vtrarumque allegorias, inter se debet coniungere & comparare. Putamus enim omnes omnium scripturarū locos sensum habere spiritualem, non omnes autem sensum habere corporalem. Multis enim in locis quod corporale est & externum, impossibile cōuincitur. Quapropter multo studio ac labore nitendum est, quatenus vnusquisque legentium cum omni reuerentia intelligat se diuina, non humana verba tractare, quæ sanctis libris inserta sunt: quorū intelligentiæ characterem huiusmodi esse arbitramur. Gentem quādam prædicant super terras diuinæ literæ electam esse à Deo, quam appellant plurimis nominibus. Interdum enim vniuersa hęc gens Israel dicitur: interdum Iacob: & maximè cùm diuisa est gens à Ieroboam filio Nabat, decē tribus quæ sub eo factæ sunt, appellatæ sunt Israël: aliæ verò duæ, & Leuitica tribus, quæ seminis Dauid imperio paruerunt, Iuda. Vniuersa autem loca, quæ habebat gens ista, quæque à Deo acceperat, Iudæa dicebantur, cuius metropolis Hierusalem, quasi plurimarū vrbium mater, quarum nomina in aliis quidem libris sparsim frequenter in-
uenies, simul autem in vnum contexta in libro Iesu Naue F
continentur. Cùm ergo hæc ita se habeant, eleuans quo-
dammodo ex terra, & erigens intelligentiam nostram A- 1. Cor. 10
postolus, quodam loco ait, Videte Israel secundum carnē: „
velut significans alium esse Israël, qui sit secundum spiri- „
tum. Et iterum alio loco dicit, Non enim filij carnis hi fi- „
lij sunt Dei, sed neque omnes qui ex Israel sunt, hi Israëlitę. Rom. 11
Sed neque qui in manifesto est Iudæus neque quæ in ma- „
nifesto est circumcisio, verùm qui in occulto Iudæus, „
& circumcisio cordis in spiritu, non litera. Rom. 2.
Si enim iudicium Iudæi ex occulto sumitur, intelligendum est, quemadmodum Iudæorum corporale est genus, sic Iudæorum occultorum & aliquam esse gentem, anima ipsa nobilitatem istam quibusdam arcanis rationibus possidente. Sed & plurimæ Prophetię de Israel & Iuda vaticinantur, & exponunt res ipsis euenturas. Numquid autē cautæ ipsis in scriptura factæ promissiones, quæ iuxta literam sunt humiles, nec Dei pollicitationibus dignæ, opus habent mystica anagoge? Si ergo promissiones intellectuales sunt, per sensibilia spiritalia pollicentes, etiam hi, quibus promissiones factæ sint, non sunt corporales. Verùm ne in re omnibus nota immoremur, de occulto Iudæo, & interiore Israëlita, ad institutū reuertamur. Igitur dicimus Iacob patrē esse duodecim Patriarcharū, ac illos primorū plebis, rursúsque, hos Israëlitarū, qui deinceps extiterūt. Si igitur corporales quidē Israëlitæ, reducuntur ad pri-

G mores plebis, primores plebir ad Patriarchas? Patriarchę ad Iacob, & eos qui adhuc fuêre superiores: intellectuales Israëlitæ, quos designabant corporales, nónne è populis, & populi è tribubus, & tribus ab vno aliquo ortum non iam coporalem habente, sed meliorem, prouenient: Et hic ex Isaac descendet, & rursum Isaac ex Abraham, sicque cōsequenter, donec referantur omnes ad Adam, quem Apostolus ait esse Christum. Omne enim principium familiarum, quę ad Deum vniuersorum referuntur, posterioribus spiritibus à Christo cœpit, qui secundo loco nominatur post vniuersorum Deum & patrem: sic omnis animæ conditorem, ac Adam pater est omnium corporum. Quòd si etiam Eua patit, quæ Ecclesiæ ab Apostolo comparatur, non mirum est, cùm Cain ea Eua nascatur, & omnes deinceps relati similiter ad ipsam Euam, effigies sint Ecclesiæ, à qua omnes præcipos quadam & singulari ratione generantur. Etsi autem hæc, quæ de Israel & tribubus & popu- *Matt. 15* lis dicta sunt, nos percellant, cùm dicat Saluator, Quia nō „ sum missus nisi ad oues domus Israel, non ita tamen accipimus, sicut pauperes spiritu Ebionei, qui etiam ipso nomine pauperes appellantur, vt ad carnales Israelitas præcipuè Christum aduenisse existimemus. Nō enim filij car- *Gal. 4.* nis hi sunt filij Dei. Rursus Apostolus de Hierusalem talia „ quædam docet, Quia quæ sursum est Hierusalem, libera „ est, quæ est mater nostra. Et in alia epistola, Sed accessistis „ ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem „ cœlestem, multitudinē Angelorum collaudantium, & ec- *Heb. 12.* clesiam primitiuorum, qui scripti sunt in cœlis. Si ergo est H in anima omni genere Israel, & in cœlo ciuitas aliqua, quę Hierusalem nominatur, consequens est, vt hæ ciuitates, quæ gentis Israeliticę dicuntur, metropolim habeant Hierusalem cœlestem. Quæcunque igitur prophetantur de Hierusalem, & de ea narrantur, si Pauli verba, quasi Dei in eo sapientiam loquentis audimus, de illa certè ciuitate, quam appellat Hierusalem cœlestem, & de omnibus locis vel vrbibus, quæ terræ sanctæ vrbes esse dicuntur, accipere debemus. Nam ex ipsis fortassè ciuitatibus Saluator nos ad altiorem erigens intellectum, tribuit iis qui benè commissam sibi pecuniam dispensarunt, præfecturam quinque aut decem ciuitatum. Si ergo Prophetiæ, quæ de Iudæa, Hierusalem, Iuda, Israel, Iacob prophetatæ sunt, dum non à nobis carnaliter intelliguntur, mysteria quædā talia significant, cōsequēs etiā est illas Prophetias, quæ de Ægypto, Ægyptiis, Babylonia, Babyloniis, Sidone, Sidoniis, Tyro, Tyriis, & reliquis gētibus prolatæ sunt, nō solū de corporibus & terrenis his Ægyptiis & Babyloniis, & Sidoniis & Tyriis intelligi prophetatas, verumetiam de spiritualibus. Si enim sunt Israelitæ spirituales, sequitur etiam Ægyptios & Babylonios esse spirituales. Neque enim ea quæ Eze- *Eze. 27* chiel prophetauit de Pharaone rege Ægypti, conuenire a- *3* licui hominum possunt, qui regnasse videatur in Aegypto, sicut manifestè exitus ipse indicat lectionis. Similiter ea quæ de Principe Tyri dicuntur, non possunt intelligi de aliquo homine, qui Tyri principatum tenuerit. Nec ea quæ de Nabugodonozor multis locis commemorātur, & maximè in Esaia, possunt accipi de illo homine. Neque enim *Esa. 14.* cecidit è cœlo, neque Lucifer erat, neque manè oriebatur super terrā Nabugodonozor homo. Sed nec quę produntur in Ezechiele de Aegypto, velut quadraginta annis exterminanda, ita vt pes hominis non inueniatur in ea, & sic expugnanda, vt per omnem terram eius humanus sanguis vsque ad genua exaltetur, nescio an aliquis mentem habens, hoc de Aegypto terrena, quæ Aethiopibus æstu solis colorem atrum toto corpore contrahentibus adiacet, possit accipere.

Et post alia.

FORTASSIS autem, quemadmodum hi qui de hoc mundo morte discedunt, ex his quæ hic egerunt, prout digni fuerint iudicati, loco qui infernus appellatur, locos differentes consequuntur pro ratione peccatorum, ita etiā ea illis locis, vt sic dicam, morientes, in infernum hunc de- *Cant.* scendunt, digni iudicati, vt in differentibus totius terre- K stris loci mansionibus siue melioribus siue deterioribus, & apud illos vel illius loci partes, nascantur, ita vt aliquādo contingat Israelitam in Scythiam descendere, & Aegyptium in Iudæam. Veruntamen quoniam Saluator noster congregatum venit oues, quæ perierunt domus Israel, cùm plurimi ex Israelitis non acquieuissent doctrinæ eius, hi qui ex gentibus erant, vocati sunt. Latent autem, vt arbitramur, in historiis hæc. Nam regnum cœlorum simile est *Matt. 13* thesauro abscondito in agro, quem cùm inuenerit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & omnia quę habet, vendit, & emit agrum illum. In quo dilucidius considera, an non solum ipsum & superficies scripturæ, ager sit repletus plantis omnium generum: ille verò altior & profundus spiritalis sensus, qui non patet omnibus, sed defossus est subter plantas quæ conspiciuntur, ipsi sint thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, quos Spiritus sanctus per Esaiam tenebrosos & inuisibiles & absconditos thesauros vocat, quorum portas æreas, quibus clausi sunt & absconditi, solus Deus possit confringere, & seras ferreas, vectésque comminuere, vt cuncta inueniantur quæ in Genesi de *Genes. 4. & 7.* diuersis animorum generibus scripta sunt, & veluti de seminibus, quæ sunt propè Israel, vel longè. Sed & quæ sit illa descensio in Aegyptum septuaginta animarum, quomodo illic fiant veluti sydera cœli in multitudine. Sed quia non omnes qui ex ipsis erant, lumen sunt huius mundi (non enim omnes qui ex Israel, hi Israelitæ sunt) ex ipsis septuaginta animabus fiunt aliqui etiam sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabiles. Quemadmodum autem L cuncta dei diuina circa comparationem maiora sunt mortali substantia, sic & accurata ratio sapientiæ, quam de istis omnibus Deus habet, cuius dispēsatione hæc scripta sunt, patre verbi annuente, erit in anima, quæ eximiè ad comprehensionem sapientiæ sese cum omni studio & consciētia humanæ imbecillitatis purgauerit. Quòd si aliquis seipsum nimis temerarium præbuerit, non intelligens arcanum diuinæ sapientiæ & verbi, quod fuit in principio apud Deum, Deus & nesciens ista secundum verbum & Deum & sapientiam quæ apud ipsum est, quærenda esse & inuenienda, certè necesse est huiusmodi hominem ad fabulas & nugas, & figmenta prolabentem, seipsum periculo impietatis subiicere. Quocirca recolendum est præceptum Salomonis, qui in Ecclesiaste sic dicit, Ne festines *Eccles. 5.* proferre sermonem ante faciem Dei. Quoniam Deus in „ cœlo est superiùs, tu autem inferiùs in terra. Proinde sint „ sermones tui pauci. Conuenit autem sacras literas credere nullum habere apicem Dei sapientia vacuum. Nam qui mihi homini præcepit, dicens, Non apparebis in conspe- *Deut. 16.* ctu meo vacuus, multò minus ipse quicquam vacuum di- „ cet. E plenitudine enim ipsius accipientes Prophetæ M loquuntur, & spirant vniuersa de plenitudine, nec quicquam habetur in Prophetia, aut lege, aut Euangelio, aut Apostolis, quod non sit de plenitudine. Vnde quia sunt de plenitudine, spirant plenitudinem iis qui habent oculos cernentes quæ sunt plenitudinis, & aures audientes quæ fluunt de plenitudine, & sensum odorantem eorum quæ manant è plenitudine fragrantiam. Si quando autem legens scripturam, offendas in sententiam, quæ sit pulcher lapis offensionis, & petra scandali, incusa teipsum. Itémque puta lapidem istiusmodi offensionis, & petram scandali eo sensu accipiendam, vt quod dictum est, reipsa existat. Qui crediderit, non confundetur. Crede primùm, & sub illo scandalo, vt putatur, multam sanctam vtilitatem inuenies.

E Commentariis in Psalmum 50. in quibus præmissa allegoria, in parte historiæ de Vria sic infert.



QVOD si cui violentum videtur, partem qui- *Non eadem historiæ allegoricè interpretari, ipsam tamen hæc autem non æqualiter perpetuare, perspicuū est commentaria.* ista quidē dici temerè, alia autem in hunc locū esse inquirenda. Nā qui diligētius nō explorauerit quæ ad

A lucũ pertinent, reperiet omnia non constare, tã ea quæ dicũtur de homine interẽpto, quàm de ipsius qualicũque bonitate, qui voluit domi suæ versari & requiescere, quòd populus esset, & laboraret in castris. Nec verò satis mihi liquet, quo pacto refugientes istorum allegoriam, & existimantes verba propter se esse conscripta, voluntatem Spiritus sancti assequantur, qui hęc scribi voluit, quibus non tantùm intemperantia, verumetiam crudelitas & inhumanitas Dauidis reprehenditur, audentis in Vriam facinus à quolibet, qui vel mediocriter bonis moribus præditus fuerit, valdè alienum. Ego autem dixerim, quemadmodum iudicia domini magna & explicata difficillimã prębere videtur causam, vt imperitæ animæ interdum errent: sic etiam scripturæ ipsius magnæ, sensibúsque arcanis & mysticis, cõtemplatúque difficillimis plenæ, non facilè explicantur, sed causæ videntur, cur imperitę bonorum aliena sentientium animę hallucinentur, inconsideratè & valdè temerè criminantium Deum ex scripturis quas non intelligunt, vt proinde in figmentum alterius Dei incidant. Tutò igitur retinebitur interpretatio cùm manifestæ orationis, tùm sapientiæ in mysterio absconditę, quam nullus principum huius seculi cognouit, secundum reuelationem mysterij temporibus ęternis taciti, manifestati autem Apostolis & eorum similibus, iam per scripturas Propheticas, quàm per Saluatoris nostri verbi,
B quod in principio apud deum extitit, ad ipsos aduentum.

E secunda Homilia in Leuiticum, statim post principium.

Hæc non reperiuntur in vulgatis Homilijs Origenis in Leuiticũ. HÆreticorum illi impurissimi & execratissimi, qui non intelligunt differentiam Iudaismi visibilis, & Iudaismi qui sola mente percipitur, id est, Iudaismi manifesti & occulti, statim cùm à Iudaismo, tùm à Deo qui dedit scripturas & vniuersam legẽ, distracti sunt, finxerúntque alterum deum ab illo, qui legem tradidit & Prophetas, pręterque eum qui fecit cœlũ & terram. Atqui res longè aliter habet: nempè qui dedit legem, dedit & Euangelium: qui fecit quæ cernuntur, dedit quę non cernuntur, habentibus cognationẽ inter se iis quę cernuntur & quæ non cernuntur. Sic autẽ inter se cognationem habent, vt quæ cernuntur dei opera, à creatura mundi ex effectis intellecta conspiciantur. Cognationem etiam habent legalia & Prophetica quæ cernuntur, cũ iis quę apud eosdem aspectũ fugiunt, sed intelligẽtia percipiuntur. Quoniam igitur cõstat scriptura etiam ipsa, veluti è corpore quod cernitur, & animo qui in ipso intelligitur & concipitur, atque spiritu qui est secundum exemplaria, & vmbrã supercœlestium, age inuocãtes eum qui tribuit
C scripturæ corpus & animum & spiritũ, corpus veteribus, animum nobis, spiritum iis qui in futuro seculo vitam æternam possidebunt, venturique sunt in supercœlestia &
Allusio ad cap. 9. Heb. vera legis exemplaria, in pręsens non literam, sed animum vestigemus. Quòd si idonei fuerimus, ascendemus etiam ad spiritum iuxta eorum rationem, quæ de sacrificiis lecta sunt.

CLAVSAM ESSE ET OBSIgnatam diuinam scripturam.

CAP. II.

E tomo in primum Psalmum.



Neque hic tomus extat. CLausas & obsignatas esse sacras scripturas diuina aiunt oracula, claue Dauidis, fortassè & sigillo, de quo dictum, Expressis signaculi sanctificatio domino, hoc est, virtute Dei qui ipsas tradidit, quæ quidem signaculo declaratur. Itaque de conclusione &
Apoc. 3. obsignatione Ioannes edocet in Apocalypsi, dicens, Et „ Angelo Ecclesiæ quę est in Philadelphia, scribe: Hæc dicit Sanctus verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nul- D
lus claudet, qui claudit & nullus aperiet. Noui tua opera. Ecce posui ante te portam apertam, ac eam nullus potest claudere. Et paulò pòst: Ac vidi in dextra seden- *Apoc. 6.*
tis super thronum librum scriptum & foris obsignatum sigillis septem. Vidique Angelum alium fortem clamantem voce magna, Quis dignus est aperire librum, & soluere signacula eius? Nullus poterat, siue in cœlo, siue in terra, siue subter terram aperire librum, sed nec intueri ipsum. Et fleui, quòd nullus dignus repertus esset ad aperiendum neque intuendum librum. At vnus seniorum dixit mihi, Ne plora. Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, vt aperiat librum, & septem eius signacula. De sola obsignatione sic Esaias: Et vobis erunt hæc verba omnia, velut sermones libri huius obsignati, quem si dederint homini scienti literas, dicentes, Lege ista, respondebit, Non possum legere. Obsignatus enim est. Et dabitur hic liber in manu hominis ignorantis literas, qui cùm ei dicent, Lege ista, respondebit, Nescio literas. Hæc enim non modò de Apocalypsi & Esaia dicta esse existimandum est, verumetiam de vniuersa scriptura diuina citra controuersiam, quæ quidem apud eos qui possunt diuina oracula percipere, plena est ęnigmatis & parabolis, & obscuris sermonibus, aliisque variis obscuritatum formis humanę naturę ad concipiendum difficilibus. Quod declarare volens Saluator, claue veluti consistente apud Scribas & Pharisęos, minimè contendentes viam ape- E
riendi inuenire, ait, Vę vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientię, ipsi verò non ingredimini, & ingredientes *Matth. 23*
non sinitis intrare. Et post pauca.

Inchoaturi Psalmorum interpretationem, elegantissimam traditionem ab Hebræo nobis vniuersè de omni diuina scriptura proditam pręmittemus. Dicebat enim ille totam diuinitus inspiratam scripturam esse similem propter* certitudinem quam habet, multis domiciliis vno ædificio conclusis atque comprehensis: Vnicuique autem domicilio adhiberi clauem conuenientem, sicque variari claues circa domicilia, quæ non congruant sigillatim seria quibus admouentur: Opus autem esse maximum distinguere claues, easque adaptare domiciliis, quibus aperiendis sunt accommodatæ. Sic diuinas scripturas intelligi, quæ cùm sint obscuræ, non aliunde occasiones, vt intelligantur, accipiunt, quàm ex mutua aliarum cum aliis in se dispersam expositionem habentibus comparatione. Vnde etiam Apostolum huiusmodi intelligendarum scripturarum viam subiicientem dixisse arbitror, Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.

** ἀσάφειαν.* *1. Cor. 3.*

Et post pauca, comparans beatitudines singulariter propositas, beatitudinibus plurali numero vsurpatis, in- F
quit, Quòd si verba domini, verba casta, argentum ignitum, probatum, terra expurgatum septempliciter, cum omni accuratione ac studio exquisitè Spiritus sanctus ipsa per ministros verbi subiecit, ne quando nos fugiat analogia, secundum quam sapientia Dei in omnem diuinitùs inspiratam scripturam vsque ad quamlibet literam peruenit. Vnde & fortassis Saluator, Iota vnum, aut vnus apex non præteribit ex lege, donec omnia fiant. Quemadmodum enim in mundi fabrica diuina ars non tantùm in cœlum, & solem, & lunam, & astra, per tota illa corpora permanasse cernitur, verumetiam super terram in materiã ignobiliorem: Neque enim ab opifice neglecta sunt minutissimorum animalium corpuscula, multoque minus animæ in ipsis positæ, quarum singulæ proprietatem aliquam in seipsis accipiunt, vt in bruto rationísque experte* salutare: neque germina, in quorum singulis radicibus, & folus & fructibus, & qualitatibus differentibus, vis inest summi artificis: Sic existimamus de vniuersis, quę spiritus sancti instinctu scripta sunt. Tradit enim dei prouidentia sapientiam humana pręstantiorem ipsi hominum generi per huiusmodi literas, & verba salutaria aspergit, atque (vt sic dicã) sapientię vestigia, quantũ vnaquęq; litera ferre potest. Oportet igitur eum, qui semel admiserit scripturas illius

** σωτήριον videtur mendum.*

G esse qui mundum condidit, quæcunque de procreatis rebus, inquirentes earum rationem occurrunt, eadē etiam de scripturis cōfiteri. Sunt sanè in rebus procreatis quædam, quæ ab humana natura difficilè, aut etiam minimè inueniuntur, nec tamen propterea accusare fas est vniuersorū opificem. Exempli causa, Non inuenimus causam cur basilisci producti sint, aliique venenati serpentes. Hîc enim pium, eos qui sentiunt nostri generis imbecillitatem, & videntur fieri non posse, vt comprehēdamus exactè diuini artificij rationes, referre ad Deum illorum notitiam, qui ea pòst nobis, si digni iudicemur, patefaciet, quibus nunc piè & religiose insistimus. Sic igitur etiam in diuinis scripturis considerandum est, multa in illis versari, nobis explicatu difficillima. Qui ergo, postquàm recesserunt à mundi opifice, & accesserunt ad Deum a se confictum, se soluturos pollicentur dubitationes à nobis adductas, soluant, aut suæ conscientiæ persuadeant post eiusmodi impietatis conatus requiescere, prout cognruit ipsorum hypothesibus de quæstionibus & dubitationibus adductis. Nam si etiā illic, postquam desecerunt à diuinitate, nihilo minus quæstiones manent, quanto sanctius erat ipsos permanere in Dei notitia, & cùm opifex è rebus procreatis perspiciatur, nihil atheum & impium de Deo summo pronuntiare?

CVR XXII. LIBRI DIVInitus inspirati,

H

CAP. III.

Ex eodem tomo in Psalmum primum.



VONIAM singuli numeri in numerorum suo loco vim quandam habent in rebus, qua vsus est vniuersorum opifex ad productionem partim vniuersi, partim speciei singulorum, attendendū est, & vestigandū è scripturis, quæ ad illos & illorum singulos pertinent. Non igitur ignorandum Testamenti libros, vt Hebræi tradiderunt, esse viginti duos, quibus æqualis numerus elementorum apud ipsos vsurpatorum non absurdè conuenit. Vt enim 22. elementa videntur esse introductio ad sapientiam, & diuina documenta his characteribus expressa, & hominibus tradita, sic 22. libri diuinitùs inspirati sunt elementum atque principium sapientiæ Dei, & introducunt ad rerum notitiam.

DE SOLOECISMO, ET humili scripturæ phrase.

CAP. IIII.

I

Hæc non reperiuntur in tomis hodie in Ioannē extantibus.

E quarto tomo Commentariorum in Ioannem, post tria principij folia.



VI diuidit apud se vocem, & significata, & res de quibus ponuntur significata, non impinget in vocum solœcismum, quoniam certò reperiet res esse sanas, de quibus institutæ sunt voces: Maximè cùm fateantur

1. Cor. 2. Sancti viri sermonem & prædicationem suam non consistere in persuasibilibus sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis. Deinde prolato Euangelij solœcismo subijcit, Vt non ignari Apostoli eorum, in quibus impingebant, & circa quæ minime occupabantur, aiunt se idiotas esse sermone, sed non notitia. Existimandum enim id non tantùm à Paulo, sed etiam à reliquis Apostolis dici,

2. Cor. 4. Nos autem: item illud, Habemus autem thesaurum hunc „ in fictilibus vasis, vt exuberantia virtutis Dei sit, & non ex „ nobis accepimus. quasi thesaurus dicatur, qui alibi the„ saurus cognitionis & sapientiæ absconditæ: fictilia autem vasa, humilis & contemnenda apud Græcos locutio scripturarum, qua verè exuperātia virtutis Dei declaratur. Potuerunt enim veritatis mysteria, & virtus dictorum minimè impedita per humilitatem locutionis, peruenire vsque ad fines terræ, & subigere Christi verbo, non solùm stulta mundi, sed interdum etiam quæ in eo sapiunt. Cernimus enim vocationem, non quòd nullos sapiēs secundum carnem, sed quod non multi sapientes secundum carnem. Sed & debitor est Paulus, denuntians Euangelium, non solum barbaris tradere verbum, verumetiam Græcis: & non modo insipientibus faciliùs consentientibus, sed & sapientibus. Idoneus enim effectus est à Deo minister noui Testamenti, vsus ostensione spiritus & virtutis: vt credentium consensus non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Fortassis enim si elegantiam & ornatum elocutionis, vt quæ apud Græcos caduot in admirationem, haberet scriptura, cogitaret aliquis non veritatem superasse homines, sed elucentem sermonis contextum atque consequentiam, & elocutionis speciem atque formam, animus auditorum cepisse, ipsosque deceptos occupasse. K

QVODNAM SIT MVLTILOquium, & quinam multi libri. Item vniuersam Scripturam diuinitus inspiratam, vnum esse librum.

CAP. V.

E quinto tomo Commentariorum in Ioannem, in Proœmio. L

Intercidit hoc Proœmium.

Ambrosium innuit, ad quem vniuersa ipsius propemodum commentaria extant.

Eccles. 12.

VONIAM non contentus præsens assumere diuinitus excitati monitoris o: unus erga nos etiam absentes, vt multa tibi elaborem, meum in te officio postulas, ego laborem fugiens, & mihi periculum obijciens eorum, qui vel numine semetipsos ad scribendum in diuina oracula contulerunt, mihi ipse in auxilium aduocarem Scripturam recusans multos libros conficere. Ait enim in Ecclesiaste Salomon, fili mi, caue cōficere libros multos. Non est finis, & meditatio multa afflictio carnis. Nos enim, nisi intellectum quendam reconditum, adhúcque nobis ignotum hæc proposita habet locutio, planè præceptum transiliuimus, dum minimè cauimus multos libros conficere. Deinde vbi dixisset in pauca Euangelij dicta quatuor à se perfectos tomos subucit,

Quantum colligere licet ex ipsa locutione, fili mi, caue conficere libros multos, duo declarantur: Vnum, non possidendos esse multos libros: alterum, non componendos multos. Quòd si prius omninò nō est posterius, neque posterius omninò prius, at vtraque ex parte videmur discere, libros plures minimè esse conficiendos. Poteram autem in eo, quod nunc incidit, herens ad te mittere hoc dictum, veluti apologiam, & excusationis meæ rationem, & negotiū perficiens, ex eo quod Sancti multorum librorum compo- M sitionibus non vacarunt, desistere deinceps ab opere scriptorum quæ ad te transmittenda sunt, pro fœderibus inter nos agitatis. Et fortasse offensus dictionis humilitate, deinceps id nobis permisisses: at quoniam scripturæ recta conscientia scrutandæ sunt, non temerè ab eo, qui earum sibi tribuit intelligentiam, è tenui oratione exponendæ, cedo defensione, quamuis mihi patrocinari videatur, qua cōtra me, si præter fœdera instituta facerem, vti posses. Ac primū quidē, quoniā dictis videtur cōsentire historia, cùm nemo sanctorum plures Commentarios ediderit, multisq; libris suam mentē exposuerit, de hoc disserendum est. Qui autē me ad complurīū cōscriptionē progressum accusabit, Mosen virum tam insignem dicet, quinq; duntaxat libros reliquisse: deinde enumerans Prophetas & Apostolos, pauca singulos, ac ne pauca quidē scripsisse subucier. Adhæc pari vertiginem mihi in tenebris volutato accidet, ne fortè tibi obtēperans, nō obtemperē Deo, neq; sanctos æmuler. Si igitur nō fallor, mihi ipsi patrocinās, quòd te vehementer amem, & in nullo molestus esse velim, eiusmodi ad ista rationes reperio. In primis proposuimus illud Ecclesiastis, fili mi, caue conficias libros multos. Cui vicissim comparò eiusdem Salomonis è Prouerbus dictum, E multiloquio non effugies peccatum: parcens autē labiis, intelligēs eris.

Negantē primum partem probat.

Et

A Et quæro, an qualiacunque dicere, sit multa dicere. Nam si ita est, & multa loquitur qui multa vtilia narrat, Salomon ipse non effugiet peccatum, dum locutus est tria parabolarũ millia, & Canticorũ quinque millia, & de lignis à cedro Libani vsque ad hyssopũ, quæ per parietẽ egreditur: præterea de iumentis, de volatilibus, de reptilibus, de piscibus. Quomodo enim possit aliquis hanc tractationem absoluere absque multiloquio simplicius considerato? [Prouer. 8.] cum & ipsa Sapientia perditis dicat, Extendi sermones, & non attendistis? Rursum Paulus videtur in ducẽdo perseuerasse ab aurora vsque ad mediam noctem, [Act. 20.] cum & Eutychus somno oppressus decidens, auditores velut mortuus conturbauit. Si igitur verum, E multiloquio non effugi peccatum, itémque verum, non peccasse Salomonem multa de prædictis tractantem, neque Paulum vsque ad mediam noctem sermones producentem, inquirendum est B quid sit multiloquium, ac inde ordine considerandum quinam sint multi libri. Nullum sane Dei verbum, quod in principio apud Deum, multiloquium dici debet. Non enim verba est, sed verbum vnum, constans pluribus theorematis, quorum vnumquodque pars est totius verbi. Similiter & libri externi, qui dicuntur cõtinere narrationem & commemorationem qualemcunque: siquidem vera differunt. Admirabilius dicam. Non vnum est ipsorum verbum, sed singula verba. Nusquam enim est vnitas, nusquam, quod ei consonat, etiam vnum: sed vnũ ex eo quod distrahitur, & pugnat, ab illis petit. & fiũt numeri, & quidem fortassè numeri infiniti. Itaque hac de causa dicimus eum, qui aliena & abhorrentia à pietate loquitur, multa loqui: qui autem fatur ad veritatem pertinentia, etiamsi dixerit omnia, nihilque prætereat, vnum loqui verbum. Nec multa loquuntur Sancti, quippè qui vnius verbi scopum tenent. Si igitur multiloquium è dogmatibus æstimatur, non è multarum dictionum commemoratione, inspice num sic possimus vniuersa sancta oracula vnum librum dicere, multos verò externa scripta. At quoniam testimonio mihi opus est è sacra scriptura, considera an istud mirificè valeam ostendere, dum officio Christum nostri similem effectum, non in vno scriptum esse libro: siquidem magis vniuersè biblia ipsa attendimus. Nam id scriptũ in Pentateucho, dicitur etiã in singulis Prophetis, & in psalmis, & omninò, vt ait Ipse Saluator, in cunctis scripturis: ad quas remittens nos, inquit, Scrutamini scripturas, quoniam [Ioan. 5.] videmini in ipsis vitam æternam habere, ac illę sunt » quæ testimonium perhibent de me. Si igitur remittit ad » scripturas velut de se testantes, certè non ad hãc remittit, » ad illam non remittit, sed vniuersè ad omnes denũtiantes, [Psal. 39.] quas in psalmis vocat Spiritus sanctus caput libri, his verbis: In capite libri scriptum est de me. Nam qui simpliciter C vult accipere illud, In capite libri scriptum est de me, de certo quodam vno id complectente, afferat rationem, cur illum librum alteri præferat. Vt enim etiam arbitretur quispiam hoc dictum nos ad ipsum psalmorum librum reducere, respondendum oportuisse tum dici, In hoc libro scriptum est de me. Nunc verò dicit omnia vnum caput, vt verbum de ipso ad nos factum, ad vnum, velut ad caput vnicum referatur. Præterea quis etiam ille liber conspectus à Ioanne scriptus intus & foris, & sigillatus, [Apoc. 5.] quem nemo potuit legere, & signacula eius soluere, præter Leonem de tribu Iuda, radicem Dauid, qui habet clauem Dauid, & aperit, & nullus claudet, & claudit & nullus aperiet. Vniuersa quippè scriptura repræsentatur per illum librum, intrinsecus quidem conscripta, propter promptũ ipsius intellectum, & perceptionem, extrinsecus verò à parte postica propter reconditum sensum & spiritualem.

Asseritur pars. — *Verbũ hic Dei essentiale ne intelligas, (expers enim partium est, tanquam Deus) sed verbum quod de ipso existit è variis contẽplationibus compositũ, quod etiã cum priore illo nomine cõmunicãs, in principio apud Deum fuisse dicitur.*

Obiter præterea obseruandum, si fieri possit, demonstrari sancta oracula vnũ esse librum, profana autẽ scripta multos, propterea quòd in viuentibus vnus est liber, de quo deleutur qui ipso efficiuntur indigni, quemadmodum scriptum est, deleantur de libro viuentium: de iis autem qui iudicio subiiciuntur, libri feruntur multi. Ait enim Daniel, [Dan. 7.] Iudicium sedit, & libri aperti sunt. De vnitate autem diuini [Exod. 32.] libri etiam Moses testimonium perhibet, dum inquit, Si dimiseris populo peccatum, dimitte: sin minus, dele me D de libro quem scripsisti. Ego etiam quod apud Esaiam est [Esa.] positum, sic accipio. Non enim proprium est Prophetię eius, verba libri esse sigillata, neque legi ab eo qui nescit literas, quòd nesciat literas, neque ab eo qui scit, quòd liber sit obsignatus, sed totum istud de vniuersa scriptura verè enunciatur, vt quæ egeat verbo, quod clausit vt aperiat.* Ipse enim claudet, & nullus aperiet, ac vbi aperuerit, nullus iam dubitationem poterit ipsius declarationi afferre. Proinde subiicitur, aperiet, & nullus claudet. Similiter etiam illud Ezechielis de libro interpretor, in quo scripta erat lamentatio, & melos, & væ. Nam vniuersi libri complectuntur pereuntium væ, infælicitatémque, & saluorum atque fœliciter habentium melos, & eorum qui medio quodam in statu versantur lamentationem. Quin & Ioannes deuorans vnum caput, in quo scripta erant quæ intus & foris, vniuersam scripturam intellexit, quę veluti vnus liber dulcissimus in principiis consideratus, cum quis eam commanducat, amarus autem intelligentium conscientię, quam quisque de se proditam & patefactam videt & sentit. Ad huius demonstrationem addam dictum Apostolicum à Marcionitis minimè intellectum, qui proinde contemnunt Euangelia. Nam dum ait Apostolus, secundũ Euangelium meum in Christo Iesu, non autem, secundum Euangelia, isti insistentes aiunt Apostolũ singulari numero E dixisse Euangelium, quasi non plura essent Euangelia: non intelligentes, vt vnum est quod euangelizant plurimi, sic potestate & virtute vnum esse Euangelium à multis descriptum. Et quidem verè per quatuor vnũ est Euangeliũ. Si igitur hæc persuadere vos possunt, quid tandem sit vnus liber, & quid multi, nunc magis sum sollicitus, non quidẽ propter multitudinem eorum quæ scribuntur, sed propter virtutem eorum quæ intelliguntur, ne grauiter labar transgressione præcepti, si aliquid præter veritatem, quasi veritatem exponam, etiãsi in vno id faciam scripto. Illic enim scribam libros multos. Et nunc verò cùm prætextu sciẽtiæ insurgant in Christi Ecclesiam alienæ opinionis homines, qui & multorum librorum cõpositiones circũferant, promittentes Euangelicarum & Apostolicarum ordinationũ explicationem, si taceamus, nec ipsis salutaria & vera dogmata exponamus, animarum lucernas obtinebunt, quæ alimenti salutaris inopia, ad vetitos accelerant, & verè impuros atque execratos cibos.

** Ipse ad filiũ Dei refertur, qui intelligebatur nomine verbi.* — *Ezech.* — *Medius status.* — *διατάξεων.*

Quocirea necesse est, vt mihi videtur, eum qui potest intercedere pro ecclesiastico verbo sine corruptela, & conuincere qui sibi vendicant falsi nominis scientiam, sese sistere contra hæreticorum figmenta, & vicissim conferre euangelicæ prædicationis sublimitatem cum veteri Testamento quod vocatur comparatione Testamenti recentis. F Ipsa igitur penuria denunciantium meliora, minimè ferẽs absurdam & priuatã fidem tua erga Iesum dilectione, tradideras aliquãdo te ipsum verbis, a quibus postea data tibi intelligentia vsus, prout decebat, damnata hæresi discessisti. Hæc autem cõmemoro, vt quatenus mihi videtur, patrociner iis qui dicendo & scribendo valent, & de me ipse rationem afferam, ne audacius memet ipsum ad dicendum tradã, cùm illo non sim habitu, quo esse oportet eum, qui à Deo dignus noui Testamenti, non quidem literæ, sed spiritus minister efficitur.

Locus non satis integer in Græco. — *Ambrosius aliquando Marcionita.*

Sacram Scripturam vnum Dei esse instrumentum perfectum & accommodatum.

CAP. VI.

E 2. tomo in Matthæum, ad illud, Beati pacifici

Tomus iste intercidit.

HVIC autem vtroque modo pacifico nihil est in diuinis oraculis prauum & tortuosum. Omnia enim intelligentibus ante oculos ponuntur. Ac quoniam tali nihil est prauum neque tortuosum, idcircò multitudinem pacis cernit in vniuersis scripturis, etiam iis,

G quæ inter se pugnare & contradicere videntur. Fit autem tertius pacificus, qui aliis apparentem repugnantiam scripturarum, non esse repugnantiam docet, & exponit concordiam & pacem veterum cum nouis, aut Legalium cum Propheticis, aut Euangelicarum cum Euangelicis, aut Euangelicarum cum Apostolicis, aut Apostolicarum cum ipsimet Apostolicis. Etenim vniuersæ scripturæ secundum Ecclesiasten sunt sermones sapientum quasi stimuli, & quasi claui plantati: qui ex pacto dati sunt ab vno pastore, & nihil ex ipsis superuacaneum. Vnus autem pastor rationalium est verbum, quod speciem quidem habeat repugnantiæ iis, qui auribus ad audiendum carent, at re vera maximè congruit & consonat. Nam vt differentes Psalterij vel Citharæ fides, quarum vnaquæque proprium quendam sonum, qui & minimè videatur sono alterius consentiens, perficit, existimantur à Musicæ imperito, & ignorante musicæ consonantiæ rationem, inter se discordare propter sonorum dissimilitudinem: sic qui nesciunt intelligere Dei in sacris scripturis conuenientiam, & côcinnitatem putant non côgruere veterem nouæ, aut legi Prophetas, aut Euangelia inter se, aut Apostolum Euangelio, aut sibiipsi, aut aliis Apostolis. At in medium procedens peritus aliquis diuinæ musicæ, sapiens operibus & sermonibus, ideóque appellatus Dauid, qui interpretatur sufficiens siue idoneus, manu perficiet sonum diuinæ musicæ, ab

H ea discens opportunè pulsare fides, nunc legales, nunc côgruentes ipsis Euangelicas, modò Propheticas, modò cum ratio postulat, eiusdem cum ipsis toni Apostolicas, præterea etiam Apostolicas Euangelicis consonanter. Nam nouit perfectum esse & accommodatum instrumentum Dei vniuersam scripturam vnam è diuersis sonis salutarem vocem discere cupientibus conficiens, sedantem & prohibêtem omnem praui spiritus efficaciam, quemadmodû Musica Dauidis sedauit atque compescuit prauum spiritum, qui Saulem vexabat & suffocabat. Cernis igitur etiam tertio modo Pacificum eum, qui conuenienter scripturæ, eius vniuersæ pacem perspicit, & rectè loquentibus atque ingenuè germanéque indicantibus conciliat.

Pacificus tertij modi. — *Eccles. 12* — *λόγος.* — *ὢν, non ὄν*

DE PERSONARVM DIVINAE *scripturæ proprietate.*

CAP. VII.

Nô extat. *E primo tomo in Canticum, quem adolescens scripserat.*

NON percipienti distinctionem personarum diuinæ scripturæ, cùm loquentium, tum auscultantium, oratio multam præbet confusionem, dum quærit quænâ persona loquatur, quæ-

I nam audiat. Ac interdum persona loquens abiit, cùm sæpè altera, ad quâ fit sermo, seruetur & retineatur, & alia ad eandem loquatur, aut contrà manet persona loquês, cum ea ad quam erat sermo, non amplius audiat, sed dictû tertia quædam excipiat. Interdum ambæ mutantur, tam loquens, quàm eloquium excipiêa, aut si adhuc ambæ manent, non apertè videntur manere. Quid autem attinet exempla requirere singulorum, cùm Prophetæ omninò istorum differentia sint pleni: quæ etiam causa est non vulgaris, cur obscuritas dictorum non sit distincta. De more præterea habet scriptura, celeriter transilire à tractatione vnius ad alterius tractationem: Et id obscurè atque confusè maximè Prophetæ faciunt.

Præterea è quarta Homilia in Acta Apostolorum.

Intercide-runt.

Act. 1 " OPortebat impleri scripturam, quam prædixit
" Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda. In quo
" Psalmo de Iuda scriptum est, inquiet aliquis,
Non Spiritus sanctus loquitur? Perspicuè Sal-
Psal. 68. uatoris verba sunt hæc, Deus laudem meam ne tacueris.
100. Quoniam os peccatoris & os dolosi super me apertum est, &c. Vsque ad, & episcopatum eius accipiat alter. Quo K
pacto igitur, si hæc dixit Saluator, ait Petrus, Oportebat "
impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os "
Dauid? Nonne igitur, quod hic docemur, tale est? Personam assumit variam Spiritus sanctus apud Prophetas: ac si personam assumit Dei, non iam qui loquitur, Deus est, sed Spiritus sanctus sub persona Dei loquitur. Si personam assumit Christi, non est Christus qui loquitur, sed Spiritus sanctus Christi nomine loquitur. Sic si personam induat Prophetæ, aut populi huius, illius, aut quiduis aliud simulet, Spiritus sanctus est qui omnia ista alieno habitu efficit.

Dei nomine, Patrem intellige.

NON TENTANDVM CORRIGERE *quæ videntur in Scriptura sapere solœcismum, nec seruari secundum scriptum cohærentem sententiam, cùm eam multum retineant apud eos qui intelligentia pollent.*

CAP. VIII.

E Commentariis in Osee. *Nô extât.*

QVONIAM quæ solœcismi forma dicuntur in scripturis, sua locutione lectorem confundunt, ita vt verba existimentur dicta neque rectè neque co- L
hærenter, neque vt leges habet, scripta, vt & audeant aliqui emendationis obtentu immutare, transponentes insitam intelligentiam in ea, quæ videntur cohærêtes scribi: necessariò etiam hîc, cùm tale quippiam accidat, quâtum apparet è propositorum verborum contextu, latentem in ipsis mentem videamus. Pluraliter enim fatus, fleuerunt & orarunt me: quin & consequentia plurali numero enûtians, In domu inuenerunt me; mox vsurpat singularem, & ibi* locutus sum ad eum. Nam ad simplicem locutionem attendens, erratum esse arbitratus, aut extrema verba etiam pluraliter scribet, aut præcedentia in singularem transmutabit. Vbi enim legerit, fleuerunt & orarunt me, & in domo inuenerunt me, affirmabit in sequentibus legendum, Et illic locutus sum ad eos: flentes scilicet & orantes, & dumi Deum inuenientes. At ex obseruatione dictorum similium etiam istud dici consentaneè demonstrabimus. In Genesi Deus præceptum dans Adamo, sic inquit: de omni ligno paradisi in cibum comedes, de ligno autem notitiæ boni & mali non comedetis. Quacunque verò hora comederitis ex ipso, morte moriemini. Illic etiam orsus à singulari, dum dixit, de omni ligno Paradisi in cibum comedes, infert pluraliter, de ligno autem notitiæ boni & mali non comedetis: quacunque verò hora comederitis de ipso, morte M
moriemini. Nam de præcepto, per cuius obseruationem ipsum in vita conseruari velint, singulariter præcipit, & ait, de omni ligno paradisi in cibum comedes: quoniam qui secundum Deum ambulant, & mandatis eius insistût, etiamsi multi sint hoc ipso quod consentiant, multi vnum sunt. Proinde cùm de bono præceptum datur, singulariter dicitur, in cibum comedes: at cùm de transgressione disceptatur, non iam singulariter, sed pluraliter, Non comedetis ex eo: quacunque verò hora comederitis, morte moriemini. Sic igitur etiam hic. Quando flent & precantur ad Deum, plurali numero dicitur, fleuerunt, & orauerunt: quando autem Deum inueniunt, non adhuc pluraliter, illic locutus sum ad eos, sed ad eum. Iam enim vnum fiunt multi, cùm Deum inuenerunt, & verbû eius audiunt. Quippè vnus cum peccat, multitudinis rationê induit, abscissus à Deo & diuisus, atq; ab vnitate excidês. Multi autê mandata Dei sectantes, vnus sunt, quemadmodum etiâ Apostolus testatur, dicens, Quoniâ vnus panis & *1. Cor. 10*
vnû corpus multi sumus. Rursum, vnus Deus & vnus Chri "
stus, & vna fides, & vnum baptisma. Et alibi, Quoniam *Ephes. 4.*
omnes vnum sumus in Christo Iesu. Rursum, despondi enim "
vos omnes vni viro virginem castam exhibere domino. *2. Cor.*

Osee. — ** Locutus est, in Græco.* — *Gen. 2.*

Ac sanè

A Ac sanè eos qui placent domino, vnum esse, è prece quam *Ioan. 17.* Saluator habuit ad Patrem de suis discipulis, cernere licet. Pater (inquit) sancte, da vt quemadmodum ego & tu vnû sumus, sic & ipsi in nobis vnum sint. Præterea cùm etiam Sancti inter se membra dicantur esse, quid aliud nisi vnum corpus sunt? Quinetiam in Pastore, fabrica turris, quæ *Liber Pastor appellatus.* multis quidem lapidibus ædificatur, & vnius lapidis videtur ædificium, quid aliud declarat quàm multorum consonantiam & vnitatem?

QVAE RATIO, CVR SACRA *Scriptura diuersis significatis idem nomen frequenter vsurpet, & eodem loco.*

CAP. IX.

E tomo nono in Epistolam ad Romanos, in illud, Quid igitur lex, peccatum?

NON quemadmodum vnum est nomen lex, ita & vna ratione & significatione vbique in scriptura accipitur. Proinde vnoquoque in loco accurata & diligenti animaduersione opus est, vt quid illo loco significetur legis B nomine, quid illo intelligatur. Idem iudicium de pluribus alus. Nâ homonymæ sunt etiam in scriptura pleræque aliæ voces, quę mentem confundunt existimantium sic vnum esse significatû, quemadmodum vnum est nomen, in quocunque tandem illud enuntietur. Quod autem legis nomen non de eodê, sed de pluribus constituatur, prętermissis multis apparatu etiam egentibus, & habentibus antypophoram solutione indigentem, exponamus quæcunque aliquo modo negotiû possint facessere, veluti legis vocabulo in pluribus posito. Exêpli gratia, cùm in epistola ad Galatas dicitur, Qui- *Gal. 3.* conq; enim sunt ex operibus legis, suot sub maledictione. Scriptum enim, Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Perspi- *Lex vno modo quid.* cuè lex significatur, quæ secundum literam Mosis imperat facienda, prohibétque contraria iis qui ipsi subiiciuntur. Idem declaratur eadem epistola: Lex enim propter trans- *Gal. 3.* gressionem posita est, donec veniret semen quod promissum erat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. Et, Ita- *Ibidem.* que lex pædagogus noster fuit ad Christum, vt ex fide iustificemur. Vbi autem venit fides, non iam sub pædagogo sumus. Omnes enim dei filij estis per fidem in Christo Iesu. *Lex altera, quid.* Significatur etiâ historia apud Mosem descripta legis nomine, quemadmodum ex eadem epistola licet percipere. *Gal. 4.* Dicite mihi qui sub lege esse vultis, legem non audiuistis? C Scriptum enim, quòd Abraham duos filios habuit, vnum ex ancilla, alterum è libera: sed qui erat ex ancilla, secundû *Psalmi, lex.* carnem natus est, qui autem è libera, per promissionê. Scio etiam Psalmos, legem nominatos, vt perspicuû ex hoc Euâgelico, Vt impleatur sermo qui in lege ipsorum scriptus *Esaias, lex.* est, quoniâ odio habuerunt me gratis. Quin & Esaiæ Prophetia lex apud Apostolum pronuntiatur. In lege (inquit) *Rom.* scriptum est, In altera lingua & labiis aliis loquar cû hoc populo, & ne sic quidem me audient, dicit dominus. Nam reperi verba his æquipollentia in Akylæ interpretatione. *Lex, secretior doctrina.* Dicitur etiam lex, secretior & diuinior legis perceptio, vt in illo Pauli, Scimus quia lex spiritualis est. Pręter hęc om- *Rom. 7.* nia dicitur lex, ratio secundum communes notiones insita *Lex, ratio.* animo, & vt loquitur scriptura, inscripta cordi, imperans quæ facienda sunt, prohibénsque contraria. Ac id quidem *Rom. 2.* liquet è Pauli dicto. Cùm enim gêtes, quæ legem non habent natura, quæ sunt legis, faciunt, ipsi legem non habentes, sibiipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium ipsis perhibente conscientia. Lex enim in cordibus scripta, & in ethnicis natura quæ sunt legis facientibus, non alia est à ratione, quá tenemus secundum communia sensa & notiones, mentibus nostris,

primariéque animorum parti inscripta, quæ & fit cum ra- D tionis perfectione quotidie planior & clarior. Hæc legis significatio locum habet apud Paulum dicentem, Non im- *Rom. 7.* putatur peccatum, cùm non est lex. Et, Peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam ante legem, Mosis peccatum ipsi Cain imputatum est, & iis qui diluuio interierunt Itêque Sodomitis & infinitis aliis: ac multi peccatum cognouerunt etiam ante Mosis legem. Nec mirare duabus notationibus vnum legis nomen eodem loco vsurpatum. Nam eiusmodi consuetudinem etiam in aliis scripturis repetiri licet. Verbi causa. Nónne vos dicitis, quia adhuc *Ioan. 4.* quatuor sunt menses, & æstas venit? Eleuate oculos vestros, & contemplamini regiones, quoniam albæ iam sunt ad messem. Bis enim messis nominata, primùm quidem ad messem corporalem refertur, deinde verò ad spiritualem. Simile reperies in curatione cæci à natiuitate, cui dominus corporaliter cæcitate affecto inquit, In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui *Ioan. 4.* vident, cæci fiant. Sic etiam nunc sine lege naturæ iustitia Dei manifestatur, at testimonium accipit à lege Mosis & Prophetis. Dixerim autem ad eos, qui duplicem significatum legis detrectant recipere, si eadem lex intelligitur, dum ait Paulus, Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestatur: & dum subiicit, Testimonium accipiens à lege & Prophetis: minimè à lege testimonium consequi. E siquidem sine lege manifestatur, nec sine lege manifestari, siquidem à lege testimonium consequitur. Igitur iustitiam Dei manifestatam à Iesu Christo, minimè quidem testatur naturæ lex, quippe quæ sit minor, sed Mosis, non quidem litera, verùm spiritus, itémque respondentes legis spiritui Prophetæ, ipsorúmque spiritualis oratio. Quocirca diligenter obseruandum lectoribus sacrarum literarum scripturas non omninò de iisdem rebus easdem vsurpare dictiones, idque partim ob homonymiam, partim ob tropologiam, interdum etiam propter elocutionis cohęrentiâ, exigentem vt alia in his, alia in illis dictione vtamur. Hoc si accuratè obseruemus, multis erroribus & prauis perceptionibus nos liberabimus. Sciendum igitur videndi vocabulum, non semper de eodem enuntiari: sed modò de conspectu corporeo, modò de intelligentia. Tenendum enim istud vniuersè, quòd cùm propositum sit spiritui Prophetico, & Apostolico Christi verbo, occultare, nec apertè veritatis sensa prostituere, sæpè à phrasi confunditur, neque vna consequentiæ cohęrentia dicitur, ne etiam indigni in suæ animæ iudicium inueniant, quæ ipsis conuenienter occultata sunt. Atque id sæpè causa est, cur vniuersa scriptura non habere constructionem neque consequentiam & ordinem videatur, præsertim Prophetica & Apostolica, & inter Apostolicas præcipuè ad Romanos epistola, in qua quæ sunt legis differenter nominantur, & in diuersis rebus ponuntur. Itaque Paulus in epistolę contextu non videtur suum retinere propositum. F

DE HIS, QVAE IN SCRIPTVra habere videntur aliquem lapidem offensionis & petram scandali.

CAP. X.

E 39. Homilia explanationum in Hieremiam, in illud, Non potuit Dominus ferre. *Hodiè tâtum extant. 14.*

SI quando legens scripturam, impingas cogitatione ad lapidem of- *Lego in Græco* fensionis, & petram scandali incu- *πρὸς τὸν λίθον, pro οὔτι καλῶ λίθῳ.* sa teipsum. Nam pro certo tene, lapidem hunc offensionis & petram scandali talem habere sensum, vt verum sit, quod dicitur, Qui crediderit, non confundetur. Crede primum, & sub scandalo, quod appellatur, multam sanctam vtilitatem reperies. Si enim nobis prohibitum est dicere verbû otiosum, velut daturis de ipso rationê iudicij die: si quâtum possumus, contêdimus omnia verba ab ore

G nostro procedentia, efficacia & actuosa reddere, tam in nobis loquentibus, quàm in ipsis audientibus, quid sentiendum de Prophetis? Nonne quoduis verbum ore ipsorum enuntiatum esse efficax? Nec mirandum omnia ipsorum verba opus efficere verbo congruens, cùm etiam opinor, omnis admiranda litera in dei oraculis conscripta, suá habeat vim & efficaciam, nec sit vllum iota aut vllus apex scripturæ inscriptus, qui vti potestate literarum scientibus, suum opus non præstet. Quemadmodum autem in herbis singulæ habent suas vires, siue ad valetudinem corporum, siue ad aliquid aliud, nec tamen omnium est scite, ad quam rem vnaquæque herba sit vtilis, sed eorũ duntaxat qui circa herbas versantur, adeò vt sciant quando sumpta, & quẽ ad lucum corporis adhibita, & quo modo parata vtentibus prosit: Sic herbarius, vt sic dicam, sanctus & spiritualis colligit è sacris libris vnumquodque iota & quodlibet elementum, inuestigátque literæ potestatem, & quorsum singulæ valeant, nihil eorũ quæ delineata sunt, prætermittit. Quod si lubet ad id alterum exemplum accipere, singula nostri corporis membra ad aliquem vsum à deo opifice effecta sunt. At non omnium est scite quæ cuiusque membri vsque ad minutula sit vis atque vsus. Qui enim circa corporum dissecationes occupantur, illi ipsi sunt qui possunt explicare ad quam vtilitatem membra singula, etiam minima, à prouidentia sint procreata. Cõsidera igitur
H mihi scripturas huc modo, quasdam esse herbas, aut vnum perfectum verbi corpus. Quòd si neque herbarius fueris scripturarum, neque sector propheticorum verborum, ne proinde puta aliquid eorum scriptum esse prætereundum, sed teipsum solum, non diuinas literas incusa, quippè qui minimè scriptorum rationẽ consequaris. Hoc à me procemium dictum est vniuersè, quòd vniuersæ scripturæ vtila esse possit, vt earum legendarũ studiosi ad nullam literam sine disquisitione & peruestigatione prætermittendam incitentur.

VNIVERSÆ SRIPTVRÆ EDVlium persequendum, & dicta ab hæreticis turbata infœlicibus quæstionibus minimè auersandum, aut superbè neglegendum, sed ab iis fructum citra infidelitatis turbas percipiendum.

CAP. XI.

E 2. tomo in Ezechielem.

In Ezechielem tantũ 14. Homiliæ extant.

HÆC dicit dominus, Ecce ego iudico inter oues, arietes & hircos. Nec
I satis vobis, quia bonum pascuum depascebatis, etiam reliquias pastionis conculcabatis pedibus vestris, & cõstitutam aquã bibebatis, & residuũ pedibus vestris turbabatis, & oues meæ cõculcationes pedum vestrorum depascebantur, & conturbatam aquam pedibus vestris bibebant. Postquàm proposuit de ouibus & arietibus, etiam de ouibus capris, quoniam solet scriptura ouem etiam in caprarum genere aliquando ponere, infert: Quid igitur iis innuatur, age, pro viribus disquiramus. Omnis, opinor, bona pastio, & omnis constituta aqua, vniuersa sunt diuinarum literarum oracula. Deinde quoniam aliqui quædam scripta habẽt pro vtilibus, quædam reprobant velut inutilia, miniméque salutaria, ij sanè sunt, qui depasta bona pastione eorum quæ delegerunt, & hausta constituta aqua, quam meliorem esse iudicabant, reliquum pabulum conculcarunt, & reliquam aquã pedibus suis cõturbarũt. Eiusmodi profectò sunt, qui nouum probant Testamentum, vetus reprobant. Item qui veterum literarum alia à diuiniore virtute & suprema profecta esse dicunt, alia ab imperfectiore. Oues autẽ proprias vocat Pastor eos qui non superbè negligunt pedum illorũ conculcationes, neque contemnunt aquam, vituperabiliũ ouium, hircorum, & hœdorum pedibus conturbatã. Oues enim de genere arietum dextris dignæ esse noluerunt. At

K nos qui optamus oues esse pastoris, nunquam pasci recusemus, & omnia inde quantumlibet dictione absurda, & propter dissonantiam locutionis conculcata ab iis, qui neque possunt neque volũt omni vti pastione, etiamsi aliqua aqua pedibus ipsorum fuerit conturbata, miscentium puro Scripturæ sermoni nefandas quæstiones, ne auersemur propter illam conturbationem, bibere etiam quod ipsorum pedibus fuerit conturbatum. Obserua autem diligenter ad turbantes aquam, & pastionem cõculcantes, vt de melioribus dici, Et oues meæ conculcationes pedum vestrorum depascebantur, & turbatam aquam pedibus vestris bibebãt. Sed nec vnquam pastionem propheticã conculcemus, neque aquam legalem conturbemus. Et cùm quidam peccent circa Euangelicam pastionem, & aquam Apostolicã, ita vt quædam Euangelica calcent, alia vt bonam pastionem depascant, & Apostolicorum omnia abiiciãt, aut partim approbent, partim reprobent, nos etiam tota Euangelia pascamus, nihilque illorum conculcemus, & Apostolica omnia bibentes, ea quãtum in nobis est, vt constitutam aquam seruemus, & nulla in re infidelitate conturbante, eos qui dicta nesciant intelligere conturbemus.

EI NON ESSE DEFICIENDVM in lectione diuinæ Scripturæ, qui obscuritatem diuinorum ænigmatum & parabolarum non intelligit. L

CAP. XII.

E 20. Homilia in librum Iosuæ.

SVmma vtilitas è lectione eorum existit, qui possunt veram sortitionem à Iesu distributam filiis Israël intelligere, & quantum valent ascendere ad terram sanctam, veram, verè bonam, & adaptare è dictionum nominibus ad sortientium differentias ea, quæ secundum loca memorantur. Quoniam autem sic affectũ inuenire difficile est, volumus audientes cõsolari, ne in lectionibus deficiant. Quæ igitur sit consolatio, ne audientes eiusmodi lectiones animo fatigentur, oportet dicere. Quemadmodum incantationes quandam vim habent naturalem, & incantator non intelligens accipit aliquid ex incantatione secundum naturam sonorum incantationis, siue ad noxam, siue ad curationem corporis aut animæ suæ, sic mihi cogita omni incantatione potentiorem esse nominũ in diuina scriptura positorum significationem. Sunt enim aliquæ virtutes in nobis, quarum aliæ præstantiores per istos veluti incantatores nutriuntur: ita ipsis cognatæ, vt nobis etiam non intelligentibus, virtutes illæ quæ dicuntur, intelligant, & potentiores in nobis ad vitam nostram adiuuandam efficiantur. Esse enim in nobis aliqua in- M
uisibilia, eáque plurima declarat Psalmus, cùm dicit, *Benedic anima mea dominum, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Sunt ergo multæ virtutes inter nos, sorte consecutæ nostras animas & corpora, quæ quidem si sanctæ extiterint, dum scripturæ leguntur à nobis, iuuantur, & validiores fiunt: & si mens nostra sine fructu fuerit, vt scriptum de lingua loquente, *Lingua mea orat, mens autem mea sine fructu est.* Intellige igitur, quia aliquando quidem fit mens nostra sine fructu, sed virtutes, quæ animæ nostræ & menti & nobis omnibus sunt auxilio, pascuntur & reficiuntur rationali sacrarum literarum & nominum istorum pabulo, nutritæque potentiores ad nobis opitulandum euadunt. Quemadmodum autem præstantiores veluti incantantur, & adiuuantur, & fiunt potentiores huiusmodi literis & nominibus, sic contrariæ potestates quæ in nobis versantur, veluti detrahuntur & vincuntur dei incantationibus, victæque sopiuntur. Ac si quis nostrum aliquando viderit incantamentis sopitam aspidem, aut aliquem alium serpentem venenatum, istud exemplum accommodet ad scripturã, qua lecta, miniméque intellecta, interdum languescit, maléque afficitur auditor,

Psal. 104

1. Cor. 14

A auditor, & credat aspides & viperas, quas intra se habet, remissiones curantium medicamentis effici. Verbi gratia, Mosis, sapientis Iosué, sapientum sanctorum Prophetarū. Ne igitur animis deficiamus, dum audim⁹ scripturas, quas minimè intelligimus, sed fiat nobis secundum nostram fidem, qua etiam credimus omnem diuinitùs inspiratam scripturam esse vtilem. Vnum enim è duobus te de scripturis admittere necesse est, aut eas minimè esse diuinitùs inspiratas, quòd non sint vtiles, vt existimat homo à fide alienus, aut, quemadmodum fidelis confitetur, quoniā sunt vtiles, diuinitùs esse inspiratas. Scire tamen oportet, nos minimè etiam sentientes plerunque rebus aliquibus iuuari. Exempli gratia, Sæpè cibum aliquem iubemur capere, qui vim acuendi aspectū habet, nec verò simulàtque eum sumimus, sentimus leuari oculum, sed die altero & tertio procedente, experientia sumpti cibi ad oculum conferentis nos cogit credere, huiusmodi cibum oculo esse vtilem. Quin & aliis cibis ad alia corporis membra conducentibus istud idem videre est. Sic igitur crede diuina scriptura tuam iuuari animam, etiamsi mens fructum vtilitatis literarum à sola tenui lectione minimè percipiat. Nostra enim incantantur, & quidem præstantiora aluntur, deteriora autem conficiuntur.

B

QVANDO, QVIBVSVE PHILosophicæ disciplinæ vtiles ad sacrarum Scripturarum interpretationem cum Scripturarum testimoniis.

CAP. XIII.

GAVDE in Domino, studiosissime & obseruandissime fili Gregori, Origenis nomine. Naturę bonitas, vt nosti, exercitationem consecuta, ad intelligentiam plurimùm valet, & ducit ad finem illius rei, quam quis vult exercere, quatenus est possibile, vt sic loquar. Potest igitur tuæ naturæ bonitas te Romanum iurisconsultum perfectum efficere, & Gręcum aliquem Philosophum earum sectarum, quæ existimantur eloquentissimę. At ergo te cunctis tuæ præstantis naturæ viribus & facultate vti velim, per modum quidem finis ad Christianam doctrinam: efficaciter autem propterea optauerim te etiam assequi Philosophiæ Græcorum circulares disciplinas, aut primas institutiones, quæ scilicet valent ad Christianismum. Quin & Geometrica & Astronomica ad sacrarum literarum explanationem conferunt. Vt quod aiunt Philosophorum æmuli de Geometria &
C Musica, Grammatica & Rhetorica, atque Astronomia, veluti Philosophiæ adminiculis, istud nos asseramus etiam de ipsa Philosophia, Christianæ sapientiæ comparatione. Et fortassè id tacitè indicat, quod scribitur in Exodo, persona Dei, vt dicatur filiis Israel Poscant à vicinis & contubernalibus vasa argentea & aurea, itémque vestes, quò spoliatis Ægyptiis, materiam consequantur ad apparanda ea quæ ad diuinum cultum pertinent. Nam ex iis quæ detraxerunt Ægyptiis Israëlitæ, quæ erant in sancto sanctorum, confecta sunt, arca cum operculo, Cherubim, propitiatorium, vrna aurea, in qua repositum māna Angelorum cibus. Atque hæc quidem è præstantissimo Aegyptiorum auro confecta esse probabile est. E quodam autem secundo auri genere solidum Candelabrum planè aureum, prope interius velamen, & lucernæ ipsi impositæ, & aurea mensa, super qua propositionis panes collocabantur, & inter vtraque aureum Thuribulum. Quod si tertium & quartū aliquod aurum fuit, ex illo cōflata erant vasa sancta. quin etiam ex argento Aegyptio alia effecta sunt. Nam in Aegypto habitantes filij Israël id lucri ex illa habitatione sunt consecuti, vt tam pretiosa materia abundarent ad diuini cultus vsum. Præterea ex Aegyptiis indumentis verisimile est effecta quæcunque opus habuerunt opere, vt nominat scriptura, acu pingentium & consuētium, acu pingentium cum Dei sapientia vestimenta his illis modis, vt

fierent velamina, & atria interiora & exteriora. Sed quid D
me attinet intempestiuè digredientem exponere, ad quæ vtilia fuerint filiis Israël Aegyptiorum spolia? quibus Aegyptij quidem contra ius officiúmque vtebantur. Hebræi verò ob Dei sapientiam ad pietatem diuinumque cultum. Nouit tamē diuina scriptura, è terra filiorum Israel in Aegyptum descensum in malis ponere, tacitè innuens quibusdam malum esse versari cum Aegyptiis, id est, cum mūdi disciplinis, postquàm legi Dei fuerint inscripti, & Israeliticæ erga ipsum pietati atque cultui. Ader certè Idumęus quamdiu fuit in terra Israel, non gustatis Aegyptiorum panibus, idola minimè fabricauit. At quando fugiens sapientissimum Salomonem, descendit in Aegyptum, velut fugiens à Dei sapientia, cognatus effectus est Pharaonis, ducta vxoris ipsius sorore, & procreato filio qui inter Pharaonis filios educatus est. Itaque etsi rediit in terrā Israel, at rediit vt Dei populum scinderet, cúmque dicere faceret de aurea vitula, isti sunt dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Ac ego sanè expertus tibi affirmauerim raros esse, qui vtilitates Aegypti percipiant, & ex ea egrediantur, & conficiant quæ ad Dei cultum pertinent, multos verò, qui Idumęi Ader sint fratres. Isti autem sunt, qui è Græco discursu hæreticos sensus gignunt, & quasi vitulos aureos fabricant in Bethel, quæ interpretatur domus Dei. Videtur autem mihi verbum per ista obscurè indicare, quòd priuata commenta affinxerunt scripturis, in E
quibus Dei verbum habitat, tropicè appellatis Bethel. Cæterùm aliud figmentum & idolum, vt inquit verbum Dei, in Dan repositum est.

Termini autem Dan extremi sunt, & prope gentiles terminos, quemadmodum constat è Iosue filij Nun commentario. Igitur propinqua sunt gentilibus terminis quædam figmenta, quæ Ader Idumæi fratres, vt tradidimus, confinxerunt. Quocirca honorande fili, præcipuè attende 1. Tim. 4.
diuinarum scripturarum lectioni, sed attende. Vt enim multa attentione legamus diuina, opus nobis est, ne nimis temerè aliqua effutiamus, aut de ipsis æstimemus. Et attendens rerum diuinarum lectioni cum fideli Deóque digna cogitatione, clausa ipsius pulsa, & tibi à ianitore ape- Ioan. 10.
rietur: de quo dixit Iesus, Huic ostiarius aperiet. Et attendens diuinæ lectioni rectè quære, & cum fide in Deum firma, diuinarum literarum intelligentiam multitudini occultam atque obstrusam. Verùm ne tibi satis sit pulsare & quærere. Nam maximè necessaria etiam ad res diuinas intelligendas oratio: ad quam cohortans Saluator, non solùm dixit, Pulsate & aperietur vobis: &, quærite, & inuenietis: sed &, Petite, & dabitur vobis. Hæc pro mea paterna erga te dilectione ausus sum. An rectè sim ausus, nécne, Deus nouit, & Christus ipsius, quique Spiritu dei & Spiritu Christi participat. Vtinam autem etiam tu participes, & participationem semper augeas, vt non modò dicas, participes Christi effecti sumus, sed & participes Dei.

Oratio necessaria ad intelligēdas scripturas.

F

QVI NOLVNT CIRCA VERITATEM in intelligendis diuinis scripturis falli, necesse habent logicas rationalésue disciplinas ad vsum congruentes cognoscere, videlicet primas Institutiones, sine quibus accuratio significatorum non potest rectè constitui.

CAP. XIIII.

E tertio tomo in Genesim. *Nō extat.*

ET fecit duo luminaria magna. luminare maius in principatum diei, & luminare minus in principatum noctis, & stellas, & posuit ea Deus in firmamento cœli, vt lucerent super terram, & præessent diei & nocti. Quærendum certè, an idem

G sit in principatum noctis, & , Vt principetur nocti. Etenim Akyla conuenientiam seruanit, ponés loco In principium noctis, in potestatem: pro, Vt principetur, vt potestatem exerceat. Aiunt autem, qui solliciti sunt de significatorum inuestigatione, in locis habétibus appellationum siue nominum & prędicatorum coniugationem, præponi appellationes, sequi prædicata. Appellationem prædicatum habentem dicunt esse sapientiam, prędicatum sapere: similiter temperantiam & temperare. Ac præcedere aiunt sapientiam, deinde prædicatum accedere, vt à sapientia sapere. Hæc, quamuis nonnullis videamur præter scripturæ mentem tacere, obseruauimus. Quoniam effector luminarium deus, luminare maius facit in principatum diei, minus in principatum noctis, at ipsa in firmamento cœli locat, non iam in noctis diéique principatum, sed vt principetur diei & nocti. Quodam enim ordine & consequentia artificiosæ inflexionis, secundum locum positas esse appellationes siue nomina, deinde inferri prędicata imputet nos ne res sic habere etiam apud famulum existimaretur. Maximè quoniam Akyla, qui maximè propriè interpretari contendit, non aliud posuit pręter nomen & prædicatum. ¦ Cæterùm sciat qui hoc ægrè accipit, possit ne sententiam moralem aut philosophicá, aut theologicam pręberes, quemadmodum oportet citra accuratam significatorum & logico loco illustratorum notitiam. Nam quid absurdi est propriè dicta in vsitatis

Nomina & prædicata.

Cōtra eos qui minutias significationū negligūt.

H linguis percipere, diligentérque rebus significatis insistere? Alicubi enim ex ignoratione logicæ grauiter labimur, dum multiplicia, ambigua, catachreses, proprias locutiones, distinctiones minimè discernimus. Exempli causa, Ignoratione homonymiæ nominis Mundus, inciderunt a-
" liqui in sceleratas sententias de summo opifice, non discer-
nentes de quo diceretur istud Ioannis, Mundus in maligno
" positus est: quasi de cœlestibus & humanis istud sic prænunciaretur. Arbitrati enim mundum iuxtam ipsam vocem significare rem è cœlo, terra, & intrà positis confectam, audacissimè & sceleratissimè pronuntiant de Deo, cùm nullo modo possint reipsa ostendere, qui sol, luna, stellæ, quæ tam rata proportione vertuntur, in maligno
" sint posita. Deinde si ipsis adducamus, Iste est agnus Dei
" qui tollit peccatum mundi: quod mundus, vbi peccatum abundat, iuxta has locutiones dicitur, de cœlestibus & sublimaribus locis, conscientia admittent quę dicuntur, at altercantes pueriliterque sese vertentes, semel indicatis de-
" cretisque flagitiis immanebunt. Præterea si obiciatur,
" Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi: non adhuc poterunt, quod susceperunt de vniuerso mundo, hoc est, de iis quæ toto mundo consistunt, secundum suas ipsorum hypotheses & proposita ostendere. necessariò enim

1. Ioan. 6

Ioan. 1.

Ephes. 1.

I huiusmodi dictio quasi homonyma & ambigua, distinguenda est. Et verò circa ambiguitatem flagitiosarum perceptionum, & distinctionem punctorum, aliorúmque sexcentorum exempla non pauca conanti licet accipere. Hæc sumus quadam digressione persecuti, vt ostenderemus, etiam secundum nos qui uolumus circa veritatem decipi in intelligendis diuinis paginis, necessariò sciendam doctrinam logicam, quæ in vsum cadit, qua etiam nunc egimus ad inueniendam eorum quæ dicebãtur differentiam, de in principatum diei & noctis, &, vt principaretur diei & nocti.

ADVERSVM GRAECORVM PHILOsophos, diuinarum Scripturarum locutionis humilitatē vellicantes, & Christiana doctrina præclaras sentētias meliùs apud Græcos dici asseuerantes. præterea deforme esse Domini corpus dicentes. Item quæ diuersarum verbi formarum ratio.

CAPVT XV.

E tomo 6. & 7. contra Celsum, qui contra Christianos scripsit. K

SEXTVM hunc librum instituentes aduersum Celsi contra Christianos calumnias, debemus, sacer Ambrosi, contendere non aduersum Philosophica proposita, vt aliquis existimare posset. Proposuit enim complura è Platone maximé, quæ nobis cum aliis cōmunia facit, dum posiunt ab aliquo vel prudenti è sacris literis sumi, melius ipsa apud Græcos dici affirmans, etiamsi non referantur & eueniuntur de Deo, dei ve filio. Asseueramus igitur, cùm veritatis professoribus propositum sit prodesse quamplurimis mortalium, & pro humanitatis iure adducere quemlibet, non solùm eruditum, sed etiam indoctum, nec solùm Gręcos & Barbaros, sed multomagis quosuis agrestissimos & illiteratissimos cōuertere perspicuè formam dicendi cōmunem esse vsurpandã, quæ & quorumuis aures possit attrahere: Quotquot autem longū vale dicētes plebeiis hominibus, veluti mancipiis, minimeque idoneis, ad consequentiam orationis & benè ordinatæ doctrinæ percipiendam, rationem duntaxat habuerunt hominum in literis & disciplinis exercitatorum, isti in valde breue & angustum suam beneficentiam & communicationem contraxerunt. Hæc à me ideò dicuntur, quia Celsus & alij criminantur scripturarum in eloquēdo simplicitatem, quæ videtur obscurari cultioris elocutionis splēdore. Quoniam Prophetæ nostri, ipsi Iesus & eius Apostoli, vsi tententi fuerunt enuntiationis modo, quæ nō solum vera complecteretur, L sed etiam posset inducere plurimos, donec persuasi & attracti singuli pro viribus, ascenderent ad arcana simplici oratione expressa. Et sanè, si verum fateri oportet, pauca profuit, siquidem profuit, præclara & accurata illa Platonis & similium oratio, multò autem pluribus ista simplicitas hominum officiosè simul ac conuenienter plebi docentium atque scribentium. Itaque videre licet Platonem in doctorum duntaxat versari manibus, Epictetum autem etiam à quibuslibet impetum ad suam vtilitatem habentibus suspici, quòd se oratione ipsius proficere sentiant. Quæ quidem dicimus, non vt Platonem criminemur. Nam & ex eo multi homines magnam vtilitatem sunt consecuti. Verùm vt illustremus sententiam dicentium. Et sermo-
" meus atque prædicatio, nō in persuasibilibus humanæ sa-
" pientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, ne fi-
" des sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. [Est enim propria quædam demonstratio verbi diuinior Græca, è dialecticis præceptionibus desumpta, quam Apostolus vocat ostensionem siue demonstrationem spiritus & virtutis. Spiritus quidem propter Prophetias idoneas ad fidem cuilibet faciendam de rebus Christi: Virtutis verò propter prodigiosas virtutes, quas esse editas effici potest, M cùm ex multis aliis, tum quia earum vestigia adhuc seruantur apud eos qui iuxta verbi voluntatem viuunt.] Præterea etiam ait diuinus sermo, id quod dicitur non sufficere, etiamsi per se verum sit, & maximè credibile ad mouēdos humanos animos, nisi doctori diuinitùs concedatur vis quædam, & dictis eius adsit cœlestis gratia, quæ non sine deo inseritur expeditè loquentibus. Ait id Propheta sexagesimo septimo Psalmo, Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Itaque vt demus quædam placita nobis esse cum Græcis commonia, at illa non tantundem valent ad conuertendas & afficiendas animas. Quo factum, vt idiotæ, quantum ad Græcam Philosophiam attinet, discipuli Iesu peragrando multas orbis nationes, afficerent eas, prout verbum postulabat, pro dignitate auditorum, qui quanto impetu liberi arbitrij erant ad bonum percipiendū procliuiores, tantò proficiebãt ij meliùs. Proinde sequantur veteres homines & sapientes, qui eos possunt assequi, doceat Plato Aristonis filius de primo bono, scribat in quadam epistola primum bonum planè esse ineffabile, sed post multam coniunctionem repentè ab eo, velut à flamma, lumen in anima accendi atq; ardere.

1. Cor. 2.

Hæc in libris cōtra Celsum versis nō habentur.

Miracula in Ecclesia.

Psal. 67.

Quibus

A Quibus auditis, nos qui studemus multis præclarè dictis aduersari, etiamsi eorum auctores alieni à fide extiterint, neque cum ipsis contendere, neque sana euertere, vt rectè perditis assentimus. Deus enim & hæc, & quæcunque alia præclarè dicta eis manifestauit. Quapropter dicimus eos, qui vera de Deo conceperunt, nec vt Deo debitum cultum verè tribuerunt, subiacere peccantium supplicus. *Rom. 1.*

Ibidem. De his enim hoc planè modo loquitur Paulus, Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum, veritatem in iniustitia detinentium, quia quod notum Dei, manifestatum est illis. Nam Deus ipsis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Tenent igitur veritatem isti, vt nostrum testatur verbum, qui sentiunt primum bonum esse ineffabile, & post multam consuetudinem repentè, velut à flamma lumen, in anima accensum ipsum à seipso, deinde ali. Verùm qui talia de primo bono scripserunt, descendunt in Pyreum, adoraturi vt Deum Dianam, & spectaturi celebratam à plebecula celebritatem: & vbi sic egregiè de anima sunt philosophati, & disseruerunt de eius post actam præclarè vitam transitu & fœlicitate, derelicta magnitudine eorum, quæ ipsis Deus manifestauit, abiecta paruáque sentiunt, & Gallum Aesculapio voto tribuunt: ac vbi inuisibilia Dei & Ideas imaginati sunt è creatura mundi, & rebus sub sensum cadentibus, à quibus ascendebant ad ea quæ intelligentia percipiuntur, sempiterna ipsius virtute diuinitateque non obscurè perspecta, euanuerunt nihilominus in suis cogitationibus, & cor eorum quasi insipiens volutatur in tenebris & ignoratione veri Dei cultus. Ac licet videre magnificè de se sentientes sapientiæ Theologiæque nomine simulachrum imaginis corruptibilis hominis adorare, in honorem (inquit) illius: interdum etiam delabi cum Aegyptiis ad volatilia, aut quadrupedia, aut reptilia. Vt autem videantur aliqui ista superasse, at inuenientur certè mutasse Dei veritatem in mendacium, ac venerabundi coluisse creaturam plus quàm creatorē. Proinde Græcorum sapientibus & disciplinarum studiosis, operibus suis circa numen errātibus: Elegit Deus stulta mundi, vt confunderet sapientes, & ignobilia & infirma, & cōtempta, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret, vt vera ne glorietur omnis caro in conspectu domini. Cæterùm primi nostri sapientes, Moses antiquissimus, eúmque subsequuti Prophetæ, planè ineffabile cognoscentes primum bonum, scriptis tradiderunt, Numine veluti sese dignis & idoneis manifestante, Deum, verbi gratia, apparuisse Abrahæ, Isaac & Iacob: sed quia in essentia, & qualitate, & modo, & parte, exquirendum reliquerunt his qui possunt exhibere semetipsos iis persimiles, à quibus ipse conspectus est, non corporis oculis, sed puro corde. Etenim iuxta nostrum Iesum, Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quòd autem repentè veluti à flamma exiliente, lumen accendatur in anima, multò antè in scripturis dictum est per Prophetam, illuminate vobisnetipsis lumen notitiæ. Sed & Ioannes multo post dixit, in verbo vita erat, & vita erat lux hominum, quod lumē verum illuminat omnem venientem in verum & intelligibilem mundum, cúmque facit lumen mundi. Effulsit enim istud lumen in cordibus nostris, ad illuminationem Euangelij gloriæ Dei in persona Christi. Proinde inquit Propheta vetustissimus multis ante Cyri imperium seculis vaticinatus, Dominus illuminatio mea & saluator meus, quem timebo: Et, Lucerna pedibus lex tua, lumen semitis meis. Et, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Et, In lumine tuo videbimus lumen. Quin & cohortans ad hoc lumen nos Esaias, Illuminare, illum (ait) Hierusalem. Nam venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Idem vaticinans de Dei aduentu, auocantis ab idolorum & simulachrorum & dæmonum cultu ait: Sedentibus in regione & vmbra mortis, lumen ortum est illis. Rursum, Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Cerne igitur discrimen eius, quod dictum est præclarè à Platone de primo bono, & quod dictum per Prophetas de lumine beatorum, ac considera vt vera de eodem Platonis sententia, nihil ad sinceram pietatem profuerit auditoribus, ac ne ipsi quidem qui sic de primo bono est philosophatus. Diuinarum autem literarum humilis locutio afflatu diuino affecit germanos eius lectores, apud quos alitur istud lumen oleo in quadā parabula commemorato, lampadum lumen in quinque prudentibus virginibus seruante.

1. Cor. 1. — *Genes. 18. & seqq.* — *Deum qui nam viderint.* — *Matt. 5.* — *Ioan. 1.* — *2. Cor. 3.* — *Psal. 118.* — *Psal. 4.* — *Socratem perstringit.* — *Celsus scilicet.* — *Esa. 60.* — *Esa. 4.* — *Matt. 25.*

D

★ Post hæc age dispiciamus sequentē ipsius Celsi sermonē, sic se videlicet habentē: Habēt etiā istud mandatū, iniuria afficientem non vlcisci. Si percusserit (inquit) vnam maxillam, præbe ei & alteram. At priscum istud est admodum, & longè ante traditum, verùm agrestiùs ab ipsis memoratum. Nam etiam à Platone Socrates inducitur sic cum Critone disputans. Nullo igitur pacto iniuriam inferre oportet? CRITO. Nullo igitur iniuria affecto iniuriam rependere, vt vulgus existimat: quandoquidem nullo modo simpliciter iniuriā inferre oportet. &c. Ad hæc & reliqua omnia, quæ cōmunia interimus facit Celsus, dum nō potest veritatem ipsam ex aduerso contueri, affirmans ipsa etiam apud Græcos esse prodita, respondēdum. Si vtile est placitum, & sententia eius sana: commemorata autem fuit a græcis quidem apud Platonem, aut aliquos alios sapientes Græcos, a Iudæis verò apud Mosem aut alium Prophe[tam], a Christianis autem in oraculis Iesu Christo inscriptis, aut apud aliquem Apostolorū pronuntiatis, non existimare oportet dictum apud Iudæos aut Christianos ideò esse reprehendendum, quòd apud Græcos idem habeatur: præsertim si demonstretur Iudaica Græcis esse antiquiora. Neque rursum quod dicitur præclara Græcorum oratione, vllo modo existimandū esse præstantius eo quod humilius, & simplicioribus dictionibus apud Iudæos & Christianos est enūciatum: quāquam prima Iudæorum locutio, qua vsi Prophetæ, nobis reliquerunt Biblia, hebraico eloquio & sapienti compositione, iuxta linguæ apud illos vsitatæ elocutionem conscripta est. Quòd si easdem sententias, etiamsi paradoxum videatur, ostendendum est præclarios dici apud Iudæorum Prophetas, aut in Christianorum oraculis, sic instituetur disputatio, sumpto ab alimentis & eorum apparatu exemplo. Esto aliquis salubris cibus: qui & vires edentibus afferat. Illum sic paratum, huiusmodique condimentis imbutum accipiant, non quidem insoliti ea esitare rustici, & in caulis educati & pauperes, sed soli diuites & delicati. Plebecula autem infima comedat alium cibum, non quidem hoc & illo modo, vtque nitidioribus videtur paratū, sed vt consueuerunt pauperes & agrestiores, & vulgus hominum. Si igitur concedatur tali apparatu eos, qui existimantur nitidiores, solos conualescere, nullo è plebe ex huiusmodi victu vtilitatem capiente, at ab istiusmodi alio vulgares homines salubriùs agere, quosnam potius benignitatis & communicationis nomine salubrium ciborum gratia recipiemus? Vtrum eos qui diuitibus vtiliter illa pararunt, an eos qui multitudini? Detur enim parem sanitatem & firmam habitudinem effici cibis vtcunque modo paratis, certè humanitatis & communicationis officium subiicit, cōmunitati vtiliorem esse medicum, qui multorū quàm qui paucorum duntaxat sanitati prouidet. Si comprehendis exemplum, ad rationalis rationalium animalium cibi qualitatem. Vide num Plato & Græcorum sapientes, in iis quę pręclarè dicunt, sint similes medicis, lautiorum tantùm valetudini prouidentibus, plebem negligentibus, Iudæorum autem Prophetę, & Iesu discipuli, varia elocutionis pigmenta, & hominum (vt Scriptura loquitur) sapientiam, sapientiam secundum carnem à lingua obscure & ænigmaticè enuntiatam, comparari debeant cum illis medicis ad multitudinis sanitatem ciborum qua-

E F

Hæc desiderantur 6. lib. contra Celsum. — *πρὸς ἐμέ lego non περί.* — *Accommodatio exempli.*

G litatem saluberrimam procurantibus, dum illorum sapiẽtia sic verborum structura paratur & ordinatur, vt ad multitudinem hominum perueniat, neque eorum locutionẽ peregrinã reddat, neque peregrinitate deterreat auditores ab huiusmodi colloquio velut insolenti & inusitato. Nã si propositum est, vt sic dicam, rationali esca patientem & mitem reddere comedentem, quo pacto non erit præstantior oratio, quæ plurimos malorum tolerantes & mites efficit, quàm quæ paucissimos numeratúque faciles, proficientes in eiusmodi virtutibus, & vt istud concedatur, malorum patientes & mites reddit? Quemadmodum sanè si quis Græcus Aegyptiorũ & Syrorum æmulos vellet sanis dogmatibus imbuere, prudenter mallet discere audientiũ loquendi formulas, & vt Græci aiunt, Barbarizare ad Aegyptios & Syros in melius vertendos, quàm Græcus persistens, nihil vtile Aegyptiis & Syris posse dicere. Sic prospiciens diuina natura, non iis tantùm qui existimantur in Græcis disciplinis instructi, sese accommodauit ad rudiorum multitudinis audientium captum, vt vsitatis vtens locutionibus, idiotarum & illiteratorum promiscuum vulgus ad auditionem prouocaret, qui valent, post semel percepta elementa profundiora, sensus in Scripturis reconditos comprehendere. Nam cuilibet illas legenti perspicuũ, multa habere posse profundiorem intelligentiam, quàm quæ prima superficie apparet, semetipsos inuestigandis his H sententiis consectantibus manifestatam, atque cognitam pro otij ad id collocati ratione, & quatenus quis animi sui vim atque aciem exercet. Coofectum est igitur, cum qui sic paulò agrestiùs dixit, vt quidem sentit Celsus, Percutienti te in vna maxilla, præbe ei & alteram. Et, volenti tecum iudicio contendere, & tunicam tuam accipere, dimitte ei & vestem: vux vberiorem sermonem fudisse & adhibuisse, quàm in Critone Plato, quem ne quidem percipere idiotæ possunt, sed via mediocriter docti, nondum eximiã Græcorum Philosophiam consecuti. Præterea considerandum mentem de malorum tolerantia minimè corrumpi hac locutionis simplicitate, sed etiam in hoc sycophantam agere Celsum contra Dei verbum, dum ait, Sed de iis, & aliis quæ corrumpunt, hæc satis sint dicta.

Matt. 5.

Rursum sexto tomo contra Celsum. Deforme corpus Domini prædicantem his verbis.

POST hæc ait Celsus, Quoniam diuinus spiritus erat in corpore, omninò differre ipsum à reliquis oportebat, aut magnitudine, aut pulchritudine, aut fortitudine, aut stupore, aut dicendi gratia. Nam fieri nequit, vt qui plus habebat diuinitatis quam alij, nihil aliis præstaret. Tantum autem abest, I vt alterum vlla in re excelluerit, vt ipsum paruum & deformem, & ignobilem extitisse dicant. Videtur sanè in his, quando Iesum vult criminari, quasi scripturis credere, quæ ipsi reprehensionis occasionem præbere videntur, indéque afferre testimonia. Vbi autem secundum easdem scripturas, contraria videntur dici iis, quæ in reprehensionem incurrunt, se ea nescire simulat. Pro confesso igitur scriptum est, deforme extitisse Iesu corpus, non tamen, vt exponit, etiam ignobile, sed nec apertè paruum fuisse ostenditur. Verùm oratio sic apud Esaiam de ipsius aduẽtu sine venusta specie, & nimis insigni pulchritudine vaticinantem rexitur. Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Annuntiauimus quasi paruulum in conspectu eius, vt radix in terra sitienti. Non est forma ipsi, neque pulchritudo, verùm forma ipsius sine pretio, & deficiens, præ filiis hominum. An igitur ista audiuit Celsus, quando sibi esse vsui ad criminandum Iesum putat? At nondum in quadragesimo quarto Psalmo de dilecto pronuntiatis intendit, quo pacto dicitur, Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè. Specie tua & pulchritudine tua intende, & prospere, & regna. Sed detur ipsum non legisse Prophetiam, aut legisse quidem, sed fuisse circumuentum à vitiosis interpretibus, quasi ad Christum non pertineat. Quid dicet de Euangelio, in quo in excelsum montem ascendens, K ante discipulos transfiguratus est, & in gloria visus: quando & moses & Elias conspecti in gloria, de excessu eius, quem Hierosolymis erat impleturus, sermocinabantur. An Prophetam dicentem allegabit, Vidimus ipsum, & non habebat formam, neque pulchritudinem, & cætera? Quam Prophetiam si ad Iesum referri admittit, circa propriam suam confessionem cæcutit, neque cernit, quanti sit operis Iesum, qui videtur formæ & pulchritudinis expers, filium esse Dei, ac multis annis ante eius ortum Prophetiam de eius forma fuisse conscriptam. Quòd si Propheta alius ipsi pulchritudinem & formam tribuit, non iam ad Iesum Christum referri Prophetiam confitetur. Ac si quidem apertè posset ea Euangeliis accipi, non habuisse speciem neque pulchritudinem, sed formam eius sine honore, præ filiis hominum deficientem, meritò certè quispiam Celsum affirmaret non ista ex Prophetico oraculo retulisse, sed ex Euangelio. At nunc cùm neque Euangelia, neque Apostoli quicquam tale expresserint, perspicuè illud è Prophetia ductum, tãquam de Christo verè enunciatum, suscipere cogitur, quod certè non sinit Christi criminationes procedere. Rursum qui ait, Quoniam diuinus spiritus erat in corpore, planè ipsum à cæteris differre oportebat aut magnitudine, aut voce, aut robore, aut admiratione, aut persuadendi facultate: quomodo non videt corporis eius diuersitatem pro intuentium captu, adeò vt magna eorum vtilitate talis appareret, qualem cerni vnicuique expediat. Nec mirum materiam natura mutabilem, & alterationi obnoxiam, & in omnia quæ voluerit L summus opifex, formabilem, omnisque qualitatis, quam summus ille architectus experiuerit, capacem, modò affici qualitate, secundum quam dictum sit, Non habuit formã neque pulchritudinem: modò sic esse gloriosam & illustrẽ & mirabilem, vt in faciem tantæ pulchritudinis spectatores caderent, tres Apostoli, qui Christum fuerant comitati. At (inquies) hæc sunt figmenta, & nihil à fabulis discrepantia, vt reliqua de Iesu miracula. Respondendum vniuersam historiam, etiamsi vera fuerit, in omnibus tanquam gestam & probabilem velle reddere, valde est difficile, & in quibusdam impossibile. Sic enim quidam affirmarei nunquam extitisse bellum Tenianum, præsertim cùm eius descriptio aliqua, quæ fieri non possunt, inuoluat & complectatur de Achille è Thetide marina Dea, & Pelen homine nato, de Sarpedone è Ione, de Ascalapho & Ialmeno è matre, de Aenea è Venere. Nam videant quo pacto ista ad historiæ veritatem possint aptare, maximè cùm premamur commento nescio qua ratione texto, atque apud omnes opinio de Iliensi Græcorum & Troianorum conflictu & verè gesto obtinent. Fac etiam aliquem non credere de Oedipode & Iocasta, & ex vtroque natis Eteocle & Polynice, quod historiæ immisceatur Sphynx media parte virgo. Id quomodo demonstrabimus. M Certè qui candido animo legit historias, & se vult in ipsis citra errorem seruare, quibus assentiri debeat, quæ figuratè interpretari, qualia & quibus, discussa rerum fictarum intelligentia, non credere, vt quæ ad aliquorum gratiam sint conscripta, indicat. Atque hæc propter vniuersam quæ in Euangeliis de Iesu fertur, historiam diximus, non vt ad leuem & ratione carentem fidem ingeniosiores vocemus, sed quia volumus lectores domo afferre candidum animum, & multam diligentiam atque inuestigationem, &, vt sic nominem, ingressum ad scribentium voluntatem, vt quo quidque sensu scriptum sit, assequantur. Videtur quidem Celsus, vt verbo criminetur, scriptis nostris, quando vult, crederet at ne declaratam in iisdem libris diuinitatem admittat, Euangeliis fidem demit, cùm cernentem scribentium veritatis amorem & studium è peiorum descriptione, etiam de præstantioribus & diuinioribus credere oporteat. Nam nisi fuissent veritatis amantes & studiosi, sed vt arbitratur Celsus, figmenta conscripsissent, nunquam Petrum induxissent negantem, aut discipulos Iesu scandalizatos. Quis enim si hæc fecissent, reprehendisset, cùm sanè

Esa. 53.

Esa. 53.

A sanè hæc tacenda fuisse videantur hominibus lecturis Euangelia, ad mortis contemptum pro Christianæ religionis confessione adducere volentibus. Nunc autem perspicienter virtute verbum homines vincere, etiam si ista posuerunt, nescio quo modo lectores non offensura, neque occasionem negandi datura. Præterea habet aliquid mysticum diuinus sermo, differẽtes Iesu formas ad diuini verbi naturam referri commemorans, qui quidem non eodẽ modo multitudini & Apostolis, qui ipsum ad montem excelsum sequi poterant, est visus. Nam multitudini adhuc in imis versanti, nondúmque ad ascendendum præparatæ, verbum non habet speciem neque pulchritudinem. Eius enim species istiusmodi hominibus caret gloria, & deficit præ sermonibus factis, qui figuratè filij hominum appellantur. Dicere enim possumus multò videri pulchriores Philosophantium sermones, tanquam hominum filios, quàm verbum multitudini prædicatum, quod præ se fert prædicationis stultitiam. Propter quam apparentem prædicationis stultitiam, qui istam duntaxat contemplantur, dicunt, vidimus eum, & non habebat formam neque pulchritudinem. At iis qui sequendi virtutem sunt adepti, vt etiam eum in excelsum montem ascendentem comitẽtur, diuiniorem habet formam quam cernunt: Petrus quidem Ecclesiæ in seipso ædificationem à verbo capiens, & tan-
B tam habitudinem assumens, vt nulla inferi porta aduersus ipsum præualeret exaltatum verbi munere & gratia è portis mortis, vt annuntiet omnes laudationes Dei in portis
Psal.9. filiæ Sion: deinde Ioannes atque Iacobus è verbis magnisonis ortum consecuti, qui nihil absunt à spirituali tonitru. Sic vestimenta ipsius in inferioribus nec sunt candi-
ὡς lego, non τό. da, neque vt lumen: sed si ascendat in montem excelsum, spectabis ipsius vestimenta tanquam lumen. Vestimenta verbi, dictiones sunt scripturæ: Indumentum diuinorum sensuum sunt ista verba. Quemadmodum igitur ipse inferiùs alterius formæ conspicitur, atque ascendens transformatur, fitq; ipsius vultus sicut sol, sic & indumenta, sic & vestimenta ipsius. Porrò cùm inferius versaberis, non sunt splendida, non candida: Cùm ascenderis, speciem & lumẽ vestrum conspicies: vultum Iesu transformatum admiraberis. Vide an tale aliquid non liceat de Saluatore in Euãgeliis discere. Hæc enim de orta ipsius stẽma ducentis ex Abraham, & nascentis è semine Dauid secundum carnem, partim sunt liber generationis Iesu Christi, partim diuiniora & maiora, quæ de ipso dicuntur, & ab ipso enuntiãtur (inquit Ioannes) quàm vt mundus ipse, opinor, scribendos libros capiat. Nam mundum non capere scribendos
Ioan.20.21. libros, non debet accipi, vt quidam sentiunt, de literarum multitudine, sed de rerum magnitudine, quod rerum ma-
C gnitudo non solũ non possit scribi, sed nec lingua humana enuntiari, nec sermonibus & vocibus hominum significari. Quare etiam Paulus, quando diuiniora debuit discere, extra nostrum terrestrem mundum ponitur, & in tertium cœlum rapitur, vt illic arcana verba audire possit. Nam illic dicta, & verbum Dei existimata, verbi esse incarnati, & quemadmodum Deus est apud Deum, seipsum exinanientis, prædicantur. Proinde Dei verbum super terram, quoniam homo factum est, humana natura præditum cernimus. Semper enim in scripturis verbum caro factum est, vt habitaret in nobis. Verum enimuerò si in pectus verbi incarnati reclinemur, & ipsum ascendentem in montem excelsum sequi possimus, dicemus, vidimus gloriam eius. Vbi fortassè quidam alij de reclinatis in pectus ipsius, &
Ioan.1. ipsum in montem excelsum prosequentibus dicturi sunt, vidimus gloriam ipsius, sed non sunt addituri, gloriã quasi vnigeniti à patre, pleni gratia & veritate: Ioanni enim & similibus conuenit ista vox. Cæterũ iuxta aliam sublimiorem explanationem, qui possunt Iesu vestigia sequi, ascendentis, & ab aspectu terreno transformati, ipsius cernent transformationem. In singulis Scripturis, videlicet in externa literæ facie, vulgus Iesum cernit: pauci autem discipuli, qui & eum possunt per ardua & excelsa sequi, ascendentem in montem excelsum, & transfiguratum, in altissimo & excellentissimo Scripturarum intellectu, complectente

oracula sapientiæ in mysteriis absconditæ contemplantur, D quam Deus prædestinauit ante secula in gloriam iustorum ipsius. At verò vnde Celso, diuinique verbi hostibus, qui neque veritatis studio Christiana mysteria perscrutantur, diuersarum Iesu formarum, atque adeò ætatum, & rerum ante eius perpessionem, & à mortuis resurrectionem actarum sententia patebit?

DE CALVMNIANTIBVS CHRIstianam religionem propter vigentes in Ecclesia hæreses.

CAPVT XVI.

E tertio tomo contra Celsum.



DEINDE mox in Christianorum hæreses & sectas inuehitur, nobis cum exprobratione dicens: Postquam latè sparsi sunt, rursum scinduntur & diuidũtur, & factiones priuatas quisque habere cupit: & vt in multitudine dissona alij alios inuicem redarguunt, vnico nomine inter se conuenientes, si quidem conueniunt, & vt istud solum pudore relinquunt, reliqua tamen alia aliorum sunt instituta. Ad E quæ respondebimus, nullum vnquam fuisse serium rei alicuius principium, & vitæ vtile, quod non in varias sectas discissum sit. Quoniam enim Medicina vtilis est & necessaria humano generi, & multas quæstiones habet de modo curandi corpora: idcircò apud Græcos ex professo plures in medicina sectæ reperiũtur. Sic & opinor apud Barbaros, qui medicinam profitentur. Rursum quoniam philosophia veritatem pollicens, notitiámque rerum, quo pacto viuere oporteat, supponit, & conatur vtilia hominum generi tradere, sed multos habent anfractus res in quæstionẽ venientes, proinde in Philosophia quamplurimæ sectæ exurgunt, quarum aliæ insigniores, aliæ non tanti ponderis & pretij. Quinetiam in Iudaismo exortæ hæreses speciem & prætextum habent ex differenti literarum Mosaicarum & oraculorum Propheticorum expositione & traditione. *Vnde hæreses speciẽ habent.* Sic igitur quoniam Christiana religio venerabile quiddã visa est hominibus, non tantũ seruili ingenio præditis, vt Celsus opinatur, sed etiam multis Græcorum Philosophis necessariò extiterunt non planè factionis & contentionis, sed Christianæ veritatis à compluribus eruditis inquisitæ studio. Istud autem est variè consecutum, dum omnes venerantur & recipiunt diuinas scripturas: sed varij eorum intellectus auctores suos habent, vt quisque ad illam inter se dissonantiam probabili aliqua ratione motus est. F
At neque medicinam meritò quis fugiat, propter differentes in ea hæreses, neque Philosophiam vlla honesti specie quis oderit, causas odij ducens è sectatum multitudine, sicut neque propter Iudaicas sectas damnanda sunt Mosis & Prophetarum sacra volumina. Quæ si sunt cõsentanea, quo pacto non similiter nosmetipsos defendemus, etiamsi inter Christianos multæ hæreses extiterint, de quibus valdè mirificè Paulus mihi scripsisse videtur: Oportet enim hæreses in vobis esse, vt probati manifesti fiant in vobis. 1.Cor.11
Vt enim ille probatus est in medicina, qui quoniam in diuersis sectis se exercuit, & probè complures examinauit, insigniorem elegit, atque vt ille in Philosophia valdè profecit, qui post multorum notitiam in ipsis est exercitatus, & rationẽ potiorem sequitur: sic dixerim accuratè discernentem atque dignoscentem Iudaïcæ & Christianæ religionis hæreses, sapientissimum esse Christianum. Qui autẽ incusauerit illam doctrinam propter hæreses, incusabit similiter Socratis disciplinam, è cuius disputationibus multæ extiterunt non eadem sentientium scholæ. Præterea Platonis dogmata reprehendet, ob Aristotelẽ ab ipsius schola nouis de opinionibus discedentem, de quo etiam in superioribus diximus. Videtur autem mihi Celsus nosse quasdam hæreses, ne nomine quidem Iesu nobiscum commu-

G nicatas. Fortassis enim audiuit de Ophianis & Caianis, & si qua alia similis est sententia, modis omnibus à doctrina Iesu discrepans: verumtamen illa nihil ad Christianorum doctrinæ vituperationem attinent. * Extiterunt enim in nobis, qui negarent eundem esse Deum Iudæorum & nostrum. Sed nunquid ex eo accusandi, qui ex ipsismet scripturis vnum esse & eundem Deum Iudæorum & Gentium ostendunt? vt etiam Paulus è Iudæis ad Christianismum assumptus, apertè dixerit, Gratiam habeo Deo meo, cui seruio à progenitoribus in conscientia pura. Esto verò tertium aliquod genus eorum, qui nominantur partim animales, partim spirituales. Opinor autem ipsum loqui de Valentini & Tiii sectatoribus. Quid ad nos Ecclesiæ studiosos, qui accusamus introducentes naturas ab origine saluas, aut perditas? Extiterunt etiam alij, se Gnosticos, q. scios & eruditos appellantes, qui quandam habent conuenientiam cum Epicureis, se Philosophos salutantibus. At qui prouidentiam tollunt, verè non sunt Philosophi, neque qui figmenta à veritate abhorrentia, minimèque Iesu successoribus placentia inducunt, sunt Christiani. Blasphemant autem (inquit) in se inuicem isti, in sēque regerunt fanda nefandáque, grauia & indigna, nihilque sibi conceduot, vt consentiant se inuicem modis omnibus odio prosequentes. Ad hæc iam responsum, etiam in Philosophia reperiri sectas cum sectis dimicantes: item in Medicina. N At qui Iesu verbum sequuntur, ipsiúsque sermones curant, sapiunt, dicunt, faciunt (illud Apostoli) conuitiis affecti benedicimus, persecutionem passi sustinemus, blasphemati obsecramus. Neque alia opinantes quàm quæ accepimus, fandis nefandisque oneramus, sed omnia agimus quatenus valemus, ad ipsos in melius conuertendos, quoniam in solum opificem intendimus, & omnia gerimus velut in iudicium venturi. Quibus si minimè persuademus, opponimus Paulum sic imperantem, Hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem deuita, sciens, quia subuersus est huiusmodi, & peccat, cùm sit suo iudicio condemnatus. Præterea qui cogitant illud, Beati pacifici: item illud, Beati mites: Christianam doctrinam adulterantes hæreticos nequaquam odio prosequentur.

Ophiani Caiani. — ** Hæc nō sequuntur in libris qui hodie extant cōtra Celsum.* — *Tit. 3.* — *Matt. 5.*

CONTRA PHILOSOPHOS DIcentes nihil interesse quo nomine summus Deus appelletur, Græcòne Iupiter, an aliquo alio, verbi gratia, Indico aut Aegyptio.

CAP. XVII.

E primo & quinto tomo contra Celsum.

POSTEA Celsum: Apostoli (inquit) & pastores intellexerunt Deum, siue Altissimum, siue Adonæum, siue cœlestem, siue Sabaoth, siue alio nomine quocunque eum appellent, nominantes hunc mundum, nihilque præterea cognouerunt. Deinde nihil referre ait, siue appellemus supremum Deum, Iouem, nomine apud Græcos iactato, siue alio, verbi causa, apud Indos vel Aegyptios vsitato. Ad ista dicendum, disputationem profundam & arcanam de natura nominum in propositum incidere. Vtrum, vt putat Aristoteles, nomina significent ex hominum instituto, an, vt Stoicis videtur, natura, prius vocibus res, quarum sunt nomina, æmulantibus. In quam sententiam etiam adducunt quædam Etymologiæ elementa, an alio modo, vt docet Epicurus, aut, vt sentiunt Stoici, natura sunt nomina, enuntiantibus primis hominibus quasdam voces pro rerum exigentia. Ergo si in proposita disputatione possumus efficacium nominum naturam afferre, quibus vtuntur Aegyptiorum sapientes, aut apud Persas Magorum doctissimi, aut apud Indos philosophantes Brachmanes Samanæíve, istúdque secundum vnamquamque gentem efficere valemus, Magiam, quam vocant, non esse rem inconstantem, minimèque omnium cohærentem, vt opinantur Aristotelici & Epicurei, sed vt K eius periti demonstrant, constantissimam, habentem tamen rationes paucis admodum cognitas: tunc asseremus nomen Sabaoth, Adonai, & his similia alia apud Hebræos multa illustri eruditione tradita, non de quibuslibet & creatis rebus dici, sed de Theologia quadam arcana, quæ ad vniuersorum opificem refertur: Quocirca etiam hæc nomina posse vsurpari cum aliqua cohærentia, & ratione ipsis congruente: At alia voce Aegyptiorum enuntiata de quibusdam dæmonibus, qui dæmonica possunt, & alia voce Indorum de aliis virtutibus siue potestatibus, sicque in singulis gentibus, ad quosdam vsus allatum. Atque ita inuenientur dæmonum supra terram diuersa loca obtinentium nomina, pro locorum & gentium linguæ proprietate vsurpari. Itaque qui præstantius ingenium, & tenuem istorum notitiam est consecutus, verebitur alia nomina aliis rebus adaptare: ne similis sit iis qui per errorem Dei nomen in materiam inanimam conferunt, aut boni appellationem à prima causa, aut à virtute, aut ab honestu ad cæcum Plutonem, & in sanitate atque bona habitudine ad carnis & sanguinis & ossium symmetriam vel celebratam nobilitatem referunt. Ac fortassis non minus periculosè nomen Dei ad ea quæ non oportet, refertur, quam arcanæ rationis nomina immutantur, & deteriora præstantioribus tribuuntur, & contrà præstantiora deterioribus. *2. Ratio.* Vt prætercam, quòd statim cū Ioue intelligitur Saturni & Rheæ L filius, Iunonis vir, Neptuni frater, Mineruæ & Dianæ pater, qui cum filia Proserpina rem habuit, cum Apolline simul concipitur Latonæ & Iouis filius, Dianæ frater. Sic de aliis omnibus quæ feruntur à sapientibus dogmatum Celsi patribus, & priscis Græcorum Theologis. Nam quid causæ esset, cur Iuppiter quidem nomen esset proprium, & in simplici atque propria significatione sumeretur, Saturnus autem pater, & Rhea mater in tropica & figurata? Simile faciendum & in aliis qui nominantur dij. Hæc autem obiectio nullo modo attingit arcana vlla ratione eos, qui nomen Sabaoth, aut Adonai, iisue similia Deo attribuunt. Porrò cùm quis de nominibus philosophans, poterit arcana explicare, multa inueniet etiam de Angelorum Dei appellatione, quorum vnus Michael, alter Gabriel, alius Raphaël vocatur, accommodato ad res nomine, quas administrant in Vniuersitate, Dei omnium rerum effectoris voluntate atque imperio. Præterea ad similem de nominibus Philosophiam pertinet etiam noster Iesus, cuius nomen ab infinitis iam efficaciter cernitur dæmonas expellere ex animis & corporibus, operans in illos, à quibus discessesunt. *Nomen Iesu efficax.* Præterea hoc de nominibus loco dicendum, quod artis incantationum periti narrant, eandem incantationem sua lingua recitatam operari, quod incan- M tator enuntiat, in aliam quancunque vocem transfusam, sine effecto & efficacia percipi. Sic non ea quæ significantur de rebus, sed ipsæ vocum qualitates & proprietates, in seipsis habent aliquam ad ista aut illa potestatem. Atque ita rationem afferemus, cur vsque ad mortem certēt Christiani, ne Iouem Deum appellent, ne etiam vlla alia lingua ipsum denominent. Nam aut indefinitè confitentur commune nomen Deus, aut etiam adiciunt, vniuersorum opifex, cœli & terræ effector, qui misit ad humanum genus hos sapientes, quorum nomini adaptatum Dei nomen virtutem quandam apud homines explet & absoluit. Multa etiā alia de nominum ratione tractari possunt aduersum eos, qui oportere putant se habere indifferenter circa eorum vsum. Atqui si admiratur Plato in Philebo, dicens, Non paruo metu, Protarche, afficior erga Deorum nomina, quoniam Philebus disputans cum Socrate, voluptatem Deum dixerat: quanto maiore reuerentia Christianos nullum nomen in fabulis vsurpatum, Deo vniuersitatis opifici accommodatum, suscipiemus?

Hæc etiam de eadem re quinto tomo habentur.

QVONIAM Celsus opinatur nihil referre, Ionéne vocemus Altissimum, aut Adonæon, aut Sabaoth, aut cum Græcis Ζῆνα, aut vt Aegyptij, Amunra, aut vt Scythæ, Papæum, age etiam de iis

A iis pauca differamus, in memoriam reducentes audiroti ea quæ superiùs de huiusmodi quæstione disputata sunt, præsertim cùm Celsi oratio nos illuc vocauerit. Nunc igitur affirmamus nominum naturam minimè positam in imponentium legibus, vt quidem sensit Aristoteles. Nam ab hominibus hominum sermones minimè habent principium, quemadmodum norunt ij qui possunt attendere ad incantationum naturam, pro diuersis linguis & sonis à sermonum auctoribus accommodatarum, de quibus pauca superiùs tractauimus, docentes ea, quæ solent valere in aliqua lingua, si in aliam transferantur, non adhuc efficere quæ in sua lingua & voce efficiebant. Iam autem etiam in humanis huiusmodi reperitur. Nam aliquem certo nomine Græca lingua ab origine appellatum, si transmutemus in Ægyptiam, aut Romanam, aut alterius populi vocem, non efficiemus, vt patiatur aut faciat, quæ passurus facturúsve erat, retinens primam nominis sui impositionem. Sed neque si aliquem à principio, Romanorum voce nominatum, Græco sermone exprimamus, quod facere enūtiabat incantatio, nomen primo attributum retinens, consequemur. Si ergo quæ de humanis nominibus dicuntur, sunt vera, quid existimandum de nominibus ob quamcūque causam in deum relatis? Nam, exempli gratia, apud Græcos intelligitur aliquid Abrahæ nomine, significatur aliquid Isaac appellatione, declaratur quippiam vocabulo B Iacob. Certè si inuocans aut iurans, deum Abrahā, & deum Isaac, & deum Iacob nominet, certum aliquid efficiet, siue propter nominum naturam, siue etiam virtutem, dæmonibus victis, & ista cōmemoranti subiugatis. Quòd si appellet Deum Patris electi vocis, & deum risus, & deū supplantatoris, nihil ista appellatione consequetur, vt nec alia quæ nullam habent potestatem & virtutem. Idem iudicium, si Israëlis nomen transferamus in Græcum, aliúmve sermonem. Quòd si ipsum retinuerimus, iis adhibentes quæ illarum rerum periti solent coniungere, tum aliquid iusta appellationum enūtiationem linguæ propriam existet. Idem asseuerabimus de voce Sabaoth, sæpè in adiurationibus vsurpata: quoniam hoc nomen translatū in deus virtutum, aut Deus exercituum, aut Omnipotēs (nam tam variè exposuerunt interpretes) nihil consequemur: sin retineamus, aliquid consequemur, quemadmodum istorum periti docent. Eadem ratio vocabuli Adonai. Ergo si neque Sabaoth, neque Adonai, translata in ea quæ videntur significare voce Græca, efficiunt aliquid, quanto minus efficient, aut valebunt apud eos, qui nihil putant referre, siue Iouem altissimum vocemus, siue Ζῆνα, siue Adonai, siue Sabaoth. Hæc sanè & his similia arcana intelligentes Mo- C ses & Prophetæ prohibent nomen deorum alienorū nominare ore, quod deo summo supplicare meditatur, atque recolere corde, quod se ab omni cogitationum & verborū stultitia magno studio expurgat. Quocirca omne supplicium sustinere malumus, quam Iouem deum confiteri. Neque enim eundem esse existimamus Iouem, & Sabaoth: sed neque omninò numē aliquod esse Iouē, sed dęmonem aliquem, qui sic nominari gaudeat, neque amicum hominibus, neque vero deo. Quòd si Ægyptij nobis Amuntem prætendant, mortem comminantes, moriemur potiùs quā Amuntem deum salutemus, dæmonem, vt probabile est, in quibusdam incantationibus, quæ vocantur Ægyptiæ, assumptum. Dicant etiam Scythæ Papæum deū rebus omnibus prępositū. At nos minimè id credimus. Ponimus quidem deum supra omnia, sed vt amicū hominibus, Scytharum solitudinem & gentem & linguam sortitis, deū, quasi proprio nomine Papæum, minimè nominamus. Scythicè enim & Aegyptiacè, & in omnibus linguis, in qua quisque fuerit educatus, appellatiuum dei nomen vsurpari duntaxat potest citra peccatum & errorem. Cæterùm neque Apollinem solem, neque dianam lunā appellamus, sed purā in deum opificem pietatem excolentes, & præclara ipsius opera celebrantes, ne nomine quidē tenus diuina polluimus, recipientes Platonis in Philebo sententiam, qui non vult voluptatem deum admittere. Talis est (inquit) meus timor Protarche circa deorum nomina. Nos autem reuera formidamus aliquid circa Dei & præclarorum ipsius o- D perum nomen committere, ita vt prętextu tropologiæ fabulam aliquam in iuuentutis damnum atque corruptelam minimè recipiamus.

Exod. 23.

Τῶν δυνάμεων.

Iuppiter Dæmon, non Deus.

Deus appellatiuè.

CONTRA GRAECORVM PHIlosophos omnia se scire prædicantes, & incusantes simplicem, parúmque curiosam multitudinis Christiana fidem, velut etiam anteponentis sapientiæ stultitiam. Item quòd nullus sapiens aut eruditus discipulus Iesu effectus est: sed vel nautæ, vel publicani nequissimi, stolidos & insipientes, mancipia & mulierculas & puerulos prædicatione subuertentes.

CAP. XVIII.

E tomo primo & tertio contra Celsum.

POstea cohortatur (Celsus) eos qui rationem «
sequuntur, ratione duce excipere dogmata, «
atque si omninò status ei fieret, qui aliter ali- «
qua approbat. Quin & temerè & citra ra- «
tionem credentes similes facit zonariis cir- «
culatoribus, prodigiorúmque inspectoribus, E
& Mithris atque Sabaziis, & quibuscunque Hecatæ aut alterius dæmonis, aut dæmonum spectris. Vt enim in illis sæpè improbi homines in rude simplicium, qui facilè decipiuntur, ingenium sese insinuantes, eos quò volunt, ducunt: sic (inquit) & in Christianis. Addit quosdam accipere aut reddere rationem eorum nolentes, quæ credunt vti
hac & simili sententia, Ne inquiras, sed crede, & fides te «
tua saluum faciet. Adiungit ipsos vitæ sapientiam malum, «
stultitiam bonum dicere. Ad quæ respondemus. Si omnes possent relictis vitæ negotiis & occupationibus, Philosophiæ vacare, vlla alia via nemini est amplectenda. Inuenietur enim etiam in doctrina Christiana non minus, vt grande aliquid dicam, rerum fide perceptarum inuestigatio, & Propheticorum ænigmatum, & Euangelicarum parabolarum, & infinitarum aliarum rerum symbolicè gestarum, vel lege sancitarum enarratio. Quòd si istud est arduum nimis, partim propter vitæ necessitates, partim propter hominum imbecillitatem, valdè paucis ad ratiocinationem contendentibus, quænam alia via melior ad plurimos iuuādos reperietur, quàm quæ à Iesu gentibus est tradita? Quærimus de multitudine credentium, qui effusam prauitatis copiam, in qua antea volutabantur, abiecerunt, nū sit potiùs, quòd citra rationis discursum credendo, mores ad moderationem reduxerunt, & vtilitatē indè perce- F
perunt, quia fidem prædicationi de præmiis suppliciísque ob virtutes & scelera paratis accommodarunt, quàm si ipsis inuideamus conuersionem, priusquàm se diligenti rerū prędicatarū inquisitioni dederint. Perspicuè enim nemo, pręter admodum paucos, istud post diligentē inquisitionē consequetur, quod illi simplici fide sunt consecuti, sed in improba hominū vita permanebit. Quod sanè, si quicquam aliud, efficit Verbum dei magna benignitate, nō impiè in hanc hominum vitam descendisse, atque ad inter beneficentiæ dei opera esse numerandum. Nam prius corporum medicum multos ægros ad meliorem statum perducentem venisse impiè in vrbes & gentes minimè existimabit: Nam bonū & vtile hominibus impiè non efficitur. Si igitur qui curat multorum corpora, aut ad meliorem statum perducit, non impiè curat, quanto minus qui multorum animas conuertit, & meliores reddit, ipsas Deo supremo conciliat, omnem actionem referre docet ad ipsius beneplacitum, & omnia declinare, quæ Deo displicent, etiam vsque ad minima dicta & facta aut etiam cogitata, impiè faciet? Deinde quoniam de fide tumultuantur, fatemur eam tanquam multis vtilem, docere & credant etiam citra rationem allatam, qui nequeunt omnia comprehendere, & rationis disquisitione consequi. Id isti verbis minimè concedentes, operibus admittūt. Conuersus enim ad Philosophiam, & sortitò se ad certam

Mithra & Sabazij sacerdotes erāt Solis & Bacchi.

De fide citra rationem concepta.

G Philosophorum sectam applicans, aut ad certi doctoris disciplinam, nunquid non aliter ad id peruenit, quàm credendo istiusmodi sectam esse præstantiorem? Nam non sustinet audire omnium Philosophorum & diuersarum sectarum rationes, horum quidem refutationem, istorum verò confirmationem, vt sic postea eligat esse Stoicus, aut Platonicus, aut Peripateticus, aut Epicureus, aut alterius cuiusuis Philosophorum hæresis. Verùm quodam rationis experte impetu, etiámsi id nolit confiteri, accedit ad Stoicam disciplinam relictis cæteris. Platonicam contemnit, vt aliis humiliorem & abiectiorem: Peripateticam, vt nimis humanam, & præ cæteris humanè celebrantem humana bona. Quin & perturbantur aliqui, dum incurrunt in rationem de prouidentia ex iis quæ super terram probis & improbis contingũt, & nimis temerè assentiuntur nullo modo esse prouidentiam, atque Epicuri & Celsi rationem amplectuntur. Si igitur inter Græcos & Barbaros eis credendum, vt ratio docuit, qui sectas introduxerunt, quãto magis supremo Deo, ipsúmque dicentem solum colere? cætera autem vt non existentia, aut existentia quidem, honore digna, non tamen adoratione & veneratione, negligere? De quibus non modò credens, verùm etiam ratione contemplans res ipsas, demonstrationes sibi occurrentes, à seque multa inquisitione inuentas afferet. Præterea quo quo pacto non magis est consentaneum, cùm cuncta humana ex fide pendeant in illis potius Deo credere? Quis e-
H nim nauigat, quis vxorem ducit, quis liberis dat operam, quis semina iacit in terram, nisi meliora sperans se consecuturum: cùm tamen fieri possit, vt contraria eueniant, & aliquando id fiat? At fiducia de meliorum optato euentu audere, & niti facit omnes, etiam in incerta, & quæ aliter possunt euenire. Si autem vitam continet in omni incerta actione, quomodocunque accidat, spes & fides, quæ est de futuris, quomodo non ipsa meritò potius à fideli, qui Deo credit, concipietur, quàm ab eo qui mare nauigat, terram serit, & reliqua humana opera exercet: cùm præsertim Deus sit istorum omnium fabricator, & Christus exuberante animi magnitudine, & diuina mentis constantia, ausus sit hanc rationem docere vniuersos orbis habitatores, magnis periculis atque morte, vt putatur, infami, quæ pro hominibus sustinuit, docens etiam ministros, suæ disciplinę initio persuasos, cum periculis & semper imminentibus necibus, magno ausu totum orbem pro hominũ salute peragrare. Dicat verò nobis Christianæ fidei accusator, quibus demonstrationibus compulsus, multas extitisse cõflagrationes admiserit, multas eluuiones, item omnium postremam eluuionem sub Deucalione, deflagrationem sub Phaetonte. Si prætendat Platonis de his rebus Dialogos, retorquebimus, etiam nobis licere credere pura
I & pia mente Mosi, qui omnia creata transcenderit, Deo rerum opifice seipsum accommodante, & quasi suspendente, qui & per diuinum spiritum diuina expresserit multò euidentiùs & efficaciùs, quàm Plato & sapientes apud Græcos & Barbaros. Si à nobis requirit istius fidei rationes, det prior, de quibus ipse citra demonstrationem affirmauit: deinceps nos nostra sic se habere confirmabimus. Sint Celso fabularium de conflagrationibus & inundationibus doctores Aegyptij, ipsius iudicio sapientissimi, quorum sapientiæ vestigia sunt bruta animantia ab ipsis culta, & rationes ostendentes consentaneum, vt istiusmodi Dei cultus sit reconditus atque mysticus. Et Aegyptij quidem de animalibus magnificè sentientes, si suæ Theologiæ rationem afferant, habentur sapientes. Si autem Iudæus aliquis legi consentiens & legislatori, omnia in vniuersorum opificem & solum Deũ refert, inferior esse Celso, & istius metalli similibus videtur Aegyptio, non modò ad rationalia & animantia mortalia, verumetiam bruta reducente deitatem: vt prætercam solemnem in corpora animarum immigrationem, de cœli orbibus decidentium, & ad bruta vsque animalia, non solùm mansueta, sed & agrestissima descendentium. Et quidem Aegyptij si fabulando nugantur, creduntur philosophari per ænigmata & arcana: Moses autem si toti genti historiam conscribens, etiam ipsi le-

Celsus Epicureus.

ἀναχωρητικῶς λέγω, vel ἀναχωρηματικῶς.

ges relinquat, inanes existimentur fabulæ, sermonibus K ipsius nullam allegoriam recipientibus. Id enim Celso & Epicureis videtur. Cùm deinde Celsus hæc verba adducit, Si igitur respondere mihi velint, vt experto. Cuncta enim noui, &c. Dicendum id, Cuncta enim noui, arrogantissimè & audacissimè ab ipso pronuntiatum. Nam si legisset maximè Prophetas, indubitatis ænigmatibus & obscuris vulgo sermonibus plenos: si incidisset in Euangelicas parabolas, reliquam legẽ, iudaicæ historiæ scripturam, Apostolorum voces, & candido animo legens penetrare voluisset in orationis intelligentiam, nõ vsqueadeò audacter exultasset, neque dixisset, Cuncta enim noui: vt neque nos in talibus versati dixerimus, Cuncta enim noui. Amica enim veritas. Nullus nostrum dicet, Omnia Epicuri noui. Nemo nostrum audebit se cuncta Platonis nosse affirmare, pręsertim cùm tot sint diuersæ sententiæ etiam apud eos, qui illa interpretantur. Præterea quis ita audax, vt prædicet se omnia nossę Stoicorum aut Peripateticorum, nisi forsaisse audiens idiotas suæ inscitiæ minimè conscios, iactantes apud se huiusmodi verba, illis veluti doctoribus vsus, se omnia scire existimet? Videtur autem mihi perinde agere, ac si quis in Aegyptum profectus, vbi sapientes Aegyptij secundum patrias literas multum philosophantur de diis suis, idiotæ autem auditis quibusdam fabulis, quorum ignorant rationes, magna de ipsis sapiunt, arbitretur se omnia Aegyptiorum scire, ab ipsorum idiotis duntaxat instructus, & cum nullo sacerdotum congressus, L vt ab eorum aliquo Aegyptiorum mysteria disceret. Quæ dixi de Aegyptiorum sapientibus & idiotis, licet etiam de Persis commemorare, apud quos mysteria ab ipsorum eruditis & sapientibus ratione & mente coluntur, à plebeiis, & rudioribus quodã fiunt symbolo. Idem de Syris, Indis, cæterísque & fabulas & res habentibus pronuntiandum. Quoniam verò Celsus posuit, tanquam à multis Christianis dictum, vitæ sapientiam esse malum, stultitiam bonum: vt respondeam, sententiam calumniatur, eam apud Paulum sic positam non exponens: Si quis videtur sapiens esse in vobis in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens. 1. Cor. 1.
Nam sapientia mundi huius, stultitia est apud Deum. Igitur Apostolus non simpliciter asserit, sapientiam stultitiã esse apud Deum, sed sapientiam mundi huius. Rursum non simpliciter, Si quis videtur sapiens esse in vobis, stultus fiat: sed in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens. Ergo sapientiam seculi huius dicimus, omnem falsæ opinionis Philosophiam, inanem secundum Scripturas effectam, & stultitiam asseueramus bonum non quidem absolutè, sed cùm quis huic seculo stultus efficitur. Vt si Platonicum credentem animam esse immortalem, & immigrare in corpora, stultum dicamus respectu Stoicorum M hanc sententiam refellentium, & Peripateticorum Platonis portenta iactitantium, & Epicureorum superstitionem attribuentium introducentibus prouidentiam, & Deum præficientibus vniuersitati. Præterea iuxta rationis dictamen multum differre, cum ratione & sapientia concircumstantiis rationem postulare, fide: Item id seruatis sentire dogmatibus, aut cum pusilla ne planè sine fructu relinquantur homines, declarat germanus Iesu discipulus Paulus, his verbis: Quoniam enim in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Perspicuè igitur his declaratur, per sapientiam Dei cognoscendum fuisse Deum. At quoniam non sic factum est, alterum Deo placuit, saluos facere credentes non simpliciter per stultitiam, sed per stultitiam prædicationis. Inde enim pędicatus Iesus Christus crucifixus, pędicationis est stultitia: vt & sibi consentiens Paulus inquit, Nos autem
" prædicamus Christum crucifixum, Iudæis qui-
" dem scandalum, Græcis autem stultitiam:
" ipsis verò vocatis Iudæis & Græcis,
" Christum Dei virtutem &
Dei sapientiam.

Et sub

A *Et sub extremum primi illius tomi, De eo, quòd nullus sapiens aut eruditus Christi discipulus est effectus, illa ponit.*



Vi possune prudenter conoenienterque, quę circa Apostolus Iesu facta sunt, inquirere, eos vident diuina virtute doctrinam Christianam docoisse, & hominis verbo Dei subiecisse. Neque enim dicendi eorum faculias, & elncutionis iuxta dialectica & rherotica artificia dispositio audientes subiiciebat. Vt mihi autem videtur, si aliquos vulgi sententia sapientes, & ad intelligendum atque dicēdum idoneos, multitudini placentes Iesus collegisset, usq; ad suæ doctrinæ prædicationem fuisset vsus, meritò certè institutionem Philosophorum ptimas in aliqua secta tenentium secutus iudicatus fuisset, nec amplius diuini verbi prædicatio videretur: quippè cùm verbum & prædicatio essent in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, & sapientι dictionum collocatione: fides etiam esset similis fidei Philosophorum mundi, qui sua proponunt dogmata in sapientia hominum, & non Dei virtute. At nunc quis

σοφοὺς lego.

B cernens piscatores & publicanos, qui ne quidem primas literas didicerunt, vt de ipsis scribit Euangelium, & Celsus credidit, fidem facilè accommodans testantibus ipsorum imperitiam, confidenter non modò cum Iudæis loqui de fide in Iesum, sed & in reliquis gentibus ipsum prædicare, & perficere, non quæsierit, vnde ipsis hæc persuadendi facultas atque virtus? Non enim ea est, quæ inesse solet multis. Quis ergo negabit, quin Iesus, dum diceret. Venite post me, & faciam vos piscatores hominum: diuina aliqua virtute Apostolos impleuerit? quam Paulus circumscribens, vt in superioribus diximus, inquit, Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanę sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, ne fides vestra sit in hominum sapientia, sed in Dei virtute. Nam prophetæ de Euangelij prædicatione prænuntiant, dominus dedit verbum euangelizantibus virtute multa. Rex virtutum dilecti: vt Prophetia hęc, donec velociter currat sermo eius, adimpleatur. Ac videmus quidem, vt in omnem terram exiuit sonus Apostolorum Iesu, & in fines terræ verba eorum, ideò virtute plena sunt verba cum virtute auditoribus prædicantis, quam moribus & vita etiā vsque ad mortem pro veritate certare parata ostendunt. At vani quidam sunt, qui quamuis Deo per Iesum credere prædicent, diuina carent virtute, etiamsi adduci verbo dei videantur. Quanquam autem supra meminimus Euangelici dicti à Saluatore pronuntiati, nihilominus etiam nunc ipso opportunè vtar, ad ostendendam Saluatoris nostri de Euangelij promulgatione prouidentiam, atque

Ioan. 10.

C prædictionem diuinissimam, & verbi vim, absque doctoribus credentes diuina virtute superantem. Ait igitur Iesus Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate autem dominū messis, vt mittat operarios in messem suam. Porrò quoniam infames nominauit homines publicanos & nautas nequissimos Celsus apostolos Iesu, de hoc etiam dicamus: quandoquidem videtur, vt quidem accusat, verbo credere Euangeliis: Ne autem recipiat apertam diuinitatem iisdem libris comprehēsam, non credere, cùm eum, qui scribentes certuit veritatis fuisse studiosos, è deterioribus credere etiam diuiniora oporteat. Scribitur in Epistola Barnabæ Catholica, quod fortasse Celsus arripuit, dixitque Apostolos esse infames & nequissimos, Iesum suos elegisse Apostolos omni iniustitia iniustiores. Et in Euangelio secundum Lucam ad Iesum ipse Petrus: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Quinetiam Paulus ad Timotheum, etiam ipse postea Apostolus Iesu effectus: Fidelis sermo, quia Iesus Christus venit in mundum saluos facere peccatores, quorum primus ego sum. Sed quid hîc est absurdi, cùm velint ostendere humano generi Iesum, pro ea maxima saluandi animas cura, quam habet, infames & ne-

Ioan. 4.

Catholica D. Barnabæ.

D quissimos collegisse, & ad id adduxisse, vt essent morū & vitæ purissimæ iis, qui per ipsos ad Christi Euangelium perducebantur, exemplar. Quod si ob vitam ante actam in melius conuersis exprobrare licet, opportunè etiam accusabimus Phœdonem Philosophum. Nam, vt historia narrat, ipsum è prostibulo ad vitam Philosophicam traduxit Socrates. Sed & Polemonis, qui Xenocrati successit, intemperantiam, & quidem post institutum Philosophicū, probru notabimus, cum pon* illic oporteat laudare, quòd persuadendi ratio à tantis malis potuerit eos conuertere, qui illa iam fuerant amplexati. Apud Græcus certè vnus Phædo (neque enim secundum noui) & vnus Polemon, ab intemperanti & improbissima vita conuersi, Philosophiæ institutum tenuerunt: At apud Christianos non solum duodecim, verumetiam quamplurimi, qui temperātium chorus euadentes, de prioribus aiunt, Fuimus enim aliquando & nos insipientes, inobedientes, errantes, seruientes concupiscentiis & voluptatibus multis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, inuicem odio habentes. Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri dei, per lauachrum regenerationis & renouationis spiritus, quem effudit in nos, tales effecti sumus. Emisit enim Deus verbum suum, & liberauit eos è corruptionibus eorum, vt in Psalmis prædictum est. Atque hæc iis quę dicta

E sunt, adiecerim, quòd Chrysippus libro de affectuum curatione, humanas animorum perturbationes coërcere conatur, non dissimulans quale sit veritatis dogma, pro differētibus sectis homines affectibus & perturbationibus occupatos curare: & inter cætera ait, Si voluptas pro fine proponitur, affectus ad hunc modum sunt curandi. Et si tria bonorum genera, nihilominus etiam hac ratione à perturbationibus & affectibus his implicatos sic liberare oportet. Vituperatores autem Christianæ religionis non cernunt, quorum affectus, quorum effusa improbitas reprimitur, quorum agrestes mores sedantur, verbi specie & occasione, cui ipsos propter communicationis officium vt noua methodo à multis malis homines ipsos transferenti, oportebat gratias agere, ipsique testimonium perhibere, si non ratione veritatis, at vtilitatis erga hominum genus. Quoniam verò Iesus docens discipulos minimè leues & temerarios, dicebat, Si persecuti vos fuerint in hac ciuitate, fugite in alteram: & si in altera vos persequantur, fugite rursus in aliam. Ac seipsis proponebat exemplum benè constitutæ vitæ, quæ certa dispensatione non se temere, neque intempestiuè & citra rationem obiicit periculis. Id rursum malitiosè interpretans Celsus calumniatur, atque apud ipsum Iudæus ad Iesum loquitur, Quid cum discipulis huc illuc fugitas? Quid te adhuc infantem oportebat in Aegyptum deferri, ne iugulareris? Nefas enim deū de nece metuere; & cæt. Nos autem Domino Iesu credētes de sua diuinitate asserenti, Ego sum via & veritas & vita: & si qua his similia: præterea se habere humanum corpus asseueranti, Nunc quæritis me interficere, hominē, qui veritatem vobis ouotio: compositam aliquam rem ipsum extitisse profitemur. Ita non oportebat prospicientem suum, tanquam hominis, in hanc vitam aduentū, intempestiuè adire mortis periculum: Imò verò oportebat ipsum etiam à suis nutritiis deduci in Aegyptum, diuini Angeli dispensatione & monitu. Ergo quid absurdi, eum qui semel fuerat corporatus, humana ratione & modo segi, declinatis periculis? non quia aliter poterat istud geri, sed quia oportebat, quatenus fas, via & ordine de Iesu salute dispensari. Et sanè satius erat puerulum Iesum cedere Herodis insidiis, ac cum parentibus peregrè in Aegyptum proficisci vsque ad insidiatoris mortem, quàm quantum in nobis est, prouidentiam de Iesu prohibere, cupiente Herode puerulum de vita tollere: aut celebratam apud Poëtam Platonis galeam, vel aliquid simile, circa Iesum ponere: aut percutere cæcitatem, quēadmodum olim Sodumitas eos, qui ad eius necem properabant. Nam Dei de ipso cura & auxilium valde mirabile, & cōmunem modum superans, nimisque perspicuum, non erat vtile, quoniam ipse statuerat, vt homo à Deo testimonium

Ioan. 10.

Ioan. 9.

τῷ lego. σου τὸ.

G habens, docere babere se aliquid diuinius in ipsa conspecta humanitate: quod quidẽ erat proprius dei filius, deus verbũ, deus virtus & potẽtia, dei sapientia, qui vocatur Christus. Sed nuoc non opportuoum eius compositionem, & ea ex quibus corporatus Iesus constituitur, exponere: quippè aliqua est, & vt sic loquar, propria ioquisitio credentibus, alteri loco consentauea. Similem autem calumniam huic, quæ contra Iesum & eius discipulos segesitur, esse dicemus id quod narratur de Aristotele. Iste conspicatus Senatum aduersum se cogi, vt contra bomioem impiè sentientem, propter aliqua disciplinæ suæ placita, quæ pro impiis habebantur ab Atheniensibus, Athenis excedens, io Chalcide commutatus est: se excusans apud familiares & notos, Atque dicens: Athenas relioquimus, ne occasionem præbeamus Atheniensibus alterum facinus audendi, quale in Socratem, & ne iterum in Philosophiam sint impij.

Aristotelis fuga.

Tertio tomo operis contra Celsum.

H POST hæc Celsus, à paucis admodũ qui habẽtor Christiani, non quidem sapientiores, vt iste arbitratur, sed indoctissimi, dicta præter Iesu doctrinam proferẽs, ait ab ipsis ista imperari: Nullus accedat doctus, nullus sapiens, nullus prudeos. Mala enim ista apud nos existimantur. At si quis imperitus, si quis insipiens, si quis indoctus, si quis est infans audenter adsit. Hoc enim dignos esse suo Deo bis verbis confitẽtes perspicuè, solos stultos & ignobiles, & sensu carentes & mancipia, & mulierculas, & puerulos, ad fidem perducere se velle & posse declarant. Ad ista respõdemus. Quẽadmodum Iesu docente temperantiam, & dicente, Si quis conspexerit mulierem ad concupiscendum, iam cum ipsa mœchatus est in corde suo: qui considerat paucos aliquos è tam multis qui Christiani censentur, intemperanter viuentes, iure quidem optimo eos accusabit aliter viuentes, quàm Iesu disciplina imperat. At ineptissimè fecerit, si illius culpam sermoni Christi adaptet. Sic si nihilominus inueniatur, Christianorum sermo ad sapientiam cohortans, culpandi erunt, qui suæ imperitiæ suffragantur, & aiunt, non ea quidem quæ Celsus ascripsit (non enim sic impudẽter, tametsi rudes & indocti exititerint, loquuntur) sed alia multo minora, & à sapientiæ studio dehortantia.

Matth. 5.

Iam quod nos esse sapientes diuinus sermo velit, demonstrandum & è veteribus & Iudaicis literis, quibus etiam nos vtimur, non minus autem etiam è literis post Iesum I scriptis, & in Ecclesiis esse creditis. Scriptum est quinquagesimo Psalmo, Dauidem in sua ad Deum prece dicere, Incerta & occulta cordis mei manifestasti mihi. Ac si quis inciderit in Psalmos, reperiet librum multis & sapiẽtibus dogmatibus atque sententiis plenum. Præterea Salomon, sapiens, quoniam sapientiam quæsiuit, declaratus effectúsque est. Eius sapientiæ vestigia licet in ipsius scriptis cernere, magnam habentia sub verborum breuitate intelligentiam: in quibus etiam inuenies multas sapientiæ laudes, multas cohortationes, quòd sapientiam assequi oporteat. Adeò ille erat sapiens, vt etiam regina Saba, eius & Domini audito nomine, venerit exploratum ipsum ænigmatibus: quæ & locuta est ipsi quæcunque habebat in corde suo, & explicauit ipsi Salomon omnia verba eius. Nullum erat verbum despectum à Rege, quod non explicaret ei. Et vidit regina Saba vniuersam sapientiam Salomonis, & quæ secundum ipsum & ab ipsa fiebant, dixitque Regi: Verus sermo, quem in mea terra de te audiui, & de sapientia tua, nec credidi narrantibus mihi, donec ipsa adessem, & viderent oculi mei. Et ecce non est sicut nuntiauerunt mihi: dimidio auxisti sapientiam, & his maiora bona, supra omnem auditionem audiui. Scribitur profectò de ipso: Et dedit Dominus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam valdè, & effusionem

3. Reg. 8.

cordis, sicut arena maris, & repletus est sapientia Salomon valdè supra omnium antiquorum prudentiam, & supra omnes prudentes Ægypti, sapientiáque excelluit cunctos homines: & quæ sequuntur. K Ita Dei verbum vult in credentium numero esse sapientes, adeò vt ad auditorum intelligentiam exercendam, alia ænigmatibus, alia oratione quæ vocatur tenebrosa, nonnulla per parabolas, aliqua per problemata enuntiet. Sed & prophetarum vnus Osee ad suorum oraculorum extremum, Quis sapiẽs (inquit) & ista intelliget, aut intelligens, & hæc cognoscet? Præterea Daniel, & qui cum eo captiui erant, eo vsque profecerunt etiam in disciplinis, quas Babylone regij sapientes excolebant, vt eis omnibus decuplo præstantiores declarati sint. Præterea in Ezechiele dicitur ad Tyri Principem, superbè de sua sapientia sentientem, Numquid tu sapientior Daniele? Omne occultum num demõstratum est tibi? Postremò si ad libros post Iesum scriptos venias, turbis credentibus proponi parabolas reperies, quasi exteris & exotericis auditoribus, & dignis duntaxat externo atque communi sermone. At discipuli priuatim parabolarum difficultates accipiunt. Priuatim enim suis discipulis cuncta explicabat Iesus, turbis discipulos suæ sapientiæ studiosos præferens. Præterea in se credentibus se missurum sapientes & scribas promisit: Ecce (ait) L ego mitto ad vos sapientes & scribas, & ex ipsis crucifigetis & occidetis. Rursum Paulus in donorum siue gratiarum à Deo concessarum catalogo, primo loco posuit sapientiam, secundo vt subiectam rem, scientiam: tertio & inferiore, fidem. Et quoniam rationem atque doctrinam miraculis anteponebat, ideò virtutum operationes & curationum gratias imo loco constituit post rationales gratias. Patrocinatur multæ Mosis sapientiæ in Actibus apostolorum Stephanus, planè è veteribus, & quæ ad paucos peruenerunt, literis accipiens. Et eruditus est Moses omni sapientia Ægyptiorum. Proinde etiam prodigia putabatur, non è diuinitùs accepto oraculo patrare, verùm quia callebat Ægyptiorum disciplinas. Id enim suspicans de eo Rex, incantatores Aegyptiorum accersiuit, sapientes & veneficos, qui nihil esse conuicti sunt comparatione Mosis sapientiæ. At verò vt probabile est, quæ sunt scripta à Paulo priore ad Corinthios, veluti ad Græcos & valdè inflatos atque tumentes Græcæ sapientiæ nomine, aliquos commouerunt, quasi illius oratio sapientes non ferret. Sed qui ista opinatur, audiat. Paulus veluti hac sententia incusans improbos, eos ait esse, non de intelligibilibus & inuisibilibus & æternis sapientes, sed de sensibilibus duntaxat sollicitos, in hísque omnia constituentes, esse sapientes huius mundi. Ita cùm multa alia quæ consentiunt materiæ & corporibus, atque affirmant cuncta subsistentia esse corpora præcipuè, nihilque ipsorum comparatione esse, siue quod dicitur inuisibile, siue quod M nominatur incorporeum, nominat sapientiam mundi, quæ dissoluitur & euanescit, & sapientiam huius seculi. Alia, quæ animum ab bis rebus ad Dei beatitudinem, & quod vocatur regnum, transferunt, ac docent despicere quasi temporaria cuncta, quæ sensu & aspectu percipiuntur, & properare ad inuisibilia, atque quæ non cernuntur contemplari, appellat Dei sapientiam. Porrò veri amator Paulus de quibusdam inter Græcos sapientibus, in quibus quidem vera sentiunt, inquiens, Qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; primùm testificatur eos Deum cognouisse. deinde istam notitiam minimè sine Deo in eis esse factam, dum scribit, Deus enim ipsis manifestauit: Tacitè indicans, opinor, eos qui à visibilibus ad intelligibilia conscendunt, dum adiicit, Quoniam inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Præterea fortassè ex isto Apostoli dicto, Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.

Matth. 23. *1. Cor. 12.* *Act. 7.* *1. Cor. 1.* *Sapientia mundi.* *Sapientia Dei.* *Rom. 1.* *1. Cor. 1.*

Sed

A Sed stulta mundi elegit Deus, vt sapientes confundat, & ignobilia & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius, adducti sunt quidam, vt nullum doctum, nullum sapientem, nullum prudentem accedere ad verbum (Dei) existimarent. Istis verò respondebimus non esse dictum, Nullus sapiens secundum carnem, sed non multi sapientes secundum carnem. Et perspicuè in notis eorum qui vocantur Episcopi, describens Paulus, qualem esse oporteat Episcopum, posuit etiam doctorem, pronuntians oportere, vt possit etiam eos qui contradicũt, arguere, vt stultè loquentium & mente captorum ora sua sapientia obturet. Ac quemadmodum vnius vxoris virum digamo antepouit ad Episcopatum, & irreprehensibilem reprehensibili & sobrium non sobrio, & temperãtem non temperanti, & mundum aliquantulum immundo: sic præcipuè ad Episcopi munus constituendum, eum vult esse docendi facultate præditum, qui & possit contradicentes conuincere. Quàm rectè igitur accusat nos Celsus, veluti dicentes, Nullus accedat eruditus, nullus sapiens, nullus prudens. Imò verò accedat quidem eruditus, & sapiens, & prudens, qui cupit: nihilominus tamen accedat etiam indoctus, insipiens, imperitus, infans. Tales enim etiam accedentes curaturum se pollicetur verbum (Dei) cunctos

1. Tim. 3. Tit. 1.

B Deo dignos efficiens. Falsum enim verbi Dei doctores solos velle stultos & ignobiles, & sensu carentes, & mancipia & mulierculas & puerulos cõuertere. Atque hos quidem vocat verbum, vt meliores efficiat. His verò etiam multò præstantiores vocat, quoniam Saluator omnium hominum Christus, & maxime fidelium, siue doctorum, siue simplicium, & propitiatio est apud Patrem pro peccatis nostris, non solùm autem nostris, sed & mundi totius. Quare superfluum post hæc nos velle defendere cõtra Celsi voces sic habentes: Quid enim aliàs mali est, eruditum esse, & doctrinæ præstantissimæ studiosum, & prudentem esse simul & videri? Ecquid istud obest ad Dei notitiam? Quid? Nónne vtilius est id, per quod citiùs ad veritatem aliquis possit peruenire? Ac sanè verè esse eruditum, minimè malum est: nam via est ad virtutem, eruditio. At in eruditis numerare eos, qui erroneis dogmatibus tenentur, ne quidem Græcorum Philosophi dicent. Sed nec iuxta nostrum verbum sapientia est prauitatis scientia. Prauitatis, vt sic nominem, scientia est in falsa opinationibus, & sophisticis rationibus decepta. Quocirca in his imperitiam potius quàm sapientiam dixerim. Rursum quis non fateatur doctrinæ præstantissimæ esse studiosum, esse bonum? At quam doctrinam dicemus præstantissimam, nónne veram, & ad virtutem incitantem? Præterea etiam prudentem esse bonum est, sed non videri, quemadmodú

1. Ioan. 2.

C dixit Celsus: neque ad Deum cognoscendum officit, sed verius confert eruditio, doctrinæ præstantis studium, prudentia. Quod nobis magis conuenit prędicare, quàm Celso, maxime cùm Epicureos esse arguatur. Verùm cætera eius perspiciamus. At videmus (inquit) eos qui in mercatibus vilissima ostentant & aggregant, in prudentum quidem hominum consortium nunquam venire, neque inter eos audere sua ostentare. Vbi autem viderint infantes, & seruorum turbam, & insipientium hominum multitudinẽ, illuc currere, & sua gloriosissimè efferre. Vides quibus nos calumniis afficiat, cum nebulonibus circumforaneis vilissima ostentantibus & aggregantibus nos comparans. An aliquid iis simile facimus, qui tùm lectionibus, tum lectionum expositionibus, ad pietatem erga Deum vniuersorum, & virtutes pietatis comites hortamur, atque a deî contemptu & rebus omnibus à recta ratione abhorrentibus dehortamur? Et Philosophi quidem optauerint eiusmodi verborum ad honestum incitantium auditores coaceruare: quod præsertim fecerunt quidam Cynici publicè cum quibuslibet disputantes. Verum igitur etiam illos cõgregantes, non quidem eos qui existimantur eruditi, sed vocantes & colligentes discipulos è triuio, comparabunt cum turpissima ostentantibus in fuco? At neque Celsus, neque eadem sentientium quisquam, eos pro perspicua

D ipsorum humanitate verba etiam ad imperitorum multitudinem habentes culpauerit. Quod si isti ista actione sint extra culpam, videamus, num multò melius Christiani ad virtutem & honestatem plebem cõuocent. Philosophi certè publicè disputantes, non magnum studium adhibent ad auditores diiudicandos, sed quicunque vult, adest, & audit. Christiani verò pro viribus antè explorant futurorum auditorum animas, priuatim eos præmuniunt, denique non auditores antè in publicũ introducũt, quàm satis videantur in bene viuendi voluntate profecisse, tribus eorum ordinibus constitutis.

Primum faciunt modo incipientium & aduenientium, qui & nondum purificationis symbolum receperunt: Alterum, prout possunt, declarantium sibi esse in votis & instituto nihil velle aliud, nisi Christianorum placita, apud quos aliqui præficiuntur, qui de accedentium vita & institutis siue moribus studiosissimè inquirant, vt infamibus vitiis deditos, in communem suorum cœtum venire prohibeant, cæteros animo valdè beneuolo exceptos, meliores quotidiè efficiant. Talis est ipsorum institutio & consuetudo circa peccantes, maximè intemperantem vitam agentes, quos communi cœtu expellent ij, qui Celsi iudicio istis circumforaneis vilissima venditantibus sunt similes. Pythagoreorum quidem insigne auditorium vmbratica & simulata eorum, qui à sapientum

Tres ordines auditorum.

E Philosophia deficiunt, sepulchra confecit, eos pro mortuis habens. At illi homines, intemperantia alióve nefando flagitio superatos, quasi intereuntes mortuósque Deo, tanquam vita functos lugent, & vt è mortuis excitatos, vbi dignam ratione mutationem longiore tempore, quàm quod sese initiantibus est assignatum, tandem aliquando admittunt: Ita tamen, vt in nullum principatum & præfecturam Ecclesiæ, quæ dicitur, vbi semel post suum ad verbum Dei accessum lapsi fuerint, cooptent. De his, quibuscum nos Celsus confert, circumforaneis nebulonibus vilissima venditantibus & colligentibus, inquit, in prudentum hominum consortium nunquam concedere, neque his suas res pręclaras audere ostentare. Sed vbi conspexerint pueros, & seruorum greges, & mentis expertium hominum cœtum, illò procurrere, & sua fumosè venditare. In quo nihil aliud quàm conuitiatur, quasi simus similes mulierculis in triuio versantibus, se mutuò maledictis obruere proponentibus. Nos enim quantum possumus, omnia tentamus, quò noster cœtus hominum sit prudentium. Tunc autem nostra, maximè præclara & diuina, disputationibus in commune institutis, proferre in medium, cùm intelligentibus eruditisque auditoribus abundamus. Occul-

F tamus verò & tacemus profundiora, cùm præsentes cernimus simpliciores, egentésque sermonibus Lac tropicè nominatis. Scribitur enim apud Paulum nostrum, ad Corinthios Grecos, nondum moribus satis purgatos scribentem: Lac vobis potum dedi, non escam. Nondú enim poteratis, sed nec nũc potestis: adhuc enim estis carnales. Vbi enim in vobis zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Ille idem sciens quoddam esse alimentum animæ perfectioris, aliud elementariis tyronibus, & quasi infantibus accommodatum, lacti comparari, ait, Opus habetis lacte, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. An igitur, qui his vt præclarè asseueratis credunt, Verbi insignes sententias in prudentũ hominum cœtu numquam dicendas existimabunt: sed vbi pueros & seruorum greges, & imperitorum hominum cœtum viderint, eò diuina atque veneranda in medium proferent, & apud eos colorabunt? Atqui perspicuum inuestiganti vniuersam nostrarum literarũ mentem, Celsum imperitæ multitudinis inimicũ, ista aduersus Christianos, sine veri peruestigatione commentum dicere. Confiremur nos velle cunctos Dei verbum docere, &si id nolit Celsus: puellis etiam tradere præceptiones ipsis con-

Lac tropicum.

1. Cor. 3.

Hebr. 5.

Heb. 4.

G gruẽtes, ſemis oſtendere, quo pacto libero aſſumpto ſpiritu, verbo Dei nobilitentur. Nam qui apud nos legatione pro Chriſtianiſmo funguntur idoneè (inquit Paulus) debitores ſunt Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus. Neque enim inficiantur inſipientium animas eſſe curandas, vt depoſita, pro virili, ignoratione, ad intelligentiam ſapientiorem feſtinent, audientes dicentem Salomonem: Inſipientes apponite cor, & qui in vobis eſt inſipientiſſimus, declinet ad me. Mentis autem indigẽtibus imperat Sapientia, venite, comedite panem meum,

Prouer. 8. & bibite vinum quod miſcui vobis. Relinquite inſipiẽtiam, vt viuatis, & corrigite in ſcientia intelligentiam. Dicam etiam iſta propter ea, quæ Celſus poſuit. An qui philoſophantur, pueros ad auditionem non prouocant? An improbæ vitæ iuuenes non inuitant ad meliora? Quid? An ſeruos nolunt philoſophari? Ideóne Philoſophos vituperabimus, quod ſeruos ad virtutem hortentur? vt Pythagoras Zamolxim, Zeno Perſeum, & qui nudiuſtertius Epictetum ad philoſophandum perduxerunt? Vobis fortaſſe, ô Græci, licet pueros, ſeruos, inſipientes homines ad Philoſophiam vocare: nos, ſi id facimus, inhumanè facimus, verbi medicina vniuerſam rationalem naturam curare ſtudentes, & attribuere Deo omnium opifici? Perinde agit Celſus, dum multitudine vulgi ad Chriſtianiſmũ

H accedentis deceptus, ait nullum prudentem verbo Dei credere, ac iſte, qui diceret propter multitudinem idiotarum legibus obtemperantium, nullum prudentem, exempli gratia, Soloni, aut Lycurgo, aut Zaleuco fidem addere: præſertim ſi virtute præditum appellet ſapientem. Vt enim in his, pro vtilitate perſpecta legiſlatores tentant ſuis inſtitutis ipſos etiam legibus ſubiicere: ſic legem per Ieſum ferens Deus omnis generis hominibus, etiam non prudentes, prout perſuaderi poſſunt, ad meliora inducit.

1. Cor. 1. Quod Paulus conſpicatus dixit, Stulta mundi elegit deus, vt ſapientes confunderet. Sapientes ſimpliciùs nominans cunctos, qui videntur quidem verſati in diſciplinis, ſed in impiam Deorum multitudinem inciderunt: Quoniam dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis

Rom. 1. corruptibilis hominis, & volatilium, & quadrupedum, & ſerpentium. Porrò dum accuſat docentem, & velut intelligentiæ expertes requirentem, peto, quos intelligentiæ expertes appellet? Re vera enim omnis ſimplex, intelligentiæ eſt expers. Si igitur intelligentiæ expertes appellas ſimplices, an tu accedens ad Philoſophiam, ſimplices vis accedere, an ſcitos? At iſti non poſſunt, quoniam iam Philoſophiæ ſeſe dediderunt. Simplices igitur. Iam ſi ſimplices expertes intelligentiæ multos adducere vis ad ſapientiæ ſtudium & Philoſophiam, requiris ergo intelligentiæ expertes. Ego verò etiamſi eiuſmodi rudes, intelli-

I gentiæque carentes, quos appellas, requiro, perinde ago, vt ſi humaniſſimus medicus laborantes inquirat, vt opem ipſis ferat atque ſanitatem. Quòd ſi intelligentię expertes vocas, non ſubtiles & acutos, ſed hominum ſtupidiſſimos, tibi reſpondeo, me etiam iſtos conari pro viribus ad meliorem viam perducere. Nolo tamen ex his Chriſtianorum cœtum atque concilium conſtituere: Nam malo acutiores & ſubtiliores, quippè qui aſſequi ænigmatum & ſenſuum in lege, Prophetis, & Euangeliis abſtruſorum altitudinem poſſunt. Quæ quidem tu ſcripta, vt nihil dignitatis & præſtantiæ habentia, ante exploratam eorum mentem, & tentatum in ſcribentium ſententiam ingreſſum temere neglexiſti.

Noſtram in Dominum fidem nihil habentem commercij cum bruta Gentilium ſuperſtitione, Eſſe laudandam, & communibus ſenſis ab omni antiquitate repetitis conſentire. Item aduerſus eos qui quærunt quo pacto Ieſum mortali corpore conſtantem, Deum exiſtimemus.

CAP. XIX.

E præcedentibus verbis eiuſdem tomi (tertij) contra Celſum. K



IGITVR de Antinoo, aut eiuſmodi alio quouis, ſiue apud Ægyptios, ſiue apud Græcos fides eſt, vt ſic nominẽ, infortunata: at de Ieſu aut videtur fortunata, aut etiam ſtudioſè exploratur atque inquiritur. Videtur quidem fortunata apud multitudinem, ſtudioſè autem inquiritur apud valdè pauciſſimos. Cum aliquam fidem eſſe dico, vt multi nominauerint, fortunatam, vocabulum ad Deum ſcientem cauſas, cur vnicuique homini in hanc vitam venienti certa attribuantur, refero. Græci affirmabunt etiam in ſapiẽtiſſimis, rerum quamplurimarum cauſam eſſe proſperam fortunam. Exempli cauſa, in tanta doctorum varietate, in meliores incidere, cùm alij contrarias teneant & doceant ſententias: Item educari in melioribus. Nam multis contrà educari accidit, vt ne permittantur quidem ſpeciem meliorum percipere, ſed ſemper, à prima etiam ætate, verſari aut in amoribus intemperantium hominũ, aut dominorum, aut aliquo alio animum ſurſum aſpicere non permittente flagitio. Horum autem cauſas par eſt, vt in prouidentiæ rationibus exiſtant: vt verò cadant in homines, non promptum eſt & facile. Exiſtimaui hæc

L interim dicenda per digreſſionem propter iſta, Quidnam fides, qualiſcunque anticipata, efficit. Oportebat enim propter educationes differentes dicere fidẽ differre in hominibus fortunatiùs aut infortunatius credentibus, ac indè colligere ſubtiliores magis rationales videri, & addere, rationi eſſe conuenientius, vt ad dogmatum propagationẽ proſpera fortuna & aduerſa (ſic enim nominantur) conferat. Sed de his ſatis. Reliqua Celſi conſideremus. Nobis (inquiunt) fides animam noſtram occupans, hanc de Ieſu aſſenſionem & approbationem ingenerat. Verè enim fides in nobis facit hanc approbationem. Vide autem num indè ipſa fides laudẽ mereatur. Credimus enim Deo prępotenti & ſummo, gratiam communiter agentes huiuſce fidei duci & præmonſtratori Chriſto, quem & prædicamus piè iſta auſum perfeciſſe. Credimus etiã inſtitutis eorum, qui Euangelia conſcripſerunt, perſpicientes ipſorum mentem, & religionem, & conſcientiam, vt qui è ſuis literis cognoſcantur nihil habere nothum, nihil fortuitum, nihil fictum. Nam proculdubiò animæ deſtitutæ vaferrima Græcorum ſapientia, quæ multam continet probabilitatem & acumen, itémque Rhetorica, quæ in curiis forenſibus verſatur, non ſic potuerunt res fingere, quæ ex ſeſe ad faciendam fidem, & inſtitutionem fidei congruentem valent. Arbitror autem Ieſum propterea voluiſſe huiuſmodi vti doctoribus, vt nullum haberet locum veriſimilis, & ad perſuadendum accommodatæ ſapientiæ ſuſpi-

M cio. Perſpicuè autem intelligere valentibus liquet, purum & innocuum ſcribentium conſilium habens, vt ſic dicam, ſimplicitatem dignum fuiſſe habitum diuina virtute, multò plus efficiente, quàm efficere poſſe videatur ſermonis ornatus & verborum compoſitio, & cum diſtinctionibus & artificio Græcanico ordo atque contextus. Conſidera enim, an non fides noſtra communibus ſententiis ab omni antiquitate repetitis conſentiens, auditores prædicationis noſtræ beneuolos conuertat? Nam etſi peruerſitas, multa eruditione cum ipſa conſpirante, moliri ſtudium potuit inſerere opinionem de ſimulachris, vt diis, & de rebus ex auro & argento & ebore & lapide confectis, vt adoratione dignis: at communis notio in animum ſtatim inducit, Deum nullo modo materiam eſſe corruptibilem, neque ab homine figuratum adorari in materiis inanimatis, vt quæ non ſint ad imaginem, aut aliquas notas & ſimulachra illius fabricatæ. Itaque protinus dicitur, ſimulachra & eiuſmodi opificia non poſſe comparari cum opifice Deo omnium ſummo, qui condidit, & continet, & moderatur vniuerſa, Et ſtatim tanquam cognatum agnoſcens rationalis anima, abiicit quæcunque tunc opinabatur eſſe Deos, & amorem concipit naturalem, erga ſuum creatorem.

Quin

A Quin & illo erga Deum amore, & quasi philtro siue poculo amatorio, suscipit etiam Iesum, qui ea primùm vniuersis hominibus declarauit per dispositos discipulos à se emissos cum diuina virtute & potestate ad prædicandum Deum, & Dei regnum. Cæterùm quoniam sæpiusculè nos vituperauit, quòd Iesum, cùm constet mortali corpore, Deum existimemus, vt in hoc etiam sanctè nos videamur gerere, commemorare denuò est superuacaneú. Nam plura de hoc in superioribus dicta sunt. Attamen sciant vituperatores nostri, quem existimamus & credimus à principio esse Deum, & Dei filium, esse ipsummet verbum, ipsammet sapientiam, ipsammet veritatem: Mortale verò eius corpus, & humanam eius animam, non solùm propter communicationem, quam cum Verbo habet, verùm etiam propter vnionem & temperationem, ingentia assumpsisse, & ex communicatione deitatis verbi in Deum esse transmutata. Quòd si quis offendatur, dum ista de nostro corpore dicimus, attendat ad ea quæ dicuntur à Græcis de materia sua ratione informi, qualitates induente, quas Deus opifex ipsi voluerit tribuere. Sæpè quidem priores abiicit, sæpè etiam meliores & differentes assumit. Quæ si sanè & citra culpam prædicantur, quid mirum qualitatem mortalis Iesu corporis, Dei ita volentis prouidentia, mutatum esse in ætheriam & di- [margin: Cauitè.]

B uinam qualitatem? Non vt Dialecticus prodidit Celsus, conferens humanam Dei carnem cum auro & argento & lapide, quoniam caro quàm ista faciliùs corrumpitur. Nam iuxta accuratam rationem, incorruptibile incorruptibili non est magis incorruptibile, * nisi fortassè magis incorruptibile. Ad id tamen respondebimus. Si materia cunctis qualitatibus obnoxia, mutare potest qualitates, quomodo caro Iesu, mutatis qualitatibus, non poterit talis fieri, qualem oportet esse eam, quæ in æthere & superioribus eius locis versatur, non iam habentem carneæ infirmitatis propria, & quæcunque execratiora nominauit Celsus, philosophicæ disciplinæ inconuenienter. Propriè enim execratum à prauitate tale est. Natura autem corporis non est execrata. Non enim quà natura corporis est, quod generat execrationem, prauitatem habet. [margin: * Suspicor esse mendum, aut non intelligo. — μιαρὸν. — Non intelligo.]

ADVERSVS EOS QVI DIcunt, non propter hominem, sed propter bruta effectam esse vniuersitatem, atque adeò homines: quoniam minore quàm nos labore bruta viuunt. Item bruta, velut nobis sapientiora, Deo chara esse, & Dei habere notitiam, & prascire futura. In quibus etiam de animarum (in corpora) transmigratione, & de auguriis, eorúmque fallacia.

C

CAPVT XX.

E tomo quarto contra Celsum.

POST hæc ait Celsus: At vt non de solis Iudæis (non enim istud dico) sed de vniuersa natura, quod promiseram, sermo sit, clariùs prædicta declarabo. Ecquis hæc legens moderatus, & humanæ infirmitatis cóscius, non oderit istum gloriosè pollicentem se de vniuersa natura rationem redditurum, itémque arroganter extollentem libri titulum, quem ipse ausus est inscribere. Sed videamus quænam sint ista, quæ de vniuersa natura se dicturum atque declaraturum pollicetur. De multis deinceps certè accusat nos, velut hominis causa dicentes, Deum omnia effecisse, ac vult ex animalium historia & solertia in ipsis apparente ostendere, non magis hominum, quàm brutorum animalium causa omnia extitisse. Et videtur mihi simile his agere, qui inimicos propter suum erga ipsos odium accusant, de iis ob quæ ipsorum amicissimi laudantur. Quemadmodum enim in his cæcutit odium, [margin: αὐτοῖς legendum, non αὐτῆς]

dum non vident se amicissimos accusare per ea, quibus se D malè dicere de inimicis existimant: eodem certè modo Celsus confusa ratione non cernit se etiam Stoicos Philosophos damnare, vt præclarè brutis animantibus præponentes hominem, atque omninò rationalem naturam, proptérque eam præcipuè, prouidentiam cuncta effecisse docentes: rationalia quidem, quæ sunt præcipua, pueruli nascentis habere rationem: irrationalia autem & inanima prædij, quòd simul cum puerulo componitur. Et certè, vt arbitror, quemadmodum in respub. prouisores venaliũ rerum & fori, ob nullam aliam causam prouident, quàm propter homines, & tamen vbertatis vtilitatem sentiunt etiam canes & alia bruta: sic prouidentia præcipuè ad rationales creaturas attendit: quadam autem consequentia etiam bruta iis, quę propter homines facta sunt, perfruuntur. Ac quemadmodum errat, qui asserit fori leges non magis prospicere hominibus, quàm canibus, quoniam etiam canes fruuntur venalium vbertate: sic multò magis Celsus, & qui eadem cum ipso sentiunt, sunt impij in Deum rationalibus creaturis prouidentem, dum aiunt, non hæc magis hominum causa propter pastum esse producta, quã stirpium, arborum, herbarum. Primum enim opinatur non esse Dei opera tonitrua, fulgura, pluuias, apertè iam Epicureum agens. Deinde, etiamsi concedatur hæc Dei esse opera, dum non magis hęc in cibum propter nos homines, quàm propter stirpes, arbores, herbas, spinas, esse effecta confitetur, fortuitò, non prouidentia, vt verè Epicureus, ista accidere concedit. Nam si non magis nobis hominibus, quàm stirpibus & arboribus, & herbis & spinis, ista sunt vtilia, perspicuè huiusmodi à prouidentia non proficiscuntur, aut prouidentia non plus nostra curat, quàm arbores & herbas & spinas. Quorum vtrumque est impium, & quamuis nos de impietate accuset, tam impiis dictis contradicere satuum. Omnibus enim notum è iam disputatis, vter sit impius. Deinde, Etiam hic (inquit) asseris hominum causa nasci stirpes & arbores, & herbas & spinas. Cur potius ea hominibus nasci prædicas, quàm brutis animalibus, agrestissimis? Perspicuè igitur enuntiet Celsus, tantam eorum quæ in terra gignũtur differentiam, non esse prouidentiæ opus, sed casus & fortunæ: deinde quis tot & tantas Atomorum qualitates fecerit. Item fortuitò apertè doceat, tot stirpium, arborum, herbarum species sibi mutuò esse similes: præterea nullam artificiosam rationem ipsa constituisse, neque à mente omne miraculum superante, habere principium. [margin: μὴ lego, non τιμῆς. — E]

At nos Christiani istorum opifici Deo duntaxat consecrati, etiam de iis gratiam horum omnium conditori habemus, quoniam nobis & propter nos bestiis ad nostra seruitia comparatis, talem locũ præparauit, qui producit iumentis fœnum, & herbam seruituti hominum: qui educit panem de terra, & vinum, vt lætificet cor hominis, & exhilaretur facies oleo, Et panis confirmet cor hominis. Quòd si etiam agrestissimis animantibus alimenta ministrauit, nihil mirum. Nam etiam hæc animalia alij Philosophi rationali creaturæ, exercitationis gratia, producta esse dixerunt. Præterea alicubi nostrorum sapientium vnus: Ne dicas (inquit) quid istud, aut quorsum istud. Cuncta enim ad vsum ipsorum creata sunt. Et ne quæras, quid istud, aut ad quid istud. Cuncta enim tempore suo requirentur. Deinceps Celsus volens prouidentiam non magis nobis quàm belluis agrestissimis terræ fructus & herbas producere, subiicit, Nos sanè laborantes, & magna miseria confecti vix atque laboriosè alimur. [margin: F — Psal. — Eccles.]

His autem circa sationem & arationem nascuntur. Non videt Deum vbique humanam intelligentiam exercere cupientem, ne desideret otiosa & ignara expérsque artium, hominem summè indignum condidisse, vt ob suam egestatem inuenire artes quasdam ad se alendum cogeretur, alias ad tegendum. Prius enim erat & potius iis, qui non fuerant diuina peruestigaturi, & philosophaturi, egere, vt intelligentia & ingenio ad inuestigandas artes vterentur, quàm ex abundantia & copia.

G intelligentiam penitùs negligere. Igitur rerum ad vitam necessariarum penuria constituit, partim agriculturam, partim hortensem, partim fabrilem & metallicam, operũ artibus ad cibum pertinentibus vtilium effectrices. Integumenti autem inopia partim textrinam, pòst tondendi & nendi artificia introduxit, partim ædificatricem. Ita intelligentia ascendit etiam ad architectonicam. Præterea necessariorum indigentia docuit ea, quę aliis in locis gignuntur, exportare ad alios, nauigandi arte. Quocirca eas ob causas prouidentia conuenienter præter bruta animalia hominem rationis participem egenum condidit: Nam bruta paratam sunt consecuta escam, vt quę ad artes impetum nullum habeant. Præterea naturale habent tegumentum: nam vel pilis, vel plumis, vel squammis, vel testis sunt obducta atque obtecta. Postea sibi ipsi opponit Celsus, quæ vulgò homines dicunt, propter nos bruta animantia esse producta, atque ait: Si quis nos principes dixerit brutorum, quoniam bruta venamur, & in conuiuiis edimus, vicissim dicemus quid? Nônne potius propter ipsa nascimur, quandoquidem illa nos venantur & deuorant? Pręterea nobis maculis & retibus & armis opus est, hominum item copioso comitatu & auxilio, & canibus ad ea venatione capienda. Illis vna & per se H natura arma dedit, quibus facillimè in ipsorum venimus potestatem. Hic vides, quàm magnum adiumentum nobis intelligentia afferat, quàm præstantius quibuslibet armis, quibus ferę alioqui instructæ videantur.
Nos igitur corpore feris multò imbecilliores, quibusdam etiam supra modum breuiores feras intelligentia subigimus, & ingentes elephantos venamur. Quæ natura abhorrent a cicuratione, subiicimus nostræ mansuetudini. Aduersum eas, quas natura noluit cicurari, aut quæ non videntur è cicuratione nobis vllam præstare commoditatem, sic cum nostra securitate statuimus, vt cùm volumus, tantas támque feras bestias clausas domi habeamus: cùm ad alimentorum corporibus ipsorum indigemus sic ipsas de medio tollimus, vt & reliquas animantes non agrestes. Seruas igitur omnes animalis ratione participis, & naturalis ipsius intelligentię, summus opifex constituit. Ad alia canibus egemus, verbi gratia, ad custodiam ouium, boum, caprarum, ædium. Ad alia bubus, veluti ad agriculturam. Ad alia iumentis vtimur, aut onera ferentibus belluis. Sic ad exercenda nostræ fortitudinis seminaria datum nobis fertur Leonum & vrsorum, pardorum & suum, & similium genus. Deinde ad hominum genus suam supra brutas animantes excellentiam sentientium, inquit, Ad id, quod prædicatis Deum vobis tribuisse posse tollere feras, & conficere, respondemus: Antequàm essent vrbes, & artes, & huiusmodi com-
I mercia, & arma, & retia, vt par est, homines à feris rapiebantur, & deuorabantur: feræ autem minimè ab hominibus capiebantur. Atqui vt his respondeam, etsi homines attingunt feras belluas, & feræ belluæ homines vicissim rapiunt: at magnum est discrimen inter intellectu mentéque prædita, vt nihil à feris patiantur, & bruta intelligentiæ expertia, feritate atque crudelitate pollentia.
Quod autem ait, antequàm vrbes essent, & artes, & vsus siue commercia, hominis, opinor, est obliuiscentis eorum quæ iam superius dixit, mundum esse ingenitum, & incorruptum, & non nisi singularia atque certa orbis loca eluuiones conflagrationésque pati, neque omnia simul cum his concidere. Vt igitur non licet ingenitum constituentibus mundum, principium ipsius nominare, sic neque tempus circumscribere, quando nullo modo erant ciuitates, neque artes adhuc erant inuentæ. Quæ vt possimus nobis conuenienter, ipsi concedere, at ipse si sibi velit constare, non potest. Quid igitur istud ad id, quod homines principiò planè à feris rapti sunt, non item feræ ab hominibus capiebantur? Nam si prouidẽtia mundus effectus est, & Deus rebus vniuersis præsidet, necesse est igniculos generis humani exorientes, in quadam meliori custodia fuisse, ita vt à principio commercium esset inter diuinam naturam & homines, quemadmodum Ascreus poëta cecinit: K

Communes enim erant epulæ, sedésque locorum
Communes tunc hominibus mortalibus, & diis
Immortalibus.

Hominibus communes epulæ, ob versionem carmen.

Diuinus autem secundum Mosen sermo primos homines vocem & oracula audientes introduxit: interdum pręterea cernentes Angelorum Dei secum congressum. Nam consentaneum mundi initio humanam naturã pluribus auxiliis fuisse cumulatam, donec vbi in intelligentia & virtutibus & artium inuentione profecisset, posset per se viuere, non egens perpetuò procuratoribus & dispensatoribus, cum admirabili Angelorum, Dei voluntati ministrantium, apparitione. Hinc sequitur falsum esse, quod initio homines à feris raperentur & vorarentur, feræ autem minimè ab hominibus caperentur.
Perspicuè igitur falsum, quod in eam sententiam Celsus protulit: Itaque hoc modo Deus homines potius feris subiecit. Non enim subiecit feris homines, sed vt hominum intelligentia capi possent feræ, & artibus contra illas vt intelligentiæ constitutis, Deus tribuit. Non enim sine Deo sibi ipsis homines à feris salutaria auxilia, & contra illas impetum excogitauerunt. Cæterum non intuens L vir iste generosus, quanti Philosophi prouidentiam introducerint, atque eam propter creaturas rationales cuncta fecisse dixerint, simul, quantum in ipso est, tollit Christianorum vtilia dogmata, eáque Philosophiæ congruentia: neque cernens quanta creetur noxa pietati, si admiserit hominem apud Deum non differre a formicis & apibus, ait: Si propterea homines differre videntur a brutis, quoniam vrbes habitarunt, & vtuntur politia & principatibus & imperiis, illud nihil ad propositum. Etenim formicæ & apes sunt eiusmodi. Apes certè ducem habent, & ordinem, & famulatum, & bella gerunt, & victutias referunt, & victos de medio tollunt, suas habent vrbes & pomœria siue suburbia, & operum successiones, & contra pigras & prauas lites instituunt, fucos abigunt atque puniunt. Neque in his certè vidit, quo differant ea quæ ratione & ratiocinatione perficiuntur, à rebus natura rationis experte & exili opificio factis, quorũ causam nulla operãtiu ratio cõcipit. Nullã enim habẽt: sed antiquissimus quidẽ & filius Dei, omnium autem subiectarũ rerum Rex, naturã rationis expertem, adiutricẽ, tãquã rationis expertem hominibus ratione participãtibus fecit. Ciuitates igitur apud homines cum multis artibus & ordinationis legibus cõstitutæ sunt. Politiæ verò, & principatus, & imperia sunt in hominibus propriè serij quidẽ habitus & actiones: minus propriè, quæ ad illorum, prout fieri potest, imitationem instituuntur. In illa enim intuentes Rerump. præfecti M legumlatores, præstantissimas politias constituerunt, & principatus, & imperia, quorum nullum in brutis licet inuenire: Quamuis Celsus rationalia nomina, & de rebus ratione factis posita, ciuitatem, & politiam, & principatus, & imperia, etiam ad formicas & apes referat. Quorum causa & homines nullo modo quidem formicas & apes accipiamus oportet (nam cum ratiocinatione non operantur) sed diuinam naturam admiremur, vsque ad rationis expertia quoddam rationalium imitamentum extendentem. Fortasse ad hominum verecundiam, vt formicis intendentes, ad operandum actiores, & rerum ad vitam vtilium frugaliores dispensatores efficiantur. Præterea contemplanti etiam apes, Principi pareant, & vtilia Reip. opera ad ciuitatum conseruationem distribuant. Fortassè etiam præliorum simulachra inter apes, documentum dant de præliis iustis & bene ordinatis, si quando ea geri inter homines oporteat. Nec verò ciuitates & pomœria siue suburbia apes habent, sed aluearia & sexangula.
Earum etiam opera & successio propter homines existit

ad multa

A ad multa melle indigentes, & ad curationem malè affectorum corporum, & ad potius alimentum. Præterea fucorum ab apibus eiectio non debet cum litibus in ciuitatibus contra inertes & prauos institutis, eorúmque supplicijs. Verùm, vt antè dixi, in his naturam admirari oportet: Hominem autem, qui omnia potest complecti, & omniú opera exornare, velut prouidentiæ opitulatorem, imò verò non solus prouidentiæ opera perficientem, verú etiam sua suscipere. Locutus Celsus de apibus, & pro viribus eleuet, nostras non solùm Christianorum, verùm etiam hominum omnium ciuitates, & politias, & principatus, & imperia, & pro patria suscepta bella, deinceps formicarú laudem infert & percurrit, vt earum encomio circa alimēta dispensationem & œconomiam, formicarum comparatione deijciat, & de rebus hyeme necessarijs prouidentiá deprimat: quasi nihil amplius habeant homines bruta rationéque carente formicarum; in iis quę ille opinatur prouidentia. Quènnam autem è simplicioribus hominibus & nescientibus omnium rerum naturam perspicere non detestabitur, quantum valuerit, Celsus, ex eo quòd onerum mole grauatis opitulentur, & cum illis in laboribus communicent, maximè cùm eos formicis æquiparans, dicat, eas quando aliquam viderint laborantem in onerum baiulatione, sibi inuicem succurrere? Ratiocinabitur enim qui institutionis, ratione constantis eguerit, & eam nullo modo intellexerit, quoniam nihil à formicis differimus, etiam cùm laborantibus [...]erimus opem, quid stultè istud

Faci.

B molimur? quid magni facimus? Et formicæ quidem, quippè quæ brutæ sint animantes, quando ipsarum opera cum hominum actionibus conferentur, nō extollentur ad magnificè de se sentiendum. Homines autem cùm propter rationem audire possint, quo pacto communis ipsorum facultas vilipendatur, offendentur quàm maximè propter Celsum, ipsiúsque verba, qui nō vidit se, dum vellet a Christiana religione sui libri lectores auertere, communem hominum, etiam à Christiana pietate abhorrētium, ergà oppressos & oneribus grauatos commiserationem detestatum. Atqui ipsum oportebat, siquidem erat Philosophus communis sensus particeps, non modò non tollere cum Christianis sententijs vtilitates hominum, verùm etiam, si poterat, bona Christianis cum alijs hominibus communia promouere & adiuuare. Quod si reconditorum fructuum germina eximunt formicæ ne germinent, sed maneant in annum alendi sui causa, huius rei causam esse rationis discursum minimè est existimandum, verùm omniú matrem naturam, quæ etiam bruta ornauit, vt ne tantillu quidem sine rationis à natura profectæ vestigio sit relictu: Nisi sanè per hæc tacitè Celsus in multis Platonem æmulari cupit, atque vult eiusdem speciei esse animas vniuersas, nihilque animam hominis differre ab formicarum &

ἀπαργέσθαι lege, non ἀπαρχέσθαι.

C apum anima. Quod quidem est animas è cœlorum orbibus, nō modo in humana corpora, verumetiam in reliqua deducere. His autem non credent Christiani, qui iam acceperunt humanam animam ad Dei imaginem esse factá, & fieri non posse perspiciunt, naturam ad imaginem Dei fabricatá, penitus suas notas deserere, & rationis expertes atque brutas, nescio ad quorum imagines in brutis animántibus factas, assumere. Porrò quoniam etiam morientibus formicis ait viuas & superstites certum quendam locum secernere, ac enim illis esse patria monumenta, dicendum eum quanto plura affert brutorum encomia, tanto plus, etiamsi nolit, rationis sapientiæque diuinæ cuncta exornántis opificium exaggerare, atque ostendere, quantum ingenium & acumen in hominibus polleat, ad ratione exornandam naturæ etiam brutorum rationis expertium præstántiam. Sed quid dico rationis expertium? cùm Celsus sentiat, ne quidem rationis esse experttia, quæ communibus omnium sententijs rationis expertia appellantur? Formicas profectò non arbitratur ratione carere, quamuis se de vniuersa natura dicturum, vetuare in libri sui inscriptione gloriosè ostentata, esset pollicitus. Ait enim de formicis tanquam inter se colloquentibus ista: Et sanè sibi inuicé occurrentes colloquuntur: Vnde neque de vijs errant. Igitur etiam rationis perfectio in ipsis existit, & communes D sententiæ quorundam vniuersorum, & res per vocem significatæ. Nam aliquem cum aliquo colloqui, sit voce rē quandam significatam declarante. Præterea sæpè de contingentibus quæ feruntur enuntiant. Quæ quidem in formicis inesse dicere, quomodo non est omnino maximè ridiculum? Quin & minimè hominem pudet, vt suorum dogmatum turpitudinem suis æmulis ostendat, quadam collectione dicere: Age igitur, si quis de cœlo in illa terrestria inspiciat, quid videbuntur nostra & formicarum atque apum opera differre? De cœlo igitur super terram ex ipsius hypothesi, quæ fiunt ab hominibus & a formicis prospiciens, vtrum intuetur hominum & formicarum corpora, non autem contemplatur mentem, præcipuam illorum partem, & ratiocinatione motam atque agitatam: & rursum animam brutam, principalem istarum partem, & quodam impetu & phantasia citra rationem actam atque permotam cum aliqua naturali actione? Absurdum autem est è cœlo prospicientem sublimaria, velle quidem intueri hominum & formicarum corpora è tanto interuallo, non item potius principalium partium naturas, & inclinationum fontem rationis participem, aut expertem. Quod si semel conspexerit omnium inclinationum fontem, perspicuè etiam differentiam cernet, & præstantiam hominum, non modò supra formicas, verumetiam elephantes. Nam prospiciens de cœlo, in brutis, eorum etsi ingētia sint corpora, non aliud conspiciet principium, quàm, vt sic nominem, rationis vacuitatem. In rationalibus autem animan- E tibus quidpiam commune hominibus cum diuinis & cœlestibus, & fortasse cum ipso supremo Deo. Proinde etiam ina ia imaginem Dei effectus esse dicitur: nam imago supremi Dei, ipsius est ratio. Deinde velut magis deprimere studens hominum genus, & simile efficere brutis, nihilque eorum quæ de brutis narrantur, & præstantiam declarant, ipsi cupiens relinquere, non etiam etiam in quibusdam brutis habere locum tradit, vt ne eo quidem nomine homines aliquid insigne obijcere videantur, aut vllam vltra belluas rationis expertes excellentiam. Sic enim ponit: Quòd si etiam Goetiæ nomine sapiunt homines, iam in eo sapiētiores sunt serpentes & aues. Multa certè norunt venenorum amuleta, & contra morbos remedia. Quin & lapidu quorundam vires ad pullorum suorum salutem: quæ si homines consequantur, mirabilem quandam possessionem habere censentur. Primùm non video quo pacto siue experientiam circa naturalia venenorum amuleta, siue naturalem quandam comprehensionem Goëtiam nominauerit. Nam vulgare & tritum est Goetię vocabulum aliam habere rationem & ordinem. Nisi sanè tacitè calumniari F vult, velut Epicureus, omnem istorum vsum quasi in Goetarum ostentatione positum. Verùm ipsi demus, homines ob istorum notitiam magnificè de se sentire, siue sint Goetæ, siue non. Quo pacto in eo sapientiores sunt hominibus serpentes, quia marathro ad aspectus acumen & motionis celeritatem vtuntur? cùm illam rem solam naturalem ex acto & opere, non è ratiocinatione percipiant: Homines autem æquè ac serpentes, non tenui naturæ vi, sed partim experiētia, partim ratione eò perueniāt, interdu etiā ratiocinatione & sciētia? Similiter vt aquilę ad pullorú suorum saluté ætité qui fertur, lapidē repertú, portent in nidu: qua ratione sunt sapiētes aut etiā hominibus sapientiores, qui naturale auxiliú aquilis experiētia tributú, ratiocinatione & mente vsi inuenerunt? præterea belluæ alia venenorú amuleta cognoscant? Quid hoc, cùm non natura, sed ratio in animalibus ista inuenerit? Nam nisi ratio inuenisset, numquam definitè & certo numero hoc aliquid in serpētibus fuisset inuentum, sed esset secundum & tertium, & quippiam aliud in aquila: quin & in cęteris animalibus tot essent alia, quot etiam in hominibus. At nunc ex eo, quòd definitè ad aliquem singulorum animantium naturá vergunt auxilia, apparet neque sapientiam neque rationem in ipsis inesse, sed naturalem aliquam ad ista salutis ergò operationem a ratione profectam. Quamquam, si vellem, ad Celsi sententiam accedere, veteres Salomonis dicto é

De animarum differentiis.

Imago Dei ratio.

Probatio obscura.

G Prouerbiis sic habente: Quatuor sunt minima super terram. Ista autem sunt sapientiora sapientibus. Formicę, quę quamuis careant robore, æstate parant cibum. Chœrogrilli, populus non fortis, qui in rupibus sua domicilia construunt. Sine rege est locusta, & tamen exercitum instruit vno celeusmate, & ordinat. Stellio manibus se fulciens, qui cùm captu facilis sit, habitat in regis munitionibus. Verùm perspicuis dictis non vtar, sed potius inscriptione. Inscribitur autem liber Parœmiæ. Hæc tanquam ænigmata sectator. Eiusmodi enim homines solent, quibus aliud verbis exprimitur, aliud in intelligentia enuntiatur, in multas species diuidere, quarum vnam parœmias esse cēsent. Proindè in Euangeliis Saluatorem nostrum dixisse scribitur: hæc in parœmiis locutus sum vobis: sed venit hora, cùm nō adhuc vobis in parœmiis loquar. Non igitur formicæ sensu prædite sapiētiores sunt sapientibus, sed, vt in parœmiarum specie significatæ. Idem iudicium de cæteris animalibus. Verumenimuero Iudæorū & Christianorum libros Celsus opinatur esse valdè simplices & rudes, & qui eos allegoricè interpretantur, scriptorum mēti vim afferre. Sed istis Celsum nobis frustrà calumniam struxisse demonstratum sit. Præterea conuicta sit ipsius de serpētibus & aquilis disputatio, qua eos hominibus esse sapientiores pronuntiat. Quin & declarare volens pluribus, sensa de Deo eximia pertinere non modò ad homines, verum H etiam ad pleraque bruta de Deo cogitātia, de quo alioqui tam discrepantes sunt sententiæ inter homines vbique terrarum acutissimos, Græcos & Barbaros, inquit: Si homo, quia diuinam notitiam percipit, excellere cæteris animantibus censetur, qui hoc prædicant, sciant istud pleraque alia animalia sibi vendicare: idque meritissimè. Nam quid futurorum prænotione & præsignificatione diuinius? Atqui istud homines cùm ab aliis hominibus, tùm maximè ab auibus discunt, & qui illarum indicia intelligunt, sunt vates. Si igitur aues & aliæ animantes vaticinæ, diuinitùs prænoscentes, signis nos docent, tanto videntur propiùs ad diuinum colloquium natura accedere, esseque sapientiores, & Deo chariores. Ferunt etiam eruditi homines eas habere colloquia nostris sacratiora, & se earum sermones nosse, & opere ostendere illos sibi esse notos, dum prædicentes quicquid aues locutæ sunt, quia aliquò abeunt, & aliquid faciunt, declarant se abire & facere, quæ illæ prædixerunt. Elephantis porrò nihil sanctius, nihil erga Deum fidelius esse videtur, omninò sanè quoniam notitiam habent. Vide vt in his quæstiones apud Philosophos agitatas, non modò Græcos, verum etiam Barbaros, qui partim inuenerunt, partim à dæmonibus didicerunt auium & aliorum animalium qualitates, & affectiones, è quibus diuinationes aliquæ inter homines versari feruntur, in suum I vsum arripit, & pro concessis exponit. Primùm enim quęsitum est, an sit aliqua augurandi ars & absolute, per animantes diuinatio, nécne. Deinde apud eos, qui confitentur diuinationem ex auibus, non conuenit de modo diuinandi & causa. Alij enim motus istos animantium fieri dicunt aliquorum deorum aut dæmonum ariolantium ope, quibus impellentibus aues diuersos volatus, garritus differentes, cæteræ animantes hos & illos motus conficiunt. Alij putant earum animas esse diuiniores, & ad id accommodatas: quod minimè est credibile. Oportebat igitur Celsum, dum disputatione proposita, bruta hominibus diuiniora & sapientiora demonstrare studet, pluribus hanc diuinandi artem, quasi veram veréque consistentem statuere: Deinde efficaciter & certas argumentis rationes cōtrarias quæ eam tollunt, refellere: Certis etiam argumentis rationes docentium huiusmodi animalium motus à diis vel dæmonibus proficisci ad diuinandum euertere. Postremò de brutorum animalium anima velut diuiniore agere. Sic enim disputationi ipsius ostentantis se esse Philosophum, circa istorum habitudinem, prout potuimus, institimus, euertentes bruta sapientiora esse hominibus, & sensa de Deo habere sacratiora, aut omnino habere, itémque inter se colloquia sacra agitare. Nunc verò nobis vitio vertēs, quod supremo Deo credimus, nos postulat credere auium animas diuinioribus esse cogitationibus & a- K cutioribus quàm homines. Quod quidem si verum, aues Celso præstantiores habent de Deo cogitationes. Nec mirum, si Celso habeant præstantiores, qui vsqueadeò hominem deiecit, quandoquidem, quantum Celso videtur, aues maiora & diuiniora habent sensa, non modò quàm nos Christiani, aut Iudæi nobiscum easdem Scripturas vsurpātes, verumetiam quàm Græci Theologi. Homines enim erant. Nam Celsi iudicio perfectius Dei naturam percepit vaticinarum auium genus, quàm Pherecydes, quàm Pythagoras, quàm Socrates, quàm Plato. Sic sanè oportebat nos venire in auium disciplinam, eisque tanquam doctoribus vti, vt Celsi sententia, nos docerent artem diuinandi. Sic etiam à dubitatione de Deo homines eximent, sententia, quam de ipso perspicuam perceperunt, tradita. Quare Celsum cōsentaneum, qui aues hominibus antecellere existimat, auibus vti doctoribus, præter eas Græcorum Philosophorum nemine. Porrò è multis pauca de rebus propositis disseramus, & ingratam mentiendi libidinem erga suum cōditorem refutemus. Homo enim etiam Celsus, cū in honore esset, non intellexit propterea, non quidē comparatus est inmētis, & aliis brutis animalibus, quibus tribuit vaticinandi facultatem, sed illis, quibus primas cōcedens supra Aegyptios bruta animalia, tanquam Deos colentes, se, atque adeò vniuersum genus humanum subiecit, quantum in ipso fuit, quasi deteriùs & minus de Deo sentiens, quàm belluæ rationis expertes. Imprimis igitur quæratur, an sit ex auibus & reliquis animantibus, quæ L putantur vaticinæ, diuinatio, nécne. Non enim contemnēda in vtramque partem disputatio, quæ interdum persuadet eam non suscipiendam, ne ratio relictis diuinis oraculis, auibus vtatur: interdum testatam multis experientiam præbet, quòd multi è maximis periculis sint liberati, dum diuinationi ex auibus fidem accommodarunt. Verum in præsens detur, reuera esse auguralem scientiam, vt eo etiā sic dato atque concesso, multam esse hominis supra bruta animantia, & quidem vaticina, dignitatem & præstantiam demonstrem, nullóque modo ad illa comparabilem. Quocirca dicendum, siquidem diuina aliqua natura in ipsis futura prænoscit, & vsqueadeò est locuples, vt volentibus futura declaret, perspicué esse cōsentaneum, vt prius sua cognoscant: vbi cognouerint, caueant volare in illa loca, in quibus homines contra ipsas laqueos & retia tendunt, aut sagittarij, pro scopo vsi volantibus, tela coniciunt. Præterea oporteret aquilas insidias contra suos pullos prænoscentes, quando serpentes sursum scādunt, & in pullos sæuiunt, & homines voluptatis lusúsque gratia, aut aliquo alio commodo & vsu, ipsos comprehendunt, nunquam illic nidificare, vbi struendæ essent insidiæ: Et vt vno verbo finiam, nunquam vllum istorum animal ab hominibus M capi, tanquam hominibus diuinius atque sapientius. Præterea si aliter pugnent cum alitibus, augurales certè aues & bruta sensum diuinitatis, futurorumque præscientiam habentia, si Celso credendum, ea cæteris significarent: neque passer ille Homeri nidulasset en loco, in quo draconi præda & cibus fieret, vnà cum suis pullis omnibus, & draco ille, cuius alibi idem meminit, cauisset ne corriperetur ab aquila. Ait enim homerus poëta admiranda de priore:

Visum illic magnum monstrum, Draco terga cruentis
Distinctis macùlis, ara sublapsus ab imo
Prosiliens pede. Sic Saturnius ipse volabat,
Ipse vago lapsu ramos amplexus, in altum
Euasit platanum, tetigitque cacumina, quorum
Nidus in arce fuit, numero bis quatuor intus
Passeris includens pullos, qui frondibus altis
Hærentes, exultabant implumibus alis.
Quos omnes vano matrem stridore vocantes
Cùm Draco pestifero depastus dente fuisset,

Ipsam

A *Ipsam etiam matrem circum sua pignora frustrà*
Sollicitas querelis quatientem vocibus alas
Corripuit, atróxque auidam demisit in aluum.
Protinus in saxum mutatum Iuppiter ipsum
Conspicuum posuit. Sed nos horrenda Deorum
Constitimus stupido mirantes omnia visu:
Præcipuè quanam ratione ad sacra deorum
Tam dirum venisset opus, monstrúmque nefandum.

De secundo verò,

Hæc inter super ecce volans Iouis ales acutis
Vnguibus inuoluens maculosum terga Draconem,
Immanémque & feminecem, qua parte sinistra
Troiani hostiles certabant vellere muros,
Circuit. Ille ferox conuerso gutture retrò
Imprimit in summo raptricis pectore dentes.
Illa dolore amens, resolutis vnguibus anguem
In medios Troas demisit, & inde volatu
Quàm potuit celeri se proripit ales in auras,
Ingenti clamore sonans. Hæc monstra videntes
Troiani trepidare omnes, & credere læuum
Augurium esse Iouis, cui præbuit vbera capra:

B Aquila igitur erat vaticina: Draco verò (nam & eo vtuntur animanti augures) non item: nisi quis ex euentu coniecturam sumens, dicat etiam draconi eandem facultatem fuisse, quàm Aquilæ, cuius vngues alioqui non potuisset euadere. Sunt & alia plurima, ex quibus colligitur, non præscientiam inesse brutorum animæ, sed vt poeta & vulgus sentiunt ipse olympius Iuppiter in lucem misit. Quin & Apollo accipitris suspicio quædam significat. Is enim dicitur Appollinis celer angelus. Nostra autem sententia dæmones quidam praui sunt, &, vt sic nominem, Titanici, & Gigantei, erga verum Deum & cœlestes angelos impij. Hi lapsi è cœlo, & circa crassiora corpora & impura super terram volutantes, habentes aliquam futurorũ perspicientiam, tanquam terrestribus corporibus vacui, & talibus operibus occupati, volentes à verò Deo hominum genus abducere, insinuant se animalibus rapacitate feris & agrestioribus & nocentioribus, eáque quolibet, & quãdolibet, impellunt, phantasias istiusmodi animalium ad hos & illos volatus & motus conuertentes, vt homines brutorum animantium diuinatione capti, Deum brutorum Dominum non requirant, neque puram pietatem examinent, sed mentem suam in terram deiiciant ad alites, dracones, vulpes & lupos. Obseruatum enim à talium peritia efficaciora præsagia per huiusmodi animantes fieri,
C quòd dæmones nõ possint in mansuetioribus tantam vim exercere, quantam in illis, propter malitiæ similitudinem, quæ tamen in animalibus non est propriè malitia, sed quasi malitia. Vnde hoc quoque, si quid aliud in Mose sum admiratus, admiratione dignum pronuntio, quòd consideratis animalium naturis differentibus, siue diuinitùs edoctus ipsorum qualitates, & quid cognationes cum quibus dæmonibus singula animalia habeant, siue suapte sapientia peruestigatis eorum ordinibus, omnia quidem immunda declarant, quæ Aegyptij & cæteri homines putant esse vaticina, quemadmodum quæ non sunt eiusdem generis munda. Nam etiam in immundis apud Mosem est lupus, vulpes, draco, aquila, accipiter, & his similia: & maxima ex parte non solùm in lege, sed & in Prophetis inuenies istius generis animalia in exemplum pessimorum assumi, nec vnquam in bonam rem lupum aut vulpem nominari. Itaque videtur quæque dæmonum species habere inter animalia quampiam speciem sibi similem. Et quemadmodum inter homines aliis sunt potentiores, non semper quia meliores: ita fieri potest, vt dæmones dæmonibus sint potentiores in rebus mediis & indifferentibus, vtentes aliis animalibus alij, quò decipiãt homines iuxta voluntatem Principis huius seculi, vt eum Scriptura nostra nominat, nunc per hæc, nunc per ista præsagientes. Ac vide execrationem dæmonum, quo modo etiam è mortalis quidam capiant præsagia, & tecum ipse reputa, vtrũ sit melius admittere, à Deo & eius filio moueri aues & reliquas animantes ad diuinationem, an vim suam in eis exercere, non in hominibus, hominibus tamen præsentibus, malos, & vt sacræ nostræ literæ nominant, immundos dæmones. Quòd si propterea diuina est auium anima, quia per ipsas futura prædicantur, quin potius de hominis anima sic sentimus, quando ex horum verbis sumunt omina. Diuina igitur iuxta hoc fuit apud Homerum ancilla pistrinaria, sic procis ominans: D

Vltima nunc cœnent, extrema hic pocula sumant.

Et hæc quidem diuina erat, non Vlysses, tantus alioqui homericæ Mineruæ amicus, sed intellecto diuinæ pistricis omine gaudebat, vt Poëta inquit,

Omine pistricis gaudebat diuus Vlysses.

Iam autem, si aues diuinam habent animam, & Deum sentiunt, aut (vt Celsus nominat) Deos, certè etiam nos sternutantes, è quadam in nobis diuinitate & vaticinandi in anima facultate, sternutamus. Nam etiam istud testantur multi, proptereáque Poeta ait.

Oranti sternuit ille. E

Proinde & Penelope,

Sternutans omen verbis mihi nate dedisti.

Verus autem Deus ad futurorum notitiam brutis animantibus non vtitur, neque quibuslibet hominibus, sed
animis hominum sanctissimis & purissimis, quas quidem
numine corripit, & vaticinas reddit. Quocirca si quid aliud dictum mirificè in mosis lege, etiam ista in his sunt recensenda. Nõ augurabimini, neq; ex auibus sumetis auspi- Leuiti. 4.
cium. Et alibi, Nam gentes, quas Dominus Deus tuus delebit à facie sua, ipsæ omnia & dominationes obseruant.
Tibi autem non ista dedit Dominus Deus tuus. Ac mox
subiungit, Prophetam excitabit Dominus Deus tuus de Deut. 8.
fratribus tuis. Quin & olim deus per augurem auertere ab
augurandi disciplina, curauit Spiritum in augure dicere:
Non enim est augurium in Iacob, neq; diuinatio in Israel. Num. 24
In tempore loquetur Iacob, & Israeli verbum suum perficiet Deus. Hæc & similia cognoscentes, damus operam, vt
arcanum illud mandatum seruemus, Omni custodia serua Prou. 4.
cor tuum, ne fortè in mentem nostram obrepat aliquod
dæmonium, aut spiritus aliquis aduersarius cogitationes
nostras vertat pro suo arbitrio: precamurque vt luceat in
cordibus nostris illuminatio notitiæ gloriæ Dei, inuisente
nostram imaginationem Dei spiritu, & suggerente diuinas
cogitationes. Nam quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij Rom. 8.
Dei sunt. Sciendum autem præscientiam futurorum non F
esse rem omninò diuinam: Est enim per se media, æquè in bonos & malos cadens. Et quidem medici è medicina quędam prænoscunt, etiamsi prauis fuerint moribus. Sic etiam gubernatores, etsi improbi extiterint, præuident signa, & ventorũ tẽpestates, & aeris mutationes, quadã experientia & obseruatione. Nec ex eo quisquã eos diuinos dixerit si prauis moribus afficiantur. Falsum igitur quod à Celso asseritur, Quid dici possit diuinius futurorum prænotione & præsignificatione? falsum præterea multas animantes sibi vendicare diuinam cogitationẽ: Nullum brutum Dei habet intelligentiam. Falsum item bruta animantia propè esse diuino colloquio, quando etiam homines alioqui excellẽtes, si improbi sint, longissimè absint à Dei colloquio, quod solis verè sapientibus, & certè piis conceditur, quales sunt nostri Prophetæ & Moses, cui testimonium perhi- Exod. 14.
bet multæ puritatis gratia Dei verbum, inquiens, Moses
solus accedet ad Deum: cæteri non accedent. Iam illud
quàm impiè ab isto nos accusatore vt impios, dicitur, Non

G solùm sapientiora esse bruta humano genere, sed & Deo chariora. Quis verò attendens istum non execrabitur dicentem, Draconem, vulpem, lupum, aquilam, accipitrem magis, quàm humanam naturam à Deo diligi? Hinc enim sequitur, siquidem Deo sunt chariora animalia bruta hominibus, etiam Socratem, & Platonem, & Pherecydem, & modò celebratos Theologos, minus à Deo diligi: quam fœlicitatem in caput Celsi verti meritò quis precabitur, vt cum iis ex æquo Deo charus sit, fiátque ipsorum similis. Nec tamen putet sibi esse imprecatum. Quia enim nō optarit fieri quàm simillimus iis, quos putat Deo longè charissimos, vt & ipse similiter ametur à Deo? Porrò dum vult colloquia brutorum nostris esse sanctiora, non quibuslibet attribuit hanc sententiam, sed intelligentibus: Intelligentes autem sunt verè boni: Nullus enim malus intelligens. Hoc igitur modo loquitur: Aiunt viri eruditi etiam colloquia inter bruta fieri, nostris certè sanctiora, eáque se intelligere satis declarare, ipsa re, dum prædicunt hoc aut illud facturas aues, aut abituras aliquo, ita vt prædixerant. At proculdubiò nullus intelligens ista commemorauit, nullus sapiens sanctiora dixit brutorum animalium quàm hominum colloquia. Alioqui iuxta rationes Celsi sanctiora erunt, quàm grauissimæ Pherecydis & Pythagoræ, & Platonis & Philosophorum disputationes: quod non modò est improbabile, verumetiam absurdissimum. Sed esto esse aliquos, qui ex hac inarticulata & incondita auium
H voce didicerint prædicere abituras aliquò, facturásve hoc aut illud: Dicemus hoc quoque dæmonas quibusdam symbolis siue signis patefecisse hominibus, non in aliud, quàm vt eos decipiant, eorumque mentem abstrahant à cœlo & à Deo in terram, aut etiam inferius. Cæterùm nescio vbinam Celsus Elephantorum iuramentum audierit, esséque hos nobis religiosiores erga cœleste numen, haberéque Dei notitiam. Multa enim & admiranda scio de huius animantis natura & mansuetudine narrari: at de eius iureiurando non memini apud quenquam aliquid tradi, nisi fortasse mansuetudinem & fœdus cum homine semel initū, iusiurandum perpetuò seruatum interpretetur: quod etiā falsum est. Nam etsi rarò, nonnunquam tamen eos oblitos consuetudinis, efferatos contra homines legimus, & ob id è dominorum sententia necatos, vt inutiles. Quoniam autem mox in argumentum pietatis, qua nos illis inferiores videri vult, adiecit Ciconias, educationis vicem reddere suis parentibus: respondemus ne hoc quidem ex officij agnitione, aut ratiocinatione aliqua, sed naturæ instinctu facere, in brutis exemplum præbentis hominibus, vt genitoribus gratiam referant. Quòd si Celsus sciret quantum intersit, ratione hæc fiant an natura, nunquam magis pias ciconias hominibus dixisset. Præterea velut pro pietate brutorum animantium dimicans Celsus, producit Arabicam Phœnicem in medium, post multorum annorum
I interualla in Aegyptum deuolantem, eóque deferentem patrem suum mortuum, & in globo myrrhæ sepultum, vt in Solis fano reponat. Id narratur quidem: sed si quidem verum est, potest esse naturale. Et fortassè diuina prouidentia largitatem suam hominibus commendare voluit, tam numerosa varietate animalium, quibus ornauit mundum hunc, adeò vt non desit ales, & animal in suo genere vnicum, nō vt ipsam auem miremur, sed eius conditorem potius. Quoniam autem post hæc omnia sic Celsus concludit, Ergo non homini omnia facta sunt, sicut nec leoni, nec aquilæ, nec delphino, sed quò mundus hic, vt Dei opus integrum & perfectum, ex omnibus fiat, ideò diuersa sunt omnia, non vt inter se, sed vt vniuersitati congruant: Nam hæc Deo curæ est. Hanc nunquam destituit prouidentia, nec detrimentum sinit capere. Hanc nec post certa seculorū interualla intermisit, nec iratus hominibus, quibus nō magis indignatur quàm simiis aut muribus: Nec illis minatur, quorum vnum quodque in sua parte suam sortem est consecutum. Age, paucis ei occurramus. Puto autem iam ex antè dictis satis ostensum, homini & omni rationali naturæ omnia esse facta. Potissimum enim propter rationale animal omnia creata sunt. Dicat igitur Celsus, non esse facta homini, vt neque leoni, neque cæteris quæ nominat. Nos autem asserimus Deum non ista fecisse leoni, K neque aquilæ, neque delphino, sed omnia propter rationale animal, & vt Dei hoc opus integrum perfectumque omnibus partibus absoluatur. Nam huic vt rectè dicto assentiendum est. Sed non solam vniuersitatem nouit curat, vt Celsus opinatur, sed præter eam præcipuè quicquid rationis est particeps, nec vnquam curare desinet. Nam etiamsi detrimenti aliquid capiat rerum vniuersitas, propter viriatam rationalem naturam, non cessat tamen prouidentia: quominus peccatum expiet, & post interuallum temporum ad se conuertat omnia. Nec simiis irascitur aut muribus, sed homines legum naturæ transgressores pœnis castigat, eísque per Prophetas minatur, atque etiam per eum, qui aduentu suo seruauit genus hominum, vt territi ad bonam mentem se vertant: contemptiores autem sermonis emendatorij, pœnas, vt par est, luant meritas, quemadmodum Deum decet punire noxios in ipsorum vtilitatem, quibus emendatione tali opus est. Cæterùm quia iam quartum volumen satis excreuit, hic finem sermoni faciamus. Faxit Deus per suum filiū, qui est Deus, verbum, & sapientia, & veritas, & iustitia, & quicquid ei sacræ Scripturæ de Deo loquentes tribuunt, vt quintum quoque ordiamur in lectorum vtilitatem, eumque verbi ipsius in nostram animam illapso præclarè absoluamus.

DE LIBERO ARBITRIO, ET Scripturarum quæ ipsum videntur tollere, dissolutio atque interpretatio. L

CAP. XXI.

E tomo tertio de Principiis, Cap. 1.



QVONIAM prædicatio Ecclesiastica de iusto Dei iudicio tractationem cōplectitur, quæ sanè, dum vera creditur, auditores ad rectè viuendum, & ad peccatum omnibus modis fugiendum hortatur, siquidem in nostra esse potestate res laude & vituperatione dignas fateantur: age etiam de libero arbitrio seorsum pauca disseramus, præsertim cùm quæstio maximè necessaria videatur. Vt autem quid sit liberum arbitrium intelligamus, eius notio declaranda est, ea vt diligenter explicata, id de quo est quæstio, constituatur. Eorum quæ mouentur, nonnulla in se motus habent causam, nonnulla extrinsecus duntaxat mouentur. Extrinsecus sanè solum motus habent causam, quæ feruntur veluti ligna, & lapides, & omnis materia, quæ sola habitudine continetur. Sed nunc silentio prætereamus, quod dicitur motum corporum esse fluxum: nam ad propositum istud nullam affert vtilita- M tem. In seipsis verò motionis habent causam atque principium animalia & stirpes, denique omnia quæ natura & animo continentur, in quibus metalla numerant. Præterea ignis etiam ipse per se mouetur, fortassè & fontes. Istorum quæ in se mouendi causam continent, alia aiunt è seipsis moueri, à seipsis alia: è seipsis inanima, à seipsis animata. Nā animata à seipsis agitantur, phantasia ingenita vim atque impetum prouocante. Rursum in nonnullis animalibus phantasiæ impetum prouocant, natura phantastica siue imaginatrice impetum certo ordine & definito commonēte: Exempli gratia, In Araneo texendi phantasia existit, & impetus consequitur ad texendum, natura imaginatrice præfinitè ad istud ipsum concitante, & animali nullius alterius rei potest imaginantē ipsius naturam, persuasionē inducente. Idem contingit in Apis ad fingendos fauos. At animal rationis particeps præter naturam imaginatricem habet rationem, quæ de phantasiæ formis indicat, alias reiiciens, alias ita suscipiens, vt animal ipsis agatur. Quocirca quoniam in rationis natura atque vi, quædam sunt causæ & adminicula ad honestum & turpe contemplandum, quæ si sequimur, & honesti atque turpis formam cernimus,

Ἐξ ἑ, & ἀφ' ἑ.

A mus, honestum eligimus, turpe declinamus: laude profectò digni sumus, dum nos ipsi honestis actionibus tradimus, vituperatione, dum contrarias amplectimur. Cæterùm non est ignorandum intentionem naturæ ad omnia dispositæ, multipliciter versari in animantibus, secundum plus videlicet & minus, ita vt prope rationis facultatem, vt sic dicam, vestigandi munus sit in canibus, & bellandi in equis. Iam vero aliquid extra positum accidere, phantasiam hanc illam nobis cient, citra controuersiam non est de iis, quæ in nostra potestate existunt. At iudicare, vt huc modo aut illo propositis vtamur, non alterius officium est, quàm rationis nobis insitæ, quæ vel propter occasiones nos ad impetus ad honestum & consentaneum incitantes inclinat, vel ad contrarios conuertit. Quod si quis ipsum extrinsecus mouens, tale esse senti, vt ei nullo modo possit occurri, domandis intendat suis affectibus & perturbationibus, ne voluntas & consensio, & præcipuæ animi partis inclinatio, & quasi momentum in eam rem propter huiusmodi persuasiones incumbat. Non enim, verbi gratia, mulieri ei qui temperatè viuere, & continere se à coitu decreuit, apparens, atque ad aliquid contra propositum agendum inuitans, perfecta causa est cur propositum negligat. Omninò enim delectatus titillatione & illecebra voluptatis, non deliberans ipsi resistere, neque institutum firmare, in intemperantiam incidit. Contrà alteri, qui pluribus disciplinis est instructus, in eisque se exercuit, eędem quidem
B titillationes & illecebræ contingunt. At ratio, quippe quę vehementius est roborata, & in meditatione educata, & sententiis ad virtutē pertinentibus cōfirmata, aut certè prope confirmationem perdocta, illecebras expellit, & libidinem dissipat atque dissoluit. His autem sic à nobis perpetratis, res extrinsecus obiectas accusare, & seipsos culpa liberare, se similes lignis lapidibúsque ab exterius motoribus tractis declarantes, neque verum est, neque consentaneum: sed hæc oratio hominis est cupientis notionem liberi arbitrij corrumpere. Nā si ipsum interrogemus, quid liberum arbitrium, respondebit, si nihil extrinsecum occurrat, quod nos in cōtrariùm prouocet. Rursum imbecillem corporis constitutionem accusare, contra rationem est perspicuè. Nam ratio atque doctrina intemperantes & agrestissimos conuertit, si monita sequantur: & ita mutat in melius, vt sæpenumerò ex incontinentissimis castissimi euadentes, non iidem videantur esse qui prius. Sic ex moribus agrestissimis quidam ad tantam mansuetudinem perueniunt, vt qui numquam agrestem vitam egerint, agrestea esse videantur comparatione huius, qui ad mansuetudinem est immutatus. Contrà alios cernimus compositissimos & honestissimos, deterioribus colloquiis deprauatos, cōpositā & honestam vitam excutere, adeò vt in intemperantiam, vitæque confusionem incidant media sępè ætate,
C postquā iuuentutis instabilitas, quæ tum est maxima, pręteriit. Ratio igitur ostendit extrinsecùs incidentia non esse in nostra potestate. Vt autem hoc vel contrario modo istis ratio vtatur, disceptās & iudicans qui oporteat externis obiectis occurrere, nostrum est munus. Quòd autem munus officiumque sit nostrum, non autem ipsius, honestè viuere, & id à nobis postulet Deus, neque ex iis quæ extrinsecus accidunt, vel vt quidam putant, fato cogamur,
Mich. 6. testatur Micheas Propheta, dicens, Si annuntiatum est, ò homo, quid bonum, aut quid Dominus requirat à te, nisi vt facias iudicium, & diligas misericordiam, & paratus sis
Deut. 30. ire cum Domino Deo tuo. Et Mosea, Posui ante faciem tuā viā vitæ & viā mortis, vt eligas quod bonū est, & incedas
Esa. 1. cum eo. Et Esaias, Si volueritis & audieritis me, bona terrę comedetis. Si nolueritis neque audieritis me, gladius exe-
Psal. 80. det vos. Os enim domini locutum est hoc. Et in Psalmis, Si populus meus audisset me, & Israël in viis meis ambulasset, in nihilum inimicos eorum humiliassem, & in affligentes eos iniecissem manum meam. Quibus ostēdit, in populi fuisse potestate, audire & incedere in viis Dei. Sed
Matt. 5. & Saluator dicens, Ego autem dico vobis nō resistere malo. Et, Quicunque iratus fuerit fratri suo, reus erit iudiciu.
Matth. 7. Et, Quicunque inspexerit mulierē ad concupiscēdū eam, mœchatus iam est in corde suo. Et cùm dat cætera quæque D mandata, quid aliud indicat, nisi quod in nostra potestate est obseruare quæ mandantur? Et propter hoc rectè rei efficimur iudicio, si præuaricemur. Vnde &, Omnis qui audit (inquit) verba mea, & facit ea, similis est viro prudenti, qui ædificauit domum suam super petram, & cætera. Qui autem audit hæc, & non facit, similis est viro stulto, qui ædificauit domum super arenā, & reliq. Et illud quod dicit his, qui à dextris eius sunt, Venite Patris mei, & cæt. *Matt. 25* Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: euidenter ostendit se his date promissiones, velut laudis suæ auctoribus, & è contrariò aliis, tanquam vituperandis ex sese, ait, Discedite maledicti in ignem ęternum. Videamus quomodo etiam Paulus velut potestatem arbitrij habentibus nobis loquitur, & tanquam in nobis *Rom. 2.* ipsis vel salutis, vel perditionis habentibus causam, ait: Aut diuitias bonitatis ac patientiæ ac longanimitatis contemnis, ignorans, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, & cor impœnitēs thesaurizas tibi iram in die iudicij & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opus eius, his quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloria & incorruptio, qui quærunt vitam æternam: his autem qui ex contentione, & qui non credunt quidem veritati, credunt autem iniquitati, ira, indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæo E primùm & Græco. Infinita quidem alia in sanctis Scripturis inuenies arbitrij libertatem constituentia: At quoniam *Obiectiones Origenis.* in contrarium, id est citra liberum arbitrium, licere seruare mandata, & saluari, item ea transgredi & perire quędā è veteri & nouo Testamento dicta contendunt, age aliqua ex parte proferentes ea, illorum solutiones inspiciamus, quò ex his quæ proposuerimus, etiam cæterorum, quæ similiter arbitrij libertatem videntur tollere, absolutio fiat euidens. Sanè quamplurimos mouent ea, quæ de Pharao- *Primus locus.* ne dicuntur, de quo Deus per oraculum frequenter ait, E- go indurabo cor Pharaonis. Si enim à Deo induratur, & *Exod. 3. 4. 7. & 8.* per hoc quod induratur delinquit, non sibi ipse extitit causa delicti. Quod si ita est, non videbitur Pharao suæ fuisse potestatis, & iam consequenter asseretur, quòd à simili, nec cæteri qui pereunt, habeant arbitrij libertatem, nec à seipsis causam perditionis accipiant. Præterea quod in Eze- *Secundus* chiele scribitur, Auferam eorum lapidea corda, & immit- *Ezec. 11.* tam eis carnea, vt in præceptis meis incedant, & iustitias meas custodiant: mouere possit aliquem, quasi Deus det vel incedere in suis mandatis, vel suas iustificationes custodire, dum id quod obstat ad custodienda mandata, cor lapideum aufert, & melius, nempè carneum, imponit & inserit. Præterea inspiciamus etiam illud, quod in Euangelio *Tertius.* Dominus & Saluator respondit ad eos, qui quærebant ab *Esa. 6.* ipso, quare ad turbas in parabolis loqueretur? Vt videntes F (inquit) non videant, & audientes non audiant & intelligant, ne fortè conuertantur, & remittatur eis. Sed & illud *Quartus* à Paulo Apostolo dictum est, Non est volentis neque cur- *Rom. 9.* rentis, sed miserentis Dei. Et alio loco, Et velle & perficere *Quintus* à Deo est. Et iterum in alio loco, Ergo cui vult miseretur, *Philip. 2.* & quem vult indurat. Dices itaque mihi, Quid ergo ad- *Sextus.* huc culpatur? voluntati enim eius quis resistit? O homo, *Rom. 9.* tu quis es, qui contrà respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadē massa facere vas aliud quidem in honorem, aliud autem in contumeliam? hæc & his similia per se satis sunt ad multus conturbandos, ne homines putentur sui esse arbitrij, sed ex Dei voluntate vel saluetur aliquis, vel pereat. Incipiamus igitur ab iis quæ ad Pharaonem dicta sunt, quia à Deo dicitur induratus, ne po- *Primus locus diluitur & quartus.* pulum dimitteret, cum quo etiam pariter Apostoli ille sermo tractabitur, Ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat, Hic enim præcipuè abutuntur hæretici quidam, propemodum liberum arbitrium tollentes, quòd naturas introducant perditas, salutis minimè capaces, & alias quæ saluantur, nec possunt vllo modo perire. Vnde & aiunt Pharaonem, quoniam naturæ erat perditæ, propterea in-

G duratum à Deo, qui indurat terrenos, spiritalium autem miseretur. Videamus ergo quale istud quod asseruut,& interrogemus eos primò, vt respondeant nobis, an terrenæ naturæ,quam perditam dicunt, asserant fuisse Pharaonem. Si respondeant, terrenæ: Ergo quia naturæ terrenæ erat, credere Deo vel obedire resistente natura omninò non potuit. Quòd si hoc ei erat per naturam,quid opus erat indurare cor eius,& hoc non semel,sed frequenter, nisi quod vtique poterat persuaderi. Et omninò quidem, vt potè non terrenus, prodigiis & signis flexos,persuasus fuisset: sed eo egebat Deus, vt ipso non credente neque obtemperante, ad multorum salutem magnitudinem suam magis ostenderet:& per hoc cor eius dicitur indurare. Hæc autem dicta sint primùm aduersus illos, vt illa eorum subruatur assertio,qua putant naturaliter perditum fuisse Pharaonem. Sed & de his,quæ ab Apostolo Paulo dicta sunt, similiter aduersus eos agemus. Quos enim indurat Deus secundù opinionem vestram? Nempè eos, quos naturæ perditæ dicitis, quasi aliquid facturos, si non fuissent indurati: aut profectò saluandos, quod non essent perditæ naturæ. Tùc deinde nobis dicite,quorum miseretur Deus? Nónne eorù qui saluandi sunt? At in quo isti secunda misericordia indigent,qui semel saluandi sunt per naturam,& ad beatitudinem veniant naturaliter, nisi quia etiam ex his ostenditur, quòd quia perire poterant, idcircò misericordiam consequuntur,vt per hoc non pereant, sed veniant ad salutem, & piorù regna possideant? Et hæc quidem dicta sint aduersus istos.

Quartus locus diluitur.

H Quærendum autem aduersus illos, qui se existimaut intelligere indurationis sententiam, quo pacto dicant Deum efficientem cor indurare,& aliquid addendo istud facere. Obseruent enim Dei mentem, te quidem vera iusti & boni,aut duntaxat, vt hoc eis nunc concedatur,iusti,& ostendant quomodo bonus & iustus,aut iustus duntaxat, videatur iustus,dum cor hominis indurat,qui ex ipsa induratione peccat,& perit,& quomodo in hoc Dei iustitia defenderur,si ipse iis causa perditionis existit, quos pro eo quòd duritie increduli extiterunt, ipse postmodum iudicii auctoritate damnauit. Quid etiam culpat eum, dicens, Tu autem, quoniam non vis dimittere populum

Exod.12.

» meum , ecce percutiam omnia primogenita in Aegy» pto, & primogenitum tuum, & quæcunque alia scripta » sunt per Mosem, quæ Deus dixit ad Pharaonem . Necesse est enim omnem, qui vera credit , quæ Scripturis asseruntur,& Deum esse iustum, pro iis omnibus reddere rationem,quo pacto per hoc nihil prorsus Dei iustitiæ derogetur, quoniam licet bonum eum neget , iustum tamen & mundi creatorem fateatur. Alia enim respondendi est ratio aduersus eos, qui malignum mùdi huius asserunt creatorem. Quoniam autem aiunt se de eo disputare, vt de iusto,etiam nos,qui non solùm iustum,sed & bonum Deum fatemur, dispiciamus diligentiùs, quo pacto bonus & iustus cor Pharaonis indurauit. Vide igitur, si fortè aliquo exemplo, quo in epistola ad Hebræos vsus est Apostolus,

I possumus ostendere, quomodo vna eademque actione Deus alterius quidem miseretur,& alium indurat,nô proponens vt induretur ille qui induratur, sed dum benignitate sua, ad quam propter malitiæ subiectum malis iosita

Heb.6.

induratio sequitur,id quod duratur,indurare dicitur. Terra enim bibens super se venientem imbrem,& germinans herbam opportunam illis,à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas & tribulos , reproba est, & maledicto proxima , cuius consummatio in combustionem. Igitur vnum est opus, quo Deus imbrem terræ largitur. At vna cùm sit imbris operatio,alia quidem terra diligenter exculta, fructus affert bonos: alia quæ negligenter culta est, spinas & tribulos profert . Et quamuis durum videatur, pluentem Deum dicere,fructus bonos ego feci,& spinas in terra,verè tamè dicitur. Nisi enim imber extinxisset,nec fructus nec spinæ essent exortæ:superueniente verò pluuia in tempore & modo, vtrumque terræ produxit. Proferens igitur spinas & tribulos terra , super se venientem sæpè bibens imbrem, reproba est & maledicto proxima . Imbris igitur beneficium etiam super deteriorem terram decidit. At res subiecta cùm negligeretur,

K & sine cultura deseteretur, spinas & tribulos germinant. Sic etenim signa & virtutes, quæ à Deo fiunt, imbres quidà sunt,& à Deo desuper ministrantur : sed voluntates sunt differentes, veluti culta terra & neglecta vnius sunt naturæ,cùm sint terra, non tamen vnius eiusdémque culturæ. Similiter si sol vocem sortitus diceret , Ego resoluo & sicco,cùm contraria sint resolutio & siccatio, nô diceret falsum ratione subiectorum,dum vna eademque caloris virtute sol quidem ceram soluit,limum verò arefacit & stringit:non quòd virtus eius aliter in limo, & aliter operetur in cera,sed quòd limi alia,alia ceræ sit qualitas . Ita ergo vna eadémque operatio Dei, quæ per Mosem in signis & virtutibus gerebatur, Pharaonis quidem duritiam arguebat,propter eius malitiam, reliquorum verò Aegyptiorù, qui Israëlitis admiscebantur, obedientiam & facilitatem. Quod verò scriptum est, quod paulatim emolliretur cor Pharaonis,vt aliquando diceret, Non longè abeatis, iter *Exod.8.* tridui abibitis,sed vxores vestras relinquite:& cætera alia, paulatim cedens signis . Quid enim aliud ex his indicatur, nisi quòd agebat quidem in eo aliquid signorum & mirabilium virtus , non tamen totum operabatur ? Si enim à Deo est induratio , quemadmodum plurimi putant, non vtique inueniretur vel in paucis acquiescere. Præterea non absurdum vel è communi consuetudine modum loquendi mitigare. Frequenter enim benigniores quique domini,

L ad eos seruos, qui per multam patientiam & mansuetudinem dominorum insolentiores impròbioresque fiunt, dicere solent,Ego te improbum feci. Ego tibi causa tantorù scelerum,qui non te statim per singulas culpas punio. Necesse est enim nos tropum vel figuram sermonis aduertere, & ita demum virtutem dicti intelligere , nec inferre calumnias verbo,cuius interiorem sensum diligentiùs explorêmus. Denique Paulus ista perspicuè discutiens, ad peccantem inquit, An diuitias bonitatis eius,& patientiæ, *Rom.2.* & longanimitatis contemnis, ignorans quia benignitas « Dei ad patientiam te adducit ? Secundum duritiam autem « tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi ipsi iram in die « iræ & reuelationis iusti iudicii Dei . Quæ enim dicit ad peccantem Apostolus, dicantur ad Deum: & certè congruenter inuenientur ista de ipso dici,secundum duritiam eius & impenitens cor sibi thesaurizantis iram:quia nunquam duritia eius ita argui, & in manifestum venire potuisset, nisi signa & prodigia iam multa extitissent, tàmque magnifica. Quoniam autem credita difficiles videntur probationes , & violentæ existimantur absurdæ, adhibeamus etiam propheticæ authoritatis assensum,& videamus quid Prophetæ pronuntient de iis , qui benignitatem Dei experti, non rectè vixerunt , sed postea peccauerunt . Vt *Esai.63* quid Domine , errare nos fecisti à via tua ? & quare indu- « rasti cor nostrum , vti non timeremus nomen tuum? « Conuertere propter seruos tuos , propter tribus hære- « ditatis tuæ , Et paruum aliquid hæreditatis capiamus

M de monte sancto tuo. Et in Ieremia. Seduxisti me, Do- *Ierem.20* mine, & seductus sum: tenuisti , & potui . Illud enim, Vt quid Domine , indurasti cor nostrum , vt timeremus te, dictum ab iis, qui misericordiam precabantur, morali tropo sic est accipiendum : Vt quid in tantum pepercisti nobis, nec visitasti nos cum peccaremus, sed reliquisti nos, donec ad summum peccatorum perueniremus? Derelinquit autem,dum non ponit, vt singulorum mores ex arbitrij libertate exquirantur , & meliores è cruciatu inflicto innotescant. Reliqui autem non lateant , non quidem Deum, qui nouit omnia antequàm fiant,sed rationabiles creaturas,& ipsos qui postea curationem consequùtur, beneficium minimè cognoscentes , nisi seipsos condemnauerint. Quod quidem vnicuique confert,vt suam conditionem & Dei gratiam sentiat. Nam qui non intellexerit prius infirmitatem vel ægritudinem suam,etiamsi beneficiis afficiatur,non seipsum censens,neque condemnans, virtutem sibi à gratia cœlesti administratam peculiariter attribuet. Quæ res sine dubio arrogantiam generat & elationem, & causa fit ruinæ. Quod etiam de Diabolo sentimos,

A mus, qui primitùs honores suos proprios, & non à Deo datos credidit, quos habebat tunc, cùm erat immaculatus: & *Luc. 14.* impleta est in eo sententia, quæ dicit, Omnis qui se exal- „ tat, humiliabitur. Omnis qui se humiliat, exaltabitur. „ Considera autem, vt propterea occultata sint prudentioribus & sapientioribus diuina mysteria, ne quemadmudum dicit Apostolus, glorietur omnis caro in conspectu Dei, & reuelata sint paruulis, his videlicet, qui post infantiam ad præstantiora contendunt, & meminerunt, quod non iam suis virtutibus, sed ineffabili Dei gratia & misericordia beatitudinem sunt consecuti. Igitur diuino iudicio derelinquitur is qui derelinquitur, & patientiam habet Deus super nonnullis peccantibus, non tamen sine certa ratione, sed ad vtilitatem ipsorum, vt ad animæ immortalitatem & sempiternum æuum, non celeriter cooperetur ad salutem, sed tardius ad ipsam adducat, vbi peccans plurima mala fuerit expertus. Sicut enim medici interdum, cùm possint celerius obducere vulnerum cicatrices, præsentem dissimulant & differunt sanitatem, melioris firmiorisque sanitatis prospecto, dum melius esse norunt moram facere in tumoribus vulnerum, & maligni humoris fluentes paulisper sinere meatus, quã festinare ad superficiẽ sanitatis, & obtusis in venis fomitẽ venenati humoris includere, qui vtiq; exclusus à salutis mẽbris, serpet sine dubio in interiora membrorũ, atq; ipsa vitalia viscerum penetrabit, non iã morbũ corpori, sed vitæ illaturus exitium. Hoc modo & B Deus, qui noscit occulta cordis, & prænoscit futura, per multã patientiã permittit, fortasse etiã per externos casus extrahens occultum malum ad eum purgandum, qui per multam negligentiam & incuriam peccatorum in se semina recepit, vt eiecta foras atque ad superficiem prouocata, euomi quodammodo possint & digeri, vt etiam si videatur quis grauioribus affici malis, dum membrorum omnium sustinet conuulsiones, possit tamen cessare aliquando, & desinere, & satietatem capere malorum, & sic ad statum suum post multas molestias reparari. Deus enim dispensat animos, non ad illud solùm vitæ nostræ breue tempus, quod intra quinquaginta ferè annos concluditur, sed perpetuum & æternum tempus. Incorruptibilem enim fecit rationabilem naturam, sibique cognatam, & ideò non excluditur breuitate huius vitæ nostræ à curis & remediis diuinis animæ, quæ immortalis est. Sed assumamus etiam de Euangelijs eorum quæ diximus, similitu- *Matt. 13* dinem. Est quædam petra habens paruam & exiguam terram, in quam si ceciderit semen, citò memoratur exoriri: sed cùm exortum fuerit, quoniam radicem non dedit in profundum, ascendente sole, æstuare dicitur, & arescere. Quæ vtique petra sine dubio anima est humana, pro sui negligentia indurata, & propter malitiam saxea effecta. Nulli enim à Deo cor lapideum creatum est, sed per malitiam vniuscuiusque & inobedientiam cor lapideum fieri dici- C tur. Quemadmodum igitur, si quis increpet agricolam, quare non citiùs semina super terram petrosam iecerit, videns aliam aliquam petrosam acceptis seminibus germinasse, respondebit agricola, quia ideircò tardiùs semino istam terram, vt possit semina, quæ susceperit, retinere. Expedit enim huic tali terræ, vt posteriùs seminetur, ne forte eiulus germinante segete, sol omnia exurat. Atque huic agricolæ, tanquam dicenti consentanea, & scienter suum officium præstanti credemus. Sic sanè Deus vniuersæ creaturæ suæ peritissimus agricola dissimulat, & differt in aliud tempus hæc, quæ nobis videntur citiùs debuisse consequi sanitatem, ne superficies eorum potius quàm interna curentur. Si verò quis nobis ad hoc obiiciat, Quare ergo quædam semina cadunt etiam super terram petrosam, id est, duram aliquam & saxeam animam: dicendum ad hoc, quia animæ inconsideratius volenti præstantiora, neque firmiter in ea via perseueranti, non vult esse melius, vt cognoscat anima vitium suum, séque ipsam condemnet, ac consequenter se culturæ reseruet & tradat, vt postea multo tempore naturalem culturam consequatur. Innumerabiles enim nobis, quemadmodum dixerit aliquis, sunt animæ, & infiniti earum mores, & diuersissimi singularum motus & proposita, & appetitus, & impe- D tus, quorum vnus duntaxat est præstantissimus œconomus, qui & nouit tempora, & congruentia auxilia, & institutiones & vias, vniuersorum Deus & pater: qui nouit qua ratione etiam Pharaonem deberet adducere per tot signa & submersionem ad id, quo Pharaonis dispensatio desiit. Non enim, quia submersus est, substantialiter interiisse putandus est. In manu enim Dei & nos & sermones nostri, „ & omnis prudentia atque operum disciplina est, sicut Scri- „ ptura dicit. Atque hæc quidem pro viribus nostris disseruimus, capitulum Scripturæ discutientes, In quo dicitur Deus indurasse cor Pharaonis, &, Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Nunc videamus etiam de iis, quæ E- *Secundi* zechiel dicit, Auferam cor lapideum, & immittam eis cor *loci solu-* carneũ, vt in iustificationibus meis incedant, & præcepta *tio.* mea custodiant. Si enim cùm vult Deus, aufert lapideum *Ezech. 11.* cor, & carneum dat, vt præcepta sua seruentur, neque malitiam deponere in nostra videbitur potestate. Auferri enim cor lapideum nihil aliud est, quàm malitiam, qua quis obduratur, abscindi, à quo Deus vult. Neque quod mittitur cor carneum, vt in præceptis ambuletur Dei, & eius mandata seruentur, aliud est, nisi obedientem fieri, & non resistentem veritati, & honestarum actionum studiosum. Quod si hoc promittit Deus se facturum, & antequàm auferat ipse cor lapideum, deponere illud à nobis non possumus, manifestum est abiicere malitiam non esse in nobis E situm, sed in Deo: Et si nihil facimus, vt nobis insit cor carneum, sed Dei est opus, non erit nostrum opus secundum virtutem viuere, sed omninò diuina gratia. Hæc quidem dicent hi, qui volunt ex humilibus locis libertatem arbitrij tollere. Quibus respondebimus hoc sic intelligi oportere, sicut si sit aliquis imperitus & indoctus: Is quidem sentiens imperitiæ suæ notam, siue adhortatione cuiusquam, siue prudentium quorumque æmulatione pulsatus, tradat se alicui, à quo confidat se posse diligenter imbui, & ad artes atque virtutem erudiri. Is ergo, qui iam priùs obdurauerat in imperitia, si se in disciplinam tradens, magistro obtemperaturum in omnibus repromittit, etiam magister pollicebitur ablaturum se ab eo omnem imperitiam, & inserturum peritiam, non quò abnuenti discipulum vel renitenti hoc se promittat facturum, sed offerenti se, atque in omnem obedientiam mancipanti. Ita & diuinus sermo promittit his, qui accedunt, ad se ablaturum se esse malitiam, quam appellat cor lapideum, non vtique ab iis, qui nolunt, sed ab iis, qui ægrotantes seipsos medico exhibent, sicut in Euangelijs inuenimus ægrotantes accedere ad Saluatorem, rogantes, vt perciperent sanitatem, & ita demum curatos. Et est quidem, verbi gratia, [vt] recipiant cæci, & videant, in eo quidem, quod precati sunt F Saluatorem, & crediderunt ei, posse se ab eo curari, opus ipsorum, qui curati sunt: in eo verò, quòd eis redditur visus, opus est Saluatoris. Sic igitur diuinus sermo promittit daturum se esse eruditionem accedentibus, auferendo cor lapideum & durum, id est, abstergendo malitiam, vt possint per hoc in diuinis ambulare præceptis, & legis mandata seruare. Sequitur illud Euangelij, quod Saluator di- *Tertij loci* cebat, Propterea his qui foris sunt, loquor in parabolis, vt *solutio.* videntes non videant, & audientes nõ intelligant, ne- *Matt. 13.* quando conuertantur, & remittatur eis. In quo dicet, qui „ è diuerso disputat, Si omninò hi, qui manifestius au- „ dient, corrigentur & conuertentur, ita vt digni sint „ percipere remissionem peccatorum, non est autem in ipsorum potestate, vt audiant manifestum sermonem, sed in eius vtique potestate qui docet, vt apertius & manifestius doceat: is verò qui docet, propterea se dicit manifeste eis non prædicare verbum, ne fortè audiant & intelligant, & conuertantur & saluentur, non erit sanè in ipsis vt salui fiant.

Quod si ita est, liberi arbitrij non erimus, vel ad salutem, vel ad perditionem. Et si quidem non esset adiectum quod dixit, Ne fortè conuertantur, & remitta-

G tur eis, posset probabilior esse responsio, qua diceremus, Quòd nolebat Saluator eos, quos præsciebat non esse futuros bonos, intelligere mysteria regni cœlorum, & propterea loquebatur eis in parabolis. Nunc autem cùm adiectum sit: Ne fortè conuertantur, & remittatur eis, difficilior efficitur defensio. Primùm igitur notandum, quid habeat munimenti locus iste aduersus hæreticos, qui aucupari verba de veteri Testamento solent, si qua fortè videntur eis (vt ipsi audent dicere) de Deo creatore graue & inhumanum aliquid designare, vel cùm iudicantis designatur, vel punientis affectus, vel quomodo certè ipsi hæc nominare volunt, ea quibus videlicet bonitatem denegēt esse in creatore, quoniā nō eadē mente nec eodē sensu etiam de Euangeliis iudicant, nec obseruant, si qua talia etiam in Euangeliis possunt, qualia iudicant vel arguunt in veteri Testamento. Euidenter enim in hoc capitulo Saluator ostenditur (sicut ipsi dicunt) propterea manifestè non loqui, vt non conuertantur homines, & conuersi remissionem accipiant peccatorum: quod quidem per se nihil omninò minus habebit ab eis qui in veteri Testamento accusantur. Si verò etiam ipsis videntur hæc expositione indigere, si qua in Euangelio ita posita inueniuntur, consequens & necessarium erit, vt etiam ea, quæ in veteri Testamento criminantur, simili expositione purgentur: ea quibus ipsos colligemus existimare vnius eiusdémque Dei esse propter similitudinem, quæ in vtroque H scripta sunt. Verùm ad propositam quæstionem, prout possumus, conuertamur. Dicebamus prius de Pharaone disputantes, quòd citiùs curari interdum non cedit in bonum, si quidem grauibus morbis implicati, seipsos ab iis, in quos inciderunt, liberauerint. Contemnentes enim malum, vt curata facile, dum postea non cauent in illud incidere, eò recidunt. Vnde in huiusmodi Deus immortalis, qui occultorum cognitor est, qui nouit vniuersa antequàm fiant, pro multa benignitate sua differt celeriorem istorum curationem, & medicinam protelat in longius, atque vt ita dixerim, curat eos, dum non curat, ne eos prospera sanitas insanabiles reddat. Par ergo & consentaneum est, vt apud eos, quibus foris positis Domini & Saluatoris nostri sermo fiebat, pro eo, quod scrutans corda & renes, præuidebat, nundum aptos manifestioris eloquij recipere doctrinam, profundioris sacramenti fidem velaso sermone contegeret, ne fortè velociter conuersi ac sanati, id est, peccatorum suorum remissione celeriter accepta, versa facie iterum in eundem reciderent morbum, quem senserant sine aliqua difficultate curatum. Fortasse autem & leuiores pœnas præcedentium peccatorum, quibus in virtutem deliquerunt, eam deserentes, nondum tempus expleuerunt, vt à diuina cura derelicti, suis malis, quæ seminarunt, maiorem in modum satiati, postea ad vehementiorem pœnitentiam vocentur, non celeriter in I ea declinantes, in quæ deciderant, virtutis dignitate contumeliis affecta, & semetipsis in deteriora traditis.

Ergo sunt qui foris esse dicuntur, sine dubio ad eorum comparationem, qui intus esse, & manifestius audire verbum Dei referuntur. Audiunt tamen & isti, qui foris sunt, verbum, licet parabolis obtectum. Sunt autem alij, præter eos qui foris sunt, qui Tyrij appellantur, qui omnino non audiunt, quamuis præcogniti, quod olim in sacco & cinere iacentes, pœnitentiam egissent, si factæ fuissent apud eos virtutes, quæ apud alios factæ sunt, & tamen non audiunt, ne ea quidem, quæ hi qui foris sunt, audiunt, credo, pro eo quòd longè horum inferior & nequior ordo esset in malitia, quàm eorum qui foris esse dicuntur, vt illo tempore, postquàm tolerabilius erit eis, in die iudicij, quàm illis apud quos factæ sunt virtutes quæ scriptæ sunt, opportunius audientes vehementiorem agant pœnitentiam. Vide autem, an non potius nos præter disquirendi studium, etiam pietatem planè seruare contendamus, dum de Deo & Christo eius, omni ex parte rationem reddere tentamus, vt qui in tantis & talibus de varia Dei prouidentia, animæ prouideat. Si quis igitur de probro affectis requirat, quòd cernentes prodi- K gia, & diuina verba audientes, non iuuantur, cum Tyrij fuissent pœnitentiam acturi, si tot & tanta apud ipsos facta dictáque essent: cur igitur talibus prędicauit Saluator, in ipsorum detrimentum, vt grauius peccatum ipsis imputaretur, hoc modo respondendum videtur: Deus qui vniuersarum mentium conditor est, aduersus suam prouidentiam querelas prænoscens præcipuè eorum qui dicūt, Quomodo credere poteramus, cum neque vidimus ea, quæ aliis prædicata sunt, neque audiuimus, quibus auditis alij conuersi sunt: volens arguere occasiones huiusmodi querelarum, & ostendere quia non dissimulatio diuinæ prouidentiæ, sed humanæ mentis arbitrium, causa sibi perditionis existit, contulit etiam indignis & incredulis gratiam benefactorum suorum, vt postquàm acceperint, nihilominus conuicti tanquam impij, quòd ne post tanta quidem dona se ad vtilia dediderint, ab huiusmodi audacia desinant, & in eo ipso liberati discant, Deum beneficia in aliquos differre & tardare, nec concedere vt cernant & audiant ea, quibus visis auditisque grauius & ægrius peccatum arguitur, quàm eorum, qui post tanta & talia non crediderunt. Videamus nunc & de eo, quod dictum, Non volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Aiunt enim hi, qui contra assumunt: Si non est volentis neque *Quarti lo ci solutio.* currentis, sed miserentis Dei, saluari non est in nobis posi- *Rom. 9.* tum. At enim natura nostra talis est, vt vel saluemur, vel certè in voluntate sola eius, qui cum vult, miseretur & sal- L uat. A quibus primò quærendum, velle bona, aut bonum est, aut malum? & velle currere, vt perueniatur ad bona, laudabile est vel culpabile.

Si quidem dixerint culpabile, apertè insaniunt, contra Sanctorum actiones, qui & volunt bona, & ad ea currunt: in quo vituperatione dignum nihil faciunt. Sin respondeant, bona velle esse bonum, itémque ad bona currere, interrogabimus rursum, quo pacto perdita natura meliora velit. Tanquam enim arbor mala bonos fructus profert: si quidem bonus fructus est velle meliora. Quòd si tertium dixerint, quia medium est velle bona, & currere ad bona id est, neque bonum, neque malum, dicemus ad eos, Si medium est velle bonum, & currere ad bona, ergo & id quod his contrarium est, medium erit, id est, velle mala, & currere ad mala. Sed certum est, quia non sit medium velle mala, & currere ad mala, sed apertè malum. Ergo neque medium velle bona, & currere ad bona. His igitur tali responsione depulsis, ad expositionem iam sententiæ properemus, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. In libro Psalmorum Salomon (eius enim est Oda graduum, è qua verba assumimus) Nisi Dominus, inquit, ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædi- *Psal. 127* ficant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilant qui custodiunt eam. Per quæ verba non dehortatur M ab ædificando, & à custodia ciuitatis eius quæ intra nos " est, sed ostendit, quia quæcunque sine Deo ædificantur, & " quæcunque sine eo custodiuntur, vanè ædificantur, & sine " causa seruantur. In omnibus enim, quæ benè ædificantur & benè seruantur, Dominus vel ædificationis, vel tutelæ auctor conuenienter adscribitur, vt vniuersis dominetur. Quemadmodum igitur, si conspicati aliquod magnificum opus, & præclari ædificij moles, dicamus hæc non ædificantis, aut custodientis, sed Dei omnium præsidis esse opera, qui efficit ne hæc ciuitas quicquam ab hostibus patiatur, non errabimus, quoniam præclarum opus cum gratiarum actione ad Deum quidem perficientem referimus, sed humanas vires aliquid fecisse subintelligimus: Sic & Apostolum dixisse intelligendum est. Non enim sufficit ad consequendum finem voluntas humana, nec idoneus est mortalis athletarum cursus ad cōsequendum brauium supernæ Dei vocationis in Christo Iesu, nisi hæc ipsa voluntas nostra bona, promptúque propositū, & quæcunq; illa in nobis esse potest industria, diuino vel iuuetur vel muniatur auxilio. Et ideò valdè cōuenienter dicit Apostolus, Quoniam non volentis, neque currentis, sed miserentis

est

A est Dei: quemadmodum & si dicamus de agricultura illud, quod scriptum est, Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit: Ita neque qui plantat, est aliquid, (1. Cor. 3.) neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Sicut ergo cùm bonos & vberes fructus ad perfectam maturitatē pertulit seges, nemo piè & conuenienter dicet opus esse agricolæ, aut opus irrigantis, sed opus Dei: ita etiam nostra perfectio, non quidem nobis nihil agentibus & otiosis efficitur, at à nobis tamē nō perficitur, sed Deus eius plurimam partem operatur. Vt autem euidentius illud credatur, a nauis gubernatione sumamus exemplum. Nam præter ventorum flatum, & aurarum temperationem, & stellarum splendorem, quæ ad nauigantium salutem simul conferunt, quantum momētum vt ad portum adpellatur, habere dicetur ars nautica? Si tamen nauis vndis & fluctibus fatigata, ad portum salua peruenit, nemo sani sensus, nisi misericordiæ Dei, nauis salutem ascribet. Sed nec ipse nauta vel gubernator propter reuerentiam audet dicere, Ego saluaui nauem, sed totum ad Deum refert, non quod sentiat se nihil ad saluandum nauem vel artis adhibuisse, vel laboris, sed quoniam arte & industria supra modum maius est, quod à prouidentia proficiscitur. Ita etiam & in nostræ salutis cursu multipliciter Dei actio libertatis nostræ virtutem exuperat: ob eámque causam dictum existimo, Non volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Si enim, vt isti existimant, caponendum, Non B volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, superflua vtique erunt mandata. Frustra etiam ipse Paulus culpat quosdam decidisse à virtute, & amplectitur alios velut præclara operatos. Præcepta quædam & instituta è superfluo tradit Ecclesiis. Frustra etiam nos ipsi vel volumus, uel currimus ad bona. Sed certum est, quòd hæc frustra non fiunt: certum, quòd nec Paulus frustrà consulit, hos reprehendens, illos complectens. Superest ergo, vt concludamus istos locum Pauli non rectè exponere. (Quintus locus diluitur.) Post hæc sequebatur, velle & perficere esse a Deo. Vbi quidam aiunt, Si ex Deo velle est, & ex Deo est operari, siue malè agimus, siue malè volumus, ex Deo est. (Philip. 2.) Quòd si ita est, liberi ergo arbitrij non sumus. Rursum, cùm à Deo prodeat velle & operari, dum meliora volumus, & præclara operamur, non nos id facimus, sed nos quidem videmur facere, Deus autem donauit.

Quare ne in eo quidem nostræ erimus potestatis. Ad quod respondendum est, quia sermo Apostoli non dicit, Quia velle mala ex Deo est, neque velle bona. Similiter neque meliora vel deteriora operari, sed vniuersè velle, & vniuersè currere. Nam quemadmodum à Deo habemus, vt simus animalia, & vt simus homines, sic etiam vniuersè, vt velimus, atque (siquidem generaliter dicam) moueamur. Porrò quemadmodum habentes vt simus animalia, moueamur, vt verbi causa hæc membra, pedes vel manus agitemus, non conuenienter tamen nos à Deo ha- C bere dicemus hoc aliquid, verbi gratia, motum ad verberandum, aut occidendum, aut furandum. Sed generalem quidem actum mouendi à Deo sumus consecuti, nos autem motione ad deteriora vel meliora vtimur: sic certè operari, quatenus sumus animalia, à Déo accepimus, & velle ab eodem opifice. At nos voluntate ad præclara, contrariáve vtimur, quod eodem modo de effectibus sentiendum. Sed de eo quod dicit Apostolus sibi ipsi occurrens, Ergo cui vult, miseretur, & quem vult indurat. (Sextus locus diluitur.) Dices ergo mihi, Quid adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis resistet? Enimuerò homo, tu quis es, qui contrà respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? aut, Non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud autem in contumeliam? (Rom. 9.) Dicet enim aliquis, Sicut figulus ex eadem massa facit alia quidem vasa ad honorem, alia autem ad contumeliam, ita Deus alios ad perditionem, alios ad salutem facit. Non est ergo in nobis vel saluos fieri, vel perire, per quod non videmur nostri esse arbitrij. Respondendum est ergo his, qui ita intelligunt, si potest fieri, vt possit Apostolus sibi ipsi contraria proloqui? D Quòd si hoc sentiri non potest de Apostolo, quomodo (1. Cor. 5.) videbitur secundum eos iustè culpare eum, qui Corinthi fuerat scortatus, vel eos qui deliquerant, & pœnitentiam non egerant, in impudicitia, & scortatione, & immunditia, quam gesserant? Quomodo etiam collaudat eos, qui rectè egerunt, sicut Onesiphori domum, dicens, Det Dominus misericordiam Onesiphori domui, quia frequenter me refrigerauit, & catenam meam non erubuit, sed cùm Romam venisset, solicitè me quæsiuit, & inuenit, Det illi Dominus inuenire misericordiam apud Dominum in illo die. (2. Tim. 1.) Nonne est Apostolicæ consuetudinis culpare eum, qui culpa dignus est, id est qui peccauit, & collaudare eum, qui laude dignus est, id est, qui benè fecit? Rursum, dicendo creatoris esse opus, vt vas aliud sit in honorem, aliud in contumeliam, sublato veluti libero arbitrio, quo pacto illud Apostoli, Nos omnes assistere oportet ante tribunal Christi, vt ferat vnusquisque nostrum in corpore suo, prout gessit, siue bonum, siue malum, constabit? (2. Cor. 5.) Quæ enim boni retributio ei, qui malum facere non potuit, ad hoc ipsum à creatore formatus? vel quæ pœna digne irrogabitur ei, qui bonum facere, ex ipsa conditoris sui creatione non potuit? (2. Tim. 2.) Tunc deinde quomodo non contrarium est huic assertioni illud quod dicit, In domo autem magna non sunt tantummodò vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & alia quidem ad honorem, alia autem ad contumeliam? Si ergo qui emun- E dauerit semetipsum ab his, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum. Si ergo, qui se emendauerit, efficitur vas ad honorem: qui autem immunditias purgare contempserit, efficitur vas ad contumeliam: nulla tenus istorum causa est conditor, quantum ex his verbis licet colligere. Nam facit quidem creator Deus quoddam vas ad honorem, & facit alia vasa ad contumeliam, non à principio vel origine, secundum præscientiam. Neque enim ea ante iudicat, aut antè iustificat: sed illud vas, quod se purgauit, ab omni immunditia, illud facit vas ad honorem: quod verò vitiorum sordibus se maculauerit, illud vas ad contumeliam facit. Itaque non ex antiquioribus causis, quàm constitutio vasorum ad honorem & ad contumeliam, efficitur alius ad honorem, alios ad contumeliam.

Quòd si semel admittimus esse aliquas causas antiquiores vase honoris, & vase ignominiæ, quid absurdum est ascendentes in locum de anima dicere, quia antiquiores causæ extiterunt, cur Iacob diligeretur, & Esau odio haberetur: in Iacob, antequàm corporaretur, & in Esau, antequá in in Rebeccæ ventre exoriretur? Sed & illud quod dictum est, Quòd ex eadem massa, & honoris & contumeliæ vas fiat, non nos poterit coarctare, vnam etenim naturam omnium esse dicimus rationabilium animarum, sicut vna luti massa subiacere figulo designatur. Cùm ergo vna omnium sit natura rationabilium creaturarum, an- F tiquior quędam causa effecit, vt hi quidem sint in honoré, illi autem in contumeliam. Quòd si conturbat Apostoli oratio, quæ dicit, O homo, tu quis es, qui contrà respondeas Deo, puto ostendere, quoniam ad fidelem quem que rectè & iustè viuentem, & habentem fiduciam apud Deum, talis increpatio non refertur. (Rom. 7.) Talis erat Moses ille. Moses enim loquebatur. Deus autem respondebat ei cum voce: & sicut respondebat Mosi, ita respondet & Sanctus quisque Deo. Qui verò talem non habet fiduciam, videlicet qui eam perdidit, vel de iis non quærit, vt discat & proficiat, sed vt contendat & resistat, & (vt manifestiùs dicam) qui talis est, vt dicat, Quid ergo adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis resistet? ad hunc rectè increpatio ista dirigitur, quam dicit Apostolus, O homo, tu quis es, qui contrà respondeas Deo? His verò, qui diuersas animarum introducunt naturas, & sermonem hunc Apostolicum ad assertionem sui dogmatis trahunt, hoc modo respondendum est: Si tantum habent ex vna massa fieri & eos qui pereunt, & eos qui saluantur, atque

G creatorem, tam eorum qui saluantur, quàm eorum qui pereunt, esse creatorem: Item esse bonum, qui facit non solùm spiritales, verùm etiam terrenos (id enim ex ipsorum dictis sequitur) possibile sanè erit, vt vas honoris factum sit è prioribus quibusdam bonis operibus in hoc mundo, & vas contumeliæ in alio seculo pro meritis, quoniam non similia fecerit, neque vasi gloriæ consentanea? Vt rursum quòd vas ad contumeliam propter ea quæ antecesserunt hanc vitam, hic factum est, si se emendauerit illo nouo seculo, poterit effici vas ad honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne bonum opus paratum. Denique qui in hoc seculo, vt Israëlitæ essent, à Deo formati sunt, & indignam vitam generis sui nobilitate gesserunt, atque ab omni familiæ suæ generositate deciderunt, illi quodam modo è vasis honoris in vasa contumeliæ conuertentur: Et multi rursum, qui nunc Aegyptij sunt & Idumæi, Israëlitarum fide ac conuersatione suscepta, cùm fructus Israëlitarum fecerint, in Ecclesiam Domini ingredientur, nec Aegyptij ampliùs aut Idumæi reputabuntur, sed Israëlitæ existent: Itaque secundum propositum suum alij è deterioribus in meliora conuertentur, alij è melioribus in deteriora decident: Nonnulli manebunt in bonis, aut è bonis ad meliora proficient, & semper ad superiora conscendent: alij manebunt in malis, vel si vltra in eis malitia diffuderit, deteriores fient. Verùm quoniam sermo Apostoli in his quidem, quæ de vasis honoris vel contumeliæ dicit, Quia si quis seipsum mundauerit, erit vas ad

H honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum semper paratum: nihil videtur ad Deum, sed totum ad nos retulisse: in his verò, in quibus ait, Potestatem habet figulus luti de eadem massa facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam, totum videtur ad Deum reduxisse, non est accipiendum sibi esse contraria, sed vtroque sensus ad vnum vocandus, & è duobus vnus effici debet intellectus, vt neque quæ in nostro arbitrio sunt, putemus sine adiutorio Dei posse effici, neque ea quæ in manu Dei sunt, putemus absque nostris actibus & studiis, & proposito consummari. Neque enim Deus solus quædam ad honorem aut ignominiam facit, nisi tanquam materiam quandam differentiæ habeat nostras voluntates vel ad meliora vel ad deteriora declinantes. Sed ista sufficiant, prout potuimus, de liberi arbitrij quæstione agitata.

Colligit παλιγγενεσίαν tanquam aliquid absurdū.

2 Tim. 2.

Rom. 4.

Locus in Græco corruptus.

QVAE SVPER TERRAM RAtionalium, id est, humanarum animarum dispersio tacitè declarata ex Turris ædificatione, & ad ipsam facta linguarum confusione. Vbi & de multis dominis siue præsidibus, qui dispersis pro analogia constitutionis præfecti sunt.

I CAP. XXII.

E quinto tomo contra Celsum.

NVNC videamus, quid deinceps loquatur Celsus. Igitur Iudæi propria
» gente constituta, latisque gentili-
» bus legibus, quas etiam nunc cir-
» cumferunt, simul cum religione
» qualicunque, sed tamen patria, fa-
» ciunt more aliorum hominum,
» quorum suæ quisque patriæ institu-
» ta sequitur, qualiacumque fuerint. Id quod videtur etiam
» vtile, non solùm quia leges aliis aliæ venerunt in men-
» tem, & seruandum est, quicquid semel publicè placuit,
» verumetiam quia, vt est credibile, partes terræ ab ini-
» tio distributæ sunt aliæ aliis præsidibus, velut prouin-
» ciæ. Itaque in singulis rectè fit, quod receptum est mori-
» bus, nec violare per singulas regiones instituta iam indè

ab initio fas sanctumque est. Hic Celsus ostendit Iu- K
dæos olim fuisse Aegyptios, deinde propriam gentem constituisse, legésque à se constitutas ex illo retinere tempore, & ne eadem ipsius verba repetamus, vtile hoc eis, vt suis ritibus vtantur, sicut cæteræ gentes suis quæque vtuntur. Ac mox profundiorem quandam causam exponit, cur Iudæis patria instituta seruare expediat, innuens quosdam esse terrarum præsides, & quasi inspectores, qui earum legislatores ad ferendas leges adiuuent. Itaque videtur significare Iudæorum quoque regionem & gentem regi & inspici ab vno quopiā præside, vel pluribus, cuius vel quorum auxilio Moses suas leges ad populum tulerit. Et
oportet (inquit) leges seruare, non solùm, quia placuit a- «
liis eas ferre aliter: & seruandum est, quicquid semel pu- «
blicè placuit: verumetiam quia credibile est partes terræ «
mox ab initio distributas alias aliis præsidibus, & velut «
prouinciatim gubernari ab eis. Deinde quasi oblitus Cel- «
sus eorum, quæ contra Iudæos dixit, nunc in vniuersa pa- «
trias leges seruantium laude ipsos quoque complectitur, «
dicens, Itaque in singulis rectè fit, quod semel receptum est moribus. Et vide num, quantum in ipso est, Iudæum in suis legibus viuentem velit ab eis non discedere, quasi non sanctè facturus sit, si discesserit? Dicit enim, non esse sanctum dissoluere, quæ à principio per singulas regiones constituta sunt. Quapropter libenter ipsum & cum ipso sentientes rogarem, quisnam sit ille, qui ab initio partes terræ suis præsidibus distribuit, vt inter cæteros Iudæorum quoque prouincia sorte vni cui- L
piam pluribusue obuenerit. Num enim, vt Celsus diceret, Iuppiter vni pluribusve aliquibus attribuit Iudæorum gentem & regionem, voluitque vt qui Iudæorum prouinciam sortitus esset, tales Iudæis leges dictaret: an forte præter Iouis voluntatem id factum est? Vtrumuis respondeat, vides in quas angustias se eius oratio coniiciat. Quòd si à nemine vno distributæ sunt regiones terræ suis præsidibus, ergo temerè, vt nullo diuidente, suam quisque attripuit: quod & ipsum absurdum sit credere, omnitùm tollens omnem è rebus prouidentiam. Quomodo autem, & in quas prouincias distributa terra administretur à præsidibus, narret nobis qui vult, & ostendat quàm rectè fiant in singulis, quæ fiunt præsidum arbitratu: tum quàm rectè se habeant Scytharum leges de occidendis patribus, quod exempli gratia dictum sit, vel Persarum, non prohibentes matrum cum filiis, aut patrum cum filiabus connubia. Sed quid me opus est varias Gentium leges ex scriptoribus colligere, & dubitare per singulas, quàm rectè fiant quæ a præsidibus sanciuntur? Dicat autem nobis Celsus, quomodo non sit sanctum violare leges patrias de ducendis filiabus & matribus, aut de beato, vt putant fine per suspendium, aut per rogum, in quem si quis viuum se mittat, aiunt purgari animam, & vnà cum corpore absumi peccata omnia.

Quomodo etiam non sit pium & sanctum soluere le- M
ges Taurorum, exempli causa, hospites pro victimis Dianæ mactantium, aut Afrorum filios immolantium. Eadē Celsi ratiocinatione sequitur, impiè Iudæos facere, si præuaricentur leges patrias, de non colendo alio Deo, præter huius mundi opificem, eritque iuxta ipsius opinionem fas & pium, non naturale, sed arbitrarium. Est enim pium apud alios venerari Crocodilum, & vesci animalibus apud alios consecratis, apud alios vitulum, & rursum apud alios hircum pro Deo colere. Atque ita fiet, vt vnus & idem pius sit aliorum legibus, aliorum contrà impius: quod est longè absurdissimum. Respondebunt fortassè pietatem in hoc sitam, si fiat iuxta leges patrias, quòd externæ obligent neminem, nec statim esse impiū, qui ab aliis impius habeatur, modò ne discedat à ritu patrio, liceréque huic aduersari legibus aliorum, & eorum sacra deuorare: Id quod videndum, ne magnam confusionem in ius & fas inuehat, si nullam hæc propriam naturā habeant, ad cuius formulam examinentur in fa-

Præsides regionum

A in factis pietas ? Itaque si pietas, sanctitas, iustitia ad aliquid referuntur, vt idem sit pium & impium pro diuersis habitudinibus & legibus, vide ne consequens sit, vt temperantia quoque inter illa censeatur, quæ dicuntur ad aliquid, & fortitudo & prudentia, & scientia, & reliquæ virtutes, quo nihil cogitari possit absurdius. Hæc autem ratio videtur Celso concludere, vt omnes homines secundum leges patrias viuant, nec ob id reprehendantur: contrà, vt Christiani, dum patria instituta deserunt, nec vnam aliquam gentem velut Iudæi constituunt, sint in culpa, Iesu doctrinam amplectentes. Dicat igitur nobis, vtrum conuenienter qui philosophantur, & docent non esse superstitionibus vacandum, patria instituta deserunt, vt apud se vetitis vescantur, an præter officium istud faciunt. Nam si propter Philosophiæ præcepta, patrias leges iuxta superstitionis disciplinam non seruant, & paternis institutis vetita comedunt, quidni etiam Christiani, cùm diuinum verbum nolit ipsos venerari statuas & simulachra, & Dei opera, sed transcendere, animúmque ad opificem dirigere, tale aliquid facientes ac Philosophi superiores, inculpatè istud facient ? Quòd si Celsus, & qui cum eo sentiunt, vt sibi propositam hypothesim retineant, respondeant, etiam Philosophicis institutis deditum patrias leges seruaturum: considera, obsecro, Philosophos apud Aegyptios fuisse maximè ridiculos, quòd esu cæpæ abstinerent, vt patriis legibus obtemperarent, aut infinitarum aliarum corporis partium, verbi gratia, capitis & scapulæ, ne præcepta à patribus accepta transgrederentur. Sic igitur qui verbo Dei adducitur ad Deum vniuersorum colendum, at propter patria instituta deorsum desidet apud statuas & humana simulachra, nec vult animi mente & studio ad summum opificem ascendere, similis erit iis qui Philosophiam discunt, & metuentes ne in pericula grauia incidant, talibus vesci impium existimant. Atque hæc quidem satis erat ad Celsi verba respondisse simplicius, & minerua communiore. Sed quoniam putamus aliquos hæc nostra lecturos exquisitius, age pauca proferamos arcanæ cuiusdam contemplationis de aliis alibi iam inde ab initio præsidibus, & quasi inspectoribus, & commemoratis absurditatibus, vt eam opinionem, quoad fieri poterit, repurgemus. Mihi videtur Celsus non rectè intellexisse hanc de diuisione terrarum doctrinam secretiorem, quam nonnihil attingit etiam Græcorum historia, inducens quosdam ex iis, qui dij creduntur, inter se certasse de Attica, tum apud Poëtas fsciens, quosdam ex Deorum genere vsurpare sibi certa loca, vt præ cæteris familiaria. Barbarica quoque, præsertim Aegyptiorum, hystoria habet quiddam simile de diuisione Aegypti in præfecturas, quas vocant Nomos, inter quos Sain obuenisse Mineruæ, quæ & Atticam possidet. Cæterùm Aegyptiorum sapientes infinita talia dicent, fortasse etiam Iudæos secum accipientes ac dicentes eorum regionem ad eundem modum esse diuisam. Et de iis quidem nunc satis, quatenus extra diuinas literas tractantur. Diuinus autem Moses, quem Prophetam & germanum Dei famulum credimus, in Deuteronomij cantico mentionem facit diuisæ terræ, sic loquens: Quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei: & facta est pars Domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis ipsius Israël. Quin & in libro, qui Genesis inscribitur, idem Moses de hac gentium distributione historicè sic prodit: Erat terra labij vnius, & vox eadem omnibus. Cumque proficiscerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt ibi. Et paulò post, descendit Dominus, vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij hominum. Et dixit Dominus, Ecce vnus est populus, & vnum est labium omnium, & istud cœperunt facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. Atque inde diuisit eos Dominus ex illo loco super faciem cunctarum regionum. Sed D & in Salomonis, vt inscribitur, Sapientia, vbi diuisionis terrarum tempore confusionis linguarum factæ meminit, de Sapientia sic legitur: Hæc in consensu prauitatis, cum se nationes confudissent, sciuit iustum, & conseruauit sine reprehensione Deo, & in filiis misericordiam fortem custodiuit. Quibus de rebus prolixa, sed arcana est disputatio, in quam competit illud, Mysterium regis celare bonum est, ne in quaslibet aures sermo de animabus non migrantibus in corporibus pronunciatur, néue sancta dentur canibus néve margaritæ iaceantur ante porcos. Impium enim esset vulgò prodere hæc arcana Dei sapientiæ, de qua pulchrè scriptum est, In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sed satis est, quæ sub historia celantur, historicè proponere, vt qui possunt, sibi ipsis quærant loci huius intellectum. Intelligantur igitur omnes super terram diuina quadam lingua vna vtentes, & quotquot inter se consentiunt, conseruent se in hac diuina lingua, nec se demoueant ab Oriente, tantisper dum sapiunt ea, quæ sunt luminis, eiusque sempiterni fulgoris. Hi vbi se demouerunt ab Oriente, sapientes quæ Orienti non conueniunt, inuenient campum in terra Sennaar, quod interpretatur Dentium excussio, & quo significatur alimentum eis periisse, ibíque habitabunt. Deinde materialia quæque in vnum contrahere, & cœlo coniũgere volentes, quæ non ad hoc natura sunt, vt per materialia contẽdant ad immaterialia, dicent, Venite, faciamus lateres, & E coquamus eos igni. Iamque consolidantes luteam materiam, fingent pro lapidibus lateres, eósque luto ferruminãtes pro bitumine, ædificabunt ciuitatem & turrim, cuius fastigium ipsorum opinione ad cœlum pertingat. Et quãto quisque magis vel minus ab Oriente discessit, quanto magis minusve operæ consumpsit in fingendis ferruminandísque lateribus, struendóque ædificio, tãto magis minusve molestis traderetur Angelis, audaciæ pœnas exacturis ab eo, abreptutísque ædificatorum quemque in aliquam linguam & regionem terrę se dignã, aliis verbi gratia terrã æstuosam, aliis nimio frigore graue habitatoribus, alij cultura difficilem, rursum faciliorem aliis, item aliis bestiarũ plenam, aliis minus isto bestiarum genere occupatam. Hęc si quis potest, vt historiam partim res gestas narrantẽ partim secretius aliquid velantem, considerare, videat eos, qui pristinam linguam seruarunt, eò quòd ab Oriente non discesserant, manentésque in Oriente Orientalem linguam retinuerant, solos factos portionem Domini, populumque eius vocatum Iacob nomine, & Israël funiculum hæreditatis ipsius: hique soli præsidem habebunt, non in pœnam sicut alij. Cõsideret igitur qui potest pro humana facultate, etiam in eorũ ciuitate, qui vt eximia pars Domino sunt attributi, peccata admitti, primùm ferenda, & talia vt non mererentur omninò derelinqui propterea: Deinde plura, F tolerabilia tamen, ídque longo tempore, numquam non adhibitis remediis, ita vt per interualla resipiscerẽt, tũ quoties detinerentur pro peccati magnitudine, non secus quàm alias regiones sortiti, primùm leuiùs punitos, vt quasi puerili castigatione admoniti, reuerterentur ad propria: deinde verò traditos sæuioribus Dominis, vt scriptura nominat, Assyriis, deinde Babyloniis. Deinde adhibitis curationibus videat, quomodo postremò malitia crescente, per prædones Principes abrepti, & in longinquas regiones dispersi sint in alienorum præsidum partes. Cæterùm præses eorum data opera conniuebat, dum illi diriperentur à cæterarum gentium præsidibus, vt & ipse optimo iure tanquam illatas sibi iniurias vlciscens, nactus potestatem, vicissim inuasis aliorum gentibus, quotquot posset, inde adduceret, eísque sub suas leges subactis, rationem viuendi præscriberet: atque ita ad eum finem adduceret, ad quem adducturus erat, ni peccata obstitissent, suæ gentis olim sibi attributæ homines, & per hoc erudiret eos qui possunt hæc animaduertere: Nimirum longè potentiorem cæteris esse hunc, qui à peccato immunes etiam tum sortitus est,

In latinis contra Celsum exemplaribus desideratur integra pagina.

Deut. 32.

Genes. 11.

Sap. 10.

Tob. 2.

Matth. 7.

Sap. 1.

Genes. 11.

Populi Israël electio.

Deut. 32.

G quandoqoidem valeat ex omnibus portionibus selectos assumere, tetractos ab illis, qui eos poniendos accepetaut, & adducere ad leges vitæ vtiles, obliuioni traditis peccatis pristinis. Verùm hæc, vti prædiximus, rectè nobis dicta sint, quo appareret Celsum & similes non rectè intellexisse terræ partitionem, & ceù prouincias assignatas suis præsidibua. Quoniam antem isti ab Oriente profecti, proptet peccata sua traditi sunt in sensum reprobum & passiones ignominiosas, & in imporitates iuxta suas concupiscentias, vt saturati peccatum fastidirent, dissentiemus hîc à Celsu credente propter distriburos terræ partibus præsides in singulis regionibus rectè res administrari, nec probabimus singulorum placita. Videmus enim fas esse, priscas tegiunnm leges mutare melioribus & diuinioribus, quas pro potestate Iesus suis tulit, eripiens eos ab hoc præsenti seculo malo, & Principibus huius seculi iam destructis: & impium esse non subucere se potentissimo Principi, eaaltato super omnes cæteros, quem Deus ipse sic allocurus est, vt habetur in veterum Propherarum oraculis, Psal. 2. Pustula à me, & dabu tibi gentes in hæreditatem » tuam, & in pussessionein tuain terminos terræ. Ipse enim » factua est eapectatio nostra, qui è gentibus in eum credidimus & in Patrem ipsius, qui est super omnia Deus benedictus in secula.

H

DE FATO, ET QVO PACTO, cùm Deus præsciat quæcúnque à singulis aguntur, arbitry libertas consiet. Item quo pacto, stellæ non sint efficientes causæ humanarum actionum, sed duntaxat signa. Item homines de iis perfectam notitiam habere non posse, sed virtutibus siue potestatibus diuinis hæc signa patère, & quæ istorum sit causa. Vbi etiam Clementis Romani Episcopi ex oratione ad Patrem, quædam necessaria speculatio, cuius verbis vera asseri videtur Astrologia.

CAP. XXIII.

E tomo tertio in Genesim.

Vide Euseb. lib. 6 De præpar. cap. 9. aliquis his tomis in Genesim interciderunt.

SINT in signa, & in tempora, & in dies, & in annos. Quòd in signa facta sint luminaria, Sol scilicet & Luna, & reliquę stellę, disputare maximè est necessarium. Nó enim solùm Gentilium plurimi, à fide Christi alieni in locum de fato, dum existimant aspectu atque coniunctione

Genes. 1. planetaru cum signis Zodiaci, omnia necessario accidere,
1 quæ in terris fiunt, atque adeò circa homines singulos, fórtassè etiam brutas animantes. Verumetiam multi ea iis, qui fideles existimantur, hæsitaor, ne fortè hominum actionea necessariò contingant, & impossibile sit aliter accidere, quàm stellarum cursus & figurarum diuersitas effecerit. Vnde sequitur, vt qui ista decernunt, penitus libertatem arbitrij tollant, & quadam consequentia laudem & vituperium, & actiones vel laude vel vituperatione dignas. Quibus sic constitutis, Dei iudicium prædicatum perit, & comminationes, quibus peccatores ad æterna supplicia destinantur, & præmia atque beatitudines, quæ meliora amplectentibus sunt promissæ: Nihil enim istorum iam probabile est euéturum. Quin etsi qui ista decernit, apud se ad istorum consectaria attendat, ipsa quoque fides erit vana, & Saluatoris aduentus inutilis, & omnis Prophetarum & legis œconomia, & Apostolorum labores in constituendis Dei per Christum Ecclesiis, nisi fortè Christum quoque qois audeat dicere cœlestium corporum vi eoactum fecisse quæ fecit, passumque fuisse quæ passus est, nec Dei & Patris, qui Ipsi vniersorum admirabilem potestatem dedit, sed stellarum virtute & munere.

Quibus Impiis verbis conficitur etiam, vt fideles stella- K rum fato acti, in Deum credere dicantur. Sed interrogemus ipsos, cur Deus volens istiusmodi mundum produxerit? An vt in eo masculi absque vlla sua culpa muliebria paterentur, alij agrestium animalium conditionem induentes, quod vniuersi conuersio tales ipsos effecerit qooniam sic Deus vniuersitatem ornaoit, seipsos sæuissimis & valde inhumanis actionibus, & cædibua & direptionibus dederent? Quid attinet nos dicere de hominum euentis, & peccatis innumerabilibus, quos egregiæ illius sententiæ auctores omnes omni culpa absoluunt, & Deo rerum omnium improbè & turpiter actarum causas attribuont? Si aliqui, veluti Deo patrocinaturi, alterum dicunt esse bonum, nullius istorum habentem principium, opifici autem istæc vniuersa applicant, certè primùm quod volunt, non poterunt ostendere, quòd sit iustus. Quomodo enim is, qui tot tantáque mala produxit, iostus esse dicetor? Deinde quid de seipsis respondebunt, interrogádi erunt, vtrum stellarum motui subiecti sint, an soli eorum necessitatem effugerint: & cùm sint in vita, nihil in se ipsos inde effectum habuerint? Si primum, manifestum est, quia à stellis etiam hanc opinionem sunt consecuti, & opifex per vniuersi motum rationem de Deo supremo confictam subiciet: quod certè nolunt. Quod si responderint se esse extra opificis leges de astris positas, ne qood dicunt L affirment, sine demonstratione, tentent nos rationibus magis necessariis euincere, differentiam assignantes inter mentem, quæ natiuitati & fato subiecta est, & eam quæ à fato est libera. Perspicuum enim iis, qui istos norunt, quòd rogati rationem reddere nullo pacto poterunt. Adhæc si fato res humanæ agontur, cur orant? cur voueant? cur apertè aliquid à Deo petunt? Nam si necesse est ista euenire, Deum frustrà interpellamus, vt hæc nobis præstet. Quid plura? Abundè enim ex his patet impiè & temerè susceptam à multis opinionem de fato. Quare autem, cùm illud consideremus, Sint-ne in signa luminaria, in honc sermonem incidimus, nunc commemoremus. Qui veram aliquorom scientiam discunt, aut oculati rerum spectatores, passionem & actionem patientium & agentium conspicati, certa quædam rectè pronuntiant, aut ab iis qui nullo modo rerum actarum causæ & auctores extiterunt, sed audiri didicerunt, eornm notitiam accipiunt. Prætereamus autem, qood caperti & passi, dum exponunt quid egerint, quídve sint passi, possunt ad ootitiam rerum factarum absentes addocere, Certè si ab alio quis audit factum esse, aut faciendum aliquid, cuius tamen ille nec fuit, néc erit causa, si hic idcircò, quoniam ab illo didicerit, causam ipsius fuisse illum, vel futurum esse arbitratur, non parum valdè perspicuè errat. Velut si quis Prophetæ librum euoluat, in quo de proditione Iudæ scribitur, & cum iam rem patratam videat, quoniam à libro futurum id didicit, librum caosam factæ M proditionis putet, aut si non librum, ipsum libri auctorem, aut certè Deum qoi inspirauit. Quemadmodum autem Prophetiæ de Iuda dictiones examinatæ, non fuisse Deum causam proditionis ostendunt, sed solum præsignificasse, qoæ ex malignitate ipsius futura præuiderat: sic si quis altius voluerit præscientiæ Dei vniuersaliter rationes scrutari, oec eum qui præsciuit, nec eas res, quibus præscita impressa sunt, rerum antè cognitarum causam esse profectò intelligat. Deum igitur omnia futura præscire, quanquam etiam per communem de Deo intelligentiam sit clarissimum, tamen & ea scriptura istud doceamos. Nam scripturæ talium exemplorum sunt plenæ. Susannam ergo audiamus dicentem: Deus « æterne, qui absconditorum es cognitor, qoi nosti om « nia antequàm fiant, tu scis ipsos falsum testimonium « tulisse aduersum me. Dilucidè autem in tertio Regnorum non solum res gestæ, sed ipsum quoque nomen Regis ante complures annos prophetice sic conscribuntur: Et constituit Ieroboam Diem solennem in mense octauo, quintodecimo die mensis, in similitudinem so- « lennitatis quæ celebrabatur in terra Iuda. Et ascendit «

A in altare, quod erat in Bethel, vt immolares vitulis quos fabricatus fuerat. Et post pauca, Et ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel, Hieroboam stante super altare, & thus adolente, & clamauit contra altare sermone Domini, & dixit, Altare, altare, hæc dicit Dominus. Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit in te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum succendet super te. Deditque in illa die signum, dicens, Hoc erit signum quod locutus est Dominus. Ecce altare scinderur, & effundetur pinguedo, quæ super eo est. Deinde significatur repentè altare scissum, & effusam pinguedinem fuisse secundum signú, quod homo Dei dederat verbo Domini. Apud Esaiam autem, qui multò antè captiuitatis Babylonicæ tempora

Esa. 44. extiterat, nominatim de Cyro mentio fit, qui captiuitati finem attulit, postquàm certè Cyrus Persarum Rex procurauit tépli ædificationem Esdræ temporibus factam: Hæc dicit Dominus Deus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & vires regum fundam: aperiam ante eum ianuas, & vrbes non claudentur, Ego antecibo, & montes humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos, vt scias quia ego Dominus, qui vocu nomen tuum, Deus Israël, propter seruum meum Iacob

B & Israël electum meum. Ego vocabo te nomine meo, & suscipiam te. Quibus dilucidè significatur, propter beneficia, quæ populo Cyrus contulit, multarum ipsi gentium regna diuinitus fuisse concessa, nescienti alioqui diuinam Hebræorum religionem. Et hæc quidem licet discere à Græcis, res Cyri prophetati describentibus. Apud Danielé quoque, rerum potientibus Babyloniis, Nabugdonosori

Dan. 2. per imaginem futura regna ostensa sunt. Aurum namque Babyloniorum, argentum Persarum, æs Macedonum, ferrum Romanorum imperium portendebat. In eodem propheta de Dario & Alexandro, & de quatuor Alexádri successoribus, de Ptolomæo quoque Rege Aegypti, qui cognominatus est Lagus, his verbis scribitur: Ecce auté Hir-

Cap. 8. cus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & habebat cornu inter oculos suos, & venit vsque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem coram Vbal, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ. Cúmque appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum, & percussit arietem, & contriuit duo cornua illius, nec poterat aries resistere ei. Cúmque misisset eum in terram, conculcauit eum, & nemo poterat liberare arieté de manu eius. Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cúmque creuisset, factum est cornu eius, & orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cœli, De vno autem ex his egressum est cornu vnum, & fa-

C ctum est magnum versus Meridiem & Occidentem. Quid Prophetias de Christo opus est dicere, locum vbi natus est Bethlehem, vbi educatus est Nazareth, recessum etiam in Aegyptum, miracula etiam quæ fecit, & quomodo Iudas eum tradidit, postquam esset ad Apostolatú vocatus. Hæc enim omnia argumento sunt, Deum ab æterno cúcta

Matt. 24. præscire. Ipse quoque Saluator euersionem futuram Hierosolymorum prædixit, Cùm videritis (inquit) circundatá ab exercitibus Hierusalem, tunc scitote, quoniam appropinquauit desolatio eius. Quorsum hęc? Vt faciliùs explicare possimus, quomodo stellę in signa factæ sunt. Sic igitur sitas in cœlo stellas obseruandum est, vt & contrario motu stellæ inerrantes atque erraticę agitentur, vt modò per varios earum aspectus atque coniunctiones tam vniuersa quàm singula, non quidem homines (excedit enim omninò exquisitissima motus stellarum ratio, mentem hominum) sed virtutes, quibus, vt postea ostendemus, hæc scire necesse est, percipiant. Dum autem homines aut quibusdam obseruationibus, aut aliquorum spirituum doctrina, qui ordinem suum transgressi, multa hominibus suggesserunt, nonnulla stellarum motu confusiùs præuiderint, putarunt ea, à quibus capiuntur, caussas esse earum rerú, quas non efficere, sed significare Dei affirmat verbum. De quibus omnibus breuiter & exquisitè secundum nostras vires

differemus. Proponantur igitur hæc ordine cósideranda, D
Quo pacto, cùm à seculo futura omnia Deus præsciat, liberum seruetur arbitrium. 2. Et quomodo stellæ non sint humanarum rerum effectrices, sed solummodò signa. 3. Et quòd homines exactam de his cognitionem habere nequeant, sed virtutibus, quæ superiores homine sunt, hæc signa diuinitùs depicta sunt. 4. Postremò, quænam causa fuerit, vt Deus signa futurorum ad cognitionem virtutum expresserit. Primum igitur dispiciamus, quòd Gentilium sapientes in magnos intulit errores. Cùm enim præscire Deum vniuersa minimè negarent, necessariò nos agere, quicquid agimus, nullóque modo seruari liberum arbitriú crediderunt, atque impium dogma ausi sunt potius suscipere, quàm valere sinere, vt quidem præteraunt Dei gloriá, sublata libertate arbitrij, & consequenter laudis & vituperationis, virtutum & vitiorum materia. Nam si ab æterno (inquiunt) iniustum aliquem futurum Deus prœuidit, nec scientia diuina falli potest, erit omninò ille iniustus, nec possibile est eum iniustum non fore, cùm non possit aliter agere, quàm Deus præsciat. Sicque nullus vituperationi & laudi erit locus, ac frustrà iniustos culpabimus. Similitérque de cæteris delictis & de virtutibus opinantur: vnde B sequi aiunt liberam non esse hominis voluntatem, si Deus futura præsciat. Aduersus quos dicendum, quòd omnia Deus à principio orbis creati videat, antecedentia, consequentia, causas rerum & effectus, cum nihil sine causa fiat, nec tamen omnium ipse est causa. Nam quemadmodum si quis temeritatem hominis alicuius perspexerit, & quia ignorantem eum cognouerit, propter temeritatem eius nó dubitet periculosa eum & lubrica aggressurum itinera, in quibus lapsus miserè iacebit, non causa & auctor fuit cur ille laberetur: sic Deus, cum vniuscuiusque voluntatem prœuideat, an rectè ille sit acturus, non ignorat. Nec tamen certè prœcognitio eius futurorum causa est. Nec enim vllo pacto ad peccádum Deus quemquam impellit aut mouet, sed è contrà (dicam enim, etiamsi à communi opinione aliquanto alienius multis videatur) id quod futurum, causa est, vt Deus euentorum illud præuideat. Non enim ideò fit, quia præscitur, sed quia futurum erat, prœscitur. Distinctione autem hęc res indiget. Nam si quis, quando futurú aliquid dicimus, sic accipit, quasi necesse sit omninò fore, minimè ei id dabimus. Non enim dicimus, quia proditor Iudas præsciebatur, necesse fuisse ipsum prodere. Nó enim vituperaretur, si necessariò fuisset proditor, nec cęteris Apostolis similis fieri potuisset. Audi quid Propheta de ipso dicit: Ne sit qui misereatur pupillis eius, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare, & dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. F Si quis autem ita, quod omninò futurum dicitur, accipit, quasi euenturú sit, possit autem etiam aliter fieri, hoc ipsum est quod dicimus. Deum enim impossibile est mentiri. De contingentibus autem, quæ fieri & non fieri possunt, ea vel ventura vel non ventura licet sentire. Sed liquidius hęc sic dicemus. Si contingat Iudam esse Apostolum æque ac Petrus continget etiam Deum de Iuda scire, quòd æquè ac Petrus sit Apostolus. Item si continget Iudam prodere, præsciuit hoc Deus: si non continget, similiter Deus præsciuit. Cum ergo duo hęc contingentia sint, & potestas in Iuda sit, Deus præscientia sua præuidit, quòd à Iuda eligetur, nec prœscientia Dei ea contingenti, necessaria fiet proditio. Etsi enim Dei notitia dixerit posse Iudam esse proditorem, at cótrarium etiam possibile est. Non enim similiter istud accipiédum est, quemadmodum si diceres prœuidere Deum hunc hominem nunquam volaturum: nulla enim volandi potestas inest homini, sed temperatè & intemperatè viuendi potestas inest. Cum ergo vtrumque possibile sit, qui rationi non obtemperat, is peiora sequitur: qui verò ratione cuncta idcircò inquirit, vt rationi pareat, is virtuti adhęret. Ille voluptate delinitus, nihil de honestate curat: hic communi conceptione persuasus, rationem anteponit. Sic alter voluptati resistere non potest, qui laborem suf-

G ferre nolit: alter spernit atque repellit voluptatem omnẽ, quia dedecus eius formidat. Quod igitur præscientia Dei nullam necessitatem nobis imponit, inde quoque affirmari potest, quia sæpius in scriptura, pœnitentiam per Prophetas mandasse inuenitur, non dissimulans cognouisse, vtrum audientes conuerterentur, an non: quemadmodum apud Hieremiam scribitur, fortassè audient, & pœnitentiã agent. Non enim ignorans Deus, vtrum essent pœnitentiã acturi, nécne, dixit, fortassè audient, & pœnitentiam agent, sed velut æqualitatem potestatum ostendens: ne præscientia sua palàm facta audientes deiiciat, quasi necessariò aliquid eorum futurum sit, nec in delinquentibus, conuerti vel non conuerti potestas insit, & hæc res peccandi causa foret. Et contrà si conuersionem eorum omninò futuram prædixisset, huiuscemodi prędictio dissolutionis causa fuisset, facerétque ne viriliter in voluptatem insurgerent, quasi emendatio, velint nolint, futura sit. Sic enim prædictio impedimento futuri boni esse videtur. Cùm igitur Deus perutiliter mundum gubernet, meritò circa futura nos Deus cæcauit. Nam præscientia ipsorum remissos nos efficeret, ne fortiter contra prauitatem pugnaremus, & nos præoccupás, ne cum peccato luctaremur, celeriùs ipsi subiiceret: Etiam eum, qui fieri probus bonúsque contenderet & niteretur, postquàm præscientia ad ipsum, quòd omH ninò futurus sit bonus, quocunq; nos vertamus, peruenisset: Nam maiore studio & vehementia opus est, vt boni probique efficiamur. Antegressa autem notitia, quòd boni probíque omninò futuri simus, dissoluit studium & diligentiam. Nescimus igitur vtiliter, boníne an mali simus futuri. Quoniam autem Deum nos circa res futuras excæcasse diximus, vide an istud ex Exodo declarare valeamus. *Exod. 7.* Quis fecit (inquit) surdastrum & surdum, videntem & cæcum? An non ego Dominus Deus? Eundem enim cæcum atque videntem fecit, videntem ad pręsentia, cæcũ ad futura. De surdastro enim & surdo dicere, alienum est à proposito. Non ambigimus sanè multa, quę in nostra potestate sunt, causam esse plerunque eorum, quæ in nostra potestate non sunt. Nam si ea quæ non sunt in nostra potestate, non efficiantur, quædam in nobis posita minimè fient. Facimus autem aliqua plerumque libenter, aut non facimus, quia nonnulla, quæ voluntatis humanæ non sunt præcesserunt. Si verò quispiam absolutam esse nostrã voluntatem ab vniuerso petit, vt non propter ea, quæ nobis contingunt, voluntas nostra hoc aut illud amplectatur, is mundi particulam se esse, contineríque ab vniuerso & hominum societate oblitus est. Breuiter igitur, velut in epitome, præscientiam Dei nullam necessitatem rebus antè cognitis omninò afferre demonstratum est.

I

Præterea de eodem, è tomo secundo contra Celsum.



IN his Celsus existimat, propterea fieri id, quod quadam præscientia prædictum est, quoniam est prædictum. Id nos minimè concedentes, asserimus, non vaticinantem causam esse futuri, quòd ipsum prædixerit futurum, sed futurum, si futurum erat, etiamsi minimè erat prędictum, causam præscienti præbuisse, vt illud prædiceret. Ac istud quidem totum est in vaticinantis præscientia. Cæterùm cùm hoc aliquid possit euenire, possit & non euenire, alterum eorum erit hoc aliquid. Negamus, etiamsi præsciens posse euenire, & non euenire, verbi gratia, tale aliquid affirmet, id omninò fore, & impossibile esse vt aliter eueniat: Cuiusmodi pertinet ad omnem de rebus in nostra potestate positis, prænotionem, siue iuxta sacras literas, siue iuxta profanas historias. Et certè ignaua ratio, quæ apud Dialecticos vocatur, cum sit sophisma, non erit sophisma, Celsi opinione. *Ignaua ratio captiosa.* At secundum homines sanam habentes sententiam & mentem, est sophisma. Id vt intelligatur, è scriptura prædictis ad Iudam spectantibus vtar, aut Saluatoris nostri de ipso, vt se proditurо, præscientia. E Græcis historiis oraculo ad Laium, ipsum in præsens verom concedens, K quoniam non officit disputationi. Igitur de Iuda centesimo octauo Psalmo, cuius initium, Deus, laudem meam ne tacueris, persona Saluatoris dicitur, Os peccatoris & os dolosi super me apertum est. Et quidem obseruans Psalmi dicta, reperies quemadmodum præcognitum est à Iuda, Saluatorem fuisse prodendum: sic eum causam & authorem fuisse proditionis, & dignum execrationibus propter improbitatem ipsius in Prophetia positis. Hæc enim (inquit) patiatur, quia oblitus est facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem & mendicum. Igitur poterat recordari operum misericordiæ, neque eum persequi quem persequebatur. Iam id cum posset, minimè pręstitit, sed prodidit, ita vt dignus istis imprecationibus fuerit. Ad Græcos autem hoc ad Laium oraculo vtar, siue ipsas dictiones, siue æquales, prout scripsit Tragicus, vsurpans. Apud ipsum persona eius, qui futura præsciebat, dicitur,

Ne sere filiorum sulcum, dæmonum vi.
Nam si filium genueris, te interficiet genitus,
Atque tota tua domus vinet per sanguinem.

αὔλακα lego, non αὔλακα.

Istis profectò apertè ostenditur, in Laij fuisse potestate, filiorum sulcum minimè serere, quoniam non ei impossiL bile imperasset oraculum. Poterat ergo non serere, & ad neutrum istorum cogebatur. Contigit autem ei, vt dum non caueret à liberorum satu, inde pateretur, quæ commemorantur in Oedipodis, & Iocastę, & filiorum tragœdia. Præterea huc pertinet Ignaua quę vocatur ratio, cum sit sophisma, siue captio, ex hac hypothesi apud ęgrotantem sic concludens, & captiosè ipsi ad curationem medico vti prohibens: Si fato futurum, vt leuèris ex hoc morbo, siue introducas medicum, siue non introducas, leuaberis. At si fato futurum, ne ex hoc morbo conualescas, siue introducas, siue non introducas medicum, non leuabere. Cæterum aut fato decretum vt conualescas, aut fato decretũ te non conualiturum. Frustrà igitur medicum adhibebis. Enimuerò lepidè huic orationi tale quid comparetur. Si fato decretum, vt liberos procrees, siue notitiam habeas fœminæ, siue non habeas, liberos procreabis. Quod si est in fatis te non procreaturum liberos, non suscipies. Atqui alterum eorum fato est decretum: frustrà igitur ad mulierem accesseris. Nam vt in hoc, siquidem vt liberos procreet, qui non accedit ad mulierem, impossibile, non frustrà assumitur, accedere ad mulierem: ita si leuatio è morbo via medicinæ existit, necessariò assumitur medicus, & falsa est propositio, frustrà adhibes medicum. Hæc verò omnia assumpsimus propter ea, quæ sapientissimus Celsus proposuit, dicens, Deus cum sit, prædixit, & omninò oportuit fieri, quod pręditum. Nam si particulam omninò, ac- M cipit pro necessariò, non fatebimur. Poterat enim etiam minimè fieri. Sin Omninò ponit pro Erit, quod quidem verum esse nihil vetat, etiamsi poterat non fieri, nihil læditur oratio. Non enim sequitur, quia Iesus verè prędixit se à Iuda prodendum, & à Petro negandum, ideò prędictionem fuisse causam impietatis, profanique operis. Nam cernens improbos eius mores, qui nouit quid sit in homine, item quid esset aggressurus, quia auarus erat honorúmque cupidus, neque firmiter de doctore, vt oportebat, sentiret, cum multis aliis, etiam istud protulit, Qui intingit mecum manum in paropside, ille me prodet. *Ioan. 13.* * Age verò contentemus etiam ostendere, Stellas nullo modo actionum humanarum causas esse effectrices, sed duntaxat significatrices. Perspicuum est, si certa stellarum coniunctio causa censeatur eorum quæ circa hominem contingunt (liceat enim nunc de hoc disputare) hodierna coniunctio, exempli causa, circa hunc facta, non poterit intelligi præterita effecisse circa alterum, aut etiam circa alios. Omne enim efficiens effecto antiquius est. Atqui iuxta eos, qui istam scientiam profitentur, res hominum pręteritę ista positione siue figuratione prędici existimantur. Enunciant enim certum locum, vbi horam certi hominis sumpserunt, cóprehendere, quo pacto erũt singulę errantes stellę ad perpendiculum,

** Sequentia desunt lib. 2. contra Celsũ. Eusebius lib. 6. De præparatione, habet & citat è Commentariis Origenis in Genesim, quæ nunc extãt.*

A pendiculum, aut in hac signi parte, aut eius minutis: item qualis stella Zodiaci erat in Horizonte orientali, qualis in occiduo, quæ in medio cœli, quæ in parte medio cœli opposita. Cúmque stellas, quas existimant seipsas figurasse, secundum tempus natalium alicuius, ad hunc modum figuratas posuerint, tempore eius partus, de quo tractant, non modò futura verùm etiam præterita, & quæ natiuitatem hominis atque conceptum antecesserunt, vestigant. De Patre, qualis est, diuésne an pauper, integro corpore an læso, moribus probis an improbis, nulla possessione an ampla, hócne opus an illud exerceat. De matre eodem modo, & de fratribus sororibus: si quas fortè habent. Porrò admittamus in præsens, ipsos veram domorum positioné comprehendere, quod tamen pòst falsum esse demonstrabimus. Nunc interrogemus eos, qui humanas res ab astris necessitatem accipere opinantur, quo hodierna stellarum figuratio, ea quæ præcesserunt, potuit efficere. Quod si hoc simpliciter est impossibile, inuenitur autem Astrologus de præteritis vera dixisse, patet stellas sic in cœlo agitatas, præterita, & quę prius quàm sic essent collocatę, cótigerunt, non effecisse. Interim si quis fortè eos vera dicere admittit, futurorum prædictionibus deditus respondebit, vera eos dicere, non quòd stellæ efficiant, sed quòd duntaxat significent. Quod si quispiam asserat, præterita

B quidem significari tantùm hæc stellarum positione, futura autem etiam effici, ostendat differentiam: causam discriminis afferat, cur hæc intelligantur vera, quasi ab astris efficientibus, illa, vt à significantibus tantùm. Qui non poterit huius rei discrimen assignare, rectè constituet, nihil humanarum rerum à stellis effici, sed vt antè memorauimus, si modò etiam verum, significari, vt quasi non à stellis tam præterita, quàm futura, sed ab ipsa Dei mente per verbum propheticum accipiantur. Nam quemadmodum oratio de libero arbitrio, sicuti antè diximus, Deum scire res à singulis agendas non prohibuit, ita neque signa, quæ ad significandum diuinitùs ordinata sunt, nostram libertatem impediunt, sed sunt similia libro Prophetice futura complectenti, quo modo cœlum vniuersum, quasi Dei liber,

Liber apocryphus. futura potest continere. Vnde & in oratione Ioseph, quod à Iacob dicitur, sic potest intelligi: Legi enim in tabulis

„ cœli, quæcunque vobis & filiis vestris euenient. Forrassè

„ etiam illud. Complicabitur cœlum vt liber, significatrices

Esa. futurorum rationes perficiendas, &, vt sic dicam, adimplé das ostendit, quemadmodum Prophetiæ dicuntur impletæ, cùm iam euenerint. Hoc modo in signa stellas factas arbitramur, iuxta scripturę vocé, Sint in signa. Hieremias

Genes. 1. autem homines ad se conuertens, & metum, qui à stellis significari, aut etiam proficisci existimatur, adimés, A signis

Hier. 10. (inquit) cœli nolite timere. Sed alterum argumentum, quî

C stellæ nequeant esse causę efficientes, nisi fortassis præsignificando, dispiciamus. Concedentes igitur interim per hypothesim, posse ab hominibus hanc scientiam comprehendi, quærimus quo pacto à multis natiuitatibus eandem rem contineri contendunt. Nam si patibulo moriturum aliquem dixerint, non à natiuitate ipsius id solummodò, verumetiam fratrum, filiorum, aliorúmque attinentium, imò verò interficicientium, posse intelligi credunt. At quî fieri potest, vt quod tam multis natiuitatibus, vt hoc illis concedatur, continetur, à constellatione huius potius natiuitatis, quàm istorum existat? Improbabiliter enim dicitur, constellationem priuatę alicuius natiuitatis hęc effecisse, sed duntaxat significasse. Stultum enim mihi videtur in vnaquaque tam multarum natiuitatum, mortem vnius esse contentam. Nescio autem quo modo respondere poterunt, si quis eos interroget, In vnâne vniuersi positione Iudæi omnes in lucem eduntur, vt necesse sit octauo die omnes circumcidi, & statim in hanc vitam ingressos, malè vulneribus affectos, medico indigere: Ismaëlitas, qui in Arabia degunt, tredecennes cunctos circumcidi. (Ita enim de ipsis traditum est.) Nonnullos Æthiopas poplitũ cõchis orbari, & Amazonas mammarum altera. Quomodo enim hęc in quibusdam gentibus stellæ perpetuò faciunt, in quibusdam nunquam? Et multa profectò ratio verisimilis, vt mihi quidem videtur, afferri potest. Verùm D cùm multæ diuinandi viæ ab hominibus excogitatę sunt, vt augurium, auspicium, somniorum interpretatio, nescio cur alias omnes significare tantùm, genethlialogiam verò efficere putarunt. Si enim futura cognosci possunt, vt hoc eis gratis concedamus, inde fieri, vnde cognitio accipitur, cur à stellis potius, quàm ab extis, aut auibus, aut somniis, aut fulguribus, aut tonitruis producuntur? His satis demonstratum puto, stellas non esse causas humanarum rerum. In præsentiarum perscrutemur, an verum sit exquisitè loca stellarum & domorum posse ab hominibus muniri, quod superiùs (nihil enim oberat) dedimus. Asserunt enim Genethlialogici, se non tantùm planetarũ loca exactissimè scire, sed & minuta, & minutorum minuta non ignorare: Similiter non signum solummodò, verumetiam gradum, & gradus minuta primæ domus, quam ascendentem vocant, rectè teneri oportere. Quomodo igitur, cum vna hora largo modo mediam signi occupet partem, ascédentis minutum inuenies, cum tam minutam diuisionem temporibus habere nequeas? Opus enim esset scire, quota hora & minutis, minutorúmque minutis, ex vtero puer effusus sit. Alia enim atque alia significare volunt, minimo temporis discrimine habito. In Piscibus verò atque ariete, per obliquam istorum ascensionem signorum, (hora enim & tertia horæ parte ascendere penè videntur) mini- E mam temporis partem, magnam mutationem facere non ignoramus, vt vel vigesima horæ vnius pars gradum ascendentis immutet. Sed hoc etiam eis concedatur. Demonstratum noté esse scimus, quemadmodum erraticæ ab occasu ad ortum feruntur: Sic & fixas centum annis vno gradu moueri, & in hoc spatio temporis positionem signorũ mutari, cum aliud sit intelligibile illud signũ, aliud quod quasi figura quædam est. At non ad figuram, sed ad intelligibile aiunt omnia signa esse referenda. Quod nescio, quo modo comprehendere queant. Sed hoc etiam ipsis condonemus, vt aut intelligibile signum comprehendere, aut à sensibili veritas haberi possit. Quæ autem commixtione, compositione, ac cum temperie diuersorum aspectu vim fieri asserunt, profectò concedent nullo modo sciri posse. Quomodo enim, quantum diminuatur à læsione maligni, propter inspectionem benigni percipies? Et verum auferat malignus, quod à benigno conceditur, quoniam locũ eius aspexerit, aut mutet, aut imminuat, aut mixtura quędam inde fiet, quis percipiet? Quæ omnia si quis altius inspiciat, facilè credat, non posse ista humano ingenio penitus percipi. Vnde si quis harum rerum periculum fecerit, videbit in pluribus errare, quàm veritatem consequi Genethliacos. Quamobrem Esaias etiam, quæ si hæc omnibus impossibilia sint, ad filiam Chaldæorum, qui maximè ista F profitentur, ait, Adsint, & saluent te Astrologi, cœli enunrient tibi quid tibi accidat. His enim verbis docemur, vel diligentissimos in hac re Chaldęos non posse prædicere, quæ vnicuique genti Deus velit attribuere.

Tertia pars capitis 23. quæ non reperitur apud Eusebium loco memorato, neque apud Origenem hodie extantem.



Vnc enim, velut ad literam, Prophetæ oraculum exposuimus. Quod si Iacob ait se in cœli tabulis legisse res filius Iosephi euẽturas, & ob id obiiciat aliquis contraria iis quæ diximus, declarari per scripturam (dicebamus enim hominem signorum non habere perfectam notitiam, cum Iacob asserat se in tabulis cœli legisse) respondebimus, nostros sapiêtes copiosiore spiritu viros, quàm humana natura ferat, non humana arte & viribus, sed diuinitus istorum arcanorum cognitionem esse adeptos: quemadmodum & Paulus, qui ait, Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui. Notant enim conuersionum vicissitudines, temporum mutationes, annorum circulos, stellarum situs non ab hominibus, neque per homines, sed per Spiritum sanctum ipsis reuelantem, & purè, prout vult Deus, diuina nuntiantem.

G Alioqui Iacob plusquam secundum hominem fratrē suum Esau supplantauit: quod & ipse confitetur eodem libro, *Citat librum Apocryphū.* è quo produximus, Legi in cœli tabulis, dum se primariū Tribunum virtutis Domini, & nomen olim habuisse Israël prædicat. Quod quidem in corpore ministrans recognoscit, Vriele Archangelo in memoriam reducente. Restat inquirere, & ostendere fidelibus, cœli luminaria in signa esse posita. Nam qui curiosiùs in Scripturæ locos feruntur, te conturbare possunt, cur hæc signa in cœlo Deus fecerit. Primum dici potest, nos credere intelligentiæ Dei omnem singularum rerum notitiam comprehendentis magnitudinem. Itaque nihil, quod vel tantillum existimetur ab ipsius diuinitate ignorari, eum apud se infinita numero comprehendere docet, non quidem clara demonstratione, sed fide veluti menti ingenitæ & vniuersam naturam superanti congruente. Vt igitur istud experientia percipiatur ab animis humanis forte maioribus & sanctis, præsenti corporis vinculo laxatis, tanquam literas & characteres, per cœlestium conuersionem fecit Deus, vt in cœlo docti & docendi signa Dei legerent. Nec verò mirandum, quòd Deus aliqua ad beatorum gloriam & ostensionem faciat, cùm *Rom. 9.* scriptura Pharaoni dicat, in hoc ipsum excitaui te, vt in te virtutem meam ostendam, vtque nomen meum in vniuersa terra prædicetur. Si enim seruatus est Pharao in osten- H sionem virtutis Dei, & nominis ipsius in vniuersa terra prædicationem, cogita quantam Dei ostentationem cœlestia signa contineant, cunctis ab æuo ad consummationem vsque, cœlo, volumini Deo digno, inpressis atque celatis. Deinde, vt conijcio, insita sunt signa virtutibus res humanas administrantibus, partim vt duntaxat cognoscāt, partim vt efficiant. Quemadmodum in nostris libris quædā scribuntur, vt cognoscamus, ceu de mundi procreatione & eiusmodi mysteria, quædam, vt cognita agamus, ceu præcepta & mandata Dei. Contigit igitur cœlestes literas, quas Angeli diuinæque virtutes rectè possunt legere, continere aliqua ab Angelis & ministris Dei legenda, eis vt cognitis delectentur: alia, vt acceptis veluti mandatis, agant ita vt non peccemus, si asseramus cœlum & stellas iis quæ lege traduntur, altera ex parte respondere. Quòd si prauæ, aliæque hominum actiones, nonnulla in cœlo præcognita & significata agant, nulla necessitate id fit, quamuis Dei literæ recolant. Sed quemadmodum homines iniustè agentes, qui nesciunt Deum, hunc à se iniuria afficiendum prænouisse, iniustitiam exercent sua ipsorum prauitate: sic contrariæ potestates, Deo hominum perniciosè viuere volentium prauitatem prænoscente, turpissima sua ipsorum voluntate perficiunt. At sancti Angeli, administratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur, vt par est, velut lege Dei tradita mandata accipientes, ordine, & quando oportet, & vt oportet, & quantum oportet, meliora agunt. Absur- I dum enim eos, vtpote diuinos, fortuitò, aut necessariò accedere ad aliquid Abrahæ oraculo declarādum, & aliquid Isaaco præstandum, & Iacob è periculis liberandum, aut spiritui alicuius Prophetæ assistendum. Ne igitur fortuitò & casu istud agant, librum Dei legunt, sicque ipsa conuenientia agunt. Vt autem antè memorauimus, quæ agimus, aut quæ contrariæ actiones in nobis perficiunt, nostra sponte agimus, mole quidem affecta, cùm peccamus, at sapiente, nec sine Angelorum & diuinarum literarum, & ministrorum sanctorum ope, cùm Deo grata & placentia *Clemens Romanus.* operamur. Cæterùm Clemens Romanus, Petri Apostoli discipulus, istis hoc problemate tractatis congruētia, Laodicæ ad Patrem cùm esset locutus in Complexionibus, sub finem illius disputationis, aliquid maximè necessarium de iis, quę à natiuitate euenisse videtur, oratione decima quarta asserit. Ignosce fili (ait Pater.) Hesterni enim tui sermones, cùm veri essent, effecerunt vt tibi suffragarer. At me nonnihil conscientia, ceu febris reliquiæ, in cōtrarium exercet. Mihi enim sum conscius vniuersa, quæ ad meam natiuitatem spectant, fuisse perfecta. Hic ego. Mecum cogita, Pater, qualem naturam Mathematica habeat ex iis quæ tibi consulo. Primum conuenies Mathematicum sic dicito: Hæc mihi mala illo tempore contigerunt. Quoniā ex astro mihi ista contigerint, velim scire. Statim ille alle- K gabit maleficum Martem, aut Saturnum illis temporibus grassatum, aut quis eorum extiterit restitutor, aut quis annum illum quadrato aspectu, vel ex diametro respexerit, vel ex coniunctione, vel ex centro, vel præter opinionem. Similia etiam alia infinita affirmare poterit. Præterea, aut beneficus planeta (inquiet) non ponebatur cum maligno, aut non videbatur, vel in figura, vel præter opinionem, vel in Eclipsi, vel non contingebatur, vel erat in obscuris stellis. Cùmque similiter multi sint præter eas ad ea, de quibus fuerit consultus, demonstrationes adhibebit. Itaque post hunc Mathematicum, cum altero congredere, & ei contraria narra: Hæc mihi bona illo tempore euenerunt. Idem autem tempus determina. Præterea require, è quonam natiuitatis astro ista acciderint. Tum similiter, vt prędixi, audies eum, te mentiente, è multis figuris vnam aliquam, & alteram, & tertiam, & plures inuenire, quas istorum bonorum effectrices dicat. Fieri enim nequit in vniuersa hominum natiuitate, quin in omnibus horis aliquę stellę benignum habeant situm, alię malignum. Nam circulus partibus æqualis, varius est, infinitas habens species, & prospectus, quorum causa quisque dicere habet quæ libuerit. Quemadmodum enim de obliquis ancipitibusq; somniis nihil interdum cogitamus, at vbi euenerint, accommodatissimam solutionem afferimus: ita etiam Mathematica L disciplina, antequam res perficiatur, nihil nobis perspicuū potest declarare: Verum vbi res est facta, tunc euētus causa perspicua esse videtur. Itaque crebiò prædicentes labūtur, & post euentum semetipsū reprehendunt, ac aiunt, illud debuisse effici, sed à se non esse animaduersum. Vnde, quòd valdè periti labantur, fit, quia nesciunt, vti heri dicebam, qualis omninò natiuitatis causa existat, qualis non omninò. Cur autem aliqua penitus facere expectamus, nec tamen faciamus, causa nobis, qui mysteriū didicimus, est perspecta: Nempè, quia liberam habentes rationem, vbi interdum eam deliberauerimus suspendere, vincimus. Astrologi autem, istud ipsum mysterium ignorantes, de omni consilio & proposito pronunciantes ab initio, magno errore Climacteres, quasi quosdā scalārum gradus excogitarunt, ad incertissima adigentes consilium & voluntatem, quemadmodum heri ostendimus. Ad hæc si quid habes dicere, narra. Ille iuramento interposito his, nihil iis quæ docuimus, verius esse respondit.

DE MATERIA: EAM ESSE *ingenitam, neque malorum causam.*

CAP. XXIIII.

M *E tractatu in primum caput Geneseos.*

Euse. citat 7. De præparat. cap. 8.



NON posse duo esse ingenita simul, ne te quidem ignorare arbitror. Et si præcedentia rectè videris accepisse, disputationi addendum, necessariò omninò duorum alterum dicere oportere, aut Deum à materia esse separatum, aut rursum ab ea non esse diuisum. Si quis igitur ipsum esse vnitum velit dicere, vnum ingenitum constituet. Cùm enim horum vtrumque sit pars totius, partes simul inuicem iunctæ non erunt duo ingenita: quemadmodū neque diuersa sunt genita, quæ in multas partes genites scinduntur, nisi ratione & intelligentia. Ac vt vnum quippiam genitum, multis partibus constans, hominem à deo productum esse dicimus: sic necesse est, si quidem à materia deus non fuerit separatus, vnum ingenitum dicere. Quòd si quispiam dixerit esse separatum, necessariò aliquid inter vtrumque medium intercedet, quod vtriusque separationem ostendat. Fieri enim non potest, vt aliquid ab altero distet, nisi sit aliquid, per quod vtriusque interuallum cōsistat. Quod non in hoc solo quidem locum habet, verumetiam in quāplurimis. Nam quod de duobus ingenitis asseruimus, istud *Voces erāt trāsposita in Græco.* necessariò

A necessariò similiter procedit, si tria ingenita ponuntur. Etenim de iis interrogauerim, sintne a se inuicem separata, an rursum singula alicui propinquo adunentur. Si adunata dicere quispiam velit, eandem cum prima audiet rationem: sin separata, necessariam separantis constitutionē non effugiet. Sed fortassè aliquis tertiam esse rationem prędicabit, qua consentaneè de infinitis pronuntietur: deò neque à materia esse separatum, neque rursum cum materia velut partes vnitum, sed Deum in materia versari, quēadmodum in loco, & materiam in Deo. Atqui si Dei locum materiam constituamus, Deus necessariò separabilis erit dicēdus, atque ante materiā circūscriptus. Quin & simul cum materia ipsum oportebit ferri, & nusquam stare neque permanere, quòd à seipsu quadam necessitate in locu, in quo aliqui est, moueatur. Præterea necessariò sequetur Deum in deterioribus extitisse. Nam si materia aliquando erat desormis, exornauit autem eam, in melius commutare exoptans, olim aliquando in formæ speciéiq; expertibus desedit Deus. Meritò etiam interrogauerim, replebâtne materiam Deus, an in aliqoa erat materiæ parte? Nam si materiæ parte capiebatur, Deus materia est multò minor. Quòd si per totam materiam spargebatur, quo pacto ipsam fabricabat? Necesse enim contractionem quandam Dei constituere, qua cōstituta fabricabat illud, à quo
B recedebat, aut etiam seipsum cum materia efficiebat, cùm non haberet recedendi locū. Sin aiunt in Deo versari materiam, quærendum similiter, an vt eo à se distincto, quemadmodum in aëre animantium genus versatur, aëre diuiso & dispertito ad ea quæ illic fiunt recepranda, an vt in locu, quemadmodum in terra aqua. Nam si dicamus vt in aëre, necesse erit Deum diuiduum dicere: sin vt in terra aqua, cùm aqua esset informis, sine ornatu & ordine, mala etiam complectentur, Deum oportebit dicere locum rerū ornatus expertium, prætereáque malarū. Quæ verba non mihi boni ominis esse videntur, imò verò erroris plena. Ideò enim materiam statuis, ne Deum malorum auctorem facias, Idque vitare cupiēs, receptaculum malorum ipsum esse affirmas. Si igitur materiam ex genitis subiectis ingenitam esse asseuerasses, prolixè eam docuissem talem esse non posse. Nunc quoniam malorum ortum, causam istius suspicionis asseruisti, proinde ad hanc quæstionem veniēdum mihi video. Nam vbi mihi fuerit perspectum, quo pacto existant mala, nec fieri posse, vt Deus dicatur non esse causa malorum, ex eo quòd materia ipsi subiiciatur, hanc suspicionem tollendam cogita. Ais igitur materiam qualitatis expertem simul cum Deo extitisse, è qua huius mundi ortum condiderit. N. Mihi ita videtur. OR. Ergo si qualitatis erat expers materia, mundúsque à Deo est effectus, cùm in mundo sint qualitates, qualitatum effector extitit Deus? N. Sic habet. ORIG.
C Quoniam autem te antea commemorantem audiui, ex iis quæ non sunt, aliquid non posse existere, ad meam interrogationem responde. An tibi videntur mundi qualitates nuo exortæ è subiectis qualitatibus, sed aliud aliquid esse præter essentias? N. Videntur. ORIG. Si igitur neque ex subiectis qualitatibus qualitates produxit Deus, neque ex essentiis, quod ipsę minimè sint essentiæ, è nihilo ipsas à Deo effectas necessariò concludendū. Quocirca temerè à te mihi videtur pronuntiatum, non esse opinandum quicquam à Deo fieri posse ex iis quæ non sunt. Sed de eo sic instituatur disputatio. Apud nos cernimus homines ex iis quæ non sunt, aliqua efficere, etsi isti maximè videantur aliquid efficere in aliquo. Exemplum ab architectis assumamus. Hi conficiunt vrbes è non vrbibus, templa similiter è non templis. Si existimas, quoniam his essentiæ subiectæ sunt, ex iis quæ non sunt, eos ista facere, falleris verbo. Non enim essentia est, quæ confecit vrbem, aut rursum templa, sed ars circa essentiam versans. Ars autem non è subiecta aliqua in essentiis arte efficitur, sed ex arte quæ in ipsis minimè existit. Sed mihi videris occursurus ex eo, quòd artifex ex ea quam habet, arte, versantem circa essentiam artem conficit. Atqui in homine non oritur è quadam subiecta arte. Non enim admittendum ipsam artem in seipsa existere, cùm sit accidentium, eorúmque quę tunc coherentiam nanciscuntur, quando in essentia efficiuntur. Homu enim etiam sine architectura existit: Architectura sine homine, non item. Quamobrem artes D
ex iis quæ non sunt, in hominibus suapte natura effici necessariò est asserendum. Si igitur istud sic habere in hominibus ostendimus, quo pactu non fuerit consentaneum, Deum non modò qualitates è non existentibus posse efficere, verumetiam essentias? Quia enim apparet posse aliquid fieri è non existentibus, essentias etiam sic se habere ostenditur. Porrò quoniam de ortu malorum disserere ex- *De ortu malorum.*
peris ad huiusmodi disputationem accedamus. A te breuiter requiro, vtrum mala tibi videātur essentię, an essentiarū qualitates. N. Essentiarum qualitates dicere mihi videtur consentaneum. ORIG. Præterea, materiáne qualitatis erat expēts, & figuræ? N. Sic in præcedentibus sumptionibus verbo sum professus. ORIG. Igitur si mala essentiarum sunt qualitates, materia verò erat qualitatis expers, & Deum qualitatum effectorem esse concessisti, erit etiam malorum opifex Deus. Quando ergo ne sic quidem Deus potest non dici malorum causa, materiam ipsi adhibere mihi videtur superuacaneum. Si ad hęc habes aliquid dicere, ordire à principio Nam si contentionis studio à nobis institueretur disputatio, nollem denuò de malis malorúmque ortu determinari. Sed quoniam a-
E micitiæ potius & communis vtilitatis gratia disputationē suscipimus, altius de iis definiri postulo. Meum institutum magna ex parte tibi esse perspectum arbitror, & in disserendo studium. Non enim probabiliter falsa narrans, vincere studeo, sed veritatem cum diligenti disquisitione ostēdere. N. Te profectò sic affectum esse perspicuè scio. Itaque qua potius ratione vtendum putas, vt veritas possit peruestigari, ea, nihil cunctatus, vtere. Sic non tibi profueris modò, verumetiam mihi, illustratis iis, quæ me ignorare fatenr. Apertè proponi mihi videtur, etiam mala quasdam esse essentias: Non enim extra essentias ea esse video. ORIG. Ergo quoniam mala essentias esse sentis, necesse est essentiæ rationem inquirere. Tibíne videtur essentia corporea quędam esse concretio? N. Videtur. ORIG. Corporea autem concretio ipsáne à se existit, nullo indigens, quo positu existendi actum consequatur? N. Maximè. ORIG. Videntúrne etiam tibi mala, alicuius esse actiones? N. Videntur. ORIG. Actiones autem nónne tūc existentiam adipiscuntur, cùm agens adest? N. Sic habet. ORIG. Præterea cum deest agens, nónne similiter semper deest, quod agit? N. Deest. ORIG. Ergo si essentia corporea quædam est concretio, corporea autem concretio non eget aliquo, in quo effecta, existendi actum consequatur: & mala sunt alicuius actiones, quæ quidem egent aliquo, in quo effectæ, esse incipiunt, mala non erunt essentiæ. Præterea si mala sunt essentiæ, malúmque sit cædes, cędes erit essentia. Atqui cædes alicuius est actio. Non igitur essentia. Præterea nónne agentia vis, esse essentias? N. Assentior. ORIG. Veluti homicida. Quatenus enim homo, substantia est. Cædes autem quam patrat, non est essentia, sed opus essentiæ aliquod. Appellamus autem hominem, modò malū ab interficiendi actione, modò bonum à benefaciendi ratione: atque hæc vocabula applicantur essentiæ ex iis, quę ipsi accidunt, quæ certè non sunt ipsamet essentia. Neque enim cædes est essentia, neque rursum adulterium, neque his similia mala. Sed quemadmodum à Grammatica Grāmaticus denominatur, à Rhethorica Rhetor, à medicina medicus, cum neque essentia sit medicina, neque Rhetorica, neque Grammatica, sed à sibi accidentibus denominationem sortiatur, è quibus sic videtur denominari, cum nullum istorum existat: sic certè opinor essentia à malis, quæ in ipsa inesse videntur, nomen adipiscitur, cum nihil illorum existat. Ad eundem modum cogita, si aliquem aliū in animo fingis hominibus malorum esse authorem, illum malum appellari, quòd malorum sit effector: Quæ autem quis facit, non est ipse, sed ipsius actiones atque effectus, à

G quibus denominationem mali consequitur. Nam si illum confunderimus cum iis, quæ ipse facit (facit autem cædes adulteria, furta, iisque similia) ipse ista erit. Quod si ista nõ fuerit, ista autem quando fiunt, consistentiam habent, quãdo non fiunt, consistere desinunt, cùm ista ab hominibus fiant, homines eorum auctores, tam existendi quam non tam existendi erunt causæ. Si ista dixeris eius esse actiones, è quibus vt malus sit, habet, non è quibus est essentia: malum verò affirmauerimus ab essentiæ accidẽtibus dici, quę quidem sic ab essentia differunt, vt à medicina medicus: Rursum si ex iis quæ agit, existendi principium assequitur, & cœpit ille esse malus, cœperunt autem etiam ista mala, profectò mala neque carent principio, neque sunt ingenita, propterea quòd ab isto producta affirmantur. M. Cum altero iam mihi videris disputasse. Nam ex iis quę antè sumpsisti, ratiocinando visus es rectè veréque colligere. Si expers qualitatis erat materia, qualitatis autem effector sit Deus, ac mala sint qualitates, malorum erit auctor, effectorque Deus. Atque hæc quidem ratio in istum præclarè esto producta. At mihi falsò videtur concessum, materiã expertem esse qualitatis. Nam oētas dicere de quacunque essentia, eam esse qualitatis expertem. Et enim eo ipso, quòd expertẽ qualitatis esse ait, qualitatẽ ipsius significat, qualis sit materia, describẽs, quæ quidẽ est qualitatis forma. Quare si tibi lubet, à principio mecũ habe sermonẽ.

H Mihi materia sine principio habere videtur qualitates. Sic enim etiam mala ex eius effluxio aio existere, ne Deus eorum sit causa, & auctor. Nam id ad materiam refertur.

ORIG. Animi tui propositionem, Charissime, boni consulo, & tuum in differendo studium laudo. Conuenit enim certè singulos studiosos non simpliciter neque temere pronuntiatis assentire, sed diligentem adhibere disquisitionem. Neque enim si disputator præter rationem sentiens, præbuit contrà differenti occasionẽ colligendi quod volebat, eo etiam cæteri auditores adduci & persuaderi debent, sed dicere coràm, si quid in contrarium rectè posse pronuntiari videot. Nam vel auditor eo quo videtur moueri, planè proficiet, vel differentem vera non dicere docebit. Cęterùm non mihi verè dixisse videris materiam à prima origine habere qualitates. Hoc enim posito, cuius erit effector Deus? Siue enim materiam præcedere essentiam affirmauerimus, siue qualitates, & eas existere dixerimus, nónne cùm existant essentia & qualitates, superuacaneum videtur dicere Deum esse opificem? Sed ne mihi ipsi rationem videar conficere, interrogatus mihi responde. Quo modo Deum putas esse opificem? Vtrum quia essentias vertit, vt non amplius essent quod erant antea, sed aliæ præterea fierent, an quia essentias quidem seruauit in suo pristino statu, ipsarum autem mutauit qualitates? M. Non puto aliquam fuisse substantiarum mutationem. Nã

I id mihi absurdum videtur. At qualitatum quandam conuersionem extitisse assero, quarum causa Deum statuo esse opificem. Quemadmodum si contingat dicere domum extitisse è lapidibus. Non enim asserendum lapides iam domum effectos, non retinere amplius lapidum essentiam, cùm sola compositionis qualitate domus effecta intelligatur, nempè mutata priore lapidum qualitate. Eo certè modo Deus manente substantia, quandam qualitatum ipsius mutationem effecit, secundum quam mundi huius ortum à Deo extitisse statuo. ORIG. Mihi pauca percontari cupienti responde. M. Age, si tibi videtur. ORIG. Erántne à principio istæ qualitates in materia, an existendi habuere principium? M. Semper extitisse qualitates in materia, absque ortu assero. ORIG. Sed numquid Deum ais mutationem quandã qualitatum fecisse? M. Aio equidem. ORIG. Vtrum igitur in melius, an in deterius? M. In melius opinor. ORIG. Igitur si qualitates materiæ sunt mala, eius verò qualitates in melius commutauit deus quid necesse est mala quęrere? Non enim qualitates, quales aliquando erant natura, permanserunt. Aut si quidem antea qualitates non erant malæ, sed ex eo, quod primæ à Deo mutatæ sunt, tales circa materiam effectæ sunt, malorum auctor & causa erit Deus, qui qualitates non malas, in K malas vertit. An malas quidem qualitates in melius commutatas opinaris, cęteris, iisque solis, quę erant indifferentes, ornatus gratia commutatis? M. Sic ab initio dixi. ORIG. Quo pacto ergo malorum qualitates Deum dereliquisse ais? An cùm posset eas tollere, noluit, aut cùm vellet, non potuit? Nam si potuisse prædicas, at noluisse, necesse est illorum causam dicere. Cùm enim, ne mala existerent, facere posset, manere ea, vt erant, siuit, præsertim quando condere materiam cœpit. Nam si nihil ei curæ erat de materia, eorum causa haud fuerit, quæ in sua reliquit sede & statu. Quoniam autem partem eius aliquam fabricauit, partẽ aliã sic reliquit, cùm eam alioqui posset in melius vertere, mihi meritò culpandus videtur: quippè qui materiæ partem malignam reliquit in eius perniciem, quam cõdidit. Quinetiam summopetè, secundum illam partem, læsa iniuriaque affecta mihi videtur illa ipsa, quam composuit, materiæ pars, malorum nunc effecta particeps. Nam si quis diligenter perquirat, reperiet materiam nunc ægrius affectam, quàm cum initio rudis erat, & omnis ornatus expers. Antequàm enim discerneretur, nullo malorum sensu afficiebatur. At nunc singulæ ipsius partes malorum sensum percipiunt, vt hominis exemplo potes intelligere. Ille priusquam formetur, fiátque animal conditoris opificio natura habet, vt nihil mali sentiat. Ex quo L autem à Deo, vt homo sit, consequitur, etiam sensum appropinquantis mali obtinet. Atque id, quod ad materiæ lucrum à Deo factum prędicas, adesse ipsi potius ad maius damnum reperitur. Quòd si ex eo quòd Deus non potuerit mala tollere, eum responderis impotentem, id continget, vel quia sit natura infirmus, vel quia metu superetur, à præstantiore mancipatus. Atqui Deum audere dicere natura infirmum, est, vt mihi videtur, de eius salute dubitare. Si verò metu superetur à maiore, mala erunt Deo maiora voluntatis eius vim & impetum vincentia atque superantia. Quod de Deo asserere mihi videtur absurdissimum. Cur enim non ista potius erunt dij, cum Deum tua opinione vincere valeant? Etenim Deum illud appellamus, quòd omnium habet potestatem. Porrò breuiter etiam de materia te volo percontari. Mihi ergo responde. Materiane erat simplex, an composita? Nam rerum procreatarum diuersitas ad hanc quæstionem me adigit. Si simplex erat, & vnius modi, cum compositus sit mundus, profectò è differentibus essentiis & temperamentis concretionem habebit. (Nam compositum simplicium quorundam mixtionẽ declarat.) Sin rursum materiam velis dicere compositam, prorsus componi è quibusdam simplicibus. Si igitur è simplicibus composita erat, aliquando per se simplicia existebant, quorum compositione effecta sit materia, ex quo etiam generata ostenditur. Nam si materia est composita, & composita e simplicibus componuntur, aliquando ma- M teria non extitit, nempè antè quàm simplicia concurrerẽt. Ergo si aliquo tempore materia non extabat, cum dari nequeat tempus, in quo non extiterit ingenitum, materia haud erit ingenita. Quo & sequitur multa esse ingenita. Nam si deus erat ingenitus, itémque simplicia, è quibus materia est constituta, non duo duntaxat erunt ingenita. Verum nullæ ne res tibi videntur secum pugnare. M. Maximè. ORIG. Igni autem aqua opponitur? M. Opponi mihi videtur. ORIG. Itidem lumini tenebræ? calido frigidum, sicco humidum? M. Sic videtur. ORIG. Igitur si nihil secum pugnat, sibíve ipsi opponitur, hæc non erunt vna materia, neque ex vna materia. Præterea te de quæstione simili lubet interrogare. Putásne partes non se mutuò destruere? M. Puto. ORIG. Materiam autem habere pro partibus ignem & aquam, iisque similia reliqua? M. Sic arbitror. ORIG. Quid? nónne vides ignem ab aqua destrui, tenebras à lumine, & quæ iis sunt similia? M. Video. ORIG. Ergo si partes non se mutuò perimũt, materię autem partes se mutuò delent & perimunt, non sibi inuicem sunt partes: si sibi non sunt inuicem partes, non erunt vnius materiæ, sed neque vna materia: siquidem nulla

A nulla res semetipsam perimit iuxta oppositorom rationem. Neque enim quicquam sibi ipsi opponitur, cùm præsertim opposita alijs opponi natura soleant. Exempli causa, Album sibi ipsi non opponitur, sed dicitur oppositum, nigri comparatione. Similiter lumen sibiipsi perspicuè nõ aduersatur, sed eam habere videtur rationem, comparatum cum tenebris. Idẽ quamplurim. orũ aliorũ iudiciũ, Si igitur materia vna aliqua erat, illa secum minimè pugnabat. Sic autẽ oppositis se habentibus, materiã non esse ostenditur. Hæc e libro septimo Eusebij de præparatione Euãgelica. Sunt autem Maximi, vt ipse Eusebius tradit, non ignobilis inter Christianos scriptoris. At totidem verbis extant etiã apud Origenem, Dialogo contra Macionistas, & alios hæreticos Megethio aduersario, Eutropio iudice.

deesse videtur, aut aliquid simile.

SEGREGATIONEM, SIVE ELECTIONEM è præscientia, arbitrij libertatem non tollere.

CAP. XXV.

An hæc extent.

E primo Commentariorum in Epistolam ad Romanos, ad illud, Segregatus in Euangelium Dei.

TERTIO considerandum illud, Segregatus in Euangelium Dei. In Epistola ad Galatas
B
Gal. 1. Apostolus de seipso sic loquitur: Cùm autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ reuelare filium suum in me. Assumant autem, qui huiusmodi dicta non intelligunt, prædestinationem è præscientia factam, causam esse, cur res antè cognitæ fiant, ac his putant se salutos à conditione & natura introducere. Quinetiam ex huiusmodi sententiis libertatem nostram nonnulli tollunt, adducentes & istud è Psalmis, Alienati sunt peccatores à vulua. Quibus occurrere possumus continenti locutione, quæ subijcitur, Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa, furor illis secundum similitudinem serpentis. Interrogabimus igitur eos, qui exterinæ literæ vt perspicuæ insistunt, an peccatores alienati à vulua, simulatque ventre matrum sunt egressi, errauerunt, atque à salutis via declinarunt, ad id sua opera instituẽtes? Præterea, quo pacto abalienati à vulua, ex vtero errarunt, & locuti sunt falsa? Non enim sanè eos demonstrabunt, simul atque generati sunt, articulatam habuisse vocem, qua aliqua mendacia proferrent. At si intendamus iis, quæ ante prædestinationem in epistola, de qua agitur, sunt posita, poterimus sublata opinione simpliciores ad recipiendam iniustam diuinæ sententiæ accusationem attrahente, reddere rationem de eo qui ab vtero matris segregat, item qui ad Euangelium Dei segregat Iesu Christi seruum, vocatum Apostolum, Paulum. Sic nempè habet tota oratio: Nouimus
Gal. 1.
Rom. 1.
C quia diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum,
Rom. 8. iis qui secundum propositum vocati sunt: quia quos præsciuit, etiam prædestinauit conformes imaginis filij sui, vt ipse sit primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit. Quos autem iustificauit, hos & glorificauit. Attendamus igitur ad dictorum ordinem. Iustificat Deus, vocans primùm, non iustificaturus, quos non vocauerit. Cæterùm vocat, vbi ante vocationem prædestinauerit: alioqui quos non prædestinauerit, non vocaturus. Nec ipsi vocationis & iustificationis principium est prædestinatio. (Nam si prædestinatio consequentium esset primum principium, qui absurdam de natura, necessitate ve naturali sententiam perperàm introducunt, probabiliter obtinerent) sed prædestinationa altior est præscientia. Quos enim præsciuit (inquit) etiam prædestinauit conformes imaginis filij sui. Quocirca acriter antè attendens Deus ad futurorum ordinem & consequentiam, atque impetum liberi arbitrij nonnullorum ad pietatem contemplans, quem alium imperos sequuturus esset ordine, quodque toti se virtuti essent tradituri, præsciuit ipsos, sciens quidem præsentia, præsciens autem futura: ac quos sic præ-

legendum

sciuit, prædestinauit futuros conformes imaginis filij sui. D Est igitur Dei filius, imago Dei inuisibilis: & eius imago, imago, quę dicitur, filij Dei, quã esse existimo animã humanam, quam assumpsit Dei filius, propter virtutem imaginis, Dei imaginem effectam. Ad hanc autem, quam arbitramur, imaginis imaginem esse filij Dei, conformes fieri eos Deus prædestinauit, quos propter præscientiam, quam de ipsis habuit, prædestinauit. Non igitur sentiendum futurorum causam esse præscientiam: sed quoniam futura erant secundum priuatos agentis impetus, ideò præsciuit. Ac cognoscens vniuersa, priusquàm efficiantur, nonnullos quidem præsciuit, & prædestinauit conformes futuros imaginis filij sui, alios autem vidit futuros alienos. Si quis verò ad ista quærat, possintnè non fieri, quæ futura prænouit Deus, respondebimus impossibile quidem esse quin fiant, non tamen idcircò necessarium esse, vt non fiant, vel fiant. Nam fiunt non quidem planè necessariò, sed quòd etiam fieri possit vt non efficiantur. At logica eget subtilitate & contemplatione iste de contingentibus & possibilibus locus, vt purgato mentis oculo, aliqua subtilitatem demonstrationum persequens, possit contemplari, quo pacto quadamtenus nihil impedit aliquid posse multifariam contingere, cùm vnum à multis sit futurum. Ac vt antè cognitum sit istud euenturum, E non tamen eueniet necessariò, sed cùm fieri possit vt non eueniat, eueniet non quidem coniectura prædictum, sed re vera præcognitum. Porrò nemo existimet nos illud Secundum propositum, subricuisse, quasi nostram sententiam premeret: quoniam (inquit Paulus) Nouimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt.

Præscientia nõ est causa futurorum.

Quinpotius animaduertat Apostolum eius, quod dixit, secundũ propositũ, causam statim reddere, dũ subiicit, Quoniam quos præsciuit, etiam prædestinauit conformes imaginis filij sui. Et sanè, quem alium oportebat seligi & segregari ad iustificantem vocationem, nei proposito, quàm qui ipsum diligit? Rursum è libero nostro arbitrio causam præbet propositi Dei & præscientiæ id, Nouimus, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nempè, vt iis quidem verbis declaratur, omnia cooperantia in bonum propterea Deus confert, quoniam digni sunt auxilio atque ope, qui Deum diligunt. Verùm simul interrogemus aduersarios, nobisque rationem eorum afferant. Sicut per hypothesim aliqua in nostra potestate: sic enim loquemur cum ipsis, qui liberum arbitrium tollunt, quousque illorum sermonem de hypothesi non esse sanum docuerimus. Sit, inquam, liberum arbitrium. Igitur Deus intendens ordini rerum futurarum, agenda per liberũ arbitriũ, ab vnoquoque liberum arbitrium habente præsciet, aut non præsciet. Dicere non præsciturum, ignorantis est supremã mentem & magnitudinem Dei: Concedentes autem esse præ- F sciturum, rursus percontabimur, an eius notitia causa sit, cur res venturæ futurę sint, posita arbitrij libertate, an quoniam futuræ sunt, prænouerit. Cumque nullo modo causa rerum vniuscuiusque per liberum arbitrium euenturarum Dei sit præscientia, homo liber procreatus, nonnullis occurrẽtibus poterat non hoc, sed illud operari. His igitur & eiusmodi pronũtiatis constat illud, Euge serue bone & fidelis, quoniã super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituã. Ingredere in gaudiũ Domini tui. sic & omne laudũ genus. Seruatur etiam quod ei altera ex parte respõdet: Improbe serue & piger, oportebat te mittere argẽtum meũ ad mensam. Præterea sic dumtaxat constabit sentẽtia meritò ad iustos in dextris positos pronuntiata: Venite ad me benedicti patris mei: possidete paratum vobis regnũ à constitutione mũdi. Esuriui enim, & dedistis mihi mãducare quæq; sequuntur alia. Itẽ ad collocatos à sinistris: Discedite à me maledicti in ignẽ æternũ, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Quoniam esuriebam, & non dedistis mihi manducare: cum reliquis. Præterea si hæ sententiæ, Segregatus in Euangelium Dei: &, Qui segregauit me ab vtero matris meæ, necessitatem quandã continent, quo pacto cõgruen-

G ter dicebat: Subigo corpus meum, & in seruitutem cedigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Itero, Væ mihi si non euangelizauero. Nam his perspicuè statuit, quòd nisi subigeret corpus suum, & in seruitutem redigeret, poterat ipse aliis prædicans reprobus effici, & Væ ipsi accidere, nisi euangelizaret. Nunquid ergo cum his segregauit ipsum Deum ab vtero matris, & separauit in Dei Euangelium, simul prospiciens causam iustæ segregationis, quòd subacturus & in seruitutem redacturus esset suum corpus, metuens, ne quomodo aliis prædicans, reprobus ipse efficeretur: quódque intelligens se infœlicem fore, nisi euangelizaret, metu Dei, ne maledictioni fieret obnoxius, non taceret, sed euangelizaret? Et hæc certè cernebat, qui segregabat ipsum in suum Euangelium, quòd in laboribus foret abundantius, in carceribus plurimùm, in plagis supra modum, in mortibus sæpius, à Iudæis quinquies quadraginta plagas vna minus accepturus, ter cædendus virgis, semel lapidandus, aliis etiam quibusdam toleratis, glorians in tribulationibus, & sciens tribulationem patientiam operari: qui & sineret antè cognita in se impleri, segregatus ab vtero matris, & separatus in Euangelium Dei. Ob ista sanè dignum erat, vt segregaretur in Dei Euangelium, non quidem propter naturam, aliquid eximium habentem, & in opificio quippiam obtinentem supra aliorum, qui tales non erãt futuri, H naturas, sed propter actiones anteà quidem præcognitas, posteà verò factas, singulatim præparatione & voluntate Apostolica. Porrò nunc explicare locum è Psalmis adductum, non est huius temporis, nam esset digressio. Itaque in suum locum, Deo concedente, explicationem referemus, quando Psalmum illum enarrabimus. Interim hæc abundè decursa in vocem Segregatus, sufficiant.

QVÆNAM HABENDA SVNT bona, quænam mala. Item hæc in iis, quæ cadunt sub electionem & consimilium, & non cadunt, esse reponenda, iuxta Christi doctrinam, sed non vt Aristoteles opinatur,

CAP. XXVI.

Hic tomus non extat

E tomo Commentariorum in quartum Psalmum, ad illud, Multi dicunt, quis ostendet nobis bona?



Epicurei. *Stoici.* *Peripatetici.*

MVLTA cùm sit quæstio apud homines de veris bonis & malis, quibusdam non cadere sub electionem affirmãtibus bona & mala, vt qui verbi gratia, voluptatem bonum, molestiam malum esse pronuntiant: nonnullis inter eligenda duntaxat concludentibus bona & mala, atque vir-I tutes honestásque actiones solas bona, prauitates prauásque operationes mala appellantibus: aliis, quæ tertia est opinio, miscentibus, & simul in eligendis & non eligendis bona & mala reponẽtibus: meritò probabilitate rationum attracti, multi fidelium discendi cupidi, ad locum de bonis dixerint, Quis ostendet nobis bona? Igitur in eligendis poni bonorum naturam quisquis sententiam de iudicio recipit, sine dubio confitebitur. Nam bonum esse affirmabit, cuius gratia aliquis audiet, Euge, serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Ingredere in gaudium Domini tui. Bonum prætereà, quod à bono viro è corde profertur, vt Saluator inquit, Bonus homo è bono thesauro cordis sui profert bona. Et, vt semel dicam, omnis fructus bonæ arboris, cùm sit expetendus, est bonum, vt charitas, vt pax, gaudium, longanimitas, benignitas, beneficentia, fides, mansuetudo, temperantia: His autem contraria, mala. Quòd si etiam iuxta Christi doctrinam aliquid est bonum, aliquid malum, an ea etiam non cadant sub electionem, quæramus. Porrò si aliquod malum vel bonum non potest eligi, vt posteà K fortassè demonstrabimus, nunquid erunt ponenda in bonis & malis, ea quæ à miscentibus eligenda & non eligenda, feruntur? Nam illi opinantur bonorum alia esse animi, alia corporis, alia externa. Eandem prætereà malorum esse rationem. Animi bona dicunt virtutem & virtutis actiones, mala prauitatem & prauas actiones; Corporis bona, sanitatem, bonam valetudinem, pulchritudinem; mala morbum, valetudinariam affectionem, deformitatem: Externa, diuitias, paupertatem, gloriam, dedecus, nobilitatem, ignobilitatem. Arbitrabuntur autem aliqui secundum Scripturas similiter tria esse bonorum genera, tria malorum. Nam virtutes & vitia bona esse & mala admittentes, postquàm id concesserimus, obiicient scripturas corporalia & externa bona aut mala esse prædicantes. Et quidem de virtutibus & vitiis quid attinet dicere, cùm eæ morales nos doceant oportere eligere iustitiam, prudentiam, temperantiam & fortitudinem, earumque actiones, declinaréque contraria? Quocirca minimè habebunt exemplis, vt huiusmodi bona expetenda doceant. Corporis autem & externa bona è Scripturis diuinitus traditis variè ostendent. Nunc tamen aliquas proponere sufficit ex Exodo, & Leuitico & Deuteronomio, quæ multa præceptorum obseruantibus promittunt, & minas atque execrationes transgressoribus denuntiant. Exempli gratia, sanitatem esse bonum, ægritudinem malum, ex Exodo sic demonstrari potest. Si seruaueris mandata mea & præcepta, omnem languorem quem induxi super Aegyptios, nõ inducam super te. Ego enim Dominus, qui sano te. Prætereà illud Deuteronomij ad peccatores, cogitandum præbet corporales plagas & morbos esse de malorum numero: contrà in bonis versari valetudinem, & corporis firmitatem: Nisi obtemperantes feceritis omnia verba legis huius scripta in libro hoc, vt timeatis nomen istud gloriosum & mirabile, Dominum Deum, magnificabit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas admirabiles & ægritudines malas & plurimas. Et connectet in te omnem plagam Aegypti malam, quam timuisti à facie eorum, tibique adhærebit, & omnem infirmitatem, omnemque plagam in hoc libro legis conscriptam inducet Dominus super te, donec te perdat. Rursum transgredientibus mandata dicitur, Immittam vobis febrem & aruriginem, & marcescentes oculos, & animam tabescentem. Prætereà in Deuteronomio, à pietate discedentibus Deus comminatur ceruicis rigorem incurabilem. Qui verò volent externa bona è diuino verbo promittere, his Leuitici sententiis vtentur: Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea seruaueritis, & ea feceritis, dabo vobis pluuiam in tempore suo, & terra dabit germina sua, & ligna camporum dabunt fructum suum, & vobis messis vindemiam excipiet, & vindemia sationem, & comedetis panem vestrum ad satietatem, & habitabitis cum securitate super terram vestram: & cæt. Rursum è Deuteronomio, Eritque vbi transieris Iordanem in terram, quam Dominus Deus M dat vobis, & obseruantes feceritis vniuersa eius mandata, quæ ego præcipio tibi hodiè, ponet te Dominus Deus tuus super omnia, & ad te venient cunctæ hæ benedictiones, & inuenient te, si audieris vocem Domini Dei tui. Benedictus tu in vrbe, & benedictus tu in agro. Benedicti fructus ventris tui, & germina terræ tuæ, & armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Benedictæ apothecæ tuæ, & reliquiæ tuæ, &c. Vt rursum contrà impiè viuentibus dicitur, Maledictus tu in vrbe, execratus tu in agro. Maledictæ apothecæ tuæ, & reliquiæ. Execrati liberi ventris tui, & terræ tuæ germina. Maledicta armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Prætereà alia infinita numero perferent, qui volent in corporalibus & externis bona & mala constituere: itémque accommodabunt Euangelia, prædicantes Christum incarnatum, tanquam mala abstulisse ab hominibus cæcitatem corporalem, & surditatem, & membrorum dissolutionẽ, omnẽ denique morbũ & languorẽ curasse, bona loco malorũ præcedentiũ conferendo, corpora-

Exod. 15. L

lem

A lem nempè videndi facultatem & audiendi, aliámque sanitatem & valetudinem, tibique persuadebunt, nisi etiam nos confiteamur, lunaticum esse, & dæmonio agitari esse malum, vt contrà bonum, iis liberari. Prætereà Apostoli dona curationum & operationes virtutum perficientes, ipsa actione bona hominibus præstabant, & à malis eos liberabant. Transibunt etiam, qui ista tradunt, ad futurum æuum, atque asserent malum esse laborem, id est, peccatores æterno igne mulctari. Quòd si malus est labor, necessariò voluptas est bonum. Hæc sunt, quæ vehementius possunt flectere simplices, qui adducta testimonia de tribus bonorum & malorum generibus, iuxta Scripturarum sermones, nequeant dissoluere. Hoc verò errore non modò fidelium ij, qui citra dubitationem sunt integri, falluntur, verumetiam nonnulli, qui sapientiæ Christianæ opinionem sibi pepererunt, dum opificis summi tales aliquas esse promissiones, & vltra expressas verbis comminationes nihil significari prætereà existimant. Igitur ab

Promissiones Christi non esse temporales. omnibus, qui ista è Scripturis colligunt, quærendum est, an Prophetæ, quorum peccata non arguuntur, legem seruauerint. Verbi gratia, Elias pauperrimus, vt ne panem quidē apud se habuerit proindeque sit missus ad Sareptanā Sidoniæ, & Elisæus, qui apud Sumanitidem valde exiguum habuit diuersorium, & lectulum, & candelabrum vile, qui & infirmatus obiit: & Esaias deambulans nudus & discalceatus per tres annos, & Hieremias coniectus in

B luti lacum, semper subsannatus, vt & in solitudine versari optaret, & Ioannes in desertis commorans, nihilque præter locustas & agreste mel sumens, pelle succingens lumbos, séque pilis camelorum induens: Confitebuntur enim illos legem obseruasse. At requirens, quænam sentiunt bona his legis obseruatores fuisse tributa? Cùm non possint ostendere, ad id adigentur, falsas esse promissiones, quas concessas aiunt piis, aut, si veræ sint, anagogica egere interpretatione. Quòd si ad allegoriam coacti venerint, damnabunt suam sententiam: quòd lex ægritudinem corpoream, & externa, quæ existimantur, mala impiè viuentibus comminetur, aut sanitatem corporum & abundantiam Dei sectatoribus polliceatur. Præterea quomodo non fatuum esset de malis magnificè sentire & gloriari eos, qui in illis versantur? Si enim malæ sunt afflictiones, Apostolus verò ait se gloriari afflictionibus, perspicuè malis gloriatur. Quòd si Apostolus minimè est stultus, certè eiusmodi Sancti exercitia non sunt mala, qui omnibus in rebus afflictus, non angustatur, fatigatus non deficit, tentatus non morte conficitur, pauper habitus multos ditat, & nihil habere existimatus omnia possidet. Nam qui credit, totum pecuniarum mundum possidet: qui non credit, vel obolo caret. Præterea ad eorum sententiam, qui secundum Scripturam censent tria esse bonorum genera, similiter & malorum, sequitur iustos semper

C in multis malis versari, vera cùm affirmet Propheta, dicens, Multæ tribulationes iustorum. Sed nec qui hæc
" mala esse opinantur, debent ea, quæ Sancto Iob acciderunt, recolere, vt oraculum, postquàm ille fortissimè pro-
" positos agones sustinuisset, ait, Putásne me alio fine ti-
" bi per oraculum apparuisse, quàm vt declarareris iu-
" stus? Nam si non aliter declaratus est iustus Iob, quam quòd huiusmodi aliqua infortunia ipsi contigerunt, quo pacto mala attulisse dicemus causam, cur ipsius iustitia manifestaretur?

His etiam est consequens, ne quidem diabolum Sancto fuisse malum. Nempè non erat ipsi Iob malus diabolus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonū iis, qui secundum propositum vocati sunt. Præterea perspicuum est iustum benedictionibus, & bonorum quæ Scripturis putantur celebrata, & literæ cortice exprimuntur, promissionibus non potiri. Nam quæ de Sancto Iob narrantur plurima, eiusmodi intelligentiæ aducentantur.

Deut.17. Præterea stultum est existimare Sanctum debere
" fœnerari, multarum gentium mensas oppidatim aperi-
" re, se occupare in dando & accipiendo, prohibitáque ne-
" gotia exercere. Argentum enim suum non dedit ad vsu-
ram, & munera super innocentes non accepit. Qui facit D
hæc, non mouebitur in æternum. Et iuxta Ezechielem, *Ezec.18.*
Sanctus fœnori & vsuræ non dedit argentum. Præterea febrem existimare propter peccata nasci, imperitorum supra modum est sententia, cùm causæ huiusce morbi sint magna ex parte perspicuæ, aut propter aërem, aut propter aquas, aut propter certos cibos. Ac si præmia iustorum sunt sanitas, & diuitiæ, nullum oportebat impiorum valere, nullum esse diuitem. Quare sanitatem talem, quæ animæ sit valetudo, quæramus oportet. Similiter & diuitias, quæ iuxta Salomonem animi sint redemptio.

Redemptio (inquit) viri animæ propriæ diuitiæ: fu- "
gienda autem paupertas, de qua scribitur, Mendicus non "
sustinet minas. Item vulnera, & liuores, & morbi designant ea, quæ animis segnescentibus ex prauitate agnascuntur: de quibus Propheta, homines talibus affectos reprehendens, dicit, A pedibus vsque ad caput non est vul- *Esa.1.*
nus, neque liuor, neque plaga tumens. Non licet mala- "
gma imponere, neque oleum, neque colligationē. Atque "
hæc quidem sufficiunt valde etiam negligentibus, vt sibi- "
metipsis ista colligentes, dicta Scripturarum in diuersum incitantia, digna actionis Spiritus sancti intellectui applicent. Porrò vt opinantes hæc esse bona, quæ Sanctis tribuentur, & mala, quæ peccatoribus, faciant, etiam ista addenda sunt. Quicquid est propter aliquid, eo minus est, cuius causa esse dicitur: vt sectiones, & cauteria, & vulnerum alligationes propter valetudinem assumptæ, E
minora sunt valetudine. Et vt in medicis prædicta ista dicantur bona, at non sunt extrema Medicinæ bona, sed tantùm media, & causæ. Extremum enim in Medicina bonum est corporis valetudo: Sic igitur, si præcepta *o' lege,*
obseruanda sunt ob bonorum istorum adeptionem, ac *non sic*
præmia sunt corporalia, & externa, bonæ actiones erunt, non bonæ ratione finis vltimi, sed certè tanquam bonorum effectrices, & diuitiæ, quas opinantur: Scripturam promittere, & corporis valetudo iustitiam antecellens, & sanctitatem, & pietatem, & diuinum cultum tātarúmque præstantia humanæ conditionis bona, vt ea amplecti hominum sit, qui etiam dignitatem virtutis non intelligunt, sed materialia & crassa et præponunt. Omnium quippè absurdissimè dicitur, hominum perfectis bonis excellere diuitias, & corporis valetudinem. Quare propter istiusmodi flagitiosas sententias, consequenter quidam admiserunt, etiam post resurrectionem in primis numerari promissionibus, quòd esculentis & poculentis simus vsuri, & tunc alios, liberos procreaturi. Hæc verò relata ad gentilium cultus professores, magnam stultitiæ opinionem afferent Christianismo, cùm multo præstantiora habeant dogmata quidem à fide prorsus alieni. Nos ergo quid nobis videtur, è sacrorum oraculorum disquisitione iam proponemus. Nam dicebamus nobis probari, quòd dicunt bona & mala in eligendis & non eligendis versari: Nec tamen numerabamus inter bona nō cadentia sub electionē, F
sanitatem, pulchritudinem, nobilitatem, gloriam, diuitias: quin & pro viribus discrepantia breuiter conati sumus dissoluere. Iam igitur quæ sint bona non cadentia sub con- "
silium & electionem, disserendum. Quoniam verum est il- "
lud Psalmi, Nisi Dominus ædificauerit domum, frustrà la- "
borauerunt, qui ædificant eam: & nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam. Aedificat autem domum, quicunque proficit, & custodit ciuitatem, quicunque est perfectus. Vanumque est opus ædificantis, & vana custodia seruantis, nisi Dominus ædificauerit, & nisi Dominus custodierit, sine Domini potentia, quæ sibi ædificationem ædificātis assumit & vendicat, & simul cum non valente per se ædificationem perficere, ædificat, bonum erit extra electionem nostram positum. Idem de custodiente ciuitatem sentiendum. Ac quemadmodum si dicerē agriculturæ bonum fructum proferens, consilio & voluntate artis agricolæ, & prouidentia consilium humanum superantē constare, quæ aëris temperiem, & idoneæ pluuiæ fluxum suppeditat: sic hominis ratione vtentis bonum constat voluntate ipsius, &

G Dei virtute simul eligentem præstantissima mouente & *Gratia* inspirante. Non solùm igitur ad bene præclaréque agen- *preueniēs.* dum necessaria est nostra voluntas & diuina inspiratio, quæ quidem quantum ad nos inuoluntaria est, verume- *Gratia co* tiam, Dei gratia, vt præclarum lapsi, atque ad eò perfecti *mitans.* factum, siquidem ob præclaram actionem superbierit, sibíque eius causam & gloriam arrogauerit, non Deo, qui multo plus contulit, ad virtutem tum acquirendam, tum conseruandam, in virtute permaneat. Talem esse causam *Ezech.18 & 34.* illius immaculati arbitror, qui apud Ezechielem ambulasse fertur in cunctis ipsius viis, Donec in eo inueniretur ini- *Esai. 14* quitas, qui secundum Esaiam de cœlo decidit, Lucifer olim factus, manè exoriens, posteà contritus super terram. Non modò enim verum in hominum filiis, vbi aliquis perfectionem fuerit consecutus, sine Dei sapientia nihil esse operæpretium, verumetiam in angelico ordine & principali, omni denique natura, quæ æterna diuina existit, quatenus Deus adest. Fortassè igitur, cernens sacer Apostolus nostram voluntatem multo esse minorem Dei virtute ad bona acquirenda, tandem concludit, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.

Non quòd sine voluntate & concordia nostro mi- *ἑκάτερ le-* sereatur Deus, sed quia nihil est nostra voluntas & cursus *go, non* Dei misericordiæ comparatione. Vt proinde bonum con- *ἑκάτερ.* ueniendus Dei misericordiæ, quàm humanæ voluntati & H cursui tribuatur. Hæc prolixiore discursu differuimus, persuasi esse necessaria ad illud, Multi dicunt, quis ostendit nobis bona. Nam prout poterat, oratio, multis dicentibus, Quis ostendet nobis bona, patefecit & declarauit quænam essent bona, & vicissim quænam mala, vt spiritualibus exercitiis & precibus bona compararemus, & mala ab animis nostris arceremus. Quoniam verò in eloquendo interdum propriè loquimur, interdum etiam per abusionem vocabulorum, non mirum si aliquando bonorum & malorum denominationem rebus corporalibus & externis attributam apud eos, qui non sanas habent sententias, reperiamus. Exempli gratia, in Iob, Si bona accepimos de manu Domini, mala non sustinebimus? Et in Hieremia, Descenderunt mala à Domino in portas Hierusalem. Fuerat enim dicendum, Si eiusmodi vtilia & iucunda accepimus à Dei erga nos prouidentia, amara & laboriosa non parato animo feremus? Et, Prouidentiæ hæc ipsi Hierusalem ad corrigendos habitatores contigerunt. Intellectis igitur rebus, nos non oportet esse malignos circa vocabula, sed animaduertere, quãdo propriè de rebus pronuntiatur, quando per abusionem, quadam nominum penuria. Quòd si Saluator aliquos sanauit reddita valetudine, aspectu, auditu, præcipuè eorum anagoge obseruanda est, cùm oratio animi affectus per istas historias declaret. Non est I tamen absurdum, si secundum historiam expletã facta esse ad percellendos illius ætatis homines intelligamus, vt qui verbis non persuadebantur demonstratiuis, & ad docendum efficacibus, flexi prodigiosis virtutibus, docenti assentirentur.

IN ILLVD, OBDVRAVIT *Dominus cor Pharaonis.*

CAP. XXVII.



"Nᴅᴠʀᴀᴠɪᴛ Dominus cor Pharaonis, & nolebat dimittere ipsos. Istud sæpius in Exodo positum, Indurauit Dominus cor Pharaonis: & Ego indurabo cor Pharaonis: propemodum omnes audientes, siue dictis fidem addant, siue dément, magnoperè perturbat. Nam infidelibus cũ multis etiam istud infidelitas causa esse videtur, quoniam de Deo indigna Deo assumantur. Indignum quippe Deo, indurationem in cuiuslibet corde operari, atque efficere obdurationem, vt induratus indurantis voluntati nõ credat. Quonam verò ratione non absurdum, Deum aliqua efficere, quorum causa non credatur ipsius voluntati, vt qui nolit Pharaonem credere iis quæ ipse imperat? His verò qui credere existimantur, non vulgaris dissonantia ingeneratur propter istam indurandi formulam. K

Nam qui persuasi sunt non alium esse Deum, præter opificem, Deum fortiùs, quem velit, misericordia prosequi, quem velit, indurare sentiunt, nulla ratione cur illius misereatur, hunc induret. Alij rectius sentiẽtes, aiunt multas etiam alias Scripturæ sententias sibi esse occultas, neque circa id sanam fidem veri, ac istum sanum sermonem vnum esse e Scripturis arcanis atque abstrusis. Alij alium Deum prædicantes præter opificem, iustum quidem eum esse volunt, at non bonum, valde imperitè simul & impiè affecti, dum iustitiam a bonitate separant, & bonitatem sine iustitia contemplantur. Quin & illud professi, priuatis sensis contraria de iusto Deo concedunt, indurare cor Pharaonis, & incredulum sibi ipsi efficere. Nam is qui pro meritis vnicuique tribuit, iustus est, quisque sua causa & merito melioribus aut deterioribus ea reddit, quæ singulis iustè deberi intelligit, quo pacto iustus erit, qui deterioris peccati Pharaonis auctor & causa extitit, nec tamen modò causa, verumetiam, quantum ad ea quæ isti admittunt, cooperator, vt ipse fieret iniustissimus? Ad nullam autem rem voluntate iusti Dei dignam referentes indurationem cordis Pharaonis, haud scio, qui iustum Deũ, etiam quatenus volunt exponere, statuere possint eum, L qui Pharaonis cor indurat. Vrgendi igitur sunt verbis ad propositum locum pertinentibus, vel vt constituant, quomodo iustus induret, vel vt audeant dicere, hoc ipso, quod induret, prauum esse opificem: vel si carent demonstrationibus, quibus doceant iustum in aliquo indurationem efficere, neque audent eò procedere, vt conditorem prauũ confiteantur, ad aliam viam confugiant, quæ illud indurauit cor Pharaonis explicet, rejectis de iusto Deo priuatis nominibus, quas è falsa dictionum intelligentia concipiunt. Istud autem postremum, etiam si dubitare aliquando oratio prætenderit, confitebuntur. Atque hæc quidem de Deo in præsenti quæstióne vestigata agitatáque sint. Porrò quoniam qui existimant aliquos ab origine ad perniciem esse factos, ad locum de natura etiam ista referunt, ac prædicant suam doctrinam eo declarari, quòd scribitur cor Pharaonis à Domino induratũ, age de illis ipsos percontemur. Qui ad perniciem conditus est, nunquam quicquam præstans potest efficere, cùm ipsa insita natura ipsi, dum ad præclara contendit, contra obstatur. Quid igitur opus Pharaonem perditionis, vt prædicatis, filium naturæ indurari à Deo, ne dimittat populum? Nisi enim fuisset induratus, dimisisset. Respondeant igitur, quid fecisset Pharao, si non fuisset induratus? Nam si non induratus dimisisset, non erat naturæ perditæ: si non dimisisset, ipsius cur indurare erat supervacaneum. Nam proinde non induratus, non erat dimissurus. Quid verò Deus operans circa e- M ius mentem, animi partem præcipuam, ipsum indurabat? " Quo pacto ipsum accusat, Quia non credis mihi, ecce ego " interficiam primogenita tua, & sciẽt omnes Aegyptij quòd " ego sum Dominus. Quasi propterea res, quæ existimantur aduersæ, ipsis sint inductæ, vt Deum cognoscerent. Præterea in Machabæorum libris tale aliquid memoratur: Obse- " cro, quotquot in hunc librum incideritis, nolite calamitati- " bus frangi, sed existimate, quæ contingunt, non ad exitiũ, " sed ad generis nostri instructionem extitere. Nam non diu relinqui impios, sed statim subiici pœnis debitis, magnæ beneficentiæ est signum. Non enim vt in nos se gerit Dominus, quemadmodum in gentes, quibus iram suam differt, vt dilatis peccatis tandem aliquando ipsas æternis supplicijs mactet: sed erudiens afflictionibus, suum populũ non deserit. Si enim incidere in supplicia propter peccata, magnæ beneficẽtiæ est signũ, mulctatus etiã Pharao, postquã cor habuit induratũ, vnà cũ suo populo, vide an nõ frustrà pœnas luerit, aut suo malo. Cuius exempli imitator factus *3. Reg. 2.* Dauid, prout temporibus congruebat, Salomoni præcipit, *vbi tamẽ* vt Ioab ob ipsius in Abner filiu nec peccata supplicijs affi- *negatio,* ciat, ac propter facinora mactet. Deinde subiungit, Et de- *Non dedu* duces canitiem eius in pace ad inferos. Nempè, vt etiam *ces.*

Hebræus

A Hebræus nobis narrauit, quoniam puniendus erat Ioab, in pace erat dormiturus, supplicio & cruciatu non ipsi amplius debito post obitum, quòd eo hic iam fuerit affectus. Porro sic omnem comminationem conceptam sacris literis, & scripturas ipsas, à magnifica efficientia & ordine operum Dei, qui visibilia, temporaria & æterna creauit, quippè cùm vnum idem sit omninò cum Patre dominus & Saluator noster, bono & iusto & sapiente, ad hunc scopum dirigere contendimus, vt vniuersa boni Dei, & sapientia & iusti esse ostendamus. In quo nullo quidem modo à mente præditis labi existimabimur: sed tamen, vt quę scribuntur, bonitati Dei & iustitię & sapientiæ rectè aptentur, Deo Saluatore egemus. Talia igitur de hoc dicto, indurauit dominus cor Pharaonis, cogitamus. Medicus est animi Dei verbum, viis ad sanitatem vtens diuersissimis & accommodatis, & maximè opportunis iis, qui malè sunt affecti. Viarum autem ad sanitatem pertinentium aliæ præstantiores sunt, aliæ minus præstantes, quæ secundum magis & minus dolores atque cruciatus iis qui curantur, inferunt. Rursum remedia modò obscura sunt & incerta, modò alterius rationis. Præterea celerius curant, aut tardius: interdùm post satietatem peccandi, interdum post sulum peccati, vt sic loquar, tactum.

Testimoniorum de singulis plena est vniuersa diuina Scriptura, acriores leniorésve curationes afferens, atque
B describens quæ populo pro correctione & conuersione in prœliis grauioribus vel leuioribus, & fame diuturniore vel
" breuiore contigerunt. De obscuris, cùm ait, Non visitabo super filias vestras, quando fuerint scortatæ, & super sponsas vestras, cùm fuerint mœchatæ, Fortassè enim animas corporalia & opinione mortalium Dulcia nimis appetentes, sibimetipsis deserit, donec satiatæ auersentur & fastidiant quæ concupiuerunt, ipsa veluti volentes euomere, neque deinceps celeriter in eadem incidant, tanquam nimis exaturatæ, & vsqueadeò cruciatæ. Tardius autem ad sanitatem perducuntur, quæ secundò in eadem recidere quodam contemptu non dubitarunt, quòd celerius malis fuissent liberatæ. Nouit certè Deus opifex animi cuiusque mores, qui solus, vt cuique conducit, sapienter potest curationes adhibere, quid oportet & quando, singulis facere. Ac quemadmodum in quibusdam corporalibus ægritudinibus, malu in profundum, vt sic dicam, peruadente, medicus in apertum, quibusdam pharmacis adducit & attrahit materiam, graues inflammationes & tumores, & plurimos dolores inducens, qui omninò priùs quàm sanitas recuperetur sint tolerandi, vt solet facere in iis, quos canes rabidi momorderunt, & quibusdam aliis similia patientibus: Sic & Deus, opinor, dispensat occultam malitiam, in animę profundum penetrantem. Et quemadmodum medicus de aliquo affecto, inflammationes (inquit) inducam circa hunc languentem locum, & has partes tumore vexa-
C bo, vt graue apostema existat. Quæ cùm loquitur medicus, non vituperatur ab eo, qui illum suæ artis peritum intelligit, sed laudatur, quamuis ista comminatus perficiat: & si fortassè alius prædicet alienum à medica promissione facere, cùm per inflammationes & apostemata sanitatem, vt par est, restituit. Ad hunc opinor, modum Deus pronuntiauit, Ego indurabo cor Pharaonis. Atque ista qui audit, tanquam Dei oracula, dicentis dignitatem obseruans atque perscrutans, reperit etiam in his Dei bonitatem commendari, euidentius quidem erga populi salutem ad fidem per multa miracula adducti, deinde Aegyptiorum, qui re-
" bus gestis obstupefacti, sequuturi erant Hebræos. Pro-
" miscuus enim (inquit) populus multus Aegyptiorum si-
" mul cum ipsis exiit. Denique secretius & profundius fortassè ob vtilitatem, quæ in ipsum redundauit Pharaonem, non iam amplius mores continentem, neque suum virus occultantem, sed foras trahentem, & in apertum promentem, ac fortasse agendo dissoluentem, vt vniuersas adhærescentis prauitatis reliquias absoluens, remissum postea haberet aculeum ad mala mouentem, & fortasse ad extremum arescentem, quando submergebatur, non vt,

κέντρον λήγει, non ἀπάγειν.

quemadmodum aliquis existimauerit, planè periret, sed D peccata abiiciens releuaretur, & fortassis in pace à tanto animi bello in infernum descenderet: At meritò fortassè grauiter ferent lectores, violentum arbitrati, quod dicimus Pharaoni fuisse vtile, indurari corde, & pro eo cuncta extitisse, quæ vsque ad submersionem conscribuntur. Sed vide an valeamus, sublata credendi difficultate, persuasio-
" nem eorum quæ dicta sunt, inducere. Multa flagella (in-
" quit Dauid) peccatoris. Filius præterea ipsius docet Dei flagellare omnem filium quem suscipit. Præterea ipse Dauid promissionem de Christo factam vaticinans, atque de
" iis qui in ipsum crediderunt: Si dereliquerint (inquit) filij
" ipsius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint,
" si iustificationes meas profanauerint, & mandata mea non
" seruauerint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in ver-
" beribus iniustitias. Misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Igitur Dei est gratia iniquum visitari virga, & peccatorem verberibus. Et quamdiu peccator non flagellatur, erudirioni & castigationi nō subiicitur. Proinde minitatur Deus, si magna fuerint peccata Iudæorum, se non visitaturum super ipsorum filias, quando fuerint scortatæ, & super sponsas eorum, quando fuerint adulterio
" pollutæ. Alibi etiam dicit, Quoniam mundaui te, & non
" es mundata, non irascar super te amplius, neque zelabor
" super te deinceps. Obseruandum præterea comminatio-
" nes propheticas magna ex parte sic concludi, Scient quia
E ego sum Dominus: quod comminatur non modò Israelitis, verum etiam Aegyptiis & Assyriis, & aliis populi hostibus. Atque hoc etiam ad extremum mulctatum, quæ existimantur, comminatiuum in Exodo scribitur. An verò indurans rem duram indurat? Res dura non induratur, sed à mollitie durities in duritiem conuertitur. Mollities autem cordis iuxta Scripturam laudabilis, vt vbique obseruauimus. Dicant igitur, si cùm esset bonus Pharao, factus est improbus, maximè cùm Deus incuset Pharaonem, an frustra incuset, nécne. Si frustrà incusat, quo pacto adhuc sapiens & iustus habebitur? Præterea si frustrà incusat, causa erat peccatorum, quæ per infidelitatem admisit Pharao. Atque ita ille non erat sua natura & origine perditus. Credendum ergo istud, propterea quòd Apostolus verbis inde sumptis vsus, igitur (inquit) cuius volt miseretur, & quem vult indurat. Dices igitur mihi, Quid adhuc *Rom. 9.* reprehenditur? Nam voluntati eius quis resistit? Quis iste indurans, quis miserens? Non enim alterius est indurare, & alterius misereri, iuxta vocem Apostolicam, sed eiusdem. Aut ergo in Deo misericordiam consecuti eius sunt, *Contra* qui cor Pharaonis indurauit, frustráque ab ipsis fingitur a- *Marcioni* lius Deus, aut bonus ipsorum sententia Deus, non modò *stas.* est misericors, verumetiam indurator, nec iam erit, vt existimant, bonus. Hæc autem omnia appositè pluribus ve-
F stigauimus aduersus eos, qui impetite sibi intelligentiam tribuunt, & insiliunt in nostrorum dogmatum simplicitatem, instantes atque docentes, verbum in præsenti vestigatum, neque ipsis conferre ad ea quæ putant de Deo, neque ad ea quæ statuunt de natura perdita. Nos enim multis è locis persuasi, & labores, & vltionem à Deo numquā contra patientes, sed pro ipsis semper immitti existimamus. Quocirca furor & ira, nominum quæ Deo attribui existimantur grauissima, arguere & corripere pronuntiantur hoc Psalmi locu, Domine, ne in furore *Psal. 6.*
" tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Vbi qui
" ista precatur, ne sibi sit opus argui Dei furore, aut ira ipsius erudiri supplicat: quasi aliqui furore Dei arguantur, & ira ipsius erudiantur. Vt autem citius iam dicta recipiamus, etiam è nouo Testamento similibus sententiis vtendum est, Domino Saluatore dicente, ignem veni mittere in terram. Vtinam autem ardeat, nisi salutaria esset homini- *Matth. 3* bus ille ignis, quem venit in terram missum, numquam illa dixisset boni Dei filius.

Sed & Petrus verbo tollens Ananiam & Sapphiram, qui *Act. 5.* mentiendo non hominibus, sed Domino peccarant, non tantū de ædificatione corū, qui illo opere conspectu futuri

Paradoxum Origeniacū.

G erant religiosiores in Christi fide, verumetiam de morientibus fuit sollicitus, cupiens eos repentina morte expiatos, & præter expectationem laxari corpore, habentes aliquid iustitiæ: quandoquidem dimidium facultatum suarum in indigentiam, vsum & necessitatem dederant. Præterea Paulus cum Proconsule Sergio Magum verbo excæcans, per labores & ærumnas ad pietatem conuertit, dicens, Plene omni dolo & omni fabricæ fili diaboli, Inimice omnis iustitiæ, non desines vias Domini rectas peruertere? Et nunc eris cæcus, nō videns solem vsque ad tempus. Quale tempus? Certè illud, quo percussus & cruciatus propter peccata, mutato per pœnitentiam animo, dignus videndi vtroque modo solem erat efficiendus: & corpore, vt diuina potentia, oculorum externorum restitutione, enunciaretur: & animo, quando

1.Tim. 1. credens, pietatem sibi erat habiturus. Quinetiam Demas & Hermogenes, quos Satanæ tradidit, vt discerent non blasphemare, tale aliquid ac superiores, sustinuerunt: & qui Corinthi, Patris vxorem habuit, etiam ipse Sata-

1.Cor. 5. næ traditur in interitum carnis, vt spiritus in die Domini saluetur. Non igitur admirandum, si quæ spectant ad Pharaonem induratum, & tandem tot talibusque suppliciis mactatum, à Dei bonitate dispensantur. Atque hæc à nobis in præsens, vt fit, de dicto, indurauit Dominus cor Pharaonis, disputata sint. Si quis pietatem erga Deum ser-

H uans, meliora, nullàque ratione impietatem attingentia inuenerit, testimoniis diuinarum Scripturarum adhibitis, illis potius fruamur, oportet.

Et in aliis, de eodem.

QVEMADMODVM medici hominum à rabido cane morsorum virus extrahentes in apertum, ne intus depascens hominem corrumpat, grauiores reddunt corporum habitudines & tumores: sic Deus reconditam & inclusam in intimis animæ malitiam sua medendi arte attrahit foràs, quò patentem & euidentiorem eam efficiat, vt posteà futuram inducat sanitatem. Quò pertinere arbitror Deuteronomij verba, ad

Deut. 8. hunc modum habentia: Et recorderis vniuersæ viæ, per „ quam duxit te Dominus Deus tuus his quadraginta annis „ in deserto, vt malè faceret tibi, & tentaret te, & cognosce„ retur quæ habebas in corde tuo: An obseruares mandata „ eius, necne. Et malis affecit te, & fame, pauitque te Manna „ quod ignorabas tu, & nescierunt Patres tui, vt nuntiaretur „ tibi, quòd non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, „ quod procedit de ore Dei. Obserua in iis Deum malè afficere, & tentare, vt cognoscantur quæ in cuiusque corde insunt: velut in profundo posita, & in propatulum per mala & afflictiones venientia. Tale est, quod in libro Iob,

I à Domino per turbinem & nubes ad ipsum Iob pronun„ tiatur: An me putas tibi aliter oraculo apparere, quàm vt „ iustus appareas? Non enim (inquit) vt iustus sis, sed „ vt iustus appareas, cùm talis etiam esses ante tentationes, „ sed appareas in iis casibus & euentis.

Rursum in alio tomo, in iisdem in Exodum Commentariis.

DICEBAT aliquis sociorum nostrorum, quæstionem verbis leniens, sæpè benignos Dominos, qui nimis patienti animo seruos peccantes sustinent, dicere solitos, Ego te perdidi: Te ego prauum feci: hac formula ostendentes, suam benignitatem, & animi patientiam videri attulisse occasionem maioris improbitatis. Quemadmodum igitur potest aliquis affirmare hæc dicta, calumnians Dominum esse confessum se seruum improbum reddidisse: sic Dei bonitas, occasio effecta indurati Pharaonis, indurasse scribitur Pharaonis cor. Sed sic nos ex dictis Apostolicis consolari possumus. An diuitias benignitatis Dei, & patientiæ, & longanimita„ tis contemnis, ignorans, quòd bonitas Dei ad pœniten„ tiam te adducit?

At propter duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas K tibi iram in die iræ, & reuelationis, & iustitiæ Dei, qui reddet „ vnicuique secundum opera ipsius. Idem præterea Aposto- „ lus epistola ad Romanos: Quòd si Deus (inquit) volens o- Rom. 9. stendere iram, & patefacere potentiam suam, tulit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum: quasi ipsius patientia iræ vasa tulerit, & propemodum fecerit. Si enim quoniam longanimis fuit, peccantes nequaquam puniens, sed misericordia afficiens, vasa illa redundarunt, ipse quodammodò sua longanimitate & patientia vasa iræ tulit, &, vt sic dicam, ipse vasa iræ omnia fecit, atque ea ratione cor eorum indurauit. Quoniam enim tot signis & prodigiis patratis non persuadetur Pharao, sed post eiusmodi resistit, quo pacto non durior & magis infidelis conuincitur, ita vt durities & infidelitas è prodigiis exoriri potuisse videatur? Simile est illud Euangelij, In iudicium ego in mundum hunc veni. Non eum proposuerat Saluator in iudicium venire: sed quadam consequentia factum est, vt qui venerat, veniret in iudicium, dum post miracula ipse minimè crediderunt. Quinetiam in ruinam venit: atque ita Luc. 2. post alia prodigia edita, iis quidem, qui eum susceperunt & crediderunt, vt apud promiscuos Aegyptios, iis qui populo cohæserant, misericordia fuit, at non credentibus duritiam cordis attulit. Rursum ex Euangelio præter memorata, licet alia similia proponere, quibus Saluator malorum auctor extitisse videatur: Væ tibi Chorozaim, væ tibi Bethsaida. Quoniam si in Tyro & Sidone facta essent signa quæ L in vobis, olim in sacco & cinere sedissent, & pœnitentiam egissent: veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit quàm vobis. & cæt. Præscius enim Deus cùm esset, infidelitatis Chorozainorum, & Bethsaïdarum, & Capharnaitarum, item quòd remissius erit Sodomitis in die iudicij, quàm illis, cur prodigia in Chorozaim & Bethsaida efficiebat, cernens præsertim, eorum causa in die iudicij fore Sidoniis & Tyriis quàm istis remissius? *Et post alia*: Tu Exod. 4. dices Pharaoni, hæc dicit Dominus, filius primogenitus „ meus Israel. Dixi autem tibi, dimitte populum meum, vt „ me adorent. Quòd si nolueris eum emittere, certè ego fi- „ lium tuum primogenitum interficiam. Dicendum igi- „ tur affirmantibus hæc iusta esse Dei, & ex externa locutio- „ ne existimātibus induratum fuisse Pharaonis cor, quomo- Contra do iustus, qui cor regis indurauit, ne populum suum dimit- Marcionistas. teret, & est comminatus, nisi dimitteret, se primogenitum eius interfecturum? Pressi enim prauum ipsum fatebuntur: Deinde rursum ab aliis euertentur, cogentur externæ locutioni non seruire, quæ iuxta ipsos iustitiam opificis seruare & retinere non potest. Quod si semel cogantur violenter ista quærere, eò adducentur, ne iam amplius opificem accusent, sed bonum prædicent. Ob eam causam interrogandi, qui se intelligere existimant, indurauit Dominus Deus Pharaonis cor, an verè ista à Deo dici credant, M per Mosem numine afflatum, an falsò. Nam si falsò, ne quidem iustus iuxta ipsos Deus erit, neque verus, neque, quantum in istis, Deus. Quòd si verè, cogitent an non vt liberæ voluntatis hominem accuset, dicens, Si autem no- „ lueris dimittere eum. Et alibi, Quousque non vis re- „ uereri me, flectendi causa dicitur ad Pharaonem, qui Deum non verebatur, non quidem quia non posset, sed quia nollet. Illud autem Mosis ad Pharaonem, vt noris, quoniam Domini est terra, & tu, & serui tui: Scio, quia numquam timuistis Dominum: declarat, quòd essent Dominum veriturі, aduersum hæreticos, qui Dei bonitatem minuunt, & naturam perditam statuunt.

Rursum è secundo Commentariorum tomo in Canticum Canticorum.

ATtende etiam his, Sol albus & splendidus cùm sit, causam atque principium denigrandi habere videtur, nō quidē in se sed in eo, vt diximus, qui nigrore tingitur. Sic sanè Deus nunquam cor

Pharao-

A Pharaonis indurat, cùm eius rei causa apud ipsum extitérit, discruciantem Hebræorum vitam duris operibus, luto & latere, & similibus aliis, quæ non in montibus & tumulis, sed in campestribus efficiuntur. Qui enim materiæ sua improbitate immergitur, & secundum carnem per omnia viuit, luti amicus cum sit, vult etiam Hebræos lutum conficere, præcipuam animi sui partem non habens puram à luto, quæ vt lutum a sole induratur, sic à radiis Dei Israëlem inspectantibus est indurata. Hæc sic se habere hoc loco, nec Mosem historiam leuem proposuisse scribere, ani- D maduertenti est perspicuum: quoniam cùm suspirarunt filij Israël, non propter lateres, neque propter lutum, neque propter paleas suspirarunt, sed ab operibus, siue propter opera, tumque ascendit clamor eorum ad Deum, non de luto, sed rursum de operibus. Proinde etiam Dominus eorum suspiria exaudiuit, non quidem exaudito ab operibus, sed a luto & terrestribus operibus, clamantium suspirio.

Finis Philocaliæ.

DEO LAVS, HONOR, ET GLORIA.

B

PHILOCALIÆ INTERPRES BENEVOLO LECTORI. E

CVM Rhemos venissem anno superiore ad decimum tertium Calendas Octobris, nihil mihi potius fuit quàm vt conuenirem Gentianum Hernetum virum mihi reque literaria multis de causis amicissimum. Cúmque meum de Origene consilium cum eo communicassem non modo probauit, verùm etiam statim, ad illud exornandum, collationem Iulij Africani & Origenis Græcè ad se ab Illust. Cardinali Sirleto Roma missam & à se Latinè Rhemis versam propensissima voluntate tradidit. Statueram quidem vnum eius breuiculum è libro quinto Bibliothecæ sexti Senensis, qui sicut apparet, integram viderat, vt minus operum Origenis desideraretur, huic aditioni adiungere. Sed quoniam disputationem plenam & solidam nobis noster Hernetus exhibuit, vtrinsque exemplum infrà positum accipies, Vale & fruere.

ET ERAT VIR, HABITANS in Babilonia, & nomen eius Ioachim.

DAN. XIII.

Iulius Africanus, cum de veritate historiæ Susannæ dubitaret, Origenem breui consuluit epistola: qua Octo coniecturas, sibi suspitionem falsitatis inferentes, strictissime amplexus est. Exemplum epistolæ sic habet.

C

Salue ab Africano domine mi, & fili, & omnium honoratissimè Origenes.

SACRAM cum haberes disputationem cũ amico illo tuo, faceresque mentionem prophetiæ, habitæ à Daniele in iuuentute, sum id tum temporis, vt decebat, amplexus.

1. Admiror verò quònam te fugerit pacto partem hanc libri esse adulterinam. Hoc enim libri segmẽtum aliter quidem est opusculum gratum, sed tamen opusculũ, quod multis ostenditur, & conuincitur modis Neotericum esse, & Græcè à Græco authore confictum.

2. Primum quidem, quia vt mori iussa fuit Susanna, spiritu correptus propheta clamauit iniustè prolatam fuisse sententiam. Et Daniel alio prophetat modo per omne tẽpus, nempe visionibus, & somniis, & Angeli apparitione, non autem aspiratione prophetica.

3. Deinde posteaquam adeò admirabiliter esset locutus, eo vtitur ad populum & senes confutationis genere, quod lõge esset à communi expectatione remotissimum, & quo neque Philistion ille mimus vsus fuisset. quippe qui nõ cõtentus obiurgatione, pro spiritui effectu, ab altero vtrũque separatim interrogat seorsum, quonam in loco eam vidisset adulterium committẽtem. Vt autem alter sub prino dixisset, respondit futurum, vt Angelus ipsum secet: similiter scissionem minitans alteri, qui sub schino eam se vidisse respondeat.

4. In vocibus etenim græcis talia eundem habent sonum παρὰ τὸν πρῖνον πρίσαι, & παρὰ τὸν σχῖνον σχίσαι. In lingua vero Hebraica diuersum habẽt omnino sonum, porrò ex Hebreis translata sunt ad Græcos, quæcumque feruntur veteris testamenti.

5. Præterea quonam pacto cum apud Chaldæos captiui essent in Babylone, & iugulati proiicerentur in plateas in- F sepulti, vt in prima captiuitate Israelis narrant historiæ, ab ipsisque auellerentur filij vt eunuchi, & filiæ vt pallaces fierent, vt prophetæ prædixerant, hi de morte ferunt iudiciũ?

6 Et quod magis mirere aduersus coniugem Ioachim regis ipsorum, quem sibi assessorem fecerat rex Babyloniorum? sin verò non est hic Ioachim, sed alter quispiam ex populo: vnde hoc domicilium captiuo aderat? vnde illi hortus spaciosus? 7. Ante vero hęc omnia hęc libri huius particula cum aliis duabus particulis, quæ sunt in Danielis fine, Danieli, qui recipitur ab Hæbreis, non est similis: quin etiam locutionis character discrepat.

8. His vero omnibus adiciatur, cum tot præcessérint pro- 4. Reg. 25
phetæ, nullum deinceps vsum fuisse testimonio alterius. Beli &
quippe cum sermo ipsorum verax nõ aliunde mendicauerit. draconis
Hic autem alteri illorum minitans, Domini meminit historias
dicentis, innocentem & iustum nõ interficias. Ex his om- intelligit.
nibus arbitror ego additum fuisse hoc libri segmentum. Exod. 23.
Ego pulsaui: tu rescribẽs erudi. Dominos meos omnes saluta. Te quoque docti salutant omnes: & ego te valere vnà cum tuo comitatu, idquè ex animo precor.

Ad hanc epistolam Origenes docta atque magnifica respondit epistola: quam cum propter eius prolixitatem non deceat in hunc insulcire locũ, solutiones duntaxat argumentorũ Africani summatim ex ea collectas annotabo.

Primum, quod ait Susannæ opusculum nec legitimum esse, nec Hebraice scriptum, sed Græcè, & a neoterico scriptore, incertum sanè habetur: & magis credibile fuerit il-

G lud olim ab authore suo vel Hebraicè, vel syriacè scriptum & a studiosis veritatis amatoribus inter libros seorsum reconditos seruatū, deinde à Græco interprete versum, quod etsi etiam concesserimus non Hebraici, sed Græci scriptoris esse opus: Nō tamen ea de causa repudiandū est tanquā adulterinū & cōfictū, præsertim cū illi apud hebræos fides non abrogetur: ne eadem ratione cogamur abiicere multas eiusdē generis scripturas ab Ecclesia receptas, & sacris voluminibus immistas, qualis sunt oratio Sidrach, Misach, & Abdenago, hymnus Trium puerorum in libro Danielis, oratio Esther, & oratio Marduchæi, epistola Aman, & epistola Mardochæi in libro Esdræ, & alia his similia, quæ ad Ecclesiæ ædificationem susceperunt patres nostri, quorum terminos nobis constitutos minimè transgredi debemus.

Secundo cum ait Danielem nusquam prophetica inspiratione correptum prophetasse, sed somniis tantum, ac visionibus & Angelica apparitione, videtur parum obseruasse illud Pauli, multifariam, multisque modis Deum fuisse
Heb. 1. olim prophetis locutum. Nihil enim obest, quin vnus & idem propheta vna cum somniis, visionibus, & Angelicis apparitionibus consequatur etiam propheticam aspiratio
H nem sicut in veteri scriptura innouicta passim huius rei exempla in prophetis videre licet.

Tertio parum grauiter facit, dum scriptorem huius libri philistioni mimo ob id confert, quia Danielem scripserit iuxta humanæ prudentiæ consilium senes seorsum virosque separatos interrogasse, ac si non sufficeret, quòd eos a-
3. Reg. 3. deo mirabiliter spiritus afflatu increpasset. Nam & hoc pacto deridere licebit admirabile illud exēplum iudiciscēdi huic assimile, quod scriptura diuina refert Salomonem seruasse in iudicāda causa duarum meretricū de infantulo superstite litigantium. Proinde credendum est, quod sicut ad persuadendum populum non satis fuit, vt Salomon, quamuis diuino afflatus spiritu, diceret, date huic infan-
I tem viuum: hæc enim mater eius est, sed oportuit, vt is in duas partes diuidi mandaret infantem, quò veram infantis matrem omnis populus exprimendo maternæ charitatis agnosceret: ita satis nō fuit Danieli præsbyteros increpare, nisi insuper accepisset, vnde eos ex ore ipsorum coram vniuersa multitudine conuinceret.

σχῖνος lentiscus arbuscula est unde mastix colligitur. πρῖνος arbuscula ex qua nascitur coccus.

Quarto quod inquit græcā allusionem πρῖνος ad πρίσαι, & σχῖνος ad σχίσαι, apud Hebræos non haberi, sed voces omnino diuersas, tripliciter diluunt. Primum quod incertum sit, an voces, quæ apud Hebræos idē significant, quod apud Græcos πρῖνος & πρίσαι, & σχῖνος & σχίσαι, inter se ita dissentiant, vt nullam habeant soni similitudinem, siquidem cum in sanctis Hebræorum voluminibus nulla vn- K
quam fiat mentio plantarum, quæ nominibus πρῖνος & σχῖνος significantur, nullus Hebræorum constanter affirmare potest, quomodo hæc Hebraicæ alludant, quorum Hebraica nomina ignorentur. Deinde credibile etiam est Danielē pro Hebræa lingua vsum fuisse Syriacis dictionibus, quæ talem habuerint denominationis consonantiam. Demum fortasse accidit, quòd, cum græcus interpres exprimere vellet, vt res poscebat, Hebraicæ allusionis vim, nec posset, iuxta quamdam dispensationem interpretibus cōcessam inuenerit nomina aliarum plantarum, quæ apud græcos assimilem haberent deriuationem, & propositam Danielis sententiam lucidius explicarent.

arbuscula ex qua nascitur coccum.

Quinto, cum dubitat, quonam pacto captiuis ius esset iudicium de morte ferendi: mirari non debet, si Iudæi a rege Babylonis potestatem obtinuerint viuendi sub propriis legibus & iudiciis, cum suo tempore videat eosdem à Romanis Imperatoribus, sub quorum captiuitate degunt, ius vitæ ac necis accepisse in suos.

Sexto, eadem facilitate eluditur, quod quærit, vnde captiuo Ioachim, & priuatæ conditionis homini domos, &
L hortos esset magnificus? neque enim hoc mirandum est, cum in sacris literis legamus, Mardochæum, Nehemiam, & plerosque alios captiuos fuisse diuites, & in sua captiuitate felices.

Septimo, quod ait, hoc fragmentum non habere similitudinem cum Danielis volumine, & vtriusquè characterem esse diuersum, ex suo quidem iudicio & gustu pronunciasse videtur. siquis enim ambo attentè examinauerit, non magnam admodum dissimilitudinem in vtrisque inueniet.

Octauo, cum asserit neminem prophetarum alterius prophetæ dictis consueuisse vti, fallitur. Vtuntur enim fre
M quentissime alter alterius testimoniis eodem sensu, & iisdem fere verbis, sicut videre licet apud Michæam dicentem, & erit in nouissimis diebus preparatus mons Domi-
Mich. 4. ni &c. Quæ verba in Esaia scripta sunt.
Esa. 2. Hæc breuiter perstrinximus ex Origenica epistola, in cuius calce Origenes ipse suo intulit: Hæc ego dixerim pro defendenda Susannæ historia. Atque vtinam scripturæ Susannæ ego encomium, præcipue post accusationes, celebrare possem, tum in singulis illius dictionibus immorando, tum seorsa eximia ostendendo, id quod priuatim aliquis, qui studiose & abundè meditatus fuerit in diuinis, componere poterit.

GENTIA-

GENTIANVS HERVETVS

APHRICANI ET ORIGENIS EPISTOLARVM

INTERPRES, LECTORI S. D.



VAS hic habes à me latinè versas Aphricani & Origenis Epistolas de Susannæ historia, vt scias cuius beneficio habeas, velim intelligas eas à Reuerendo patre Claudio Launæo, monasterij sancti Remigij Rhemensis Hyparchimandrita, doctissimo Theologo, Romā ad me delatas, cùm eas ex sua omni librorum genere instructissima Bibliotheca exprompsisset, & describi curasset vir vt eruditissimus, & qui, si vllus alius, iure dici potest πολυΐστωρ, ita etiam optimus & humanissimus, & ad iuuandum literarum studia planè natus Gulielmus Sirletus, S. Rom. Ecclesiæ Cardinalis dignissimus, qui eas se habere mihi Romæ aliquando dixerat. Ex hac autem Origenis epistola, lectu certè dignissima, cum multa alia, eáque præclara, tùm hoc vel maximè disces, non si quid non sit in Canone sacrarum scripturarum apud Hebræos, id esse reiiciendum, si à Christi Ecclesia, quæ à Spiritu sancto regitur, fuerit admissum & approbatum. Hæc certè Susanna historia apud Hebræos vulgò non legitur, quam tamen semper agnouisse Christi Ecclesiam tanquam veram & certam, plurimorum veterum autoritate & testimonio probatur. Quæ cùm apud doctiores Hebræos haberetur in Apocryphis (ita enim vocantur arcana, & quæ non vulgò, sed solis doctis sunt nota) ex hoc inferri potest, vt apud illos, ita etiam apud Christianos, non quæcunque sunt apocrypha, esse reiicienda. Ex ea etiam facilè intelliges, cùm ex Epistola ad Hebræos, quam vt veram & germanam Pauli Epistolam admittit Origenes, Heb. 11. *multa enumerentur supplicia, quæ vel nusquam leguntur in scripturis cuiquam inflicta, vel si leguntur, ea non sunt in Canone Hebræorum: intelliges, inquam, partim multa eclasse Hebræos, quæ sunt verissima ac certissima, partim non esse reiicienda quæ admittit Ecclesia, licet ea reiiciat Iudæorum synagoga. Nam quod est in ea ad Hebræos Epistola, Alij autem distenti sunt, quod Græcè est,* ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν *nusquam alibi inuenitur in scripturis quàm in libris Maccabæorum, quos non Canon Hebræorum, sed admittit consensus vniuersæ Christi Ecclesiæ. Ex ea quoque annotabis, cùm tempore Origenis multæ essent sacrorum librorum editiones, eum tamen cæteris prætulisse editionem Septuaginta interpretum, quod ea per omnes legeretur Ecclesias. Quo fit, vt nos quoque, cùm multæ extent hodiè Bibliorum editiones, eam præ cæteris debeamus amplecti, quæ & multorum seculorum consensu, & postremo Concilij Tridentini decreto est approbata. Sed vt Origenes Septuaginta quidem interpretum magis sequebatur editionem, & tamen legebat etiam cæteras, ita nos quoque eam quidem sequamur editionem quæ legitur in Ecclesiis, cæteras autem non aspernemur, sed legamus, vt melius intelligamus quæ scripta sunt Hebraice. Linguæ enim Hebraicæ phrasim, quam non raro nulla alia assequitur lingua, alius alio meliùs & dilucidiùs expliceat. Optimum quidem esset sacram scripturam ex ipsis haurire fontibus: sed quoniam non cuiuis hominis, vt est in prouerbio, contingit adire Corinthum, reliquum erit, vt ad veterem nostram editionem meliùs intelligendam, cæterarum quoque editionum subsidio adiuuemur. Plurima alia notatu dignissima non dubito, studiose lector, quin in iis legendis obseruaturus, quorum non opus est vt te admoneam, ne vel de tuo ingenio vel iudicio videar diffidere. Finem ergo faciam, & te rogabo, vt si inter legendum aliquid occurrerit, de quo non dubito, quod tu libenter legas, in tuis ad Deum precibus memineris interpretis, qui suo labore & industria perfecit, vt quod est tibi lectu iucundum, id facilè intelligas. Vale, lege, & fruere.*

DE HISTORIA SVSANNAE.

SALVA, Domine mi & fili, & omni ex parte venerãde Origenes ab Aphricano. Quando faciebas sacram ad Agnomonem Dialogum, meministi Prophetiæ Danielis in iuuentute, quam tunc vt decuit sum amplexus. Miror autem quemadmodum te latuerit hãc libri partem esse adulterinam. Nam hæc pars est aliqui quidem scriptum elegans & lepidum, sed esse nouum & confictum ostenditur, & multis modis conuincitur. Iussa enim mori Susanna, spiritu correptus Daniel exclamauit iniustam esse sententiam. Primùm Daniel alio modo prophetat, nempè somnijs & visionibus omni tempore, & Angelorum assequitur apparitionem, non autem prophetica inspiratione. Deinde postquam adeo admirabiliter ea est effatus, præter opinionem & expectationem eos sic retellit, vt nec minus quidem Philistionis. Non enim suffecit increpatio per spiritum. sed vtrumque seorsum separatum percontatur vbi eam conspexisset adulterium admittentem. Postquam autem alter quidem dixit sub 11 prino, respondet Angelum eum secaturum: alteri autem qui dixerat sub schino, minatur similiter eum discindendum. Atque in Græcis quidem vocibus fit, vt ea pulchrè consonent, nempe prino πρίσαι quod est secare, & schino σχίσαι quod est scindere: In voce autem Hebræa distant penitùs.

πρῖνος, genus ilicis. σχῖνος, lentiscum.

Ex Hebræis autem sunt Græcis conuersa quæcumque veteris testamenti feruntur apud Iudæos. Neque verò est hoc probabile de Iudæis, qui erant Babylone captiui, vexabanturque, & in plateis proijciebantur insepulti, vt narratur in priori captiuitate Israelis, & tunc abstrahebantur eorũ filij vt fierent Eunuchi, & filiæ vt essent concubinæ, sicut à Propheta fuerat prædictum: alij autem in iudicio veniebant in discrimen capitis. idque cùm venisset in potestatem Regis ipsa vxor Ioachim, quam Rex Babyloniorum considere fecerat in suo throno. Sin autem non fuit is Ioachim, sed aliquis alius è plebe, vndenam venerat ad captiuum talis habitatio, & vndenam habuit tam elegantem & amœnum hortum? Ad hæc omnia accedit, quod hæc pars præter alias duas quæ sunt in fine, non inseritur in Danièle, quem susceperunt Hebræi. Præter hæc omnia, cùm tot præcellerint Prophetæ, nullus alius deinceps vsus est sensu verborum alterius, neque enim emendicasset, si vera esset oratio. Hic autem alteri eorum minitans, in memoriam I reuocat Dominum dicentem, Insontem & iustum „ non occides. Ex his omnibus mihi videtur hæc pars adiecta. Sed & phrasis, & dictionis stylus differt. Pulsaui, tu solua, & rescribens erudi. Dominos meos omnes saluta. Te omnes qui adsunt, & ego simul cum synodia, te bene valere ex animo Deum rogo.

ORIGENES APHRICANO dilecto fratri in Deo Patre, per Iesum Christum, sanctum eius filium salutem.

EPISTOLA quidem tua, per quam didici quæ contexuisti de Susanna, quæ in Daniele fertur in Ecclesijs, videtur quidem esse breuis, sed in paucis multas habere quæstiones, quarum vnaquæque non leui & perfunctoria eget pertractatione, sed tanta, vt stylum exuperet epistolæ, & libri opus habeat circumscriptione. Ego autem ingenij mei mediocritatem pro viribus considerans, vt non sit meus satis perspicax sensus, video mihi deesse exactam & accuratam scientiam, quæ requiritur ad rescribendum tuæ epistolæ: sicut nec pauci dies, quibus sum versatus Nicomediæ sufficiebant ad hoc, vt conuenienter præsenti [illegible] ctioni, responderem de ijs quæ quæsiuisti & postulasti. Quamobrem dans veniam & meæ mediocritati, & temporis angustiæ, cum omni beneuolentia attende epistolæ, simul etiam attentens, si quid est à nobis relictum. Atque primùm quidem dicebas, quòd quando disserebam cum familiari nostro Basso, & incidi in scripturam Danielis iunioris, qui prophetauit de ijs quę euenerunt Susannę, hoc feci, quòd me lateret hãc libri partem esse adulterinã. Et dicebas te quidem hanc laudare partem, vt quæ sit quidem scriptum elegans & lepidum, sed nouum & confictum. Dicebas autem, quod nec minus quidem Philistionis ijs vsus sit allusionibus, quibus qui hoc scriptum confinxit ex nominum propinquitate, nempe πρῖνος ad πρίσαι hoc est prini ad sectionẽ, & σχῖνος ad σχίσαι hoc est Schini ad discissionem, quæ lingua quidem Grȩca esset huiusmodi, Hebræa autem minimè. Scias ergo quid adhæc nos facere oporteat, non solùm de ijs quæ in nostro quidem Græco sermone feruntur in omni Ecclesia Christi, nõ habentur autem apud Hebræos: neque de alijs duabus, vt dicebas, partibus quæ sunt in fine libri scriptæ de Bele & L Dracone: sed etiam de mille alijs, quæ pro captu nostræ mediocritatis cum Hebraicis conferentes exemplaribus, nostra sæpè inuenimus. Nam in ipso quidem Daniele, in ea parte quæ est de fornace ardente, inuenimus, & vincti: In *Dan.3.* nostris autem exemplaribus, prȩter ea quȩ sunt in hebraicis, supersunt non pauca, quorum erat quidem initium congruenter quibusdam quȩ feruntur in Ecclesijs. Sic ergo precati sunt Ananias, & Azarias, & Misaël, & hymnis laudarunt Dominum: vsque ad illud, Benedicite omnes qui colitis Dominum Deum Deorum, laudate & confitemini, quoniam in seculum misericordia eius, & in secula seculorum. Et factum est, dum audisset Rex eos hymnos canentes, & aspiciebat eos viuentes. Secundum alia autem exẽplaria, Et ambulabant in medio flammæ, Deum laudantes, & benedicentes Dominum: vsque ad illud, Benedicite omnes qui colitis Dominum Deum. Laudate & confitemini, quoniam in omnia secula misericordia eius. Coniunctum autem erat in hebraicis & illud: Et viri illi tres. Sidrach, Misach, & Abdenago ceciderũt in medium ignis vincti. Tunc Rex Nabuchodonosor miratus est, & confe- M stim surrexit, & respondit, & dixit magnatibus suis. Sic enim Aquila hebraicȩ dictioni seruiens, reddidit, qui apud Iudȩos creditus est scripturam Maiori cum laude esse interpretatus: quo maximè solent vti, qui sermonem ignorant hebrȩum, vt qui maximè omnium eum sit assecutus. Nostra autem exemplaria, quorum etiam verba posui, erant, vnum quidem secundum Septuaginta, alterum autẽ secundum Theodotionem. Et quomodo apud vtrumque erat de Susanna, vt tu dicis, figmentum, & extremæ partes in Daniele, ita etiam hæc in versibus, vt semel dicam, ducentis. Porrò autem in multis quoque alijs sanctis libris inuenimus alicubi quidem plus esse apud nos quam apud hebræos, alicubi autem minus. Exempli autem causa, quoniam non adsumi possunt omnia, pauca proferemus. Vt in libro Esther, neque Mardochæi, neque Esther preces, quæ legentem possunt ædificare, habentur apud hebræos. Sed neque epistolæ, neque quæ ad animam scripta est de euersione gentis Iudæorum, neque Mardochæi ex nomine Regis Artaxerxis, gentem à morte liberans. Sed & in Iob, ab illo loco, Scriptum est autem illum resurrecturum cum ijs quos suscitat Dominus, ad finem vsque, non est apud hebræos, quamobrem neque apud Aquilam. Apud Septuaginta autem & Theodotionem ea sunt, quæ tantundem valent inter se. Mille quoque alia inuenimus in Iob in nostris exemplaribus, quæ & minus & plus habent quàm apud Iudæos. Minus quidem: Surgens manè offerebat pro

πεπεδημένοι, compediti, id est, vincti pedibus

ὡς τῷ χρῶ μα εἰκεῖν leg. fort. ὡς ἀπλῶς εἰπεῖν.

Esther. 2. & 3.

Iob. 49.

Iob. 1.

A peccato pro anima eorum. Et, Quando venerunt Angeli
„ Dei, vt adstarent coram Deo, Diabulus quoque venit cum
„ ipsis. Et illud, Postquam circuiui terram, & obambulaui
Iob. 2. in ea. Prætereà non erat apud Hebræos illud, dominus de-
„ dit, Dominus abstulit. Sicut Domino visum est, ita & fa-
„ ctum est. Plura sunt autem in nostris quàm in Hebraicis:
quando Iobo dixit vxor eius, ab illo loco, Quousque per-
manebis, dicens, Ecce, maneo adhuc modicum tempus,
expectans spem salutis meæ: vsque ad illud, Donec quie-
scam à laboribus meis & doloribus qui me nunc angunt.
Solùm enim scripta sunt verba mulieris, nempè, Sed dic
verbum ad dominum, & morere. Rursus autem per totum
medium libri Iob plurima quidem sunt apud Hebræos,
nequaquam autem apud nos. Et sæpè quidem quatuor
aut tres versus, nonnunquam autem quatuordecim & no-
uemdecim, & sedecim. Et quid opus est vt recenseam quę
selegi cum multo labore, ne me lateret differentia exem-
plarium, quæ sunt apud Hebræos & apud nos? Multa hu-
iusmodi animaduertimus etiam in Hieremia, in quo etiam
magnam inuenimus transpositionem, & mutationem eo-
Genes. 1. rum quæ prædicuntur. Porrò autem in Genesi quoque il-
lud, vidit Deus quod esset bonum, ad id. Quod factum es-
set firmamentum, apud Hebræos non inuenitur. Et est hęc
apud eos non leuis quæstio. Sed nec ea inueniri possunt in
Genesi, quibus signa adiecimus, quæ apud Græcos vocan-
tur obeli seu obelisci, vt id sit nobis notum: sicut rursus a-
B stetiscos iis quæ sunt quidem in Hebræo, apud nos autem
non inueniuntur. Quid opus est vt dicam de Exodo, vbi
quæ pertinent ad tabernaculum, & eius atrium, & arcam,
& quæ ad indumenta Pontificis & Sacerdotum, valde
sunt mutata, adeò vt ne videatur quidem esse sensus simi-
lis. Vide ergo ne imprudentes & inscientes abrogemus
exemplaria quæ habentur passim in Ecclesiis, & legem sta-
tuamus fraternitati, vt deponant quidem sacros qui apud
eos feruntur libros, assentiantur autem Hebræis, & persua-
deant vt nos puris impertiant, & qui nihil habeant figmé-
ti. An non prouidentia in sanctis scripturis dedit omnibus
Christi Ecclesiis ædificationem? Non curam gessit eorum
qui empti sunt pretio, pro quibus Christus est mortuus?
qui cùm sit eius filius, ei non pepercit Deus qui est chari-
tas, sed pro omnibus eum tradidit, vt cum eo omnia nobis
Cor. 7. gratis donet. Ad hæc autem considera, an non sit bonum
Rom. 5. meminisse eius quod scriptum est, Non transpones termi-
Rom. 8. nos æternos quos statuerunt patres tui. Hæc autem dico,
Deut. 14. non quòd verear ac dubitem scrutari quæ sunt apud Iu-
dæos scripturas, & omnes nostras cum illorum scripturis
conferre, & uidere quænam sint in eis differentiæ. Si non
est quidem certè graue & arrogans dicere, hoc gnauiter
pro viribus fecimus, vt mentem nostram exerceremus in
omnibus editionibus, & earum differentiis, cum eo quòd
C longè magis exercebamus interpretationem Septuaginta,
ne videremur falsi & adulterini aliquid inducere in Eccle-
sias quæ sunt sub cœlo, & daremus prætextum iis qui quæ-
runt occasionem, & volunt eos qui sunt in medio calum-
niari, & eis, qui sunt in communi criminari. Exercemus au-
tem, vt non ignoremus, etiam eas quæ sunt apud illos: vt
cum Iudæis differentes, eis non adducamus quæ sunt pro-
posita in eorum exemplaribus: & vt cum eis vtamur iis
quæ apud illos habentur, & non sunt in nostris libris. Nam
cum sit eiusmodi noster apparatus in quæstionibus aduer-
sus ipsos, non despicient, neque, vt mos est eorum, irride-
bunt eos qui credunt ex gentibus, tanquam qui ignorent
vera quæ apud eos scripta sunt. Atque hæc quidem dicta
sint ad hoc, quòd non habeantur apud Hebræos quę scri-
buntur de Susanna. Videamus autem etiam ea quæ affers
ad libri reprehensionem. Et primùm incipiamus ab eo,
quod posset pudorem suffundere, ne admittatur historia,
nempè παρονομία id est, ad nomen allusio, πρῖνος qui-
dem ad πρίσιν, σχῖνος autem ad σχίσιν. De quo tu quidem
pronuntiasti, vt qui aliquo modo ea comprehéderis, quòd
euenit quidem vt in Græcis vocibus hæc consonent, in
lingua autem Hebraica distent penitùs.

Ego autem adhuc dubito. Nam cùm de iis quæ
sunt in hoc loco, essem sollicitus, vt qui de iis ipse du- D
bitassem, cum non paucis Hebræis contuli, rogans, quem-
admodum apud eos nominetur Prinus, & quemadmodũ
dicant πρίζειν hoc est secare. Prætereà autem pro quonam
accipiunt Schinum plantam, & quomodo nominant
σχίζειν id est scindere. Alij autem dicebant se ignorare
vocem Græcam πρῖνον & σχῖνον petebant autem, vt sibi
ostenderentur arbores, vt viderent quasnam voces eis tri-
buant. Ego verò non dubitaui (amica est enim veritas)
ipsa ligna in eorum conspectum adducere. Alius autem
dicebat, quæ nusquam nominata sunt à scripturis, se non
posse affirmare, quemadmodum dicantur Hebraicè: In
promptu autem esse, vt qui dubitauerit, Syriaca voce vsus
sit pro Græca: Dicebátque etiam apud valde doctos di-
ctiones aliquas aliquando quæri. Si ergo (inquit) potes
ostendere, quomodo sit nominata Schinus aut Prinus in
aliqua scriptura, illinc inuenerimus quod quęritur, & quę-
nam sit ad ea allusio nominis. Si verò nusquam sunt no-
minata, id quoque nos latet. Cùm hæc ergo, quod attinet
ad historiam, dicta sint ab Hebræis, cum quibus habui cõ-
suetudinem, ego quidem caueo ne pronuntiem, vtrum e-
tiam apud Hebręos seruetur eadem vis nominum in his al-
lusionis. Tu autem scis fortassè quemadmodum hoc affir-
maris. Memini autem cum studioso Hebręo, & appellaba-
tur apud eos filius sapientis, vt qui esset educatus vt patri
succederet, de multis contulisse. A quo, vt potè Susannę E
historia nequaquam abrogata, didici Seniorum quoque
nomina, vt quę sita sint in Hieremia, & hoc modo se ha-
beant: Te faciat Dominus vt Sedechiã & vt Achiab, quos
Rex Babylonis frixit in sartagine in igne, propter iniqui- Hier. 29.
tatem quàm fecerũt in Israel. Quomodo autem alter qui-
dem ab Angelo secatur, alter verò discinditur, dicendum
est, non in pręsenti seculo hæc eis prędici, sed in Dei iudi-
cio futuro post eorum hinc decessum. Quomodo enim Matt. 24.
malum dispẽsatorem, qui dicebat, Tardat Dominus meus „
venire, & ideò vacabat ebrietati, & conuiuabatur, & bi- „
bebat cum temulentis, & verberabat conseruos, Dominus „
cùm venerit, diuidet, & partem eius ponet cum infideli-
bus: Ita etiam hos, qui appellati quidem sunt Presbyteri,
malè autem administrarunt dispensationem, conuenienter
malo qui illic est dispensatori, iubebit diuidi. Nam quidam
Angeli, quibus mandatum est ministerium suppliciorum, eos sic
afficient: & alter quidem discindet inueteratum dierum
malorum, qui iniquas tulit sententias, & damnabat qui-
dem insontes, sontes autem absoluebat: alter autem seca-
bit, vt qui esset semen Chanaan, & non Iuda, eum qui de-
ceptus fuerat à pulchritudine, & cuius cor peruersum fue-
rat à libine. Porrò autem alium quoque noui Hebræum,
qui de his Presbyteris seu senioribus tales afferebat tradi-
tiones: quòd iis qui in captiuitate sperabant se per Christi
aduentum liberandos à seruitute inimicorum, præ se fere- F
bant isti presbyteri se de Christo, vt qui scirent quæ erant,
declarare: & vterque eorum pro se, in quam incidebat
mulierem, & cui volebat vitium afferre, in secreto ei dice-
bat, quòd sibi à Deo datum esset Christum seminare. Dein-
de spe gignendi Christi decepta mulier se tradebat dece-
ptori. Et sic in vxores ciuium perpetrabant adulterium
Presbyteri Achiab & Sedechias. Quamobrem rectè à Da- Dan. 13.
niele, alter quidẽ dictus est inueteratus dierum malorum,
alter verò audiuit, Sic faciebatis filiabus Israel, & illæ timẽ-
tes vobiscum habebant consuetudinem: sed filia Iudæ non
sustinuit iniquitatem vestram, fortè enim Deus & metus,
quæ multum possunt inter mulieres, efficiebat, vt eæ præ-
berent sua corpora Presbyteris, seu senioribus qui dicun-
tur. Sed est verisimile te ad hæc quęrere, cur apud eos in
Daniele non habetur historia, si hęc, vt dicis, tradunt eorũ
sapientes. Ad hęc dicendum, quòd ex iis quę Presbytero-
rum & magistratuum & iudicum cõtinebant vituperatio-
nem, quęcunque potuerunt, sustulerunt à cognitione po-
puli: quę quidem seruantur in arcanis. Huius autem exem-
plum dabimus, quę narrantur de Esaia, & ab Epistola ad
Hebręos adducuntur in testimonium, scripta in nullo li-
bro ea iis qui sunt palã. Prophetas enim, & quę passi sunt,

G peteensens is qui scripsit Epistolam ad Hebræos, dicit, la-
Hebr. 11. pidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt. Pec-
contabimur enim ad quem refertur illud, Secti sunt, quod
prisco quodam more non solùm Hebraico, sed etiam Græ-
co, in plurali numero dicitur de vno. Est manifestum quòd
dicunt traditiones sectum esse Esaiam Prophetam: & hoc
habetur in quodam apocrypho. Quod quidem fortasse
consultò per dolum factum est a Iudæis, quibusdam non
decentibus scripturæ iniectis dictionibus, vt toti fides ab-
rogaretur. Sed est verisimile quendam, qui premebatur ab
ea quæ est in his demonstratione, visum esse consilio entũ,
qui Epistolam abrogent, tanquam quæ non sit Pauli. Ad-
uersus quem aliis seorsum vtimur rationibus, ad proban-
dum Pauli esse epistolam. Adducam ergo in præsentia ex
Euangelio, ea quæ testatur Iesus Christus de Prophetis, &
quæ ab ipso quidem dicitur historiam: nõ habetur autem
in veteribus scripturis, quoniam ipsa quoque continebat
accusationem iniquorum iudicum in Israël. Sic autem ha-
Matt. 23 bet dictio dicta à Seruatore: Væ vobis Scribæ & Pharisæi
„ hypocritæ, quoniam ædificatis sepulchra Prophetarum, &
„ ornatis monumenta iustorum, & dicitis, Si fuissemus in
„ diebus patrum nostrorum, non fuissemus eorum socij in
„ sanguine Prophetarum. Quamobrem vobis ipsis fertis te-
„ stimonium, quòd estis filij eorum qui occiderunt Prophe-
„ tas. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpen-
„ tes, fœtus viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehen-
„ næ? Propterea ecce mitto ad vos Prophetas, & sapientes,
H & scribas. Ex ipsis occidetis & crucifigetis, ex ipsis flagel-
„ labitis in synagogis vestris, & persequemini à ciuitate in ci-
„ uitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effu-
„ sus est in terra à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem
„ Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum &
Matt. 23. altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super hanc
Luc. 13. generationem. Et quod deinceps sequitur, non discrepat
„ ab iis quæ priùs sunt posita: quod sic habet: Hierusalem,
„ Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui
„ missi sunt ad te, quoties nolui congregare filios tuos, quẽ-
„ admodum gallina congregat pullos suos sub alas, & no-
luistis? Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta. Vi-
deamus autem, num sit dicendum in his quidem verum
dicere Seruatorem, non inueniri autem scripturas, quæ si-
gnificent ea quæ narrantur à Seruatore. Nam qui ædificant
sepulchra Prophetarum, & ornant monumenta iustorum,
damnantes ea quæ ausi sunt Presbyteri in iustos & Pro-
phetas, dicunt, Si fuissemus in diebus patrum nostrorum,
non fuissemus eorum socij in sanguine Prophetarum. Di-
cat ergo nobis quispiam, Quorumnam Prophetarum san-
guine? Vbinam enim est scriptum aliquid eorum de Esaia,
aut Hieremia, aut aliquo ex duodecim, aut Daniele? Sed &
de Zacharia filio Barachiæ occiso inter templum & altare,
à Iesu quidem didicimus, à nulla autem alia scriptura co-
gnouimus. Quamobrem nõ aliud procurasse existimo eos
I qui existimabantur sapientes, & principes, & seniores po-
puli, quàm vt ea adimerent, quæ eorum continebant ac-
cusationem ad populum. Non est ergo mirum, si veram hi-
storiam Susannæ, cui pararunt insidias impudici seniores,
ij qui non longè aberant ab instituto illorum presbytero-
Act. 7. rum, suffurati sint & subtraxerunt a scripturis. Porrò au-
„ tem in Actis quoque Apostolorum Stephanus testimo-
„ nium ferens, hæc dicit aduersus multos: Quem Propheta-
„ rum non sunt persecuti patres vestri, & occiderunt eos qui
„ prius annuntiauerunt de aduẽtu iusti, cuius nunc vos pro-
ditores & occisores fuistis? Verum quidem dicere Stepha-
num fatebitur quicunque admittit Acta Apostolorum.
Probari autem non potest ex veteri Testamento, quòd iu-
stè accuset patres eorum qui non crediderunt in Iesum, neque
ex libris quos habemus noui Testamenti. Paulus quoque
1. Thes. 2. que in prima ad Thessalonicenses hæc de Iudæis testificãs,
dicit, Vos autem imitatores facti estis Ecclesiarum Dei, quę
sunt in Iudæa in Christo Iesu: quia eadem passi estis & vos
à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis, qui & Domi-
num occiderunt, & Prophetas & nos persecuti sunt, &
Deo nõ placent, & omnibus hominibus aduersantur, pro-

hibentes nos gentibus loqui, vt salui fiant. Existimo in iis K
quæ præcedunt, nos satis ostendisse, fuisse quidem histo-
riam, & cum magna intemperantia fuisse perpetratam ab
iis qui tunc erant Presbyteri, crudelitatem aduersus Su-
sannam, & scriptam quidem esse prouidentia spiritus, sub-
tractam autem esse, vt ita dicam, spiritum à principibus
Sodomorum. Dicebas præterea, quod Daniel ab hac qui-
dem scriptura dicitur arreptus spiritu exclamasse iniquam
esse sententiam: quæ autem circa veram contronesiam est
eius scriptura, alio modo continet eum prophetare, nem-
pè visionibus & somniis, & Angeli apparitione, nequa-
quam autem prophetica inspiratione. Tu autem mihi vi-
deris non admodum obseruasse multifariam multisque
modis Deum olim locutum esse patribus in Prophetis, nõ
solùm in omnibus, sed etiam in singulis. Si autem obserua-
ueris, inuenies iisdem sanctis & diuina fuisse somnia, &
apparitiones Angelicas, & inspirationes. Satis est autem in
præsentia adhibere pro testimonio ea quæ scripta sunt de
Iacob, qui de somniis quidem hæc narrat: Et factum est, Gen. 30.
cùm oues coitum appeterent, & vidi oculis meis eas in „
somno: & ecce hirci & arietes ascẽdebant oues & capras, „
albi & varij, fusci & maculosi. Et dixit mihi Angelus Dei „
in somno, Iacob. Ego autem dixi, Quid est? Et dixit, Aspi- „
ce oculis tuis, & vide hircos & arietes ascendentes oues & „
capras albas & varias, fuscas, & maculosas. Vidi e- „
nim quæcunque tibi facit Laban. Ego sum Deus, qui tibi „
visus sum in loco Dei, in quo vnxisti mihi columnam, & „
mihi illic fudisti preces. Nunc ergo surge, & egredere ex „
hac terra, & abi in terram generationis tuæ. Vera autem „
potentioris, & non in somnis fuit visio, ea quæ de eo dicta
sunt: Remansit autem Iacob solus, & luctabatur homo Gen. 32.
cum ipso vsque ad mane. Vidit autem quòd non potest L
aduersum ipsum: & tetigit latitudinẽ femoris eius, & ob- „
sorpuit latitudo femoris Iacob, dum ipse cum eo luctare- „
tur: & dixit ei, Mitte me: ascendit enim mane. Ille autem „
dixit, Non te dimittam nisi mihi benedixeris. Dixit autem „
ei, Quod est nomen tuum? Ille verò dixit, Iacob. Dixit au- „
tem ei, Non vocabitur amplius nomen tuum Iacob, sed „
Israël erit nomen tuum: quoniam fortis fuisti cum Deo, & „
cum hominibus potens. Interrogauit autem illum Iacob, „
& dixit, Annuntia mihi nomen tuum. Et dixit, Cur ro- „
gas nomen meum? Et benedixit ei illic. Et vocauit Iacob „
nomen loci illius, formam seu speciem Dei. Vidi enim Deũ „
facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Ortus est „
autem sol, quando pertransiit forma Dei. Quod autem e- Gen. 39.
tiam ex inspiratione prophetet, ex his est perspicuum: Vo-
cauit Iacob filios suos, & dixit, Congregamini vt annun-
tiem vobis quid efficietur vobis in nouissimis diebus. Co-
gimini, & audite filij Iacob, audite Israël patrem vestrum.
Ruben primogenitus meus, tu es virtus mea, & initium fi-
liorum meorum, durus ad ferendum, & valde arrogans:
fuisti iniuriosus, tanquam aqua non efferuescas. Ascendi-
sti enim cubile patris tui: tunc polluisti stratum quod ascẽ- M
disti. Similiter & ad reliquos benedictiones, dictæ sunt
Prophetiæ ex inspiratione. Non est ergo mirum, Danie-
lem quidem aliquando ex inspiratione esse locutum ad se-
niores, eos arguendo: aliquando verò in somniis, vt tu di-
cis, aut visione: & aliquando ei esse factam Angeli appari-
tionem. Aliæ autem tuæ dubitationes mihi videntur di-
ctæ esse minus grauiter, & non eam adhibere quam decet
cautionem. Satius est autem id ponere iisdem quibus à te
scriptum est dictionibus. Deinde postquam adeò admira-
biliter ea est effatus, præter opinionem & expectationem
eos sic refellit, vt ne minos quidem Philistinnis. Non enim
sufficit increpatio per spiritum: sed vtrumque seorsum se-
paratum percontatur, vbi eam conspexisses adulterium
admittentem. Postquàm autem alter quidem dixisset, Sub
prino, respondit Angelum eum secaturum: Alteri autem
qui dixerat, Sub schino, minatur similiter eum discinden-
dum. Tempestiuè enim profero aliud similiter atque id di-
ctum in tertio Regum, quod quidem ipse quoque fatebe-
ris similiter scriptum atque mimum Philistionis. Sic autẽ
habet dictionis contextus ex libro Regum: Tunc apparue-
runt

A runt duæ mulieres meretrices Regi, & steterunt coram
3. Reg. 3. ipso. Et dixit mulier vna Regi, In me Domine mi. Ego quidem & mulier hęc habitamus in vna domo, & peperimus domi: & factum est tertio die ex quo peperi, peperit etiam hæc mulier: & nos simul. Nullus est enim in domo nostra præter nos ambas. Et mortuus est filius mulieris noctu, vt dormiuit super ipsum. Et surrexit media nocte, & accepit filium meum ex vlnis meis: & ancilla tua dormiebat: & sopiuit eum in sinu suo, & filium suum mortuum sopiuit in sinu meo. Et surrexi mane vt lactarem filium meum, & ille erat mortuus. Et ecce consideraui eum manè, & ecce non erat filius meus quem peperi. Et dixit mulier altera, Nequaquam: sed est filius tuus qui est mortuus: filius autem meus est qui viuit. Alia autem ipsa quoque dicebat, Nequaquam, sed est filius meus qui viuit: filius autem tuus est mortuus. Et locutę sunt coram Rege. Et dixit Rex ipsis: Tu dicis, hic est filius meus qui viuit: & tu dicis, Nequaquam, sed filius meus qui viuit, filius autem ipsius is qui est mortuus. Et dixit Rex, Accipite mihi gladium: & attulerunt gladium coram Rege. Et dixit Rex, diuidite infantem viuentem in duas partes, & date dimidium eius huic, & eius dimidium illi. Et respondit mulier, cuius erat filius is qui viuebat, Regi, quoniam conturbatus erat eius venter in filio, & dixit, In me Domine. Date ei infantem qui viuit, & ne morte eum afficiatis. Et altera dixit, Neque mihi,
B neque ipsi sit, diuidite ipsum. Et respondit Rex, & dixit, Date infantem viuum mulieri quæ dixit, Date ei ipsum, & morte ne afficiatis ipsum, quoniam hæc est mater eius. Et audiuit omnis Israel iudicium quod iudicauit Rex, & timuerunt à facie Regis, quoniam viderunt quòd prudentia Dei in ipso ad faciendas iustificationes. Nam si de iis, quæ habentur in Ecclesiis, oporteret pronuntiare ludificatione & commentitione, oporteret mimo Philistionis magis assimilare duarum meretricum historiam, quàm historiam Susannę. Quomodo autem non sufficiebat ad populo persuadendum quòd diceret Salomon, Date illi infantem viuentem, ea est enim mater ipsius, ita non sufficiebat quæ à Daniele facta fuerat seniorum increpatio, nisi accederet quæ ex eorum ore facta est probatio, dicentium quidem sub quanam arbore eam vidissent dormientem cum iuuene, non conuenientium autem quænam esset ea arbor. Et quoniam tanquam qui comprehenderit, dicebas ex inspiratione Danielem iudicasse seniores, fortasse quidem sic conuenientem, fortasse autem aliter, attende hæc quoque de Daniele mihi videri esse similia iudicio Salomonis, de quo testatur scriptura, vidisse populum quod Dei sapientia esset in ipso, vt faceret iustificationem, quibus sunt iudica-
3. Reg. 3. ta quæ scripta sunt de senioribus. Porrò hoc quoque propemodum me latuit, necessarium vt addatur de prino πρίσιν, id est sectionem, & de schino σχίσιν, id est discissionē, quòd in nostris quoque scripturis sunt quędam veluti etymologiæ, quæ apud Hebræos quidem propriè & conuenienter se habent, apud nos autem non itidem. Non est er-
C go mirandum, si qui Susannæ historiam sunt interpretati, procurarent vt esset verbum consonans Hebraico. Non enim existimo denominatiuū habere proportionem & cōuenientiam cum consonante Hebraico numine. Quomodo autem hoc inueniatur in nostra scriptura, ostendemus. Dicit Adam de muliere ædificata a Deo ex costa viri, Hæc vocabitur mulier, quoniam ex viro eius sumpta est. Dicunt autem Hebræi Essa quidem vocari mulierem: ostendi autem ex dictionis contextu: Et ædificauit Dominus Deus costam, quam accepit à viro. נשא enim significat accepit, vt patet ex eo הישועות אשא כוס, quod interpretatur, Calicem salutaris accipiam. Is autem significat virum, vt patet ex hoc, אשרי האיש, id est, beatus vir. Secundum Hebræos ergo is & Essa, vir & mulier. Essa quidem ab is, id est à viro, quoniam à viro sumpta est ipsa. Non est ergo mirum, quòd quidam interpretati de Susanna Hebraicum, in arcanis, vt est verisimile, iam olim apud eos habitum, apud studiosos autem & veritatis amantes conseruatum, aut propriè ediderunt dictiones, aut inuenerunt quod responderet Hebraicis denominatiuis, vt possimus nos Græci eos assequi. Nam in multis quoque aliis li- D
cet inuenire quædam certo consilio fuisse edita ab interpretibus, quæ quidem nos obseruamus, inter se conferentes omnes editiones. Præterea his quoque verbis dubitas, quomodo cùm essent Babylone captiui, vexarenturque, & in plateis proiicerentur insepulti, vt narratur in prima captiuitate Israel, & abstraherentur eorum filij vt fierent Eunuchi, & filiæ vt essent concubinæ, sicut in Prophetia fuerat prædictum: alij autem in iudicio venirent in discrimen capitis: idque cùm venisset in potestatem Regis ipsa vxor Ioachim, quem Rex Babyloniorum considere fecerat in suo throno. Si autem non fuit is Ioachim, sed aliquis alius ex plebe, vndenam venerat ad captiuum talis habitatio, & vndenam habuit tam elegātem & amœnum hortum? Vndenam autem accepisti quod dicebas, vexarentur, & in plateis proiicerentur insepulti, nisi, quantum ego possum nosse, ex Tobia, de quo nos oportet scire, quod Hebræi Tobia non vtuntur, neque Iudith. Non enim ea habent nisi in Apocryphis, id est, in occultis, Hebraicè, vt ab ipsis discentes cognouimus. Sed quoniam Tobia vtuntur Ecclesiæ, sciendum est, quòd etiam in captiuitate quidam captiui erant diuites, & res suas rectè gerebant. Ipse autem dicit Tob. 1.
Tobias: Quoniam memini sui Dei in tota anima mea, dedit altissimus gratiam & formam coram Nemessara, & eram eius dispensator, & iui in Mediam, & deposui apud Gabelum fratrem Gabriæ in Ragis Mediæ argenti talenta de- E
cem. Et subiungit paulò pòst: In diebus Nemessari feci multas eleemosynas fratribus meis, panes meos dedi esurientibus, & vestes nudis: & si quem vidissem ex genere mortuum, & proiectum post mœnia Niniues, sepeliebam ipsum: & si quem occidisset Sēnacherib Rex fugiens ex Iudæa, eos sepeliui suffurans. multos enim occidit in ira sua. Considera an non multas apertè ostēdat diuitias & facultates tantus catalogus beneficiorum Tobiæ, & maximè quod subiungit, dicens, Cùm cognouissem quòd quærerer ad mortem, timore perculsus recessi, & direptæ sunt Tob. 1.
omnes meæ facultates. Sed & alius quoque captiuus Diachiachatus Ananielis filius fratris Tobię, præfectus fuit omnibus ratiociniis regni Regis Acherdonis, & vniuersæ administrationi. Et dicitur, Et erat etiam Diachiachatus pocillator, & à secretis, nempè ab annulo, & dispensator, & ratiocinator. Mardochæus quoque versabatur in aula Esther. 2.
Regis, & tanta fuit erga ipsum eius confidentia, vt etiam 2. 3. & per totum
adscriptus sit inter benefactores Artaxerxis. Præterea in
Esdra quoq; Neemias pocillator Regis, & eius Eunuchus, 1. Esdr. 3.
genere Hebræus, petiit ædificationem templi, & impetrauit vt sibi liceret abire cum pluribus, & templum erigere. Quid ergo mirum, si fuerit hortus, & domus, & possessio cuiusdam Ioachim, siue is magno esset loco natus, siue me- F
diocri. (De eo enim nihil apertè significat scriptura.) Neque enim scio vndenam eum scirem, cùm dubitem, fuerit ne Susanna vxor Regis, propter homonymiam nominis Ioachim? Sed dicis, Quomodo in iudicio veniebant in discrimen capitis? Dicendum est autem, non esse mirandum & incredibile, cùm magnæ gentes fuerint & subiectæ, à Rege esse concessum, vt captiui vterentur suis legibus & iudiciis. Nam nunc quoque Romanis regnantibus, & Iudæis didrachma eis pendentibus, quænam concedente Cęsare possit gentis præfectus, vt nihil differat ab eo qui regnum obtinet in gentem, scimus qui sumus experti. Fiunt enim latenter conuenienter legibus iudicia, & damnantur quidam capitis, neque cum plena omni ex parte libertate, neque Rege omninò ignorante: idque in regione gentis longo tempore versati didicimus, & pro certo accepimus: quanquam sub Romanis duæ solæ relatæ sunt esse tribus, nempè tribus Iuda & tribus Beniamin. Esto etiam leuitica Israel autem præter populum Iuda erant decem tribus. Est autem verisimile, Assyrios satis habentes, quod eos haberent subiectos, eis permisisse propria iudicia. Hoc quoque inueni in tua epistolā his verbis: Præter hæc omnia, cùm tot præcesserint Prophetæ, nullos alius deinceps vsus est sensu verborum alterius, neque enim emendicaret, si vera esset oratio. Hic autem alter illorum imitans, in memo-

G uiam reuocat Dominum dicentem, Insontem & iustum
Exod. 23. non occides. Miratus sum autem, quod cùm multum sia
versatus in examinandis & meditandis scripturis, non ob-
seruaris Prophetas vel Prophetarum oratione, propemo-
dum iisdem verbis. Quis enim nescit ex multis fidelibus id
Esa. 1. quod scriptum est in Esaia: Erit in extremis diebus mani-
„ festus mons Domini, & domus Dei in vertice montium,
„ & extolletur super colles, & venient ad ipsum omnes gen-
„ tes, & ambulabunt gentes multæ, & dicent, Agedum ascé-
„ damus in montem Domini, & in Domum Dei Iacob, &
„ annuntiabit nobis viam suam, & ambulabimus in ea. Nam
„ ex Sion exibit lex, & sermo Dei in Hierusalem: & iudica-
„ bit inter gentes, & arguet popolum multum, & concident
H gladios suos in aratra, & lanceas suas in falces: & non ac-
„ cipiet gens aduersus gentem gladium, & non discent am-
Mich. 4. plius bellare. His autem simile, & iisdem verbis sic etiam
„ scriptum est in Michea: & erit in extremo dierum manife-
„ stus mons Domini paratus super vertices montiom, & in
„ sublime tolletur super colles: & festinabunt ad ipsum tem
„ plum, & ambulabunt multæ gentes, & dicent, Agedum,
„ ascendamus in montem Domini, & in domum Dei Iacob:
„ & ostendant nobis viam eius, & ambulabimus in semitis
„ eius. Quoniam ex Sion exibit lex, & sermo Domini ex
„ Hierusalem: & iudicabit inter popolos multos, & arguet
„ gentes fortes vsque longè: & concidét gladios suos in ara-
„ tra, & lanceas suas in falces: & non tollet amplius gens
I romphæam aduersus gentem, & non amplius discent bel-
lare. Præterea in primo Paralypomenon, qui positus fuit
in manu Asaph & fratrum eius Psalmus laudandi Domi- K
num, cuius est initium, Confitemini, & inuocate ipsum in *1. Par.* 10
nomine eius: in plurimis quidem in initio tantum valet, „
quantum Psalmus C I I I I. vsque ad, Et in Prophetis eius
nolite malignari. Postea autem X C V. ab eius initio quod „
propè accedit ad illud, Cantate Domino omnis terra, vs- „
que ad, Venit iudicatum terram. Cùm autem liceret ipsa „
verba addere, valdè breuiter hæc diximus ad propositum.
Inuenies autem & de non tollendo onere in die Sabbati,
non solùm scriptum apud Mosem, sed etiam in Hieremia.
Et de Paschate & de legibus Sacerdotalibus inuenies & a-
pud Mosem, & in fine Ezechielis. Addidissem autem &
ipsa verba, & plura alia, nisi vidissem ob paucitatem die- L
rum, quibus futuri sumus Nicomediæ, excludi tempus ad
te scribendi. Præter hæc dixisti etiam dictionis stylum dis-
ferre: quod mihi quidem nequaquam est visum. Et hæc
quidem respondi, cùm non liceret, præcipuè post repre-
hensionem, dicere encomiũ scripturæ de Susanna, insisten-
do vnicuique verbo: & ostendendo eximios sensus. Quod
quidem poterit seorsum componere quispiam ex iis, qui
res diuinas diligenter & satis sunt meditati. Hæc respondi,
& rescribo ad tuam, vt dicis, pulsationem. Vtinam etiam
possem erudire: nunc autem non tantum mihi tribuo.

Salutat te, qui dictandæ epistolæ fuit adiutor, & toti in-
terfuit, quę voluit corrigens, Dominus meus & frater san-
ctus Ambrosius. Salutat te etiam fidelissima eius coniux
Marcella simul cum liberis, & Anicetus. Tu saluta bo- M
num Papam Apollinarem, & eos qui nos diligunt.

F I N I S.





